

<36634522290018


MARIA
SPECVLVM MVNDI
CÆLESTIS
1656
I.P.

MVNDI MARIANI

Pars Secunda.

MARIA

SPECVLVM MVNDI CÆLESTIS.

Auctore
R. P. LAVRENTIO CHRISOGONO DALMATA
Spalatensi Societatis Iesu Theologo.

CVM INDICE RERVM COPIOSISSIMO.



PATAVII. Anno MDCLI.

Sumptibus Iunctarum, & Ioan. Iacobi Hertz.

Cum licentia Superiorum, & Priuilegio.

Facultas Prouincialis.

EGo Ioannes Bucelleni Societatis Iesu per Prouinciam Austriæ Præpositus Prouincialis, potestate mihi facta ab Admodum Reuer. P. N. Vincentio Carrafa Præposito Generali facultatem concedo, vt Liber, qui inscribitur MVNDI MARIANI in tres partes diuisi Pars Secunda, quæ appellatur MARIA SPECVLVM MVNDI CÆLESTIS, à Patre Laurentio Chrysogono eiusdem Societatis Sacerdote conscriptus, & à Reuisoribus memoratæ Societatis lectus, & approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas manu propria subscriptas, & officij sigillo munitas dedi.

Viennæ Austriæ die 25. mensis Septembris Anno Domini 1648.

Ioannes Bucelleni.

Noi Reformatori dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per fede del M. R. P. Inquisitore di Padoa, che nel Libro intitolato MARIA SPECVLVM MVNDI CÆLESTIS, nõ si troua cosa alcuna contra la S. Fede Cattolica composto dal Padre Lorenzo Grisogono, & parimenti per attestato del Segretario nostro non si troui cosa alcuna contra Prencipi, & buoni costumi, Concedemo licenza, che sia stampato, douendosi osseruar le leggi in questo proposito & consignare vna copia per la Libraria publica di Venetia, & vn'altra per quella di Padoa. In quorum fidem &c.

Dat. à xj. di Giugno 1649.

Pietro Sagredo Procurator Ref.
Girolamo Lando Cau. Refor.

Aluise Querini Segretario.



ILL.MO ET EXCELL.MO DOMINO

DOMINO GVILIELMO

SACRI ROMANI IMPERII

COMITI SLAVATÆ,

Baroni de Chlum, & Koſſumberg, Gubernatori Domus Nouodomenſis, Dño in Nouadomo Felſch, Gierouiz, & Rubra Lottha, Aurei Velleris Equiti, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis intimo Conſiliario, Camerario, eiuſq; Regis Bohemiæ Supremo Cancellario, & eiuſdem Regni Supremo hæreditario Pocillatori.

TVus in diuinum Numen, eiuſque Sacratiſsimam Matrem amor, ac veneratio extorſit Secundam Mundi Mariani partem, ſeu Mariam Speculum, Mundi Cæleſtis ſtylo meo indigitatum, vt Tuæ illud potiſsimùm Excellentiæ dedicarem, & proponerem ſpeculandum, Comes Illuſtriſsime, Cuius enim dignius puluillum premat Homeri Ilias quam Alexandri? cuius ſpeculum oculos prouocet magis, quam ſe videre geſtientis? Et Maria virtutum per Diuos Sparſarum collecta Ilias eſt, Tuo digniùs indormitura Amori, quam Homerica Sericeo rubori, quamuis iſta exiguo nucis concluſa cortice de ſuamet triumphet anguſtia: illa verò ne trinis comprehenſa Orbibus de auguſtali gaudeat Maieſtate. Et ſpeculum eſt eadem Maria, tuis ſæpe afflatum deſiderijs, transfixum oculis, ardoribus inflammatum. Pia ſanè iacula! quæ vitream non confregere Metam. Improbioribus tecum profectò eſt actum iaculis ante annos prope triginta; cum in Hæretici furoris, Perduelliumque Metam pro fide litare Auſtriaca poſitus, quia oculis & verbis transfigi nequibas, vi manuque admota pro Fide, pro Deo, pro Maria, pro Cæſare, è Bohemicæ Arcis Pragenſis Cancellariæ feneſtris in præceps ruebas proturbatus. Et quidem ita vt in medio caſo capite ad cornidem feneſtræ inferioris alliſo ſat periculoſum, & profundum vulnus hauſeris, corpore verò reliquo in terram decidente ſiniſtram tuæ faciei partem à petra tactam, & ſanguine inter pellem, carnemque diffuſo liui-

dam, multò deinde dierum spatio vna cum sinistro velatam oculo ingemueris, pluraque adhuc in ima hiantis fossæ deuolutus vulnera senseris quando ibi iacenti cruor etiam ex vulnere in os profluens suffocatricem aduocabat mortem: nisi à fidelissimo gloriosi tui Casus, & Commortuali Achate liberatæ fauces, cruorem vitæ inhiantem nouæ respirationis beneficio tibi cęlitùs datò egessissent. Quis quæso tunc Speculum hoc (Te Comes Illustrissime, & Excellentissime appello) non totis comminutum Ossibus diceret? nisi ad psalterium Vatis Regij cadentem crederet, sic canentis; Iustus cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. *Dominus ergo manum supposuit, assuetam illam ferendæ moli totius Terræ; quam sicut satis superque tribus appensam digitis sustentat, ita Te manus integræ fulcro subleuatum, conseruauit. Benè huc alludit Sapiens cùm ait:* Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget eos tormentum mortis. *Vide Excellentissime Domine, si sapienti fides est, non modò cadendo non est animus tuus fractus, sed nec tactus, quamuis interim corpus totum vnum penè vulnus fuerit. Miraculum verè Marianum! Testantur hoc eo ipso tempore Tuæ in fossam deuolutionis supplices in parua parte Vrbis Pragensis Catholici, quibus visa Maria in aere volitare, & Te, Tuumque Achatem Com-præcipitem Materno pallio obumbrare. Vbi mirabiliùs, quod & Umbram se Maria vobis, & Speculum alijs præbuerit; qui videbant volantem, intuebantur vt Speculum, qui cadebant experiebantur vt Umbram, vt Pallium, vt Protectricem. Hoc est quod ad Virginem Richardus Laurentinus Tuo dixit olim nomine:* Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie inimicorum qui me afflixerunt. *Et exauditus es, quia protectus; & inimicorum facies Te mentem cum gaudio furori mixto aspiciens est confusa. Hoc est quod Bernardinus Senensis Mariam Aquilam illam grandem magnarum alarum toties inclamauit, & clamor nec pro Te vanus fuit; quia enim pro Aquilæ Regiæ defensione cadebas, Aquila magnarum alarum cadenti succurrit. Et ita in Alis volutabare, cum in petras destinabare; in Plumis agitabare cum in senticosos vepres detrudebare; sicquè hostium elusa opinione à Maria, Principibus, Archiducibus, Regibus, Cæsaribus seruabare; vt horum nemo fauores suos Tibi negare potuerit, cum Te videret, & sciret alis Virgineis in eorum auxilia, & opem asseruatum. Ita Imperatores Rudolphi, Matthiæ, Ferdinandi suis Te prosequebantur gratijs, ferebant in oculis, quos Tu cordi insculptos Tuo, sincera fidelitate, Catholicæque Religionis zelo propugnabas.*

Sed non modò tantorum Monarcharum protectio Mariana Tibi fauorem elicuit, sed & famam nomini Tuo dedit immortalem: tuba enim gloriæ tuæ facta insonuit Orbi, vt summi, medij, infimique intelligerent Te Virginali defensum tegmine, securitatisque tentorium è Solari illa Mariæ Veste Tibi fuisse expensum, qua dilectus discipulus eam amictam est contemplatus. Vt nil mirum sit, si Auorum exinde Tuorum, Atauorumque transcendas gloriam, cum gloriæ Tuæ scutum, Vestis, Vmbra, Alæ, Tentorium Maria sit, ipsa Tua lucidior gloria, illustrior Sole, Cęlo nitidior; vt tegendo Te non obscurare, sed illuminare magis, & Tuam in Orientem, Occidentem, Meridiem, ac Septemtrionem charitatem spargere videatur. Quæ quidem recenti nuper innouata radio, quando Votum Augustissimi, Pientissimique Cæsaris Ferdinandi Tertij de Immaculatæ Conceptionis propugnatione conceptum, in lucem ære Tuo prodire fecisti; ne quid scilicet Marianæ pietatis in opaco latere patereris. Omnia quæ in exaltationem vergunt Virgineam è latebris eruta in patulum protrahere gestis, quantùm conij-

cio,

cio, Comes Illustrissime, ac Excellentissime. Benè quidem: sed complicatum Virginalis Tutellę pallium eó magis extendis, quò illam plus & plus magnificare desideras, eritquè non multò post ita extensum, vt agonem etiam, mortemque Tuam comprehendat. O felix nimium extensio! quem tunc sub Paludamento tali latitans timere poteris? cuius horrere tenebras sub luce tam eximia? cuius moneri technis sub ipsa delitescens Sapientia? Tùm verè, bene ominor! Tartarei pariter hostes in Tui collisionem intenti confundentur: sicut olim perfidi illi, & in Tuam iurati vitam Pragę sunt confusi. Maximè, quod Immaculatę puritatis ęmulę Tui capitis niues, in pios erga eamdem Mariam Mortis triumphatricem liquantur etiamnum Religionis affectus, quibus cum B. Mectilde assueuisti illam & per Potentiam Dei Patris, & per Sapientiam ęterni Filij, & per Amorem Spiritus Sancti obtestari; vt sicut illa Potens à Patre, Sapiens à Filio, Ardens a Spiritu Sancto effecta est in Charitate; ita & Tu cùm vltima vitę Tua fluxerit periodus potens in impetus diaboli, sapiens in astus, ardens denique, & flammea Charitate terribilis appareas. Terribilis, inquàm, sed Inferis; Cœlitibus verò, & Deo amabilis; in quo tamquam in Speculo Maiori, minus hoc Speculum Tibi dicatum, Mariam dicere volo, intueri valeas, quomodo Angelicarum Hierarchiarum perfectiones in se collegerit: quomodo Cœlorum, Syderum, Planetarumque pulchritudinem complexa sit; quomodo Beatorum Curiam diuina propemodùm exhilaret venustate.

Et verò vnicum nobis hoc præsentium ærumnarum, vrgentium ab omni parte calamitatum solatium est: quod tandem aliquando his etiam terminatis, Christum, eiusque Matrem in felicissima illa Patria simus visuri: illum vt omnis gaudij Thesaurum, hanc vt lętitię Organum, & ęuiternis vtriusque delicijs perfruituri. Scio, Comes Illustrissime, vel hac sola cogitatione in tantis Reipublicę, ac Patrię calamitatibus miseriarum insipidarum condiri acerbitatem, vt Tibi, Tuisque sapiat Virtutibus communis tot dolorum amaritudo, quę numquam Tuam exacerbare poterit Patientiam, aut ordinatissimas Tuas disturbare Virtutes: vt proinde mihi spatiosum vel ista Tuę laudis campum aperiant; quia tamen alia parte sentio ruborem tuum ad laudes ingenuè se prodentem, & Canos Capitis ex argenteo Lunę candore in purpuream verti Auroram, supersedeo Calamo, non laudo, sed claudo, & singulari Tuę Excellentię modestia inuoluta relinquo.

AD DIVAM VIRGINEM
EAM ORBIS LVNAM EXSVRREXISSE
CVM TOTVS MVNDVS IN TENEBRIS ESSET.

ODE.

IAM lucis ibat præpes in æquora
Ferale lumen, iam Sociabiles
Vmbræ, superfusumque Solis
Deliquio cohibebat Orbem
Inane noctis. Iam mora desidem
Frænare Mundum, iam tumulos super
Regnare torpedo, & timorum
Prostitui voluere pennis.
Cùm se superbam Veste tyrannidis
Themis ferebat, scæptraque sanguinis
Ensemque subnectens auebat
Imperio breuiore tinctos
Grauare crines. Miles inhospito
Audacis iræ texerat impetu,
Bellumque adoptiuo furoris
Exitio sinu lege multos
Scripsit Nepotes. Quin metus anxies
Exutus alas ausus acinace
Truncare Regales oliuas
Inque humeros religare pacis.
Sensere noctem (credite posteri)
Tyrrhena vasti Marmora Nerei,
Littusque Myrtoum, & carina
Qui patrias Erythræus vndas
Flectit Colonus. Quin lacrimosior
Deprælianrum fulmina nubium
Defleuit Helle, nec modestum
Hesperidum tolerauit æquor.
Toto gemebant Oceano minæ
Plangentis vmbræ: nec nisi fulguris
Lumen, flagellatamque proram
Nocticolor lacerauit aura,

Cum

Cum totus vnda immugijt Africus,
Eurisque obortis aggeribus freti
Immurmuraturus subegit
Naufragio grauiore Portum:
Sistrata Nili littora perfidam
Planxere noctem. Fleuerat Inachus,
Hermusque, Hydaspæumque littus;
Bactraque, Caucaseique fontes
Labentis Indi. Non Babylonij
Orontis amnes, non Tigris accola,
Et qui Lycormam, & qui remotum
Flumineo bibit ore Gangem,
Videre Lunam. Quando volubilem
Nox torquet axem, fraude sororia
Inuoluit Vrbes, & procacem
Ipsa dolis populatur Orbem.
Non illa solos per maris improbum
Grassata fluctus, perquè Aquilonium
Littus, cauernososque latè
Ambierat volitare fontes,
Sed fraude, & astu versicoloribus
Depicta vultum, tramite laneo,
Quem liuor intrauit, dolusque,
Per medias equitauit Vrbes.
Argi superba fraude gradariam
Sensere noctem, perquè Corinthium
Isthmon, Thyesteasquè Turres
Fræna dedit, veteresquè Spartas
Inflexit alas. Hanc rea Tybridis
Legæa planxit; dum pede mortuo
Septemplices transgressa colles,
Iura dedit scelerique, & altæ
Superfluendi regna libidini;
Minasquè, & iræ funera patriæ;
Cædesquè, & Vmbrarum triumphos
Oenotrijs dedit ire campis.
Vt noctis vmbræ seditiosius
Strauere mundum, funereo iacent
Fraudes, pauimento, & maritas
Insidias sopor omniformes
Trahit per Vrbes. Nec nisi adulteram
Mentita pacem mox iterabili

Periura

Periura figmento, sub ipso
Concubio meditatur Hostem.
Sed iam subactis fessa Aquilonibus
Sedere Regna, & litigiosior
Auster lacessitas reduxit
E pelago sine nube pennas.
Minaxque Ponto elanguit Africus,
Eurusquè rixarum obsequio graues
Submisit alas, & quietum
Diffugiens tolerauit Orbem:
Cùm luminosis sydera hiatibus
Fregere nubes, plenaquè in æthere
Stellata Maiestas verendam
Erudijt per inane noctem.
Videtis vt se tollit ab æquore
Iessæa Sacris Luna iugalibus?
Vt noctis in vultu remensum
Astra stupent sitientis anni
Certare Solem? nec dubijs vident
Lucere ad vmbras prata coloribus,
Lucosue, inæqualesue adultas
Ad tenebras trepidare valles:
Sed tota pleno suspiciunt die
Ridere noctem, Castraquè funerum,
Astusquè, liuorumquè Classes
E patrijs abijsse campis.
Quando niuosis Cynthia canduat
Subuecta bigis; tum pluuias Polus
Iras refrænaturus, audet
Attonitos cohibere fluctus.
Tum plenum odoris per nemus explicant
Pangæa sectum cynnama corticem;
Tum pabulabunda bipenni
Assyriam numerare Costum
Colonus ambit: tum violabiles
Orontis amnes, tum iuga myrrhea
Radicis incestas fragranti
Supplicio populantur vmbras.
Ipsa æstuosum iam caput exerunt
Iubata Casti Lilia stemmatis,
Præteruolaturoquè veri
Purpureum sine cæde Vulnus

Insti-

Infligit halans deliciosius
Mucro rosarum: quas sequitur comans
Cephisias, gestitque flauo
Cæsariem radiare serto.
Ergo vt per ales sydereos agit
Inane currus: nubiuagum Iouis
Fulmen, calescentemque Martis
Sæuities positura cornum,
Submisit iras. Nec venus improbas
Induta flammas ausa Hyperionis
Iam nuncios iactare risus,
Sed radio potiore mollem
Neglecta crinem sub iuga basijs
Passus procari Cynthiæ, & innubas
Armata tædas sub rotarum
Liligeris rutilare ventis
Nec iam Coronis, Phæaque perditum
Deflent Hyantem: nec mare naufragum
Electra, & Australis Celeno
Deciduis lacrymantur vndis,
Sed penna odori Iapygis Africum
Proscribit aer, & Zephyri æmula
Voluuntur ala, qua gemebat
Nubigenam rudis aura noctem.
Vltra reuectis Luna curulibus
Metire Coelos: discute nubium
Fumosque, & vmbrarum sepultam
Fraude luem, tacitumque fulgur
Latentis iræ. Iam sibi turbidus
Eurusque, & Auster, iam furor Africi
Collum reclinauere, & atri
In latebras abiere nymbi,
Imbresque victi, & prodigalium
Delapsa Coelo prælia fulminum
Ad syderum, albentisque Lunæ
Coeliuagos tremuere currus.



PRAEFATIO AD LECTOREM.



D *secundam* Mundi Mariani *Partem describendam accedimus. Huius descriptionis initium à Seraphinis augustissimæ Triados, Virginisque Throno vicinissimis initium cæpessimus, indeque ad singularum Hierarchiarum Ordines, eorum proprietates enucleando, descendimus. Tum cælos, ac maximè stellatum, eiusque asterismos, quos Deiparæ, ipsiusque heroicarum virtutum Symbola esse censemus, considerandos gradum facimus. Tandem septem Planetarum contemplatione, singulorum meliores, ac laudabiliores proprietates enodando, easque ad laudem Virginis transferendo, toti huic operi supremam manum imponimus, in eoque veluti lucidissimo speculo Dei Matrem repræsentatam toti orbi ad intuendum, atque imitandum exhibemus. Vetuerat olim Romanis Apostolus, ne sese Mundo huic immundo, vitijsque, ac sceleribus in eo regnantibus deformato conformarent:* Nolite, inquiens, conformari huic sæculo. *Rom. 12. quod sapientissimum Pronunciatum qua ratione intelligendum sit, præclarè exponit aureo sermone suo, vti assolet S. Chrysologus Episcopus Rauennas ser.* 120. Putasnè, *inquiens,* B. Paulus Apostolus dicendo sic, elementorum figuris, ne configuraremur obsistit? neuè simus vt Persarum Reges, qui subiectam nunc pedibus sphœram, vt polum se calcare mentiuntur: nunc radiato capite, ne sint homines, Solis resident in figura: nunc impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effœminantur in Lunam: nunc varias velut syderum sumunt formas, vt hominis perdant figuram, & nihil supernæ claritatis acquirant. Sed ista licet de sæculi vanitate, & à sapientibus tam fugienda sint, quam ridenda; tamen Apostolus cum dicit: Nolite configurari huic sæculo; sæculi vitam corrigit, arguit mores, castigat voluntates, luxuriam condemnat, & totam vanitatem, pompamquè sæcularium propellit, effugat, excludit à mentibus Christianis. *Sicut igitur inhibuit Præco Christi ne nos mundi huius forma, vitijs omnibus deturpata, siue, vt idem loquitur S.Chrysologus,* huic informi Monstro in quo confusione criminum, tota rerum facies dele-

A ta est,

ta est, *conformaremus; ita hortatur sine dubio, vt huic cœlesti Mundo, ex omnium cælestium creaturarum flore, ac decore, virtutibusque composito, nos vel maximè configurare, eiusque viuam, spirantemque formam, imaginemquè in nobis exprimere studeamus, & sicut monet alibi,* vt portemus Imaginem cœlestis Adæ. 1. *Cor.* 15. *sic sine dubio suadet, vt cælestis huius Euæ, quæ veteri omnino opposita est, effigiem in nobis circumgestemus superneque claritatis splendore, quo illa tam mirificè emicuit refulgeamus, pulcherrimasquè eius virtutes in nobis veluti speculo repræsentemus. Quemadmodum enim mundi huius Imago tota ex vitijs, sceleribusque; sic Mundi huius Virginei forma cælestibus, Angelicisque virtutibus coalescit. Quod idem Chrysologus declarauit dum dixit:* Figuram sæculi, in vitijs Apostolus sic figurat: Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos *inuidia*, *homicidijs*, contentione, dolo, malignitate, susurratores, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, erectos, superbos, inuentores malorum &c. Fratres audistis formam sæculi, didicistis speciem, vidistis figuram, vbi peccatorum connubio tota mundi figura est dissoluta, vbi delictorum morbis Imago ipsa ablata est Conditoris, vbi homo in vitijs est sepultus, vbi homo hominis est sepulchrum, vbi in homine non homo cernitur, sed cadauer. Apostolus ergò huic formæ nos prohibet esse conformes, & configurari huic nos vetat figuræ, huic similitudini consimiles nos esse non permittit; sed ad formam Dei reformat, ad similitudinem reuocat Christi, *addiderim ego*, eiusquè dignissimæ Matris, *quæ cum Mundus quidam supermundanus sit, heroicis planè, Angelicisque virtutibus totus compositus, consequitur, quod sicut Diuus Paulus nos huic sæculo nequam ex tam enormibus flagitijs conflato vetat esse conformes, sic huic Virgineo, virtutes Filij repræsentanti, desiderat omnino esse consimiles. Itaque beneuole Lector, dum Mundum hunc cælestem oculis, animoque lustras, ita illum à te lustratum velim, vt eius virtutum ornamenta pariter attentè consideres, eaque in te transcribere contendas. Sic enim fiet, vt eius contemplatio tibi, non fraudi, vt quondam Philosopho illi; qui cælum contemplans in foueam prolapsus est, sed maximò emolumento, dum nouum quoddam euadis cælum, sit futura.* Homo enim, *vt idem loquitur Sanctus Antistes*, ex terrena vilitate concretus, dum terrenam labem vincit, dum carnis superat passiones, transcendit cælum, ad ipsam Deitatis peruolat sedem, & sic fit maior cælo, meritis supergreditur Angelos, non natura. Probat hoc Apostolus Paulus, qui dum satis terram vincit, & intrauit cælum, & transcendit aliud, & vsque ad tertium meruit peruenire. Et iustè; nam primus conscendere debet cęlos, qui sic & verbo, & exemplo homines penetrare docuit cælos.

Vt ostendat denique hominem seria virtutum exercitatione cælum, Planetasque, eorumque naturam in se exprimere, ac consecutiuè Virginei huius Cæli virtutes

repra-

repræsentare, tandem ita concludit: Erit, erit maior cęlo, qui vixerit ſicut docuit Paulus. Erit clarior Sole, qui ſic virtutum radijs, toto orbe ſplendet vt fuſcari ſe nulla vitiorum nocte permittat. Erit erit iſte lucidior Luna, qui tenebras has non tenuato lumine temperat, ſed totam ſæculi noctem pleno meritorum fulgore depellit, nec ſicut Luna quotidiana lucis detrimenta perſentit, ſed iugi factorum Sanctorum lampade in ſuperni luminis claritate perſiſtit. Nec iſte ſicut illa menſtruo interpolatur obſcuro, ſed in claritate Dei continua permanebit. Etſi magna eſt illa, quod mitigat noctem, quanto hic maior, cuius vita recipit nil de nocte. De ſtellis taceo, quia quot cœlum ſtellis, tot Sancti virtutibus eluceſcunt, dicente Domino: Vos eſtis lux mundi, lucete ſicut luminaria in mundo. Ad ſummum Cœlum, Sol, Luna, Stellæ, Deo dicente, tranſibunt, iuſtus autem in claritate Dei continua permanebit. *Hæc ille.*

Ex quibus perſpicuè eluceſcit, animas Mundi cæleſtis pulchritudinem in ſe poſſe tranſcribere, eiuſdemque ornamentis decorari. Quod ſi ita eſt, multo ſane magis Virginei huius Mundi, aſſidua illius contemplatione poterimus in nobis formam, ſimilitudinemque præclariſſimarum ipſius virtutum, imitatione ſaltem adumbrare. Quare benignè Lector dum hæc leges, ita legas velim, vt imitari non pigeat quod contemplari delectat, ſed hæc ita tuis in moribus vniuerſaque tuæ vitæ ratione repræſentes, vt veluti ipſa Virgo Sanctiſſima, figura probitatis, omniſque Sanctitatis viuum quaddam ſimulachrum eſſe videaris.





PROTESTATIO AVCTORIS.



CVM Sanctissimus D. N. Vrbanus Papa Octauus die 13. Mart. anni 1625. in S. Congregatione S. R. & Vniuersalis Inquisitionis decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quacumque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, & approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt super mores, & opinionem cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes authorem. Huic decreto, eiusque confirmationi & declarationi, obseruantia & reuerentia, qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in hac Secunda Parte Mundi Mariani refero; imò & Prima iam retuli, accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea solent, quæ humana dumtaxat authoritate, non autem diuina Catholicæ Romanę Ecclesię, aut Sanctę Sedis Apostolicę nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.



A PROOE-



PROOEMIVM.

Quod Cælum quoddam animatum fuerit Virgo Deipara, in quo Incarnatum Verbum Thronum suum collocauit.

Dominus in cælo parauit Sedem suam. Psal. 102.

1.

Cælum à Chosroe fabrefactum.



VOD quondam à magno illo Persarum Rege Chosroe ad potentiam Maiestatemque suam ostentãdam Cedrenus factum fuisse memorauit, id sanè mihi DEVS ter Opt. Max. Supremus Regum omnium Rex, ac Dominantium Dominus in Virgine Deipara, infinita sua quodammodo omnipotentia perpetrauit. Finxit ille ingentem Machinam, in qua cœli effigies, astrorumque conuersiones, cum sceptrigeris adstantibus Angelis, admirabili spectaculo cernebantur, tum imbres fluere, promicare fulgura, mugire tonitrua; ipse eminens in medio, sublimi euectus solio, vel vt humanus DEVS, ingenti cum maiestate sublato supercilio sese magnificè circumspiciens spectabat omnia. Idem hoc ęterna illa Sapientia, per quam Reges regnant, humanitatem nostram velut dilectissimam Sponsam hypostaticæ vnionis vinculo in thalamo vteri Virginalis sibi sociatura, non ad vanam omnipotentiæ, Maiestatisque ostentationem, sed ad immensi sui amoris, quo in omni æternitate genus humanum complexa est, contestationem pręstitisse visa est Formauit illa sibi in terris ad deliciãdum, singulari prorsus benignitate cum filijs hominum, formauit sibi, inquam, nouum quoddam Cœlum, quod fortasse dilectus Discipulus, sublimiori lumine irradiatus, cum vidisset, exclamauit: *Vidi cælum nouum*. Apoc. 21. In hoc illa cœlo pulcherrima effinxit sydera, eorundemque Principes Solem, ac Lunã, Planetarumque reliquorum circulos, aliaque cœlestium, orbium ornamenta; nec deesse voluit Naturæ Angelicæ illustriores perfectiones, nec suã quod caput est præsentiam, vt ita viuũ quoddam spiransque speculum, omnem cęlorum pulchritudinem in hoc mundo mortalibus repræsentans, esse videretur.

Æterna Sapientia Celũ in terra, Mariam scilicet sibi fabricauit.

2 Cælum hoc admirabile, pronunciamus gloriosissimam esse Virginem Deiparam, quam sibi in domicilium, sedem, habitationemque propriam efformandam ipsa increata suscepit Sapientia, in cuius molitione, non digitos dumtaxat, quos in horum aspectabilium cœlorum fabricã adhibuisse ad miram denotandam facilitatem Regius memorauit Psaltes: *Quoniam*, inquiens, *videbo cælos tuos opera digitorum tuorum Lunam, & stellas, quæ tu fundasti*; verum vniuersas omnipotentis sui brachij impendit, exeruitque vires, vt sibi, suaque Maiestate dignissimum palatiũ, sedemque præpararet. Quod sacratissima agnoscens Virgo suo illo suauissimo Cantico, quo diuina attributa, ac perfectiones, sibique insignia collata beneficia deprædicauit, summa pietate modulata est: *Fecit*, inquiens, *potentiam in brachio suo*. Non enim suffecisse videbatur ad illius splendorem, ornatumque perfectissimum respectus ille Dei benignissimus, quo eius humilitatem respicere non est dedignatus, non magnorum operum ac miraculorum eiusdem potentia, Numinisque ipsius sanctimonia in ipsa perpetratorum, cum omnium generationum, atque adeò totius Naturę admiratione, infinita copia; ad eius tandẽ numeris omnibus absolutissimam orbi vniuerso ostendendam perfectionem, omnem sui omnipotentis brachij vim, ac potentiam

Maria cælum nouum in quo fabricãdo DEVS attributa sua mundo ostẽdit.

In cæ'o Virgineo for mãdo totã suam potentiam cœator exeruit.

tiam exerere, & quodammodo ostentare voluit.

3. Quod aduertens Euangelicus Propheta Isaias c.52. præclarè cecinit: *Parauit Dominus Brachium sanctum suū in oculis omnium gentium.* siue, vt in Hebræo textu legitur: *Nudauit Dominus Brachium sanctum suum;* ductâ similitudine ab aliquo insigni, fortissimoque Heroe, qui vbi ad ostentationem virium, rem aliquam magnam, aggreditur, brachium nudare consueuit. Sic sanè fortissimus ille omnium spirituum DEVS, cùm filium, ad opus redemptionis aggrediendum perficiendumque missurus erat in terras, brachium quodammodo nudauit, quoniam in eo opere difficillimo, ac maximo infinitam vim, potentiamque suam, nō modo in Humanitate nostra hypostaseos vinculo Diuinitati copulanda, verum etiam in Virgine, ad Diuinæ Maternitatis dignitatem euehenda, gloriosissimè demonstrauit. Ad hanc enim disponi opus erat per infinitatem quandam perfectionum, vt loquitur S. Bernardinus Senensis: tantaque Cęlum hoc rationale, in quo Verbum erat habitaturum nitere debebat puritate, quāta sub Deo maior nequit intelligi, vt Sanctus asseuerat Anselmus. Atque ita tota Patris æterni omnipotentia, Filij Sapientia, Spiritus Sācti Bonitas in Virgineo hocce elaborādo Cęlo erat exerenda, quo Vaticiniū illud Dauidis eius Parentis impleretur ita canentis: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Psal.32.6.

DEVS brachij sui fortitudinem in creanda B.V. ostentare visus est.

In Cælo Mariano elaborando Omnipotentia Patris, sapiētia filij, & spiritus S. bonitas sese exeruit.

4. Proinde ipse DEVS Pater cùm ad nos sanandos, atque à Satanica seruitute redimendos in terras filium mitteret, eidem suam omnipotentiam, qua vnico verbo, præceptoque creata sunt omnia, communicare visus est, quo nouum hoc Cęlum, sua Maiestate dignissimum sibi moliri efformareque posset in terris. Illius sunt verba illa apud Isaiam cap.51. vers. 16. *Posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram.* Seu, vt legit Hebræus. *Vt plantes cælos in terra.* Verè enim æterna Sapientia ædificando sibi domum in Virgine, eodem tempore, non modo plātare sibi cælos in terra, verumetiam Hortum conclusum, ac Paradisum amœnissimum deliciarum sibi conserere visa est. Atque ita Virgo Beatissima Cęlum nouū, ac Terra noua, atque adeo integer mūdi globus, dum in eam Dei filius habitaturus descendit, effecta, mirabili quadam Metamorphosi videbatur. Vnde non immerito illam S. Epiph. lib. de Virg. laud. *Cæli, terræque habitatæ mysterium vocitauit.*

Maria sapiētia filij fuit Cælū plantatum in terra.

M. Cæli terræque inhabitatæ mysterium.

5. Hoc nimirum est Nouū illud, hoc mirabile, nullis retro sæculis auditum, quod immensum illum DEVM, quem cæli capere non poterant, cælum hoc nouum, ac Virgineum vteri sui purissimi angustijs compræhendere valui: Hoc est nouum illud de quo canebat Hier. cap.31. *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram?* Et quale tandem est hoc Nouū, cùm nihil sub sole nouum Salomō pronunciarit? Audi filia vaga delicijs mūdi huius, ac cupiditatibus dissoluta, audi mirificam Nouitatem: *Mulier circumdabit virum.* Quasi dicat: Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, delicias mundi consectando, eius voluptatum illecebris cor dissoluendo, perque creaturas diuagando? Audite DEI Filium summum illud, æternumque bonum, in vterū virginis, ceu nouū Cęlum, ad deliciandum cū filijs hominū descendisse; Ab illa (ò rē ad mirādam, quam nec mens quidem Angelica intelligere, nec lingua valet edicere) se vteri virginalis angustijs circūdari passus est ille, quem vniuersa capere nequit creatura. Cur ergo nouitatū amatores, per orbem, futiles creaturarum voluptates consectando diuagamini? cur ad nouitatem hanc vidēdam non accurritis, cur veras delicias in creatore vestro non quæritis, cur ad hoc Virgineum, animatumque Cœlum, in quo cupediæ Paradisi summumque Bonum delitescit, non accurritis? Accurrite quamtotius, accurrite, his mihi credite Filij Dei, Virginisque purissimis capti delicijs, ac gaudijs, lætitiâ gestientes exclamabitis? *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta Dei Genetrix;* agnoscetisque insuper Virginem Deiparam Cęlum esse nouum, in quo immensum DEI Patris Verbum caro factum habitare non est dedignatum. Quid hac nouitate in rerum natura reperiri potest mirabilius? O' nouitatem planè inauditam, atque singularem, ò nouitatem obstupescendam, nouitatum omnium, quæ in mundo aliquando acciderant longe gratissimā; ò noui-

M. Nouum cęlū ad quod Dei filius delicias suas cum filijs hominum habiturus descendit.

Reprehensio eorum qui relicto Christo consectātur terrena, &c.

nouitatem, omnium gentium literis, monimentisque deprædicandam! De hac longe Pelignus vates cecinisset aptius:

Maria Nouitas inter omnes gratissima.

Est hæc cunctarum Nouitas gratissima rerum.

6. Hinc Sācti Patres Nouitatem hanc, Ingens miraculum appellarunt. S. Leo Papa *Mysterium hoc Miraculorum omnium cardinem esse, ac verticem* pronunciauit, *in cuius cōsideratione*, vt Diuus loquitur Ambrosius, *mens deficit, vox silet, non mea tantùm, sed & Angelorum*. Hinc Magnus Areopagita Dionys. cap. 2. de Diu. Nom. *Ipsa*, inquit, *Iesu in carne apparitio, & ineffabilis est sermone omni, & omni ignota intelligentię, ipsi quoque antiquissimorum Angelorum Primati non satis perspecta*. Hinc denique profundissimum hoc Arcanum S. Damascenus lib. 3. de fide orthod. cap. 1. *Nouum omnium nouorum, & solùm sub sole nouū, per quod Dei infinita apparuit virtus, ac Potentia, Bonitas, ac Sapientia vocauit*. Vnde idem Damascenus Mariam, Officinam miraculorum appellauit.

Incarnatio Christi etiā primo Angelo lumine naturali incognita.

Incarnatio Verbi Nouū omnium nouorum maximum, & solum sub Sole nouum est.

7. Et verò quid accidere cuipiam potest mirabilius, quàm videre vtero Virginis circumdari *Virum*, *Sapientiâ, non ætate*, vt loquitur S. Bernar. Hom. 2. super Miss. *animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentiâ membrorum; siquidem vir erat IESVS, non solùm cum dicebatur vir Propheta potens in opere & sermone, sed etiam cum tenera infantis membra Dei Mater blando vel foueret in gremio, vel gestaret in vtero*, vt idē ait Bern. Quid mirabilius, quam immensam illam videre Maiestatem, cui angusta est omnis omnino vniuersitas creaturæ, cui cælum sedes est, terra scabellum pedum eius, quid, inquam, mirabilius, quā tantùm, tamque infinitum DEVM Virginei breuitate corpusculi, vteriq; purissimi angustijs coarctari? O' quot miracula in hoc rationali, animatoq; Cælo, ò quot stupendas videre, admirarique licuit nouitates! *Ibi agnita est longitudo breuis*, vt verbis eiusdem Doctoris vtar melliflui; *latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnita lux non lucens, Verbum Infans, aqua sitiens, panis esuriēs. Videas si attendas potentiam regi, Sapientiam instrui, virtutem sustentari. DEVM denique lactantem, sed Angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem. Videas si attendas tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, fortitudinem infirmari, sed quod non minus mirādum est, ipsa ibi cernitur tristitia lętificās, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans.* Quis hæc tàm noua, tā inaudita, tàm omnem rationis etiam Angelicæ captum excedentia non admiretur, non attonitis sensibus obstupescat?

Miracula in vtero B. V. à Deo facta.

In vtero Virginis visa lōgitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita à serui scilic. Verbi.

8. Obstupuere quondam Israelitæ cùm cælum Manna in similitudinem roris concreti, siuè pruinæ crystallique minuti depluit. *Apparuit*, inquit Moyses Exo. 16. 14. *in solitudine Minutum, in similitudinem pruinæ super terram. Quod cùm vidissent filij Israel, dixerunt ad inuicem; Manhu, quid est hoc;* Quanto magis nobis obstupescendum est, quod immensus Dei Filius, Panis ille cælestis infinitæ magnitudinis, qui Angelos in cælis, in terris homines tot myriadibus annorum pascit, absque defectu, cui proindè canebat Dauid: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione;* quanto magis, inquā, nobis obstupescendum est, quod diminutus fuerit paulo minus ab Angelis, quod semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Verè imminutus, siquidem infinita Dei Maiestas, infantili s fuit constricta paruitate corpusculi, & Diuina illa Immensitas, angustijs vteri fuit arctata Virginei. Hanc eius siuè Maiestatem, siuè immensitatem contemplatus Salomon immensum quoddam Templum siuè cælum ipsi ædificare cupiens, scribebat ad Hiram Regem 2. Paral. 2. 6. *Domus quam ædificare cogito magna est, magnus est enim DEVS noster super omnes Deos. Quis ergo poterit præualere, vt ædificet, ei dignam domum! Si cælum & cæli cælorum capere eum nequeunt, quantus ego sum, vt possim ædificare ei domum?* Et tamen Cælum hoc virgineum, quod ipsa cęlestis sibi construxit Sapientia, DEVM hunc, infinitum Verbum Dei Patris, in infantili corpusculo abbreuiatum, atq; ad instar guttæ roris antelucani imminutum cōprehendit. Quis hic ingenti admiratione perculsus, extraque se positus non exclamet. *Manhu quid est hoc!*

Manna Minutum apparens in deserto est Verbū Incarnatum in vtero virginis.

Domus quā ædificauit Salomon magna esse debuit, quia magno Domino super omnes Deos ædificanda fuit.

9. Quod si quæramus ex Apostolo Paulo quis fecit hoc, vel quid sit hoc Minutum, hoc Manna, quod pluit de cælo, & apparuit in altero cælo vteri Virginalis? Respondebit sine dubio: *Apparuit benignitas, & Humanitas Saluatoris nostri Dei;* seu vt legit Græcus: *Apparuit* Philanthropia: apparuit Amor hominum:

DEVS Minutum Manna factus, ex amore, quo prosequitur homines.

minum: hic illum Minutum fecit, hic paulo minus ab Angelis imminuit, hic exinaniuit, hic formâ serui induit, hic Manna illud, quo olim pascebantur in cælis Angeli, fecit vt esset cibus minutus iumentorum. Si quęramus ex Isaja Propheta: quis fecit hoc? Respondebit cap. 9. *Zelus Domini exercitum fecit hoc.* Quasi dicat. Si quis rationem quærat cur DEVS sibi nouum Cælum in vtero virginali fabricarit, in eoque Minutus, paruulusque factus ad deliciandum cũ filijs hominum habitare dignatus sit? Intelligat hæc omnia ex ardentissimo in homines amore profecta esse. Est enim zelus ea voluntatis affectio, quâ quis ita beneuolentiæ summâ propensione, fertur in aliquem, ab eoque vicissim diligi exoptat, vt totum illam sibi vendicet, suumque tantum esse velit, nec patiatur eum aliquam amoris sui partem in alium deriuare.

Olim quia homines cælum, Solem, Lunam, Stellas adorauerunt, ideo nouum cælum .i. B.V DEVS condidit, vt illã summe post DEVM venerarentur.

10. Et quia nouerat pulchritudine cælorum, eorundemque ornamentorũ Solis, Lunæ, reliquorumque syderum homines olim infatuatos eis veri Dei honorem per summum nefas detulisse, hoc zelo zelotypiaque actus vniuersorum Conditor nouum Cælum, nouum Solem iustitiæ, nouamque Lunam in terris constituit, vt hos reuera Rectores orbis terrarum agnoscẽtes, eorumque venustate sese oblectantes eisdem honorem debitum deferrẽt. Verissimè enim de stolida gentilitate pronunciauit Salomon Sap. 13. v. 3. *Si Solem ac Lunam Rectores orbis terrarum DEOS, eorum specie delectati, putauerunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est: Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam, qui fecit hæc omnia fortior est illis; à magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Verè enim hoc rationali, Virgineoque considerato Cælo, eiusque virtutum, ceu astrorum pulchritudine, in cognitionem in primis supremi eius Artificis deuenire, tùm in eiusdem amorem quemcunque tandem, æquum rerum æstimatorem rapi necesse est. Hanc ob causam vbi vetuisset Dominus Exodi 20. *omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum ne adorarent;* protinus addidit: *Ego sum Deus tuus, fortis zelotes;* qui alium videlicet in meo amore, atque adoratione, consortem non admitto.

Ex cognitione pulchritudinis B. V agnoscimus pulchritudinem ipsius Creatoris.

11. Ad amorem hunc vt ascenderet homo, DEVS ter opt. Max. Zelantissimus mortalium amator scalam quandam ex creaturis, artificio admirabili fabre fecit, vt docet S. Basilius Seleuciæ Episcop. orat. 1. vbi ita loquitur: *Age igitur & nos Diuina meditemur, & per creaturas ad creaturarum Dominum ascendamus. Deus namque cum res creatas in modum scalæ adaptauerit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit Ecce nos ad ascensum manu ducit Moysis lingua infusa gratia. Et quid loquitur? quid clamitat? In principio creauit DEVS cælum & Terram. Vides, inquit Moyses, Cęli latitudinem, magnitudinem, pulchritudinem, quæ oculorum vim admirabilitate sua superant, & cet. donec scrutinij profundo mens edocta exclamet: Digitus Dei est hic.* Quæ Sancti huius Patris sententia quam lõgè aptius quadret huic animato, Virgineoque Cælo nemo non videt. Ipsa enim verè creaturarum omnium est compendium, in ipsa vniuersa pulchritudo, atque perfectio illarũ est reposita. Vnde merito illam etiam vel hoc nomine, scalam Iacob appellandã arbitror, in illa enim cęlorũ, Solis, Lunæ, reliquorum Planetarum ac syderũ venustate velut in speculo contemplatâ, ad creatorem ipsum, eiusque cognitionem, tamquam per scalam ascendimus, inque illius castissimum amorem exardescimus, agnitaque pulchritudine huius operis, in quo efformando supremus Artifex Spiritus, qui ornauit cælos, vt ait Iob, tantopere desudauit, merito stupore attoniti exclamamus: *Digitus est Dei hic,* cum SS. Virgo hæc quarta est, opus digitorum Dei sit, quod ipse colore, ac flore creaturarum omnium, tota stupente Natura, & Gratia tamquam eximius pictor decorauit.

Ad hoc idem comprobandum idem S. Antistes orat. 2. docet ideo efformatam fuisse Euam post Adamum, vt considerata omnium creaturarum in illa pulchritudine ipsum benignissimum Conditorem agnosceret, & per consequens amaret. Quare, inquit ille, in Adami conspectu vult Deus Euam fingere, & fictricis artis suam spectatricẽ desiderat propriã Imaginem, nempe Adamum. Nondum enim DEVM Adamus quidquam fabricantem viderat. Creauit DEVS cælum, & terram, sed Adamus nondum viderat creantem, qui cęli molitione ipse serius fuit perfectus. Porrexit ambitum firmamenti, luminosas

nosas faces accendit, animãtium greges è solo fructificari fecit: Verum hęc prius fuerunt, quam ab Adamo spectarentur. Ipse cum fierent nullo sensu creantem percepit. Quomodo igitur Auctorem condisceret, qui facientem non vidit? Quomodo creatorē cognosceret, qui creantem non spectauit? Ea propter ipsius ante oculos fœminā exstruxit, & similis naturæ spectatorē fecit, vt in illa quæ circa se sunt, velut in speculo contemplatus, ex visis discat inuisa; Et tulit Deus vnam de costis eius, & ædificauit costam quam tulerat in Mulierem, & fictam monstrauit, & sponsam dedit è latere. Quam ob causam non vna voce vtrumque vt erumperēt in lucem inuitauit, sed formationi certum Temporis interuallū præfiniuit, id Adami cognitioni tribuens, quo naturam parem cum fiebat contemplatus, ipsum vtriusque Artificem disceret. Hæc ille.

Ex quibus sanè luculenter perspicitur quod sicut ex veteri Eua Dei manibus cum omnium creaturarum perfectionibus efformata, Adamus DEVM creatorem agnouit: Sic etiam & multo luculentius ex Maria ipsius posteri eūdem essent agnituri, cum hæc sit noua Eua illius veteris perfectiones omnes longè excellentius complectens. Colligimus etiam Cælum hoc nouum, atque animatum in eoque nouum Solem iustitiæ, ex ardentissimo amoris zelo ab vniuersorum Conditore in terris constitutum, vt tanti operis pulchritudine illecti mortales, eam admirarentur, & ab aliarum creaturarum amore suauiter abstraherentur.

Creata B.V. pulcherrima eius pulchritudine considerata, ab aliarum creaturarū amore abstrahe(n)tur.

Et vero quis Cælum hoc virgineū, immensum illum iustitiæ Solem adeo Minutum effectum comprehendens, non admiretur, quis non obstupescat? quis ingenti amoris diuini flammâ nō exardescat? Quis intellectu suo capiat qua ratione Verbum illud æternum, supra solium Cæ lorum, positione naturaliter productum naturâque sua longum, atque infinitum, factum sit breue in vteri virginalis positione, cōtra omnium Grammaticorum regulas, vt ait Vbertinus Casalius libr. 1. Arb. vitæ cap. 11. Quis panem Angelorum, Panem viuum, qui de cælo descendit, *Panem illum subcinericium Gedeonis tanta virtutis, vt in castra deuolutus Tartareorū Madianitarum, percusserit eorum tabernaculum atque subuerterit, & terræ funditus coęquauerit?* vt aiunt sacræ literæ Iud. 7. 13. Quis inquam Panem hunc ingentem tàm infinitæ potētiæ, *factum Panem arctum*, vteri Virginalis arctatum angustijs nō admiretur? Hic est Panis ille, quem Dominus per Isaiam promiserat: *Dabit vobis Dominus Panem arctum, & Aquā breuem.* c. 30. 20. Quis denique non obstupescat Flumen illud, quod suo impetu lætificat Ciuitatem Dei, quodque dę se dicebat: *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, & quasi aquæ ductus exiui de Paradiso.* Eccl. 24. Quis, inquam, non obstupescat fluuium illum adeo infinitū, adeo immensum, Aquam breuem effectum, breuitate vteri Virginalis, velut aureo quopiam vasculo ad refocillandum, refrigerandumque mortales, varijs cupiditatibus æstuantes, constrictam.

Verbum æternum natura sua longum, ac ęternum, in vteri Virginalis positione factum breue.

Verbum incarnatum Panis est subcinericius Gedeonis subuertes tabernaculum Madian.

Verbum incarnatum quod erat trames aquæ immensæ de fluuio factū est Aqua breuis.

12. Admirari desinat iā vetustas, alis vnius muscæ contectas quadrigas. Mirari desinat Homeri, nucis cortice cōclusam Iliadem. Disceptare desistant Atheniensium Philosophi, nec ampliùs curiosâ mentis rimentur indagine; quidnam sit in rerum natura simul maximum, & minimum. Non dicant esse oculorum pupillam, cælum in se, Solē, Lunam, Stellasque; & multa magnaq; terrarum spatia repræsentantem. Non dicāt esse intellectum, vniuersum hoc, Naturamque tam visibilem, quam inuisibilem comprehendentem. Non dicant denique Ouum esse Oromazæ quo 24. Dij boni ac propitij cōtinebātur vt scribit Causinus libr. 2. Hierogliph. 66. Dicant potiùs rem maximam simul ac minimam, esse humanatum in vtero Matris Virginis Dei Filium, qui olim dicebat: *Cælum & terram ego impleo.* In hac veluti radianti quodam, stellisque virtutum omnium distincto, amplissimisq; charitatis spatijs in immensum quodammodo extenso Cęlo, nouem mensibus, summâ animi sui voluptate conquieuit, adeo vt B. Petrus Card. Dam. ser. de Annunc. pronunciare ausus sit: *Non est locus voluptatis nisi vterus Virginis.* Huius sanè Paruuli Diuinitati Humanitas nostra comparata, pupilla est, intellectus exiguum accidens est, ouum Oromazæ est, verbo, pene nihilum est. Atque ita ex hac consideratione humanatis Dei Filij, eundem minimum, maximumque esse cognoscemus. Cum teste Magistro sentētiarum in 2. D. 1. prope finę infinita illa

Res quædam minutæ ad mirabiles.

Oromazæ Ouum 24. Deos bonos ac propitios continebat.

Vterus virginis Dei filio fuit locus voluptatis.

B Maie-

In instanti conceptionis Incarnati Verbi fuit infusa anima rationalis.

Maiestas humanitatem nostram assumendo, non expectarit consuetum tẽpus dierum 40. ad animam illam sanctissimam infundendam, vti in alijs fœtibus fieri consueuit, verum in primo conceptionis momento, quo sanguinem purissimum ad efformandum separauit, omni corporalis incrementi expectatione postpositâ, mox infudit animam, eamque cum paruulo illo corpusculo Personæ Verbi sociauit; atque ita minimum Incarnati Verbi corpus omnium infantium corporibus, in vtero Matris extitit, omniumque minutissimum ac minimum, cum immenso infinitoque, totâ admirante Natura, sociatum, Virginei vteri angustijs comprehensum, videre licuit.

Fœtus in vtero Matris primis diebus est instar Apis.

13 Quod si fętus in vtero Matris primis diebus, Magno Alberto teste, magnitudinem Apis non excedit, cogitãdum vobis relinquo quãtulus, magnus ille Deus, Verbum immensum caro factum, extiterit? Miremur ergo nouitatem hanc inauditam, miremur infinitum Patris Verbum, quod, vt ait Salomon Sap. 18. *vsque ad cælum attingebat stãs in terra*. Miremur ingentem illum Gigantem, quem ad Virgineum hoc Cælum properantem videndo Dauid, admiratione plenus canebat: *Exultauit vt Gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius*, miremur, inquam, Gigantem hunc, reliquis omnibus nouitatibus pospositis in vtero virginali, ceu cælo, Ouoque Oromazæ comprehensum.

Verbum incarnatũ adeo immensum, vt vsque ad Cęlum attingeret stãs in terra.

14. Et sanè miram Ouum cum cælo, Mundoque habet conuenientiam atque similitudinem. DEVM siquidem vt refert Porphyrius apud Eusebium lib. 3. de præpar. Euang. quem Cneph Aegyptij vocitarunt, humanâ forma repræsentabant, colore in primis cæruleo, Zonam tenentem, & sceptrum, pennam gerentem in capite; Ouum præterea ab ore producentem, quo Mundus hic visibilis, atque adeo ipsa Virgo denotata videbatur, quæ de se suã deprędicans originem gloriata est: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturã*. Eccl. 24. Vnde Pythagoras Philosophorum sagacissimus, testã Oui, cæli, omnia cingentis imaginem: vitellum, ignis; Spiritus, qui sunt in Ouo, aeris: Albumen, aquę: partes verò magis concretas terræ Symbolum esse dictitauit. Hinc Ouum illud Oromazæ Cæli typum fuisse nonnulli censuere; Deos verò illo contectos, Horas 24. quas Homerus Deus, vtpotè Solis filias, appellauit.

Mundus Ouo similis.

Maria sicut Diuina Sapientia ex ore Altissimi prædiuit.

Dij 24. in Ouo Oromazæ sunt 24. Horę Solis filiæ.

Quare iure merito Virginem nostram sacratissimam sicut Bernardinus Bustius Ordinis Seraphici, Achaz Regis Horologio, vt in prima Parte ostẽdimus, argutè contulit, ita nos Horologio, Caroli V. Imperatoris Maxim. quod in annuli gemma ingeniosè erat exculptum comparare possumus. De hoc eruditissimus Causinus noster lib. 11. Symb. 68. sic loquitur. *Illud omnem admirationem superat, quod peritissimus Artifex in Caroli V. annulo Horologium cum tot libramentis currentibus & recurrentibus rotulis inclusit. Quid maius quàm cæli illius vertentis effigiem, & tantam, tanquam variam subtilissimarum partium compagem in gemmam includere? Fælix cui cælum, terræque patebant In digitis!* quid verò maius dici potest quam cælum, quod motu assiduo, solisque decursu, mensura est temporum; mensura est sæculorum, in Virginea gemma, Virginum omnium præclarissima, in eaque sempiternum iustitię Solem illum interminatum immensumque, per quem nobis dies lęti, atque horæ fluxere serenæ, mirabiliter repręsentari? Quod B. Ioannes Geometra in suis Hymnis agnoscens, hunc in modum Virginem ingeniosè pieque salutauit:

Horologium in Caroli V. annuli gemma inclusum.

In M. veluti Gemma Sol iustitiæ inclusus.

Salue Temporis Genetrix, & finis Aeui.

Maria temporis Genitrix & finis Aeui.

Quo versiculo nobis insinuare sapienter voluit, non solùm Cælum quoddã, tempora varia, æuumque suis motibus dimetiens esse Deiparam; verumetiã perfectiones omnes, virtutesque quorumcunque hominum Sanctorum, qui in quacunque differencia temporis extiterunt, existentque in posterum; perfectiones item Angelorum, quorum duratio à Philosophis, Aeuum, dicitur, ab ipsa velut amplo quodam sinu contineri. Vnde ipsa Eccl. 24. hæc de re gloriari visa est: *Memoria mea*, inquiens, *in generationes sæculorum*. Quasi diceret: Dum supremus orbis Artifex condebat sæcula, ipsosque cælos, qui suis assiduis motibus ac circumuolutionibus temporum, sæculorumque sunt mensura, ego eius mentis obuersabar obtutibus, eius adhærebam lateri, velut vnica dilectissimaque filia, atque ita memor mei, velut Pater amãtissimus, tàm cælorum, Angelorumque, quam hominum sanctorum, qui tot sæculorum decursu

In Maria omnium Angelorum Sanctorumque qui in quacumque differentia temporis extiterunt perfectiones reperiuntur.

cursu vitæ halitum duxerunt, pulchritudinem omnem, perfectionemque in me contulit.

Maria Gemma preciosa velut ille Pyrrhi Achates nouē Musas repræsentans.

16. Quam ob causam iure merito Virginem augustissimam gemmæ illi, quam Pyrrhus Rex qui aduersus Romanos bella gessit suo gestabat in annulo & Achates dicebatur comparare possumus. In ea enim nouem Musæ cum insignibus suis singulæ, & ipse Apollo tenens citharam, non impressis sed ingenitis figuris visebatur. Talis omnino est Virginis animus; atque vt sapientiā missam faciamus, quæ adeò in illa resplenduit, vt ipsæ Musæ cum Apolline Sedem in illa fixisse viderentur; Siquidem sapienter dixit Pythagoras: *Musas esse in animis ingeniosorum*, nouem certè cælorum, velut nouem Musarum, ipsiusque Supremi Mobilis ceu Apollinis earū ductoris ac Præsidis, species pulcherrima, perfectionesque in illa effulsere. In illa virtutum omnium concētus ad instar Musarum, siuè cælorum harmoniæ: (quam idem Pythagoras adeò dulcem, suauemque esse fatebatur, vt si eam mortales audirent, à reliquis vitæ operibus feriarentur:) repræsentabatur; vti decursu huius operis, singula fauente Numine, eademq; Sanctissimâ Deiparâ, demonstrabimus. Quare vire merito Venantius Honorius Fortunatus lib. 1. de partu Virginis, in ea cæli terræque pulchritudinē, ornatumque Angelorum, hominumq; congestum, plenâ supremi Numinis dextrâ admiratus, pijssimo in illam affectu modulatus est:

Maria pulchra super gēmas splendorem solis obumbrat.

Pulchra super gemmas, splendorē, solis obūbras,
Alta super cælos, & super astra nitens.
Vellere candidior niueo, rutilantior auro,
Fulgidior radio, dulcior ore, fauo. (*nusta,*
Chara, benigna, micans, pia, sancta, verenda ve-
Flos decus, Ara, nitor, palma, corona, pudor.

M. Sphæra crystallina Archimedis ob puritatem.

17. Quod si Virginei, animatique huiusce cęli contemplemur puritatem iure illam conferre poterimus cū crystallina illa ingeniosissimi Archimedis Sphæra? quæ cæli faciem, Planetarum orbes motusque, stellantia quoque signa Zodiaci, perque illum solis perennes discursus exprimens, adeo admirabili elaborata fuit artificio, vt ipsum summum Deorum Iouem in admirationem rapere videretur. Vnde Claud.

Iuppiter in paruo dum cerneret æthera vitro
Risit, & ad superos talia dicta dedit.
Huccinè mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fidem, legesque Deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus varijs famulatur spiritus astris
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum
Et stimulata nouo Cynthia mense redit.
Iamque suum voluens audax industria mundum
Gaudet, & humana Sydera mente regit.

Huiusmodi ex crystallo quodāmodo plusquam Angelicæ puritatis Sphęram, à præpotenti totius vniuersi Opifice in terris, stupendo artificio confectam dicimus fuisse Deiparam; siquidē ordinatissimis suarum potentiarum, tam spiritualium, quàm corporalium motibus, Planetarum circumuolutiones; præclaris virtutibus, ipsa sydera; insigni suâ iustitiâ ac sanctitate, lucem firmamenti pulcherrimam, imitari videbatur. Quare in animum iure nobis inducere debemus supremum illum orbis huius architectum sibi summopere in tam eximio opere complacuisse. Quod nobis Spiritus Sanctus insinuare visus est, dum virginem sic loquentem Prouerb. 8. introducit: *Et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore ludens in orbe terrarum;* siue vt vertere 70. Interp. *Ego eram cui adgaudebat ipse; quotidie autem iucundabar in facie eius in omni tēpore cum lætaretur orbe perfecto.* Verè enim hoc cælesti Orbe tàm eximiæ pulchritudinis absoluto atque perfecto delectabatur supernus Artifex, eidemque adgaudebat, summâ animi sui complacentiâ, tamquam operi verè omnibus numeris absolutissimo, quod mirificè diuina attributa, ac potissimum Omnipotentiam, Sapientiam, Bonitatemque eius deprædicabat. Et in quo denique omnis cælorum venustas, atque ornatus, veluti lucidissimo crystallo repræsentabatur.

In B V. velut opere absolutissimo ac pulcherrimo sibi supremus Artifex complacuit.

Quæ cæli decora in virgine elucescere agnoscens Bernardinus Bustius Ord. Seraphici, ait vndique toto orbe eius laudes, hiscè similibusque modulis, ad cælos extolli, atque celebrari:

Laudes B V. toto orbe celebrantur.

Nulla fuit tanto mulier redimita decore
Quæ speciem superet Virgo Maria tuam.
Candidior niueo rutilans Regina colore,
Et radijs cedit clara Diana tuis.
Luna suum perdit tecum sociata nitorem
Atque comes nullum Sol tibi lumen habet.

18. Hanc cælorum venustatem in virgine sacratissima, velut tersissimo pręferri speculo, admirabilis illa visio,

 quam

quam Sanctus legislator Moyses aliquādo est intuitus nobis declarare visa est. Refert Exo.24.se ascendisse cum Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel in montem, subditque: *Et viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi Opus lapidis Sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est: Nec super eos qui procul recesserant de filijs Israel misit manum suam: Videruntque Deum & commederunt & biberunt.* Quæ sanè visio, Dei olim in formâ hominis in mundum aduētum, ingressumque admirabilem, in purissimum vterum virginis, venustissimè adumbrauit. Eam enim si quis ob cælestem, & plusquam Angelicam, quâ pollebat puritatem, suis coloribus: iuxta sententiam etiā Rabbi Moysis, & Rabbi Hecados apud Galatinum lib.7. de Arcanis Cathol. Relig. c.vlt. ad viuum depingere vellet, hisce sanè depingeret quàm bellissimè: *Virgo eiusque purissimus vterus est, Opus lapidis Sapphirini, & Cælum cum serenum est.*

Deus quem vidit Moyses cum Aaron, Nadab, Abiu, &c in monte fuit figura Incarnati verbi, quod nobis in humanitate sua se visendum exhibuit.

M. Opus lapidis Sapphirini, & Cælum Serenum.

19. In hac porrò visione censet Abulēsis DEVM specie lucidissimę nubis, Humanitatem nostram denotantis, Diuinamque Maiestatem occultantis comparuisse. Alij, vt Lyranus, Caietanus, & Prado in Ezech. quod se humanâ specie visendum exhibuerit, sub schemate cuiuspiam magnifici Principis, Regis, ac Legislatoris. Vnde in Hebræo textu non legitur Nomen Tetragrammaton Iehouah Nomē proprium Dei, sed Elohim, quod Principem, Iudicemque significat. Quæ omnia certiores nos reddunt Dei filium in vterum aduenisse virginis, velut cælum serenissimum, luceque Sapphirinâ fulgētissimum, in eoque Maiestatem suam nostræ carnis nube obuelasse, effectumque Principem Pacis, Patrem futuri seculi, Regemque pacificum magnificatum super omnes Reges vniuersæ terræ, cuius vultum orbis quantus est contēplari desiderabat. Huius porro mansuetudinem, benignitatemque abundè nobis insinuauit Moyses cum dixit, nō misisse manum super filios Israel, ad eos castigandos, videlicet; cum alias extendere solitus fuerit etiam vtramque manum ad flagellandum, vti patuit in 10. plagis Aegyptiorum, quos vtraque quasi manu extentâ percussit, ita vt quilibet eius digitus peculiarem plagam infligere visus sit; Eandem benignitatem commendauit cum dixit: *Viderunt DEVM, & comederunt, & biberunt;* præ lætitia videlicet, animique alacritate quam in tam pulchra Dei mitissimi Principis visione erant experti. Cū aliàs adeo formidabilis esset, ac terribilis, vt non dicam comedere, & bibere in eius præsentia, sed nec quidem viuere homini licuerit, vti ipse seuerè comminatus est: *Non videbit me,* inquiens, *homo & viuet.*

Humanitas Christi velut nubes lucidissima Diuinam Maiestatem occultans.

Deus vtraq; manu extensa Ægyptios 10. plagis castigando percutere visus est.

Dei benignitas erga Moysen manifestantis.

Olim in præsentia Dei non modo comedere & bibere, sed ne quidem viuere licuit.

20. Quàm verò aptè Virgo nostra sacratissima Celum serenum, cælum Sapphirinum vocitetur, consideratâ tantisper Sapphiri natura elucescet.

Sapphirus cæli faciem præfefert.

Gemma hęc consensu scriptorum rerū naturalium, & ipsâ experientiâ teste cęli faciem coloremq; punctulis aureis, ceu stellis intermicantibus æmulatur. Talis nimirùm tota vita fuit Deiparæ dum in terris adhuc moraretur, cæli faciem, pulchritudinemque sanctissimâ sua conuersatione, in cęlis assiduè versante; morum puritate, innocentiâ, varijsque virtutibus, ceu stellis, repræsentabat, ita, vt quicunque eam attentius consideraret in Diuinum amorem, cælestiumque desiderium accenderetur.

Sapphirus est B. V.

21. Si Sapphirus Gemma gemmarum omnium excellentissima appellatur, imò & Gemma Regia, quod eam Reges Aegypti collo appensam cum inscriptione: *Veritas;* vt scribit Aelianus lib.14. c.34. gestarent; Virgo quoque inter virgines omnes ceu Gemmas pulcherrimas, fuit eminentissima. Vnde ei iure canit Ecclesia: S. Virgo virginū, & Bernard. virginitatis Primiceriam dixit. Est quoque Virgo nostra Gemma verè Regia, siquidem adeo cælorū Rex, increata illa veritas, quæ de seipsa dicit Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita;* sibi in illa complacuit, vt in ea per incarnationem voluerit, quasi incidi, atque prorsus insculpi.

Sapphirus est Gemma gemmarū excellentissima.

M. est Gemma Regia.

22. Si Sapphirus est fęcunda Carbunculi parens, in cuius visceribus, eum nasci Causinus noster, vir eruditissimus lib.12. Symb.53. testatur, aitque lapidem hunc preciosiorem, lucidioremque esse ipsa parente, quæ eum generauit: & virgo Maria peperit IESVM, lapidem preciosissimum, Carbunculum Diuini amoris flammis radiantem, & mortalium corda inflammantem, peperit, inquam, *lapidem angularem abscissum de monte sine manibus,* qui verè Matre nobilior, Matrique totius nobi-

Sapphirus carbūculum parit sic B.V. Christum ceu carbunculum peperit.

nobilitatis auctor extitit. Vnde hoc illi idem Causinus egregia pietate Epigramma cecinit.

O Virgo insignis, Mater pia, nobile semen,
Quam Deus implenit totius orbis ope.
Fructu sancta pio, renouasti fœdera rerum
Lucidiorque dies te generante nitet.
In te habitans mundi lumen statione corusca,
Floruit interius per tua membra DEVS.
Nunc viuax fulgor penetrãs & adima profundi
Orbem alit, astra tegit, Tartara luce replet.

Sapphirus etiam filium Dei repræsentat.

23. Quare prẹclarè ostendit Pater Alchazar Sapphirum in se filij Dei Imaginem repræsentare, eo quo ad instar huius lapilli, & ipse in se cæli faciem exprimeret, *cum secundus hic Adam fuerit de cælo cælestis*, vt ait Apostolus, Matris nimirùm faciem, quæ animatum, & rationale Cęlum extitit, speciem, Imaginemque ad viuum repræsentando: Mater enim & filius mutuam inter se speciem gratissimam referebant, adeo vt verissimè dixerit Richar. de S. Vict. cap. 36. in Cant. de virgine: *Ipsa est specialiter species Christi, præ omnibus speciosa, non solum speciem Christi in se habens, sed hanc in alijs restituens.* Ex quo discursu Apostoli facile perspicimus, eius etiam sententiâ Deiparam extitisse Cęlum, quod à secundo Adam Christo IESV, qui ex illa processit colorem illum cælestem mutuare visa sit. Hic .n. in sententia Philosophorum nihil est aliud, *quam maxima altissimæ lucis profunditas, vbi nullus datur visioni terminus.* Quæ lux, quid aliud, quàm Sapientiæ Diuinæ abyssum, omni humanæ menti impenetrabilem denotat, qua Deipara Virgo adeo fuit exornata, adeo filio suo dilectissimo similis, vt non immerito Ecclesia Sancta, Sapientiæ increatæ laudes communes, cum Diuinissima eius Matre esse voluerit, quæ adeo similis erat filio, vt qui cernebat Matrem, cernere sibi videretur filium, & contra. Vnde de filio loquens Nicephorus Calixtus. *Per omnia similis purissimæ, & diuinæ eius Genetrici.*

B. V. species Christi speciosissima.

A B. V. veluti cęlo, Christus secũdus Adam cælestis dicitur.

Color cælestis est maxima altissimæ lucis profunditas, vbi nullus datur visioni terminus.

Christus per omnia similis purissimæ, & Diuinæ suæ Genitrici.

24. Cælum igitur serenissimum, Cælũ Sapphirinum præcipuas huius gemmæ proprietates naturamque in se velut speculo repræsentans, fuit Virgo Deipara, in qua non modo pedes, verum etiam omnia Incarnati Verbi tenella membra quieuere. Vnde ipsa gloriabatur. Eccl. 24. *Gyrum cæli circuiui sola.* Quæ verba expendens Rich. à S. Laur. lib. 7. *Non solum B. V. fuit capax*, inquit, *ad instar cæli, sed in se continuit ipsum cælum, id est illum qui claudit in se omnia, Christum videlicet, qui Gyrus est ingyrabilis, circuiuit gremio vteri sui sola, sine virili consortio. Et hinc probari potest, quod ipsa in se contineat vniuersa, quæ cæli ambitu continentur, & sit vniuersorum Domina. Quam ob causam comparatur Iridi, de qua dicitur* Eccl. 53. *Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ.* Sic ille. In illa deniq; velut Regali solio, ex Sapphiro composito paruulus Rex noster gloriosè resedit. Vidit solium hoc, siue Thronũ Ezech. Propheta cap. 1. in quo Dei filius homo factus amoris flammis, ad instar electri in census considebat: *Quasi* inquiens, *aspectus lapidis Sapphiri similitudo Throni.* & cap. 10. *quasi lapis Sapphirus species similitudinis solij.*

B. V. continuit in se ipsa ipsum Cęlum i. illum qui ad instar cæli concludit in se omnia.

M. vniuersorum Domina, quia cõtinet in se omnia.

25. Cum igitur cælum serenissimum, cælum Sapphirinum, vti comprobatum est, sit Deipara, nil sanè miror, quod dilectus Christi Discipulus in Insulam Pathmos relegatus à Domitiano, inter varia diuinitus sibi reuelata, cælestiaque spectacula, ad animi sui singulare solatium in tam ærumnoso exilio, viderit Virginem hanc suauissimam in cælo, figuratum nimirùm super ipsam figuram collocatam. Cùm enim Apoc. 12. ait: *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius Corona stellarum 12.* quid aliud nobis indicare voluit quam pulcherrimum Cælum, isto aspectabili longè eminentius, præstantius, ac nobilius esse Dei Matrem? siquidem præcipua eius ornamenta Solem, Lunam, Syderaque complectitur, eisque mirificè decoratur, dignam proinde, quæ in cælo tanquàm figuratum supra figuram, vmbra supra corpus veritatéque collocetur, ac denique super altissima cælorum cacumina euehatur. Quo sanè in spectaculo tam Diuino, singularibus eum, omni humano solatio destitutum, crediderim delibutum fuisse gaudijs, & inusitatâ à gloriosissima virgine perfusum lætitiâ, ostendendo reuera se *lætitiam esse Israel*, vt eam sacræ literæ; *Radicẽ gaudij*, vt eam vocauit Epiphanius, *lætitiæ Thesaurum*, vt appellauit Chrysippus, *mærorum medicinam*, vt eam Ioannes dixit Geometra; *inexhaustum gaudij pelagus, vnicamque mæroris obliterationem*, vti eam tãdem vocitauit Damascenus orat. de Dormit. Deip.

M. Thronus ex Sapphiro compositus.

Maria signũ magnum apparens in cęlo fuit velut figuratum positum super figuram, nempe cæ:ũ.

M. Radix gaudij, & lætitiæ Thesaurus.

Agnouit quoq; clarissimum quoddã pulcherrimumque cælum esse Deiparã

ipse

Salomō Mariam cælum quoddam eſſe intellexit, dum eam Auroræ ſoli, Lunę & ſtellis comparat.

ipſe ſapientum Coryphęus Salomon, dum eam Cant. 6. attentius contēplatur, admirationeque perculſus, exclamauit: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna electa vt Sol, terribilis vt Caſtrorum acies ordinata,* eius virtutes ceu ſtellas eſſe innuens quæ à ſapiente Eccli. 43. 9. Caſtra, & Dei militia vocantur, quibus Luna tanquā Regina dominatur, vt ita nihil in hoc virgineo animatoque cælo ornamentorum ab vllo deſiderari poſſe videretur.

Quid toto hoc opere pertractandū ſit.

26. Veritatem hanc diffuſius, vti & reliqua cælorum ambitu contenta, vt Angelorum Hierarchias, conſtellationes, Planetarum orbes, aliaque ſiue ſigna, ſiuè myſteria præſenti opere pertractabimus, eaque omnia grauiſſimâ Patrum auctoritate, atque aſſeueratione de more fulciemus. Quæ ſanè Sanctorum Doctorum teſtimonia furta dicenda minimè ſunt, sed opulentiſsimæ optimorum Eccleſię Parentum dilectis filijs relictæ hæreditates, atque Patrimonia. Sic enim B. Theodoretus lib. 1. ſuper Cant. in ipſa Præfat. cum ingenuè faſſus eſſet ſententias, explicationeſque Sanctorum Maximi, Nili, Nyſſeni, ac Pſelliſe in medium, ad vberiorem Canticorum dilucidationem prolaturum, mox ſubnexuit: *Nec furti nos inſimulent. Si quid quod à Patribus dictum eſt, in his commentarijs offenderint. Fatemur enim & nos ab illis explicationis occaſione accepiſſe. Hoc autem non furtum appellari debet, ſed Paterna hæreditas. Quanquam ad illa, quæ ab eis accepimus adiunximus, quæ noſtra ſunt. Et quod latius à quibuſdam explicatum eſt, nos cōtraximus, quod autem diligentiam requirebat, diſtinximus. Laborem denique ſuſcepimus lectoribus, vt arbitror non inutilem. Quamobrem, qui ſine labore laborum noſtrorum fructum ſunt percepturi, rogatos volumus, vt nobis pro laboribus noſtris orationes, & preces impertiant ſuas.. Quodſi minus accurata videbitur explicatio, laborem ſaltem boni conſulant, & quæ deſunt ipſi doceant.* Hæc ille.

Patrum ſententiæ non furta, ſed hęreditates & patrimonia dicendæ sūt.

B. Theodoreti ingenuitas fatendo ſe à Sanctis Patribus varia fuiſſe mutuatum.

B. Theodoretus pro laboribus ſuis poſtulat orationes.

Richardus à S. Laurentio laudes de B. V. ex varijs collectas vocat ſpicilegium.

27. Idem ſenſiſſe viſus eſt etiam deuotiſsimus in Virginem Richardus de S. Laurentio, qui in primo ſui operis Prologo Mariæ laudes velut triticeas ſpicas paſsim per ſacræ ſcripturæ agros diſperſas in faciſculos ſe collegiſſe affirmat, Aceruumque illum tritici magis accumulaſſe quodammodo, de quo ſponſus in Cant. c. 7. ad virginem: *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Apum quoque prudentiam ſibi imitari placuiſſe aſſerit, quarum ſtudioſa ſedulitas ad fauos conficiendos vndecunque poteſt mel, ceráque colligit. Quod ille iure merito aſſeruit: ſiquidem Virgo beatiſsima cum S. Brigitta libro 6. Reuel. c. 12. loquens, ſe Alueario comparauit, ad quod Apis illa celeſtis ac Diuina de celis aduolauit, in eaque ſibi confecit dulciſsimum, ac ſubtiliſsimum fauum, qui præparatus erat ad ſuſcipiendum mel gratiæ ſpiritus ſancti; quem fauum tunc impletū eſſe ait quādo Dei filius in eius vterum aduenit cum potentia, charitate, & honeſtate. Ex quibus verbis conſequitur pręcones quoque Diuæ Virginis Apes quaſdam eſſe Chriſti æmulatrices, quæ florē virginearum virtutum ſugentes, dulciſsimum ipſius laudum mel colligunt, quas laudes dum in honorem Virginis celebrant, quid alium videntur agere, quam circa hoc puriſsimum Alueare dulci ſuſurro circunuolitare, in eoque collecta mella recondere? Fatetur denique idem Richardus ſe ex virorum doctorum, Theologorumque puteis hauſiſſe latices, de eorum ſimilâ panem ad ſaturādos, confirmandoſque famelicos confeciſſe, de eorum racemis expreſsiſſe vinum, ac impleuiſſe ſuæ mētis calicem mirâ dulcedine inebriantem.

Idem fatetur ſe Apum ſedulitatem fuiſſe imitatum.

Idem ait ſe in illo labore ex doctorum virorum puteis hauſiſſe latices, &c.

28. Quæ omnia ſanè iure merito in præſenti opere vſurpate poſſumus & nos, ac ingenuè fateri nos his ſanctorum Patrum adminiculis eo libentius vſos, quod in tam difficili itinere, abſque vllo Duce, quod ſciamus, progreſſi ſimus. Vnde facile nos conſequuturos veniam ſperamus, ſiquid minus eruditum, expolitumuè exciderit. Quod ſi quis etiam nos prolixitatis arguere voluerit, ſperamus veniam daturum, ſi ſibi perſuaſerit veriſsimum eſſe illud quod idem aſſeuerauit Richardus, nimirùm quod *prolixè loqui de dulci Maria valdè dulcis ſit materia, & quia, bonum erat hic mihi eſſe diutius, complacebat quoque tam dulcia ruminare.*

In hoc opere Auctor abſque Duce præcedens lubens SS. Patrum vtitur adminiculis.

Prolixè de ſalui Maria loqui valdè dulcis eſt materia.

29. Et quoniam variæ in tam arduo prolixoque opere difficultates occupationeſque ſubinde occurrere, quæ nos ab incepto deterrebant, animumque à tantis laboribus auocabant; virginis pollicitatio illa amabiliſsima: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Eccl. 24. animum labentem erexit, effecitque ſpes felicis ex hac vita exitus ſub tantę patronæ clientelâ, vt ad hos labo-

labores exantlandos, humeros lubētes subijceremus. Præclarè enim idem Richard. à S.Laurent. lib.2. de laud. B.V. cum verba illa Deiparæ expendisset, adiunxit: *Maria enim super faciem sui scribæ imponet honorem suum*, vt nimirùm facies eius non impleatur ignominia, & confusione, cum loquetur inimicis suis in porta, in vitę huiuscè videlicet temporalis constitutus exitæ, transiturus ad æternam.

M. Super faciem sui scribæ imponet honorē suū, vt facies eius non impleatur ignominia, & cōfusione in die iudicij.

30 Erexit nos etiam mirum quantum alia quædam fidelissima ipsius sacratissimæ Deiparæ promissio per Sanctam Brigittam facta lib.4. Reuel. capit.32. cuidam cantus harmonicos, laudesq;, ipsius in honorem ac filij absque vllius temporalis lucelli inanisuè gloriæ spe pangenti, atque concinenti, quam totidem verbis hic referre libuit: *Dic illi*, inquit, Virgo benignissima suæ Brigittæ; *qui scribit cantum & laudem meam, non propter laudem suam, vel mercedem, sed propter laudem ipsius, qui propter omnia opera sua, omni laude dignus est; Quia sicut Principes mūdi tribuunt laudatoribus suis mundi mercedem, sic ego spiritualiter remunerabor eum, quia sicut vna syllaba habet super se multas notas, ita Deo placet coronas dare in cælo pro qualibet syllaba, quæ est in cantu. Diceturque de eo in cælum veniente: Ecce venit laudator; qui nullo tēporali bono dictauit cantum, nisi solum propter DEVM.*

B.V. cuidam Cantori musicis modalis eius laudes conscribenti promittit per B.Brigittam æternā mercedem.

31 Animauit nos B. Albertus, virtutibus verè nomineque Magnus, qui se ad pulcherrimum illud de Dominica Incarnatione Opus elucubrandum, benignitate ipsius Virginis, qua in suos præcones ferri consueuit, incitatum asserit in Prologo. Siquidem de illa Salomon Sap.6. *Facile*, inquit, *videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab ijs, qui quærunt eam. Præoccupat eos, qui concupiscunt se, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad eam non laborabit; Assidentem n. eam in foribus suis inueniet; quoniam dignos se circumit ipsa quærens, & in vijs suis ostendit se hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.* Fatetur denique se amantissimis illis Virginis benignissimæ pollicitationibus ad laudes eius scribendas prouocatum: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt adhuc sitient, qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt, qui elucidant me, &c. Huiusmodi ergo largifluæ sponsionis*, inquit ille, *fiducia submixus, mitto manus in opus. Aliàs sanè super meum ingeniolum & scientiolam me nimium eleuarem.*

B. Albertus ait se benignitate B.V. allectū fuisse ad scribendū Tractatum super Missus.

Mira B.V. bonitas, & facilitas.

Mira B.V. suauitas.

Scio autem quod non est abbreuiata manus Domini, sed omnia possibilia sunt credenti.

32 Inflammauit quoque desiderium hoc meum laudandæ virginis Bernardinus Bustius, qui Par.1. Marial. ser. 1. ad eius celebranda præconia ait in primis accensum se Psalmistæ voce illa: *Laudate Dominum in Sanctis eius*. Diui quoque Hierony. ea verba in laudem Deiparæ interpretantis sermon. de Ass. *Si DEVM ore Prophetico in Sanctis eius laudare iubemur, multo magis eum in hac celebritate B. V. Matris eius oportet tum hymnis, & canticis diligenter extollere; & dignis Deo laudare præconijs, at mysticis honorare muneribus*. Tū gratitudine, qua se tantæ Matri ob innumera ab ipsa accepta beneficia adstrictū agnoscebat; ac præsertim, quod eius meritis, atque intercessione ad Seraphicam illam sanctamque Religionem à Deo vocatum intelligeret. *Et quia iuxta iuris Canonici Regulam*, inquit ille: *Multa valent & tenent, quæ fiunt ob remunerationem, quæ aliàs non tenerent*; hinc laudes, quas Sanctissimæ Dei Genitrici pro acceptis beneficijs referebat, licet arbitrio suo, indignas, apud Dominum tamen valituras sibi persuadebat. Cùm denique alia quędam eiusdem iuris Regula iubeat, *Beneficiatum gratum esse debere erga suum benefactorem, timendum sibi fiebat ne si Beatæ Virginis, ac præsertim eius immaculatæ Conceptionis laudes subtraxisset, omnibus tam insignibus beneficijs meritissime ob turpissimam ingratitudinis notam priuaretur*. Quæ sanè vel vnica ratio inter innumeras ad Deiparæ celebranda præconia apud me plurimum momēti habuit; cùm preciosissimum hoc vocationis donum, ad inclytam hanc sanctissimamque licet inter ordines omnes minimam IESV Societatem, me benignissimæ huius Virginis beneficio fidelissimoque Patrocinio accepisse profitear, vt alia innumera sileam. Nam reuera, vt cum Sedulio ad ipsam Deiparam loquente canam:

Bernardinus Bustius quibus rationū momentis permotus fuerit ad laudandum B.V.

Gratitudo eius erga B. V. quod ipsum ad Seraphicam deduxerit Religionem.

Beneficiatus gratus esse debet erga suum benefactorem.

Auctor beneficium vocationis ad Soc. à B V se accepisse fatetur.

Nullis abolenda per æuum.
Temporibus constant virtutum signa tuarum.
Ex quibus audaci pertingere pauca relatu
Vix animis committo meis; syluamque patentem
Ingrediens, aliquos mitor contingere ramos.
Nam centū licet ora mouens, vox ferrea clamet,
Centenosque sonos humanum pectus anhelet,
Cuncta, quis expediet? quorum nec lucida cæli
Sydera, nec bibulæ numeris æquantur arenę.

Laudes & beneficia B. V. innumera, & ineffabilia.

33 Erexit similiter labantem animū, idem supra memoratus pientissimus in

Dei-

Deiparam Richardus Laurentinus, qui in secundo sui operis Prologo censuit sibi dicta diuinitus verba illa, quæ audiuit S. Ioannes Theologus in sua Apoc. cap. 1. *Quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis. Quasi dicat: quod vides oculis mentis, ac intelligis*, inquit ille, *scribe: quod enim dicitur cito transit, scribe proinde, ne deleri possit per obliuionem, quod ad futuram eruditionem necesse est permanere. Attendens ego igitur sensu pauper, & modicus, non solum Ioanni præcepisse vocem Dominicā, vt ea scriberet, quæ videbat siue intelligebat, sed & vniuersis in sacra pagina eruditis, feci quodpotui, & plures notulas ad laudem Virginis pertinentes quas multo tempore studiosè coaceruaueram, diligenter in ordinem redegi. Malui siquidem cum mihi coccus, & Hyacinthus, byssus, & purpura deesset*, de pilis caprarum deuotus offerre, quam contra præceptū legis, in conspectu Dei, vel ipsius B. Virginis vacuus apparere. *Timendum est enim, vti dicit Ambrosius, ne sicut de omni verbo otioso reddituri sunt homines rationem, sic de otioso silētio districto Iudici satisfacere teneantur, quod principaliter de sapientibus credo intelligendum. Dicit enim Apostolus: Væ mihi si non euangelizauero. Et alius quidam; Væ Domine tacentibus de te*. Hactenùs Richardus.

Sicut S. Ioannes monitus de cælo vt scribat, sic quisque eadem voce excitatur ad B. V. laudes celebrandas.

Richardus in ornatum Virginei Tabernaculi pilos caprarum se obtulisse dicit.

34. Erexit quoque labantem animum Venerabilis Thomas de Kempis, qui serm. 21. ad Nouitios scribit Virginem Beatissimam in horà mortis locuturam pro his, qui sibi deuoti extiterunt, eiusque sese laudibus conscribendis, ac celebrandis impenderunt, hisque verbis pro illorum salute velut fidelissimam apud filium Aduocatam intercessurā: *Fili mi amantissime, miserere animæ famuli tui, amatoris, & laudatoris mei, sicut tu benè nosti, & vidisti, de cuius ore Sancti Angeli sæpius mihi deuotæ salutationis gaudia nunciarunt; qui etiam ad laudandum Nomen Sanctum tuū & meum plures secum fratres inuitare consueuit. Hic est Notarius noster scribens sanctos libros, & amator sanctæ Crucis libenter orans, & Psalmos cantans, qui audito Nomine sancto tuo, & meo reuerenter solebat se inclinare, & geniculando salutare. Memor ergo esto horum fili mi charissime, & da ei nunc inuenire misericordiam coram te*. Paucis verò interpositis sic omnes ad cultum amoréque Virginis hortatur: *Eligite hanc benignissimam Matrem IESV præ cunctis parentibus, & amicis vestris in Matrem specialem, & Aduocatam ante mortem, & salutate eam Angelica salutatione, quia vocem hanc audit valde libenter*. Sic ille.

B. Virginis intercessio apud filium pro suis laudatoribus in hora mortis.

B. V. Memor est illorum in morte qui Crucem, & ipsius Imaginem dū viuerent salutabant.

35. Animauit nos denique sacrum illud Basiliense Concilium Generale, in quo cum inter reliqua de immaculata gloriosissimæ Virginis veneranda Cōceptione ageretur, promissionem illā tam in creatæ sapientiæ, quam ipsius Matris recolens, sic loquitur: *Elucidantibus Diuinæ gratiæ Mysteria mercedem gloriosam repromisit æterna Dei Patris Sapientia, dum ait: Qui elucidant me vitam æternam habebunt. Quod etiam de gloriosa Virgine, quæ ipsam Patris sapientiam Dei filium æternum protulit, ac mundo peperit sacrosancta legit Ecclesia. Nam quicquid de dignitate, & sublimitate Virginis Matris educitur in lucem, hoc non dubium est, ad laudem, & honorem filij sui pertinere. Et qui honorificant gratiam, & sanctitatem Matris, honorificant & elucidant gloriosum Nomen Filij eius, qui ipsam sanctificauit, & impleuit gratiā. Vnde si in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ à Domino Deo est, præclara merita parturit, in ea re specialiter fructus vberrimos afferre speranda est, quæ sanctificationem, & dedicationem Templi illius concernit, in quo ante sæcula, antequam terra fieret, & ab æterno sibi mansionem ordinauit Prima, & æterna veritas*. Hęc Conc. His ego alijsque Sanctorum Patrum vocibus, ac dictis, ceu facibus accensus, huic operi elaborando memet lubens impendi. Licet enim occurreret effatum illud D. Hieron. ad Heliodorum. *Grandes materias ingenia parua non sufferunt, & in ipso conatu vltra vires ausa succumbunt, quantoque maius fuerit, quod dicendum est, tanto magis obruitur, quod magnitudinem rei verbis explicare non potest*. Licet etiam nossem tantæ moli ipsis Athlanteis, Herculeisque humeris formidandæ exiles meos humeros ferendo esse impares, confidens tamen Misericordiæ ipsius pientissimam, optimamque Parentem, Parentem, inquam, illius, de quo Isa. 40. *Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt fortitudinem, & robur multiplicat*; tantas mihi vires animi, corporisque suppeditaturā, vt pro modulo meo essem huic oneri ferendo, tātam quoque gratiam mihi à suo dilectissimo filio impetraturam, vt huiuscé laboris mei propositum finem consequi possem; me alacriter ad scribendum accinxi, tantæque moli lubens humeros submisi.

B. V. hic in patronum eligenda vt eā habeamus adiutricem in morte.

Quod de dignitate B. V. in lucem educitur, hoc ad laudem & honorem filij non dubium est pertinere.

M laudes sunt grandis materia, quā parua ingenia ferre nequeunt.

36. Finis autem primarius totius huiuscé lucubrationis nobis propositus non fuit alius, quam Maior Dei ter Opt. Max. eiusque Matris gloria; cum eiusdem patrocinio, maior in virtu-

Finis huius operis scribendi est Dei maior gloria eiusdemque Matris honor.

tibus

tibus religiosis profectus, quies & trãquillitas, animi, & quædam quasi beatæ vitæ in hac ærumnosa delibatio.

Alius finis scribẽdi fuit fœlicem vitæ finem consequi patrocinio Virginis.

Finis deniq; totius huius operis, vt summatim multa complectar, non alius extitit, quam fœlicem sub tantæ, tãque piæ Parentis clientelâ ex hac vita misera exitum consequi, vitamque illam beatam nullo fine terminandam, iuxta ipsius benignissimam pollicitationem indipisci.

37. His addo, vt maior adhuc in Diuinam Maiestatem, sanctissimamque eius Genitricem redundet gloria, me omni prorsus proculcatâ, atque deletâ siue spe præmiorum, siue pœnarum, nullo vnquam tempore finiendæ æternitatis formidine, opus hoc aggredi. Adeo vt si nec beata vita, nec æterna foret mors, Dei tamen, eiusque Matris laudibus memet animitus, medullitusque impenderem. Hoc nos ad confusionem nostram Vetula quædam, missâ S. Patriarchæ nostri Ignatij Regulâ, docuit; quam Iuo Prædicatorum Ordinis illustre sydus missus à S. Ludouico Rege Galliæ Legatus ad magnum Damasci Sultanum, vnâ manu lebetẽ, prunis ardentibus refertum, alterâ amphoram aquâ plenam gestantem conspicatus, quæsiuit, quẽ in finem ea deferret? Respondit illa præter omnem expectationem sapientissimè: *Paradisum hoc igne exurere, & aquâ hac Inferni flãmas extinguere animo meo sedet.* Inopinato hoc responso mirum quantum stupefactus vir religiosissimus, quęrit rursus cur hoc aggredi tentaret? Cui illa: *Ne in posterum, inquit, quispiam virtuti, & bonorum operum praxi se dedat, spe mercedis, & ne à malo se temperet gehennę timore: verùm purè ob honorem Dei, & quem ei debemus, singularem amorem.* Ita memoriæ prodidit Ionuillius in vita S. Ludouici Francorum Regis. In hoc ergo toto opere, ac labore exuratur igne diuini amoris, si ità loqui licet, ac deleatur Paradisus; aquâ cælestis gratiæ extinguatur Infernus; purè Dei, eiusque Matris præ oculis solus honor habeatur, & gloria, vt eorum sanctissima æuiternum Nomina, toto terrarum orbe longè, latèque glorificentur. Non mihi Domine, & Domina, non mihi, sed Nomini vestro date gloriam.

Vetula quædam in Syria vna manu lebetem igne, altera amphorã aqua plenam portabat ad extinguendum Ignem Inferni, & comburendum Paradisum.

Seruiendum Deo ex puro eius amore, & non Spe præmiorum, vel metu pœnarum.

38. Interim ad te Virgo gloriosissima stella huius maris magni, spatiosique tuarum immensarum laudum Oceani fulgentissima me conuerto: affulgesce menti meæ, oculisque tuis, ceu geminis poli syderibus intellectum illumina, dirige per paruam ingenioli mei cymbam, per amplissimum hoc tuorum prę coniorum pelagus vela facienti, vt saluâ naue, ac mercibus in æternæ beatitatis portum tandem aliquando, tui vultus serenissimo duce lumine, ingredi promerear.

Oratio Auctoris ad Mariam Maris stellam, vt luce sua in suarum laudũ Oceano nauigantem dirigat.

Dignare me, liceat mihi verbis Seraphici tui seruuli vti S. Bernardini Senens. Tomo 3. serm. 9. *dignare*, inquam, *me laudare te Virgo sacrata, nec modicam despicias tui famuli seruitutem, cuius non modicam deuotionem in tuis laudibus attendis. Dignare cælestis Regina mihi per sublimium sensuum tuorum misericordiam, quasi vasta per æquora sine remige nauiganti, cælestis aura fauore succurrere, vt qui altissimos tuorum verborum sensus*: (addo ego:) tuaque cælestia, Diuinaq; præconia, *saltẽ balbutiendo declarare desidero, gratiâ tua confisus, tuo adiutorio valeam explicare. Aspiret & ille Diuinus habitator hospitij tui, vt qui in laudem suæ Matris studium pietatis attendit, pius adiutor adesse non dedignetur è cælis. Quis enim mortalium nisi Diuino tutus, vel fretus oraculo, de vera Dei, & hominis Genitrice quidquam modicum, siue grande præsumat incircumcisis, imò pollutis labijs nominare, quam Pater ante sæcula DEVS perpetuam prædestinauit in Virginem dignissimam: Filius Regit in Matrem; Spiritus Sanctus omnis gratiæ domicilium præparauit. Quibus verbis ego homunculus, sensus altissimos Virginei cordis Sãctissimo ore prolatos efferam, quibus non sufficit lingua omnium hominum & etiam Angelorum?* Nihilominus tamen de te cõfisus ò Virgo, vnica spes mortalium securissima, tanto tamque immenso tuarum laudum æquori me committo, è portu soluo, vela ventis expando te rogans atque obsecrans, vt Sancti Spiritus Fauonium, Austrumq; diuini amoris euoces vti soles, dicasq; *Veni Auster perfla hortum meum*, perfla æquor meum, mearum nempè laudum. Vt hoc feliciter nobis aspirante salui, incolumesque portum teneamus.

Oratio S. Bernardini Sen. ad impetrandam gratiam B. V. ipsam laudandi.

Spiritum S. inuocat, vt suo afflatu aspiret.

Et quia subinde in hæc tuorum encomiorum ęquore, profundum quodãmodo ad eruẽdos arcanos scripturæ sacræ sensus, ceu margaritas erit penetrandum, tuum sacratissimum Nomen velut Oleum, toto orbe effusum, illuminationem denotans, ori meo impone obsecro (quod etiam Beatus optabat Theodoretus) cuius auxilio, tanquam

Nomen Mariæ velut Oleum ore sumendum, ad arcanos scripturę sensusque ceu margaritas laudũ B. V. eruẽdos.

factitio lumine vtendo, quemadmodum vrinatores, ac margaritarum piscatores consueuere, gemmas tuarum laudum reconditas, in lucem, ad maiorem tui Sanctissimi Nominis amplificandam gloriam producam.

39. Hoc tuo potentissimo, luceq; Diuina radianti confisus Nomine, in animum omnino induxi meum sicut hactenus ita, & in posterum numquam me ad scribendum accingere, quin prius Hymno illo ab Ecclesia sancta prçscripto, te velut maris Stellam, Deiq; Matrem almam, ac semper Virginem, Cçlique felicem portam, per quam sempiternum illud lumen mundo illuxit, auere iubeam.

Hymnus Aue Maris stella præmittendus ante studium de laudibus B.V.

Tu igitur Stella, quæ immensum illum sempiternumque iustitiæ Solem, totâ obstupescente Naturâ, & Gratiâ, cæcutienti sæculo Mater simul, & Virgo peperisti, mihi quoque monstra te esse Matrem, cæcæque menti meæ tuas laudes ineffabiles meditanti, in dies lumen hoc profer, hoc tuorum elogiorum iter tutum para, complana, ac illustra; vitam puram, omni peccati labe defœcatam, præsta, in alta illa pace, omnem sensum exsuperante animum meum funda, atque tranquilla; Vç quoque ignorantiæ, ac culpæ ab illo amolire, vt in me Euæ Nomen immutatum agnoscens, te semper IESVMq; tuum Filium velut Stellas polares, prç oculis habendo, ac vobiscum collætando, tibi corde amanti ac Syncero Aue illud Angelicum, æuiternum concinam.

Amen.



DL



DISCVRSVS I.

Quod pulchritudo, ac perfectiones Angelicæ Naturæ in Deipara Virgine contineantur.

Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Cant. 7. 1.

1.

TAnta est Diuę Virginis interior animi pulchritudo atque perfectio, quâ Diuinam Naturam atq; Essentiam, cum suis attributis, nec non sacrosanctas Augustissimæ Triados personas in se velut quopiam animato speculo, vt Prima Parte Disc. 4. explicatum est, representat, vt tantæ pulchritudinis contemplandæ amore incensus cælestis Sponsus, iteratis vocibus eam vt se spectandam Diuinissimis illis Personis, quarum imaginem referebat, exhiberet, inuitare non dubitarit: *Reuertere*, inquiens, *reuertere Sulamitis, reuertere reuertere vt intueamur te.* Cant. 6. 12.

B.V. Pulchritudo interna Diuinas personas prouocat ad videndum.

Quam vbi contemplari pergit, in eaque veluti mirabili Essentia illius Diuinæ, modo possibili æmula Diuinarũ Personarum in primis perfectiones, tum deinde Angelorum, reliquarumq; creaturarum decorem, venustatemque relucere animaduertit, demirans exclamauit. Cant. 7. 1. *Quid videbis in Sulamite, nisi chorus Castrorum?* Ac si clarius animi sui sensa expromere voluisset: Pacifica hæc, quæ ob eximia sua merita inter DEVM, hominesque pacem conciliauit, me planè admirabili suâ virtutum specie ad se spectandum incendit. Illâ enim visâ mihi non modo Patris æterni, Filij, ac Spiritus eorumdemque perfectionum imago, verùm etiam ipsius Angelicæ Naturæ, aliarumquę rerum creatarum, quas illa modo longè excellentissimo complectitur, repræsentatur. Nam in illa, ordinatissimos quosdam castrorum choros militiæ illius cælestis collaudantium Dominum videre mihi videor, quia eorũdem Angelorum excellentiam, puritatem, ac Sanctimoniam in se, non quidem ea perfectione, qua incomprehensa illa Essentia, sed quacunque secundum illam possibili, eâdemque inter creatas excellentissimâ post me Vnigenitum suum comprehendit.

2. Quapropter iure merito Gemmis illis preciosissimis, vt Triophthalmo, tres hominis oculos exprimente, & vnâ luce radianti, de qua Plin. libr. 17. c. 11. Opalo, & Hexacontalitho conferri potest, de quibus S. Isid. libr. 16. Ethym. cap. 12. quemadmodum enim Triophthalmos ternos oculos vnius Gẽmę splendore refulgentes continet: ita Virgo Deipara tres Diuinàs Personas, vna, eadẽq; Essentiæ luce resplendentes velut oculos purissimâ luce radiantes, prouidentiæ suæ infinito splẽdore cuncta vegetantes, ac moderãtes, in se representat: & sicut Opalus distinctus est diuersarum gemmarum colore, vti carbunculi ignito, amethisti purpureo, smaragdi viridanti, aliorumque pariter lapillorum varietate gratissimâ: Sic Virgo nostra gloriosissima ignitâ Seraphinorum, ardet charitate, Cherubinorum clarissimâ resplendet Sapientiâ, omniumque Angelicarum Hierarchiarum virtutibus emicat. Quemadmodum denique Hexacontalithos sexaginta gemmarũ colores, variamque pulchritudinem; sic Deipara nostra charissima atque preciosissima sexcentarum, imò creaturarum omniũ venustatem, absolutissimo quodam compendio in se restringit.

Triophthalmos gemma, quæ tres hominis oculos representat. B.V. gemmis similis Opalo, & contalitio.

3. Eandem Deiparam preciosissimo cuipiam, ingentiq; conferre possumus Adamanti, siquidem S. Teresia in vita à se cõscripta cap. 40. Diuinam Essentiam eidem gemmæ comparauit. *Dicamus*, inquiens, *Deitatem ad instar rutilantissimi*

 simi

Essentia Diuina velut Adamus, in quo creaturæ repræsentantur.

simi Adamantis, qui vniuerso terrarum orbe maior sit, aut speculi, in quo quicquid agimus videtur; cum vniuersa in se contineat, nihil quippe est, quod non intra hunc magnitudinem comprehensum sit. Mirabile sanè fuit, me tantillo tempore tam multa simul, in fulgido hoc Adamãte videre, &c. Idem sanè & nos dicere possumus dum creaturarum omnium pulchritudinem, ac perfectiones omnes, tam in cælestibus, quam in sublunaribus sparsas, in illâ, velut lucidissimo, ac ingenti quopiam Adamante collectas intuemur.

4. Hinc doctissimus ac in Virginem pientissimus Pater noster Quirinus de Salazar comment. in Prouerb. capit. 8. nu. 380. illam Diuinæ Essentiæ conferre quodammodo visus est. Cum enim verba illa Deiparæ in Domino gloriãtis, de varijs sibi ab vniuersi Creatore collatis gratijs; *Cum eo eram cuncta componens;* expenderet, ita illam loquentem introducit: *Ipsius Dei Creatoris omnia componentis menti ego obuersabar, vt ex omnibus aliquid exciperet, quod mihi impertiretur, vt euaderem sic vera, & non fabulosa Pandora, omnium rerum perfectiones includens, vtque res omnes melius quodammodo in me, quam in semetipsis forent. Vnde Augustinus ad illa verba Ioannis: Quod factum est in ipso vita erat; in summis Dei laudibus ponit, quod omnes creaturæ sint in Deo longè melioris conditionis, quam in seipsis. Nam cum pleraque in seipsis vitá careant, in Deo quidem vita sunt; & cum omnia creata sint in se, in Deo increata sunt, & vt cõpendio dicam, ipsemet DEVS. Pari modo de Sãctissima Deipara prędicare licet, omnes quidem creaturas quodammodo in ipsa esse. Verba sunt Arnoldi Carnotensis: Maria creaturis constat omnibus. quidquid enim creator singulis distributor iustus contulit, Matri adornandæ congessit. Profectò si omnibus creaturis constat Maria, omnes in illa sunt, omnesque sibi hoc gratulari possunt, quod in illa meliores sint quam in seipsis. Nam cum in seipsis caducæ, debiles, instabilesque sint, atque alia eiusmodi vitia vel naturæ, vel morum habeant, in Maria omnis vitij expertes sunt, & vt breuiter dicam, cum in semetipsis nihil diuersum à seipsis esse possint, in Mariam translata, Maria sunt, qua nihil sub cælo nobilius, aut excelsius. Itaque cum DEVS suis creaturis honoris plurimum, atque decoris impertiri vellet, illis omnibus Deiparam constare voluit, vt quemadmodum in ipso cuncta DEVS erant, sic etiam in Maria, cuncta Maria forent.* Hæc Salasar piè ac eruditè simul.

M. Diuinæ Essentiæ Imago.

M. Vera & non fabulosa Pandora.

In M. sunt omnes creaturæ meliores, quam in seipsis.

5. Ex quibus facile intelligimus quã aptè Dei Mater gemmis illis pulcherrimis Triophthalmo, Opalo, & Hexacõtelitho conferatur, siquidem, vti diximus, queádmodum illæ, ita & Deipara beatissimam Triadem, & eius creaturas, variá suarum virtutum, perfectionumque pulchritudine, mirificè, in se mundo ostendit, atque exhibuit. Quapropter sapienter Gabriel Biel Spirẽsis grauis Theologus serm. 2. de Natiu. B. V. pronunciauit: *Quod si singula in scripturis percurrere voluero, non est creatura, quam non aliquâ ex parte, perfectionẽ Virginis significet* Quod ille variarũ creaturarũ, vt Cedri, Cypressi, Palmę, Oliuę, &c. cõprobat exemplis; concluditque tandẽ: *Quod si singulas arborum, preciosarum herbarum, aromatum, volatilium, quadrupedumque species percurrere voluerimus, lõgissimum sermonem pertexeremus.*

Nulla creatura est, quæ aliqua ex parte B. V. perfectionẽ non significet.

6. Quæ omnia cum B. Theodoretus probè intelligeret, & lib. 4. in Cantic. celeberrimum illum initio memoratũ Sponsi explicaret elogium, dixit summa quæque, atque incõparabilia creaturarum omnium ac potissimum Angelorum in Virgine reperiri decora, atque ornamenta, vtpote quę ex Angelicis tota coagmẽtata quodammodo sit perfectionibus.

Quid in Pacifica, inquit ille, *speratis intueri? Neputetis vos parua, atque exilia, atque inchoata quadam bona conspecturos, Ecce enim venit sunt castrorum chori. Sponsa siquidem multis è Sanctis Angelis conflata, cum propter fortitudinem, atque excelsum animi robur, armaque militaria castris est similis; tũ etiam chorus existit Diuinas laudes in ore gerens. Quod quidem beatus ostendit Dauid: Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Castra verò declarat Apostolus: Arma nostra non carnalia, sed valida, per DEVM ad destructionem munitionum. Et ad Philipp. 6. Accipite armaturam Dei vt possitis stare in die malo. Iure igitur Sulamitidem choris castrorum comparat Sponsus. Neque verò dixit: Castra castrorum, sed chori castrorum. Ex castris enim fiunt chori. Cùm enim ex castris vicerint virtutis milites, Pæana canentes reuertuntur, & choros ducentes, victoriæ præconium laudibus cõcelebrant.* Sic Theodoretus de Angelica siue pulchritudine, siue fortitudine, atque excellentiâ communicatâ Deiparæ. Quam spõsus iure Castra ob inuictum animi robur, variarumque virtutum coordinationem, quibus ipsis Tartareis hostibus mirum quantum reddebatur formidanda; Iure choros appellat, ob Dei iuges laudes, quibus sua-

B. V. ex perfectionibus Angelicis quasi conflata.

Angeli sancti sunt castra pugnantes contra hostes Tartareos, sunt chori laudantes Dominũ.

B. V. vocatur castrorum acies, ob inuictum animi robur, quo contra Infernũ pugnat: vocatur etiã chorus ob iuges Dei laudes.

In M. est chorus cantium quoad consonantiam virtutum.

suauissimum in Diuinæ Maiestatis auribus concentum, elegantissimamque, Angelicam omnem longè transcendentem etiam dum in terris viueret, edebat harmoniam. Non absimiliter locum hunc interpretari visus est Alanus: *In Virgine*, inquiens, *fuerunt chori canentium, quantum ad consonantiam virtutum: Castra verò pugnantium, secundum quod Virgo circũsepta, & sanctis disciplinis instructa, vitiorum, & Dæmonum repellebat insultus.* Hæc ille.

7. Iam ad magis particularia descendamus. In quibus primo ostendemus, dotes Naturæ Angelicæ ei fuisse communicatas. Tum singulos Angelorum perlustrando ordines, ac Hierarchias, gratiâ Diuini Numinis aspirante, earundem perfectiones longè nobiliori modo Deiparæ fuisse concessas declarabimus. Præclarè enim Diuus Antoninus 4. par. Tit. 15. c. 44. *Cùm nouem sint*, inquit, *Angelorum ordines, super quos omnes fuit exaltata, ad quos sancti assumuntur, in diuersis ordinibus, secundum varietatem meritorum, omnes proprietates ipsorum ordinum reperiuntur in B. Maria, eorumque officia cum maiori excellentiâ charitatis.* Vnde idem Antistes introducit ordines Angelorum singulos, suas in Virgine agnoscentes, demirantesque virtutes, ac prærogatiuas, eamque deprecantes, vt in ipsorum consistere dignetur Hierarchiâ, velut eorum Domina, ac Regina. Quare primatum hunc inter omnes cælites post Christum agnoscens in Deipara S. Amadeus Episc. Lausan. Homil. 1. de laud. B.V. præclarè pronunciauit: *Omnis sancta, & rationabilis anima inuestigans cæli secreta mysteria, & distinguens ordines supernorum Spirituum, inuenit primam post Redemptorem, illam in mulieribus benedictam, illam, plenam gratiâ, quæ DEVM genuit, & Virginitatis gloriam non amisit. Hæc igitur Virgo Beata omni luce clarior, omni suauitate gratior, totum mundum illuminat, & vnguenti optimi perfectione innouans omnia Cherubim, & Seraphim agmina potestate transcendit, & Maiestate.* Sic Amadeus.

In B.V. omnes proprietates Hierarchiarum Angelicarum, maiori cum excellentia reperiuntur.

Singuli ordines Angelorum agnoscentes suas virtutes in B.V. ascendẽtem in cælũ ad se inuitabunt.

M. prima post Redemptorem inter ordines supernorum spirituum.

B.V. Cherubinos & Seraphinos potestate transcendit.

Pari ratione Pelbartus de Temisuar Ordinis Seraphici illustre Sydus li. 10. Stellarij par. 2. art. 3. introducit Choros Angelorum singulos peculiares suas, aliasque virtutes in Virgine agnoscentes, eamque amantissimè consalutantes: *Cum B.V. Maria*, inquit ille, *ab Angelis in iubilo deduceretur, per cælum aereum, athereum, atque Sydereum, ecce ipsius claritatis splendor præcellere, atque obfuscare claritatem Solis, Lunæ, ac Syderum videbatur. Cùm porro ad cælum Empyreum peruenisset, singuli Ordinum Angelicorum, Sanctorumque Chori, atque ipsa Trinitas Sanctissima, multis, varijsque laudibus, ac iubilatione ipsi occurrit, eamque benignissimè excepit.*

Cum B.V. cælos conscenderet eius claritas Solem, Lunã & stellas superabat.

Ac primo omnium Sanctorum Angelorum Chorus eam à Sanctissima Humilitate, per quam summè Deo placere meruit, eam laudãdo ac magnificando excepit. Progredere, inquiens, *progredere cælorum Regina ascende ad Filium tuum per sæcula regnatura; quæ licet fores sanctissima, omnibusque virtutibus decorata, summâ tamen humilitate tuâ Deo summè complacuisti, vt esses eius Mater electa, ab omnibus beatificanda. Nunc ergo dignum est te gloriam summam exaltationis accipere, siquidem qui se humiliat exaltabitur.*

Angelorum chorus laudauit B.V. ab humilitate.

Chorus Archãgelorum deinceps extulit eius Castitatem, eiusque gloriam demoratus canebat Cãt. 6. Quæ est ista quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorũ acies ordinata. Hæc est, inquit, *illa Virgo singularis castitatis, cuius Virginitas fuit Deo amabilis. Accipe ergo ò Beata Angelicum tuæ castitatis premium, Angelica videlicet prælationis, vt dicaris Angelorum Domina, quia Angelis est cognata Virginitas.*

Archangelorum chorus laudauit ipsius castitatem.

Virtutum chorus puritatem eius deprædicauit? Hæc est, inquiens *Virgo nobilis, Mater Dei amorosa, quæ vt lilium conuallium, & rosa sine spina, ab omni sorde peccati aliena, summa nitẽs puritate, ac proinde dignissima vt sit Deo proxima, quia incorruptio facit proximum Deo.* Sap. 6. *capite.*

Chorus virtutum B.V. Puritatem laudauit.

Potestatum Chorus ipsius Obedientiam mirificè extulit: Salue, inquiens, *Sancta Dei Genitrix. Salue per tuam Obedientiam gloriosa, quæ Deo semper obedijsti, Regem cæli concipere meruisti, qui tibi se subdit, & veluti Matri obediuit. Accipe igitur, vt omnia obediant vicissim tibi, amplissimam potestatem. Longè enim aptius tibi dici potest: Ad tui oris imperium cunctus obediet populus.*

Chorus Potestatum laudauit B.V. Obedientiã.

Quia B.V. Deo obediuit, ideo digna fuit, vt ei omnia obediant.

Principatuum vero Chorus, Virginis extulit Patientiam: Hæc est, inquiens, Fœmina illa gloriosa, cuius odor tanquam Myrrha electa per patientiæ suę pręclara merita lętificat cęlestia; Hęc est, quæ cum Dei Filio, eiusque dilectione multa sustinuit aduersa; cui & in Cruce morienti summè fuit compassa, cuius anima gladio summi doloris fuit confossa. Summa ergo consolatione dignissima, cum suo dulci IESV cælesti lętitiâ perfruatur. Verissimè enim dixit Apostolus: Sicut socij passionis estis, sic & consolationis eritis 2. Cor. 1.

Chorus Potestatum B.V. laudauit Patientiam, maximè quã habuit in morte Filij.

Domi-

Chorus Dominationum B.V. suspexit mirificam sapientiam.

Dominationum Chorus Deiparæ insignem suspexit sapientiam: Virgo prudentissima per sapientiam tuam Reges regnant, inquiens, at tu Sapientiâ tuâ Dæmones prostrauisti, mundum liberasti, cælos restaurasti, DEVM que de cælis attraxisti, propterea te diadema Regium omnis creaturæ condecet, vt non tantummodo cælestis exercitus, verum etiam terrestris te tanquam Reginam verissimam veneretur.

Chorus Thronorum laudauit B. V. misericordiam.

Dominationibus, Thronorum accessit Chorus, qui eius Misericordiam extulerunt: Aue, inquiunt, *misericordiæ clementissima Regina, Virgo pijssima, quæ per tuam omnibus subuenis pietatem. Non enim nisi per te hominibus dat DEVS pietatem, ac misericordiam. Digna es igitur, vt mundi sis Aduocata, & Mater gratiæ, ac misericordiæ, vt ita per te saluentur homines, & ruinæ cælestis Ierusalem reparentur.*

Chorus Cherubinorum fidem B. V. laudauit.

Thronis, Cherubinorum successit Chorus, qui fidem Virginis miris celebrauit laudibus: Hęc est, inquit, *illa felix, & beata, per quam Incarnationis Diuinę fides consummata, & per vniuersum mundũ dilatata est. Hęc est quæ sola firma, atque inconcussa ceteris vacillantibus in passionis Christi horâ constitit. Digna igitur est, vt modo super omnes fidei pręmio, quod clara, ac beatifica visio Dei est perfruatur.*

B. V. firma in fide Christi substitit in eius passione cæteris vacillantibus.

Seraphinorũ tandẽ Chorus qui super omnes Hierarchias est supremus, Charitatem Virginis deprædicauit: *Aue,* inquiens, *plena gratia, plena charitate, plena Spiritu Sãcto, plena Deitate. Tu per tuam charitatem DEVM in terram attraxisti, eumque ex te humanatum, pro generis humani salute, charitate inflammata obtulisti, eademque charitate vt in cruce moreretur induxisti, cum salutem omnium voluisti. Tu ergo salus & solatiũ, cunctorum Beatorum merces, ac pręmium. Tu super omnes Diuinâ fruitione, quę charitati correspondet dignissima es. Vnde Virgo Deo plena, iuxta Dei Filium, tuumque prædilectum, Thronum gloriæ tibi dignissimę pręparatum possides.* Hæc Pelbartus. Ex quibus colligimus Sanctos Angelos in Virgine veluti eorum Regina gloriosissima, & suas & alias virtutes maiori longe cum excellẽtiâ collectas suspexisse, ac proinde cupiuisse, vt super eorum omnes choros exaltaretur.

Chorus Seraphinorum B.V. extulit charitatem.

Venãtij Fortunati carmine de B.V.

8. Idem sensisse visus est B. Venantius Fortunatus Pictauiensis Antistes dum Carmine in laudem B. V. eam æterno Verbo fœtam contemplans, Militiam Angelicam vniuersam tanquam suæ Heræ, ac Dominam, totiusque Vniuersi Reginæ famulantem, ob eximias vtique eius dotes, suis longè pręstantiores describit.

Æterni Verbi in vtero B. V. Maiestas.

Postquam enim de Maiestate Verbi, eius purissimo vtero delitescentis hæc præmisisset.

Angeli libẽter hic B. V. ministrabãt ipsius excellentias suspicientes.

Cuius transcendit sacra Magnificentia cœlum,
Cuncta tegens palmâ, Sydera, rura, freta.
Quis te tũc sensus, Domini pia Mater, habebat,
Cum tibi talis erat fætus, honore nouus?
Pręmia quãta vterũ implebat, & gaudia pectꝰ,
Cælorum Artificem cum tua ferret humus?

Vbi, inquam, hæc cecinisset, mox cum eadem Virgine pium illud suum colloquium prosequens, ita de obsequijs, ac ministerijs tam supremorum, quam inferiorum spirituum ipsi impensis, dum in Bethleem asello forte insidens Deũ paritura pergeret modalari pergit?

O meritis radians dic Virgo, putasne videbas.
Angelicos cursus ire redire nouos?
Militiam cæli cum te seruare vicissim
Sentires animo, sæpe leuata manu.
Quæ circa te acies, vel quando iter ire parares,
Millia progressus concomitando tuos.
Quid Michael faceret Ductor sub Prĩcipe celso,
Quid gereret Gabriel nuncius ille sacer?
Qualiter aut Raphael occursũ impẽderet almæ
Te portante, Dei dum putat esse Thronum?
Credo alter cuperet plantis substernere palmas,
Ille excussa alâ subnitidare viam;
Duceret iste auras ne te grauis vreret æstus
Ille leuans pinnas, vertat vt imber aquas
Iste ad frena manum retinens, ne sarcina lapset,
Ne pes offendat pendula turba vetat
Quot vigiles turmę cum te sopor altus haberet
Solaque dormitans tot Vigilare dares?
Sydereo obsequio meritis dignissima Virgo,
Cum te Diuinis cingeret ala choris.
Cuius honore mero Sol ipse tremisceret ortum,
Lunaque sub pedibus quę eret esse tuis.
Artificique suo se machina subderet orbis,
Ac miraretur per tua membra DEVM.

Angeli plãtis B V. cupiebant manus suas substernere.

Optabant frenum asinę moderari vt tutè incederet.

Hæc Venantius auctor antiquissimus de Angelicis Virgini DEVM gestanti impensis obsequijs, quæ nobis dignitatem eius, & virtutes Angelicis multo excellentiores ob oculos proponunt.

9. Eandem virtutum Angelicarum in Virgine gloriosissima, longè eminẽtiori cum excellentiâ agnouit recollectionem Rutilius Benzonus Epis. Lauretanus lib. 3. in Magn. ca. 23. dum bona Angelorum ipsi, à Deo fuisse concessa asseuerauit. Quod ille per singulos Angelorum Ordines facto discursu, luculenter comprobat. Quibus omnibus ad finem eiusdem capitis addit quorũdam Angelorum proprietates, ex S. Bernardo, quas omnes longe excellentissimè inesse Deiparæ affirmat: *Virtutũ est,*

est, inquit ille, *miracula facere; Potestatum contrarias Potestates Dęmonũ coercere, Principatuum regna mutare. Hęc omnia in summo in Beatissima Virgine fuere. Nam & omnium miraculorum admirabilissimum quid fecit, cum DEVM & hominem genuit: Potestatem coercuit, cum Regnum Diaboli destruxit. Regnum transmutauit, cum hominem in Regnum cælorum traduxit.* Concludit denique Benzonius, ostenditque Angelicarum omniũ perfectionum flore Deiparam fuisse conuestitam dum ita loquitur: *Est ergo B.V. Angelus in gratiæ inuentione; Archangelus in Dei generatione; Princeps in Principum subiectione; Potestas in supernaturalium operatione; Virtus in Deiformissimorum actuũ perfectione; Dominatio in creaturæ suppositione; Thronus in Dei corporali receptione; Cherubin in omnium secretorum secretissima cognitione; Seraphin in suprema super omnes dilectione. Patet ex his Beatissimam Virginem omnes proprietates Angelorum habentem super omnes Angelos, & omnes Hierarchias esse exaltatam, ita vt singulorum & omnium proprietates & dona ipsa sola vniuersaliter, & singulariter in summo possideat vniuersa.* Sic Rutilius de choris Angelicis eorumdemque bonis, ac proprietatibus Virgini Diuinitus communicatis generaliter. Iam perfectiones Angelicas singillatim in Deipara consideremus.

M. miraculorum maxima operatrix cum DEVM genuit.

10. Verùm antequam rerum tantarum tractationem aggrediamur vestigijs magni illius Dionysij insistentes, qui lib. 1. de cælesti Hierarchia, de Angelis non prius disserere voluit, quam ad Angelorum Regem, ac Dominum IESVM direxisset orationẽ. Dicamus igitur cum eodem Patre Sanctissimo: *Itaque IESVM Paternam lucem inuocantes; lucem quę est, quæ vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad Patrem, lumen principale, accessum habemus, ad sanctarum scripturarum intelligentias, prout illas à Patribus accepimus, contuendas pro viribus pergamus, & cælestium Spirituum distinctiones, & ordines in quantum possumus speculemur. Sit autem Dux Verbi Christus: (si mihi dicere liceat:) meus, quid de tanta re dicere debeamus inspiret, est enim ipse totius scientiæ fons, cælestisq; afflatus indultor.*

Oratio S. Dionys. Areopagitæ fusa ante tractationẽ de Angelicis Hierarchijs.

Christus totius scientiæ fons & cælestis afflatus indultor.

Sis tu quoque huiuscè viæ nostræ Dux Virgo gloriosissima Angelorum Regina potentissima, stellaque fulgentissima per illam denotata, quæ Magos deduxit ad tuum dilectissimum Filiũ, vt seruus tuus ait Damianus Cardinalis. Dirige tu luce tua, radijsque iter nostrum, affulgesce menti nostræ solitis tuæ benignitatis splendoribus, vt sanctissimis tuis, beatissimorumq; Spirituum agnitis perfectionibus, ac virtutibus, te absolutissimum earum compendium ab vniuersorum Creatore effectam fateamur, superque omnes Angelicas Hierarchias, tanquam earum veram Dominam, ac Reginam, singulari pietate veneremur.

Oratio ad B. V. qua petit Auctor ab illa velut stellaminari.

11. Porrò vt clariùs rectoque ordine procedamus, quidnam sit Angelus inuestigemus. Hunc idem Dionys. cap. 4. de Diuin. Nom. dixit esse *speculum purum, clarissimum, suscipiens totam, si fas est dicere pulchritudinem Dei*; seu vt alius vertit: *Certe Imago Dei est Angelus, & occulti luminis declaratio, ac speculum purum, & nitidissimum incoinquinatum, immaculatum, incontaminatum, totam in se suscipiens, si dictu fas est, pulchritudinem speciei ipsius, figuræque Diuinæ, atque in seipso syncere quantum fieri potest splendore declarans secretissimi illius Silentij Bonitatem.* Quæ omnia quam aptè sanctissimæ conueniant Deiparæ, ex iam memoratis prima Parte patet luculentissime, vbi fusè ostensum viuam quandam spirantemque Diuinæ Naturæ, Personarumque Diuinissimarum, atque attributorum Imaginem, Virginem sacratissimam extitisse; speculum item quoddam animatum, atque immaculatum Diuinæ Maiestatis, necnõ Imaginem eiusdem Bonitatis, reliquarumque fuisse perfectionum. Vnde factum vt quicũque Mariam intueretur, Diuinam sibi Maiestatem videre quodammodo, simulque arcanum illud Diuinorum attributorum in Dei essentia comprehensorum, Potentiæ videlicet, Sapientiæ, Bonitatis, Charitatisque ac reliquorum silentium, sibi reuelari, venerandâ tantæ Virginis præsentiâ videretur, vt huic sanctissimo traditur contigisse Doctori Dionysio. Quemadmodum enim *Angelis Boni indoles*, vt idem ibidem loquitur, *est indulta, munusque tributum, quo occultam illam in se ipsa Bonitatem, ipsi in se patefacerent, Angelique existerent, tanquam Diuinum Silentium nunciantes, & quasi conspicua quædam lumina, tãquam è vestibulo bonum ipsum in adytis latens sequentibus declarantia*: Sic planè gloriosissimæ Virgini supremi, summique illius Boni per essentiam, quod nouem mensibus eius in purissimis visceribus requieuit, indoles quodammodo indita

Angeli descriptio.

Angelus est speculum diuinæ pulchritudinis suo splendore declarans secretissimi illius silentij Bonitatem.

M. speculum Diuinæ Maiestatis, & I. sius attributorum.

Angeli occultam Dei Bonitatem in se repræsentant, & aliis patefaciunt.

dita

dita fuit, datumque munus quoddam ac officium, vt Diuinam illam occultam in ſe ipſa Bonitatem, ipſa Virgo in ſe manifeſtaret arcanumque illud Diuinarum perfectionum Silentium, mundo annunciaret, lumenque quoddam fulgentiſſimum exiſteret, quod ſummum Bonum illud in adytis cælorum, in gloriæ ſuę Maieſtate deliteſcẽs mortalibus patefaceret.

M. Diuinarũ perfectionũ arcanum Silentium in ſe patefecit.

12. Hoc ſibi voluiſſe Richar. de S. Victore doctiſsimum Theologum Pariſinum crediderim, quando de illa c. 26. in Cant. pronunciauit: *Angelicam denique in terra adepta eſt puritatem, & Dei ſimilitudinem in virtutibus, & ſanctitate, ac morum perfectione, iuſta, pia, prudens, modeſta, miſericors, ſancta mente, & corpore. Meritò ergò prædicatur pulchra, quæ & Diuinam, & Angelicam ſimilitudinem in terris eſt adepta.* Idem intellexit Seraphicus Bonauentura cum in ſpec. B. V. capiti ſeptimo hunc præfixit titulum: *Quod nouem ſint plenitudines in Maria, quę nouem ordinũ Angelorum plenitudines repræſentant in gloria.*

B.V. Angelicam adepta puritatem & Dei ſimilitudine in virtutibus & ſanctitate.

13. Pulchritudinem verò hanc Angelicam in animam Virginis deliteſcẽtem tantam fuiſſe, pro comperto eſt, vt toto ore, oculiſque quemadmodum, & Diuinitatis venuſtas illa admirabilis, emicare videretur. Qua de re eundem Richardum, ibidem audiamus. *Non dubitandum amoris ignem, & interiorem candorem exterius etiam in ea lucere, vt quę puritatem Angelicam habuit, vultum etiam Angelicum habuerit. Tota ergo pulchra meritò dicitur, quia pulchra facie fuit, pulchra mente, & corpore.* Quibus verbis innuere videtur Richardus Virginem Deiparam non modo animâ, ſed etiam ipſo ſuo ſanctiſsimo, puriſsimoque corpore, Angelicam Naturam fuiſſe æmulatam.

Diuini amoris ignis, & interior candor in B. V. etiam exterius relucebat.

B. V. cultum Angelicum habuit.

M. vt pulcherrima facie, ſic etiam mente fuit.

14. Quam eminens porrò Virginis gratiâ ſuper omnes Angelorum Spirituum ordines extiterit, eliganter oſtẽdit S. Hieron. ſer. de Aſſumpt. dum eos ipſis cælis, verbo Domini formatis, Spirituque Sancto exornatis comparat; Virginem autem eiuſdem Verbi æterni in vterum ipſius illapſu Deificatam quodammodo inſinuat: *Angelorum*, inquiens, *quamuis celſior natura ſit, non tamen gratia maior, quia & ipſi gratuitâ gratiâ ne corruerent, ſunt ſaluati. Vnde Dauid: Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quodſi Spiritu oris eius omnis virtus eorum ſubſiſtit, conſtat beatam, & glorioſiſſimam Virginem Mariam, in quam ſuperuenit Spiritus S. & Deus totus illapſus portatur nouem menſibus in vtero, ampliora promeruiſſe virtutum priuilegia, & percepiſſe gratiam ab Angelis etiam collaudatam:* (laude nimirùm admirationi ſociata;) *Vnde etſi mirabilis eſt eorum virtus, & firmitas perpetuitatis, mirabilior tamen in Maria, quã obumbrauit virtus Altiſſimi, vt vltra omnem virtutem ſit Angelicam, quod factum eſt in ea, & admirabile cunctis ſæculis ſacramentum. Ac per hoc etiam Angelis exinde maior præſtatur gratia, cum inſtaurantur ab ea omnia, quæ venerantur, & adorant ſuper ſe Chriſtum Regem Dominum natum ex eadem Virgine. Hinc & Maria cunctis tanto venerabilior, quanto gratioſior, & quanto virtute Altiſſimi extollitur ad ſublimia, tanto clarior reſultat in gloria.* Vt oſtendat denique pulchritudinem hanc in Deipara pluſquam Angelicam, ex Diuinę Maternitatis dignitate ſuam originem trahere, mox attexuit: *Plena ſiquidem gratia, plena Deo, plena virtutibus, non poteſt non poſſidere plenè gloriam æternæ charitatis, quam pleniſſimè accepit, vt Mater fieret Saluatoris, quam viderunt omnes filiæ Sion, & beatiſſimam prædicauerunt, ac Reginæ laudauerunt eam, quoniam tantam eam viderunt, quantam nullus narrando explicuit mortalium, quanto magis DEVM, qui talem & tantam fecit eam, vt ipſe fieret per eam; Vnde Dauid: Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Hæc Hieronymus de puritate ac dignitate Virginis, quâ omnem Angelicam, licet eſſet circundata corpore, exceſſit eminentiam.

Angelorum licet celſior ſit natura, nõ tamen gratia maior, quam ſit B. Virginis.

Angeli ſunt cæli verbo Domini firmati in gratia.

M. maiora quam Angeli obtinuit virtutum priuilegia in Incarnatione Verbi.

Mirabilis in Angelis virtus & firmitas perpetuitatis, ſed multo mirabilior in Maria.

In Maria pulchritudo pluſquam Angelica prouenit ex Diuina Maternitate.

15. Licet enim Angelicæ illæ Mentes ſint puri Spiritus, ab omni corporeæ molis concretione ſeparati, Beatiſsima tamen Virgo Maria, etſi corpore hoc mortali, ac paſsibili eſſet, circumdata, corporis tamẽ vix vlla experiri videbatur impedimentá, adeo vt in carne viuens ſolo Spiritu viuere, iſque qualitates quaſdam ſpirituales in corpus eius transfundere videretur. Vnde Angelus Sanctæ Brigittę in ſerm. ſuo cap. 1. reuelauit, corpus Virginis ex 4. elemẽtis quidem fuiſſe compactum, verum ita diſpoſitis, vt peculiaria quędam elementa eſſe viderentur.

M. etſi corpore mortali circumdata, nulla tamen corporis experiebatur impedimẽta.

Elementa ex quibus corpus B V. compactum fuerat pura & clara.

Hinc ea pura, & clara Elementa nũcupauit. Quod minimè ſanè mirum nobis videri debet, cũ eius corpus abſque vllo libidinis ſenſu, ſanctiſſimis eius Parentibus altiſsimâ rerum Diuinarum contemplatione, in Deumque ardentiſsimo amore defixis, abſque vlla

B.V cõceptio facta dum parẽtes eius altiſſima rerum Diuinarum contemplatione, & in DEVM amore eſſent detenti.

vlla originalis peccati labe, ope Spiritus S. miraculosè fuerit generatum, vt testatur Galat. lib.7. Arcan. cap.8. Vnde nulli morbo, nulli infirmitati, aut corruptioni fuit obnoxium.

16. Quare luculentissimè docet Suarez Tom.2. in 3.part. Disp.2. ser.2. ex omnium Theologorum, Patrumq; sententia, Deiparæ corpus in sua specie, ac sexu fœmineo, fuisse maximè perfectum, quod ex eo, corpus Dei Filio formādum erat. Vnde ad Diuinam prouidentiam pertinuisse ait accommodare medium fini, & materiam effectui aptam præparare, præsertim cū Diuina virtus, quæ in hoc opere, singulari modo operabatur, facillimè hoc posset perficere. Tùm quia decebat Christum, & Virginem esse inter se simillimos non solùm moribus, sed etiā corporis perfectione, & affectibus. Hęc enim similitudo amoris conciliatrix esse consueuit. Ex hoc gloriosissimæ Virginis perfectissimo temperamento infert tandem Suarez nulli veræ infirmitati, ac morbo eius obnoxium fuisse corpus. Vnde Sophronius in Epistola Synodali, quæ habetur in 6. Synodo Act.11. corpus Deiparæ ab omni contagione fuisse liberum affirmat. *Vterum intactum*, inquiens, *Virginitatis ingressus Dei scilicet Filius castitate lustratum Mariæ Sanctæ, præclaræque, & quæ Dei sunt Sapientis, & ab omni contagione liberæ, & corporis, & animæ, & intellectus; incarnatus, qui erat incarneus*. Et paucis interpositis. *Ideò Virgo accipitur, & anima, corpusque sanctificatur, quæ ita ministrauit in incarnatione Creatoris, vt munda, & casta, atque incontaminata*.

B. V. corpus in sua specie, & sexu fœmineo fuit maximè perfectum, quia ex illo corpus filij Dei erat formandum.

Decuit Christum Matri vt moribus esse simillimum, ita corporis perfectione, & affectibus.

Corpus B.V. nulli verę infirmitati, aut morbo obnoxium.

17. Vnde Galat. lib.7. de Arcan. Cath. veritatis cap.4. ex antiquorum Hebræorum sententia, seu potius fabula colligit, in Adamo purissimam quandā carnis portiūculam, ab omni labe præseruatam, ex qua corpus B. V. erat efformandum, extitisse, eamque à generatione in generationem, vsque ad ipsam immaculatam Virginem descendisse: Quod intelligens Adam, licet post generationem Abelis, 130. annorum spatio Euam cognoscere noluerit, ne filios perditionis generaret, cognouit tamen postea, genuitq; Seth, quod nomen, *Ponere* significat. Vnde hoc ei imposito, nomine, dixit Adam: *Quia posuit mihi Dominus semen aliud. Cuius dicti sensus est*, inquit Galatinus; *In me repertum est semen alienum, & virtus quędam, ex qua generandus est Messias. Ex ea enim Adami virtute, scupurissima carnis portiuncula Mater inprimis Messię generanda erat, cuius pretiosissimo sanguini, Messias ipse inerat*.

Rabbini censuerunt in Adamo purissimā fuisse quamdum particulam, ex qua corpus B.V. erat efformandū.

18. Quapropter nonnulli ex antiquis Hebræis, vt idem testatur Galatinus Matrem Messię Petram primariam, & primam Creaturam in genere humano, Primumque hominem vocauerunt, quod ex nobiliori parte massę Protoplasti Adæ fuerit, vt ijdem fabulantur, efformata; Refert etiam ad hunc primum hominem in die Iudicij totum mundum accessurum, ac rogaturum: *O primè homo, & prime Parens noster, tu qui manu Dei creat⁹ es, & à peccato immunis existis, precare pro nobis DEVM, quia non sufficimus*. Quam orationem ad Adamū Protoplastum dirigi potuisse negat Galatinus, qui peccato suo mundum infecit vniuersum, solùmque conuenisse Virgini. Idem Galatinus refert ex Rabbi Iehosua Filio Leui: cum vidisset Deus Adam formatum, mox vocasse omnes Angelos, eisque dixisse: *Humiliamini, & estote obedientes huic homini, cumque Angelorum præcipuus Lucifer superbè humiliari detrectaret, respondisse DEVM: In hoc homine, qui ex puluere terræ creatus est, plus sapientię & intelligentię est, quàm in te; quod quia in Adamum cadere non poterat*, censent Hebræi cum Galatino ad B. V. referendū, vtpotè, quæ corpus, & animam ab omni peccato liberrimam, purissimamque fuerat sortita. Quæ licet opinio fabulā redolere videatur, quia tamen aliquid quod ad gloriam Virginis, eiusq; Conceptionem confert videtur continere, hic referre placuit.

Maria à Rabbinis vocatur Petra primaria.

Angeli ex præcepto Dei etiam in opinione Rabbinorum B. V. subditi.

19. Ob hāc Virginei corporis, animęque puritatem quidam spectatę doctrinæ pietatisque Auctor Diuam Virginem variarum virtutū Filiam, perindè atque si tota Spiritu constaret, appellare non dubitauit. Hinc S. Hieronymus ipsius purissimam Virginitatē Angelicæ anteposuit serm. d. Assumpt. *Nec mirum*, inquiens, *si Angelis comparetur Virginitas, quæ Angelorum Domino fędere copulatur nuptiarum. Etsi quælibet virginitas tantùm erigitur, vt Angelis comparetur, multò magis gloriosa, & Beata V. M. quę singulari commendatur priuilegio, & immenso dicatur mercimonio*. Et meritò sanè *immēsum vocat mercimonium*. Dum enim illa Virginitatem suam, voto Diuinæ Maiestati obtulit, ac sacrauit, Deus Pater

Alludere sine dubio voluerit ad illud Seuerini Boetij Sapiētissimū Pronunciatum; (Viri Sancti corpus virtutes efformarunt.

M. Dei Filiū concipiendo immenso dicata est mercimonio.

ipsi Filium suum; vt in eius vtero carnē assumeret, donauit, quo Virgo vno, eodemque communi Filio cum Deo Patre gaudere mereretur; Atque ita Virginitate suâ plusquàm Angelicâ Deipara immensum quoddam cum Deo contraxit mercimonium, atque admirabile planè commercium.

B.V. incorruptio corporis, & animæ in Arca de lignis Setin composita, fuit præfigurata.

20. Hæc Virginalis corporis incorruptio, ab omni infirmitate, alijsque miserijs libera præfigurari visa est in Arca illa, quæ de lignis Setim imputribilibus fabricata erat. Vndè corpus eius licet triduo in sepulchro iaceret examine, nullam tamē vidit corruptionem, sed die tertio, vt piè creditur rursus animæ vnitum euolauit in cælum. Quare idem Galat. libr. 7. cap. 10. corpora tàm Christi, quàm sanctissimæ eius Matris immortalia, & impassibilia futura fuisse affirmauit, tùm quia perfectissimum temperamentum erant nacti, tùm quia à peccati originalis lube, in cuius pœnam mala hæc in mundum irruperunt, fuerunt alieni, nisi aliud mundi redemptio, Diuinaque iustitia requisissent.

B.V. cibo cælesti, Angeli manu porrecto dum in Templo versaretur, nutrita.

21. Quod minimè nobis mirum videbitur, si intellexerimus ei dum in Tēpli penetralibus versaretur Ambrosiam nutrimentum fuisse, Angeli manu porrectum, vt voluit S. Germanus Archiep. Cōstant. seu vt scribit B. Andreas Cretensis, cibum immortalem, non autem communem sumpsisse. Idem asseruit S. Georgius Archiep. Nicomed. Orat. de Præsent. B.V. vbi Zachariam Summum Pontificem, hanc ab Angelo Deiparæ cælitus in dies singulos porrectam refectionem admirantem, miraque de hac Virguncula ex hiscè inditijs conjectantem introducit. *Considerabat Zacharias*, inquit S. Antistes, *eius animæ immensam pulchritudinem, quæ latebat in muliebri habitu: animaduertebat intemeratam Virginem ferre noua, & aliena naturæ signa, licet ea esset, vt reliqui omnes eadem naturâ prædita. Erant enim ei mores incomparabiles, eiusque vitę agendæ ratio composita virtutibus. Quare in dies procedente ætate, crescebant, in ea dona Spiritus, & versebatur cum Angelis, nec erat diuinarum expers apparitionum. Cum ea, vt solebat versante in adytis vidit Zacharias quendam sermocinantem, qui erat insitatâ specie, & ei præbentem alimentum. Hic autem erat Angelus. Quamobrem mente à se discedebat, & huiusmodi apud se recogitabat. Quid hoc est, quod videtur? Nouum planè, & ab ea, quę hic est alienum consuetudine. Et Angelicus qui cernitur habitus, & alloquitur Adolescentulam. Formâ incorporeus affert nutrimentum tanquàm corporibus conueniens, & essentia expers materiæ, tradit Mulieri canistrum, qui videtur materialis. Angelorum huc aduentus esse solent ad solos sacerdotes, vt vel hortentur, vel contra dehortentur ab ijs, quæ agenda, vel agenda non sunt. Propterea maior mihi concurrit admiratio, ac metus, occultaque insident dubitationes quidnam hoc sit, quiduè significaturus venerit Angelus, quodnam sit quod affertur nutrimentum; ex quonam penario sit hoc depromptum, quisnam sit, qui hoc parauit, quęnam manus hunc panem fecit? Angelorum non est parare, quod corporeis necessitatibus conueniat. Nam etsi plurimi per eos sunt nutriti, alij tamen ad hoc idonei nutrimentum prepararunt, & per corpus incorporei conseruis inseruierunt, vt factum cum Abacuc qui ductu Angeli inseruiuit Danieli. Et illic quidem sic fuit dispensatum, hic autem nullo intermedio accedit Angelus ad Virginem, resque est arcana, & quam nulla assequi valet ratio. Adolescentula talia dona est assecuta, vt incorporei eius cedant ministerio. Quam sunt hęc dona insignia! Quidnam fecit hęc Virgo, quo hæc promereretur? Quod puritate omnes, quæ antea fuerunt generationes superauerit scio, vtpotè cui rebus ipsis hoc persuasum sit, & mores eius apertum mihi sint indicium. Cernetur fortassis hæc Virgo magnorum beneficiorum conciliatrix, per quę DEVM ad se attrahet? Num eorum, quæ sperantur, finis in ea eueniet? Num qui est venturus ad generis correctionem, ex ea assumet nostram naturam? Immensam enim, quæ in ea latet mente cogito castitatis pulchritudinem.* Sic Zacharias, qui ex hoc inusitato, cælestique Epulo, Angeli ministerio Deiparæ porrecto tàm sublimes de ea, nec fallas, vt comprobauit euentus, concepit opiniones. Cùm refectio illa Angelica, velut præuia quædam dispositio ad eminētissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem fuisse visa sit, ex qua sublimitas illa naturæ, super omnes mortales in Virgine suam deduxit originem. Quod si teste Philosopho, *ijsdem nutrimur quibus constamus*, cū cibo immortali, atque ambrosiâ fuerit nutrita Virgo Deipara, consequens est profectò eam materiâ quidem nostrate, at complexione quasi cælesti, Angelicæ quodammodo cōstitutioni, quàm simillimâ constitisse, siquidem cibo cęlesti, corpus eius nutriebatur.

Mariç animç pulchritudo immensa

S. Zachariæ admiratio viso Angelo veniente ad Mariam.

S. Zachariæ cogitationes circa cibum B.V. ab Angelo porrectum.

B. V. omnes præteritas generationes puritate superauit.

Immensa in B.V. latebat castitatis pulchritudo.

Iisdem nutrimur quibus constamus.

B. V. vita similis Angelicæ.

22. Ex quibus omnibus facile colligimus gloriosissimam Virginem vitam quan-

quandam Angelicam, quoad corpus etiam, dum in hoc mundo degeret traduxisse, cum plerisque corporis miserijs fuerit, Dei gratiâ speciali liberata. Vnde S. Hildeph. Archiep. Toletanus lib. de Virgin. Mariæ cap. 11. Virginalem mentis, corporisque incorruptionem supra Angelicam puritatem attollere nô dubitauit, ex verbis ipsius Gabrielis asserentis: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quę verba postquã accuratius ruminasset, hęc subintulit; *Itaque si iuxta assumptionem humanitatis hęc incorruptiblis generatio huius pro lis, idipsum est quod solius Matris eius incorruptio singularis, benè Angelicæ creationi, quæ labi potuit, præfero integritatem Genetricis eius, qua nascentis exitu corrumpi nonpotuit. Benè Angelicæ conditioni, quę diminui non potuit, præfero Virgineum Decus, quod Nati processu impediri non potuit. Benè Angelorum statui, qui pati potuit, præfero Virginitatem mirabiliter singularem, quam Natiuitas filij Dei, tanta auctam gloriá incorruptionis reliquit, quanto singularem, ac singulariter glorificam assumptam ex illa carnem, ad sedem Patris inuexit, omnemque beatitudinem Angelicæ formę eius dominio subiugauit.*

Angelicæ creationi, quæ labi potuit, præfert S. Hildephôsus integritatem B.V.

Angelorum statui qui pati ac labi potuit, præferenda Virginitas mirabiliter singularis B.V.

Virginitatem B.V. Filij Dei Natiuitas auctam magna gloria incorruptionis, reliquit.

23. Quod adductis postea Abrahami; & Ioannis, qui Angelos adorarunt, confirmat exemplis. Eorum enim alter, antequam Dei Filius ex vtero Virginis carnem assumeret, Angelum, absque vlla inhibitione adorauit. *Tres vidit, & vnum adorauit:* alter verò, cum post Incarnationem Verbi adorare vellet Angelũ, vetitus est, eiusdem Angeli verbis: *Vide ne feceris, conseruus n. tuus sũ, & fratrũ tuorũ, DEVM adora;* Apoc. 19. v. 10. Quia nimirum iàm humanã Naturã ob carnem Verbi cum Deipara Idẽtificatam super omnes Angelorum choros euectam fuisse, agnouerat. Sed ipsa sanctissimi Præsulis verba affectu plenissima audiamus: *In cuius excelsæ solemnitatis ascẽsione, cum Deus assumptam carnem paternâ collocauit in Sede, ita natura hominis Angelicam reperit pacem, ita consortium reperit Angelicum, ita honorem se adeptam esse intelligit Angelorum; ita abiectionem qua contemptibilis erat, Angelorum prætulit potestati, vt hac Natura, in qua Abraham Angelum adorauit, & tamen adorari prohibitus non est: In Ioanne adorare volente, sit prohibita adorari. Quoniam in Abraham, licet ex eius semine in Christo diceretur assumenda, nondum tamen in eodem Christo erat assumpta. Ideo hanc Angeli contemptibilem iudicabant, quia & condemnatio Conditoris execrabilem hanc habebat, & assumptio eius nondum illam suæ vnioni coniunxit. In Ioanne autem ideo humanam Naturam adorare Angeli prohibentur, quia hanc super se in Sede Maiestatis adorant. Ideo hanc in subditis non contemnunt, quia eam supra se in sede gloriæ contemplantur. Ideo hanc contemptibilem in subiectis non despiciunt, quia eam vnitam Diuinæ Personę cognoscunt. Et ideo honorabiliorem se, incorruptionem Maternæ Virginitatis habent, quia fructum eius super se, & admirantes aspiciunt, & humiliter intuentur. Grati laudant, feruientes adorant, perennes iubilant, subiecti celebrant, beati vident, acclines adorant.* Hæc Ildephonsus.

Angeli antequam Filius Dei Humanitatem nostram assumeret passi sunt se adorari; at post assumptam, minimè, quia illam à Christo supra se euectam agnouerunt.

A S. Ioanne Angelus se adorari cur passus non fuerit?

Ab Abrahamo Angeli se adorari passi sunt, quia nondum Christus Humanitatem assumpserat, licet ei promissa sit de semine ipsius assumenda.

Angeli ideo in homine carnem contemptibilem non despiciunt, quia illam vnitam Diuinæ personæ cognoscunt.

Angeli Maternæ Virginitatis incorruptionẽ se honorabiliorem censent, quia fructum eius super se admirantes humiliter intuentur.

24. Eodem ductus argumento B. Card. Petrus Dam. ser. 2. de S. Ioanne Euang. docet ideo Angelum non permisisse se ab illo adorari, quia illum agnoscebat æqualem ob Virginitatem, quâ puritati ipsius appropinquauit Deiparæ, eiusdemq; contuberniũ, quo post Christi in cælos ascensum vsus est. Vnde considerans, quod S. Petrus vsus fuerit in vltima cęna Ioãne intercessore apud Christum, vt scire posset, quisnam eum esset proditurus, de ipsius dignitate Ioannis ita loquitur: *Vnde considerandum est, quanta deuotionis instantiâ B. Ioannis flagitare debemus auxilium, quẽ sibi interuentorem, & ipsi Apostoli quæsierunt, quantum apud iustum Iudicem pro peccatoribus poterit, qui & pro ipsis cælestis Curiæ Senatoribus interuenit? Et qui Aduocatus factus est summis, quam humiliter implorandus est à minimis? Hanc nimirum hominis eminentiam, hanc meritorum sublimium celsitudinem Angelus ille cognouit; qui se ab illo adorari prohibuit: Vide ne feceris, &c. Refugit obsequium ab illo suscipere, quem nouerat apud communem Iudicem locum gratiæ familiariter obtinere. Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem. Fratrem recognouit, socium iudicauit, subiectionis obedientiam non accepit, quamuis enim in omnibus Sanctis semper sit Angelicæ mundicię contubernalis, & cognata Virginitas; Beatus tamen Ioannes tanto reliquos Virgines superat, quanto Virginitati Beatę Mariæ, per sedulitatis, ac perpetuæ custodię meritum appropinquat. A qua sola videlicet præceditur, quia fæcunditas Virginalis, quę est in Maria, nullis est omnino meritis comparanda; & non solum quia fæcunda est, sed quia Deifica. Virginem enim parere nouum, ac singulare est; DEVM vero parere; ita omnem nouitatem singularitatis exsuperat, ita omnia, quæ miranda sunt antecedit, atque incomparabiliter supereminet, vt nec mente concipi, nec*

S. Ioannes electus aduocatus à S. Petro apud Christum.

Angelus S. Ioanne Euãgel. suspexit ob Virginitatem puritati B. V. similem, eiusdemque contubernium.

S. Ioannes reliquos virgines superat, quia B. M. Virginitati, ob custodiæ meritum appropinquauit.

Virginẽ Deũ parere, omnẽ sensum, ac mentem superat.

linguâ valeat aliquatenus explicari. Sed sicut venerandæ Matris Virginitas B. Ioannis Virginitatem excedit, sic ipse pro glorioso eius contubernio ceteras à mundi primordio Virgines antecellit. Hæc Damianus. Quod si Angelus tantopere Ioannem, ob Virginitatem, contuberniumque Deiparę suspexit, quanto magis ipsam Virginem, de cuius sanguinibus atque visceribus Sacratissima Christi Humanitas coaluit? quam ipse Deus Pater tantopere honorauit, vt illam ad suam dexteram omnibus Angelicis Hierarchijs eminẽtiorem collocarit.

25. Quo ex sanctissimorum Pręsulũ tam Hidelphonsi, quam Damiani discursu clarè perspicimus, ideò incorruptionem, puritatemque carnis Sacratissimæ Virginis super omnium Angelorum Hierarchias euectam, quod esset Deifica, DEVMque pariens, & simul eadem esset cum carne Christi, ac proindè, eodem propemodum honore, veneratione, atque adoratione fuisse dignissimam. Et quia hoc difficillimum esse humano intellectui ad penetrandum nouerat vir in Virginem pientissimus, ac humillimus non solùm rem tãtam varijs Synonimis explicat, atque amplificat, verumetiam factâ ad Gabrielem Archangelum Apostrophe eũdem rogat, ac obsecrat, vt secum de mysterij tanti notitiâ, quâ ipse pollet, participet: *Vnde oro te Sancte Angele per indiffecabilem hereditatem fidei nostræ, per tuæ hæreditatis statum, per mea redemptionis mysterium, per pacem, quâ ambo in Christi IESV corpore perfruimur, vt des mihi hoc tãtumdem nosse de Virgine Matre Domini mei, quod ipse nosti, hoc credere quod ipse sapis, hoc diligere, quod ipse diligis, hoc in Domino frui, quo & ipse frueris.*

S Ildephõsus petit à S Gabr. de mysterio Incarn. erudiri.

26. Sed ad id vnde digressi sumus reuertamur, & concludamus, non solùm in Spiritu, & anima, verùm etiam in corpore Virginis, virtutes, incorruptionemque Angelicam reluxisse, rectèque dici posse de ipsa, quod sacræ literæ de Iuditha asseuerarunt Iud. c. 5. *Vniuersa quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt dederunt Iudit in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni suppellectili, & tradita sunt omnia illi.* Verè enim vniuersa illa, quæ erant Luciferi Angelorum Principis, qui per Holofernem denotatus est, huic nostræ figuratæ Iudithæ communicata sunt. Quæ enim sunt aliæ Angelorum diuitiæ, ac gazæ, quam naturæ Angelicæ eminentia, & primigeniæ illius gratiæ, in qua condita est, splendor, ac venustas? His diuitijs spoliatus apostata superbissimus, in humillimæ Virginis nostræ hæc omnia, prædam, opimaque spolia deuenere. Ex quibus infert arguté P. noster Didacus de Celada in sua figurata Iudith Mariæ datam in ipso conceptionis instanti *carnem Angelificatam*, & cãdorem vberioris gratiæ, quo Lucifer in prima sui refulsit origine; Quare iure merito B. Damia. Card. ser. de Assumpt. eam Soli, minora Sydera, Lunamque ipsam pene occultanti, ita vt sint quasi non sint, & videri non possint, comparauit. *Similiter*, inquit, *& Virga Iesse veri pręuia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque Spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere. An putas quod non contremiscat tota rationalis creatura ad contemplationem tantæ dignitatis?* Et nẽ temerè hæc protulisse videretur, luculentissimam huius pronunciati addit causam: Diuinam nempe Maternitatem, & mundi creaturarumq; reparationem, ad quam cooperata est Deipara: *Considera, & quæ in cęlis, & quæ in terris, in Virgine refabricata, DEVM qui cælum palmo metitur Virginei ventris breuitate conclusum, redemptionem hominum, Angelorum restaurationem; denique quidquid est, fuit, & erit per Virginis vterum renouatum; Et tunc tibi cogitatio suggeret, quod locutio demonstrare non potest.* Tandem encomium illud Salomonis. *Electa vt Sol*, expendens cõcludit: *Imò & præelecta, vt Sol: quia sicut sol solus orbem illuminat, sic hęc sola solidiori lumine, & Angelos, & homines illustrat.*

Iuditha figura B.V.

Omnia primi Angeli reliquorum Principis ornamẽta, aliaque multo ampliora data sunt Deiparæ.

Data est B V. in ipso conceptionis suæ instanti caro Angelificata.

B.V. sua puritatis luce hebetat Angelorum dignitatẽ. ac splendorem.

Causa cur Virgineę puritatis lux Angelorum hebetat dignitatem.

Sicut Sol solus orbem illuminat, ita B.V. solidiori lumine Angelos, & homines illustrat.

Sic ille de puritatis Virgineæ splẽdoribus, quibus omnes Angelorũ Hierarchias obfuscare quodammodo videtur.

27. Et hoc sibi voluisse crediderim sanctos Patres nonnullos cum dicunt; per Incarnationem Verbi in vtero purissimo peractam Virginis, duplicatam illi fuisse puritatem Virginitatemque tàm mentis, quàm corporis. Ac si clarius dicere voluissent, mansisse in ipsa, non solùm primigeniam illam Virginitatem, puritatemque, cum qua ex vtero suæ processit Annæ Genitricis, verùm etiam superadditam alteram Angelicę illa puritate, ac Virginitate longè excellentiorem, quæ ipsi ob eminẽtissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem per se debebatur, cuius intuitu sicut

Quomodo B. V. dicatur in Incarnatione Verbi duplicata Virginitas & puritas tam mentis, quã corporis.

Ratione Diuinæ Maternitatis excellentissima Puritas Angelica excellentior debetur B.V.

sicut ei omnium creaturarum, atque adeo ipsorum Angelorũ perfectiones, ac ornamenta cæteris longè excellentissima debentur, ita & integritas, puritasque mentis, ac corporis. Hoc nimirum nobis insinuare visus est S. Fulgentius Ruspensis Episc. Augustiniani Ord. illustre Sydus ser. de laudi. B.V. vbi agẽs de intemerata Deiparæ in ipso partu, Virginitate, docet nullo modo potuisse Dei Filium integritatem purissimæ Matris violare, quæ illi tam iucundum in vtero suo præbuerat hospitium: *Qui enim venerat*, inquit, *triste lætificare sæculum, ventris non contristauit hospitium. De cælis Medicus transiens per Virginem, post transitum suũ illæsam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in alijs poterat integrare tangendo, quanto magis in sua Matre, quod inuenit integrum, potuit non violare nascendo? Creuit enim eius partu integritas corporis, potius quàm decreuit. Et virginitas ampliata est potius, quam fugata. In augusto corporis membro sustinuit quicquid sustinent cæli. Plena sunt viscera, & nullum nouit contagium Virginis conscientia. Cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat. Lumen enim, quod intra se habebat pondus habere non poterat.*

B.V. quia peperit Medicũ qui distrupta corporum membra red. integrauit, ideo illæsam conseruauit eius Virginitatem.

Per partum creuit Mariæ integritas corporis.

B.V. virginalis integritas per partum est ampliata.

Hactenùs ille. Cum Fulgentio sentit D. Bernar. qui Tract. de Pass. cap. 46. *Si diligentius*, inquit, *volueris intueri, intelliges in omni arborum genere, in ortu fructus, florem decidere, & perire, in hominibus quoque & ferè cunctis animalibus fructus filiorum, florem Virginitatis abscindit. Non sic erat in Natiuitate vitis nostræ. Beatissima enim Mater illius fructum protulit benedictum, non amisso Virginitatis flore, imò magis per partum mirabilem, & mundissimum est decorata, vbi lex, vbi iura naturæ abscissa sunt.* Atque hæc de ipsa Natura Angelica per se spectata, quam Diua Virgo & æmulata, & longè etiam dignitate transgressa est, dixisse sufficiat.

Virginitas Mariæ per mundissimũ eius partum decorata.

28. Quod si Angelorum spectemus operationes, reperiemus sanè easdem & longè perfectiores in Virgine. Has S. Dionys. Areop. cap. 4. de Diu. Nom. vocat Circulares, Rectas, atque Obliquas: *Intellectus Diuini*, inquiens, *hoc est Angeli, Circulo quidem moueri dicuntur, dum pulchri, ac Boni illius splendoribus, principio, & fine carentibus coniunguntur. Rectà verò lineâ quando ad inferiorum prouidentiam prodeunt, recta omnia peragentes. Obliquè vero, quoniam dum sequentibus prouident, nunquàm à propriâ identitate discedunt, videlicet circa Bonum, ac Pulchrum identitatis causam, indeficientem choream agentes.* Hæc Dionysius de operationibus Angelicis, quas Virgo nostra mirificè in se expressit.

In B.V. Angelicæ operationes sunt longè perfectiores.

Quid sit Angelum Circulo, quid recta linea, quid obliquè moueri?

An non circulo quodã, qui principio, & fine caret, eiusque motu acta fuisset Virgo Deipara, si cum in Dei mente ab æterno possessa, inque Dei Matrem, omni originalis peccati labe liberrimâ electa, ac prædestinata, versaretur, tantam dignitatem agnouisset, an non, inquam, statim interminabilibus illis Diuinæ Pulchritudinis, ac Bonitatis irradiata fulgoribus luci illi inaccessibili, per amoris affectum sese velut centro coniungens, in laudes Diuinæ Maiestatis effudisset sempiternas? Quod quia facere nequiuit, cum obiectiuè duntaxat Diuinæ menti fuerit repræsentata, mox in primo suæ Conceptionis instãti, luminis gloriæ splendoribus illustrata eximiam illam animæ suæ Pulchritudinem, tantaque Dei dona in se congesta, liberalissimè illa Diuinæ Maiestatis, amplissimaq; dexterâ cognoscẽs, ardentissimo, & nunquam terminando charitatis affectu in increatam illam, æternamque Pulchritudinem, atq; Bonitatem, ei vt centro adhærescẽs, exarsit, adeoque exarsit, vt non modo totius vitæ suæ sanctissimæ decursu non fuerit terminatus, sed ne quidem in minimo tepefactus, imò in dies maioris semper ardoris, vti alias memorauimus, acceperit incrementa.

B. V in sua Conceptione ob tantam gratiarum copiam sibi à Deo communicatã ipsum amauit laudauitque.

29. Ex hoc porrò motu Circulari, quo beatæ illæ mentes assidue circa DEVM, eundem ardentissimè amãtes, mouentur, sicut dignitas Angelorum præ cæteris creaturis, ratione præditis, teste Areopagita, elucescit, sic sanè & multo magis Virginis gloriosissimæ. Reddens enim rationem S. Doctor, cur Angeli sint hominibus dignitate superiores, subiungit cap. 4. de cælesti Hierar. *Nam cum Angeli se ad imitandũ DEVM spiritualiter componant, atque Diuinam similitudinem intuentes, eam in se effingere cupiunt, meritò vberiore ipsius participatione beati sunt. Astant enim propius illi cohærentes, ac semper in anteriora, quantùm fas est, eximiâ Diuini, & nunquam satiscentis amoris intentione contendunt, Diuinos illos fulgores ingiter baurientes, in illorumque naturam transeuntes.* Quod si ex Dei inhæsione, imitatione, ac vicinitate Angeli, reliquis creaturis præstantiores sunt, easque dignitate antecellunt; quanto magis præcellet Virgo sanctissima, quæ à cælesti Sponso

Angeli ad imitandum DEVM se componunt, Diuinamque similitudinẽ intuentes, eam in se effingere cupiunt.

non

non semel, *Proxima mea, & ipsa Charitas*; ob ipsius in illa expressam similitudinem, morumque sanctissimorum imaginem, carnisque identitatem appellatur? Eo quod imitatione Diuinarum virtutum, ipsiusque Diuinæ Naturæ, proximè ad DEVM accesserit, eiusque similitudinem, longè ab alijs excellentiori modo in se repræsentarit, & in anteriora semper, vi Diuini amoris impulsa progrediēs, diuinosque illos fulgores hauriens, in eorundem quasi naturam transierit, adeò vt hos cælestes fulgores, toto ore, oculisque euibraret. Quam ob causam Ioseph vt refert Euangelista Matth. 1. *Non cognoscebat eā.* O quàm præclarè dixit S. Bernard. ser. de verb. Apoc. Angelum Gabrielē tantam Virginis cum Deo vnionem admiratum, vix non eandem adorasse: *Quod tam reuerenter*, inquit ille, *atque officiosissimè ab Archangelo salutata est, vt iam in Regali solio supra omnes cælestium ordines regionum exaltatam cernere videretur, & paulò minus adoraturus fœminam, qui solebat ab hominibus hactenùs æquanimiter adorari, excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum, & singularis gratia commendatur.*

B. V. Proxima Deo, ob carnis cum filio identitatem, ipsius similitudinem excellentius lōgè, quam Angeli in se expressit.

Cur dicatur S. Ioseph Mariam non cognouisse.

Gabriel adeo reuerenter B. V. salutauit ac si eam super omnes Angelorum Ordines exaltatam in cęlo vidisset.

30. Iam quid de altera Angelorum actione dicemus, quæ est, *Motus rectus?* An non motu recto, seu lineā rectā, vt vocat Areopagita, mota est Virgo sanctissima, quando à dilectissimo Filio in mundo relicta, hominum prouidentię, auxilio, ac solatio sese totam impendens, suas actiones omnes ad rectæ rationis regulam conformando, nō modo numeris omnibus reddebat absolutissimas, verùmetiam ab omni repræhensione alienissimas. Motum hunc rectum suæ in mortales omnes prouidētiæ, eximiæq; charitatis nobis expressisse videtur Bernardus cum Mariam, Euæ, longè ab illa diuersissimæ conferens, pronunciauit ser. de Verb. Apoc. *Crudelis nimirùm Eua, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi virò virus infudit, sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinauit. Illa enim ministra seductionis, hęc propitiationis, illa suggessit præuaricationem, hęc iniecit redemptionem. Quid ad Mariam trepidat accedere humana fragilitas, nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, omnibus offerens lac, & lanam. Reuolue diligentiùs Euangelicæ historiæ seriem vniuersam, & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria,* *de cetero suspectam habe, & accedere verearis. Quod si, vt verè sunt plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quę ad eam pertinent inueneris, age gratias ei, qui eam tibi Mediatricem, benignissimā miseratione prouidit, in qua nihil posset esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipientibus, copiosissimā charitate debitricem se fecit: Omnibus misericordię sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam.* Hactenus Bernardus.

Maria motu recto ferebatur, cum in terris à Filio relicta, saluti ac prouidentiæ hominū sese impendebat.

Mariæ, & Euæ antithesis.

In Maria nihil est austerum, nihil terribile.

In toto Euāgelio de Maria nil asperū aut durum legitur, sed omnia plena pietatis & gratiæ.

Maria omnibus omnia facta.

Vt B. V. omnes sentiunt beneficia?

31. Motum hunc rectum prouidentiæ Virginalis S. Brigittæ declarasse videtur Angelus in suo serm. cap. 13. cùm dixit vel solam Deiparæ præsentiam atque aspectum iustis ęquè, ac peccatoribus solatio atque emolumento extitisse: *Verè, & absque dubio credendum est,* inquit Angelus, *quod sicut Virginis anima coràm Deo, & Angelis erat pulcherrima, ita & eius corpus in cunctorum oculis eam intuentium fuit gratissimum. Et quemadmodum Deus & Angeli, de eius animę venustate gratulabātur in cælis, ita omnibus, eam cernere cupientibus vtilis fuit & consolatoria in terris. Videntes enim deuoti quanto feruore illa Deo famulabatur, ad Dei honorem feruentiores efficiebantur. In his autem qui ad peccandum pronissimi erant, ex eius verborum, gestuumque honestate, statim peccati feruor extinguebatur quamdiu ipsam conspiciebant.*

Sola B. V. præsentia iustis ac peccatoribus solatio ac emolumēto fuit.

Deus & Angeli de Marię pulchritudine gratulabantur sibiq; in ea cōplacebant.

Deuoti vidētes B. V. in Dei seruitio feruentiores euadebant.

Peccatores ad peccandū propensi sola B. V. pręsentia coercebantur.

32. Quid denique de tertio illo Angelorum dicemus motu, qui Obliquus à Dionysio nuncupatur? Hic sanè longè excellentiori modo reperiebatur in Virgine. Licèt enim illa rectissimā quadam intellectus & voluntatis nusquam euariante lineā, in proximorum tendens commoda, tanta charitate ac prouidentiā sese eis impenderet, vt dī ximus ac super impenderet, vt nil aliud quam de eorum commodis, vtilitatibus, emolumentisque cogitare videretur; non recedebat tamen ab identitate illa, quæ ei cum summa Bonitate æternaque Pulchritudine intercedebat; verum Ecclesię intenta commodis, obliqua reflexione quadā intellectus, voluntatisque actibus circa supremum illud Bonum, ac Pulchrum, summā animi sui voluptate indeficientes quasdam choreas actitare videbatur, vitam actiuam contemplatiuæ, indissolubili quodam vinculo associando.

Motu obliquo quomodo B. V. ferebatur.

B. V. in proximorum se impendens commodis, obliqua reflexione quadam intellectus ac voluntatis circa summum bonum versabatur.

B. V. vitæ actiuæ contemplatiuam sociebat.

33. Hos videndi modos in B. Virg.

agno-

agnouit B. Rupertus lib. 5. in Cant. in verbis illis sponsæ. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Vbi per somnum, vitam contemplatiuam, per vigilantiam, actiuam intellexit: *Ecce hic ò Virgo beatissima*, ait pijssimus Abbas, *ecce hic nobis, quasi per speculum in ænigmate sublucet vita tua, vita inclyta, quę, vt dicere, vel canere consueuimus, cunctas illustrat Ecclesias: totus ferè huius capituli sensus ad illud pertinet, quod in te latet, & supra nos est, quemadmodum supra dicebat Dilectus: Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, sicut fragmen mali punici ita genæ tuę, absque eo quod intrinsecus latet. Admoueamus ergo hoc speculum, & diligenter oculis cordis contemplemur, vt saltem aliqua ex parte cognoscamus sanctissimam conuersationem tuam. Ego dormio, & cor meum vigilat. Quid hoc est aliud, nisi illud ipsum, quod alibi dicit habitatrix pectoris tui sapientia Dei: In omnibus requiē quæsiui, quod est: optimā partē elegi, relictis cunctis solicitudinibus, & curis huius sęculi. Et quidem multæ filiæ, siue multæ animæ taliter dormierunt, vel dormire cupierunt; sed tu dormitionis huius totum obtines magisterium, & vigiliarum cordis totum obtines principatum.* Ostendit inde Rupertus Virginem, licet contemplationis rerū Diuinarum somnique illius spiritualis amantissimam, excitam tamen, voce illa sponsi, eam ad lucra & conuersionem animarum incitantis: *Aperi mihi soror mea, anima mea*, euigilasse, seseque ad prædicandum Euangelium, erudiēdosque fideles accinxisse: *Aperi mihi os tuum*, prosequitur idem Abbas, *loquere prout ad confirmandum pertinet Euangelium, & in hoc optatę tibi quietis patere suspendium, vt gratum singulari pudicitiæ tuæ propter me rumpas silentium.*

Somnus B.V. indicat contemplationē.

Vita Actiua ac contemplatiua B.V. velut speculum admouenda nostris oculis, vt eam imitemur.

B.V. in somno contemplationis omnes filios hominum superauit.

B.V. post sōnum contēplationis euigilabat ad custodiendos fideles.

34. Singula porro vitæ Actiuæ, quæ Virgo nostra beatissima in beneficium omnium Ecclesiæ ordinum exercuit ministeria diffusè recenset Angelus in suo serm. cap. 19. S. Brigittæ, vbi eam *Magistram Apostolorum, confortatricem Martyrum, Doctricem Confessorum, clarissimum speculum Virginum, consolatricem viduarum, coniugatorum saluberrimam monitricem, omnium denique Orthodoxorum in fide Catholica perfectissimam roboratricem appellauit.* Nonne igitur hęc omnia motus quidem obliqui videbantur in Virgine? quæ licet altissimâ rerum Diuinarum cōtemplatione defixa esset, sēperq; directè summo amoris affectu in DEVM tenderet; illique sese adeò arctè vniret, vt idem cum ipso esse videretur: Obliquè tamen quodammodo sese ad salutē proximorum promouendam identidem impendebat, vti in sequentibus fusius declarabimus.

Quomodo B.V. vitæ actiuæ in proximos exercuerit ministeria?

35. Quid de alijs Angelorum celeberrimis illis operationibus dicam? quales sunt Purgatio, Illuminatio, atque Perfectio? de quibus magnus Dionysius cap. 4. de Diuinis Nom. *Cælestis Hierarchię*, inquit, *propria sunt; Purgationes, Illustrationes supramundanę, & Perfectionis consumationes.* Quas quàm perfectè Virgo beatissima imitata sit, easdemque ad viuum in se expresserit, in confesso est. Purgabat illa non modo precibus, suaque apud Diuinum Numen intercessione, & etiamnum purgat animas à peccatorum sordibus, verùm etiam vocis suæ sono, solo aspectu, atque præsentiâ, vti in prima parte fusius declaratum est. Quæ ministeria Maria sanctissima tanto libentius peccatoribus impendere consueuit, quanto se peccatorum beneficio, ad Diuinæ Maternitatis gloriam, dignitatemque prouectam fuisse nouit.

B.V. Purgabat, Illuminabat ac perficiebat fideles velut Angeli.

36. Quæ sola cogitatio S. Anselmū Cantuar. Archiep. cap. 1. de Excell. B. M. eiusdem Excellentiam celebrandi in spem adduxit, cum suis peccatis, vt ipse, pro sua humilitate arbitrabatur, verbis illis Isaiæ: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*; deterreretur. Vndè mox subdit: *Verum cùm recogito Sanctum Filium eius, ob hoc, vt peccatis hominum mederetur, factum esse Filium eius, non nihil spei concipio, quod vel parùm concipiendi de sublimitate tantę Matris, & Dei scilicet Genitricis, omniumque tàm Angelorum, quàm hominum Reginam, sciens videlicet illam magis propter peccatores, quam propter iustos esse factam Dei Matrem. Dicit enim bonus Filius eius, se non venisse vocare iustos, sed peccatores. Apostolus quoque testatur, quod Christus in hunc venerit mundum peccatores saluos facere, quorum se fatetur primum esse. Si igitur ipsa propter peccatores, scilicet propter me, meique similes facta est Dei Mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere poterit desperare veniam eorum, cum tam ineffabile bonum sit factum ex ea, ob curationem eorum.* Eodem vsus est argumēto, cùm ad calcem libri decurrisset, gratiæque Virgineæ plenitudinem, quam meruerat, petijsset in peccatoribus ita operari, vt per eandem æternæ vitæ beatitudinem, Diuinitatisque participationem consequeretur.

M. Facta Dei Mater magis propter peccatores quā iustos.

37. San-

37. Sanctus quoque Hildephonsus agnoscens virtutem hanc Angelicam peccata perpurgandi in Virgine Deipara longè excellentissimam, humillimè ipsi supplicauit lib. de Virgin. B.M. cap. 12. *At nunc venio ad te*, inquiens, *sola Virgo Mater Dei, procido coram te, solum opus Incarnationis Dei mei, humilior coram te sola inuenta Mater Domini mei. Rogo te, sola inuenta Ancilla Filij tui, vt obtineas deleri facta peccati mei, vt iubeas mundari me, ab iniquitate operis mei, vt facias me diligere gloriam virtutis, & Virginitatis tuæ, vt reueles mihi multitudinem dulcedinis Filij tui, vt des mihi loqui, & defendere fidei synceritatem Filij tui, concedas etiam mihi adhærere Deo, & tibi seruire Filio tuo, & tibi, famulari Domino, & tibi: Illi sicut Factori meo, tibi sicut Genitrici Factoris mei, illi sicut Deo, tibi sicut Matri Dei.* Hæc Hildephon.

Maria Purgatrix nostrorū peccatorum.

Oratio ad Mariam pro nostrorum peccatorum purgatione.

38. Crediderim hanc etiam ob causam S. Ioannem Damascenum orat. 1. de dormit. Deip. eam ardentissimæ cuidam fornaci peccatorum nostrorum scoriam excoquenti, animasque purificanti contulisse, cùm ita Mariam alloqueretur: *Te fornax illa Danielis cap. 3. designauit, quæ ignem simul, & refrigerātem, & inflammantem ostendebat, Diuinique illius Ignis in te habitantis typum gerebat.* Quemadmodum enim ea fornax tres innocētissimos illos adolescentulos non lęsit, aut contristauit, sed potiùs velut aurū puriores reddidit; sic gloriosissimæ Virginis patrocinium, animas à peccatorum sordibus emundat, inque Dei laudibus, summâ cum hilaritate celebrandis disertas, vti tres illos Pueros facit, adeo vt verè Virgini nostræ dicere possimus: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est, in te Sancta Dei Genitrix.* Fornacem purgatiuam peccatorum agnouit sine dubio Virginem, Seraphicus Bonau. cum Psal. 23. illam supplex orabat: *Vre cor meum igne amoris tui, & cingulo castitatis restringe renes meos.* Fornacem purgatiuam expertus est eandem Virginem Ioannes Baptista in vtero adhuc existens Matris, ad quem à peccati originalis perpurgandum maculâ, in mōtana, magnâ cum festinatione properauit, moxque domū Zachariæ ingressa, voce suâ, donis Spiritus S. ipsi communicatis, omni eum peccati labe liberauit, tantâque perfudit gratia, tantâ exornauit puritate, vt gestientis animi sui lætitiam, nunquam hactenùs omnibus retro sæculis auditis in vtero saltibus testaretur. Quam ob causam B. Petrus Card. Dam. serm. 23. sanctificationem hanc Ioannis, Hieremiæ longè anteponit: *Hieremiæ quidem*, inquit, *admiranda sanctificatio, quia etsi in peccato conceptus est, nascitur tamen sine peccato. Antequam enim exiret de ventre sanctificatus est; nec poterat nasci non sanctus, qui in matris vtero erat sanctificatus. Mira res, & à retro transactis sæculis inaudita, hominem conceptum in peccatis, nasci sine peccato. Ioānem verò longè gloriosior virtus impleuit, qui & sanctificatus est à peccato, & ita dominante Spiritu superfusus, vt & purgatus exeat & repletus.* Sic ille.

M. Fornax ardentissima ad excoquēdam, & purgandum nostrorum peccatorum scoriam.

Tres pueri in fornace Babylonis figura clientulorum B. V.

S. Bonauent. optat igne amoris B.V. suum cor vri.

S. Ioannes Bapt. per B. V. à peccato originali purgatus.

S. Ioannes Bapt. Spiritu S. fuit purgatus à peccato & repletus.

39. Quid porrò de Purgationibus illis dicemus, quas Virgo Beata circa animas illas vltricibus Ignis purgatorij flammis detentas exercet? Audienda est ipsa Deipara apud Sanctam Brigittam lib. 6. Reuelat. cap. 10. *Ego sum, Regina cœli, ego Mater Misericordiæ, ego iustorum gaudium, & aditus peccatorum ad Deū. Nulla etiam pœna est in Purgatorij igne, quæ propter me, non erit remissior, & leuior ad ferendum, quam aliter esset.* Quod luculento S. Brigitta cap. 21. declarauit exemplo cuiusdam Diuæ Virginis clientuli, qui quotidie eius Officium recitabat, pro quo ita intercedentem Virginem apud Filium, Dum Purgatorijs ignibus torqueretur, introducit: *Vidi iustitiam tuam, Fili mi, seueram, ad quam non loquor, sed ad misericordiam tuam pijssimam, ideò propter preces meas miserere isti, quia quotidie legebat horas meas in mei honorem.*

Cui Filius: Benedicta sis tu Mater charissima, verba tua sunt plena dulcedine, & melle dulciora, verba tua procedunt de corde, quod misericordiâ plenum est, & ideo misericordiā sonant verba tua. Iste pro quo tu oras triplicem misericordiam habebit propter te.

Primo saluabitur de manibus Dæmonum, qui tanquam corui insatiabiliter affligunt eum.

Deinde à grauiore hoc ardore transferetur ad leuiorem. Sancti denique Angeli eum consolabuntur. Adhuc tamen ex toto non liberabitur, quia adhuc auxilio indiget. Scis enim & vides omnem in me iustitiam, quodque nullus ad Beatitudinem ingredi possit, nisi tanquam aurum per ignem purgatum, mundatus fuerit.

Ideo propter preces tuas, adueniente misericordiæ, & iustitiæ tempore ex toto liberabitur.

40. Et si vero fas sit credere gloriosissimam Deiparam Virginem. in dies singulos effusissima sua misericordia ac pietate fidelium animas Purgatorijs illis ignibus expiatas, in cælum transmittere,

B.V. liberat animas à pœnis Purgatorij.

Pœnæ Purgatorij animabus per B. V. fiunt remissiores.

Officium B. V. quotidie recitans intercessione eiusdem Virginis à Purgatorio liberatur.

Filius Dei laudat Matris suæ misericordiam.

B.V. cuidam in Purgatorio detento triplicē misericordiam impetrauit.

Nemo ad Beatitudinē ingreditur nisi igne Purgatorio velut aurum expurgatus.

mittere, certis tamen quibusdam diebus vt ostensum 1. Par.D.11.num.153. D.17. n.78. impensius præstat vt Sabbato, & die suæ in cælos gloriosæ Assumptionis, quo velut Regina quępiam coronata, apertis carceribus, solutisq; vinculis captiui in signum lætitiæ liberantur. Legendus hac de re Card. Petrus Damiani lib.3.Epist.10.vbi per reuelationem Maroziæ cuiusdam fæminę constat, ea die Virgini sacra, eiusdem interuentione, tantam multitudinem animarum è tormentis illis ereptam, vt numerũ totius Romanę plebis excederet. Legendus itẽ Dionysius Carthusianus ser.2. de Assumpt. B. V. vbi duos extitisse amicos scribit, quorum alter cum vita esset functus, fassus est alteri, lacrymis se assiduis conficienti, Beatissimam Virginem Mariam singulis annis festo Natiuitatis Christi die, ad purgatorij loca descendere, multasq; inde animas eripere, vti & in die Resurrectionis Dominicæ, eo quod Christus nocte illa sanctos de limbo eduxit; rogasse proinde socium, vt pro se cum lacrymis preces funderet ad Virginem, quo eius intercessione, nocte illa Resurrectionis purgatorijs ignibus eriperetur; quod & factum fuisse asserit.

Quibus potissimũ die bus B.V. animas e Purgatorio litera e consueuit.

B.V. animas è Purgatorio liberat in Natiuitate, & Resurrectione Christi.

41. Quocirca rectè admonet B. Petrus Cardinalis Animas Purgatorijs ignibus cruciatas orationibus, addiderim ego, ad Deiparam potissimum directis, & Missæ sacrificijs de eadem Virgine misericordiæ Matre celebratis, adiuuandas. Sic enim ille serm.59. qui est de S. Nicolao, vbi cum præmisisset nec pro illis, qui in cælo, nec pro illis, qui in Inferno sunt orandũ, mox subtexuit: *Pro illis tantum vigilandum est in orationibus, subueniendum sacrificio singulari, qui locis Purgabilibus emundantur, vt benignus Pater pœnitentiam eorum in satisfactionem, satisfactionem in glorificationem cito cõuertat. Curre iterum per istos intuitu pietatis, & fac sarcinam tuam, affectum compatiendi.*

Purgatorij animabus subueniendũ precibus ad B.V. directis, & sacrificijs matris.

42. Fecerat sibi sarcinam hanc affectus compatiend animabus illis Purgatorijs ignibus cruciatis B. Magdalena de Pazzis ord. Carmelitani illustre Sydus, vt scribit Vincentius Puzzinis Par.2. vitæ cap. 13. Quæ Sancta Virgo quia pœnas illas mirificè penetrauit, libet hic illas penitius describere:
Hęc igitur cũ aliquando alienata à sensibus, animam sui fratris vltricibus illis flammis Purgatorij afflictam vidit, ex qua cum intellexisset suis precibus, & tempus quo vstulari adhuc debebat abbreuiatum, & pœnas ipsas mitigatas, pro ardentissima illa sua qua erga omnium mortalium animas ardebat charitate, cæpit denuo calentissimas preces ad Deiparã, aliosque sibi deuotos Cælites preces effundere, vt anima illa quantocyus ab omnibus illis cruciatibus liberaretur. Inter has preces exclamare audita est: *O quantum Deus meus tuã Maiestatem orare debemus pro animabus illis miseris, quæ ad te videndum ac fruẽdum anhelant, & pro illis etiã, quæ separari volunt à te.* Hæc vbi dixisset, visis Purgatorij pœnis rursus in voces illas erupit: *Totum illud circuibo;* Purgatoriũ videlicet quod illi erat ostensum. Atque ita extra se posita totum Hortum in quo versabatur circuire cæpit duabus horis continuis: subinde subsistebat vt attentius pœnas cuique vitio præparatas singillatim contemplaretur. Complodebat manus ex pietatis, & commiserationis erga illas affectu, vultus expallescebat; incuruata incedebat ex animi anxietate, quam, visis illis tam atrocibus tormentis experiebatur. Huiusmodi denique doloris sui edebat signa, vt qui eam intuebantur, exterrerentur. Subinde dolenti lugubrique clamore iterabat: *O pietatem, pietatem, ò misericordiam, misericordiam. O sanguis descende, descende, & hasce animas libera. O paupercule, quæ tantum patimini, & nihilominus estis ita hilares, ac contentæ. Omnia martyrum tolerata supplicia sunt ad instar amœnissimi viridarij, respectu eorum, quæ in Purgatorio exantlantur. Beatam me crederem si ego profundius non descenderem.* Intuebatur quoque quanam ratione excruciarentur Religiosi nonnulli. Vnde cum aliquandiu inambulasset, gressum stitit, & ex imo corde librato suspirio, altâ voce in verba illa prorupit: *O bene Religiosorum Deus, & in hisce pœnis heu reperiuntur illi!* non explicãdo supplicium, quod illi patiebantur. vnde præ horrore nimio illarum pœnarum ad singulos pœnæ passus ingemiscens suspirabat. Vidit præterea animas hasce penes se Angelum custodem habere, ex cuius aspectu, sicut maximopere confortabantur, ita contra ex Cacodæmonum truculenta facie supra modum affligebantur. Inde inquirendo, vbi nã ipsius fratris versaretur anima: *Vbi locorum est,* inquiebat, *illa tãtopere à me dile-*

B. Magdalena de Pazzis orat B. V. aliosque Cælites suos Patronos, vt animam Fratris liberent ex Purgatorio.

B. Magdal. quantos dolores experta visis Purgatorij pœnis.

Optabat vti sãguis Christi ad Purgat. descenderet, & ablueret animas.

Omnia Martyrum tormenta sunt Hortus amęnus respectu Purgatorij.

Quanta patiuntur Religiosi?

Animæ in Purgatorio habent penes se Angelum Custodẽ consolatorẽ.

dilecta, mihique coniuncta: quam vbi vidiſſet, dixiſſe fertur: *O te pauperculam! tanta tanquam grauia pateris, & tamen & hilaris! Vreris, & es contenta. Sed contra fœlicem, & beatam te, ſiquidem pœnæ iſtæ ad tum grande inenarrabilemque gloriam te conducturum ſunt; & beatam me ſi aliud nihil mihi patiendum foret! Ergo hic ad finem tuarum culparum perpurgandarum imponendū, ſubſiſte.* Poſt hęc cum aliquantiſper inambulaſſet, ſignū manifeſtum, ac ſi longè maiores cruciatus intueretur edidit. Vnde aiebat: *O quam horribilis eſt locus hic Cacodæmonibus tam terribilibus, adeoque informibus pœnisque intolerabilibus, tantopere refertus! Et qui ſunt tandem hi tam aſperis mactati ſupplicijs. Siquidem acutiſſimis cultris, ac gladijs à latere in latus penetrantibus transfiguntur, ac deinde crudeliſſimè in minutiſſima fruſta conciduntur.* Retulit poſt illam exſtaſin Animas illas tam acerbis pœnis excarnificatas, eſſe Hypocritas; addiditque animas illas, quæ viciniores ſunt Inferno quales sũt Hypocritarum, amplius de illo horribili eius ſtrepitu, dentiumque ſtridore participare. Sed vbi vlterius progreſſa eſt vidit ingentem animarum multitudinem, quæ pondere quodam intolerabili opprimebantur, & hæ erant totæ contuſæ, macieque confectæ, quas intellexit eſſe inobedientium, atque impatientium. Res ſane fuit admiratione digniſſima intueri actiones, ac geſtus quos hæc Virgo faciebat, dum eas pœnas conſideraret, ſiquidem caput ſubinde in terram vſque pene inclinabat, & modo in hanc, modo in aliã partem oculos intentè defigebat, modo conſtringebat humeros ex commiſerationis affectu. Vnde vice quadam vehementer ac incredibiliter conterrita cæpit auxilium ſubſidiumque cælitus implorare. Sed vbi tantiſper ſilens conſtitiſſet, plena admiratione, ac ſtupore, oſtenſæ fuere ipſi pœnæ atrociſſimæ mendaciloquorum, quas vbi conſpexit, cæpit altâ voce dicere: *Etiam mendaces penes Infernum collocati ſunt, & admodum excruciati, immiſſo in ipſorum ora liquefacto plumbo, quo hauſto, & ardere ſimul, ac tremere videbantur.* Vidit etiam illos qui ex humana fragilitate aliquando peccarunt, dixitque: *Heu mihi credebam ego, quod vos, qui per fragilitatem peccaueratis, eſſetis ad locum ignorantium deputati, licet ceterorum reſpectu modicum quid patimini, nihilominus tamen eſtis ardentibus flammis circumdati.* Inde cum vidiſſet Auaros, ait: *Hi qui in terris numquam ſe diuitijs expleuerunt, explentur iam tandem pœnis tam horribilibus.* Ad inſtar plumbi liquefiunt, ſed hic ipſorum pœna minime terminatur, ſiquidem rurſus in integrum reſtituti, beſtijs ad deuorandum exponuntur. Penes hos, impuros, atque immundos conſpexit, qui erant in locum admodum fętidũ deſtinati, ad quos conuerſa: ita ipſos fuit allocuta: *O vos immundi en vobis locus.* In hac conſideratione cum modicum ſubſtitiſſet, & ſuperbos, atque ambitioſos fuiſſet conſpicata, ſubiunxit: *En illos, qui in mundo honores, ac magna famulitia ambiebant, & iam ſunt in hac obſcura nocte tantopere afflicti.* Defixit poſtea in ingratos atrociſsimè punitos ſuam conſideratione, dixitque: *Hunc planè locum ò Domine, mihi promerita videor, ſiquidem ingratitudo fontem pietatis exſiccat.* Videbat hic animas in centro quodam profundiſſimo, ad inſtar lacus plumbi liquefacti, in quo erant demerſæ. Oſtenſi ei deinde fuerunt illi, qui aliquibus vitijs particularibus non erant obnoxij, ſed tamẽ de omnibus aliquid participabant. Vnde videbat eoſdem etiam de omnibus pœnis participare licet non tam intenſis, quales ſunt eorum quibus huiuſmodi vitia fuere propria. Poſtquam denique pœnas Purgatorij videre deſijt, tertia hora noctis ex horto exiuit, & adhuc durante mentis illo exceſſu à Domino IESV petijt, ne amplius tam grandia Purgantis ignis ſupplicia ſibi oſtenderet, quia eius cor vltra, ea intueri non inclinabat. Et proſequendo ſuum cum IESV colloquium: *Eia*, inquit, *refer mihi IESV mi, cur mihi hoc veſpere viſionem hanc contuliſti, ſiquidem prius hoc ego lumine fui deſtituta, nec vnquam hæc ita penetraui? Forſitan vt meo deſiderio ſatisfaceres, & ſcirem vbinam anima mei fratris moraretur, vel vt maiori cum feruore pro animabus illis tibi ſupplicarem? Ita, ita, hæc omnino eſt cauſa; & inſuper vt penitius puritatem tuã agnoſcerem, & odio proſequerer illud quod ſpōſa tua Catharina tantopere oderat, nempe peccatum virtuti omnino contrarium.* Poſtquam vero oſtendit IESVS, ei tempus, quo eius fratrem ad beatitudinem ęternam erat vocaturus, dixit: *Fiat, hoc ò Domine quando tibi placitum fuerit: O felicem te dilecte Frater, ſiquidem quantocyus liberaberis, & licet grandes, ac indicibiles ſint pœnæ tuæ, non ſunt tamen condignæ ad futuram inenarrabilem illam, incomprehenſibilemque gloriam tibi in cælis præparatam.* Intellexit deinde, pluri-

Animæ Purgatorij lętæ.

Hyppocritarum pœnæ.

Pœnæ Inobedientium, & impatientium.

Mendaciloquorum pœnæ.

Pœnæ peccantium ex fragilitate.

Pœnæ Auarorum.

Immundorũ pęnæ.

Ambitioſorum pęnæ.

Ingratorum pęnæ.

Sumpta Eucharistia est suffragium animarum Purgatorij.

plurimum auxilij ac solacij animabus illis conferre Eucharistiæ sacramenti in ipsarum suffragium perceptionem. Cumque ex bono IESV quæsijsset, quid faciendum esset illi, qui tam atroces pęnas euadere desideraret? alta voce edixit: *Oportet totaliter ex toto se semetipsũ expoliare, & te mi Domine induere. Oportet purâ ac syncera semper intentione ambulare. Et væ illis, qui aliam intentionem habent, quã tibi seruiendi, teque honorandi, animę suæ salutem promouendi.* Obtulit denique sanguinem immaculati Agni pro omnibus animabus Purgatorij. Referebat porro quod in his supplicijs tam horrendis contemplandis, fuerit suo Angelo Custodi, S. Catharinæ Senensi, & S. Augustino sibi deuotis associata, quia absque horum Sanctorum pręsentia, ac cõfortatione ægrè admodum tot tantaque tormenta videre potuisset. Hęc ipsius vitæ Auctor sacerdos religiosissimus, fideque dignissimus. Ex quibus intelligere possumus, quod si Virgo hęc pro sua in proximos charitate, & consideratione tam enormium Purgatorij tormentorum, ex intima cordis commiseratione, tam ardentes ad DEVM preces fundebat, preciosissimumque IESV Christi Agni immaculati, in illarum animarum expiationem, atque ablutione sanguinem offerebat; quanto magis Virgo nostra Virginum omnium Regina Sanctissima, pro effusissima illa sua, qua omnes complectetur beneuolentia, optatq; omnes suæ pietatis, ac misericordiæ recondi visceribus, quanto, inquam, magis ex clarissima illa Diuinæ Essentiæ contẽplatione pro illis Filium deprecabitur, eundemque roseum Christi sanguinem in scelerum humanorum solutionem Deo Patri consecrabit, deque meritorum Filij, suorumque thesauris preciũ pauperum animarum illarum redemptionis depromet, efficietque, vt copiosa sit illarum apud DEVM Redemptio.

B. Magdalena videndo pœnas Purgatorij ab Angelo Custode S. Cath. Senensi, & S. August. & confortata.

B. V. meritis diues vt nos à Purgat. ergastulis eripiat.

Neque .n. cogitandum est Dei Matrem pauperem esse, quæ lytrum pro pauperculis illis animabus ex opulentissimo suorum meritorum thesauro depromere nequeat. Hæc enim vox; *Pauper* nescio quid horroris animis clientulorum B.V. addictorum videtur incutere.

43. Exhorruerat olim vocem hanc Guilla Marchionissa, vt refert B. Petrus Cardinalis Damiani lib. 7. Epistol. 14. scribens ad Beatricem Gothifredi Ducis Tusciæ vxorem; Postquam enim varijs exemplis ad pauperes subleuãdos, aliaque pietatis opera exercenda vtrũque fuisset exhortatus, hæc addit: *Noli Domine mi, noli sicut plerique sæculi potentes, Ecclesiastici iuris confiscatione ditescere, sed stude potius Ecclesias tenues prædiorum suorum collatione ditare. Da terram, & tolle cælum, possessiones transitoriæ transferantur in titulos hereditatis æternæ. Dicam sane quod mihi retulit Rector Cœnobij B. Floræ, & Lucillæ in Aretino territorio constituti: Videsne, ait, Basilicam prope adstantem? illic scilicet iter erat nobis euntibus: Hæc vulgo S. Maria Pauper antiquitus vocabatur. Cumque contingeret, vt Guilla Mater egregij Marchionis Hugonis per confinia ista transiret, accidit etiam vt huius Ecclesiæ vocabulũ ad eius perueniret auditũ, quam mox vt nobilis mulier audiuit, indignata nimis, & quasi nauseando fastidiens: Absit,* inquit, *absit, vt eam vocemus Pauperem, quę cælestis gloriæ genuit largitorem, absit, inquam, vt in terra Pauperis sit digna vocabulo, quæ super Angelos eleuata, diuitias possidet immortales in cælo. Ac protinus intulit: Estne mei iuris hic vlla possessio? Cui responsum est; quod haberet ibi villam, nouem quidem mansionibus, ex antiquo more distinctam, quæ postmodum iuxta modernam consuetudinem in plurimas est diuisa. Hanc, ait, continuo iure Ecclesia ista possideat, eamque de cetero nemo Pauperem vocare præsumat.* Hæc Dam.

S. Maria pauper non est vocanda.

Guilla Marchionissa ditat Basilicam B. Virginis.

Cũ igitur Dei Mater gratijs, donisq; cęlestibus sit opulentissima, & ipsa sola plus meritorum, quam omnes Sancti simul sumpti, in Thesaurum Ecclesiæ intulerit, confidendum nobis est, ipsam pro innata sibi pietate eas animas, quæ Purgarijs ignibus expiantur copiosissimè redempturam, omnique vel leuissimorum peccatorum scoriâ expurgatas, in beatam illam, æuiternamque quietem, ac fęlicitatem translaturam. Atque ita otensuram se quoque ministerium illud Angelicum, quod est Purgare, etiam in Purgatorijs ergastulis, summo cum pietatis affectu exercere.

44. Quod quanam ratione præstet Virgo Deipara, eadem B. Magdalena de Pazzis præclarè expressit, cum in quadam cõtemplatione à sensibus abstracta pro toto S. Ecclesiæ statu ad Incarnatum Verbũ preces fundebat, quæ cum ad animas in Purgatorio igne detentas commendandas venisset censuit eas preciosissimo eius sanguine, & Matris eius purissimo lacte refrigerari, vt habetur in Part. 4. eius vitæ cap. 23. vbi

Sanguis Christi, & lac B. V. purissimum pro animabus Purgatorii offerendum vt refrigeretur.

in illa sua ecstasi ita cū Incarnato Verbo locuta fuit; *Iam o amabile Verbum, quia multum operæ Impendendum foret in regenerando, & renouando sanctæ tuæ Ecclesiæ corpore, ideo vltra non progrediar, sed ibo dumtaxat ad illas Purgatorij animas, quæ sunt quasi quodam conclusę carcere. Verum fęlicem illum, qui ad eum vadit locum, & fælicem quoq; me si infra illas non descendero. Et quia omnes S. Ecclesię status suo ęterno Patri, & te quoque ò Verbum obtuli, statum hunc iam tibi offerre volo peculiariter ò Verbum purissimum, quia tu es Ostiarius ingentis illius cęli Palacij. Et quid tandem pro animabus hiscé tibi offeram ò Verbum? O offeram tibi candidum ac rubicundum, rubicundum, & candidum lac Mariæ, eruntque mammillæ eius ad instar duorum fontium, lacte scaturientium, quod ad Illas Animas benedictas penetrabit, illasque ab atrocibus flammis refrigerando, ac recreando, & simul nutriēdo, sitim earū ardentissimā, qua assidue æstuant te videndi, temperabit. Et tu quoque ò Verbum Incarnatum transmittendo ad easdem illas animas tuum Sanguinem, ipso eas exornabis, ipso eas ad te attrahes, vt de illis dici possit. Et procidentes adorauerunt eas dicentes: Istæ sunt dignę accipere aspersionem Sanguinis Verbi. Sanguis iste tuus perinde benedictas illas venustat animas, ac Ver pulcherrimū varijs floribus, frondibusque varijs terrā decorare consueuit. Lætabitur Iustus cum viderit iustitiam, lætabitur sponsa cum viderit aspersionē Sanguinis Verbi sui. O te, oh, oh quam mi dulcis sponse Verbum, benignus es.* His dictis, signa quędam edidit, quibus indicabat, ob illam Virginei lactis, purissimique Sanguinis Christi factam oblationem, se videre animas aliquas è Purgatorijs carceribus egredientes ad terram viuentium, bonis Domini fruituras, proficisci. Vbi obseruandum, cum dicitur, lac B. Virginis purisimā animas Purgatorijs ignibus cruciatas refrigerare, ita intelligendum esse, quod animæ illæ meritis Deiparæ, quæ in thesaurum Ecclesiæ, pręclarissimis suis actionibus, ac ijs potissimum, quas in lactando Dei Filio, intulit, mirificè benedictas illas animas recreare, earumq; flāmas atrocissimas efficacissime restinguere.

Sāguis Christi animas Purgatorij tanquam ver terram floribus, venustat.

Quemadmodum enim merita Sanctorum Martyrum, reliquorumque Cælitum, imo, & Iustorum Viatorum ignē illum acerbissimum attemperant, leuioremque reddunt: Sic & multo magis, absque comparatione vlla Virginis Matris DEVM tanta cum charitate lactantis ac nutrientis. Hinc Cant. 7. eius Vbera Botris, à sponso comparantur. Quod Vberum Diuinæ Matris elogiū explicans Cardinalis Halgrinus ita loquitur: *Vbera Botris assimilata sunt, in quo mirabilis prærogatiua merendi demonstratur in Virgine, quæ non minus meruit sumendo lac de Vberibus suis ad nutrimentum Filij, quam Martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo Sanguinem suum in Martyrio. Omnium enim operum merces secundum radicem charitatis pensatur.* Cum igitur in Virgine, summa, atque incomparabilis, ipsorum etiam Seraphinorum dilectionem, transcendens charitas fuerit, quid mirum si charitatem, meritaque Martyrum omnium transcendat, & lactationis suæ preciosissima mercede flammarum incendia in Purgatorijs illis ergastulis mitiget?

B. V. lactando Filium plus merita, quam Martyres patiendo.

Martyres sunt Botri.

45. Neque vero solum benignissima Dei Mater suis apud Filium patrocinijs, ac precibus animas illas purgat, igneisque carceribus liberatas in celeste domicilium transfert, verùm etiam pijs operibus, ipsius cultum, ac venerationem promouētibus, qualia sunt eius imagines ac statuas erigere, populoque venerandas proponere, &cet. Ad quod comprobandum celebris est Spiritus illius apparitio, qui se Virgini cuidam honestæ, Regina Fischerin dicebatur, visendum An. 1641. 24. Iulij ad Posonium Hungariæ vrbem exhibuit. Spiritus ille porro fuit anima Clementis cuiusdam Cuespenpaur dicti, qui acceptâ 200. florenorum, infami merede a quodam, homicidium perpetrarat, quem postea cum facti pœnituisset, & tam graue crimen exomologesi expiasset, votoque se adstrinxisset in honorem B. V. Imaginem eius dolorosam exculpi curaturum, nec tamen votum hoc adimplesset, ex hac vita decessit, ignibusque Purgatorijs fuit addictus. Ibi cum acerbissimè torqueretur, Virgini illi Reginæ sæpius apparuit, rogauitque in tantis pœnis auxilium; *Filia mea* inquiens, *per amorem Dei rogo te, vt vxorem meam adeas, quæ tibi ducentos Florenos pendat, eo quod pecunia illa, summa sit sanguinis:* Addit præterea se adhuc dū in viuis esset vouisse Deo Imaginem B. V. dolorosæ, idest, Filium è Cruce depositum sinu gestantis, in primario Vrbis Templo locandā; tria insuper sacra, 12. cereos, & eleemosinam aliquam pauperibus erogandam. Cum Virgo tergiuersaretur, putans sibi impo-

Quidam etiā post Confessionem expiatum homicidium, igne Purgatorij cruciatur.

Cruciatur quidam in Purgatorio quod voto promissam imaginem B.V. fieri non curarit.

imponi, rursus inter horam noctis 11. & 12. redijt Spiritus, rogat per DEVM adeat vxorem, obtestaturque rem vt maturaret, se enim grauissimis torqueri supplicijs. Cum illa abnueret, peteretque sibi quietem dari, respondit Spiritus: *Non te deseram donec rem confeceris, quocunque, & quantumcunque fugias, insequar*. Pergitque rursus obtestari, illa promittere, hic damnare moram, & vrgere. Hæc cum in vulgus emanassent, reuersus est ex Hungariæ Proceribus nonnemo, qui proprijs sumptibus ad animam illam liberandam effigiem hanc exculpi demandauit. Itaque cum Statuarius iam esset conductus, isque egrederetur in quandam conuallem, & cogitabundè, anxièque materiã aptã inquireret, repẽte adstat in biuio quodam Senex, bacillo innitens, canis capillis, incuruo dorso, vestitu, & ore planè simili, quo postea intellexit Clementem fuisse, cum hic percontaretur; *Amice cur, & quorsum pergis?* Respõdit statuarius: *Tiliam quæro statuæ formandæ Virginis dolorosæ, verum ob paruitatem, vel ob humorem nimium nulla operi quadrat. Tum Senex: Perge amice mi ad dexteram partem huius conuallis, tiliam reperies, quatuor ab hinc annis recisam, operi tuo percommodam.* Itaque lætus domum reuertitur, & ecce in hospitio comparet rursus Senex ille, eo vultu, reliquaq; forma, qua prius Arborem designarat. Cum porro ad statuam hanc vir ille primarius, vti diximus, efformãdam sumptus dare vellet, anima Clementis rursus se Virgini ostendit, edixitque statuam illam non alieno ære, sed defuncti rebus, quæ superessent confici oportere, si quidem precium istud esset sanguinis, vt ante significarat, quod nimirum eo precio cõductus hominem interemisset. Addidit insuper se suum quidem flãgitiũ sacrâ Confessione eluisse; verum quod à Confessario minorem crimine pœnam accepisset, luere se etiam nunc grauissimas pœnas, atque exsolui eas oportere. Sculpitur ergo ex precio illo sanguinis, hæc statua dolorosæ Virginis, & iam elaborata ad domum Virginis defertur, & penes ipsius Altariolum pietatis causa erectum, collocatur cũ crumena ducentorum florenorum.

Spiritui Clementis iam sculpta placet B.V. statua.

Cum ecce ea nocte rursus adest Spiritus, eamque statuum sibi beneplacere Virgini asserit. Tum Virgo Crucifixi simulachrum varijs Sanctorum lypsanis exornatum, quod in altariolo habebat offert Spiritui ex osculandum. Mox exosculatur ille, & quidem maiori religione, quam petebatur; tertio enim osculum fixit; simulque effigiem ipsam abstulit, detulitque ad statuam Virginis Dolorosæ, atque intra Christi brachium dextrum, latusque vulnere fossum, aptè, decenterque collocauit. Præterea stolam, quam capiti Puellæ, ipsâ nesciente Sacerdos supposuerat, surripit, eaque ornat eandem statuam, & æqualiter hinc inde collo adaptat. Denique cereum benedictum ex Altariolo acceptum, in Christi pede dextero, vbi vulnus hiat, aptè componit.

Spiritus Clementis ornat statuam B.V.

Interrogatus de pecunia 200. florenorum, quæ presto erat in loco, quid eâ agi vellet? Disertè respondit; Impendi debere, duodecim quidem Imperiales in Eleemosynas; partem aliquam in solutionem statuæ, Missarum, Cereorum, de reliqua ipsa suo arbitratu disponeret. Porro etsi signa varia Spiritus ille ediderat, vt impresſã manum in linteũ, & tabulam in quibus ignitæ manus remansere vestigia; literarum item tribus prioribus digitis apprehensarum adustionem, &cęt. tamen quod multi necdum ei fidem haberent, importuna Virgo alterum deposcebat.

Negauit Spiritus sibi iam plus concedi: addit tamen ipsis à Deo signum datum iri. Cum Virgo Confessarij sui nomine illum vlterius vrgeret: Tum Spiritus: *O DEVS meus! quam multa signa à me exigitis; hoc tempore plura non possum*. Simulque Puellum monet, vt bono, securoque sit animo, fore, vt die Sabbati proximo non amplius horrificâ specie, sed niueę Columbæ instar ei appareret. Tum sacerdotibus, qui aderant hæc audientibus eo sono vocis quo viuens Clemens audiebatur, in illa verba erupit: *O Deus meus, Dominus meus! tu es meum solatium, & mea fortitudo, meum refugiũ, & spes mea, iam tandem ingredior æternum beatitudinem;* aliasque eius generis preces suspirãdo, ac sublacrymando subiecit. Cui Sacerdotes quasi choro altero illud accinuere: *Omnis Spiritus laudet Dominum*. Respondit ille; *Ita, & ego quoque*. Dum pergunt illi pro Defunctis deprecari solenne illud: *Requiem æternam dona ei Domine; Miserere ei Domine; Parce ei Domine*. Respondit Spiritus ternâ vice: *Amen, Amen, Amen*, Cũ Virginis Cõfessarius esset Soc. IESVS adiurãdo Spiritũ obte-

obtestaretur, vt iterum manifestũ aliquod signum efformaret, ac imprimeret, subiecit. *Nimis multa signa petitis, nonnè satis multa dedi?* Cum obijceret Sacerdos, Aduersariorum causâ id peti, qui credere necdum vellent. Subiũxit Spiritus: *Si credere Hæretici nolunt, DEVS aliquando dabit illis signum. qui credere vult credat, DEVS est meus testis, DEVS est qui dat signa. Nonne in Collegio habetis sufficientia signa? Plura signa edere DEVS me prohibet.*

Pollicetur Spiritus ijs qui pro illo orarunt, à Deo mercedem se impetraturum.

Illa porro signa, erat Asser, & Mantilia manu Clementis inusta, &c. Edidit ad extremum vocem hanc lacrymabilem: *O quanta tormenta sum passus.* Addiditque: *Ago maximas gratias illis, quicumque ad hanc rem me iuuerũt; recipient à Deo, & à me mercedem.* Iam aderat dies Sabbati, quo alias docuimus B. Virginẽ, vtpote die sibi sacro, animas è Purgatorio liberare consueuisse, & ecce tibi sub meridiem Spiritus, vti supra dixerat specie Columbæ candidissimæ comparet; simulque (rem miram.) Beata Virgo Deipara cum quatuor Angelis in luce clarissima sese visendam exhibet, qua Puellæ oculi præstringebantur.

Spiritus à Purgatorio liber specie Columbæ apparent.

B. V. cum Angelis animã Clementis in cælum comitatur.

Iubet mox Spiritus, vt Puella manus in primis cælorum Reginæ, tum adstantibus Angelis porrigat, idemque faciant ceteri, venerationis causa. Neque Cælites hoc reuerentiæ genus sunt dedignati. Puellæ enim visi sunt manus quoque suas admouisse. Interim insonuit hora diei duodecima; & ecce tibi Spiritus ille beatus triumphanti similis: *En, inquit, isti Angeli me accersunt, vt inducant in æternã beatitudinem.* Spectabat abeũtem Puella; præibat Cælorum Imperatrix, sequebantur quatuor Angeli habitu candido, Clementisque animã specie Columbæ per fenestram in cælum efferebant. Et quia à quibusdam literæ quædam spiritui per Puellã præsentandæ, erant exhibitæ, quibus non nulla pro bono communi Imperij, Imperatoris, & Catholicæ Religionis, continebantur, Spiritus, mox auolaturus Virginem monuit, Angelum aliquẽ die Iouis sequenti ad literas responsurum. Quod & factum; Respondit enim, *DEVM tentandum non esse, facturum, quod rectum est cum Cæsarea Maiestate.* Longum foret recensere singula, quæ in hac actione contigerunt. E multis paucula delibare sufficiat, quæ Virgo illa recensuit. Aiebat enim sibi visam fuisse ab Angelo manu dextera deduci in campũ longè, latèque patentem, atque ipsa solitudine horridum: ibi voraginem profundam verè Infernalem conspexisse, in qua varij, varijs supplicijs ignium afficiebantur. Erat, inquit, flãma subnigra, & subflaua, sulphurea, & picea fœtorem exhalans. Nonnulli capacibus cacabis coquebantur, aderant enim illic ollæ plurimæ, ex quibus sulphur, pixque ebulliebat, hominum dãnatorum plenæ; ex ijs nonnulli instar candentis ferri ignescebant. Dęmones ex ahenis extrahebant sontes illas animas, sursumque eductas, rursum præcipitabant. Innumeri in medijs ignibus sese volutabant, cum neque surgere, neque omnino quiescere va erent.

Ostenditur Puellæ ab Angelo Infernus, eiusdemque supplicia.

Libidinosorum pœnæ.

Plurimi per aures, & fauces eructabant flãmarum globos; pars immẽsa vtriusque sexus libidinum, vt Angelus referebat, rea, & damnata iacebat, ex quorum lectis flamma vehemens exundabat. Aliqui libros tenebant manibus, & inter legendum ardebant; alij vero literas, Pecuniarum saccos calcando, vociferandoque: *O pecunia sanguinea.*

Ostensum ab Angelo Puellæ Purgatorium eiusque pœna.

Post hæc ignem quoque vidit Purgatorium eodem raptu, monstrante eodem Angelo, longè Inferorum pœna mitiorem. Quisti hic erant manibus protensis precantium more, auxilium implorabant, dolorisque sui indicia proferebant. Nonnulli solo digito, pede, manu, aliaué corporis parte ardebant, gemebant; alij flammis toti immersi: quæ pars flammis circumfessa erat, nigerrima; quæ pars flammæ erat expers, candidissima apparebat. Denique in cælum mente abrepta conspicere sibi visa est innumerabilem, Angelorum, & Sanctorum inter cantus suauissimos lętantium multitudinem, quos inter Animam Clementis, monstrante Angelo, non iam in Columbæ, sed in hominis candidissimi specie, ante thronum Dei flectentem aspexit. Tanta luce circumfulsere omnia, vt intueri vix posset. Tum illa Virgo: *Orent etiam pro nobis.* Respondit Angelus: *Omnino orabo pro vobis.* Hęc ex Narratione illa rei mirabilis ad Posonium gestæ, ex iuratis Testibus, actibusque publicis decerpta, & auctoritate Archiep. Strigonicensis confirmata, atque euulgata. Ex qua clarè cognoscimus Deiparam Angelico illo Purgandi animas à peccatis etiam in Purgatorio, fungi consueuisse ministerio, erga illos præsertim, qui

Ostensa eidẽ cælestis gloria, & anima Clementis in cælo, ante Thronum Dei.

eius

eius cultura varijs pietatis operibus, vti eius siue pingendis, siue exculpendis, erigendisque Imaginibus ac Templis operam suam impendunt, & ex hac vitâ peccatis per exomologesin expiatis decedunt.

B.V. in liberandis de Purgatorio animabus imitanda.

46. Quæ sane benignissimæ Virginis, erga animas Purgatorij tam ardens charitas, singularissimaque commiseratio omnes merito ad opem illis varijs pietatis operibus, ac suffragijs porrigendam inflammare deberet, tū quia vel in hoc Dei Matrem imitari nobis admodum gloriosum est, tum quia Sāctarum illarum animarum nobis gratiam mirificè demeremur, easdemque ad nobis benefaciendum, vbi cælo receptæ fuerint, adstringimus. P. Martinus de Roa noster libr. de statu animarum varia ad rem hanc confirmandam pertractat exempla. inter quæ illud sane est celeberrimum, quod recenset capit. 22. de Eusebio Duce Sardiniæ, qui Deiparam in pio hoc erga animas Purgatorij affectu imitatus, multis bonis, gratijsque locupletari meruit. Cum .n. deuotus Dux præter decimam suorum redditum, quam in eleemosynas, orationes, ac Missas defunctis destinatas erogabat, haberet vnam ex melioribus suis Vrbibus, quam vocare solebat Vrbem Dei, quod quicquid inde vectigalium, & emolumentorum caperet, totum vel in pauperum sustentationem, vel animarum Purgatorij impenderet liberationem. Et prædicta illa Dei vrbs ab Ostorgio Siciliæ Duce ob certas discordias illi erepta esset; indoluit ereptionem hanc Eusebius, certusque eam sibi, suisque defunctis vindicare, militem coegit, sed longè hostili inferiorem. Ob quod cum trepidarent Sardinienses, adfuit in optima causa è cælo auxilium. Excubiæ enim nihil minus opinantes vident equitum floridam cohortem; vestis omnibus candida, vexilla niuea. Eusebius timorem inter, & spem quatuor leuis armaturæ equites expedit qui explorent, qui & in quorū auxilium veniant. Totidem à noua cohorte obuiam procedunt, inter mutuam, & amicam salutationem, iubent magno animo Ducem Eusebium esse, se venisse in eius auxilium. Ordinet, aiebant, ille quantocyus suas copias, & nos sequatur: breui & Vrbem, & hostem ipsius dabimus potestati. Conuētum est, & processum. Ostorgius ad conspectum insperati Hostis qui 40. millium aciem ostentabat, exanimatus priusquam belli aleam experiretur, exploratores emisit, qui quærerent, contra quem ea arma pararentur? Quibus responsum est, Esse militiam Dei, cuius Ciuitas ab Ostorgio, per vim detineatur. Iubere se, vt eam Domino suo restituat, aut sumpturos se, de Prædatore vindictam. Accepit Ostorgius imperata, reddiditque Eusebio, & Vrbem, & se captiuum. Tum conuersus ad incognitos milites Eusebius, qui essent, inquisiuit. Responderunt: *Nos sumus animæ, quę per te à Purgatorij flammis liberatæ, nunc fruimur Deo. Modo cum se occasio obtulit gratos in te ostendere nos voluimus. Progredere in tam pia causa. nam animæ vicissim pro tua, tuique Ducatus incolumitate precantur.* Fecit quod petebatur, & maximis se semper beneficijs cumulatum per omnem vitam sensit.

Mira Eusebij erga animas Purgatorij liberalitas.

Vrbs Dei tota impēsa eleemosynis pro animabus Purgatorii.

Animæ Purgatorii pro Eusebio pugnaturæ ad bellum veniunt.

Ostorgius licet 40. millibus fotus esset animarum exercitu cōsternatur.

47. Simile quid narrat P. Hieronymus Gratianus Carmelita, Tractat. de Iub. P. 1. cap. 15. de Hispano quodam ciue Valisoletano, qui misericordiam B.V. in iuuandis animabus Purgatorij æmulatus, noctu solitus erat exire, crebro ad Cæmiterium Templi B.V. in eoque semper magnâ cū deuotione Orat. Dominicam, salutationemque Angelicam recitare pro defunctis. Aliquādo sic precanti superuenere inimici, & vero euaginatis gladijs hominem interemissent, nisi eodem momento accurrisset exercitus armatorum in auxilium precantis. Quo territi sanguinarij illi profugere, & illum animarum gratitudinem pro se defendendo in tanto discrimine admirantem, dimisere.

Quidam dū in cæmiterio pro animabus Purgat. orat, & ab eisdem contra suos inimicos defenditur.

48. In eodem affectu erga animas Purgatorij iuuandas imitata fuit Deiparam S. Teresa Virgo, quæ vti ipsa vitæ suæ cap. 38. scribit vt audiuit quemdam sui Ordinis demortuum Prouincialem, mirum in modum turbata fuit, *quia de salute eius metuebam*, inquit illa, *viginti quippe annis Superiorem egerat; quam ego certè rē valde timeo; nam mihi per quam periculosum videtur animarum regimen habere. Itaque magno cum pauore me intra quoddam Oratorium abdidi, omniaque bona opera, quæ toto vitæ tempore vnquam egeram, (quæ sane parua admodum fuere) in illum transtuli. Vnde Dominum rogabam vt per sua merita adimplere dignaretur quod animæ illi, vt Purgatorijs flammis posset egredi, deesset.* Nec huius Sanctæ Virginis vota precesque

S. Teresa de salute cuiusdam sui Ordinis Prouincialis qui 20. annis rexerat, post eius mortem, metuebat.

cesque cecidere irritæ. Illâ enim quam enixissimè pro eo rogante, videbatur illa anima de profundo terræ ad dextrum eius latus prodire, & mox magnâ cum lætitiâ, facie miro fulgore radianti in ætate quasi trigenariâ, licet ille grādæuus, & multorum esset annorum, in cælum ferri conspexit.

49. Eundem affectum in animas Purgatorij propensissimum Matris misericordiæ, tanquam dilectissimus eius Filius imbibisse visus est pijssimus Imperator Ferdin. II. de quo P. Guil. Lamorm. lib. de eius virtutibus cap. 21. tractans de ipsius eximia in proximos æquè viuos, ac defunctos charitate, ita loquitur: *In animas, quæ Purgatorio igne torquentur commiseratione tangebatur singulari, quoties aliquem ex notis audiuit viuis cessisse, quoties conflictū factum inaudiuit, illico pro illis, Militibusque Catholicis suffragia per sacra curauit, & ipsemet ardenter pro ijs DEVM orauit. Huc spectat quod habuerit grandē Catalogum mortuorū, pro quibus quotidie DEVM precabatur; Summorum Pontificum Imperatorum, Regum Catholicorum, qui eius tempore vixerunt. Consiliariorum item, qui ei seruiebant, & dum viuerent seruierant. Item Confessariorum olim suorum; & quod magis mirere, priuatorum Religiosorum, quos amauit, & à quibus se dilectum fuisse existimauit.* Sic ille de memorabili, ac planè admirabili tanti Principis in animas illas Purgatorijs ergastulis detentas charitate, ac pietate, quā ipsam misericordiæ Matrem, ibidem animabus illis misericordiæ suæ viscera exhibentem eas à peccatorum sordibus plusquam Angelico more expurgando, æmulari visus est.

Ferdinandi II. erga animas Purgatorii pietas.

50. Iam verò quid de super mundanis illis, vt eas Areopagita vocat Dionysius illustrationibus Angelorū proprijs, sanctissimæ Mariæ copiosissimè communicatis dicam? Illud vnicum hoc loco dixisse sufficiat, cum alibi fusius hac de re sit discurrendum, eam, Mariæ ideo fortasse sortitam esse Nomen illud pulcherrimum æquè, ac sanctissimum, quod Illuminatricem sonat, quia iam abstersis peccatorum ab animabus fædissimis maculis, eorundemque teterrimā fugatā caligine, Diuinæ gratiæ iubare mortalium mentes irradiare ac virtutibus illustrare consueuerit. Audite S. Epiphanium ser. de Laud. B. V. *Præclarè Puellæ Mariæ nomen interpretatur Illustrata, vtpotè quæ Illustrata sit à Filio Dei, & cunctos vsque ad terminos terræ credentes Trinitati, illuminauerit eos.* De eadem Ethymologia ita loquitur Angelicus Doctor Opusculo 8. *Conuenienter*, inquiens, *vocatur Maria illuminata in se, & illuminatrix in alios quantum ad totum mundum, & ideo assimilatur Soli, & Lunæ.* Audite B Albertum Magnum c. 1. in Lucam: *Maria interpretatur Illuminatrix. Si ergo circundatus es tenebris, & abscōdita est tibi via tua, respice Illuminatricem, nomina Mariam. De hac Illuminatrice habes in libro Apoc. 12. vbi apparuit in cælo mulier amicta sole, Luna sub pedibus eius.*

B. V. vocatur Illuminatrix quod homines à peccatis purgatos illustret virtutibus.

Maria velut Sola, & Luna totum mundum illuminat.

M. ostēditur esse Illuminata, & Illuminatrix in Muliere illa Apocalyptica.

51. Hinc B. Andreas Cretensis Episcop. orat. in salut. Angelicam; Mariā salutans non modo Illuminatricem, verùm etiam expurgatricem seu expiatricem peccatorum appellauit. *Salue*, inquiens, *lætitiæ Organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudij plena facta compensatio est. Salue verè benedicta, Salue Illuminata, salue magnificum gloriæ templum, &c.* Hinc denique S. Methodius Martyr Olympi & Tyri Epis. *Homli. de Purif. Diem clarissimam, Virginem esse dixit: Te sanctissima Virgo tanquam Die clarissimā mundo affulgente illumque solem iustitiæ producente, odiosus tenebrarum horror depulsus est, vniuersusque terrarum orbis veritatis purissimæ est luce perfusus.* Hac de causa eam S. Gregorius Thaumat. serm. in Annunc. B. V. Fontē lucis cunctos credentes illuminantem vocitauit, vti & Leo Imperator Lucernam Homil. 7. *Salue*, inquiens, *Lucerna, ex qua splendor Patris elucescens, cum mundum Genitori in Templum dedicasset, eumdem suæ cognitionis lumine collustrauit.*

M. Illuminatrix, & expurgatrix peccatorum dicitur.

M. velut dies clarissima toti mundo affulsit.

M. Fons lucis cunctos credentes illuminans.

M. Lucerna mundum velut Dei Templum illuminans.

52. Neque vero mirum nobis videri debet, quod Nomen Virginis tam mirificè veluti solaris aut Lunaris splēdor hominum mentes illustret, cum ipsa sit, vt loquitur S. Bernard. Homil. 2. super missus, præclara & eximia stella super hoc mare magnum, & spatiosum necessario sublimata, micans meritis, illustrans exemplis. Quod si aliorum Cælitum ab hominibus inuocata Nomina, admirabiles in hoc mundo producunt effectus, quanto magis Nomen hoc Virginis Diuinissimum? Certe de S. Nicolai Mirrensis Episcopi Nomine ita B. Petrus Card. Damiani ser. 59. scripsit: *Nomne post memoriā Virginis, tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium obuersatur, vt in die tribulationis Nicolai Nomē teneatur in ore, gestetur in corde? Si coruscationes*

Si Nomina Sanctorum miros effectus producunt, quanto magis Mariæ?

Nominis inuocati S. Nicolai miri effectus.

tiones fulgurant, & porcellis detonantibus à supernis vindicta procedit, Nicolaus in patronum assumitur, Nicolaus dulciter inclamatur. Si tempestas sæviens, & crudelitas maris nauigantibus mortem intentat, Nicolaus flebiliter exoratur, vt audiat, suppliciter inuocatur vt veniat, vt eruat misericorditer acclamatur. Si pulsamur incommodis, vel offendiculis indolemus statim Sanctũ Nomen prosilit in os nostrum, Nicolaus ingeminatur, patrocinium quæritur Nicolai. Ne puteti autem me declamatoriè loqui, vel venustate Rhetorica verborum aggerere splendorem, cũ totus mũdus beneficia sentiat Confessoris, nec sit, qui se abscondat ab amore eius, &c. Hæc Dam de S. Nicolai glorioso Nomine, quod si cũ illo augustissimo atq; Diuinissimo comparetur Deiparæ, vmbra respectu solaris sphæræ vniuersum irradiantis esse videbitur.

Æthiopis in B.V. pietas.

53. Expertus est hoc ipso Anno, quo hæc scribo nempe 1648. 3. Augusti Solem Diuino lumine radiantem, mortalesque illuminantem Virginem Deiparam Aethiops quidam Neapoli.

Hic cum in area domus sui Domini Octauij cognomento Monaco ab Aragona Iconem Dei Matris conspexisset, tanto in illam pietatis exarsit affectu, vt quotidie ad vesperum lampadem illi accenderet, seponendo in dies singulos hunc in finem partem pecuniolæ, quam à Domino suo accipiebat, ad coemendum oleum. Hic cum sæpius tum à suo Domino, tum à mancipio socio interrogeretur, cur hoc faceret? Respõdebat, ideo, quod sibi valdè pulchra videretur illa Domina, à qua, huius sui obsequij intuitu semel se adiuuandum speraret. Vnde Societatis nostræ Sacerdos, Congregationis mancipiorum Præses cũ intellexisset Aethiopem hunc in domo illa commorari, eũ diuino quodam instinctu permotus, adijt, atque ad amplectendam Christi fidem, sequendumque aliorum mancipiorum, qui proximè baptizandi erant exemplum est adhortatus. Hoc sæpius cum fecisset, videretq; se oleum, operamque perdere, ac verè Aethiopem lauare animaduerteret, negotium hoc cum solo Deo in oratione tractandum apud se statuit, abiensque Aethiopem serio monuit, atq; vt se magno suo Deo commendaret, nec à solita erga illam cœli Dominam deuotione desisteret, imposuit. Paucis post diebus nocte quadam cum in suo conclaui profundiori somno esset sopitus, vocem se excitantem audijt: *Abel Abel*, hoc eius erat nomen; *cito euigila, habeo enim quod tibi loquar.* Ad hanc vocem experrectus, videt locum illum omnem plenum lumine, atque ante se Matronam magnã maiestate præditam, albis vestitam; cui ad sinistrum eius latus vir venerandus manu argenteum vas aquâ plenum gestans, assistebat. His ille visis vehementer commotus; *Et quæ es tu*, inquit, *& quomodo ianuá clausâ ingressa es, cum hoc é viro?* Respondit illa: *Ego sum Maria, quam tu tanto tempore in imagine illa areæ huius domus depictã, veneratus es. Vir autem hic est S. Ioseph meus sponsus. Ego porro de cælo descendi, & ad te veni, vt exhortarer te, vt fieres Christianus, & Iosephi nomen assumeres. Quod vero ianuâ clausâ ad te sum ingressa, idea hoc feci, vt ostenderem me cæli, terræque esse Dominam, cui creata omnia obediunt.*

B V. sibi deuoto Æthiopi per quietem apparet, & ad Baptismum inuitat.

Ad hæc respondit Aethiops: *Omnem rem aliam iube Domina mea, faciam, sed non hãc.* Interea Virgo beatissima ad ipsum propius accedens, & manu humerum eius tangens: *Omnino*, inquit, *nunc Abel Christianus fias, neque amplius repugna.* Ad hunc potentissimum Virgineæ manus attactum mox exclamauit Aethiops: *Ignem Domina in ea in cor meum misisti, iam ego omnino fieri volo Christianus, & vocari Ioseph. Sed quomodo faciam, quia cum parum memoriæ habeam, non fido me Christianorum orationes addiscere posse.* Subiunxit misericordiæ Mater: *Bono animo esto, ipsamet enim te eas docere incipiam*; apprehensâque ipsius dexterâ Crucem formare fecit subiungens quod eius semper memor esset futura, & quod alias orationes, ipsum esset edocturus Pater Congregationis mancipiorum, ad quem mox accedere deberet, quam citissimè his omnibus instruendus, quæ ipse bene ac facile esset apprehensurus. Quæsiuit postea Aethiops, quid facto sibi opus esset, vt fieret Christianus à Tum Virgo manu haustâ è vase illo aquâ eum totũ aspersit, dixitque: *Fili in hunc modum à Sacerdote aspergeris, & anima tua mox dealbabitur instar huius meæ vestis.* Dedit hic Virgo indicium ipsi valedicẽdi: sed Aethiops manu eius apprehensá: *Domina*, inquit, *cum tristis, & afflictus fuero, quæso vos ipsam mihi ostendite, meque consolemini. Omnino* respondit Deipara, *faciam libenter.* quibus dictis disparuit: Adijt mox Aethiops suum Dominum, enarratoque toto hoc ipso rerũ successu, rogauit accersiri iuberet Patrem, qui se orationes esset do-

B.V. attactu solo Æthiopem conuertit.

B.V. in rebus fide Æthiopem instruit.

ctūrus. Hic incredibile dictu est quantò Dominus iste gaudio perfusus sit, ob tam singularem B. V. fauorem. Adfuit mox Pater & catechismo tam bene fortunatum mancipium erudire cœpit. Neque vero illi fuit multum laborandum, quia intra paucos dies, summâ facilitate didicit omnia, quæ ad suscipiendum baptismum erant necessaria. Porro promissis illis suis Aethiopi factis Virgo fidelis exactè stetit.

B.V. afflictū Æthiopem sua præsentia consolatur.

Cum enim intra id tempus quod à Visione inter suscipiendum Baptismum intercurrebat, bis valdè ob domesticos labores afflictus esset, sublatisque in cælum oculis diceret: *Domina mea nunc tempus est, vt vos ipsam mihi ostendatis.* Quibus dictis Virgo benignissima mox sese visendam in vtraque illa afflictione exhibuit, dictoque: *sustine patienter Ioseph;* tanta eum perfudit lætitiâ, vt sibi videretur Paradisum (verba sunt illius) in cor suum gestare. Sacris tādem aquis baptismi tinctus est, ipso die Assumptioni B. Virginis sacro, cum alijs decem mancipijs, & Iosephi nomine assumptio, incredibili gaudio exultauit, reque ipsa expertus est Virginem illam, quam accensâ in dies singulos tantâ cum reuerentiâ lampade, veneratus est, Illuminatricem esse, Angelicasque operationes in se longè maiori cum perfectione exprimere.

B.V. animas virtutibus perficit longe excellentius quam Angeli.

54. Iam ad postremam Angelorum functionem, quæ est consumare, atque perficere hominum mentes, animosque, gradum faciamus. Hanc exercere so ita fuit gloriosissima Angelorum Regina pro egregia illa sua in mortales omnes pietate, atque charitate, dum mortalium animas omnium virtutum, gratiarum, charismatumque ornamentis, Angelicis Spiritibus longè præstantiùs, vel sola suâ consueuerat præsentia decorare.

Maria vel sola sua præsentia homines perficiebat in virtutibus.

Hoc sanè Adamantius Origenes Homil. 9. in Lucam, verba illa Euangelistæ ponderans: *Mansit autem Maria cum Elisabeth quasi mensibus tribus; ob seruauit argutissimè.* Nam mansionis huius causam cum indagaret: *Vtique,* inquit, *aliqua debet esse ratio quam si Dominus aperuerit cor nostrum, demonstrabimus. Si enim eo quod tantum venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eam, exultauit Infans in gaudio, & Spiritu S. plena Elisabeth prophetauit, & vna hora tantos profectus habuit, nostræ coniecturę relinquitur, quid tribus mensibus Ioannes profecerit assistente Maria Elisabethæ. Valdè quippè indignum est puncto horæ, atque momento exultare Infantem, & quodammodo gaudio lasciuisse, repletamque esse Spiritu S. Elisabeth; per tres verò menses nec Ioannem, nec Elisabeth ex vicinia Matris Domini, ex ipsius Saluatoris præsentia profecisse: Exercebatur ergo & quodammodo in athletico à S. Matre per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in Matris vtero, vt mirabiliter natus, mirabiliter nutriretur. Quod enim extra consuetudinem nutritus est, innuitur, quia non refertur scriptum, quomodo Matris fuerit lactatus vberibus, quomodo in sinu gerulæ constitutus; sed statim dicitur: Et erat in desertis, vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel.*

Plurimum S. Ioann. Bapt. profecit tribus mensibus ex præsentia B. V.

Quasi præsentia illa sola gloriosissimæ Virginis, & gerulæ, & nutricis, vices obiens eum, gratijs nutriendo, ad illam virtutum omnium perfectionem prouexerit. Eadem Euangelistæ verba: *Mansit autem Maria, &c.* interpretans B. Card. Damiani. ser. 23. addit modum quo Virgo sanctissima profectum in virtutibus sanctissimi promouerit Præcursoris. *Tanto tempore,* inquiens, *manet cum Elisabeth Virginalis integritas, & nunc dulciore colloquio, nunc amplexu feliciore Ioannem puerum consecrat, & insignit. Et fortassis vsque in diem Natiuitatis eius, gloriosa Virgo cum cognata sua morata est, donec puerum natum sinu beatissimo confoueret, & vno pariete remoto propinquiorem redderet præsentię Creatoris. Alij qui librum Iustorum diligentiùs oculis inspexerunt ibi se vidisse testantur, quod ipsa Dei Genitrix felicem puerum primum de terra leuarit, & cognatæ partum omni prosecuta sit seruitute.*

B. V. dulci colloquio, & amplexu feliciore Ioannem Bapt. consecrabat, & perficiebat.

Quocumque autem modo huius rei veritas decernatur, illud pro certo certum est, quia non parùm contulit puero nascituro, tàm felix, & morosum intemeratæ Genitricis hospitium.

B. V S. Ioannem Bapt. in lucem editū ipsamet de terra leuauit.

Idem religiosissimus Card. ser. 24. eandem Ioannis laudem prædicat. *Nouæ,* inquit, *gratiæ pręco, & magnificus annunciator enituit, eumque supra legem, supra humanæ conditionis ordinem electio Diuina prouexit, cui etiam tanta honoris collata est gloria, vt Natiuitati eius ipsa Dei Genitrix interesset, eiusque principium, latens in vtero mundi Conditor sua præsentia dedicaret.* Quod Euangelistæ, imitatus Originē, confirmat testimonio: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus.* Tandemq; concludit: *Nolebat itaque Maria discedere, donec grandęuæ puerperę ministerium sedulitatis impenderet, & quem gestabat in aula sui corporis Regem, cerneret anteire pręconem. Felix partus quem illa lux excepit, quę illuminat,*

Fœlix est Ioannes Bapt.

minat omnem hominem venientem in hunc mundum.

55. Quidnam vero fuerit illud, quod tam diuturnæ moræ tantæ Virginis hospitium Ioanni contulerit, quantusq; idem ad eiusdem præsentiam conspectumque euaserit S. Petrus Chrysologus Episc. Rauennas ser. 89. paucis luculentissimè declarat dum priuilegio singulari natum Angelum esse dixit: *Ioannes*, inquiens, *non potuit mori communi sorte, qui natus est priuilegio singulari. Cum Christus Deus nasceretur in carne, Ioannes Angelus est generatus in terris, vt ita officia terrena officijs se cælestibus miscerent, sicut humanis se Diuina miscebant, & in terra Deo Angelus, Domino, ordo cęlestis obsequij, non deesset*. Idem Santictissimus Antistes mirificum fuisse Ioannis profectum in virtutibus, ex tantæ Virginis præsentia ostendit, dum plurimas eius laudes conglobat, ac deprædicat: *Ioannes virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma Iustitiæ, Virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, Ioannes maior hominum, par Angelis, legis summa, Euangelij sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, Prçco Iudicis, Præcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis*.

S. Ioan. Bapt. Angelus generatus in terra.

S. Ioan. Bapt. ex præsentia B.V. factus virtutū schola, magisteriū vitæ, sanctitatis forma norma iustitiæ, &c.

56. Neque vero mirandum nobis est Mariæ venerabili præsentiâ Ioannem originalis peccati labe expurgatum, omnibus virtutibus exornatum, summam adeptum fuisse perfectionem. Hoc enim donum etiā B. Maria Mag. de Pazzis diuinitus consecuta est vti eius confessarius Vincentius Puzzinis scribit Part. 1. cap. 67. nam solo suo aspectu horrorem peccatorum, virtutisque amorem instillabat. Vnde cum vice quadam eius Frater qui nō admodum laudabilem ducebat vitam eam adijsset, subito nescio quo furore correptus ab ea, nulla facta valedictione abscessit. Interrogatus postea quid illi accidisset, respondit se vnico illius sanctæ aspectu, tanto pudore, ac confusione correptum, vt ante eius conspectum consistere nequierit vnde factum vt ante actæ vitæ detestatus scelera, vitam Christiano homine dignam admodum laudabilem duxerit. Addit eiusdem vitæ Auctor, huius Virginis purissimis oculis virtutem hanc admirabilem diuinitus fuisse concessam, vt sanctimoniales ipsæ, quæ illi conuixerant attestatæ sunt. Vnde si tristitia, vel alio quopiā inordinato affectu tenebantur, eius aspectu leuari, ac consolari sese experiebantur. Quod si etiam alicuius erroris aut culpæ arguerentur pœnitudine tactæ, ac conterritæ, mox vitam emendabant, & ad perfectionem consequendam accendebantur. Quod si hæc Deiparæ Virgo deuotissima suâ præsentia, aspectuque tantum potuit, quid tandem Dei Matrem potuisse in visitatione illa Elisabethæ, ac Ioannis credenda est?

B. Magdalenæ de Pazzis præsentię atque oculorū vis admirabilis.

57. Desiderat igitur quispiam ad sublimem cum Ioanne apicem perfectionis peruenire ad Virginem recurrat, vel solam eius salutantis vocem audire percupiat, identidemque Virginem in cęlestis Paradisi viridarijs commorantem, atque expatiantem compellet, rogetque: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*: Cant. 8. Cùm enim ad solam eius vocem repleta fuerit Spiritu S. Elisabeth, repletus Ioannes, omnique peccati Originarij labe perpurgatus, eiusdemque Spiritus copiosissimis charismatis fuerit delibutus, nil dubium, quin Virgo sanctissima eisdem suæ dulcedinis benedictionibus sit nos quoque benignissimè præuentura, Spiritumque impetratura, quo afflati perfectionis, ac sanctimoniæ consummationem consequemur. Hoc intelligere visus est S. Hildephonsus cum lib. de Virginit. M. cap. 12. huius perfectionis auidus, precibus Virginis beatissimæ, Diuinissimo illo Spiritu repleri, IESVMque ipsum omnis perfectionis fontem in corde suo habere anhelabat, identidem repetens: *Oro te, oro te S. Virgo, vt de illo Spiritu habeam IESV, de quo tu genuisti IESVM: Per illum Spiritum accipiat anima mea IESVM, per quem concepit caro tua eundem IESVM: ab illo Spiritu sit mihi nosse IESVM, à quo tibi affuit nosse, habere, & parturire IESVM: In illo Spiritu humilis, excelsa loquar de IESV, in quo confiteris esse te Ancillam Domini. In illo Spiritu diligam IESVM, in quo tu hunc adoras, vt Dominum, intueris, vt Filium; Tam verè timeam hunc IESVM, quā verè idem cum esset Deus, erat subditus parentibus suis*. Hæc Hild.

Qui perfectus esse cupit Deiparæ patrocinium auxiliumque imploret.

B.V. suis precibus nobis Spiritum S. impetrat, vt eo afflati perfectionē consequamur.

S. Ildephonsi oratio ad B. V. vt sibi Spiritus Sancti gratiam impetret.

58. Agnouit Seraphicus Bonau. 3. Part. Stim. Diu. Amor. cap. 16. Deiparam consummatæ perfectionis, ac sanctitatis nostræ studiosissimam, donorumque cælestium liberalissimam largitricem,

tricem, dum eam raptricem cordium, absorptricem mentium, animarum venatricem appellat: *Suauissimus*, inquit ille, *& dulcissimus est fructus Mariæ, & in ore, & in corde sapientis dulcescit. O quàm mira est huius Virginis fœcunditas, quæ cum salutatur deuotè, ad cor salutantis suauissimum fructum emanat. Quanto autem quis in eius fructu amplius iucundatur, tanto amplius ab ea impetrat, & nisi dicat: Sufficit, nunquam cessabit. O mira Domina, mirum videtur, quomodo non tantum delectemur in te salutando, vt propter te, & fructum tuum cetera ignoremus. Quomodo quæso non est ad te tantum intentus homo, ob nimiam suauitatem tuam, vt & semetipsum à se abstractus ignoret. O Raptrix cordium, ò absorptrix mentium. Cur nos, Domina, ingrauidas tuo affectu, cur nos Deo nostro imprægnas? Cur luto imples cælos, & vanissimos facis Diuinos? Cur nos obsecro Filij tui inebrias amore? cum nec illi aliquid impendere valeamus. Quid tibi prodest animarum amatrix, quod te, & Filium tuum nimio diligamus amore? Nonne tibi cælestia sufficiunt? Cur terrena corda requiris, cum tamen sint fœtidissima, & terrena? Accipe animarum venatrix, & refoue eas in sinu gratiæ tuæ. Quis enim potest, Animarum Venatrix, effugere claritatis tuæ fulgorem, & tua radios pietatis? nec enim est, qui à calore tuo abscondere se possit, quia beneficijs tuis pleni sunt cæli, & terra. Quocunque enim pergamus, occurrit nobis diffusio vteri tui Virginalis. Ecce ergo vndique nos tuis beneficijs irretisti, & semper, & vbique tuæ benignitatis laqueos extendisti, vt à te, Matre dulcissima, fugere rationabiliter nequeamus, sed semper in tua dulcedinis gremio quiescamus.* Tandem benignissimam huius Virginis amantissimè liberalitatem expertus, omnes ad eam colendam, venerandamque hortatur, quo cælestium donorum, perfectionisque absolutissimæ ipsius participes effici mereantur. *Currite ergo*, inquit, *charissimi vndique, & tam nobilem, & suauem Virginem salutemus.*

Quàm dulcis sit Mariæ fructus.

Cum B. V. salutatur in cor salutantis suauissimum fructũ immittit.

M. Raptrix cordium, & Absorptrix mentium.

M. animarum venatrix.

B. V. beneficijs pleni sunt cæli, & terra.

59. Sensere has perfectionis consummationes, acceptasque retulere Deiparæ omnes religiosi Ordines, qui studio perfectionis intenti, Virginis tutelâ, patrocinio, efficacissimoque auxilio ad perfectionis apicem conscenderunt. Quare iure merito dixit Pater Hierony. Platus de bono stat. Religio. lib. 33. cap. 34. *Illud ad cumulum tùm solatij, tùm vtilitatis consecuti sunt Religiosi omnes, vt essent in tutela Beatissimæ V. M. eiusque tanquam vmbrâ recrearentur, eiusque præsidijs munirentur.* Huius Virginis gratia refocillati, vmbrâ protecti præsidiisq; instructi Bernardi, Bonauenturæ, Anselmi, Ruperti, Halgrini, alijque sexcenti viri Religiosi, Antistites, ac Prælati, superatis difficultatibus omnibus, innumerisque tentationibus ad culmẽ perfectionis euolarunt. Hoc tam efficaci destituti auxilio quantumuis ad perfectionem cõnitamur, conatus omnes nostri cadent irriti. Verissimum enim est quod Religiosissimus atque in Virginem pijssimus pronuntiauit sapientissimè Aloysius Nouarinus lib. 4. sacrorum Electorum cap. 61. de Prælatis, qui iam in statu perfectionis esse supponuntur; *Vmbra Pastoris non Pastor est, qui abest à Virginis vmbra.* Dicamus verò nos: *Vmbra Religiosi, non Religiosus est, qui abest à Virginis vmbra.*

Religiosis magnum est solatium atque vtilitas esse sub tutela B. Virginis.

Vmbra Pastoris non Pastor est, qui non est sub Virginis vmbra ac protectione.

60. Et quoniam tota perfectio in absoluta consummataque omni defectu carente consistit sanctitate, & hæc vicissim in illibata animi puritate, vt Sanctus docet Areopagita, curandum omnino, vt illam excellentissimam Diuæ Virginis, quæ omnium Angelorum transcendit mundiciam nos eius Amatores æmulemur, si verè ab illa velut suprema Angelorum Domina, ac Regina perfici, omnibusque virtutum numeris absoluti esse desideramus. Hac eius puritate, velut copiosissimo quodam flumine infundi, atque irrigari optemus, si ipsi similes, vti par est, & grati, acceptiq; esse exoptamus. Hanc crediderim ob causam ipsa de se in Domino, gloriabatur, quod velut amplissimus quidã gratiarũ Oceanus, in omnes suos amicos perfectionis absolutissimæ Paradisiaca effudisset flumina, *Ego*, inquiẽs, *Sapiẽtia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio; ego quasi fluuij Dioryx, & sicut aquæ ductus exiui de Paradiso. Eccl. 24. 40.*

Perfectio sanctitas, & Puritas idem sunt.

Puritate B. V. veluti copioso flumine vt infundamur optandum est.

61. Hinc B. Magdalena de Pazzis Carmelitana in oratione quadam à sensibus, vti consueuerat penitus alienata, dilectissimo eius sponso IESV reuelante, didicit, qualis eius anima puritate, in qua sibi ipse tantopere cõplacebat prædita esse deberet, indicauit, vti scribit Vincentius Puzzinis Parte 4. eius vitæ cap. 11. Vnde ibidem Diuino afflata sponsi sui Spiritu, ita loquitur: *Ad instar fluminis in me, & qualibet anima abundans esse debet Puritas. Eluuij vbi in se magnam aquarum recepit multitudinem dilatatur, nisi eius aqua aliquibus obstaculis præcludantur. Ita anima flumine de-*

Puritas copioso cuipiã Flumini similis.

signa-

signata, vbi limpidissimis Diuinę gratię aquis repleta, nec exterioribus occupationibus impedita est, in Deo vnico Dilecto suo vehementer, per charitatem videlicet, extenditur. quod si aliquãdo externis huiusmodi actionibus pręgrediatur, quo minus cum solo Deo esse, ipsique amoris transformatione vniri possit, agit omnino id quod assolet fluuius, qui vbi obstacula sese dilatandi pro libitu minime inuenit, ad ima deprimitur, nisi terræ duricie, lapidumque congerie ei fiat obstaculum. Vbi vero amplius deprimi nequit magnã sursum attollitur vehemẽtia. Ita plane hæc pura, perfectaque anima diuinæ gratiæ redundans aquis, vbi necessitatibus humanis obstantibus in DEVM dilatari nequit, semetipsum humiliat ad vsque vilitatis suæ, ac nihilcitatis, vt ita dixerim, centrum. Eadem hæc anima in suis quoque operationibus eleuatur dum oculum mentis in gloriam, honoremque suæ Diuinæ defigit Maiestatis.

Operationes etiam huiusmodi puræ animę sublimes sunt, ac magnificæ, sunt enim nimium quantum laboriosæ, ob assiduum illum timorẽ, ne in illis Deus ipse offendatur. Tũ paucis intercalatis, totã hanc similitudinẽ puritati, perfectioniq; attribuit Deiparæ: *Tua, ò Maria, Puritas,* inquit, *ad instar extitit fluminis, quod dilatatur, profundatur, sursũ eleuatur, terrãque simul irrigat. Dilatabatur in Deo Maria, suis sublimibus, eminentissimisq; contemplationibus mentem occupando: deprimebatur suis humillimis operationibus. Attollebatur rectilissimâ sua, sinceraque intentione, defigendo mẽtis oculum in purum Dei honorem, gloriamque. Maria denique velut inundans fluuius terram irrigauit, hoc est corpus sui Diuinissimi Filij, suarum lacrymarum aquis, quæ etiam ignita desideria ab ipso submissa irrigando circa animarum salutem, quis nesciat eas fructus vberrimos, ac copiosissimos, & dedisse, & imposterum quoque daturas.* Intellexit similiter eadem Sancta, puritatem perfectionẽq; similiter Humanati Verbi Mariæ Filij, omnes effectus illos fluuij longè excellentiori modo producere. *Dilatauit n. se ad instar Fluminis purissimum Verbum, sua charitate, ac puritate in suis creaturis, dum aliquod peccati cuiuspiam non reperit obstaculum, tunc enim infra sese deprimebat.*

O quam egregiè profundeque sese demisit per Incarnationem in Maria, cum sese in sua natiuitate, totaque sua vita humiliauit, totumque hoc ideo præstitit, vt lapidum duriciem, nostrorum videlicet tolleret peccatorum, & cordis nostri terram ad diuinam recipiẽdam gratiam emolliret, atque disponeret. Eleuatum est deinde Flumen hoc in stupendis miraculorum operibus, quę humanatus Dei, Marięque Filius in mundo hoc perpetrauit, quibus nobis Diuinitatem suam manifestauit. Irrigauit denique terram animę nostræ suã gratia, facitque eam assiduè fructificare verbis suis, sacrique Euãgelij prædicatione. quem ille fructum totum sibi vendicat, dum eam gratiam à nobis cognosci & suo honori gloriæque totã adscribi desiderat: Intellexit post hęc B. Magdalena, quod æternum Verbum mirifica animi sui complacentia in anima illa, quæ pura ac perfecta est conquiescat, & quod in eadem velut bene instructam, munitãque Arcem siue Castellũ, sese recipiat, per suam misericordiam, dum peccatorum nostrorum sagittæ Filium ad iustitiam exequendam prouocant.

Puritas Mariæ copiosus inundansque fluuius, suos clientes abũde infundẽs.

B.V. suis lacrymis corpus Filij sui rigabat.

Verbum Incarnatum sua Puritate, & Mariam, & alias creaturas capaces velut fluuius inundauit.

Dei Filius in anima Pura atque perfecta maxima animi sui cõplacentia requiescit.

62. Castellum hoc merito nos cum S. Anselmo dixerimus gloriosissimam esse Virginem, ad quam ob eminentissimam eius perfectionem, sanctitatem, puritatemque omnem quę sub Deo est, etiam Seraphinorum, Cherubinorumque transcendentem, Dei Filius increata illa Puritas sese recepit, in eaque nouem mensibus requiescens Diuinissimæ suæ perfectionis radios velut immobile Centrum in sibi proximam periferiam euibrauit, eamdemque ipsis solis radijs puriorem longè reddidit, vt eamdem illa postea Diuinam Puritatem ad instar Angelicæ Hierarchiæ in sibi subiectos suos clientulos, ac fideles, deuotosque seruos transfunderet, sibique eos tanto gratiores, acceptioresque redderet. Vnde contendendum omnino omnibus huiusmodi genuinis tantæ Matris filijs censeo, vt puritatem hanc, siue sanctitatem, perfectionemque æmulentur, in eaque diebus singulis maximis passibus progrediantur.

B.V. Castellũ in quo Christus ob eminẽtissimã eius super Angelos puritatẽ requieuit.

M. de Incarnati Verbi Puritate, velut periferia à centro Solari, lucem participauit.

63. Ad rem porro hanc tam præclaram consequendam proportionatis omnino vtendum est medijs. Hæc sane præclarissima sunt quæ Increata sapiẽtia ipse Dei, Virginisque Filius eidem B. Magdalenæ reuelauit vti videre est, Parte 11. vitæ cap. 8. Vbi cum sponsam hanc sibi charissimam ad Diuinorum secretorum intelligẽtiam vellet attollere, voluit simul etiam preciosissimũ Sanctæ Puritatis donum eidem communicare, quo destitutus omnis humanus intellectus cęcus est. Itaq; in quodam mentis excessu, qui horis omnino quinque perdurauit, intellexit inter illos suos ardentissimos amoris affectus, eius facie ad instar solis rutilante, suum dilectum sponsum ad Puritatem hanc

Christus B. Magdalenæ in extasi reuelauit idonea, ad consequendam Puritatem media.

hanc consequendum efficacia media sibi præscribentem, aiebatque esse quatuor. Quibus intellectis, ad sponsum IESVM conuersa obsecrabat vt illa sibi explicaret: *Edic igitur mihi illa, Domine mi,* aiebat Madgalena. Atque ita vbi ea intellexisset, in Persona sponsi sic sermonem prosecuta est:

Primum medium pro acquirēda Puritate, est abnegatio sui.

Primum medium ad consequendum Puritatem est, vt anima illa, quę ad illā aspirat sit sibi penitus mortua, & extra se posita, omnique sua intelligentia, scientiâ, ac voluntate destituta sit, & omnis eius intelligentia, scientia, & voluntas sita sit in me. In re nulla oportet eam cognitionem, intelligentiamque suam defigere, sed ac si extra se esset posita, sibique penitus mortua, mihi soli, qui eius sum Creator, ac DEVS viuat.

Homines puri Angeli terrestres vocari possunt.

Atque huiusmodi homines, qui ita comparati sunt, merito Angeli terrestres, ob insignem eorum Puritatem nuncupantur, eo quod eam, eo perfectiori, ac sublimiori modo, quo a viatoribus haberi valet, possideant.

Secundum Mediū aquirēdæ puritatis, est pura ad DEVM intētio, & euitatio minimi peccati.

Secundum medium ad puritatem hanc obtinendum, quod requiritur est, vt anima omnes cogitationes, omnes affectus ac desideria pura, inque DEVM semper directa habere curet, nec sinat vnquam cor menteq; suam subingredi cogitationem aliquam, quæ illam commaculare posset. Curet à se omnes rerum terrenarum infimarumque imaginationes, quę eam à me separare possunt tollere, eaque omnia quę vel eius menti, aut cordi maculam aliquam aspergere queunt; cauendo sibi ab omni peccato etiam leuissimo. Et huiusmodi sunt ij, de quibus dictum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.

Tertiū Medium est virginitas, quæ ad instar Thesauri cōseruanda est.

Tertium medium est munditia, & puritas corporalis, quę est Sancta Virginitas. In hoc statu omnes Religiosas collocaui, dum illæ Virginitatem conseruaturas se mihi voto obstrinxerunt. Vnde oportet, vt eam ad instar preciosissimi Thesauri custodiant, siquidem cuius merito redduntur idoneæ ad meam recipiendam puritatem,

Per puritatē Virgines in pristinum innocentię statum restituuntur.

cum per Virginitatem mihi reddantur similes, perque eam in pristinum primigeniæ innocentiæ statum, in quo eas condidi, reponantur, recuperentque primum illud purum Esse, in quo eas constitueram.

Quartum mediū aquirēdę Puritatis est Humilitas.

Quartum postremumque acquirendi Puritatem medium est Sancta Humilitas, quæ adeo mihi grata est, vt alia quæcumque virtus, absque hac mihi placere nequeat, cum hæc Puritatis ipsius Mater sit, & Puritas vicissim ipsius. Humilitas enim generat Puritatem, & Puritas similiter Humilitatem. Humilitas hęc adeo vtilis est animæ illi, quę eam possidet, eamque adeo potentem ad operandum reddit, vt puritatem obtineat, etiamsi Virginitatem amiserit; siquidem in Inferno reperientur multæ Virgines, at non item Humiles puritate præditæ.

Virgines sine humilitate multæ reperientur, non itē humiles puritate prę ditæ.

Hęc enim Puritas humilitate acquiritur, ac conseruatur, eademque mediante, si amittitur, recuperatur. Hæc vbi Sancta illa anima in persona IESV fuisset elocuta, vidit quod Virtutē hanc Puritatis sibi indulgere vellet, siquidem ijs ad hanc cōsequendam iam memoratis dispositionibus illam ornatam animaduertit.

B. Magdalena à sponso Puritate exornatur.

Vnde illius cupida dicebat: *O' Puritas infundere igitur in animam meam quantocyus, & quoad fieri potes creaturas omnes tui redde participes. Anima, quæ huiusmodi possidet Puritatem, non cogitat aliud, non desiderat aliud, non loquitur, non memoratur, non sapit, non vult, non amat aliud, quam ipsam Puritatem.*

Quæ sunt illa quæ lædunt mentis Puritatem.

Offendit Puritatem hanc minimus etiam propriæ voluntatis, siue gradus, siue motus. Offendit huiusmodi Puritatem possessio etiam modici pulueris rerum terrenarum, quæ cum inordinato habetur affectu. Offendit Puritatem hanc etiam vnicum verbum inconsideratum.

Verbum vnicum inconsideratum lædit Puritatē.

Damnat puritas hæc omnem aspectum, quem anima in suum esse dirigit, cum eius esse, per se, sit non esse. Abhorret Puritas hæc omnem gustum, sensum omnem, imaginationem omnem, quæ extra DEVM est. Adeo pura est Puritas hęc, vt nullo modo velit animam habere suum proprium velle, aut intelligere, aut scire siue sapere. vult è contra vt eius velle, sapere, intelligere sit totum in Deo ipso.

Facilius est Cælum, & Terram condere quam cum amore proprio Puritatem. possidere.

Facilius est Cœlum, & terram condere, quam cū semetipso, siue amore proprio Puritatē possidere. Et est difficilius moueri folium, quam non possideri Puritatem ab illa anima, quæ sibi ipsi mortua est.

Sicut non est difficile mouere in arbore folium, sic difficile non est animæ illi obtinere Puritatē, quæ sibi ipsi mortua est.

Fœlix igitur ac gloriosa est omnino anima illa, quę sibi moritur, quia in instanti ipsam apprehendit Puritatem. His dictis vbi Sancta tantisper conquieuisset manibus ad pectus decussatis, consistens erecta, euidentissimum edidit signum se Puritatem, specie vestis cuiuspiam preciosissimæ accepisse, dicendo:

B. Magdalena à sponso accepit Puritatem specie vestis cuiuspiam preciosæ.

Accipio Puritatem ab illo, qui me accepit, illâ me vestio; & anima mea numquam ab illa separabitur. Verum quis Puritatem hanc in me conseruabit? Non sane creatura vlla. Sed oportet, vt tu ò Verbum te in animam illam transformes, illam conserues, confirmes, atque stabilias.

Dei Filius in anima Puritatem conseruat.

Perstitit deinde aliquo spatio temporis, hoc tam eximium Puritatis acceptum Donum contemplādo, calentissimasque Domino gratias referendo, sæpius illud iterando: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Cum aliud facere nequeam remittam me totam in te penitus ò mi IESV,* Hæc illa, quæ sane omnia cum vtilissimis,

ſimis, ad indipiſcendam mentis Puritatem perfectionemque quam Virgo benedicta Angelorum Regina, ipſorum imitata operationem, ac miniſterium, ſuis pijs cultoribus communicare conſueuit, referta ſint documentis, iure merito cuilibet perfectionis, atque Puritatis ſtudioſo, aſſiduè mente, animoque voluenda eſſent, ſimulque eadem Virgo obſecranda, vt ſuâ nos Puritate, veluti Fluuio Paradiſiaco infundat, & irriget, quo virtutum ſuarum flores, bonorumque operum fructus in animabus noſtris, velut Horto ſuarum plantationum, eius manu conſitarum germinent, eiuſque gloriam, ſuâ pulchritudine depredicent, cogantque ſpectatores in laudes illas erumpere: *Hoc eſt germen cui benedixit Dominus*.

Carolus Molinus Senator Venetus pudicitiæ amātiſſimus.

64. Huiuſmodi germen Paradiſiaco Virgineæ puritatis flumine irrigatum fuiſſe viſus eſt Excellentiſsimus Senator Venetus Carolus Molinus huiuſcè Sereniſſimi Ducis modo clauū Reipublicæ, magna cum pietate, rectitudine, ſapientiaque moderantis conſanguineus. De quo Guilelmus Baldeſanus grauis Theologus libr. 2. ſtimuli virtutum c. 11. quem Anno 1594. in lucem edidit, in quo varia caſtitatis, puritatiſque exempla pertractans, luculentiſsimum de ipſo poſteritati tranſmiſit teſtimonium. Ait enim illum paucis ab hinc annis dum in Sabaudiæ Ducis aula legationis à ſua Republica munere, tribus annis perfunctus eſſet, obijſſe, ſuâque rarâ prudentiâ ac ſingulari virtute, præſertim caſtimoniæ cum aliorum omnium, tum ipſius Principis mirum ſibi amorem conciliaſſe. Hic à primis pueritiæ annis ad virilem vſque ætatem, qua Diuinæ Bonitati viſum eſt illum ad ſe de corporis ergaſtulo euocare, ita puritatis amās, ac ſtudioſus fuiſſe perhibetur, vt clariſsima ipſius amoris ſæpe ſæpius ediderit indicia, & virtus hæc Angelica, toto ore, oculiſque ipſius emicaret. Vnde factum vt publico conſilio decretam ſit, vt inter eos qui illibatâ pudicitiâ floruiſſent in viuis, tumularetur; inque perpetuæ Virginitatis argumentum tumbæ eius floridum ſertum imponeretur. O verè virum rarum, atque eximium, qui ſub Aulæ glaciali degens axe, vernantem ſæ pudicitiæ florem, nullis ſæuientis Aquilonis flatibus vel minimum ambuſtum, illæſum conſeruauit. Crediderim iam illum inter roſas, liliaque Virginum in Paradiſi viridario velut amœniſſimum Florem tranſplātatum in pudicitiæ ſuæ præmium puriſsimi Agni IESV, eiuſque Matris Mariæ inhærere veſtigijs, eumque ſequi quocumque ierit.

Inter Virgines ſepelitur, eiuſque tumbæ ſertum appo-

Vnicus ac nobiliſſimus Filius ſpretis nuptijs pudicè viuit.

65. Ad hunc eundem Paradiſiacum Puritatis fluuium conſitus fuiſſe viſus eſt alter ille, de quo ibidem ita loquitur Baldeſanus: *Noui alium ego hominem nobilitate, honore, & opibus in ſua ciuitate non ignobili, florentem, qui licet vnicus eſſet ex ſua familia, tam parentibus charus, quam ſunt ipſi ſibi: tamen vt integritatem ipſe ſuam tueatur, quam ab infantia ad mortem vſque ſeruare illi decretum eſt, tam varijs artibus multorum nobiliſſimorum, ac locupletum petiones eluſit, quam alij eaſdem ſolent quærere.* Hos igitur viros tam inſignes, ſingulareſque puritatis Virgineæ amatores æmulemur, vt germina, quibus benedixit Dominus euadamus, omnibuſque cæli benedictionibus infundamur.

Spiritus S. ſuam fœcunditatem oſtēdere viſus informandæ, & ornanda B.V.

66. Sperandum porro nobis omnino eſt glorioſiſsimam Dei Matrem de perfectionum ſuarum redundantia, affatim pro ingenita ſibi bonitate communicaturam, naturamque ipſius Spiritus Sancti, cuius tota quanta opus mirificum extitit, imitaturam. Quemadmodum enim ille, vti alibi etiā diximus, cum ex ſe fœcundus non eſſet, ſicut eſt Pater, ac Filius, elegit ſibi Virginem, vt eam gratijs omnibus, donis, ac chariſmatis decoraret, eamque ſibi ſponſam efformando ac perficiendo in ea ſuam fœcunditatem quodammodo oſtenderet: Sic illa creatorem ſuum pro modulo imitata, elegit ſibi Eccleſiam, & in ea nos omnes deuotos eius clientulos, in eaque exornanda, ac perficienda vires omnes exeruit, vt omnibus virtutum numeris euaderet abſolutiſsma, & in ſe veluti ſpeculo, tam admirabilem ſui Recreatricem repræſentaret oſtenderetque reuera in ea quoque operationes Angelicas, inter quas illa eminentiſsima eſt, alios gratijs, virtutibus doniſque cæleſtibus perficere, relucere.

Vt bonitate Spiritus Sancti fuit ornata B.V. ſic illa eadem Bonitate ſua ornat Eccleſiam. & animas deuotas.

Atque hæc de Angelorum Natura admirandiſque eorum operationibus, quas Virgo Deipara, æmulata beatiſsimorum

morum illorum Spirituum Hierarchias quam longissimè post se reliquit, dicta sufficiant; nunc ad singulos ordines veniamus, eosdemque in Deipara ad viuum expressos, Dei, Virginisque adiuti gratia, intueamur; quo eos, eorumdemque virtutes, ac gratias in nobis quoad hæc exulum vita patitur exprimere possimus. Præclarè enim Diuus Potho Presbyter Brumiensis Scriptor vetustissimus libr. 4 de statu Domus Dei in Prologo asseuerauit: *Cælestis Domus habitatio cum ordinatissimam in suis Ciuibus semper habeat concordiam, ad exemplum proponitur huic terrestri domui, in qua peregrinamur, vt videlicet secundum exemplar Cælestium, informetur conuersatio Terrestrium. Vnde secundum Cælestium Ordinum dispositionem, omnium professionum gradus, & omnis Ecclesiasticus Ordo instituitur, & regitur*. Quod si fiat optimè omnia atque ordinatissimè succedant necesse est.

Angelicæ Hierarchiæ nobis velut virtutum omnium Exemplar ad imitandum præponuntur.





DISCVRSVS II.

Quod Deipara Virgo perfectiones Seraphinorum in se longè excellentius expresserit.

1. PRæclarè Diuus Potho paulo ante citatus eodem lib. 4. de statu domus Dei, Hierarchias Angelicas nouem Circulis, siue sphęrulis, Cētrum à quo processerunt ambientibus, comparauit. Quod quidem ille Cētrum, ipsarum Beatissimarum Mentium Principium, Creatoremque, Vnum, Trinumque DEVM esse censuit, à quo veluti viuo fonte suam essentiam tam Naturæ, quam Gratiæ cum earumdem perfectionibus, pro cuiusque captu, atque ad sui Creatoris maiorem accessionem, deriuarunt: *Sicut stabile, atque immobile Centrū,* inquit ille, *decenti æqualitate, dissimili tamen quadam similitudine Circulos iuxta se positos circino modificante ad se colligit, & illi quidem qui viciniores eidem Centro supra orbes, arctiori spatio voluuntur; qui vero remotiores, amplius suo circuitu dilatantur: Sic quodammodo in Cælestium Ordinum mira dispositione agitur. Increatus namque Spiritus omnium Spirituum Creator, & Ordinum Dispositor DEVS Cęlestes Essentias, rationales videlicet Spiritus in diuersis Ordinibus ac si circulos ad similitudinem suam, & æquitatem, è proximo respicientes, ipse Centri more immotus in se permanens, circa se collocauit. Et primas quidem ter ternas agminum cęlestium dispositiones in summis sedibus iuxta se posuit, hoc est, Seraphin, Cherubin, & Thronos. Secūdas autē post has principales Ordinū ter ternas dispositiones continent in Cælestibus. Sedes item ter ternis distinctas Ordinibus, quæ scilicet Dominationibus, Virtutibus, & Potestatibus complentur. Tertia vero quæ, & extrema est Ordinum distributio in tribus consistit, idest, in Principibus, Archangelis, & Angelis.* Ad quam Beatarum Intelligentiarum coordinationem assiduo vocum dulcisonarum, Diuinam Maiestatem collaudantiū præconio, censet esse factas nouem nostrarum vocum consonantias, vt ita eorum etiam voces, qui domos luteas inhabitant, eorum qui cælestes habitationes incolunt sociarentur, eorumdemque supernum Numen laudandi modum pro modulo suo æmularentur: *Quia,* inquit Vir Sanctissimus, *per nouem Ordines Angelicæ Virtutes dispositæ sunt secundum scripturam, laudem sui Conditoris incessanter decantant, has Sapientia Dei nobis ad imitandum proposuit, vt qui hoc in promissione habemus, quod Angelis Dei in cælis quādoque similes erimus; sic ad eorum societatem quotidie anhelemus, vt cum ipsis Creatorem nostrum semper laudemus. Hac namque deuotione promerebimur non solum veniam peccatorum, verumetiam consortium, & gloriam Angelorum. Et quoniam omnis Sapientia à Domino Deo est, omnium Artifex terrenos homines docuit huius artis scientiam, vt in modulandis Dei laudibus imitentur nouem Ordines Angelorum per nouem modos vocum. Ita Diuinæ Maiestati grates immensas referimus cuius dignatio cum Hymnidicis Angelorum vocibus nostras admittit voces: Nam iuxta numerum nouem Ordinum Angelorum, nouem sunt consonantiæ vocum, quibus in laudem Dei omnis cautionum modus contexitur.* Hæc ille.

Deus est Cētrum, nouem Chori Angelorum, nouē Circuli ipsū ambientes sunt.

Ad nouem choros Angelorum DEVM laudantium, nouem vocum consonantiæ in terris factæ, & quare.

Dei Sapientia docuit homines, vt in decantandis Dei laudibus Angelos imitarentur.

2. Quæ vbi Vir Sanctissimus præmisisset ad singulorum Ordinum declarādas proprietates, ac perfectiones gradum facit. Ac de Seraphinis quidē ita loquitur; *Seraphin in prima ternaria Ordinum cælestium dispositione altissimā Sede locata tanta Deo vicinitate supra coniuncta, vt nulla Spirituū agmina, inter ipsa, & DEVM media sint. Seraphin autem, Incendentes, siue calefacientes dicuntur, eo quod incendio Diuini amoris in comparabiliter ardeant, eique de proximo inseparabiliter adhæreant, scilicet vt*

sphæra Deo ipsi qui Ignis consumens est, vicinissima. Ab hoc igitur nobilissimo atque eminentissimo Ordine à quo & S. Areopagita Dionys. lib. cælest. Hier. c. 7. exorsus est initium desumamus.

Hos ideò Seraphinos vocari sanctissimus etiam asserit Doctor, *quod Diuinis rebus sempiterno motu, & nunquam lascessente studio inseruiant, ardoreque ac celeritate admirabili æterni sui motus, interiora etiam agmina ad sui similitudinem potentissimè subuehant; illa velut incendentes, atque ad similem feruoris gratiam exsuscitantes: præterea quod summa vi flammantis incendij expurgent, lucidâque, & illuminante proprietate caliginis, atque cæcitatis profligatrice, sint præditi.* Quibus verbis nobilissimę Seraphinorum proprietates nobis insinuantur, quas Virgo Sãctissima longè nobiliori modo in semetipsa repræsentauit. Quis enim vnquam Seraphinorum tãto studio, ac conatu, tàm sempiterno, & nunquam lascessente, tàm intellectus, quàm voluntatis in DEVM semper tendentis motu, à prima sui creatione Diuinæ illi deseruiuit Maiestati, atque Virgo Deipara à primo suæ cõceptionis instanti, in quo DEVM clarè videndo, non potuit non vehemẽtissimo voluntatis eundem amantis motu non ferri, eidemque quàm arctissimè per ardentissimam charitatem adhærescere? Vnde D. Thom. 1. P. q. 108. ar. 5. ad 5. ait Seraphinis nomen non à charitate tantùm imponi, *sed à charitatis excessu; quem nomen importat ardoris, vel incendij, explicarique à Dionysio secundum proprietates ignis, in quo consideratur in primis motus, qui est sursum, & qui est continuus, & hoc significari, quod indeclinabiliter ferantur in DEVM.* Hinc B. Antonin. 4 P. titul. 15. c. 44. & Albert. Magnus super Missus ob incessabilitatem contemplationis, Diuinæque laudis, super Seraphinos extollit Deiparam, quia licet illi iam à contemplatione, amore, ac laude Dei cessare nullo modo possint, fuit tamen aliquod tempus in quo cessare potuerunt, vt cessauit Lucifer, quẽ D. Greg. de ordine Seraphinorum fuisse fatetur, Sacratissima autem Dei Genitrix nullo vnquam temporis momẽto ab amore, & laude Dei cessare potuit, vtpotè, quæ in vtero Matris in immaculatæ conceptionis instãti Deum clarè vidit, sanctaq; atq; immaculata fuit. Quare B. Andreas Cretens. Epis. Orat. 1. de Dormit. Deip. ait, illam esse Primam Naturam, Seraphinorumque vicisse Naturam: *Virgo*, inquiens, *ipsorum Seraphin ipsam vincens naturam, miraculo Dei generationis prima Natura proximè accedens ad DEVM omnium generationum Opificem.* Verè charitate hac plusquam Seraphica Deipara super Seraphinos omnes accessit ad DEVM, deque ipsius charitatis ardoribus, super Seraphinos omnes participauit, vtpotè, quemadmodum aiebat Potho Sphæra circulusque Centro illi Diuino vicinissimas.

Seraphini Diuinis rebus sempiterno, nunquam lascessente studio inseruiunt, & reliquos Angelos ad sui imitationem accendunt.

Seraphini illuminante proprietate, caliginem expellente præditi.

Seraphini nomen à charitatis excessu sunt sortiti.

Seraphinorũ natura per proprietates ignis explicatur.

B.V. ob incessabilitatẽ contemplationis ac Diuinæ laudis est Seraphinis longè eminentior.

Seraphini à contemplatione, & laude Dei aliquando cessauerunt vt Lucifer, & ipsius asseclæ.

3. Hic nimirum charitatis feruor, in DEVM assidue directè tendens admirabilem illam Virgini mentis, animique pulchritudinem indidit, vt merito illam S. Ephrem Syrus sermon. de B.V. sanctiorem Seraphin, & incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosiorem compellauerit. Vnde præclarè Psellus apud Beat. Theodor. lib. 3. in Cant. explicans illud: Cant. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & cet. pronunciauit: Inter tot animas omnium hominum, qui saluantur, vt electa Columba est vna illa sola, quæ Christum genuit Virgo Mater Puella Maria, quæ puritate profectò Cherubin, & Seraphin antecellit.* Hanc porrò puritatem, animique pulchritudinem longè Seraphicam transcendentem, quisnam Virgini communicarit, docuit S. Gregorius Nyssæ Episcopus in illa verba Adolescẽtularum Canticorum 1. *Recti diligunt te*, seu vt vertere 70. Interp. *Rectitudo dilexit te*; quam ille Rectitudinem intelligens esse Dei Filium: *Ipsa*, inquit, Hom. 2. in Cant. *Sponsa addit miraculum, quod in se factum est, vt magis discamus immersam sponsi benignitatem, qui Dilectæ per dilectionem indidit pulchritudinẽ.*

Maria sola vna electa Columba, quæ DEVM genuit puritate Cherubin, & Seraphin superauit.

Dei Filius Matri dilectissimæ per dilectionem indidit pulchritudinẽ.

4. Neque vero solus Dei Filius Matri dilectissimæ hanc plusquam Seraphicam indidit venustatem, indidere quoque reliquæ Augustissimæ Triados Personæ Diuinissimæ, eamque veluti sponsam omnium gratiarum monilibus, charismatumque donis exornarunt. Vnde Cardinalis Halgrinus promissionem illam in Canticis ab hiscé sacratissimis Personis, Virgini huic factam arbitratur, cum dicitur: Cant. 1. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Alteram quoque promissionem illam apud Oseam cap. 2. eidem Virgini ab ijsdem Personis crediderim fuisse factam cum dicitur: *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te*

Omnes Personæ Diuinæ B.V. ornarũt, eamque sibi desponsarunt.

te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus; & sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus. Vbi aduertendum, inquit Viegas in c. 12. Apoc. comment. 1. sect. 4. *ter desponsationis nomen repeti, propter tres personas Diuinas quibus Ecclesia est desponsata*. Iam si omnes Augustissimæ illæ Personæ Diuinam illam, infinitamque omnipotentiam in Virgine velut sponsa, omnibus cęli pigmentis venustanda, omnibus gratijs, ac virtutibus decoranda exeruisse quodámodo visę sunt, quantam, quãq; admirabilem eius pulchritudinem, animique puritatem fuisse censendum est?

Diuinæ Personæ sua infinitá omni potentiam in ornanda B.V. exeruerunt.

5. Quis porrò Seraphinorum, reliquorum Angelorum agmina ad sui imitationem, DEVM ardentissimè amando, eidemque sempiterno, indefatigabilique conatu inseruiendo, excitauit vnquam, atque Virgo Maria? De qua iam pridem in figura dictum fuit: Rut. 4. *Sit exemplum virtutis in Ephrata, & celebre nomen in Israel;* Vnde S. Ambrosius, *Mariam speculum Castitatis, ac virtutis formam*: S. Hildephonsus ser. 3. de Assumpt. *Magisterium valdè eximium probitatis appellat*. Hanc ob causam B. Ioannes Geometra Hymno 3. Virginem piè salutans dixit: *Gaude Virgineũ ex virtutibus ortum exemplar virtutis, virtutum exemplar viuidum, & eximium*. Hinc ex antiquo Parisiensi Breuiario in eius laudem canit Ecclesia.

Maria speculum Castitatis, ac virtutum forma.

M. Magisterium valdè eximiũ probitatis.

M. Virtutum exemplar viuidum.

Omnis eius actio
In DEVM tendebat
Toto vitæ spatio,
Meritum augebat.
Quidquid egit penitus
Est forma virtutis,
Est doctrina Spiritus,
Est causa salutis.

B.V. quidquid egit est forma virtutis. doctrina Spiritus, & causa salutis.

Hinc iam memoratus S. Greg. Nyssenus Homil. 8. in Cant. ex versione septuaginta Interpretũ introducit adolescentulas, animas nempè fideles ingenuè fatentes, exemplo Virginis inditos sibi esse animos ad virtutes eius imitandas, dum dicunt: *Cor indidisti nobis soror nostra sponsa, cor indidisti nobis, in vno ex oculis tuis, & in vna torque colli tui*: *Multæ sunt*, ait Sanctus Antistes, *in vnoquoque imperitorum animæ, in quibus perturbationes animæ, per dominium, quod obtinent, transeunt in mores animæ, vt dolor, voluptas, ira, metus, &c. quæ omnia mutant quasi animæ characterem, seu formam. Qui autem vniformi quadam ratione ex præscripto virtutis vitam agit, vna anima viuit*. Atque ita Diua Virgo animâ illa sua vnica tot Diuinis virtutibus prædita, atque exornata cor, animumque ad imitandum indere, seu addere adolescentulis videbatur. Vnde eam contemplantes dicere videbantur ait Nyssenus: *Et vnus est tibi oculus, & vna anima, dum in vnum Deũ respicis, & affectu tendis in eum, qui est verè bonus. Situs quoque colli tui suam perfectionem habet, cum Diuinum iugum portet. Oculus enim, in Torque colli, videt Christi iugum. Vnde confitemur his tuis miraculis cor nobis inditum ad imitandum te, & ferendum iugum Domini per torquem significatum.* Hæc ferè Nyss. in persona Sanctarum animarum sponsæ vestigia imitãtium? Verè enim Deipara vitæ sanctioris, atque inculpatæ exemplo mortales omnes ita ad Diuinæ Maiestatis cognitionem, amoremque animabat, vt cor animumque indere, & velut Seraphinus quidam sibi subditis Angelis quasi admotis Diuini amoris facibus, ad DEVM amandum inflammare videretur.

B.V. nobis cor animosq; indit vt eum imitemur.

Vnus videtur esse oculus in B.V. vnus animus dum in vnũ DEVM sua intentione respicit.

Collum spõsæ suam perfectionem habet, cum iugum Diuinæ legis portat.

6. Hinc Diuus Potho Brumiensis Presbyter libr. 4. de Domo Dei de Seraphinorum natura, officioque loquẽs: *Secundum hanc*, inquit, *naturalis ordinationis rationem omnium naturarum Creatrix, & Illuminatrix Diuinitas, primam ac maximam claritatem suã copiosissimâ effusione excelsissimis Spiritibus, sibique vicinius adhærentibus, seque de proximo contemplantibus manifestat, & per eos, quæ post eos sunt Spirituum Sanctorum agmina, diuino participant radio. Excellentissimæ namquè Virtutes cælorum, Deo proximæ, ac primæ cognoscentes DEVM, & diuinam semper super excellenter desiderãtes Virtutem, ita operantur in omnibus, & super omnia, quæ Dei sunt, vt simillimâ virtute, & actione DEVM imitentur. Ipsæ vero summæ Virtutes Angelicæ post se ordinatas beatorum Spirituum Essentias, ad eam, quæ in se largissimè diffusa est similem virtutem, & conformationem Dei extendunt, copiosè ipsis tradentes, ex ea, quæ superuenit in eas claritate; & illa iterum acceptam claritatem subiectis, & per singulas primæ illi, quæ est post eam tradit. Prælati namque sunt alij alijs Spiritibus, & à Prælatis in subiectos Ordines diuinæ Sapientiæ, & scientiæ lumen proportionaliter peruenit*. Quod Potho de Sapientiæ dicit lumine, idem dixeris de Seraphicis charitatis flammis, quas illi à supremo Numine, ac Cẽtro, quod est Ignis, vt ait Augustinus, qui semper ardet, & num-

Seraphinis Diuinitas primam suam maximamque claritatem manifestat. Hi vero inferioribus Angelis.

numquam extinguitur, deriuantes, in inferiores Ordines transfundunt.

Angelis illuminatis illuminandi principium Deus.

Tandem ita concludit: *Est ergo cunctis simul cælestium Spirituum agminibus illuminatis, principium illuminandi DEVS.*

Quod nos iure transferre possumus in Dei Matrem, quæ ipsi, ob eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem, vicinissima principium illuminandi, imo & accendendi cum habeat ipsum Filium, cum quo vna caro, vnus Spiritus est, in ipsum, vtpotè, qui Ignis consumens est, transformata quodammodo, Diuinæ Sapientiæ luce, sicut reliquos Angelos, hominesque sibi subditos tamquam eorum Regina illuminat, sic charitatis ardore accendit, vt ita ab illa, post DEVM irradiati, atque accensi in amorem Conditoris sui exardescant.

Maria Filio proxima lumen ignis, ardoremque ab illo participat, & in sibi subditos deriuat.

Maria sua charitate in DEVM, & proximū Seraphinos superabat.

7. Quod S. Amadeus Lausan. Epis. intelligens Homil. 8. eam Dei, proximique charitate accensam, celeritate admirabili senas ipsas Seraphinorum alas longè excedente, orbem vniuersum ad inflammandos amore Diuino hominum animos circumuolitare asseuerauit. *Solerter*, inquiens, *intuendum est, quanto affectu, quantaué benignitate cognatos sibi puritate animi complectitur & diligit, quæ homines nequam, & sceleratos, suo interuentu à morte peccati, & æternis doloribus incessanter absoluit. Gemina quippè dilectione rutilans, & insignis, hinc in DEVM ardentissimè figitur, cui adhærens vnus Spiritus est hinc electorum corda blande consolatur, & attrahit, eisque Nati largitate, optima dona partitur: Motu ergo celerrimo Senas Seraphin alas excedens, nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis, nunc terras signis, & virtutibus illustrans vbique suis, vt Mater iucundissima, & mirificentissima occurrit. Quosdam præsentiâ suâ, subactis vitijs reddit victores: quosdam magnarum virtutum, pio interuentu facit compotes; quibusdam intimæ contemplationis pandit sinum; alijs in exitu vitæ iter præbet securum, vt nulla deterreat virtus aduersarij; quibus ducatum præstat ad Christum Mater Vnigeniti Dei.* Hæc Amad. de miris Virginei in nos amoris effectibus, quibus sanè cum Diuina charitate in hac vita ipsa languebat mirificè, velut suauissimis floribus, fructibusque recreari videbatur.

Maria gemina dilectione Dei, & proximi rutilans.

M. ob celeritatem nobis subueniendi Senas Seraphinorum alas vincit.

Mariæ varij effectus charitatis tam in animas, quā in corpora redundantes.

B.V. cum Diuino amore languebat, charitatis in proximum operibus velut floribus, ac fructibus refocillabatur.

8. Hinc illæ voces Cantic. 1. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quas ponderans Rupertus Ab. lib. 1. in Cant. pulchrè ardentissimum in DEVM proximumq; Virginis amorem expressit, dum eam ita loquentem introducit. *Scitis quicunque amici estis, quicumque illum diligitis, scitis quia quisque vestrum dicit: Cupio dissolui, & esse cū Christo, quanto magis, ego, quæ illum genui, cum illo esse cupio? Reuera non quomodocunque cupio, sed amore langueo. Igitur fulcite me floribus, stipate me malis. Hæc mihi sit consolatio, amore languere præ absentiâ dilecti, vnde possum consolari, nisi ex eo, vt credatis, & vt credentes vitam habeatis, ò populi, in nomine eius? Credendo fulcite me floribus; benè operando, & fructum vitæ æternæ percipiendo, stipate me malis. Ita enim fiet, vt non lassescam fatigatione dilationis. In hoc læua eius sub capite meo, quod interim dum differor, floribus vestris fulcior, malis vestris stipata sum, quia vester profectus, vestra salus, meum est gaudium, & nihilominus quidem amore langueo, sed in hoc consolata sum. Hæc est læua eius sub capite meo, videre me, impleri, quæ scripta sunt de eo, quæque ipse promisit de semetipso. Videre denique quod effudit Spiritum S. videre Euangelium prædicari vbique sequentibus signis, multiplicari credentes in nomine eius, reflorescere mūdum Ecclesiis eius, & fructificare cunctis virtutibus, curuari in nomine eius omne genu cælestium terrestrium, & infernorum. Læua hæc est sub capite meo. Hæc est consolatio magna quidem, sed maior expectatione, vel desiderio meo. Quæ est illa expectatio? Et dextera illius amplexabitur me. Id est gloria Patris, in qua ipse est, totam me circumdabit, & implebit. Quia delectationes in dextera tua vsque in finem.* Hactenus Rupertus de amore duplici, quo Virgo nostra beatissima etiam in hac vita DEVM, hominesque complectebatur, dum de Diuini Numinis honore, & gloria, deque proximi spiritualibus profectibus animitus lætabitur.

Vt B.V. bonis operibus fidelium refocilletur, & recreetur?

Noster profectus in virtutibus, & nostra salus est gaudium B. Virgini.

Quænam sint illa, quæ gaudium, & consolationē apportant B.V.

Consolatio est B. Virgini videre mundum Ecclesiis reflorescentē.

Quænam sit dextera spōsi, qua sponsam amplexatur? Gloria æterna est dextera sponsi.

9. Geminum hunc eumque ardentissimum Deiparæ amorem, dixerim ego fuisse expressum, duobus illis Seraphinis, quos supra solium excelsum, & eleuatum, quod eamdem Virginem denotabat stantes vidit Isaias capit. 6. Hinc idem Potho eodem libr. 4. *Seraphin*, inquiens, *quia incendentes dicuntur, geminæ Dilectionis, Dei videlicet, & proximi ardorem designant. Et quia excellentiorem esse viam charitatis, teste Apostolo, didicimus, rectè supra ceteras Angelicas Virtutes Seraphin collocata fuisse memoratur, quia nimirum virtutibus vniuersis eminet charitas. Seraphin ergo stant supra Templum, quia charitas, qua nos Christus dilexit, & qua nos inuicem debemus dili-*

Duo Seraphini super solium stātes notant geminum amorem B.V. in DEVM, & proximum.

diligere sanctum Ecclesiæ fastigium est, quo pertingit ad alta cælorum. Sic ille.

Charitas est Ecclesiæ fastigium.

10. Quod si Seraphinos dicamus ad amandas Christi sponsas, ab illo amore moueri, vt reuelatum fuit in quodam excessu mentis B. Magdalenæ de Pazzis Part. 3. noctes. quo Verbum æternum in suam sacratissimam fertur animam, in easque infundere amorem illum Vnitiuum, Communicatiuum, Transformatiuum, & Præseruatiuum, eodem prorsus si non maiori ac intensiori Virgo Deipara Seraphinorum, omniumque Angelorum Regina, ad nos diligendos amore mouebitur, ac simul in nos charitatem illam ita qualificatam infundet. *Infundet in primis sicut Seraphini vnitiuã; quia Christi sponsas magna cum celeritate vniet sponso, amoremque illum vnitiuum desumet à charitate illa, quæ inter Diuinitatem, atque Animam Verbi intercedit, quæ charitas omnes ab animabus imperfectionũ maculas, quibus obnoxiæ esse possunt, abstergit. Infundet Virgo nostra Amorem Communicatiuum in nos, efficietque vt totus noster Amor Deo ipsi adhæreseat gaudeatque si eumdem secum amorem viderit ab omnibus creaturis degustari, tantis denique amoris huiusmodi anima exardescet flammis, vt parata sit Deo ipso semetipsum priuare, vt eum cuicumque tandem creaturæ communicare possit, & dicere cum Paulo: optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis. Infundet quoque transformatiuum Amorem illum, qui ab illa transformante Diuini Verbi voluntate nascitur, & Seraphinis ipsis infunditur; quem postea illi infundunt alijs; qui sanè amor efficit. vt per participationem voluntatis, amorisque, homo quodammodo in DEVM transformetur.*

Seraphini ad nos amandos ea charitate feruntur, qua Verbũ in suam Sacratissimam animã fertur.

B.V infundit nobis amorẽ Vnitiuum.

B.V. infundit in nos amorẽ communicatiuum.

B.V. infundit Amorẽ trãsformatiuum.

Quæ quidem transformatio est ad instar cuiuspiam vinculi, quo anima Deo ipsi vnitur, & colligatur. Infundit denique Virgo in nos Amorem præseruatiuum ex Dei æternitate deprõptum, & concessum Seraphinis, quem postmodum illi in voluntatem sponsarum Christi infundunt, efficiuntque, vt voluntas sapienter, apprehendendo, & consentiendo, operetur.

B.V. infundit Amorem præseruatiuum.

Atque ita loquendo, si fierent Dæmonis operationes cum illâ bonâ voluntate Deus honoraretur, sicut è contra si Dei operationes cum malâ voluntate fierent, offenderetur.

Huiusmodi Amor reddit sapientem, ac prudẽtem animam. Sapientem quidem dum cum recta intentione operatur, intuitu Diuini honoris; Prudentem vero in omnibus virtutibus cõseruandis, quas in anima hi Sancti Amores producunt: reddit vigilantem, quia simul vniti preciosissimum quempiam conficiunt annulum, pro sponsalitio. Et quoniam Amores illi à Seraphinis processerunt, descendunt ijdem, & duabus alis assumunt in cælum sponsam, & alijs duabus eamdem exornant, ac demum duabus rel. quis eam conducunt, collocantque ante sponsum, vbi desponsatio facienda est.

Atque hic omnes Angelorum assurgunt Chori, sponsamque honorando, nouam quandam innouant laudem, ipsi ita concinendo: Hæc digna est, quæ nomen nouum accipiat, & procidentes adorauerunt eam, siquidem in Sponsa Sponsus quoque honoratur. Hæc Sancta illa anima, de amoribus Diuinis, quos si Seraphini animabus puris infundunt, multo magis credendum est, ipsam eorum Reginam suis Clientulis, eos communicare consueuisse, vt sacris huiusmodi flammis exardescentes. & ipsam, & Seraphinos imitantes tantæ, tamque amantis Matris verè pulchræ dilectionis, in se similitudinem repræsentent.

In Sponsa Christi honoranda, ipse quoque honoratur Spõsus.

11. Neque vero in Virgineis hisce Seraphinis siue Amoribus Dei videlicet, & proximi senæ alæ desiderantur. Senæ enim alæ istæ ex Diui Pothonis, & S. Bonauenturæ mente, bonorum operum perfectionem cum designent, quis hanc dubitet in Virgine omnibus virtutis numeris absolutissima, quæ summum illud Bonum, cui nihil deest vtero complexa est, vel maximè reperiri? *Sex alis velantur Seraphin*, inquit ille, *quia omnium bonorum operum perfectio in charitate consistit. Senarius namque numerus perfectus est, & perfectionem boni operis insinuat. Hinc est quod sex diebus operatus est Deus omne opus suum.* Habere porro Virginem in primis duas alas contemplationis, quibus Dei faciem velet, vti & Seraphini, exploratum est. Si enim eodem S. Pothone teste, ideo caput Diuinum contegebant, *quod illi beati Spiritus certos fines in contemplatione Diuinitatis, quæ sine initio est, non excedant, nec ad superbam, & audacem, impossibilemque Diuinæ Maiestatis scrutationem, supra mensuram suam se extendant. Hoc est namque quod Apostatam Angelum de fastigio Angelicæ dignitatis eiecit, quia Deo paria sentire superbè appetebat;* Si, inquam, ita beatissimi isti Spiritus, tantâque animi demissione Diuinitatem rerum omnium caput, ac principium contemplantur, multo sane magis Deipara sapientissima, quæ licet Dei Mater esset, erat tamen pura creatura, cui Dei, vt æternum etiã est Principium comprehensio omnino est impossibilis. Vnde & ipsa alis suæ contẽplatio-

Sex Seraphinorum alæ operum perfectionem designant.

Quid est alis Dei caput velare?

B. V. Dei cõprehensio est impossibilis.

plationis caput hoc incomprehensibilis, naturâ sua, Diuinitatis ipso facto, imbecillitatem humanam confitendo obuelare visa est. Nouerat enim verissimum esse illud, quod eius Parens aiebat Salomon: *Qui scrutator est Maiestatis opprimetur à gloria.* Prou. 25. 27.

Quid sit alis Dei pedes velare?

12. Similiter duabus alis Beata Dei Mater, vti *Angeli Seraphin pedes contegit, vt se adfinem attingere videndo, vt loquitur idem Potho, non posse manifestet. Solam quippe Dei Sapientiam, quæ ex ore Altissimi prodijt nouerat attingentem à fine, vsque in finem fortiter omnia disponere suauiter.* Nouerat denique verissimum esse illud quod dicitur apud Iob cap. 11. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendos, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? profundior Inferno, & vnde cognosces? longior terra mensum eius, & latior mari.*

Pedes Dei est Humanitas Christi.

13. Quod si per Pedes Dei, Humanitas æterno Verbo, vnione hypostatica copulata, qua velut pedibus ad nos inuisendos Deus aduenit, intelligatur, vt volunt S. Hierony. & Rupertus, Abbas, facile perspicimus Deipara alis suæ contemplationis hoscé pedes ideo obuelasse, eo quod Mysterium hoc in essentia sua sit supernaturale, nec naturalis intellectus viribus, vt docent Theologi, cognoscibile, ac denique ob Diuinum Verbum natura sua immensum ac infinitum quod in hoc Mysterio sibi humanitatem personali vinculo copulat, incomprehensibile. Hinc Dionysius Areopagita, Arcanum hoc Sacratissimum, quam difficile cognitu sit, agnoscens sapienter pronunciauit: Incarnatione Verbi omni sermone ineffabilem, & ipsi antiquissimorum Angelorum Primasium satis perspectam.

Incarnationis Diuini Verbi B. V. est incomprehensibile.

14. Duabus denique contemplationis alis volare Virginem longè expeditius diuinorum secretorum perscrutando mysteria, quam Seraphinos euidens est. Si enim de illis idem S. Potho asseruit; *In medijs alis continuum videntur monstrare motum, quo multam Diuinorum secretorum viam, cellerrimo speculationis volatu penetrant, vbi de inuisibilibus Dei multa, quæ ab aliorum intellectuum oculis remota sunt, intuitu perspicacissimo vident;* multo sane magis cõtinuam hanc Diuinorum secretorum speculationem eamque celerrimam nacta fuit Virgo Deipara, in eaque ab aliorum omnium tam Angelorum quam hominum cognitione remota, acutissimâ mentis suę indagine cognoscendo, Seraphinos transcendit, vtpotè increatæ illius Sapientiæ, omnia penetrantis, ac comprehendentis Mater, simul ac dignissimum domicilium, amica item singularis cui intima arcana, quã Filius à Patre audiuit, illi nota fecit, lõgè clarius, quam olim Apostolo. Vnde Dionys. Richel. lib. 3. art. 4. rectè illi dixerat. *Porro arcana verba, quæ homini reuelare non licet tibi vtique ni fallor, plenique omnino, quã seruo suo Apostolo reuelauit.* Quo circa, *si altissimas,* vt inquit, idem Potho, *cælestium Agminu essentias sic ad altiora contẽplãda superessentialis Diuinitatis Essentia semper inducit, vt eas ad manifestandã subiectis agminibus Diuinorum scientiam reciproco volatu reducat:* quanto magis inducat Matrem suam sacratissimâ ad Diuina, assiduo contemplationis volatu peruestiganda quo & reliquis suis clientulis sibi subditis de sua luce communicet, eosdemque velut Aquila pullos suos ad volandum prouocans, ad meditanda assiduè cælestia inducat, filiosque se dignos, & non degeneres efficiat? Hinc videre est nonnullos huiusmodi in Parthenijs ipsius Sodalicijs clientulos, qui diebus singulis aliquam diei horam in meditandis magna cum pietate cælestibus, miro Spiritus fructu, ac profectu impẽdunt. Vnde postea illos cernere est in omnibus vitæ suæ actionibus circumspectos, & diuinâ quadam Sapientiâ illuminatos supra ætatem, supra hominem sapere. & Angelicam quandam conuersationem manibus sui præseferre.

B. V. duabus contemplationis alis semper volabat Diuina, & arcana Dei mysteria meditando.

Sodales Parthenij Diuina meditantes quam bonis moribus prædititi

15. Quod si senas hasce alas Seraphicas dicamus cum Seraphico Bonauentura libr. de 6. Alis Seraphin, singulares quasdam esse virtutes eorum, qui in aliqua Ecclesiæ dignitate constituti alijs præsunt, eosque regunt, omnes sane, in comparabili cum præeminentiâ in gloriosissima hac totius Vniuersi Regina reperiemus. Vnde si idem S. Doctor cap. 1. dixit, quod *ideo tali similitudine, sex nempe alis instructi Seraphini Sãctissimo Patri Francisco in illa gloriosa visione Dominus apparuit, quando eum Passionis suæ stigmatibus insigniuit, vt ostenderet sic alatos spiritualiter esse debere, qui eius familiæ præesse vtiliter vellent;* quanto magis, vniuersorũ Domini ac moderatoris Matrem, ac Domina, cuius pedibus omnes

B. V quomodo balis Seraphin fuerit ornata.

S. Francisco Christus in forma Seraphini apparuit. vt ostẽderet tales esse debere superiores in hoc ordo.

nes mundi creaturæ sub typo Lunæ subijciuntur, eisdem, & longè præclarioribus virtutum alis decet esse instructam, atque decoratam?

Quis sit zelus iustitiæ.

16. Et prima quidem ala de qua capit. 3. agit Bonauentura instructam fuisse Dominam nostram, quæ est zelus iustitiæ, quæ non potest aliquid iniustum, sine cordis murmure in se, & in alijs sustinere; quem zelum decursu capitis ad zelum etiam Diuini honoris, & gloriæ, detestationemque peccatorum, quæ DEVM offendunt, extendit: *Tantum enim quisque bonus existimandus est*, inquit ille, *quanto plus, & purius odit malum. Quantum enim res diligitur, tantum de eius destructione doletur*. Quis porro hac zeli alâ, longè super Seraphinos omnes, Deiparam instructissimam fuisse nesciat? Si enim hanc primam zeli alã arbitratur S. Doctor habere illos, *qui nimirũ innocentiâ, & virtutibus insignes, zelo iustitiæ, & animarum calent, qui consolationẽ de propriæ salutis profectibus non suscipiũt, nisi alios secum trahant ad DEVM, exemplo Domini, qui cum in se plenum semper habeat gaudium, non contentus gloriam solus habere, exiuit, assumptâ forma serui, vt multos filios in gloriam secũ adduceret opere, & doctrinâ. Zelus enim iustitiæ, quasi coccus bis tinctus, duplici charitatis colore rutilat, amoris nempe Dei, & proximi. Amor Dei non tantum desiderat eius dulcedine frui, & ei adhærere, sed etiam diligit eius beneplacitum impleri, eius cultum ampliari, & honorem sublimari. vult enim cũ ab omnibus agnosci, ab omnibus amari, ab omnibus ei seruiri, & super omnia honorari. Amor proximi non tantum corporalem desiderat sospitatem, & temporalem prosperitatem, sed magis æternam salutem. Vbi ergo charitas ista perfectior, ibi feruentius desiderium ista promouendi, & instantius studium, & purius gaudium, vbi hęc inuenit*.

Zelus honoris Dei, ad agnitionẽ & amorem Dei excitat.

Hæc vero tam ardens charitas, in quo tandem sic ex æstuesse pectore, atque Virginis gloriosissimæ, de qua S. Amadæus Episc. Homil. 2. de laud. B. Virg. Rubet, vt Sphæra ignea, vt Regis purpura, vt coccus bis tinctus amorem pręferens Dei, & proximi.

Quibus medijs B.V. amorem Dei, & proximi in se auxerit.

17. Quantus porro hic Dei zelus, amorque in præcordijs Deiparæ exarserit, & quibus motiuis, velut flabellis agitatus magis, magisque in dies singulos æstuarit, piè admodum Venerabilis Dionysius Richelius li. 3. de laud. & Præc. B. Virg. cap. 4. descripsit. Cum enim verba illa ignita atque amatoriã præmisisset Sponsæ. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Cant. 2. mox attexuit: Vox tua est hæc ò Maria. Nempe si Christus omnibus toto corde, tota mente, tota anima, & omni virtute diligendus est, tibi tamẽ singulariter, & ex specialibus multis causis amandus extitit. Hæ porro tibi ò benedicta Diuinæ charitatis rationes fuerunt; quoniam ille creator, tu creatura; ille Dominus, tu Ancilla; ille saluator, tu liberata; ille beneficiorũ, gratiarumque largitor, tu ea sortita; Et hęc quidem tibi, ceterisque communes Diuini amoris fuere rationes. Sed speciales restant causæ; quoniam ille Filius, tu Mater; ille sponsus, tu singularis sponsa; ille familiaris, tu secretaria. Fateor, ò mea Domina incõparabilis, & inæstimabilis Maria, quoniam & si omnium Rhetorum eloquẽtiâ, linguisque pollerem, cunctorum Philosophorum subtilitate, ac scientijs ornarer, & demum ipsorum etiã Apostolicorum virorum gratiâ, sapientiâ, ac sanctitate resplenderem, effari tamen, imo etiam concipere ineptus, atque impotens essem, quantopere tu ex omnibus his dilectionis fomẽtis Christi Filij, Deiq; tui calentissimâ ęstuantique incessabiliter charitate ardebas, dum vniuersa hæc mente reuoluebas, & Christum Dominum tam corporeis, tam internis oculis tuis fælicissimis cõspexisti. Enim vero nos quoque seruuli tui permodici, amori Filij tui nos totos debemus, quoniam creauit nos; denuo quoniam redemit nos, debemus nos totos; imo tantum eius dilectioni debemus, plusquam nos, quantum ipse nobis præstantior, sublimiorque est, pro quibus semetipsum obtulit, totumque impendit. At vero si parẽtis amor, & gloria Filius sapiens ametque naturaliter proprij ventris germen tãquam aliquid sui Genitrix vera, elucescit sane, quoniam quo sapientior, ac melior proles fuerit, eo feruẽtius à bona, sensataque Matre, ac iucundius amatur. Tui autem ò Maria Virginei, dulcissimi, ac fœcundissimi ventris fructus, Dei vtique Sapientia est, & virtus, omnisque sanctitatis, ac scientiæ fontana origo, ideoque tibi, ò Domina, prę cordialissimè erat amabilis. Neque necesse tibi fuit quidquam extra eum desiderare, aut exquirere, in ipso namque omnium pulchrorum, atque bonorum per-

B.V. charitas nulla Rhetorum eloquẽtia explicabilis.

Totos nos Deo debemus, quia creauit nos.

Amor B.V. in Filium fuit ardẽtissimus, & quibus de causis.

perfectè est sita possessio, quippe quo nihil pulchrius, nil dignius, nil sanctius excogitari valet. Ad hæc, ne pluribus existentibus filijs, amor tuus diuideretur ac minueretur, vnicum duntaxat Filium habuisti, & in eo syncerae, ac Sanctę delectationis materiam inuenisti. Amplius quo tibi plura contulit, eo tibi intimius erat amandus. dona autem quæ tibi, ò excellentissima Virgo, contulit, magna sunt nimis, ineffabilia, & supernaturalia. Non enim tantum sua, sed & seipsum tibi dedit; se tuum Filium fecit; per te primum misericordiam, atque salutem mundo inuexit; ac per hoc omni creaturâ te prę stantiorem constituit. Quid namque illi æquari potest, quæ Vniuersitatis Cõditorem produxit? Præterea si fælix nunc, olim illa peccatrix multum dilexit, multum ei Christus donauit, non tam gratiam infundendo, quam indulgentiam exhibendo, ac deinceps gratiam præstando: quanto magis, ò Maria, multum amaueras, quam Deus eatenus præuenit, elegit, & prælegit, in vtero sanctificauit, ab omni prorsus culpa veniali, atque mortali immunem seruauit, & spirituali omni profectu indesinenter repleuit. Hæc Dionys. de ardetissimo zelo, ac charitate, qua Virgo ob varia motiua in Filio Dei reperta, ad eum supra mortales omnes, super ipsos Seraphinos amandum incitabatur.

B.V. vnicum Filiũ habuit, vt totus eius amor in illũ solum tenderet.

Nihil B.V. æquari potest, quæ vniuersitatis Conditorem produxit.

18. Eundẽ Dion. similiter de zelo, & charitate, qua Virgo erga salutem proximi, æstuabat, cupiens eum diuinæ cognitionis iubare collustrari, eius amore succendi, vt eum semper, & vbique laudibus celebrare, atque ipsius gloriam exaltare posset, differentem audiamus. Sic enim ille eodem lib. 8. ar. 5. amplissimam hanc ipsius Charitatem mortales omnes amplectentem Terebintho, ramos, suos longè, latèque expandenti comparando, loquitur: *Omnium Diuinarum perfectionum est hæc eminentissima, Dei cooperatorem esse circa proximorum salutem. Etenim amor proximi, & ex eo proficiscens animarum zelus diuinæ charitati coordinatur, eum proximè comitatur, in his nempe tota lex pendet, & Prophetæ, nec ab inuicem segregantur, quoniam qui DEVM diligit, eius quoque imaginem amat. Hoc enim mandatum habemus à Deo, vt qui DEVM diligit, diligat, & fratrem suum. Inuenimus autem in viris beatissimis, inter quos Hebræorum Doctor, & Magister gentium resplendent, hac proximorum dilectione vehementer, ac incrediliter arsisse. Nempe pro populo illo durę ceruicis, rebellique plebe DEVM orans Moyses: Dimitte, inquit, populo huic hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti. Et Paulus de incredulis scribens Iudęis: Optabam ait, ego ipse anathema esse à Christum pro fratribus meis Iudęis. Et ad gentes loquens: Libenter impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris. Itaque si hæc proximi dilectio sic in Christi ministris abundauit, copiosius vtique in Matre eiusdem Sanctissima superefluxit. Denique quo Christum perfectius quis diligit, eo sanguinis eius precium, mortisque meritum intensius in hominum salute operari, ac fructificare appetit. Ideo sicut præ cunctis Christum Maria incomparabiliter amauit, sic eorum, qui ipsius Sancto, precioso, ac decoro redempti sunt sanguine præcordialius semper saltem desiderauit. Pręterea cum ipsa sit Ecclesię Mater, & Aduocata, ac Protectrix constituta, eius certissimè bonum, materno semper zelo affectauit, atque in hoc quoque sicut in reliquis Filio suo simillima extitit.* Sic ille. Ex quibus facile intelligimus, Deiparam primâ illâ alâ Seraphicâ, nempe zelo iustitiæ, amoreque Dei, & proximi præ Seraphinis, Cælitibusque omnibus instructam fuisse.

Charitas B. V. omnes homines cõplectens Terebintho similis.

Omniũ Dei perfectionũ maxima, cooperari Deo in salutem animarum.

Amor B. V. erga proximum ardentior, quam Moysis, & Apostoli Pauli.

Quo quis magis Christum diligit, magis eius mortis meritum fructificare in hominum salutem appetit.

Maria hominum Mater amantissima, & Christo in hoc amore simillima.

19. Quod si cum B. Petro Cardin. Dam. serm. 52. primam hanc alam dicamus, esse *ipsam dignitatem productionis Naturæ Angelicę, quę est principium viarum Domini, vt ait scriptura. Quantum priuilegiũ,* inquit Damianus, *quod illa cogitatio altissimi in hoc primum opus prorupit? Decebat profectò, vt singulari gloria pręfulgeret, quod de manibus Dominantis primitiuâ creatione processit.* Cuius operis præstãtiam idem Vir Sanctus ex illis Ezechielis verbis cap. 28. colligit; Tu signaculum similitudinis plenus sapientiâ, & perfectus decore, in delicijs Paradisi Dei fuisti. Non solum similitudo, sed & signaculum similitudinis, vt tanto subtilius Imago Dei insinuetur expressa, quanto differentius signaculum similitudinem præ cedit. Vbi autem plenitudo sapientiæ, decoris perfectio, Paradisi deliciæ nominantur, tota simul iungitur beatitudo, concludit Damianus. Si, inquam, dignitas Naturæ Angelicæ inde colligitur, quod primũ Dei opus, sit ipsius quodammodo manibus supremi Artificis elaboratum, ornatumque varijs virtutum gemmis; multo sane maioris dignitatis atque pręeminẽtiæ

Angeli dignitas, quod sit prima creatura à Deo condita.

Primi Angeli præclara ornamenta.

tiæ Opus erit Virgo Deipara, vtpote, quæ ab æterno in mente Diuini Opificis primogenita ante omnem creaturam versabatur, de qua præclarè pronunciauit: Rich. à S. Laur. in Prol. *Maria Virgo mater supremi Artificis Opus est singulare*. Et B. Andreas Cret. orat. 2. de Dormit. *Hæc est à Deo sculpta statua bene depicta supremi Opificis Imago*. S. denique Bonauen. in speculo cap. 7. ponderans illud Eccli. 42. *Gloria Domini plenum est Opus eius*. *Antoniomasticè*, inquit, *Opus Domini mirabile est Maria*, *de quo Eccli. c. 43. Vas admirabile opus Exceli*.

M. est Opus Dei singulare, ac mirabile.

Verè Opus admirabile, quia nunquam ei inuenitur simile. Idem quoque Bonauentura de illis Angelicarum gemmarum ornamentis sic illi modulatus est Psal. 23. *Gloriā, & decorem induisti; omnis lapis preciosus amictus, & operimentū tuū. Splendor solis super caput tuum, lunaris pulchritudo sub pedibus tuis. Sydera micantia ornant sedile tuum, astra te glorificant iugiter matutina*. Atque hæc de ala prima dixisse sufficiat.

20. Iam ad alam secundum Virginei huius Seraphini videamus.

Hanc Seraphicus Doctor cap. 4. *pietatē, siue fraternam compassionem esse dicit, vt ita sicut Charitas Dei ad Zelum iustitiæ inflamat; ita fraterna dilectio ad pietatem informet. Nam etsi vitijs debetur virga feriens, infirmitati tamen necessarius est baculus sustentās, dicente Propheta: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Psal. 22. Sic & ille Samaritanus vulneribus illius semiuiui relicti, infudit vinum Zeli feruentis, & oleum pietatis mitigantis. Alia est autem infirmitas corporis, alia mentis, & vtraque indiget compassione, &c.* Qua sane si quis vnquam animarum moderator vsu est, vsa est vel maximè pientissima Virgo misericordiæ Regina, & Mater, in eaque omnes Seraphinos, Cælitesque incomparabili transcendit interuallo. Hinc S. Antoninus Archiep. Florent. 4. Part. Tit. 15. cap. 23. ostendere volens omnes beatitudines fuisse in Deipara, cū de quinta discurrit, quæ est de misericordia, ita loquitur: In qua excellit omnes sine comparatione, quod patet ex hoc, quia dicitur, & prædicatur Mater misericordię, quod nulli alij propriè conuenit. Dicuntur autem aliqui Viri misericordiæ, qui omnes habent comparationem ad misericordiam per modum originis essentialis, & per modum Matris. Conuenientia autem essentialis in proportionabiliter excedit modum inhærentiæ per modum accidentis. Hinc vniuersos excessit misericordiâ. Itē quod quid est causa Causæ, est etiam causa Causati. Beatissima autem Virgo est causa Filij, Filius autem est causa omnis misericordiæ, ac totius boni miserias nostras tollentis. Ergo & Mater est causa totius misericordię; quod sane alij nemini cōuenit. Denique quod æquè, propriè, & principaliter habet duas Naturas inconfusas, æquè, & propriè etiam proprietates duarum Naturarum. Sed Christus omnes operationes attribuit Patri, qui est Pater misericordiarum, & à quo ipse est, per æternam generationem. Ergo attribuet & Matri, à qua ipse per temporalem generatione editus in lucem est, attribuentur operationes eius, quæ illi, ratione humanæ Naturæ conueniunt, sicut & Patri operationes, quæ diuinæ Naturæ conueniunt. Sed secundum humanam Naturam Christus exhibuit nobis officium summæ misericordiæ in passione; ergo, & beatissimæ Virgini attribuentur effectu summæ misericordiæ; quod etiam patet ex modo loquendi Ecclesiæ: Hodie mortē quam femina intulit, fœmina fugauit; & quæ damnauit, saluauit ipsa: Benedicta ergo tu in misericordia. Sic ille.

B. V. compassione & pietate erga proximum omnes Seraphinos superauit.

Elogiū hoc: Mater misericordię propriè conuenit B. Virgini.

Maria per Filium est causa misericordiæ illum pariendo.

21. Pietatem hanc, siue compassionem varijs exhibuit Deipara in primis infirmitate corporis laborātibus, eos pristinæ sanitati restituēdo, vt passim ex ipsius votiuis tabellis, quæ ad eius Templa deferuntur cernere est, illud solum hic commemorasse sufficiat ad solacium eorum, qui sese totos eius scribendis, pangendisque laudibus impendunt, huiusmodi vel maximè siue prosperam valetudinem restituere, siue firmam, incolumenque conseruare consueuisse. Testis huius rei est P. Benedictus Fernandius noster, cultor B. V. eximius, de quo P. Philippus Alegābe in Bibliot. Scriptorum Societatis, qui tantis Deiparam celebrandi ardebat studijs, vt inter tot alias, tamque graues occupationes sesquiennio duntaxat primum suarum lucubrationum volumen in Genesim, quod ægre fortassis quispiam alius, vel scribendo potuisset assequi absoluerit magnā Doctorum virorum, miram, variamq; eius eruditionem suspicientium, approba-

P. Benedicti Fernandii amor in Deiparam.

P. Fernãdius fæliciter scripsit in Genesim patrocinante B. Virgine.

tione,ac laude. *Sed forte*, inquit, P. Aleganbe, *ea laus debetur Beatissimæ Virginis cultui, cuius quam fuerit studiosus satis, superque loquuntur eius scripta, quæ non solum omnia illi vni dicauit, sed nullam omnino lectionem præteriuit, quam non eius encomijs exornauit*, vt vel hoc nomine ipsius egregia ingenij monimenta Concionatoribus omnibus gratissima accidant, quod ea præconijs Deiparę, veluti pulcherrimâ amabilissimaque luce collustret.

B.V. Fernandio grauiter ægrotanti sanitatem restituit ob sæpius ipsius Conceptionẽ laudatam.

Vnde quid mirum si hanc pietatis, ac misericordiæ Matrem non solum sanus propitiam, ac benignam in tantis mẽtis,corporisque laboribus,verum etiam ægritudine oppressus, fuerit expertus; & maximè cum in alterum Tomũ impenderet studium in quo grauissimè pene ad mortem vsque doloribus esset afflictatus, Beatissimæ Virginis Patronæ suæ opem cum lacrymis implorando, salutem è vestigio pristinam impetrauit. Quam illi gratiam ideo exhibitam ab hac Matre pietatis omnis plusquam Seraphicæ, crediderim, quod ipsius immaculatæ Conceptionis tuendæ studio incredibili sæpe sæpius,vt in eius ingenij monimentis videre licet, exarserit. Atque vt plurima alia de ipsa celebrata elogia silentio inuoluam, illud profecto me mirum quantum affecit, cum in commentario capit.26. in Gen. sect.4. nu.13. legi verba illa pijssima, ex amãtissimo illo corde in Virginem profecta: *Non patiar Domine, non feram hanc tibi, tuæque Matri Sanctissimæ,ac purissimæ labem, ignominiamque inuri, sed hoc in tuis auribus repetam, & vniuersa creaturæ prædicabo,ac mecum identidem versabo. Benedicta & laudata sit Conceptio immaculata,& immunis ab originali reatu semper Virginis Dei Genitricis Mariæ.* Quem ego similiter imitatus ante tuæ Diuinæ Maiestatis thronum coram omnibus Angelis, Cælitibusque prostratus summo quo possum deuotionis affectu, clausulâ nostri Sodalicij immaculatæ Conceptionis, cui indignus hic præsum, vsurpando exclamo: *A solis ortu vsque ad occasum laudetur omni hora immaculata Conceptio B.M.V.* Pro hac sua denique egregia in immaculatam Diuæ Virginis Cõceptionem volũtate, inter alios cæli fauores, mercedis loco eum accepisse mihi persuaserim, vt ipso Conceptioni eius sacro die, ex hac vita ad illam longe fæliciorem emigraret.

Fernandius ipso Concept. B. V. die moritur.

22. Testis quoque est Virgineæ huius pietatis,ac commiserationis in persanandis ac tollendis infirmitatum, suorum clientulorum miserijs Thomas Sailius, qui cum in gentem sanguinis vim,ruptâ vena spuisset, vt scibit idem P. Aleganbe in sua Bibliotheca, habitus à Medicis inter deploratos, voto Aspricollensi Virgini concepto, visus est sibi illam videre præsentem, stipantibus S.Barbara, alijsque Virginibus,& audire Christo Filio suo dicentem: *Sine nostrum hunc seruulum, etiam num paulisper viuere.* Vixit vere supra spem Medicorum, multo etiam quam ante sanior, plane vt nullâ illi opus fuerit in posterum medicina; quin etiã,quæ grauior illi olere solebat anima, iam suaue nescio quid spirabat. Ab eadem Virgine cum corporis incolumitate,varias quoque virtutes, quæ ipsius animi verissima sunt sanitas,accepisse visus est. Pietas nempe illi quasi innata fuit,quæque in corde ardebat,lucebat in vultu, erumpebat in voces deuotionis amentatas. Christi seruatoris in Eucharistia, & Matris eius Virginis Sanctissimæ cultor eximius fuit, vt si quid videri posset in hac re nimium, nimius videri posset. Ab eadem Deipara virtutem illam ipsi proprium ac dilectissimã, Humilitatem videlicet suxisse cum singulari illa, in ipsam, Filiumque eius pietate, visus est. Submissione enim animi tanta fuit, vt minimum se hominum, & peccatorem primum,vel in ipso mortis articulo serio agnosceret, diceretquẽ suas sibi laudas etiam post mortem displicituras, ne dum placerent viuenti. Ab eadẽ Virgine animi,corporisque puritatem imbibisse visus est. Siquidem illabatam castimoniam,vt idem scribit Auctor,ad vsque extremum vitæ seruasse, certa propemodum opinio est.

P. Thomas Sailius per B.V. Virginẽ sanatur.

Sanitati restitutus per B. V. sanior quã vnquam ante fuerit, euadit & in posterum nulla est vexatus infirmitatẽ.

Sailij Humilitas magna.

23. Neque vero solum Virgo benignissima pietate, ac misericordiâ suâ corporales in nobis tollit defectus, miserias,ac infirmitates, verumetiam, ac multo magis spirituales infinitæ prope modum illius suæ Bonitatis communicatione, & hic dum viuimus, & hinc in aliam vitã in periculosissimo illo mortis articulo, cum emigramus. Hinc B. Albertus Magnus Tractat. super Missus cap.150. ait, *ideo Reginam misericordiæ dici Deiparam, quia ab ipsa fuit Regni misericordiæ origo, & ab ipsa est potestas prima misericordiæ,& gratiæ, & quia præterea ipsa est Regina illius Regni misericordiæ, quod nunc viget*

A B. V. est origo Regni misericordię, & potestas. quia per illã misericordiã suscepimus in medio tẽpli, ipsum Christum.

in

in quo nondum recipimus secundùm merita nostra mercedem, sed adhuc regnat misericordia, peccata dimittendo, pœnas diluendo, bona multiplicando, mala differendo. Cuius Regni, & origo, & potestas prima est à B. Virgine, per quam misericordiam suscepimus tuam Deus in medio Templi tui IESVM Christum, per quẽ misericordia, & veritas facta est, qui propriè modo regnat super eos, quos proprio sanguine redemit, & passione, & morte sua regenerauit, sibique configurauit, donec in fine omnibus cõpletis tradiderit Regnum Deo Patri.

Cum igitur in hac vita, quæ Regnum misericordiæ dicitur, per merita Christi, eiusque passionem, sanguinem, ac mortem, nobis peccatorum, ac pœnarum miseriæ, diuinæ bonitatis, ac gratiæ communicatione tolluntur, virtutes ac Spiritus sancti dona, & charismata infunduntur, mediatè hæc omnia etiam per ipsam Dei Matrem, quæ nobis peperit Christum IESVM, populum suum saluum facientem à peccatis eorum, fieri dicuntur. Pergit inde idem Albertus probare fusius ex SS. Patribus verè Deiparam Reginam esse misericordiæ. Si enim secundum Glossam, ad illud: *Beati misericordes, misericordia est, dare & dimittere; & B. V. inproportionabiliter plus dederit, & dimiserit omnibus viatoribus super omnes creaturas, consequens sane est, illam misericordissimam, ac pientissimam esse, & misericordiæ beatitudinem super omnes habuisse.* Item Ambrosius: *Misericordia est nullum relinquere in miseria, & nullum miserum facere, quod in summo fuit in B. V. Igitur beatitudinem misericordiæ in summo eam habuisse necesse est. Bernardus denique Misericordia, inquit, non solum in eleemosynis consistit, sed in corripiendo omni peccato. Hoc in summo fuit in B. Virg. respectu omnis creaturæ, quis igitur simpliciter super omnes, beatitudinem misericordiæ eam habuisse neget?*

Misericordiæ est dare, & dimittere. quod fecit, & B. V.

B. V. nullum relinquit in miseria, qui se illi commendat.

Misericordiæ est corripere peccatores.

24. Virginem porro peccatores corripuisse, & à præsentissimo interitu sæpius liberasse, pluribus alibi ostẽsum est. Certe in Annuis Collegij Cordubensis Anni 1610. huius beneficij præclarum exemplum me legisse memini: Quidam enim peccatis grauibus excæcatus Clementissimæ huius Matris, opẽ sensit: Hic enim cum à spe nescio cuius boni esset deiectus, cum eâdem, spem quoque vitæ decreuerat abijcere. Ita mœstus in suburbano agro cum facinus meditaretur in ea verba prorupit: *Vsque adeo miser ego ab omnibus rebus destitutus, vt ne Diabolus aliquis præsto sit, qui laqueum ministret interituro?* Vix ille hæc absoluit, & iam collo in laqueum inserto in suspendium trahitur, nemine vspiam parente. Sed ille cum rẽ iã serio agi sentiret, tum primum dirorum verborum cæpit pœnitere, & fidem Beatissimæ Virginis, toto mentis affectu inclamare. Nec misericordiæ Mater preces miserandi hominis, surdâ aure præterijt, tantâque miseriâ, ac calamitate eumdem liberare neglexit.

Quidam laqueo Diaboli in collum iniecto trahitur ad interitũ, & à B. V. liberatur.

Nam constringentis laquei nodus illico laxatus liberum eum permisit abire; qui recta ad Nostrum quædam Patrem se contulit, rem omnem cum peccatis, inspirante, ac illuminante Illuminatrice sine dubio Virgine, cuius auxilium implorarat, detexit. ac ne delirantis somnium putares, laqueum ipsum ostendit. Quod porro Virgo his miserijs eos leuet, quæ moribũdos grauare, ac vexare consueuere, exploratum est. Ipsa enim pro ingenita sibi pietate in postrema illa plane formidabili vitæ catastrophe nobis assistere, nosque à Dæmonum insidijs protegere, solari & demum ad æternam beatitatẽ deducere consueuit. Vnde S. Antoninus Archiep. Flor. Par. 4. Titul. 15. cap. 24. de ipsa loquens: *Hæc est,* aiebat, *Virga Regis Assueri, qui interpretatur Beatitudo, quâ extensâ super illum, qui ingrediebatur ad eum saluus erat, & qui non tangebatur ab ea, occidendus eijciebatur. Accedentes .n. ad DEVM per orationem in morte, tot sunt demerita, ac peccata nostra, quæ nos circumstant, vt nisi interueniant preces Virginis, reprobentur vt præsumptuosæ orationes nostræ, & rei mortis iudicemur, nisi ipsa subueniat. Hanc fortassis etiam ob causam mandauerit Dominus IESVS Discipulis suis in via portare Virgam, scilicet spem suffragij Virginis gloriosæ.* Sic Anton.

B.V. moribũdis assistat vt eorum miserias subleuet.

M. Virga Regis Assueri.

M. est Virga quam ferre iubentur Apostoli in via.

25. Hinc factũ sæpius vt varij grauibus irretiti sceleribus ex hac vita decedẽtes, ipsius meritis ac suffragijs adiuti, pro ea quã apud Filiũ pollet auctoritate, ac potestate, in vitam reducti ad agendam de culpis commissis penitentiam fuerint. Rem memorabilẽ legere est in Annalibus Prouinciæ Insulæ Philippinæ in sede Silanẽsi Anni 1610. vbi Indum quemdam iacuisse aiunt, qui iã expiatus, sacroque inunctus oleo, adeo sub noctem angi cœperat, vt à domesticis pro mortuo sit habitus, compositoque cadauere, in patrio feretro ab ijsdem collocatus. Qui cum ita in som-

nes apud illum noctis omne tempus transegissent, reuertente die, reuerti & ipse, aperire oculos, balbum nescio quid loqui, ipsoque tandē meridie syllabas omnes articulatim edicere, tum referre primum: Se ante tres annos obijsse sibi videri, ob tormenta crudelia, quæ tam ipse sustinuisset apud Inferos, quam infinitos Indorum passos vidisset. Ibi Dæmones quasi fabros quosdam agitatis follibus fornaces succendere, ferroque liquefacto miseros perfundere, & inter eiulatus miserabiles, doloribus numquam cessantibus, ęternum vstulare. Post hæc spectacula abductum se à venerabili quodam sene, ad editiorem locum, cuius accessu (Cęlum enim existimabat esse) adeo fuisset delectatus, vt inde nollet discedere. Sed iussum se ad vitam redire, quo viuos, de vtroque hominum receptaculo commo nefaceret, beatorum videlicet, & damnatorum; idque sub graui pęna sibi fuisse imperatum, quando inter mortales essent non pauci, qui ficta virtute se, & alios fallerent, bonique habiti à Diuino obsequio alienissimi forent. His dictis Indus ille conualuit, institutaque generali confessione patrocinante sine dubio atque illuminãte, Virgine se exempla suo adhuc docet, & vitâ, ea, quæ retulisset, nō somniasse. Secuta item in alijs pluribus, qui hæc audiuerunt morum emēdatio, omnem fere ambiguitatis causam, falsitatisque suspicionem præcidit. En quibus medijs peccatorum miserias etiam post mortem Virgo Beatissima, sua pietate, ac commiseratione, homines ad vitam reuocando, tollat.

Indus mortuus in vita reducitur, & ad Inferni pœnas, & Paradisi gaudia videnda ductus.

26. Nec hoc Virgineæ pietati, ac cōmiserationi sufficit, sed in ipsa morte, vti diximus, miserias illas, quæ occurrere in tremendo illo articulo consueuerunt, vt sunt Cacodæmonum insidiæ tentationes, ac terriculamenta, vel sola suâ præsentia dispellit. Hinc supra memoratus Antoninus illam Virgæ cōtulit, qua percussus Satanas effugatur, censetque Virgâ illâ Iosephi ipsam esse figuratam, cuius fastigium moriens Iacob adorauit: *Dicitur*, inquit ille, *Maria Virga, quia semper erecta fuit, numquam ad terrena inclinata, sed semper ad cælum erecta. Hæc Virga est multipliciter in figuris sacræ paginæ benedicta. Est enim Virga illa Ioseph, cuius fastigium adorauit Iacob moriens, Mariam designans, quam quilibet moriens adorare debet, vt ab ea protegatur. Ipsa enim est Virga illa, de qua Isaias cecinit: Pauebit Assur, id est, Diabolus virgâ percussus, suffragij scilicet Virginalis. Hæc est Virga Moysis, quæ versa in serpentem summæ prudentiæ in mysterio Incarnationis filij sui, & instructione Apostolorum deuorauit serpentes Magorum idest confutauit sapientiam sapientum huius mundi, & prudentiam prudentum reprobauit, simulque hæreses cunctas interemit. Hæc est illa Virga, de qua Psalmista: Virga tua idest Virgo Maria, & baculus tuus, Crux scilicet Filij eius ipsa me consolata sunt.* Et vero Virginea hæc Virga suos clientulos vel maximè in morte consolatur, mirificaque illos perfundit dulcedine, adeo vt tunc illis Virga illa Ionathæ, melle illita esse videatur, dum illis mentis oculos ad Dęmonum insidias, decipulasque euadēdas reserat, & cor, animæque eorum in DEVM viuum exultare facit. Sensit solatium hoc in morte P. Christophorus Bouerus Deiparæ cultui addictissimus vt idem meminit, Aleganbe. Hic enim cum calculo vexaretur, biduo ante mortem rogatus, numquid eum grauaret. Resp. complicatis, magno affectu manibus: *O Diuina prouidentia! quantum bonum est in Societate mori!* Qui enim in Societate moritur IESV, in Societate etiam moritur Mariæ, siquidem, vti alibi fuse probatū est, Societas IESV, Sodalitas est etiam Mariæ; vnde sequitur vt mirum solatium, atque lætitiam: ab hac velut florenti Virgâ; ab illo, velut sustentante nostram imbecillitatem, baculo, dimanantem experiatur.

B.V. in morte assistit suis.

M. Virga qua percussus Satanas effugatur.

Virga Iosephi est B.V.

Quisque moriens Mariam adorare debet.

Maria Virga Moysis.

M. Virga Ionathæ melle illita.

Bonum est in Societate IESV mori.

27. Expertus est consolationem hanc P. noster Augustinus Canus natione Mexicanus splendidissimis oriūdus natalibus, de quo iam memoratus P. Aleganbe ita memoriæ prodidit: *DEVM perpetua tanquam meditatione præsentem habebat. B.V. Mariam quam pro Matre habebat in omni sermone, seu publicus foret, seu priuatus tanto ardore celebrabat, vt eadem pietate cæteros accenderet. Illato in cubiculum sacro viatico, exultauit animo ad Domini sui conspectum. Crucifixum intuitus, allocutusque non semel est illis verbis: Rex tremendę maiestatis, qui saluandos saluas gratis, salua me fons pietatis; Plagas eius, & Deiparę Iconem simul magno deuotionis affectu dissuauiatus. Interrogatus deinde vellctnè Deum sequi se hinc euocantem? Dominus est, inquit, quod bonum est in oculis suis hoc faciat. Tandem vnctione sacrâ accepta placidissimè exspirauit.* Atque vt ostenderet morientem

P. Augustinus Canus noster in morte Crucifixum amplexus & B. V Imaginem osculatus est.

tem se in Virga Virgine, & baculo Crucifixo IESV consolationem gaudiumque reperisse, hæsisse fertur mortuo velut risus in ore, & venustissima species viuido colore distincta. Vnde omnium concursus ingens factus ad Viri, vt aiebant, Sancti exequias.

Defuncti corporis venustissima species orisque velut risus atque hilaritas.

28. Denique Virginea hæc Virga, est Virga illa, qua percussus Tartareus ille Assur sub vitæ nostræ finem expauescit, ac contremiscit, tandemque confusus ad Infernum à potentissima hac Diuinaque Heroina relegatur. Protectionem hanc Deiparæ sub vitæ suæ finem, sensit P. Vincentis Andriensis Ordinis Seraphici Capucini, vt testatur eorum literæ Anni 1592. num. 28. Cum enim hic inter ceteras Virtutes Viro Seraphico dignas, *regularis obseruantiæ studio mirificè polleret, his velut singulare ornamentum ardentissimum in beatissimæ Deiparæ cultu animum adnexuit. Vnde factum vt cum ad extremam vitę metam peruenisset, serpens ille antiquus, veterator vaferrimus, qui iustorum vitę calcaneo insidiatur, ęgre ferēs quod tam ardenter is in B. Virginis venerationem ferretur, eidem visibilis apparens persuadere nisus est, non maiori Virginem, quam reliquos Cęlites dignitate, atque orationis potentiâ excellere. Quod dum is velut horrendum, ac Diabolicum commentum detestatur, Cacodęmon è cubili raptum per Dormitorium, malè mulctatum vix semiuiuum raptat. In hisce angustijs clientulum suum Virgo constitutum animaduertens, clarissimâ circumfusa luce illi mox adstitit, ac Cacodęmonem velut rabidum canem abegit; suumque Athletam suauissimis verbis recreans, certum illi glorię pręmium pollicita est. Additque se in ipso suo Annunciationis die, qui proximus erat, rediturам, atque in suum ipsius sinum animam recepturam, quod & re ipsa pręstitit. Nam ea ipsa die dum Vincētius B. Virginē lętis vocibus inclamat, ex hac luce, ad ęternam emigrat.* Atque hæc de pietate Virginis erga nos tam in vita quam in morte, quæ est secunda ala Seraphini, dicta sufficiant.

Vincentius Andrienus a B.V. sub vitæ finem contra Dæmonem defenditur.

B.V. Dæmonem abigit, & pollicetur se animam sinu suo in morte recepturam.

29. B. Petrus Card. Damiani ser. citato secundam hanc alam vocat gratiam confirmationis. *Hæc ala*, inquit, *fęliciori volatu lassitudinem nescit. Cadentibus quippe pręsumptuosis, & istis in humilitate durantibus, incircumscriptus ille Spiritus, remanentes summa prosecutus est largitate, dans eius in munere, ne possent amplius aliqua labefactatione corrumpi. Confirmati igitur, & de sui status stabilitate securi, lucidioris gratię subiere fastigium. Seruiunt ergo illi, cui seruire regnare est, & fęlici securitate, & secura fęlicitate. His duabus alis volant Angeli, volatione vtique indefessa, & creati digniter, & fortiter confirmati*. Quæ omnia longè aptius de Virgine Deipara prędicātur. Hæc enim à peccati originalis macula præseruata, dum in primo suæ conceptionis instanti sanctificatur, & gratiâ donisque Spiritus sancti, ac charismatis cælestibus exornatur, verè digniter creata; & concessâ illi in primo illo sui esse momento Diuinę essentię beatificâ visione, verè fortiter in gratia confirmata est. Ob hanc Deiparæ in gratia confirmationem Richardus de S. Victore cap. 26. in Cant. censet illi pulcherrimum illud attributum fuisse elogium Cantic. 4. *Tota pulchrá es amica mea, &c. Tota ergo fuit pulchra, quia in sanctitate, & mundicia confirmata, fomite peccati extincto, vt peccare deinceps non potuerit Angelicam denique in terra adepta est puritatem, & similitudinem in virtutibus, & sanctitate, ac morum perfectione, iusta, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente, & corpore. Merito ergo prędicatur pulchra, quæ & Diuinam, & Angelicam similitudinem in terris est adepta*. Quemadmodum enim Diuina Natura à se: Angelica vero per participationem gratię, ab ipsa deriuatam, nec non per visionem beatificam nulli peccato est amplius obnoxia: sic etiam Virgo beatissima, quæ non solum in instanti suæ conceptionis, verum etiam in sua Natiuitate, in Incarnatione Verbi, eiusdemque Diuinissimo partu, in Resurrectione Filii, ac demum in suo ex hac vita felicissimo transitu, faciem Diuinæ Maiestatis lumine gloriæ irradiata, ad breue tempus videre promerita fuit, ac per consequens in statu gratiæ confirmari.

Angeli Sancti confirmati in gratia.

B.V in instanti conceptionis per visionem beatificam in gratia confirmata.

B.V. tota pulchra quia in sanctitate, & mundicia cōfirmata est.

B. V. sæpius Diuinam essentiam ad breue tēpus contemplata.

30. Hinc S. Antoninus inter 12. priuilegia Deiparæ, quæ ille totidem dicit esse stellas, verticem Virgineum coronantes, quintam esse ait capit. 20. Priuilegium gratiæ singularis, peccandi impossibilitatem, de qua B. Bernar. Ego puto quod copiosior gratia sanctificationis in ea descenderit, quam in aliis in vtero sanctificatis, quæ totam vitam eius immunem ab omni peccato efficeret, quod nemini in natis mulierum credimus esse donatum. Tāta igitur illi gratia infusa fuit, quod peccare non potuerit. Nec refert dictum illud S. Damasceni, quod omne creabile est vertibile secundum esse, atque

Peccandi impossibilitas est stella vna ex 12. in Corona B. V.

Quatuor modis dicitur quis impeccabilis.

atque electionem: Præclarè enim idem S.Antoninus ex Alberto docuit impeccabilitatem oriri,ex quatuor capitibus primo ex natura à se inuertibili qualis est Diuina, quæ peccare non potest cū vertibilis non sit, cum apud eum non sit transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio. Vnde B. Hieronym.DEVS solus omnipotens dicitur, quia cum omnia possit, peccare non potest.

Secundo ex eo, quod habet quis vnionem personalem cum Natura inuertibili, & hoc modo Christus etiam, vt homo impeccabilis est, quod Diuinitati personaliter vnitus fuerit.

Tertio ex eo dicitur aliquis impeccabilis, quod habeat coniunctionem, vel cōuersionem totalem ad Naturam inuertibilem, per medium quod est ex sua natura inseparabile, vt est habitus gloriæ. Et ita Sancti in patria peccare non possunt.Vnde Psalmista: Confortauit, idest, roborauit seras portarum tuarū, supernæ scilicet Ierusalem, vt nullus exire possit, peccando videlicet.

Quarto modo dicitur quis impeccabilis eo, quod habeat coniunctionem ad naturam inuertibilem per medium, quod etsi sua naturâ in se quidem est separabile, tamen omnino est separatum à contrario repugnante vel resistente, vel impediente, & propterea in summo est inseparabile, & talis est plenitudo gratiæ in B. Maria. Hinc Bernardus de Ioseph dicit, quod credebat potius Virginem posse parere, quā Mariam posse peccare. Ex quibus intelligimus Deiparam ratione plenitudinis gratiæ, qua ad DEVM Naturam inuertibilem ita erat coniuncta, vt nullo contrario, peccato videlicet, ab eo potuerit separari. Accedit, quod visionis beatificæ, qua sæpius olim vti diximus in hac vita ad breue aliquod tempus perfruita fuit beneficio euaserit impeccabilis; vt taceam quod etiam ob summam vnionem cū Incarnato Verbo, eius purissimo vtero nouem mensibus commorante, illique celestium gratiarum abundantiam communicante eiusque voluntatem in bono obfirmāte, ab omni scelere inanis, longè nobiliori priuilegio, quam Seraphini, fieri merita fuerit. Si quidem vt idem docet S. Antoninus cap.21. *plus distat B.Virgo à Seraphinis in dignitate, & gloria, quam Seraphini à Cherubinis. Sed per excellentiam dignitatis ordinatur Seraphin super Cherubin vno ordine, ergo & B. Maria erit super Seraphin vno ordine, ergo super omnem Hierarchiā Angelorum, ac proinde etiam super omnes etiam supremos Angelos, singulari quadam ratione impeccabilis.* Quare iure merito P. Petrus Cotonus noster Hérici IV Galliarum Regis Confessarius Meditatione de Excellentijs B. V. ita pronunciauit: *A primæ sanctificationis suæ articulo reddita impeccabilis; quod DEVS non modo habituali illa gratiâ, quæ eminentissima illi data est, donata esset; verum etiam singulari quadā ratione ipsam conseruaret, & præseruaret.*

B.V. ob plenitudinem gratiæ qua Deo erat cōiuncta, facta est impeccabilis.

31. Iam ad tertiam Seraphin Ecclesiastici alam, quæ ex sent. Doctoris Seraphici cap. 5. patientia, & constans longanimitas est, veniamus.

Tertia Alam Seraphini Ecclesiastici est patientia.

Patientiam hanc atque longanimitatem Sanctus Pater comparat tecto Tabernaculi fœderis: *Sicut enim*, inquit, *tectum Tabernaculi, vt interiora munda manerent ac nitida, excepit in se pulueres, & imbres, & ventorum impulsus; ita superiores, qui fideliter subditos suos defendunt à turbine peccati necesse est sæpe sæpius diuersarum excipere tempestates aduersitatum, sicut Gallina pro pullis obijcit se miluo, vt eos defendat.*

Superior similis est tecto Tabernaculi in excipiendis aduersis.

Superior similis Gallinæ.

Tria porro ait reperiri, quæ superioris indigent patientiâ. Primo propter labores, ac curas multiplices tam circa rerum spiritualium, ac disciplinæ prouidentiam, quam de corporalis subsidii prouisione. Secundo patientia superiori necessaria ob tardum subditorum in virtute profectum, aitque illi similem esse, qui multa magno labore seminat, & pauca metit. Tertio patientia illi necessaria ob ingratitudinem eorum, pro quibus tanta solicitudine laborat, &c. Quæ sane patientia, ac lōganimitas in ferendis mortalium defectibus, ac peccatis multo luculentius in mundi Domina quam in his Ecclesiasticis refulget Seraphinis. Quæ enim Mater, tātâ sedulitate prouidere solet Filiis tam circa ea, quę ad Spiritū, quam ea, quæ ad corpus esse solent necessaria, atque Virgo nostra. Vnde pręclarè B. Alber. Magnus tra. super Missus pronūciauit: *Dicimus, quod B. V. omnium bonorum Mater est. Et quidem Mater nostra est curâ, quia in vno nobis genuit, quicquid ad hanc vitam, vel futuram necessarium nobis fuit. Vnde ipsa ait: A generationibus meis implemini.* Idem Albertus probat Virginem nostram Matrem esse spiritualem, ac per consequēs maternâ curâ de rebus spiritualibus, vt gratia, virtutibus ac ceteris vtilitatē

B.V. est Mater nostra cura, prouidendo nobis tam de corporalibus, quam spiritualibus.

Spiri-

Spiritus concernentibus nobis prouidere. Idque probat auctoritate Euangelistæ Luc. 2. *Peperit Filium suum primogenitum*. Primogenitum enim dixit respectu eorum quos Virgo in Spiritu peperit, cum de fide sit, nullum alium post editum in lucem Dei Filium pepperisse Filium, quā ob causam S. Epiphanius Leænæ, cui secundus non contingit partus, eam conferre non dubitauit. Hinc filius Dei non confunditur Discipulos vocare fratres, vti dicitur ad Hebr. 2. Et ipse est primogenitus in multis fratribus. De eodem dicitur: *Caro enim, & frater noster est*; vnde cum ipsa Mater omnium eius fratrum sit, cōsequitur illam Matrem omnium hominum esse. Virginem porro Matrem omnium corporalium esse probat idem Albertus. Quia ipsa Mater est innouationis corporalium, vt dicitur Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc, expectans reuelationem Filiorum Dei*. Itaque ipsa est Mater in ipso esse innouationis. Ipsa denique est omnium bonorum Mater Sap. 7. dando illis esse gratuitum, videlicet esse gratiæ, & gloriæ. Patiens quoque est Virgo Beatissima dum tam tardos in via Diuini obsequij, tot eius auxilijs, præsidijsque adiutos esse animaduertit. Patiens denique est cum nos tot suis gratijs, ac beneficijs præuentos, modicè gratos esse, cernit. Patientiam hanc singularē Virginis in hominum defectibus, ac imperfectionibus tolerandis luculenter expressit S. Ignatius Martyr Epis. 1. ad Ioann. *Et quidam notificauerūt eamdem Matrem Dei omnium gratiarum esse abundātem, & omnium virtutum more Virginis; virtutis, & gratiæ fœcundam, quæ vt dicunt in persecutionibus, & afflictionibus est hilaris, in penurijs, & indigentijs non querula, iniuriantibus grata, & modesta in re lęta. Miseris, & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit. Humilibus quidem est deuota, & deuotis, deuotius humiliatur, & mirū ab omnibus magnificatur, cum à scribis, & Pharisęis ei detrahatur*. Sic ille.

Christiani sunt Fratres spirituales Christi.

B.V. velut Leæna cui non contingit secundus partus.

B.V suo partu omnia innouauit.

32. Tertiam hanc alam Seraphicā B. Damiani vocat, *singularem amorem sui Creatoris, quę quidem fęlicissima, subtilibusque pennulis intertexta est. Amant enim & ardent, & desiderant in eum prospicere, cuius amore fœliciter incenduntur. quanto enim propiores, tanto feruentiores, & in lumen Maiestatis absorpti, indicibili modo, & semper ardēt, & semper satiantur*. Quæ omnia longè aptius quadrant Virgini Deiparæ; in quam & Notionalis Amor, nempe ipse diuinissimus Spiritus superuenit, & substantialis, nempe Dei Filius nouem mensibus in ipsius purissimo vtero habitauit, eamque miris diuinæ charitatis ardoribus inflammauit; Vnde factum, vt nouis in dies Diuini amoris ignibus, erga supremā Maiestatē exardesceret, & ad illam velut fontem viuū Cerua hęc dilęcta, rerum terrenarū oblita, ingentibus exęstuans desiderijs, anhelaret. Hinc Dionysius Richelius eius Diuinam dilectionem extollens lib. 3. de Pręcon. & dignit. B. V. art. 7. docet, eo in vnius quempiam vehementius posse dilectione incalescere ac feruere, quo à pluribus longius, ac syncerius eius fuerit segregatus affectus. Ex quo principio sic infert ille: Igitur quo ab omni inordinato rerum creatarum fuit Deiferæ ac benedictæ Virginis animus absolutior, & consistebat in Dei amore stabilior. Ea autem quæ à Diuina charitate mentem retrahunt, in Virgine locum minimè habuerunt. Ex quo principio rursus infert Dionysius, Diuinæ in ea ardentis flammam charitatis fortius semper incaluisse, vt nec māducante, operante, aut dormiēte quieuerit. Hinc in Canticis Virgo Mater, & sponsa aiebat. Ego dormio, & cor meum vigilat.

3. Ala Seraphica est singularis Amor sui Creatoris.

Quæ causæ amorem B. V. erga Deū auxerint.

Amor in B. V. etiam māducāte, operante, & dormiente nunquam quieuit.

33. Quarta ala Ecclesiastici Seraphini, siue Superioris, est Vita exemplaris. Ipse namque, inquit, Doctor Seraphicus, eodem lib. cap. 6. *debet cæteris esse norma viuendi, vt quæ docet verbis, ostendat actionum figuris, sicut qui Geometriā docet, fingit in sabulo figurarum demonstrationēs, vt quod dicit melius capiatur. Vnde de cęlestis vitę Magistro dicitur Act. 1. Cępit IESVS facere, & docere*. Hæc porro vita exēplaris relucet maximè super omnes Spiritus Seraphicos, aliosque Sanctos in cælorum Regina beatissima, *cuius reuera omnis actio*, quod S. Leo Papa de eius Filio pronunciauit, *fuit nostra instructio*. Vnde Pater æternus nobis quoque modo videtur dicere, quod Moysi Tabernaculum fœderis fabricare meditāti: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Exod. 25. 40. Et rursus Exo. 26. 30. *Eriges tabernaculum iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est*. Cum enim Tabernaculum illud ac mons ipse typus, ac figura fuerit Deiparæ, dum nos iubet inspicere exēplar illius

4. Ala Seraphini Ecclesiastici est Exemplaris vita.

Vita B. V. est maximè exemplaris.

illius Tabernaculi in monte ostensum, iubet simul nos respicere in Diuā Virginem, verum *Tabernaculum quod sanctificauit Altissimus*, vt secundum illius vitæ Sanctissimæ exemplar, egregijs ipsius, præstantissimisque virtutibus, in cordibus, animisque nostris viuam ideam, Imaginemque efformemus. Quod porro Tabernaculum fœderis vmbra quædam extiterit Virginis beatissimæ, testatur B. Petrus Card. Damia. ser. 64. vbi comparationem inter Moysem, & S. Ioannem Euangelistam instituens longè præstantiorem Ioannem, quam Moysem esse censuit: *quia Moyses*, inquit, *Tabernaculo præerat, quod nubes operiebat: Ioannes vero melioris Tabernaculi custos factus, B. Mariæ minister extitit, quam non corpora videlicet huius aeris nubes, vt tabernaculum fœderis, obtexit, sed Spiritus S. inuisibiliter obumbrauit. Et gloria Domino idest, Filius Dei, qui hoc Tabernaculum non mox discessurus, sed veram carnem suscepturus impleuit, non mansit sub aereæ caligine nubis, sed potius in lumine solis, sicut per Prophetam dicitur: In sole posuit Tabernaculum suum.*

Tabernaculum fœderis vmbra B.V.

B.V. tāquam exemplar virtutū omnium ob oculos proponenda, ad imitandum.

Hinc B. Andreas Cretensis orat. de Annunc. ita illam salutauit: Salue solis gloriæ cæleste Tabernaculum.

Quod Virgo quoque Mons sit sublimis eximię perfectionis, Seraphicam etiam transcendens, in quo nobis Exemplar absolutissimæ Virtutis ostenditur, declarauit Magnus Gregorius in capit. 1. lib. 1. Regum. Vbi explicans illud Isaiæ cap. 2. Vaticinium: *Et erit præparatus mōs Domus Domini in vertice montium; ait Montem hunc in vertice montium fuisse Beatissimā V. M. quæ omnem electæ creaturę altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non Mons sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, vsque ad solium Deitatis erexit?* Similia pene habet S. Bernardinus Senensis Tom. 3. ser. 11. cap. 2. *Mons*, inquiens, *Domus Domini eleuabitur super omnes colles, quia Virginis altitudo sublimissima est super summos, & latissima super cunctos, & firmissima, & inconcussa, vt moueri non possit.* Dum ergo nobis in Monte Exemplar inspiciendum proponitur, admonemur in Virgine, quę eminentissimus quidam absolutissimæ perfectionis Mons est, Exemplum virtutis omnis, ac præsertim charitatis ad imitandum intueri, eiusque viuam spirantemque imaginem cordibus nostris exculpere. Vnde Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. verba illa Virginis diuino amore plenissima: *Tenui eum quem diligit anima mea, nec dimittam*; ponderans præclare pronunciauit: Videlicet Dilecta, & dilectarum Dilectissima, cæterarum est Exemplar animarū, vt similiter & ipse pro modulo suo Dilectum quærant, & inuenire cupiant.

B.V. est Mōs in quo nobis Idea virtutis, & exemplar omnis perfectionis ad imitādum ostenditur.

34. O si nobis sors illa beatissima obtingeret, quæ P. Raynerio Christi, & B.V. amantissimo Ordinis Seraphici Capucinorum obtigit, de quo in eorum Annalibus fide dignissimis anni 1589. num. 19. memoriæ proditum est, quod cum Episcopus Tudertinus corpus sancti huius viri demortui condiēdum, atque aromatibus non sine Dei consilio curandum statuisset, in fellis ventriculo terni lapides triangulares, quorum quisque vnius castaneę magnitudinem, & colorem referebat, reperti fuerint, quibus maxima S. Viri in altissimā Triadem Religio, quā viuens tenebatur, significata fuit. In horum primo, quod admirationē auget, diuinūque opus est, in altero anguli plano B. Virginis Puerum IESVM sinu gestantis figuram exsculptam gerebat; quo sicut summam illius dum viueret in B.V. ac puerulum IESVM deuotionem ita quoque eiusdem virtutum Imaginem imis ipsius præcordijs expressam fuisse declarauit.

Raynerius Capucinus Imaginem B.V. cū Puero IESV exculptam in corde habuit.

35. Quartam hanc Alam Seraphinorum, Damianus ait esse assiduā Diuinitatis visionem, *quam dicit pennis floridioribus interpictam*; quæ Virgineo huic nostro Seraphino nullo modo defuisse visa est, imo in hac ipsos illos beatissimos Spiritus siue eos cum erant viatores, siue cum iam comprehensores euasere consideremus, multis parasangis superauit. Ipsa enim & cum esset viatrix, sæpius, vti supra memorauimus ad breue tempus DEVM clarè vidit, & iam in patria, multo absque comparatione luculentiori lumine gloriæ, quam Seraphini irradiata, Diuinā essentiam contemplatur. quanto enim plenitudine gratiæ, quæ semen est gloriæ, atque beatitudinis nostræ, omnes Angelicas Hierarchias, tanto etiā maiori Diuinæ visionis claritate easdem excessit.

4. Ala est assidua Diuinæ Essentiæ visio.

B.V. præ omnibus Seraphinis Deū clarius videt.

36. Quintam Alam Ecclesiastici Seraphini S. Bonauentura cap. 7. ait esse circum spectam discretionem, prouidamque faciendorum consideratio-nem,

5 Ala Seraphini Ecclesiastici est Sapientia.

nem, quæ omnia docet esse Sapiẽtiam, quam ad regendum, ingentem illum populum Salomon à Domino postulauit. Quæ sane Sapientia, in quo tandem effulsit clarius, quam in Optima increatæ Sapientiæ Parente, in cuius vtero nouem mensibus requieuit?

Præclarè enim Dionysius Richelius lib. 2. de Præcon. & Dignit. B.V. art. 1. intimam hanc Incarnati Verbi in vtero Matris considerans vicinitatem, atque vnionem, colligit summam Diuinissimi Filii Sapientiæ illius, qua pollebat, participationem. Supereffluens enim, inquit, ille, fons Sapientię Christus Dominus in quid fortius ageret, quid luculentius illuminaret, in quem copiosius Sapientiæ riuos transfunderet, quam in propriam Genitricem? Nil quippe ipsi vicinius, nil clarius, nil eâ similius. Ideoque veræ Sapientiæ radios plenius ab eo sortita est, factaque est ei, vti in sanctitate, sic in Sapiẽtia quoque simillima.

B.V. sapiẽtissima quia fonti increatæ sapientiæ proxima.

37. Cælestem hãc Sapientiam atque in gubernando discretionem ac prudentiam suo pene Diuino Magisterio, varios Religiosorum Ordinum Institutores docuisse visa est Deipara, quos inter iure numerandum S. Patriarchum nostrum censuerim Ignatium, qui Illuminatricis huius mirificâ Sapientiæ luce irradiatus, admirandum illum in primis Exercitionum Spiritualium libellum, Diuinæ plane scientiæ, ac doctrinæ salutis refertissimum documentis, vti & Constitutiones Societatis IESV ipsâ assistente, ac dictante conscripsit. Qua de re legendus Auctor primi sæculi Soc. nostræ lib. primo cap. 4. vbi cum summam S. Ignatij erga Dei Matrem, in dies singulos maiora semper capientem incrementa memorasset pietatem, hæc mox attexuit.

B.V. luce suæ sapientiæ illustrauit S. Ignatium in componẽdis Exercitijs, & Constitutionibus.

At Virgo clientis sui pietatem ingentibus beneficijs pergebat vicissim remunerari, & quidem sepe spectabilis: credo vt non sciret tantũ, sed etiam videret Ignatius cui perpetuum in omnibus negotijs opẽ, cui tantos fauores deberet. Vidit, agnouitque; & huius in ipsum, ac Societatem fauoris pulcherrima nobis reliquit monumenta, libellum Exercitiorum, & Constitutiones; opuscula mole quidem exigua, sed vtilitate ingentia quædam cælestis Philosophiæ quasi sacraria, quibus nulla laus, nulla per est admiratio. Scripsit illa quidem Ignatius sed dictante Mariâ. Cum enim libellum exercitiorum, in Manresano illo secessu suo, hoc est primo vitæ melioris Tyrocinio conscripserit, vnde homo militaris, & literarum rudis, nisi ab hac Magistra sua tantam hausisset lucem, tantam Christianæ sapientiæ perfectionem? quam & auctoritas Primæ Sedis approbauit; & quot quot legunt suspiciunt, ac venerantur; quot quot vsurpant, quantum in eo cælestium remediorum lateat sentire possunt, exprimere non possunt. Neque enim frustra toto illo tempore frequentissimè illi spectandam se obtulit Maria, sed luce sua magis animam eius, quam oculos impleuit. Ac ne vlla dubitandi supersit causa, vni cuidam hęc Exercitia iam aggrediẽti, cuius explorata sanctitas, omnem fidem meretur, ipsa Deipara significauit, gratissimas sibi esse has meditationes, vtpote quas, & ipsa dum vixit semper animo versasset, ac deinde Ignatium docuisset, easque scribentem plurimum iuuisset. Nec minus Societatis Constitutiones, ac leges Opus sunt, vt humano maius, ita dignissimum Diua Virgine Magistrâ.

S. Ignatius dum scriberet Constitutiones B. V sibi adstãtem cernit.

Exercitia Mariæ gratissima.

In his Sanctus Pater se nobis, quamuis id non ageret, suo penicillo depinxit, vt ipse, in quodam commentariolo testatur, ad se frequenter venisse Mediatores; quorum nomine IESVM, designat, & Mariã; ne nesciat societas parere se legibus ab IESV, & Maria, magis quam ab Ignatio latis. Quidni ergo Maria sit nutrix, Patrona, & altera velut auctor Societatis, cum qualem Societatem esse voluit, Ignatij manu ipsa descripserit? Et quoniam amantium obsequijs precium facit amor, omnem occasionem testificandi amoris sui in Diuam auidè captabat Ignatius. Erumpebat hic, & prodebat se in eius verbis, actionibus, scripsis, quia in pectore semper æstuabat, illum transfusum volebat in suos, &c. Hęc Auctor ille, ex quibus facile colligere est quidquid in Ecclesiasticis Seraphinis, superioribus nempe Religionum, eorumque legibus est cælestis Sapientiæ, atque in gubernando prudentiæ, id totum ab hac æuiternæ Sapientiæ parente velut riuulum à fonte deriuari, eiusdemque alis quodammodo ad sublimia Diuinę Sapientiæ arcana contemplanda, subuehi.

S Ignatius fatetur quod sibi scribenti Cõstitutiones IESVS, & Maria adfuerint.

Constitutiones Soc. à IESV & Maria per Ignatium latæ.

38. Quintam hanc alam Seraphinorum B. Damianus docet esse. Gaudium nostræ Redemptionis, aitq; *illam multiplici picturatam esse varietate,* quam vix intellectus creatus capere lingua edicere sufficiat: *Quis verborum copiâ comprehendat,* inquit ille, *quãtũ gaudium DEVS homo virtutibus Angelicis ingenerauit, cum & eorum collegam, qui ab eis exierat, sed non erat ex eis, vexillo Crucis irruente confregit, & hominem perditum ad Regna reuocauit cęlestia?* Quod si Angeli tan-

5. Ala est gaudium nostræ Redemptionis.

tam experti fuere lætitiæ, quod per redemptionem hominis suas ruinas instauratas fuisse viderint; & quibus tandem Cęlorum Regina incesserit gaudijs, cum per benedictum vteri sui Virginalis fructum, humanum genus ex Inferni faucibus ereptum cælestibus Regnis illatum fuisse cognouit?

B. V. ingens gaudium de hominum salute.

Vnde inter reliqua Virginis gaudia, quibus in visitatione Elisabethæ erat perfruita, Pelbartus de Temisuar lib.2. Stellarij Par.2. art.3. duodecimum vocat, *gaudium fructuositatis saluificæ, quia videlicet & ipsis, quos visitabat, & sibimet, & omnibus hominibus mundi electis, salutis fructum Christum IESVM in vtero suo portabat. Atque ita gaudebat Virgo, quia sciebat, quod per fructum vteri sui, quem baiulabat, Infernus euacuaretur, homo redimeretur, chorus Angelicus restauraretur, & omnis creatura renouaretur. Gaudebat quia talem, & tantum fructum habere ipsa meruerat, quo omnes Sancti Angeli fruerentur. Hunc fructum saluificum agnouit Elisabetha, & ideo exclamauit: Benedictus fructus ventris tui.*

Per B.V. fructum Infernus est euacuatus, homo redemptus, Chori Angelici instaurati.

Quare idem Pater deuotissimus lib.11. stell. Par.1. cap.9. inter 12. Stellas, Deiparæ verticem augustum coronantes nonam; *Mundi saluationem* appellauit, quam illi mirificum peperisse gaudium necessum fuit; quia videlicet Mūdi per B. V. recuperatus est à perditione, & saluatus, vt merito dicatur. *Saluatrix sæculi, sicut Christus eius Filius præcellentissimè dicitur Saluator mundi.*

39. Porro sæculum hoc, siue Mundus tribus modis præcipue à perditione saluatus est per Beatam Virginem, vt idem docet Pelbartus. Primo, quia gratiam perditam in mundo ipsa sola Virgo prima omnium inuenit, & mundo recuperauit, sine qua gratia non potest saluus esse. Iccirco Angelus eidem ait: Ne timeas Maria inuenisti enim gratiam apud DEVM, scilicet quam primi Parentes perdiderunt. Secundo per Virginem perditus mundus est saluatus, quia totus mūdus in tenebris errorum positus per Virginem benedictā primo omnium lumen salutiferū fidei accepit, sine qua fide mundus saluus esse nequit. Vnde Hebr.11. sine fide impossibile est placere Deo. Hāc ob causam Maria proprijssimè dicitur Illuminatrix sæculi iuxta nominis sui Ethymologiam. Tertio quia ipsa mediante mundus à damnatione redemptus est. Et sicut fęmina damnauit, sic fœmina saluauit. Hinc Albert. Magnus ait hoc magnum priuilegium attribui Mariæ. quia ipsa adiutrix, & Mediatrix est Redemptionis humanæ. Tum quia Christus secundum solā Diuinitatem pati non potuit, vt sic redimeretur homo, sed in carne de Virgine sumpta passus est. Ipsa ergo Virgo beata protulit precium nostræ redemptionis, idest carnem Christi afflictam, & sanguinē pro nobis effusum. Hæc Pelbartus.

Mundus tribus modis à perditione per B. V. saluatus.

40. Vltimā Ecclesiastici huius Seraphini alam iam tandem videamus, & explicemus. Hanc idem Seraphicus Doctor cap.8. docet esse deuotionē ad DEVM, *sine qua reliquæ perfici non valent, & ideo, ait maximè esse necessariam per hanc enim zelus iustitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplū bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est vnctio Spiritus, docens de omnibus, quę expediunt saluti. De his dicebat S. Ioannes: Vos vnctionem habetis à Spiritu sancto, & nostis omnia, & non necesse habetis, vt aliquis vos doceat.* Quæ sane deuotio, siue Spiritus sancti vnctio maximè in Deipara, quæ ipsius Diuinissimi Spiritus Tēplum, ac Sacrarium extitit, relucebat. Si enim Deuotio nihil est aliud quā voluntas quædam promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, vt docet Doctor Angelicus 2.2. quæst.8. art.1. in corpore. Quis promptior, quis expeditior vnquam repertus est in his, quam Dei Mater? quę huius Spiritus, cuius gratia nescit tarda molimina, acta impetu, tanto cum feruore, Deo plena abijt in montana ad salutandā Elisabetham. Cuius veloces admiratus Gressus cælestis sponsus, sibique in eis mirificè complacens aiebat; *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis,* Cant.7. Deuotionē hanc ex Diuina charitate, Diuinorumque meditatione, summaque Virginis cum Deo vnione ortum habuisse testatur Dionysius Richelius lib.3. de Præc. & Dignit. B.V. cap. 18. *Quæ omnia*, inquit ille, *si memoriā recolantur, quam fuerit Marię cordis deuotio excellens repente patebit, quo enim vnicum suum IESVM clariori mente agnouit, feruentiori corde amabat, eo vtique in eius obsequium affectuosius, ac delectabilius ferebatur. At vero deuotio annexam habet sanctam lætitiam, ea præsertim, quæ ex Diuinę proficiscitur bonitatis intuitu. Interdum vero ex proprij consideratione defectus deuotio manat, quia per hanc se homo Deo* plenius

6. Ala Ecclesiastici Seraphini, est Deuotio.

Quod sit deuotio.

In B. V. maxima reluxit deuotio dum visitauit Elisabetham.

Deuotio B. V. creuit in dies ex meditatione, & vnione cum Deo.

plenius subdit; & hęc per se quidem tristitiam habet, dum super sui miseria quispiam dolet, secundario autem lætitiam habet dum in spe diuinæ benignitatis respirat. Ex his innotescit, *quia etsi Mariæ contemplationibus fuerit ingēs immixta deuotio, & deuotioni Lętitia, adfuit nihilominus tristis quædam, & afflictiua affectio, potissimum post passionem, ascensionemque sui Dilecti, quippe quem ineffabiliter diligens ac desiderans, incessanter ad illam suspirabat,* quibus illa suspirijs ex ardentissimo corde proficiscentibus, deuotionem suam veluti flabellis accendere visa est qua ita exardescente sine dubio, & ipsa cum suo Parente Dauide cōcinebat: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* Psal. 70.

B.V. pijs ad DEVM, suspirijs deuotionem suã velut flabellis ascendit.

41. Sextam denique hanc Seraphinorum alam ait B. Damianus esse, gaudium de supernæ Ciuitatis restitutione, siue reparatione, quæ ala, inquit ille, est picturis pulchrioribus colorata. quid enim erit cum illo terribili iudicio peracto Dominus virtutum homines Angelis sociabit, resarciens damnum, redintegrans numerum, & vnumquemque ordinem ex meritis hominibus ad summam reuehet numeralem. Tunc sicut lætantium omnium nostrum habitatio erit in ciuitate Dei, quia varietate partium ordinata, nil erit amplius, quod repugnet, vel quod à statutis locis valeat elocari. De his duabus dicitur: Duæ tegebant corpora eorum, quia gaudium nostræ Redemptionis, & restitutio supernæ fęlicitatis beatorum Spirituum corpora contegunt, resarciunt, ne tam ruinosa diminutio in illa superiori gloria cognoscatur.

6. Ala Seraphinorum est gaudium de ciuitatis supernæ reparatione.

Denique attendendum quanta benignitas gratię in genus humanum ab his spiritibus redundet. Pugnant enim pro nobis: Factum est prælium magnum in cælo Apoc. 12. Vincunt pro nobis: Nunc facta est Victoria. Gaudent pro nobis, quia gaudium est Angelis Dei super vno peccatore penitentiã agēte. Luc. 15. Flent pro nobis; Angeli pacis amarem flebunt. Hæ sunt fœlices pennæ, quibus ille numerosus ordo super volat, alacriter stans, & in æternitatem volans. Eisdem plane, ac longè fęlicioribus pennis Virgineus Seraphinus noster volauit semper, & in omnem æternitatem est volaturus, siquidem gaudio longè maiori, ex ardentiori in DEVM, hominesque charitate proficiscente de nostra salute semper gestit, atque exultat. Vnde Virginis studiosissimus Pelbartus de Temisuar lib. 9. P. 2. eam contulit sedulæ illi mulieri, quæ inuentâ vna dracma perdita, & ipsa exultat, ac tripudiat, & alias vicinas ad secum gaudendum inuitat.

Angeli pugnant vincunt, & flent pro nobis.

M. mulier, quæ inuenta dracma gauisa est cũ amicis.

Postquam enim dixisset illam esse Matrem pulchræ dilectionis, & gaudere materno prorsus affectu, de peccatorum conuersione, mox addidit: *Beata Virgo, diligit homines conuersos à peccatis, ac pœnitentes, eorum bono congaudendo. Si enim gaudium est Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15. Multo magis Mariæ est gaudium, quæ super omnes præeminet Angelos, vtpote eorum Regina, quę plenissima est charitate. Et ideo conuenienter figuratur per Mulierē, quæ habuit Dracmas decem. quoniam ipsa est Domina creaturarum rationalium in decem gradtuum ordinibus existētium .i. in nouem Choris Angelorum, & decimo hominum. Et perditâ vnâ, scilicet humana naturâ per peccatum, atque inuenta per pœnitentiæ, & passionis Filius sui efficaciam, conuocauit ad gaudium, inuitando amicas, animas videlicet Sanctas: Congratulamini mihi, inquiēs, quia inueni dracmam quam perdideram.* Hæc ille. Ex quibus facile perspicere est ineffabile Diuæ Virginis Angelorũ Reginæ, ex syncerissimo corde scaturiens gaudium, quo de reparatione ruinarum cœlestis Hierusalem, redempto, ac iustificato humano genere, per dilectissimi eius Filij Passionem, ac mortem, & inter Angelicas Hierarchias, translato exultauit: cum homines inter Seraphinos sibi vicinissimos, ardoreque, charitatis tam Dei, quam proximi sibi simillimos asprexit. Præclarè enim idem D. Potho lib. 4. de statu Domus Dei: *Sunt, inquit, nonnulli, qui tanto Conditoris sui desiderio ardent, vt sola ipsius contemplatione pascantur, nihil in hoc mundo appetant, terrena cuncta, & transitoria contemnant, & ad cælestia iugiter anhelent. Isti certè eorum agminum consortio digni habentur, quæ Seraphin dicuntur. Seraphin namque Incendentes interpretantur. Hæc namque agmina Spirituum in tantum Diuini amoris igne ardent, vt proxima Deo existant, nullique alij inter ipsa, & DEVM Spiritus medij sint.* Quos inter imo plurimis gradibus Superior, sine dubio extitit Virgo Deipara omnium Hierarchiam Dominatrix, eorũ in se virtutes, ac perfectiones veluti speculo, eminentiori longè, modo repræsentans, quibus illa velut alis Seraphicis subuecta in DEVM, cordis sui

B.V. de salute animarum gaudet multo magis quã Angeli.

Qui homines inter Seraphinos collocandi.

centrū, motu velocissimo ac numquam interrupto euolabat. His iā de alis Seraphicis explicatis, ad reliquas eorum proprietates contemplandas, quæ in Dei Matre eminentiori longè ratione reluxere gradum faciamus.

42. Harum vna est inter reliquas quam plurimas, quod, vt loquitur S. Dionysius Areopagita, *summa in inflāmantis incendij expurgent, lucidâque, & illuminante proprietate, & caliginis, ac cæcitatis profligatrice sint prediti*. Quæ sane proprietas maiori longè cum excellentia in Diua Virgine eorū Regina inuenitur. Quis enim Seraphinorum vnquam inflammatâ suâ charitate expurgat, excoquitq; hominum corda animosque, vt omni vitiorum ærugine, seu rubigine, ac scoriâ tanquam aurum in fornace probati, purissimi, ab omnique labe vel minima liberrimi euadant, atque Virgo nostra sanctissima? Vnde S. Damascenus In Hymnis Ecclesiasticis merito cecinit: *Te Deiparam inte llectualem Fornacem scimus summus enim DEVS, qui tres pueros conseruauit, totum mundum in tuo sacro vtero renouauit*. Quare virtutem illam ignis actiuam, qua calefacit non simpliciter, sed cum quadam acuitate Seraphinis à D. Thoma attributam, iure merito longè excellentiori modo attribuere possumus Diuæ Virgini.

M. velut Seraphini expurgat, & excoquit corda nostra à scoria peccatorum, mētesque illuminat.

Quemadmodum enim ignis est maximè penetratiuus in agendo, pertingens vsque ad minima, quodam super excedenti feruore, sic Seraphini, & longè excellentius Maria Virgo actionem hanc ignis potenter exercet, & in se, amando DEVM, proximumque, & in sibi subditos peccatores, *eos vitijs expurgans, & in sublimem feruorem, amoremque perfectionis excitans, ac totaliter per incendium depurans ac purgans*, vt idem S. Doctor loquitur.

43. Expertus est hoc Virginis Seraphicum incendium purgans, atque illuminans Ordinis Seraphici Capucinorum Bartholomæus Cæsenas. Hic .n. cum in sęculo esset sacerdos cum quodam alio sacerdote, cui amicitiâ coniunctissimus erat, tam effrenem vitam ducebat, vt nullis vterque sceleribus parcerent, quibus se ipsos non cōtaminarent, vti referunt Annales Capucinorum Ann. 1592. numer. 13.

Bartholomæus Cesenas sacerdos sceleratus pietate in B. V. ab interitu liberatur.

Inter hæc tamen corruptissimæ vitæ scelera, quidam illi erga beatissimam Deiparam Religionis igniculus animo inerat, quo eam quotidie Hymno illo: *Stabat Mater dolorosa, &c.* venerari consueuerat. Deridebat enim sæpe socius perinde ac si inter tot scelerum procellas, minus illi ad euadendum æternæ mortis naufragium, ea oratio valeret. His igitur Bartholomæus turpioris vitæ tenebris demersus, suæ in Virginem deuotionis vberem fructum tulit.

In igneum pelagus precipitatur, & à B. V. liberatur.

Dum enim aliquando orat, in mentis excessum raptus, in igneum pelagus se deportari videt, in quod demersus cum acrius à flammis cruciaretur, circumspiciens amicum Sacerdotem eiusdem pelagi flammis obrutum animaduertit. Inter hos ardentes pelagi fluctus dum miser præ dolore exclamat, en Virgo beatissima è cælo delapsa, manum porrigit, eumque è pelago eductū his verbis affatur: *Bartholomæe quandoquidem tam grauiter meum, ac Dei Filium tuis sceleribus læsisti, si hinc saluus optas emergere, illius te conspectui adstare, atque ab eo criminum veniā poscere oportet*. Pudebat Bartholomęum tot sibi scelerum conscium Christi pręsentiam adire, verum ad eam compulsus, cum primum coram Dei Filio apparet, confestim ab eo duris verbis reijcitur. Metuebat Bartholomæus, ne iratus Iudex iterum illum in igneū pelagus damnaret; ideo à sacra Deipara confortatus iterum ad Iudicis pedes supplex seipsum prosternit, à quo rursus vultu iracundo expulsus, nihil præter quam suæ damnationis sentētiam à Iudice expectabat, cum illum B. V. secum assumptum ad Filium ducit, fuisque illi apud eum precibus patrocinatur. quibus tandem Iudex permotus, eidem hac conditione ignoscit, vt præterita peccata pœnitentia deleat, ac vitam in meliorem commutet. Post hæc ab excessu rediens, cum literas à Fratre accepisset, quibus certior fiebat, amicum Sacerdotem, eo plane tempore, quo hęc illi visio manifestata fuerat glande plumbeâ impetitum, repente interijsse, meliori apud se consilio inito, arctioris disciplinæ studio ad Capucinos se contulit. Sed quoniam non locus, sed virtus est, quæ Sanctum hominem efficit, neque cælestium virtutū studium auspicari haud satis est, nisi id assidua exercitatione excolatur: Hieronymi vox est, sanctæ vitæ rationem processu gaudere, & crescere, cessatione torpescere ac deficere.

Coram Iudice stant Bartholomæo B. V. patrocinatur.

Hinc Bartholomæus cum in Religione negli-

Bartholomæus remittit in feruore Spiritus.

negligẽtius virtutum studia prosequeretur, ac præsertim regularem Obedientiam segnius quam par est facto exciperet, periculi à Deo in somnis admonetur. Dum enim communi orationi vacat, leui sopore oppressus, Romam sibi proficisci videbatur, sed cum viam ignoraret, en puer egregias illi protinus obuiam fit, qui se illi itineris ducem exhibet; moxque viam carpens, eum ad quamdam fluminis ripam, alto præcipitio horrendam ducit, ex qua cũ in angustissimam ripæ semitam in flumen pendentem diuertisset, timebat Bartholomæus tam angustum iter, ob periculi metum aggredi. Verum puero animum illi addente prosequitur, donec ripæ decliue prætergressi, ad flumẽ appellerent, quod cum Draconibus, ac serpentibus, alijsque venenosis bestijs tumens cerneret, mox tremere, horrescere, ac pedem retrahere. Cui puer: *Ne extimescas*, inquit, *tuto progredere, nihil hæc tibi venenosę belluæ nocebũt, si meis vestigijs inhæseris*. Hoc igitur flumine prætergresso, cum ad profundum quemdam lacum cum puero peruenisset, mox ab atris quibusdam hominibus apprehensus in lacum demergitur: vnde fletiũ vlulatus, vocesque lamentabiles, velut eorum, qui graui aliquo supplicio afficiuntur, erumpentes audit, horrisonũque aquarum in ahenis sese impetu vrgentibus vndis, ebullientium murmur percipit. Hunc cum Inferorum locum esse sibi certo persuaderet, altis infaustum hunc diem gemitibus deflebat, & antiqua Deiparæ auxilia animo repetens, ipsius tunc impensius patrociniũ implorabat, cum tenuem lucis radium sibi illucescere visum, post lucem vox ab eo audita clamantis: *Bartholomæe egredere, & veni*. Statimque è lacu diuinâ quadam virtute euectus, almam Dei Matrem conspicit, quę his eum verbis compellat: *Festina Bartholomæe, ac me pręeuntem sequere*. Ab eaque in magnificam quamdam Regiam per ductus, in ea Dei Filium vna cum 12. Apostolis conuiuantem cernit. Protinus B. V. tres illi eduliorum lances suis operculis instruendas, Christi, & Apostolorum mẽsæ apponendas porrigit. Duas porro illæ lances cum satis apposité componeret; tertiam nullo vmquam pacto ita concinnare potuit, quin semper ineptè in alteram partem penderet, eduliumque effunderet. Monebat Virgo vt diligentius lancem componeret; at cùm is nulla ratione rectius eam concinnare valeret, atque hoc modo lancem Dei Filio epulanti obtulisset; ab eo grauiter tam incompositæ lancis increpatur; quasi qui necdum quo pacto sibi famulandum esset eatenus didicisset. Graui igitur hac Christi increpatione, cum Bartholomæus è somno tremebundus euigilasset, eodem quoque tempore diuinitus totius huius visionis declarationem accepit; Et primum in Romana Vrbe, quo profecturus erat, cælestem patriam; in puero vero, quo duce vtebatur, Custodem Angelum indicari. Cæterum angusta illa semita, à qua pręcipitium pendebat, arctam Religionis viam; flumen Draconibus, ac serpentibus obsessum, varias ordinis asperitates; lacus ille profundus, Inferorum locum, eiulantium fletus, ebullientiaque ahena, dãnatorum supplicia, quibus se ob Regularis obseruantiæ crimen obstrinxerat; cælestis vox, qua ex lacu educitur, B. Virginis patrocinium; Regia illa magnifica, in qua Dei Filius cum Apostolis epulatur, Seraphicum Ordinem, Euangelicæ atque Apostolicæ vitæ sectatorem; tres illæ lances Christo offerendæ, tria paupertatis, castitatis, & Obedientiæ vota, quæ quisque integrè reddere debet. Tertia deniq; illa Lanx, quam Bartholomæus tunc quidem rectè imponere nunquam potuit, Obedientiæ votum non obscure præseferebat, cuius cum hic obseruantiam negligeret, grauiter à Domino corripitur. Quo visu Bartholomæus adeo in moribus mutatus est, vt virtutum omnium, ac præcipue Obedientiæ, regularisque obseruantiæ studio, exemplar sanctitatis omnibus extiterit; vitæque suæ admirabili metamorphosi ostenderit, Deiparam vi inflammantis incendij suæ plusquam Seraphicæ charitatis sibi deuotos clientulos, aliquo peculiari cultu pietatis se venerantes, purgare à peccatorum sordibus, illuminare, & in dilectione perficere consueuisse.

Bartholomæus horribili visione suæ negligẽtiæ admonetur.

Monetur à B. V. de Obedientiæ arctiori obseruantia.

Visionis mysteria Bartholomæo cælitus indicantur.

44. Quam ob causam B. Albertus Magnus attribuens Seraphinis *superferuidum amoris ardorem, hunc ait omnino extitisse in Maria tantâ cum vehementia, atque excellentiâ, vt tam charitatis vis super se extulerit, & expulerit à se. Redditque rationem: Siquidem Spiritus Sancti gratiâ, ac charismatis, præ cæteris creaturis omnibus etiam Angelicis*

Mariæ charitas tanta vt eam supra se extulerit, & à se expulerit.

gelicis abundauit; & Spiritus S. mentem, animumque ad superiora eleuare consueuerit, credendum omnino est Deiparam mentem totam in cælum defixam habuisse. Verissimum enim est, quod æterna ait Veritas: Vbi est Thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum. Matt. 6.

Spiritus S. mentem ad superiora eleuat.

Cum ergo Virgo Sacratissima thesaurum præ omnibus maximum, nempe Filium in cælis habuerit, consequens sanè est cor eius vel maximè illic defixum in hæsisse. Vnde factum, vt maximè fuerit, vt loquitur Albertus *à se expulsa, quia totaliter se Deo ipsi dediderat, corporeque simul, & anima Deo plena erat.*

Quam gratiæ donorumque cælestium, amorisque efferuescentis plenitudinem Rupertus Abb. lib. 1. in Cantica. suspiciens in Virgine exclamauit.

Maria est inundatio gaudij, vis amoris, & torrens voluptatis.

O B. Maria inundatio gaudij, vis amoris, torrens voluptatis, totam te operuit, totam obtinuit, penitusque inebriauit; & sensisti quod oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit. Sic Rupertus.

Cum igitur Virgo beatissima super feruidum Diuinum charitatis ardorem corde suo velut fornace æstuātem habuerit, quid mirum si velut Seraphinus cum alijs eundem communicarit, & peccatores purgarit, illuminarit perfeceritque, vti illum Ordinis Seraphici virum, qui tantis à Diua Virgine fauoribus atque ardoribus præuētus, vitā ad vsque finē omnibus Sanctimoniæ numeris absolutissimam, ipsa ductrice atque illuminatrice duxit.

45. Nullus enim Seraphinorum tam lucido atque illuminante est præditus fulgore quantumuis luci illi inaccessibili proximus sit, atque summi Dei nostri Mater, Mater inquā, fontis sempiterni illius luminis, quod in vtero suo gestando immersa quodammodo eidem Diuinæ illi luci videbatur.

B. V. habuit in se splendorem ignis Diuinæ charitatis.

Quare splendorem illum ignis, quem D. Thomas Seraphinis attribuit, potiore iure Virgini concedere oportet. Ipsa enim vti Seraphini, quemadmodum Angelicus loquitur Doctor, inextinguibilem habens lucem, alios quoque perfectè illuminat. Vnde præclarè Aegidius Colūnius Romanus Archiep. Bituricensis S. Thomæ Discipulus in Salut. Angel. Mariæ Nomen, quod Illuminatam, vti diximus, & Illuminatricem sonat, interpretās. Cōmendatur, inquit, in ea abundantia charitatis, in eo quod dicitur Illuminatrix, quia credi debet, quod sicut est illuminata super omnes creaturas, & Mater est pietatis, & misericordiæ, ita super omnes creatutas nobis misericorditer lumen influit. Vnde rectè de ea potest interpretari illud Eccli. 24. Ego feci in cælis vt oriretur lumen indificiens; quia ipsa suā humilitate Christum veram lucem è cælis in terram perduxit.

M. inextinguibilem habens lucem, alios quoque perfectè illuminat.

B. V. velut illuminata super omnes creatutas, & Mater pietatis, misericordię lumen nobis influit.

Et quasi Aurora valdè rutilans, vt canit Ecclesia, de seipsa solem illum produxit, & mundo parturiuit, qui illuminat omnia. Et sicut ex abundantia charitatis, & gratiæ Domini nostri IESV Christi, & de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia, & abundantiorem lucem, quam meruimus, ita dicere possumus, quod in eo, quod Maria dicta est Illuminatrix, tanta denotetur eius abundantia charitatis, quâ nos illuminat, vt de plenitudine, & abundantia suæ lucis, & gratiæ omnes accipiamus. Sic Aegidius.

Cum B. V. dicitur Illuminatrix amplissima eius Charitas notatur, de cuius plenitudine omnes accipimus.

46. Quam etiam ob causam Ioannes Apostolus amatus à Christo Discipulus fortassis eam sole amictam se vidisse testatus est. Quam visionem excutiens Bernardus. Ser. de verb. Apos.

M. Illuminata, & Illuminatrix quia sole, iustitiæ amicta, &c.

In sole, inquit, & feruor, & splendor est stabilis. Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Diuinæ Sapientiæ vltra quam credi valeat penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgentur, illo igne Seraphim accenditur. Longè verè aliter Maria meruit non velut summatim tangi sed operiri magis vndique, & circumfundi, & tanquam igne ipso concludi. Candidissimus sanè, sedet calidissimus huius Mulieris amictus; cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, & non feruentissimum liceat suspicari. Hæc Bern. quibus sanè insignem gloriosissimæ Virginis charitatis ardorem, ac splendorem, quo ad instar Seraphinorum longeque excellentius omnes cælestis Sapientiæ luce irradiat, amoris Diuini ardore potentissimè inflammat, ita vt non sit qui se à calore eius abscondat.

M. igne Diuino magis quam Seraphini accensa, quia illo vndique fuit circumfusa & conclusa.

47. Ob copiosum hunc amoris calorem, Sapientiæque Virginalis Lumen S. Epiphanius lib. de laud. Virg. eandem super Cherubinos, ac Seraphinos, velut aquilam quandam quæ irretortis luminibus solis æterni Sphę-

ram

M. faciem Diuinam cōtemplando longè Seraphinos, & Cherubinos excessit.

ram contemplari audebat, euexit; reddensque causam. *Illa enim* (: videlicet Cherubin, & Seraphin, inquit:) *auertuntur, cum nequeant spiritualem ignem Diuinitatis, fixis oculis intueri: hęc autem apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem, & somni expertem oculum Christum cum desiderio, & osculo salutabat*.

48. Excellentissimam hanc santissimæ Virginis charitatem, reliquarumque virtutum, ac gratiarum plenitudinem, quâ omnibus Angelis, ipsisque supremis Deo vicinissimis Seraphinis præstitit, maximęque venerationi atque admirationi fuit, venutissimè descripsit Baptista Mantuanus lib. 2. Parth. dum post filij Dei incarnationem æternum Patrem velut Regem tota cęli curia circumstante ob profundissimam Virginis humilitatem atque obedientiam, superbissimi Luciferi, qui vnus ex Seraphinorū choro ac primus extitit olim Sedem, Diuinæ suæ proximam destinantem, laudibusque Mariam super omnes Angelicorum Spirituum Hierarchias celebrantem introduxit. Licet verior, communiorque sit opinio solium Virginis supra Luciferi, aliorūque Seraphinorum Hierarchiam iusta Filium fuisse locatum. Sic igitur ille.

B. V. ob humilitatem atque Obedientiam sedes Luciferi, qui Seraphinorum primus fuit, destinata, in aliquorum opinione.

Diuulgata polo res est, mysteria norunt,
Aetherei ciues: Maria tunc æthere toto,
Nomen honoratum; cæli cantata theatris
Virginitas fœcunda fuit; non dum agnita nigris
Manibus, Infernoue Ioui. Sub hypostesin vnam
Naturæ coiere duæ; quæ copula Diuos
Gentis in immensum nostræ conuertit amorem.
Nec graue Cælitibus fuit ipsa relinquere summi
Tecta Patris, nostrâque dies cum Virgine longos
Ducere, & occulti reserare negotia cæli.
Ipse puellari formâ, mentisque decore
Lætior, accito Diuum Pater agmine Sanctos
Alloquitur Ciues, circumstantemque Coronam
Spirituum: alloquio Patris exultauit Olympus.
Vtque prius multâ sublimem laude Puellam
Extulit, illustres atauos, & nomina clara
Gentis flessę referens, delataque cælo
Sacra, piosque animos antiquæ stirpis; inanem
Luciferi ostendit Sedem (: contermina semper
Regali fuit illa Throno, sceptroque Tonantis:)
Tum memorans veteres rixas primęuaque bella; &c.

Et paucis interpositis sic idem cęlestis Pater Virginis laudes prosequitur:

Sicut Luciferi locus hic sublimior inter
Eminet ęterni numerosa sedilia Regni;
Sic Virgo, quam parua domus angustia claudit
(: Et Mariam pręssę monstrauit acumine virgę:)
Humanis animis longè est pręstantior: illi
Non facti ratio, non cęli mobilis ardor
Destinat hoc solium, sed lege caercita mentis
Libertas, & noster amor. Sic fatus, atomne
Lętitia fremuit cęlum; diffusa voluptas
Cęlestes animos rapuit, sonuere theatra
Plausibus, assensu superum vulgata per omnes
Elisii campos, magni est sententia Patris
Temporeque ex illo semper toto ęthere Virgo est
Angelicis pręlata choris, & dignior omni
Agmine spirituum, rutilo Cyllenia quanto
Marte minor flamma est, vel quantum Delia tristi
Cedit auo, Tellusque Ioui; Venus aurea Phębo.

49. Quam ob rem supra memoratus D. Antoninus 4. P. Tit. 15. c. 44. ait, vbi ad hunc Seraphicum supremum Ordinem peruenisset tota Seraphica effecta Maria, consuetum illud trisagion, tantisper immutasse Seraphinos, atque exclamasse: O Santa Dei Dei Mater, & omnium, ò Sancta Virgo Virginum, ò Sancta Mediatrix hominum, ò Domina Regina cœlorum, ò Dea Deiformitate actuum, & Imperatrix Sabbaoth exercituum, cunctorum Angelorum, decet te ista gloria; & hoc incendio charitatis sublimissimam decet te in supremo ordine nostro nobiscum residere, vt te perfruamur, ò Beatissima. Ex quibus Seraphinorū verbis facile est colligere, ipsos in Virgine suas perfectiones maiori excellentiâ, velut è speculo promicantes deprehendisse, & nimimum quantum demirantes suspexisse. Quod sanè mirum nobis videri minimè debet cum Angelico Doctore attestante 1. P. q. 108. art. 6. *Semper summum inferioris ordinis affinitatem habeat cum vltimo Superioris*. Cum igitur primus ordo Diuinarū per-

Seraphinorū laudes eximiæ de B. V. prædicatę.

Maria Dea deiformitate actuum.

Summum inferioris Ordinis affinitatum habet cum vltimo Superioris.

personarum ad Spiritum S. qui Notionalis Amor est, terminetur: quemadmodum Seraphinorum supremus ordo affinitatem habet in amoris incendio cum Spiritu S. ita multo magis eâdem habebit Virgo Deipara, vtpote, quæ super omnes Hierarchias Angelicas, ipsosque Seraphinos exaltata, proximũ augustissimæ Trinitati, ipsique Spiritui Diuinissimo Thronum, excellentissimę gratiæ plenitudine, meritorumque super omnes sanctos dignitate, habere promerita sit, ipsiusque Spiritus Sancti viuum quoddam, spiransque simulacrum extiterit, vti in parte Prima declarauimus, consequitur sane charitatem Virginis magnam affinitatem cum ipsius Spiritus Sancti, & longè excellẽtiorem, quam ipsorum Seraphinorum habuisse.

B. V. affinitatem habet cum amore Spiritus S.

50. Quare ob eximium hunc feruentissimumque Virgineæ charitatis ardorem, reliquarumque virtutum excellentiam, tam Seraphini, quam reliqui beatorum Spirituum chori lubentissimè eam tanquam omnium Hierarchiarum, cælique Reginam humillimè salutant atque venerantur. Vnde S. Metildis lib. 1. Reuel. cap. 57. narrat vidisse se Seraphinos accensas Candelas manibus gestantes, qui eam exhortarentur, ac iuuarent in salutando Beatã Virginem in amore illo, quo DEVS fuit ab illa dilectus in hoc mundo super creaturas omnes. qui ipsius tam vehemens amor adeo in illa præualuit in dilectissimi Filij Passione, vt omnem humanum affectum longè superaret. Quia dum omnis creatura morti Filij Dei, suo modo compateretur, ac commoueretur, ipsa sola cum Diuinitate immobilis, hilarisque perstitit, voluitque vt Filius pro totius mundi salute sacrificaretur. Vidit etiam eadem sancta Cherubinos lucidissima specula prę ferentes, & ideo didicit debere se salutare eamdem B. V. in altisſima illa, ac lucidisſima Dei cognitione, qua super omnem creaturã in terris perfruebatur. Vidit inde Thronos eburnea sedilia gestantes, quibus intellexit salutandam Deiparam, ob quietem illam qua Dei Filius in purisſimo eius vtero conquieuit. Describit inde Dominationes cum coronis pulcherrimis; Tum Principatus cum floridis sertis. Alias similiter Hierarchias cum suis symbolis, ex quibus agnoscebat quanam ratione Dei Mater esset salutanda.

S. Metildis vidit Seraphinos salutantes B. V. ob amorem quo illa præ omni creatura DEVM dilexit.

51. De hac salutatione ab omnibus Hierarchijs Angelicis Virgini exhibita præclarè S. Athanas. sermon. de SS. Deipara, vbi etiam docet homines morem hunc Deiparam salutandi ab ipsis Angelis didicisse: Tibi gratiosæ Dominæ nostræ, Reginæ, Heræ, Matri Dei, Arcæ sanctuarij, tibi, inquam, Angelus laudis encomium contexit: Aue gratia plena Dominus tecum. Beatam te prædicant omnes Angelorum, & cælestium Hierarchiæ, & Hierarchicas manus attollentes benedicũt tibi, quæ & in cælis benediceris, & in terra beata prædicaris benedicta in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Istiusmodi enim benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex Thronis, Cherubinis, & Seraphinis cõstat, qui aut flammei, aut magni Regis Dei cognitores appellantur. Beata tu in mulieribus, & beatus vterus tuus, Dei gestator, & vbera, quæ ille adhuc infantulus suxit. Secunda verò Hierarchia, in se Dominationes, Virtutes, & Potestates complectitur, ad te respectans clamat, vtpotè, quæ hæc didicerit à sublimiori Hierarchia: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus venter tuus, qui DEVM concepit, & mammillæ, quæ DEVM educauerunt puerum factum. Iam tertia acies ex Principatibus, Angelis, & Archangelis cõstans, quibus mandatum à Deo emittente, vt per vnum Gabrielem Archangelũ ederet splendidissimum illum amplissimũque hymnum: Aue gratia plena, Dominus tecum. Ab istis deinde nos Hierarchiæ terrestres exaltationes Dei in gutture ferentes, siue, quod didicimus siuè quod mutuo verba hæc accepimus exaltamus te magnâ, & canora voce dicentes: Aue gratia plena. Sic Athanasius.

B. V. ab omnibus Angelicis Hierarchijs salutatur.

Ab Angelis didicerunt homines B. Virginem salutare.

52. Easdem ob causas Aegidius Calumnius Romanus in salut. Angel. ait à Gabriele ex ordine Seraphinorũ vt multorum fert opinio salutatã Virginem, cum nusquam ante legatur, simili salutatione mortalium aliquis cõsalutatus: *Virgo gloriosissima*, inquit ille, *cum singulari priuilegio Dei, quo fuit præuenta, antequam nasceretur, de illo antiquo serpente victoriam reportauit, iuxta illud: Ipsa conteret caput tuum; inuenta est digna, vt illam Angeli salutarent, & vt Reginam cælorum, ab omni peccato mundam, Dei Matris sponsam, Filij Matrem, habitaculum Spiritus S.*

Gabriel ex Ordine Seraphinorum fuisse ab aliquibus creditur.

M antequam nasceretur contriuit caput serpentis; vnde digna facta quã Angeli salutarent.

S. quandoque super Choros Angelorum exaltandam, honorarent, velut illam ex qua Dei Filius carnem accepit: Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.

M. prima fuit, quæ ab Angelo salutata est.

Vnde merito est ab Angelis salutata, & honorata, cum nunquam legatur, quod antea aliā creaturam Angeli salutauerint, & honorauerint; quia ipsa omnibus creaturis dignior inuēta est. Hæc Aegidius. Ex quibus Deiparæ super omnes Angelicas Hierarchias excellentiam tum ob Diuini amoris feruorem, tum ob alias virtutum prærogatiuas colligere licet, & simul etiā quāto in precio Angelica salutatio habenda, vtpote, quę cælitus missa, & primo omnium Angelico ore deprompta est.

61. Sane quisquis tam Diuinę orationis fructus tam spirituales quā corporales intelligit, non potest, nō summopere ad ritum hunc orandi, ac salutandi Deiparam non affici.

Illud hic commemorasse sufficiat ex Patrum Capuccinorum Annalibus An. 1583. n. 146. videlicet, quod fælicē ex hac vita ad cælestē transitum paret. Fuit nobilis quidam adolescens Antonius Maria nomine, qui cum Rosario quotidie piè recitādo in honorē Deiparæ esset assuetus, & sæculo, mundiq; illecebris valedicere, ac Capucinorum ordinem ingredi decreuisset, essetque iam in Tyronum catalagū à P. Prouinciali adscriptus, dum ex fraterna domo profectionem ad religionem parat, graui ægritudine corripitur, qua indies ingrauescente, ad supremum tandem cum morte conflictum rapitur. Interim inuisitur à quodam illius Religionis Patre, & ad mortem obeundam ritè disponitur. Dunque adstantes eum iam iam Spiritum exhalaturum arbitrantur; is è vestigio in strato exurgens, vultu ad Patrem cōuerso: *Pater mi, inquit, diuina virtute huc redeo quæ mihi diuinitus ostensa sunt, ante hunc meum vitæ occasum narraturus. Dum extremo cum morte agone colluctarer, multam Dæmonum turbam in me irruentem conspiciebam, quorum cum vim, ac impetum extimescerem, en Angelus mei Custos candidā contectus veste flammeumque dextrā gladium gestans mihi extemplo adstitit, qui cum Dæmones dispulisset, his mihi dictis animum addidit: Ne extimescas Antoni Maria, tantum Deo confide, nihil aduersum te poterunt aduersarii. erit .n. qui pro te pugnet. His verbis cum animum consternatum sublevasset, tota illa tartarea Dæmonum nubes repente euanuit. Alter vero Dæmon Christi Domini formā suscepta, ac falso lumine coruscā, apparuit, quem ego, dum me ad sui adorationem prouocaret, detestans, ita sum allocutus: Si tu Dei Filius es ex Maria genitus, te libens adoro: at si impurus Dæmon sub ementito hic Saluatoris habitu fallax delitescis, te penitus execror. Hæc Superbus hostis non ferens, fraude detectā mox fugā arripuit. Mox verò Deipara Virgo cęlesti vndiq; lumine circumfusa mihi sese spectandam exhibuit; cuius ob priorem Dæmonis fallaciam cum veritas adhuc in animo mihi esset suspecta; quænam illa sit per cunctor. Ea vero vultum iucundum præseferens: Ne vercaris, inquit, Fili, non Dæmon, sed vera Dei Mater ego sum: Cui ego: Domino, ac Regina mea quandoquidem ob morbi grauitatem, quæ simul cum corpore animum oppressit, hodie quotidianum tibi Rosarij pensum non persolui, supplex à te veniam posco illudque si annuis, in crastinum diem persoluendum differam. Ad quem Virgo, vt ostenderet quam grata illa, sibi foret Salutatio, quamque ipsi ad bene feliciterque moriendum proficua, sapientissimè memorabili illi dato documento, ita respondit: Quod presenti luce præstare vales, Fili, ne in crastinum differ. multos enim Cras illud elusit. His aliisque dictis cum me solata esset, in cælos abijt.* Hæc cum adolescens, integra, vt videbatur mente edixisset, supplex Habitum S. Francisci petijt, & impetrauit; quo indutus, persolutoque, Diuinæ Matri Rosarij penso, magno pietatis sensu, mox deperditis sensibus iterum cum morte colluctari cępit, ac tandem vberem sui in Virginē, obsequij, venerationis, ac salutationis mercedem, suauissimam, nempe mortem, æternāque beatitatem accepit.

Nouitius Capucinus ante mortem in extasim rapitur.

B. Virgo Nouitio moribundo apparet, cumque monet recitionem Rosarii quotidianam nō esse differendam.

Nouitius recitato piè Rosario feliciter moritur.

Eędem Annuę Patrū Capucinorū referunt literæ ad An. 1601. n. 56. Rosario Virginis corporalia etiā beneficia, quæ ipsius est benignitas fuisse collata; sic .n. ibi memoratur: B. Virginis Corolla, quæ 72. Angelicas salutationes cōprehendit, illustri facto commendetur. Nouitius quidam in conuentu Terlicij Bariensis Prouinciæ, dum pisce in mensa vescitur, à trāsuersa gutturi spina ita, male afficitur, vt sanguine ex inflicto vulnere defluente, cum nullum eruenda spinæ illi remedium suppeteret, profusis in cella lacrymis, à Deo opem ac remedium exposceret: quo tempore paululum obdormiscens sibi humerum concuti, vocemque his se verbis compellantē audit: Quid gemis? si vis à spina liberari, in Ecclesiam te quampri-

Rosario B.V. recitato Spina piscis è gutture cuidam Nouitio Capucinorum excutitur.

mum confer, ibique B. V. Corollam, quę. 72. Salutationes Angelicas, complectitur, persolue. Mox Nouitius voci illi obtemperans in Ecclesiam pergit, corollam omni cum pietate recitat. Cũque extremam Salutationem protulisset, cum ea simul, & Spinam de gutture protulit. In his manifestum euadit, Santissimum Diuæ Virginis Rosarium, piè, vti par est recitatum, mirificos & interiori homini, & exteriori fructus afferre. Vnde B. Alanus de Rupe. lib. de Psalt. cap. 1. varios huius Rosarij, siue Psalterij, commemorans fructus, eos ad decem capita iuxta literarum Psalterij numerum reuocat, aitque per Christum, ac Mariam Virginem deuotè illud Psallentes eos consequi. Primo peccatoribus præstat Pœnitentiam. 2. Sitientibus stillat satietatem. 3. Alligatis adducit Absolutionem. 4. Lugentibus largitur Lætitiam. 5. Tentatis tradit tranquillitatem. 6. Egenorum expellit egestatem. 7. Religiosis reddit reformationem. 8. Ignorantibus inducit intelligentiam. 9. Viuis vincit Vastitatem. 10. Mortuis mittit misericordiam per modum suffragij. Quare illud Cœlo Sydero centum 50. Angelicis Salutationibus, ceu stellis exornato; Paradiso voluptatis, Angelicis rosulis consito: Arbori vitæ, & scientiæ, eisdem Angelicis salutationibus, velut fructibus dulcissimis onustæ conferre non dubitauit. Addit insuper cap. 8. S. Apostolum Bartholomęũ Salutationes hasce, centies de die, & centies de nocte cum totidem adgeniculationibus frequentasse. Quartam porro quinquagenum adiecisse affirmat Apostolum deuotionis causa ipsi, Deoquę notã. Quæ omnia aliaq; quãplurima, quæ passim legere est, si quis atteté considerauerit, facile Angelicarum Hierarchiarum, ac maximè Seraphinorum ad piè salutãdum Virginẽ ob ardentissimam illies charitatem, qua DEVM dilexit, aliasque eximias virtute quę in illa velut omnis perfectionis speculo refulserunt, prouocabitur exemplo. Sed ad lineam.

Varij Rosarii B.V. fructus.

Rosarium cælo Sydereo, Paradiso, & Arbori vitæ est simile.

S. Barthol. Apostolus ducentiẽ intra diem ac noctem flexis genibus B V. salutabat.

53. Excellentem hũc Diuinæ charitatis ardorem in Deiparæ, præcordijs assiduè ex ęstuantem considerantes Seraphini non modo ad venerandam, vti diximus, salutandamque eam excitantur, sed etiam eius eximium amorem contemplantes ora, pedesque suos, alis velantes, ac contegentes confundi, atque erubescere visi sunt, quod humana creatura, Angelicam, eamque supremæ illi Maiestati vicinissimam, in vehemẽtia amoris superarit. Illa enim est solium illud excelsum, & eleuatum, in quo DEVM considentem contemplatus est Isaias cum dixit cap. 16. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius;* Seu vt ex Hebræo legitur, Chaldæus Paraphrastes: *Duabus velebant facies suas, & duabus velabant pedes suos.* Vtraque hæc lectio optimè simul cohæret. Dũ enim hi Beati Spiritus simul alas iungebat, ijsq; velabant faciem suam, & consequenter eisdem sibi quoque velabant faciem Dei, eiusque aspectum sibi adimebant; par de pedibus esto iudiciũ. Quo actu clarè nobis ostenderunt vt obseruauit. S. Chrysost. serm. 4. de hac visione, se suam faciem velasse, quod Diuinum splendorem irretortis oculis aspicere non possent; pedes sibi velasse præ verecundia, ne quis aspiceret eorum imperfectum amorem, & affectum, cuius symbolum sunt pedes. Atque ita reuera dicere possumus hos sanctissimos Angelos, non solùm Diuinæ Maiestatis, verum etiam Virginis gloriosissimę, in qua veluti excelso, eleuatoque solio residebat dignitatem, excellentiamque charitatis contemplantes erubuisse, quod non modo Dei, verum etiam ipsius Dei Matris ardentissima in genus humanum charitas, sit illorum amore longè flagrantior, atque eminentior, nec eorumdem charitati, vt de reliquis virtutibus taceamus, vllo modo comparanda.

Seraphini charitatem B.V. ardentissimã considerantes erubescere quodammodo videntur dũ ora suis alis velant.

54. Quod porro Solium illud excelsum, atque eleuatum à gloria, Maiestateque plenissimum, Deiparam denotarit, præter alios infra citandos cũ de Thronis agemus, indicat Doctor Seraphicus in spec. cap. 7. vbi eius mysteria contemplando totus admiratione plenus exclamauit: *O verè beatissimũ, ò verè stabilissimum solium! Hoc solium excelsum est in intellectu, eleuatum in affectu; excelsum quoque inter homines, eleuatum super homines: excelsum est in gratia, eleuatum in gloria. In Solio mẽtis Mariæ Dominus sedet, & domus corporis Mariæ plena est Maiestate eius.* Idem asseuerat Rich. à S. Laur. libr. 10. de Laud. De hoc solio, Ierem. 14. docens nos qualiter adiurando, per Matrem

B V. est soliũ excelsum, & eleuatum Diuinæ Maiestatis.

In mẽte Mariæ veluti solio Dominus sedit.

trem Filium debeamus: *Solij gloriæ tuæ recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum. Quasi diceret: Quoties Domine, bonitatem tuam exasperat nostra malitia, memento salutis auctor, quod nostri quondam corporis ex illibata Virgine nascendo formam sumpseris.* De hoc solio Isa. 16. *Et præparabitur in misericordia solium eius.* Item Iob. 26. *Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulam suam. Dominus enim solij sui vultum tenuit, quando Matris suæ mentem, prærogatiuâ gratiæ illustrauit, super omnes, videlicet Seraphinos. Tenuit enim mentem, qui tentus fuit à ventre. Nebulam autem super solium suum expandit, cum eam caligine paupertatis, ac solitudinis multiformis circumdedit. De hoc solio loquitur idem Isa. 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Non enim defuit Mariæ dignitas conditionis, ob quam fuit solium excelsum, non prærogatiua virtutis, ob quam fuit solium per gratiam eleuatum, non Filij Dei in se susceptio, ob quam solium fuit superexaltatum.*

Per B. Virg. Deus obsecrandus est in nostris tribulationib.

Hæc ille. Plura de Marianæ charitatis, gratiæque eminentia, qua ipsorum Seraphinorum diuinos excessit ardores videndum, Prima parte in Discur. 6.

In B.V. Præseraphicalis ardoris Charitas fuit.

55. Adeo denique eximia, adeo excellens, omniumque Angelicarum Hierarchiarum in DEVM amoré vincens charitas Deiparæ extitit, vt eam Pelbartus lib. 9. stell. Par. 1. ar. 3. cap. 3. præperaphicalis ardoris Charitatem nuncupare non dubitauerit. Ad quod intelligendum notat ex S. Dionysio cap. 7. de cęlesti Hierar. Quinque Seraphici amoris proprietates, quas ille Sanctum illum Doctorem ab Apostolo Paulo, sicut, & alia de Angelicis Hierarchijs didicisse affirmat, easdemque in Vitgine nostra gloriosissima maiori longè, cum eminentia reperiri comprobat. Prima igitur Seraphici amoris proprietas est, quod sit semper mobilis; quo significatur, vt docet Hugo, & Linconiensis, Dilectionem illā nullâ quiete, aut pausatione interruptam esse. Quia sicut ignis, suâ flammâ semper mouetur; sic amor Seraphicus semper actu in ipsum DEVM fertur. At vero cor Deiparæ multo maioribus purioribusque diuinæ charitatis accensum flammis, vehementiori longè motu in creatorem suum vel in ipso primo immaculatæ conceptionis instanti rapiebatur. Visâ enim tunc clarè Diuinissimæ illius Maiestatis facie, in qua omne videtur, simulque possidetur bonum, tantis Diuini amoris exarsit incendijs, vt Spiritus S. verè dixerit de illa Cāt. 8. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neç flumina obruent illam.* Mobilibus hisce diuinæ charitatis flammis cor Virginis, adeo mouebatur, sursumque motu pene perpetuo ferebatur, vt verè dicere posset cum parente suo Dauid: *Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, non auertas faciem tuam à me.*

Amoris Diuini proprietates quinque ex Dionysius Areop.

Amor Seraphicus est semper mobilis, & nunquam interruptus.

Cor B.V. motu quasi perpetuo sursum ferebatur.

Hic Diuini amoris motus in corde Deiparæ, cor illi semper reddebat vigilans, adeo, vt ipsamet, secundum interpretationem Ruperti, & Dionysij Carthusiani, diceret: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

56. Altera Seraphici Amoris proprietas est, quod sit incessabilis, & infinibilis, nullâ vnquam duratione terminabilis, sicut enim ignis nullum habet in agendo terminum, sed semper magis, magisque suppeditatâ materia, erescit: Sic actio amoris Seraphici nullum in Deo amando inuenit terminum, cum ipse per se Bonitas infinita atque immensa sit, in qua semper quod amorem, nouo modo in illis accendat, cor dulcificet, alliciat, atque delectat, reperitur. Et quis vnquam plures maioresque in summam illam immensamque Bonitatem amore vehementissimo, ac ipsius infiniti quasi ęmulo exardescendi inuenit rationes, quam Deipara, cum se gratia, super omnes Angelos, super omnes iustos quot ab exordio mundi, ad illud vsque tempus, fuerunt futurique sunt ad consummationem vsque sæculi, plenam agnouit, tot donis, ac charismatis Spiritus Sancti decoratam, & ad eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem nulli amplius creaturæ communicabilem euectā perspexit. Hæc nimirum infinita, immensaque Virginis gratia, si possibilis est, vt eam possibilem S. Anselmus, ac Bonauentura, videntur agnoscere: Hæc immensa ac infinita Dei Matris dignitas, vt eam vocitat Angelicus Doctor, incessabilem, infinitumque in corde eius amoris ignem, Seraphicum multis parasangis transcendentem excitauit. Virginé enim adeo plenam gratia, adeo Deo gratam, gratam quoque in referenda tantorum bonorum largitori, gratia; amoreque infinito, quodāmodo rependendo, oportuit.

Seraphinus amor incessabilis, & infinibilis.

B.V. infinitas DEVM amandi rationes inueniebat.

Infinita Diuinæ Maternitatis dignitas, infinitum quodammodo amorem excitauit in corde B.V.

Amor Seraphicus nunquam tepescit vel remittit.

57. Tertia Seraphici Amoris proprietas est, quod semper calens sit, nec vnquam tepescat, caloremque remittat; quod omnibus, Beatis in patria est commune. De quibus S. Gregorius: *Desiderium quidem anxietatem habet, satietas fastidium. Ne ergo sit in desiderio anxietas, desiderantes Sancti satiantur; ne sit in satietate fastidium, satiati desiderant, quia sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.* Huius semper calentis desiderij, atque amoris nunquam tepescentis in Beatis causam affert Doctor Angelicus lib. 3. cōt. Gent. *Quia Diuina essentia semper cum admiratione videtur, cum nullus intellectus eam comprendat, sed omnia creata ipsa transcedat.*

Diuina Essentia semper cum admiratione videtur

Cum igitur intellectus Beati semper in Diuina essentia habeat, quod admiretur, & alliciat, nunquam tandem videre, atque amare fastidiet; sed semper ac continuè delectabit illum videre quod amat, & amare quod videt.

Vnde satietas ex desiderio, desiderium ex satiete semper accēdetur. Vnde ipse increata aiebat Sapientia. Eccli. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibant adhuc sitient.* Huius modi Calorem charitatis, absque vlla tepefactione, siue satietatem cum desiderio, etiam pro presenti vitam statu super omnes Seraphinos habuit Beatissima Deipara.

B. V. Satietatem cum desiderio habuit etiam in hac vita.

Quia licet cum Filio familiarissimè versaretur, eum amantissimè amplexando, osculando, lactando, ac per 33. annos magnâ confidentia cum ipso conuersando, nullo tamen vnquam conuersationis eius tædio affici poterat. Verè enim dilectissimus eius Filius erat Sapientia illa increata, de qua aiebat Sapiens Sap. 8. *Proposui hanc adducere mihi ad conuiuendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis suis, & erit allocutio cogitationis, & tędij mei. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lętitiam, & gaudium.* Nouerat Virgo ęternam hanc Sapientiam fontem esse inexhaustum bonorum omnium, summo amore dignissimum. Videbat in dies, vt pote excellentissimâ luce irradiata (vnde, & dulcissimum eius Nomen Illuminatam sonat) maiora, ac maiora, consideratis ipsius præclarissimis attributis, amoris illicia. Vnde fiebat, vt summus ille Virginei amoris calor nullam vnquam tepefactionem admitteret, sed maiora semper caperet caloris, feruorisque plusquam Seraphici incrementa. Hinc ipsa velut cerua amoris telo saucia anhelans ad sponsum ipsi concinebat. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad DEVM fontem viuum quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* Vere sitiebat indies absque vllo tamen cruciatu Virgo ad DEVM fontem viuum, quia sicut viuus fons, nouis semper aquarum fluentis scaturit, atque ebullit, sic Diuinissima Natura in Christo, nube, siue negula humanitatis nostræ contecta nouis amoris illicijs, voluntatem Matris, ipsius attributa contemplantis ad se trahebat, eamq; nouis amoris ita accendebat flāmis, vt magis eius charitas sēper incalesceret, animeq; suę sitim explere neqret.

Amor Beatæ Virginis sēper feruens quia cōsideratis ipsius attributis, omnem tepo rem excludebat.

58. Quarta Seraphici amoris proprietas est, de qua etiam supra meminit S. Thomas, quod sic acutus, nimirum ad instar ignis, qui in pyramidem natura sua desinita, & efformatur. Quo acumine, Hugone teste, impetus quidam amoris, ardentisque desiderij vehementia denotatur, quo conquiescere nequit, donec intret penetretque suam Sphæram; (quę aliud nō est, quam Ignis ille superessentialis, vt eum vocitat Dionysius;) omniaque humana, & quæ DEVS non sunt, transcendendo despiciat. Et quis obsecro maiorē hunc amoris impulsum in se vnquam est expertus atque Virgo nostra? Tantus hic erat charitatis, impetus, quo ad Dilectum anhelabat, vt languorem, & quoddam animi deliquium pati videretur. Vnde, & dicebat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. Pręmiserat autē huius languoris causā, perfectionem nimirum acumenq; charitatis cum dixit: *Introduxit me Rex in cellā vinariam, ordinauit in me charitatem.* Cant. 1. Acumine hoc charitas veluti sagitta trāsuerbata Virgo nostra aiebat rursus Cant. 5. *Adiuro vos Filiæ Ierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo, siue vt legunt 70. Interp. quia amore vulnerata ego sum.* Quibus verbis ostendit, acumine, impetuque amoris sui in Dilectum, se eundem vulnerasse, & ab eodem vicissim vulnus amoris accepisse. Quod Dilectū suo amore sauciauerit, testatur ipse Cant. 4. *Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Siue vt Beatus legit Theodore-

Amor Seraphicus est acutus velut ignis in pyramidem se efformans quodammodo.

Mirum amoris impetum semper in DEVM habuit B. V.

Maria amoris acumine velut sagitta transuerberata fuit.

doretus lib. 3. in Cant. Et in vno torque colli tui. Vbi Sanctus Doctor verba Sponsi, considerans, docet sponsam tum altissima rerum Diuinarum contemplatione, quam operibus vitæ actiuæ, summâ charitate obitis, veluti acumine sagittæ sauciari. Vnde ita Sponsum loquentem introducit: Ambo quidem oculi tui sunt admirandi, ac Spirituales, & Columbæ merito nominati. Sed alter eorum, qui Diuina contemplatur, qui philosophatur de Deo, qui recondita mysteria contuetur, cor meum stupore afficit. Et cum omnia colli sui ornamenta suspicio, virtutes tamen eas, quæ in actione consistunt, vel maximè. Collum enim Diuinorum mandatorum tuorum iugum ferens iustitiæ, sulcos infindit, & dirigit. Cum igitur reliqua virtutum ornamenta in collo tuo splendentia suspicio, atque commendo; tum in primis vnum admiror, atque obstupesco. Ac pulchritudinem suspiciens, cum vnius torquis tui, tum oculi Diuina hæc intuentis, amore vulneratus sum tuo. Vnum illud porro ornamentum, quod Sponsæ collo circundatum ceteris antecellit, discamus ab Angelo esse Charitatem: Maior autem horum est Charitas, quam etiam plenitudinem legis appellat. Torquem ergo hunc Sponsæ Sponsus admiratur. Vulnerasti ergo cor meum, &c. hoc est, tali oculo prædita, & eius modi torque decorata, me in amorem, ac desiderium tui concitasti. Hæc Theodoretus.

B. V. operibus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ summa cum charitate obitis velut acumine sagittæ sauciatur.

B. V. Oculi Columbæ à Sponso vocantur.

Collum B. V. iugum Diuinorum mãdatorum duæ gestat, velut torque exornatur.

Colli Sponsæ pulcherrimum ornamentum est Charitas.

Quibus pulchrè sane ostendit Sponsam, & vitæ contemplatiuæ, & actiuæ Sãctissimis exercitationibus eum amoris impetum, acumenque præsetulisse, vt cælestis Sponsus, sibi in eo summopere, super omnem Seraphinorum Charitatem, quamtumuis inter Hierarchias illas Angelicas eminentissimam, complacens, se vulneratum, ac quodammodo victum amoris vi fateretur. Et qua in re quæso alia, Virgo nostra, si non in hac, amoris sui acumen, Seraphicum, illud transcendens de quo Areopagita, ostendit.

59. Ad postremã Seraphici Amoris proprietatem veniamus; quã super feruida eorum Charitas ab eodem Magno Areopagita nuncupatur. Superferuidum porro ex sententia memorati Hugonis illud dicitur, quod caloris quadam vehementiá feruens, supra se iactatur. Sicut igitur Acumen Amoris is habere dicitur, qui omnia trãscendendo eadem despicit. Sic superferuentem Amorem quoque cum idem ille omnia, atque etiam semetipsum transcendendo contemnit. Miro igitur modo fit, vt dum per dilectionis ignem, in illum sustollitur, qui est supra se, per vim amoris in illum solum feratur appetendum, cogitandum, desiderandum, nec se, nec aliquid aliud cogitet, aut desideret, dum illum qui summum Bonum est amat. Superferuidum hunc amorem Virgo cum totius vitæ curriculo semper, tum in Passione Filij, iuxta eius Crucem, forti illa dilectione instar mortis roborata stando, mirificè præsetulit, cum omnium ac sui ipsius oblita cum eo mori, superferuida hac charitate extra se, & supra se rapta, desiderabat. Superferuidum hũc Deiparæ amorem, eiusque affectus tenerrimos mellifluus Bernardus Tract. de lament. B. V. descripsit. Libet hic pauca delibare. Sic igitur illam Filij amore efferuescentem, loquentemque introducit: *Fili mi, Fili mi. Quis mihi det, vt ego moriar pro te Fili mi? O misera quid faciam? Moritur Filius meus. Cur secum non moritur hæc mæstissima Mater eius? Fili mi, Fili mi, amor vnice, Fili dulcissime, noli me derelinquere post te, trahe me ad te ipsum, vt ego moriar tecum. Male solus moreris. Moriatur tecum ista tua Genitrix. O mors misera noli mihi parcere, tu mihi sola præ cunctis places, exagera vires, trucida Matrem, Matrem cum Filio simul perime. Fili dulcor vnice, singulare gaudium, vita animæ meæ, & omne solatium, fac vt ego ipsa nunc tecum moriar, quæ te ad mortem genui, sine Matre noli mori. O Fili recognosce miseram, & exaudi precem meam. Decet enim Filium exaudire Matrem desolatam. Exaudi me obsecro, in tuo me suscipe patibulo, vt qui vna carne viuunt, & vno amore se diligunt, vna morte pereant. O Iudæi impij nolite mihi parcere. Ex quo natum meum crucifixistis, & me crucifigite, aut quacumque alia sæuâ morte me perimite, dummodo cũ meo Filio simul moriar. Male solus moritur. Orbas orbem radio, me Iudæa Filio, gaudio, & dulcore. Vita mea tollitur, salus perimitur, tota spes mea de terra tollitur. Cur ergo viuit Mater post Filiũ in dolore? Tollite, suspẽdite Matrẽ cum pignore. Non parcitis proli, non parcatis, & mihi. O Fili charissime, o benignissime N. miserere Matri tuæ, & suscipe preces eius. Desine nunc mihi esse durus, qui semper cunctis fuisti benignus. Suscipe Matrem tuam in Cruce, vt viuam tecum post mortem semper. Nihil mihi dulcius quam te in Cruce amplexato,*

Superferuida charitas dicitur illa, quæ caloris quadam vehementia feruens supra se iactatur.

B. V superferuentem amorem habuit quia omnia atque etiã semetipsam transcendendo contempsit, pro dilecto.

Superferuidum Amorem ostendit B. V. in Passione, cum sui quasi oblita iuxta Crucem stetit.

Miri feruentissimæ charitatis affectus B. V. in Passione Filij eliciti.

to, tecum emori, & nil certè amarius, quam post tuam mortem viuere. O verè Dei Nate, tu mihi Pater, tu mihi Mater, tu mihi Filius, tu mihi sponsus, tu mihi anima eras. Nunc orbor Patre, viduor sponso, desolor Filio, omnia perdo. O Fili mi vltra quid faciam? Vide ibidem plura, quæ super feruidam hanc Virginei amoris vim, qua super omnia atque adeo super seipsam, sui oblita ferebatur, Seraphicamque charitatem omnem transcendebat, contestantur. Vnde Psellus apud Theodoretum verba illa librans Spiritus S. Cãt. 7. *Sexaginta sunt Reginæ, & 80. Concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea*, &cet. ita loquitur de hac Vnica charitatis, puritatisque cælestis Phœnice Virginea: *Inter tot Animas omnium hominum, qui saluantur, vna electa Columba est, vna illa sola, quæ Christum genuit, Virgo Mater Puella Maria, quæ puritate profectò Cherubin, ac Seraphin antecellit.*

Inter omnes animas, quæ saluantur est vnica Amoris Phrenix, & Columba B. V.

60. Quapropter idem Pelbartus omnibus hiscé præclarissimis Seraphicæ charitatis proprietatibus discussis, atque diligenter expensis, auream tandem hãc attexuit coronidé: Vnde omnes has, singulasque proprietates, excellentissimè quantum puræ creaturæ, viatrici possibile fuit, præ alijs fuisse in via, & nunc esse in patria beatificâ visione fruenti in Charitate B. Virginis, nulli ambiguum est. Hinc tam grata, & præaccepta Deo fuit hæc Deiparæ Charitas, eamque tantum præ omnibus creaturis redamauit, vt ab æterno, nullius amore creaturæ, ad incarnationem, ad tot tantasque ob mundi salutem ęrumnas exantlandas allectus fuerit, atque charitate Virginis, quam ab æterno præordinarat, vt humanæ Redemptionis foret Mediatrix. Sic ille.

Charitas B. V. adeo grata fuit Deo, vt propter illam incarnari in ipsa voluerit.

61. Quinis hisce Seraphici Amoris proprietatibus longe excellentius in Deipara effulgentibus, de quibus hactenus Pelbartus, addamus si lubet alias quatuor ex Rutilio Benzono Episcopo Lauretano lib. 3. in Magn. c. 34. Dub. 23. *Prima igitur Seraphinorum quam ipse affert proprietas ex Dionysio, est, habere esse sopitum, seu quietum, quod est effectus summi amoris. Et hoc fuit in Virgine super Seraphin. Maior enim est virtus, quæ sopitum facit in tumultu, & strepitu, quam illa, quæ in silentio, & quiete. Ergo cum Beatissima V. sopita fuerit imo & omnino tranquilla in tumultu, & strepitu tentationum, tribulationum, & persecutionum huius mundi, fuit magis quieta, quam Seraphin extra huiusmodi strepitum, & tumultum constituta. Sicut maior est violentia somni qui cogit hominẽ dormire in strepitu, quam inquiete. Et cum in illa fuerit maior amor erga DEVM, quam in Seraphin, maiorem quoque quietem, & soporem talem habuisse mentis in DEVM necessario dicendum est.* Vidit profundissimum hunc soporem, mentisque quietem in Virgine sponsus, in eaque sibi mirificè complacens, adiurabat adolescentulas Cant. 3. 5. *Adiuro vos filię Ierusalem per capreas, ceruosque camporum ne suscitetis, neque euigilare faciatis Dilectam donec ipsa velit;* siue vti legit Hebræus apud Celium Pannonium: *quousque complacentiam habebit, scilicet in me.* Vatablus, & Arabicus vocem illam: *Dilectam*, verterunt. *Amorem;* insinuantes cælestem hanc sponsam adeo in sponsum amoris, diuinæque contemplationis vi fuisse absorptam, atque transformatam, vt ipse Amor substantialis qui Christus, qua Deus est esse videretur. quare somnum hunc, ac quietem sponsæ rectè cõtemplationem Diuinorum, Seraphicâ charitate succensam merito ex Bernardi mente interpretamur. Sic .n. ille verba illa trutinans sponsi ser. 51. in Cãt. *Magna, & stupenda dignatio*, inquit, *quod quiescere facit animum contemplantem in sinu suo, insuper & custodit ab infestãtibus curis, protegitque ab inquietudinibus actionũ, & molestijs negotiorum, nec patitur omnino suscitari, nisi ad ipsius vtique voluntatem.* Vnde quietem hanc tam dulcem diuini amoris delicijs conditam desiderans, paulo post attexuit: Moriatur anima mea morte iustorum, etiam si dici potest, Angelorum, vt præsentium memoria excedens, rerum inferiorum, & corporearum similitudinibus exuat, sitque ei pura eum illis conuersatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis, vt opinor excessus maximè contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus viuendo non teneri, humanæ virtutis est; corporum vero similitudinibus speculando non inuolui, Angelicæ puritatis est, &c. quam prærogatiuã singularé, assiduis, ac nunquam interruptis rerum celestium meditationibus; amorisque actibus in summo gradu super omnes Seraphinos consecuta est. De hac denique Virginis quiete ita prosequitur Bẽzonius. *Adde quod Deipara fuit sicut Arca illa Noe in qua vniuersa animalia in summa pace degebant, cum prius, & postea sibi inuicem aduersarentur. In nobis quidem ratio aduersa-*

B. V. mira quies animi in contemplatione.

Ex maiori Dei amore orta maior quies contẽplationis in B. V.

Quies sponsæ, est contemplatio.

B. V. Arca Noe.

uersatur carni, corpus Spiritui, & passiones inter se aduersę esse solent, & actio contemplationi, & contemplatio actioni impedimento esse solet. At in Maria vniuersa ista in summa fuerunt pace.

B.V. habuit vim intelligendi perspicacem ob eximiam sapientiam.

62. Secũda Seraphici Amoris proprietas est habere vim in intelligendo perspicacem, hac est sapientiâ eximiâ ornatam. Deiparam vero excessisse ipsos Seraphin in sapientia, non est dubium. Fuit enim in ea Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Præterea Seraphin sunt participes sapientiæ accidentaliter. At Deipara est Mater sapientię increatæ substantialiter, & essentialiter quantum ad humanam naturam. Deinde vnctio Seraphin docet, & instruit homines de omnibus necessarijs ad salutem. Habent enim illi summum zelum salutis animarum, & diuinæ gloriæ. At vnctio Deiparæ dat de facto omnia necessaria ad salutem, mediante Christo, quem genuit. Ad hæc Deipara circa mysteriũ Incarnationis magis edocta, & instructa fuit, quam Seraphin. Vnde Venentius Fortunatus Pictauiẽsis Epis. illam alloquens aptè cecinit:

Occulti in terris Sacramenti conscia summi,
Et secreta poli, sunt patefacta tibi.

63. Tertia Seraphin amoris proprietas est, *habere esse intimũ, hoc est ad exteriora non conuersum, vel effluens. At Deipara non solum deorsum non effluxit, vel descendit, sed etiam præter naturam sursum ascendit, & omnes qui deorsum defluxerant, secum, quantum fuit in se, ad superna direxit.*

M. peccatores ad superna reduxit.

Vnde Deipara Vexillum Dei dicitur Isa. 7. Dabit Dominus ipse vobis signum Isaia 5. Eleuabit signum in nationibus. Et Cantic. 2. vbi legimus; *Ordinauit in me charitatem, in Hebræo habetur: Vexillum eius super me Amor, vt Pagninus, & Genebrardus vertit.*

M. Vexillum amoris Dei.

Est autem Deipara vexillum amoris Dei. Est vexillum pulchritudinis omnium gratiarũ, & virtutum; Vexillum victoriæ, qua à Deo per amorem ipsa Deipara victa fuit. Est etiam Vexillum victorię, qua eadem Victrix Dei extitit. Vnde sponsus Cant. 4. Vulnerasti cor meum. Sept. Interp. legat: Excordasti, & obstupefuisti cor meum. Postremo est Deipara Vexillum refugij, pręsidij, imitationis protectionis, atque tutelæ in Ecclesia Dei. Est enim hęc significatio, seu signum datum timentibus Nomen Domini, vt fugiant à facie arcus Diabolicarum tẽtationum, vt liberentur dilecti Dei. Nec solum ipsi est Vexillum sed omnes ad eam deuotè, ac piè confugientes, ad instar vexilli exaltat, & in altũ euehit: quare hoc quod apud nos legitur: Vt fugiant à facie Arcus, in Hebr. habetur, vt Rabbi Dauid interpretatur: Vt vexillentur, siue, vt instar vexilli exaltentur, nimirum super inimicos suos. qui enim confugiunt ad Virginem erigunt ipsi quoque gloriosum victoriæ vexillum super aduersarios suos. Denique Virgo est Vexillum gloriæ in triumphanti Ecclesia.

M. Vexillum victorię, qua DEVM vicit, & qua à Deo victa fuit.

M Vexillum refugij.

M Vexillum protectionis

B V. suos ad instar Vexilli exaltat.

B V. Inflexibilis, quia nunquam ab amore Filij deflexit.

64. Quarta demum Seraphici huius amoris proprietas est, *esse Inflexibile.* Quod Deiparæ summopere quadrat, quæ nunquam à Filio deflexit, nec Filius ab illa iuxta illud: *Confidit in ea cor viri sui. Prouerb. vlt.* Vnde appellat illa Filium, *Cor suum: Ego dormio, & cor meum vigilat.* quem locum Rabbi Salomõ sic intelligit; *Cor meum vigilat*: id est qui meũ est Cor, cum ego dormio, ipse ad custodiendum me vigilat. Per transformationem enim amoris appellat Christũ Cor suum. Cum eo enim tanquam corde iam viuebat, vt si quis eum ab ea eriperet, vitam ei auferet. Hinc à Ioanne Apoc. 12. dicitur signum magnum .i. admirabile. Postquam enim sol iustitiæ in illud semel per Incarnationem, & misericordiam fuit ingressus, nunquam amplius inde exijt, sed semper in Virgine fuit. Est enim tantæ magnitudinis, vt semper à sole illustrari possit: neque ex hoc signo Virginis sol vnquã egreditur. Vnde quid mirum si Virginis Amor multo magis quam Seraphinorum à Deo fuerit inflexibilis? Hæc Bẽzonius. De Sole hoc in Virgine habitãte pulchrè Venantius Fortunatus in Car. de B.V.

Christus est cor B.V.

M. Signum admirabile.

Christus in Virgine fuit sicut Sol.

In te habitis mundi lumen statione coruscа.
Floruit interius per sua membra DEVS.

65. Ex quibus facile est colligere, Deiparam amore illo suo plusquam Seraphico in dilectissimum suum, Filium verum iustitiæ solem fuisse transformatam, & hac etiam in parte Seraphinos imitatam, qui Christum Dominum amore nostri Cruci affixũ, in Crucifixum amoris vi, mente, spirituque transformantur. Quod patuit in Seraphino illo, qui se S. Francisco in monte Aluernię dum ei Sacra impressit stigmata, visendum præbuit. De qua visione admirabili Seraphicus Doctor S. Bonau. in Vita S. Francisci cap. 13. ita loquitur; Dum minister Christi Franciscus biẽnio antequam Spiritum redderet cælo, Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in DEVM, & affectus

Seraphinus apparens S. Francisco amoris vi fuit in Crucifixum Spiritu transformatus.

affectus compassiuâ teneritudine in eum transformaretur, cui ex charitate nimia crucifigi complacuit, quodam mane circa festum Exaltationis S. Crucis in latere montis orans, vidit quasi speciem vnius Seraphim, sex alas tam fulgidas, quam ignitas habentem de cęlorum sublimitate descendere, qui volatu celerrimo ad aeris locum viro Dei propinquum perueniens, non solum alatus, sed & Crucifixus apparuit; manus quidem, & pedes habens extensos, & Cruci affixos; alas vero sic miro modo hinc, inde dispositas, vt duas supra caput erigeret, duas ad volendum extenderet, duabus vero reliquis totum corpus circumplectendo velaret.

S. Franciscus Martyr amoris.

Hoc videns vehementer obstupuit, mistumque dolori gaudium mens eius incurrit, dum & in gratioso eius aspectu sibi tam mirabiliter, quam familiariter apparentis excessiuam quandam concipiebat lætitiã, & dira concepta Crucis affixio ipsius animam cõpassiui doloris gaudio pertransibat. Intellexit quidem illo docente interius, qui est apparebat exterius, quod licet passionis infirmitas cum immortalitate Spiritus Seraphici nullatenus conueniret, ideo tamen huiusmodi visio suis fuerat præsentata conspectibus, vt amicus ipse Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mẽtis totum in Christi IESV Crucifixi expressam similitudinem transformandum.

B.V. magis fuit amoris vi in Crucifixum transformatur quam ille Seraphinus.

66. Quã transformationẽ, imo longe excellentiorem, amoris plusquam Seraphici vi Sanctissimæ contigisse spiritualiter Deiparæ exploratum est. Vnde Pelbartus de Themisuar Pannoniæ decus lib. 9. stellari Par. 1. c. 2. ar. 3. docet, *Charitatẽ Diuinæ Matris fuisse transformalem. quia totaliter*, inquit, *erat ipsa per charitatẽ transformata in Christo, vt tota maneret, & viueret in Christo, & Christus in ea, ita vt dicere potuerit cum Apostolo Galat. 2. Christo confixus sum Cruci. viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus. Vnde optimè ipsa, præ alijs dicere potuit cum B. Ignatio: Amor meus Crucifixus est in Christo. Et vero si Seraphici Spiritus per suum amorem in Christum Crucifixum transformantur adeo, vt, sicut Franciscus Mayronius ait, qui intimè cerneret Seraphin, cerneret in eis stigmata Christi expressa intellectualiter, sicut sensibiliter fuere in B. Francisco. Multo magis hoc censendum est de anima B.V.M. quæ tota Christo confixa est Cruci, tota in Christum DEVM transformata. quod ipse aptissima declarat similitudine sigilli, quod si cerâ imprimatur, ex illius forma quam repræsentat habebit esse, & denominationẽ rei talis, vel talis quam repræsentat nempe Regis, &c. si quidem forma est quædat esse rei.* Cum igitur charitas sit diuina virtus, dabit animæ sine dubio esse Diuinum, efficietque vt qui manet in charitate in Deo maneat, & DEVS in eo.

B.V. dicere poterat ob suã in Christum transformationẽ: Amor meus Crucifixus est.

Talis quisq; est quale est illud quod amat.

Vnde Augustinus: *Vnusquisque talis est qualia amat. Si terram amas, terra es, si cęlum, cælestis es. Si DEVM, audeo dicere DEVS es, dicente Propheta: Ego dixi Dij estis, & Filij excelsi omnes*. Hinc Hugo lib. de claustro animæ: *Scio anima mea, quia amor est vita tua, & ipsa vi amoris, in eius quem amas similitudinem transformaris*. Sicut ergo B. V. Christum summè amauit, ita summè, & totaliter esse Diuinum & Christiforme super omnia creata consecuta est. ita vt speciem Crucifixi Filij in se exprimere videretur.

S. Franciscus speculum purissimum in anima, & corpore suo Crucifixum IESVM repræsentans.

67. Quare si Vbertinus Casalius libr. 5. Arboris vitæ cap. 4. S. Franciscum contulit purissimo cuidã speculo, quod ex parte anteriori, & posteriori cui plumbum inesse solet IESVM Crucifixum, quem Seraph alatum vocitat, in anima, & corpore mundo ad recolendam eius Passionis memoriam repręsẽtauit, & Christiformis quidam, alatusque Seraphinus esse visus est: multo magis Dei Matris cor animusque speculum quoddam nitidissimum Crucifixi IESV, atque adeo alati Seraphini eum ad viuum exprimens dici poterit.

IESVS igneus cor liquefecit S. Francisci, eumque in se transformauit.

68. Si denique igneus IESVS, vt idem Vbertinus loquitur, scintillans Diuinitate, supra cor, & corpus Francisci tam flammeum, ac vigorosum effudit ignem, vt cor eius fieret tanquam cera liquescens (si quidẽ Diuinus amor habet vim liquefactiuam, & figuratiuã ad modum ceræ fluentis in sculpturam sigilli) vt ita mente, & carne totus flueret intra sculpturam vulnerum apparẽtis dilecti, & transformaretur amans in amatum: quanto magis Virgo Deipara igne diuini amoris plusquam Seraphico accensa, ac liquefacta transijt tota quãta in formam Crucifixi IESV, eamque mẽte, animoque suo ad viuum repræsentauit?

S. Teresia à Seraphino igneo telo amoris sauciatur.

69. Ad hãc plusquam Seraphicam ac transformantem Virginis nostræ declarandam charitatem, singularis ille fauor cælitus S. Teresiæ exhibitus vobis

in

in memoriam reducendus est, quando à Seraphino flammāti amoris telo sauciata, tota Diuinæ charitatis vehemētiâ extra se posita, in Dilectum animus eius abijsse videbatur. Eximiam hanc gratiam Diuinitus illi exhibitam Pater noster Franciscus Ribera libr. 1. ipsius vitæ cap. 11. ita descripsit: Dominus illius in animo tam ardentem, vehementemque amoris erga DEVM ignē excitauit, vt eius videndi desiderio, & absumi, & prope emori videretur, nec penes seipsam manere posset; & reuera tantus erat motus, vt animam sibi violenter auelli putaret. Vulnerata siquidem erat, ac velut emoriēs, & morte quidem longè suauiori, optatiorique, quam aliqua in hoc mundo est vita. Hanc tamen à se tolli plagam ita nō velle poterat, vt huic ipsa tormento, ac vulneri omnes mundi voluptates, ac delicias post habendas censeret.

Vnde illud Psalmistæ amantis carmen identidem repetebat: *quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum ita desiderat anima mea ad te DEVS*, quod verè id ipsa in se locū habere cerneret. Iis ipsis diebus oblata illi aliquoties admirabilis quædam, & Diuina visio.

Vulnus amoris S. Teresię à Seraphino inflictum dolorem ac dulcedinem illi pariebat.

Ad stātem siquidem ad latus sinistrum sibi vidit Angelum forma corporea indutum, sed ea per exigua, quem & mirus oris splendor, & ardor de Seraphinorum Diuino penitus amore æstuantium numero, vt fuisse Beata Mater crederet, suadebant. Hic aureum manu iaculum oblongum, & loco cuspidis flammulâ obarmatum vibrabat, quod ipse cordi illius, vt videbatur infixum cum educeret, ipsa simul euelli sibi præcordia credebat, & ingēti Diuini amoris æstu cor penitus flammescere.

Ea autem doloris erat vehementiâ, vt eum non ferens inconcisos, interruptosque gemitus interspiraret (intensius enim gemere dolor prohibebat,) quam simul dolor hic dulcedinem afflabat, vsque adeo copiosè affluebat, vt doloris nec desiderare finem, intermissionemuē, nec præter DEVM quidquam ei posset satietatem afferre. quibus id contingebat diebus velut sui impotens erat, optasset quoque neminem tunc vel videre, vel loqui, sed sapidam illam pęnam continenter persentiscere, quæ illi longè maioris gloriæ erat seges, quam quę omnibus iunctim creaturis poterat dimanare. Hæc ille.

Quod si hæc Sancta Virgo vnico flammanti amoris telo in corde icta, ita mutata est, vt sibi euulsa fuisse præcordia crederet, tantisque Diuinę charitatis æstuauit ignibus, vt tota liquescere videretur, eiusque anima è corporis ergastulo emigrare, & in Dilectum transire, ardentissimis desiderijs anhelaret: Quāto maioribus Virgo Deipara Diuiamoris Seraphicos omnes transcendētibus æstuasse incendijs, & in sponsum transformata fuisse credenda est, quæ non à Seraphino quopiam aureo, flammatique telo; sed ab ipso Seraphinorum Creatore non telo, sed ipsomet Incarnato Verbo, dum ipsius purissimo, nouem mēsibus delitesceret vtero, dulcissimè sauciata fuit?

B.V. nō telo aureo à Seraphino fuit sauciata, sed à Patre æterno sagitta incarnati Verbi.

70. Sagittam porro Diuinum esse Verbum testatur Isaias cap. 49. dum in ipsius persona ita loquitur: *Posuit me sicut sagittam electam, in Pharetra sua abscondit me:* quæ enim alia est hæc Pharetra, in qua hæc electa sagitta fuit abscondita, quam ipsa Virgo Deipara, in qua Dei Filius carnem assumens, nubeque se mortalitatis nostræ conuestiens, velut fulgurea quędā sagitta corda mortalium potentissimè saucians in mundum irrupit, eumque Diuini amoris ignibus inflammauit. Vnde S. Epiphanius orat. de laud. B.V. eam Nubi cuidam lucidæ, quæ fulgur, & quasi trisulcum quoddam fulmen, tonitruo Spiritus Sancti sociatum, cum copiosis Diuinæ gratiæ imbribus in orbem iaculata est, conferre non dubitauit: *O beata Virgo Nubes lucida*, inquiens, *quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundū deduxisti Christum. Nubes cælestis, quæ tonitruum Spiritus Sancti in seipsa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus Sancti in vniuersam terram ad producendum fidei fructum, cum impetu demisit.* Ignitam fulgurātemque sagittam esse Incarnatum Verbum, vel ipsum Delphicum Oraculum, Argonautis illud, de Templo à se ædificato, consulentibus, cui foret dedicandum, fateri compulsum fuit, dum ita respondisse memoratur:

B.V. Pharetra in qua Diuinum Verbum ceu sagitta fuit absconditū.

B.V Nubes lucida fulguream sagittam Verbi iaculans.

Assidua virtute decus sublime parate;
Atque vnum sic mando DEVM, qui cuncta gubernat
Cælesti residens solio colite, atque timete:
Illius æternum, atq; ante omnia sæcula Verbū
Nescia Virgo viri nostras emittet in auras,
Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis
E domitum reddet Diuino munere Mundum.

Incarnatum Verbum est Sagitta igniferis procellis impulsa, domans mūdum.

L Quid

Christus fulgueam Sagittam se esse fatetur.

Quid plura? Fulguream sagittam, ac fulminantem se esse Christus ipse fassus est Matth. 24. 27. *Sicut enim Fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem, ita erit aduentus Filij hominis*. Deniq; Psellus antiquus Pater apud S. Theodoretum Saluatorem Sagittâ cor sponsæ vulnerantem agnouit; explicans .n. illius verba Cãt.5.n.8.iuxta 70.Interp. versionem: *Nunciate ei qui charitatis vulnerata ego sum*. legit ipse: *Sagittâ amoris confixa ego sum*; addiditque vt intelligeremus quanam sagittâ, & à quo confixa esset sponsa: *Per amorem intellige Patrem, qui nullum habet Principium. Per sagittam vero electam, Verbum, & sponsum. Hanc in eos, qui saluantur conijcere solet.*

Pater Incarnatum Verbum ceu sagittã in his, qui saluãtur solet conijcere.

Sic Psellus. Ex qua pijssima tanti Patris explicatione perspicuè intelligere possumus, quibus Diuini amoris flammis mens, animusque, simul ac præcordia Virginis Deiparæ æstuarint, cum Deus Pater dilectissimum suum Filium, velut ignitam, fulgureamque sagittam in sinum Virginis immisit; qua illa ictam se dulciter, ac diuino amore inflammatam eiusdemque vehementiâ languentem ac deficientem sentiens, ac denique Dilecto se intimè per transformationem vnire cupiens, dicebat sibi ministrantibus Angelis Cãt.5.8. *Adiuro vos filię Ierusalem si inueneritis Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo*. Quod, vti dixi 70. ad rem nostram aptissime extulere: *Quia charitatis vulnerata ego sum*, quæ verba indicant Sponsam cum spõso amore dimicantem, fuisse captiuatam, ac sauciatam; sicut, & illa verba Sponsi, Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea, spõsa vulnerasti cor meũ*, captiuatã fuisse ab illa sponsum in prælio amoris, indicant. Dum enim vteri sui Virginalis Dei Filium, qui substantialis charitas est, velut ignitam, fulgurãtemque excepit sagittam, vulnus vtique accepit, atque ita vulnerata, ac captiua in creatæ illius Charitatis effecta est. Quam dum vicissim amore plenissimis oculis, qui ipsius sedes esse consueuerunt, intuetur, eandem quoque sibi captiuat, ac mancipat, deque illa triumphat, ac triumphatur, ab eadem, dum increata illa Charitas illam in se, vt pote consumens Ignis, mirâ quadam ratione conuertit.

Vnde quid mirum nobis accidit, quod tota igne Diuini amoris liquefacta, in Dilectum transformata sit, & vi charitatis tota ignea, & ipsa vti dilectus, ignis effecta sit, omnesque ignis proprietates longè excellentius, absque cõparatione quam Seraphini in se repræsentarit. Quare quod Seraphinus aureo suo, flammantique telo S. Teresiæ cordi vulnus infixit, eamque tantis diuini amoris ardoribus flagrantem reddidit, idem vulnus, & quidẽ multo suauius increatus Amor carnem nostram assumens, ex vtero Virginis, ad instar ignitę, ac fulgurantis Sagittę eidem intulit, eamque super omnes Seraphinos sacris flammis exæstuantem reddidit. Quare id fecisse purissimus hic Diuinissimusq; Amor visus est, quod olim quidam fabulatus est Poeta de profano, qui sagittis exhaustâ pharetrâ, tandem se velut sagittam in medium cor amantis iaciens artus eius resoluit, totumque flammis absumpsit.

B. V. Diuinũ amorem triũphauit, & ab eadem deuicta, & triumphata fuit.

71. Iaculatus fuit quondam in ipsa mundi creatione Pater æternus varias, easque flammantes amoris sui in genus humanum sagittas. Sagitta fuit cæli terræque molitio; Sagitta lux rerũ creatarum pulcherrima; Sagitta luminaria illa magna in firmamento, nempe Sol, & Luna, ac Planetæ reliqui; sagitta tam innumerata aliarum Stellarum multitudo, ac reliquæ terræ, in seruitium generis humani cum elementis conditæ creaturæ. Sagittæ denique Angeli ad ministerium hominis destinati. Verum cum Vniuersorum Cõditor tot beneficiorum, amorisque sui multiplicatis sagittis hominem debellare, sibique captiuare non posse videretur, Vnigenam tandem suum dilectissimum de sinu suo in sinum Virginis, ceu ignitam immisit Sagittam. Quam illa suauissimè cordi illapsam excipiens, tantis, ijsque plusquam Seraphicis amoris Diuini exarsit incendijs, vt ijs ceu Phaetonteis olim, vt ita dicam, ignibus orbis pene vniuersus conflagrarit.

Creaturarũ variarũ creatio sunt variæ amoris Diuini sagittæ.

Hoc nimirum aliqua ex parte, olim futurum indicauit Rubus ille ardens, quẽ contemplatus est Moyses. quemadmodum enim Rubus ille, licet totus esset cælesti igne circundatus, illæsus tamen perstitit: Sic hæc gloriosissima Seraphinorum Regina, quamuis ignitâ flãmantique hac Diuini Verbi icta fuerit sagittâ, mirisque Diuinæ charitatis flãmis concremata, inque dilectum transformata, consumpta tamen minimè fuit, sed sublimiorem quamdam supra humanam, imo Diuiniorem, si ita loqui

B. V. Rubus diuino amore ardens nõ combustus.

qui fas natura sortita. Hinc Chrysippus Presbyter Hierosolymit. Ser. 2. de Deipara Rubum accensum igne Diuino eam agnoscens salutauit: Aue Rube ardens igne Spirituali, qui nusquam tamen adureris.

B.V. charitatis suæ Seraphicæ ardores in Dauidem transfudisse visa est.

71. Seraphicos hoscé charitatis suæ feruentissimæ ardores crediderim Virginem, æuiternâ adhuc illa Diuinissimâque mente conceptam, in Dauidem Regem, suum olim futurum Parentem transfudisse. Quoties enim cōtemplor ipsius amoris flammas, quibus in Creatorem suum, inter Regales delicias, mūdique huius strepitus, ac perturbationes, bellorumque tumultus, exardescebat, satis admirari nequeo, qui fieri potuerit, vt tantis Diuinæ charitatis æstuare potuerit incendijs? Nimirum Seraphica illa Virginis charitas, eiusque olim futura merita ignes illos cordi eius subijciebat, dum ita iucundè concinendo, in DEVM ferebatur: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus; Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus, Psal. 87. Et rursus Psal. 84. Quis mihi dabit pennas sicut Columbæ, & volabo, & requiescam? Psal. 72. denique his æstruans ardoribus clamabat. Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

72. Easdem Seraphicæ suæ charitatis faces, Virgo mellifluo Bernardo, tanquam dilectissimo suo, ipsius purissimo lacte enutrito Filio subdiderat, adeo, vt Angelicus Doctor Sermone quodam in ipsius laudem composito, dicere non dubitauerit: *Habuit virtutes, & officia omnium Angelicorum Ordinum; ac per consequens etiam Charitatem Seraphicam,* qua sane vniuersos, qui opera ipsius relegunt, atque euoluunt accendere consueuit. Atque vt reliqua missa faciam, quantas, DEVS immortalis, Seraphici amoris flammas, proximos quosque accendentes spirabant verba illa, & etiam nunc spirant, cum de Cruce suspensum Saluatorem contemplans, acerbissimos illos memorans cruciatus eius castissimis hærens in amplexibus cum Sponsa medullitus dicebat: *Fasciculus myrrhę dilectus meus mihi, inter vbera mea Commorabitur. Cant. 1.* Quæ verba ipse attentius more sibi solito librans, tanquam quidam Seraphinus, & se, & alios in amorem cælestis Sponsi accédere desiderans, sic hortatur Ser. 43. in Cant. Tu quoque si sapis imitaberis Sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum Fasciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris auelli: amara illa omnia quæ prote pertulit semper in memoriâ retinens, & assidua meditatione reuolués, quo possis dicere & tu: Fasciculus meus mihi, &c. Et ego Fratres ab ineunte mea conuersione pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi Fasciculum colligare, & intra vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus: & amaritudinibus Domini mei. Primum videlicet infantilium illarum necessitatum. Deinde laborum quos pertulit in predicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lacrymarum, in competiendum, insidiarum in colloquendo, postremo periculorum, in falsis fratribus, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobationum, clauorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis, Sylua Euangelica copiosissimè noscitur contulisse. Vbi sane inter tot odoriferæ huius myrrhæ ramusculos, minimè prętermittēdam putaui etiam illam myrrham, qua in Cruce potatus est, sed neque illam, qua vnctus est in Sepultura, quarum in prima applicuit sibi meorum amaritudinē peccatorum: in secunda futuram incorruptionem mei corporis dedicauit. Memoriam abundantiæ suauitatis horum eructabo, quoad vixero. In æternum non obliuiscar miserationes istas, quia in ipsis viuificatus sum. Mihi Fasciculus iste seruatus est salutaris. Nemo tollet eum à me, inter vbera mea commorabitur. Hæc meditari dixi Sapientiam, in his iustitiæ mihi perfectionem cōstitui, in his plenitudinem scientiæ, in his diuitias salutis, in his copias meritorum. Propterea mihi hæc in ore frequenter, sicut vos scitis; hæc in corde semper, sicut DEVS scit; hæc stylo meo ad modum familiaria, sicut appa[r]et. Hæc mea sublimior interim Philosophia scire IESVM, & hunc crucifixum. Non requiro sicut Sponsa vbi cubet in meridie, quem lætus amplector, mea inter vbera commorantem. Hunc & vos dilectissimi, tam dilectum. Fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite

S. Bernardus habuit virtutes, & officia omnium Angelicorū Ordinum.

S. Bernardus in contemplanda Passione Domini ardens velut Seraphinus.

Affectus S. Bernardi erga Passionem Domini.

cordis, hoc munite aditum pectoris, vt vobis inter vbera commoretur.

En vt Sponsa Virgo Maria Seraphico amore succensa Crucifixum Amorem suum ardentissimè diligens, interque sua vbera velut suauissimum myrrhæ Fasciculum recondens, eumdem illum amorem suum Seraphicum in Bernardum transfudit; & ipse tandem in orbem vniuersum, adeo vt nemo sanæ mentis, ipsius hæc, aliaque scripta legens, à calore eius se possit abscondere.

72. Quid de Seraphico Doctore Bonauentura dicam? Quis quæso Sanctissimum, castissimumque eius pectus tantis tamque flammantibus Seraphici amoris, quæ passim eius in scriptis, ac præsertim in Psalterio illo elucent Virneo, succēdit facibus, nisi ipsa Seraphinorum Regina Virgo Deipara, cui semper extitit deuotissimus? Nonne fax Seraphica mortalium corda succendēs videtur fuisse illa, cum Par. 2. stim. Diu. Amo. c. 3. Christo IESV cor suum ignitum offerens loquebatur? *O Domine mi IESV tu te mihi totum dedisti, & à me cor meū tātum petis? Sed quantum est hoc Domine mei, qui ita excellens es? Si .n. haberem cor vnum, quod solū maius esset, quā si simul essent omnia corda filiorum hominum, & omnes Angelorum affectus; &, vt materialiter loquar, maius esset, & plura spiritualia simul actu contineret, vel continere posset, quam cælum empyreum; ipsum totum, & totaliter tibi tribuere deberem; & adhuc tanto Domino munusculum paruum, imo quasi nihil esset. Quanto magis ergo illam paruam scintillam cordis, quam habeo, tibi dabo, & totaliter in te ponam? Hoc enim permaximum est mihi, quod cor meum habere digneris. Nonnè ergo stultus essem, si illud applicarem de cetero alicui creaturæ, cum Dominus meus illud habere velit? Etiam in meipso nolo vt permaneat amodo, sed volo, vt totaliter requiescat in te, qui creasti illud ad laudandum te. Melius est, vt cor meum maneat in æterna iucunditate, in Diuina Maiestate, & immensa bonitate, quam in mea fragilitate; in tua denique Deitate, quam in mea iniquitate. Si hoc hăbere, ò Contemplatiue cupis, multum corde desideres, multum ore postules, & desiderium animæ tuæ tibi tribuet DEVS, & voluntate tua non fraudaberis, sed mētem tuam eleuans, in benedictionibus dulcedinis te præueniet, & tanquam Corona lapidis preciosi semetipso mentem tuam circumdabit? Nullus enim potest perfectè inuenire DEVM, qui se perfectè non odit.*

S. Bonauentura ardens in Christum amor.

S. Bonauentura ardens in B V. charitas.

Sic ibi. Nonnè altera fax Seraphici in Virginem Deiparam amoris videtur fuisse illa cum canebat Psal. 17. *Diligam te Domina cæli, & terræ, & in gentibus Nomen tuum prædicabo. Confitemini illi tribulati corde, & roborabit vos contra inimicos vestros. Stilla nobis Domina gratiam vberum tuorum, & manante lacte dulcedinis tuæ refice viscera puerorum tuorum. Religiosi omnes honorate illam, quia ipsa est Adiutrix, & vestra Specialis Aduocata. Esto refrigerium nostrum gloriosa Mater Christi, quia tu es totius Religionis mirabile firmamentum.*

Nonnè noua Virginei amoris fax intimo corde euibrata videbatur illa dum canebat Psal. 114? *Dilexi Matrem DEI Domini mei, & lux miserationum eius infulsit mihi. Circumdederunt me dolores mortis, & visitatio Mariæ lætificauit me. Dolorem, & periculum incurri, & gratia illius sum recreatus. Nomen eius, & memoriale illius in medio cordis nostri, & non nocebit nobis ictus malignantis. Conuertere, anima mea in laudem ipsius, & inuenies refrigeriū in nouissimis tuis.*

73. Quid de B. Felice Ordinis Seraphici Capuccinorum dicam? Quis pectus ipsius tātis erga IESV Nomen succendit tardoribus, nisi illa quæ in Canticis, amore languens dilecti sui, Nomē ipsius dulcissimum tot exornauit laudibus, ipsi lęta concinendo: *Oleum fusū vnguentum, effusum Nomen tuum;* Et quoniam Nomen eius non quod cumque Oleum, sed odoratum, ac aromaticum, preciosissimis vnguentis, suauissimos, virtutum odores exhalantibus, delibutum, ac contemperatum nouerat, quod suauitate sibi innata recreare, & attrahere ad se soleret animas, mox attexuit: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Quasi diceret, inquit nost Delrius: Nolite mirari me iam viro maturam, olim desponsatam, toties interpellatam, illius Sponsi nondum visi, sed probè auditu cogniti credita pulchritudine inflammari; quem in intimis abditæ penetralibus domestici laris Virgunculæ; quas virorum nec vllus aspicere, nec aspici vllis custodia parentum sinit, sola vnguentorum eius suauitate ab allectum, ardenter sat scio, aspicere desiderabunt, quem ardebunt, quem suspirabunt. Vbi obseruandum Præteritum tempus pro futuro poni in scripturis solere ad certitudinem denotādam. Et quoniam præuidebat Sanctissimi IESV Nominis odoribus Iucundissimis sese oblectaturas secum sanctas animas, eiusque virtutum heroicarum odore alliciendas, petit à sponso efficacem gratiam, quam, & ipsa, & secum illæ

B. V. erga Nomen IESV pius affectus.

B. V. pium Suum erga Nomen IESV affectū in sibi deuotos transfundit.

illæ suauiter ad earũ, amorem, imitationemque trahantur: *Trahe, inquiens, me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Inter hascè Sanctas animas iure merito numerandum censuerim B. Fælicem, verè amore Seraphico erga Nomen IESV Fælicem, de quo literæ Annuæ Capucinorum ad Annum 1587. n. 43. ita loquuntur: Tanta in Nominis IESV prolatione voluptate afficiebatur, vt illud absque lacrymis effari non posset. Nomen istud super omnia amabat, ac tam suauiter pronunciare solebat, perinde ac si mel in ore haberet. Hinc ab exordio, cum primum pueros in Vrbe, vel in domibus sibi obuios haberet, hos IESV Nomen altius efferre edocuerat: quo audito tanto ipsius viscera amoris affectu commouebantur, mox in lacrymas prorumperet.

B. Fælicis Capucini erga Nomen IESV ardens amor.

Quapropter quosdam sibi Rythmos, non numeris perfectos, aut artificiosè elaboratos, sed Spiritu plenos composuerat, quos vel solus decantare, vel interdum cum in nobilium domibus puellas Arcarium organum fidiculare pulsantes offenderet, ijs cantandos offerre consueuerat, quibus cum, & vna ipse Dei Spiritu ebrius concinebat.

Inter quos hi miram pietatem, amoremque Seraphicum spirantes hic memorandi merito fuere.

B. Fælicis de Nomine IESV piæ Cantiones.

IESV dulcis sponsus meus
O Diuini fons amoris,
Vt te amem, & ardoris
Flammâ accensus post te curram.
Mihi in animo scripsisti:
IESV ad hoc tu me effinxisti,
Vt te amem DEVS meus.
IESV dulcis Sponsus meus,
Vera bonitas amoris
In membranis cordis mei
Scribe tu intus & foris,
Quam me amasti, & causa mei.
Quanta in carne mea fecisti
Vt te amarem DEVS meus.
Ad te clamo vehementer
Teque sitio tam ardenter,
Vt præ amore tui langueam.
IESV mi audi clamantem
Audi flentem, & amantem.
Amoris repulsam non sentiam.
IESV mi meus dulcis amor
Iuam cor meum ad te euolauit
Tuoque in sinu sibi strauit
Sui amoris lectulum.
Tecum ergo semper cubet
Charitas, & amor secum recubet
Orment mentis hortulum.
IESV dulcis Mariæ Filius
Animarum te quærentium
Amor spes, & desiderium
Quantum bonum possideret,
Qui te solum corde haberet?
IESV gaudium Angelorum
Qui te gustat aliorum
Esurire iam non valet
Bonorum delicias
In te namque solo habet
Quas mens capere non valet
Cælestes diuitias.

74. Quid demum de nostro P. Camillo Constantio Deiparæ studiosissimo dicam? Tantis vir hic Religiosissimus totius vitæ suæ decursu Diuini amoris à Diua sine dubio Virgine sibi communicatis exarsit flammis, vt sui ipsius oblitus in nouum orbem Diuinę gloriæ, salutisque animarum amplificandę studio profectus fuerit vbi cum 17. Annis Macai, & 9 in Iaponia multas amore Christi ærumnas inter barbarorum insidias, vitæque pericula, insatiabili animarum zelo exantlasset, tandem ob fidem Christianam Iaponibus prædicatum ad rogum viuus concremandus damnatus, cum iam palo esset alligatus, & crepitantes circa se flãmas sentiret, flammis maioribus plusquam Seraphicæ illius charitatis intus accensus concionari magno feruore cæpit ad populum, ac postea velut alter Seraphinus in illud dulcissimum Angelorum Carmen Trisagion prorupit, hilari voce quinis vicibus concinendo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS exercituum.* Tum Iaponica lingua ter illud iterauit: *O quam mihi bene est!* Inde ad Gentiles conuersus alta voce imis eius medullis erumpente ad DEVM pro tanto sibi collato beneficio collaudandum eos inflammauit, concinendo: *Laudate Dominum omnes gentes laudate eum omnes populi.*

P. Camillus Constantius igne diuini amoris accẽsus in medio flammarum velut Seraphinus cecinit: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

75. Neque vero Virgo nostra piẽtissima hac plusquam Seraphicâ accensa charitate, eximijs hiscé Religiosisque viris hæc cæli dona largiendo, verum etiam vilioribus ac simplicioribus ac ruralibus, qui eam specialibus quibusdam venerati sunt obsequijs, sese amantissimam exhibuit, eosdemque Diuinæ charitatis, gratiarumque reliquarum thesauris locupletauit.

Memorabilis sane sacratissimæ Deiparæ erga Puellam quamdam rusticam ouium

ouium pastricem eluxit charitas, vt in Spec. Exēp. Tit. Maria c.41. videre est. Cum enim Puella hæc circa locum, in quo pascere gregem suum fuerat solita Templum quoddam desertum, in quo Deiparæ Virginis effigies omni ornatu, cultuq; destituta visebatur reperisset, Dei Matri pio affectu, & sancta quadā, ob eius paupertatem simplicitate compatiens, animitus eam vestire, ac ornare desiderabat. Cum nequiret, statuit apud se, promisitque Virgini, se salutationibus Angelicis veluti totidem rosis aureis vestem Attalicam totam floridam contexturam. Nec in promittendo minus prompta ac liberalis sancta illa rusticitas, quam in exequendo extitit. Porro cum hæc salutādę Deiparę, summâ cum veneratione pietatis exercitia pluribus annis iterasset, tandemque in lethalem morbum incidisset, Pastricis suæ deuotissimæ, eiusdemque tā ardentis erga se studij non oblita Deipara, eam Angelicis cuneis, triplicique Virginum Choro stipata inuisit.

Morienti Puellæ B. V. Angelorum Virginumque triplici stipata choro adest.

Harum primus stragulatis, ijsque pulcherrimis erat amictus vestibus; erantque illæ, quæ nullo emisso voto, Virginitatem illibatam hoc in sæculo custodierant. Alter candidissimo effulgens amictu earum erat, quæ Virginitatis emisso voto, se totas diuino obsequio manciparant. Postremus Virginū chorus rubenti coruscans cyclade earum fuit, quæ intactum Virginitatis suę florem proprio, amore Christi sponsi, effuso sanguine purpuram. Agerant denique vniuersum Sanctissima Virginum Virgo, ac Regina, augustiori Diuiniorique quadam formâ, schemateque conspicua claudebat. Hæc miri splendoris salutationibus Angelicis, ceu, rubeis, candidisque rosulis intertexta induta erat cyclade, caput vernantium rosarum redimita sertis: manuque corollam miræ pulchritudinis Paradisiacis concinnatam rosis, toto ore, oculisq; gratias, mirificamque spirans lætitiam gestabat. His igitur cælorum Regina Angelorum Virginumq; comitata choris tugurium suæ deuotæ Pastricis ingredi, humique super paleas cubantem inuisere, pro summa sua plusquam Seraphica charitate non est dedignata.

Dum igitur lectulum ægrotantis Puellæ Dei Mater cum Angelis, Virginibusque circumstat, In suauissimos cōcentus omnes erupere; inter quos felicissima illa Puella innocentem animulam suauissimè exhalauit. Quam mox Virgo Deipara, in tot coronarum Angelicis salutationibus contextarum compensationem, Paradisiacâ illa Corolla redimiuit, in cęlumque mirâ lætitia gestientibus beatissimis illis Spiritibus atque Virginibus, summa cum gloria, ac triumpho deduxerunt. O admirabilem Virginis nostræ pientissimæ omnem Seraphicam transcendentem charitatem, quæ nullo habito personarum discrimine, adeo benignè se mortaliū omnium impendit, ac superimpendit obsequijs. Quare libet cum Psalmista Seraphico ad Virginis hāc charitatem Seraphicam celebrandam orbem vniuersum coronidis loco inuitare Ps. 65. Iubilate Dominæ nostræ omnis terra, Psallite hymnum Nomini eius, date honorificentiam Maiestati eius.

Inter Angelorum Virginumque cōcentus in cælum euolat, & à B. V. pretiosa corollam redimitur.

Benedictum sit cor tuum Domina, quo tam ardenter ac syncerè Filium dilexisti. Benedicat te omnis caro glorificet te omnis lingua.

Amen.





DISCVRSVS III.

Quod Virgo Deipara Cherubinorum perfectiones in se comprehendat.

Cherubini ab eximiæ scientia, Deique contemplatione dicti.

1.



Eraphinos sequuntur proximè Cherubim, quos idem Dionysius ab eximia scientia. Deique contemplatione, summæque, atque exuberantis lucis capacitate, qua Diuinam speciem, non per traduces vllos, sed primaria vi sua intuentur dictos esse arbitratur. Addit insuper Cherubini nomine, gratiæ copiosam traditionem, communicationemque omnis inuidiæ liuore carentem, qua indultam sibi sapientiam in sequentia, & inferiora transfundunt, designari. Quibus ex verbis disputatricis Theologiæ Angelus loco iam citato plenitudinem illam scientiæ Cherubinis attribui, quo ad quatuor asseruit. Primo quoad perfectam Dei visionem. Deindè quoad plenam susceptionem Diuini luminis. Tertio quantum ad hoc, quod in ipso Deo contemplantur pulchritudinem ordinis rerum à Deo deriuatam. Denique quod ipsi pleni existentes huiusmodi cognitione, eam copiosè in alios effundant. Quæ omnia quam aptè Mariæ sanctissimæ congruant, nemo est qui non videat. Ipsa enim statim in primò suæ immaculatę conceptionis instanti, & aliàs sępiùs totius suæ vitæ sanctissimę decursu clarè Deum contéplata est. Ipsa æquè Diuinarum, atque humanarum rerum tantâ pollet scientia, quanta hactenus nulli vel humanæ, vel Angelicæ creaturæ communicata est, vt fusè Prima Parte Discursu 13. de Virginis sapientia ostensum. Vnde B. Ephrem Syrus ora. de B. V. eâdem Principem omnium prudentissimam, ac sapientissimam. S. Damascenus verò orat. 1. de dormit. Deip. veræ sapientiæ Thesaurum vocitauit. Vt porro idem Sãctus Ephrem ostenderet totam illam scientiæ, ac Sapientiæ Cherubinorum plenitudinem in se Deiparam, modo excellentiori comprehendisse. Multi oculis, ac perspicatissimis spiritibus, nempè Cherubinis perspicaciorem pronunciauit.

B.V. in instanti cóceptionis diuinam vidit essentiam.

M. Princeps omnium Prudentissima.

Cherubini sunt Spiritus Multi oculi.

2. Quare iure merito eruditissimus, ac Religiosissimus Causinus in tuis Symbolis, ob profundissimam rerum Diuinarum scientiam, qua solum DEVM, increatam Sapientiam sibi superiorem agnoscit, Deiparam Mineruę Saitanæ comparauit; De qua Plutarchus libr. de Iside, & Osiride: Sai in oppido Aegypti, Mineruæ siue Isidis Fanum, est, in quo hæc inscriptio Græco idiomate visitur: *Ego sum omne quod fuit, & erit, & meum peplum nullus adhuc mortalium euoluit, seu retexuit:* Quæ omnia peruenustè sacratissimæ aptari possunt Deiparæ. Reuera enim in capite, menteque illa Virginea, Sapientiâ Diuinâ redundanti, tàm sublimis, tàm eximia, super omnes Cherubinos est rerum Diuinarum scientia, vt eam nemo hactenus potuerit penetrare: Vndè Sponsus virtutum eius, & præsertim Sapientiæ, ipsis oculis promicantem admiratus pulchritudinem dixit: Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! oculi tui Columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.* Seu vt legere 70. Interpp. *Absque occultis tuis.* Quia reuera in Virgine plura intrinsecus animi eius latent ornamenta, quæ mens humana, quantumuis argutissima, comprehendere non est sufficiens. Quia ad Diuinam pulchritudinem ex immediata ipsius contemplatione, qua proximè accedunt.

Maria ob Sapientiam Mineruæ Saitanæ comparatur.

In B. V. plura intrinseca animi eius latent ornaméta quæ ea mens humana capere nequit.

Vt autem intelligeremus illam Sapientiæ Deam Symbolum fuisse Deiparæ, sacratiori sine dubio afflatus Spiritu ad Epigraphen illam verba hæc attexuit Proclus: *Quem peperi fructum,*

Sol

Christus tanquam Iustitiæ Sol in B. V. ceu lucidissimo cælo per Incarnationem apparuit.

Sol est. O quam apposite. Fructus siquidem ille benedictus ventris Virginalis est sempiternus ille iustitiæ Sol, qui in illa velut lucidissimo cælo per Incarnationem, tristissimâ Adæ peccatorum terminatâ nocte apparuit. Quare iure merito huic Virgini Matri canit Ecclesia: *Ex te enim ortus est sol Iustitiæ Christus DEVS noster*.

Cum B. V. Sapientia cælestis commorata, cum alijs virtutibus.

3. Quanta porrò fuerit in Virgine nostra hæc rerum humanarum, Diuinarumque scientia, pulcherrimis versibus explicuit Baptista Mantuanus li. 2. Parthen. dum æternam Sapientiam cũ Deipara commorantem, eique rerum in primis supernarum scientiam instillantem, scientiam, inquam, orbium cælestium, Planetarum, syderum, aliarumque tàm cæli, quàm terræ creaturarum vsque ad earumdem Creatorem in cælo Empyreo, Angelorum innumeris myriadibus ipsi assistentibus, ceu Coronâ circumseptum, residentem, vniuersumque hoc, gubernantem, introducit ita concinens.

Virgo secreti sola cubilis
Clausa loco, curis aperit cælestibus almum
Pectus, & in summum sensim leuat æthera mentem.
Vnam ad se Comitum vocat in penetralia tecti
Præstantem, egregio vultus, animique decore,
Mnemosyne Genetrix illi; Pater Vsus; ab ipsa
Cælesti, genus arce trahit: nam Conditor orbis
Est auus. hanc Graij Sophiam dixere priores
Nare sagax; oculis penetrans caua Tartara, & altum
Aethera. nullius linguæ, non vllius artis
Inscia, labe carens, vitijs infesta; pudore
Circumfusa genas; & Iaspide pectus, & auro
Splendida contento. causas & nomina rerum
Per media, ex imis gradiens ad summa, Deũque
Et mundi metitur iter: Hac indice Virgo
Insomnis ducens taciturnæ tempora noctis
Contemplatur, vti rerum longæua propago
Texta sit, vnde prior mundi descendit origo.
Et Chaos, & syluam informem, discretaque formis
Corpora paulatim varias induta figuras
Vi propriâ petijsse suis loca viribus apta.
Vtque grauem liquido suspenderit aere Terram
Omnipotẽs Opifex duplici cum prolis honore
Oceanũque suis complexum fluctibus orbem
Fuderit, æthereis incluserit ignibus auras.
Vtque feris terras, mare piscibus, aera cessit
Alitibus, varijs ornans animantibus orbem
Vt vaga perlustret Phæbe duodena quotannis
Sydera, fraternum fugiens iter, & modo tractus
Erret ad Austrinos, Elycem modo visat ad Arcton.
Vt procul à Phæbi Venus, & Cyllenius igne
Ne volitet, verso referant vestigia gressu.
Phæbus vt obliquo nunquam discedat ab orbe,
Atque viam retro gradiens obseruet eandem,
Claraque nocturnis Splendoribus imbuat astra.

B.V. ex contemplatione creaturarum in amorem creatoris rapiebatur.

Percutit inde Mantuanus Planetas reliquos, ac Firmamenti constellationes, ex quarum consideratione Deipara, in DEVM ter opt. Max. rerum tantarum Opificem, fontem, originemque vehementi amore succensa rapiebatur, simulque maiori in dies Diuinorum cognitione, in qua vera consistit Sapientia, irradiabatur. Vnde sic idem prosequitur Mantuanus.

Mens calefacta Deo, sanctisque exercita curis
Atque laborando vires, & robur adepta
Altius it, semperque magis terrena relinquit,
Iam superis admixta, domos explorat, & arcem,
Et solium sublime Patris, quod plurima circum
Turba leues animi volitant, decimoque sedenti
Orbe Deo assistunt vigiles, & cuncta fideli
Iussa ministerio peragunt; versantque rotatu
Sydera perpetuo quidam, mortalia quidam
Facta regunt, pressasque graui sub mole tuentur.
Corporis humani mentes, & Regna gubernant.
Omne per hos exercet opus Pater; ipse quieto
Tranquillus sceptro sedet, & complectitur orbem.
Virginis hæ curæ, seseque oblita, virumque
Miscetur Diuis, cælique palatia lustrat;
Atque thoro recubans, summo spatiatur Olympo.

Angelorum ministeria in motu cælorum.

Hæc Mantuanus de humanarum Diuinarumque quę Virgo nostra super omnes Cherubinos prædita fuit cognitione. O quam præclare Rupertus Abbas lib. 5. in Cant. pronunciauit; *Habitatricem Virginei pectoris fuisse Sapientiam Dei*. Adeo vti B. Andreas Episcopus Cretens. orat. de Annunc. merito dixerit cum hac Dei Sapientia omnes scientiarum thesauros in Virgine fuisse reconditos: *Benedicta tu in mulieribus*, inquit ille, *quæ Sapientiæ Thesaurum, in quo omnes alij Sapientię, cognitionis, quę thesauri sunt reconditi, in tuto Virginitatis tuæ, ceu promptuario liberrimè complexa es*.

In B.V. Thesaurus Sapientiæ in quo sunt omnes scientiæ, fuit reconditus.

4. Ex hoc, Diuinæ Sapientiæ Thesauro, admirabilis illa rerum Diuinarum cognitio, in qua perfectio nostra, ac Beatitudo consistit, in Deipara, ortũ habuit, adeo vt Venerabilis Dionysius

B.V. ex diuinorum cognitione perfectionem, & beatitudinẽ in hac vita consecuta fuit.

sius Richel. lib. 2. de Præcon. & Dignit. B.V. Art. 4. ex hoc inferre non dubitauerit Virginem gloriosissimã omnibus numeris absolutissimam euasisse, ac cõsequenter beatitatem, siue statum omnium bonorum aggregatione perfectum, cuius creatura in via capax esse potest, super omnes Virtutes fuisse sortitã: *Sapientia Diuina*, ait Vir pijssimus in Virginem, est possessio, qua à brutis, & carnalibus sciũgimur, atque ipsis super cælestibus Spiritibus communicamus. Infinitus quippe est Thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei. Neminem .n. diligit DEVS, nisi qui cum sapientia inhabitat. Ipse enim est qui ait: *Misericordiam volo, & non sacrificium, scientiam Dei plusquam holocausta*. Ose. 6. Enimuero cum humana perfectio nec in sola cognitione, neque in dilectione sola consistit, sed in cognitione quidem essentialiter, vt fa veritas; ipsa fatetur:

In quo perfectio, & Beatitudo nostra consistat.

Hæc est, inquiens ad Patrem, *vita æterna, vt cognoscant te verum DEVM*, in dilectione autem completiuè. In ea nempe tota lex pendet, & Prophetæ; innotescit, vt opinor, eo præsentis vitæ beatitudinem perfectiorem existere, quo duo hæc vnitiora, maioraque fuerint. Dilectio namque cognitionis est forma, atque completio. Porro cognitio charitatem fundat, & efficit quantum ad actum. Itaque cum sanctissimæ Virgini summam negare perfectionem nefas sit, omnino asserere par est quod excellentissima fuerit eius Sapientia, quatenus mentis eius Diuinissimè intellectus, memoria, ac voluntas singulæ proprijs perfectionibus eminenter decoratæ fuisse creduntur. Amplius autem quod cæteris Sanctis Dei famulis, atque ancillis sparsim, partimque, communicatum est, Mariæ prælectæ Matri vnitim, atque perfectè donatum arbitror. Quippe cui se totum, ipsa plenitudo, gratiæ, fons autorq. gratiarum infudit. Scimus autem in quibusdam Sanctis abundasse charitatem, in alijs Sapiẽtiã, in aliis vtrunque, vt & reliquas virtutes, ita vt quid plenius, copiosiusque desuper sortiti sint, metiri vix queat.

Quod in reliquis Sanctis est sparsim, ac diuisim, in B.V. est totũ collectiuè.

Denique horum vltimi, excellentiores censendi sunt. In incomparabili ergo, præstantissimaque Matre, ac Virgine, quomodo non vtrumque super abundasse valemus asserere? Sic ille de summa Dei Matris sapientia, quæ illi absolutissimam perfectionem beatitatemq; peperit.

5. Hac sapientia, siue humanarum diuinarumque rerum cognitione, atque scientia vtebatur Virgo sanctissima nõ modo ad erigendum cor in sui creatoris amorem; verum etiam ad exercendam charitatem in proximos, succurrẽdumque mortalium necessitatibus ac miserijs, imitando longè excellentius hos ipsos, de quibus agimus Cherubinos. Quod nobis peruenustè Sanctus declarauit Amadæus Homil. 8. de Laud. Virg. *Adstat*, inquiens, *Beatissima singulari merito præcipua vultui Conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis. Illo enim edocta lumine cui nuda, & aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostrique, dulcis, & clemens Domina, materno miseretur affectu. Sancta Animalia de quibus in Ezechiele legitur, quod ante, & retro, intus, & foris, atque in circuitu plena sunt oculis, labores hominum, & dolores, casus, defectus, cæcitates, inualetudines, extrema pericula, incertos vitæ exitus, & mala quæque humani generis, non æquè, vt Dei Genitrix valent examinare, examinando, cælesti auxilio diluere, & propulsare. Quo enim sublimius immensi Regis cor aspicit, eo profundius Diuinæ gratiâ pietatis afflictorum misereri, & miseris succurrere nouit. Vnde Maria, id est, Maris stella prouido consilio vocata est, vt nomine declararet, quod reipsa clarius manifestat*. Hæc Amadæus.

B.V. sua sapientia præuidẽdo mortalium necessitates ac miserias ad succurrendũ illis mouetur.

B.V. vultu creatoris adstans, prece potentissima semper interpellat pro nobis.

Cherubini sunt sancta animalia ante & retro, intus & foris atque in circuitu plena oculis.

B.V. quo sublimius immẽsi Regis cor aspicit, eo melius miseris succurrere nouit.

Cur B.V. Maris stella dicta est.

6. Ad eandem scientiæ sapientiæq; Virginalis plusquam Cherubicam denotandam plenitudinem, ad omnes se extendentem, In Templo Salomonico, quod, Damasceno teste, viua Deiparæ figura extitit, omnes parietes per circuitum, vt habetur 3. Reg 6. sculpti erãt varijs cælaturis, inter quas erant Cherubim, & Palmæ, quasi Spiritus S. his significare voluisset, animatum illud ipsius Templum plenum omni ex parte Cherubicâ fuisse sapientiâ, imo & sua singulari excellẽtiâ, palmam victoriamque de ipsis Cherubinis reportasse.

Templum Salomonis typus B.V.

In Templo Salomonis exculpti Cherubini, & Palmæ indicabant, quod B.V. in sapiẽtia præ Cherubinis palmam esset reportatura.

7. Eandem sapiẽtiæ plenitudinem plusquam Cherubicam adumbrarunt duo alij Cherubini illi in Sancta Sanctorum, quæ typus fuere Virginis; præter illos, qui Arcæ præeminebant, quos fecit Salomon, de lignis oliuarum, auro contectos, decem cubitorum altitudinis, quæ pene Gigantea videbatur; ita dispositos, vt & hi stantes alis suis Arcam obuelarent, ne Virginalis sapiẽtiæ fulgor ipsorum oculorum aciem re-

Cherubini duo in Sanctuario Gigantem pene fuerunt magnitudinis.

retunderet, atque hebetaret. Nec immerito hi de lignis oliuarum fabre facti, tectique auro perhibentur, quia effusissima illa misericordiæ, charitatisque Virginalis nobis insinuant viscera, quibus vbi, multiplicibus Cherubinorum oculis miserias nostras aspexerit, mox vt illæ de medio tollantur, plusquam maternâ cura, prouidere consueuit.

Cherubini in Sanctuario B.V. sapientiam, misericordia plenissimam indicant.

8. Quid etiam aliud duo illi Cherubini aurei 1. Paralip. 28. qui Altare Thymiamatis, alis suis ita contegebãt, vt Thronum Diuinæ Maiestati præparare viderentur, quid inquam figurabant aliud, quam cor Deiparæ, quod Altare quoddam erat Thymiamatis, igne diuini amoris succensum, virtutum gratissimum odorem exhalans, sapientiâ, scientiâque plusquam Cherubica circumseptum, adeo vt illud, suæ sibi tenuitatis conscij, respicere erubuscerent.

Duo Cherubini altare Thymiamatis alis velabant.

9. Quid denique apud Ezech ca. 1. gloriosissimæ illæ quadrigæ à Cherubinis circumdatæ, supra quas Thronus Sapphirinus hominis ex electro ignito compositi visebatur, quid inquam, innuebant aliud, quam Virginem sacratissimam, quæ Thronus quidam Sapphirinus Incarnatæ extitit sapientiæ, plenitudine scientiæ singulari, super ipsos Cherubinos, quàm altissimè eminuisse? Quam quidem licet præ splendoris magnitudine intueri nequibant, eius tamen pulcherrimam, lucidissimamque faciem, quo eiusdem splẽdoribus magis irradiarẽtur, summo amoris affectu contemplari desiderabant. Vnde Alanus vocem illam eorum esse putauit in Canticis cap. 6. *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Reuertere*, inquiens, *à dignitate Angelorum, ad superexcellentiam iam beatificatorum Spirituum, quia sicut in faciem Filij desideramus prospicere, sic in specie, & pulchritudine tua, vultus defigere volumus, & luce vultus tui illustrari.* Sic Alanus.

Quadrigæ Ezechielis à Cherubinis circumdatæ Symbolum B.V.

Angeli faciẽ B.V. intueri desiderant, vt eius splendoribus irradiantur.

10. Quod si eorundem Cherubinorum admirabile illud schema apud eundem Ezechielem cap. 1. quadruplicatas nempè facies, & in interiori quidem parte, hominis: à dextris Leonis; à Sinistris, bouis; desuper Aquilæ, in galea scilicet, ad terrorem hostibus incutiendum adscitas, teste P. Cornelio, (quod variâ eruditione comprobat) cõsideremus: quaternas item alas, totidemque manus, ignem etiam, quò toti fulgurabant: innumeros itidem oculos intrinsecus, extrinsecusque, quos in suis Cherubinis memorat Ioan. Apoc. 4. Phialas quoque aureas plenas odoramentorum, citharasque cum suauissimo illo nunquam interquiescente trisagio; Omnia sanè hæc, & maiori longè cum excellentiâ reperiemus, in gloriosissima eorum Regina. Interim Magnum Dionysium aliqua ex parte hæc animalium arcana exponentem lib. de Celes. Hier. c. 15. *audiamus Leonis facies*, inquit ille, *significat vim illã in Angelis principalẽ robustã, & indomabilem, per quã occultissimo illi ineffabilis Diuinitatis arcano pro viribus similes nituntur euadere, operti spiritualibus vestigijs, & expedita illa, atque ineffabili celeritate itineris, ad Diuini fulgoris secreta tendentis. Bouis autem imago fortitudinis, ac roboris præfert speciem, qua spiritales sulcos suscipiendis cælestibus, fœcundisque imbribus scindunt. Porrò effigies Aquilæ Regiam dignitatem significat, motumque ad superna tendentem, celeremque volatum, atque ad captandum necessarium, reparandis viribus agilitatem, atque vigilantiam, & cursum, facilitatemque summam; ac propterea vim illam singularem speculandi, atque intuendi liberè, directè, in nullam partem inclinando luminum aciem in radium illum vberrimum, & lucidissimum Deitatis, quem ex se instar solis emittit. Humana quoque illos formâ describunt, propter intelligendi, celsaque spectandi vires, formæ rectitudinem, & erectionem, atque naturalem principandi, regendique prærogatiuam; & homo sensu quidem, ceterorum comparatione brutorum minimè valeat, omnibus tamen imperet, præstanti vi mentis, ac rationabilis, scientiæ dominatu, animoque naturâ libero, atque inuicto. Pubescentem denique ætatem, ac iuuentutem in illis ponunt, vt vim vitalem, quæ semper viget, indicent.* Hæc ille, de mysticis illis, Sacratisque Animalibus.

Quid in Cherubinis facies Leonis, Bouis, Aquilæ, & hominis significent.

Effigies Aquilæ Regiã dignitatem significat.

11. Quæ omnia in Deipara, si eam vt castorum aciem ordinatam, terrorem horrificum Tartareis hostibus incutientem contemplemur, inueniemus longè excellentius. Sanè mysticorum illorum animalium facies, in illa sunt longè terribiliores Dœmonibus, quam fuerint Cherubinorum, à Deo apostatantibus Israelitis. In ipsa enim est Leænæ robur, vtpotè, quæ Leonem de tribu Iuda in lucem edidit. In ipsa sunt cornua tauri, seu Vnicornis, siue Rhinocerotis, vt potè quæ peperit cælestem Vnicor-

In B.V. Leænæ robur est, quia Leonem de tribu Iuda peperit.

Vnicornem, cui canebat Dauid: *Et dilectus quemadmodum Filius Vnicornium.* Psal.25. De huius cornibus, vti & Matris canebat Moses: Deuteron.35. *quasi primogeniti Tauri pulchritudo eius: Cornua Rhinocerotis, cornua illius; in ipsis ventilabit gentes vsque ad extremum,* immo vsque ad profundum terræ, ad Infernales demoliendos hostes. In illa sũt pennæ, vngues, rostrumque aduncũ Aquilæ, vtpotè quam S. Bernar. Senens. *Aquilam grandem magnarum alarum appellat; hęc vbi videt cadauer,* peccatoris alicuius, Diabolo mãcipati *statim aduolat,* vt ait Iob, quo prædã ex vnguibus stygij prædonis eripiat. Horum insidias centenis oculis assidue vigilantibus prospicit, moxque tota, igne amoris in genus humanum accensa, fulguransque toto ore, oculisque igneis, flammas, fulminaq; vibrans, non quaternis alis, vti Cherubini, sed, vt ita dicam milleno alarum remigio, aduolat, prædamque ex faucibus Orci, non quaternis manibus, sed adinstar Briarei centimani Gigantis, longè pluribus, iisque alatis euellit.

B.V. Aquila magnarum alarum, quæ peccatores velut prædam ex vnguibus Tartarei Prædonis eripit.

12. Nec deest gloriosissimæ nostræ Cherubinorum Reginæ aurea phiala plena odoramentorum, non cithara. Siquidem ex aureo, plenoque Dei charitatis corde suo ardentissimo semper orationum suarum odoramenta pro totius humani generis incolumitate, suauissimo diuinarum laudum, præsertim verò trisagij, cum cithara mortificationis associato concentu, Diuinæ offerebat Maiestati, operibusque vitæ actiuæ, per eandem citharam designatis sese impendens, illis, ceu harmonicã quadam melodiâ, homines etiam truncis, & durò robore natos, ferisque ipsis efferatiores, edomare, & ad agnitionem, amoremque sui Creatoris reuocare videbatur. Et licet hoc Cherubinorum mirabili schemate formidabilis esset Orci phalangibus Deipara, multo tamen magis adhuc erat horribilior, prout facies illæ dilectissimum ejus repræsentabant Filium cui extitit quã simillima. Hic enim verè Leo erat omnium bestiarum fortissimus, ad nullius expauescens occursum, vt loquitur Salomon; Taurus itẽ, vt illũ supra vocitauit Moyses, Aquila deniq; Stygijs colubris formidabilis, quæ in arduis, prę-ruptisq; petris Virgineę eminẽtissimęq; sãctitatis nidum suũ, per Incarnationẽ collocando, eandem quoque Virginem Tartareis cohortibus reddidit longè formidabiliorem.

Phiala aurea plena odoramentorum est cor B. V. orationes pro nobis ad DEVM fundens.

Facies quatuor animalium significant etiam Christum.

13. Licet enim illa à primo immaculatæ conceptionis instanti ingẽs Inferni esset pauor, ac horror, nihilominus tamen maior longè esse cæpit, vbi Dei Filius in eius vtero homo factus, illorum animalium tam formidanda assumere visus est schemata. Atque ita verè dicere possumus quod quemadmodum Iacob vtero cum Esau rufo, ac piloso, ita Christus in vtero adhuc Matris delitescens cum illo Dracone Infernali rufo, vt eum vocat Ioann. in Apocalypsi vnà cum Matre cæpit bellum gerere. Ex quibus initijs augurari nobis licuit, quid totius vitæ decursu expectandum erat. Hinc Galenus libro *An animal sit id quod in vtero;* refert, quod *Alcmena dum Herculem vtero adhuc gestaret terrorem aduersarijs incutiebat: Similiter Pericles Olympius nondum natus, & iã Græcos omnes ob insomnium deterrebat. Alexander denique Macedo nondum natus ab omnibus iam Ammonij Iouis filius dicebatur, & Regni Princeps.* Sed Alcmenâ atque Olympiâ longè præstantior Virgo nostra Cherubinorum, omniumque Angelicorum exercituum Regina, quę verbum æternum, *Brachium illud omnipotens, per quod facta sunt omnia,* in suo vtero, carne fragili conuestiens, terribilis euasit, vt castrorum acies ordinata. Hinc Guilelmus Abbas apud Delrio in Cant. *Ex quo DEVM peperit, terribilis Dæmonibus fuit. Cum enim viderent illam integritate simul, & prole gaudentem, vehemens illis suspicio incidit, ne forte illa genuisset tot Propheticis vocibus olim prænunciatum Messiam, per quem eorum imperium rueret, itaque virginitate illius Puerperæ nil eis tunc terribilius.* Sic ille. Iam ergo Virgineus ille vterus, qui in se quasi formidabilem Leonis faciem, Tauri, Aquilæque suæ humanitati sociatam gestabat terrorem aereis potestatibus, Tęnarique laruis incutiebat: Spiritus nimirum Sãctus ignis ille Diuinissimus, qui rubum succẽdit superueniens in Virginem, *Virtusque Altissimi,* vt S. Lucas loquitur, *eam obumbrans,* huius terroris causa fuit. Quod Diuus expendens Athanasius, ait, quod quẽadmodum in Apostolos Virtus illa Altissimi ideo descendit, vt contra omnem aduersariorum virtutem, impetumque essent fortes, ac inexpugnabiles, immò Dæmonibus terribiles; ita quoque Spiritus Sanctus in vterum Vir-

B V. fuit maximè formidanda Dæmonibus post Incarnationem Verbi.

Hercules, Pericles, & Alexander, M. nondum nati terrorẽ hostibus incussere.

M ex quo DEVM peperit terribilis Dæmonibus euasit.

ginis illabens, velut Naturæ, Diuiniq; amoris Officinam, Deique filij corpus ex purissimis Virginis visceribus organizans, tantum, tamque fortem bellatorem, ac Gigantem, à summo cælo egredientem Dominum exercituum, DEVM fortem aduenisse Cacodæmones, ad eorum diripienda spolia agnoscentes contremuere, totumque Infernum diris vlulatibus repleuere.

IESVS Infans terror Dæmonibus fuit.

14. Dolorem hunc suum fateri cópulsus est ille, qui oraculum Apollinis insederat, quem Augustus Cæsar vbi consuluisset, illud retulit responsum:

Me puer Hebræus Diuos DEVS ipse gubernãs
Cedere sede iubet, tristemque redire sub Orcum
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Quare D. Athanasius Virgineum hunc contemplãs vterum, in quo Gladius ille fortis, durus, ac grandis, veluti ardẽtissima fornace conflandus erat, & in quo visitandus, vt ait Isaias cap. 27. ac percutiendus stygius ille Leuiathan, serpens vectis, serpens tortuosus, admiratione perculsus exclamauit:

In vtero B. V. arma aduersus Mortem fabrefacta sunt.

O vtere in quo arma aduersus mortem fabrefacta sunt. Et S. Methodius Martyr Tyri, & Olympi Episcopus orat. in hypapan. Deiparam alloquens: *Tu*, inquit, *potentem illum, corpore tanquam decenti Panopliâ induisti, per quam ipse facile à me caperetur, per quam etiam ignita omnia maligni tela extinguuntur*.

Maria Incarnatum Verbum humanitate nostra tamquam Panopliâ induit.

15. Date quæso veniam, si hic miscere videamur sacra profanis, & vterum hunc Virginis illibatum, cum Dei illius Ignipotentis officina apud Latinum Vatem Aene. lib. 8. comparare, in qua tela omnia, variaque armorum genera aduersus teterrimos humani generis hostes procuduntur.

Vulnificusq; Chalybs vastâ in fornace liquescit
Et Cyclopum exesa caminis
Antra Aethnea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt sonitum, striduntq; cauernis
Stricturę chalybũ, & fornacibus ignis anhelat.
His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat.
Parte alia Marti currumque, rotasq; volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat vrbes.
Aegidaque horrificum turbatę Palladis arma,
Fulgores nunc terrificos, sonitumq; metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Ingentem clypeum formant vnũ omnia contra
Tela Infernorum.

Quæ sanè omnia proportione quadã, in Virginis vtero ab Ignipotente illo Artifice Spiritu Diuinissimo exerceri visa sunt, dum vnà cum Virgine infantilia Christi membra, licet tenella, vt arma tamen contra Inferos validissima efformata sunt. Hanc etiam crediderim ob causam, illam, Turrim Dauid, de qua mille Clypei pendent omnis armatura fortium, appellari.

16. Erant illa profectò tenelli infantuli membra Cacodæmoni, erant rapidum fulmen, erant gladius durus, ac fortis, erant Aegis, & clypeus, Aiacis, Palladisque longè fortior, atque præstantior contra ignita Tartari iacula. Emittabãtur hoc vtero fulgores terrifici, terroremq; Tænareis exercitibus incutiebant. Emittebat denique vterus ille sonitũque metumq; emittebãt flãmas, flammisque sequacibus iras, quibus Orci penetralia contremiscebant. Et verò quomodo non contremuissent ad præsentiam tàm fortis mulieris, cuius pretium procul, & de vltimis finibus, quæ vtero suo Virum, imo Gigantem, qui stans in terra cælum vertice attingebat, & repleuit omnia morte, vt ait Salomon Sap. 18. complectebatur. Vnde præclarè Alcuinus ser. de Natiu. B. V. *Quid enim*, inquit, *non horruerunt Principes tenebrarum quando viderunt præter morem, instructam omni armatura fortium contra se procedere fęminam?*

Membra Pueri IESV erant tela, & arma Dęmonibus.

Vterus B. V. quam formidandus Dęmonibus.

Principes tenebrarũ horrent Mariam quia omni armatura fortium instructam vident.

17. Gigantis huius, vtero Virginis delitescentis fortitudinem generositatem, ac pulchritudinem B. Magdalena de Pazzis Carmelitana in quodam mẽtis suæ excessu eum contemplans Par. 3. Vitę ipsius peruenustè illum descripsit: O quid ego video? Video nobilissimũ, fortissimũ, ingentẽ ac plane gloriosissimum Gigantem super humilem Agnũ quiescẽtẽ. Gigas hic est Diuinum Verbum, quod in sua humanitate, & in animabus, quæ virtute humilitatis, & mãsuetudinis sunt velut Agnæ. Fortissimi huius Gigantis pulchritudo est huiusmodi, vt vel sola ipsius vmbra, cuicumque faciei decoram speciem communicet. Gloria ipsius est huiusmodi, vt si Infernus ipsius vel modicam scintillã participaret, euaderet omnino gloriosus, & quælibet anima libenter quemuis Infernum toleraret, dummodo certa foret se aliquando huiusmodi gloriæ participem futuram. Fortitudo ipsius huiusmodi est, vt tale robur concedat Morti, vt Vita euadat, & ipsam tru-

Christi Gigantis fortissimi laudes.

trucidet Mortem. Ipsius nobilitas talis est, vt ij qui sunt serui eius intimi, videnturque omnium peripsema, in magnos Dominos euadant. Hæc illa de Gigante Christo quem B. V. vtero gestauit, & Cacodæmones consternauit.

18. Quare iure merito hac de causa Virgo Deipara à Sanctis Patribus mundi redemptrix, reparatrix, atque humanę salutis causa vocitatur, vt potè quæ ad salutem, redemptionemque nostram æterno Verbo carnem, sanguinemque in Incarnatione ministrando ad salutem, redemptionemque concurrerit. Hinc S. Irenæus lib. 3. cap. 33. *Maria Virgo obediens*, Incarnationi videlicet consentiendo, *& sibi & vniuerso generi humano facta est causa salutis*. Hinc B. Laur. Iustin. Ser. de Nat. Sæculi reparatricem. Et lib. 8. de Casto corn. c. 9. *Peccati interemptricem appellat*; Hinc S. Bern. Ser. 4. de Ass. Deiparam alloquens: *Per te*, inquit, *cælum repletum, Infernus euacuatus est, instaurata ruina cælestis Hierusalem; expectantibus miseris vita perdita data*. Denique stragem quam Virgo hæc factura erat, in Inferno suis armis, S. Cyrillus Hom. contra Nest. expressit verbis illis. *Per te exultat cælum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur Dæmones, & homo ipse ad cælum reuocatur*. Quis igitur Deiparam hac ratione redemptionis, salutisque nostra cooperatricem, deque Tartarea captiuitate liberatricem appellare ambigat?

Maria consentiendo Incarnationi Verbi facta est causa salutis generi humano.

Maria peccati Interemptrix.

Per Mariam cælum repletum, Infernus euacuatus.

19. Si enim Vlysses, quod Achilli Troiæ terrori, ac Fulmini, alieno habitu nescio vbi delitescenti, persuaserit, vt ad bellum Troianum proficisceretur, sibi omnia egregia ipsius, quæ eo in bello contra hostes ab Acchille perpetrata sunt facinora, adscribere non dubitauit; quanto magis nos Deiparæ salutem nostram acceptam debemus referre, quæ non suasione, sed proprij sanguinis, viscerumque subministratione nostræ liberationis, de Tyrannide sathanæ causa fuit? Quare iure merito sicut cecinit: *Fecit mihi magna, qui potens est & sanctum Nomen eius; Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos, &c.* ita cum Vlysse, longè potiori iure canere posset.

Vlysses quia Achillem ad bellum Troianũ induxit, omnia ipsius præclara facinora sibi adscripsit.

Iniectâque manu fortemque ad fortia misi.
Ergo opera illius mea sunt. Ego Telephē hastâ.
Pugnantem domui, victum, orantemque refeci.
Quod Thebæ cecidere, meum est. me credite Lesbon
Me Tenedon, Chrysemque, & Cyllan Apollinis vrbem
Et Syron cæpisse. meâ con cussa putate
Procubuisse solo Lyrnesia mœnia dextrâ.
Vtque alios taceam, quis sæuum perdere posset Hectora, nempe dedi, per me iacet inclytus Hector.

Vlysses res præclaras gestas.

20. Quam ob causam crediderim ego non solum Dæmones, verum etiam omnes Sanctorum Angelorum exercitus, sacro quodam horrore, admirationeq; perculsos, fuisse vbi viderunt, sacro illo facierum mysticorum animalium schemate longè maiorem terrorem, formidinemque stygijs laruis incutientē fœminam, quam ipsos illorũ bellatores galeatos Cherubinos, ad bellum contra impios gerendum euocatos. Hoc censuerim sibi voluisse Epiphaniũ cum lib. de Laud. B.V. pronunciauit: *Obstupuerunt omnes Angeli, & vniuersus Angelorum exercitus, terrore, tremoreque graui detenti, quia cernebant illum, qui habitat in cælis; per eam versari in terra, & exhorrescebant Virginem & formidabant, dum conspicerent eum, qui principio caret, descendentem à throno Cherubico in Vtero Virgineo sedere*. Quasi scilicet præstātiâ scientiæ, sapiētieq; reliquarũq; Virtutũ longe eminētiorem ipsis Cherubinis, qui sedes Diuini sunt Verbi propria, reperisset, vti & reuera reperisse fatendum est.

In B. V velut Throno Cherubico longè præstantiori Verbũ æternum resedit.

21. Neque vero Diuinam hanc sapientiam sibi soli dumtaxat retinuit Virgo, verum amplissimâ charitate, omni inuidiæ liuore carente, vt faciunt Cherubini, in sequentia, & inferiora transfudit, ac communicauit. Hoc agnoscens S. Brigitta orat. 1. Diuinitus reuelata sic Virginem est allocuta: *Lætare Domina mea Maria, & de tua lætitia totus mundus lætetur, quia post ascensionem Filij ad amicorum ipsius consolationem, ac fidei roborationem, indigentium auxilium, Apostolorumque sanum consilium, in hoc mundo multis annis te permanere permisit. Et tunc per tua verba prudentissima, gestus honestissimos, operaque virtuosa, innumerabiles Iudæos, & Paganos infideles ad Catholicam fidem couertit. Et te confiteri Virginem Matrem, ipsumque tuum Filium, ac DEVM, cũ vera humanitate, eos illuminando, mirabiliter illustrauit.* Hæc S. Brigitta.

B. V. sapientiam sua velut Cherubini in inferiora transfudit absque liuore.

Maria post ascensionem Domini in mundo mãsit vt sua Sapientia Ecclesiam illustraret.

22. Hanc sapientię Virginalis tam effusam communicationem hi ipsi Angelici Spiritus, qui à plenitudine scientię nomen inuenere, admirari visi sunt, Cherubini, inquam illi, qui sese mutuo, Arcam-

Cherubini Arcam suis alis velantes quid denotarunt?

Arcamque (viuam Deipara figuram) contuentes, eandem alis suis obuelebant. Quemadmodum enim Seraphini, quos contemplatus fuerat Isaias, alis suis Diuinæ Maiestatis faciem, pedesque contegebant, quod principium, finemque Diuinorum operum, vti sunt creatio, atque Incarnatio, mentis suæ oculis penetrare nõ poterant: ita Cherubini huius animatæ Arcæ, scientiæ, sapientiæque, qua referta erat plenitudinem, eiusdemque copiosissimam cõmunicationem comprehendere non valentes, alis eam velare videbantur, ne tantę sapientię splendor, eorum oculos reuerberaret.

Arca nulla claui obſ ra- ta fuit, & quare?

23. Communicationem hanc largissimam Virginalis Sapientiæ eadem illa Arca, eo ipso quod nullâ sera obseraretur perspicuè declarabat.

Eandem spontaneam Sapientiæ communicationẽ hęc ipsa Arca præsetulisse visa est, dum secundum traditionẽ Hebręorum humeris Leuitarum adeo erat leuis, vt onus non sentirent, & Arca se ipsa ferri hac, illacque commodis omnium deseruitura videretur. Hoc nobis insinuauit Lyranus in verba illa Paralip. lib. 1. c. 15. v. 26. *Cumque adiuuisset DEVS Leuitas, qui portabant Arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes*. Exquirens enim quodnam illud Dei adiutorium extitisset, in deportanda Arca? Respondit: *Dicunt hic Hebræi, quod istud adiutorium intelligatur, per quod Arca portabat seipsam, hoc est dictum, quod Diuina virtute sic portabatur, quod Leuitæ portatores eius, nullum pondus sentiebant, & pro isto miraculo facta fuit immolatio*.

Arca humeris Leuitarũ portata onus nullum habere videbatur.

Alphonsus verò Tostatus in lib. 1. Paralip. quæst. 32. *Addunt aliqui*, inquit, *à Leuitis non portatam fuisse Arcam, sed Leuitas ab Arca, quæ veluti volitabat*. Quodquam verum sit, fides esto penes Autores.

B. V. post nos currere videtur ad cõmunicãdum nobis sua dona.

Illud tamen nobis innui videtur, animatam hanc Arcam Virgineam ad bona sua, præsertim verò cælestem, qua referta est, Sapientiam nobis communicandam, adeo promptam, adeo expeditam esse, vt post nos volitare videatur, ad munera sua, cœlestesque præsertim sapientiæ opes toti orbi communicandas.

B. V. beneficio Dei cognitio toti mundo innotuit.

24. Vnde nil mirum omnino nobis videri debet cum D. Hidelphonsum audimus asserentem, Diuę Virginis potissimum beneficio, Dei cognitionem mundo innotuisse. *Ecce*, inquit S. Præsul lib. de Virg. Deip. c. 4. *impleta est omnis terra per hanc Virginem gloria Dei: cognouerunt omnes à paruo vsque ad magnum, per hanc Virginem Deum viuum. Viderunt omnes per hanc Virginem Salutare. Rememorati sunt & conuersi, per hanc Virginem ad Dominum vniuersi fines terræ. Adorant in conspectu Filij eius omnes patriæ gentium. Ipsius est Filij Regnum & ipse DEVS dominabitur gentium. Cantant omnes ipsi Domino Filio eius Redemptionis suæ canticum nouum, quia nascondo de hac Virgine, magnalia fecit. Notum fecit per hanc Virginem salutare suum, & ante conspectum nostrum reuelauit hanc iustitiam suam*. Hatenus S. Hidelphonsus, quibus verbis plenitudinem sapientiæ plusquàm Cherubicæ in Virgine delitescentis, inferioraque omnia lumine excellentissimo Diuinæ cognitionis ac præsertim Verbi Incarnati illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum nobis luculentissimè demonstrauit.

23. Neque vero solum, Diua Virgo diuinæ scientiæ lumen ad cognoscendum Christum, verum etiam ad eũdem simul, ac proximum amandum supra Cherubinos de suæ plenitudine charitatis nobiscum exemplo Cherubinorũ vt eorum choro adscribi possimus communicat. De quibus antiquissimus scriptor. D. Potho lib. 4. de Dom. Dei ita loquitur: *Seraphinis proximè adiuncta sunt agmina, quæ vocantur Cherubin, quod interpretatur plenitudo scientiæ. Incendio quippe Diuini amoris tanguntur ex adiunctis sibi superius agminibus. Vnde ex ipso Diuini amoris calore pariter, & plenæ scientiæ lumen sortiuntur. Prima ergo agmina Seraphin in media, sibique adiuncta agmina Cherubin calorem, ex incendio sui amoris, quo DEVM amant, plenæque scientiæ splendorem, qua DEVM cognoscunt transfundunt. Media rursus agmina in subiecta sibi agmina, Thronos videlicet de plenitudine scientiæ suæ portionem non minimam trasmittunt*. Tum pluribus interpositis docet eos qui charitate Dei proximique pleni sunt, Cherubinorum choro adscribendos: *Sunt quidam*, inquit ille, *qui ita dilectione Dei, & proximi pleni sunt, vt merito in Cherubin sortem currant. Cherubin namque plenitudo scientiæ interpretatur. Quibus autem plenitudo scientiæ magis inest, quam his quorum corda charitas Dei, ac proximi amplius replet. Plenitudo enim legis est dilectio, & charitas. Qui ergo diligit, legem impleuit, & nihil illi de scientia legis, & Prophetarum deest. In gemino quippe charitatis præcepto vni-*

Cherubini etiam amorẽ Dei, & proximi in inferiores trãsfundunt.

Cherubini, quia habent plenitudinẽ scientiæ, habẽt etiã plenitudinem legis, quæ est Dilectio.

vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Si igitur proprium Cherubinorum est participata a Seraphinis charitate Dei, proximique accedi, & eamdem in inferiores transfundere, euidentissimum est Deiparam, hac charitate nimium quantum fuisse accensam; cognitamque Dei legem, scientiæ excellentissimâ plenitudine, perfectissimè obseruasse, ac cõsequenter charitatem omnium Cherubinorum, absque vlla comparatione transcendisse.

B.V. quia scientiæ plenitudinem habet, ideo habet, & legis, quem est dilectio.

24. Quæ sane Virgineæ charitatis perfectio quod longè excellentissima fuerit varijs ex capitibus potest comprobari. Certè Pelbartus Themisvariensis Pannonius, lib. 9. stellarij Par. 1. a. 1. cum quæstionem proposuisset. *Vtrum Beatissima V. M. dum fuit in via habuerit excellentiorem charitatem Diuinam, quam omnis pura creatura Angelica, siue humana?* Respondit, quod sic, quod probat in primis argumento summæ puritatis, *quia vbi maior, & maxima est puritas, ibi maior; & summa est charitas si quidem teste Apostolo* 1. Timoth. 1. *Charitas est de corde puro, & onscientia bona. Sed gloriosa V. M. habuit puritatem, qua maior, vt loquitur S. Anselmus, sub Deo nequit intelligi* lib. de concep. Virg. cap. 18. quid ni ergo, & charitatem habuerit in summo super omnem post Christum creaturam! 2. causa excellentissimæ huius in Deipara charitatis oritur, *ex Diuina Maternitate*. Quia nemo tantum diligere tenetur, quantum Pater, & Mater. Siquidem etiam Aristotele teste libr. 8. Ethicorum *Generantis ad generatum naturalis est amicitia*. Vnde contra legem naturæ est si Mater aliqua impias manus in Filium inijciat, sicut aliquando faciunt hæc sceleratissimæ mulieres abortum procurando. Cum igitur Mater teneatur summè diligere Filium, summè quoq; super omnes creaturas Deipara suum, Deique Filium dilexerit. Postrema denique causa huius Diuinæ charitatis in Virgine, est plenitudo gratiæ, quæ plenitudinem quoque in animam Deiparæ importauit charitatis, cum hæc à gratia, vt censent plurimi Theologi, non distinguatur. Vnde, & ipsa Virgo dicere poterat cum Apostolo Rom. 9. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*. Causas porro DEVM summè ac singulariter amandi habuisse Deiparam super omnem puram creaturam, exploratum est. Quis enim vnquam filius tantum dare potuit suæ Matri, atque Dei Filius Virgini, cui dedit omnia dona gratiarum, dignitatum, ac scientiarum, omnia dona beatitudinum, & meritorum, ac insuper seipsum amplexandum, osculandum, sinu fouendum ac gestandum. dedit denique seipsum principaliter pro Matris redẽptione in mortem. vnde & primogenita Redemptoris à S. Bernardino Senensi nuncupatur. Quæ omnia à Virgine attentè considerata fieri nõ potuit quin mirificas diuini amoris flammas in corde ipsius excitarent, Siquidem Ambrosio teste: *Nil tam impressum humanis affectibus, quam se diligentem diligere*. Vnde his diuinæ charitatis Virgo accensa ignibus canere potuit cum Psalmista. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et: Magnificat anima mea Dominum, &c.* Amorem hunc denique Cherubico longè excellentiorem, plenitudo ipsius scientiæ Cherubicã transcendens, in præcordijs eius accendit. *Voluntas enim atque amor non fertur, nisi in cognitum*, vt docet Philosophus 3. de Anima. Et Aug. 10. de Trin. capit. 1. *Firmissimè*, inquit, *nouimus non nisi nota amari posse*. Cum igitur Beatissima Virgo DEVM hominem factum, Filium vnicum, ac verum, de Spiritu S. conceptum intactâ Virginitate cognouerit, & ab ipso manu profusissimâ, tot tamque innumera gratiarum dona acceperit, consequens sane est, vt eum super omnes Cherubinos, omnemque creaturum amauerit. Hæc fere Pelbartus.

B.V. habuit excellentiorem charitatem quam omnes puræ creaturæ etiã Angelicæ.

B.V. quia summam habuit puritatem, ideo habuit, & summam charitatem.

B.V. charitas in DEVM, orta ex Diuina Maternitate.

B.V. summè DEVM amauit, quia fuit plena gratia.

Variæ speciales causæ fuere in B.V. singulariter DEVM amãdi.

25. Nec minus perfecta est Virginis nostræ charitas erga proximos, Cherubicam longè superans, quam idẽ Pelbartus cordialissimam, atque affectuosissimam esse dixit, dum omnes homines vult saluari, & neminem perire. Hanc ille charitatem duodecim admirandis signis, siue effectibus, velut 12. stellis, quibus Ioannes Euangelista Virgineum verticem coronatum contemplatus est, exornauit. Verum hic nobis dixisse sufficiat, ad ostendam eximiam Deiparæ in genus humanum charitatem, illam fuisse maternam, quam etiam talem esse voluit ipse dilectissimus eius Filius Christus benedictus cum ei de Cruce pendens dixit:

B.V. in homines charitas est Materna.

Mulier ecce Filius tuus; deinde ad Discipulum: Ecce Mater tua.

26. Maternam hanc in nos charitatem

tem ostendit Virgo, Filiorum suorum studiosâ ac sedula educatione, lactando nos suæ pietatis lacte, fletus, ac gemitus nostros consolando, de omnibus ad vitam tolerandam necessarijs nobis prouidendo. Vnde ipsius quoque illa videtur esse verba solatij plenissima Isa. vlt. *Quomodo si blandiatur Mater Filio suo, ita consolabor vos*. Eamdem solicitudinem ostendit etiam è vitæ periculis eripiendo, ac præcauendo ne mortis æternæ discrimina adeamus. Quem piũ affectum Virginis mulier illa 3. Reg. 3. figurasse visa est, quæ trucidandum Filium suum in oculis suis animaduertens, maternâ pietate commota dixit ad Salomonem: Obsecro Domine date illi *infantem viuum, & nolite interficere eum*.

B.V. Maternam suam in nos charitatem ostendit sed via educatione.

Additque sacer textus huius intercessionis causam: *Commota sunt quippe viscera eius super Filio suo*. Eundem hunc charitatis maternæ affectum erga nos Virgo ostendit, atque exhibet, inquit idem Pelbartus, cum solicitè, suâ intercessione cauere studet coram Iudice superno, ne mortis æternæ pericula incurramus, neue damnationis datâ sententiâ pereamus. Vnde illi canit Ecclesia:

Sub tuum præsidium confugimus, &c. Facere videtur omnino Deipara id quod Matres consueuere, quæ cum Patrem castigare velle Filiũ seuerius animaduertunt eum sub pallio suo à flagellis abscondunt: Sic B.V. facit nobis quando DEVS Pater propter nostra delicta, ac peccata nos punire vult. Quod agnoscens S. Martyr Ignatius in quadam sua Epistola vt idem refert auctor, ita Virginem deprecabatur: *Nunc claude me in gremio tuæ pietatis, tu Mater summa Deitatis, vera Mater Saluatoris, Mater optata peccatoris. Hinc in picturis nonnullis ad hoc indicandum, pingi solet sub pallio benedictæ Virginis populi Christiani diuersi generis, ac sexus multitudo*.

M Virgo sub pallio suo ab ira Dei nos abscondit.

27. Materna hæc protectio Virginis, quâ Christianum Orbem à Diuinæ iræ flagellis defendit fuit olim S. Dominico, & S. Francisco in primis illorum Ordinum exordijs, ac deinde etiã in reformatione Patrum Cupucinorum diuinitus declarata. De prima illa protectione SS. illorũ Patriarcarum tẽpore facta ita refert Hubertus Prædicatorũ Generalis li. 1. de Vita S. Franc. c. 1. Cum esset Romæ B. Dominicus, & pro Ordinis confirmatione apud Papam instaret, quadam nocte orans more solito, vidit in visione Dominum IESVM stantem in aere, & tres lanceas contra Mundum vibrantem. Cui ad genua precidens V Maria, rogabat, vt misericors ijs, quos redemerat fieret, & iustitiam misericordiâ temperaret. Ad quam Filius aiebat: Nonne vides quantæ iniuriæ mihi inferuntur, iustitia mea mala tanta non patitur impunita. Tunc dixit illi Mater: sicut tu scis, qui omnia nosti hæc est via, per quam eos ad te reduces. Habeo vnum seruum fidelem, quem mittes in mundum, vt verba tua annunciet, & conuertentur, & quærent te omnium Saluatorem. Alium etiam Seruum ei dabo in adiutorem qui similiter operetur. Tunc Filius inquit ad Matrem: Ecce placatus suscepi faciem tuam. Verum ostende mihi quos vis ad tantum officium destinare. Tunc Domina Mater B. Dominicum offerebat Domino IESV Christo. Cui Dominus. Hic bene, & studiosè faciet, quod dixisti.

Protectio qua B. V. defendit orbẽ ab ira Iudicis visa à SS. Dominico, & Franc.

B V. in genus humanũ misericordia.

Obtulit & B. Franciscum, & hunc similiter Saluator commendauit. Hæc Humbertus. De posteriori protectione, & Visione referũt Annales Patrum Capucinorum ad Annum 1524. n. 26. reuelatum fuisse diuinitus in Calabriæ quodam Oppido cuidam Sanctimonialium Abbatissæ, & alteri Viro Sanctimoniâ illustri. Hi intempestâ nocte orantes in profundã mentis ecstasim rapti, eadem prorsus cælesti visione Capucinorum Reformationem futuram acceperunt. Videbant altissimum Dei Filium graui in homines ira percitum, ac vultu formidabilem tam atrocia Orbi, ob intolleranda ipsius crimina, supplicia minitantem, vt vna clade totum orbem prosternere velle videretur. Cui Virgo Mater consuetâ illi pietate occurrens atque in genua procumbens, Filium iteratis precibus rogabat, vt iram in homines conceptam misericordiâ leniret. At obsistente Filio, & Matri horrenda mundi facinora, atque à peccatoribus illata sibi vulnera obiectante; pia Mater pollicetur, se bonos aliquos seruos suos in Orbem missuram, qui homines à vitijs deterreant, & collapsam in Orbe pietatem restituant. Percunctante vero Filio, quinam hi homines essent ad hoc officium delecti? Statim Mater explicato pallio, quo obtecta videbatur nouam Capucinorum reformationem inde emergentem Filio ostendit; cuius aspectu Dei Filius placatus iram compescuit, & parata flagella, ne in orbem

Vi si Patres Capucini sub pallio B V & exhibiti Filio ad conuertendum Mundum.

bem desæuirent, cohibuit. Obstupuit vterque tam Abbatissa, quam ille Vir Sanctus eo visu Diuinitus accepto; vixque die illucescente, Vir ille, quid cum Abbatissa Diuinitus actum esset, ignorans, statim ad Monasterium aduolat, vt cum ea tam admirandæ visionis mysterium conferat. Abbatissa vero cum eodem quo ille studio teneretur, vix Virum prima visa Mysteria referentem audit, cum inchoatum sermonem intercipiens, visumque velut per frustra narrantes, tandem animaduertunt eadem prorsus vtrisque manifestata fuisse. Quare Diuinæ mentis consilium altè admirantes, rei euentum suspensi expectabant. At vero cum post aliquot annos Capuccinorum Reformatio in Orbe apparuisset; tum Anno 1532. ad Calabros penetrasset, cæleste cõsilium luculentius perceperunt, cum Diuina Visionis mysteria in his expleta conspexere. Quod vero magis admiratione dignum fuit: ex his qui è Virginis Matris pallio visi sunt emergere, aliquorum effigies tam profundè vtriusque animis insculpta fuit, vt cum primum Capucinorum reformatio, quæ visum non longè secuta est in Calabria exoriri cæpit, eorum vultum contemplantes, illos esse agnoscerent, quos è Virginis pallio, paucos ante Annos prodire in visu perspexerunt, &cet.

B.V. Ordinis Minorum Patrona. Hæc Annalium Auctor. Ex quibus omnibus clarè perspicimus sub Materna Deiparæ protectione nõ modo Orbem vniuersum verum etiam Seraphicum Ordinem cum reliquis Religiosorum familijs, degere, adeò vt idem Auctor non immerito num. 43. *Virginem Deiparam singularem Minorum Ordinis Patronam appellarit, quandoquidem in vtroque tam primæ illius institutionis, quam postremum huius Reformationis statu, ipsius se Parentem nedum Nutriciam. Matrem professa est, adeoque in illius bonum, ac vtilitatem inuigilat, vt perinde ac si ab ea genitus esset, sedulam illius curam, ac solicitudinem gerat. Quo fit vt nulli mirum videri debeat, quod Minorum, ac præsertim Capucinorum Religio tam copiosè in illius velut amantissimæ Parentis cultum ac venerationem sese effundat; vt ab illius sinu pendere, vniuersique verè pietatis officia illi exhibere gestiat, quæ grati Filij Matri ostendere consueuerunt, nihil denique, quod ad illius gloriam augendam spectat sibi prætermittendum existimet.* Neque id sanè immerito. Nam si Beatissima illa Virginum Regina tam solicitè res eius Ordinis curat, perinde ac si illius Parens à Christo constituta esset illis verbis: *Mulier esse Filius tuus: An non æquum est Minorum Ordinem totum se in eius honorem ac venerationem extendere, quo se legitimum eius Filium esse declaret? haud secus, quam si olim Dei Filius in Cruce pendens ipsi aliquando in mysterio velut Matrem colendam testamento reliquisset; cum diceret: Ecce Mater tua quã scilicet summis, quæ Cælestem Matrem decent honorum titulis, ac officijs prosequi debeat?* Sic ille de gloriosissimæ Cælorum Reginæ Materno in suum ordinem affectu, ac protectione.

Patres Capucini cultui B.V. addictissimi.

B.V. Ordinis Capucinorũ Mater à Christo constituta.

28. Maternum denique hunc affectum ostendit etiam Virgo in eo, quod homines sibi deuotos ad Regnum Cælorum capessendum promouere enixè studeat. Et vero si Mater filiorum Zebedæi adeo solicita fuit pro suis Filijs, *vt accesserit ad IESVM adorans, & petens vt sederent illi duo eius Filij, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram in Regno Christi.* Quod ipsa de hoc mundo esse arbitrabatur: quanto magis Diuina Mater, quæ summo desiderio exoptat, & pro nobis laborat vt Coronam Regni cælestis indipiscamur? quæ adeo preciosa, adeo pulchra est, vt de ea scripserit Apostolus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit DEVS diligentibus se.* Maternum hunc affectum promouendi homines ad sedes cælestis Principatus peruenustè expressisse visus est Sapientiæ iuxta interpretationem Pelbarti, cũ dixit eam vltro nobis, ex hac vita decedentibus obuiaturã, & in cælis apud proximos suos, Angelos videlicet, reliquosque Cælites exaltaturam: *Obuiabit illi quasi Mater honorificata*, inquit ille, *& quasi mulier à Virginitate suscipiet illum, & exaltabit eum apud proximos suos, stolam gloriæ vestiet illum: iucũditatem, & exultationem thesaurizabit super illum, & Nomine æterno hereditabit illum. Eccli. 15.*

B.V. suos clientes ad cæleste Regnum capessendum promouendo se Matrem esse ostendit.

B.V suis clientulis ex hac vita decedẽtibus obuiat & in cælum deducit.

29. Verum de hac Virginis beneuolentissima suorum clientulorum, illis obuiam eundo exceptione, atque ad Regnum cælorum deductione ipsam apud S. Brigittam lib. 1. Reuel. cap. 29. loquentem audiamus illiusque mirificam charitatem suspiciamus. *Ego Maria quæ sum humillima, sedeo in sede speciosa, & supra me non est Sol, nec Luna, nec Stellæ, nec etiam nubes, sed mira, & inæstimabilis charitatis serenitas, procedens à pulchritudine præclara Diuinæ Maiestatis Infra me etiam non est terra, sed requies incõparabilis in virtute Dei.*

B.V. ipsamet permittit se obuiam ituram Morituris suis clientulis, eosque in cælum deducturam.

Iuxta me est Angelorum, & sanctorum animarum gloriosus exercitus. Et quamuis ita sublimiter sedeo, tamen audio amicos meos in terra existentes ad me quotidie gemitus fundentes ac lacrymas. Video labores eorum, ideo visitabo eos, & collocabo in sede mecum in sede mea, quæ spaciosa est, & omnes potest capere. Sed nondum ad me venire, nec sedere mecum poterunt donec ad finem vitæ peruenerint. Tunc ego charissima eorum Domina, & Mater obuiabo, & occurram eis in morte, vt etiam in ipsa consolationem, & refrigerium habeant; collocabo illos mecum in sede cælestis gaudij, & in brachio dilectionis perpetuæ, æternæque gloriæ, cum exultatione immensa æternaliter requiescent. Hæc Dei Mater pro suo in seruulos suos affectu benignissimo.

His denique suis fidelibus seruulis, ac clientulis omnibus, ac singulis videtur ipsa dicere cum Filio: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi Coronam vitæ.* Apoc. 2. 10. Item illud Apocal. 3. 12. *Qui vicerit, faciam eum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum Nomen Dei mei, & Nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quę descendit de cęlo à Deo meo, & Nomen meum nouum.*

30. Hinc fit vt hæc misericordiæ Mater morientibus tam prōptā charitate assistat, pro illorum salute, cęlestisque Regni consecutione Filium interpellet, in tantis angustijs consoletur terras Cacodæmonum Laruas suâ prę sentiâ abigat vt egredienti de corporis ergastulo animæ tanto iucundior, promptiorque obuiet, materno affectu amplectatur, ad Regnum cæleste deducat, & diademate æternæ gloriæ coronet. Innumera ad hoc cōtestandum referri possunt exempla, quæ passim apud scriptores varios reperiuntur, & nos alibi retulimus. Hic aliqua ex recētioribus attulisse sufficiat. Affectus plane maternus Virginis eluxit Deiparæ tum totius vitæ decursu, tum præsertim in exitu circa nobilissimum illum, ac plane Angelicum Adolescentē Alexandrū Bertium, quem Virgo in tantis, ijsque purissimis habuisse fertur delicijs, vt dormientem floribus solita fuerit conspergere, febrientem aura floridâ recreare; in morte denique eius, cupida ipsius ad cęleste Regnum promotionis, per Angelos misit ei corollam, qua Victorem Mundi, carnis ac Dæmonis velut Regem gloriosum coronarent.

Alexander Bertius adolescens Angelicus B. V. charissimus.

Misit morituro B. V coronam.

31. Eundem Maternum Virginis in morte affectum expertus est Frater Antonius Bergomas Ordinis Seraphici Capucinus, qui cum diuinâ reuelatione accepisset se breui decessurum, accersito Confessario se ad emigrandū disposuit. Quem cum Confessarius solito hilariorem offendisset: quænam nouæ illius lætitiæ causa foret, percunctatus est? Cui Antonius: *Quid? An non mihi*, inquit, *maximè lætandum quando ad peregrinationis meæ iam finem accedo, patriāque haud procul distantem saluto? Proximus enim Sabbati dies me conditori meo reddet.* At Confessarius: *Non semper mi Antoni optata contingunt facile enim sua quemque desideria fallunt, diuturnior si Deo placet tibi vita erit*, Cui mox Antonius: *Erras Pater*, inquit, *non animus aut æternorum cupiditas tantummodo sane mihi vocem extorsit. Sum cęlestium hęc vox est, quæ neminem fallit. Etenim Beatissima V. Deipara S. Pater Franciscus, S. Antonius, & Fr. Alexius nuper defunctus, qui hac nocte mihi apparuere, proximum hunc Sabbati diem mihi supremum fore prenunciarunt:* Confessarius vero cum hic Sathanæ dolum latere suspicaretur, re cum aliquibus Patribus communicata, ad ægrotum accedunt, atque ab eo pręteritæ noctis visionem percunctantur, qui cum dicta confirmasset Guardianus, subintulit: *Num Antoni inter hos Alexium de Brutio stantem agnouisti?* Cui Antonius: *Quid de Alexio*, inquit, *Pater dubitas? Is tam certo mihi agnitus est, vt cum in eum potissimum oculos intenderē, admirabilis plane is mihi visus fuerit, tot enim stolis preciosissimis ornatum conspexi, vt inter alios is mihi præclarus videretur:* Mox vero nouam vultu hilaritatem præferēs, ait: *En iterum vobis B. Virginis S. P. Francisci, S. Antonij, & Fratris Alexij præsentiam; en hic præsentes adsunt*, iam illos vobis licet cōspicere. Cui Guardianus: *Estne cum B. V. paruulus IESVS?* Respondit ille: *Est profecto, & quidem Sole omni splendidior. O quam lucidus, ò quam pulcher in Virginis sinu gestatur.* Rursus cum ab eo Guardianus quæreret, *num adesset Alexius olim Romani Conuentus Ianitor. Adest*, ait, *procul dubio post S. Antonium ordine quartus, ijsdem quibus ante preciosissimis vestibus indutus, atque idem plane qui apud nos Ianitoris munus agebat, verumtamen multo speciosior, quam cum inter nos mortalis versaretur.* Admirabātur Fratres hæc audiendo, & B. Virginis, aliorumque Sanctorū præsentiam veriti, quamquam inuisibilem venerabantur, cum ea die summâ cum men-

Frater Antonius Bergomas breui se moriturum ex B. V. didicit.

Moribundo assistit B. V. S. Franciscus, & S. Anton.

B. V. Filiolū Sole splendidiorem sinu gestans moribundo apparet.

mentis voluptate transacta, ab Antonio, nocte succedente, tot cæpit Dæmonum prælijs exagitari, qui varias tū Leonum, tum serpentium, atque alias ferarum formas induti, illum vngulis, ac dentibus lacerare conabantur; vt diuersas is voces edere, ac varios corporis motus agere compelleretur.

Tam immane hoc bellum erat, vt sæpè etiam seipsum è strato deijcere tentaret, nisi illum infirmorum Præfectus, qui semper adstabat prohiberet.

Tota fere nocte hoc in certamine consumpta, cum mane Cōfessarius ad eum accessisset, mox illi Antonius: *Opportunè venisti Pater. Hactenus namque cum Dæmonibus, qui me dentibus dilaniare, adque ad Tartara rapere contendebant, digladiatus sum.* Dum hæc loquitur, protinus facie in pallore cōuersâ, horrescere, & velut aspectu aliquo territus exclamare: *O qualia cerno; ò quales cruciatus, quale Sulphur, quales flammas! Heu miserias damnatorum animas! Heu quot sæculares viros, quot Ecclesiasticos, quot Religiosos in Tartarum demersos inter flammarum globos stridentes audio!* Conuenerat ad Antonium fere tota Domus familia, quæ cum his verbis perterrita, certum rei exitum expectaret, vix per quartam horæ partem in huiusmodi exclamationes, quibus sibi Inferorum pœnas à Deo commonstrari declarabat, ora soluerat, cū iterum Dæmonum tentationibus fatigari cæpit: qui sua illi ante actæ vitæ peccata obiectantes, ab omni spe veniæ illum deijcere conabantur.

Videt Inferni pœnas quibus damnati cruciātur.

Quibus ille cū diuersimodè, reluctaretur, quædam velut ab ipsis conficta, negabat; alia pœnitentiâ deleta affirmabat. Cumque ij quasdam tritici mēsuras ab eo iniustè in sæculo possessas obijcerent, Respondit ille: Verum id quidem, sed integra eorum restitutio sequuta est, & delictum pęnitentiâ purgatum. Obiectum præterea, eum semel in Religione, non impetrata à Superiore licentiâ, vini potum hausisse, ac pomum comedisse; quod cum is nulla ratione excusare posset, vim omnem Dęmones inferebant, vt eum ad Tartara pertraherent. Res plena pauoris erat, qua omnes perterrefacti assiduas Deo pro Antonij victoriâ preces fundebāt.

Dæmones moribundo obijciunt quod haustum vini fecerit, ac pomum sine licentia comederit.

Inter hæc B.V. ijsdem Beatis, Francisco, Antonio, & Alexio stipata eidem Fratri apparens, vniuersam illam Dæmonum turbam suâ præsentiâ fugans, eum verbis cælestibus consolatur, quæ cum ille Fratribus narrasset, summâ eos voluptate affecit. Antonius igitur optatâ tādem de hostibus victoriâ potitus, cum totum Veneris diem in Dei Laudibus, & Fratrum cohortatione, qua illos à Dæmonum fraudibus cauere, & Regulæ obseruationi solicite incumbere admonebat, vsque ad vesperam Sabbati in sumpsisset, dato Angelicæ Salutationis signo, quasi is abeundi accepisset signum, vt ante significarat, ex hoc sæculo migrat cum Iustis, vt creditur, in æternum victurus. Hæc Annalium Auctor ad Ann. 1586. nu. 100. Quæ fusius referre libuit, vt clarius omnino Maternam gloriosissimæ Virginis Deiparæ in nos charitatem, pietatem, ac solicitudinem, in hominibus præsertim Religiosis ab insidijs, technisque Dæmonum in extrema illa vitæ terribilissima periodo liberandis, & ad cæleste regnum introducendis perspiceremus.

B.V sua præsentia Dæmones fugat.

32. Neque vero Dominostræ, in hac minima IESV Societate huiusmodi Maternæ eius charitatis in sibi peculiariter deuotos desiderantur exempla. Aliqua obiter tantum ad gloriam pientissimæ Matris perstrinxisse sufficiat. Inter hos merito numerandus Alphonsus de Sanctiago Professus quatuor votorum, qui suæ migrationis horam pręsciuisse ac prædixisse, vtique Illuminatrice Virgine, memoratur. Cum iam ageret animam, & Regni cælestis delicias, gloriamque delibare cæpisset manibus, ac gestu tripudians: *Plaudite, ait circumstantibus, & lętitiâ mecum exilite en video cęlestis curiæ agmen, Dei quoque Sanctissimam Genitricem video.* Dumque hæc ingeminat, fixis in cælum oculis, Sanctam efflauit animam Beatissimæ Matris brachijs inserendam.

P. Alphonsus de Sanctiago visa circa mortem B.V. plaudit.

33. Eiusdem benignissimę Matris, effusissimam pietatem, charitatemque & totius vitæ decursu, & moriēs etiam expertus est P. Ioannes Gerardinus Belga Vir insigni in DEVM, Virginemque pietate, literisque conspicuus, qui tanta circa vitæ suæ finem, consolante ipsum sine dubio Deiparâ, perfusus fuit lætitiâ, vt magna animi tranquillitate, ac securitate diceret: *Non timeo mori habens à Christo Syngrapham ad cælum, duplici eius sigillo munitam.* Sigilla intelligebat: *Amen Amen dico vobis:* Syngraphā vero: *Qui reliquerit domū, Patrem, Matrem*

P. Ioannis Gerardini circa diem vltimum erga DEVM fiducia.

rem, vitam æternam possidebit. Iam vero ad Deiparam Virginem, insigni eius charitate fretus, ac fiduciâ, ita exclamabat: *O Maria certè tribularer nimium, si nescirem tuum patrocinium, quæso Pia Mater, Clemens Patrona, Dulcis Virgo in hora mortis tuo præsidio fulciar, tuo munimine protegar; tu quasi Terebinthus extende ramos, & me lassum refocilla.* Animam porro propriam, ad Regnum cæleste aspirans, & iam propemodum exspirans, sic alloquebatur:

Eiusdem in morte fiducia erga B. V.

O anima mea iam hic male tractaris, iam pelleris, iam non nosceris, en domicilium tuum iam quassatur, bases nutant, & vacillant, fundamenta diruuntur, parietes finduntur, & per rimas, & fissuras iam spiculis dolorum infirmitas te pellit, quid igitur moraris, exi ocyus, exiluta instar Columbæ missæ ex Arca, reditura postea cum virenti ramo oliuæ. Iam vero ardens desiderium videndi DEVM, illa verba Dauidis recitans, indicabat: *Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum ita desiderat anima mea ad te DEVS*. Ex Annuis Coll. Pultouiensis A. 1606.

34. Expertus est eiusdem benignissimæ Virginis maternam charitatem P. Ioannes à Campis, ex hac vita migraturus, obsequiorumque ipsi exhibitorum, vt rosarij assidue terendi, ac recitandi, narrandis diebus Sabbati nisde ipsius rebus præclarè gestis historijs, alijsque huiusmodi pietatis officijs fructum vberrimum; mercedẽ largissimam recepturus. Sub mortem enim singulari delibutus gaudio ad quendam conuersus exclamauit. *O si nosses*, inquit, *mi Pater quantum in morte afferat animo solatium Deiparam singulari studio coluisse!* Sentiebat nimirum Vir hic in Deiparam pijssimus in articulo illo mortis, discrimine plenissimo, velut Matrem nobis assistere, pro nobis apud Filium vt nos in Regnũ suum recipiat intercedere, Cacodæmones saluti nostræ suis technis, ac fraudibus insidiantes in fugam agere, animasque nostras vna cum dilectissimo suo Filio IESV, Angelis, reliquisque Cælitibus Comitantibus in Cælorum Regnum deducere, ac demum gloria, & honore coronare. Vnde præclare Auctor Imaginis primi sæculi Societ. lib. 5. c. 8. pronunciauit: *Hoc est hominum Societatis IESV priuilegium, vt mortuum Iesuitam obuius IESVS*, (addiderim ego; cum sua Matre Maria) *excipiat. O fælicem eam Animam, quæ è suo, quo depressus erat, atque demersus, corpore mortali in immortalem sinum Domini IESV, ac Mariæ, beatamque mentem effunditur. Qui ita vixit, diu viuet; ita qui moritur, nunquam est ille moriturus*. At ne temere hoc vaticinatus fuisse videatur, suum hoc effatum Sanctissimæ Virginis Teresiæ de IESV auctoritate, siue visione quadam admirabili confirmat his verbis: Teresia de IESV (ille ductus è Carmelo fons, & origo defæcatissimæ Sanctitatis, in quo velut in speculo resplenduerunt ostenta tam illustria, tam inusitata de cælo; qui æterni solis igne diuino sic frequenter emicuit, vt ardere ipse, & inflammare reliquos videretur) hæc inquam Virgo Teresia degebat Cordubæ in Hispania, eratque quod solet à; Sãctissimi Sacramenti communione in cælum, & in Deum mente suspensâ. Qua in specula dum consistit, ecce tibi è purgantibus flammis animæ, quæ magno numero, & gratulatione festinę ferebantur, & recipiebantur in cęlum. Ducebat reliquas vna formosior, & hanc etiam vnam præ omnibus IESVS Christus inter Angelicarum mẽtium ordines factus obuiam, suo dignabatur amplexu, in signum beneuolentię singularis, & amicitiæ sempiternæ. Hærebat Virgo Teresia hinc suauissimo recreata spectaculo, inde non satis intellecto prodigio consternata: audet igitur interpellare animam de posterioribus vnam, & petere quænam ipsæ forent, ac præsertim, quæ ipsarum Dux illa tam accepta Deo. Cui ipsa breuiter: Dux noster est è Societate IESV Frater vnus: nos duci gratulamur, cuius virtuti, ac precibus debemus, quod hodie liberemur. De Omnipotentis aduentu nil mirum, nil nouum, scilicet hoc est hominum Societatis IESV priuilegium, vt mortuum Iesuitam obuius IESVS excipiat. Obierat videlicet eo ipso pũcto temporis quidam Soc. IESV Coadiutor Cordubensis nostræ Ecclesiæ Aedituus, qui annis plus minus 30. sacro hoc profunctus officio, vt erat sui obseruator & custos, ac Religiosæ pietatis sectator egregius, quadringentas amplius Virgines (quę ex proposito pio diuino cultui sũt additę, vocãturq; Deuotæ) distinguebat omnes audita voce, sed nullam penitus eorundem de facie nouerat.

B. V. cultores circa mortẽ mirum experiuntur solatium.

Priuilegium hominum Societatis in ea morientiũ est vt mortuum Iesuitam obuius IESVS cũ sua Matre excipiat.

S. Teresia vidit animam cuiusdam nostri Fratris à IESV in cælum deduci.

Ex Relat. Crisœlli. Ann. 1616. 15. Ian.

Animæ aliquæ è Purgatorio precibus cuiusdam nostri Fratris in cęlum præficiscentis liberatæ.

Eadẽ S. Teresia in Vita à se cõscripta c. 38. Fatetur se alterius Fratris nostrę Societ. cũ audiret Missã vidisse aĩam in cęlum

lum abeuntem cum Domino Nostro, quam quidam, è nostris Pater dicebat Verba illius sunt: *Hac ipsa nocte quemdam de Fratribus Coadiutoribus Collegij Soc. IESV emori contigit. pro cuius anima cum prout poteram orarem, & sacerdotis cuiusdam de hocce Collegio, sacrum pro ea audirem, intimè ad meipsam conuersa, magnâ illum in gloria, & Dominum vna cum ipso in cælos ascendentem conspexi. Intellexi autem ex singulari fauore hoc fieri, quod Maiestas illius vna cum illo ascēderet.* Hæc S. Mater. Quod sane nemini incredibile videri debet. Nam & B. Angelæ de Fulginio Ordin. Seraphici ante mortem Christus Dominus apparens, ipsi dixisse perhibetur. *Veni dilecta mea, Sponsa mea amata, veni quia omnes Sancti expectant te cum lætitia. Ego non committam te Angelis, nec alijs Sanctis, vt te deducant, sed ego personaliter veniam pro te, & assumam te ad me. tu enim facta es mihi conueniens, & grata meæ Maiestati.* In vita cap. vlt.

S. Teresia vidit alterius nostri Fratris animarū à Christo ad cælum deduci.

Promittit Christus B. Angelæ de Fulginio, quod eam ipsemet sit ad cælū conducturus.

35. Perhonorificam hanc porro Iesuitarum in Regnum cælorum à bono IESV factam, ac faciendam deductionem, præuidit in Spiritu reuelante Domino B. Franciscus Borgia cum esset Societatis Generalis, quem orantē cum deprehendisset aliquādo Michael Marcus eius socius (qui ei à S. Ignatio valetudinis tuendæ gratiæ comes erat additus cum potestate ei imperandi, ne in oratione vt olim, & postea, vel in maceratione corporis excederet) & manantibus ex singulari lætitia lacrymis largè perfusum, quæ sisset instanter, tanti solatij causam ita demum responsum est à Francisco: *Scito Marce Frater, DEVM impensè amare Societatem, eique concessisse beneficium, quod olim Ordini S. Benedicti, nimirum, vt tercentis primis annis nemo, qui in ea ad mortem vsque perseuerauerit damnetur.* Idem diuina reuelatione didicit P. Balthasar Aluar. de suis quibus quodam in Collegio præerat, omnes nempe eos esse saluandos, vt constat in eius Vita cap. 23. Dum enim Vir hic Religiosissimus Metinæ Collegij Rector esset constitutus, & vehemēter propter occurrētes subditorum defectus affligeretur, & die quadam in oratione de hoc suo labore lamentaretur, ostensus est illi vt olim P. Martino Guttierio in simili casu, Orbis argenteus, in quo Corculum erat exiguū valdè, & quasi duabus sanguinis guttis submersum, & suffucatum; dictumque illi est: *Hoc est Cor tuum, quod in parua aqua submergitur.* Et mox magnum aliud Cor valdè latum illi fuit ostensum, dictūq; *Hoc est cor Dei, quod tot Idololatrijs, hæresibus, ac sceleribus alijs, quæ sunt in mundo non affligitur, sed longanimitate magna, opportunitatem expectat copiosum fructum ab eis colligendi, qui nunc sunt improbitate tale autem esse debet tuum.* Ex qua visione valdè mutatus fuit, & ex suis angustijs emersit; quē etiam Dominus noster tunc consolatus est, reuelans illi omnes eos quorum tunc curam habebat, esse prædestinatos. qua visione ac reuelatione didicit Pater cor suum dilatare; cui etiam in Oratione DEVS fecit eandem gratiā, quam P. Guttierio tātum ei subsidium & leuamen in gubernatione tribuens, vt non sicut prius nimiæ curę ipsum raptarent, nec eius cor angustarent. Hæc P. Ludouicus de Ponte. Idē agnouit Alphōsus Rodriquez operis domestici adiutor, dum cælesti luce irradiatus intellexit suorum sociorum posteritatem, etiam illorum qui se longo interuallo secuturi essent, morti quidem humanæ fore illos obnoxios, at postquam è mortali vita excessissent, tum demum in cælesti Regno, ac fælicitate, vita perpetuā secum esse victuros.

B. Francisco Borgię reuelatum omnes in Societate perseuerantes inter primos 300. annos saluandos.

36. Sed ne reuelatio hæc alicui fortassis non sat certa esse videatur, quod è Nostrorum dumtaxat relatione habeatur, libet luculentissimum hic viri rigidissimi Religiosissimi Ordinis cuiusdam Professi, morte contestatam hac de re afferre sententiam.

Decumbebat hic grauiter ex morbo, & prope iam aberat à morte, sui tamen, cōpos ac potens, eratq; iam eo loci, ac tēporis, in quo cōmonstrante prę sertim Domino, ipsa veritas, & videtur clarius & liberius indicatur. Iubet igitur, cum prius aliquātulū immotus animo velut libero prospexisset æterna, vocari ad se Barcinonensis Proregis Confessarium P. Vincentium Matrezium è Soc. IESV quem properè aduolantem, vt fieri assolet in necessitate suprema, & vixdum ingressum in conclaue decumbentis, æger ipse, magnâ, alacrique voce quasi gratulabundus aggreditur: *Fælicem te, inquit, o Pater, cui contigit socium esse eius Ordinis, in quo quicumque decedit, vitâ fruitur sempiternâ. Hæc mihi iam nunc DEVS ostendit, hæc palam omnibus nunciare mandauit.*

Religiosus quidam alterius Ordini morti vicinus fælices prædicat homines Societatis, eoquod si in ea perseuerauerint sint omnes saluandi.

Hære-

Hærebat hic noster admiratione defixus. Cũque tam singulare Visum prohibente verecundiâ, non auderet admittere, & parem minimum fælicitatẽ datam auguraretur ipsius ægri Instituto, quod erat rigidissimæ, etiam tunc, & incorruptissimæ disciplinæ; addidit ægrotus, dixitque cum gemitu; *Seruari, quidem ex suo Ordinem quã plurimos, sed non omnes; ipsius autem Societatis omnes omnino ac singulos, ad mortem vsque in ea si constiterint, esse seruandos.* Sic ille. Quæ sanè omnia recta rationis trutinâ attentius expensa huiusmodi sunt, vt mirificum animi solatium, voluptatemque liquidissimam omnibus Synceris, ac genuinis huius Societatis filijs pariat, eosque in Sancta sua vocatione confirment.

Quare merito vnicuique nostrum cum supra memorato Auctore exclamandum est medullitus: *O fælicem conditionem, quia in illam ego Societatem hominum, cætumque me contuli, quaque ex mundi turba, & colluione discedens illis ego viris aggregatus sum, quorum ipse merito, ac virtute consequi possim, quod à propria sperare non audeam. O fortunatam IESV Societatem, quæ adscriptos sibi socios aptos æternæ fælicitatis vel inuenit, vel facit. De quo quidem eius singulari priuilegio, quo minus dubitem facit tot tantorumque virorum tam expressa confessio. Cuinam ergo Sociorum hisce cogitationibus imbuto, ac tanta spe nixo vita sua quantumuis molesta, ac breuis possit esse non iucunda? Quis non se consoletur tot, tantisque periculis mortalitatis expositum, reputans ipse se cum illis quos eiusdem vitæ socios, vel præmiserit abeuntes in cœlum, vel olim secuturos post se reliquit in terra, semper & fæliciter esse victurum.*

Societas fortunata, quæ suos æternæ fælicitati aptos vel inuenit, vel facit.

37. Eadem proportione quadam dici possunt de ijs, qui Parthenijs, hisce sodalicijs adscripti, sub clientela Virginis Deiparæ vitam illibatam, ac puram assiduâ sacramentorum frequẽtatione, degunt; pro his enim cum illa Materna pietate, & charitate plusquam Cherubica, atque Seraphica apud Filium intercedat, vt illos in suum cæleste Regnum recipiat, suosque cohæredes efficiat, certo nobis persuadere debemus eam nobis ex hac vita decedentibus adfuturam, & cum benedicto suo Filio obuiaturam, & demum comitantibus, ac collætantibus Angelis, reliquisque cælitibus ad Regnum fælicitatis æuiternæ deducturam. Cũ B. Alanus de Rupe seriò, ac indubitatè affirmarit Par. 4. de Psalt. cap. 24. *Signum sit tibi probabilissimum æternæ salutis si perseueranter in dies B. Virginem eius Psalterio salutaueris.* Quod si recitatio Psalterij signum est prædestinationis, quanto magis aliæ pietatis exercitationes amore Virginis susceptæ? Atque ita merito dici poterit; Hoc esse Sodalium Partheniorum priuilegium, vt mortuum huiusmodi Virginis clientulũ obuius IESVS, & Maria excipiat, & ad Regnum cælorum deducat.

Recitatio Psalterij deuota prædestinationis signum est.

Vt missa faciam innumerabilia beneficia tam corporis, quem animæ, quæ eadem Virgo plusquam materna charitate illis exhibet, quæ idem Auctor Imaginis primi sæculi Soc. memorat lib. 3. cap. 7. vbi postquam plurima Virgineæ in nos charitatis circa corpus memorasset argumenta, tandem paucis multa complexus.

B. V. beneficia varia, & corporis, & animæ suis Sodalibus cõfert.

Alij, inquit, tam præsenti subsidio Mariæ, periculis sunt erepti, vt non citius prope discrimen senserint, quam auxilium. quod autem morbi genus fuit, aut tam vehemens, aut tam perniciosum, aut tam diuturnum, aut tam deploratum, quod à sodalibus suis clementissima Mater aliquando non depulerit? Quæ plaga quam nõ sanarit? Si tam solicita de perituro suorum corpore, qua demum curâ complecti putãda est eorum animas, & immortales, & Filij sui sanguine æstimatas? Hanc curam omnium oculis patere in quibusdam voluit, vt inde æstimaretur eius solicitudo de omnibus, quæ plena tenerrimi amoris ne negligit quidem negligentes sui. Eos igitur, quos pietatis omnis sensus iam defecerat ad pristinam sæpe virtutem verbis, quæ ferreos animos penitus mulcerẽt, flecterentque reuocauit. Sæpe solo sui conspectu verecundiam peccandi improbis iniecit, interdum nimium de salute anxios, optimá spe impleuit, interdum moribundos, oblata sui specie recreauit, & in his alijsque docuit cultores clientesque suos perire non posse. Tot animarum salutem, quarum multæ sine hac ope æternorum ignium nunc arderent immiserabiles victimæ, nõ potest sibi repræsentare Societas, quin operis tanti conscientia, liquidissimâ illam perfundat voluptate stimulosque acerrimos, quamuis currenti admoueat, vt IESV, ita & MARIAE, quemadmodum Filij, ita Matris salutaria signa, toto orbe circumferre pergat, & ad amabilem huius indulgentiam inuitare omnes, qui merito

Societas nostra B. V. co- litetiam ideo vel maxime, quod illa ab æterna perditione animas liberet.

to timent rigidam ęquissimi Iudicis seueritatem. Hactenus ille.

38. Quis igitur hiscè Deiparæ tot tantisque Materni in nos amoris circũdatus flammis, tot ipsius gratiæ præuentus beneficijs mutuâ in ipsam charitate non accendatur, & totus liquescat, ac fluat? Quis non sese totum ipsius seruitio, atque obsequio totius suæ vitæ decursu addicat, ac mancipet?
Quis ad eius honorem, gloriamque passim amplificandam ardorem illum Cherubicum, ac Seraphicum, in pręcordijs suis succendi, quis sibi senas alas addi ad, toto orbe terrarum volitãdum quam celerrimè, laudumque ipsius deprædicanda encomia non exoptet?
Quis cũ Seraphico ipsius Psalmista illi animitus non moduletur ac concinat: *Benedicam Dominam in omni tempore; & non deficiet laus eius in ore meo: Magnificate eam mecum omnes, qui impinguati estis melle, & lacte recreationis eius. In periculis in rebus dubijs inuocate eam, & in necessitatibus inuenietis auxilium, & refrigerium dulce.*

B.V. Domina nostra omni tẽpore benedicẽda.

Sumite exemplum conuersationis eius, & ęmulamini studia charitatis, & humilitatis eius. Psal. 33. In periculis, inquam, illis mortis, quæ animam agonizantem maximè vrgere, ac perturbare solent, in Cacodæmonum, eo momento temporis, vel maximè insidiantium tẽtationibus inuocanda est vel maximè, vt nobis assistat, vt vos ad beatam patriam vna cũ Filio deducat, vt nos sui Regni consortes, ac cohæredes efficiat. Quod vt facilius assequamur ipsius sanctissimæ conuersationis exemplum, vti monet Doctor Seraphicus, sicut, & charitatis, humilitatis, reliquarumque virtutum eius studia nobis æmulanda sunt. Quod si præstiterimus, & vitia ac peccata, & tẽtationes mundi, carnis, Dæmonis, ipsâ patrocinante atque opitulante vicerimus, audiemus illam in postrema illa vitæ nostræ catastrophe nos consolantem, nobisque dicentem cum Filio Apoc. 3. 11. *Ecce venio cito; tene quod habes vt nemo accipiat Coronam tuam.* Audiemus etiam alteram illam vocẽ eius, ac Filij: *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut, & ego vici, & sedi cum Filio meo in throno eius.* Apoc. 3. 21.

B. V. in periculo mortis vel maximè inuocanda.

B.V. imitãda si eius in morte patrocinium experiri cupimus.

39. His vocibus similem, eamque cõsolatione plenissimam audiuit olim B. Bonfilius Ordinis seruorum B.V. verus ipsius, ac genuinus seruus, ac Filius qui cum æger admodum in choro cum Fratribus horas matutinas decantasset tandem sub eorum finem, vt ordinis referunt Annales Cent. 1. li. 3. c. 7. audiẽtibus omnibus Inuitatio hęc cęlorũ Reginæ ad cæleste Regnũ capessendum audita est: *Bone fili, quia Filij mei vocem audisti, & inuiolabiliter obseruasti, centumplum accipies, & vitam æternam possidebis.*
Quibus ille auditis verbis, fæliciſsimam animam in manus creatoris, Dominæque suæ reddidit, quę quam grata illi extiterit mox ostendit, cum eius corpus tot laborum socium velut Illuminatrix, clarâ luce coruscans, reddidit.

B V B. Bonfilium ad cęlum inuitat.

40. Eiusdem Ordinis seruorum B. V. B Alexius ex illo felicissimo Septenuirum numero, qui illius Sanctissimi Instituti fundamenta iecere, fauente, ac promouente Patrona, ac Domina sua, Diadema Regni cælestis adeptus est. Sic enim seruitarum Annales Centur. 1. lib. 6. cap. 9. referunt: *Instante sui decessus die à se præuisá, Sanctissimis Ecclesię sacramentis communitus, Fratribus adstantibus, quos ad humilitatem, & puritatem hortatus fuit, Angelicá salutatione, quam quotidie cẽties recitare solitus fuerat, hilari vultu, oculis in cælum defixis deuotissimè persoluta:*
Eia, inquit, *videte Fratres mei, adstantes Angelos sub columbarum specie coram me. Eia Fratres mei genibus flexis Puerũ IESVM me coronantem aspicite, & adorate. Videte Fratres mei, qua Corona donandi sumus, si religiosam puritatem, & humilitatem sectemur, si tandem puram, & humillimam Dei Matrẽ, & Patronam nostram imitemur.*

B Alexius seruita à Christo corona sub mortem redimitur.

Hæc porro ita reuera contigisse retulit, idq; iure iurãdo affirmauit P. Lapus Benitius, qui cum alijs Fratribus interfuit, circumvolitasse nimirum coram Alexio candidissimas aues, inter quas Puer IESVS, in sinu vtique Virginis Matris seruo suo fauentis residens Sãctum illum Senem proprijs manibus, Corollâ ex varijs Paradisi cęlestis floribus cõtexta coronauit, secumq; in cælum, vna cum Matre sua Sanctissima, collætantibus supernæ Curiæ Ciuibus extulit. Atque hęc de eximia, ac plusquam Seraphica, nec non Cherubica Virginis in DEVM suosque clientulos charitate, qua illos ad Regnum cælorũ indipiscendum promouet, dixisse sufficiat, Quam ideo (vt hoc obiter hic dicam) D. Potho Cherubinis etiam attribuit, vt eos à Cherub illo, cuius meminit Ezechiel cap. 28. eiusque asseclis distingueret; qui licet plenitudine sciẽtiæ,

tiæ, ac Sapientiæ, non tamen diuinæ legis plenitudine, quæ dilectio est, præditi fuere. Vnde creatori suo rebellantes, seque ab actuali eius imperio subducere attentantes, iusto eius iudicio rudétibus Inferni detracti, in Barathrum, vt Apostolorum Princeps loqutur traditi sunt cruciandi.

Prima Cherubinorum proprietas est, quod sint in circuitu Dei, & ad omnia ipsius intrent.

41. Iam ad reliquas Cherubinorũ proprietates, quas B. Alber. Magnus Tract. super Missus ex B. Dionysio transumptas memorat, veniamus. Prima est quod sint in circuitu Dei, & ad omnia ipsius intrent, ac penetrent. Quem circuitum S. Maximus in suis scholijs ait *esse desiderium, & amorem, quo Beatæ mentes in DEVM, velut circa centrum chorcã quadam circulari feruntur*. Quis porro ardentiori desiderio, amoreque in DEVM ferebatur quam Virgo Beatissima, illo præsertim tempore, quo eum vtero suo purissimo circumdatum gestabat, exoptans in horas, in momenta singula, vt desideratissimam suam orbi vniuerso ostenderet faciem? *Quis in intima misericordiæ Dei Patris intrauit viscera*, inquit, Albertus, eique *Filium vnigenitum vnicumque de corde quodammodo extraxit, quam Virgo nostra?* Altera Cherubinorum proprietas est, *in DEVM tendere, aliosque ad eundem reducere, quam Virgo proprietatem habuit in summo*, vt idem ait Albertus; *quia omnia reductibilia ad DEVM reduxit. Ipsa est mulier illa, quæ accensa lucerna Incarnati Verbi, in eius vtero dracmam decimam Naturæ humanæ perditam quæsiuit, & inuenit. Ipsa est mulier, quæ tria Sata. .i. corpus, animam, & Diuinitatem, absque confusione miscuit atque coniuxit, Naturamque humanam in pristinum, imò longè excellentiorem statum, vt potè hypostaticè copulatam Deo reduxit*. Tertia Cherubinorum proprietas est, *actiuum esse, secundum DEVM incedere, inque DEVM tendere, Dei actus imitando. Quod*, inquit D. Antoninus, *excellentiori modo egit B. Maria. Vnde Odilio ait: Vnum pro certo scimus, quia omnis Mariæ actio, & intentio semper intenta fuit in Dominum. Vnde & in Deiformissimo actu æternæ generationis Filij, Patrem æternum, eundem Filium in tempore hominem generando, imitata fuit*. Vltima proprietas est, *esse exemplatiuum. i. in se velut exemplari Diuinæ Sapientiæ mores transcribere, eidem se conformare, eosdemque reliquis creaturis ad imitandum, velut exemplum proponere*.

Beatæ mẽtes circa Deum veluti Centrũ Chorea quadam Circulari feruntur.

B.V. intima Dei Patris intrauit viscera, eique Vnicum de corde quodammodo extraxit Filium.

B. V. omnia reductibilia ad DEVM reduxit.

M. est Mulier quæ Dracmã Naturę humana perditam inuenit.

Omnis Mariæ actio sẽper intenta Deo fuit.

B.V. in se velut exẽplari Diuinæ sapientiæ mores descripsit.

Quæ omnia quam perfectè Virgo gloriosissima præstiterit, nemo non videt. *Ipsa enim est ipsius increatæ Sapientiæ parens, eamque nouem mensibus in vtero suo Sacratissimo gestauit, eiusdemque mores in se expressit; Ipsa est Doctrix disciplinæ Dei, Magistra Magistrorum, Apostolorum omnium, quam ad instar oraculi consulere consueuerant in rebus dubijs. Ipsa denique speculum Diuinæ extitit Sapientiæ, ac stella maris, luce sua errabundas animas in portum salutis reducens*, mentesque ignorantię tenebris circumseptas, miro benignitatis suæ splendore irradians.

Maria Stella maris erra bundas animas in portum salutis reduxit.

42. Vnde ij qui se peculiari affectu ipsius obsequijs mãciparunt, videre est, ex Virgine hac, tanquam ex perfectissimo cælestis Sapientię exemplari, rerum æquè Diuinarum, atque humanarum scientiam exscribere, ipsiusque illuminatione in viros verè sanctos, ac sapiẽtes euadere. Hoc nimirum videre fuit in S. Edmundo Cantuar. Archiep. qui à teneris annis, cum singulari amore, ac pietate ferretur in Deiparam, & coram ipsius eburneo simulachro, mysterijs vitæ, ac Passionis Saluatoris vndique circumdato, literis operam daret, miros ipsius fauores, mentisque lumina expertus est. Sane Marcus Marulus Vir pietate, literis, nobilitateque conspicuus, Spalatensis Vrbis insigne decus lib. 2. nu. 5. Scribit quod cum Sanctus hic Biblia sacra legeret, fuerit aliquando soporatus, interque dormiendum ardens candela super paginas delapsa, fuerit consumpta, libro inoffenso relicto. *Flamma ceras deuorauit*, inquit, ille, *Chartam non adussit, vetita literas delere, quas Dominus extare, vt perlegantur voluit*. Quod beneficio Virginis accidisse pronum est cogitare, ex sequenti fauore, de quo idem mentionem facit Marulus. Cum enim idem Sanctus nocte quadam inter legendum obdormisset, mox expergiscens, lucernam extinctã reperit, qui legendi sibi occasionem sublatam dolens, Sanctam Virginem verum lumen Orbis inuocauit; & Lucerna repente illuxit. *Hinc ille legendo*, addit idem Marulus, *quod cæperat prosecutus est, cum prius Deo, & Deiparæ Virgini gratias egisset, quod sic fauerent ijs, qui sacris lucubrationibus libenter inuigilant*. Verè dicere poterat Virgini Præsul ille Sanctissimus: *Quoniam tu es Lucerna mea Domina, Domina illumina tenebras meas*. Dixerit illi tũc fortassis Edmundus cum Seraphico Bonauentura, Psalmista Virgineo: *Domina illuminatio mea. Sit splendor faciei tuæ, & serenitas faciei tuæ refulgeat menti meæ*.

S. Edmũdus a teneris annis singulari amore B. V. diligens sapientissimus euasit.

Marcus Marulus Spalatensis Vir doctus ac pius, nobilitate clarissimus.

B. V. Edmundo sacris literis studenti extinctam lucernam accendit.

B. V. est nostra lucerna tenebras mẽtis nostræ illuminans.

meæ. Ne auertas faciem tuam à meæ, quia speciem, & decorem tuum à iuuentute mea concupiui. Te amaui, & exquisiui Regina cælorum, misericordiam, & gratiam tuam ne subtrahas à seruo tuo: Confitebor tibi in nationibus, & Thronum gloriæ tuæ honorificabo.

B.V.S.Dominicum, & totum Prædicatorum Ordinem Sapiētia sua illuminauit.

43. Lucernam porro illuminantem esse Deiparam ignorantiæ humanæ, vitiorumque tenebras effugantem maximè expertus est S. Patriarcha Dominicus, eiusque Ordo vniuersus. De quo P. Hiacynthus Choquetius, in libro illo quem Mariæ in Ordinem Prædicatorum Viscera Materna, inscripsit. Vbi capiti 16. huiusmodi epigraphem præposuit: *Ordinis Prædicatorum homines instruit, ac scientia exornat Dei Mater Maria.* Quæ scientiæ, Sapientiæque ornamenta in primis S. Dominico velut dilectissimo suo Filio totius Ordinis Capiti, ac deinde senis illis eius socijs à Diua Virgine æternæ sapientiæ Matre communicata fuisse ostendit. Stella siquidem illa, quam Matrona nobilis in fronte eius conspexit, dum eum de sacro fonte leuaret, quid erat aliud nisi character, augustissimæ illius Maris stellæ Virginis Mariæ, quo ipsi pientissimum in se amorem, ac cælestem Sapientiam, scientiamque impressit, qua ille postea, ceu lucidissima Stella Albigensium in primis Hæreticorum errores, velut nocturnas tenebras, ac deinde orbem vniuersum illustrauit. Quod luculenter diuinitus ostēsum fuit famosissimo illi Theologię Professori, de quo Theodoricus de Apoldia lib. 1. de Vita S. Dominici cap. 12. Apud Tholosā, inquit, in Theologia præerat Magister quidam, genere, scientia, & fama præclarus. Is quodam mane cum ante lucem ad prælegendum se pararet, leui oppressus somno, caput ad cathedram paulisper, reclinauit, & dormire cæpit. Videbatur autem illi quod septem Stellæ coram ipso exhiberentur. Eam rem ipso admirante, subito stellæ illæ in eam molem ac splendorem visæ sunt excrescere, vt totam regionem, imo & orbem vniuersum illuminarent.

Stella in frōte S Dominici fuit quidā character Stellæ maris ipsi diuinitus impressus.

S. Dominicus cum Socijs septem, totidem stellis designantur.

Confestim excitatus à somno vbi vidit solem ortum, scholam ingressus est.

Et tue B. Dominicus, & sex eiusdem habitus Socij ad illum humiliter accedunt, simulq; indicāt se Fratres esse, qui in territorio Tholosano fidelibus prædicent aduersus Hæreticos, velle se ipsius lectiones audire. Inde multo tempore Magister ille eos septem Fratres familiares, sibique addictos habuit, & vt discipulos instituit. Reuocans in memoriam prædictam illam viuisionem, B. Dominicum, eiusque socios lucidas illas stellas interpretatus est. Cumque eos immenso famæ, & scientiæ lumine subito augeri animaduerteret, summa veneratione, atque amore perpetuo eos complexus est. Sic Theodoricus.

44. Hac tam illustri visione pręmissa, ita prosequitur Choquetius: *Enim vero Diuino illo stellarum emblemate, quarum splendor sensim ac propemodum in immensum augesceret cælitus prænunciatum actu manus Ordinis Prædicatorum Viros orbi datos vti micantissima sydera, quæ errorum, & vitiorum offusam caligimē dispelleret, singulari Mariæ nimirum fauore, cuius pedibus lunam ipsam, solis discipulam, vt loquitur Tullis, substrauit DEVS, deditque vt multo fælicioribus, ac splendidioribus astris coronata, ipsum sapientiæ solem progigneret. Portendebat quoque stellarum ille conuentus, ac verè Sacræ Pleiades, Sanctissimi Dominici Sodales, qui sub eius signis, Parthenijsque Mariæ Aquilis militaturi essent, præstantibus armis è cælo donandos, id est, eruditione, calamo, facundiâ, atque incredibili dicendi vi diuinitus potius, quem vel à natura, vel humano labore, studioque instructos fore.*

S. Dominicus ab incunabalis B. V. fuit Charissimus vnde ipsum ad Sanctitatem, & omnē scientiam efformauit.

Concludit denique Beatum Dominicum *supra alios à cunis ipsis in Mariæ ter benedictæ amoribus fuisse, eumque ab illa à pueritia ad maximam Sanctitatem, atque eruditionem vti à Matre Filium fuisse efformatum.* *Eadem illum ad orbis magisterium, diuinæque mentis interpretationem, per conciones, ac literarios de fidei integritate, cum hæreticis congressus aptabat, instruebat, atque exornabat Deipara, quæ insuper cum extremâ manu ad id muneris absolutissimum reddidit.*

45. Rem memorabilē sane Beatus Alanus de Rupe Par. 3. de Psal. ca. 19. refert ipsius Sancti Dominici verbis, quæ manifestè declarant Deiparam cælestis Sapientiæ Parentem, Magistram Dominici in omni scientiâ extitisse.

S. Dominicus Rosarium recitans in Extasim rapitur.

Sic igitur ille referentem cælestem hunc fauorem Virginis S. Dominicum introduxit: Cum pro more meo ante concionem ad vnius horę spatium quodam in Sacro post altare maius meum Psalterium persoluerem, ecce confestim extra me factus per raptum, manifesto in lumine contuebar me coram Amica mea, quam mihi quæsiui à iuuentute mea in Sponsum charissimam, Dei Genitricem; quæ libellum quem manu pręferebat mihi offerens ait: Dilectissime

O Sponse

B.V.S. Dominico libellum porrigit in quo erat descripta Concio, quam tunc haberi desiderabat.

Sponse Dominice, etsi bonum est quod prædicare disposuisti, sermonem tamen longè meliorem mihique gratiorem ad te affero. Aspectus me, affectusque notus miro delibutum gaudio rapiebat, librum capio, lego reuerenter, & constanter, neque secus ac dixerat Diua Maria comperio. Illa, actis à me quam demississimè valebam gratijs, disparuit. Hæc postea cum prædicarem alma Patrona Maria continuo lateri, hærebat meo assistrix. Ipsa velut ex libro verba mihi singula prælegens suggerebat dictatrix. Ipsa vires, animum, Spiritumque sufficiebat confortatrix, & voci dabat vocem virtutis. Neque aliter dicta cadebant ad aures, ac animos auditorum, quam ignea tela.

B. V. concionanti de Psalterio S. Dominico adstabat, eique dicenda suggerebat.

Sentiebant plerique carbones vastatores scelerum in conscientijs suis, & hasce igniri intus, ac gliscere flammas ad Dei timorem, atque amorem. Hæc S. Dominicus, quæ sane miram ipsius cum Dei Matre, ac prorsus filialem indicant familiaritatem, nobisque facile persuadent Diuinę Sapientię arcana quamplurima illi ab eadem oblatione illa libri fuisse reuelata; & intellectum ipsius diuinorum cognitione præstantissima irradiatum, voluntatem Seraphicis ardoribus, in auditores etiam redundantibus fuisse inflammatam, ita vt reuera scientiæ plenitudine incarnatus quidam esset in hoc mũdo quasi Cherubinus; ardore charitatis, Seraphinus; atque in sibi subditos Religiosos imò etiam sæculares, Angelicarum Hierarchiarum purgandi, illuminandi, atque perficiendi functiones exercere videretur. Quod ille Concionibus de B. V. Rosario, siue Psalterio ad populum habẽdis potissimum consecutus est, vt in eodem B. Alani libro manifestum euadit; in quo inter ceteras Angelicarum Salutationum, quibus Corona Rosarij veluti rosulis contexitur mirificos effectus, octo plane eximij recensentur Par. 4. cap. 30. Serm. 3.

Salutationis Angelicæ miri effectus.

Auscultet, nunc inquit B. Alanus, *Sancti Nominis tui Amator, ò Maria. Cum dico, Aue Maria, Cælum gaudet, omnis terræ stupet. Sathan fugit, Infernus contremiscit. Mundus vilescit, cor in amore liquescit. Torpor euanescit, caro marcescit: Abscedit tristitia, venit noua lætitia. Crescit deuotio, oritur compunctio. Spes proficit, augetur consolatio. Recreatur animus confortatur affectus. Siquidem tanta est suauitas huius benedictæ salutationis, vt humanis non possit explicari verbis, sed semper altior manet ac profundior, quam omnis creatura, illam indagare sufficiat. Hæc denique oratio salutatoria parua est verbis, magna mysterijs, breuis sermone, alta virtute: super mel dulcis, super aurũ preciosa, ore cordis est iugiter ruminanda, purisque labijs creberrimè repetenda. Verbis enim paucissimis contexitur, & in latissimum torrentem cælestis suauitatis diffunditur.* Sic ille.

Suauitas Salutationis Angelicæ verbis nõ potest explicari.

Quid mirum igitur si salutationem hãc & ipse S. Dominicus piè sæpius iterando, eiusdemque laudes tot populis, & nationibus deprædicando, tantam gratiam apud Deiparam inijt, vt tot cœli donis, ac præsertim sapientiæ, scientique Cherubicę ornamẽtis decoraretur?

46. Certè idem Alanus cap. 48. de Psalterio, memorat Monachum quendam Dei Matris deuotissimum salutationibus Angelicis Roseum illi pluribus annis Sertum contexendo, raptum fuisse aliquando ad superna, ibique vidisse Regem Angelorum in gloria suæ Maiestatis. In cuius conspectu vidit librum infinitæ Magnitudinis, in quo omnis scientia, ad plenum erat descripta. Quem fidelissimum suum famulum vbi Virgo conspexit deduxit ad Filium, eique ab eodem obtinuit, vt in illo Libro legeret. Legit & secundum diuersa folia plenitudinem scientiæ aquisiuit: Qui vbi ad seipsum, admiratione plenus redijt, scire cupiens si hæc vera essent, quæ viderat, cœpit libros varios euoluere, quos omnes plenissimè, atque optimè intelligebat, cæpit cum alijs Monachis de varijs scientijs conferre, & omnes scientiâ sapientiaque superabat, adeo vt cum censerent esse Dæmoniacum, & magicis artibus tantam scientiam adeptum. Vnde Virgini non ingratus, quoad vixit, Virgineas laudes deprædicauit, tantumque scientiarum donum recitatione frequentiori Psalterij, cultuque sedulo B. Virginis se adeptum fuisse professus est.

Monachus quidam recitans Psalteriũ raptus est in cœlum, & in libro æternæ sapientiæ legens omnes scientias didicit.

47. Quisquis igitur veram solidamque rerum Diuinarum cognitionem, sapientiamque consequi desiderat, salutationibus Angelicis magno pietatis affectu Dei Matrem veneretur, eisdemque velut rosulis roseam illi coronam contexat, eius laudes celebret, apud proximos, eosdemque ad colendam præcipuâ post DEVM veneratione Dei Matrem inducat, dabit illa huiusmodi fideli clientulo magnum

gnum illum Diuinæ Sapientiæ legendum librum, eiusdemque lectione de sapientia illa sua plusquam Cherubica cum ipso communicabit, sapientemque omnibus numeris absolutissimum, reddet, simulque ostendet se esse amicta illam Sole mulierem gloriosissimam, Lunâ calceatam, duodecim stellis coronatam, ostendet se stellam maris Sole iustitiæ illuminatam, ac illuminatricem, ostendat denique se Lucernam esse tenebras mentis nostræ, & labyrinthæas, ac confragosas, cauernosasque huius vitæ vias ac calles illuminantem. Vnde cũ huiusmodi lucernam esse Virginem fuisset expertus S. Dominicus in Concione, quæ habetur apud D. Alanum Part. 3. Psalt. ser. 2. cap. 19. ita locutus est: *Si eundum fuerit per cauernarum fauces, obscuraque locorum antra, nonnè Lucernam quærimus, ac præferimus, & anxia cũ circumspectione indagamus?* Respondetis: Rectè. *At omnes nos per humanæ mortalitatis latebrosas tendimus vmbras, atque cauernas serpentinas. Quidni igitur properamus dictam Lucernam, quæ est Maria comparare nobis? Hanc salutatione Angelicâ piè repetitâ, igne deuotionis accendamus, & illuminabimur. Ipsa enim est Stella maris, & Illuminatrix Maria.* Hæc S. Dominicus ad gloriam æuiternam Virginis Sapientissimæ Reginæ Cherubinorum gloriosissimæ propria doctus experiẽtiâ, qui sane omnibus Religiosis, in deuotissimo erga Dei Matrẽ cultu, ac veneratione merito est imitãdus si præclaris virtutibus, Diuinaque sapientia exornari desiderant.

Qui doctus, & sapiens esse cupit, B.V. salutationibus Angelicis veneretur.

B.V. Lucerna tenebras mentis depellens.

Salutatio Angelicâ est Lucerna viã huius vitæ tenebricosã illuminans.

48. Imitari visus est Sanctissimum hanc suum Patriarcham Doctor Angelicus tam in hoc pio erga Salutationẽ Angelicam affectu, quam etiam in tenero, ac filiali erga Dei Matrem amore. Notissimum est eum dum adhuc esset Infans chartulam cui Angelica salutatio erat inscripta cælitus sine dubio à quopiam bono Angelo deportatam, auidè arripuisse insertamque in os velut delicatissimum bolum, nectare, ambrosiâque dulciorem ingessisse ac deglutisse. Vnde factum vt iam grandæuus adeo in Salutationem illam esset affectus, vt venustissimum, ac deuotissimum de ea Opusculum, Angelico ipsius dignum ingenio fuerit elucubratus. Ab hac velut limpidissimo fonte tãtus ipsius in Virginem amor, sine dubio traxit originem, ita vt inter ipsum, & Dei Matrem mutuum beneuolentiæ certamen esse videretur. Vnde merito iam memoratus P. Hiacynthus Choquetius inter varia ipsius elogia asserere non dubitauit, eum *à cunis ipsis in Filium adoptatum fuisse à Deipara, atque iam tunc æternæ Sapientiæ Filij sui, amoribus deuotum, ac consecratum; vt aliquando ad fidelium salutem, Ecclesiæ firmamentum sui Prædicatorum Ordinis splendorem, doctrinæ atque eruditionis prodigium esset.* Ob tot tantaque Virginis in illum cælestium gratiarum, larga manu communicata beneficia, audita est ante mortem eius vox, vt refert Castillius Par. 1. lib. 3. cap. 27. misericordias in se sanctissimæ Deiparæ extollentis, gratiasque illi referentis, quod nihil vnquam à Deo, per Virginem Matrem expetijsset, quod pro voto non impetrauerit. Hinc factum vt eius benignitate ac liberalitate fretus, numquam librum arriperet, numquam manum calamo admoueret, quin prius, magnæ Matris pedibus adgeniculatus profusis precibus eius opem, lucemque velut suæ stellæ, ac Illuminatricis implorasset. Nec illius irritæ cecidisse visæ sunt preces. obtinuisse sane ingem huius suæ Illuminatricis assistẽtiam, & huius Virgineæ Stellæ, menti suæ continuò affulgescentis splendorẽ visus est. Quid enim Sydus illud fulgentissimum supra eius caput radians denotabat aliud, quam suæ benignissimæ Illuminatricis perennes in mẽtem eius cælestis sapientiæ influxus. Quid Colũba illa, quam S. Bonauentura testis integerrimus eius humero insidentẽ conspexit, quid, inquam, denotabat aliud quam Spiritum S. diuinarum rerum cognitionem ei inspirantem; siue ipsam Deiparam, vnam illam electãque Columbam eum Spiritu Sapientiæ, ac intellectus afflantem, quo ille plenus in medio Ecclesiæ ad docendum fideles os suum aperiret, eiusque Doctores sua copiosissima luce irradiaret.

S. Thomas Aquinas Angelicam salutationem in chartula exaratam deuorat.

S Thomas Aquinas ab incunabulis à B. V. in Filium adoptatus.

S. Thomas fatetur nunquam se aliquid petijsse à B V. qui impetrarit.

S. Thomas ante studiũ B.V. opẽ implorabat.

Sydus supra caput S. Thomæ indicabat Illuminatricis Virginis perennẽ in mentẽ eius Sapientiæ influxũ.

49. Huius denique æuiternæ sapiẽtiæ Matris, quam amauit, & exquisiuit à iuuentute sua, & quæsiuit eam sibi sponsam assumere amator factus formæ illius; Huius, inquam, amore captus sine dubio dum postremam suæ vitæ catastrophem imminentem præsensit, ipsius amoris Cantica, eius charitate totus colliquescens explananda suscepit. Vnde in illis suauissimis, amoreque Diuino plenissimis verbis sponsæ Dilectũ suum ad se inuitantis, in quibus fortas-

Columba humero S. Thomæ insidens Spiritum S. & B. V. denotabat.

S. Thomas Cantica explicans moritur in illis verbis veni dilecte mi.

tis ipsa Dei Mater purissimum suum emisit spiritum: *Veni, inquiens dilecte mi egrediamur in agrum*; Angelicâ puritate decoratam illum animam exhalauit, in eumque agrum ingressus est cælestis Paradisi cuius odorem quondã ex virtutibus eius, ceu floribus emanantem persentiscens Iacob, admiratione dierumq; plenus dicebat: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Quę sane amabilissima vox affinis est illi dilecti IESV Discipuli ac Marię charissimi Filij dicentis: Apoc.22. *Veni Domine IESV*. Ipse nimirum est animarum nostrarum sponsus, ipse ager florum, fructumque celestium vbertate fertilissimus, ipse omnium deliciarum Paradisus, ad quem, dum ex hac vita in gratia ipsius egredimur, velut in gaudium Domini nostri, in bonorum omnium Oceanum ingredimur. En quam vberẽ Salutationis Angelicæ qua Deiparam sedulo veneratus est S. Doctor, en amoris ipsius, quo eandem complexus est fructum, cælestem videlicet, imo Cherubicam sibi à Virgine communicatam sapientiam, & felicissimum ex hac vita in IESV Societate transitum.

50. Eiusdem salutationis Angelicæ, velut Lucernæ illuminantis, velut Stellæ tenebras mentis effugantis, beneficio, B. Albertus magnus, eximiam illam, quam orbis vniuersus admiratus est aquisiuit sapientiam, qua adeo illuminatus est, vt iam memoratum Doctorem Angelicum meritus fuerit habere Discipulum. Hoc nobis contestatur ipse B. Alanus de Rupe, qui Part. 4. Psalt. cap. 27. serm. 3. ita loquitur:

B. Albertus noster, re & Nomine Magnus adeo, vt eius compositione Alexander Macedo, Cneius Pompeius Romanus, &c. Paruus sit appellandus. Doctor hic quantum humana fert cognitio verè Omniscius, & Christianus quidam Varro, Gorgiasque Leontinus, & prope dixerim alter Trismegistus extitit. Testes loquuntur condita ab eo Volumina, & maxima, & plurima. Verum qua tandem viã, modoque tam insolitam, planeque incomparabilem rerum omnium scientiam sibi comparauit?

B. Albertus Magnus à pueritia B. V. amauit, & laudauit, & ideo ab illa sapientia ac scientia omni eruditus.

Aperuit os suum, & postulauit à Deo, qui dedit illi Sapientiam. A pueritia Dei Matrem amauit, & laudauit. Hæc apud cælestem Salomonem orauit pro ipso, exorauitque, ac tantam ei gratiam impetrauit, quemadmodum ille deuexã iam ætate, par animi gratitudine ac pietate, commemorabat. Quæris quo potissimum obseruantia, pietatisque genere rem tantam, per tantam Patronam, apud DEVM obtinere valuerit? Dicam verbo Psalterij merito. Vidit nimirum in mente Diuinã Virgo, ac prouidit qualem quamtunque in illo habitura erat sui cultorem. quippe quem à prima puerili ætatula castissimo suo cepit amore, eumque in perpetuum seruulum sibi mancipauit.

B. Albertus M. Psalterii recitatione scientiam aquisiuit.

Hic igitur à teneris annis necdum prima literarum elementa balbutiens Puellus Dei Genitrici orationibus deseruiebat, ait Alanus. *Has porro non alias fuisse, quam Psalterij, vt diximus, certum habeto*; Itaque Aue Angelicum Puer Albertus iterando tantam cælestis sapientię attigit perfectionem.

B. Albertus à pueritia B. V. recitando Psalterium deseruiuit.

51. Ob pium hoc Angelicarum Salutationum, magna cum pietate persolutum Deiparæ pensum ætatis suæ anno 16. ipsũ Virgo inuisere, & ad Prædicatorum Ordinem vocare dignata est. *In quo vt ait Alanus cum ad Philosophiæ studia voluntate Superiorum esset applicatus, & ingenio esset spissiore, Virgo illum illuminat, & ingenitat miraculo, eoque prouehit scientiæ, vt orbis vniuersus ac omnis ætas satis eum mirari nequiuerit. Cum autem vereretur, ne in aliquem errorem tantã scientia plenus incurreret, eadem Salutatione Angelica dum huiusmodi à Virgine deprecaretur errorẽ aut superbiam, Dei Mater mox in ipsis precibus opprimit supplicantem: Metuis Fili*, inquiens, *ne altiora te sapias? Euge beatus, qui semper est pauidus. erit hic tibi timor Domini principium sapientiæ longè altioris: Ita iubeo sperare te, ac spondeo. Tuto calle, pede inoffenso summa omnia scientiarum ac sapientiæ penetrabis, lumenque de lumine tuo post te relinques. Per hoc orbi nullus error dabitur, sed potius extirpabitur. Erit hoc tibi signum. Sicut in studiosę vitæ tuæ limine per me tibi à Deo infusa omnium scientia venit; ita quoque olim repentina veniet eiusdem obliuio, vbi non procul fueris à mortis limine. Dixit, & abscessit. At ille Virginem Virginisque prolem in Psalterio feruentius benedixit. In huius porro tam rari beneficij gratam recordationem librum illum admirandum, ac incomparabilem composuit. Albertus, quo subtiliter, ac eleganter ostendit ineffabiles esse gloriosæ Virginis Mariæ laudes. Atque ita euenit, vt à Magistro Magno, maiorem ad Discipulum D. Thomam Aquinatem, velut ab Elia, ad Elisæum Spiritus transiret sapientiæ duplicatus idque ipsius Psalterij merito.* Ita fere B. Alanus.

B. V. B. Alberto appa. ret.

B. Alberto prædicit B. V. in fine vitæ omnium scientiarum obliuionem.

Spiritus Sapientiæ à B. Alberto transiuit ad S. Thomam de Aquino.

52. Ex his duabus fide dignissimis narrationibus facile colligimus eximios hoscé Viros tanta scientiæ sapiẽtiæque laude florẽtissimos meritis, patro-

B. Albertus, & Thomas Aquinas gemini Cherubini in Sãcta Sanctorum constituti.

trocinioque Virginis increatæ sapientiæ Matris illis cælitus communicatę, esse geminos illos giganteæ pene figurę Cherubinos in Sanctuario huius Dominicanę Religionis cōstitutos, ex oliua misericordię, ac pietatis fabrefactos auro charitatis, Diuinæq; sapiētię contectos, animatā hāc, Virgineamq; Arcā, & aduersus hæreticorū blasphemantiū iniurias protegentes, dum in eam, eiusque depredicādis laudibus ingenij sui vires, scientiæque suæ plenitudinem à qua beneficio Rosarij, Angelicęque salutationis piè toties recitatæ illam acceperunt, exerunt. Vnde vere dicere possumus, quod in Viris hisce Religiosissimis, veluti Assyriorum illa Princeps Semiramis sui vultus effigiem excelsis in montibus, sic cęlorū Regina suę Sanctitatis, ac puritatis plusquam Angelicæ, suæ charitatis plusquam Seraphicę, suæ scientiæ ac Sapientię plusquā Cherubicę, reliquarumque virtutum viuam, quandam, spirantemque Imaginem impressit, ad suarum præclarissimarum laudum memoriam sempiternam.

B. V. in Abbate, & Thoma Imaginem suæ Sapientiæ impressit.

Quos ego sane velut eminentissimos omnis perfectionis virtutumque montes dum contemplor attentius, eorumdemque, vt par est Diuinam propemodum suspicio sapientiam modumque quo eius facti sunt compotes, ardens profecto me crebrius salutandi Deiparam eamdemque, vt Lucernam, ac stellam tenebras ignorantiæ effugantem inuocandi incessit cupido. Vnde quotidie meę imbecillitatis, ac tarditatis ingenij mihi probè conscius, dum me ad lucubrandum de augustissimis eius laudibus accingo, ipsam vt stellam maris, quantâ possum animi contentione, ac pietate saluere iubeo, eam simul obsecrans, vt mihi velut Lucerna, ignorantiæ meæ tenebras illuminans, vna cum Filio, qui huius Lucernæ, est oleum (oleum enim effusum Nomen eius. Cant. 1.) mihi assistat, lucem porrigat, mecumque de suæ plenitudine sciētiæ, Cherubicam illam longè excedentem, charitatem item suam eximiam Dei, ac proximi imo & sui Cherubinis propriam, mysticis suis Cherubinis Thomæ, & Alberto instillatam, communicet; quo inchoatum eius laudum cursum, ac nauigationem, hilari celeusmate fæliciter terminare valeam. Quod ego sane pro amplissima illa, qua pollet benignitate me consecuturum, huius Stellę maris affulgescente luce, eiusque suauiter aspirantibus Fauonijs, plurimum confido. Interea supplex illam obsecrare non desistam, vt in me veluti rupe à vitijs, ac peccatis deserta humilitatis suæ, charitatis, obedientiæ, patientiæ, puritatis virtutumque suarum omnium Imaginem exculpat, quo sui in me effigiem expressam agnoscendo, me velut pia Mater sub sua protectione, & ab omnibus periculis tā animi, quam corporis, ab omnibus item hostium insidijs, suo præsidio, ac patrocinio in hoc tam spacioso, ac pene immenso laudum suarum Oceano, vna cum suo benedicto Filio tueatur, meque velut Stella polaris, velut Nauis Institoris, in æternæ beatæque patrię portum introducat. Votum hoc meum B. Venantij Fortunati Pictauiensis Episcopi sigillo, quo ipse Carmen de Virginitate obsignauit, obsigno.

Auctor lucē ad lucubrādas B. Virg. laudes ab eadem implorat, Aue maris stella recitando.

Opto per hos fluctus mentē tu Christe gubernes
Arbore, & antenna velificante Crucis.
Vt post emensos mundani gurgitis æstus,
In portum vitæ nos tua dextra locet.





DISCVRSVS IV.

Quod Virgo Deipara Thronorum perfectiones in se repræsentet.

1.

Celeberrimus quondam Thronus Dianæ Leucophrynes ob mysteria, varijs emblematis in ipso expressa, à varijs scriptoribus, vt Pausania in Laconicis, P. nostro Causino libr. 12. Hierog. 65. Fuisse memoratur. In illo enim præter alia Horæ duæ in Dearum effigie, totidemque Gratię Thronum sustentantes visebantur. A sinistra cernere erat Typhonem, & Hydram, à dextra vero Tritones, cum infinitis alijs sculpturis.

Thronus Dianæ à duabus Gratijs ac totidem Horis sustentatus.

Quo Throno velut Icone præclarè idẽ P. Causinus atque ingeniosè docuit Regiam Maiestatem, opportunâ liberalitate sustentatam repræsentari.

Quid enim Gratiæ, & Horæ Thronum illum tenentes denotant aliud, quam gratias siue beneficia tempore opportuno alijs communicata Reges, ac Regna, firmare, populosque subditos in deuotione, atque veneratione erga suos Principes conseruare, quod nihil est aliud, quam Thronum, ac Regnum stabilire. Quid vero Tritones, nisi laudum præcones ac buccinatores, qui beneficentiam Regiam dum toto orbe, percrebescente, ac volitante famâ, pleno ore, buccinisque deprædicant, improbis, malignis atque audacibus, qui per Typhonem, & Hydram adumbrantur, frustra oblatrantibus, Regnoque fælicitatem inuidentibus.

Liberalitas, opportuna est stabilimentum Regni.

Quæ sane omnia longe excellentissimè summæ cęlorum, totiusque Vniuersi Reginæ conueniunt, quæ à venerabili Richardo à S. Laurentio libr. 10. de Laudib. B. V. Thronus gratiæ ob gratias quas opportunis horis, ac temporibus, & in hac vita, & in altera, addiẽ Iudicij vsque in valle Iosaphat, nequicquam frementibus, ac inuidentibus Tartareis illis Typhonibus Hydris, ac Serpentibus, nobis exhibebit.

M. est Thronus gratię quam nobis etiam, in Iudicio à Filio impetrabit.

Cum enim Vir hic in Deiparam pijssimus vellet ostendere, illam Thronum iudiciarium esse sempiterni Iudicis, eo quod carne eius amictus, ac circumdatus ad orbem terrarum iudicandum sit venturus, & quasi in ea sessurus in iudicio, iure merito Thronum gratiæ eam nuncupandam censuit, nixus illa Apostoli sententia Hebr. 4. 16. *Adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus, in tempore opportuno. Quia ergo Filius Dei, inquit ille de ipsa carnem assumens, in illa carne apparebit in Iudicio, & tunc videbunt reprobi, in quem confixerant, rectè Thronus dicitur. Magnum enim erit solatium iustis, quia videbunt eum in carne, in qua eos redemit; magna desolatio impijs, qui ex hoc agnoscent quantum amiserunt. In hoc Throno sedet Christus iudicans orbem terræ in æquitate, quod enim iudicabit, accepit à Matre, vt ipse dicit Ioan. 5. Pater, non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, & dedit ei potestatẽ iudicium facere, quia Filius hominis est. Patri attribuitur potentia, Filio Sapientia, cedere autem debet potentia Sapientiæ in iudicio faciendo. Iudicat porro Christus in æquitate, quando peccata nostra licet infinita, ex vna parte, & Carnem suam assumpsit ex Matre, ex altera videns, remissio eius de iure excedit nostra commissa. Dicitur igitur Maria Thronus id est Sedes Regia, dicitur etiam Thronus gratiæ quia ibi sedet vbi regnat gratia, quæ plenum habet in Maria Dominium. Ibi etiam inuenitur gratia, quam iugiter parit, & educat omnem bonum. Vnde Sap. 16. dicitur Domino: Omnium Nutrici gratiæ tuæ deseruiebant.*

Christus in carne Virginis in Iudicio apparens iustis erit misericors.

Ibi inuenitur auxilium optimum contra tentationes quibus Infernales illi Typhones, atque venenati Hydri nos afflant

afflant. Quare Thronum hunc Dianæ Leucophrynes, mysteriosum iure merito dixerimus Symbolum esse Mariæ summæ cælorum Reginæ, quæ cum plena gratia sit, iure à Gratijs sustentari; cum prompta sit, ac parata easdem gratias omnibus horis, ac momentis nobiscum communicare, iure ab Horis fulciri perhibetur; Cum eędem illæ ipsius Gratiæ nos à Stygiorum Typhonum impetu, Hydrorumque Infernalium venenis defendant, ac protegant, iure Typhones, ac Hydræ in eo ex culptæ visuntur; cum denique Virgineæ huius beneficentiæ, largissimæque communicationis laudes, toto orbe deprædicentur, iure Tritones buccinantes in eodem hoc Throno exprimuntur.

Dianę Thronus est Symbolum B. V.

B.V. suas gratias omnibus Horis parata communicare.

Quæ enim est pars orbis, quod Regnum, quæ gentes, qui populi, quæ Prouincia, quæ Ciuitas, quæ gratias, ac beneficia tam corporis, quam animę plane singularia, eaque innumerabilia sibi manu effusissimâ communicata fuisse non celebret? Hinc illa pro tantis gratijs, ac priuilegijs Diuinæ Maiestati grata, hilaris concinebat: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes!* Quod longe ante in Spiritu præuidens eius Parens Salomon, ita vaticinatus est Cant. 6. 8. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, & Reginæ laudauerunt eam.* Tum eius laudes prosequens exclamat omniũ nomine: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi Aurora consurgens pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quibus sane pulcherrimis elogijs eximia beneficia, ac fauores, quibus velut clarissimâ luce ignorantiæ nostræ, miseriarumque, ac calamitatum noctem illuminat, & simul ingentem illius potentiam, qua velut castrorum bene ordinata acies Tartareis hostibus formidanda, eorũ insidias atq; impetus propulsat declarãtur. His beneficijs, gratijs, siue auxilijs erga genus humanum affluentem, Deiparam Virginem agnoscens B. Venantius Fortunatus Pictauiensis Antistes in Carmine de B. V. Vnicam mortalium medelam, & à Deo totius orbis ope, auxilijsque repletam Virginem vocitare non dubitauit, ita illi concinendo.

Ob beneficia, & gratias nobis à B V. collatas vbique beatissima prædicatur.

O Virgo insignis, nobisque Medela monades,
Quam DEVS impleuit totius orbis ope,

Cum igitur Thronus gratię adeo mysteriosus sit Deipara, merito illam Spiritibus illis Angelicis primæ Hierarchiæ, nempe Thronis non modo conferrimus; verumetiam longè ante ferimus, vti decursu huius sermonis patebit.

2. Sciendum porro quod hoc Thronorum nomen, iuxta doctrinam S. Dionysij Areopagitę, indicet in primis, *Angelos illos, ab omni terreni affectus humilitate, longissimè remotos esse, sursumque ad ardua inuiolabili studio ferri, dum mentes illę ab omnibus infimis, iugi intẽtionem disiunctæ, ac circa illum, qui verè excelsus est, totis viribus stabiliter locatæ, Diuinum aduentum, absque vllius perturbationis impedimento suscipiunt, Deumque ferentes, obsequij deuotione, ad ipsius percipiendos fulgores semper patent.* Quæ S. Dionysij verba Georgius Pachymera clarius paraphrasticè sic transtulit: *Thronus sublimis à terrenis elatus, Thronus sursum ferens, & Sessores suos constanter ac compactè sursum ferri faciens. Thronus est capax illius quem fert, & receptaculum Sessoris sui. Idem in sanctis istis. Thronis considerare liceat. Eximuntur enim ab omni mundi receptione, & ad anteriora sursum efferuntur, ita vt nulla illos teneat abiecta propensio, vel instinctus, & ad inferiora nutus. Verum tamen nota quod Thronus noster sursum ferri faciat Sessorem suum. Sanctissimos autem Thronos ab eo, quod sursum ferantur denominari, & indeficienter in sublimi habitare, & iuxta Altissimum inconcussè collocari, diuinumque illapsum excipere, &c.* Sic ille.

Throni sunt ab omni terreni affectus humilitate atque abiectione remoti.

Quibus verbis, & beatissimarum illarum mentium à terrenis quàm remotissima in cælumque assiduè subuecta, atque eleuata sublimitas, & earundem, vt in ipsis, velut Regali solio DEVS resideat, illosque suæ Diuinitatis fulgoribus repleat, ardentissimum declaratur desiderium. Quæ omnia aliaque longè plura maiori cum excellentia in Virgine nostra gloriosissima est reperire, adeo vt communi Sanctorum Patrum asseueratione Thronus Dei nuncupata sit, vt fuse P. Antonius Spinellus nostræ Societatis Vir æquè Religiosissimus, atque in Virginem pijssimus, toto illo libro, quem Thronum Dei indigitauerat, comprobauit.

Thronorum desiderium vnicum vt in illis DEVS resideat eosque suæ Diuinitatis fulgoribus repleat.

3. Porrò in verbis hisce Dionysij, explicandis Doctor Angelicus aliqua reperit nostro instituto accommodata, quæ Thronis congruunt, ex comparatione ad Sedes materiales, in quibus quatuor ait esse consideranda 1. P. q. 108. art. 5 ad 5. *Primo situs, quia super terram sedes eleuatur, & sic ipsi Angeli, qui Throni dicuntur eleuantur vsque ad hoc, quod*

Throni à terrenis ad cælestia eleuantur.

in

in Deo immediatè rationes rerum cognoscant. Secundò firmitas, quia in sedibus aliquis firmiter sedet, hic autem est è conuerso, nam ipsi Angeli firmantur per Deum. Tertio, quia sedes suscipit sedentem, & in ea deferri potest: sic & ipsi Angeli suscipiunt DEVM in se ipsis, & eum quodammodo ad inferiores ferunt. Quarto ex figura, quia sedes ex vna parte est aperta ad suscipiendum sedentem, & in ea deferri potest: Ita & ipsi Angeli sunt per promptitudinem aperti ad suscipiendum DEVM, & famulandum ipsi. Hæc ferè S. Doctor.

Throni à Deo in gratia firmãtur.

Throni Deũ in seipsis suscipiunt, & semper prõpti sunt ad illum excipiendum, eique famulandum.

4. Quæ omnia quam benè Sanctissimę Dei Genitrici quadrent per se notissimum est. Quæ enim sedes, siue Regalis Thronus à terra sic eleuatus, & ad cælum vsque subuectus vnquam extitit, atque illa, quæ ab instanti conceptionis suæ Dei faciem, & alias sępius clare vidit, in illaque rerum variarum rationes immediatè cognouit? Quod Angelus in suo serm. cap. 14. declarare visus est S. Brigittæ, dum ei ita est locutus: *Nulla lingua narrare sufficit, quam prudenter sensus, & intellectus gloriosæ Virginis ipsum DEVM in eodem puncto comprehendit, quo primo eius cognitionem habuit; præsertim cum omnis humana mens ad excogitandum debilis sit, quam multiformiter eiusdem Virginis benedicta voluntas Dei seruitio se subiecit. Omnia enim, quæ ipsa Deo placere cognouit, delectabiliter illi perficere placuit. Intellexit enim Virgo non suis meritis DEVM sibi creasse corpus, & animam, suæ voluntati libertatem contulisse, Dominicis præceptis humiliter fauendi, aut etiam ipsis si placeret resistendi; & ideo decreuit humillima Virginis voluntas, pro beneficijs iam acceptis quamdiu sua vita vigeret, tum omni charitate Deo famulari, quamuis nihil aliud ab ipso sibi donaretur.* Hæc Angelus.

Thronorum proprietates maximè B. V. congruũt.

Vbi primum intellectus, B. V. DEVM cognouit, eius volũtas se ipsi subiecit.

B.V. decreuit pro beneficijs à Deo acceptis ipsi eum charitate dum viueret famulari, etiamsi sibi nihil amplius ab ipso donaretur.

5. Alias cogitationes sublimes supra ætatem, supra omnem naturæ Ordinem, æquè tristes, ac iucundas Deiparæ, materno in vtero adhuc commorantis, ex variorum obiectorum, Diuinitus infusa cognitione exortas recensuit Theodoretus in Magnificat, quem refert Franc. Ximenius Patriarcha Hierosolymit. libr. 2. cap. 24. docens Virgunculam hanc Diuinam, maternis visceribus delitescentem, *plura Angelorum mysteria, Vrbium, & Regnorum fortunã, vel infortunium agnouisse.* Capit. vero 25. idẽ Patriarcha refert Theodoreti verba, quibus affirmat, *illam plures habuisse iniectas animo species, vnde nosset iacentem tunc humanam Naturam in æterni squalloris sordibus turpem, laceram, deformem, & cruentam, nullum timorem Numinis, Religionis sensum nullum, nullos pietatis ignes vigere in orbe terrarum, à Dei oraculis hauserat: Quicquid in flagitijs luxuries; quicquid in rapinis auaritia; quicquid ex scelerum colluuie, & humano cruore sæuitia; quicquid stupra, cædes, inquinitissima voluptas, & belluarum immanitas baccharentur. Quæcunque Dæmonum simulachra, & templa, quæ vexilla, & triumphales arcus Sathanæ in funestatis Dei altaribus fulgerent. Quæ denique tetri, vecordes, & impij mortales impressa malorum stigmata tenerent,* hæc inquam omnia ait Theodoretus Deiparæ sanctissimæ, nondum adhuc in huius luminis auras exortæ, cum non mediocri mœrore, ac dolore, mẽti, animoque obuersabantur. Addit insuper *iustorum passiones, ac tormenta ipsius mentis oculis iam tunc obiecta, qua nimirum impietate traherentur ad Prætorum subsellia, & ad publicas lanienas, vbi noua Dei fabrica post Christi victorias strueretur.* Hæc ferè Ximenius ex Theodoreto.

Quam multa Diuina secreta in vtero adhuc Matris delitescens B. V. cognouerit?

6. Addit quidam alius Vir eruditus, & Virginis studiosus, quique Sapiẽtiam reconditam typis eruditissimis euulgauit lacrymas etiam eandem in vtero ex tantorum malorum commiseratione profudisse. Idem Ximenius Patriarcha lib. 2. cap. 17. scribit sancto cuidam Viro, cælesti patefactum Oraculo, Deiparam maternis conclusam visceribus in primis DEVM, inde seipsam, tandem humanum genus, Angelicasque Hierarchias fuisse contemplatam. *Circa DEVM tantæ Maiestatis, versans mente, & animo, complectebatur ineffabilem illam prouidentiam, qua clauum Vniuersi regit vigil, & insomnis; scientiam illam, qua se, qua omnia à se orta intelligit; qua volutiones annorum, dierum, horarum numerat, qua stillas imbrium, & maris arenas percenset; potentiam, qua mundos mille facere, conditosque vel tenuissimo halitu difflare queat. Tunc oculos conuertebat in perfectam, stabilem, atque eodem loco consistentem immutabilitatem totam sibi hærentem, & constantem. Ad lucidissimam illam Trinitatis caliginem accedebat, vnum DEVM in personis tribus contẽplando. Patrem, qui Diuinitatis æterno signaculo expressam Imaginem in Filio generat; Filium Patri, per omnia æqualem; ab vtroque spirantem æterni amoris facem, vtriusque centrum, vtrique consubstantialem considerabat. Vertebat deinde se Maria ad semetipsam, quasi totam se ex Dei vberibus conflatam cogitabat; corporis speciem, sacram illam animam, vt Diuinita-*

B.V. in v[illegible] Matris [illegible]mum De[illegible] tum sei[illegible], genus humanum, & Angelicas Hierarchias ex contemplata.

B.V. in vtero Matris Diuinam Prouidentiam cõtemplata.

B.V. in vtero Matris Mysterium Trinitatis agnouit.

B. V. agnoscebat se quodãmodo totã ex Dei vberibus conflatam.

nitatis radium, tot scientijs, muneribus, prærogatiuis refertam animaduertens, illico à se exiens in DEVM effusa, gratiarum actionem, vt vectigal pendebat.

M. in vtero Matris Canticum suum magnificat meditata.

Idem Auctor ait, Cantico Magnificat meditando, & contemplando etiam tunc fuisse intentam Deiparam.

Tandem idem Patriarcha cap. 20. ex Doctore Lyconiæ, & illustrium Virorum Oraculo, ait scriptum, Mariam vertisse se ad fabricā Vniuersi, Angelorum item, hominumque familias, tot cælata errantium, & inerrantium stellarum simulacra mente conspicatam, diffusas corporum immensitates, animantium, arborum, elementorumque naturas. Calluit apprimè scripturarum arcana, quorum aliqua enumerata vide apud eundem Patriarcham. Quæ sanè omnia manifestè indicant sublimitatem à terra nimium quantum, super omnes Thronos eleuatę, inquęt DEVM defixæ Virgineæ mentis, vtpotè quæ immediatè in Deo velut lucidissimo speculo, ad instar Thronorum, beatificæ visionis beneficio ea, omnia, aliaque innumera eius vitæ statui competentia contemplabatur. Quam ob causam ait B. Albertus Magnus dicere Virginem: *Ego in altissimis habito, & Thronus meus in columna nubis*. Eccli. 24. Eandem ob causam vocat illam *Sedem Sapphirinam*, quā vidit Ezechiel super firmamentum, hoc est, super omnium sanctorum in gloria confirmatorum altitudinem, vtpotè quæ est exaltata super omnium Angelorum choros.

B.V. calluit in vtero etiā Matris scripturæ sacræ arcana.

B.V. ob sublimitatem contemplationis mentē suam habuisse visa est in colūna nubis.

B.V. sedes Sapphyrina supra firmamentū sita.

7. Quare ob hanc animę, mētisque Virgineę in DEVM eleuatiorem iure merito solio illi excelso, & eleuato comparatur. Quod videns Isaias c. 6. exclamauit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum*: In quę verba Hugo Charensis: *Per solium excelsum, & eleuatam intelligitur B.M. in qua se dit Dominus, & quieuit*. In eadem verba audiamus Methodium Martyrem orat. de Purif. *Ecce tibi tanquam Thronus sublimis, & eleuatus ob gloriam illius, qui ipsam est fabricatus, Virgo Mater Regi Domino Sabbaoth palam instruitur; super illo nunc, mente tibi Dominum carne indutum publicè prodeuntem imaginare; super illo, inquam Virginali Throno cum, qui ad te nouam hanc, laudibusque omnibus celebrandam profectionem adornauit, venerare*.

B.V. ob mētis suæ in DEVM eleuationem solium excelsum, & eleuatum Domini.

8. Altitudinem hanc, atque à terrenis animati huius, Virgineique Solij eleuationem agnouit Hieremias c. 17. cum dixit: *Solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ*. Verè enim solium gloriæ altitudinis à principio fuit gloriosissima Virgo, tùm quia à principio, siue æternitate electa fuit, vt esset solium, sedesque æternæ Sapientiæ, quæ gloria est Patris Altissimi; tum quia, à principio suæ immaculatæ conceptionis effecta Solium Dei Altissimi, inhabitando in illa, per plenitudinem suæ gratiæ, eam ad instar Altissimi solij, ac Throni subuexit à terrenis ad contemplanda cælestia, atque ita facta est locus sanctificationis nostræ, in quo habitaret ipsius Altissimi Filius, quem D. Paulus *nostram Redemptionem, ac sanctificationem nuncupauit*. Quare præclarè Galatinus lib. 7. Arcan. c. 18. contra Rabbi Moysen Aegyptium opinantem per solium gloriæ intelligi Templum Hierosolymitanum pronunciauit:

B.V. solium gloriæ altitudinis, & locus sanctificationis nostræ.

Christus nostra Redemptio, & Sanctificatio.

Rectius de intemerata Messiæ Matre intelligitur, quæ propter eius perfectionem, atque excellentiam Sedes Dei futura erat, in qua ipse ostendere debet gloriam, & claritatem suam, quæ est, Messias totius mundi gloria, lux & claritas, de qua dictum est Isa. 9. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam &c. Quare verba Ieremiæ non intelliguntur de domo Sancta quæ erat in Ierusalem. Quia etsi DEVS in ea gloriam suum ostenderit, illa tamen gloria, comparatione gloriæ, & claritatis, quam in Matre Messiæ ostensurus erat, nihil fuit. Neque enim reperimus Domum illam Sanctam à mundi principio fuisse, vt Matrem Messiæ extitisse diximus.

Messias est totius mūdi gloria, lux, & claritas.

9. De sedis ac Throni huius firmitate, ac stabilitate à Deo roborata dicere superfluum est, cum Disc. 2. satis de illa dixerimus. Dixisse sufficiat eum Soli, in sua luce ac splendore immutabiliter, absque vlla vicissitudine æuiternum permanenti comparari ab ipsa Veritate, per Dauidem canentem: Psal. 88. *Semen eius in æternum manebit, & Thronus eius sicut sol in conspectu meo*. Quæ verba ponderans Richar. à S. Laur. lib. 7. transfert ad permanentem miraculorum lucem nostræ Virginis.

B.V. in sua puritate permanens, stabilis est ad instar lucis solaris.

Dicit Pater de Filio, inquiens, *Thronus eius .i. B. Virgo sicut sol in conspectu meo. Quia sicut sol est luminare par sibi non habens, & toti mundo copiosè sufficiens: Sic B. Virgo nec primam similem visa est nec habere sequentem. Item quia fulgore miraculorum lucet vbique terrarum, lucebitque vsque ad diem iudicij. Vnde dixit ipsa: Vsque ad futurum seculum*

B.V fulgore miraculorū vsque ad diē iudicij coruscabit.

lum non desinant: Alij verò sancti post transitum suum aliquot annis fulserunt in specialibus locis. Eandem animati huius Throni stabilitatem Albert. M. fuisse probat *in summo, eo quod Rex cæli non solum ipsam in solium gloriæ æternaliter elegit, sed in ipsa requiescens, de ipsa sua sede, corpus sibi fecit, quod sibi in vnitatem assumpsit Persona, nunquamque deposuit*.

Stabilitas gratiæ B.V. in summo, quia in ipsa requieuit cælorum Rex.

10. Quid porrò de tertia illa sedis dicemus proprietate, quæ est, vt suscipiat sedentem, vt in ea etiam deferri possit? Quam proprietatem habent Throni, inquit D.Thomas, quia Angeli suscipiunt DEVM in seipsis, & eum quodammodo ad inferiores ferunt. An non igitur Thronis excellentior Virgo Deipara? Quæ in sui Virginei vteri verè aureo reclinatorio excepit sedentem DEVM illum immensum, qui dicebat: *Cælum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum*: Hic ergo tantus tamquam immensus, atque incomprehensibilis DEVS, vt solio, ac Throno vteri Virginalis capi posset, sedere dicitur, quo magnitudinem suam infinitam situ hoc quodammodo abbreuiare videatur. Sedere inquiam dicitur, vt non modo animatæ huic sedi per contactũ vniri, verum etiam quasi identificari adeo voluerit, vt vna eademque Christi, & Mariæ foret caro, quemadmodum S. Aug. & B. Cardinalis Damiani loqui consueuere. Accedit quod Throni, quemadmodum ait B.Albertus Magnus, *DEVM in se susceperunt per inhabitantem gratiam, ipsa autem Virgo sanctissima sic etiam ipsum suscepit, & plenius, quia per gratiæ plenitudinem, & præsentiam corporalem*.

Throni DEVM suscipiunt in seipsis, & eũdem ad inferiores Angelos quasi deferunt.

B.V. DEVM in se suscepit per inhabitantem plenitudinem gratiæ, & præsentiam corporalem.

11. Quare S. Epiphanius Episcopus lib. de laud. B.V. eandem ob tam singularem sibi à Deo præstitam gratiam sic gloriantem per prosopopæiam introducit. *Emmanuelem gestaui in vtero incorrupto, in ventre impolluto, similis effecta Throno Cherubico, in qua caro factum est Verbum Patris, qui DEVS est initio carens. Et licet inuisibilis, spectabilis tamen per assumptionem carnis factus est: Non experta, nec cognoscens virum peperi DEVM, qui est ante sæcula, ipsum Christum. Nam etiam nunc sum Virgo post partum, purior, si dicere licet, quàm anteà: sine labore peperi, non vti omnes mulieres; dissimiles enim fuerunt res meæ, ac illarum, inter pariendum. Non nouit Natura partum meum, excepto solo Deo, qui in me habitauit*. Hæc Epiph.

B.V. gestando in vtero Emmanuelẽ similis facta Throno Cherubico.

Natura non nouit partũ Virginis, solus DEVS eum nouit.

12. Ob hanc adeo arctam, indissolubilemque Dei cum hac Virgine Sanctissima, præ omnibus Angelicis illis spiritibus, qui Throni nominantur, vnionem, dictum ei fuit ab Angelo; *Dominus tecum*, quod non modo Dei Filius, per carnis cum illa communicationem, verum etiam Pater, & Spiritus Sanctus, alia quadam peculiari ratione in ipsa resideret. Vnde S. Bernardus Hom.3. super Miss. *Nec tantùm*, inquit, *Dominus Filius tecum, quem carne tua induis sed Dominus Spiritus S. de quo concipis, & Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum fecit, & tuum: Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum miro modo, & tibi reserat genitale secretum, & tibi seruat Virginale signaculum: Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre, & Filio tuum sanctificauit vterum*. Hanc Domini in Virgine habitationẽ paulò aliter exponit Aegid. Columnius Roman. in Salut. Angeli. *Ideo honoro te*, inquit Angelus, ideo tibi reuerentiam exhibeo, quia cum sis gratiâ excellentissimâ plena, hæc tibi præcipua gratia data est, quia Dominus est magis tecum, quam mecum, aut cum quacumque alia creatura. Erat enim cum hac benedicta Virgine tota Trinitas. Pater erat cum illa, tanquam sponsus, cum qua Matrimonium per verba de præsenti contraxit, quando cor direxit ad DEVM: Ecce, inquiens, Ancilla Domini, &c. Filius erat cum ea tanquam Filius eius, ex eius vtero nasciturus, iuxta verba Angeli: Ideoque quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei: Spiritus Sancto cum illa tanquam in suo Templo, secundum eiusdem Angeli verba: Spiritus S. superueniet in te. Vnde patet quod rationabiliter dixerit ei Angelus: Dominus tecum .i. magis tecum quam mecum, aut cum quacunque alia creatura, quia nullius creaturæ nec etiam Angelorum est hoc priuilegium, vt sit sponsa Patris, Mater Filij, & Templum Spiritus S. operantis Filij Dei Incarnationem: Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: Hebr. 2. Verè priuilegium singulare, vt Filius Dei carnem sibi iungeret Virginis, ac sic de sua, Virginisque substantia vnũ Christum efficeret, vel potius vnus Christus fieret, qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei,

Cum Maria dicitur esse Dominus quia tota Trinitas in illa habitauit.

Pater æternus cum Maria tanquam Sponsus: Filius tanquam natus ex eius vtero nasciturus Spirit.S. erat cum illa tanquam in suo Templo.

Christus totus Dei, & totus B. Virginis.

Dei, & totus Virginis esset; nec duo Filij, sed vnus vtriusque Filius, & Dei, & Virginis. Et paucis inter positis: Atque hæc Virgo benedicta gratia plena dicta est, quia excellentissimam habuit gratiæ plenitudinem, in corde, corpore, & opere, & dicta est habere Dominum secum, non solum per potentiam, præsentiam, & essentiam, vt est in omnibus creaturis, & non solum per gratiam cognitionis, & amoris, vt est in omnibus sanctis, sed modo excellentissimo, quo potuit Dominus esse in pura creatura, scilicet per gratiæ plenitudinem in mente, & per assumptionem carnis in ventre, adeo vt rationabiliter sit ei ab Angelo singulariter dictum: Dominus tecū. Hactenus Aegidius.

B.V. gratia plena dicta qui excellētissimam habuit gratiæ plenitudinē, in corde, corpore, & opere.

13. Quod verò excellentiori modo resederit DEVS in Virgine, quam in ipsis Thronis, ac proinde eosdem dignitate superauerit, audiamus S. Augustinum Ser. 14. de Natiuit. Dixit Angelus Mariæ; *Dominus tecum, plusquam mecum; ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat, carnem tuam. Procedat formosus de vtero tuo tanquam sponsus de thalamo suo, procedat Princeps ex aula Regali, ita vt Virginitatem tuam non faciat violari.* Hæc August.

Quomodo excellentiori modo Dei Filius in B.V. quam in Thronis resederit.

14. Non solum excellentiori modò Dei Filius resedit in Virgine, quam in ipsis Thronis, verumetiam familiariorem sese illi, quam omnibus Hierarchijs Angelicis exhibuit. Audiamus Doctorem Angelicum Opusculo 8. Dixit Angelus: *Dominus tecum.* Quasi dicat, inquit ille, *ideo exhibeo tibi reuerentiam, quia tu familior es Deo, quam ego, nam Dominus est tecum; Dominus inquit Pater, cum eodem Filio, quod nullus Angelus, vel creatura habuit: quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei: DEVS Filius in vtero: Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel. Aliter ergo Dominus cum B.V. quam cum Angelo, quia cum ea vt Filius, in Angelo vt Dominus: Dominus Spiritus Sanctus, sicut in Templo, vnde dicitur: Templum Domini, Sacrarium Spiritus S. quia concepit de Spiritus S. Sic ergo familiarior est cum Deo Virgo, quam Angelus, quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius Dominus Spiritus S. scil. tota Trinitas. Vnde cantatur de ea: Totius Trinitatis nobile Triclinium.* Sic S. Doctor.

Dei Filius in B.V. residendo familiariorem se ostendit, quam omnibus Angelis.

B.V. Sion in qua habitat Magnus Sanctus Israel.

B.V. totius Trinitatis nobile Triclinium.

Exercitus Angelorum non ita Deo familiares vti B.V. quæ non solum DEVM videbat, sed eundem etiā osculabatur.

15. Hanc Virginis arctissimam, prę omnibus Angelorum Hierarchijs, cum Deo familiaritatem expressit bellissimè S. Epiphan. lib. de Laud. Virginis. *Exercitus, inquiens, Angelorum, qui sunt scabellum pedum Christi, procidentes, nec videre possunt DEVM, nec contingere: Hęc verò labra labris coniungens in comprehensum salutabat.* Tandem contemplans eius in vtero, velut Throno Diuinam illam residentem Maiestatem, non modo super omnes Thronos, verum etiam super omnes reliquas Angelorum Hierarchias Deiparam, in illud epiphonema prorumpendo, exclamauit: *O Virgo incōpræhensi mysterij ferens miraculum quæ fidem ter optatam orbi prædicasti: Virgo sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubin, & Seraphin, placens Christo Regi, à Deo in honore habita tanquam Ancilla digna, & Mater.* Hæc Epiph.

B.V. à Deo in honore habita.

16. Hanc Throni proprietatem, qua DEVM recipit, omnium elegantissimè accommodauit Virginis Religiosissimus Abbas Guerricus Ser. 1. de Assumpt. simul ostendens quam longè diuerso modo, ab Angelis cæterisque Iustis Dei Filius in Virgine Matre resederit. Cum enim illa cęlestis verba expenderet sponsi: *Veni electa mea, & ponam in te Thronum meum;* hæc sapientissimè simul, & pijssimè in gloriam Deiparæ meditatus est: *Non poterat*, inquiens, *signantius, aut elegantius describi prærogatiua gloriæ eius, quam vt Thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine aut familiaritate copiam sui Diuina Maiestas videtur indulgere, sicut illi, in qua specialiter, præ cæteris residere delegerat. Discipulis quidem Dominus loquebatur, qui pauperes facti, pauperem sequebantur. In regeneratione cum sederit Filius hominis, in sede Maiestatis suæ sedebitis, & vos super sedes. Alibi quoque promittit idem Agonothet a noster de cælo spectans, & inuitans decertantes. Qui vicerit*, inquit, *dabo ei sedere mecum in Throno meo, sicut & ego vici, & sedi in Throno Patris mei. Matri verò cuius longè differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium: Veni*, inquit: *electa mea, & ponam in te Thronum meum:*

Magna ac singularis gloria B.V. quod in eam Deus in cælo Thronum suum posuerit.

Tum apostrophe factâ ad Dei Filium, Vir pijssimus, rationem reddit cur libēter in Virgine sibi Thronum elegerit. *O Filij Dei*, inquiens, *nihil tibi in illo tuo displicuit hospitio, quod tam libenter repetit, tamque affluenter remunerat tua dignatio. Nihil vtique in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima Castitas: Nihil ruinosum, quia nulla erat superbia, sed fundatissima humilitas: Nihil obscurum, quia erat exclusa infidelitas: Nihil angustum, quia erat diffusa charitas. Adonauerat Thalamum Vir-*

In B.V. Dei Filio, dū esset in hoc mundo hospitium placuit, ideo illud in cælo velut Thronū repetijt.

go prudentissima, te Regem Christum non solùm hospitem suscepturа, sed & sponsum habitura. Adornauerat, inquam multiplici, decore virtutum, & gloriâ tanto fortasse locupletius, quanto pauperior erat, tanto vtique tutius, & verius, quanto interius totum erat. Hunc ornatum mirabatur ille: Omnis gloria eius Filiæ Regis ab intus, in fimbrijs circumamicta varietate. Et ille: O quam pulchra est casta Generatio cum claritate. Domum tuam decet Domine huiusmodi sanctitudo, & decor.

Ornatus B. V. vt thalamus & thronus Dei fieret.

Is decor te inuitauit, vt intrares, illexit vt redires. Intrans benedictionis gratiam multiplicasti, sed rediens cumulasti. Cum intrasti homo natus es in ea, cum redisti, DEVS glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ: nunc autem Thronum gloriæ. Dicuntur quidem, & sunt alij Throni, quidam scilicet Spiritus Diuini, præ alijs, vt putamus subiectis ordinibus, Dei præsidentis Maiestate pleni, quorum quæsit prærogatiua scriptura non exprimit, licet innuat, ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed & anima cuiuslibet Iusti sedes est Sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ, profectò tunc erit, & gloriæ. Sit igitur illud cæli Palatium plenum sedibus, & Thronis, sedeatque DEVS in omnibus, accommodans se & aptans cuique pro meritis: Non immeritò tamen creditur sine iniuria, sine inuidia, cæterarum sedium, quoddam esse speciale Regis solium excelsum, & eleuatum super gloriam omnium, Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, vt nihil contempletur supra se Mater, nisi Filium solum, nihil miretur supra se Regina, nisi Regem solum; nihil veneretur supra se Mediatrix nostra, nisi Mediatorem solum, cui nos ipsa precibus suis conciliet, commendet, & repræsentet. Hæc Guerr. de ornamentis gratiæ ac gloriæ Virginei Throni nostri, super omnes reliquas Angelorum Hierarchias exaltati, in quo summa illa Maiestas residere longè excellentius quam in Thronis non est dedignata.

Intrans Christus hospitium vteri Virginalis gratiam illi multiplicauit, sed rediens eam q; sibi thronū in cælis faciens cumulauit.

B.V. in Incarnatione Verbi sacrarium gratiæ; in cælis facta est Thronus gloriæ.

Anima iusti sedes est sapientiæ.

Maria est Thronus exaltatus super choros omniū Angelorum ita, vt nihil miretur ipsa super se nisi solum Filiū.

17. Scire porrò cupit aliquis quanam ratione Thronus hic Virgineus DEVM ad mortales inuisendos detulit? Consideret profectionem illā Virginis ad Elisabetham, & animaduertet Deiparam sedem quandam esse, Thronis Angelicis longè nobiliorem. Licèt enim hi in se ipsis DEVM suscipiant, & ad inferiores deferant; nunquam tamen eum ita suscipiunt, vt ei de sua substantia aliquid communicent, vti Virgo beatissima, quæ Dei sedes, ac Thronus effecta, ita perfectè vnita est Verbo, vt ei de carnis suæ substantia communicarit, Deique Filium, suum quoque, modo mentibus humanis incomprehensibili, effecerit. Nunquam etiam ad reliquos inferiores Angelos DEVM ita Throni deferunt, vt eos Spiritu Sancto, simul, ac gaudio exultationeque, sola sua locutione, vti Virgo Deipara Ioannem, & Elisabetham repleant. Qua de re B. Petrus Cardin. Dam. serm. 1. de S. Ioann. Baptis. *Ascendit,* inquit, *Virgo cum festinatione in domum Zachariæ ad salutandam Elisabeth, portans in vtero Filium Dei Regem gloriæ, Dominum Maiestatis. O Thronum Domini Maiestatis Regis gloriæ pulcherrimum, gloriosissimum.* Quare Alber. Magnus, ait, *Deiparam Virginem beatissimam hanc Dei delationem habuisse in summo. Quia ipsa Regem gloriæ de Cælo in mundum detulit. Vnde ipsa est verum Ferculum quod fecit sibi verus Salomon in Cant. 3. Ipsum in mundum tulit, & in mundo circumtulit; Ipsa enim fuit Nubes leuis, quam Dominus ascendit, & ingressus est cum fugit in Aegyptum.*

B.V. velut Ferculum siue sella gestatoria Deū ad homines inuisendos detulit, cum visitauit Elisabetham.

B. V. in Deo ad homines deferendo quam longè Thronos superauerit.

B V. Ferculū Salomonis quo Rex gloriæ de cælo delatus est in mundum.

18. Ob hanc singularem, admirabilemque Filij Dei ad nos delationem à Sanctis Patribus iure merito, Forceps illa, qua ignitus calculus ad labia Isaiæ, imo ad totum humanum genus à peccatorum rubigine perpurgandum delatus est, comparari consueuit. Audite D. Methodium Martyrem, qui Virginem alloquens: *Tu*, inquit, *purificantis carbonis Forceps.* Audite S. Georgium Episcopum Nicomediæ orat. de Præsent. B.V. *Eam*, scilicet Deiparam, *Forceps expressit Prophetica, quæ Carbonem ferebat, & labra expurgabat, quæ Seraphice custodiebatur, vtpotè, quæ præcipuum Seraphinum, quem aliqui Michaelem esse voluerunt, ad sui custodiam inter quamplurimos alios habebat deputatum.* Audite denique Leonem Imperatorem illum pietate in Vriginem verè Magnum, dum eam ita salutat. Homil. 6. *Aue Forceps, quæ Carbonem tolerari nescium complexa es, quo à peccati sordibus, cum labia attingit, expurgamur.*

B.V. Nubes leuis super quam Dominus ascendit.

B.V. Forceps qua ignitus Diuini Verbi calculus ad Isaiæ labia purgāda delatus est.

18. Eadem de causa crediderim Deiparam Ferculum, vt eam appellauit Albertus iam citatus quo æternum Dei Patris Verbum in terras, ad conuersandum cum hominibus, & cum eisdem deliciandum est delatum appellatam; quod in Cantico amoris cap. 3. ita descripsit Spiritus S. *Ferculum,* inquiens, *sibi fecit Rex Salomon, de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Hierusalem.*

Descriptio Ferculi Regis Salomonis.

Fer-

Ferculum, inquam, est Deipara, Dei Filium in terras deferens, teste B. Andrea Episcopo Creteſi, Honorio, Guilelmo apud Delrium Cant. 3. Vnde B. Georgius Nicomediensis oration. de oblat. Virginis, vocat eam: *Thronum gloriosum, & vehiculum Regium, quo vectum est Verbum, cum in carne aduenit.* Hinc idem B. Andreas Cretensis orat. 2. de Dormit. Virginis eam *Dei currum illum, de quo Dauid* Psalm. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex*, appellauit, *Tu es ille*, Deiparam compellans, *decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quæ millia millium locupletum adduxisti, ad eum in carne tectum.* Hinc à Ioann. Damesceno orat. 1. de B. V. Natiuit. *Currus Dei similiter multiplex esse dicitur eorum, qui Diuinæ gratiæ copijs affluunt.* Hinc à S. Ignatio Martyre in suis Epistolis Christifera Virgo nuncupatur, quem titulum mirificè extollit S. Bernard. serm. 7. in Psalm. 90. *Egregius*, inquiens, *plane titulus dignitatis, & commendatio honoris immensi, nempè cui seruire regnare est; gestare hunc, non onerari est, sed ornari.* Hinc à SS. Patribus Nubes illa leuis vocitata est, super quam velut currum quempiam ascensurus erat, & mundi Aegyptum ad eius simulacra peccatorum demolienda ingressurus. Vide Ambros. de Instit. Virgin. cap. 13.

B.V. Thronus gloriosus, & Vehiculum Regium.

M. Currus Dei decem millibus multiplex.

B. V. dicta Christifera, qui titulus est honoris immensi.

Gestare Christum B. Virgini non fuit onerari, sed ornari.

29. Hinc deniq; à Venerabili Ruperto Tuitiens; Abbate aquis illis initio seculi, quibus Spiritus Sāctus, dum ferretur, super aquas, vectari videbatur, comparata fuit. Vere enim per illam non modo Dei Filius, verum etiam ipse Spiritus Sanctus, Ioānem Baptistam ab originalis culpæ labe emundaturus veluti vehiculo in domum Zachariæ delatus est. Cui sanè præclarissimum Tertulliani aquarum illarum encomiū lib. de Bapt. cap. 3. apprimè conuenit: *Habes, in primis, ò homo*, inquit ille, *ætatem venerari aquarum: nam & tenebræ totæ adhuc, sine cultu siderū, informis, & tristis abyssus, & terra imparata, & cælum rude; solus liquor, semper materia perfecta, læta, de suo pura, dignum vectaculum Deo subijciebat.* Verè enim Virgo Sanctissima statim in prima sui creatione, siue in primo suæ immaculatæ conceptionis instanti sola fuit inter omnes cæli, & terræ creaturas semper perfecta, omnibusque virtutum numeris absoluta, ita vt in illa nil, quod puræ creaturę communicari posset, desideraretur. Verè fuit semper læta, vtpotè cuius, & conceptio, & Natiuitatas gaudium mundo vniuerso annuntiauit. Verè denique fuit inter omnem Angelicam, humanamque Naturam, cælo, terraque designatam, purissima ac limpidissima absque vllius fęce peccati, ac proindè dignissimū Deo vectaculum seu Ferculum, per quod ad humanum genus Maiestas illa superna etiam Spiritus Sācti ad Elisabethæ domum, Ioannem sanctificatura, deferretur, effecta.

B.V. aquis illis quibus initio mūdi superferebatur Spiritus Sanctus significata.

Laus aquarū quod ab initio creationis purę, perfectæ, ac lętę semper extiterint.

B.V. purissimis ac limpidissimis aquis collata, in primo instanti suæ cōceptionis.

21. Vt porrò eo clariùs incarnati Verbi vehiculum Deiparam fuisse perspiciamus Ferculi illius Salomonici mysteria à Cardinali Ioanne Halgrino eleganter depicta contemplemur. *In hoc Vehiculo*, inquit ille, *per compositionem Ferculi, B. Virginis priuilegia commendantur. Fecit igitur Rex Salomon, idest Christus sibi Ferculum, siue Thronum, per quem defertur ad notitiam hominum, cum Incarnationi suæ B. Virginem præparauit, eandemque sibi Matrem effecit. Hoc autem Ferculum fecit de lignis Libani. Quia sanctitatem Virginis compegit Dominus ex odore bonorum operum, & candore virtutum. Columnas huius Ferculi fecit argenteas, quibus in Matre Domini dulcis sonus orationis, in precibus apud Dominum, splendor sanctitatis ad illuminationem hominum, candor Virginitatis in Matre, preciositas Maternitatis in Virgine, designatur. Reclinatorium quoque aureum fecit sibi Christus in Ferculo. Nam Virginis mentem perfudit plenitndine Sapientiæ, adeoque eam illustrauit cognitione Diuina, vt merito dici possit, caput suæ Diuinitatis in ea reclinasse. Ascensum quoque purpureum fecit Dominus in ea. Nam purpura Regiæ dignitatis est indicium, & Christus per assumptionem carnis ascendit, & intrauit in hanc sedem, & se Regem esse mundo indicauit. Nam in passione sua de sanguine carnis assumptæ scripsit in femore suo, & in vestimento suo: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Dicitur autem eius ingressus in vterum ascensus iuxta iam memoratū Isaiæ vaticinium: Ascendit Dominus super nubem leuem. Appellat autem Nubem leuem carnem sanctam Christi, nullo peccati pondere prægrauatum. Et benè ascendisse dicitur Dominus, descendens in Virginem. Quia enim descendit inclinando Diuinitatem, inde ascendit in cordibus hominum per cognitionem. Media denique charitate constrauit, nempe Virginis, in qua, velut equo, regio charitatis peristromate perbellè instrato, ad nos deuectus est. Quia Christus non nisi in charitate manet, residet, aut quiescit. Idque totum fecit propter* filias

In Ferculo Salomonis B.V. Priuilegia commēdantur.

B.V. Ferculū à Christo factum vt per illum ad notitiam hominum deferretur.

B.V. Mens Reclinatoriū aureum Filij Dei.

Christi caro Nubes leuis quia nullo pondere peccati prægrauata.

Christus nō nisi in charitate manet, residet, aut quiescit.

filias Hierusalem, *hoc est ob fidelium animarum salutem*. Hæc ferè Halgrinus.

21. Hæc eadem denique Ferculi Salomonici, quo Virgo Deipara repræsentabatur, mysteria peruenustè explicauit, eidemque applicuit Venerabilis Pater Dionysius Richelius Art. 12. in Cantica, vbi ita loquitur:

Præclarissima Virgo aptissimè dicitur Ferculum, id est, Thronus, aut solium Salomonis, id est Saluatoris, in quo fuit DEVS mundum reconcilians sibi, quoniam ipsa non solum portauit Vnigenitum Dei in sua mente per fidem, charitatem, ac iugem memoriam, venerationemque præcipuam, iuxta illud Apostoli: Habitare per fidem Christum in cordibus vestris, sed etiam in suo inuiolatissimo vtero tulit eum ex se hominem factum. Hoc Ferculum ipsemet Christus secundum quod DEVS fecit, corpus benignissimæ Virginis per causas secundas formando, cuius & materiam in exordio produxit ex nihilo. Animam quoque eius fœlicissimam per se immediatè creando.

B.V. non solum per fidē portauit in corde Christum, sed etiam in vtero hominem factum, atque ita Ferculum Salomonis euasit.

Spiritualiter etiam fecit hoc Ferculum Sanctificando ac decorando illud per gratiam copiosam. Vnde scriptum est: Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Fecit autem illud ex Lignis Libani quia Corpus immaculatissimum Virginis constat ex membris Sanctis, ac incorruptis, quibus Christus communicauit, quod de ipso fuit prædictum: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Porro animum Virginis benedictæ Sanctificauit ex perfectis, inuictis, excelsis, dulcissimisque virtutibus. Columnas fecit argenteas.

Spiritualiter etiam Ferculum hoc verus Salomon fecit, illud sanctificando.

Columnæ hæ in Prouerbijs dicuntur fuisse septem quibus domus Sapientiæ æternæ fulciebatur; per quas septem dona Spiritus Sancti accipiuntur, quæ fulciunt, & sustentant animam illis exornatam. Dona namque in adiutorium dantur Virtutum Theologicarū, easq; expedire dicuntur .i. promptas facere ad agendum, & respectu illarum virtutum dicuntur argentea, quia inferiora, ac nitida. Reclinatorium aureum .i. ardentissimam charitatem, per quam pudicissima Virgo proximè disponebatur ad conceptionem Verbi æterni, per fidem autem fundamentaliter: Hinc Elisabeth ei dixit: Beata quæ credidisti &c. Per humilitatem quoque de propinquo, & per modum cōgruitatis, quia non decuit Summum nisi ab Humillima concipi. Vnde ipsa: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Charitas vero præferuida qua Dei honorem, & proximorum salutationem æstuantissimè concupiuit, maximè ipsam Deo vniuit, dignificauit, placentissimamque effecit.

Columnæ argenteæ huius Ferculi sunt dona Spiritus Sancti.

Dona Spiritus Sancti dantur in adiutorium virtutum Theologicarum.

Non decuit Summum nisi ab Humillima concipi & excipi.

In charitate igitur beatissimæ Dominæ, velut aureo Reclinatorio DEVS quieuit, resedit, ac ferebatur. Qui enim manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Et qui diligit, DEVM vnus Spiritus est cum eo. Habuit Ferculum hoc Ascensum purpureum: Posuit enim ascensiones in corde suo in hac valle lacrymarum, hoc est, ordinatum, & successiuum profectum ab imo humilitatis, vsque ad apicem charitatis. Deniq; ascensus purpureus fuit dolora cōpassio, qua affectuosissima, ac benignissima Mater Filio suo paulatim tanto intensius condolebat, quanto Passio eius magis appropinquauit, ita vt ipso die Parasceues ob vehementissimū suæ compassionis dolorem, plusquam Martyr effecta sit. Et hic dolor etiam consolationibus eius fuit frequenter admixtus. Sicut enim dulcissimè gaudebat Infantem IESVM vultu placido intuendo, Virgineis brachijs deferendo, amplectendo, roseā faciem osculando, sacris vberibus nutriendo; sic recolendo quod à Simeone audierat: Tuam ipsius animam pertransibit gladius &c. vehementissimè condolebat, simulque omnia materna eius viscera concutiebantur super innocentissimo Filio suo, ita vt cum Dauide dicere videretur: O IESV Fili mi, Fili mi IESV quis mihi det vt ego moriar pro te? Media denique in hoc Ferculo charitate constrauit .i. Quidquid Sacratissima Virgo in se habuit, gessit, aut pertulit, Sponsus, ac Filius plenissimo Dei proximorumque amore ornauit; ita vt præfatus piissimæ Matris dolor sicut ex naturali amore, maternoque affectu quo ferebatur in Filium præcipue profluxisse visus sit: Sic ex infusa charitate qua Diuinæ Maiestatis honorem, ac mundi redemptionem præcordialissimè desiderauit dolor ille mitigaretur, & de fructu passionis Filij non parua consolatio ei ingereretur. Hæc Dionysius, quibus præclarè Virgineum hoc Ferculum, quo ad genus humanum redimendum delatus est hunc mundum Dei Filius, in anima, & corpore, omnibusque virtutibus, quibus Virgo diuinitus decorata extitit, mirificè descripsit, nobisque ob oculos proposuit.

B. V. semper proficiebat in virtutibus ab infimo gradu humilitatis, ad summum charitatis.

Quid sit ascensus Purpureus in Ferculo Salomonis.

B.V. die Parasceues plusquam Martyr Christo commoriendo.

Dolor B. V. in passione Filii, charitate, qua Dei honorem diligebat mitigabatur.

22. Quod sane animatum, pulcherrimumque Ferculum huiusmodi est, vt hisce suis tam naturalibus, quam supernaturalibus ornamentis atque illo præsertim, quod instar omnium atque, Diuinissimum est, suo nempe Vnigenito Filio, quem in hodiernum vsque diem ad filios hominum mirâ charitate deferre consueuit, omnium oculos, animosque ad se trahit, nostrosque affectus sibi vendicat vniuersos.

Throni Virginei præcipuum ornamentum est ipse Dei Filius.

Admiranda plane sunt ea, quæ passim de hoc suauissimo apud scriptores diuersos leguntur argumento, præsertim in

in Annalibus Ordinis Diui Dominici ac Francisci Seraphici, alijsque Auctoribus fide dignissimis. Ex illis Certè P. Hyacinthus Choquetius, libro illo suo sapidissimo, ac pijssimo, quem Mariæ Deiparæ in ordinem Prædicatorum viscera Materna inscripsit, in quo, Capit. 20. Huiusmodi lemma præfixit: *IESVM Infantem Ordinis Prædicatorum hominibus tractandum dedit Maria*. Vbi varias suæ Religionis Personas recenset, ad quas Virgo Deipara amoris sui in Ordinem Prædicatorum contestandi gratiâ, dilectissimum suum Filium detulit, eundemque illis mira benignitate communicauit. Inter has celebris omnino est B. Lucia Narniensis, quæ Puella adhuc tenera ad Aedem B. Augustini frequenter itabat, vt alabastrinam Diuæ Virginis statuam Paruulum IESVM vlnis gestantem piè veneraretur, eidemque Roseam Corollam, Salutationibus Angelicis, ceu rosulis flexis humi genibus contexeret.

B. Luciæ Narniensi B. V. Paruulum IESVM amplexandũ dat.

Quibus obsequijs pijssima Mater oblectata, quæsiuit aliquando num Filiolum suum habere, secumque domum deferre cuperet? Cui cum Puella pijssima se id summis votis expetere respondisset; Rem mirandam! Imago illa Alabastrina brachia protendere visa, Filiolumque in sinum Luciæ non iam marmoreum, ac insensibilem, sed plane spirantem deferre visa est.

Quem Lucia charis stringens in amplexibus domum suam abstulit, cum eoque tribus omnino diebus deliciata est; quo tempore visa omnino est statua illa Diuæ Matris Infante IESV carere, quousque eundem in sinum reposuit Virginis.

25. Parem gratiam Benuenuta Virgo Foroiuliensis, ex Ciuidal vt vocant Austriæ oriunda, ob egregiam in DEVM eiusdemque Genitricem pietatem sortiri meruit. Hæc enim adhuc septennis Sacrosanctæ Triadi quotidie centies orationem Dominicam, salutationemque Angelicam offerebat. Beatissimæ item Matri Virgini millies, Sabbato vero bis millenis vicibus huiusmodi salutandi Angelicum obsequium, singulari deuotionis sensu prosequebatur. Tandem adultior, Natalis Christi peruigilio ardentissimum eam videndi Diuini Pusionis, ea nocte nasciturì, incessit desiderium, quocirca solicitè, atque instanter admodum

B. Benuenuta septennis SS. Trinitati quotidie centies orat. Dominicam & salut Angelicam persoluebat B. V autẽ millies: Sabbato bis millies.

Matrem Virginem obsecrauit, vt sibi speciosum formâ prę filijs hominum illa nocte amplexandum traderet.

Nec irritæ cecidere preces; nam vt postulauit, visibili specie illam sibi adstantem, secumque Filium deferentem inque sinum suum, vultu lætitiam spiranti transferentẽ, vidit. Quem illa amantissimè excepit, eumque ad horæ spatium suo pectori appressum charis in amplexibus fouit, tandemque pijssimè dissuauiatum cum grati animi significatione Matri restituit. Cui adeo grata gratitudo hæc deuotę puellę extitit, vt oranti postea Benuenutæ Virginis Filius, pulcherrimi Puelli specie adstiterit. Quem illa mira simplicitate; *num superstitẽ Matrem haberet*, cum interrogasset, Puellus arridens: *Et tibi*, inquit, *Superest Mater?* Cui illa, *nequaquam, sed viuere desiit*. Subintulit mox Diuus Puer: *Mihi*, inquit, *etiam nunc viuit Mater*.

B. V. B. Benuenutę Filiolum amplexandum tradit.

Pueri Iesu erga B. Benuenutã beneuolentia.

Ad quem illa: *Nostinè Salutationem Angelicam!* Ille se nosce subiuxit; *& si tu ipsa noueris edicito*. Recitauit illa, & cum ea verba pronunciaret; *Et benedictus Fructus ventris tui*; Continuo subiunxit Puer: *Ille ego ipse sum Fructus benedictus*. Nec satis fuit Virgini Deiparæ in Benuenutæ sinum Filiolum suum deportasse, seipsam quoque tantâ ipsius permota charitate ipsi donauit. Cum enim aliquando ad Virginis Natalem diem celebrandum studiosius sese præparasset, postulassetque Infantulam hanc Paradisi coram aspicere, atque amplexari; Ipsa natiuitatis eius nocte Angeli, Gabriel, & Raphael cælitus submissi sunt, vt ei, exauditas ipsius preces nuntiarent, simulque edocerent; quanta cum veneratione mox aduentura Paruula Virgo cælorum Regina, esset excipienda. Vbi eam sufficienter instruxissent, adfuit mox S. Anna, Puellam speciosissimam vlnis gestans; quæ ad Benuenutam brachia protendens, inque sinum eius migrare gestiens, mirificam erga ipsam præsetulit charitatem. Benuenuta Angelorum erudita monitis venerabunda, toto corpore humi se prosternit, tum aliquanto post erecta, etiamnum gestientem, sibique abblaudientem Puellam vlnis excipit, dulcissimisque per horæ spatium stringit in amplexibus, totaque Matris pulchræ dilectionis, fælicissimis ardoribus colliquescit. O plane Beatam hanc animulam, quæ geminos hosce

B V. Benuenutę seipsam paruulam donauit.

Gabriel, & Raphael docent Benuenutam qua reuerentia Paruula Virgo sit excipienda.

hosce Amores paruulos, nępe IESVM, & Mariam sinu fouere digna habita est! O quantis geminis hisce charitatis succensa facibus eius castissima præcordia incendijs æstuarunt! O si incendiorum tantorū vel minima scintilla in præcordia nostra immigraret, qua fælicitate, hic etiam dum viuimus, perfrueremur?

B. Osannæ die Purificationis B.V. Paruulum in vlnas exhibet.

26. Quid de B. Osanna Mantuana Ordinis D. Dominici tandem dicam? Hæc cum die Purificationis B. V. pane refecta Angelico, tanti beneficij secum considerans magnitudinem, & IESV in cor suum aduenientis, & commorantis mirificam dignationem, ipsiusque S. Simeonis Paruulum IESVM sinu fouentis fælicitatem, mente à sensibus alienata Hierosolymitanum Templum ingressa est, aspexitque Deiparam Filiolum suum IESVM in vlnas Simeonis deferentem, & hunc vicissim sinu suo, incredibili lætitiâ perfusum vbertim defluentibus lacrymis, excipientem, cygneumque illud melos. *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, concinentem. Quibus visis mox venerabunda in terram sese abiecit, enixè Filium cum Matre obsecrans, vt benignioribus oculis Italiam immanibus tunc sceleribus fœdissimam, plurimisque calamitatibus oppressam, intuerentur. Persolutis hisce precibus vidit Deiparam recipientem ex Sancti illius Senis vlnis Infantulum, eumque splendidissimo quodam linteo integi, atque inuolui. Ardebat tunc Osanna Diuinissimum illum Pusionem, miro complectendi desiderio; ad quam misericordiæ Mater vultu illo suo benignissimo conuersa, eam verbis suauissimis, vt dulcissimum illud suum Pignus, sinu exciperet alliciebat, simulque vltro offerens, incredibilibus eam perfudit gaudijs; vbi aliquantisper Paruulum sinu suo fouisset, Sacrum Pignus Matri reuerenter restituens, eiusque assiduis amplexibus perfruendi ex ardescens desiderio, verba illa Sponsæ amore plenissima ingeminabat. *Reuertere similis esto, Dilecte mi Capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bethel.* Cant. 2. 17. Vere dicere poterat hæc Sancta Anima Diuæ Matri cum Beato Guerrico Abbate Ser. 1. de Purif. vbi S. Simeonem ita loquentem introducit. *Gratulor, & congratulor tibi gratiâ plena, quæ Misericordiam genuisti, quam suscepi, Cereum præparasti, quem accepi. Tu ceram ministrasti suscepto lumini, Virgo Virginum Virgini, dum incorrupta Mater incorruptibile Verbum, incorruptâ carne vestisti:* Quare eadem hæc B. Osanna, Iesulum in sinu gestans eiusdem Guerrici verbis nos hortari posset: *Eia Fratres mei ecce ardet Cereus in manibus Simeonis, ac meis, accendite & vos Cereos vestros de ipsius mutuatione luminis; lucernas dico, quas Dominus iubet esse in manibus vestris. Accedite ad eum, & illuminamini, vt non tam lucernas feratis, quam ipsi lucernæ sitis, lucentes, intus, & foris, vobis, & proximis. Sit ergo lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde luceat vobis; lucerna in manu, vel ore, luceat proximis.* Sed vnde digressi sumus reuertamur.

Paruulus IESVS in sinu Simeonis Cereus ardens.

27. Similes cæli fauores ac gratias Virgo benignissima etiam Ordinis Seraphici pluribus personis impertita est, Filium suum instar Thronorum ad illos deferendo, atque exhibendo. Fælicitatem hanc B. Felix Capucinus ardentissimâ sua in Christum, eiusque Matrem pietate atque amore sortiri meruit. De hoc P. Zacharias Bouerius in suis Annalibus ad Annum Christi 1587. n. 58. hæc memoriæ prodidit. *Nocte quadam circa Domini Natalem, Fratre Alphonso Lupo è secretiori quodam Ecclesiæ loco spectante, cum Vir Dei maximum illud Charitatis sacramentum quo Vnigenitus Dei Filius, olim de sinu Patris descendens humanæ Naturæ in Vtero Virginis copulari, Verbumque caro fieri voluit, orans secum altamente perpenderet; mox tanto in huius mysterij contemplatione diuini amoris æstu efferbuit, vt præ illius vehementiâ cursim ad Sacrum Eucharistiæ Altare rapuerit; vbi ardentissimo Spiritus incendio correptus, Deiparam tot lacrymis obtestari cæpit, quo vel tantillo temporis spatio dulcem sibi IESVM suum complexandum præberet, vt statim voti compos, B. Virginem è cælo descendentem, & suauissimum Filium sibi læto vultu offerentem conspexerit. Verum Dei, ac Virginis Filio reuerenter in vlnas accepto, quantis illum B. Vir complexibus acciperet, quam suauiter suo pectori adstringeret, quot prȩterea osculis peteret, amoris lacrymis conspergeret, haud facile enarrari potest, præsertim cum suauissimus Puer, vt maiores illius animo delicias subministraret, grato oculorum aspectu, varijsque puerilibus, vt videbatur blandicijs, quibus illum magis allicere videbatur, mutua illi amoris argumenta exhiberet. Inter has cælestes delicias Fælix cum haud parum temporis spatium consumpsisset, Diuinum tandem Puerulum Virgini Matri, summa animi veneratione reddens, cælestia rursus petentem, tantâ mentis voluptate prose-*

B. Fælici B. V. Paruulum IESVM sinu fouendum exhibet.

prosequitur, vt vniuersa illi deinceps, præ IESV sui suauitate vilescerent. Hæc Bouerius.

P. Ludouicus Alcamensis Capucinus à B. V. paruulum IESVM accipit.

28. Quid de P. Ludouico Alcamensi eiusdem Ordinis, & generis nobilitate, & virtutum omnium, ac præsertim patientiæ, castitatisque laude clarissimo dicam? Hic cum in manus Turcarum incidisset, & catenis oneratus longam seruitutem seruijsset, varijsque Dominis seu potius Tyrannis esset venditus, ac sæpius ab illis flagellis crudelissimè concisus, ab earum vero mulieribus ad nefas perpetrandũ esset pluries solicitatus, tandem cum captiuorum permutatio esset facta, in libertatem assertus, tantarum tribulationum, afflictionumque præmiũ à benignissimo Domino illud consequutus est, vt ad illum Angelũ, quo cum sæpissime familiaria miscebat colloquia, cælestibusque delicijs animum recreabat suum, miserit. Sacrosanctæ etiam Trinitatis visione subinde quantum homini fas est in hac vita fruebatur, sæpe etiam in cęlum raptus de rebus altissimis omnem sensum excedentibus instruebatur. Denique Deiparæ Virginis aspectu subinde dignabatur, quæ mentis corporisque ipsius oblectata castimoniâ in castissimum eius sinum Infantulum IESVM deportauit, cuius amplexu diutius potitus, mirificis eius animus exundauit gaudijs. Annales Anno 1590. numero 70.

Insignes castitatis de turpitudine victoriæ.

29. Quid referam Fratrem Bernardinum à Cherio Laicum, qui cùm miro erga Diuam Virginem amore ac reuerentia esset affectus insignia eius in se beneuolentiæ argumenta est expertus. Hic cum pestifera lues in Genuenses An. 1586. nu. 15. horribiliter desæuiret, totam noctem cum duobus alijs Socijs in oratione, Diuinam misericordiã vt afflictæ Reipublicæ propitiaretur implorando, consumpsit, tandem diuinitus reuelante Domino intellexit, Vrbem illam à contagione liberãdam, si Genuensis Senatus publicè ad immaculatæ Conceptionis B. V. Honorem, supplicatione instituta, voto ab omnibus nuncupato, illius diei Festum perenni cultu celebraret; quod cum Serenissimo illius Reipublicæ Duci reliquisque Senatoribus à Fratre Bernardino, Socijsque esset indicatum, illis cælesti consilio aquiescentibus, vrbs protinus à tanta calamitate, ope immaculatæ Virginis vindicata est.

Fr. Bernardinus suadet Genuẽsibus vt si vrbem à lue pestifera liberatã volunt diem Concept. B. V solemni supplicatione venerentur.

Quod egregium suæ in Virginem pietatis obsequium, ipsa copiosè, varijs illi communicatis gratijs remunerari dignata est. Vnde factũ vt dignus habitus fuerit, qui sæpius aspectu illius, Angelorumque Sanctorum præsentiâ frueretur. Inter reliquas huiusmodi visiones illa omnino est memorabilis, quam idẽ refert ex M.S. Genuensis Prouinciæ Bouerius ad An. 1586. n. 16. *Dũ Matutinæ Horæ in Choro aliquando, inquit ille decantantur, is Ecclesiæ angulo attentius orans, Angelum de cælo delapsum his se verbis alloquentem audit: Bernardine animum & oculos diuinis visitationibus para: mox enim aderit Dei Filius, cum Virgine Matre. Tum vero Virgo Deipara, clarissimo lumine coruscans ad eum accedit, Filiumque, quem in sinu gerebat eidem porrigit; quem vbi Vir Dei humillimè exceptum amplexatus fuit, tantâ in eius amplexu cælesti voluptate perfunditur, vt totus in Dilectum absorptus, iam non sibi, sed Christo tantum viuere putaretur*. Hæc ille.

B. V. F. atrĩ Bernardino Paruulum IESVM tradit.

30. Thronum denique se ostendit esse Deipara DEVM ad mortales deferentem, eosque diuinæ cognitionis Splendoribus illuminantem, in Fratre, Raynero, de Burgos. Sepulchri Laico eiusdem Ordinis Seraphici; qui cum IESVM cum Matre, ipsa eius Natalis nocte sedulo, magna pietatis significatione quæreret cum Sponsa in Canticis, & quidam ex Fratribus interrogaret, quid nam illum tam anxium, & solicitum haberet; respondisse fertur: *Infantulum meum simul cum Matre quæro, & donec vtrumque inuenero, animi angustiâ premor*. Die Sequenti, cum idem Frater sciscitaretur: *Num tandem Infantulum hesterna die quæsitum inuenisset?* Respondit Raynerus? *Tu ne dubitas? & quidem eum cum Matre hilarem, ac festiuum conspexi*.

Fratres Rayneri Capucini Amor in IESVM & Mariam.

Cumque hæc diceret, quasi is Diuinum Infantulum in sinu gereret, brachia in amplexus modum circa pectus comprimens, quãtam ex sola ipsius memoriâ letitiam caperet declarabat. Alia etiam vice in Conuentu Tugubino eadem Natalis Domini nocte quam totam insomnem in oratione duxerat eundem Diuinum Infantem conspexit. Dum enim in cella ante Matutinas Horas, multis lacrymis, ac gemitibus suauissimi Pueruli videndi sibi fieri copiamà Matre Virgine postularet, en repente adfuit DEVS Infans, eamdem illi, quã in pręsepi gerbat Speciem obijciens; cuius.

Idem Raynerius nocte Natiuitatis Christi Paruulum amplexu excipit.

Q ius.

ius aspectu Raynerij animus ceræ instar mox ita colliquefieri, ac diuini amoris æstu ebullire cœpit, vt illum protinus, proprio sinu exceptum amore plenissimis amplexibus, atque osculis dissuauiatus fuerit. Inter has cæli delicias, tantis incessit gaudijs, vt præter Iesulum nullam aliam sibi quærendam esse fælicitatem arbitraretur. Ex hac Infantuli IESV in sinu Rayneri à Deipara facta deportatione, mirifica in vtrumque sæpius exarsit charitate, quam ille varijs indicijs prodidit. Cum aliquando quidam ex Fratribus IESV infantis laudes, ad mensam ita celebraret. *Infantule crispule, omnium speciosissimè*; mox Raynerius, audito Infantuli nomine ad instar tormentarij pulueris, minimâ ignis scintillâ contacti, in flammam Diuini amoris, erupit, vnde refectione omissâ, repente è suo loco exiliens in Fratris qui iuxta eum sedebat complexum ruit, & velut à seipso alienus per aliquam temporis moram silens, totusque diuina charitate ardēs substitit. Hoscè suos in Iesulum ardores aliàs etiam velut flammas ignito è corde erumpentes, accendit dum quadam cum illustri fæminâ colloquia Spiritualia misceret; hæc enim cum illi retulisset Monialem quandam dum in Nocte Natalis Domini seorsim oraret, tantum à Deo gratiæ impetrasse, vt DEVM Infantulum in sinu gestauerit. Quod cum Raynerius audisset, mox è sede exiliens, tam vehementi in Diuinum Infantulum amoris raptus fuisse memoratur impetu, vt oculis in cælum fixis, mente excedens, altius è solo efferri cæperit, sicque tertiam circiter horæ partem in aera sublatus constiterit. Tuderti similiter cum in domo honestissimæ cuiusdam Matronæ ante quandam B.V. Imaginem, quæ Dominum Infantulum sinu gestabat seorsim oraret, totâ spectante familiâ in mentis excessum per integræ horæ spatium defixis semper in Puerum IESVM oculis raptus est. Vbi ad se redijt, Matronam illam monuit vt eam Deiparæ Iconem, summa diligentia custodiret, eo quod ad verum ipsius Prototypon quod Vir quidam (seipsum reticens) sæpius conspexerat propius accederet, & ad ad viuū Dei Matrem, repræsentaret. Tantâ denique in Paruulum IESVM, Diuinamque parentem beneuolentia erat propensus, vt dum quotidie corollam ipsi Angelicis Salutationibus, ceu floribus roseis contexeret, cum ad illa verba veniebat: *Sancta Maria Mater Dei*; in ardentissimos charitatis affectus erumperet, quos cum cohibere minimè posset, eos verborum repetitione, vultu, ac totius corporis motu prodere cogebatur. Hinc vniuersos quibus cum agebat ad B.V. cultum, ad pensum Rosarij quotidie illi persoluendum, & ad ipsius dolores certo quodam Dominicæ orationis, ac Salutationis Angelicæ numero recolendos excitabat. Huius gemini amoris in IESVM paruulum, eiusque Matrem, vt paucis multa complectar, testis est lapillus ille in eius fellis vesica post mortem, repertus cui horum suorum dulcissimorum Amorum Icones diuinitus exculptæ, magnâ spectantium admiratione, visebantur. Quæ sane indicabant dū Virginea hæc sine felle Colūba prolem suam in sinum eius ceu Thronus deferebat, adeo cor ipsius ad instar ceræ liquefactum, vt amborum Imagines, velut sigillo expressas in se repręsentarit. Atque hæc de Thronorum proprietate illa, qua dicuntur sedentem DEVM ad aliorum cognitionem deferre dixisse sufficiat; quæ quam insigniter, & longè maiori cum excellentia in Deipara resplenduit clarè ostensum est. Iam reliquas Thronorum proprietates, si lubet prosequamur.

31. Inter alias D. Potho lib. 4. de statu domus Dei affert illam, quod plenitudine scientiæ à Cherubinis ita infundantur, vt in his sempiternus Iudex sedeat, ac per eos sua iudicia exerceat. Vbi enim dixisset Cherubinos splendorem plenæ scientiæ, qua DEVM cognoscunt in Thronos transfundere, mox hæc de illis subiunxit: *Media rursus agmina in subiecta sibi agmina de plenitudine scientiæ suæ portionem non minimam transmittunt. Proinde pulchre nominantur Throni agmina ipsa, in quibus ex infusione Sapientiæ, quam desuper accipiunt agitur, vt in his DEVS scientiarum Dominus sedeat, & per ea iudicia sua exerceat*. De eisdem Thronis, eorumque proprietate idem Potho lib. 5. ita loquitur: *Cherubini communicant copiosè cum adiunctis sibi superioribus Spiritibus infusioni donatæ Sapientiæ, transmittunt vero ad Thronos plenariè acceptam illuminationem scientiæ. Throni quippe in quibus Dominus sedere dignoscitur, per quos etiam sua iudicia exercet, rectæ scientiæ virtute præditi esse memoran-*

Raynerus solo Infantuli IESV audito nomine amore exardescit.

Raynerius amore in Infantem IESVM raptus è terra leuatur.

Rayneri in Imaginem Pueri IESV & B. V. pius affectus.

Rayneri deuotio in recitando B. V. Rosario.

In vesica fellis Rayneri inuentus lapillus, cui effigies Christi ex B. V. celebat.

Throni plenitudine scientiæ à Cherubinis ita infundūtur, vt in his æternus Iudex sedeat, & per ipsos sua iudicia exerceat.

morantur, vt nihil eos in causis memorandis lateat. Vnde oculosi, & pennosi Ordines nominantur &c. Sic ille. S. denique Bonauen. Prima Parte de Eccles. Hierarchia eosdem Thronos sic describit: *Tertius Ordo primæ Hierarchiæ vocatur Ordo Thronorum, in quibus Diuina iustitia potissimum requiescit, per quorum ministerium Diuinæ æquitatis excellentia benignè, ac Sapienter iudicãs vniuersis hominibus innotescit, sicut dicit Psalm. 9. Sedes super Thronum, qui iudicas iustitiam. Et Eccles. 1. Vnus est altissimus Creator omniũ potens, & metuendus nimis sedens super Thronum dominans DEVS. Vnde hi Angeli in quibus DEVS residet, & cuncta subiecta ordinat, & disponit, dicuntur Throni, quia sicut Thronus subijcitur sedenti, sic Angeli illius Ordinis Diuinæ iustitię sunt subiecti, ex quo pręsidentis auctoritas, & ipsorum subiectorum Thronorum humilitas commendatur. Nam super humiles Spiritu Domini requiescit. Isa. 66.*

Throni sunt Religiosi perfecti, & maxime Prę lati.

Per Thronos hoscé docet S. Bonauentura perfectos Religiosos ac Prælatos designari. Nam illa quæ de Thronis per appropriationem dicuntur, in viris Sanctis per imitationem Diuinæ iustitiæ inueniuntur.

Religiosi. & Prælati esse debẽt Throni ignei, eburnei, gẽmei, nubei, aurei, syderei, & quare?

Hos Viros perfectos, ac Sanctos vocat idẽ Doctor Seraphicus, Thronos ignitos, ac flãmeos ob perspicuitatem cognitionis, ac feruorem charitatis. Vocat Thronos eburneos ob munditiam cordis, candoremque innocentiæ & castitatis. Vocat gemmeos, lapidibus preciosis ornatos ob mentis constantiam, & patientiæ firmitatem. Vocat Thronos nubeos, ob compassionem, & pietatem, quia in illis Dominus residens, velut de quibusdam nubibus pluens per ipsos subuenit afflictorum miserijs. Vocat eos Aureos, ob firmitatem, & soliditatem. Vocat eosdem Syderos ob tranquillitatem conscientiæ, & cordis humilitatem, quo n. quis se magis humiliat, tanto ad Deũ suscipiendum aptior euadit.

B.V. quanã ratione Thronus igneus, eburneus gemmeus, &c. dicatur.

32. Iam si Viri Sancti ob tam præclaras virtutes Throni sunt igniti, ac flammei eburnei, gemmei, Nubei, Aurei, atque Syderei: quanto magis ipsa Virgo Deipara atque Deifera, ipsa Sãcta Sanctorum, Cælitumque omnium Domina, ac Regina? Ipsa enim longe potiori iure quam reliqui Sancti Thronus, ignitus ac flammeus, ob substantialem illam charitatem, Diuinissimum nempe Verbum quod Ignis consumens est, quod in illa veluti Throno nouem mensibus resedit, nuncupari potest.

B.V. Thronus Salomonis ex ebore confectus.

Ipsa nimirum est Thronus ille grandis quem sibi cælestis Salomon ex ebore auroque fabrefecit, in quo de cælo in terras adueniens ad conuersandum, & deliciandum cum filijs hominum requieuit. Vnde idem S. Doctor ibidem: *In Virginali vtero velut in Throno eburneo Diuinitas nouem mensibus requieuit, iuxta illud Cant. 5. Venter tuus eburneus distinctus Sapphiris. Ille, inquam, Venter de quo Lucas ait: Beatus venter, qui te portauit. qui vtique fuit eburneus quantum ad extinctionem fomitis, & concupiscentiæ, tam originalis, quam actualis, quoad priuilegium continentiæ singularis.*

B.V. Thronus ex lapidibus preciosis confectus ob fortitudinem & constantiam in Passione Filij.

33. Ipsa quoque Thronus est gemmeus ex lapidibus preciosissimis fortitudinis, magnanimitatis atque constantiæ compositus, si quidem in tantis mundi huius tribulationibus, atque persecutionibus, & maximè in Passione Filij, quam ipsa totam in corde suo velut speculo represẽtauit, inconcussa, ceu Marpesia cautes circumtonantibus vndique dolorem, angustiarumque tempestatibus ac procellis; subsistendo: velut inuicta Palma opprimẽtibus eam tot cruciatuum ponderibus, animo semper erecto, in sua generositate perdurando; adeo vt hanc eius patientiæ plusquam lapideam soliditatem, plusquam Palmarem erecti animi celsitudinem suspiciens sponsus in illud elogium eruperit Cant. 5. *Statura tua assimilata est palmæ.* Quam Palmam Guilelmus Abbas apud Delrium, interpretatur Crucem, ipsumque Cruci affixum IESVM cui Virgo Mater iuxta Crucem stans tantorum dolorum afflictionumque tolerantiâ, fuit quam simillima.

B. V. ob animi celsitudinẽ illã qua stetit iuxta Crucem dicitur Palma.

Palma est Crux & Crucifixus cui compatiendo Mater, & ipsa Palmæ assimilata est.

Postquam enim de delicijs illis Virginis, in quibus mirè pulchra, & mirè erat decora præmisisset, dixissetque illas ipsi iuges extitisse, mox attexuit: *Verum vbi ad hoc ventum est vt baiulans sibi Crucem IESVS exiret in eum qui dicitur Caluariæ locum, tollebat, & ipsa Crucem suam Crucem interioris hominis sui, & sequebatur eum Crucifigenda cum eo, vnde illi dicebat: Statura tua assimilata est Palmæ. Siquidem per palmam, qua manus victoris, antiquo ritu ornatur, insigne illud & victoriosum Crucis lignum signatur, cu nimirum Euangelista staturam piæ Matris assimilatam insinuãs; Stabat, inquiuit, iuxta Crucem IESV Mater eius. Quis non tam piam Matrem dulcissimo Filio in Cruce morienti adstãtem, acerrimi doloris ambigat*

B.V. Crucifixo adstans Crucem intus tolerauit.

bigat Crucem intus tolerasse? Plane ille foris, & illa intus patiebatur Cruce; stabat illa iuxta Crucem sui IESV, atque eo ipso sibimet quodammodo erat in Crucem. Erecta stando iuxta Crucem Filij ipsa sibi quodammodo per affectum maternum facta erat Crux. Sic ergo cum staret iuxta insignem illam Palmam, statura eius assimilata est Palmæ.

34. Est etiam Virgo nostra Thronus nubeus. Illius nimirum est illa vox: Eccli. 24. *Ego in altissimis habito, & Thronus meus in columna nubis.* quia veluti nubes imbres misericordiæ, & gratiæ in mortales omnes ad eius patrocinium cófugientes distillat. Vnde de hac eius in nos pietate merito vsurpare possumus illud Siracidis Eccli. 35. *Speciosa Dei misericordia in tempore tribulationis quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* Est Virgo Thronus aureus ob eminentissimam sapientiæ, scientiæque splendorem. De sapientia, & scientia Deipara videndum Prima Par. Disc.

B.V. Thronus nubeus ob misericordiam.

35. Est denique Virgo Thronus Sydereus, quia cum se profundissimâ humilitate infra mortales omnes demisisset, & facta Dei Mater, se Ancillam nominasset, merita est ad sydera, vsque imo supra omnes Angelicas Hierarchias Thronum suum exaltare, eumque iuxta Thronum Filij collocare, imo vero, & ipsius Thronus dignissimus effici, cumque eo de iudiciaria potestate, ob carnis communicationem participare. Huc spectat illa amabilissima ipsius Filij ad Matrem cælos petentem, vti supra diximus, inuitatio. *Veni electa mea, & ponam in te Thronum meum;* quibus verbis illam ad iudiciariam potestatem, longè differenti merito ab Apostolis, alijsque, qui eorum exemplo voluntariam consectati sunt paupertatem, secum exercendam inuitat.

B.V. est Thronus Sydereus ob humilitatẽ, & despectũ rerum terrenarum.

Vnde B. Guerricus supra citatus inuitationem hanc accuratius expendens, vbi præmisisset promissionem illã Christi factam Apostolis; *Sedebitis, & vos super sedes iudicantes 12. tribus Israel*, mox subiunxit; *Matri vero cuius longè differens meritum nihilominus differens est promittit premium: Parum est*, inquit sponsus, *vt iudicanti consedeas, nisi & ipsa mihi sedes fias, vt Maiestatem Regnantis eo felicius quo familiarius in te contineas, & specialius præ ceteris incomprehensibilem cõprehendas: Continuisti paruulum in gremio, cõtinebis immensum in animo. Fuisti diuersorium peregrinantis, eris palatium regnantis.*

B.V. ob paupertatem seruatã dignior Iudiciaria potestate quam Apostoli.

B.V. parum est vt Iudici iudicanti assideat, nisi & ipsius sedes fiat.

Fuisti Tabernaculum pugnaturi in mundo, eris solium triumphantis in cælo: Fuisti thalamus sponsi incarnati, eris Thronus Regis coronati.

B.V. quia fuit thalamus Sponsi incarnati, facta est Thronus Regis coronati.

36. Quod porro Apostoli ob proculcatas, amore Christi, eumq; sequendi voluntatem mundi opes, ac diuitias, altissimos cælorum thronos, potestatemque iudiciariam sint indepti ad iã memoratam Christi promissionem, accedit S. Hieronymi libr. 3. in Matth. & S. Bonauenturæ loco citato auctoritas vbi ita loquitur: *Sancti Viri, qui tam multiplici causa Dei dicuntur Throni, Angelis tertij ordinis comparantur, propter altissimæ paupertatis professionem. Nam illud reputamus altius, quod est à centro remotius. Tales fuerunt pauperes Spiritu, quorum est Regnum cælorum, qui cum terrenis nihil commune possident, & ideo superiorem in cælestibus locum habent, sicut dicit Apostolus 2. Cor. 8. Altissima eorum paupertas abũdauit in diuitias simplicitatis eorum. Alta quidam est paupertas, quæ tollit superflua; altior, quę distribuit, & licita, & permissa, sed altissima, quæ sibi subtrahit etiam necessaria. Et huiusmodi pauperibus Thronus altissimus promittitur Is. 58. sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hereditate Iacob Patris tui.*

Apostoli ob paupertatẽ, & despectũ terrenorum, Thronum altissimum, & à centro terræ remotissimum promeriti.

Quænam sit perfectissima paupertas?

37. Quod si pauperes spiritu, & mundi, diuitiarumque contemptores supra tam sublimes stellatos Thronos cum tam ampla iudicandi etiam Angelos apostatas potestate sunt exaltandi; quanto magis ipsa Dei Mater, quæ sicut omnis virtutis, ita quoque eximiæ Paupertatis absolutissimum exemplar fuit, quæ cum totius Vniuersi esset Regina, rerumque omnium ipso contentorum absolutissima Domina in actu primo, vt loquuntur Theologi, nullum tamen ius de illis disponendi exercere voluit, sed dilectissimum suum imitata Filium, qui cum esset Regno illo cęlorum immenso opulentus, *ac diues, pro nobis factus est pauper*, vti loquitur *Apostolus, vt nos paupertate eius diuites essemus*, in perpetua paupertate, ac inopia, victum sibi, opere, laboreq; manuum comparando, vniuersum suam vitam transegit.

B. V. summe pauper licet in actu primo vti Filius esset totius orbis Domina ac Regina.

38. Non est hic locus laudes fusiores Virgineæ paupertatis decurrendi. Quisquis illã penitius agnoscere, oculis cernere, manibus palpare desiderat, Domum illam Sanctam in qua, & ipsa nata, atque educata, & in eadem Verbum caro factum est, Domum inquam illam Angelorum ministerio ex Nazareth per immensos propemodum terrarum,

Paupertatem Christi, & B. V. Domus Lauretana testatur.

rum, mariumque tractus primo Tersatum in Dalmatiam, tum Lauretum deportatam inuisat, & curiosus, pietatem associando, perlustret, attentius contempletur domicilij illius (, quod etiam asse um interstitijs distinctum fuisse, vt certa quędam indicia pręseferunt perhibetur,) contempletur, inquã, domicilij illius, iuxta quod triennio mihi indignissimo in collegio Illyrico commoranti, habitare licuit, verè admirandas angustias. Consideret illius Sancti camini, ad quem immensa illa Incarnati Verbi Maiestas, quam cælorum, terrarum, maritumque nulla quãtũuis infinita pene capiunt interualla sese calefaciebat; defigat oculos in illius Sacrosanctæ Coquinę, in qua Dei Filio, qui dat escam omni carni, tenue pulmentum parabatur, adeo coarctata spatia. Quæ omnia quisquis, eo quo par est, animi expendit sensu fieri nequit quin ad caminulum illum ingentibus Diuini amoris flãmis eius pectus, etiam frigidius glacie, non incalescat, totumq; penitus colliquescat, ac fluat.

Quomodo B.V. Domum illam adeo pauperem DEVS locupletauit.

39. Hanc porro paupertatem Virginis, quot quantisque prædijs, agrorumque circum circa longè latèque patentium possessionibus, villis, muratisque oppidis cum amplissimis iurisdictionibus, quantis opibus, rerumque preciosissimarum argenti, auri, gemmarum, vestium, aliorumque ornamentorum donarijs, effusissima Dei bonitas, Principum, Regum, Imperatorum cęterorumque fidelium effusissimâ liberalitate, ac munificentiâ locupletarit, testatur Sacrarium illud nobilissimum, quod sacristiam thesauri Deiparæ vocitare consueuerunt; testatur, amplissimum Templum, testatur Cupula illa S. Domui velut pulcherrimum quoddam imminens Cęlum, testatur marmorea illa totius Mariani Domicilij, admirãdis ijsque candidissimis statuis Sibyllarum, Prophetarum, distincta incrustatio; aliaque innumera Christianæ in Virginem pietatis monimenta; testantur tria Canonicorum, Patrum Pœnitentiariorum Soc. nostræ ac Illyricorũ adolescentium, Sanctæ Domus sumptibus largè suppeditatis sustentata Collegia; testatur Patrum Capucinorum domicilium, ac hospitale sat amplum pauperum, quod eiusdem Deiparæ victitat liberalitate; testatur denique innumera toto pene ex orbe peregrinorum ad sacram hanc Aedem inuisendam commeantium multitudo, quę eiusdem Domus triclinio excipi, reficique, eleemosynisque in subsidium viatici iuuari consueuit. Quæ sane omnia sicut nobis clarè attestantur vniuersa hæc Sanctissimæ illius paupertatis, tam accuratè conseruatæ atque adamatæ esse præmia; sic etiam nobis omnino persuadent eadem illa Paupertate ad eminentissimas illas sedes cum Christo iudicantium euectam, in eodem Throno cum Filio ad iudicandum orbem terræ in æquitate consessuram, inque Humanitate nostra de ipsius purissimis sanguinibus coalita, veluti Throno Mundum iudicaturum. Quod sane vel solum priuilegium reddit illam omnibus Angelicis Thronis vti ante diximus, eminentiorem.

S. Domus Lauretana tria collegia sustentat suis sumptibus, nempe Canonicorum, Pœnitentiariorum, & Illyricorum.

Christus in Humanitate nostra veluti Throno residens orbem iudicabit.

40. Quæ profecto Virginis Dignitas mirificum omnibus mortalibus solatium, incredibilem fiduciam in tremenda illa iudicij siue particularis, siue Vniuersalis hora pariat necesse est. Siue enim illum cõsidentem in eodem Throno cum sempiterno Iudice ad iudicandum consideremus; siue eius carnem Virgineam, qua velut Regio Paludamento idem Iudex circumdabitur, ex eaque sibi quasi Thronum efformabit contemplemur, omnia huiusmodi sunt, quæ peccatores de propria salute desperantes, mirifico perfundant gaudio, in maximãque æuiternę beatitatis consequendæ spem adducant.

Quidnam in iudicio tam particulari, quam vniuersali hominem consolari possit.

Excitabit in primis in animis nostris fiduciam, cum Virginem eiusdẽ Throni, ac Iudiciariæ potestatis cum Filio participem conspicati fuerimus, quia illam Matrem misericordiæ, ac Reginam pietatis, quæ Regum illud amplissimum misericordiæ, atque adeo eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem, profundissimâ sua humilitate, extrema paupertate ad miseros saluandos peccatores consecuta est, intelligemus, facileque nobis persuadebimus, si mundum, & eas, quæ in mundo sunt concupiscentias, ac peccata, carnem item, & Sathanam vicerimus nos eiusdem ipsius, ac Filij sedis participes futuros. Ad omnes enim vniuersaliter promissio illa pertinet Saluatoris, Apoc. 3. 21. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in Throno meo: sicut, & ego vici, & sedi cum Patre meo in Throno eius*. Quæ sane promissio amabilissima mirificum, &

In iudicio B. Virgo Filio assidens nos consolabitur, quia iustis exhibebit se Matrem misericordiæ.

Chri-

Christi, & ipsius Matris in nos amorem declarat. Si enim per Thronum, vti antememorauimus, ipsa Virgo, in qua velut in Throno Dei Filius per Incarnationem consedit, significatur, facile perspicimus, velle Christũ nos eius esse Filios adoptiuos, sicut ipse est eiusdem, humanitatem in eius vtero assumendo, Naturalis. Perspicimus insuper velle eundem Christo iudiciariam potestatem quam ipse cum Matre habet nobis esse communẽ, quo premio quid præstãtius excogitari potest. Vnde Pater noster Anton. Spinelhus in suo Throno cap. 27. *Sanctis promittitur*, inquit, *in eodem Throno sedere cum Christo, vt scilicet ipsi eiusdem Virginis, quæ Christi Mater est naturalis per adoptionem efficiantur spiritualiter filij, & in eiusdem corde, veluti in quadam spirituali sede dignissimâ, per charitatem, quâ ab ea diliguntur inhabitare, & quiescere dicantur. Quod autem Christus electus suis Deiparam in Matrem polliceatur, mirum videri non debet. Si enim quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, de quibus. 1. Ioãnis. 3. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus. Quidni eisdem etiam Deiparam in Matrem dabit? Quod præterea electi in Virginis corde esse dicantur facile probatur. Si enim Apostolus ad Galat. 4. quos in Christo genuerat suos appellat filios, eosque per charitatem in corde suo se habere testatur Philip. 1. Eo quod habeã vos in corde; & quod magis est. 2. Corinth. 7. inquit, in cordibus nostris estis ad commoriendum, & conuiuificandum: quãto magis de amplissima Virginis charitate existimare debemus, in eius corde omnes suos spirituales filios, ingenti cum eorum lætitia contineri. Vnde ei dicere omnes possumus: Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta Dei Genitrix.* Hæc Spinellus. Quæ sane vel sola cogitatio in tremendo illo iudicij die omnes fideles Virginis clientulos summopere consolabitur, dum se inter materna eius, amorosaque viscera velut amantissimos Filios reconditos, & in eiusdem Throno quodammodo cum Filio, ad orbem iudicãdum cum illa consessuros esse cognoscent.

Quid sit cõsi[...]e in eodem Throno cum Christo.

B.V. suos clientulos tanquã filios adoptiuos in corde gestat per charitatem.

40. Quod si quoque ad Humanitatem nostram ex carne Virginis, Sanctissimisque eius sanguinibus coagmẽtatam, qua velut stolâ Regia, aut purpurâ indutus sempiternus Iudex mortales omnes iudicabit, oculos nostros cõuerterimus, non poterunt sane Deiparæ seduli, amanteque seruuli, summo cordis gaudio ac iubilo non exilire, eiusque effusissimæ misericordiæ viscera sibi non polliceri. Quid .n. Christi Domini Sacratissima Humanitas est aliud quam nubes pulcherrima, ac lucidissima Diuinitate Verbi, ceu Sole irradiata, gratiarum, ac misericordiarum imbribus grauida, pulchritudineq; sua mortalium oculos ad se contuendam prouocans? Quod nobis declarauit Ioannes Apostolus cum Apoc. 10. confessus est: *Vidi Angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, & iris in capite eius, & pedes eius tanquam columnæ ignis, & facies eius erat, vt sol, & clamauit voce magna quemadmodum cum Leo rugit.* Hic siquidem fortis Angelus, communi Bedæ, Primasij, Richardi Victorini Cælij Pannonij, aliorumque asseueratione, Christum significat, qui mortalitatis nostræ amictus nube per Incarnationem de cælo descendit, iridem capite gestans .i. pacem mundo afferens. Vt leo rugijt, quia futuræ damnationis pœnas, terrificâ voce denunciauit, pedem dextrum super mare, sinistrum super terram posuit, dum videlicet Gentilem, Iudaicumque populum suæ potestati se subiecturũ tandem aliquando ostendit.

Christus humanitate nostra amictus ad iudicium veniens, fiduciam in nobis excitabit.

Humanitas Christi est nubes rorem pluuiamque gratiæ distillans.

41. Eandem Humanitatem nostram nube figuratam ostendit idem Ioan. Apoc. 14. 14. cum dixit: *Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis habentem in capite suo Coronam auream, & in manu sua falcẽ acutam.* Angelum enim hunc Haymo, Ansbertus, & Blasius Viegas censent esse Christum Iudicem, qui Coronam auream in capite gestat, ob Regiam, qua omnibus Regibus, velut aurum cæteris metallis præeminet, dignitatem. Idem Christus habere dicitur falcem acutam quæ iudiciariam eius potestatem clare indicat, quod ex ipsius verbis Matt. 13. colligitur. *Tempore*, inquit, *messis dicam messoribus, colligite primum Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Dum ergo super nubem candidam Christus sedere memoratur ab Apostolo, increatam illam Sapientiam, in qua omnes scientiæ Dei thesauri sunt abscõditi, nube Humanitatis nostræ amictam, & in ea quasi residentem venturam ad iudicandum cum Regia, iudiciariaque potestate, ac maiestate indicauit; simul ostendens se Sapien-

Angelus sedens super nubem habens coronã auream in capite, falcẽ acutã in manu Christum Iudicem denotat.

pientiam illam esse quæ apud Siracidem de seipsa locuta est Eccli. 24. *Ego in altissimis habito, & Thronus meus in columna nubis*; nempe in Virgine misericordiæ Matre.

B.V. in Iudicio erit nobis columna nubis ad protegendũ nos contra diuinæ institiæ ardorem.

42. Crediderim sane Columnam hanc esse illam, de qua Moyses Exo. 13. 21. *Dominus*, inquit; *pręcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in Columna nubis, & per noctem in Columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore*. Quæ Columna nubea non solam Humanitatem Christi benignissimam, verum etiam Matris ipsius piétissimã nos ab ardoribus solis iustitiæ protegentem, imbresq; gratiarũ distillantem nobis repræsentat misericordiã. Hæc est nubes illa leuis, ac lucida, de qua Isaias c. 19. v. 19. *Ecce ascendet Dominus super Nubem leuem, & ingredietur Aegyptum*. Vnde Richar. à S. Laur. libr. 7. de Laud. B.V. *Nubes, secundum B. Isidorum ab obnubendo dicitur, & B. V. humanâ carne Vnigenitum Dei velauit*. Atque ita electi videndo sempiternum Iudicem carne nostra velatum, in eaque velut nube lucida residentem, & considerando nos eius Fratres, carnem ac membra; eius etiam Matrem, nostram quoque esse, quantis DEVS bone, trepidantibus reliquis, incedemus lætitijs, quibus cæli delicijs præcordia nostra redundabunt! quam nobis pollicebimur fælicitatem? Quam misericordiam, quã vberem nos consecuturos sperabimus? maximè si Iridem similem visionis smaragdinę, Thronum eius circumdantem, quam merito Pater Spinellus, Misericordiæ Matrem, virore Diuinæ gratiæ nos ad spem allicientem denotare testatur, aspexerimus.

B. V. Iris in circuitu Throni coloris smaragdini ad spem excitans.

Reprobis apparebit Iudex in Throno igneo.

43. Contra vero reprobi eundem Iudicem in columna ignis seu Throno flammę considentem conspicient, ingentique terrore, atque trepidatione concutientur. Vnde Propheta Daniel diem hunc iudicij formidandum describens cap. 7. 9. *Antiquus, inquit, dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix* (ecce nubes candida carnis nostræ, qua erit vestitus) *capilli capitis eius quasi lana munda: Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Quæ sane tam horribilis iudicij forma, & innumerabilium tam Angelorum, quam aliorum Cælitum ac præsertim Reginæ cælorum penes sempiternum Iudicem consessus, ita peccatores consternabit, vt dicturi sint montibus, & petris, vt testatur Apostolus Apo 6. 15. *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedẽtis super Thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Verum inter hæc omnia illud omnino erit vel maximè formidandum quod Thronus seuerissimi Iudicis, quem diximus ipsam Deiparam designare, totus igneus, flammeusque imo Columna ipsa ignis sit futurus; deque illo *processura sint fulgura*, vt loquitur Apostolus Apoc. 4. 5. *voces, ac tonitrua*. Quem adeo terribilem prodigiosumque Thronum typum esse Deiparæ in iudicio peccatoribus formidandę indicauit S. Bern. Ser. quodam de B. V. *Ioannes*, inquiens, *in Apocalypsi ait de Throno scilicet de Maria procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*; quæ sine dubio ambas peccatorum aures tinnire, omnesque pilos eorum carnis inhorrescere, totisque artubus, facient contremiscere.

B.V. repro. bis in Iudicio videbitur Thronus & Columna ignis.

B. V. Thronus de quo procedebant fulgura, voces, & tonitrua.

44. Quæ porro hæc fulgura, voces, ac tonitrua magnæ Dei Matris coram omniscio Iudice, eiusque assessoribus euibrata sint futura. Vir quidam è nostris æque literis, ac pietate in Virginem conspicuus declarauit, dum ipsius Reginæ cælorum querelas esse pronunciauit. Tunc enim vbi eam nos propitiam, Matremque misericordiæ atque Aduocatam clementissimam apud Filium habere sperabamus obdurescet ad instar lapidis, fietque per omnia similis Iudici, de quo Ioann. loco citato: *Qui sedebat similius erat aspectui lapidis Iaspidis, & Sardinis*; similis quoque fiet reliquis iudicij assessoribus qui affectu charitatis iuncti Petræ, quæ est Christus, instar petræ obdurescent, fientque inexorabiles, atque implacabiles, atque ita verificabitur Psalmistæ Vaticinium Ps. 140. 6. *Absorpti sunt iuncti Petræ Iudices eorum*; absorpti, inquam, *affectu iustitiæ, & transformati induritiem supremi Iudicis iustissimi*. Huius igitur Reginæ tunc inexorabilis huiusmodi, vel his similes aduersus reprobos querelas ait futuras: *Ab hoc fraudata sum honore mihi debito, & decreto à supremo Assuero. Habuit viles de me cogitationes, non est imitatus vitam meam, non inuocauit, per me paratum auxiliam. in oculis meis vixit vitam indignam meâ dignitate, abusus est gratijs, per me impetratis; non adiuuit filios meos gratijs hoc fine datis, corpus suum,*

Supremi Iudicis assessores obdurescent ad instar lapidis, eique assimilabuntur.

B. V. in iudicio aduersus nos querelę.

suum, quod est membrum Filij mei scelerum, ac impudicitiæ sordibus commaculauit, sése que, & ab illo, & à me velut palmes à vite, peccati falce seiunxit, vnde quid illi restat aliud nisi vt mittatur foras in ignem æternum, & ardeat? Vocaui illum sæpius, impetrando preuenientem gratiam, vt à via sua mala conuerteretur, mearumque virtutum vestigijs insisteret, ò quoties illi optima mea consilia suggessi, quoties verba illa æternæ Sapientiæ ingeminaui: Prou. 1. Quousque paruuli diligitis infantiam, & stulti ea qui sibi sunt noxia.

B.V. pro hominibus saluandis solicitudo.

Conuertimi ad correptionē meam, en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Verum quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam; ad largiendas, videlicet impetratas à Filio gratias, & non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque iam in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio, & angustia. Hæc nimirum sunt animati huius Virgineique Throni fulgura voces, ac tonitrua. Dicet porro hæc cæli Regina vehementissimo animi sensu: Vide flammentes indignatione oculos imitantes Filij, de quo Ioannes: *Oculi eius tanquam flammam ignis.*

Oculi Christi sunt flammæ ignis.

Vide cor vindictâ, plenum iustissimaque irâ ex estuans, non enim minus pro modulo suo est amans iustitię, quam Filius. Nouuit locum illum, & tempus illud, non esse gratiæ. *Agat, ait, nunc iustitia partes suas ad amussim. Nunc etsi inuocent me, non exaudiam, & si mane consurgant, non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec aquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Comedant igitur fructus viæ suæ, suisque consilijs satientur* Prouer. 1. Ita sine dubio Regina hæc tunc in ira sua loquetur, ostendetque quod sicut in hac vita fuit solium Filio Regi in misericordia præparatus Isa. 16. 5. ita tunc se ostendet Thronum preparatum in iustitia flummeum, tonantem, fulgurantē. Ostendet denique reuera se Thronum esse iustissimi Iudicis, omnes Thronos Angelicos scientiâ, sapientiâ, atque iustitia multis parasangis transcendentem, ac proinde dignissimum in qua Dominus sederet, & per quam sua iudicia, quod de Thronis dixit D. Potho, exerceret; eique suam potentiam, suum Dominium in vniuersum orbem, suam potestatem iudiciariam, gloriamque ob carnis, spiritusque, quę inter illos mutuo intercedit vnionem, communicaret. Quam potestatis, Dominationis, gloriæque inter Filium, & Matrem communionem, peruenustè explicuit B. Arnoldus Carnotensis Abbas Tract. de Laud. B.V. *Nec à Dominatione, vel potentia Filij Mater potest esse seiuncta. Vna est Mariæ, & Christi caro, vnus spiritibus, vna charitas; & ex quo dictum est ei: Dominus tecum, inseparabiliter perseuerauit promissum, & donum. Vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes; & licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltra scindi non potest; & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quam eamdem.* Quæ gloria iure extendenda etiam ad Indiciariam est potestatem; quam potissimam ipsius tantæ gloriæ, honorisque partem acerbissimæ Passionis, mortisque meritis conquisitam esse crediderim. Hinc præclarè pronunciauit Apostolus Hebr. 2. 9. *Eum autem qui modico, quam Angeli minoratus est, videmus IESVM propter passionem mortis gloriâ, & honore coronatum.* Quam ego Coronam honoris, & gloriæ merito censuerim esse Coronam illam auream, qua supremi huius Iudicis caput redimitum conspexit Apostolus sup. cit. c. 14. Cuius sine dubio etiam Diuina Mater, ob compassionem illam acerbissimam, qua sub Cruce stans moriente Filio, commortua est, euadet particeps. Ex quibus omnibus facile intelligere possumus quam horribilis, atque formidabilis peccatoribus dies ille iudicij plenus, calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & turbinis, dies tubæ, & clangoris sit futurus, siquidem ipsa misericordiæ Mater, in modum Petræ, Filium, qui est Petra, imitando, obrigescet; & quæ ante erat mitis, & sine felle columba, oliuam pacis, & reconciliationis cum Deo Symbolum præseferens, fiet formidabilis Leęna, catulum suum de tribu Iuda imitata, & oliuæ loco cum reliquis Cælitibus manu sua ancipitem arripiet gladium, ad faciēdam vindictā in nationibus, & increpationes in populis.

Sicut vna est Mariæ, & Christi caro vnus Spiritus, sic etiam vnum Dominium ac potestas iudicandi, eademque gloria.

Christus gloriam ac potestatem Iudiciaria meritis suæ passionis aquisiuit.

B.V. ex columba ramum oliuæ ore portante fiet Seæna.

45. Hoc ostensum fuit aliqua ex parte S. Brigittæ lib. 1. Reuelat. cap. 28. quę vt ipsa scribit vidit aliquando Deū quasi iratum, ita sibi loquentem: *Ego sum sine principio, & sine fine; nulla est immutatio apud me, nec anni, nec dies. Sed omne tempus huius mundi est apud me, quasi esset vna hora vel momentum. Omnis qui videt me omne, quod est in me videt, & intelle-*

Iudicij forma, qua Christus homines cum B. V. iudicabit, ostensa S. Brigittæ.

tellegit, quasi in puncto. Sed quia tu sponsa mea corporalis es, ideo non potes res percipere sicut Spiritus. Ideo indicabo tibi quod actum est. Ego sedi quasi in iudicio, quia omne iudicium datum est mihi, & venit quidam iudicandus ante tribunal. Ad quem vox Patris æterni intonuit: Væ tibi, ò si numquam natus fuisses; quod non protulit quasi illum pœnituisset, quod eum creauerit, sed ex cõpassione quadam. Inde respondit vox filij: Ego fudi sanguinem meum pro te, & suscepi amarissimam pęnam pro te, & ab hoc tu omnino alienatus es, ne aliquid haberet tecum. Vox Spiritus S. ait: quæsiui omnes angulos cordis eius, si forte inuenirem aliquam in eo mollitiem, & charitatem. Sed quasi gelu frigidissimus, quasi lapis est durissimus, nec mihi aliquid cum eo. Tandem vna hæc vox ita intonans audita est: Nullatenus debetur tibi Regnum cæli.

Diuinę Personæ erga reprobos pereuntes ostendunt compassionem.

Quid interea cælorum Reginam, aut dixisse, aut egisse arbitramur, num sese velut Aduocata apud Iudicem interposuit, num solitæ suæ misericordiæ reserauit viscera? Nihil minus. Subiungit enim illo cap. 28. S. Brigitta: *Mater misericordiæ siluit, nec aperuit misericordiam suam, qui iste iudicandus indignus erat eius patrocinio: imo omnes Sancti vna voce clamabant: Hæc est Diuina iustitia, vt perpetuo exul sit à Regno tuo, æternoque gaudio. Omnes etiam qui erant in Purgatorio tunc dixerunt: Nulla pœna est tam amara apud nos, quæ ad peccata tua punienda sit sufficiens maiora longè tibi debentur tormenta, ideo à nobis sequestraberis. Tunc & ipse iudicandus voce horrendâ exclamauit: Væ væ seminibus, quæ conuenerunt in ventre Matris meæ, de quibus ego sum efformatus. Maledicta sit hora, in qua viuus de ventre Matris processi. Post hæc tres ex Inferno voces horribiles eruperunt: Veni ad nos maledicta anima, veni quasi æs fluens ad perpetuam mortem, simulque vitã interminabilem. Veni maledicta anima Dei gratiâ, bonisque operibus vacua, implenda nostra malicia. Nullus enim erit ex nobis, qui te malicia sua, & pœna non impleat. Veni maledicta anima instar lapidis ponderosa, qui semper mergitur, & numquam fundum attingit vt cõquiescat. Sic tu in profundum, nobis profundius descendens vt subsistere non possis antequam ad ima abyssi peruenias.* Quænam autem hæc infælicissima, ac miserabilissima fuerit anima eadem Sancta Vidua paucis intercalatis declarauit. *Hic homo*, inquiens, *fuit nobilis, & Canonicus, & Subdiaconus, qui falsa obtenta dispensatione sibi Virginem diuitem desponsauerat. Sed subitâ morte præuentus non obtinuit, quod concupiuit.*

B.V. cum dãnabitur peccator, silebit, nec pietatis suæ viscera reserabit.

Voces damnatorum, & animarum Purgatorij conclamantium aduersus peccatorum reprobatum.

Canonicus nobilis, & Subdiaconus damnatur quod falsa obtenta dispensatione sibi puellam quãdam despensarit.

Hoc iustissimo, seuerissimoque à sempiterno Iudice ita declarato iudicio, ad sponsam suam Brigittam amice, benignèque conuersus saluberrima illi tradidit documenta, eamque ita affatus est: *Ego sum sicut homo habens plures vxores, & videns casum vnius, auertit se ab illa, & conuertitur ad alias, quæ stant, cumque illis gaudet ac deliciatur. Sic ego auerti faciem, & misericordiam meam ab illo, & conuerto me ad seruos meos, & cum illis gaudeo, & exulto. Quapropter audiens tu casum hunc ac miseriam, seruias mihi eo syncerius, quo maiorem tecum feci misericordiam. Fuge mundum, & concupiscentiam eius: sta sicut famuli mei stant in vera humilitate, nihil erubescas propter me, nihil timeas nisi me. Non contristeris de temporalibus, quia caduca sunt, ego ditare, & depauperare possum, quos voluero. Ideo sponsa mea spem tuam pone totaliter in me. Custodi os tuum, vt si esset voluntas mea, nunquã velles loqui.* Hæc Christus.

Christus post iudicatam illã infælicem animam qualia documenta dederit S. Brigittæ?

Os & lingua custodienda.

46. Cuius profectò postremum hoc documentum magnâ, accuratâque dignissimum est consideratione imisque cordis medullis inscribendum. Os enim, & lingua multis sempiternæ mortis, damnationisque causa extiterunt, vt non immeritò Sapiens sapiẽtissimè pronunciarit Prouer. 18. 21. *Mors, & vita in manu linguæ.* Vbi, vt obseruauit P. Cornelius, alludit sapiens ad naturam linguæ: hæc enim in embryone vltima animatur; & moriente homine prima vitâ destituitur, & emoritur. Vnde Plin. libro 11. capit. 37. *Os primum mori tradunt, cor nouissimè.* Sicut enim in animali cor est primũ viuens, & vltimum moriens: Sic vice versa lingua est vltimũ viuens, & primum moriens. Quare sicut vita à corde, ita mors ab ore, & lingua incipit. Vnde S. Chrys. in Ps. 140. *Mortis vnicum fere ostium lingua est.* Hinc Saluator olim, futurus Iudex benignè pręmonuit, Matth. 12. 36. *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, qui locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die Iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Quapropter S. Franciscus attestante Doctore Seraphico cap. 5. in Vita ipsius tantopere linguæ custodiam, moderationemque suis vtpotè, à qua ęterna hominum salus dependet, commẽdabat. *Euangelicum*, inquit ille, *volebat à fratribus obseruari silentium, vt videlicet ab omni otioso verbo, omni tempore abstinerent solicitè, tanquam reddituri in die iudicij de hu-*

In Iudicio reddenda ratio de custodia oris ac linguæ.

Linguã vltima in embryone animatur, & prima moritur.

Cor primũ viuens, ex vltimũ moriens.

Mortis vnicum fere ostium, lingua est.

iusmodi rationem. Sed & si quem inuenisset fratrem verbis assuetum inanibus acriter arguebat, taciturnitatem modestam, puri cordis affirmans custodiam, & non modicam esse virtutem, pro eo quod mors, & vita fere in manibus linguæ esse dicantur, non tam ratione gustus, quam ratione loquelæ. Hæc Bonau.

47. Quod etiam cuidam ex eiusdem Diui Francisci Fratribus reuelatũ tradunt Annales Capucinorum ad Ann. 1608. num. 29. Cum enim P. Dionysius à S. Ioanne Concionator è vita excessisset, cuidam suo amico eadem hora in oratione constituto sese visendum exhibuit, retulitque se ex Dei misericordia salutem adeptum. Quo ille accepto nuncio mirè exhilaratus alter ab eo vicissim quæsiuit: *Num in morte Dei iudicium, vti vulgo circumfertur, tam rigidum ac formidandum sit?* Respondit Dionysius: *Ne dubites, quin formidabilius, quam existimari ab hominibus solet hoc Dei iudicium sit, rigidaque omnium discussio fiat. Verum illud quoque tibi exploratum sit, Fratres quam plurimos propter linguæ delicta maximum in salutis discrimen adduci. Cum enim eam in Dei laudibus occupare deberent, in murmurationibus, nugis, ac veniloquis conferunt.*

Quidam Capucinus vita functus fatetur se misericordia Dei saluatũ, admonendo linguam custodiendam.

Quapropter amice solicitè linguam custodito; ac mulierum omnium, tametsi piarum, ac Religiosarum familiaritate abstine.

Cumque his, & alijs salutaribus consilijs amicum prosecutus esset disparuit. O quam salubriter nos rursus per eundem sapientem Spiritus S. admonuit. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs, animam suam; angustijs, inquã, illis quibus in morte, & iudicio coarctantur hominum conscientiæ. Prouer. 21. v. 23.*

Seneca quietem animi, & silentium commendat.

Quare sapienter etiam Seneca Philosophus monuit Epist. 107. *Nihil æquè prodest quam quiescere, & minimum cum alijs loqui, secum plurimum.*

B.V. in Iudicio quẽdam Religiosum excusauit, alterum accusauit.

48. Aliud exemplum seuerissimi Iudicij refert eadem S. Brigitta libr. 4. Reuelat. cap. 102. quo ostendit Deiparam quendam Religiosum apud Iudicem à Dæmonibus grauissime accusatum excusasse; alterum vero accusasse; in quem sempiternus Iudex huiusmodi tulisse sententiam dicitur, vt videlicet *anima eius suspendaretur in patibulo Inferni, quod non est ex funibus sed ex igne ardentissimo, eo quod ouis à grege suo degenerans nec seruans suum institutum extiterit.* Vide ibidem huius religiosi particularia peccata, ob quæ damnari æuiternum promeritus est.

Quale sit patibulum Inferni.

49. Libro vero sexto Reuelat. c. 39. scribit S. Brigitta, quanam ratione Virgo Deipara in iudicio cuiusdam militis pluribus sceleribus obnoxij aduersus Cacodæmones horribiliter ipsum accusantes susceperit Patrocinium.

B.V. cuiusdã militis in Iudicio suscepit patrocinium, quia erat misericors. & in fine vitæ illã inuocauit.

Cum enim coram Iudice exclamarent, se habere ingentem quendam Codicẽ, qui vocabatur Inobedientia, eumque plenum criminibus ab ipso perpetratis, Codicemque ipsum septem alios habere libros, septem peccata mortalia continentes, agerentque, vt illa miserabilis militis anima, ob tot tantaque parrata scelera Inferni cruciatibus addiceretur, & vnus eorum ita loqueretur: *Ecce ò Iudex liber meus totus completus est, adiudica ergo mihi hãc animam; Tunc silente Iudice Mater misericordiæ appropinquans, dixit: Fili mi ego volo disputare de iustitia cum Diabolo isto. Cui respondit Filius: Charissima Mater, quando Dæmoni non negatur iustitia, quomodo tibi possit negari, quæ es Mater mea, & Domina Angelorum? Tu etiam omnia potes, & omnia scis in me, sed ideo loqueris, vt alijs innotescat dilectio mea.*

Liber à Dæmone conscriptus in quo erant Militis peccata vocatur Inobediẽtia septem alijs libris constans.

Quibus auditis, Virgo, quædam ex Cacodæmone ad eum ex ore proprio cõuincendum, & confundendum sciscitata est. *Præcipio*, inquiens, *tibi Diabole vt mihi ad tria respondeas, quæ ego tanquam Domina tua quæro ex te: Numquid scis omnes cogitationes hominis? Cui ille: Non, nisi illas solummodo quas ex operatione exteriori hominis, & ex dispositione eius perpendere possum, illas etiã quas ego cordi eius immitto. quia licet perdiderim dignitatem meam, tamen ex subtilitate meæ naturæ remansit mihi tanta sapientia, vt ex dispositione hominis intelligere possim statum mentis. Sed bonas cogitationes hominis cognoscere non possum.*

B.V. cum Cacodæmone disceptatio ad saluãdum Militẽ.

Dæmon non potest cognoscere hominis cogitationes nisi per indicia.

Quæsiuit rursus pia Virgo: Quæ est illa res, quæ delere potest scripturam de illo tuo libro? Nihil eam delere potest, subiunxit Diabolus, nisi vnica res, quæ est Diuina charitas. Quicunque enim illam in corde habet, quantumcumque peccator sit, statim deletur quod de illo scriptum est in libro meo. Quæsiuit tertio Virgo Beata: Numquid aliquis tam immundus peccator est, & tam à Filio meo auersus, vt non possit redire ad veniam quamdiu viuit in mundo? Respondit Dæmon omnino posse. quando enim aliquis quantũcumque peccator suam voluntatem malam mutat in bonam, & diuinam concipit charitatem, & in ea stabilis persistit, nulli eum Dæmones tenere possunt. His auditis misericordiæ Mater ad circumstantes conuersa: Hæc anima, inquit, in fine

Peccata ex libro Diaboli sola charitas, & gratia delet.

B.V. dat testimonium in Iudicio, quod miles in fine vitæ de peccatis pœnitens eius patrocinium implorauit.

vitæ

vitæ suæ conuertit se ad me, mihique dixit:
Tu Mater misericordiæ es, & miseratrix miserorum; indignus ego sum rogare Filium tuum, quia peccata mea grauia sunt, & multa nimis, & ego multum eum ad iram prouocaui, diligendo magis voluptatem, ac mundum, quam DEVM creatorem meum. Ideo rogo te miserere mei, quia nulli te petenti misericordiam denegas. Et ideo, &c.

Militis ad B. V. in fine vitæ facta oratio.

Et ideo conuerto me ad te, & promitto tibi quod si vixero volo emendare me, meamque voluntatem ad tuum Filium, conuertere, nihilque aliud quam ipsum diligere. Sed super omnia doleo, & ingemisco, quod nihil ad honorem Filij tui creatoris mei fecerim. Ideo pijssima Domina rogo te miserere mei, quia ad nullum nisi ad te habeo refugium. Talibus verbis ac cogitationibus venit in fine vitæ hæc anima ad me, nunquid illam audire non debui? Quis enim si toto corde, ac tota voluntate se emendare volens, alium roget exaudiri non mereatur? Quanto magis ego clamantes audire debeo, quæ sum Mater misericordiæ? Ad hęc respondit Satanas: De tali voluntate ego nihil sciui, sed si est, sicut dicis, proba apertâ ratione.

B.V. benignitas in côuerso ad se milite cũ in gratiam recipiendo.

Cui Dei Mater: Indignus es, vt tibi respondeam, verumtamen quia ad aliorum profectum hoc fit quod ostendi, ideo tibi respondeo;
Tu miser prius dixisti quod de libro tuo nihil delere potest scripturam, nisi Diuina charitas; simulque conuersa ad Iudicem Virgo dixit:
Ergo Fili aperiat librum suum Diabolos, & legat, videatque si omnia ibi scripta sunt, vel aliquid deletum est. Inspecto itaque libro omnia illa peccata abrasa reperta sunt. Denique Iudex ad pijssimam Matrem obtenta de Cacodæmone victoria, conuersus: Tu verè rationabiliter, inquit obtinuisti in hac quæstione sententiam, & lucrata es animam istam cum iustitia: Iudex tamen vetera delicta purgatorijs ignibus expiari ad tempus iussit, quos tamen Mater pijssima suâ intercessione temperauit, dixitque Filio:
Benedictus sis tu Fili mi pro iustitia tua, quæ est in omni misericordia. Rogauit demum Diuina Mater, vt omnibus illis Purgatorij ergastuli pænis militis huius anima absolueretur: *Tu dixisti*, inquiens, *Fili mi, quod amici tui possent isti animæ succurrere; & tu bene scis quod anima hæc mihi tripliciter seruierit, primo per abstinentiã, ieiunando vigilias mearum festiuitatum, & in eis pro Nomine meo à cibis abstinendo. Deinde quia legebat Horas meas, ac denique quia pro honore meo proprio ex ore laudes meas decantabat? Ergo Fili mi, quia amicos tuos clamantes in terra audis, rogo te etiam vt digneris audire me. Ad quam Filius: Quicumque est alicui Domino magis præcipuus in dilectione, huius preces citius exaudiuntur: & quia tu super omnes es mihi charissima, ideo pete quod vis, & dabitur tibi.* Hic cum benigna Mater intercessisset, vt à cruciatibus anima illa, quas in 5. sensibus patiebatur, liberaretur; mox ad illam Filius:

B.V. orat vt anima militis ex Purgatorio liberetur propter obsequia sibi ab ipso delata ieiunii, officij, & laudum cantatarum.

Quia B.V. super omnes sanctos Deo est charissima ideo ipsius preces facilius exaudiuntur.

Benedicta tu Mater charissima tibi nihil negari potest, fiat voluntas tua; Cui cum pro tam insigni charitate, ac misericordia benedixisset Mater eodem puncto temporis quidam Sanctorum magno cum cęlitum exercitu dixit: *Laus tibi sit Domine DEVS Creator, & Iudex omnium. Hæc anima in vita deuote seruiuit mihi, ieiunauit in honorem mei, laudauit me, & hos tuos amicos circumstantes, eos salutando ideo ex parte eorum, & mea rogo miserere huic animæ, & propter preces nostras da ei requiem.* His auditis Sanctorum, sicut, & ipsius Angeli custodis precibus anima illa de pœnis Purgatorij educta est, vti capite sequenti declaratur. Angelus enim Custos specie Iuuenis pulcherrimi ac fulgentissimi Iudici in Throno sedenti eam stitit, cui millia millium assistebant, & omnes eum adorabant, ob patientiam eius, longanimitatem, atque charitatem. Tandem Iudex æquissimus tot Matris, Sanctorumque supplicationibus, aliorumque hominum bonis operibus flexus, respondit Angelo:

Sancti pro animabus Purgatorij, quæ in honorem ipsorum ieiunarunt, intercedunt.

Angelus animam militis coram Iudice, & sanctis omnibus stitit.

Lachrymæ multæ, & opera Charitatis venerunt ante me pro anima ista, & ideo iudicium hoc factum est, vt veniat sub custodiam tuam, eamque deferas ad requiẽ quam nec oculus videre, nec auris audire, nec ipsa anima in carne cogitare poterat, vbi non est cælum supra, nec terra deorsum. Vbi DEVS est super omnia, & intra regit omnia, continet omnia nec ab aliquo continetur. Quibus dictis Anima illa cælum ascendere ad instar Stellę fulgentissimæ visa est. Atque vt intelligamus quanta vis sit eleemosynæ, operumque misericordiæ, addit S. Brigitta his omnibus: *Hic fuit Miles benignus, & pauperum amator, cuius vxor largissimas pro eo fecit eleemosynas;* quibus bonis operibus sine dubio Virgo benignissima permota, gratiam illam de peccatis pœnitendi, suumque auxilium, patrociniumque implorandi illi impetrauit. Eiusdem quoque Militis pietate illâ quâ ferebatur in Deiparam, stimulante, ipsa aduersus Cacodæmones, tantâ cum dexteritate, atque efficacia disceptauit, ac tandem de Orci faucibus eum eripuit. Ex quibus omnibus facile intelligere

Sententia Iudicis qua animam illã à pœnis Purgatorii absoluit.

Anima militis specie fulgentissimę stellæ in cælum sublata.

possumus, quanta curâ, ac solicitudine Virgo pientissima apud Diuinum tribunal pro saluandis suorum clientulorum animabus patrocinetur, rectumque iudicium super omnes Thronos Angelicos iudicet.

50. Ad vltimam tandem Thronorum à S. Dionysio, ac Doctore Angelico, allatam veniamus proprietatem; quæ mirificè gloriosissimæ nostræ conuenit Deiparæ. Semper enim Thronus hic, animatus apertus erat, ad suscipiendum sedentē, quia velut Angelici Throni, per promptitudinem, vt ait Doctor Angelicus, aperta semper fuit ad suscipiendum Dominum, ipsique, summo cum obsequio in carne famulandum.

B. V. cor animaque semper aperturā ac præparatas. ad Dei Filium in se excipiendum ad instar Throni fuit.

An non apertus hic Thronus, & ad suscipiendum Dominum infinitæ Maiestatis promptus videbatur? Dum ei se Virgo totam, corpore, animoque eius diuinis obsequijs offerens pronuntiauit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum*. Quæ verba sicut apertum, promptumque cor, animumque Virginis ad Dei Filium in se suscipiendum præseferebant; ita quoque cælum reserare, Deique Filium vt à Throno suo cælesti descenderet, & in vtero suo, veluti Throno resideret, cum hominibus suas delicias habiturus, inuitare visa sunt. *Vnde linguam Virginis clauem cælorum* S. Bernardinus Senensis appellare non dubitauit: Quod Deiparæ ardentissimum Throno vteri sui Dei Filium excipiendi desiderium promptissimamque voluntatem pulcherrima mellifluus Doctor Bernardus more suo reddidit paraphrasi, dum ita, illam loquentem, introducit: *Verbum quod erat in principio apud DEVM fiat caro de carne mea, secundum Verbum tuum. Fiat obsecro mihi Verbum non prolatum, quod transeat, sed conceptum, vt maneat, carne videlicet indutum non aere. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum, & mutum, sed incarnatum, & viuum, hoc est, non mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana, meis castis visceribus viuaciter impressum; & hoc non mortui calami depictione, sed Sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porrò multifariam, multisque modis olim DEVS locutus est Patribus in Prophetis, & alijs quidem in aure, alijs in ore, alijs etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur, mihi autem oro vt in vtero fiat personaliter incarnatum, corporaliter inuisceratum. Verbum igitur quod in se non poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur & mihi fieri secundum verbum tuum.*

Fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum.

En quam patens, ac quā & paratus ad Verbum æternum recipiendum promptus animatus hic, cælestisque Thronus extitit?

51. Quam patentem se, DEVS bone, quam promptum, ac præparatum Thronus hic Virgineus ad supremum Sponsum in se recipiendum, exhibuit, cum tanto desiderio inuitationem illam fecit. Veniat dilectus meus in Hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum Can. 5. Vnde Guilelmus Abbas apud Delrium docet esse vocem hāc gestiētis in partu Virginis: *Didicerat quippe, Angelo nunciante*, inquit ille, *se ad magnum illud pietatis Sacramentum manifestandum in carne singulariter esse delectam, & quasi Hortum Dei, Austro perflatū vt Filiū Dei præcurrat. Itaque assensum hilariter præbuit. Prædicis, inquiens, ò Angele vterum meum fore Hortum deliciarum gignendo Fructum vitæ, in quo omnis suauitas, & omnis sanitas. Necesse est ergo, vt verus sit Nuntius Veritatis, vt non tantum sit Dominus mecum, sed etiam vt sit in me, & carnem sumat ex me.*

Inuitatio à B. V. facta æterno Verbo, vt in vterū eius veniret, & in illo recumberet.

Hoc eum velle ex verbis tuis intelligo: Fiat mihi secundum verbum tuum: Veniat in Hortum suum, veniat Dilectus meus, quem deperit cor meum, & veniat in hortum suum, peculiari iure ipsi dicatum, Verbum ex me carnem sumat, DEVS ex me corporetur. Cur? vt comedat fructum pomorum suorum, vt incorporet sibi electos suos, hæc enim Incarnationis eius causa. Extra ipsum non est vita non est salus, per ipsum ita est salus, vt non sit nisi ab ipso. Ipsi ergo incorporentur vt saluentur, quos DEVS ad salutem præordinauit: hoc est ipsi vniantur tanquam cibus comedenti; in ipsum sic transeant, vt eius membra fiant, & de Spiritu eius viuant. Si quis enim non habet Spiritum Christi, hic non est eius. Rom. 8. 9.

Cor B.V. peculiari iure Verbo dedicatum.

Verbum incarnatum, vt incorporaret sibi electos eosque saluaret.

Sane in Vterum Virginis per humanæ assumptionē substantiæ, factus est caput Ecclesiæ, quæ in hominibus est. Hic comedet fructum pomorum suorum, ibi incorporabit sibi electos suos, ibi traijciet eos in se, vt non in seipsis, sed in ipso viuant. Sicut enim Adam quando præuaricatus est, contaminauit omnes carnaliter nascituros: Sic & Christus quando de Virgine incorporatus est, incorporauit sibi omnes non fictè credituros: sic eius ex nostri generis fœmina incarnatio, nostra in eum traiectio est.

Sicut Adam cōtaminauit totam posteritatem: sic Christus è Virgine natus omnes purificauit, sibique incorporauit.

Hæc

Hæc Guilelmus, quibus sane vehemens desiderium ostendit Virginis in se velut animato quopiam Throno non solum æternum Verbum, verum etiam nos in illo incorporatos suscipiendi, ac beandi.

52. Idem accensum Deiparæ desiderium, Dei Filium sinu suo, veluti Throno excipiendi in eisdem Canticorum, siue Sponsæ verbis agnouit Venerabilis Dionysius Richelius Ar. 18. in Cant. *Sacratissima, inquiens, Virgo ex lege, & Prophetis, illuminatione diuina, & annunciatione Angelica cognoscens Vnigenitum Patris incarnandum, cum ore Angelico didicisset eum ex se carnem assumpturum, atque hoc ipsum humillimè, ac feruentissimè cupiens dicere potuit, æquiualenterq; dixit: Veniat dilectus meus in locum suam .i. in vterum meum descendat, & ex purissimis meis sanguinibus corpus assumat humanum. Fælicissimæ itaque Virginis Venter hortus fuit pulcherrimus, omni castitate, & sobrietate decoratissimus, Virginea puritate redolentissimus, ex Conceptione æterni Verbi ineffabiliter dignificatus, vtpote Thronus veri Salomonis, Thalamus Sponsi cælestis, Templum veri Dei effectus, &c.* Sic Dionysius.

53. Desiderat iam quispiam, perspicere Virginis ardentissimum Dei Filio famulandi, quod in Thronis tantoperè emicat, voluntatem? Audiat Rupertum Abbatem lib. 2. in Cant. vbi de his obsequijs Incarnato Verbo exhibitis agens sic B. V. loquentem introducit. *Quanto vicinior hic Dilectus habetur, tanto vehementius desideratur. Qui habent, habere desiderant, qui vident videre desiderant. Angeli enim vident, & tamen desiderant in eum prospicere. Ego autem non vtcumque habui, aut vidi eum, sed in vtero gestaui, & genui eũ & ei Mater lac præbui, & diligenter contemplata sum. Quid putatis, quot noctes duxi peruigiles videndo, & audiendo eum? Non enim sufficiebat dies ad tantum desiderium, sed totis noctibus in lectulo meo, in cubili meo peruigil fouebam, & adorabam paruulum, audiebam, & adorabam iam adultum, cum intra dulcia colloquia per oculos suos, oculos corporis transfunderet mihi sua diuinitatis aspectum, ita tamen contemperans, vt tolerare possem quem tremunt Angeli, & virtutes cælorum.* Hæc Rupertus.

B.V. quænam obsequia Incarnato Verbo exhibuerit.

54. Audiamus Honorium Augustod. in sigillo B. V. qui opera misericordiæ à Deipara Filio exhibita cōmemorat: *A pueritia propter nos exulem, & in hoc mundo hospitem suscepit, in vteri sui hospitium gemmis virtutum conspicuum. Proprijs vberibus pauit esurientem; super genua consolabatur flentem. Infirmum eum fouit blandis, nudum eum inuoluit pannis vagientem fascijs cinxit, arridenti oscula fixit. Nimirum erat sollicita circa frequens ministerium fugiens à facie Herodis in Aegyptum, iterumque rediens.*

B.V. opera misericordiæ Incarnato Verbo exhibuit.

55. De ijsdem Virginis ministerijs Filio exhibitis Diuus Basilius Seleuciæ Episcopus pręclarè scripsit orat. 39. vbi Virginem ait mox atque Diuinum Infantem contemplata est, desiderijs, ipsi famulandi reuerentiæ plenissimis hæc solam cum solo agitasse colloquia:

Colloquium B.V. cum Parvulo IESV, eiusque ardens ipsi seruiendi desiderium.

Quam tibi Fili congruam appellationem inveniam? Hominis? At conceptio tua Diuina est. Dei? At humanam carnem sortitus es. Quid ergo mihi tecum faciendum? Lacte nutriam? an DEVM considerabo? Curabo vt Mater, an adorabo vt Ancilla? Complectar vt filium, an adorabo vt DEVM? Præbebo lac, an thymiama adolebo? Quodnam hoc maximum, & inenarrabile miraculum? Cælum tibi sedes, & te sinus meus gestitat? Totus præsto es terram habitantibus, & à cælestibus non es procul abiunctus? Non contigit ista descensio loci mutatione, sed Diuina fuit condescensio. Deprædico tuam in homines charitatem, non scrutor tuam Incarnationem. En quam ardentia Filio Dei ancillandi, suaque obsequia ipsi deferendi, fuere Virginis huius vota, ac desideria. Quæ sanè non modo Thronorum, verum etiam Angelorum omnium, atque adeò vniuersarum rationalium creaturarum quàm longissimè excessere Deo obsequendi voluntates.

56. Hæc sacratissimæ Virginis dilectissimo suo Filio delata obsequia, ac ministeria, D. Augustinum induxere, vt Tomo 9. Ser. de Assumpt. doceret illam in anima simul, & corpore in cælos assumptam, iuxta fidelissimam illam eiusdem Filij promissionem: *Qui mihi ministrat me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit Ioan. 12. Mariam namque,* inquit ille, *operis exhibitione, & fidei, rigidissimâ veritate Ministram Christi fuisse, omnis qui sane sapit, intelligit. Absque dubio enim omnis operis ministratrix extitit, quæ hunc in vtero gessit, partuque profusit, aluit, fouitque, atque vt Euãgelium ait in præsepio reclinauit, & à facie Herodis in Aegyptum fugiens abscondit, omnemque infantiam eius matris affectu ita prosecuta est, vt vsque ad crucem, in qua Filium vidit pendentem ab eius indubitanter ministerio non recesserit, consecuta eum,* non

B.V. quia Christo in hoc mundo existenti varia ministeria exhibuit, à corruptione carnis vindicata cũ anima, & corpore in cælos profecta est.

non modo gressibus pedum, tanquam pro amore Filij, verum etiam imitatione morum tanquam pro reuerentia Dei. Concludit tandem: *Ecce igitur Maria fide, & opere Christi administratrix, & deuota vsque ad eius mortem secutrix, non plus gressu, quam imitationis affectu, vt credendum est, si ibi non fuerit, vbi Christus suos ministros vult esse, vbi ergo erit? Etsi ibi erit, nunquid æquali gratia? Et si æquali gratia, vbi æqua Dei censura, quæ vnicuiq; reddit secundũ merita sua? Si ergo merito Mariæ viuenti, præ omnibus donata est gratia, mortuæ erit imminuẽda? Absit? Quia si omniũ sanctorum mors est preciosa, Mariæ sanè est preciosissima, quam tanta comitata est gratia, vt Mater Dei dicatur, & sit. Consideratis his vniuersis confitendum censeo Mariam in Christo & apud Christum esse gloriosè ad æternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi honoratius susceptam ceteris, quam hic gratia honorauit præ cæteris, &c.* Hæc August. ex quibus colligere licet quanta promptitudine super omnes Thronos Virgo Beata parata semper fuerit ad ministeria Domini, quæ corpore, & anima, singulari prorsus priuilegio tanquam Ministra Christi merita est in cęlos assumi, & apud Filiũ in Throno eius, Thronorũ hic functa ministerio, considere.

Varij Sancti Patres Beatissimam Virginem Thronum appellant.

57. Vocet igitur iure merito Deiparam Thronum S. Iacobus Apostolus in sua Liturgia eique dicat: *Deus noster tuum vterum Thronum fecit.* Salutet illam Thronum S. Chrysostomus Homil. de B.V. & S. Ephræm: Aue Throne Creatoris mei gloriosissimè. Vocet eam Epiph. lib. de Laudib. Virg. Thronum Cherubicum. *Aue gratia plena splendidum cælum, quæ in cælis incomprehensum contines DEVM. Aue gratia plena, quæ Cherubicum Thronum Diuinitatis fulgore superas.* Exclamet idẽ Epiphanius Thronum hunc gloriosissimum contemplãs: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti. Stupendum enim est miraculum in cælis Mulier amicta sole. Stupendum miraculum in cælis alter Thronus Cherubicus.* Exclamet Rupertus lib. 5. in Cantic. in laudem eiusdem Virginis. *O cælum Dei, vnica sedes Domini!* Exclamet Bonauentura in spec. capit. 7. & non quamcunque sedem Virginem agnoscat, sed Thronum lucidissimum, Thronos Angelicos imitantem eandem sic pro affectu suo alloquatur cap. 8. *Tu es Thronus ille indeficiens, Thronus in æternum. Thronus Filij Dei, de quo Pater: Thronus tuus sicut sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & verè in æternum.* Dicat denique Hugo de S. Vict. cũ B. Petro Damiano, Thronum hunc Virgineum figuratum in grandi illo, atque eburneo, vti dixit supra S. Bonau. Salomonis Throno, de quo sermonẽ secundũ in Natiu. B. V. totum contexuit, vbi inter reliqua præclarissima: *Fecit Thronũ,* ait, *vterũ Intemeratæ Virginis, in quo sedit illa Maiestas: hanc sessionem Filij, & probauit, & cognouit Pater, ipso dicente: Tu cognouisti sessionem meam.* Quare piè admodum olim ex antiquo Romano Missali cecinit Ecclesia.

B.V. Thronus eburneus Salomonis.

Vterus Virgineus
Thronus est eburneus
Regis Salomonis.
Thronus admirabilis
Dispar, & dissimilis
Vniuersis Thronis.
Salomon pacificus
Summi Regis Filius
Hunc elegit Thronum.
Virgo Thronus extitit
Cui DEVS irestitit
Tam excellens donum.

58. His Thronorum proprietatibus S. Anton. 4. Par. Tit. 15. capit. 43. addit quandam aliam quam cum Alberto Magno vocat familiarem apertionem, qua DEVS vt magis propinquis, & familiaribus iudiciorum suorum, omnipotentiæque secreta aperit ac manifestat. Quæ sanè Thronorum proprietas mirificè quadrat Deiparæ; Hæc .n. cũ suo Parente Dauide merito gloriari poterat; *Incerta, & occulta sapientię tuę manifestasti mihi.* Et licet abditissima quæque diuinæ potentiæ, sapiẽtiæque arcana Virgo, visione beatificâ, qua toties adhuc in vita felicissimè perfruebatur, in Verbo penetrauit, abstrusissimum tamen Dominicæ Incarnationis mysterium crediderim, potissimùm super omnes Thronos, magisterio Spiritus Diuinissimi propemodum cõprehendisse. Vnde sciscitanti Virgini: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* sapienter respondit Angelus: *Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quasi diceret: Diuinitatis radios Verbique Incarnati splendorem oculis tuis videre non poteris, sed Spiritus S. ad instar pictoris peritissimi lineamenta quędam, vmbrasque inducet, vt aliquam Diuinitatis imaginem vtcumque possis intueri, atque adeo Incarnationem cognoscere, quæ veris-

DEVS B. V. tanquam sibi familiari iudiciorum suorum, omnipotentiæque secreta reuelauit.

B.V. Magisterio Spiritus Sancti Mysterium Incarnationis penetrauit.

quæ verissima est augustissimæ Diuinitatis obumbratio. Interpretationem hanc nos docuit Magnus Athanas. ser. de sanctissima Deipara. *Obumbrauit*, inquiens, *eam virtus Altissimi, corroborans eam, & Diuinę vmbrę imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre posset, quatenus possibile est. DEVM formæ expertem in se concipi. Non enim suspicandum est, quod secundum simplicem naturę suæ proprietatem, Virgo in se habitantem DEVM videre potuerit, sed quatenus possibile fuit, vtpotè obumbrante illam virtute Altissimi, & vmbras, lineamentaque quasi faciente, vt videret, quatenus fieri poterat, DEVM in se habitantem.* Sic ille;

B. V. Mons Vmbrosus, propter Spiritus Sancti in ea factum obumbrationem.

59. Ob hanc Spiritus S. obumbrationem in Virgine factam, crediderim eam Montem vmbrosum vocitatam. Vbi enim vulgatus legit Interpr. Abac. 3. *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharam*, legunt 70. Interpretes. *Et sanctus de Monte vmbroso.* quem locum S Hierony. de Aduentu Saluatoris interpretatur. Eandem ob causam: *Lectulus vmbrosus* dicta est. Vbi enim Cant. 1. dicitur: *Lectulus noster floridus*; vertunt 70. *Lectulus noster vmbrosus*. Et verè merito ob mysterium profundissimum, ac imperscrutabile augustissimæ Incarnationis, Deipara *Vmbrosus lectulus* dicta est, quia ipse sapientum Alpha Salomon, dum de hoc loqueretur Arcano, quod à Deo soli Virgini fuit super omnes Thronos reseratum, se in ipsis ignorãtiæ versari tenebris fatebatur.

B. V. Lectulus floridus, & Vmbrosus.

Quæ sint in noitiæ fidei mysterijs difficilia cognitu?

Cum enim Prouerb. 30. præmisisset: *Tria sunt difficilia mihi*, scilicet cognitu; *Viam Aquilę in cælo; viam colubri super petram; viam nauis in medio mari*; Mox addidit: *& quartum viam Viri in adolescentia*, seu vt legit Hebr. *in Adolescentula, penitus ignoro*. Quæ enim humana vel etiam Angelica mens capiat quanam ratione Vir ille Giganteus, qui exultauit vt Gigas, ad currendam viam, cuius à summo cælo egressus, angustissimis Virginis Adoscentulæ finibus sese insinuauerit, nostramque mortalitatem, Vita illa sempiterna omnisque vitæ fons, amore nostri assumpserit. O quàm prȩclarè S. Bernar. Ser. 4. super Missus: *Quis enim exceptá fortassis illa, quæ sola hoc in se fœlicissime meruit, experiri, intellectu capere, ratione discernere posset, qualiter splendor ille inaccessibilis Virgineis se infuderit visceribus, soli hoc datum est scire, cui solùm datum est experiri.* Hinc merito dixit Pelbartus

Difficile cognitu est qua ratione Verbum Gigas ille grandis in Adolescẽtula nouem mensibus habitauerit.

Sola B. V. intellectu super omnes Thronos Angelicos cæpit Incarnationis Myst.

Themisuariensis lib. 1. Stellarij Par. 67. art. 3. cap. 3. *Quis vnquam audiuit talia vt Mater sit Virgo, & DEVS sit factus homo. A sæculo non est factum tale, vt Portitor orbis portaretur manibus fœmineis, & qui omnia continet, augustia vteri Virginalis contineatur.* Hanc ob causam Abacuc, Cantico illi suo, quo nobis Verbi Incarnationem explicat, titulum præfixit: *Oratio pro ignorantus*. Quia licet multa Sancti Patres, ac Theologi de Incarnationis mysterio præclarissima memoriæ, posteritatique mandarint, quibus vtcunque eius cognitionem assequimur, plura tamen longè sunt, quæ nos latent, orandum proinde petendumque ab æterno luminum Patre, vt ignorantiæ nostræ tenebras, diuina sua luce irradiet, quo maiorem, tam salutiferi mysterij, Thronos, Deiparamque vtcumque æmulantes, cognitionem assequamur.

60. Iam quid de alijs innumeris sacrosanctæ fidei nostrę secretis gloriosissimæ Virgini nostræ super omnes Thronos reuelatis dicemus? Hæc sanè quam plurima extitisse, illa eius verba, interprete Ruperto Abbate libr. 5. in Cant. nobis declararunt cum dixit: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt, & custodiunt Ciuitatem.* Vbi sic ipsam Deiparam loquentem introducit: *Nimirum amici, & primi amicorum nostrorum qui dicunt: Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Isti erant vigiles, & hoc erat illis vigilare, & ciuitatem circumire, & muros custodire, scilicet orationi, & ministerio verbi iugiter instare. Isti inuenerunt; quærebant enim me. Quomodo autem quęrebant? Quęrebant me omnes pia solicitudine, & ille prȩcipuè cui à Dilecto fueram cõmissa dicente: Ecce Mater tua, & recepit me in sua. Quærebant isti multum sperantes de me, quod inesset mihi aliquid dignum sua inquisitione, quippè, qui nouerant, quod in me, vel de me fuisset factum, qualis Mater qualem genuissem Filium? Nonnihil superesse in me arbitrabãtur de thesauris Altissimi, quos superueniens in me Spiritus S. thesaurizauit in conceptione tanti Filij. Verum quippè hoc erat, quod Filius quidem de vtero meo per Natiuitatem carnis, tanquam sponsus de thalamo suo processit, sed nihilominus tota plenitudo, quam acceperam ex tunc, & vsque in sęculum in corde, & in sensibus meis perseuerauerit, ac perseuerabit.* Hæc Rupertus.

Multa fidei nostræ mysteria B. V. familiarius reuelata quam Thronis Angelicis.

Apostoli sũt Custodes Ciuitatis Dei, quæ est Ecclesia.

Apostoli fidei mysteria à B. V. discere cupiebant.

S. Ioannes Euangelista varia diuina secreta didicit à B. V.

Ob hanc Diuinorum secretorum reuelationem suo tempore faciendam Aposto-

B. V. à Filio in hac vita detenta, vt in mysterijs fidei erudiret Apostolos.

Apostolis, eius dilectissimus Filius licet eam medullitus amaret, illam tamen secum ad gloriam assumere supersedit, quo eius magisterio, Thronorum longè excellẽtiori, secretis huiusmodi cælestibus erudirentur. Vnde S. Anselmus lib. de Excell. B. V. cap. 7. *Erat præterea*, inquit ille, *vt hic quidem videtur vtilis, & necessaria fidei nostrę conuersatio sua, post Ascẽsionem Christi Domini inter Apostolos eius. Quia licet ipsi per reuelationem Spiritus S. edocti in omnem fuissent veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum Spiritum veritatis, illius virtutũ profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in se non solùm simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysterijs eiusdem Domini nostri IESV Christi.*

61. Hanc ob causam denique Sancti Apostoli in rebus circa fidem, quæ dubiæ videbatur, ad illam tanquam ad oraculum confugiebant, certo sibi persuadentes secreta huiusmodi illi multo excellentiùs, quam ipsis vel Thronis, vel reliquorum Angelorum Hierarchijs fuisse perspecta. Vnde supra memoratus Rupertus Abbas lib. 1. in Cant. de huiusmodi nostræ Religionis loquens dubijs, ita profatus est: *Horum discernendorum vtique magistram te esse oportebat, ò B. M. Magistra Magistrorum, idest Apostolorum, iuxta illud: Fons hortorũ, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. An quia Spiritus Sanctus illos docuit, idcirco tuæ vocis ministerio non illis, opus fuit? Immo vox tua vox illis Spiritus S. fuit. Quicquid supplementi opus erat, eisdem mortalibus, vel testimonij ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant ab eodem Spiritu diuidente singulis, prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt instructo ad loquendum, bene composito ad tacendum, prout tempus erat opportunum.* Addit denique primo illi Concilio habito Hierosolymis Deiparam adfuisse, sanctumque de eius pectore, de eius ore Spiritum, Discipulos consuluisse, ibique sicut, & in reliquis agendis circa fidem, Virginem velut Conciliorum huiusmodi Pręsidem, ac Principem modestissimè omnem soluisse quæstionem. Plura vide in Discur. de Sapientia B. V. Par. 1.

B. V. primo Concilio Apostolorum Hierosolymis habito, interfuit.

62. Neque vero Virgineo huic Throno, in quo summa illa residere dignata est Maiestas, sua Regia defuisse ornamenta, auri, gemmarumque existimandum est. Si enim Regis Sinarum Thronus, vt perhibetur ab oculatis testibus fide dignissimis, est precij infiniti, gemmis adeo collucens, vt sub noctem accensarum facum lumen æmulentur, neque candelis alioue lumine sit opus: quid de hoc Virgineo animatoque throno dicendum, in quo Regis Regum Domini Dominantium ipsa immensa consedit Maiestas? Inter hæc Regij huius solij ornamenta; lapidesque preciosos numerarim ego charitatem, misericordiam, clementiamque Virginis vel maximè, qua reuera stabilitur, ac confirmatur in dies Regnum eius, totoque terrarum orbe semper efficitur gloriosius. Verissimè enim ac sapientissimè pronunciauit Salomon Prouerb. 20. 28. *Misericordia, & Veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia Thronus eius.* Vnde de Messiæ Throno loquens Isaias cap. 16. vti supra innuimus. *Præparabitur in misericordia solium eius.* Misericordia hæc, Virginisque in omnes charitas, est aurum illud fuluum nimis, quo grandis Thronus ille Salomonis, toto orbe celeberrimus, erat conuestitus. Quemadmodum enim aurum metallis omnibus supereminet, estque partes in omnes flexibile, atque ad varios vsus ductile. Ita Virginis quoque misericordia, ac charitas; de cuius eminentia verè dici potest cum Dauide: *Et misericordia eius super omnia opera eius.* In hoc verè Throno Virgineo ac grandi, grandis quoque, reliquisque operibus omnibus eminentior Dei misericordia apparuit. Postquam enim Dei Filius, Dilectus ille quemadmodum Filius Vnicornium, qui seuerissimæ iustitiæ cornu in peccatores sæuiebat; *Cornua enim Rhinocerolis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes, vsque ad extremum terræ*, ait Moyses; Deut. 32. postquam, inquam, in sinu Virginis mansuefactus est, *misericordia Domini plena est terra; misericordia eius vsque ad cælos*, vt idem cecinit Dauid. Atque ita verè dicere possumus, quod quemadmodum Virginitas Deiparæ grandem Dei Filium quodamodo effecit, ita quoque, & eiusdem Virginis misericordia.

B. V. velut Thronus variis virtutum gemmis lucidissimis ornatus.

Gẽmæ Throni Virginalis charitas, misericordia, clemẽtia, &c.

B. V. est velut solium tapete misericordiæ contectus ac præparatus.

Rhinoceros Diuinus in sinu Virginis mãsuefactus.

63. Quod porrò Virginitas B. V. magnum Dei Filium effecerit, audiendus est Richar. à S. Laur. lib. 10. vbi mysteria eburnei Salomonis Throni considerans, sic loquitur: *Vsque ad B. V. non habuerat Christus thronum de ebore, sed quasi sedem plebeiam, ac communem. Sed in ipsa Thronum,*

Per votum Virginitatis à B. V. emissum quantũ DEVS glorificatus, & magnificatus?

num de ebore habuit, quæ prima Virginitatem vouit, & in ipsa quæ fuit Thronus grandis, celsior factus est, secundum Throni celsitudinem; quod ipsa innuere visa est, cùm cecinit: Magnificat anima mea Dominum, qui quasi oblitus Virginitatis, licet eam super omnia diligeret, benedicebat fœcunditati, dicens Gen.9. Crescite, & multiplicamini. Maria verò, quæ prima votum Virginitatis emisit, Regem filium Regis magni sublimiter exaltauit, & in corde, & in vtero Virginali, velut in Throno eburneo grandi collocauit, & super omnes Reges mirabiliter magnificauit, sicut Salomon super omnes Reges terræ magnificatus est, ex quo sibi Thronum grandem fecit, & in eo consedit. 3.Reg.10. Quare verè dicere possumus, quod quemadmodum immaculatus Agnus, quem vidit Ioannes residentem in Throno dicebat: Ecce noua facio omnia; ita idem Agnus ille diuinissimus postquam in vteri Virginalis conquieuit Throno, & misericordiam, & Virginitatem, aliasque virtutes, quæ quasi præteritis ante ipsius aduentum sæculis exoleuerant, renouauit, inque suum pristinum nitorem reduxit.

S. B. V. misericordiam experiri volumus ad Thronum ipsius gratiæ recurramus.

64. Quo circa quisquis hanc charitatem, misericordiamque Virginis in se experiri desiderat, ad Virgineum hûc Thronum misericordiæ confidenter recurrat, accediatque monitum Apostoli, quod etiam supra memorauimus. *Adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ, vt misericordiam inueniamus in tempore opportuno*. Hæc enim est illa benignissima Regina Hester, quæ cum mandasset Assuerus Rex vniuersum Hebræorum deleri populum, pro communi populi salute eum supplicatura accessit, inuenitque tantam in oculis eius gratiam, vt illam summa cum benignitate ita alloqui nô fuerit dedignatus: Pete quod vis, etiamsi dimidium Regni mei petieris impetrabis. Qua verò in re potissimum hoc Dei Regnum consistit, nisi in misericordia, & iustitia? canente Dauide: *Duo hæc audiui, quia potestas tibi est, Domine, & misericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua*. Reseruatâ igitur sibi suprema illa potestate iudiciaria, ac iustitiæ rigore, velut dimidia Regni sui parte, alteram medietatem, nempe misericordiam impertitus est Matri eamque in eius vtero, veluti Throno residens Reginam creauit misericordiæ, pietatisque Diademate coronauit. Quisquis igitur peccatis, sceleribusque inquinatus districtam iustitiam, iramque supremi Iudicis pertimescit, ad animatum hunc Pietatis, gratiæ, misericordiæque Thronum accurrat, benignitatem Propensissimam Virginis in se experietur.

B.V. noua Ester, pro salute populi supremum Regem deprecans.

Christus reseruata sibi Iudiciaria potestate Matri Regnû dedit misericordiæ.

Misericordiæ B.V. singulare exemplum.

65. Testis effusissimæ huiuscé pietatis ac misericordię est Adolescens ille, cui, vt refert Pelbar. lib.6. stell, Par. 1. artic.2. Parens ex hac vita decedens tria saluberrima, tanquam alter Tobias, testamento quasi legauit documenta: *Fili mi*, inquiens, *tria te docebo semper in corde tuo altissimè defigenda. Primum quidem, vt omni die Missam audire, & creatorem, Redemptoremque tuum in Sacramento intueri studeas, quia S. Augustino teste: Intuitus Saluatoris, salus est peccatoris. Alterum vt semper de tuæ vitæ fine, æternaque post illam morte recogites. Tertium vt Sacratissimum Mariæ Virginis Nomen cordi tuo intimè inscribas, eiusque auxilium patrociniumque implores, nam vt Sanctus ait Ambrosius: Qui inuocat Mariam consequetur gratiam.* Hic igitur Adolescens post obitum parentis, amicorum suasu, vxore ducta statuit votum quoddam parentis ad terram sanctam, quantocyus exequi. Itaque cum in Ciuitatem Acherô cum reliquis peregrinis aduenisset, & Christiani, commisso cum Saracenis prælio essent debellati, captus est, non tamen occisus, cû reliqui omnes pene fuissent deleti, eo quod eo die memor parentis salutaris consilij, sacro interfuisset. In captiuitate dum versatur, & per sex annos grauissimis laboribus, fame, ac verberibus immanissimè cruciaretur, DEVM, eiusdemque Matrem pro liberatione implorabat. Septimo tandem anno diuinam Opem adfuturâ desperans, per summum nefas ad Cacodæmonem, pro sui ereptione rogitandum sese conuertit. Adfuit illico humani generis hostis, in hominis specie, eique si liber esse velit, vt Christum eiusque Matrem, omniaque Ecclesiæ Sacramêta abneget, proponit. Libertatis cupiditate ductus infelix adolescens imperata facit; Nomen tamen Mariæ, moniti paterni memor, eiusque patrociniû, corde non negauit, sed ore duntaxat. Cum igitur miserum hunc Cacodæmon è captiuitate eripuisset, eumque in aera tam altæ sustulisset, vt cælum vertice quodammodo tangere sibi videretur, horrendâ planè voce cæpit personare, ad quam mox ingens Dæmonum horrificè conclamantium caterua aduolauit. Iugula, inquiens, macta, sine in terram cadere, quia non videtur omnia fideliter negasse, quæ negaturum se

Tria documenta vtilissima: quotidie sacro interesse. Assidua de morte cogitatio: Mariæ Nominis inuocatio.

Fructus Sacrificii Missæ.

Adolescens captiuus desperata ope Diuina Dæmonis auxilium quærit.

Perditus adolescens B. V. ore, non corde negat.

Dæmonum in adolescentem immanitas.

S pro-

promiserat. Ad hominem igitur conuersus tenebrarum, & aerearum Potestatum Princeps: Ego te, inquit, plenius examinabo; simulque ad mare deductum: Negasnè, interrogat, Baptismum Deique tui Nomen? cùm ille; *Nego* respondisset; apprehensum in mare profundissimè demersit: *Tene te*, inquiens, *fortiter quia te nomine Diaboli baptizare volo*. Addit Dæmon: *Negasnè Christum crucifixum?* & ille; *Nego*, intulisset, rursum eũ in mare demersit. Tandé sciscitatur; *Negasnè Nomen Matris Dei, omnesq; sanctos?* At ille timore cõsternatus, ac pene exanimatus, pernegauit, per summã impietatẽ omnia. Adest interim innumerabilis Demonum, ingenti cũ strepitu, ac tumultu quã plurimas ad Inferni cruciatus animas deducentiũ phalanx, quæ horrifica, luctuosissimaque lamentatione infelicissimam suam sortem damnationemque deplorabant, vociferantes: *Væ nobis miseris, quia peccauimus, væ quia Diabolo æternum cruciandi traditi sumus*.

Ad horrisonas hascé animarum voces, Dæmonumque plane formidabiles tremefactus aspectus, homo ille miserabilis, totus incanuit, tandemque nequissimi veteratoris ministerio ad suum quoddam molendinum eũdem deportauit, eique valedicens, *Amice mi*, inquit, *esto constans, pactumque inter me, & te sancitum vide, ne vnquam violes, nam in omnibus tuis necessitatibus tibi semper adero*.

Molitor interim ad vxorem lætum allaturus de aduentu sui Domini nuncium, accurrit. Adest mox illa.

Verum cum eum curiosius esset intuita, totumque deformatum, senemque canum animaduertisset, impositum sibi existimans, eum cum reliquis, qui ad insolitum hoc spectaculum accurrerãt maritum esse suum pernegauit, Iuuenem esse suum maritum dictitans, atque ita eum omnino, cum reliquis adstantibus, repudiauit. In his constitutus angustijs, quo se veteret, quoue modo vitam toleraret minimè inueniret, tam fame, quã stimulis adactus conscientiæ, paternique memor consilij, vt in omni necessitate Nomen sanctissimum Mariæ Virginis benignissimæ, eiusque auxilium inuocaret, in templum proximum ingreditur: ad Aram Deiparæ paruulum IESVM vlnis baiulantem amarissimè plorans in terram prouoluitur. Dum oculos attollit, videt Virginis Filium à se faciem auerte-

Desperatus adolescens ad B. Virginẽ recurrit, eiusque auxilium implorat. Paruulus IESVS ab eo faciẽ auertit.

re, ipsiusque scelera execrari. Visu hoc tam formidabili irrugijt nimirum ille fletu, singultuque amarissimo, atque vberrimis perfusus lacrymis ad Matrẽ misericordiæ conuersus, exclamat:

Oratio desperati adolescentis ad B.V.

O spes peccatorum; ò refugium miserorum, memento, quia tu es Mater misericordiæ, ora igitur filium tuum pro me! Non sum quidem dignus, sed propter filij tui bonitatem, & amorem, oculos misericordiæ tuæ ad me conuerte, meque tuo Filio reconcilia. Nec irritæ cecidere preces. Virgo enim pientissima ad misericordiam flexa, deposito ex vlnis super altari Filiolo, descendensque coram ipso supplex procidit, his eum pijssimis vocibus compellans: *Fili dilectissimè IESV, salus, & vita animarum; nosti mihi fas non esse, quemcumque peccatorem, qui spes suas in me collocauerit, relinquere. Fili mi vnicè, Fili mi dilectissime, memorare quæ, & quãta passa tecum sim pro peccatoribus*.

Nosti quid in tua acerbissima passione, tibi animitus compatiens, tibi commortua, tecumque quodammodo crucifixa fuerim, & iuxta tuam Crucem stans doloris gladius animam meam pertransierit. Nonnè Fili mi amantissimè pro peccatoribus in vtero meo incarnatus es, & homo factus, ex me natus, passus, crucifixus, & mortuus es, meque pro ipsis Aduocatam, ac misericordiæ Matrem constituisti? Nonnè tu dixisti? Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita viuet, & nõ morietur? Nunquid voluntatis meæ est mors impij, & nõ vt cõuertatur à vijs suis, & viuat? Ezech. 18. *Nunc ergo dona mihi hunc peccatorem*. His dictis, mox Mater à Filio, cui vt homo, & honorem, & subiectionem debet, exauditur pro sua reuerentia, hominemque illum calamitosissimum IESVS paruulus, pro infinita sua pietate complexus in gratiam recepit. Renouata est illico, vt aquilæ iuuentus eius, pristinisque mirâ planè metamorphosi, resumptis viribus, caro ipsius refloscere visa est. Nẽpe Iesus lignum vitę est, quod vitam, senectutis, interitusque omnis expertem olim in Primigenię illius innocentiæ statu conseruabat.

Oratio B.V. ad Filiũ pro desperato adolescente.

Orationis Virgineæ apud Filium efficacitas.

Adest interea nequissimus Cacodæmon, seque delusum esse dolens, totum templum horrisonis rugitibus stridoribusque compleuit, quibus tota excita Ciuitas ad Templum confluxit. Iussit mox Iuuenis ille Sacerdotem aduocari, eique totius anteactæ vitæ peccata, sacrã exomologesi facta, confessus, pietatem, ac misericordiam erga se Virginis effusissimam coram omnibus deprędica-

dicauit, eosque ad Dei Matris laudum encomia celebranda, quasi subiectis facibus inflammauit. Vxor inter reliquos, eiusque amici se prægaudio, tam mirâ, beneficio Deiparæ, mariti facta metamorphosi sese minimè capiebat, magno perfusa, ac delibuta gaudio exiliebat. Itaque tantorum in se à Virgine collatorum beneficiorum memores communi consensu, ille virorum, hæc mulierum cænobia ingressi, vitam in Dei, Deiparæque laudibus celebrandis summa omnium approbatione traduxerunt, æternæque illius Participes fieri tandem sunt promeriti. O admirandam Deiparæ pietatem, ò stupendam illius misericordiam, ac charitatem omnium gentium linguis, literarumque monimentis posteritati commendandam! Quis ex hiscè tantis eximiæ clementiæ ipsius prodigijs, Thronum eam siue solium, misericordiâ clementiaque præparatum, atque instratum esse neget? Siquidem Iuuenis hic ad Virgineum hunc Thronum gratiæ accurrens in tantis miserijs, ac calamitatibus, constitutus inuenit auxilium in tempore opportuno. Vnde non immerito tandem Pater hic Pientissimus in Virginem conclusit: *Ecce igitur claret quam bonum sit homini Nomen Mariæ, eiusque auxilium inuocare, eique deseruire, quia non poterit huiusmodi homo Dei gratiâ, ac beatæ Virginis merito ipsum protegente, perire.*

Iuuenis facta Confessione conuersus cum vxore Religionē ingreditur.

66. Quod si quis etiam ardentioribus libidinis facibus sese accendi persentiscit, nec ita firmum robur, vires que animi exaggeratas ad eas extinguendas experitur, accurrat mox ad Thronum hunc Virgineum, de ebore grandem, infractum quoddam, ac plane eburneum ad resistendum Tartareis Asmodei conatibus pectus, Aiacisque clypeum inexpugnabilem sibi dari, ad omnia tela ignea nequissimi extinguēda animaduertet. Ipsa enim sacratissima Deipara nostra *Virgo est, & Virginum amans, pura est, & purorum amans*, vt S. loquitur Damascenus. Expertus est protectionem hanc Adolescens quidam, professione miles, de quo speculum exemplorum. Hic cum ab ineunte ætate illibatum Virginitatis florem conseruasset; quod sane in militari iuuene omnino admirabile est; cum Martem, Veneremque admodum sibi familiares esse quotidianâ doceamur experientiâ, adeo vt militem Virginem, vel etiam castum reperire, sit, vt canit Satyricus:

Remedium contra libidinem recursus ad B.V. vel vt ad Thronum eburneum.

Miles à iuuētute Virginitatis florem conseruat.

Rara auis in terris, niueoque simillima coruo;

Tandem hic ab humani generis hoste, admotis impuri Cupidinis facibus annum integrum vstulari, amoreque hospitæ formæ liberalioris capi cępit. Denique præsidijs spiritualibus, in tam continuo cum inuisibili hoste conflictu, destitutus, Tartareæ sagittæ, vulnerique locum reliquit, quod etiam Matronæ illi honestissimæ aperire, omni proculcato pudore non dubitauit. A qua repulsam passus, & mox in se ingressus, meditatum facinus, adeo detestatus est, vt morbo huic tam periculoso medicinam quæsiturus ad Eremicolam quendam vitæ sanctimoniâ celebrem adierit, eique cum lacrymis suam infirmitatem fuerit confessus. Huic mox Vir Sanctus præsentissimum tam periculoso morbo adhibet antidotum. Consulit, vt decursu anni quotidie centies Salutatione Angelica iterata, Dei Matrem, veniam meditati delicti postulando, veneretur. *Hoc faciendo quidquid volueris*, inquit, *ab illa impetrabis*. Sciebat enim quod Virgo castitatis Amatrix iuuenem castum, errorem suum deplorantem, non esset desertura. *Ipsa enim tantæ pietatis est, vt neminem se inuocantem, sibique fideliter seruientem periclitari sinat*, ait speculi Auctor. Cū itaq; magna pietate hoc deuotionis ergà Deiparā pensum toto anno in Tēplo quotidie persoluisset; extremo die mensæ accūbenti occurrit, se minimè consuetas Salutationes Virgini de more obtulisse; moxque silentio, consenso equo ad Templum illud, solitas Deiparæ dicturus salutes accurrit. Quibus persolutis; ò incredibilem Dei Genitricis pietatem; ecce videt eamdem frenum sui tenentem equi, seque illi in castissimam offerentem sponsam; quæ etiam amplexu, osculoque eum non est dedignata, promittens, insuper breui in cælo nuptias se eum illo castissimas celebraturam; Ad omnis beneuolentiæ benignitatisque suæ tandem cumulum, stapedem equi ipsius apprehendens, eum iubet conscendere, impertito illi adeo insigni castitatis, puritatisque dono, vt nullam in posterum libidinis titillationem persentisceret.

Miles tentatur carnis concupiscentia.

Remedium salutare contra libidinem salutatio Angelica.

B.V. tantæ est pietatis, vt neminem sibi seruiētem deserat.

Paucis post diebus modicū aliquem cū

sensisset dolorem, qui beatæ mortis esse videbatur prænuncius, adstante Eremita illo, fælicissimè ad æternas dilectissimæ suæ, purissimæque sponsæ nuptias miris delibutus gaudijs euolauit.

En vt miles hic ad eburneum hunc, Virgineumque misericordiâ, pietateque instrarum accurrens Thronum, auxilium præsentissimum tanto malo est expertus. Exemplum sane dignum, quod quiuis fœdi Cupidinis ictus sagittis, imitetur.

B.V. Patres Prædicatores in variis occasionibus à peccato præseruauit.

67. Alia innumera huiuscemodi reperiuntur exempla, quibus clare ostẽditur, ijs omnibus qui ad eburneum, hunc Virgineumque Thronum in suis carnis, Satanæque impugnationibus, sensusque blãdientis illecebris pia cum fiducia recurrunt, gratiam præseruantem, misericordiamque Deiparæ, abominabiles illas carnis tollentem miserias, deesse non posse. Certe P. Hyacynthus Choquetius in suo libro aureo de visceribus Pietatis B.V. in Ord. Prædicatorum toto capite decimo ostendit præclarissimis illustrium Virorum ac Virginum exemplis adductis, quanam ratione Deipara sacri illius Ordinis homines in peccandi præsertim carnaliter occasionibus varijs egregiè præseruet. Præsentissimam benignissimæ Matris Virginis opem expertus est B. Ioannes Vualdesusius ex Episcopo Bosnensi totius Ordinis Generalis, qui cum exemplo B. Iordanis Generalis Fridericum II. Imperatorem ob vagam effrena tamque libidinem acriter aliquando corripuisset, dixissetque pessimum ipsius exemplum esse comprimis irati Numinis in vindictam prouocationem, sibique ea viuendi ratione probrum, plurimis alijs animæ perniciem patere; Paternam hanc Sancti Patris admonitionem Fridericus acerbius animo tulit, quam verbis præsetulit. Subornat itaque vnam ex suis fœdissimis illis, quibus assueuerat meretriculis formâ elegantiorem, vt suis blandicijs callidè castissimum Virum hunc circumueniat, & ad flagitium pelliciat. Interim quæsiuit sibi latebram, cum quibusdam Viris primarijs Fridericus, vt si puella illum vicisset, ac expugnasset quod ipse, alios suo pede metiens, augurabatur, cum suis velut oculatis testibus conclamaret, famamq; tanti Viri prostituerat. At longe secus accidit, patrocinante, ac spectante de cælo Deipara, cuius maternæ protectionis clypeo munitus Ioannes, de abominãdo illo Veneris mancipio gloriosissimam palmam tulit: Cum enim vix in conclaue Viri religiosissimi pedem intulisset, vixque sermonem lenocinantem inchoasset, *insigni Dei* inquit Choquetius, *nostræque Matris Mariæ opitulatricis munere, nihil cunctatus Ioannes colaphum ei tam validè infregit, vt eam toto corpore ad terram prostrauerit, moxque sese inde proripuerit*. Non tulit impune supremus Iudex optimo suo seruo tam enormem irrogatam iniuriam. Non enim ita multo post, die S. Luciæ Sacro à Manfredo Filio suo Spurio, per vim ore, ac Spiritu compresso infælicissimè mori coactus est Fridericus.

B. Ioannes Vualdes. reprehendit Imperatorẽ ob libidinẽ.

Imperator illius castitati struit insidias.

Infelix Imperatoris mors.

B. Ludouici Bertrandi castitas à B. V. protecta.

68. In simili constitutus fuit periculo B. Ludouicus Bertrandus eiusdem Ordinis Vir Sanctissimus, & cultui Deiparæ addictissimus quicum hoc nostro sæculo animarum accensus zelo in Indiam esset perfectus, & tam Indorum, quam aliorum Hispanorum saluti consuleret, prædicationeque Rosarij B. V. plurimisque editis miraculis, ac prodigijs innumeros barbaros ad Christi fidem conuertisset, tandem cum intellexisset amicum quendam suum Hispanum amore cuiusdam meretriculæ dementatum, omnem suæ salutis curam deposuisse, pro ea qua erga omnium proximorũ salutem peruigilabat solicitudine, re prius Deo, eiusque Matri Sanctissimæ commendata, eum benignè corripiendum censuit. Sed admonitionem illam paternam ægerrimè tulit Hispanus, vnde vindictæ appetens, easdem illi per impudicam quandam, formosamque mulierem molitur insidias, quas possum fuisse diximus B. Ioannem Vualdesusium.

Degebat Ludouicus in paupere temerè, ex straminibus, lignisque confecta casa solus, vt mos est ijs qui animarum curam apud Indos extra vrbes gerere consueuerunt. Nocte igitur quadam scelerata mulier fores Ludouici pulsat. audito pulsu aduolat mox vir Sanctus proximi salutem periclitari ratus. Priusquam tamen aperiat, quisnam sit exquirit: Tum illa: *Sum*, inquit, *Pater, Puella quam grauis premit calamitas*. Aperit Pater, causamque intempestiui aduentus rogat, eâque intellectâ,

B. Bertrandus se flagellis cædit.

Siste,

Siste, inquit, *pro foribus tantisper filia dum redeo*. Confestimq; obserato tugurio, arreptoque è ferreis catenis confecto flagro in vicinam Ecclesiam sese proripit, ibique coram Deo, eiusque Matre sese in oratione, vbertim manantibus per ora lacrymis prosternit, auxiliumq; cōtra Cacodæmonis insidias implorat, simulque in languidum, assiduisque, morbis pene confectum corpusculum flagellis desæuijt. Audiebat nefanda pellex gemitus, singultus, & crepitantium flagellorum ictus, & iam scelus detestata, suas vias ire cogitabat, nec poterat tamen, donec post horas fere tres redijt Pater, eique dixit: *Abi mulier, & ne tibi vnquam simile quidpiam accidat, Diuinę vltionis memor, diligenter caue*. Abijt illa, & fraudis, tantique sceleris Auctori cuncta retulit; qui tam præclaro Heroicoque Sancti huius Viri audito facinore, infame Veneris iugum vti, & Puella intercessione Deiparæ sine dubio, quam postulauerat Ludouicus, excussit, Sanctamque vitam instituit.

Auditis flagellorum ictibus pellex peccatum detestatur.

69. Nec fragilis imbecillisque fœminei sexus in hoc genere desiderantur exempla Celebre omnino est illud quod idem P. Choquetius ex varijs pręclaris recenset auctoribus de Lucia Virgine quadam tertij Ordinis Diui Dominici, eximio in Dei Matrem cultu, ac veneratione spectatissima, quæ cum eleganti forma esset prædita, & Iuuenis quidam eius amore captus, eius pudicitiæ insidiaretur, quæsiuit tandem ex illo, & quid tandem causę esset, quod sé consectaretur, cum sciret cælesti Sponso suam iam pridem consecratam esse vitam, ac pudicitiam? Respondit ille, sui in eam insanientis amoris Duces esse ipsius oculos, qui in Facie Angelica, veluti gemina in cælo scintillabant Sydera; hos nimirum cordi suo ardentissimas esse faces, quæ se ita accenderent, vt æstuare, languere, ac pene emori sibi videretur. Quibus auditis, mirum est quantum doloris Virgo pudicissima persenserit, quem etiam profusis ex eisdem ipsis luminibus velut geminis riuulis, copiosis lacrymis contestata est, Supernum Sponsum, increatam illum Sapientiam obsecrans, vt sibi lumen, ad euadendos illos à Tartareo hoste tensos laqueos, ac insidias euadendas porrigat, quo illibatum Virginitatis suæ ipsi cōsecratum florem, ad extremum vsque halitum conseruare possit. Quam gratiam vt efficacius impetraret, ad ipsam Virginum Reginam, Matrem, ac primiceriam Deiparam, summo cum amorę, reuerentia ac fiducia, vti semper consueuerat recurrit, eius opem, ad callidum hostem superandum implorat, vt consilium salutare suggerat, quo technas eius, ac fraudes possit euadere. Dum varia mente secum agitat media, illud Christi; illuminante sine dubio Maris Stellâ Mariâ, occurrit consilium Euangelicum: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce ab te, &c.* Matt. 5. moxque arrepto Scalpello, inauditâ animi magnitudine, oculos, in se piè crudelis, alterius miserata animæ interitum, sibi eruit, eosque disco exceptos per domesticam mulierem Iuueni transmittit. Quibus visis Adolescens, velut geminis confossus sagittis, indoluit, suamque amentiam, libidinemq; detestatus, suos oculos quibus male seductus fuerat, geminos lacrymarum fontes efficiens animam ante actæ vitæ sordibus inquinatam abluit, & Prædicatorum Sacrum Ordinem ingressus est. Quod Luciæ immortali memoriâ dignum facinus quantopere Deo eiusque Matri arriserit euentus comprobauit, siquidem Luciæ oculorum lux restituta est, & perpetuæ Virginitatis in posterum conseruandæ securitas.

B.Luciæ Virgo Dominicana amore castitatis sibi eruit oculos & adolescenti eius puritati insidianti mittit.

B.V. opem Lucia ad tentationem superandam implorat.

Quisquis igitur conseruandæ castitatis illibatæ, puritatisq; Angelicæ gratiam exoptat ad animatum hunc Thronum eburneum recurrat, ipsamque Virginem velut omnis Sanctimoniæ exemplar sibi ob oculos proponat. Vnde lib. 3. Reuelat. S. Elisabethæ cap. 13. Angelus de SS. Innocentium, Laudibus agēs, ita admonet: *Non sunt Virgines, neque Martyres vlli, qui tam propriè Agni vestigia sequuntur, vt isti, excepta Regina Vestra, quæ prima Virginitatem suam mundam, & immaculatam Domino custodiuit. Ipsa Virgo egregia & Beati isti Martyres Speculum sunt omnibus Sacris Virginibus, & multi eos secuti sunt, qui Sanguinem suum pro Virginitate fuderunt, & propterea coronati sunt, & glorificati, in cōspectu Domini. Hos intueri debent cunctæ Virgines, & considerare quali Sanctitate ipsi eos praierint, & ad similitudinem eorum vitam suam conformare debent.* Hæc Angelus. Quod sane consilium si Virgines sequan-

quantur misericordiam Virginis Deiparæ, & auxilium in tempore opportuno, nempe tentationis, inuenient. Porro recursus hic ad Thronum hunc eburneum immaculatæ Virginis idem Angelus docet faciendum per orationem, sine dubio ad ipam etiam Deiparam, per Sacramentorum, item frequentationem, carnisque macerationem. Cum enim Sancta illa Virgo Elisabetha quæsijsset ex Angelo, quibus medijs carnis tentationibus posset quis Superior euadere, & quibus armis aduersarium superare? Respondit: *Oratione, Confessione, & flagellis carnis pugnet, & superabit; non autem insistat rogare Dominum, vt ab hoc stimulo liberetur, sed hoc oret, vt misereatur ei Dominus in hoc tempore tentationis. Si in loco secretiori fuerit flectat genua ter coram Domino: Si autem opportunitas loci ei defuerit, signet cor suum ter signaculo crucis, ac dicat: Saluator mundi salua nos, qui per Crucem, & sanguinem redemisti nos, auxiliare nobis te deprecamur DEVS noster.*

In tentationibus contra castitatem recurrendum ad B. V. per orationem, Sacramentorum frequentationem, & flagella.





DISCVRSVS V.

Quod Deipara V. Dominationum proprietates in se expresserit.

1.

ABundè dictum de prima Angelorum Hierarchia, ad secundam accedamus, in qua Dominationes primum locum obtinent, quorum cælestes mores, ac nobilissimam indolem in se perfectissimè expressit, ac longe superauit Virgo Sanctissima. Nam Dominationum nomine, vt vult Dionysius cap. 8. cæl. Hierar. *excelsior quædam intelligentia totius seruitutis ignara, omnique vltima submissione libere designatur, quæ ita suam asserit libertatem, vt nullis blanditijs cedat, neminiq; se subijciat, sed Diuinę illius Dominationis, imo Deitatis summè Dominantis, indeficienti, ardentique flagret desiderio. Et non solum se ipsam, quantum potest, sed etiam, quę post se sunt, hoc est, inferiores Ordines ad summi Boni effingit exēplar, atque ad nihil eorum, quæ in hoc mundo apparent, sed ad id solum quod verè, ac propriè est, tota intentione conuersa, summè semper Dominantis Deitatis, pro viribus fit particeps.* Quibus ex verbis tres horum Cęlestium Spirituum colligit proprietates Angelicus Doctor 1. Pat. quæst. 108. art. 5. ad 2. aitque nomen Dominationis primò quidem significare quandam libertatem, quæ est à seruili conditione, & pedestri subiectione, sicut plebs subijcitur, & à Tyrannica oppressione, quam interdum etiam maiores patiūtur, quam liberrima. Deinde significare rigidam quandam, & inflexibilē gubernationem, quæ ad nullum seruilem actum inclinatur, neque ad aliquem actum subiecti, vel oppressorum à Tyrannis.

Dominatiōnū tres proprietates.

Denique significare appetitum, & participationem veri Domini; quod est in Deo. Addiderim ego ex Dionysio proprietatem aliam communem omnibus Angelis, à Dominationibus inferiores ordines ad summę illius Bonitatis exēplar effingi, quo in se veram, spirātemque imaginem veri illius, æternique Boni exprimant. Quæ omnia quam aptè Deiparæ conueniant, nemo non videt. Atque vt de reliquis taceamus.

In B. V. Dominationum proprietates sunt expressę longè excellentius.

Quis vnquam mortalium illustriorem libertatem consecutus est, quam Virgo gloriosissima, quæ nullius vnquam peccati siue Originalis, siue actualis iugo fuit pressa? Quemadmodum enim qui facit peccatum seruus est peccati, ita qui peccati iugum excutit liber est, ascitusque in libertatem filiorum Dei, repletur Spiritu illo, in quo clamamus. Abba pater, Diuinamque libertatem imitari videtur. Vbi enim Spiritus Dei, ibi libertas, ait Apostolus.

B. Virgini nullum vnquam dominatum est peccatum.

2. Libertas porro hæc inde vel maxime euadit illustrior, quod non modo nulli peccato fuerit obnoxia, sed ne quidem peccandi inclinationi, seu concupiscentiæ, seu denique peccati fomiti, quem Magister sententiarum in 3. d. 3. Tyrannum, S. Basilius *innatum Dęmonem praua suadentem*; S. Chrysostomus; *Lernam serpentem*; multicipitem Hydram, inquam, cuius capita licet sæpius, per pœnitentiam recidantur, repullulare consueuerunt, appellauit; ita vt in Virgine, nulla pugna, intestinumuè bellum, quod inter rationem, & sensum oriri consueuit, nulla rerum Diuinarum ignorantia reperiretur. Quæ duo mala, concupiscentiā videlicet, atque ignorantiā Richar. de S. Vict. lib. 2. de Emm. capit. 27. ait esse duos illos Reges, ac Tyrannos, à quibus animatam hanc Terram derelinquendam Prophetauit Isaias cap. 3. *Quia*, inquiens, *antequam sciat Puer reprobare malum, & eligere bonum derelinquetur terra,*

Concupiscentia est Tyrannus, innatus Dæmon praua suadens, Lerneus Serpens, multiceps Hydra.

Concupiscentia, & Ignorantia, duo Tyranni à quibus B. V. fuit liberrima.

terra, quam tu detestaris à facie duorum Regum suorum. Et verè dereli&ta fuit terra hæc Virginalis à duobus hiscè Tyrannis in puncto statim suæ fundationis, seu Conceptionis, antequam Dei filius in eius vtero carnem assumeret, antequam magnus ille Puer, imo Deus, eius visceribus circumdatus, sciret reprobare malum, & eligere Bonum. Sed verba huius doctissimi Theologi audiamus: *Terra*, inquit ille, *vtique mortalitatis, & passibilitatis nostræ à facie duorum Regum suorum derelinquitur, quando Natura mortalis atque passibilis, tam à vitio concupiscentiæ, quam à vitio ignorantiæ penitus emundatur. Tempus conceptionis exprimitur in eo, quod dicitur: Antequam sciat ac si apertius dicat: Antequam Emmanuel concipiatur, in eius Matre, conditionis nostræ terra, de qua veritas oritur, à gemina peccatorum omnium radice, nempè à duobus illis Regibus, ac Tyrannis, ignorantia, & cõcupiscentia liberabitur.* Tum modum, quo hæc liberatio à Dei potentissimo spiritu peracta fuit, exponit: *Hoc est vtique*, inquiens, *quod B. Mariæ promittitur, cum ei ab Angelo dicitur: Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Idem Spiritus obumbrauit Discipulos Christi in Transfiguratione: Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Si lucida fuit, quæ obumbrauit Discipulos Christi, quam lucida rectè creditur, quæ obumbrauit Matrem Christi? Sed si illa eius vmbraculum, lucidum erat, ergo, & lucem, & vmbrã exhibebat. Lucem ad depellendam ignorantiam, vmbram ad extinguendam concupiscentiam. Mira illa obumbratio Spiritus S. quæ sub vno momento detersa, exterminauit à Virgine tam ignorantiam boni, quam concupiscentiam mali; quamquam, quod in ea omnis concupiscentia extincta fuerit, probat profectò, quod cum Virginitatis integritate post modum concepit, & peperit. Quam profunde illuminata fuerit, probat, quod illud tantæ profunditatis Sacramentum, tam veraciter, tam velociter credidit, quod huius mundi sapientibus vix tandem aliquando, per tot, & tanta miracula persuaderi potuit.* Hæc quidem Richard. qui videtur supponere non prius à Tyrannis illis duobus Terram hanc Virgineã fuisse liberatam, quàm Dei Filius eius in vtero conciperetur. Verum communior hac nostra tempestate Theologorum est sententia, Deiparam instanti Conceptionis immaculatæ, omni peccato, eiusque fomite, reliquaque peccati seruitute extitisse quàm liberrimam, deque hisce atrocissimis Tyrannis gloriosissimè supra omnes Angelicas Dominationes dominium obtinuisse, deque peccatis omnibus gloriosissimum triumphum reportasse.

B.V. Terra, de qua Veritas orta est.

B.V. à duobus Tyrannis cõcupiscentia, & Ignorãtia in ipso conceptionis instanti præseruata.

3. Qui triumphus quam præclarus, quam illustris ac omninò prodigiosus extiterit, explicat Regius Propheta dũ ad considerationem, & admirationem tanti prodigij nos inuitat: *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Et quænam tandem sunt hæc mirabilia Dei opera, quænam hæc prodigia? Ecce subtexuit: *Auferens bella, inquiens, vsque ad finem terræ; arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Quæ verba idem Richar. expendens attentius, sciscitatur lib. 2. de Emmanu. cap. 29. Quæ est, ista Terra, de qua bella omnia fine tenus auferuntur? nisi illa, de qua idem Propheta alibi protestatur: Veritas de terra orta est? De hac igitur terra omnis pugna tollitur, in hac terra pax plena reparatur. In arcu, & sagitta percussio quidem est, non tam virtuosa, quam artificiosa. E contra in gladio, & hasta percussio quidem est, non tam artificiosa quam virtuosa. Per arcus ergo intelligamus tentationes fraudulentas, per arma vero tentationes violentas. Attende igitur in quantæ securitatis arcem erexit, ad quam nec violenta, nec fraudulenta tentatio nullum de cętero accessum habere potuit. Arcum, inquit, conterens, & confringens arma, & scuta comburens igni. Sicut per arcum seductiones, sicut per arma oppressiones, sic & in scutis intelligimus, excusationes, de quibus Proph. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Excusationes sanè quasi quædam vitiorum scuta sunt, quibus se contra veritatis iacula muniunt, & contra virtutum iaculationes non mediocriter defendunt. Sed illud oportet sciri, quia vbi non est locus accusationi, nullus procul dubio relinquitur excusationi. Quem namque sua conscientia in nullo accusat, non est vnde se excusare oporteat. Virginalis igitur illa puerpera, cui nihil ex plena virtutum consummatione defuit, in nullo omnino excusatione aliqua eguit. Nam si vel impossibilitas ipsa aliquid in ea de aliqua virtutum perfectione minuit, profectò pro ea parte eadem ipsa impassibilitas ei ad excusationem fuit. In eo ipso itaque supereminentis, &

B.V. Terra de qua omnis pugna tollitur.

Excusationes quasi quædã vitiorũ scuta sunt.

B.V. nullis excusationũ scutis indiguit, quia nulli peccato obnoxia fuit.

&c supra modum æstuantis amoris datus cælitus ignis, designata excusationum omnium scuta exussit, quia plenitudo gratiæ, charitatisque consummatio nihil spiritalis infirmitatis, nihil imperfectionis reliquit, quod vel per impassibilitatem excusare oportuit.

In B. Virg. Diuini amoris ignis omnia excusationum scuta cobussit.

Ex his itaque aduertere licet, quod Emmanuelis nostri puerpera in omni fuerit virtutum consummatione perfecta. Hactenus Richardus de omnimoda libertate Deiparæ, in qua nō modo peccata, sed ne excusationes quidem peccatorum, vel ad ea perpetranda, inclinatio, vllum penitus locum reperire potuerunt.

B.V. in omni virtutum cōsummatione fuit perfecta.

4. Quod singulare ac prorsus eximium Dei Matri ex speciali gratia indultum priuilegium, nulli Sanctorum hactenus communicatum legimus. Quia etsi Diuinæ gratiæ, Sacramentorumque beneficio, liberi extiterint à peccatis, vt illis minimè dominarentur, nunquam tamen ab eorumdem fomite sese emancipare poterunt. Et licet Deipara passibilitati, atque mortalitati fuerit subiecta, quia tamen hæ non tam in emolumētum peccati Originalis, quam in vtilitatem Virginis cessere, non veræ pœnæ peccati, seu seruitutes, sed Pœnalitates dici à Theologis consueuere, quæ & Gloriosissimæ Virgini summam gratiam, summamque gloriam peperere, nobis vero singulare virtutum omnium, tam humilitatis, & patientiæ, quam longanimitatis, & charitatis ad imitandum exempla reliquere.

B.V. speciale diuinitus indultum priuilegium, vt à concupiscentia esset libera.

In B.V. nullæ pœnæ peccati Originalis extitere, sed pœnalitates, vt sunt passibilitas, & mortalitas.

Quæ omnia idem Richar. libr. secundo cap. vltimo de Emman. doctissimè declarauit: *In cæteris*, inquiens, *Sanctis magnificum habetur, quod à vitijs non possunt expugnari; in ista mirificum videtur, quod à vitijs non potest ipsa vel in modico impugnari. Cæteris sanctis in communi præcipitur, vt in mortali eorum corpore non regnet peccatum, soli isti singulariter datur vt mortale corpus eius peccatum non inhabitet. Non regnet, inquit Apostolus, peccatum in vestro mortali corpore. Ecce præcipit vt non regnet, sed nunquid vt non inhabitet? Attende super hoc quid alibi dicat: Si enim quod nolo malum id ago, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* (hoc est fomes peccati, quod peccatum dicitur, quia, vt Concilium Tridentinum ait, ex peccato est, & ad peccatum inclinat) à qua inclinatione liberrimam prorsus extitisse Deiparam, & Sanctos futuros aliquando, cum mortale corpus induerit immortalitatem, idem Richardus affirmat: *Sed*, inquiens, *quod de exterminio peccati in B. V. M. factum creditur, in omnibus sanctis speratur. Futurum, inquam, sed non in corpore eorum adhuc mortali, sed in corpore eorum iam facto immortali. Prius siquidem oportebat corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem, sed hoc fuit in B. V. supra modum mirabile, & præ ceteris sanctis omnibus singulare, quod in ea simul conuenire potuit tanta corruptibilitas cū tanta incorruptibilitate: tanta incorruptibilitas cum tanta corruptibilitate. Corruptibilitas in his, quæ pertinent ad pœnam, incorruptibilitas in his, quæ pertinent ad culpam. Sed sibi ad futurum Gloriæ cumulum, nobis autem ad patientiæ documentum profuit quod passibilitatis iugum, cum tanta impassibilitate portauit.*

B.V. à vitijs ne in modico quidem potuit impugnari.

Mirum est quomodo in B.V. incorruptibilitas cum corruptibilitate conuenire potuit, nimirum incorruptibilitas culpæ, & corruptibilitas pœna siue pœnalitatis.

5. Verum de hac Virginis nostræ ab omni peccati dominatione excellentissima emancipatione atque libertate, ipsam Diuæ Brigittæ lib. 3. Reuel. ca. 8. loquentem audiamus: *Ego sum illa, quæ ab æterno in charitate Dei fui, & ab infantia mea Spiritus S. perfectè erat mecum. Accipe exemplum de nuce, quæ cum crescit dilatante se testâ, quæ extrinsecus est, dilatatur, & crescit etiam nucleus, qui intrinsecus est, ita vt nux semper sit plena, & nihil in ea vacuum, quod capax sit alicuius rei exterioris. Similiter, & ego ab infantia mea plena erā Spiritu S. & iuxta corporis, & ætatis meæ accrescentiam, tam affluenter me totam repleuit Spiritus S. vt nihil in me vacuum liquerit, ad peccati alicuius introitum. Et ideo ego illa sum, quæ nunquam peccatum commisi veniale, vel mortale. Ego quippe in charitate Dei tam ardens eram, vt nihil mihi placuerit, nisi perfectio voluntatis Dei. Feruebat enim in corde meo ignis diuinæ charitatis. Deus quoque super omnia benedictus, qui me sua potentia creauit, & Spiritus S. virtute repleuit, ad me ardentem charitatem habuit. Et ex huius charitatis feruore misit nuncium suum ad me, faciens me voluntatem suam intelligere, vt fierem Mater Dei.* De eadem hac plenitudine gratiæ omnē peccati dominationem excludēte eadem Virgo eidem Sanctæ loquitur lib. 4. cap. 109. *Ego quæ sum mater Dei obtuli nuces plenas, & melle dulciores, quia à iuuentute mea, plena fui gratia, & in gratia conseruata.* Sic illa.

Ipsa B.V. fatetur se cum incremento corporis semper in gratia & virtutibus succreuisse.

B.V. adeo in amore Dei ardens, vt ei nihil vnquā placuerit quam Dei beneplacitū.

7. Libertatem hanc, Dominationemque Virginis Dominæ nostræ, omnem Tyrannidem peccati, ope, operaq;

Spiritus Sancti excludentem pulchrè nobis ostendisse vrtus est S.Greg.Thaumat. Ser.2. de Annunc. cum dixit: *Mariam appellare possumus immaculatum puritatis, ac integritatis Simulacrum, super cœlestis Lætitiæ Vas, atque receptaculum, niue candidiorem mentem habentem, corpus vero auro fulgidius. Ser. 3. vocat Campum deliciarum, animatam Ciuitatem, de qua Ps. 86. canitur: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei; Paradisum Dei ratione præditum, Domicilium verbo Dei dignum, alterum Cœlum, &c.*

Maria immaculatum Puritatis simulacrum. Mente niue candidior habens corpus auro fulgidius.

M Paradisus Dei, ratione præditus, Domicilium Verbo Dei dignum, & alterum Cælum.

6. Quod porro Dominatio hæc Virginis super omnes Angelicas Dominationes, eminentissima, omnem non modo aliorum peccatorum, verumetiā ipsius Originarij Tyrannidem excluserit, & in iustitia ac Sanctitate genitali creata, atque concepta absque vlla labe ac macula extiterit, hoc innumeris comprobari posset argumentis, grauissimisque Sanctorum Patrum, Doctorumque Theologiæ luculentissimis sententijs. Sed præstat ipsam Deiparam hac de re loquentem varijs in locis S. Brigittæ Reuelationum à tribus summis Pontificibus confirmatarum audire, in quibus ipsamet Conceptionem suam fuisse immaculatam confessa est. Et in primis lib. 6. cap. 49. vbi Dei Matrem ita sibi loquentem Sancta illa Vidua, introducit: *Si alicui volenti ieiunare, & habenti alias comedendi desiderium præciperetur à Superiori, vt propter obedientiam comederet, & ille obediendi studio contra voluntatem suam comederet, illa comestio maiori remuneratione digna esset, quam ieiunium. Persimili modo coniunctio meorum Parentum fuit, quando ego concepta fui. Et ideo veritas est quod ego concepta fui sine peccato Originali, & non in peccato; quia sicut Filius meus, & ego nunquam peccauimus, ita nullum coniugium fuit, quod esset honestius quam illud, ex quo ego processi.* Cuius honestatis causam reddit ipsa Virgo Beatissima lib. 6. Reuelat. cap. 55. Quia videlicet in eius Conceptione plus operata est charitas Diuina, quam carnis voluptas, plus obedientia, quam eorum voluntas. Vnde Angelus in suo Sermone cap. 10. præstantiam huiusce Sanctissimi inter Ioachimum, & Annam Matrimonij declarare volens, illud Arbori cuidā pulcherrimæ, ac procerissimæ inter varias nemoris alicuius plantas, contulit, in qua Aquila inspectis ac circūuolitatis omnibus nidum sibi præparauit.

B.V. reuelauit B. Brigittæ se sine peccato Originali conceptam.

Nullum Coniugium honestius quam Parentum B V. ex quo ipsa generata est.

In Conceptione plus operata est Charitas Diuina, quam Natura.

Aquilam hanc ait ille esse Dei Filium, nidum vero purissimum corpus Virginis Sacratissimæ. *Et idcirco illi placuit*, inquit *Angelus, de hoc Sancto Coniugio honestissimæ suæ Matris corpus, quod per nidum intelligitur, generari, in quo ipse cum omni consolatione conquiescere dignaretur. Congruè quidem decoris arboribus deuota comparantur Coniugia, quorum radix est talis vnio duorum cordium, vt ea sola intentione coniungantur, vt inde ipsi Deo maior honor, & gloria proueniat. Conuenienter etiam ramis fructiferis ipsorum Coniugum voluntas similatur, quando in omnibus suis operibus ita timorem Dei obseruant, vt tantummodo prolis ad laudem Dei procreandæ causa, iuxta præceptum Domini se inuicem honestè diligant. Talium denique Coniugiorum sublimitatem viribus, vel artibus suis Insidiator nequit attingere, quando ipsorum gaudium non est aliud, nisi vt Deo rependatur honor, & gloria. Vnde quia tale Ioachimi, & Annæ Coniugium DEVS prænouerat futurum, propterea domicilium suum, corpus videlicet suæ Matris ex ipso colligi, ac coagmentari præordinauit.*

Matrimonium inter Ioachim, & Annam Arbor pulcherrimæ.

Cur coniugia decoris Arboribus comparētur?

Tum horum Sanctissimorum Coniugum, ac præsertim Annæ admirandam suspiciens fælicitatem, quod ex illa in lucem esset praditura Dei Mater, idem Angelus exclamat: *O' Anna Mater reuerenda quam preciosum thesaurum in tuo baiulasti vtero quando Maria, quæ Mater Dei fieri debebat, in ipso quieuit. Verè sine omni ambiguitate credendam est, quod materiam illam statim, quando in Annæ vtero concepta, & collecta fuit, de qua Maria formari debebat, ipse DEVS plus diligebat, quam omnia humana corpora à viro, & muliere generata, & generanda per Mundum vniuersum. Vnde venerabilis Anna vere nuncupari potest omnipotentis Dei Gazophylatium, quia ipsius Thesaurum super omnia sibi amabilem in suo vtero recondebat. O' quam prope erat iugiter cor Dei huic Thesauro. O' quam piè, & alacriter huic Thesauro oculos suæ Maiestatis defixit ille, qui in Euangelio suo postea dixit: Vbi est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum. Et ideo verè credibile est Angelos ex hoc Thesauro non modicum exultasse, quando Conditorem suum quem plus seipsis diligebant ita illum Thesaurum diligere cognoscebant.* Tandem ita concludit, exhortans omnes idem beatissimus Angelus ad diem immaculatæ Conceptionis Dei Matris toto orbe, magna veneratione vbique celebrandum: *Quapropter*, inquit ille, *bene esset conueniens, ac dignum vt dies illa ab omnibus in magna reuerentia haberetur, qua materia illa in Annæ vtero concepta, & collecta fuit, ex qua bene-*

S. Anna preciosum Thesaurum portauit, cum Mariam in vtero gestauit.

S. Anna est Dei Gazophylatium ob Mariam.

benedictum corpus Matris efformari debebat, quam ipse DEVS, omnesque eius Angeli tanta charitate peramabant. Denique idem Angelus cap. 11. Sanctissimæ Virginis immaculatam puritatem in vtero Annæ delitescentis nobis ostendere volens, eam flosculo in folliculo, & nondum maturo, item Auroræ purissima sua luce orbem illuminanti conferre non dubitauit: *Postquam*, inquiens, *illa benedicta materia congruo tempore formatum corpus sicut eam decuit in aluo Matris, habuit, tunc auxit thesaurum suum Rex omnis gloriæ, infundendo ei scilicet viuentem animam. Et quemadmodum Apis arua florida circumuolans, vniuersa mellifera gramina perscrutatur diligentius, siquidem naturali scientiâ nouit discernere, vbi pullulet flos amænior, quem si forte ex folliculo adhuc erumpere non videat, nihilominus tamen eius ortum cum desiderio delectabiliter præstolatur, vt ad suum beneplacitũ ipsius dulcedine perfruatur. Simili modo DEVS quia omnia oculis suæ Maiestatis clarissimè intuetur, quando Mariam in secreto Materni vteri adhuc latitare perspiciebat, cui in æterna sua præscientia, nullum hominem in toto mundo in omni virtute similem nouerat futurum, tum omni consolatione, & gaudio ipsius ortum expectabat. O quam clarè emicuit in Annæ vtero Aurora consurgens, quando in eo Mariæ corpusculum per aduentum animę viuificatum extitit, cuius ortum Angeli, & homines tanto desiderio videre cupiebant*. Sic ille.

Puritas Conceptionis flosculo, & Auroræ confertur.

Qua sane lucis, quæ omnium creaturam purissima est, similitudine mirificè nobis immaculatam Virginis Conceptionem ob oculos spectandam proponit. Vnde B. Albertus Magnus Tract. super Missus Virgineæ huius Personæ dignitatem ostendit post DEVM esse præcipuam, ex eo quod Stella maris appelletur: Nihil enim, inquit, dignius luce, vel nobilius. Quia primo, & principaliter Diuinæ Naturæ, quæ in summo purissima est, cum DEVS sit lux, & in eo tenebræ non sint vllæ: Sic post Diuinam hanc lucem, luce puritatis Virgineę nihil nobilius nil limpidius reperiri potest. Vnde lux ad Diuinam illam lucẽ immediatissima secundo loco erit nobilissima. Hæc autem erat B. V. quæ non solum ab hac luce sicut Luna à Sole illuminata fuit, sed sicut Aurora de se Solem produxit, quæ omnia illuminabilia illuminauit. Et sic per naturam lucis exprimitur dignitatis excellentia Beatissimæ Virginis. Addiderim ego; puritatis immaculatæ præstantia.

Lux creaturarum omnium purissima.

B. V. velut Aurora à Sole iustitiæ illuminata omnia illuminauit.

Quia vti diximus, sicut DEVS lux est, & in eo tenebrę peccati vel minimi non sunt vllæ: Sic etiam nec in Virgine nostra, quæ in sua purissima Conceptione velut Aurora Sole iustitiæ grauida mundo illuxit. Ab ęterno enim in Dei Matrem, quæ Sempiternum illum Solem olim paritura erat, fuit electa. Vnde consequitur mundissimam hanc Auroram, ac lucidissimam, vtpote Diuinissimi Solis esse debuisse.

8. Quam ob causam DEVS Pater libr. 6. Reuelat. S. Brigittæ cap. vltimo puritatem hanc eximiam, ac pene Diuinam Virginis omni peccati etiam originarij labe defæcatam declarare volens eam cuidam Vasi nobilissimo ac prodigioso quod fuit in Nazareth cõtulit. Primo loco, nempe in Nazareth fuit Vas clausum, & non clausum, inquit DEVS Pater. Vas paruum, & non paruum. Vas luminosum, & non luminosum. Vas vacuum, & non vacuum. Vas mundum, & non mundum. Vas hoc, est Maria Filia Ioachim Mater humanitatis Christi. Ipsa enim fuit Vas clausum, & non clausum: clausum Diabolo, & non Deo. Quia sicut torrens cupiens ingredi, vas oppositum sibi, & non valens, inquirit alios exitus, & ingressus: Sic Diabolus tanquam torrens vitiorum cupiebat totis adinuentionibus suis appropinquare cordi Mariæ, sed nunquam ad aliquod quantumcumque minimum peccatum animum eius valuit inclinare, quia clausum erat contra eius tentationes. Nam torrens Spiritus mei influxerat in cor eius, specialique gratia eam repleuerat. Secundo fuit Maria Mater Filij mei Vas paruum, & non paruum. Paruum, & modicum in humilitate, suique contemptu. Magnum, & non paruum in charitate meæ Deitatis. Tertio Maria fuit Vas vacuum, & non vacuum. Vacuum ab omni voluptate, & peccato; & non vacuum, sed plenum cælesti dulcedine, omnique bonitate. Quarto Fuit Maria Vas luminosum, & non luminosum. Luminosum, quia licet omnis anima pulchra à me creata sit, anima tamen Mariæ creuit ad omnem perfectionem luminis in tantum, vt Filius meus se fixerit in anima eius, de cuius pulchritudine gaudebant cælum, & terra. Sed vas hoc non luminosum fuit apud homines, quia mũdi honores ac diuitias Maria contemnabat.

B. V. Vas quoddam admirabile.

B. V. Vas luminosum, ob pulchritudinem gratiæ in ea habitantis.

Quinto Maria fuit vas mundum,& non mundum. Mundum fuit, quia tota pulchra, & tanta immundicia in ea inueniri non potuit,vbi vel cuspis acus figeretur. Sed non mundum fuit, quia de radice Adæ processit, & de peccatoribus nata est, licet sine peccato concepta, vt ita Filius meus de ea sine peccato nasceretur.

9. Concludit tandem DEVS Pater totum hoc admirabile ac pene Aenigmaticum purissimi huius Vasis Elogium, Coronide plane aureâ, quæ mirificam consolationem, fiduciamque aquirendæ remissionis peccatorum omnium,ac puritatis ijs, qui Sanctam illā Domum Nazarethanam, siue Lauretanam, debita cum pietate, ac reuerentia inuisunt, conferre poterit; eisque in mentem reuocare, merito in ea Domo in qua tam immaculata Puritas nata, atque educata est, animi puritatem aquiri. Sic igitur prosequitur æternus Pater: *Ergo, qui ad locum istum*, (scilicet vbi Maria nata, atque educata fuit,) *aduenerit, non solum mundabitur, sed erit vas in honorem meum*. Si scilicet cor suum per exomologesin sordibus peccatorū euacuauerit,epuloque Eucharistico piè suscepto animam suam Diuinæ gratiæ ornamentis, ac Spiritus Sancti charismatis, quæ illo Augustissimo Sacramēto veluti viuo,perennique fonte continentur decorauerit. Hunc enim in finē Societatis nostræ Patres Pœnitentarij quotidie in Sanctissima illa Aede pro sacris tribunalibus,amplissima cū potestate a Summis Pontificibus illis collata, adstant, vt fidelium animos à peccatorum quantumuis grauissimorum fæcibus euacuent, & gratia S. Spiritus repleant, deque vasis contumeliæ, ac perditionis faciant Vasa electionis, honoris, & gloriæ. Quod ab illis omnino diuina ope præstari, flammæ illę Diuinissimi Spiritus, quæ olim super capita pęnitentium, ipsorumq; Patrū,qui eis aures prębebant cōquieuerūt,manifestè indicarunt.Sic enim Auctor Imaginis Primi sæculi Soc. IESV lib. 1. c. 5. dum de fauoribus Diuæ Virginis, in sāctum Patriarcham Nostrum Ignatium, vniuersamque hanc minimam Societatem IESV ageret: *Cum illud commune orbis terrarum perfugium, Augustissimum Religionis Sacrarium Aedes IESV, ac Mariæ natalis Lauretana Domus, Ignatio adhuc superstite, Societati fuit commissa, potuitne Maria manifestius in Domum suam introducere, & recipere Societatem? Visa hic circa nostrorum, illisque confitentium capita cælestis flamma, quid aliud fuit quam flamma quędā amoris in hos, & illos, è Virgineo pectore erumpēs?* Addiderim ego flammas illas fuisse dona, ac charismata Spiritus S. qui ignis est, lumen mentis tam Confessarijs,quam Pęnitentibus ad cognoscenda scelera, eaque detestanda atque expianda porrigentia. Flammas denique illas dixerim è fornace Diuini amoris erupisse ad excoquendam peccatorum scoriam. De hoc enim Diuinissimo Spiritu,deque eius Ministris etiam dici potest, quod legimus apud Malachiam cap. 3. 2. *Ipse quasi ignis conflans, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.*

Domum Lauretanam inuisentes à peccatis mundantur, & fiunt Vasa in honorem.

Pœnitentiariorum Laureti in Domo Sancta officium.

Signū amoris B.V. erga Societatem, quod illam in domum suam Laureti induxerit.

Flammæ in Domo Lauretana visæ, quid indicarint?

10. Sed ad immaculatam Diuinæ Matris vnde digressi summus Conceptionem eiusdemque eximiam Puritatem comprobandam reuertamur. Hæc tanta tamque copiosa ac redundans extitit, vt ipsius Virgineis oculis promicare videretur. Vnde B. Magdalena de Pazzis Carmelitanorum Sydus in quadam ectasi hac contemplans exclamauit, vt videre est in eius Vitę Par. 2. p. 2. O Maria oculi tui puritatis splēdorem reddunt. O Puritas, ò Puritas. Puritas est quædam exercitata, & iam possessa Humilitas. Non fuit, nec vnquam erit Humilitas sine puritate, nec Puritas, absque Humilitate. Tu enuisti illum, qui nobis Humilitatis cognitionem impertitus est, illum, qui eā creauit, illum qui eamdem remuneratus est. Beati sunt illi, qui sunt mundi corde. Puritas est vnica quædam res, tam digna,tam grandis, atque incomprehensibilis, vt creatura illam nec capere, nec intelligere valeat. O Puritas inenarrabilis, quam mundum, purumque oportet esse illum, qui tui capax esse cupit. Parte vero 4. cap. 11. Vitæ eiusdem Sāctæ Virgineam hanc Puritatem adeò exuberantem fuisse in quodam mentis excessu cognouit, vt eam inundāti cuidam fluuio conferre non dubitarit: *Fuit Puritas tua ò Maria ad instar Fluminis latissimi, profundissimi, eleuatissimi, terram vniuersam irrigantis.*

Oculis B.V. puritas promicabat.

Puritas est exercitata & iam possessa Humilitas.

Puritatis laudes.

Puritas B.V. fluminis latissimo, ac profundissimo fluminī.

11. Eadem denique Par. 4. capit. 21. Pulchritudinem, siue puritatem animi Virginei primam esse post DEVM, omnis Pulchritudinis, puritatisque fontem,

tem, contestatur: *Adeo magna est tua Pulchritudo DEVS meus, vt à te solo, qui eam clarè intueris comprehendi possit. Ex te quoque procedit Pulchritudo nostra. Quemadmodum enim terra à Sole illuminatur, ita corpora, & multo magis nostræ à te irradiatæ animæ omnē pulchritudinem omnemq; decorem à te ipso, qui es ipsa suprema Pulchritudo, summusque decor recipiunt. Sed post pulchritudinem tuā, est Pulchritudo Mariæ. O quā pulchra es, ò quam decora, & gratiosa! O Maria pulchra es, & decora Filia Ierusalem, & macula non est in te. Virgines sunt quæ à te ò mi DEVS particularem hanc pulchritudinem recipiunt, prout magis in te Puritatem ipsam dilexerunt.*

Prima Puritas post Deū est ipsa Maria.

B.V. Puritas ac Pulchritudo admiranda.

Aliæ quidem creaturæ de tua pulchritudine participant secundum amoris illarum erga te dimensionem, verum non illo peculiari modo, quo ipsæ Virgines: pulchritudo enim hæc ipsius Puritatis est præmium. Quod si Virgines de Diuina Puritate, ac pulchritudine maximè participant, multo sane magis ipsa Virgo Virginum omnium purissima, atque sanctissima.

Virgines de Diuina Puritate maxime participant.

11. Denique eadem Parte 4. ca. 23. eidem Sanctæ Animæ extra se positæ pulcherrima Beatissimæ V. eiusdemq; puritatis Visio sese oculis, eius spectāda obiecit. Vnde ita exclamare cœpit: *Video sedentem Mariam supra quamdam Naniculam;* vt videlicet suos clientulos in portum salutis introducat; *video illam candidissimis, ac lucentissimis vestibus amictā, paludamento Regio, ac vnionibus, monilibus ac gemmis preciosissimis distincto circumdatam, innumerisque Beatis spiritibus stipatam.* Quæ sane omnia tam eximia, nitidissimaque ornamenta interiorem in Deipara Puritatem, ac pulchritudinem nitoremque animi luce ipsa luculentiorem indicant; & maximæ ipsæ gemmæ, preciosique lapides Regij ipsius Paludamenti, quos etiam ipse Salomon in fundamentis admirandi illius Hierosolymitani Templi collocari voluit; ad declarandam immaculatam, purissimaque Virginis, quæ Diuinæ Maiestatis Templum extitit, Conceptionem, titore suo gemmarum omnium fulgorem obfuscantem: *Præcepitque Rex*, inquit Sacer textus, *vt tollerent lapides grandes, lapides preciosos in fundamentum Templi.* 3. Reg. 5. 17. Cum igitur audimus fundamentum Templi ex lapidibus preciosis fabrefactum, cogitandum nobis est, purissimam atque immaculatā Diuinæ Matris fuisse Conceptionem. Quemadmodum enim gemmæ luce solis, cælique benignis influxibus in terræ visceribus generatæ, quo preciosiores sunt, eo nitidiores lucisque cælestis sūt magis æmulæ, ita vt in eis nullam maculam inesse suspicari possimus: sic gemmeum animati huius Templi, preciosissimumque fundamentum, quod ipsam Diuinæ Matris immaculatam Conceptionem indicat, omnem prorsus originariȩ labis suspicionem, ex hominum animis abstergit.

B.V. visa sedere in nauicula, ad trāsuehendos suos clientulos in portum cælestis patriæ.

Lapides preciosi in fundamenti Tēpli Salomonis indicant immaculatā puritatem Conceptionis B.V.

12. Quod indicare clarius nobis visus est Dominus, cum spiranti huic Hierusalem promisit iam pridem per Isaiam cap. 54. 11. *Ecce ego per ordinem sternam lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos lapides desiderabiles.* Cum audis fundandam à Deo Virgineam Ciuitatem hanc in Sapphiris, mox tibi occurrat, Sapphirum esse cæli ipsius pulcherrimam quandam imaginem, stellas, aureis quibusdam punctis suis adumbrantem; & inter has stellas esse illam quæ dicit Apoc. 22. Ego sum stella splēdida, & matutina, quæ est ipse omnis puritatis fons Christus IESVS, proinde omnem cuiuscumque tandem vel minimæ maculæ peccati suspicionem circa Sapphirina hæc purissimæ huius Dei Domus fundamenta ex animo tuo exclude: quemadmodum eam S. Venātius Fortunatus Pictauiensis Præsul exclusisse visus est, cum illi ita cecinit in carm. de B. V.

B V dicitur fundata in Sapphiris ob cælestem puritatem, quæ in eius Conceptione reluxit.

Pulchra super gemmas, splendorem solis obumbras
Alta super cælos, & super astra nitens.

B.V. Puritas excedit nitorem gemmarum ac ipsius Solis.

13. Quæ sane gemmarum ornamenta nobis imaginem quamdam cælestis Hierusalem ob oculos proponūt, de qua B. Ioannes Apoc. 21. 18. *Erat structura muri eius ex lapide, Iaspide, ipsa vero ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide preciosa ornata.* Inter quæ fundamenta secundo loco ponit Sapphirum. *Fundamentum primum Iaspis, secundum Sapphirus.* Qui profecto tam multiplicium gemmarum nitor, ac splendor, admirabilem nobis Virginei huius domicilij in habitationem Deo præparati insinuat puritatem, adeo vt verè etiam de illa dici possit, quod de cælesti Ierusalem pronunciauit Apostolus Apoc. 21. 27. *Non intrabit in illam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.*

B.V. similis cælesti Ierusalem in puritate.

Et

Et quanam ratione quæso ipsa naturalis coinquinatio, ipsa abominatio, originarium nempe peccatum, quod per naturalem propagationem à veteri Adamo descendens, adeo animam coinquinat, vt eam Diuinis oculis abominabilem, sempiternæque iræ Filiam reddat?

14. Quod porro nitor hic, Puritas, atque Pulchritudo Virginis cælesti Ierosolymæ sit per similis, ipsam Veritatem, cælestem nempe Sponsum audiamus, Cant. 6.3. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem*. Quod præclarissimum Diuinæ Matris elogium venerabilis Dionysius Richelius Ar. 21. in Cant. ad immaculatā Virginis plusquam Angelicam puritatem deprædicandam explicuit: *Nempe*, inquit ille, *sicut ait Anselmus, decebat Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi. Quid candidius ea, quam Candor lucis elegit æternę in dilectissimam Matrem, quæ Fontem vniuersi concepit, peperitque decoris, quæ roseo pudore, purpureoque candore decentissimè fuit perfusa, cuius apparatus, ac vultus omni morali venustate virtutum resplenduerunt, quæ culpæ impuritate nunquam tacta in omni splendore sapientiæ, ac virtutum incessanter, atque incomparabiliter profecit. Suauis, imo & prorsus dulcissima. Pulchrum enim dicitur per respectum ad visum, & ipsa pulchritudo est suauitas, & quædam oculorum exteriorum, ac interiorum refectio. Ideo sicut in Regno cælorum Virgo dignissima post Filium suum ineffabili speciositate præfulget: Sic intuitio pulchritudinis eius vniuersos cælestes Ciues singulariter, ac ineffabiliter post Christum delectat. Suauis, inquam, ac decora sicut Ierusalem illa cælestis, quia in terra conuersans puritate pollebat Angelica, imo tantá sanctitate, meritisque fuit splendiflua, vt super omnes Angelicorum Spirituum choros digna fuerit sublimari. Ideo pulchritudo eius, quam in hoc mundo habuit aptius decori triumphantis, quam militantis Ierusalem comparatur, quia Pulchritudo eius radiosissima fuit, absque vllius quantumlibet paruæ culpæ admixtione*.

Ideo Maria purissima quia fontem totius Candoris ac puritatis, peperit.

Aspectus B. V. cælestes Ciues singulariter post Christum delectat.

Cum igitur Diuinæ Virginis interior animi Pulchritudo, ac venustas cęlesti illi Ierusalem, quæ Angelicis, beatissimisque mentibus constat, superno attestante sponso, sit quam simillima, consequitur profecto originalem quoque eius innocentiam, puritatemque purissimis illis spiritibus ab omni materiæ concretione liberis, in Sanctitate, illibataque mundicia conditis non modo esse parem, verumetiam quamplurimis gradibus, absque vlla comparatione, cum ipsorum Regina sit potētissima, longè eminentiorem, ac proinde summo honore, veneratione, ac laude post eius Creatorem esse dignissimam.

15. Quare cogitationem illam Viri cuiusdam Religiosissimi, ac in Deiparam pientissimi, qua sibi persuadebat, se ad laudandam, colendam, ac deprædicandam Diuinam Matrem, eiusdemque immaculatam Conceptionem cōditum, vt à concupiscentiæ dominatione, prauorumque affectuum rectæ rationi rebellantium tyrannide, eius patrocinio liber esset, æternamque Beatitatem assequi posset, iudicaui semper Sapientissimam, simul ac saluberrimam. Licet enim creatus sit homo, vt monet S. Patriarcha noster in Spiritualium Exercitiorum fundamento, in hunc finem, vt Dominum DEVM suum laudet, ac reuereatur, eique seruiens tandem saluus fiat; diffitendum tamen non est, quin etiam in hunc finem minus principalem à supremo illo Opifice efformatus sit, vt ipsius dignissimam Matrem, cum qua ipse vt homo vnum quid est, per carnis, sanguinisque eius, atque adeo Humanitatis Sanctissimæ communicationem, vt, inquam, Matrem eius laudet, veneretur, eique fideliter seruiens tandem salutem, eius patrocinio, ac intercessione efficacissimâ consequatur. Quod salutare documentum omnium mortalium imis cordis fibris, ac medullis exaratum opto, atque ex animo desidero, vt identidem memoriâ recolant, secumque attentius versent, quantæ molis sit inter tot visibilium atque inuisibilium hostium discrimina, inter tot mundi carnis, ac Cacodæmonis fraudes, atque insidias salutem animæ suæ indipsci. Quibus omnibus periculis, ac technis facile occurrimus si fidelissimo benignissimæ Deiparæ nitamur patrocinio, eamque vti par est tamquam Dei Matrem veneremur, assiduisque laudibus Conceptionem præsertim ipsius immaculatam prosequamur. Cum enim Matris laudes eius Filius reputet esse suas, ob naturalem illam, quæ inter Filium, & Matrem intercedit vnionem, atque amorem; Matrem laudando simul laudamus, & Filium. Vnde S. Bonauentura finem hominis propter quem creatus est etiam ipsam lau-

Religiosus quidam sibi persuadebat, se ad laudandam B. V. factum.

Homo creatus, est à Deo, vt etiam Diuinam Matrem laudet ac veneretur & ita per eā saluus fiat.

Salutis adipiscendę difficultates patrocinio B. V. superamus.

B. V. laudes in Filium redundant.

laudem Dei Matris esse agnoscens in suo Psalterio illi medullitus canebat: *Benedicam Dominam in omni tempore, & non deficiet laus eius in ore meo*. Nec ipse pro modulo suo eam laudare ac venerari contentus, etiam alios ad idem faciendum, zelo animarum succensus, inflammabat: *Magnificate eam mecum, qui impinguati estis melle, & lacte consolationis eius: in periculis, in rebus dubijs inuocate eam, & in necessitatibus inuenietis auxilium, & refrigerium dulce. Sumite exemplum conuersationis, eius, & æmulamini studia charitatis, & humilitatis eius*. Et rursus gloriæ eius propagandæ cupidus, Seraphico quodam ardore accensus alio in Psalmo Iustos omnes ad eam deprędicandam inuitat: *Exultate iusti in Virgine Maria, & in rectitudine cordis collaudate illam. Accedite ad illam cum reuerentia, & deuotione, & delectetur cor vestrũ in salutatione eius. Impẽdite illi Sacrificium laudis, & inebriemini ab vberibus dulcoris eius. Influet enim vobis radios suæ pietatis, & clarificabit vos fulgore misericordiæ suæ.*

Imitanda B. V. conuersatio, atque exempla.

15. Porro etsi mortales omnes ad laudandam, ac venerandam Dei Creatoris, ac Redemptoris nostri Matrem, vt pote nostrę Salutis Cooperatricem sint conditi, maximè tamen hunc in finem videntur homines Religiosarum familiarum, ac præcipue huiuscè minimæ nostræ Societatis creati. Quod Diuinitus, vt alibi etiam dixi, indicatum fuit Religiosissimo illi F. nostro Alphonso Rodriques, qui Societatem IESV, mirâ cum serietate ideo conditam asseuerebat, vt immaculatam Deiparæ Conceptionem toto orbe tam verbis, quam scriptis laudaret, ac celebraret. Vnde factum, vt eius Auctor ac fundator Ignatius vbi primum cælestem lucem se ad DEVM vocantem aspexit, mox sese totum culti, obsequio, ac venerationi, quam maximâ potuit animi contentione Virginis Matris consecrarit.

Simon Rodriques aiebat societatẽ ad hoc excitatam vt Cõceptionem B V deprædicaret.

Cum enim illum in suæ conuersionis ante eius Iconem quadam nocte supplex oraret, augustissimâ specie, multoque lumine circumfusa Virgo Puerum IESVM in vlnis gestans spectandam se illi aliquandiu præbuit.

Quem aspectum non fuisse omnino ociosum præclarè scribit Auctor primi sæculi Soc. IESV libr. 1. cap. 5. *Ex illis quippe Virginis oculis*, vt ille loquitur, *tela, & faces vibrabat, quibus per omnem vitam Saucius iuit, & arsit Ignatius. Quis enim tunc illius sensus fuit, quod gaudium, quæ fælicitatis suæ admiratio, cum vidit illos oculos in se figi, quibus mortalem aspici, est immortalem fieri, est perire non posse, est cælo, Deoque donari. Itaque aspectus hic omnes illi vanitatis illecebras repente in fastidium vertit, tantumque Virgineæ puritatis amorem iniecit, vt omnes rerum fædarum, & caducarum imagines deterserit. Donum hoc tam eximium Ignatio cum dedit, an non tam manifesto signo suam illi ostendit beneuolentiam, maternamque curam, qua multa prius claraque in luce ostenderat sese? Iam mora illa, qua spectandam se dedit quid significauit aliud, quam se Ignatio quasi in proximo semper astituram pronam in dona, ac munificentiam. Neque enim Ignatius vnquam deinceps abesse sensit, nisi quod oculis eam semper non viderit. Cæterum tam eximio illo in Ducem nostrum beneficio clementissima Dei Mater tanto ante pręmonere nos voluit, huius minimæ Societatis Patronam apud Filium suum semper se fore, sibique secundum DEVM oportere admirabilem eius ortum, secundosque progressus adscribi, nec aliunde nobis cælestia spectanda præsidia, nisi ex ipsa cuius nos DEVS tutelæ, in ipso Parente Ignatio videlicet voluit esse commissos.* Atque ita quemadmodum ab illa se conditam in eius se laudem agnoscit Societas, sic & per eam quoque se protegendam ac Saluandam, tamquam humanæ salutis cooperatricem confidit. Et de se dictum, tam à Filio, quam à Matre illud apud Isaiam c. 43. 21. existimat: *Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit.*

Aspectus B. V. quam efficax.

B V. semper est Societatis patrona apud Filium.

Societas IESV est populus a Deo formatus ad B.V. laudes celebrandas.

16. Atque vt proprius accedamus ad illud quod principio insinuauimus Societatem à Virgine Deipara ad gloriam ipsius immaculatæ Conceptionis propagandam excitatam, testatur etiã idem Auctor primi sæculi loco citato, vbi cum præmisisset plurimos Societatis homines eximios Virginis fuisse cultores, idque inter eximios eius in nos fauores esse reponendum, siquidem illã colere, illã amare, ipsius beneficium est, & maius sępe, quam ea, quibus cliẽtum obsequia solet remunerari. Postquã inquam hæc dixisset, addidissetque eius Dies festos à nobis maxima qua fieri potest solennitate celebrari consueuisse, esseque hæc Societatis eam amantis argumenta; mox de Sacro, ac immaculato eius Conceptu, hæc attexit: Conceptionem venerata est Societas cum Romæ primas Theses Theologicas, viuente adhuc Ignatio proposuit. In quibus princeps quæstio immaculatam

Societas IESV ad deprædicandã Conceptionẽ B.V. nata.

Romæ primę Theses de B. V. Conceptione viuente S. Ignatio propositæ.

tam Conceptionem asserebat. Deinde cum legem tulit, ne quis ab hac vnquam Sententia discederet; cui tuendæ Societatem quoque institutam se diuinitus cognouisse sæpe testatus est Alphōsus Rodriques Vir notæ Sanctitatis; qui tanto amoris in Virginem flagrauit incendio, vt ausus sit illam in amoris certamen prouocare; ignoscenda temeritate quia suasit illam amor, non suasurus nisi magnus esset, cui semper licuit impune desipere. Neque veniâ illi opus fuit, qui peccato suo laudem meretur.

18. Quis porro sensus Sancti Patriarchæ nostri in immaculatā Conceptionem fuerit, ostensum fuit in quodam manu scripto Codiculo, vbi Ignatij gesta compilabantur, quem P. Pintus Ramirez in libr. de Concept. se legisse fatetur, in quo hæc habentur:

S. Ignatius suauiter & absque felle de Conceptione Theses disputari volebat.

Dum Romæ Doctor Olauius ex nostris accerrimam pro Conceptione immaculata figeret Conclusionem; temperandum præcepit Ignatius; quia licet veram haberet, & à suis in suggestu prædicandam volebat; tamen in disputationibus suauiter, & absque felle volebat proponendam.

19. Quid de P. Iacobi Laynes Secundi ab Ignatio Societatis nostræ Generalis animo erga immaculatam B. V. Conceptionem dicam? *Pro hac asserenda*, vt Autor primi sæculi testatur, *per tres horas in Concilio Tridentino per orauit, tanta vi, tantoque successu, vt Sacra Synodus; quæ ab ore dicentis admirabunda pependerat, eo decreto, quo totam Adami progeniem natiuæ labis ream pronunciat, purissimam Dei Matrem se non comprehendere auctoritate sua, scriptoque consignatum relinqui erit.* Qui sane pientissimus Laynis in immaculatam Deiparæ Conceptionem affectus, ab eadem mirificè remuneratus est. Dum enim Tridenti ageret quartana febri non paucis diebus laborauit, à qua eadem die, qua pro immaculata Conceptione dixit, penitus liberatus est.

Laynes tribus horis pro Conceptione B.V. disputauit, & à quartana liberatus est.

20. Illi porro Sanctissimi Concilij declarationi Ambrosius Catherinus Ord. Prædicat. qui Concilio interfuit, fatetur nullum totius Concilij Virum obstitisse, quamuis in eo plures fuerint ex Prædicatoribus Episcopi: Ita ille opusc. de Concep.

21. Quibus omnibus consideratis saluberrimum consilium esse censeo, vt omnes Virginis fideles serui, ac clientuli sese peculiari voto Deo ad defendendam, ac deprædicandam, quibuscumque possunt laudum præconijs immaculatam Diuinæ eius Matris Conceptionem adstringant. Sic enim illam sibi magis conciliabunt, propitiamque reddent, vt & in hac vita inter tot mundi, hostiumque tam visibilium quam inuisibilium discrimina, ac præsertim in hora mortis, vbi de summa totius salutis agitur, semper illis sua protectione assistat, & ad consequendam æternū Beatitatem, ad quam creati sunt patrocinetur. Hoc denique suo in illam obsequio ad innumera spiritualia præsertim beneficia, ac emolumenta apud DEVM impetranda, ac conferēda eam prouocabunt. Præclarè enim Doctor Angelicus 2.2.q.88. art.4. cum quæsisset: *An expediat aliquid vouere?*

Votum de immaculata Conceptione defendenda quam vtile.

Respondit, omnino expedire, *quia promissionem Deo facimus non propter eius vtilitatem, sed propter nostram, dicente Augustino: Benignus exactor, & non egenus est DEVS, & qui non crescet ex redditis, sed in se crescere faciat redditores. Sic id quod damus Deo, non est ei vtile, sed nobis, quia quod ei redditur, reddenti additur: ita promissio, qua Deo aliquid vouemus, non cedit in eius vtilitatem, qui à nobis certificari non indiget, sed ad vtilitatem nostram.* Cum igitur vouemus Deo, nos immaculatam eius Matris Conceptionem pro virili semper defensuros, ac collaudaturos, nihil vel Deo, qui seipso beatus est, nec bonorum nostrorum indiget, vel Matri, quæ ipsa quoque summi, æternique Boni, nempe clarâ Filij, totiusque Trinitatis visione beata est, vtilitatis conferimus, sed ipsos vt bona sua, donaque gratiarum nobiscum communicent, votis nostris inuitamus. Atque ita laudem, cultumque Virginis, ad quem etiam nos conditos secundum DEVM iam diximus, non modo velut finem, verum etiam, vt medium, ad vltimum consequendum finē, nempe claram Dei visionem, summique boni fruitionem, aliasque quamplurimas adipiscendas vtilitates, adhibemus. Ea enim Virginis nostræ præclarissima esse consueuit indoles, vt pro eo, quo semper ardet animarum saluādarum zelo, peccatores à Deo, & à se auersos salutisque propriæ oblitos vltro inquirat, & modos, ac vias omnes peruestiget, quo ad bonam frugem illos reducat, ac tandem æuiternæ beatitatis secum participes efficiat.

Votum nobis, non Deo vtilitatem parit.

Et

Et quid quæso tãdem ijs facturam speramus, qui eius obsequijs se mancipantes, singulari in illam pietate, atque amore exstimulante vouent sese Originalem ipsius innocentiam, ac sanctitatem semper ad extremum vsque vitæ suæ halitum, & propugnaturos, & vbi poterunt celebraturos.

22. Quod si omnibus Christi fidelibus Pietas cordi esse debet, Votum certè hoc etiã, per quod pietas in Dei Matrem fouetur, sit necesse est.

Votum de immaculata Conceptione defendenda fouet pietatem.

Quod si Gregorius Nyssenus exposit. in orat. Dominicam orat. 2. *Votum definiuit esse promissionem alicuius rei, quæ pietatis nomine dedicetur, & sacris destinetur*; is certè, qui vouit se semper de Virginis Deiparæ conceptione, absque originaria labe facta piè sensurum, eiusque aureũ illud istans, quo immaculatè concepta est laudibus pro modulo suo celebraturum, is inquam, qui tale votum emittit, sensum suum, atque assensum pietati dedicat, & sacris destinat, atque in se nec non in alijs fouet pietatem, ac deuotionem, simulque ad cultum, venerationemque Deiparæ accendit.

Voti nuncupatio familiaritate quãdam cũ Deo parit.

23. Quod si voti nuncupatio familiaritatem quandam cum Deo homini conciliat, vt voluit S. Chrysostomus Homil. in Psal. 49. vbi explicans illud: *Redde Altissimo vota tua, & inuoca me, &c.* sic loquitur: *Volens in nobis efficere maiorem familiaritatem, & vehementiorem, quæ cum eo intercedat amicitiam, dando, inuocando, & accipiendo*; profecto manifestum euadit, quanti hoc votum Diuinæ Matri immaculatam eius Conceptionem defendendi, atque laudandi estimandum est, vtpotè quod nobis cum Deo familiaritatem, arctissimamque cum eo nobis parit amicitiam, quæ cum paritatem in personis requirat, consequitur sane hominem illum, qui Deo, Virginique huiusmodi votum emittit, nescio quid diuinum consequi, copiosam nempe gratiam, per quam Diuinæ consortes efficimur Naturæ. Cum enim Virgo hęc suapte natura benignissima sit, Voto huiusmodi, ipsius gloriæ propagandæ studio emisso, neutiquam se liberalitate superari vnquam patietur, quin imo vberiori longè impetratâ à Filio gratia, donisque cælestibus suos tam bene erga se affectos clientulos locupletabit, omnique benedictione cælesti affatim cumulabit, & in hac etiam mortali vita prægustum quendam æuiternæ beatitatis, tesseramque prædestinationis ad gloriam, pro ingenita sibi munificentia, largietur.

24. His alijsque luculentissimis rationibns Viri quamplurimi, & literis pietateque conspicui, imo & varij mũdi Principes, celeberrimæque atque doctissimæ Academiæ Votum hoc magno in Virginem pietatis, charitatisque affectu emiserunt. Atque vt prætermittã Barcinonensem, & Dolanam quibus nostri Patres Petrus Aegidius, & Ioannes Lorinus auctores fuere vt tali se voto adstringerent, vti diximus Parte 1. Disc 20. num. 47. 48. Parisina certè illa antiquissima, atque florentissima vt testatur Lucas Vaddingus in Legat. de Concept. B.V. ad Sedem Apostolicam à se concinnata, Oratione 12. §. 1. testatur circa Annum 1388. ad coercendam nimiam quorumdam Magistrorũ licentiam in docenda, & inculcanda affirmatiua, & condemnanda negatiua sententia, legem tulit, ne vllus ad Magisterij aut Doctoratus, vel alios quoscunque literariæ dignitatis gradus admitteretur, nisi prius publicè voueat, se nullo vnquam tempore docturum purissimam Virginem in peccato fuisse conceptam. Quod votum nostræ etiam Societatis, vti alibi indicauimus Primi illi Decemuiri emiserunt: quæ vouendi consuetudo vsque ad hæc nostra tempora infallibiliter obseruatur.

Variæ Academię ad immaculatam Conceptionẽ defendendã sese voto obstinxerũt.

Academia Parisina.

Primi Patres Societatis Votum defendendi immaculata Conceptionẽ emiserunt in Academia Parisiensi.

Vnde euenit, vt molestè, & grauiter feratur per florentissimum Christianissimumque Galliarum Regnum rem hanc in controuersiam adduci.

25. Sensum hunc totius illius potentissimi Regni de immaculata Deiparæ Conceptione, doctissimus Ludouicus Caruaialus in celeberrima illa sua Declamatione Parisijs habita atq; edita diffusè declarauit Anno Domini 1541. in qua B. Virginem ita hac de re per prosopæiam loquentem introducit: Num frustra dictum est; vbi abundauit delictum, super abundauit & gratia? Abũdauit sane delictum primi hominis in filios ab eo, eiusque posteris propagandos, sed secundi hominis hoc est Filij mei gratia superabundauit, dum me alioqui casuram, ab illius crimine fecit immunem. Qui fieri potest, vt gratia superabundet, si tempore necessitatis non superueniat? Nonne delictum præuaricatoris in me superabundaret, si medicina Redem-

Pulchra B. Virginis prosopæia, qua immaculatam suã Conceptionẽ deprædicat.

ptoris non præueniret? Quid si huiusmodi gratia non extéditur ad reliquos mortalium fœtus, ne lata lex de morte Adam, & filiorum eius abrogaretur, hoc est, de peccati originalis mūdatione, saltem hoc mihi concedatur, quæ sola sum Mater Dei, vt in me sola Filij mei gratia præseruans superabundet, cui, vt Hieronymus rectè dixit tota se infudit gratiæ plenitudo. Quasi cunctis regionibus aquarum voraginibus obuolutis, Arca Noe non fuerit sola super aquas eleuata. Arca illa in qua erāt animalia munda, & immunda sic fuit sublimata, vt eam aquarum fluctus non læderent; & ego quæ sum receptaculum Spiritus S. & vterus pudoris, ac innocentiæ eram cataclismo peccati absorbenda? Nonne latâ lege de capitis discrimine in eos, qui Aulam Assueri intrarent non vocati, fuit Esther sola, pro qua hæc lex constituta non est?

Rex ille prophanus sceptrum aureum super caput mulierculæ in signum clementiæ tetendit, & Pater misericordiarum in me Reginam cælorum, quam ipse in suam aulam, vt essem Mater ac sponsa, ab æterno vocauerat, non potuit misericordiæ suæ sceptrum extendere? Quid audio? Num potētiam Dei attenuatis? an clementiam? an vtrumque? Hæc ille ac plura alia in illa elegātissima Declamatione pro immaculata B.V. Conceptione, quæ sane totius illius florentissimæ Academiæ egregiam in Diuinæ Matris purissimam Conceptionem voluntatem declarant.

Vnde minimè nobis mirādum est Academicos illos antecessorum vestigijs inhærentes, voluntate sua tā sancto Voto stabilitâ, semper hactenus pro primigenia Virginis innocentia defendēda tam viriliter depugnasse, & in acie intrepidos, firmosque perstitisse.

Coloniensis Academia Conceptionē B.V. defēdit.

26. Exemplum Academiæ Parisinæ secuta est Coloniensis, vt constat ex actis ipsius Vniuersitatis ad Annum 1469. & 1496. postquam Scotus cum Discipulis Alberti Magni de immaculata Deiparæ Conceptione disseruit.

In qua disceptatione cognomen Doctoris Subtilis consecutus fuisse memoratur. Quam porro gratum hoc eius studium in propugnanda Diuinæ Matris Conceptione ei extiterit, ipsa insigni quodam prodigio contestata est.

Cum enim Doctor hic ad defendendam eius immaculatam Conceptionem contra illius aduersarios in arenam descenderet, breuemque illam precatiunculam, ante lapideum eius Simulachrum præmisisset: *Dignare me, laudare te, &c.* Ipsa Mater benignissima sese illi inclinare non est dedignata. Itaque in hodiernum vsque diem inclinato capite effigies illa ad æuiternam tanti fauoris contestandam memoriam perseuerat.

Academia Valentina, & Vrsanensis.

27. Idem votum à multis retro Annis Academia Valentina à suis exigit Alumnis si ad Doctoratus gradum cupiant ascendere. Idem obseruatur in Academia Vrsanensi, quemadmodum eius Duces, ac Patroni statuerunt.

Academia Moguntina.

28. Quid de Academia Moguntina dicam? Hæc Anno 1501. idem votum emisit vt testatur Laurentius Surius in suis Commentarijs, vbi asserit Academiam hanc imitatam Parisienses, & Colonienses Theologos, omnino decreuisse ac statuisse sentiendum, Beatissimam Dei Genitricem semperque Virginem Mariam, quam ex omni æternitate sibi Matrem delegit Filius Dei, sine labe originalis peccati conceptam, idque singulari quodam priuilegio.

Tum adductis quibusdam rationibus ad hoc comprobandum, ita concludit: *His atque alijs permota facultas Theologica Vniuersitatis Moguntinæ grauiter sanciuit deinceps neminem in ea Academia promoueri debere in Sacra Theologia, nisi iuramento interposito, prius fidem dederit, se diuersam Opinionem, neque animo retenturum, neque quouis modo approbaturum.*

Academia Viennensis.

29. Quid denique de antiquissima atque celeberrima Viennensi Academia referam? Hæc solenni decreto, Ferdinandi III. Imperatoris mota, statuit, vt nullus inter membra Academica accenseatur, qui iureiurando defensionem immaculatæ Conceptionis non polliceatur: voluit insuper optimus Imperator, vt ipso die immaculatæ Conceptioni Sacro vniuersa Academia solemni pompâ, prælatis Facultatum Sceptris ad Basilicam Diui Stephani procederet, cui Solemnitati ipse pientissimus Cæsar interfuit, vniuersamque Diuinæ Matris Panægyrim sua præsentia cohonestauit. Nec ita multo post apud S. S. Dominum Nostrum Pōtificem Innoc. X. intercessit, vt gloriosissima Dei Mater, ab omni originalis peccati macula libera à Sede Apostolica tandem aliquādo declararetur.

30. Fue-

30. Fuere etiam nonnullæ Ciuitates, quæ in suis necessitatibus voto, ad immaculatam Conceptionem Diuæ Virginis colendam sese manciparunt.

Variæ Ciuitates votum emiserunt defendendi Conceptionem B. V.

Ita fecisse memoratur Ciuitas Senensis, quæ ob peculiarem in illam pietatis affectum Ciuitas Virginis dicitur. Hæc enim cum grauissima, ac durissima hostium obsidione Anno 1520. premeretur, ad Votum hoc, tanquam ad Sacram Anchoram recurrit, teste P. Ambrosio Catherino Ordinis Prædicatorum.

Senæ.

31. Idem fecisse Ciuitatem Genuensem cum contagiosa lue esset infecta referunt Annales Patrum Capucinorum, vt alibi diximus fusius.

Genua.

Ciuitas quoque Mediolanensis tempore Blanchorum, eadem grassense lue, teste Bernardino de Bustis Serm. 9. de Concept. Par. 3. facta promissione Magnæ Matri, si ab ea contagione liberaretur se diem festum immaculatæ ipsius Conceptionis celebraturam, mox tanto periculo erepta est. Addit idem Bernardinus: *Intellexi etiam quod primus Dux Mediolani tam præclarum consecutus est Dominium, quod ad exhortationem M. Petri de Candia, qui postea fuit Summus Pontifex deuotionem præcipuam semper habuit erga Conceptionem B.V. Matris Dei, quam etiam sæpius deuotè inuocans per Sanctissimam eius Conceptionem obsecrabat. Credo etiam prædictum Xistum IV. ad Summi Apostolatus apicem prouectum, quia quotidie ad vesperas, & Matutinum de immaculatæ Virginis Conceptione commemorationem fecerit, quam deuotionem semper etiam in Pontificatu, vti intellexi obseruauit*. Sic ille.

Mediolani.

Primus Dux Mediolanēsis tantum dominium consecutus ob cultum immaculatæ Conceptionis.

Sixtus V. Pōtifex creatur ob cultum Conceptionis B.V.

32. Neque vero Solæ Academiæ, & Ciuitates voto se ad celebrandam, colendamque immaculatam Conceptionem Virginis obstrinxerunt, verum etiam summa mundi capita, Reges ac Principes hac in parte imitatione dignissimi, siquidem, vti rectè cecinit Claudianus:

Regis ad exemplum totus componitur orbis,
Vtque Ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Regum exēpla quam efficacia.

Vnde Seneca Regem merito dixit caput populi, & Spiritum Vitalem esse Regni, quo omnia membra animantur, vegetantur, atque reguntur. Eius verba sunt lib. 1. de Clement. c. 4. *Ille est enim vinculum, per quod Respublica cohæret, ille Spiritus vitalis, quem hæc tot millia scilicet populorum trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus, & præda, si Mens illa Imperij subtrahatur: Rege incolumi mens omnibus vna, Amisso rupere fidem.* Ac proinde dicere licebit de Regis in Virginem pietate id quod idē Seneca de Cæsaris mansuetudine pronunciauit li. 2. de Clement. cap. 2. *Diffundetur paulatim per omne Imperij corpus, & cuncta in similitudine tui formabuntur. A capite bona valetudo, inde omnia vegeta sunt, atque erecta, aut languore demissa, prout animus eorum viget, aut marcet. Et erunt Ciues, erunt Socij digni hac bonitate* (addiderim ego: hac in Virginem pietate) *& in totum orbem recti mores, & Dei, eiusque Matris cultus reuertetur*.

Rex est caput populi, & spiritus vitalis.

33. Atque vt aliorum Regum ac Principum antiquorum id mittamus exempla, libet hic referre id quod de Rege Catholico Ferdinando, eiusque lectissima Coniuge Isabella Principibus cultui Deiparæ addictissimis refert supra memoratus Bernardinus Bustius, Vir religiosissimus: *Nouissimè*, inquiens, *aliud suæ Innocentiæ Originalis stupendum indicium gloriosa Virgo Maria demonstrauit. Nam cum Serenissimus Hispaniarum Rex per multos annos ad laborasset, pro inclytæ, & inexpugnabilis Vrbis Granatæ expugnatione, tandem ad purissimę Virginis adiutorium deuotè confugiens vouit cum sua Regina consorte, quod si illis de ea vrbe Victoriam concederet, primum Ciuitatis illius Templum in honorem ipsius immaculatæ Conceptionis erigerent, ac consecrarent. Quo voto facto, gloriosam plane de illa Ciuitate illis victoriam Virgo intemerata concessit. Vnde Granatam solenniter, magno Episcoporum, procerumque suorum numero, militumque potenti exercitu votum illico persoluerunt*. Addit huic breuissimæ suæ narrationi quasi auream coronidem perutilem ad Principes pro sedulo cultu venerationeque Deiparę exhortationem: *Animentur ergo*, inquit ille, *omnes Christiani Principes ad colendam immaculatam Matris Dei Conceptionem, iubeantque ipsius festiuitatem in omni suo Dominio solemniter celebrari. Si quis gratiam quampiam à B. V. obtinere desiderat, eam per immaculatæ ipsius Conceptionis reuerentiam efflagitet. Hoc enim nouissimo mundi tempore benedicta Virgo vniuerso orbi puritatem, originalemque innocentiam suam dignabitur demonstrare*.

Votum Ferdinandi Hispaniarum Regis ad B. V pro expugnatione Granatæ.

Exhortatio ad Principes vt colant immaculatam Conceptionem.

34. Hac aliaue simili animati fuisse visi sunt exhortatione Magni illi duo Reges item Catholici Philippus III. & IV. qui ad definiendam pro bono publico, & Regnorum suorum tranquillitate de immaculata Virginis Beatissimæ

mæ Conceptione iam pridem agitatam controuersiam ad SS.DD.NN.Paulum V. & Gregor. XV. Summos Pontifices amplissimam legationem per Fratrem Antonium de Treio Episcopum Carthaginensem Regium Consiliarium,& Oratorem ex ordine Minorum adornarunt, in quam luculentissimarum rationum huiusmodi allata sunt momenta, & per eiusdem Ordinis P. Lucam Vaddingum grauissimum, doctissimũque Theologum eruditè cõcinnata atque conscripta, vt nihil in tota hac materia, siue eruditionem Theologicam, siue Historicam spectes, addi posse videatur. Qua demum Legatione hi potentissimi, Sapientissimi,Deiparæq; studiosissimi Reges, amplissimã in primis à Sede Apostolica consecuti sunt laudem: ita vt Gregor.XV. vni Regum eorum scribere in hunc modum nõ dubitarit: Charissimè in Christo Fili noster S. Catholicæ Religionis decus, & Austriacæ pietatis argumentum est,Regem potentissimum, cui vtriusque orbis Prouinciæ amplissimæ famulantur, tanto studio Sanctorum laudibus, & Beatissimę Virginis dignitati inseruire. Benedicimus Maiestati tuæ charissimę Fili, dignamq; tibi à Dominantiũ Domino Regia pietate fælicitatem precamur, Sane tibi, & populorum fidem, & hostium oppressionem polliceri haud temerè possumus, cum eius tibi Virginis patrocinium conciliare studeas, quam terribilem esse vt castrorum aciẽ ordinatam Diuina oracula testantur.

Reges Catholici à Põtifice laudãtur ob defensionem immaculatæ Conceptionis.

Vix dici potest, quanto nos gaudio nuperæ literæ Maiestatis Tuæ de immaculata Deiparæ Conceptione differentes perfudere. O curam Catholico Rege dignam, & Christi Vicario gratissimã. Præter hanc adeo insignem Christi Vicarij laudem, id etiam hi Catholici sua pietate in Virginem cõsecuti sunt Reges, vt iam memorati Pontifices grauissimas Constitutiones conderent, quibus immaculatam Deiparæ Cõceptionem astruunt, eamque publicè doceri in scholis, & in exedris prædicari, concessis etiam Indulgentijs volunt.

Nec his contenti, aliam sententiam contrariam taceri, atque è scholis exulare iusserunt.

Carolus V. Imp. studiosus Concept. B.V. defendendæ.

36. Eadem illa vel simili exhortatione permotus fuisse visus est Carolus V. Imperator Domus Austriacæ Sol, columenque augustissimum, cum Regię Confraternitati Toletanæ in obsequiũ ac laudem Conceptionis immaculatæ fundatæ à Pontifice Adriano VI. olim suo Præceptore Bullâ peculiari confirmatæ nomen dedit. In qua Oeconomus, siue Præfectus & Primus Confrater tantus Monarcha esse non est dedignatus. Cuius singularem deuotionem in Deiparam imitati totius Regni proceres, se eiusdem Sodalicij legibus subiecerunt, in quibus multoties profitebantur expresse, se omnia illa, & magna, quæ exhibebant obsequia Deo, obtulisse in honorem immaculatæ Conceptionis suæ Genitricis. Et in cap. 15. earumdem Constitutionum iubetur celebrari dies festus S. Annæ.

Cuius rei eam dant rationem: Vt memoria habeatur purissimæ Conceptionis eius, in cuius ventre fuit anima Mariæ creata in maiori gratia, quam Adami, vel Euæ; quam Angeli etiã, aut Archangeli, Cherubin, aut Seraphin, qui cum natura gratiam acceperunt. Hæc enim ad maius præ illis ministeriũ eligebatur, & creabatur.

37. Huius vestigijs institisse visi sũt nostri hi Principes Austriaci in Germania. Siquidem tam Ferdinandus II. Imperator fælicissimæ recordationis, quam eius Filius Ferd. III. cum Coniugibus ac liberis Cõgregationi immaculatæ Conceptionis, quæ Viennæ in Domo Professa Anno 1634. fuit inchoata nomen dedere, vti Par. 1. Disc. 18. nu. 39. ostensum est. Imo Ferd. III. cum Anno 1625. circa tẽpus illud quo Hispaniarum Reges ad Sedem Apostolicam pro defendẽda immaculata Virginis Conceptione legationem adornabant, instanter, ab eadem sede postulauit, vt Dei Mater ab originali peccati labe immunis pronunciaretur.

Germani Principes Austriaci quam deuoti erga B.V Cõceptionem.

Hanc porro propensissimam suam in Virginem Dominam nostram voluntatem in hodiernum vsque diem fouet, nouisque indies ardoribus auctam cõseruat. Memorabilis sane est huius piẽtissimi Principis in Diuam Virginem ea pietas syncerissimusque animi affectus, quem Anno sæculari Societatis IESV 1640. declarauit, cum Louaniẽsi Congregationi B.V. nomen dedit, in eiusque Album manu propria ita sese inscripsit: Illius ego cætus sub inuocatione tua congregati Augustissima Maria me libẽs, & merito vnum profiteor: Tibi ergo me, meosque, Coniugem ac libe-

Ferd. III. in B.V. pietas.

liberos, tibi Romanum Imperium cui me DEVS præfecit, Tibi Regna à maioribus accepta. Tibi tutelæque tuæ populum, & exercitus meos; Tibi tuoque Filio militantes committo. Tu me in tuum admitte, qui Filio tuo, qui tibi, qui vtriusque honori viuo, Regno, Pugno. Tuus igitur ergo ero ò Maria, Tui erunt quicumque mei. Tuæ erunt ditiones, & Regna mea, & Imperium, Tui populi, & exercitus: Tu eos protege, Tu in eis vince, Tu in eis Regna, tu in eis Impera. Ita Voueo 1640. Tuus Pietate, ac Iustitia Ferdinandus.

Votum publicum Imperatoris Ferd. III. pro immaculata Conceptione.

Hoc etiam Anno 1646. quo hæc scribo, dum Hæresum, bellorumque ad Catholicam Religionem extirpandam desæuiunt turbines, spem suam vnicam post DEVM defigens in Deiparam in medio nobilissimo totius Vrbis Viennensis foro, quod Aulicum nuncupatur, è diametro Templi Domus Professæ Societatis IESV Columnam præaltam, atque ornatissimam velut trophæum Virgini gloriosissimę de Tartareo Dracone triumphanti, eiusque caput, quod Sancti Patres Originale Peccatum appellant, conterenti, vniuersasque in toto mundo Hæreses velut venenatos serpentes interimenti, ad contestãdam totius Domus Austriacæ erga immaculatam Dei Matris Conceptionem singularem pietatem erexit, eamque Stylographiam ad perpetuam rei memoriam iussit incidi.

Deo Opt. Max. Supremo cœli Terræque Imperatori: per quē Reges regnant: Virgini Deiparæ Immaculate Conceptæ. Per quam Principes Imperant: In Peculiarem Dominam: Austriæ Patronam: Singulari Pietate Susceptę: Se: Liberos: Populos: Exercitus: Prouincias: Omnia Denique Confidit: Donat: Cōsecrat: Et In Perpetuam Rei Memoriam. Statuam Hanc Ex Voto Ponit Fernandus Tertius Augustus.

Dicta porro est huius Sacræ Columnæ Dedicationis dies 18. Maij labentis tunc Anni 1647. qui vbi illuxit vniuersam prope Ciuitatem ad pietatis obsequia excitauit. Præter enim Serenissimos Archiduces, eorumq; sorores, omnes summi, mediique Domini Nobilitas, Religiosi Ordines, omnis hominū conditio, ordo, status, & sexus, qui omnes solemni supplicatione ad Domum Professam Societatis IESV conuenerunt, vbi inter Missarum solemnia antequam Sacram Eucharistiam sumeret huiusmodi Votum pientissimus Cæsar fixis humi genibus emisit:

Votum Imperatoris.

Omnipotens, sempiterne Deus per quem Reges regnant, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura Regnorum; Ego Ferdinandus coram Diuina tua Maiestate humiliter prostratus, meo, meorumque successorum, & Inclytę huius Prouinciæ Austriæ nomine, Immaculatam Filij tui Matrem semper Virginem Mariam hodie in peculiarem Dominam, & Patronam huius Archiducatus inuoco, & assumo; in super voueo ac promitto eiusdem Immaculatæ Conceptionis festum quod cadit in diem 8. Decembris solemniter etiam quoad forum in hac Prouincia quot annis præuio, more Ecclesiæ consueto ieiunio, in eiusdem peruigilio celebrãdum. Te deprecor supreme cæli, terræque Imperator, qui quod Matri tuæ impenditur, tibi impensum reputas, Votum hoc meum quod suggerere clementer dignatus es, benigno fauore prosequere, atque ad protegendum me, Domum meam, populosque mihi subiectos dexteram tuæ Maiestatis extende. Amen.

Quæ

Quæ voti formula in membrana exarata; ad seræ posteritatis memoriam in Domo Professa conseruanda recepta est.

Congregatio Italica Nobilium Viennæ ad defendendam Conceptionem sese voto obstrinxit.

39. Pientissimum hunc tanti Principis erga Sanctissimæ Virginis immaculatam Conceptionem affectum imitata Nobilium Italicorum Sodalitas sub eiusdem immaculatæ Conceptionis titulo in Domo Professa Soc. IESV Viennæ, vt ante diximus erecta, Voto sese perpetuo eamdem ab omni labe purissimam Conceptionem amplectendi, atque defendendi adstrinxit; Votumque hoc suum pro incolumitate Imperatoris Ferdinandi III. corde, purissimo ex argento vnciarum 27. & amplius Nominibus atque Iconibus IESV & Mariæ radiatis atque inauratis decorato, liberalitate Guilelmi Comitis Slauatæ Sodalicij eiusdem Rectoris venustè fabrefacto occlusũ Deiparæ obtulit, cum huiusmodi, cordi ipsi insculpta epigraphe: *Votum Congregationis B.V. immaculatè conceptæ pro Ferdinand. Tertio Imperatore.* Ac ne cor vacuum obtulisse videretur, intus reclusus est libellus argenteâ telâ obuolutus, in quo Voti ipsius formula, omnium Sodalium vouẽtium, immaculatamque Virginis Conceptionem profitentium nomina descripta visuntur. Voti porro formula erat huiusmodi: Sancta Maria Mater Dei, & Virgo sine peccato Originali concepta, *Ego N. N. licet tuo seruitio indignissimus, impulsus tamen admirabili illa tua pietate, tibique seruiendi desiderio, te hodie in Patronam, Aduocatam, & Matrem eligo, firmiterque statuo, ac propono me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid dicturũ, aut facturum, neque permissurum vt à meis subditis aliquid contra tuum honorem vnquam agatur. Peculiariter autem promitto, & voueo tuam immaculatam Conceptionem piè me crediturum, & pro viribus defensurum, assertionemque illam, quantum in me erit propagaturum. Obsecro te igitur Mater pientissima, per preciosissimũ IESV Christi dilecti Filij tui, sanguinẽ mei amore effusum, suscipe me in seruum tuum perpetuum. adsis mihi semper tuo fauore, & impetra à dilecto Filio tuo gratiam, vt ita me geram in omnibus cogitationibus, verbis, & actionibus meis, quo nunquam vel ipsius, vel tuæ Maiestatis oculos offendam.*

Votum Sodalium Congregationis Italicæ.

Memento semper mei, ò immaculata Mater Dei, nec me deseras in hora mortis meæ. Amẽ. Decretum denique est communibus totius Magistratus, omniumque Consultorum Congregationis huius suffragijs, vt votum hoc mensibus singulis, peracta communione generali in oratorio renouetur, & Cor ad summitatem Aræ Congregationis in perpetuam rei memoriam appendatur. Illud quoque memoria dignissimum hic occurrit, quod vbi de hoc pio Congregationis huius Voto pro incolumnitate suæ Maiestatis Cæsareæ nuncupato perlatum est ad Imperatricem Viduam Eleonoram, & ad Serenissimum Hungariæ, Boemiæq; Regem Ferdinandum IV. ad Catholici Regis Sponsam, eiusque Fratrem lectissimos augustissimi Imperatoris libros, nihil eis fuerit antiquius, quam vt, & ipsi propria manu in hunc veluti Vitæ Librum nomina sua transcriberent, seseque immaculatæ Conceptionis assertores, ac defensores semper futuros profiterentur, professionemque hanc suam perpetuo Voto, optimum Parentem tamquam gemini tantæ Aquilæ pulli æmulati, firmarent. His sociari omnino voluit Serenissimus Lotharingiæ Dux Nicolaus Franciscus, cum lectissima sua Coniuge Claudia; Principes Domus Austriacæ studiosissimi.

Principes Austriaci ad defendendã Conceptionẽ se voto adstringunt cũ Eleonora Augusta.

38. Ex quibus omnibus quantum voluptatis generosus ille Heros Deiparæ amantissimus Comes Guilelmus Slauata qui tunc ad Congregationis clauum sedebat, voluptatis perceperit dictu est difficile, illud solum dixisse sufficiat, quod non contentus argenteũ illud Cor obtulisse Sodalitati, voluerit etiam totius illius rei seriem proprijs sumptibus in lucem edi, illique hanc suæ pietatis testem præfationem præmittere:

Guilelmi Slauatæ in immaculatã Concept. pietas.

Tibi, Augustissima Dei Parens, Sine Macula Concepta Virgo MARIA, Erectam à Ferdinando III. Statuam, Calamo Erigo. Et Affectu. Vbi Tuos Honores Loquuntur Saxa, Mutus Esse Non Debui. Aut Si Tacendum Esset Homini, Lapis Fieri Velim. Etiam Ex Me Debetur Tibi Statua Et Columna: Imo Debeor Ipse. Voluisti Me Pluribus Annis Sodalitati Im-

Comitis Gulielmi Slauatæ in immaculatam Conceptionem affectus.

maculatæ Conceptionis Tuæ. Præfectum Et Rectorem, Vt Non Postremus Essem, Qui pro Immaculatę Conceptionis Tuę Honoribus Starem. Quia Declinante Iam Aetate Non Possum Corporis; Pono Solidissimi Affectus Columnam, Vegetissimi Animi Statuam Immortalem. Et dum Augustissimus Imperator Ferdinandus III. Tuę Immaculatę Conceptioni Saxa Erigit Et Colossos, Ego Toto Affectu Subscribo:

Tuæ Immaculatæ Conceptioni
deuotissimus
Gulielmus Comes Slauata.

Atque hęc de Principum Austriacorum in immaculatam Deiparæ Conceptione deuotione, ac pietate dixisse sufficiat.

Serenissimæ Venetorum Reipublicæ in immaculatam Conceptionem affectus.

40. Hos inter, aliosque Christianos Principes merito accensenda videtur Serenissima Venetorum Respublica, quæ hoc ipso Anno quo Venetijs hasce meas lucubrationes in lucem edo diem 8. Decembris immaculatæ Deiparæ Conceptioni Sacrum, magna cum religione, ac pietate celebrauit, iussitque omnes, obseratis passim mercimoniorum officinis, feriari, ac Spiritui, laudibusque tantæ Reginæ, cuius Sacra Annunciationis die, felicissimis nempe auspicijs, inclytæ huius Vrbis fundamenta, totius orbis miraculo, iacta sunt, indulgere. Videre fuit ea die præcipuam Venetiarum nobilitatem Senatoresque Sapientissimos, summos denique medios, infimos passim omnibus in Sacris Aedibus, ac præsertim Patrum Conuentualium quam solennissimè ac religiosissimè immaculatam Dominæ nostræ Conceptionem tam musicis concentibus, quam Sacramentorum vsurpatione, quæ harmonia Diuinis auribus est longè gratissima, nec non Sacræ Concionis de laudibus purissimę Conceptionis auscultatione, innumerabilium hominum concursu, quam illa vastissima, atque augustissima Basilica vix capere poterat, magna pietate celebrare. Facta demum est solenni pompa supplicatio, in qua Velum B. Virginis proprium circumgestantes, eiusdemque laudes accinentes processerunt. Idem nobilitatis, populique accursus visus fuit in Templo Patrũ Diui Francisci de obseruantia, qui etiam, vt pote immaculatæ Conceptionis Diuæ Virginis defendendæ, ac deprędicandæ studiosissimi, partibus suis minimè deesse voluerunt, populum per se in illam propensum ad eius venerationem, cultumque inflammando.

B. Laurentius Iustinianus Patriarcha defendit immaculatam Conceptionem.

40. Ad quod faciendum, tacito quodam misso cælitus à Beato huius Vrbis ProtoPatriarcha Laurentio Iustiniano, instinctu fuisse permotos crediderim. Quantus enim immaculatæ Conceptionis Deiparæ hic fuerit amator, atque propugnator, eius pientissima, doctissimaq; ingenij monimenta, nobis etiam tacentibus attestantur. Audiamus illum ore illo suo, quod Diuina olim exosculari, eundemque complecti dignata est Sapientia, ita loquentem Serm. de Annunc. B. V. *Ab ipsa sui Conceptione in benedictionibus præuenta est dulcedinis, atque à damnationis aliena Chirographo*. Et paucis intercalatis:
Sicut erat plane à carnis colluuione immunis, ita ab omni peccati labe extranea.
Libro vero de casto Connubio Verbi, & animæ, quod ipse dum adhuc in primis adolescentiæ versaretur annis fælicissime expertus est, Libro inquam illo, ita scribit: *Hæc est Originalis pœna delicti, à qua nemo, quamuis eximia, polleat Sanctitate, liber existit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (excepto dumtaxat Mediatore Dei, & hominum, homine Christo IESV, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi.*
Vnde Propheta vice omnium gemens ait: Ecce in iniquitatibus conceptus sum.
Nec hic pientissimus huius Beatissimi Protopatriarchæ in immaculatam Cõceptionem Virginis conquieuit affectus. Nam in Fasciculo Amoris Diuini, quo æquè, ac in Deiparam ferebatur cap. 7. sic prosequitur: *Nemo ab ipso mundi initio vsque ad temporis plenitudinem (Mediatore dumtaxat, eiusque Genitrice excepta) iugum damnationis euasit.* Opinionem hanc porro tanquam suauissimam nardum ita suo cordi inseruit, vt eam ad vltimũ suæ vitę halitum fixam, firmamque seruauerit. Nam in opere illo quod ante mortem postremum exarauit, hæc habet:

bet: *Ab hoc quippe Originali peccato nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Saluatorem*. En quam aperte, quam conſtanter Deiparæ immaculatam Conceptionem propugnat, eamque ab omni genitali labe deprædicat immunem.

Venetorum in B.V. pietas.

Perſuaſerim ſane mihi Sanctiſſimum hunc Antiſtitem ardentiſsimæ ſuæ pietatis amoriſque in Diuam Virginem igniculos, quibus ſacrum eius æſtuabat pectus, eiuſdemque de eadem Virgine conſcripti Sermones flammeſcebant in hodiernum vſque diem cælitus in huius Vrbis incolas iaculari, vt, & ipſius immaculatam Conceptionem laudent, ac propugnent, eiuſdemque cultum, ac venerationem paſſim amplificent. Vti videre eſt tota Vrbe, cuius omnes pene anguli, compita, triuiaque, omnes denique mercimoniorum tabernæ Virgineis Iconibus exornatæ, perpetuis quaſi funalibus, ipſorum in Virginem ardentiſſimæ charitatis indicibus, reſplendent.

Templum B. V. de ſalute illuſtre Venetorum pietatis erga illā monimentum.

41. Verum inter omnia huius Sereniſſimæ Reipublicæ in Deiparam pietatis monimenta, illud quod hac noſtra tempeſtate in eius gloriam erectum eſt palmam fert, Baſilica nempe illa pulcherrima æque, ac Sumptuoſiſſima B. Mariæ de Salute, ita nuncupata, quod afflictiſſimæ huic Vrbi contagioſa lue laboranti præſentiſſimam ſalutem attulerit. Nec hic eorum deuotiſſima ſtitit Religio. Nam ex ærario publico triginta ſeptem pondo, ſiue libras auri puriſsimi Senatus deprompſit, ex quibus, ingentem lampadem, arte, ac ſumptibus viſendum, quam mihi etiam tūc Laureti degenti videre licuit, conflari, & ad Sacram Lauretanam Aedem, in qua Verbum caro factum eſt, ornatiſsimâ triremi deportari, ac perpetuo lumine dotari iuſſit, vt ita æuiternum antiquiſsimæ huius Vrbis in Diuinam Matrem pietatis, amoriſque omnibus retro ſeculis Mnemoſynon relinqueretur.

Quo tempore in proceſſione B V Imago per forum S. Marci geſtari cœpta ſit?

42. Eodem illo quo peſtifera lues Vrbem corripuerat Anno ſedente ad clauum Reipublicæ Duce æterna memoriâ digniſſimo Nicolao Contareno, ſolenni ſupplicatione toto S. Marci foro Imago illa Deiparæ Diui Lucę pennicillo diuiniori depicta, & auro gemmiſque inſignis, quæ belli tempore ante Orientis Imperatores, perque Vrbis Conſtantinopolitanæ Mœnia barbaris eam obſidentibus, circum geſtari conſueuerat, deportari cæpit; inque hodiernum vſque diem ſingulis Sabbati diebus, totius pene Senatus, ac Nobilitatis Sereniſſimum Ducem comitantis accurſu, Diuinæ Virginis laudes concinendo inſigni cum religione circumfertur. Eiuſdem religioſiſſimi Ducis auſpicijs die Præſentationi Diuæ Virginis ſacro votum publicum factum quæ Deiparæ, communi, omnium Patrum conſenſu præſentatum, oblatumque eſt, vt quotannis deuotâ Supplicationis pompa ad Templum illud Magnæ Matris de Salute Dux ipſe, cum vniuerſo Senatu procederet.

43. Nec contenta Sereniſſima Reſpublica hiſcé obſequijs ſibi glorioſam Dei Matrem cælorum Reginam demereri, voluit quoque ſibi obſtringere doloroſam. Nam auditâ cuiuſdam deuotæ Sanctimonialis diuinitus ſibi facta reuelatione, vt Dolenti de morte Filij Deiparæ Venetijs certo loco ſacra ædes extrueretur; mox Religioſiſſimus Senatus iaci fundamenta iuſſit, opuſque expenſis publicis perfici quantocyus demandauit. Plura alia de Sereniſſimę huius Reipublicę in glorioſiſſimā cælorum Reginam cultu, ac veneratione dici poſſunt, quę ab alijs ſatis ſcriptis mandata ſunt, vnde illa breuitatis cauſa omittimus.

Veneti in honorem B. V. doloroſæ diuinitus moniti Templum extruunt.

44. Neque vero ſolum Reges, ac Principes peculiarem deuotionem etiā voto firmatam erga immaculatam Virginis Conceptionem cordi radicatam præſetulerunt, verumetiam Religioſi Ordines pene omnes, ac prę ſertim Religio illa in Eccleſia Dei inſtituta in huius Myſterij honorem, ac venerationem, in cuius Regula capite 3. vt teſtatur Suarez To. 2. in 3. Par. Diſp. 3. ſect. 5. dicitur: *Animam Virginis à primo inſtanti creationis fuiſſe Sanctam.* Quam Regulam ac inſtitutum approbarunt Iulius II. Leo X. Alexander VI. varia ipſis concedendo priuilegia. Expreſsè vouent hi in ſua Solenni profeſſione de immaculata Conceptione Virginis ſectanda, ac tenenda. Sanctimoniales etiam Ordinis Conceptionis idem promittunt ſemet in eo victuras, & vitam illam culturas, ob amorem, & ſeruitium Sanctæ Concept. abſque vlla macula Dei Genitricis, vt ſcribit Vvadingus. Ordo etiam Præmoſtratenſium Religioſiſsimus totus eſt in honore immaculatæ

Religioſi aliqui Ordines Votum pro defendenda B. V. Conceptione emiſerunt.

Sanctimoniales Concept. vouent defenſionem illius.

maculatæ Conceptionis promouendo addictus, quod ille candido suo habitu, & laudabili vita præsefert, quæ omnia ab Ecclesia confirmata sunt.

Ecclesiæ Cathedrales vouerunt se immaculatã Conceptionem defensuras.

35 Multæ quoque Ecclesiæ Cathedrales sanxerunt amplectendam hanc sententiam, optimamque hanc suam voluntatem, voto de Maria ab originali labe vindicanda confirmarunt.

Anno certe 1617. ita vouit Ecclesia Hispalensis cum suo Archiepiscopo, & toto Beneficiatorum Clero. Anno vero sequenti idem votum emisit Ecclesia Barcinonensis præsentibus Archiepiscopo, & omnibus fere Episcopis tractus Tarraconensis. Eodem voto sese adstrinxit Anno 1619. Ecclesia Compostellana in plena Synodo totius illius Archiepiscopatus. Idem fecit Cæsaraugustana S. Mariæ de Pilari à S. Iacobo fundata. Denique, vt idem testatur Vaddingus plurimæ Ecclesiæ particulares sub illis Annis eamdem Virgini dederunt fidem, Ecclesiæ, inquam, Oppidorum, Villarum, Præsidiorum, Parochiarum, Monasteriorum, tam Monachorum, quam Sanctimonialium: Multæ etiam Confraternitates, ac Congregationes, quarum nomina, & Votorum formulas recensere in tanta multitudine, longum foret. Vnde supra citatus Suarez pręclarè inter ceteras rationes pro immaculata Conceptione defendenda, primam omnium magni ponderis dixit esse totius Ecclesiæ fere vniuersalem consensum. Cui consonat totius populi Christiani etiam rudium, & simplicium propensissima in Deiparam voluntas; quæ quanti facienda sit, cum vox populi vox Dei sit, multis ostẽdit idem Vaddingus ex SS. Augustino, & Bernardo, qui ex hac populorum conspiratione, licet non vniuersali, Innocentio II. electo Pontifici fauentiũ, legitimumque esse Ecclesiæ Pastorem conclamantium, eum verum Christi Canonicè electum Vicarium esse intulit, censuitque id iudicio, vel reuelatione Dei constitisse. Præclarè enim Doctor Subtilis Q. 2. Prologo 5. *In rebus*, inquit, *non euidentibus ex terminis, nec principijs euidentiam habentibus, non consonant firmiter, & infallibiliter multi diuersimodè dispositi, nisi à Causa Superiori ipsorum intellectus moueantur ad assensum*. Quod igitur in laudem Conceptionis Deiparæ gloriosissimæ totius Orbis homines summi, medij, infimi, rudes, ac simplices tanta voluntatum propensione conspirarint, confitendum omnino est, & danda gloria Supremæ omnium Causæ, æuiternæque Sapientiæ, quæ aperitos mutorum, & linguas infantium facit esse disertas, in dilectissimæ Matris suæ ab omni macula vindicanda Originali Sanctitate, atque innocentia; confitendum, inquam, ad maiorem tanti mysterij propagandam gloriam, ac magna voce exclamandum: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*.

Consensus fere Ecclesiæ afferit immaculatam Conceptionem.

36. Quæ cum ita se habeant, vt vnde digressa est tandem reuertatur oratio, cum omnes nationes, ac populi, & orbis pene vniuersus in laudem immaculatæ Conceptionis cõspirarint, seseq; tam multi passim ad eam propugnandam, venerandamque, tanta cum pietate deuouerint, quisquis illam serio, syncerèque diligit, curet vt erga originalem eius innocentiam ab omni genitali labe præseruatam, sit addictissimus, meminiretque vnam partem Finis, ob quem à Deo conditus est, esse, vti supra memorauimus, laudem immaculatæ Virginis, cuius laus, est vicissim ipsius Dei creatoris laus, ac veneratio, ad quã omnes conditi sumus. Quod agnoscens B. Arnoldus Carnotensis Abbas Tract. de Laud. B. V. Sapientissimè simul ac pijssimè pronunciauit: *Et Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quam eamdem*. Agnouit etiam Tomo 9. Serm. de S. August. vnum eundem esse honorem Matris, & Filij, cum eam merito censuit in anima simul, & corpore in cælos assumptam, ne tam Sanctum eius corpus, in quo ipsa increata Sanctitas nouem mensibus habitauit, videret corruptionem: *Si Filium*, inquit ille, *decet honorare Matrem, numquid non pertinet ad benignitatem Domini Matris honorem seruare, qui legem non soluere venerat, sed adimplere? Lex enim sicut honorem Matris pręcipit, sic inchonorationem damnat, qui enim in vita præ ceteris illam gratia sui conceptus honorauit, potuit eam à puluere, & à putredine alienam facere, quæ humanæ est opprobrium conditionis*. Quanto igitur magis eam potuit, & voluit ab opprobrio peccati originalis; quod longe magis quam cuiuscumque Sepulchri abominabilem putredinem, purissimus ille Diuinæ Maiestatis oculos auersatur, pro ea quam Matri debebat venerationem, præseruare? Idem agnouit S. Hieron. Ser. de Assumpt. Nulli dubium esse debet quin

Honor Matris redundat in Filium.

totum ad gloriam laudis Christi pertineat, quidquid dignè Genitrici suæ fuerit impensum, ac solenniter attributum, quoniam, vt verum fatear, quidquid humanis verbis dici potest, minus est à laude cæli, quæ Diuinis, & Angelicis est excellentius prædicata, & laudata præconijs. Hanc denique Matris cum Filio laudem eamdem agnouit esse S. Basilius, cum dixit: *Quidquid de Redẽptore mundi potest cogitari, quidquid non solum humana lingua, sed etiam Angelorum ritè loqui poterit, ad laudẽ tuã optimè potest adaptari, & maximè cũ qdquid in te laudatur, Dilecto Filio tuo sponte pro me Crucifixo, deputatur.*

37. Cum igitur hac tam luculenta grauissimorum Patrum asseueratione constet, laudem eandem esse cum Filio; & nouerimus nos ad Dei laudem cultumque conditos, facile nobis persuadebimus immaculatam Diuinæ Matris Conceptionem laudando, atque celebrando, nos ipsum DEVM creatorem eiusque Omnipotentiam, Bonitatem, Misericordiam, aliaque attributa in hoc Sacrosanto Mysterio resplendentia laudaturos, & in hac quoque misera, calamitosaque vita, quæ ærumnarum, miseriarumque vallis est, beatissimæ illius, æuiternæque vitę, quæ in clara summi boni Visione consistit, gaudia delibaturos. Quemadmodum enim in hac vita, vti diximus creationis nostræ finis, vna pars est laus Virginis: sic quoque pars quædam accidentalis beatitudinis nostræ, ac gloriæ in altera vita, est iucundissimus aspectus, ac perennis laus immaculatæ Virginis. Quod nobis indicare visus est Spiritus Sanctus. Cant. 6. 8. *Viderunt eam Filiæ Sion* beatæ scilicet mentes. Et quis tandem huius visionis effectus? *Et beatissimam prędicauerunt, & Reginæ laudauerunt eam.*

Quæ omnia clarissimè amore ipsius ardens Seraphinus S. Bonau. in spec. B.V. c. 6. explanauit: *Gloriosum*, inquiens, *gloriæ Mariæ priuilegium est, quod quidquid post DEVM pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. Gloriosum omnino gloriæ Mariæ priuilegium est, quod post DEVM maior nostra gloria, maius nostrum gaudium de Maria est. Vnde Bernardus: Summa gloria est, ò Maria post Dominum te videre, tibi adhærere, & in tua protectionis munimine demorari.*

Maior nostra gloria in cęlis post DEVM est videre B.V.

38. Quapropter vnanimi consensu omnes fideles Ecclesiæ Filij tot omniũ totius Christianitatis Ordinum prouocati exemplo totos sese laudibus immaculatæ Conceptionis celebrandis non modo impendere, sed & deuouere deberent, vti fecisse tam multos ac innumerabiles plane ostendimus, quo & in hac vita inchoatam quamdam fælicitatem, ac beatitudinem, in altera verã consummatam, omnibusque muneris absolutam consequantur.

Honoremus ergo, ac veneremur Originalem hanc Diuinæ Virginis Sanctitatem, puritatem, ac iustitiã, eamq; nobis imaginemur esse ad instar vastissimi cuiusdam maris, ac Oceani, in quem omnium Sanctorum Angelorum, reliquorumque Cælitum gratiarum, puritatisque riuuli, pleno alueo influxerunt. Quod sensit S. Bonau. explicans dictum illud Sapientis: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Quapropter merito B. Magdalena de Pazzis, vti supra meminimus Diuæ Virginis Sanctimoniam, ac puritatem grandi cuipiam Fluuio alto, profundo, ac longè, lateque patenti comparauit. Cuius Fluminis caput atque Originem merito dicere possumus Originalem ipsius esse puritatem, Sanctimoniam, ac iustitiam summo post DEVM cultu, ac veneratione prosequendam.

Puritas B. V. instar ingentis fluuij.

39. Sane Philosophus Seneca Epistola 47. ad Lucilium scribens fatetur Diuinos honores quibusdam magnis fluminibus fuisse delatos, & ipsorum scaturigini, siue capiti, ac origini Aras excitatas: *Magnorum fluminum capita*, inquit ille, *veneramur, & subita, & ex abdito vasti Amnis eruptio Aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes, & stagna quædam vel opacitas, vel immensa altitudo Sacrauit:* Quanto magis Fontem hunc Puritatis signatum sigillo totius Trinitatis, fontem aquarum viuentium fluentium de cælesti Libano .i. candidatione, Fontem aquarum calentium, calore charitatis, diuinæ, ac benignitatis sibi innatæ, ad persanandos varios animarum morbos; Stagnum hoc Opacum Spiritus S. obumbratione, & immensa propemodum gratiarum altitudine, abyssique profunditate Sacratum, quanto inquam magis nobis colendum ac venerandum erit? Quanto denique magis hæc Virginis Originalis Sanctitas, ac Puritas, quæ originem suam deducit è Paradiso siue terrestri, in quo Protoplasti, siue cælesti, in quo Angeli

Magnorum fluuiorum Origini Aræ excitatæ.

geli in originali similiter innocentia fuere conditi, quanto, inquam, magis, summo in honore habenda, eidemque debitâ, vti par est veneratione Aræ, ac Templa erant erigenda?

M. quasi Aquę ductus exiuit de Paradiso.

Siquidem in hac Originali sua Puritate Diuinum aliquid latere Virgo ipsa suis illis præseferre videtur verbis cum dixit Eccli. 24. 41. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio; ego quasi fluuij Dioryx, & sicut aquæ ductus exiui de Paradiso*. quo loquēdi modo innuit similem se esse fluuio illi, qui egrediebatur de loco voluptatis, siue Paradisi, ad irrigandum, ac fœcundādum Ecclesię Paradisum, eiusque spirituales potissimum morbos per sanandos ope humanâ incurabiles lōgè præstantius, ac fælicius, quam aquarum ca entium scaturigines esse consueuerint. Quam ob causam censuerim iure merito Virginem à S. Damasceno ora. 1. de Nat. Petro Blesensi, Richardo à S. Laur. vti 1. Part. D. 11. num. 101. retulimus Piscinæ illi probaticæ, comparatam, ad quam iacebat, vt ait S. Ioannes cap. 5. *multitudo magna languentium, cęcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum, optatamque sanitatem*.

M. virtus in morbis curandis maior longè quam sit Sanctorum.

Cuius comparationis causam reddidit idem Damascenus. *Quia omnem Naturā, morbo laborantem, atque ad interitum vergentem in certam sanitatem, vitamque senio carentem Virgo restituit*. Vnde ibidem illā *Miraculorum Abyssum, & fontem vniuerso orbi medicinam afferentem appellauit*.

Quæ sane omnia si rectæ rationis expendantur trutinâ, mortales omnes ad cultum, venerationemque Originalis ipsius innocentiæ, ac Puritatis, velut omnium bonorum Originis, totius orbis salutis scaturiginis, inducant necesse est. Audiendus hic S. Basilius Seleuc. Archiep. orat. de Annunc.

Quis magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur? Si Christus seruis suis tantam gratiam contulit, vt solo contactu, imo vero solâ corporis vmbrâ ægris præsidium afferre possent: qualem vim aduersus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est? an non maiorem multo, quam cæteris imperio Christi subiectis? omnino res clara est.

Templum B.V. in oppido Poden supra thermas exstructum, & quare?

40. Hinc factum vt euidētiam huiuscè rei aliqui veterum olim agnoscētes, ad scaturiginem huiusmodi aquarum calentium, ac medicinalium pro sua in Virginem pietate, Templa honori ipsius consecrarint. Vidi huiusmodi Templum in Austria in oppido quodā dicto Poden, quatuor Leucis Viennâ distitum, quod supra ipsam Originem calentis saluberrimæque aquæ, antiquo opere non exiguis sumptibus ædificatum est, & Natæ Deiparæ consecratum, reipsa ostendentes misericordiæ Matrem fluuium esse de Paradiso emanantem, hominum generi salutiferum, cuius purissima Sanctissima, ac prope Diuina sit Origo, omni orignaria labe liberrima, dignaque, quæ talis summa Apostolicaq; S. Petri sede à S. D. N. Christi Vicario tandem aliquando pronuncietur, ac Canonizetur, cum iam communis populorū omniū consensus eam, vt quondam Rochum Confessorē contra contagiosam luem præsentissimum amuletum canonizauerit, ac sanctam declararit.

Immaculata Conceptio B.V. digna quæ à Christi Vicario talis canonizetur.

41. Hoc nimirum plurium Virorum insignum, & virtute, literisque clarissimorum iustissimum fuit desideriū. Inter hos fuit Ioannes Baccon Ordinis Carmelitani illustre iubar, qui pro affectu illo, quo tota hæc Sacra familia Dei Matrem complectitur in 3. sentent. Dist. 3. quæstionem hanc proposuit: *An Ecclesia Romana Conceptionis Festum debeat statuere?* Cui ipse respondit, *quod gratissimum esset; & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, laudabili consuetudini consonum, hoc Festum, generaliter statuere per totam Ecclesiam celebrandum, quod definitionis, & Canonizationis quoddam genus esset, per quod tanta cessaret contradictio*. Certè Viros tres Sacri Ordinis Prædicatorum eximios reperio, qui & ipsi huius quæstionis definitionem vehementissimæ desiderarunt. His antiquior fuit Cardinalis Turrecremata, qui pro sua in Virginem pietate in Concilio Basileensi, dum in sua sub vero Pontifice mansit obedientia, *omni qua potuit deuotione, & flexis genibus*, vt ipse in Epilogo 1. de veritate Conceptionis, fatetur, *postulauit vt tandem Mysterium hoc declararet*, cuius supplicationis suæ causam addidit:

Ioannes Baccon Carmelita censuit quęstionem de Cōcept. definiendam.

Item Card. Turrecremata.

Quia sane ex huius quæstionis determinatione magna salus, pax, & tranquillitas, & integritas Religionis expectatur in populo Christiano. Post hunc doctissimus Cardinalis Caietanus in Opusculo de Conceptione Leoni X. Pont. dedicato pro eadem determinatione multum institit. Vbi enim docuisset res fidei à Summis Pontificibus conuocato Concilio, vel sine illo definiri posse, rogat Pontificem, *vt tanquam Arbiter medius inter*

vtriusque sententiæ fautores in Sancta Lateranensi Synodo, in hac de Religionis Christianæ, veritatem firmiter amplectendam tradere dignaretur. Eiusdem sententiæ fuit Pater noster Iacobus de Granado patria Gadditanus, qui tanto in Diuinā Matrem amoris à teneris annis ferebatur affectu, vt subinde recitando eius Rosarium, à se abriperetur, vt scribit Pater Philippus Alegambe in Bibl. Vir igitur hic & Religiosissimus, & deuotissimus in suo libro de Immac. Concept. Disput. 3. qu. 29. censet. *quod singularis deuotio, plausus populi Christiani, celebritas Conceptionis iam pridem instituta clamare videntur, & suo quasi iure definitionem postulare. Et certe,* inquit idem, *vix aliud est dogma definitum ab Ecclesia, quod ante definitionem, tantā acclamatione receptum fuerit. quod certè multum mouere debet Principes, & Prælatos, vt hanc definitionem à summo Pontifice enixè petant.* Hæc ille, piè solicitus, vt Purissimi huius Virgineiq; Fluuij Origini, Diuini quodammodo honores à S. Sede decernantut, & prima eius in hunc mundum Origo vti, & reliquorū Fluminum mundissima, ab omni peccati fœce diuinitus præseruata, declaretur.

P. Iacobus de Granado noster censet definiendum quæst.

42. Qui sane tantorum Virorum in Diuinam Matrem eius honorem tātopere zelantium pientissimi affectus omnibus synceris ipsius cultoribus, ac clientulis imitandi sunt, curandumq; vt eius Conceptionem semper laudēt, vti sæpius diximus, defendant, & ad eam propugnandam sese voto obstringant, eiusque seruituti se totos mancipent, ac deuoueant, & huic tam magno tamque vt ita dicam Diuino omnis Puritatis Flumini in corde suo deuotionis aram erigant, sanctorum desideriorum thura, ac thymiamata, amoris igne adoleant, ipsius immaculatæ Virg. Conceptionis gloriam vbicūque possunt propagent, atque amplificent, aliosque ad idem faciendum inducant, vt ita omnibus Ecclesiæ statibus, ac Ordinibus in vnam Virginis immaculatè conceptæ laudem conspirantibus, omnium quodammodo creaturarum, quæ in homine veluti paruo mundo continētur, ore tanta Mater dignis præconijs celebretur.

Votum emittere pro Cōceptione defendenda laudabile.

Omnes creaturæ in laudanda Con. cept. B. V. conspirasse visæ sunt.

43. Ego certè dum ea, quæ de hoc Mysterio scripta sunt euoluo, mecumque meditor quæ in omnibus pene Europæ regionibus in ipsa Romana Vrbe luce orbis terrarum, in Italia, Gallia, Hispania, in Orbe etiam Nouo ad vltimam vsque Thulen, innumerisque prouincijs, ac gentibus earundēq; singulis ordinibus tam Religiosis, quam sæcularibus, omnium denique populorum lætis acclamationibus votisque communibus in laudem immaculatæ Conceptionis Deiparæ gesta sunt, audire sane mihi quodammodo videor illam omnium creaturarum in mundo existentium vocem, quam se audire Diuus Augustinus sibi videbatur, vocem, inquam illam qua sicut ipse ad laudendū DEVM excitabatur: sic ego ad laudandam in eo eius Matrem Sanctissimam, originemque eius velut Paradisiaci fontis purissimam prouocor.

Et tanto quidem magis, quo scio Puritatem hanc Originariam Virginis, Fontis Paradisiaci proprietates imitari; quarum vna est, totius orbis terrarum in quatuor partes diuisi quaternis riuis fæcundissima irrigatio; altera, auri optimi pulcherrimarumque gemmarum, vt bdellij, lapidis onychini, & ceterorum innumerabilium opulentissima conuectatio; Vnde fit vt animæ fideles, Virginisque cultui addictæ, veluti terræ fertiles, Diuinā gratiā, tanquā vberrimis aquis irrigentur, ac fœcundentur, gratiarum omnium opibus, virtutum gemmis, optimoque charitatis sapientiæque cælestis auro locupletentur, aliasque innumerabiles vtilitates tam animi, quam corporis consequantur.

Vtilitates ex cultu in Cōceptionis promanantes.

44. Quæ cum ita se habeant quisquis vtilitatis, cuius omnes mortales cupiditate trahuntur, mouetur, immaculatam conceptionem laudet animitus, optet medullitus vt toto orbe eius gloria propagetur, votum semel emissum de illa defendenda, atque deprædicanda in dies singulos renouet, addatque hoc suorum votorum complementum, dicatque: *A solis ortu, vsque ad Occasum laudetur omni hora immaculata Conceptio B. M. Virginis.* Experietur sane, & in vita, & in morte innumerabilia commoda ac emolumenta sibi à Virgine velut copioso bonorum omnium flumine, communicari. Quare sapienter deuotissimus Pelbertus de Temisuar, vt homines ad immaculatæ B. V. Conceptionem amplectendam ac celebrandam induceret, quatuor fines proposuit lib. 4. Stell. Part. 1. articul. 1.

Laus immaculatæ Concept. toto orbe celebranda.

docet-

docetque Mysterium hoc deprædicandum omnibus, *in primis ob Christi honorem qui se in Matre honoratum, vti supra meminimus, habet gratissimum. Vnde merito illi* dixit Bernardus. *O fœlix Maria, qui te diligit, DEVM honorat, qui tibi seruit, DEVM reficit, qui tuum Nomen puro corde inuocat, quicquid postulat, indubitanter consequitur.* Docet inde idem Mysterium extollendum ob Mariæ Virginis amorem; cum S. Anselmus ad Anglicanos Præsules scribens, clarè fateatur: *Non videtur verus amator Virginis M. qui diem Conceptionis eius colere recusat.* Tertium finé ob quem Conceptio colenda sit, ait esse fructificationem, *quia plurime*, inquit, *vtilitates, & fructus acquiruntur.* Et primum quidem huius Virginei cultus fructum docet esse, ad dignitates Ecclesiæ exaltationem. Exacuant hic ambitiosi suum insatiabilem honorum appetitum, & si tanto excellentiæ, alijsque dominandi tenentur desiderio, illud ad beneplacitum Dominationum Angelicarum Dominæ accōmodent; dabit illa, quod ad Dei in primis gloriam, ipsorumque animarum salutem viderit expedientissimum.

Causæ 4. cur colenda Cōcept. B V.

Qui Mariam diligit. Deū honorat.

B.V. immaculatam Cōcept. colentes ad dignitates Eccl. promouētur.

45. Ad hoc comprobandum ex iam citati S. Anselmi Epistola rem planè recenset memorabilem, quæ tempore Caroli Fracorum Regis cuidam Regis Hungariæ Germano contigit. Hic tanto in Deiparam ferrebat deuotionis affectu, vt honori eius indies preces illius Horarias, antequam cibum sumpsisset pie persolueret, seque suaque omnia illi tanquam fidelissimæ suæ Patronæ ac Dominæ committeret. Contigit tandem, vt in grauem morbū incideret, à quo vt liberaretur ad Infirmorum Salutem, ipsam Virginem, tanquam ad Asylum confugit, promisitque, si pristinæ sanitati restitueretur se illibatam animi, corporisque castitatē in eius honorem conseruaturum; Vix votum hoc emiserat, cum ecce conclaue in quo æger decumbebat, clarissima mox perfusum luce conspicit, seseque omni ægritudine leuatum, benignitate Diuinæ Matris animaduertit.

Regis Hungariæ Germani deuotio in recitādo officio B.V.

Emittit in honorem B. V. votum castitatis, & ab infirmitate conualescit.

Non ita multo post Hungariæ Rex absque hærede è vita discedit, Regni proceres anxij, quem in Regem deligerent, communi tandem consilio inito Iuuenem hunc ad sceptram capessendum inducunt; simulque Sponsam deligunt, cum qua propediem nuptiæ erant celebrandæ. Dum benedictionem Sacerdotis nouus Sponsus expectat, occurit, se ea die Horariarum precum pensum B. Virgini minimè persoluisse, itaque relictis omnibus, preces, solita sua deuotione auspicatur. Vbi ad versiculum illum, elogiumque Virginis Sacratissimæ peruenit: *Quàm pulchra es, & quam decora charissima in delicijs*; ecce cælestis Sponsa ante altare, radianti luce circumfusa duobus Angelis stipata sese visendam exhibet, simulque Iuuenem ita alloquitur: *Si pulchra sum, ac decora, vt dicis, cur me dimittens, aliam tibi in Sponsam socias?* Cui ille ruboret suffusus: *Quid*, inquit, *Domina me iubes facere?* Subinfert Virgo: *Si Sponsam carnalem mei amore dimittis, scito me in supremo Regno tibi Sponsam futuram; & si diem festum immaculatæ meæ Conceptionis quotannis piè celebraueris, efficiam mea apud DEVM intercessione vt in Regnum Vnigeniti Filij, emerso fæliciter huius vitæ curriculo Laureatus ingrediaris.* His tam prolixa benignitate auditis promissis sibi factis à Virgine, clam Regia ex aula sese proripuit, & Aquileiam peruenit, vbi in rupe quadam deserta non procul ab Vrbe vitam solitariam pluribus annis, magnâ Sanctitatis opinione transegit, cuius eximiæ pietatis, ac virtutis Sanctimoniæque euulgata fama in Patriarcham Aquileiensem, Dei, eiusque Matris sine dubio nutu, eligitur. Qua in dignitate constitutus nihil ei fuit antiquius, quā vt publicis ad populum habitis pro munere pastoralis officij concionibus, omnibus persuaderet, vt immaculatam B. V. Conceptionem colerent, ac venerarentur, eiusque annuum diem festum summa religione celebrarent.

Eligitur in Regem Hungariæ.

B V. eum increpat.

In Patriarcham Aquileiensē electus immaculatæ Concep. celebrādam prædicat.

Quo recensito, ex eadem S. Anselmi Epistola tam insigni exemplo, addit ex eodem Anselmo non iniucundem ad Abbates suæ Prælaturæ amantes exhortationem: *Quisquis Præsul, aut Abbas es, recole diligenter Festum Conceptionis, & à cunctis eam iube diligenter coli, quia si toto corde eam amaueris nunquam de tuo gradu cum confusione deponeris.*

Prælati qui colunt Con cept. B. V. nūquā e suo cum confusione priuantur.

46. Alterum Cultus immaculatæ V. Conceptionis fructum ait Pelbartus esse *à periculis liberationem*. Quod ex eadem Anselmi Epistola probat, exemplo Helsini Abbatis qui cum in grauibus quibusdam Regis Angliæ negotijs expediendis nauigaret, vehementissimâ coortâ tempestate, extremum vitæ periculum adijt, in quo cum nulla spes mortem

Cultores immaculatæ V. Conceptionis à periculis liberātur.

Helsinus Abbas naufragio liberatur ob votum Concept. colendæ emissum.

tem præsentissimam euadendi superesset ad Diuam Virginem Stellam maris lucidissimam, naufragantium Anchoram, tutissimumque portum confugit. Dum illam in tanto discrimine constitutus deprecatur, ecce tibi videt in aere Virum quendam Pontificali habitu amictum, clarissimaque luce radiantem, seque hiscè verbis alloquentem: *Scito quod Domina nostra S. Maria me ad te misit, tibique dici iusserit, quod si à dirâ hac tempestate, naufragioque liberari desideras, promittans illi te annuetim Sacrum illum diem eius creationis, atque immaculatæ V. Conceptionis celebraturum, & simul prædicaturum omnibus, vt diē illam quæ principiū salutis nostræ extitit pie venerentur.* Quod votum cum ille emisisset, mox tempestas sedata est, fæliciterque desideratum portum attigit. Quod si Virgo Deipara Abbati huic ob solam hanc promptam, deuotamque voluntatem, qua se ad diem illam sacrã, qua ipsius immaculata conceptio facta est, celebrandam, venerandamque adstrinxit, tam præsenti amittendæ vitæ periculo est ereptus: quid quæso existimabimus ijs facturam Virginem, qui totam vitam suam eius seruitio deuouerunt, & ad eius purissimam creationem, absque omni originaria labe factam aliaque eius laudum præconia deprædicanda sese totos mancipant atq; impendunt? Nos sine dubio, ab illa secunda Morte horribili præseruatos, in æuiternæ fælicitatis portum, tanquam Nauis Institoris securissima, tanquam nauigantium Elice, & Cynosura, clarissimâ sua præeunte luce, introducet. Quare præclarè eadem illa sua Epistola S. Anselmus Angliæ Episcopos cohortatus est: *Nos Fratres charissimi si portum salutis volumus apprehendere, Dei Genitricis Creationem, & Conceptionem dignis officijs celebremus, vt ab eius Filio digna mercede remuneremur.*

Cultores Concept. B. V. sanitatem recuperant.

47. Tertium fructum cultus ac venerationis immaculatæ Conceptionis Deiparæ dicere possumus, sanitatis restitutionem, quam multis huius Mysterij cultoribus fuisse, ope diuinâ redditam, Religiosissimus Bernardinus Bustius Ordinis Seraphici serm. 17. par. 2. de Concept. varijs comprobat exemplis, inter quæ refert illud magni Concionatoris M. Ioannis de Viterbio, qui cum mysterium hoc impugnaret, tandem grauissimam mortalemque infirmitatem contraxit; cum iam cerneret de vita sua esse conclamatum, Alexandri de Ales vestigijs insistens, & ad Virginem pientissimam recurrens, huiusmodi se se voto obstrinxit: *O Beata V. M. si verum est, quod sine peccati macula fueris concepta, rogo mihi sanitatem in signum immaculatæ tuæ Puritatis reddere digneris, & ego promitto, & voueo Maiestati tuæ, totius meæ vitę tempore me diem Festum tuæ immaculatæ Conceptionis celebraturum; prædicaturum insuper, atque annunciaturum populis tuam originalem innocentiam, palinodiamque cantaturum de omnibus, quæ aliquando contra hoc Mysterium sum concionatus.* Vix votum hoc conceperat, cum ecce tibi se mox pristinæ sanitati redditum animaduertit. Vnde pro tam præsenti beneficio Virginis, illico præcepit, vt dato signo ad concionem populus conuocetur. Res plane noua, & admiranda omnibus, ac præsertim Medicis, qui de eius salute conclamauerant, accidit. Verum multo magis creuit admiratio cum eum Conceptionis laudes vberiori eloquentia varijsque eruditissimis adhibitis argumentis deprædicantem audierunt. Concludit tandem hoc tam insigne miraculum Bernardinus his verbis: *Igitur Frater Ioannes, de tanto beneficio à B. V. accepto non ingratus, tanto maiori reuerentia, ac deuotione Conceptionem immaculatam Virginis venerari statuit, quanto eam magis primo studuerat impugnare.* *Atque ita de B. Virgine verificari visum est illud Isa. 68. Venient ad te qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigia pedum tuorum.*

Votum Ioannis de Viterbio ægrotā(n)tis factum B. Virgini.

48. Non dissimile exemplum refert idem Bernardinus de quodam Fratre Thoma de Boemia sui Seraphici Ordinis, cui cum tibia vna cum crure frigoris, sine dubio acerbitate exaruisset, & Medicorum esset iudicium membra hæc, ne totum corpus periclitaretur, esse resecanda. In hoc tam euidenti vitæ discrimine constitutus Dei seruus, aliud suæ salutis refugium dum nō inueniret, ad Matrem confugit misericordiæ, eamque obsecrauit instantissimè, vt sibi ad laudem suæ immaculatæ Conceptionis membra illa detruncanda, pristino vigori restituere ne dedignaretur. quod vt tanto facilius à clementissima Matre impetraret, Missæ Sacrificium de immaculata Cōceptione, alteri dumtaxat pedi insistens in eius honorem, & gloriam, vti poterat ad altare sese inclinans grauissimis superatis doloribus, obtulit, & mox per-

Cuidam in honorem Conceptionis B. Virginis celebranti pes aridus sanitati restituitur.

acto Sacrificio adeo incolumis euasit, vt qui ante ita ad ambulādum erat impotens, vt pedem mouere, absque acerbissimis cruciatibus, & sine socij adminiculo nō poterat, Romam paulo post pedes proficisceretur. quæ omnia se ab hoc eodem Religioso accepisse fatetur Bernardinus. Atque hæc de Dominatione Virginis super omne peccatum etiam Originale, omnem eius à se potestatem, tyrannidemque eliminante longè fælicius, ipsis Angelicis Dominationibus, dixisse sufficiat. Nunc ad alias Dominationum proprietates gradum faciamus.

Dominationes inferioribus Angelis, absque tyrannide dominantur.

49. S. Bonauentura libr. de Ecclesiast. Hierar. Part. 2. docet Angelicas Dominationes ita denominari, quod inferioribus Angelis ita dominentur, vt nullam tyrannidem vitiorum illis dominari patiantur, quam Dominationem in Prælatis Ecclesiasticis, ad imitationem Angelicarum Dominationum ait relucere, proinde illis incūbere ita Dominium, & potestatem suā in subditos exercere, vt simul ab illis omnem vitiorum tyrannidem excludant: *Dominationes secundum Isidorum nuncupantur,* inquit Doctor Seraphicus, *quia inferioribus Angelis dominantes, eos instruunt & informant, qualiter in prælationis officio debeant subditos ad Deificam similitudinem reuocare, & sine tyrannide subditorum facta liberaliter ordinare. Dicuntur itaque illi, qui purè in spiritualibus præsunt, Dominationes, quia verū Dominium est, quando superantur vitia, & virtuosa opera in Regno animæ, siue Ecclesia dominantur. Non possunt autem extirpari mala, vt bona efficaciter dominentur, nisi per Prælatorum ministerium, quibus cælitus collata est auctoritas, vt per ipsorum officium, Sacramentorumque ministerium euacuentur vitia, & mores in hominibus corrigantur, & sic Subditorum mentes, per morum disciplinam ad deiformem similitudinem reformentur.*

Quomodo Prælatis Dominationes Angelicæ imitandæ?

Prælati in subditis debent extirpare vitia.

Verum Dominium est quando superatis vitijs, in anima virtutes dominantur.

Et ideo apud Prælatos animarum, istius Dominationis auctoritas à Domino est relicta, vt ipsis cooperantibus, peccati seruitus penitus auferatur, & vera libertas Spiritus electis mentibus per ipsorūministeriū conferatur. Hęc Bon.

B.V. Dominationes imitatur in suis clientulis vitia extirpando, & virtutes inserendo.

50. Quod si hæc Dominationum proprietas, nempe sibi subditos, à vitiorum tyrannide liberandi in Ecclesiæ Prælatis ita elucet, vt & ipsi Dominationes imitati, subditos à peccatorum dominatione eripere, & per morum disciplinam, ad deiformem similitudinem conformare nitantur; multo sane excellentius, absque vlla comparatione effulgebit in Angelicarum harum Dominationum, atque adeo omnium cælestium Hierarchiarum Regina; cuius pientissimum in mortales omnes Dominium, atque auctoritas in hoc vno consummatur, vt creaturas à Tyrannide peccatorum ereptas, atque emancipatas, ad ipsarum Creatoris seruitutem, quæ verissima libertas, ac Regalis dominatio est, ipsiusque deiformem similitudinem, ad quam in prima conditione fuerant efformatæ, reducantur. Quod ipsa potissimum nobis præstat, nos ad sua Parthenia Sodalicia inuitando, pietatem solidam in DEVM inserendo, amoremque sui Virginei Nominis cordibus nostris radicando.

B.V. ad sua Sodalicia nos inuitādo à vitijs purgat.

Nimirum Creatoris iussio illa semper oculis eius obuersatur; semper aures eius circumsonat: *In electis meis mitte radices.* Quibus iussis se paruisse non inuitā, ipsa postea professa est: *Et sic in Sion firmata sum, & Ciuitate Sanctificata similiter requieui, & in Hierusalem potestas mea.*

Verè enim Sacra hęc Sodalicia sub Virginis tutela, atque protectione, varijs ipsius Sanctissimi Nominis titulis consecrata, quædam Siones sunt, hoc est Speculæ; in quibus oculos Maternæ suę pietatis prouidentiæque firmans nos benignissimè contuetur, vt vnicuique nostrum dicere videatur cum Filio:

Firmabo super te oculos meos, deducam te super semitas iustitiæ propter Nomen meum.

In his enim Sodalicijs velut Diuinæ Sapientiæ Domicilijs, Illuminatricis huius affulgescente luce, qua tota à capite ad calcem circumamicta est, mens nostra, ad speculanda cælestia, ac cognoscendum creatorem, vt eum, vti par est amemus: deinde virtutis pulchritudinem, vt eam amplectamur: ad videndam denique turpitudinem vitiorum, vt eam detestemur, irradiatur.

Verè Ciuitates quædam, ipsius præsentiā Sanctificatæ sunt eadē Solidacia, in quibus, & ipsa Virgo mirifica animi sui complacentia requiescit, & nos ipsi in illa vicissim iugi ipsius seruitute, ministerio, pientissimoque obsequio conquiescimus: assidua denique Sacramentorum frequentatione, ipsiusque Patronæ nostræ, nec non reliquorum Sodalium pietatem spirantium præclarissimis virtutum exemplis, bonorumque operum exercitationibus, ad omnem Sanctitatem, puritatem, morumque integritatem, velut totidem admotis facibus, inflammamur. Verè denique huius-

Sodalicia B. V. sunt Ciuitates sanctificatę, sunt Siō, & Hierusalē.

huiusmodi Mariana Sodalicia totidem vt ita dicam Hierosolymæ, visiones videlicet, ob insignem animorum tranquillitatem, quam in huiusmodi Sancto viuendi genere, ipsa mens sibi conscia recti, ipsa morum purissimorum integritas secum, velut opulentum thesaurum, velut cælestes diuitias apportare consueuit. Vnde cum in huiusmodi fælicem, beatamque animam Virgo potentissima, simul ac benignissima suam illam vniuersalem diuinitus sibi traditam potestatem exerceat, quid aliud nobis sperandum, quam quod hęc Sulamitis, nempe Pacifica, & pacem reperiens, pacem inter nos, & Regem pacificum, pacisque Principem dilectissimum suum Filium reconcilians, animas nostras pace Filij, pace quæ exsuperat omnem sensum sit cumulatura? quid expectandum aliud, quam quod animarum nostrarum potentias, ita dispositura, atque Diuinâ gratia præparatura sit, vt Diuinis Personis dignissima domicilia esse possint; Memoriam efficiet ipsa, rerum Diuinarum capacissimum quemdam thesaurum, in qua Pater suauiter conquiescat.

Sodalicia B. V. pacis dicũtur Hierosolymæ ob pacem conscientię, qua ipsius clientuli perfruũtur.

B. V. tãquam Sulamitis pacifica nos cũ Filio suo reconciliat, atque pacificat.

B. V. potẽtias animæ perficit, vt SS. Trinitatis domicilia esse possint.

Intellectum rerum cælestium cognitione, vt pote electa, vt Sol, illustrabit, quo in illo Sapientia illa increata ipsius nempe Filius, cuius in pace factus est locus, summa cum tranquillitate pauset, ac moretur. Voluntatem diuino amore ita inflammabit, in eumque quodãmodo transformabit, vt Spiritus S. qui Personalis Amor est, sibi quodammodo similem reperiens, in ea lubens conquieturus sit. Corpus denique ipsum, omnesque eius facultates ac potentias ita disponet, ac rationis imperio subordinabit, vt veluti Dominæ ac Reginæ deseruiant nec vllis rebellantium affectionum tumultibus, beata illa animi quies æuiternæ illius æmula, interturbetur; Atque ita illa Spiritus S. vox verificabitur: *Cumplacuerint Dominæ viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.*

51. Possemus veritatem hanc innumeris variarum personarum omnis status, ac conditionis, ac præsertim adolescentum comprobare, qui cum ante inita huiusmodi Parthenia Sodalicia moribus essent dissolutissimi, simul, ac corruptissimi, voluptatum blandissimarum dominarum irretiti lenocinijs, sensuum captiuati illecebris, carnalium cupiditatum ad instar Babylonicæ fornacis turpissimis exęstuantes flammis, probrosaque sui corporis in luxuriam despumantis euasissent mancipia; postea tamen vbi sese Virgineis, pręmissa generali omnium peccatorum per exomologésin facta expiatione, atque Eucharistici Epuli susceptione summa cum pietate mancipauere obsequijs; eique in perpetuos seruulos ac cliẽtes se deuouerunt, innumerabilium ac enormium Scelerum, qua premebantur atque opprimebantur tyrannide liberati sunt; tantaque corruptissimorum morum visa est in eis mutatio, tanta reflorescentis quodammodo castitatis, ac pudicitiæ pulchritudo, vt verè qui eos contemplarentur dicerent: *Digitus Dei est hic.* Hæc mutatio dexteræ excelsi.

52. Quæ sane omnia, aliaque Diuæ Virginis, veluti supremæ post Filium in suos clientes ac Subditos Dominatricis si expendantur beneficia, agnoscemus illam Ecclesiasticarum, Angelicarumque Dominationum multis parasangis transcendisse excellentiam, ac proinde dignissimam, cui à nobis omnis post DEVM honori, amorque deferatur, eiusdemque dominio vniuersi subijciantur, eique se totos cum anima, & corpore, omnibusque potentijs, ac facultatibus dedicent consecrentque, ac demum tanquam amantissimam, benignissimamque Dominam venerentur, humillime coram eius Maiestate procidentes ad dicentes: Domina posside nos, nos enim tua hęreditas tuum Regnum, tuum Dominium omnes sumus.

53. Quam aptè porro hęc Virginis Deiparæ, in mortales omnes, atque adeo in totum hoc Vniuersum conueniat dominatio, & dominium, sicut, & libertas illa ab omni, tam actuali peccato vel minimo, quam Originali absolutissima, ipso suo Nomine planæ aureo ex ipsis Diuinitatis thesauris deprompto præseferre videtur.

B. V. dominationem in totum Vniuersum suo Nomine præsefert.

Quid enim lingua Syriaca *Maria*, sonat aliud, quam *Dominam*, vt ait S. Epiphanius, Damascenus, Philo. Hebr. lib. de Nomin. Hebraicis interprete S. Hyeronimo, cum alijs Patribus? Domina verè facta est totius Vniuersi Virgo Deipara postquam ad dignitatem diuinæ Maternitatis est electa. Vnde diuinam quamdam libertatem, ingenuitatemque

Mariæ Nomen Dominam sonat.

que indepta, supra creaturas omnes, ipsaque terrima peccatorum monstra obtinuit dominatum Audite Rupertum Abbatem in verba illa canticorum commentantem: *Veni Coronaberis* lib. 4. in Cant. *Ita*, inquit ille, *Coronaberis ò Virgo vt in cælis Regina sis Sanctorum, & in terris Regina sis regnorum, prædicabitur de te, quod sis Mater Christi, ac proinde Regina cælorum, totum iure possidens Filij Regnū.* Quam ob causam Ioan. Gerso Cancel. Paris. Trac. 12. in Magn. sic Diuam virginem de suo nomine gloriantem introducit: *Magnificat anima mea Dominum, quia me Dominam constituit secundum Nomen meum; Maria nempe, sua interpretatione Dominam insinuat. Futurum est pretcrea vt me Dominam, non qualemcunque, sed Dominam mundi, Dominam beatam me dicant omnes generationes.* Sic ille. Huius Dominationis Aegidius Columnius Archi. Bitur. ord. S. Augustini præclarissimū sydus dat rationem in Exposit. Salut. Angelicæ. *Maria*, inquiens, *interpretatur Domina; quia cum Mater sit eius, qui omnium Dominus est, & Rex, in cuius ditione cuncta sunt posita, & non est, qui eius possit resistere voluntati, eius, inquam, qui fecit cælum, & terram, & quicquid cæli ambitu continetur, Domini denique Vniuersorum, ipsa etiam omnium Domina credi debet. Vnde Ecclesia illi Canit: Regina Cęli, Porta Paradisi, Domina mundi, pura. Vere Domina nostra, est Maria, quia sicut Deus in eo quod bonis nostris non eget, dicitur Dominus noster, vti ait Dauid. Psalm. 30. dixi Domine Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges: Ita illa dicitur Domina nostra, quia non eget nostris bonis, cum omnibus bonis sit plena. Denique Maria est Domina nostra, quia non solum est omnium Domini Mater, & bonorum nostrorum non eget, sed quia tamquam Domina, & totius mundi Regina bona plurima nobis impetrat, & largitur sicut ait* Propheta Psal. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, Ita, & de hac Virgine benedicta confidere possumus, quia si sub ipsius Dominio, & protectione manebimus, nihil nobis deesse poterit, quia non solum in Ecclesia victorum, sed & in illa triumphantium, Gratiâ Filij, & meritorum suorum abundantiâ maximam obtinet potestatem, ita vt dicere: Et in Ierusalē potestas mea. Eccl. 24. idest in Ecclesia, quæ est visio pacis.* Sic ille.

B.V. Dominā mundi, & Dominam beatam dicūt omnes generationes.

Maria ideo Domina, est totius Mundi, quia Domini vniuersorum Mater est.

B.V. est Domina nostris bonis vti, & Filius minimè indigens.

Si sub dominio, & protectione B.V. manebimus nihil nobis deerit.

514 Quam procul porro amplissimum, hoc gloriosissimæ Virginis nostrę dominium se extendat, audiendus est D. Bonauenturæ in spec. capit. 3. *Maria*, inquit, *interpretatur Domina, quod Nomen optimè competit tantæ Imperatrici, quæ reuera est Domina Cælestium, Terrestriū, & Infernorum. Domina, inquam, Angelorum. Domina hominum. Domina Dæmonum, Domina vtriusque creaturæ in Cęlo, Domina in mundo, Domina in Inferno.* Quæ omnia Sāctus Doctor distinctè probat, aitque Dominium hoc Gloriosissimæ cęlorum Reginę significatum in Regina Esther cap. 15. cui duæ famulæ studiosè deseruiebant, Altera earum, cui deliciosè innitebatur, creaturam Angelicam; quæ defluentia in terram vestimenta sustētabat, humanam Naturam denotabat. *O quantum*, exclamat Pater Seraphicus, *gaudendum est nobis miseris hominibus, quod Angeli Dominum, & Dominam habent ex hominibus.* Vnde August. *Si Dominam Angelorum nominē per omnia esse comprobaris. Verè intelligentia Angelica est famula, super quam Domina Maria innititur in Cęlo. Innititur certè tamquam familiarissima, se Angelis sociando, innititur tamquam delicatissima, in Angelis, in deliciando, innititur quoque tamquam plenissima, se cum sua plenitudine Angelis communicando: innititur insuper tamquam potentissima. Angelis imperando. Omnibus enim Angelis Maria innititur suo Imperio. Vnde Augustinus: Michael Dux, & Princeps militię Cęlestis cum omnibus spiritibus administratorijs tuis Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium, specialiter Domina, die, ac nocte se tibi commendantium. Est etiam Maria Domina hominum in mundo. De illa enim Psalmista: sicut oculi ancillæ in manibus Dominę suę. Ancilla Dominæ Marię, est quelibet anima fidelis, imò etiam Ecclesia Vniuersalis: Oculi huius Ancillæ in manibus Dominę suę semper debent esse, quia oculi Ecclesię oculi omnium nostrum ad manus Mariæ semper debent respicere, vt per manus eius aliquid boni accipiamus, & per manus eius quidquid boni agimus, Domino offeramus &c. Est denique Maria Domina Dæmonum in Inferno tam potenter eis Dominans, vt de ipsa accipi possit illud Psalmi: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus. Verè virga virtutis est Virgo Maria, contra inimicos Infernales quibus magna virtute dominatur. Et ideo Domina tam magna, tam magnæ virtutis merito à nobis amatur, merito à nobis laudatur, merito à nobis exoratur, vt nos contra inimicos istos tueatur.* Tandem vniuersale hoc in omnes creaturas Virginis, idem Bonauentura agnoscens Dominium, totum suum sic claudit discursum: *Eia Domina Maria adiuua nos, vt tua gubern-*

Maria Domina in cælo, in terra, & in Inferno.

B.V. figurata in Regina Esther cui duæ famulæ nempe Natura Angelica, & humana deseruiūt.

Gaudendum hominibus, quod Dominum, & Dominam ipsorum Angelorum in cælis patronos habeant.

Quomodo B.V. Angelis innititur?

Ancilla B.V. est quæuis fidelis animę, & Ecclesia vniuersalis.

Maria in Inferno Dęmonibus dominatur.

Maria Virga virtutis.

Y

gubernationi, & dominatione filialiter gubernemur. Quam Dominationem, imperiumque suauissimum Virginis huius clementissimæ, vt super nos habeamus, eiusque habenis, dum in hac vita degimus moderemur, sępius nobis esset obsecranda peculiari aliqua orationis formula; quam ego censuerim gratissimam, pernenustum illum, pientissimũque Ecclesię Hymnum: O gloriosa Domina excelsa super sydera. Quod melos suauissimum sibi esse acceptissimũ, ipsa cuidam Religioso Ordinis Seraphici reuelare non est dedignata; vt videre, est Part. 2. Chron. Minor libro 1. cap. 36. vbi legimus in Hispanijs fuisse Nouitium quendã vitæ innocentissimæ, ac simplicissimæ, qui si quidquã ei à superiore fuisset demandatum mira promptitudine exequebatur.

Mariæ gratissima oratio est: O gloriosa Domina.

Die quadam demandatum illi fuit, vt ad Altare B. V. se conferret, eamque rogaret, reuelare sibi dignaretur, quænam ex orationibus illi esset gratior; simulque præcepit, ne inde abiret, priusquam responsum acciperet, & interea, nec comederet, nec biberet, nec dormiret. Facta à Tyrone diligenter Obedientia, & elapsa iam die, & noctis maiori parte, cõtinuando semper ad Virginem sibi impositam deprecationem, obortis tandem lacrymis ita fatus est: Rogo Domina mea concede mihi id, quod meus Guardianus scire desiderat, siquidem absque hoc à te accepto responso hinc abire, ita mandante superiore, nequeo. Cuius innocentiam, obedientiæque Dei Mater cum tãdem benigna respexisset, ei sese visendam exhibuit, eique dixit: Abito dilecte Fili, & recita Hymnum: O gloriosa Domina, &c. hæc enim oratio inter alias mihi gratissima est.

55. Quo autem titulo Virgo gloriosissima Dominium hoc vniuersale, in creaturas omnes adepta sit, variæ sunt SS. Patrum sententiæ. S. Bernardus arbitratur, eam ob profundissimam humilitatem, Dominium hoc acquisiuisse. sermone enim de verb. Apoc. cum expenderet verba S. Euangelistæ Act. 2. Vbi inter Apostolos, & Discipulos, Magdalenam, reliquasque mulieres, vltima numeratur Maria: *Hi omnes perseuerabant vnanimiter, cum mulieribus, & Maria Mater IESV;* in illa, præ admiratione prorupit verba: *Itanè & mulierum sese vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? Vere carnales adhuc Discipuli, quibus necdum Spiritus erat datus, quia IESVS necdum fuerat glorificatus quando facta est inter illos contentio de primatu; cum Maria quanto maior erat, humiliaret se, non modo de omnibus, sed & prę omnibus. Merito facta est nouissima prima, quæ prima cum esset, omniũ sese nouissimam faciebat. Merito facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat Ancillam. Merito denique super Angelos exaltata est, quæ & infra viduas, & pænitentes, infra eam, de qua eiecta fuerant septem Dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat:* Hæc Bernard. quare B. Albert. Magn. & S. Antoninus aiunt, *Dominationum proprietatem illam, qua inter dominandum nulli subditi dicuntur vanitati, in summo, excellentissimoque gradu habuisse Deiparam. Quia quanto maior fuit, tanto plus se in omnibus humiliauit. Vnde cum constet eam creaturarum omnium extitisse maximam.*

B. V. Dominium in totũ Mundum ob humilitatem adepta.

Maria ex humilitate, infra Magdalenam se collocauit.

Dominationes inter dominandum nulli subditi vanitati.

Altè enim illud Spiritus Sanctus monitum cordi eius insiderat: Quanto maior & humilia te in omnibus, & apud DEVM inuenies gratiam. Item dictum illud Filij: *Qui se humiliat, exaltabitur omnium igitur exaltatissima, omnium humillima fuit, ac proinde minimam inter Dominationes, reliquasque creaturas se esse censuit, & penitus nil vnquam vanitatis in suis actionibus prætulit.* Hæc ille.

M. cum esset Maxima, maxime se humiliauit.

56. Humilitatem hanc in tanto cœli terræque, & creaturarum totius vniuersi Dominio admiratus ipse cœlestis Sponsus, in illa prorupit verba: Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Quæ verba expendens Rupertus Abbas lib. 2. in Cant. mirificè tantæ Virginis Dei Matris humilitatem, reliquasque virtutes deprædicauit: *Habet hoc principium, inquiens, tantam in admiratione exclamationem, vt auditorem etiam dormientem excitare, & reddere possit attentum. Cuius quæso est hæc admiratio? Nimirum est admiratio huius dilecti singularis huius Sanctissimæ Virginis. Et quid admiratur, vel quid nobis admirandum insinuat Spiritus S. per verba huiusmodi? Ascendit per desertum sicut Virgula fumi ex aromatibus, &c. O felicem mentis habitum, qui tam magnum habet præconium. Humilitas tua est. O Ancilla Domini B. Maria. Quam tali admiratione Spiritus S. collaudat. Odor tuus odor humilitatis tuæ præcipuus ascendit ad eum, vt verè Sacrificium contribulati Spiritus. Quid enim est fumus, quid puluis, nisi Spiritus lacry-*

Christus Sponsus profundissimam Diuæ Matris humilitatem admiratus est.

B. V. ob humilitatem vocata Virgula fumi.

lacrymosus, & conscientia valdè humilis?
Et sua quidem æstimatione vera humilitas est fumus innoxius, quasi cremij siue torris obusti, & puluis terræ sitientis, sine aqua iuxta illud: quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt: Et sicut Abraham dixit: Loquar ad Dominum cum sim puluis & cinis; sed non ita æstimatione Dei. Aliter, & melius ipse te discernit. Tu dicis puluis sum terræ, qualem ventus dispergit, aura tollit.

Certamen humilitatis inter sponsum, & sponsam.

Et ille dicit: Non, sed puluis pigmentarius, siue puluis pigmentarij, puluis myrrhæ, & thuris, qualem pigmentarius Spiritus S. conficit, ex optimo thure, quod est suauitas mentis, & ex myrrha probatissima, quod est mortificatio, siue incorruptio carnis. Tu dicis fumus ego sum teter coram diuinis oculis, qualis de camino, seu fumario deficiens ascendit, ascendens deficit. Et ille dicit. Non, sed fumus ex aromatibus myrrhæ, & thuris, qualem decet ascendere de aureo thurribulo ante altare aureum vsque ad os, & olfactum Domini. Apoc. 8. Talis fumus, imo talis fumi Virgula tu es.

O Beata Maria, suauem odorem spirasti Altissimo, cœlestibus disciplinis erudita, atque extenuata. Talis ascendisti per desertum, id est animam habens Solitariam. Si enim vera cuiusque animæ humilitas, etiam inter turbas possit esse Solitaria, ita videlicet, vt in nullo alio præterquam in Dominio spem habeat, sicut Esther cum esset Regina, vere tamen dicebat:

B. V. sicut Esther solitaria.

Domine inquit Rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus auxiliator est alius: quanto magis tu verè Solitaria, & quasi in deserto eras, quæ verum non cognoscebás, & ab illo cui desponsata fueras, pene fuisti deserta quia sanctus Angelus qui te Solitariam inuenerat, solitariam salutauerat, & commendat, & Filium tuum, qui quasi pupillus in hoc seculo nasciturus erat. Digna ergo exclamatio, digna admiratio: quæ est ista, quæ talis accendit per desertum, siue de deserto? vere mirabilis, & illi multum dissimilis, quæ descendit per paradisum, cecidit per paradisum, non gracilis per humilitatem, sed nimis grossa, & rigida per mentis tumorem. Hæc ille de Virginis humilitate eximia, quâ rerum omnium Dominiũ est promerita.

Eua Mariæ dissimilis ob superbiam.

Maria mundi Dominium adepta, quia ad mundi reparationem cooperata est.

57. Sanctus verò Anselmus Archiep. Cantuar. cap. 11. de Excell. B. V. arbitratur Diuam Virginem creaturarũ omnium dominium nactam, ideo quod per ipsam denuo redintegratæ, atque restauratæ fuerint; idque æterni Patris Vniuersorum Creatoris, ac Domini, probat exemplo: *Sicut DEVS,* inquiens, *suá potentia parando cuncta Pater est, ac Dominus omnium, ita Beatissima Dei Genitrix suis meritis cuncta reparando Mater est, ac Domina rerum, &c.* Idem sentire visus est ora. 1. de S. Damascenus orat. 1. de Natiu. qui ad diem Natalem Deiparæ celebrandum ea, qua par erat pietate fideles inuitans, hanc hominis, mundique totius per Virginem factam restaurationem commemorat, vt ei proinde velut totius mundi Dominæ, summus honor, ac reuerentia habeatur. *B. V. Dei Genitricis,* inquit ille, *Natalem nos honore complecti conuenit, per quam mortalium genus redintegratum est, per quam primigeniæ Matris Euæ mæror in letitiam mutatus est. Per eam quippe Creator naturam omnem interiectæ humanitatis beneficio in melius commutauit. Nam cum homo media quadam, inter mentem, & materiam sede constitutus rerum omninm conditarum, tam quæ in aspectum cadunt, quam quæ oculorum sensum effugiunt nodus, ac vinculum sit, profectò etiam Artifex Dei Verbum humanæ Naturæ copulatum per eam cum Vniuersis rebus conditis vnitum est. Quamobrem humanæ sterilitatis depulsionem celebremus quandoquidem bonorum sterilitas, ac mutilatio quædam à nobis submota est.*

Sicut Pater æterno patrãdum cuncta Pater est, & Domina sic B. V. reparando Mater, & Domina.

Per B. V. Matris suæ mœror in lætitiam conuersus est.

Homo omnium creaturarum nodus ac vinculum est.

58. Quod autem Dominium hoc Vniuersi in ipsa sua Natiuitate Virgo ob hanc rerum vniuersitatem reparatã sit promerita, idem testatur Damascenus lib. 4. de fide Orat. *Itaque Gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit, idem enim Mariæ nomine significatur. Nam re vera Domina facta est omnium creaturarum, cum Conditoris omnium effecta est Mater.* Idem S. Anselmus cap. 4. de Excell. Virginis Dominium hoc totius Vniuersi tunc Virginem consecutam fuisse censuit, quando à Spiritu S. obũbrata eiusdem castissima est Sponsa effecta. S. Petrus Chrysologus idem omnino sentire visus est, Ser. 142. Expẽdẽs enim illa verba Angeli: *Ne timeas Maria: Ante causam,* inquiens, *dignitas Virginis annunciatur ex Nomine. Nam Maria Hebræo Sermone, latine Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus, Dominã, vt Dominatoris Genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocari Dominam ipsa sui geminis impetrauit authoritas.* Quod est perindè ac dicere; Diuam Virginem tunc vel maximè captiuitate, ac seruitate quam iucurrerat Eua fuisse præseruatam, Dominiumque hoc amplissimum totius Vniuersi indeptam, cum ad eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem est euecta.

B. V. in sua Natiuitate Dominium totius orbis adepta.

Angelus Mariam .i. Dominam appellat, ideo vt Dei genitricem trepidatio desereret seruitutis.

Sicut Humanitas Verbo sociata totius orbis Dominium aquisiuit sic B.V. cū Dei Mater effecta est.

59. Ac proinde sicut Humanitas Christi Diuinitati Hypostaticæ vnionis vinculo in vtero Virginis sociata, verum, & propriè dictum Dominium in creaturas omnes illico sortita est: ita quoque Virgo Sanctissima ob intimam illam carnis cum Filio communicationem, atque, vt loquitur B. Cardinalis Domiani, Identitatem, per quam omnia iura Filij redundant in Matrem, quæ ad libitum, cum dependentia tamen à Filio, qui nil matri negare vnquam potest, exercet in creaturis. Et Dominium quidem Spirituale exercet, quemadmodum, & Filius in animas, eas à Diaboli, & peccati tyrannide eripiēdo, inque Filij sui regnū cæleste trāsferēdo, quod plurimis, iisq; luculentissimis manifestū euadit exemplis. Dominium vero Politicum vti, & Christus habuit in actu primo dūtaxat, quod exercere, Filij humilitatem imitata, nunquam voluit, sed illud huiusmūdi Principibus, ac Regibus contulit, inque hodiernum vsque diem cum Filio confert. Atque ita in voce illa Filij, Matris etiam ob naturæ identitatem vocem percipimus. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Et in voce Sempiternæ Sapientiæ Matris quoque eiusdem Sapientiæ vocem intelligimus. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Pro. 8.* Quæ verba vti, & Dominium hoc, Imperiumque vniuersale in creaturas omnes Gloriosissimæ Deiparæ fuse, sapientissimeque declarans P. Quirinus de Salazar in c.8. Prouer. v. 15. 16. *Matri etiam æquum esse*, ait, *vsurpare eadem verba sub eodem sensu: Per me, non demandantem autem conferentem illi Imperium, sed dimittentem, Reges regnant. Nam cum Ipsa iure possem regnare, illis tamen regnum dimisi, Filium meum æmulata, qui licet, supremum in Regna omnia, hominesque Dominium in hoc mundo habuerit, illud tamen nunquam exercuit, sed Regibus exercendum dimisit*. De hoc Virginis Dominio consule eundem Salazar qui illud, & solidissimis rationibus, & grauissimorum Patrum authoritate confirmauit.

B.V. sicut, & Filius habuit mundi Dominium in actu primo.

B.V. dicere etiam poterat cum Filio; Regnum meum nō est de hoc mundo.

Per B.V. Reges regnant.

60. Agnouisse visus est hoc Deiparæ Virginis gloriosissimæ, in vniuersa mundi regna Dominium Politicum Magnus ille Græcorum Imperator Leo, qui Hom. 6. de Assump. postquam egregie pro sua in Deiparam pietate eandem laudum præconijs extulisset, ad calcem vbi decurrisset Oratio, inuocat Virginem, vt veluti Regina, & Domina sui Regni suscipiat gubernacula: *At, ò Virgo, & Mater*, inquiens, *quæ Virginitatem, & partum tam valde inter se diuersa, in te coniuncta monstras. O tegumentum, ò perfugium, & anchora, quæ totum mundum contines, & seruas, concede vt meis subditis, & nobis fructuosè gregem pascam, simulque mecum pasce, duc, & educ ne in illo operum omnium accurato examine, propter subditos Damnationis sententia aduersus me feratur, sed vt omnes sicut hic, ita, & ibi indesinenter festum diem agamus, & collætemur*. Homilia vero 7. ad finem huic terræ cęlorumque Reginæ Regnum, eiusdemque gubernationem ita commendat, vt ipsius vna cum omnibus populis esse proprium fateatur. Libet ergo tanti tamque in Virginem pij Imperatoris hic Orationem attexere. *At ò Virgo, & Mater, quæ sola Cælestibus his opibus affluis, quæ dicere concessisti, ea iam diximus. Nihil enim meum, sed lingua, Oratio, & Regnum, etsi quod aliud, id omne tuæ curæ, & beneuolentiæ munus duco. Quare tua tibi vendicans, largire, vt gregem tuum ad pascua salutis dirigam, ne inscitia muneris regendi (vides enim quantulus ego sim) noxia aliqua fera in gregem insiliat, neque vlli ex meis, vel potius tuis gregalibus vllum animæ periculum immineat. Sed nunc me nouum Pastorem, gregemque tuum ab omni periculo securum ducito, & ad illas impassibilitatis mansiones hinc digressos dirigito, vt, & tua præsidendi potestate isthic fruamur, gratia, & humanitate Filij tui*. Agnouit hoc denique in Vniuersum mundum Virginis Dominium Echebertus Abb. cum dixit: *Creatoris Matrem omnis creatara magnificet, eiusque Regiæ Maiestati se inclinent Cœlum, & terra, & omnes qui habitant in eis*.

Leo Imperator orientis orat B.V. vt Regni sui gubernacula ac regimen accipiat.

M. tegumentum, perfugium & Anchora totum mundum cōtinens, & seruans.

Leo suū Regnum ac populos Mariæ proprios esse fatetur.

Leonis Imperatoris zelus pro defendendis subditis.

Regiæ Maiestati B.V. Cælum, & terra sese inclinare debent.

61. Verum quid mirum Gloriosissimam Dei Matrem in creaturas totius Vniuersi consecutam fuisse Dominium cum illud in omnium etiam Creatorē, in ipsum Dei Filium in vtero suo humanatum pro materna sua in prolem potestate exercere potuerit? Quam potestatem Matris Sanctissimæ in Filiū agnoscens sanctus Euāgelista Lucas c. 2. scripsit: *Erat subditis illis*. Quæ subiectio seruitus minime dicenda, sed potius pietas, quam nati Parnetibus Naturæ ipsius instinctu debent. Hæc porro submissio, ac subiectio Natorum in parentes nihil omnino derogat libertati, ac Ingenuitati, teste Aristotele. Cum ipsum nomen Filij, ab amore deriua-

Magnum B.V. Dominium fuit, cum etiā illi Filius subditus fuit.

riuatum per se dignitatem habeat, libertatem, ingenuitatemque importet, hominemque omniprorsus seruitute quam liberrimum reddat. Cum igitur Christus verus, naturalisque Virginis Mariæ extiterit Filius, eidem subiectionem hanc, filialemque pietatem ita debuit, vt si eum ab hoc Virginis Dominio, naturalique debito absoluere quis nitatur, eundem consequenter Filium eius perneget, cum à patria potestate eum exemerit, necesse sit: tanta filiationis, cum hoc naturali subiectionis debito est connexio, vt vera naturalisque filiatio absque subiectione hac, nulla prorsus ratione intelligi possit.

Subiectio filiorum erga parentes, non derogat libertati, aut ingenuitati.

B. V. Incarnationem Deo quam ante non habuit mutuã dedit.

Quod Diuus Methodius Episcopus Olympi, & Tyri Martyr Gloriosissimus intelligens Virgini gratulatus est Orat. de Purif. *Tu admirabilem*, inquiens, *Incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuam dedisti. Euge Euge Mater Dei, & Ancilla qui debitorem illum habes, qui omnibus sub fœnore mutuatur. Deo enim Vniuersi debemus, tibi autem etiam ille debet, pietatem scilicet, & subiectionem.* Agnouit hanc subiectionem S. Hidelphonsus Archiepiscopus Tolet. Ser. 1. de Assumpt. *Ergo*, inquiens, *qui cuncta pascit, cælestia, & terrestria simul regit, hunc Sacratissima Virgo lacte carnis aluit, & nutriuit. Ad cuius deinde nutũ vniuersi reguntur, sub eius disciplina, vel arbitrio Infans DEVS versatur.* Sic ille.

DEVS debitor B. V.

Filij Dei subiectio admirabilis.

62. Subiectionem hanc Incarnati Verbi contemplans Religiosissimus vir ex Augustiniana familia, qui 300. ab hinc annis vixit Simon de Casia, in admirationem raptus exclamauit libr. 2. de B. V. c. 24. *Ecce habet Virgo subditum, quem Vniuersitas Dominum habet, & virtutem omnium Cælestium, cunctorumque Regem exercituum supernorum, in humanitate tuis Virgo lorizat habenis, & præfertur Virgo Filio, in quod ei se subijcit, & eius facta est Abbatissa, qui omnia fecit. Eum gubernat, qui sua sapientia formam, & differentias omnibus dedit. Eum dirigit humanatum, cuius humanitate, ne in nihilum redeant, omnia conseruantur, & deperdita restaurantur. Erant enim in illa ętate puerili omnes thesauri Sapientiæ absconditi. Proinde mentem in alta suspendit, quod eum subditum, sic vna Virgo possedit. Magna est Virginibus dignitas prærogata, quod Christus duobus Virginibus factus est subditus, vt nouerint hoc Sacramentum homines, quod eorum Christus complet vota, desideria perficit, qui se puritati, & munditiæ tradiderunt.* Hæc de Cassia.

B.V. eum sub ditũ habuit, quẽ Vniuersitas Dominum habet.

Magna gloria est virginibus, quod Christus duobus Virginibus Mariæ, & Iosepho subditus esse voluerit.

63. Agnouit denique submissionem Dei Filij erga Matrem Seraphicus Bernardinus Senensis To. 4. ser. 5. c. 6. *Ille*, inquiens, *qui Filius Dei est, & Virginis, benedictæ, volens paterno principatui, quodammodo principatum æquiparare, vt sic dicam, Maternum, ipse qui DEVS erat, Matri famulabatur in terra: Vnde Lucas: Et erat subditus illis. Atque ita sicut verum est: Diuino Imperio omnia famulãtur, & Virgo, ita quoque verũ est Imperio Virginis omnia famulantur, & DEVS.* Idem S. Pater *in submissionis signum ait Dei Filium recognouisse beneficio Mariæ accepisse se Naturam humanam.* Proinde huius rei admiratione perculsus iure merito exclamat. *O stupendum miraculum, & inauditę altitudinis fastigium vt à Muliere, Dei Filius quodãmodo recognoscere suum esse humanum videretur?*

Christus subdendo se Matri, voluisse visus est Maternum Principatum Paterno æquiparare.

Dei Filius recognouit se Mariæ beneficio Naturam humanam accepisse.

64. Verum quod omnem prorsus excedit, admirationem est, quod idem Dei Filius antequam in Virginis huiusce vtero humanitatem nostram assumeret, singulari eam prosecutus est amore, ac reuerentia. Sic enim illum S. Gregor. Thaumaturgus ser. 3. de Annunc. Gabrieli loquentem, ac erudientem, quam cautè, quam honorificè, quam reuerenter cum tanta Virgine omnium Domina, in legatione, ac expeditione illa ei sit, agendum introducit. *Abi*, inquiens, *ad alterum, quod in terra est Cælum, abi ad Sanctuarium mihi præparatum, abi ad Incarnationis meæ cubiculum. Abi ad purum meum secundum carnis Natiuitatem thalamum. Loquere in auribus Arcæ meæ ratione prædictæ, vt auditionis mihi paret ingressum, sed caue offendas aut conturbes Virginis animum. Humiliter, ac placide coram Diuino illo Sacrario compareas, primamque ipsi gaudij vocem annuncies. Tu illud Aue gratia plena ad Mariam dicito, vt ego ærumnosæ Eue miserear.* Sic ille.

Dei Filius Mariam singulari amore ac reuerentia prosecutus est, etiam ante Incarnationem.

M. Sanctuarium Dei Filio præparatum.

Maria Diuinum sacrarium.

Qui plura Sanctorum Patrum ad conformandam hæc Deiparæ in Filium potestatem desiderat testimonia, eundem Salazar loco iam citato consulat.

65. Iam ad reliquas Dominationum proprietates, quas tam D. Antoninus, quam B. Albertus magnus commemorat veniamus. Inter has postrema ea non est, quam illi vocant: *Ab hostibus inuincibilitatem.* Quæ sane in Virgine, excellentiâ quadam singulari semper inuenta est. *Ipsa enim non solum in se ipsa ab instanti conceptionis suæ caput hostis contriuit, sed prædam totius generis humani*

B.V. magis quam Dominationes ab hostibus fuit inuincibilis.

illi

illi eripuit, & in natura corporea, Spiritum, naturamque Angelicam superauit.
In carni super carnem vixit. Superbiam quæ olim de Angelo Apostata triumphauit, humilitate sua profundissima debellauit.
Ac tandem, quod omnibus alijs altius est, contra ipsum DEVM, vt loquitur Albertus, *fortis fuit. Quia illũ de cœlis ad terrã vinculis carnis ligatum charitate vulneratum, in gremio vteri sui, beatissimæque Virginitatis captiuauit.* Illa denique est Mater illius IESV Christi, per quem DEVS, vt loquitur Apostolus 1.Cor.15.57. dedit nobis victoriam. Quod sanè minimè mirum nobis accidere debet; cum Virgo ipsa Charitas, ipse Amor, Deorum omnium potentissimus, atque inuictissimus vocitari consueuerit. Hinc Plato in symposio inter alias amoris excellentias hanc ponit præcipuam, quod potentissimus, ac fortissimus sit, atque etiam ipso Marte Deo bellatore fortior, ac inuincibilior: *Quod*, inquiens, *ad fortitudinem pertinet neque Mars equidem amori resistet. Neque enim Mars amorem, sed Amor Deæ Amoris, vt fertur coniugem Martem detinet. Potentius autem est id quod detinet, quam id, quod detinetur. Qui vero cæterorum fortissimo dominatur, omnium absque dubio fortissimus iudicandus est.* Quare præclarè S. Bern. Ser.64. in Cant. Amorem violentum, & triumphatorem dixit:

B. V. contra ipsum Deum fortis fuit, & quomodo?

B. V. est ipsa Charitas de Dei triumphans.

Amor Marte potentior.

Triumphat de ipso Deo Amor.

Quid violentius? Triumphat de Deo Amor. Et Boetius lib.2. de consol. Metro. 8. Amorem cœlo Imperitantem nuncupauit. Verum Virgineum amorem hũc nimium quantum violentum, Deique Triumphatorem, *Cæli Imperatorem* appellare, tantã Deiparæ perspecta fortitudine, planeque inuincibilem, ac inexpugnabilem, possumus, ac debemus.

Cælo ipsi Imperitat Amor.

Virginis Amor quam fortis ac vehemens?

66. De hac Virginis Gloriosissimæ aduersus hostes omnes gloriosa victoria præclarè Rupertus Abbas in illud Cant.6. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata, Tu,* inquit, *terribilis es Dæmonibus, hæreticis, & impijs, sicut castrorum acies ordinata, in qua summa omnium est concordia, ac proinde nullus in ea, per discordiam aditus patet hosti.* Hæc Rupertus.

B. V. terribilis Dæmonibus hæreticis, & impijs, vt castrorum dies ordinata.

Atque ita redditur Heroina hæc omnibus hostibus omnino inuicinbilis. Sanè S. Germanus Constantinop. Patriar. Orat. de Zona B. V. eam solo nomine hostes repellere, asseuerauit.
Tu nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones, sola Nominis tui inuocatione Sanctissima repellens, tutos, atque incolumes seruas. B. Gertrudis lib.4. Reuel. c.49. Agens de Angelis, quos videbat adstantes Deiparæ, eosque qui ad festum Assumptioni se parauerant, adducentes, ait ab eidem Angelis, ad Imperium Dei paræ clientulos suos defendi ne maligni Spiritus ipsis, nocent. *Quia*, inquit, *illa ad Imperiũ Dei Genitricis expediti sunt ad omnes Gloriosam Virginem inuocantes defendendos.*

B. V. solo suo Nomine hostes in fugã agit.

S. Angeli cultores B. V. ad eius imperiũ à malignis spiritibus defendunt.

Vnde deuotè attendendo eadem Sancta ad verba illa: *Vt sua defensione munitos iucundos faciat;* videre sibi videbatur Deiparam tanquam delicatam Matrem benignè pallium suum expandentem, ac si omnes illos qui ad se pro defensione, ac protectione speciali accurrentes, recipere vellet.
Istis porro velut elegantibus Puellis assistebant Angeli, easque ad Virginem deducebant quod se aliqua peculiari deuotione præparassent ad diem festum Assumptionis celebrandum.
Quæ omnes velut filiæ reuerenter ante faciem eius consedere, videbanturque omnes vndique Angelorum ministerio protectæ atque à malignorum Spirituum fraudibus defensæ.

67. Quantum porro Dominium hoc Virginis boni Angeli reuereantur, & mali contra reformident, egregiè Angelus Apud Sanctam Brigittam in suo sermone c.20. declarauit: *Ipsius*, inquiens, *Virginis animam quando fuit à corpore separata statim super omnes cælos ipse DEVS mirificè sublimauit, eique Imperium in vniuersum mundum donauit, Angelorumque Dominam æternaliter ipsam constituit. Qui quidem Angeli ita postmodum obedientes Virgini effecti sunt, vt omnes libentius Inferni pœnas sustinerent, quam aliquibus eius præceptis in aliquibus contradicerent. Super omnes etiam malignos Spiritus ipsam sic DEVS potentem effecit, vt quotiescumque ipsi aliquem hominem Virginis auxilium ex charitate implorantem impugnauerint, ad ipsius Virginis nutum illico pauidi procul diffugiunt, volentes potius pœnas suas miseriasque multiplicari, quam eiusdem Virginis potentiam super se taliter dominari.* Hæc Angelus, de Dominio Deiparæ, quod tantopere Tartarei hostes perhorrescunt.

Angeli mallent Inferni pœnas sustinere, quam præceptis B. V. contradicere.

Potentia B. V. aduersus Dæmones.

Dæmones insidiatores animarum ad Virginis nutum procul difugiunt.

68. Quam ob causam crediderim comparatam Virginem Dauidicæ illi Turri cant. 4. *de qua mille clypei pendent, omnis animatura fortium;* qua & ipsa per se, & eius clientuli, Mundo, Carni,

Sa-

Sathanæ redduntur inuincibiles, ac inexpugnabiles. Vnde Aegidius Columnius in Salut. Angel. huius Encomij Virginalis reddens rationem sic ait: *Quia Gloriosæ Virginis auxilijs, & gratijs, muniuntur tamquam sub tutissimis clypeis omnes homines, & ipsa est omnis armatura fortium, & ab ipsa eam suscipiunt omnes.*

Clientuli B.V. ab illa tanquam tutissimis clypeis muniuntur, & ab ipsa accipiũt omnem armaturam fortium.

Quare ipsa de se dicit Eccles. 24. In me est omnis spes vitæ, & virtutis. Vnde Card. Halg. Turrim illam Dauid denotare ait eminentiam Virgineæ sublimitatis, quæ à Christo vero Dauid fabricata fuit, vt peccatoribus esset refugium, & munimen. Propugnacula huius turris, ait esse virtutes, gratias, & prærogatiuas, quibus peccatores protegit, & inimicum expugnat. Hinc S. Bern. Sen. Tomo. 3. ser. 1. de Hum. B.V. art. 1. c. 3. dixit, *ipsam esse, Arcum fœderis sempiterni, vt non interficiatur omnis caro.* Hanc in Virgine nostra inuincibilitatem agnoscens S. Georg. Nicomed. Epis. Ora. de Præsent. B.V. eam alloquens. *Te fiduciæ nostræ*, inquit, *circumferimus gloriationem. Te nostræ salutis habemus adiutricem, te nostri auxilij defensatricem. Te Christianorum multitudo Murum habet firmissimum. Te fideles, ac Reges validum habent armamentarium. Per te bellorum frangunt audaces impetus per te victoriæ trophæa consequuntur. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile. Nihil tuæ potentiæ resistit, nil tuis viribus repugnat, omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt Imperio, omnia tuæ obediunt potestati.* Sic ille.

Turris Dauid denotat eminentiam Virgineæ sublimitatis.

M. Arcus fœderis sempiterni, ne interficiatur omnis caro.

B.V. nostræ salutis adiutrix.

M. Christianitatis murus est firmissimus.

Per B.V. victoriæ trophæa aquiruntur.

B.V. potestati nihil resistit.

69. Quare huic potentissimę atque inexpugnabili cæli, terræ que Reginæ titulum: *Semper inuictissimæ Imperatricis* attribuere possumus. Si enim mundus hic fallax Principibus, qui aliquam victoriam de hostibus reportarunt titulum hunc, licet subinde victi non sine dedecore, ex pugna recesserint, attribuere consueuit; quanto magis attribuendus est huic semper inuictæ, ac insuperabili Heroinæ, quæ nullo vnquam tẽpore, sub vllius hostis siue mundi, siue carnis, siue Sathanæ potestate fuit? Celebrantur magni illi heroes Alexander Macedo, Pompeius, Iulius Cęsar, Cato, qui etiam ob fortitudinẽ, rerumq; præclarè gestarum gloriam Magni cognomentum sortiti sunt. Verum nullus horum extitit, qui aliquando vel à domesticis hostibus, effrænatis nẽpe Cupiditatibus, vel ab externis nõ fuerit debellatus. At vero Virgo nostra semper ab omnibus hostibus inuicta perstitit, vtpote in omni sanctitate, & puritate fundata, adeo vt dicere potuerit. *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi Cedrus exaltata sum in libano*, quæ duo loca omnimodã nobis repræsentat Sanctitatem, candorem, puritatemque mentis, & corporis, qua Virgo super omnium Dominationum Castimoniam puritatemque exaltata, hostibus omnibus reddita est formidabilis ac inuincibilis.

M. Semper inuictissima Imperatrix.

Imperatores non potuerunt dici sẽper inuictis. qui aliquãdo saltem a domesticis hostibus, nempe cupiditatibus deuicti sunt.

70. Expertus est fortissimus ille miliciæ Ductor Narses Deiparam, cuius se precibus, ac patrocinijs quoties hostem erat aggressurus commendare consueuerat, expertus inquam est illam inuincibilem, hostibus formidabilem, dum & ipse quodammodo eius patrocinio redditus est inuincibilis.

Narses patrocinio B.V. ab hostibus inexpugnabilis.

De hoc Cardinalis Cæsar Baronius To. 7. Anno 553. ita scribit: *Narses semi vir, erat enim Eunuchus, cuncta innitens Marię Virginis ope, bellicosissimum Gothorum Regem Totilam, eiusque potentissimum Exercitum innumeris clarum victorijs, ac viribus pollentem superauit. Sed vnde tantum virium semiuiro Narseti? Ex Euagrio audi, qui ait: Commemoratum est ab ijs, qui vna cum Narsete fuerunt, dum precibus, & alijs pietatis officijs Diuinum Numen placaret, debitumque cultum ei tribueret, S. Virginem Deiparam ei apparuisse, planeque tempus prescripsisse, quo bellum cum hostibus gereret, atque vt non prius ad prælium committendum se accingeret, quam cælitus signum acciperet.*

B.V. Narseti apparet.

Quibus addit idem Baronius tanto Cardinali dignissimum pro milicię Ducibus documentum: *Intelligis Lector cuius niti præsidio Duces debeant, vt maxima, quæque inconcessa alijs præstare valeant, nimirum Dei Genitricis Mariæ, quæ interpellata precibus, aduersus hostes consurgat. De ea enim canit Ecclesia: Terribilis vt castrorum acies ordinata. Cuius fultus auxilio Narses indomitos barbaros, expertus est imbelles. Porro fuisse, & ipsum Narsetem æqui amantissimum, quæ de eo scribit Procopius, ostendunt. nihil enim apud eum antiquius fuit, quã iustitię cultus, quo milites in officio continere consueuit æqui, atque recti cultore.* Hæc Baronius.

71. Agnouit inuincibilem Deiparam, insignis ille Bellator Pelagius, qui contra Saracenos Hispanias occupantes pugnaturus, ad bellatricem hanc egregiam vt eam vocat Bernardus, ac plane Diuinam confugiens, hostibus suis,

suis, & potentia, & robore ac numero longe superioribus redditus fuit inuincibilis. Rem gestam ita ex Tudensi narrat idem Baronius To.9. Ann.718.

Astures omnes in vnam collecti super se Principem erexerunt Pelagium. Fuit hic Regis Theodorici Spatarius, qui fugiēs impressionem Sarracenorum, cum suis in Asturios se contulit montes.

Cum autem auditum esset à Sarracenis Hispaniam occupantibus, id magnâ audacia esse præsumptum, in eum acies mouent, sed primum ipsum insidijs appetendum putarunt, misso ad ipsum Oppa Archiepiscopo Toletano Vuticæ Regis Filio, qui magnis pollicitationibus deditionem ei suaderet.

Pelagij zelus & magnanimitas.

Ad quem ita Palagius respondit: Tu & Fratres tui cūctos subuertistis, & Christi Ecclesiam deiecistis; & propter scelera Patris vestri, qui peccare coegit gloriosam gentem Gothorum, reliquit Dominus Ecclesiam suam. Et quia Deo facile est saluare, siue in paucis, siue in multis, nos de misericordia Dei confidentes, committimus ad Dominum DEVM nostrum, vt fidem Catholicam conseruemus, quam vos spreuisti, & Pater vester. Est enim Ecclesia Dei sicut Luna, quæ aliquando apparet plena, aliquando valdè diminuta, & iterum reuertitur ad plenitudinem primam.

Ecce in ista tumba (spelunca loci naturâ munita illic erat, vbi cum suis Pelagius degebat) hodie inclusa est maxima pars miliciæ Gothorum; sed egredietur ex illa, dante Domino semen, quo genus Gothorum vt erat, Christo in tota Hispania restauretur. Et quia deuotam eam habemus apud Patrem, & Dominū N. IESVM totam spem nostram ponentes, hāc multitudinem paganorum, quibus ducatum præbes despicimus. Confidimus enim per intercessionem gloriosæ Virginis Genitricis eiusdem Domini Nostri IESV Christi, saluari, & ipsâ auxiliante, quæ Mater misericordiæ est, Gentem Gothorum de paucis, qui sunt in ista spelunca restaurari, sicut ex paucis granis infinitę segetes germinantur. Quibus dictis Pelagius, & qui cum eo erant tanto hoste perterriti, incluserunt se in spelunca, beatæ Mariæ suffragia expetentes, eius ibi memoriā venerabantur, & pro recuperatione Christianorum precibus insistebant. Videns autem Oppa quam Pelagius confidentiam in Domino po-

Pelagius in B.V. confidit.

suerat, reuersus ad Ismaelitas, seu Sarracenos dixit: *Poperate ad speluncam, & pugnate fortiter, quia vt ex verbis eius comperi, nisi per gladium pacem cum eo habere non possumus.* Alchamam illico fundibularijs, & sagitarij iacientibus iacula portam speluncæ ferire præcepit.

Tunc cerneres saxa intermixtis iaculis, sicut densissimas pluuias euolare contra beatum speluncam. Sed in hoc turbine iaculorum, & lapidum qualiter diuina manus, quæ percutit, & sanat, pro Christianis pugnauerit exemplo poterit aduerti, quod lapides, iacula, & sagittæ à Sarracenis emissa contra eos retorquebantur, & maximam Sarracenorum multitudine prostrauerunt. Barbari autem vbi maximam suorum partem armis suis videre prostratam, turbati, & confusi retrocedendo, speluncam oppugnare destiterunt. Pelagius Dei gratia, & fortitudine roboratus, cum totam multitudinem hostium prostratam aspiceret, de spelunca cum suis prosiliens stricto en se inuadit Saracenos. Statim Oppa captus est, Alchamam cum 20. millibus Saracenorum interfectus. Sed nec 60. millia qui remanserunt, Domini vindictam euasere, siquidem per auia, & deuia, confragosaque montium profugientes in flumen Deciæ præcipitati sunt. Saracenorum Rex his auditis pudore suffussus, & furore succensus, in eos quos secum habebat Hispanos furorem conuertit, nempe in Iulianum Coruitem Regni proditorem, & Filios duos Vuticæ quos fecit capite plecti; ita Domino operante, vt ab eodem interficerentur scelerati, cui Hispanias prodidissent. Atque ita Pelagius Regulus Regnum decem, & octo annos tenuit. Porro spelunca illa Dei Genitricis memoriæ dicata est, eius nomine nuncupata S. Maria de Couadonga.

Victoria Pelagij per B. V. obtenta.

Concludit tandē Baronius his verbis: Obseruatione plane dignum est, quod tam in Oriēte Leo Imperator, quam in Occidente Pelagius cum Dei Genitricem aduersus Saracenos inuocant, insperatam, ingentemque consequuntur vtrobique victoriam.

72. Quid de illa altera Dominationum dicemus proprietate, quæ liberalis appellatur Seueritas, quam S. Antoninus, & Beatus Albertus medium inter prodigalitatem, & auaritiam, vel medium rigorem iustitiæ, & excessum miseri-

misericordiæ, siue remissionem appellarunt, quæ vitia cum in mundi huius Dominis reperiantur, à beatissimis illis Spiritibus, quos Dominationes appellamus, & multo magis ab vniuersorum Domina nostræ clementissima quam longissimè absunt. Atque, vt de medio inter iustitiam, & misericordiam sileam, cum discursu de Virgini misericordia sat copiosè disceptatum sit; Ipsa, vt ait S. Anton. cum Alberto ita liberalis extitit, *vt nunquam dederit quidpiam cuiquam quod non esset dandum, neque negauerit, cui iure dandum erat.*

Mariæ mira liberalitas ac largitas.

M. dedit Deo creatori Mūdum, & mūdo DEVM, & hominibus cœlum.

Dedit enim summâ, Heroicaque liberalitate ac munificentiâ Deo creatori suo mundum, in eius salutem cum Filio cooperando, eumq; redintegrauit. Dedit vicissim eadem animi generositate mundo DEVM, dum per humillimum illum suum consensum: Ecce Ancilla Domini, personalis vnionis diuini verbi cum Natura humana causa extitit; qua mundus sane recreatus quodammodo, cum creaturis omnibus Deo vniri, diuinæque consors Naturę fieri meruit. Dedit denique hominibus cœlum, à quo Protoplastorum scelere exclusi, & in hanc lacrymarum vallem protrusi, velut æternæ perditionis Filij, sub iugo Tartarei hostis gemebamus, donec Virgo hæc mediatrix nostra apud Filium Cœli scala effecta, nos Cælestis hæreditatis cum eodem Filio participes reddidit.

73. Agnouit singularem hanc in Virgine nostra munificentiam B. Andreas Grec. Hierosl. Patriarcha cum Orat. 2. de Dormit. Deiparæ sic est locutus. *Scio fore vt hanc suscipiat Orationem, quæ Verbum peperit, & reddat non ea quidem, quæ petimus, sed quæ meremur accipere. Solet enim Sanctissima, vt quæ sit munificentissima, maxima reddere pro minimis.*

Maria munificētissima solet maxima pro minimis reddere.

Eandem liberalitatem Virginis, agnoscens Richar. Laurentinus lib. 2. de laudibus V. munificentissimis ipsius manibus, manuum Filij pulcherrimum illud Elogium attribuit: *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Cant. 5. *tornatiles*, inquit ille, *describuntur manus istæ Virginis nam sicut ars tornaturæ promptior est alijs artibus celeriter operando, sic Maria velocior est cæteris Sanctis omnibus, miseris subueniendo: vt dicere de miseris mereatur cum Filio: Antequam clament ad me, ego exaudiam: Isai. 65. Aureæ sunt manus Virginis, ob sapientiam. tam subtiliter enim misericordiam miseris impendit, vt diuinæ Iustitiæ sigillum nunquam frangat. Aureæ sunt eius manus, ob charitatē ex mera enim charitate omnino indi-*

Marię manus tornatiles, aureo, tornatiles, aureæ, & plenæ hyacinthis cur dicantur.

gnis misereri, ac benefacere comprobatur. Dicuntur denique *plenæ hyacinthis. nam quantum est in se omnibus dat affluenter tum sit summè liberalis.* Item li. 4. *de largitate, & misericordia Mariæ*, inquit, *congruè dici potest, quod cum ipsa sit summè diues, summè liberalis, constat, quod summè, & larga, & misericors sit, implens illud Tob. 4. quomodo potueris, ita esto misericors sit, si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Item illud Eccl. 14. secundum vires tuas exporrigens, da pauperi. In hac quoque liberalitate Virgo Christum æmulata est: quemadmodum enim ille ascendens in altum dedit dona hominibus: Sic, & Maria vera, & vnica Filij imitatrix, ex quo ascendit in cælum*, dabit, & ipsa datque semper *dona hominibus siquidem nec facultas ei deesse potest nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est, nisi forte aut non creditur Filius Dei honorare Matre aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse. Mariæ viscera, in quibus corporaliter requieuit. Vnde ei canimus. Salue Regina misericordiæ, innuentes quod possit vt Regina, & velit vt misericors nos iuuare.* Hęc fere Richar.

Maria summè diues, & & summè liberalis, ac larga.

B. V. Filium etiam in liberalitate imitata est.

74. Liberalitatem hanc, munificentiamque Deiparæ summa cum prouidentia sociatam nobis ostendere visus est D. Ioann. Apoc. 12. cum eam duodecim coronatam stellis, sole amictam, calceatam Lunâ contemplatus est. Quid enim magis nobis Virginis prouidentiam indicat quā stellata illa corona? vnde Pierius Valer. lib. 44. tit. Exploratio. narrat, Caium Calligulam, aliosque nonnullos Romanos Imperatores, ad summam vigilantiam, prouidentiamque quam circa Rempub. administrandam præseferebant, ostentandam, coronâ quadam quam *Exploratoriam* appellabant, coronâ, inquam, stellatâ, Sole, Lunaque associatis, vti consueuisse: Talem sese, maiori longè eminentiâ nobis exhibet Virgo Deipara. Quid enim stellæ illæ, quibus est coronata, nobis indicant aliud, quam eā totidem oculis, imo longè pluribus, quot nimirum cælum stellis hæc inferiora prospectat, mortalium miserias, ac necessitates explorare, ac intueri, quo eis quā citissimè pro materna sua pietate possit subuenire. Quid Luna sub pedibus denotat aliud, quam Ecclesiam, teste Bernardo, vt ei tamquam pientissima mediatrix solis iustitiæ radios. quibus est amicta, beneficia nempe cælestia copiosè largiatur indiesque lucidior fiat. Quid denique Solaris ille

Caius Caligula corona Exploratoria Sole Luna Stellisque constante vsus, & quare?

B V. amicta Sole, Stellis coronata, Luna calceata prouidentiam, & liberaliter erga nos ostendit.

Z ami-

amictus nobis repræsentat aliud, quam insignem Deiparæ liberalitatem, ac munificentiam, qua de thesauris gratiarum celestium, charismatumque Spiritus S. ipsa locupletata, nos quoque egregie ditare appetit. Quemadmodum enim Sol lucidissimos suos radios, mox, vt Orizontem ascendit toto terrarum orbe liberalissimè, momento quasi temporis diffundit, benègnissimamque suam lucem, viuificumque calorem creaturis omnibus communicat: Ita Virgineus iste, animatusque Sol, promptitudine admirabili, benignitate incredibili, dona sua distribuit omnibus, vt verè nemo se ab eius calore possit abscondere vt sapientissimus loquitur Idiota.

Sol symbolum liberalitatis B. V.

75. Vnde non nemo quodam in Emblemate ad virtutem liberalitatis explicandam pinxit solem, cum Epigraphe. *Affluenter, & sine improperio.* Hinc S. Cyrillus solem liberalitatis Symbolum esse voluit. Dũ peruenustum facit dialogismum inter solem, & Caliginem lib. 3. Apo. c. 24. quæ ab hemisphærio nostro fugata, aduersus solem fuit conquesta, cur ita se momento temporis, ac non potius sensim, & quasi curialius modesta contrarietate fugasset?

S. Cyrilli Alexandrini Apologus de Sole fugante Caliginem.

Cui sol respondit, & ipsa Virgo nostra idem respondere posset: *Tenebræ es, & ideo ignorantia cæcitate referta, sicut tenebra locuta es: Nescisti nimirum liberalis donationis modum, nam cum magna voluntas in dando est, si facultas adsit, non minor est in effundendo velocitas. Sic qui effundere potuit, & distulit, concupiuit, quod tenuit, nec voluntate plena dedit. Celeritas donationis clarum est speculum liberæ voluntatis effusæ. Audistine quod in prouerbio fertur? Qui cito dat, bis dat. Nempe bis, quia voluntatem, & placitam rem. bis dat; quia voluntate, & re.*

Celeritas donationis est clarum speculum liberę voluntatis ad donãdum effusæ.

Vnde voluntate non dedit, qui totum deforis ipsummet opere donare tardauit. Nam vbi ad dandum facultas affluit, & interfuit tarditas, ibi voluntas non fuit. Re vera si dare diligitur, non tardatur: Neque enim magis intendit liberalis quam hoc quod virtualiter dare voluit. Porrò si liberalis est donator, lætus videri debet, quia minus gaudenter suscipitur munus tardum. Attende quæso quanto impetu, à natura dati fontes scaturiunt, venti funduntur, cælum vt det beneficium voluitur, & substantialis forma se totam materię, puncto temporis elargitur. Beneficium ergo quanto velocius datur, tanto datur libentius, & quanto libentius, tanto liberius, & liberalius, tanto charius accipitur, ac iucundius possidetur. Hæc Cyrillus quibus sane munificentiam Virginis nostræ beatissimæ longè, lateq; effusissimam bellissime adumbrauit. Quæ omnia mellifluus Bern. ser. de Ver. Apoc. nobis perspicuè declarauit.

Fontes cum impetu scaturientes symbola promptæ liberalitatis.

Quemadmodum, inquiens, *sol super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque B. V. præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseretur affectu.*

Benignitas B. V. soli cõparatur.

76. Neque vero mira nobis hæc Virgineæ liberalitatis effusio, rerumq; suarum communicatio videri debet, siquidem ipsum fontem bonorum omnium, ipsum Solem iustitiæ vtero suo circumdedit, ab eodemque circumdatur, atque ita bonis omnibus circumfluit, vt ea in alios quoque copiosissimè deriuet. Accedit, quod ipsa thesauraria sit Cęlestium gratiarum, vt eam vocat Sapientissimus Idiota, amplissimãque totius Regni cęlestis post filiũ possideat iurisdictionem. Verissimè enim mihi dictum videtur à Pelbarto Venerabili libr. 1c. p. 52. artic. 3. quod pater æternus, Virgine iam in cælos assumptâ, ita eam beneuolentissimè sit allocutus: *Tu eris super domum meam, ad tui oris imperium cunctus obediet orbis, vno tantum solij gradu te pręcedam, cuicunque voluerit regnum trade; eorum qui tibi fideliter seruient, salua quos tibi placuerit.*

M. cæ'estium gratiarum Thesauraria.

Quam regni cælestis iurisdictionem tam amplã Virgo ideo sortita est, *quia Deo fuit coniunctissima, & animæ suę pulchritudine, Creatori suo,* vt loquitur Angelus in suo sermone c. 20. apud S. Brigittam, *simillima apparebat. Huic ergo Gloriosæ animæ,* pergit Angelus, *sedes gloriosa ipsi Trinitati propinquissima ab æterno cõstituta erat. Nam sicut Deus pater erat in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus S. in vtroque quando Filius post humanæ carnis assumptionem in Matris vtero quiescebat, Trinitatis vnione penitus indiuisa ac Matris Virginitate inuiolabiliter conseruata, ita, & ipsa augustissima Trias* in benedictæ Virginis anima indiuisibiliter cum omnium bonorum plenitudine, quæ à Deo creaturæ donari possunt, domicilium suum fixit, vt diuinam Naturam æmulando, eadem alijs communicaret.

B. V. sedes gloriosa SS. Trinitati propinquissima fuit ab æterno constituta.

77. Quid igitur mirum si Virgo ex hac intima cum summo Bono, bonorum omnium perenni fonte, vnione euaserit liberalissima, suorumque donorum,

norum, gratiarumq; tam munificè diffusiua? Expertus est inter reliquos innumeros liberalitatem Deiparæ Magnus ille Imperator Iustinianus, qui vt scribit Baronius Tom. 7. Anno Domini 534. expugnatis, & ex Africa gloriosè pulsis Vvandalis, qui eam 95. Annis sub acerbissima captiuitate tenuere, præter redditas Deo priuatim in cubiculo, & publicè in Ecclesia ingentes gratiarum actiones, adiecit, vt in Codice à se edito, idipsum posteris omnibus tot vocibus, quot syllabis iugiter loqueretur, eoque Deo gratioribus, quo maiori submissione Diuino Numini est repensum, obsequium, dum perpetuæ memoriæ gratiarum actionem Deo debitam, nouâ constitutione editâ, voluit consecrare, vt videre est in ipsius sanctissimè sancitis legibus.

Iustiniani Imperatoris debellatis Vvandalis, gratitudo erga DEVM, & B.V.

Nec his contentus Imperator pro eodem tam singulari beneficio, sciens, illud precibus B. V. impetratum, eidem gratias egit, vt ibidem memorat Baronius qui ex Procopio ita refert.

Ac in primis grati animi signum illud rependit cum ob gratiarũ actionem velut triumphales quosdam fornices, ei cuius fultus præsidio, & intercessione ad DEVM vicerat, ipsi Dei Genitrici semperque Virgini Mariæ Carthagine nobiles ædificauit Ecclesias. Quodammodo .n. visi sunt mutuis officijs, atque etiam beneficijs certasse Dei Genitrix, & Iustinianus.

B.V. cum Iustiniano officiis, & beneficij certasse visa est.

Cum enim hic aduersus improbos Nestorianos, summum omnium titulum dignitatis, quo verè Dei Mater appellaretur, euicisset ab ipsa datum est ei, vt Imperio potiretur: & cum ipse complures eidem erexisset Ecclesias, potissimum vero Hierosolymis nobilem Basilicam, ab ea repensum est, vt quam facillimè vniuersam Africam subiugaret: qui rursus ob accepta tam ingentia munera, pluribus illam Basilicis honorauit, quas Carthagine extruendas curauit. Ita quidem reddendis beneficijs cum mutuo certent DEVS, & homo, semper tamen vincit DEVS. Sed vnam illam tantum consequi potest homo victoriam, si gratias agens se fateatur Diuinis beneficijs superatum, quod quidem Iustinianum fecisse vidimus.

B. V. dedit Iustiniano vt Imperio potiretur.

Iustinianus in grati animi signum plurimas Basilicas Carthagine B.V. ædificauit.

78. Ad gratitudinem hanc suam erga beatissimam Virginem contestandam, crediderim fortasse eundem Iustinianum Nummum illum excudi curasse, in cuius vna parte effigies Theodati Regis Gothorum visebatur; in altera Victoria calcans super serpentem, alatâ vna manu palmam, alterâ Coronam præferens, cum epigraphe: *Victoria Principum* quasi indicare voluisset, se de Gothis velut venenosis serpentibus qui tot Christianos tanto annorum, interuallo peruersis dogmatis infecerant, beneficio illius, quæ Tartarei serpentis caput contriuit, Victoriam celerem, per alatam manum, palmamque significatam retulisse, atque adeo ipsum Regnũ Africæ, Coronâ denotatum, auspicijs, diuinæ Matris, recuperasse.

Nummus Iustiniani Imperatoris

79. Expertus quoque est liberalitatem ac munificentiã Virginis Deiparæ S. Bonifacius Ferrentinæ Ciuitatis Episcopus, qui vt refert S. Antoninus Archiep. Florent. Par. 2. Histor. Tit. 12. cap. 9. §. 5. cum pauperibus subleuandis, suis eleemosynis nimium quantum addictus esset, accidit die quadam vt pauperes stipem peterent, quam S. Præsul cum non haberet, æstuare animo cæpit, solicitus ne pauperes vacuos à se dimitteret. Occurrit illi repente, nepotem suum Constantium Presbyterum equum vendidisse. Igitur illo absente, confisus de Nepote, effregit Arcam, & 12. aureos pauperibus distribuit.

S. Bonifacij in pauperes Christi charitas.

Vbi postmodum Cõstantinus domum reuersus arcam effractam, & nummos sublatos vidit, magna voce cæpit perstrepere. quo rumore audito S. Bonifacius, cum omnibus suis domesticis mox adfuit. Et cum vir sanctus voce blandâ eum emollire tentaret, respondit ille cum iurgio: *Omnes tecum viuunt, solus ego ante te viuere non possum; redde mihi solidos meos.* Quibus verbis commotus Episcopus, Beatæ Mariæ Ecclesiam ingressus cæpit eam rogare, eius fretus benignitate vt ei redderet, vnde Presbyteri furentis insaniam mitigare posset.

S. Bonifacii in B. V. fiducia.

Cumque inter precandum subito oculos ad vestimentum inter brachia extensa reduxisset, repente in sinu suo 12. aureos inuenit ita fulgentes, ac si eadẽ hora ex igne producti fuissent. quos ille mox Templo egressus in sinum furẽtis nepotis proiecit: *Ecce habes*, inquiẽs, *solidos, quos quæsijsti. Sed hoc tibi notum sit, quia post mortem meam tu Episcopus non eris, ob auaritiam tuam.* Ex quo colligitur pecuniam illam pro adipiscendo Episcopatu fuisse collectam. Sed ille in Presbyteratu decessit. Ita fere S. Antoninus, qui sane pulcherrimo hoc exemplo, & Magnæ Diuinæque Matris mirificam super omnes Angelicas Dominationes liberalitatẽ, ac munificentiam, & auaritiæ simul turpitudinem Deo, eiusque

B.V. in sinum S. Bonifacij aureos mittit.

Matri execrabilem declarauit.

80. Quid de altera illa Dominationum proprietate dicam, qua prę reliquis creaturis ita soli Deo seruiunt, vt nulli alij omnino creaturæ subijciãtur, contra communem dominorum huius mundi consuetudinem, qui licet alijs dominentur, habent nihilominus Dominos particulares, quibus seruiũt, ipsorumque dignitatem vt cumque imminuunt. Quod in Virgine Gloriosissima nullo modo cadit. Licet enim illi omnis creatura, velut potentissimæ Reginæ, ac Vniuersorum Dominę deseruiat, ipsa tamen totius vitæ curriculo, ab ipso Immaculatæ conceptionis instanti, nulli purę creaturæ nisi soli Deo creatori suo, cui seruire regnare est, deseruiuit, ac per consequens nullius dominij vel minimam pati potuit diminutionem. De hac seruitute ac ministerio diuinæ Maiestati exhibito ipsa Virgo gloriari visa est, cum dicebat. Eccli. 24. *In habitatione sancta coram ipso ministraui;* cum nimirum trimula in Templo à parentibus Deo præsentata, sancta Sanctorum incolens, ea longè excellentiori sanctitate decorauit.

Dominationes præ reliquis creaturis ita soli Deo seruiũt, vt nulli alij omnino creaturæ subijciantur, quod longè excellentius præstitit B. V.

Quam perfecte B. V. trimula in Templo Deo seruierit animo, & corpore.

Ministrauit seruiuitque Virgo in Templo animo, simul, & corpore, totam se diuinis obsequijs mancipando, seruiuit intellectu, diuina, cælestiaque diu noctuque meditando, & mirabilia de lege domini considerando, in sacrarum litterum, oraculorumque cęlestium cognitione sese exercendo. Ministrauit affectu, & voluntate, dum DEVM in tot spiritualibus exercitationibus cognitum ardentissimè amabat, eique se totam in viuum holocaustum deuouebat: deseruieuit denique totius sui tenerrimi corpusculi membris omnibus, cupiens, vt omnia in linguas ad diuinæ bonitatis depredicandas laudes conuerterentur. O' quoties in die in horas, in momenta singula, ardenti corde librans suspiria, desiderabat, adueniret tandem ille desideratus cunctis gentibus, desiderium collium æternorum: ò quoties submittebat in terram genua, attollebat in cælũ manus, pijssimosque ocellos, ò quoties in voces illas Prophetæ Isaiæ erumpebat: *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes. Emitte Agnum Domine Dominatorem, terræ, de Petra deserti ad montem Filiæ Sion. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* O' quantis anhelabat desiderijs terram hanc Virgineam videndi, eiusque suauissimum salutiferumque fructum degustandi: Optabat, humilitate admirabili minima Ancilla esse, ad omnes eius nutus semper promptissima?

Affectus B. V. seruiendi Incarnato Verbo eiusque Matri.

81. Quid de seruitute, ministerijsque diuino Verbo exhibitis dicam? Hic nimirum hic Virgo coram ipso fidelissimè ministrauit, qualiter nec Dominationes, nec vlla Creatura, siue Angelica, siue humana illi vnquam deseruiuit. Vnde præclarè Richar. à S. Laur. lib. 4. de Laude B. V. *Multi alij, multæque aliæ,* inquit, *susceperunt Christum in suis domibus, vno die, duobus, tribusque, ipsa vero in propria domo vteri Virginalis, non tantum vno die, aut duobus, sed mensibus plane nouem. Pauerunt eum alij cibis communibus, & forte dederunt illi aliquod quoque indumentum: ipsa vero de carne propria carnis contulit vestimentum, deque lacte proprio ministrauit alimentum;* Pergit inde discurrendo per septem opera misericordiæ, ostenditque illam Dei Filio summa charitate in illis deseruijsse excellenter. *Vnde,* inquit, *ei dicere poterit Filius in die iudicij illud Matt. 25. Nudus eram, & operuisti me, videlicet Virgineæ tuis carnis vestimento. Item, illi poterit dicere Filius cum Iob. 10. Pelle, & carnibus vestisti me, sicut & illud: Esuriui, & dedisti mihi manducare. Vnde S. Hierony. ait quod acu, & colo acquirebat, vnde se, & Filium pascebat. Hinc Christus dicitur pasci inter lilia inter manus nimirum Mariæ,* interprete, B. Bern. *qui ait manus Mariæ lilia quædam candidissima sunt, nec causabitur ille liliorum amator, inter lilia non inuentum, quidquid inter Mariæ manus inuenerit;* Dicere eidem *similiter poterit: sitiui, & dedisti mihi potum, lactis scilicet Virginei, quod solus bibi: Infirmus eram, & visitasti me, quando nimirum crucifigebar, & tu stabas iuxta crucem. In carcere eram, & venisti ad me cum eram in sepulchro. Licet enim in Euangelio non legatur, non dubitatur tamen ad sepulchrum venisse Filij mater pijssima. Vnde Hieron. quam miserum erit, imo, & impium sentire de Matre, vt quando cætera Sanctæ mulieres tantam curam habuerunt de Dominica sepultura, ipsa se absentauerit. Absit.* Hæc ferè Richardus.

B. V. opera misericordiæ exhibuit Filio.

Manus Mariæ lilia inter quæ passus est Dilectus.

B. V. in carcere Sepulchri Christum visitauit.

82. Neque vero hæc ministeria, ac seruitia Virgini suo dilectissimo Filio, exhibuisse satisfuit, secuta est illum toto triennio prædicationis, eique ministrauit. Quod Ioannes Gerson. Cancellarius Paris. Tract. 11. in Magnificat,

B. V. triennio prædicationis Christum secuta, ei ministrando.

cat, testatus est: *Post obitum*, inquiens, *felicem Ioséphi custodis, & testis fidelissimi, quando cessit ipsa in custodiam peculiarem Filij, sequens eum quocunque iret, præsens in omnibus quæ faceret, & doceret, vsque dum custodiæ Ioannis, in cruce tradita est. Conuenientissimus enim fuit comitatus talis Matris cum Filio. Viri nempe viduata solatio fuit. Filius quoque prædicans Matris indigebat obsequio, quoniam non renuit extraneas mulieres se sequi, sibi ministrare de facultatibus suis, per omne iter, quod erat ipse facturus.*

Testatur hoc Euangelica narratio, quæ Matris societatem expressit locis pluribus, vt in nuptijs etc. Quod insuper efficacius afferre possumus argumentum, continuæ præsentiæ, quam illud dum Filius ignominiosissimæ morti traditus esset, voluit Beatissimam Matrem adesse conspectricem. Sic Gerson. Ex quibus sane facile colligere possumus quam amanter, fideliterque Sanctissima Deipara ad instar verę Ancillę, super omnes Dominationes, Dei Filio in omnibus seruierit ac ministrauerit.

B.V. Christū comitata semper vsque ad mortem.

83. Non est omittendum illud quoque Dominationum insigne ornamentum, quo decorati, nulla inferiorum seruitute indigere perhibentur. Neque enim beatæ illæ mentes terrestribus hisce sunt consimiles dominationibus, quæ tantum suo modo egent seruis, ac ministris, quantum, & ipsi Domini: In cælestibus autem nulla indigentia seruitutis esse potest.

Dominationes Angelicæ nulla inferiorum indigent seruitute.

Quam proprietatem bellissime quadrare Virgini Beatissimæ asserit iam sępe memoratus Albertus; cum illa vnita quam arctissimè bonorum omnium fonti, rei nullius, ac consequenter seruitutis nostræ minimè sit indiga.

B.V. nullius seruitutis indiga.

Vnde si nos ad suum seruitium, obsequiumque subinde inuitat: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus mei implemini.* Eccl. 24 & Prou. 8. *Accipite disciplinam meam, doctrinam magis, quam aurum eligite.* Et paucis inter positis: *Nunc ergo Filij audite me, beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & nolite abijcere eam, &c.* Non id facit quasi ipsa nostra indigere videatur seruitute, vtpote Mater illius vniuersorum Domini, qui bonorum nostrorum non eget. Verum vt occasionem habeat nos cæli thesaurus, ac Gratijs, donisque Spiritus S. quibus ipsa nimium quantum redundat, locupletandi.

Cum B.V. nos ad sibi seruiendum inuitat facit ideo vt nos suis bonis, quibus affluit locupletandi habeat occasionem.

Verissimè enim Sapiētia cælesti eruditus pronunciauit Idiota in Contēp. B. V. *Inuenta Maria, inuenitur omne bonum: ipsa enim diligentes se diligit, & seruientibus sibi seruit.* Verissimè etiam dixit pientissimus Rich. Laurentinus lib. 2. de Laud. Virg. partic. 2. *Maria lignum vitæ est his qui velut manu duplici amore, & seruitio apprehenderint eam. Et sicut arbor fœcunda nesciens sterilis permanere, vniuersis singulisque ramis suis, ac frondibus possidentibus se reddit fructum: Sic Maria toti mundo, & maximè specialibus suis seruis, vniuersis, singulisque suis membris Sanctissimis tulit, redditque fructum vitæ. Gratiarum quoque fluenta, quæ Virgo iugiter haurit de fontibus Saluatoris, amicis suis refundere nunquam cessat, quibus, & ipsi fructum referunt, cuius gustu ipsorum desiderium in æternum satiabitur. Et ideo videtur ipsa cum Filio quasi comminari his, qui sibi seruire negligunt in hac vita, eiusque mansuetissimum Dominium contemnunt. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, ecce serui mei lætabuntur, & vos cōfundemini.* Pergit inde vt nos ad seruitium Diuæ Virginis nobis vtilissimum idem Vir in Deiparæ amore feruentissimus pertrahat, ostendatq; illam seruitijs nostris minime indigere, cum illa pro insigni illa sua qua pollet benignitate, ipsa potius nobis seruierit, pergit inquam discurrenda per singula eius membra, ostenditque quanta cum charitate eisdem nobis seruire, quo salutem æternam consequeremur, non sit dedignata.

Inuenta Maria inuenitur omne bonum.

Maria Arbor vitæ.

Atque vt reliqua breuistis causa omittam, videamus quanam ratione corde ac lingua nobis sincerissimè deseruierit: *Ex corde B. Virginis*, inquit, ille, *processerunt fides, & consensus, per quæ salus mundi initia est. Ipsum illud cor illud præ omnibus creaturis dignum inuentum est, vt de corde paterno exeuntem acciperet Vnigenitum Dei, quando scilicet cor patris eructauit Verbum bonum, quod de sinu patris egrediens in sinum Matris Virginis se recepit. Lingua eius Eucharis, quæ calamus erat scribę velociter scribentis* Psal. 44. *Sancti videlicet Spiritus, ipso scribā mouente calamum, eructauit illud verbum bonum, mellifluum, & suaue. Ecce Ancilla Domini, &c. Quo in verbo plane nectareo adeo Regem cæli de nostra salute sollicitum exhilarauit, vt quasi immemor iniurię primorum parentum factus, à sede Regali statim, deposito diademate Gloriæ, descenderet, cælosque dirumpens eodem momento, de sinu paterno in vterum Virginalem exiliret, vociferās: Deliciæ meæ esse cum filius hominū. Hoc etiam Verbo, lingua Virginis, fuit nobis lingua curationis, lingua mitigationis, lingua mise-*

Quomodo B. V. corde nobis seruierit.

Cor B. V. dignū inuentū quod prę omnibus creaturis Verbū de corde patris procedēs exciperet.

B. V. quomodo lingua sua nobis seruiuit.

misericordiæ Eccli 36. Respondens enim adeo humiliter, & obedienter curauit ægritudinem quam Eua suo responso inuexit in mundum.

B.V. suo humili responso curauit ægritudinē quam Eua in orbem inuexit.

Lingua enim Euæ, diabolo sub dubio respondētis, gustumque ligni vetiti viro suo suadentis peccatumque suum serpenti attribuentis totam posteritatem ex se nascituram vulnerauit lethaliter, Paradisi portam cunctis obserauit, ac denique Dei iracundiam ad vindictam prouocauit. At vero Mariæ lingua infirma curauit, clausa patefecit, iramque deliniuit. Hæc ferè Rich. qui Virgineis hisce charitate plenissimis ministerijs, seruitijsque humano generi tam benignè exhibitis probè, pièque expensis, tandem concludit:

B.V. singulis nostris membris aliquo modo seruiendum vt gratias ab illa recipiamus.

Debemus igitur, & nos singulis Mariæ membris seruitium aliquod speciale exhibere, vt ad locū vnde exeunt flumina reuertantur vt iterū fluāt. Eccl. 1. Ad hoc autem primo necesse est inquit hic singula membra nostra à peccati contagio conseruemus, eademque obsequio ipsius mancipemus, eam exorantes assiduè, ac deuotè, vt & membra nostra per gratiam suam, à peccato coerceat in præsenti vita, gratiamq; bene operandi subministrans, ea glorificet in futura.

484 Tandem Particula 5. suadet ad singula membra Virginis quibus tam benignè amanterque nobis deseruiuit, singulas Salutationes Angelicas in dies singulos, summa pietate, positis humi genibus esse recitandas.

Singula B.V. membra diebus singulis Salutatione Angelica piè veneranda.

Duæ recitentur ad pedes, vna ad vterum, vna ad cor; duæ ad vbera; duæ ad manus, duæ ad os, & linguam; duæ ad labia, duæ ad nares; duæ ad aures, duæ ad oculos, duæ ad animā, & corpus. Atque ita in vniuersum erunt Salutationes, 20. quæ in modum quotidianæ, inquit, pensionis cum tot genuflexionibus coram imagine eius vel altari, si fieri potest Virgini Gloriosæ persoluendæ sunt, memores illius Psalmi 144. Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. Porro hoc pietatis in Virginem sanctum exercitium mirificè gratum eidem idem affirmat Richard.

Viginti Salutationibus Angelicis membra B.V. quotidie flexis genibus salutanda.

Sicut dicunt qui experti sunt, & testantur, inquit ille, *qui à Viris sanctis audiuerunt, vix posset inueniri modus alius seruitij, qui tantum Virgini complaceret, vel ex quo tanta deuotio diligentibus eam redundaret. Dicat igitur quisque post Salutationes Angelicas:*

Quam grata sit B.V. hæc singulorum membrorum ipsius salutatio?

Dulcis Domina adoro, & benedico dulcissimos illos pedes, quibus Dominum super terram portasti. Benedico, & adoro beatissimum vterum illum, in quo Christum baiulasti.

Modus salutandi singula B.V. membra.

Benedico, & adoro cor, quo in eum fortiter credidisti, feruenterque eum dilexisti.

Benedico, & adoro castissima vbera, quibus eū lactasti. Benedico, & adoro manus, quibus eum gestasti, ac nutristi. Os & linguam, quibus eum es osculata, & dulciter allocuta. Nares quibus suaueolentē eius humanitatis fragrantiā sensisti. Aures quibus dulcia eius eloquia delectabiliter auscultasti. Oculos, quibus eū deuotè respexisti. Corpus deniq; & animam quę Filius tuus omni benedictione consecrauit. Quod si quotidie ita Virgini seruiamus, (licet ipsa Dominationes imitata, nullâ nostra, vti diximus indigeat seruitute,) *seruiet illa quoque fideliter nobis, & in singulis membris nostris,* vt loquitur Richardus, *ab ea benedictionem reportabimus.* Quod sane bene percepisse visa est S. Brigitta, quæ etiam diuina reuelatione edocta, membra omnia simili ratione Virginis benedixit, pijssimèque venerata est, vt videre est Orat. 4. diuinitus reuelata.

Si benediximus membra B.V. ab illa similiter in omnibus nostris membris benedictionem reportabimus.

485 Idem quoque pientissimum hoc Virgini Deiparæ obsequium præstitisse, vberrimumque fructum ac mercedem huius se suæ deuotionis ab ea reportasse B. Hermānus Ordinis Prædicatorum illustre Sydus, ipsius S. Dominici Discipulus, à P. Hyacintho Coquetio lib. de viscer. piet. B.V. in Ordi. Prædicat. & P. Antonio Balingen nostro, in Kal. B.V. 17. April. memoratur. De hoc ita Choquetius capit. 16.

Virginei Mariæ corporis elegantiam, puritatem, amænitatemque, animi quoque Diuinas dotes, ac virtutes, maximo pietatis sensu summaque contentione contemplari, deliciæ illi erant: mirabatur, extollebat, totusque æstuabat sanctissimorum membrorum meditatione, & amore. Percurrebat singula, gratulabatur singulis, stupebat ad singula: maiestatem oris, capillorum, oculorum, genarumque venustatem; floridum Virginis vterum contemplabatur Diuini Verbi lectulum; Vbera duo pulchritudinis miracula, geminos sacri nectaris, purissimique lactis fontes, manus quæ infantem Christum fascijs toties cinxerunt, brachia, quæ gestarunt, labia, quæ mille, & mille basia pusioni impresserunt, & singula Angelica Salutatione manantibus vbertim lacrymis salutabat.

In B. Hermānum Dominicanum B. V. liberalitas.

Salutat Hermannus omnia membra B.V.

Ab amæniore isto Virginei corporis zelo, in Diuinitati proximum orbem assurgebat, euolabatque Hermanni meditatio, vbi ad innumera gratiarū, quę Mariæ Sanctissimæ mentem in immensum exornant rapiebatur animus.

Spectabat, & memoria repetebat incredibilem, qua mortalis prædita fuerat fidem, profundissimam humilitatem, ardentissimam charitatem, maximam, & Angelicā superiorem præstantioremque puritatem, moderationem animi, iustitiæ robur, cæterarumque virtutum mican-

cantissima lumina, in nulla alia creatura tantum vnquam fulgorem habitura, venerabatur; atque ad singula Angelicam salutationem ingeminabat, adiectâ insuper familiari hac precatiuncula: IESV suauissime dignare me tuam, & meam Matrem super omnes speciosissimam ore laudare, corde admirari, & diligere, eius semper & subsequi, & adorare vestigia.

Oratio Hermanni ad Dominum IESVM.

Continuis hisce Hermanni aduersus Deiparam studijs officijsq; ipsa è cælo benignitatis suæ vicissim gratiam rependebat. Die quodam Sabbati conspicuam ei se, præsentemque exhibuit, retulitque istud obsequij sibi esse gratissimum atque acceptissimum, vtq; prosequeretur animos viresque dedit, & amplissimam tanti cultus mercedem spopondit. Itaque cum eum superiores ad animarum lucra, tantisper sepositis illis contemplationibus incitarent, rogauit ipse Virginem, vt tantisper de illa cælesti suauitate in illis pietatis exercitijs detrahere dignaretur, illamque in donum peritiæ sacrarum scripturarum, & concionandi gratiam commutare, simulque oris hæsitationem, linguæque suę blæsitatem tolleret. Quod ille consuetâ illa sua in Deiparam pietate facillimè impetrauit.

B.V. Hermano tollit blęsitatem.

Tanta enim mox eruditione, eloquentia, dicendique facilitate præditus fuit, vt seu Germanicè, seu Latinè ipsi dicendum esset, eruditè, expeditè, & ad miraculum vsque semper dixerit innumerosque ad veram fidem pietatemque adduxerit. Ita fere Choquetius.

86. Recenset B. Albertus Magnus aliam quandam Dominationum proprietatem, quam ipse dissimilitudinis immunitatem appellat, per quam dissimilitudo operationis in illis beatis Spiritibus remouetur, quam contrahere possunt, ex rerum exteriorum tractatione; Licet .n. ad exteriora obeunda ministeria mittantur, interioribus tamen mentis actionibus, quibus viua Dei similitudo conseruatur, assiduè sunt intenti, vt spirantem illam Dei imaginem, similitudinemque, ad quam initio creationis efformati sunt, nouis quodammodo virtutum coloribus pingant, pristinumque illam mẽtis pulchritudinem tueantur. Quam proprietatem Albertus ait B. Virginem habuisse in summo, quia Deo simillima fuit corde, & corpore, cordis nimirum, corporisq; puritate. Corde enim fuit Virgo singularis, inter omnes mitis, & humilis corde. Corpore, quia summa incorruptio, eam proximam fecit esse Deo. In opere etiam eidem fuit simillima. Adæ enim illi cælesti cum non inueniretur adiutorium illi simile, creata fuit hæc noua, & inuersa Eua, quæ similitudinem pristinæ illius innocentiæ, ad viuum in se exprimeret.

Dominationes licet ad obeunda externa ministeria mittãtur, semper tamen internam in se Dei similitudinem seruant.

B.V. etsi sese animarum lucris pro Ecclesia solicita, impendebat, sẽper tamen cordis corporisque puritatem conseruabat.

B.V. similitudinem pristinæ innocentiæ Matris nostræ Euæ in se repræsentauit.

Verè enim Virgo non modo innocenti Euæ, verum etiam Deo quodammodo simillima, secundum illius diuinitatem fuit, sicut Deus eidem similis secũdum ipsius Humanitatem. Vnde S. Augustinus: *Si formam Dei appellem, digna existis.* Verè enim secundum eundem Albertum, *ipsa vapor est virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, & inquinatum in eam nihil incurrit: Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago Bonitatis illius.* Sap. 7. quam sane diuinam imaginem, similitudinemque in se Deipara nostra, licet totius Ecclesiæ miram gereret sollicitudinem, seseque animarũ saluti procurandæ totam impenderet, semper viuam, spirantemque quotidianis, nouisque incremẽtis eiusdem pulchritudinem amplificando in suo splẽdore conseruauit. Si enim Dominationes, & Sancti custodes Angeli ita proximorum saluti procurandæ sunt intẽti, vt nunquam oculos à contemplanda facie Patris cælestis, qua summa eorum perfectio ac beatitudo continetur, deflectant: nec etiam ab illa imagine Diuina in quam beneficio visionis beatificæ transformantur, deficiant: quanto magis id nobis persuadere debemus de Virgine eorum Regina?

B.V. est forma Dei.

Diuinam similitudinem B.V. semper etiam inter magnas Ecclesiæ solicitudines conseruauit.

87. Quam ob causam D. Bernard. Senẽ. To. 3. serm. 51. art. 5. cap. 5. hanc Virgineæ mentis inter tot animarum, curas, & actiuæ vitæ occupationes à terrenis ad cælestia eleuationem, operandique facilitatem contemplãs, eam oculatæ illi Ezechielis, duplicatæque Rotæ comparauit. Interpretans enim locum illum Ezech. 5. *Apparuit rota super terram iuxta animalia habens 4. facies, & aspectus rotarum, & visio earum, quasi visio maris. Cũ eleuarentur animalia de terra, eleuabuntur simul, & rotæ, Spiritus enim vitæ erat in rotis;* sic loquitur: *Per 4. animalia doctrina Euangelica: Per rotam illam quæ 4. facies habebat, B. V. merito indicatur; quæ 4. virtutes habet, secundum quas vita regitur, & omnimoda perfectione, ad vitam Euangelicam reformatur. Pluraliter dicitur quod rotæ illę eleuabuntur, quia virtutes in ea fuerũt summę profectionis, tam ad agendum, quam ad patiendum. Et hoc tantopere intellectui humano incomprehensibiliter, vt merito dicatur aspectus rotarum, & aspectus earum, quasi visio maris.*

Maria Rota oculata Ezechielis.

In B V virtutes fuerunt in summo perfectionis tam ad agendum, quam ad patiendũ.

Ine-

B. V. Rota fuit volubilis, quia in illa nullum fuit retardatiuum.

Inestimabiliter enim superauit omnem obedientiam, & actionem Martyrum, ac Confessorum. In omnibus enim illis fuit pondus difficultatis ad bonum, & pronitas ad malum. In Virgine autem Beata, nullum omnino fuit retardatiuum, ac proinde rota volubilis fuit secundum omnem Spiritus S. nutum. Eleuata denique fuit per excellentiam contemplationis. Vnde per Aquilam designata fuit, de qua Iob. 39. Numquid ad preceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum?

B. V. vt Aquila eleuata fuit per excellentiam contemplationis.

Qua porro ratione super omnes aues fuerit Virginea hęc Aquila eleuata, omnesque sua superauit sapientiâ, videndus Serm. 4. art. 5. cap. 5. eiusdem tomi.

88. Idem Pater Seraphicus Serm. 9. ar. 2. c. 1. admirandam hanc Virginis contemplationem, cum vitæ actiuæ sollicitudine sociatam considerans, sic eam, paraphrastice illud sui Cantici; *Exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo;* exponentem introducit. *Totũ quod sentio, totũ quod discerno, totũ quod viuo, in eius magnitudine contẽplanda, pręceptisq; eius seruãdis impendo: nulla prosperitas me extollit, nulla aduersitas me frangit, sed in illius solius Spiritus meus delectatur memoria, in illius perpetua diuinitate, cuius caro meá corporali Conceptione fecundatur.* Idem Sanctus mirificum gaudium Deiparæ quod cæpit ex consideratione humanæ salutis, propediem partu suo Virgineo pariendæ, describit Hugonis de S. Victore verbis sane pijssimis sic Virginem loquentem inducentis: *De salute quoque,* inquiens, *quam humano generi pręparari video, totis pręcordijs exulto. Video namque de me assumi, quod, & credo pro me debere offerri.*

B.V. deliciæ in sua contemplatione.

Tum ex hac tam amanti Deiparæ contemplatione, ineffabiles, eius cordis delicias exponit idem Hugo, ad eandemque apostrophe facta sic ipsam alloquitur: *Vere dilecta V. M. in cellam vinariam, ad Regem sponsum tuum introducta, ab vbertate domus eius inebriata, memoriam suauitatis eius eructasti, & iustitiâ eius exultasti. Vidisti quippe eius Maiestatem; gustasti suauitatem. Ideo quod intus hausisti, foris propinasti. Duo enim sunt, quę boni Angelorum, & hominum in illo fonte boni, ęterna contemplatione hauriunt, scilicet incompręhensibilis Dei Maiestas, & ineffabilis bonitas, quorum alterum castum timorem gignat, alterum delectationem ponit. Per maiestatẽ namque venerantur DEVM, pro bonitate diligunt illum, ne vel dilectio sine reuerentia dissoluta sic, vel reuerentia sine dilectione pœnalis.* Concludit tandem, ostenditque Gloriosissimæ Virginis mentem, dum canticum illud suum suauissimum concineret ad contemplandam Diuinæ Maiestatis faciẽ fuisse eleuatum, mirificoque gaudio delibutam. *Ad hanc,* inquiens, *contemplationem mens B. Virginis subuecta est, quę cęlestis patrię dulcedinem in verbis suis tam amabiliter expressit, quam mirabiliter comprehendit. Cum enim magnificare Dominum se perhibuit, venerandæ, Maiestati se in ęterna visione coniunctam fuisse, manifestè declarauit. Cum vero se in salutari suo exultasse asseruit, gustum internę dulcedinis se percepisse ostendit.* Hæc Hugo, quibus, alijsque manifestum euadit, Sanctissimam Dei genitricem Dominationes in curanda animarum salute, contemplendoque Deo longe superasse, diuinamque similitudinem nunquam diminuisse, sed pulchrioribus virtutum coloribus in dies eandem magis venustasse; quo simillima illi increatæ Pulchritudini antiquæ, & nouæ videretur.

B. V. in cellã vinariam ad Regem spõsum introducta, ab vbertate domus Dei inebriata.

B V. dum Cãticum suum cecinit ad Diuinæ Maiestatis faciẽ contemplandam eleuata.

B.V. virtutũ coloribus Diuinam similitudinem in se magis perficiebat, vt similior Diuinæ Pulchritudini euaderet.

89. Ad postremam tandem Dominationum proprietatem, veniamus, quam B. Albertus Magnus, suorum subditorum ad DEVM conformitatem appellat. Eo quod Beatæ istæ mentes contentæ minimè sint, si ipsæ dumtaxat Deo conformes, similesque in Sanctitate atque puritate sint, sed pro posse suo contendunt, vt omnes etiam inferiores, vel qui eorum tutelæ commissi sunt, Deo conformentur, in illisque creatoris imago, pulcherrimaque similitudo resplendeat. Quod tam insigne Dominationum ornamentum, quam venuste longeque præclarius emicuerit in Virgine, per se exploratum est; *Illa enim omnes seruos fugitiuos,* vt ait Albertus, *ad Dominum reduxit, dum Dei Verbum in eius purissimo vtero Humanitatem nostram tantopere Protoplastorum scelere elongatam, sibi Hypostaticę vnionis vinculo colligauit. Ipsa de seruis perditis, Dominos, Principes, Regeque imò DEOS effecit. Vnde Coronâ stellarum 12. vniuersitate scilicet Sanctorum redimiri meruit, quos illa humillimo illo suo in Incarnationem consensu, è diaboli miserrimis mancipijs, genus electum, gentem Sanctam, populum acquisitionis, Regale Sacerdotium effecit, deque tenebris in admirabile lumen Filij aduocauit.* 1. Pet. 2. adeo vt verissimum sit illud quod doctus pronunciauit Idiota in Contemp. B. Virginis. *Longè positos illuminat radijs misericordię suę, sibi propinquos per*

Dominationes suos subditos ad Deũ conformare student.

B V. fugitiuos seruos à Deo per peccatum Adæ, ad eundem DEVM reduxit.

B. V. longe positos peccatores radijs suæ misericordię illuminat.

per specialem deuotionem accendit, & sic non est, qui se abscondat à calore eius.

75. Meminit nimirum Virgo pijssima sibi iam pridem in persona Sponsæ à cælesti sponso demandatum esse, vt non modo iustorum, verumetiam peccatorum quos hędorum designauit nomine, curam patrociniumque suscipiat, eosque spiritualibus ad vitam beatam nutriat alimentis; Meminit, inquam, moniti illius. *Pasce hædos tuos. Cant.* 1. Vere peccatores hædi sunt, qui nisi pascantur, ac regantur à Virgine in præsenti vita, in altera certè non inter Agnos à dextris, sed inter hædos à sinistris, Inferni exurendi incendijs, & mactandi supplicijs collocabuntur. Hi verè hædi, hi peccatores sunt Virginis, quasi proprij. Quia licet hęc velut Mater pientissima iustos omnes, amplissimo charitatis amplectatur foueatque sinu, peccatores tamen peculiari prorsus prosequi videtur affectu.

B.V. etiam peccatores sub typo hædorum commissi sunt pascendi.

Hædi .i. peccatores sunt B.V. proprij quomodo?

Nouit enim quod illorum beneficio, omnium gratiarum, charismatumque Spiritus S. sortita plenitudinem, ad eminentissimam diuinæ maternitatis dignitatem sit euecta, vt testatur Anselmus, & confirmat Richar. à S. Laur. lib. 4. de laud. B.V. *Possunt*, inquiens. *Mariæ dicere peccatores, quod propter ipsos facta est Mater misericordiæ. Nisi enim homo peccasset, non esset Dei Filius incarnatus, nec ipsa Dei Mater effecta; Ideo canit ei quidam:*

B.V. peccatorum beneficio Mater Dei effecta.

Festina miseris misereri Virgo beata,
Nam si te recolis miseri fecere beatam.
Ergo bea miseros, quorum te causa beauit.

Et alter similiter:

Nec abhorres peccatores,
Sine quibus numquam fores,
Tanto digna Filio.
Si non essent redimendi,
Nulla tibi pariendi,
Redemptorem ratio.

76. Hinc Guilelmus Abbas apud Delrium in Cant. vocem illam: *Si ignoras te ò pulcherrima mulierum; egredere, & vade post vestigia gregum tuorum, & pasce Hedos tuos;* asserit esse vocem animarum afflictarum, Deiparæ iam in cælos constitutæ auxilium implorantium, & quia illud non statim impetrant, etiam tenerè, vt pueri solent Matrem, quasi obiecta sui ignoratione, vel obliuione lacessentium. *Cum eos* inquit, *in feruore tentationis positos, aliqua latentiori causâ cito non exaudit, & protegit suos pia Mater Filios ad tempus quodammodo non agnoscit; Quare quodammodo ignorat se esse, quod verè est, Matrem miserorum. Ad Maternum ergo, à laborantibus Filijs quodammodo excitatur affectum, cum dicitur: Si ignoras te esse Matrem, & nos esse Filios tuos, egredere, & vide quia tu Mater es misericordiæ, & nos miseri sumus. Ingressa es in gaudium Domini tui, in cellaria Sponsi tui, in Regnum filij tui, vbi æternis delicijs affluis, præ omnibus gloria, & honore coronaris. Inde egredere ad filios laborantes. Egredere non per separationem, sed per miserationem, de Sanctuario filij tui, non inde recedendo, sed miseris piè subueniendo.* Hæc pijssimus Abbas Guilelmus quibus ostendit, qua ratione peccatores confidenter accedere debeant ad Virginem, gloriosissimam tanquam pientissimam Matrem eamque in suis necessitatibus tribulationibus angustijsque inuocare.

Quomodo B.V. suos aliquando probare consueuerit.

77. Sunt ergo hædi, ipsi peccatores Virginis, quasi proprij, quorum occasione tam immensis, infinitisque cęli bonis, ac thesauris locupletata est. Dicat ergo illi Dei Filius velut suæ dilectissimæ Sponsæ: *Pasce hæduos tuos.* Quæ verba similiter librans S. Theodoretus lib. 1. in Cant. *Vult*, inquit, *benignus Dominus, vt non modo iustos, verumetiam peccatores, omni studio, & cura complectamur; Non egent, inquit, qui sani sunt medico, sed qui male habent. Et non veni vocare iustos, sed peccatores. Hædorum ergo nomine intelliguntur peccatores, quos à sinistris Dominus locatum iri, seiunctos ab Agnis, dixit.*

B.V. tam iustorum quã peccatorum cura commissa.

Tres porro Patres Gregorius Nyssenus, Nilus, & Maximus apud eundem Theodoretum introducunt cælestem Sponsum docentem Sponsam quibus modis, rationibusque vti debeat in pascẽdis, regendis, conuertendisque peccatoribus. *Pasce hædos tuos. Pasce turbidos peccatorum animi motus, exemplis rerum naturalium. Desidiam malorum omnium causam, coerce diligentiâ, quæ vi naturali formicæ atque api in esse cernitur, quæ vere, ac æstate cibum comparantes hyemi consulunt. Imprudentiam ad prudentiam, exemplo serpentis ita redigens, vt sicut ille pro capitis defensione totum corpus offerre non dubitat, sic tu pro fidei conseruatione te ipsum totum periculis omnibus obijcias. Iracundiam, animique commotionem rationi maximè obtemperantem, columbæ exemplo reuocans ad simplicitatem, vt eos, qui te iniurijs afficiunt, atque oppugnant minimè persequaris, quando nec columba quidem promit insidias, aut pullorum suorum diriptionem ab insidiantibus, & diripentibus*

Modus hædos pascẽdi.

Negligentes formicæ, & apis industria excitandi.

Imprudentes docendi prudentia serpentis.

Iracundi columbæ exẽplo.

bus recedit. *Intemperantiam denique quæ est animi appetitus rationi contrarius, ad temperantiam ita traducens turturis imitatione, vt cum opus est à rebus sensibus iucundis abstineas, vt illa, amisso coniuge, vidua vitam transigit.* Hæc Patres illi, quibus Sponsa diuinitus edocta pascit, regit, conuertitque peccatores, vt Diuinæ similitudinis splendor in eorum animabus ad pristinam dignitatem reuocetur.

Intemperantes docendi exemplo turturis.

88. Perspecta iam hoc tam insigni Virginis nostræ clementissimæ erga peccatores, quibus adeo videtur obstricta, piâ solicitudine, atque amore, quæri iure merito potest, an peccator cultui eius addictus in æternum perire, ac damnari possit? Cui quæstioni respondendum omnino videtur, gloriosissimã Virginem fidelem, assiduum, & feruentem cultorem, clientulum, amatoremque suum tantis gratiæ congruæ, atque efficacis auxilijs, à Filio impetratis præuenire solitam, vt huiusmodi cultorem, etiam saluâ arbitrij libertate, quam gratia congrua nunquam impedit, impossibile sit damnari.

An peccator cultui B.V. addictus damnari possit?

B.V. diligentem ac feruidum cultorẽ suum tantis gratiæ efficacis præuenit auxilijs vt perire nõ possit.

Hæc enim Virgo est misericordiæ Mater, est Mater Regis æterni, cui cum suę carnis substantiam in suo purissimo vtero nouem mensibus commoranti benignissimè communicarit, fieri nequit, vt ei quidquam deneget.

Quare præclarè S. Fran. Mendoza noster in suo Viridario li. 2. Prob. 9. asseruit impossibilitatem hanc non esse præcisam, ac omnimodam, sed secundum quendam loquendi modum, quo rara, & difficilia, impossibilia dicuntur.

Rara ac difficilia communi modo loquendi dicuntur impossibilia.

Vnde B. Petrus Card. Dam. serm. 1. de Nat. Eam alloquens: *Nihil*, inquit, *tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis releuare. Quomodo enim potentia tuæ potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua, carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans, Domina, non Ancilla.* Et paucis interpositis; *Audi nos; nam, & Filius nihil negans honorat te.*

B.V. nihil est impossibile, cui possibile est desperatos in spem releuare.

Hinc S. Anselm. libr. de Excell. B. V. *Qui ad Mariam accesserit, impossibile est vt pereat.* Et alibi: *Ipsa velit, & nequaquam salui esse non poterimus.* Et in Medit. B. Virginis. *Mater IESV amatoris nostri, quæ illum in ventre portare, & in sinu tuo meruisti lactare, an tu poteris, an non voles poscenti amorem eius, & tuum impetrare?* Et idem alibi: *O Felicissima Maria quid dicemus, qualiter te laudemus, quantum tibi debemus, cum per te ad gloriam, quicumque peruenturi sumus perueniemus, per te liberati scilicet ad damnatione exiemus; per te est si quid boni sumus, si quid possumus, & quicquid habemus.*

Maria dummodo velit, & nequaquã salui esse non poterimus.

Denique idem Vir Sanctissimus in iam citata Medit. B. V. agnoscens eam verissimam omnium Prædestinatorum Matrem, eam sic pijssimo plane affectu deprecabatur: *Maria obsecro te per gratiam, qua sic Dominus esse tecum, & te voluit esse secum, fac propter ipsam eandem gratiam misericordiam tuam mecum. Fac vt amor tui semper sit mecum, & cura mei semper sit tecum. Fac vt clamor necessitatis meæ, quandiu ipsa persistit, semper sit tecum, & respectus pietatis tuæ, quandiu ego persisto semper sit mecum. Fac vt congratulatio beatitudinis tuæ sit semper mecum, & compassio miseriæ meæ, quantum mihi expedit sit semper tecum. Sicut enim ò Beatissima omnis à te auersus, & à te despectus, necesse est vt intereat: Ita omnis ad te conuersus, & à te respectus impossibile est vt pereat. Sicut enim ò Domina DEVS genuit illum, in quo omnia viuunt; sic ò tu flos virginitatis, genuisti eum, per quem, & mortua reuiuiscũt. Et sicut Deus per Filium suum beatos Angelos à peccato seruauit: ita, & tu ò decus puritatis, per Filium tuum miseros homines ex peccatis saluasti. Quemadmodum enim Dei Filius est beatitudo iustorum, sic ò tu fons fæcunditatis, & Filius tuus est reconciliatio peccatorum. Non est enim reconciliatio, nisi quam tu casta concepisti; non est iustificatio, nisi quam tu integra in vtero fouisti. Non est salus, nisi quam tu Virgo peperisti. Ergo ò Domina Mater es iustificationis, & iustificatorum; Genitrix es reconciliationis, & reconciliatorum, Parens salutis, & Saluatorum.* Hæc ille, quibus sane pulcherrimè radicem nobis in hac Virginea planta, simul ostendit, nempe Saluatorem Filium, quem genuit, ex quo salus peccatoribus sub vmbra, ac protectione Virginis quiscentibus pullulare consueuit.

Omnis à B.V. auersus necesse est vt intereat.

89. S. Bernardus serm. de Natiuit. Virginis, eam peccatorum salutem vnicam agnoscens docet non posse sustinere repulsam eũ, qui quod Deo offerre vult, quantumuis modicum, gratissimis Mariæ manibus offerendum tradit. Qui igitur se salutemq; suam Mariæ patrocinio subdidit, addixitque qui fieri potest vt votorum suorum non euadat compos? Et serm. 2. super Miss. *Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis.* Idem Bern. alibi verba illa Christi de Cruce pendentis:

Ecce Mater tua; expendens, amore exæstuans in illa prorupit verba: *O' Verbum omni acceptione dignum, verbum scilicet Domini IESV dicentis: Ecce Mater tua. Si Maria est Mater tua, ò homo, ergo IESVS est frater tuus. Ergo Pater eius, Pater tuus; Ergo Regnum eius hæreditas tua. Erg[o] gratia Mariæ, est thesaurus tuus. Matres enim thesaurizant filijs, ergo omnis necessitas tua ad cor eius ascẽdit, commouentur enim viscera eius, super filio suo. Accipe ergo eam in tuam.*

Maria protegente nil metuendum.

Maria cum sit Mater nostræ quæ bona nobis speranda.

Hinc ipsa Virgo ad hoc confirmandum S. Brigittæ sic est locuta lib. 4. Reuelat. cap. 138. *Ego sum quasi Mater omnium peccatorum se volẽtium emendare, & habentium voluntatem in DEVM amplius non peccare, & sum voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem accipere, sicut charitatiua Mater, dum videret filium nudum ab inimicis gladios peracutos habentibus, sibi occurrentem. Nonne tunc ipsa opponeret se periculis viriliter, vt filium suum de manibus inimicorum suorum liberaret eriperetque, & in sinu suo gaudenter conseruaret? Ita facio, & faciam ego omnibus peccatoribus misericordiam meam à Filio petentibus, sub vera contritione, & Diuina dilectione.*

Maria est Mater omnium peccatorum se volentiũ emendare.

De hac Virginis in peccatores emendare se cupientes dilectione, insignẽ plane Ludouicus Blosius Abbas Ordinis D. Benedicti illustre sydus protulit sẽtentiam in suo specul. capit. 12. *Dulcissima Maria nullum à se repellit: peccatores ad se piè, & humiliter confugientes blandè suscipit, fouet, protegit, & Filio suo materna fiducia reconciliat. Citius cælum cum terra perierit, quam ipsa aliquem serio se implorantem, sua ope destituat.* Sic ille.

Citius cœlum & terra peribit quam Virgo aliquẽ serio se implorantem deserat.

90. De hac Virginis communi erga peccatores pietate sic loquitur S. Agnes S. Brigittæ lib. 3. Reuel. cap. 30. *Habuit insuper Maria latitudinem excedentem, hoc est misericordiam. Nam sic pia, & misericors fuit, & est, vt maluerit omnes tribulationes sufferre, quam vt animæ non redimerentur. Nunc autem coniuncta Filio non obliuiscitur innatæ Bonitatis suæ, sed ad omnes extendit misericordiam suam, etiam ad pessimos, vt sicut sole illuminantur, & inflammãtur cœlestia, & terrestria, sic ex dulcedine Mariæ, nullus est, qui non per eam, si petit, sentiat pietatem.* Ita S. Agnes. Hinc deniq; S. Brigitta lib. 1. Reuel. c. 50. Christum Matri de hac ipsius erga peccatores pietate, sic loquentem introducit: *Omnis quicumque inuocauerit Nomen tuum, & spem habet in te cum proposito emendandi commissa, cum Regno cælesti hæc tria ipsi concedentur; contritio nimirum de peccatis, satisfactio, & demum ad bona opera facienda fortitudo. Tanta enim est mihi dulcedo in verbis tuis, vt non possim negare, quæ petis, quia nihil aliud vis, nisi quod ego. Tu denique es quasi flamma lucens, & ardens, qua luminaria extincta accenduntur, & inaccensa conualescunt, sic ex charitate tua, quæ ascendit in cor meum, & attraxit me ad te, reuiuiscent, qui in peccatis sunt mortui, & tepedi, quasi fumus nigri, in charitate mea conualescent.* Sic Filius de efficacissima Matris suæ pro peccatoribus apud se intercessione.

B.V. habuit latitudinem misericordiæ excedentem.

B.V. ad omnes extendit misericordiã suam etiam pessimos.

Quid mereatur ille qui Nomen B.V. cum proposito emendationis, inuocat?

Nihil DEVS negare potest Matri, eo quod nil petat nisi ea, quæ ipsi placent.

91. Veritatem hanc Cæsarius Cisterciensis luculentissimis comprobauit exemplis, ad quæ recensenda antequam accederet hæc lib. 7. cap. 1. in laudem Deiparæ præmisit: *Ipsa est orbis conseruatrix, & tribulatorum consolatrix, fida sibi famulantium defensatrix, per ipsam peccatores illuminantur, desperati ad confessionem reparantur, apostatæ à Deo per ipsam Deo mirabiliter reconciliantur, &c.* Tum capit. 58. narrat fuisse militem quendam nobilem, sed criminosum, qui cum ab inimicis insidiantibus esset captus, rogaretque sibi tantum vitæ spatium concedi, vt scelera sua rite per exomologesin expiare posset, idque per summum nefas, ab illis ei fuisset negatum, ingemuit infelix, & in hæc verba prorupit: *Deus tu scis voluntatem meam.* Tandem cum lethalem esset excepturus ictum ad Christum, eiusque Matrem conuersus: *Animam meam*, inquit, *commendo Virginis Filio.* Quæ quam benè commendata fuerit quidam energumenus patefecit. Cum enim nonnemo illi diceret, hodie eius socios Cacodæmones nouam gaudij materiã inuenisse, quod immanis ille tyrannus, facinoribus tã tetris coopertus, ex hac vita migrasset; lugubri voce respondisse fertur: *Nequaquam vn[i]cum enim verbum moriens protulit, ob quod saluatus est. Haud dubium,* subnectit Cæsarius, *quin ope B. Virginis cuius Filio animam occidendus commisit, pœnis gehẽnæ sit subtractus, & cum latrone confitẽte Paradisi gaudijs addictus.* Quod si miles hic tot sceleribus obstrictus, adeoque sanguinarius, vt Tyrannus haberetur, solâ Virginis in articulo mortis memoria contritionem, salutemque est commeritus; quid de ijs dicemus, qui sedulo sese eiusdem Virginis dum viuerent obsequijs addixerunt? moraliter sane impossibile erit homines huiusmodi de æterna salute periclitari, cum Dei Ma-

Maria orbis conseruatrix & tribulatorum consolatrix.

Miles iam mactandus, cum confiteri non potest, se B.V. commendauit, & animæ salutem in tuto reposuit.

B.V. indoles nobilissima, quæ se officijs superari minimè sinit.

tris indoles adeo benigna, adeo ingenua sit, vt sese hominum beneuolentiâ, obsequioque vel minimo nunquam superari permittat. Quod idem Cęsarius cap. 59. luculentiori adhuc declarauit exemplo.

92. Scribit enim penes Tridentum habitasse infamem quẽdam latronum, prædonumque Principem, qui ab ineũte ætate, varijs facinoribus, furtisque vitam suam commacularat, adeo, vt cũ iam in profundum scelerum deuenisset, animam, salutemque suam pro nihilo duceret, deque ea omnino desperaret. Hic nescio quo casu, die quadam in Religiosum quendam virum incidit, qui vltro, citroque varijs de peccatorũ fœditate, deque æternæ salutis discrimine, si in illo vitæ statu tam miserabili perseueraret, habitis colloquijs, suasit tandem vt vnum aliquem saltem sibi diem in hebdomada deligeret, quo in honorem Deiparæ ieiunaret, & à latrocinijs abstineret. Acceptauit ille salubre Religiosi hoc consilium, votoque se die Sabbati ad gloriam Deiparæ ieiunaturum, religiosèque sibi in posterum eo die sceleribus omnibus interdicturum obstrinxit. Nec in promittendo liberalior, quam in exequendo extitit. Dum enim in hac pia erga Diuam Virginem voluntate perseuerat, tandem à Tridentinis tot eius latrocinijs, sociorumque cædibus, fatigatis capitur die quodam Sabbati, vltroque publicè confessis omnibus, magno cum dolore flagitijs, à teneris annis commissis, è ciuitate educitur, ceruices gladio, mirâ promptitudine, atque alacritate, Virginis fretus auxilio, submittit. Nec sua illum in Virginem fidelissimâ spes fefellit. Nõ enim solius ipsius animæ Deipara, eam æternâ felicitate donando, verum etiam ipsius corporis, vt honesto loco sepeliretur, curam gessit. Cùm enim extra sacrarij septa velut latro infamis, in loco profano esset sepultus, Beatissima Dei Parens, quatuor Virginibus comitata, collucentibus luminibus, eadem nocte ad ipsius tumulũ ad fuit, caputque corpori vnitum feretro imponi, pannoque purpureo miræ texturæ, operisque obtegi, Virginumque illarum humeris ad portas Ciuitatis, ipsâ accensam manu candelam gestante, atque comitante, deferri mandauit: mox vrbis vigilibus spectaculum hoc curiosè, non sine timore contemplantibus imperat, pro sua auctoritate Deipara, suo nomine deferant mane ad Episcopum, suam voluntatem esse, vt ipsius fidelis seruus in Templo, honesto loco, quem & nominauit, sepeliretur. Si secus faxit, non impune laturam. Vix illuxerat, re intellecta Vrbis Præsul cum clero, totoque populo ad nouum hoc prodigium spectandum solemni pompâ procedit. mox retegit loculum, caput corpori vnitum obstupefactus cernit, miratur purpuræ, omne humanum artificium excedentem texturam illam, hominemque maximo quo fieri potuit honore, loco à Virgine designato tumulauit. *Ab illo tempore in hodiernum vsque diem*, concludit Cęsarius, *vix aliquis adultus in illa Prouincia inuenitur, qui latronis illius exemplo, die Sabbati in honorem Dominę nostræ non ieiunet.*

Latro voto se obstringit ad ieiunium die Sabbati, in honorem B. V.

B.V. erga latronem morientem benignitas mira.

B.V. latronis tumulo adfuit.

B.V. mandat Episcopo, vt latro sibi deuotus in Templo, honesto loco sepeliatur.

In Tridentino districtu vix aliquis reperitur, qui die Sabbati in honorem B. V. non ieiunet.

93. Quem ergo pigebit in posterũ aliquo tali obsequio sibi demereri Virginem in hac vita dum viuit, vt eam patronam, ac protectricem, imo & consolatricem in tremendo illa mortis articulo experiri mereatur? Verè enim, teste vel ipso Philosopho Ethnico, *omnium terribilium terribilissimum mors est: Verè eiusdem mortis, vel sola memoria amara est*, exclamante Ecclesiastico cap. 41. *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua.*
Verum hæc amaritudo omnis dulcissimi Virginei Nominis memoriâ dulcescit, adeo, vt præclarè dixerit idem Cęsarius cap. 1. lib. 7. *Nomen eius, & memoriale eius morbos sanat, Dæmones fugat, vincula soluit, timores pellit, tentationes cõpescit. Nomen eius super mel dulce, & hæreditas eius super mel, & fauum, morientibus assistit, & mortuorum animas ad vitam perducit æternam*. Hinc B. Bernardus huius Diuinissimi Nominis mella, fauosque dulcissimos expertus illi fatebatur; *Tu nunquam sine dulcedine Diuinitus tibi insita memoriæ portas ingrederis*. Hinc deniq; Seraphicus ipsius Psalmista, vbi dulcedinẽ eiusdem Mariani Nominis delibasset, exclamauit Psalm. 133. *Ecce quam bonam, & quam iucundum Maria diligere nomen tuum. Vnguentum effusum, & aromaticum est Nomen tuum diligentibus ipsum. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domina quam præparasti diligentibus, & sperantibus in te?* Vnde hac eius suauitate, ac dulcedine fretus, eam pro omnibus miseris in eorum necessitatibus confidenter interpel-

In morte, dulce Nomẽ Mariæ nos consolatur.

Nominis B. V. virtus, & efficacia.

Quam dulce, & iucundum sit Nomen B. V.

pellat: *Esto refugium pauperum in tribulatione, quia tu es baculus pauperum, & miserorum. Inueniant quæso gratiam apud DEVM, qui te in suis necessitatibus inuocabũt.*

94. Eadem Virgo horrorem mortis, Dæmonumque terriculamenta atque insidias, quæ moribundos nimium quantum angere consueuerunt, propulsat; atque ita ipsius fideli clientulo terribilium terribilissimum mors ipsa esse nequit, dũ ipsa eius lectulũ ad instar castrorũ bene ordinatæ aciei terribilis, infernis tenebrionibus circũstat; quod quam plurimis exemplis euadit manifestum. Sic enim S. Gregorius lib. 4. Dial. c. 11. de Sanctis ita loquitur:

B. V. morientibus vt castrorum acies Dæmonibus terribilis assistit.

Plerumque contingit iustis, vt in morte sua sanctorum præcellentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiam pertimescant; sed dũ eorũ menti æternorum Ciuium Societas ostenditur, à carnis suæ copula, sine doloris, & formidinis fatigatione soluantur.

Morientes cum à Sanctis visitantur, sine dolore ac formidine, corpore soluuntur.

Quod si alij sancti, quorum patrocinijs sese ipsorum clientuli in vita commendarunt, ex hac vita decedentibus assistunt; quid de Sancta Sanctorum omnium Sanctissima, quid de ipsa Matre dicemus misericordiæ?

Huius voces Richar. de S. Laur. ait esse illas apud Isa. *Nunquid mulier potest obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar.* Quare iure merito omnem nobis circa hanc pietatem in nos Virginis, sanctus Augustinus serm. 3. & 4. de Natiu. exemit ambiguitatem.

B. V morientibus, sibi deuotis tanquam Mater assistit.

Nec dubium est, inquiens, *quia quæ meruit pro liberandis offerre precium, possit plus omnibus impendere suffragium, & sicut apud DEVM est potior; ita, & omnibus sanctis sit solicitior.* Hinc S. Vincentius Ferrerius serm. de Assumpt. *ait Virginem animas morientium suscipere.* S. Hieron. Epist. ad Eustoch. *eandem morientibus non tantum succurrere, sed etiam occurrere asseuerauit.*

B. V. morientibus non solum succurrit, sed occurrit.

Quod si in tremendo illo mortis articulo, in quo de summa rerum agitur Virgo fidelibus suis clientulis non modo succurrit, sed vltro quasi Mater honorificata dilecto filio obuiat, atque occurrit, quomodo mors hæc terribilium terribilissima, quomodo Tartareę laruę ad tantæ Heroinæ, tamque potentis Reginæ, & quidem misericordissimæ, præsentiam, nobis tunc erunt pertimescendæ? Sanctus Bonau. cap. 5. spec. terrorem hunc quem Virgo dæmonibus incutere consueuit, mirificè expressit, cum eam mari rubro terrerrimos illos Aegyptios demergenti comparauit: *Considera*, inquiens, *quod Maria est mare amarum Diabolo, & Angelis eius per ipsam oppressis, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Aegyptijs in ipso submersis. O quam amarum, & timendum est hoc mare Aegyptijs! O quam amara, & timenda est hæc Maria Dęmonibus! Vnde B. Bern. Non sic timent hostes visibiles, quamuis castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, Patrocinium, & exemplum. Fluunt pereunt sicut cera à facie ignis, vbicunque inueniunt crebram huius Nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem.* Sic P. Seraphicus.

Maria est velut Mare rubrum Aegyptios i Cacodęmones obruens.

Cacodæmones horrent Nomen B. V.

Quare ipsius fretus auxilio, validissimaque contra Tartareos hostes protectione, confidenter illi Psal. 67. concinebat:

Exsurgat Maria, & dissipentur inimici eius, conterantur omnes sub pedibus eius.

Impetum inimicorum nostrorum dissipa, destrue omnem iniquitatem eorum. Ad te Domina clamaui in tribulatione, & serenasti conscientiam meam. Non deficiet laus tua de ore nostro, & amor tuus de visceribus nostris.

S. Bonauenturæ in B. Virginem fiducia.

Pax multa diligentibus te Domina, anima eorum non videbit mortem in æternum.

Mortem videlicet ipsius animæ, quæ fit per lethale peccatum, & separationem à Deo, qui vita est ipsius animæ vt docet S. Augustinus libr. 13. de Ciu. Dei c. 2. Quamuis, inquiens, humana anima veraciter immortalis perhibeatur, habet tamen quandam etiam ipsa mortem suam. Mors igitur animæ fit, cum eam, deserit DEVS, sicut corporis, cum id deserit anima.

95. Solet itaq; Virgo Deipara sibi dilectos ac deuotos cultores, ab huiusmodi spirituali morte pręseruare, eisq; in tẽtationibus benigne assistere, gratiãq; efficacem ad resistendũ impetrare, vt Tartarei Hostis triũphatores euadãt, seseque in via virtutis, Diuinique obsequij conferuent. Et licet id præstare omnibus suis fidelibus clientulis consueuerit, consueuit tamen illis vel maxime, qui statum Religionis perfectionisque complexi sunt, vt tanto ei purius in omni Sanctitate deseruire valeant. Expertus est assistentiam hanc auxiliumque præsentissimum misericordissimæ Matris quidam Nouitius Ordinis Seraphici, de quo Chronic. Minorum Par. 2. libr. 4. cap. 14.

Nouitius B. V. cultor à tentatione in constantiæ liberatur per illam.

Hic cum admodum erga gloriosam Virginem esset deuotus, exquirebat stu-

studiosè, quanam ratione dignè illi plures orationes recitare, variaq; obsequia deferre, ac præsertim ea, quæ illum ad maiorem erga ipsam venerationem; eiusque deuotionem, atque amorem possent attrahere. Dum hic pius Iuuenis in hoc suo proposito perseuerat, grauissimis Cacodęmonis tētationibus atq; insidijs appetitus est. Varia illi in primis circa Religionem Catholicam dubia suggerebat, quibus nimium quā-tum animus eius fluctuans angebatur. Proponebat sæcularis vitæ commoda, carnis delicias, opum copiam, honorum fucos, fumosque, & religiosæ vitæ asperitatem plurimum exaggerebat, ita vt miser Nouitius tot Satanæ suggestionibus circumuentus, redire in Aegyptum ad eius ollas, allia, cepasque semel relictas, proculcata pietate meditaretur. Inter has tamen vexationes, ancipitesque deliberationes recurrebat identidem ad misericordiæ Matrem; summo cum affectu eam obsecrando, vt eius, tamquam Illuminatrix irradiaret intellectum, eumque dirigeret ad id amplectendum quod illi foret gratissimum, & ad ipsius obsequium, vel maximè esset expedientissimum.

Nouitius prius quam ex Monasterio fugiat B. Virgini valedicit, vnde ab ea in Vocatione confirmatur.

Cum porro continuaret adhuc tentatio, eo deuenit vt secum decerneret nocte dormientibus Fratribus, è Monasterio profugere; id interim apud se statuens, quod prius à Domina sua clementissima facultatem discedendi velit postulare. Concubia igitur nocte Templum ingreditur, ante Iconem Diuæ Virginis supplex prostratus ita eam alloquitur: *O' misericordiæ Mater nosti me ad Religionem hanc venisse, vt tibi maiori cum humilitate deseruirem: sed vt video tu me dereliquisse videris, vt ad Infernum damnatus detrudar. Vnde miser ego, à te in Domina mea discedo, tanquam derelictus, ac infortunatus.* Dum coram Icone Virginis vberrimis perfusus lacrymis abituriens ille consistit Ecce tibi in tanta afflictione suo clientulo Virgo pientissima, atque pulcherrima paruulum IESVM vultu lætissimo arridentem vlnis gestando ante Altare sese visendam exhibuit; quę ad Nouitium afflictissimum conuersa, mira benignitate ita illum affari dedignata non est: *Ne crede Fili te à me derelictum esse. Ideo tentari te permisi, vt fidem tuam experirer. Perseuera igitur, crede firmiter Christianam fidem esse verissimam, & verè fideles ac obedientes Ecclesiæ filios saluos esse eadem mediante fide. Vtque perfectè credas hæc vera esse, quæ iam tibi à me dicta sunt: in signum, & certitudine veritatis accipe sigillum hoc.* Quibus dictis Virgo in cælos abijt; moxque Nouitius ad se rediens clausam se habere manum admiratus est, quam ad lampadem altaris aperiens reperit in ea miræ pulchritudinis sigillum, quo clementissima ipsa Domina erat ad viuum expręssa. Quo cælesti accepto pignore, cordisque dulcissimo signaculo, omni propulsata tentatione, mirè exhilaratus est, sanctèque totius vitæ decursu in Religione perseuerauit.

B V. sui effigiem expressam illi dat, & ab omni tentatione liberat.

96. Simili pene inconstantiæ tentatione in Ordine Prædicatorum pulsatus fuit in Gandauensi Monasterio Nouitius Balduinus de Axella, vt refert Choquetius libr. de viss. B. V. cap. 21. qui cum in sæculo Parochi officio, pluribus annis, magna proximorum ædificatione, multa bona opera patrando, largiendo pauperibus eleemosynas, curæ animarum se totum diligenter impendendo vixisset, & postmodum animū ad Prędicatorum Ordinem applicuisset, in eoque grauibus tentationibus esset appetitus, de Ordine deserendo cogitare cæpit, ea potissimum de causa, quod sibi vitam otiosam, respectu illius in sęculo in cura animarum transactę, ducere videretur.

Parochus Balduinus grauiter tentatur, quod Religionum amplexus putaret se viuere otiosè.

Itaque antequam ex Monasterio pedem efferret, pro ea qua erga Dei Matrem veneratione, amoreque ferebatur, ad ipsius Aram Rosario sacram affectu pio simul atque vrbano, velut supremum valedicturus sese in preces prosternit. Precanti suauis lenisque somnus obrepsit, in quo Virgo duabus Virginibus Scyphos in manibus gestantibus stipata apparuit, quorum alterum cælitum Regina illi hauriendum obtulit: Balduine, inquiens, satis hactenus laborasti, bibe modo.

B. V. Balduino duos Scyphos propinat.

Quam potionem cum ille primoribus labris degustasset, & vultum corrugasset, quæsiuit Virgo quid ita horreret? Respondit Balduinus, potum insipidum fæcibus permixtum esse.

Tum illa alterum Scyphum capit, inquiens; etiam hunc degusta. Quod vt fecit, fassus est quærenti Deiparæ. *Vinum prorsus optimum, dulcissimum, & defæcatum se bibisse.* Ad quem mox illa: *Sicut*, inquit, *inter has potiones maxima est distantia; sic maior est disparitas inter vitam bonam,*

Differentia inter vitam sęcularem, & Religiosam.

bonam, quam ducebas in sæculo, & quam inchoasti modo. Nequaquam igitur abijcias animum, sed persta, ego enim tibi præbebo auxilium. Quibus verbis in Diuino obsequio corroboratus, in sua vocatione constans, maxima cum Sanctitatis opinione perstitit, vereque expertus est Dominam suam Sanctissimam, esse veram viuentium Matrem, eum ab animæ interitu, in quem Religionem deserendo facile corruisset, præseruantem, & ad fælicitatem æuiternam, viam facillimam præparantem. Plura qui huiusmodi Virgineæ benignitatis volet exēpla eundem P. Choquetium consultat. Ex quibus omnibus manifestum euadit, quanam ratione Deipara Dominationes, in reducendis ad suum principium animabus, plurimis parasangis superauerit.

97. Quare iure S. Antoninus illam supra Dominationum Chorum euectam asserit. Quibus inuitantibus Virginem, vt in ipsorum Ordine, tanquam omnium Dominatrix sisteret, quo tantarum eius virtutum splendore magis enitescerent, eandem respondisse autumat: *Scriptum est de me: Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & ideo vt scriptura hæc impleatur, oportet super omnes vos eleuari, sicut Cedrus super omnes Arbores eleuatur.*

Dominationes Angelicæ eximiam B.V. virtutem admiratæ, eam ad suum chorū inuitarunt, vt de ipsius gloriæ luce participarent.

98. Cum igitur in Virgine beatissima omnium Angelicarum Dominationum proprietates, ac perfectiones, longè eminentiori ratione, absque vlla comparatione contineantur, quā in ipsis, iure merito illi subdi potius, quā vlli post DEVM dominanti creaturæ nos oportet, eique fidelissimis obsequijs famulari. Domini enim mundi huius, licet longèque latè Dominia sua proferant, semper tamen suorum subditorum ope indigent, quod in Deiparam, vti supra memorauimus minimè cadit, quæ ipsius summi Boni anima, omne liberali sua manu, ac benedictione implentis Mater extitit.

Hinc Rutilius Benzonus Episc. Lauretanus libr. 3. in Magn. cap. 34. Dub. 23. *Habuit Deipara*, inquit, *ordinatam voluntatem in dominando, quia non accidentaliter Domina erat, sed ex Natura, Angelis, & hominibus dominabatur, quoniam Mater erat Dei. Hinc fit vt alij Domino, vel Dominæ quibus seruitur à creatura, sic seruiatur, vt, & ipsi interuiant Creaturæ. Subditi enim Dominis, & Domini subditis suo modo inseruiunt. At Deiparæ sic seruiunt omnes creaturæ, vt ipsa non teneatur, nisi soli Deo seruire, cui seruire est regnare. Porro Domini ita inferioribus dominātur, vt ab alijs aliquid accipiant, & bonorū subditorum aliquo modo egeant. At Deipara nullius creaturæ indigentiam habet, nisi solius De*. Hæc Benzonius, quę si rectè à nobis expendantur, tanquā ardētissimis ad præcordia admotis facibus nos ad seruiendū tantæ Dominę, ipsius supremi Dominatoris, ac Domini Dominantiū Matri, inflāment necesse est.

B. Virgo non accidentaliter Domina sed ex natura fuit, vt pote Mater supremi dominatoris omnibus dominantis.

99. Et vero quis adeo vecors, adeo amens sit, qui eius seruitium ac venerationem vel solo hoc titulo nobilissimo, quod summi Dei Mater est, non excitetur? Qui enim Diuinæ huic Matri seruit, ipsi Deo seruire videtur, cum seruitium Matris ob naturæ vnionem redundet in Filium, vti pluribus supra comprobatum est. Vnde Religiosissimus Pelbartus lib. 12. stellarij lib. 12. Part. 1. inter duodecim causas, ob quas induci possumus ad deuotè seruiendum Deiparæ, tertiam vocat *Diuinæ redundationis. Quia quidquid, reuerentiæ Matri exhibetur*, inquit ille, *redundat in Filium, & è conuerso, quia propter Christum DEVM natum ex Virgine, ipse, venerationis cultus fit Virgini, & in Virgine Matre Christus honoratur.*

Hoc titulo vel maxime quod Dei Mater est ad seruiendum B V excitare nos debemus.

Vnde Eccli. 4. Qui seruiunt ei, id est Matri Dei, obsequentes erunt Sancto, id est Christo, qui Sanctus Sanctorum est. Propterea B. Ildephonsus ait. Vt fiam seruus deuotus Filij generati, id est Christi, fideliter appeto fieri seruus suæ Genitricis; & vt comprober seruire Domino, in testimonium quæro super me dominium Matris eius. Sic enim redundat in Filium, quod impenditur Matri, sic, & transit honor in Regem, qui defertur in famulatum Reginæ.

Duodecim causæ ob Seruire tenemur B. Virgini sunt quasi 12. Stellæ in Corona ipsius.

Vide reliquas rationes, quas affert, vt nos ad piè religioseq; Deiparę famulādum exstimulet; quas ille causas ait, totidem esse Stellas, in diademate mulieris illius Apocalypticæ, quibus hæc mundi totius Regina tam in cęlis quam terris coronatur. Quas vbi exposuisset ita conclusit: *O anima fidelis serui Mariæ, ipsam lauda, ipsam quotidie benedic, & adora, vt consequaris omnia in præsenti, & in futuro.*

100. Quod sane tanto libentius facere tenemur, quanto illa maior est Domina toti Vniuerso, ex Natura sua, ob Diuinæ Maternitatis dignitatem, vti diximusq; dominans, nulli, creaturæ subiecta esse comprobatur; quæ tamen ob pientissimam illam sibi innatam indolem nobis tantâ cum benignitate, & chari-

B.V. Virgo ita est Domina, vt nulli creaturæ subdita sit. & tamē ex charitate ipsa quoque nobis deseruit.

charitate licet non teneretur, omnibus suis membris, vti supra meminimus deseruiuit. Et in hodiernum vsque diem suis apud Filium intercessionibus fideliter deseruit. Cui proinde, ne in ingrati animi vitium incurramus, vicem rependere conuenit, & eadem quoad fieri potest ratione ipsi omnibus membris, totis animæ facultatibus, tanquam eminentissimæ super omnes Angelicas Dominationes Dominatrici totius Vniuersi medullitus deseruire.

Quam vicem sibi rependi, ipsa, teste Pelbarto, postulare videtur, dum per Zachariam cap. 9. ita nos compellat: *Si bonum videtur in oculis vestris afferte mihi mercedem meam; Si non, quiescite, vt videlicet saltem malum per bono, & odium pro dilectione non rependatis, offendendo.*

Omnia membra nostra honori, & seruituti Virginis consecranda.

Vnde idem ita concludit: *Debemus ergo charissimi pro mercede seruitutis B. Virginis rependere seruitutem, vt scilicet singula nostra membra à peccato coercendo offeramus in eius honorem; & quidem in primis caput, illud ad adorandum inclinando; oculos ad deuotas lacrymas, in ipsius deprecatione effundendo. Auditū ad gratāter eius laudes ac de illa prędicationes audiendū, Bernardum imitando qui dicebat: Nil ita me delectat, sicut de Maria audire sermonem. Offeramus os, & guttur in eius Festiuitatum per vigilijs ac Sabbatis ieiunando. Linguam, laudando; pectus eam syncerè amando; manus, eas ad pauperes liberaliter extendendo, & quidquid ad eius cultum pertinet, operando, vt eius Imagines ornando, luminaria concinando, & his similia. Pedes denique illi offeramus, Ecclesias eius honori dicatas visitando. Nam reuera, vt ait Ecclisiasticus c.6. Exiguum in opere eius laborabis, & cito edes de generationibus illius. Q. D. modicus labor respectu fructuum, qui ex eius seruitutę proueniunt. Debemus tandem charissimi deuotè quotidie singula Mariæ membra, quibus Christo pro nobis deseruiuit benedicere, singula singulis Angelicis Salutationibus coram eius Imagine genuflexi venerando, & ad quamlibet salutationem piè dicendo: O gloriosa Virgo Dei Matera adoro, & benedico te, & omnia tua Sanctissima membra, quibus pro nostra salute Domino I E S V Christo deseruijsti.*

S. Bernardum nil ita delectabat, quam de Maria audire sermonem.

De qua Virgini gratissima deuotione plura vide supeius ex Richardo à S. Laurent. Quod obsequium tam acceptum Virgini, quo ei gratius, nobisque vtilius accidat, curandum omnino vt eo pietatis affectu, quo Filius in Matrē ferri consueuit, persoluatur, quo eam, ad opes cælestes de Thesauris diuinitatis depromptas nobis larga manu communicandas prouocemus. Quod nobis insinuare visus est Spiritus S. Eccl. 3. cum dixit: *Sicut, qui thesaurizat, ita & qui honorificat Matrem suam.* Quod si honorem iuxta præceptum Domini deferre, parentibus, qui vitam hanc mortalem nobis tribuerunt est thesauros congerere ac locupletari, quibus tandem DEVS immortalis, cæli diuitijs, ac bono redundabit is, qui hanc vniuersorum Dominationum, supremi Cælorum Regis Thesaurariam honorabit, eius sua fidelissima seruitia, atque obsequia velut genuinus Matri filius deferet.

Honorare Mariam est Thesaurizare.

101. Quare ter felix, ac beatus ille omnino censendus est, qui ad seruiendum tantæ, tamque excelsę Dominæ, vniuersorum Dominatoris Sanctissimæ Parenti, vocatur; quo in munero primi peculiari quadā ratione merito censendi sunt, deuotissimi illi Septemuiri quos ego Vrbis Florentiæ septem illas stellas, quas in manu Christi contemplatus est Apostolus Apoc. 1. merito fuisse dixerim, qui ex sodalicio illo antiquissimo Florentiæ Optimatum, quod à decantandis Mariæ laudibus Laudantium appellabatur, diuinitus ipsius Virginis voce suauissima septem radiorum concomitāte fulgore, ad eius seruitium, vt illorum Annales ad Annum 1233. referunt, incitati sunt: quos quantis cæli opibus, ac thesauris, simul, & vniuersum sacrum illum Ordinem effusissima sua munificentia locupletauerit, & felicissimus illorum ex hac vita exitus, & vniuersæ huius Religionis, in Italia præsertim luculentus splendor ostendit. Atque vt declararet horum septemvirum gratissimum hoc sibi fore seruitium, ex ore Infantium, ac lactentium congeminatis vocibus sibi laudem perficiens, eos exclamare fecit: *Ecce serui B.V.M. Ecce serui B. M.V.* Quod etiam antiquissimus scriptor eiusdem Ordinis Thadeus Adamarius hisce verbis contestatus est: *Vbi septemuiri charitatis fœdere sese vnierunt, mirabile est, atque ineffabile dictu, statim ab vniuersis vno, consonoque ore: Serui B.M.V. denominati sunt. Quod Nomen non humanitus, sed Diuinitus ab ipsa Virgine Dei Matre Maria infantium linguis promulgatum putamus.*

Primi septem uiri B.V. serui stellę sunt in manu Christi.

Iustum enim videbatur, vt sicut Virgo M. nemini, nisi sibi Ordinis fundationem attribuit, sic etiam sibi eiusdem Nominis impositionem vindicaret.

B.V. serui infantium linguis ita nominati.

102. At-

Seruitæ vt se gratos B.V. ob talē nuncupationem exhiberent Officiū eius recitandum quotidie promiserunt.

102. Atque vt gratos se pro tam nobili ac magnifica appellatione tantæ Dominæ exhiberent Ann. 1234. cōmuni consensu quotidianum suę seruitutis, obsequijque pēsum eius officium recitandum in dies singulos susceperunt, vti Annalium Auctor Centuria 1. cap. 7. meminit: *Postquam septemviri*, inquiens *in Aula Reginæ Cæli sub nouo illo seruorum titulo sese adscriptos agnouerunt, nullo alio in posterum Nomine vocari instituerunt; Sanctæ Patronæ, & Matri gratias agentes, quod eos sibi peculiares seruos deligere dignata fuisset. In cuius Agnominis monimentum, gratitudinemque erga Deiparā perpetuo declarandam decernunt quotidie in oratorio coram eiusdem Imagine, quam sibi ob oculos semper præsentem habere statuerunt, parui eius Officij Horas Canonicas persoluere, & nullo vnquam tempore dimittere. Nec non qualibet die Sabbati sero septem eius gaudia decantare.* Sic ille.

Parthenijs Sodalibus B. V. Officium recitandum.

103. Quorum exemplum merito nobis omnibus, ac ijs præsertim, qui in Sodalicijs Parthenijs eius sese seruitio manciparunt tam in penso hoc, quā in alijs erga ipsam pietatis officijs persoluēdis, imitandū est, ob eximios fructus, quos in recitantium animis Virgo velut Arbor vitæ Paradisiaca ac pulcherrima producere consueuit. Fructus hos ac præsertim tranquillitatis animi, pusillanimitatis, & tentationum propulsationem, atque in Diuina vocatione stabilimentum degustasse visus est in primis Sacer Carthusiensium Ordo in primis suis incunabulis. Vnde sibi legem vnanimi consensu, pensum hoc primi illi Patres Deiparæ persoluendi, indixerunt. Rem gestam Pater noster Hieronymus Platus tractans de cura, & patrocinio Deiparæ erga omnes Religiosorum Ordines, narrat his verbis lib. 1. de bono status Relig. cap. 33.

Carthusiani Patres diuino monito ad Officium B.V. recitandum excitātur.

De Carthusiensi familiæ antiqua, & nobili hoc memoriæ traditum est, cum adhuc recens, & tenera esset in Gratianopolitana Diœcesi vbi nata est, & multa vt fit instigante Dæmone aduersus illud institutum vbique iactarentur, absente præsertim Brunone Fundatore, quem Vrbani II. Imperium Romæ tenebat, pusillum illum gregem magna tempestate iactatum esse. Itaque cum ex vna parte vitæ austeritas, loci horror, & vastitas, ipsamet insuper paucitas molesta, & odiosa; ex altera interior Dei Spiritus, Stellæ Duces, Iuris illius Consulti Parisiensis tam dirus exitus, alternantes in eorum animis cogitationes efficerent, constitisse inter eos virum quendam senio venerabilem caluo capite, capillo crispo, qui omnipotentis Dei nomine polliceretur, Sacratissimam Dei Matrem ipsos in loco illo deserto semper conseruaturam, eisque aduocatam, & custodem futuram, si in eius honorem horarias preces quotidie persoluerent. Quibus dictis, cum euanuisset, remansit tamen in omnium mentibus noua lux quædam spei, gaudijque ingentis: nihilque addubitantes, quin Senex ille esset Apostolus Petrus, statim communi consensu illam Dei, & fidelium omnium Parentem sibi Patronam delegerunt; quæ quidem quam fideliter promissa præstiterit, etiam nullo monente res ipsa declarat.

S. Petrus monet vt Horarias preces B.V. recitent.

Nam ab eo tempore ita semper solitudinem illam tenuerunt, vt etiam magnopere illustrarint, ipsique, & numero, & nomine magnopere aucti sint.

Monasteriū varijs calamitatibus afflictum ob neglectum B.V. officiū, ad pristinam pacem, eo dicto reuocatur.

104. Eamdem pacem, ac tranquillitatem Officio B. Virginis redditam Gamugēsi Monasterio à quo illud fuerat intermissum recenset Petrus Cardin. Damianus libr. 6. Epist. 32. vbi sic loquitur; *Mox itaque vt fatear ita post coruscationes, & tonitrua tandem cæli Serenitas rediit, vt huc vsque hodie Fratres iucundæ pacis otio perfruantur, & de Scyllea voragine se delatos in portum gubernante Filio Virginis, gratulentur. Impletum est ergo quod per Prophetam dicitur: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos.* Hæc Petrus. Qui vt inquit Baron. To. 11. ad An. 1056. sicut Auctor fuit, vt in hoc Monasterio suo Officium Dei Genitricis dicendum assumeretur; *ita ex eodem fonte manasse cognoscitur, vt illud ipsum toto Christiano Orbe Occidentalis Ecclesiæ non à Monachis tantum, & Clericis, sed etiam à Laicis viris, atque mulieribus quotidianis pensis persoluatur.* Quod postea Vrbanus II. Pont. Max. cum terra Sancta à Saracenis esset occupata in Concilio Claromontano post feriam habitam ad Patres de bello infidelibus inferendo exhortationem, toti Ecclesiæ recitandum indixit vt idem refert Baron. ad An. 1095. vbi ita loquitur:

Toto Christiano orbe B V officium receptum.

Vrbanus II. Pont. Offiiū B V. Ecclesiæ recitandum indicit.

Vt autem res difficillima inchoanda, hactenus in Ecclesia Catholica intentata, optatum consequi posset effectum, placuit Vrbano Pontifici Dei Genitricis precibus annitendum, vt conciliaret sibi cæleste Numen; quod probè sciret experimento quæque ardua progressura fæliciter, quibus B. M. Virginis faueret gratia, & aspiraret auxilium. Ad quod promerendum idem Christi Vicarius eodem Claromontano Concilio, rogatā sentētia Patrū, egit, vt Horariæ illæ preces, & laudes, quæ vulgo Dei Genitricis appellari consueuerunt, Officium apud

Monachos Eremitas institutionis Petri Damiani, vt superius vidimus, frequentari cæpta, ex illis deduceventur ad Clericos, à quibus dignè ex animo eidem Sanctæ Virgini persolui deberet, vt ipsa apud Filium precibus ageret, quo fidelis populus in tot, & tantis discriminibus subeundis eius fulciretur auxilio, atque præsidio muniretur. Quod quidem tunc à S. Synodo, Vrbano agente, ea occasione indictum, & à Clericis piè susceptum, ad Laicos quoque fuit tam viros, quam mulieres propagatum, & quidem cum magno fænore gratiarum, vt experti sunt omnes, iugiterque experiuntur Fideles, illud ex animo frequentantes. Sic Baronius, qui etiam hoc anno ait Carthusiense diuinitus ad monitos, idem illud Officium Virginis recitandum suscepisse, vti paulo ante meminimus.

105. Idem Cardinalis Petrus Damiani alium Officij Virginei fructum; nempe in mortis articulo de æterna salute consequenda firmam fiduciam commemorat Opusc. 10. cap. 10. Scribit enim fuisse Clericum quendam multis peccatis obnoxium, ac præsertim luxuriæ sordibus commaculatum, qui cum ad extremam vitæ periodum peruenisset, tantorum scelerum conscientia, Diuinique iudicij horrore tremefactus, *cum spem in se nullius boni operis inueniret, totum se protinus ad postulandū B. M. semper Virginis auxilium contulit, & ad eius patrocinium in tam importuna cordis anxietate confugit, huiusmodi fere verbis apud illam insistens. Non ignoro ò Beata Regina Mundi, quia te in multis offendi, & castitatis, ac Virginitatis cuius tu Mater es, ego in meo corpore signaculum violaui; innumeris etiam peccatorum sordibus inuolutus sum, nec dignus inuenior te totius munditiæ Principem pollutis labijs inuocare. Verumtamen o Ianua cæli, fenestra Paradisi, vera Mater Dei, & hominis, tu mihi testis es, quia septies in die laudem dixi tibi, & quamuis peccator, quamuis indignus. Omnibus tamen Canonicis Horis tuæ laudis obsequium non fraudaui. Cumque huiusmodi verba Clericus protulisset, decumbenti piissima Dei Genitrix adstitit, & blande consolata, peccata sibi dimissa ex diuinæ misericordiæ largitate nunciauit.* Quibus mox hæc Auctor hic fide dignissimus attexuit:

B. V. recitantibus officiū in morte assistit, & desperabundos erigit.

Quod tamen nos trepidando proferimus, quia vtrum iuxta relationis fidem verè contigerit, ignoramus. Hoc tamen procul dubio nouimus, quia quisquis quotidiana prædictis Horis Officia in eius laudibus frequentare studuerit, Adiutricem sibimet, ac patrocinaturam ipsius Iudicis Matrem in die necessitatis acquirit. Quibus sane verbis nobis clarè ostendit, quanta eius lucubrationibus ac recensitis historijs fides sit habenda, cum tanta cum cautela, ac religione hæc memorantem legimus.

Atque vt declaret quod tandem emolumētum ex hoc Seruitio in honorē tātæ Dominæ exhibito, sit aliquis in fine vitæ percepturus, lectorem ita hortatur: *Prædictam Horarum Obedientiam Deo iugiter exhibe, in reliquis etiam te Sanctæ conuersationis studijs vigilanter exerce, quatenus si nunc subleui iugo eius tanquam seruus ceruicem cordis attriueris, inter filios postmodum hæreditatis supernæ funiculum cum gloria sortiaris.*

Damianus hortatur nos ad Horas B. V. recitandas.

106. Tanti porro sunt huius Sacri Virgineique Officij fructus atque vtilitates, vt ipse Saluator Filius Virginis in Regula sua data S. Brigittæ mandauerit has preces Horarias Sanctissimæ Matris præmittendas Officio Canonico, vt habetur in Reuelat. Extrau. c. 3. cuius etiam rei varias causas reddit ipse Saluator his verbis: *Et hoc ego ideo ipse constituo, qui dictaui Regulam, vt sciatur etiam à Paganis, quanto honore DEVS vult honorare Matrem suam. Et quia ipsa Caput, & Domina huius Monasterij est, per quam propitiari volo delinquentibus; nec non vt impleatur scriptura quæ dicit: Laudabo DEVM in omni tempore, & in omni vita. Atque placitum est mihi vt in Ecclesiis primum legantur Horæ de Virgine Matre mea; deinde psallantur Horæ diei secundum tempora constituta.*

Christus in Regula sua data S. Brigittæ instituit, vt B. V. Officium recitaretur.

Idem Saluator vt habet lib. 8. Reuelat. cap. 2. cum intellexisset quendam Regem Sueciæ consuluisse Sanctam Brigittam humiliter, quanam ratione in suo regimine iustè, ac prudenter sibi viuendum esset, ipse benignissimus Dominus diuina sua reuelatione secretè pientissimam hanc Viduā instruxit, eique decem monita Regi communicanda tradidit, quorum aliqua hic ad Confusionem Politicorum nostri huius miserabilis sæculi, qui à Regum Aulis pietatem nimiam, vt illi stolidè blaterant, arcendam esse autumant, referre libet. Inter quæ monita quarto loco ponit Officium B. V. quotidie recitandum, nisi Iudicia, aliaue ardua negotia interueniant: Quartum inquit Saluator, *Monitum est, vt ipse Rex legat Horas B. V. Matris meæ; audiat, & duas Missas priuatas, vel vnam cantatam omni die.*

Christus cuidam Regi Sueciæ præscribit recitationem Officii B. V.

Recordetur quoque omni die quinque vicibus, de quinque vulneribus meis, quæ pro illo in

Cruce

Vult vt quotidie, 5. Vulnerum Christi Rex recordetur.

Cruce sustinui. Quintum est, vt ieiunet vigilias Sanctorum, & Matris meæ, quæ ab Ecclesia Sancta constitutæ sunt, sextam vero feriam ieiunet in piscibus, & Sabbatum si voluerit in lacticinijs. Sextum monitum, vt quemlibet decimum denarium, qui fisco Regio debetur, tribuat in eleemosynam pauperibus. Septimum est, vt omni feria sexta colligat 13. pauperes, & eorum pedes lauet, tribuatq; eis victum ac pecuniam manu sua. Eadem die exoccupet se totum, & audiat querimonias subditorum, & tunc etiam inquirat de fidelitate, & Regimine Præpositorum, & Iudicum Regni, & Vassallorum; & de exactoribus seu collectoribus tributorum, & redditu um Regalium. Sic ipse Christus.

Singulis feriis sextis lauandi pedes 13. pauperibus.

107. Ipsa denique pientissimi Saluatoris Mater ac Domina nostra clementissima vtilitatem sui officij apud eamdem S. Brigitta lib. 6. Reuelat. cap. 10. nobis luculenter exposuit, cum animam cuiusdam sui clientuli, ex ignis Purgatorij pœnis volens eripere, inter reliqua illius animæ merita, recitationem sui Officij coram supremo Iudice ita commemorauit: *Benedictus sis tu dulcissime Fili mi qui nihil facis sine iustitia. Tu dixisti prius Fili mi quod amici tui possent animæ isti succurrere; & tu bene scis quod anima hæc tripliciter seruiuit mihi.*

Quidam è Purgatorio liberatur, quia Officiũ B.V. recitauit.

Primo per abstinentiam, ieiunando scilicet in vigilijs mearum festiuitatum pro nomine meo. 2. quia legebat Horas meas. 3. quia cantabat etiam ore proprio pro honore meo. Ergo Fili mi quia amicos tuos clamantes in terra audis, rogo te etiam, vt digneris audire me. Qua intercedente pro illa anima, mox liberata est. Quicumque ergo Purgatorij ergastuli euadere desiderat cruciatus, pie ac deuote attenteque preces illas Horarias in laudem Virginis reciter.

108. Hos sine dubio aliosque vberrimos Sacer Ordo Prædicatorum sperans ex hoc Officio se percepturum fructus, à prima sui Institutione, id amplexus est, ita, vt vbi primum illi Dei Serui euigilabant, alternantibus choris illud recitarent; quo scilicet à Sanctissimæ Mariæ laude, vt inquit Choquetius, in Viscer. Mar. c. 25. atque inuocatione, nostra toto die opera ordiamur, ac primo omnium discusso somno, ipsam quæ pro nobis peruigilat, adestque semper, Matrem continuè salutemus, ac tandem in eius laudibus nos ipsi committentes, inter ipsius amplexus quiescamus. Quod Officium quam gratum extiterit Deiparam non vno comprobauit argumento.

Ordo Prædicatorum obligatus B.V. Officium recitare.

In primis enim cum Patres Officium ab illo communi inuitatorio; *Aue Maria gratia plena Dominus tecum, &c.* ordirentur, ipsis se visendam exhibens per benignè, ita eos allocuta fuisse memoratur: *Non sic Fratres mei, non sic; sed: Regem Virginis Filium venite adoremus.* Quo dicto didicere Religiosi illi, Virgine illuminante, Marianæ suæ adoptionis meminisse, eiusque iucunda recordatione ad Dei, Mariæque amorem magis accendi, dum ad primogenitum suum fratrem IESVM, ex eadem Virgine Matre in luce editur, suauissimo illo Inuitatorio adorandum sese mutuo hortantur. Aliud complacentiæ singularis in hoc Sacro Officio eadem Virgo ostendit indicium. Cum enim aliquando Patres pensum hoc magno pietatis affectu illi persoluerent, ipsa Deipara comitantibus duabus Virginibus, psallentibus adstare, eosque ad id quod agerent, alacriter, constanterque agendum hortari; consuetâ sibi benignitate atque facilitate, non est dedignata: *Fortiter fortiter*, inquiens, *viri fortes*.

B.V. recitantibus suum Officium adstat.

B.V. docet Prædicatores aliud in suo Officio inuitatorium.

Denique cum quidam eiusdem Ordinis Nouitius magno deuotionis sensu officium hoc lectitaret ipsa Deipara, cuius etiam cum simplicibus est sermocinatio, vt gratissimum illud obsequij genus sibi esse ostenderet, illi adfuisse, cumque eo preces illas recitasse memoratur. Cuius ex consortio tam mirifico in illam, eoque castissimo amore exarsit, tantis cæli delicijs gaudijsque delibutus, tantisque studijs ad eam colendam incitatus est, vt nullis verbis hæc valuerit enarrare. Idem officium sibi nimium quantum gratum esse rursus Virgo nostra alia vice declarauit, cum S. Franciscâ vidua Romana illud, magna cum pietate, vti solebat, sub dio in maxima pluuia recitante, comitibus omnibus madefactis, ipsâ in oratione perseuerante, sola madefacta non est. Asseruatur in hodiernum vsque diem liber hic benedictus, cuius virtute plurima hactenus miracula perpetrata sũt. Ita in Bulla eius Canoniz. Pauli V.

B.V. Nouitio recitanti suũ Officium adstat.

S. Francisca recitans Officium B.V. non madefit in pluuia.

109. Porro hic obseruandum vt acceptæ Virgini hæ preces fiant, non tepide, & oscitanter, sed magna cum attentione, & quoad fieri potest actuali, pioque in eamdem affectu recitãdas esse, si huiusmodi cæli cupedijs cupimus

mus recreari. Rem memorabilem ad hoc propositum narrat Gerardus Lemouicensis Par.4. cap.3.§. Contra negligentiam Diui Officij. *Fuit in Anglia Frater David valde Religiosus vir, & deuotus, qui in infirmitate qua obijt raptus ad iudiciũ, audiuit B.V conquerentem de his, qui suum officium negligenter, cursim, & irreuerenter dicebant. Cui Filius respondebat: Mittemus hunc ad Fratres suos, vt præmoneat eos, ne & ipsi similia committant. Rediens igitur ab ecstasi infirmus ille, seque in lecto erigens, quod audierat nunciauit, Fratres deprecando, vt Reginæ Mariæ Horas maiori cum deuotione dicerent; quibus dictis excessit*. Idem Gerardus aliud huic non dissimile recenset exemplum: *In eadem Angliæ Prouincia cũ Frater Richardus iam exanimis iaceret, exclamauit: Heu heu vobis qui Diuinum Officium negligenter dicitis, quia conqueruntur animæ de Purgatorio, quod ita tardè ac tepide soluitis, quod eis debetis, & pauca super additis. Heu B.V. con questa est Filio, me præsente de vobis, quod illud modicũ quod dicitis, illud distracto, & indeuoto corde dicitis, quod quasi pro nihilo reputatur. Ego audiui talem melodiã in cælo; qualẽ nullus ne cogitare posset in terra.*

B.V. conqueritur contra eos, qui negligenter ipsius Officium recitant.

Religiosus à mortuis excitatus eam minatur ijs, qui negligẽter B.V. officium recitãt.

Animæ Purgatorii conquesti quod officium B.V. tepidè recitetur.

110. Neque vero solum hoc Horariarum precum pensum attente, & deuote recitatũ animas à Purgatorijs illis tẽporarijs ignibus, verum etiam ab æuiternis gehennæ incendijs liberat, & ad corpus vt dignam pro peccatis agant pœniam reducit. Exemplum plane admirabile narrat in suo Officio de Concept. B.V. Bernardinus Bustius, de quodam Canonico, qui cum adulterium commisisset, & paulo post Horas Deiparæ recitans, naufragium, Dæmonum insidijs, esset passus, ac demersus, animaque à corpore separata iam iam ad Inferos raperetur, ipsius vices miserata misericordiæ Mater ex vnguibus stygiorum satellitum, ipsiusque Orci faucibus liberauit, & rursus corpori vniri ad Deo, pro perpetratis criminibus satisfaciendum, demandauit; eam potissimum allegans causam, quod in ipsius opere, nempe Diuino officio peragendo occupata, reperta fuerit.

Canonicus Officium B.V. recitans cum esset submersus ad vitam per B.V. reuocatur.

111. Ex quibus omnibus hactenus dictis colligimus Officium hoc Diuę Virginis magno cum pietatis affectu, ac Religione, ipsius supremũ post Christum Dominiũ super nos recognoscendo, velut Tributum tantæ Dominæ, ac Reginę nobis persoluendum esse, agnoscentes nos eius esse seruos, ac mancipia, ipsius Dominio subiecta. Quapropter consultissimum est sese ritu illo antiquissimo adhuc tempore B. Petri Damiani circa Annum 1050. pijs viris, vt Marino eius fratre, & Vualtero de Birbach inuento, sese in seruum, mancipiumque oratione huiusmodi, vel simili, catenulam collo vel brachio innectendo consecrare, ac toto cordis affectu illi dicere: *O Regina cæli, Domina mundi Maria V. Ego N. ad thronum gloriæ tuæ prostratus, quo possum affectu gratulor isti coronæ, sceptroque Maiestatis tuæ, vellemque tibi vt creaturæ omnes obsequium debitæ seruitutis offerrent. Quare coram omni curia cælesti. Ego saltem me totis hodie medullis offero non tantum in clientem, ac famulum, sed etiam in seruum, ac mancipium. Et in signum abdicatæ sponte libertatis, ac initum perpetuæ seruitutis, hæc Amoris vincula induo, & volo ac statuo cum illis viuere, in illis mori, & sepeliri Mancipium Mariæ. Rogo ergo te Domina mea, Regina mea, accipe me in Mancipium tuũ perpetuum: à vinculis peccatorum in omnem vitã me exime; in morte catenas Inferni disrũpe, ac tandem his funiculis amoris, his vinculis charitatis in cælum trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum per sæcula. Amen.*

Quo affectu officium B.V. recitandũ?

Modus se in in seruum, & Mancipium B.V. dedicandi.

112. Hac sui facta oblatione consultissimum est aliquod tantæ Dominę ac Reginæ tributum pendere quotannis quod vel ex rebus externis, quales sunt pecuniæ, &c. vel corporis: vel animi simul, & corporis bonis constet. Ad Tributum pecuniarium persoluendum incitat nos exemplo suo Marinus B. Damiani Cardinalis Frater, qui ad altare Virginis post sui oblationem spõtaneam, pecuniam aliquam sui obsequij, seruitutisque tesseram deponebat. Quod si quis pauper sit, opus aliquod misericordiæ siue corporalis, siue spiritualis pro posse suo amore Deiparæ exhibeat. tributũ ipsi gratissimum dederit. Bona etiam corporis in tributum offerri possunt, vt si quis in honorem Virginis Matris Castitatis votum Deo emittit; carnem subinde flagellis, cilicijsque atq; ieiunij ac pręsertim die Sabbati, quæ sacra Virgini peculiariter est, maceret. Bona denique corporis, & animi simul tributi nomine illi offerre possumus varias illius laudes mente attentâ, atque deuota, ore celebrando, atque deprędicando.

B.V. tributũ aliquod pecuniarium persoluendum.

Die Sabbati ieiunio flagello, & cilicio corpus macerandum in honorem B.V.

113. Inter hæc porro animi simul, & corporis tributa variorum sertorum siue

Varia secta tributi nominc B.V. offerenda. siue coronarum oblationem, gratissimam Virgini esse crediderim, hoc enim facto vere cōtestamur nos eius esse seruos ac Vassallos. Quod etiam priscos fecisse varij scriptores tradiderunt.
Hinc Vrbs Recinetensis, subditam se Diuæ Virgini Lauretanæ agnoscens ei triplicem Coronam auream similem Pontificiæ, Dominium illius in cęlo, in terra, & in Inferno confitens, sacro sancto eius vertici imposuit, quæ in hodiernum vsque diem visitur.
Hinc Bononiensis Vrbs superioribus Annis post diram illam quæ vniuersam depulata pene est Italiam, eam scitæ suā Dominam, Matremque viuētium recognoscentes, coronam, aliaque donaria solenni supplicantium pompa illi Lauretum detulere.
Inter has vero tributarias coronas grata quędam varietas reperitur, in quibus prima merito videtur numeranda illa stellata quę quotidie potentissimę huic cælorum Reginæ à quouis eius fideli seruo velut tributum pendenda esset.
Hæc 12. salutationibus Angelicis velut totidem stellis, additis ad singulos qua ternarios Orationibus Dominicis in honorem Sanctissimæ Trinitatis Personarum, Virginem in cælis coronantium contexitur. Inter harum Salutationum recitationem mente reuoluātur duodecim eius singularia priuilegia quæ recenset S. Bern. ser. de verb. Apoc. (12. Priuilegia B.V. recolenda.)
Et sunt hæc. Primum copiodissima gratia in immaculatæ Virginis conceptione. Secundum Angelica à Sanctissima Trinitate missa salutatio. Tertium Spiritus sancti superuentio, & obumbratio. Quartum Filij Dei in Virginali, purissimoque eius Vtero Conceptio.
Quintum quod fuerit Virgo sine macula, & omnium Virginum Primiceria.
Sextum sine corruptione fœcunda.
Septimum siue grauamine grauida.
Octauum sine dolore Puerpera.
Nonum Magnanimitas fidei in credēdo. Decimum Profunda Humilitas in obediendo. Vndecimum Maxima verborum discretio in loquendo.
Duodecimum summa Perfectio, & perseuerātia operis in agendo. Adhorū finem, gratissimum futurum censuerim Virginis nobisque admodum proficuū si magnam hanc maris Stellā 12 stellis coronatā dulcissimo illo Hymno Aue Maris stella veneremur. Quod pijssimū, gratissimumque melos, quam Tartareis hostibus contra omnes eorum tentationes, ac insidias sit formidabile ipsa gloriosa Virgo Deipara S. Brigittæ in Extrau. Reuelat. cap. 8. declarauit: *Filius meus*, inquiens, *potens super omnes homines, & Dæmones, & super omnem aliam creaturam inuisibiliter omnem malitiæ eorum conatum restingens. Et ego ero scutum protectionis tuæ, & suorum contra omnes inimicorum spiritualium, & corporalium incursiones. Propterea volo vt tu & familia tua conueniatis simul quolibet vespere ad cantandum Hymnum Aue Maris stella, & ego auxilium præbebo in omnibus necessitatibus vestris.* (Ad finem Coronæ Stellatę recitandus Hymnus Aue maris stella.) (Hymnus Aue Maris stella quam gratus B.V. & Dæmonibus formidabilis.)
Vnde Petrus Olaui *per 29. annos eius Confessarius, & Filia Brigittæ sanctæ memoriæ Catharina constituerunt quotidie cantare in Ordine hunc Hymnum, asserentes, quod ipsa B. Brigitta hoc fieri demandarit, ex precepto eiusdem Virginis gloriosæ. Quia ipsa gloriosa Virgo promiserat Ordinem istum à Filio suo sibi dedicatum speciali gratia velle protegere, & Spiritus Sancti benedictionibus confouere.*

114. Alterum tributum nostræ erga Virginem seruitutis est, sertum Roseum, seu Psalterium B. V. 150. salutationibus Angelicis ceu rosulis, & 25. orationibus Dominicis contextum, quod S.S. Patriarcha Dominicus Diuino afflatus spiritu, & ab hac Illuminatrice Virgine increatæ sapientiæ Matre eruditus instituit, magnaque totius orbis approbatione, atque vtilitate longè lateque propagauit. Et cum successu temporis sacer hic ritus Diuam Virginem collaudandi in Psalterio pene collapsus esset, Dei Mater pijssima B. Alanum de Rupe eiusdem Ordinis excitauit, sibique in castissimum sponsum delegit iussitque pietatem illam erga se redintegrari, pristinoque nitori restitui, hiscè illum contra omnes aduersitates occurrētes verbis confirmando: *Quæ audiusti, & vidisti prædica. Nil timueris. Ego tecum sum, ego te adiuuabo, & cunctos Psaltes meos. In tibi resistentes ego vindicabo. Disperibunt uti iam expertus, multos vidisti mala morte extinctos.* Part. 2. Psal. cap. 10. Ipse etiam Christus vt eundem animaret in gentem illi Inferni voraginem damnatorum plenam ostendit; *Ecce*, inquiens, *tua hæc est requies, prædicare si diutius cesses. Prædica igitur Psalterium meū. Iuro tibi, ego pugnabo cum tota Curia cælesti contra omnes te hac in re impugnantes. Et dic quod prædices, ne cum his discumbas quos vidisti.* Hæc porro laudabilissima Diuam Virginem laudandi atque coronan- (Psalterium B.V recitare est per Tributum illi gratissimum.) (B. Alanus Psalterium à S. Dominico institutum reparauit.) (B.V. animat illum vt in hoc opere Psalterii neminem timeat.) (Christus minatur Infernum si Psalterium non prædicetur.)

ronandi consuetudo in tota Ecclesia celeberrima est, quam etiam S. Patriarcha noster Ignatius in suis Constitutionibus minimæ huius Societis nostræ hominibus commendatam esse voluit. Vnde illam toto Oriente atque Occidente in nouum Orbem, Indiam, Brasiliam, Iaponiam, Sinas, ad sola terrarum vltimarum, magno illarum animarum recenter ad Christum conuersarũ emolumento, propagarunt, meritisque gloriosissimæ Virginis Deiparæ, populos illos à Satanica captiuitate, ac tyrannide innumeris perpetratis signis ac prodigijs liberarunt.

Rosarium S. Ignatius in constitutionibus commendat.

Certè de Christianorum Amangucienfium in Iaponia, erga Corollam hanc Deiparæ eximia Religione Tursellinus lib. 4. vitæ B. Fran. Xauerij c. 7. sic scribit. *Qui olim suas illas precatorias calculorum series ita percurrebant, vt suæ quisque sectæ conditorem subinde nominatim implorarent, superstitione in religionem versa, studium illud suum auxerunt. Nam B. Mariæ Coronas rite decurrentes, Salutatione Angelica ad minores orbiculos recitatâ identidem inuocabant salubria IESV, & MARIAE Nomina, seque in Francisci velut vnici exempli mores quoad fas esset formare nitebantur.*

Ethnici quā deuoti erga Coronam B. Virg.

Stupenda sunt plane quæ de Coronæ Deiparæ, quam S. Xauerius gestare consueuerat prodigijs memorantur. In Bulla ipsius Canonizationis hęc habentur: *Mercatori cuidam Meliaporæ discessum, ac munusculum aliquod tanquam beneuolentiæ signum à se postulanti seruus Dei B. Mariæ V. Coronam precarium è collo detractum elargitus erat, affirmans fore, vt quandiu illam penes se haberet, ab omni maris periculo incolumis esset euasurus. A portu igitur Mercator soluens naufragium fecerat, cumque in tabulata ex lignis raptim composita cum nonnullis alijs vectoribus exijsset, in alto mari alienato à sensibus animo visus esset sibi cum ipso seruo Dei Francisco in eo loco in quo Coronam precariam acceperat, colloqui.*

Corona B.V. à submersione in mari liberat.

Quinto demum die ex quo desilierat in illa tabulata, ab ea animi ecstasi, velut ab alto somno experrectus cum neque tabulata, neque socij vnquam comparuissent, in litore Nagapatani prope Meliaporam saluum, & incolumen se reperit.

114. Eadem B. V. Coronâ qua Sanctus Pater Xauerius vtebatur, à pueris ipsius curâ in Christiana Religione educatis circumgestata admiranda prodigia perpetrabat. Hanc enim cum ad infirmos, ac pestiferos deferrent pristinę sanitati eius vel solo contactu restituebantur, energumeni à Cacodęmonum vexatione liberabantur. Hac freti si qua in domo Idola adorari subodorarentur, mox velut signo dato irrumpebant, inuadebantque lararium, & pro se quisque Deorum simulacra comminuere, consputare, conculcare pedibus, omnibus contumelijs onerare, Diaboli cultum in ludibrium vertente Xauerio. Denique de hac B. Virginis Corona tam Sancti viri vsibus nobilitata Tursellinus lib. 2. cap. 7. ita scribit: *Si quis puerorum precatoriam Francisci Coronam habere poterat, pręclarè secum putabat agi. Itaque illa prodigijs nobilis certatim expetebatur, & ad ægros perpetuo circumlata, raro admodum ad Franciscum redibat, miraculis magis, quam precibus seruiens;* ipsisque Dæmonibus formidabilis, vt pote quæ Corona erat Virginis illius Dominæque potentissimæ, quæ Tartarei Serpentis caput, sua illa Diuina qua pollet potentia contriuit.

Corona B V. quam gestabat Xauerius morbos Dæmonesque pellebat.

Corona Xauerij quam precibus seruiebat.

115. Quod innumeris sane confirmari posset miraculis atque exemplis, duo interim noua ex nouo Orbe commemorasse breuiter sufficiat. Alterum quod refert P. Alphonsus de Ouagle libr. 7. Relat. Regni Cile c. 22. de quadam muliere Inda, quæ cum ad portas mortis ex graui quadam ac diuturna infirmitate peruenisset, propter scelus quoddam in confessione occultatum molestissimis Cacodæmonum spectris diuexata fuit. Quod vbi ipsius Domina resciuit, ipsam benignè visitauit, salutauitque pie dicendo: *Laudetur Sanctissimum Sacramentum;* qua gratissima atque pijssima Salutatione audita, conquieuit tantisper ægrotans ancilla, dixitque suæ huic Dominæ, illam suo aduentu cohortis Dæmonum, se impugnantium arma suspendisse, atque effecisse vt in angulum vnum cubiculi se abscondorent, ex quo nihilominus terribilibus suis minis illi molesti esse pergebant. His auditis Domina ipsi donat Rosarium B. V. præcipitque vt magnæ cælorum Reginæ sese commendet.

Coronæ B.V. contra Dæmones vis.

Res mira, vix infirma Rosarium in manus acceperat, cum ecce tota hilaris ad circumstantes dixit, totam illa Tartareorum hostium phalangem, virtute Sanctissimi Rosarij territam profugisse. Cumque ab Hera esset quæsita, cur tantopere horrificis stygiorum Tenebriorum

rum latuis fuisset cruciata, & num aliquando sacrilegè peccatum aliquod reticendo metu, pudoreve fuisset confessa? Respondit se omnino subticuisse multis annis, quod propriæ filiæ in despectum mariti, à quo in re quadam fuerat offensa atque exulcerata, ante plures annos violentas manus intulerit, quæ filia inter illas Cacodæmonum turmas comparuerat, & ad se accesserat vehementiq; compressione guttur constrinxerat, à qua sine dubio fuisset præfocata, nisi Rosarij porrecti Diuina virtus obstitisset. Quibus auditis suasit Hera vt alicui è Societate IESV Sacerdoti conscientiam suam syncerè aperiret; simulque recepto suo Rosario domum se recepit. Sed illa vix è cubiculo ægrotantis ancillæ pedem extulerat, cum ecce tibi, omnis illa Infernalium geniorum cohors, quæ ad præsentiam Sanctissimi Rosarij, sicut cera à facie ignis difluxerat, rursum in conclaue irrupit. Vnde eodē Rosario rursus obarmāda fuit, quod vbi in manus accepit, denuo mox Cacodæmones fugam arripuere; quæ Rosarij virtute ab ancilla agnita, in posterum numquam illud ex manibus deposuit, sed veluti clypeo illo sese communiuit, donec Patri nostro ritè confessa est. Exomologesi peracta illico omnibus Orci molestijs, ac terriculamentis liberata fuit, & pietas ac deuotio erga Virginē eiusq; Sacratissimum Rosarium in animis omnium mirum cepit incrementum.

Dæmonis fraudes in perdendo quodā adolescente.

116. Alterum miraculū in Mexico Anno 1593. accidit. Erat adolescens quem Cacodæmon oblata primum eximia mulieris specie illexit, blanditijsque captum extra vrbem in remotissimum ab arbitris locum, multa iam nocte seduxit. Ibi iuuenem magnopere monere, orare, postremo imperare cœpit, vt B.V.M. Coronam quam circūferebat statim abijceret, si sua forma frui vellet. Mirari adolescens, qui Coronam in veste abdita illi subolvisset, cur tantopere B. V. cultus inuisus esset?

Dæmon à iuuene B. V. Coronam remouere volebat.

Demum suspicatus id quod erat, illum Diabolum esse, omnino negat se id facturum. Hic Satan vbi nihil impetrat, ira furens, abiectâ mulieris formâ, sese in horribilem belluam conuertit, & vnguibus, cornibusque attonito iuueni exitium minatur. Sed furor vltra minas progressus non est, Beatâ Maria impetum belluæ prohibente.

Mox ille è periculo liberatus Sacerdotem nostrum adit, cuius suasu Sacramentis armatus Diuæ Virgini grates persoluit.

117. Neque vero solum à fraudibus, insidijsque Tartareorum hostium quis, in hac vita tributum hoc Coronæ pendens Deiparæ liberatur, verumetiam in extremo salutis discrimine ab ipsis Orci faucibus eripitur.

Vnde Religiosissimus Bernardinus de Bustis Par. 12. Marial. serm. 1. sapienter Virginem alloquens hortatur:

Singulis diebus Corona B.V. recitāda.

Debet vnusquisque Christianus se, & sua omnia in manu tua committere, & non permittere transire diem, quo saltem vel vnam non recitet coronam ad laudem tuam. Et quamuis male quis viuat, non debet vnquam à tua deuotione discedere. Vnde exclamabat deuotus quidam Prædicator Italicus: Non ti spizar da Maria, &: Affrontatiui à Maria; qui loquendi modi intimam cum Diua Virgine per charitatis affectum vnionem significant. Cuius dicti causam illam tane luculentam reddit; *Si priuilegium hoc habet Cardinalis, vt si pileum suum seu Capellum ponat super caput illius qui ducitur ad iustitiam, liberatur, secundum Canonistas;* à fortiori pallium siue protectio B.V. potest ab omnibus malis liberare.

Pileus Cardinalicius alicuius rei Capiti in positi liberat à supplicio.

Legisse me memini Fratrem Antonium de Robes cum Vincentiam tenderet, ingruente ingenti pluuia, cum aliud pallium non haberet, corollam B. Virginis suo capiti imposuisse, & Sanctæ cum fiducia ita Deiparæ dixisse:

Corona B. V. capiti imposita defendit à pluuia.

O Angelorum Regina in necessitatibus amicorum patrocinia cognoscuntur, oro te vt recorderis clientis tui. Res mira, in tam immani pluuia, ne guttula quidē minima aspersus fuit, protegente Virgine. Idem nobis sperandum facturam si eius Corona nos muniamus, in Diuinæ vltionis super peccatores ingruentibus laqueorū pœnarumque variarum laqueorum imbribus ac procellis, de quibus Ierc. 30.

Ecce turbo Domini furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet.

Præclarè n. idem ibidem Bernardinus pronunciauit. *Tam læta enim est eius misericordia vt si aliquem deuotè recitantem Coronam suam viderit in medio millium Dæmonum trahi ad supplicium, eum protinus liberabit; nec permittit aliquem male finire qui eius Coronam reuerenter studuerit per texere.*

Corona B. V. liberat à Dæmonibus, & æterno supplicio.

Quod ille, etiā pulcherrimo comprobauit

uit exemplo, quod ipse lector videre poterit.

118. Aliud admodum memorabile refert Pater Iustinus Michouiensis Ordinis Prędicatorum Vir eximiè doctus ac prius To.2.in Lit.Disc.314.Auctoris Anonymi de Rosar.in Bibl. Gedanensi,de Religioso quodam Ordinis Cisterciensis, in obseruantijs suæ Religionis remisso, Sanctissimæ tamen Virginis recitando Rosario pio, ac deuoto,qui cum aliquandiu ita vixisset,tempus tandem adfuit,quo ex hac vita suarum actionem rationem redditurus decederet. Raptus igitur ad tribunal Christi, & in multis accusatus, eum pro innumeris peccatis sententiam damnationis audire deberet, ad fuit pijssima Virgo Maria, Rosariorum multitudinem in sinu gestans, quæ in statera contra peccatorum eius multitudinem appendi iussit. Cum igitur tanta peccatorum grauitas esset, vt ea tot Rosaria præponderare non sufficerent, procidit clementissima V.M. ad pedes Filij in throno sedentis, eumque rogauit, vt vnam vulnerum suorum sanguinis guttam ei tribuere dignaretur. Tunc benignissimus IESVS vnam è dextra manu sanguinis guttam exprimens, suæ pijssimæ Matri eam dedit, quam illa in statera cum Rosarijs imponens, magnum illum peccatorum aceruum tantum eleuauit, vt sine pondere esse videretur, & velut pluma in altum eleuata euanesceret. Tunc Maria ad suum clientem: *Vnde, & nostri beneficij recordare.*

Religiosus negligenter viuens Rosarium tamē recitans à seuerissima Iudicis sententia intercessione B. V. liberatur.

Rosarium vna cū gutta Sanguinis Christi præponderat omnibus peccatis.

Qui ad corpus reuersus de pristinis negligentijs pęnitentiā egit, & Dei Genitrici; suæque liberatrici ardentius seruire studuit.

Rosarium è pœnis Purgatorij liberat.

119. Idem Rosarium non modo animas à portis Inferi reuocat, sed etiā ex Purgatorijs ignibus liberat, & ad æuiternam beatitatem transfert, facitque vt hic adhuc perennis illius fælicitatis cupedias prælibemus. Vnde idem Bernardinus inter Coronæ fructus numerat illum, quod sit inchoatio Paradisi, vel conformationis cum patria cęlesti, in qua beati laudant gloriosam Virginem tanquam suam Reginam.

Quando enim Coronam recitamus, perinde est atque si eius capiti Coronā imponeremus, ipsamque Reginam nostram constitueremus. Corona enim solummodo datur Regibus,ac Reginis. Quod si illam eo fine ipsi offeramus, vt animas nostras ab interitu sempiterno, Purgatorijque ignis cruciatibus illas præseruet atque liberet pulcherrimè sane Sacrum eius verticem decoramus. Præclarè enim Seneca libr. 1. de Clem. c.26. *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius, pulchrisque est, quam illa Corona, Ob ciues seruatos. Non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. Hæc Diuina potentia est gregatim ac publicè seruare*; Quod facit Virgo nostra, gloriosissima Heroina in vita, & in morte, imo, & post mortem. Vnde quoties illam Angelicis Salutationibus veneramur, toties illi aureum Diadema, sertumque pulcherrimis rosulis nos conficere, eiusque capiti imponere arbitremur simulque speremus nos Diuina sua potentia gregatim, & publicè seruandos.

Corona B. V. offerenda vt nos ab æterno interitu pœnisque Purgatorij seruet.

119. Quam autem efficaciter Corona hæc Virgineo capiti imposita animas è purgatorijs illis ergastulis liberet, idem Iustinus Michouiensis insigni ex auctore Incognito de Rosario comprobauit exemplo fæminæ cuiusdam habitantis iuxta Coloniam, quæ post mortem amicæ suæ apparuit, ab ea postulans vt in Sodalitatis Album apud Patres Prædicatores Colonię se inscribi curaret. quærit illa cur id peteret, cum iam defuncta sit, nec quidquam amplius possit promereri? Respondit: 15. *Annis pro peccatis commissis Purgatorij flammas pati debeo. Sed si in numero Fratrum istorum adscripta fuero, propter infinita Rosaria, quæ in eo quotidie recitantur, continuo liberabor. Vade ergo, & fac citius, quod à te postulo, & hoc debitum Fraternitatis pro me persolue, donec iterum tibi appaream.* Fecit illa, quod iussum erat, & clapsis diebus 15. anima illa redijt, & 15. annorum pœna Purgatorij, in 15. dies sibi commutatam fuisse suffragio Fratrum denunciauit ac proinde se mox ab acerbissimis illis ignibus liberatam, ad æuiternam beatitatem euolaturam.

Fęmina quędam post mortem se in album Rosarij inscribi postulat, vt à Purgatorio liberetur.

Virtute Rosarii 15. Annorum pęna in 15. dierum cōmutatur.

An non igitur merito dicimus Coronam hanc summæ cælorum Dominæ, ac Reginæ in tributum quoddam offerri, non ob ciues suos dumtaxat, sed mortales vniuersos, Diuina illa sua potentia gregatim, & publicè seruatos?

120. Salutem hâc Vir quidam Religiosus mihi probè notus expertus est, qui cum grauissimis tentationibus cōtra

contra

tra castitatem, cōtra vocationem alijsque perturbationibus enagitaretur, & vehementissimâ Cacodæmonis impugnatione iam prope interitum esset, statuendo apud se firmiter se quotidie sacræ huius corollæ tributum huic vniuersorum Dominæ, ac Reginæ persoluturum cum Hymno ad finem S. Ambrosij, & August. in tanti beneficij, vocationis nempe ad Religionem, gratiarum actionem, à desperationis, perditionisque Barathro liberatus est.

Quamobrem merito B. Alanus de Rupe sapientissimè pronunciauit ex reuelatione sine dubio ipsius Deiparæ.

Signum prædestinationis B. Virginem Psalterio venerari, eiusq; salutationem amare.

Quod signum sit tibi probabilissimum æternæ salutis, si perseueranter in dies eam in suo Psalterio salutaueris. De salutatione vero Angelica ipsa Virgo ita eidem Alano locuta fuit: *Habentibus deuotionem ad hāc, signum est ordinationis, & Prædestinationis per magnum ad Gloriam. Propterea qui tenet me in hac salutatione, semper me teneat, donec ad me in Paradisum perueniat.*

Quod porro Corona hæc Rosea qua Virginem voce Angelica toties salutādo coronamus, non modo nos in vocatione status Religiosi verum etiam ipsum statum Religiosum in sua puritate conseruet, & à vitijs præseruet, ipsamet Virgo eidem Alano Part. 2. cap. 17. de Psalt. reuelauit. *Quandiu* inquiens, *durauit hoc Psalterium in tali Ordine Sancto, tamdiu scientiâ, sapientia, obseruantia, miraculis, fama, & gloria apud Deum, & homines in immensum floruit. quando vero defecit hoc Psalterium, Ordo Prædicatorum in quamplurimis defecit.* Ne igitur deficiamus, & nos, & ipsi Religiosorū Ordines roseo hoc serto quotidie, magno pietatis sensu Virginem coronemus, vt ab ipsa pariter inæstimabili perseuerantiæ, in Diuino seruitio ad extremum vsq; halitum perdurando, diademate coronemur.

Ordo Prædicatorū virtute Rosarii in obseruantia, & sanctitate profecit.

121. Hoc porro deuotionis siue pensum, siue tributum vbi oblatum est Deiparæ, expedientissimum esse videtur si illud verbis illis pientissimi in Virginem Bernardini Bustij, loco citato totis præcordiorum affectibus illi deferamus: *O Maria Imperatrix cæli, Regina mundi, ecce, quia te elegimus in Reginam nostram, nosque in seruulos suos tibi dedicamus, vt in perpetuum sub imperij tui seruitute viuere valeamus, ideo mittimus coronas ante thronum tuæ Maiestatis. Et quia misericordia nobis necessaria est, cum simus miseri, idcirco tibi offerimus Coronam, non quod nostris vel aureis, vel argenteis coronis egeas, sed vt per hoc confitentes te magnam Reginam, sub dominio tuo mereamur semper permanere. Scimus enim quod non potest Rex alienare Castrum, villam, aut ciuitatem, inuitis hominibus eam habitantibus secundum Hostiensem, & Paulum de Castro. Et ideo postquam nostra Regina facta es, non poteris absque nostro consensu refutare, nos aut abijcere.* Illud enim solum quis dicitur posse facere, quod de iure, & iustè facere potest. O igitur Domina, & Regina nostra, ecce nos serui tui promittimus tibi seruare omnem illam fidelitatem, quam tenētur quicumque boni subditi custodire erga suum legitimum Dominum, & ideo etiam tu teneris erga nos esse fidelis, quod quia, & in vita, & in morte, & post mortē futurum speramus, tibi nos humillimè prosternimus, teque summa qua possumus veneratione, vti veram nostram Dominam, ac Reginam super omnes Angelicas Dominationes exaltatam adoramus, tu procura ne pereamus.

Oratio post recitationem Coronæ B.V. dicenda.

B.V. nostris Coronis non indiget.

122. Offeramus denique magnæ huic Dominæ, ac Reginæ potentissimæ tributi loco Coronam auream gemmeamq; gēmis illis 12. ex quibus fundamēta cęlestis Hierusalē constructa vidit Ioannes Apost. Apoc. 21. quam venustissimè, arte plane diuinâ distinctam, atque exornatam, in eis virtutes varias ipsius Deiparæ contemplando, vti Theologicas; Fidem, Spem, & charitatem; Cardinales, Iustitiam, temperantiam, fortitudinem, & Prudentiam, Morales, Humilitatem, Mansuetudinem, Obedientiam, Castitatem Virgineam, Paupertatem; quas virtutes consideratâ cuiuslibet gemmæ natura, ac proprietatibus facillimum erit in Deipara inuenire.

Pro tributo Deiparæ gēmea Corona 12 eius virtutibus contexta offerenda.

Quibus pie, singillatim expensis licebit post singulas, breuem oratiunculam attexere, qua Virtutem illam, siue eius imitationem, nobis ipsius precibus dari postulemus. Quam deinde oratiunculam Salutatione Angelica terminemus, summis precibus Deiparam obtestantes, vt virtutes istas nobiscum communicet, iaciatque in nobis æuiternæ beatitatis, Supernæque Hierusalem, quæ visio pacis est fundamenta, quo in hac quoque peregrinatione, pacem illam, quæ exsuperat omnem sensum interminabilisque illius fælicitatis gaudia delibemus.

Corona gemmea Hymno: O gloriosa Domina terminanda.

Oblationem hanc denique Coronæ Aureæ, gemmeæque Dominæ nostræ, summa cum pietate, atque veneratione factę Hymno illo, vti supra meminimus illi gratissimo: *O' gloriosa Domina*, terminemus, ipsam humillimè deprecantes, vt rerum terrenarum proculcatis cupiditatibus, nos etiam excelsos virtutibus faciat super sydera, quæ sursum sunt quærendo, quæ sursum sunt sapiendo, non quæ super terram. Oranda insuper, vt nobis vteri sui germine reparatam lætitiam tribuat, perque ipsam velut cæli Ianuam, ac fenestram beatam patriam, æternæ vitæ gaudijs potituri, ingrediamur.

Laudabile est tributi loco B. Virgini ingenij monimenta dedicare.

123. Dum tributis his finem impono, venit in mentem, gratissimum illud Virgini Tributi genus esse, quo aliqui viri pij eius gloriæ, atque honori lucubrationes, ingenijque sui monimenta dedicare consueuerunt.
Cum enim illa increatæ Sapientiæ quæ ex ore Altissimi perdijt, & Parens sit, Christianorum Pallas, ingeniorumque Præses, iure sane meritissimo ingenij foetus, ac præsertim hi, quibus Laudum eius præconia celebrantur illi consecrandi sunt. Horum infinito pene numero merito accensendus est doctissimus Virgineoque cultui deditissimus Aloysius Nouarinus Clericus Regularis, qui suam Vmbram Virgineam Opus Cedro, æreque perenni dignissimum ipsis eiusque Paranympho Archangelo Gabrieli eleganti Epistola consecrauit. Nec nostræ minimæ Societatis homines hac in parte operam suam, pro ea quâ Virgini Religionis nostræ Auctrici seruiendi obligatione se adstrictos meminerũt, desiderari passi sunt. Inter hos merito enitet P. Martinus Delrio, qui vt scribit P. Antonius Balingen in Kal. B. V. 19. Octob. ardentissimum suum in Deiparam V. amorem, quem cum lacte nutricis hausit, scriptis libris luculenter expressit. Vnde in fronte operis illius elegantissimi, quod Florida Mariana inscripsit, hanc epigraphem sæculis omnibus duraturam inscripsit:

P. Delrio, & Blasius Plocyrius suos libros B. Virgini dedicãt.

D. Matri S.
Dei Genitrici semper Virgini
Misericordiæ Matri,
Cælorum, terræ, maris Reginæ,
Catholicæ Ecclesiæ Protectrici
Hæresum expugnatrici.
Virtutum cunctarum speculo
O. M. Patronæ

124. Non minori P. Blasius Plocyrius in Beatissimam Dei Matrem flagrauit pietate, vt P. Philippus Alegambe loquitur, in sua Biblioth. Id ostendit nuncupatio libelli Aureum Monile nuncupati, quem in eius honorem edidit, quo modum piè colendi B. V. M. per quotidiana precum, piarumque actionum officia, Parthenios potissimum Sodales edocet. Huic libro, vt tantæ Dominæ ingenij sui tributum persolueret, eique sese gratum exhiberet hoc lemma præfixit: *Mariæ Magnæ Magni Dei Matri, ac Virgini Augustissimæ Cælorum, Terræ, Maris Reginæ; pientissimæ Ecclesiæ Orthodoxas Protectrici, singulari suorum Sodalium Matri, Dominæ, ac Patronæ, munificentissimæ Diuinarum opum Thesaurariæ. Serenissimæ Consiliorum Diuinorum Secretariæ, eminentissimæ post DEVM Maiestati, Orbis Miraculo, & Miraculorum compendio. Hæc omnia Suorum clientum, cum ipsis clientibus æternum mancipata Officia.* Cui tam insigni elogio recognoscens me ab hac Virgine vniuersorũ Domina, ac Regina, ingeniorumque Præside ingeniosissima quidquid habeo, valeoque in hac vniuersa mea lucubratione accepisse, humillimæ seruitutis obsequio me ipsi subijciens, inque perpetuum seruum, ac mancipium deuouens, libens, & in hoc omnibusque alijs Discursibus, qui tribus Tomis continentur, vti quondam Magnus ille in Spiritu Cæsar Cardinalis Baronius subscribo: Marię Seruus Laurentius Chrysogonus.



DISCVRSVS VI.

Quod Virgo Deipara Virtutum proprietates in se expresserit.

Virtutum nomine virilis quædam & mascula in Angelis fortitudo intelligitur.

1.



D Virtutes contemplandas accedamus, de quibus idem Dionysius sic loquitur: *Virtutum nomine signari arbitror, virilem quandam, & vt sic dicam, masculam inconcussamque fortitudinem, qua in omnibus diuinis suis actionibus prædita ad nullius cælitus illabentis fulgoris perceptionem fiunt inualidæ, sed ad Dei imitationem potenter assurgunt; neque per imbecillitatis ignauiam diuinos suos motus deserunt. Cæterum intentione perpetua supremam illam Virtutem, per quam possunt omnia, intuentur, eiusque in se pro viribus imaginem repræsentant. Atque ad ipsum, vt virtutis totius Auctorem, vi summa conuersæ ad ea quæ inferiora sunt virtutis largitate Diuinam bonitatem imitantes prodeunt.* Qua descriptione, vt Angelicus obseruauit Doctor L.P.Q. 108. art.5. ad 1. duplex nobis proprietas horum cælestium Spirituum innuitur.

Primo quidem virilis quædam, & inconcussa fortitudo ad omnes operationes Diuinas ipsis conuenientes peragendas. Fortitudo item virilis ad eadem diuina suscipienda. Atque ita Virtutum nomen significat, quod sine timore aggrediuntur Diuina quæ ad illos pertinent, quod ad animi fortitudinem pertinere videtur. Sic D. Thomas. Quæ omnia quantopere Diuæ Virgini nostræ conueniant luce meridiana clarius euadit. Et quia de eius virtute quâ æterni Patris potentiam tam in cœlo, quam in terra, Inferno, ac Purgatorio æmulata est, copiosè disseruimus, Par. 1. Disc. 9. hic breuiter ostendisse sufficiat in primis quanam ratione Virgo Sanctissima virtutem robur, atque potentiã beatorum Spirituum in domandis malignis illis, Tartareisque Spiritibus imitata sit, eandemque quam longissimè superauerit. Tum aliquas alias virtutum proprietates perstrinxisse, quæ in Virgine mirificè eluxerunt.

B.V. virtus ac fortitudo in domandis Dæmonibus.

2. Virtutem hanc atque potentiam ad rebelles illos Spiritus compescendos, atque debellandos, vti, & totius orbis dominationem in ipso sui felicissimo in hunc mundum exortu ab illo Domino virtutum accepisse videtur. Quod nobis manifeste declarat S. Ioannes Damascen. oratione prima de Natiuitate B. V. Dum huic Angelicæ Virgunculæ recens natæ applaudit, & gratulatur, exclamans: *O' Sanctissima Ioachim, & Annæ filia, quæ Principatus, & potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti. O' Sanctissima filia in Maternis vlnis conspicua, rebellibusque Angelis formidabilis. O' Sanctissima Filia quæ Materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris.* Tanta virtute ac potentia gloriosissima hæc Virgo à Deo ter optimo maximo fuit prædita, vt vel solo aspectu (taceo de eius virtutibus, quibus velut probe instructa acies erat terribilis) Dæmonibus extiterit formidanda.

B. V. in sua Natiuitate fortitudinẽ ac virtutem ad domandos rebelles Spiritus accepit.

Hinc Richardus De S. Victore cap. 26. in cantica asseruit eam interiori pulchritudine, præsertim charitatis, qua extrinsecus Angelicam quandam faciem repræsentare videbatur, Tartareis hostibus euasisse formidabilem. *Non est*, inquit ille, *dubitandum amoris ignem, & interiorem candorem exterius etiam, in ea lucere, vt quæ puritatem Angelicam habuit, vultum etiam Angelicum habuerit. Tota ergo pulchra merito dicitur, quia pulchra facie fuit, pulchra mente, & corpore. Quæ etiam ipsis Principibus tenebrarum terribilis fuit, vt ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor*

B V terribilis Dæmonibus charitate, morumque puritate.

deuotionis, Stupebant immunem à peccatis. Nemo enim tam Sanctus, qui defectum non habuerit præter ipsam. Sic Richardus.

B. V. ordinatione Angelicarum virtutum terribilis Dæmonibus vt castrorũ acies.

3. Hac vitæ puritate, morum integritate, virtutumque solidarum coordinatione velut bene instructa, & ordinata castrorum acies, Angelorum, Sanctorumq; cæli ciuium stipata virtutibus, ceu cateruis, toti Inferno terrorem incutit. Vnde eam tanta virtute, ac potentia instructam demirans sponsus, in illud nobilissimum ipsius prorupit elogium: *Pulchra es amica mea suauis, & decora sicut Ierusalem, terribis vt castrorum acies ordinata.* Quod eximium Virginis encomium Halagrino Cardinali sic illustrare libuit: *Pulchra es*, inquiens, *amica mea in intentione mentis, suauis in eloquio, decora in operibus. Tu es mihi sicut Ierusalem, idest, pacis visio, pacem faciens inter DEVM, & hominem. Tu es malignis spiritibus terribilis, tamquam turris ædificata cum propugnaculis, tanquam castrorum acies ordinata. Te enim tanquam Reginam sequuntur omnes sanctorum acies ordinatæ, secundum suos status propriasq; dignitates, ac merita, vt tecũ, & sub te, pro nobis militent contra hostẽ.*

B V. est pulchra sicut Ierusalem pacẽ faciens inter Deum, & homines.

Omnes sancti sequuntur B. V. velut Reginam, vt cum illa, & sub illa militẽt pro nobis contra Dæmones.

4. Non absimiliter verba illa interpretatur Rupertus Abbas libro 6. in Cant. *In hoc est*, inquiens, *perfectio pulchritudinis, quod non solum suauis nec solum terribilis, sed vtrumque es, & suauis, & terribilis; Suauis sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies, quæ bene ordinata est. In quo suauis, & decora sicut Ierusalem? In eo videlicet quod, & anima tua semper supernam videt pacem, & ex visitatione tua discunt animę plurimæ cęlestem ducere conuersationem, vnde, & dicuntur Filiæ Ierusalem; quia optimã eligunt partem. Quid vero est, vt castrorum acies ordinata? Scimus, & constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita constipata atque densata fuerit, vt in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, vt locus vacuus, per quem hostis possit ingredi dimittatur, profecto iam suis hostibus terribilis non est.* Sic Rupertus.

B.V exemplo & visitatione discimus cælestem cõuersationẽ.

Ex cuius doctrina colligimus eximias singularesque virtutes huius potentissimæ Virginis gratia plenæ, nostram esse fortitudinẽ ac robur, quia illis condensam in nostri protectionẽ, ordinare castrorũ aciem ita videtur, vt sit omnino hostibus, nos assidue impetentibus impenetrabilis. Proinde cõcludit Pijssimus Abbas Mariam fortissimam hanc Heroinam alloquens: *Partis tuę est contra malignos Spiritus in procinctu esse secundum castrorum similitudinem.*

5 Idem sponsi elogium in laudem Virginis preclarè illustrauit Guilelmus Abbas apud Delrium in Cantica, ostẽdens in illa, verbis illis veram iustitiã, prudentiam, tempernatiamque, ac fortitudinem non Babylonicam huius sęculi, sed diuinam cęlestis Hierusalem ciuibus, Angelicis spiritibus quã simillimã describi. Vt ostenderet dilectus eã veraciter inquit, & nõ Babylonicè fortem, dixit esse terribilem vt castrorum aciem ordinatam. qui fortiter agit nõ propter DEVM, is tali fortitudine, nõ fit hosti terribilis, sed potius amabilis cui concordat peregrino fine actionis, quamuis ipsa actione resistere videatur; sicque resistendo, non victum, territumque compellit in fugam, sed potius se illi victum subijcit turpiter. Veram enim fortitudinem, quæ fugat hostem, animamque facit illi terribilẽ, propheta in sua oratione insinuãs, fortitudinẽ, inquit, meam ad te custodiã. Quasi dicat, tu dator es fortitudinis, & idcirco ad te, tanquam ad debitum finem fortitudinem meam alligabo, pro pter te scilicet, & propter aliud fortiter agens, atque ita resistens Diabolo, vt victus à me fugiat. Amplius pulchra es, sicut Ierusalem, illa cælestis, quæ est in angelis, quippe inter homines viuis Angelicè, & in carne adhuc moribunda, cælesti præ luces castitate: Porro cum mater mea sis, cum genueris terribilem, & eum, qui aufert spiritum Principum, ipsa quoque terribilis es Principibus tenebrarum, vt castrorum acies, ordinata. Confert deinde Abbas deuotissimus fortitudinem Virginis cum Angelorum exercitibus cum Tartareis illis tenebrionibus dimicantium, ostenditque illam vtpotè Matrẽ Dei esse illis longè formidabiliorem: Sane angeli, inquit ille, quoniam intus faciem hominis contemplantur, per Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur, aptè signantur. quoniam vero foras mittuntur propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, per castrorum aciem ordinatam figurantur; sibi Ierusalem, nobis autem castrorum acies. Vnde Iacob obuiam habens Angelos, qui in eius adiutorium mittebantur: Castra, inquit, Dei sunt hæc. Gen. 32. nobis igitur Sancti Angeli sunt castrorum acies ordinata, idest, ad spirituale prælium contra aereas potestates, pro de-

B.V. verè, & non Babylonicè fortis.

Vera fortitudo à Deo est.

B.V. pulchra sicut cęlestis Hierusalem, quæ constat ex Angelis.

B. V. fortitudine Angelis assimilatur.

B. V. sibi est Ierusalem, nobis castrorum acies ordinata nos defendendo.

Angeli sunt castrorum acies diu nos defendunt, aduersus Dæmones.

defensione hominum præparata.
Nam vt ait Apostolus Ephes. 5. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinẽ, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus Principes tenebrarum harum, cõtra spiritualia nequitiæ.* Quomodo autem nos caro, & sanguis, possemus contra illos, nisi nostram infirmitatem castra hæc Dei circumdarent. Vnde Eliseus ad conspectum hostium trepidanti puero:
Noli, ait, timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Cumque orante Elisæo aperuisset dominus oculos pueri vidit montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Helisæi 4. regum. 6. nimirum hæc erant castra Dei, Angelicus illæ exercitus ordinatus, contrarijs potestatibus pro defensione hominum semper oppositus.
Tam terribilia sunt hæc Dei castra castris aduersariorum, vt nulla ex parte irrumpere audeant, nisi quantum occultæ rationis dispensatione sinuntur. Dilectus igitur, vt piam Matrem demonstret cunctis malignis spiritibus vehementer terribilem, dixit eam terribilem, vt castrorum aciem ordinatam. Quasi dicat: Quia te sciunt aereæ potestates esse Matrem meam, Matrem triũphatoris, & spoliatoris sui, cuius est signum infrontibus piorum depictum, verentur te Matrem terribilis, & eius, qui aufert Spiritum Principum, id est, destruit superbiam malignorum spirituum; tu quoque illis terribilis facta es, & non mediocriter, sed sicut est illis terribilis Angelicus exercitus, ad coercendos eos, ne supra modum homines infestent diuinitus ordinatus. Hæc Gulielmus quibus luculenter sane ostendit Deiparam ob eminentissimam diuinæ Maternitatis dignitatem, terribilissimam, castrorum esse aciem, castris, aciebusque Angelicis longe formidabiliorem.

B. V. quia Mater est Triũphatoris & spoliatoris Inferni ideo Dæmonibus terribilis.

B.V. terribilis Dæmonibus magis Angelicus exercitus ob Diuina Maternitatem.

6. Non desunt huic bene instructæ ordinatæque aciei alæ suæ, quibus instructa, & protegit ab hostibus, & in illos quasi inuolare consueuit.
Hinc Rich. à S. Laur. libro 2. de laude Virg. *Maria*, inquit, *protegit nos alis, de quibus ei dicimus: Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt. Item in vmbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas.* Hanc Virginearum alarum vmbram agnouisse visus est, S. Bonauentura cum de suorum hostium insolentia Virgini conquerebatur Psalm. 21. *Deriserunt me inimici mei vndique; tu autem sub vmbra manus tuæ contulisti mihi refrigerium bonum.* Agnouit, & Psa. 53. cum cecinit; *Domina in nomine tuo saluum me fac, & ab iniustitijs meis libera me. Vt non noceat mihi calliditas inimici sub vmbra alarum tuarum protege me.*
Et alibi Ps. 3. *Esto vmbraculum protectionis in tentationibus nostris, expansio alarum tuarum defendat nos à deuorante.* Proinde iure merito huius protectionis conscius idem Sanctus Psa. 2. Tartareis hostibus animosus insultabat. *Quare fremuerunt inimici nostri, & aduersum nos meditati sunt inania? Protegat nos dextera tua, (quæ est velut altera ala aciei) ò Mater Dei, vt acies terribilis confundens, & destruens eos.*
Nouerat idem Sanctus virtutem hanc Virgineam quando illi canebat.
Corruant ante pedes nostros inimici nostri, virtute tua eorum capita conterantur.
Quam ob causam hac Virgineâ fretus protectione Cosmas Ierosolymitanus confidenter Deiparam alloquebatur: *Insuperabilem ò Deipara spem tuam habens, seruabor; defensionem tuam possidens non timebo; per sequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens vt thoracem protectionem tuam, atque omnipotens auxilium tuum.* Eiusdem virtute ac protectione fretus memoratus Richardus à S. Lau. li. 2. de laud. Virginis pronunciauit: *Potens est Maria ad protegendum: vnde ipsi securè dicere potest seruus eius: pone me iuxta te, & cuius vis manus pugnet contra me.*

Acies B.V. contra Tartareos hostes instructa habet suas alas, quibus vos protegit.

B.V. est nobis vmbraculum protectionis in tentationibus nostris.

7. Virgineam hanc virtutem potentiamque agnoscens Hugo Charensis in Psal. 90. Eam Adiutorium Altissimi nuncupauit, insinuare volens, eum qui in Adiutorio hoc Altissimi habitat; in protectione Dei cæli commoraturũ securissimè, & à Dæmonum insidijs liberandum, seu, vt legit Hieronymus; In vmbra Omnipotentis pernoctaturum. Est enim Virgo noua quædam Eua seu adiutorium illud quod in figura, Adamo, cum esset solus ad prouidendum Domui suæ concessum fuit. *Hæc est*, inquit Hugo de Maria, *Adiutorium Altissimi, quia iuuat eum ad saluandum genus humanum. Vnde de ipsa verè dicitur; faciemus ei Adiutorium simile sibi Gen. 2.*

B.V. est Adiutorium Altissimi, quia iuuat eum ad saluandum genus humanum.

8. Neque vero solummodo ipsa Virgo, verumetiam Sacratissimum ipsius Nomen Tartareis phalangibus est formidandum. Hinc Sanctus Bonauentura cap. 3. speculi Nomen Mariæ amarum Dæmonibus mare interpretatus.

Mariæ Nomẽ Tartareis hostibus formidandum.

tus.Hinc Rich.a S.Laur. libr. 1.de laud. Virg. capit. 2. præclarè suadet: *Tentatis supra vires, & eo amplius tentaris timens Diaboli insidias, quanto te ab eo expugnatum aliquando recordaris? Recordare quod Turris sit fortissima, Nomen Dominæ nostræ, ad ipsam confugiet peccator in tentatione, & etiam qui peccauit, & saluabitur.*

Mariæ Nomē Turris fortissima.

Hinc est quod sponsus Cantic. 1. eam fortissimo illi exercitui de curribus, & equitibus Pharaonis triumphanti eosque mari rubro demergenti compararit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* In hoc elogio explicando consulendus Greg. Nyssenus Hom. 3. in Cant. quem retulimus Par. 1. Dis. 9. n. 38.

B. V. Exercitui Angelico de Pharaone Tartareo triumphanti comparatur.

9. Rupertus Abbas per Equitatum domini prodigiosam illam Virgam Moysis, qua tot, tantaque perpetrata sunt miracula, mare apertum, subuersi Pharaonis currus, demersæ tot Aegyptiorum myriades, intelligens, Virgam Mosaicam gloriosissimam Deiparam fuisse pronunciauit. lib. 1. in Cant. dum ita sponsum sponsæ loquentem introducit. Quis nam fuit ille meus equitatus in curribus Pharaonis, vel quomodo in curribus Pharaonis? Magnum, & mirum spectaculum respicienti; inde currus Pharaonis, inde equitatum meum. Currus namque Pharaonis valde multiferro armati, plerique etiam auro, atque argento insigniti fuerunt: equitatus autem meus, Virga vna fuit, Virga Moysis, & Aaraō. Virga illa contra sublimes currus Pharaonis taliter equitauit, hoc modo militauit.

B. V. Virga Moysis.

Equitatus Dei Virga vna Moysis fuit.

Tum Virginis deuotissimus Abbas, omnia Virgæ illius virtute perpetrata recensens prodigia, vsque ad Pharaonis ac Aegyptiorum in mare demersionem, tandem ad Virginem in persona sponsi conuersus, concludit: *Quomodo vel in quo tali equitatui meo amica mea assimilaui te? Videlicet quod posita coram deo Virga illa, in tabernaculo testimonij sequenti die inuenta est germinasse, & turgentibus gēmis eruperant flores, qui folijs dilatatis, in amygdalda deformati sunt. Illi signo, illi equitatui meo assimilaui te amica mea. Sicut enim Virga illa, virgas maleficorum, & incantatorum deuorauit, omnemque Aegyptiacā obtriuit superbiam, ac deinde germinauit, frondvit, floruit, & fructum protulit, non plantata, non succo terræ animata, sed virtute cælesti supra vsum naturæ prouecta: Sic tu pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam hæreticam prauitatem intermisti, superbiam Diaboli deiecisti, conceptu florida, partu fructifera. Virgo in conceptu, incorrupta in partu, Virgo ante partum, incorrupta post partum. Nonne igitur pulcherrima es mulierum? vere pulcherrima.*

Virga Moysis dicitur fuisse Virga Aaron quæ floruit.

B. V. Virga Aaron flo͂rens ac florens, & fructificans.

Virga Moysis Maria, quę Aegyptiorū serpentes deuorauit, dū hæreticam prauitatem interemit.

10. Quod si verum est quod aliqui Rabbini memoriæ prodiderunt, in Virga Moysis nomen Dei Tetagrammatō inscriptum fuisse, tanto certe illustrior erit figura nostræ Virginis, in qua non modo Dei nomen, verum ipse DEVS corporaliter nouem mensibus, factus homo, in habitare non est dedignatus. Vnde iure merito S. Bonau. in spec. c. 13. eam virgam ferream ad conterendos dæmones, ob Diuinitatem sine dubio, in ipsa habitantem nuncupauit: *V. Maria*, inquiens, *est Virga ferrea Dæmonibus. De hac Virga Psalmista: Reges eos in Virga ferrea. O Maria verè Virga ferrea, & dura Dæmonibus, arcens Dæmones à nobis. Hoc Domina petimus, & deuotè petimus cum Innocentio: Aue Dei Mater alma, quæ ex dignitate, qua Dei Mater es, imperare potes Dæmonibus, compesce Dæmones ne nobis noceāt. Præcipe Angelis vt nos custodiāt.*

Rabbini opinati in Virga Moysi Nomē Tettagrammaton insculptum.

M. Virga ferrea est Dæmonibus ad eos conterē-dos.

B. V. pręcipit Dæmonibus ne nobis noceant.

11. In eodem Virginis encomio Cardinalis Halgrinus pietate in Deiparam verè eminentissimus, præter iam dicta, pulcherrima quędam inuenit alia mysteria, quibus mirificè hæc Virginea potentia, ac virtus Virtutibus Angelicis longe præstantior illustratur. Audet enim non modo illam Angelis, verum etiam reliquis Sanctis ipsiusque potentissimi Regis Regum Christi potentiæ comparare. Dum iuxta versionem 70. Interpp. legens: *Equo meo assimilaui te*; virtutem, potentiamque Deiparæ, humanitati Christi, quæ equus quidam nobilissimus, ac generosissimus extitit, cui insidens Diuinitas triumphum de mundo, infernoque reportauit, conferre non est veritus.

B. V. virtus ac potentia similis virtuti Humanitatis Christi.

Potest, inquiens, *equitatus Christi nomine, illa militia triumphalis intelligi, qua contra Diabolum equo carnis suæ insidens militauit. De hoc equitatu cecinit Abacuc ad Dominum: Et equitatus eius contra insultus Diaboli fuit salus hominum. Hic est equus ille, de quo olim Zacharias: Vidi pernoctem, & ecce Vir ascendens super equum rufum: Hic est equus humanitatis assumptæ, proprio sanguine rubricatus, cui velut equo insidens, DEVS de Diabolo triumphauit. Dicit ergo filius Matri: In curribus Pharaonis, & exterrendis, & conterendis, etsi non adæquaui, assimilaui tamen te equitatui meo, siue Equo meo, ò Mater Dilectissima*

ctissima quia licet in exterrendis, & conterendis castris Diaboli humana Maternalis Virginitas non adæquatur Deitati, in his tamen eidem assimilatur, præ cæteris. Hæc Card.

Ex quibus colligimus Diuam Virginem sicut in reliquis actionibus pene omnibus Christum, sic in Dæmone, virtute sibi concessa Diuinitus, obterendo, & triumphando, fuisse imitatam.

Humanitas Christi Dæmonibus horribilis ob IESV etiam Nomē quod gestat.

12. Virtus porro hæc humanitatis Christi, qualis, quantaque extiterit, vel ex eius Sacratissimo ac potentissimo Nomine IESV, quod Dæmonibus est semper horribile, colligere possumus. Huius Diuinissimi Nominis virtutem S. Chrysologus ser. 144. hisce verbis celebrauit: *In hoc Nomine tota Deitatis adoratur Maiestas, omnes qui commorantur in cælis, vniuersi qui habitant terra, cuncti qui in profundo detinentur Inferni huic prosternuntur Nomini, hoc adorant. Audi Apostolum: In hoc Nomine IESV omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & Infernorum. Hoc dedit Nomen cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, totamque Diaboli potestatem, de obsessis corporibus virtus huius Nominis effugauit. Etsi nomen tantum est, quanta potestas? Sed quis est iste qui vocatur hoc nomine? Iam dicat Angelus. Filius Altissimi vocabitur. Videtis quia quod concipit Virgo, non terrenum germen est, sed cæleste; Virgo peperit, sed DEVS suscepit filium,* Sic Chrysologus, qui ex Nominis Diuinitate admirandisque effectibus, potentiam humanitatis Christi, mirabilia vel in ipsa Virgine operantem intulit. Hoc enim Nomen Saluatoris *Virginitati Sociatam fœcunditatem; mortalitati incorruptionem; passibilitati, impeccabilitatem visum est conseruasse.* Vnde Nomen IESV interpretans Saluatorem idem S. Antistes conclusit; *Merito ergo Virginis salua sunt omnia, quæ omnium genuit Saluatorem.*

Nominis IESV elogia.

IESV Nominis magna potestas, quia Filius est Altissimi.

Quam ob causam S. Vicentius Ferrerius serm. de Circun. iure merito pronunciauit: *Hoc Nomen IESVS est virtuosum, quia omnes virtutes, quas DEVS posuit in herbis, lapidibus, verbis, plantis, stellis, & constellationibus, omnes sunt, & continentur in hoc benedicto Nomine IESVS.*

In nomine IESV omnis virtus creaturarum cæli, & terræ continetur.

13. Admirabilem quoque huius Sacratissimi Nominis virtutem, energiam ac potentiam in spiritu rapta ipsa die Circunsionis Domini sacro vidit B. Magdalena de Pazzis Par. 4. cap. 23. eius vitæ dum: Te DEVM laudamus Moniales concinerent. Contemplatione enim dulcissimi illius, potentissimique Nominis absorpta, & diuina suauitate plena, ita proloqui cæpit: O' sponse amantissime largire hisce tuis Sponsis tuum sanguinem, eodemque in earum cordibus tuum amabilissimum Nomen inscribe; quod quidem ita dulce, ac potens est, vt nec intelligi, nec comprehendi ab vlla creatura possit. Omnes cæli Hierarchiæ in vnum coaluisse videntur corpus, adeo vnitæ, atque concordes sunt, ad inclinandum se tuo dulcissimo Nomini, illud adorando. Illi vero qui sunt in Inferno, licet prorsus huius venerationis sint incapaces, nihilominus tamen cum tibi Nomen hoc fuit inditum, nescio quid timoris experti ad illud adorandum compulsi sunt. Et tamen creaturæ, quæ fructu huius Nominis potitæ sunt, adeo ingratæ existunt.

Desiderādum vt IESVS Nomen suū sanguine suo cordibus nostris inscribat.

Nomen tuum, Sponse mi, Patrem æternum placat contentos, lætosque reddit Angelos, exhilarat iustos, & contremiscere facit Cacodemones. O' paruule Sponse mi, nosti bene, infantulos libenter res magnas alijs tribuere, quia eiusdem esse valoris cum minimis sibi persuadent. Ita quæso fac etiam tu, siquidem pro nobis Infans fieri dignatus es. Dona nobis Magnum hoc dulcissimumque tuum Nomen quia si animæ nostræ Nomen hoc tuum corde reclusum habuerint, habebunt sine dubio rem maximam, quam in rerum natura desiderare possunt. Nomen enim hoc tuum complet cælum, & terram. Vnde qui fieri potest, vt dulcissimi huius Nominis effectus non experiamur? Hoc Nomen, Nomen est Salutis, & qui fieri poterit vt omnia verba omnia quæ ex ore nostro procedunt, non sint salutifera? Quare Sponse mi ne quæso dedigneris Nomen tuū harum cordibus inscribere, ne dedigneris singulis earū sēsibus, singulas tui Nominis literas inserere, siquidem tui amore captus seruus tuus Bernardus, illud iubilum omnium sensuum, & mel in ore esse dixit.

Nomen IESV Patrem æternum placat.

Nomen IESV complet Cælum, & terrā.

Optādum vt IESVS sui Nominis literas quinq; nostris sensibus inserat.

O' quam dulcia verba eorum sunt, qui te in corde gestant. Quæ suauior, dulciorque audiri potest melodia, quam dulcissimi Nominis tui auditus? Illo siquidem efficimus, vt æternus Pater ad nos oculos suos conuertat, purissimique Angelici Spiritus cupiunt, vt ita dicam, vt ipsis in huius Nominis laudibus associemur; eoque Dæmonibus

Nomen IESV facit vt Pater æternus suos oculos ad nos conuertat.

bus reddamur formidabiles. Sic illa.

In Nomine IESV nō modo virtus ac potentia, sed & ingens pondus reperitur.

14. In hoc eodem Nomine nō modo virtutem ac potentiam, verumetiam pondus quoddam admirabile ad deprimendos in profundum Inferni Cacodæmones, eorumque superbiam, inuenit Petrus Abbas Cellensis lib. 2. epi. 4. dum exclamauit: *O pondus Nominis Iesu! quis appendere, quis dinumerare, quis æstimare valeat hoc Nomen in pondere? Nunquam sine pondere nominandus est IESVS. Pondere vtique sanctuarij, quia nemo potest dicere, Dominus IESVS, nisi in Spiritu Sācto.* Cum igitur Nomen humanitatis Filij Dei tantæ virtuti, ac energiæ, tanti pōderis, ac potentiæ, sit vt sanctitate sua omnem aerearum Potestatum tyrannidem opprimat: quanto magis erit ipsa humanitas, ac consequenter ipsa Virgo Deipara, ex cuius vtero assumpta est, & cui ab ipso cælesti sponso, ad obterendas Tartari phalanges assimilata est? O quam apposite B. Ioannes Geometra Hymno 2. Deiparam Lauro, quæ Dæmonum impetus, ad instar fulminis, fulgurisque in homines irruentes, à nobis arcet, comparauit, dum eam in hunc modum magno pietatis sensu salutauit:

Laurus est B. V. non tā fulmen à nobis, quam Dæmonis arcens potestatem.

Salue procera Laurus, quæ procul arces
Fulguris haud fulmen, Dæmonis at faculas.

15. Virgineam hanc virtutem potentiamque, qua contra Infernalium hostium insidias mortales proteguntur, iure sane merito sponsus celeberrimæ illi, atque inexpugnabili Turri Dauidicæ contulit Cant. 4. *Sicut Turris Dauid,* inquiens, *collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium;* siue enim per Turrim hanc Deiparæ efficacissimam orationem, quæ velut per collum in omnia Ecclesiæ membra Spiritus vitales, ac spirituale nutrimentum deriuat, intelligatur, vt voluit Nyssenus. Hom. 7. in Cant. siue munimen, ac refugium peccatorum, vt Cardinalis asseuerauit Halgrinus, Deiparæ sane eximiam hanc Virtutem, Angelicarum Virtutum longe excedentem nobis ob oculos proponit. Quæ vt tanto magis nobis elucescat, audite ipsius pijssimi Cardinalis verba: Ceruix B. V. eminentiam sublimitatis eius contingētem scilicet, imo excedentem Angelos) designat, propter quam Christus verus Dauid in Ecclesia militante Hierusalem ædificauit, atque erexit, vt esset peccatoribus munimen, ac refugium. Propugnacula huius turris sunt virtutes, & gratiæ, dignitates, & prærogatiuæ, intentionum puritas, & operum sanctitas, virtus orationis, & merita operum, quibus B. V. peccatorem pœnitentem protegit, & tandem expugnat inimicum. Clypei de Turri hac pendentes, virtutes sunt, quæ repellunt iacula tentatoris, eiusque insultus. Clypeus est fortitudo, quæ aduersus impetus aduersitatum resistit. Clypeus est temperantia, quæ ignea tela concupiscentiarum carnalium repellit. Armatura fortium, opera sunt virtutum, per quas impugnatur, & debellatur Diabolus, quasi gladio vel lācea, qualia sunt opera iustitiæ, pietatis, & misericordiæ, orationes, & Eleemosynæ. Dicitur ergo, quod mille clypei pēdeant ex ea, omnis armatura fortium. nam ad defensionem nostram hostiumque impugnationem, ipsa nobis adiutorium, omniumque virtutum exempla subministrat. Plura, qui volet de hac Virginis aduersus Tartareos hostes virtute, ac potentia videat 1. Par. D. 9. numero 66.

Oratio B. V. est collū per quod in omnia Ecclesiæ mēbra Spiritus vitales deriuantur.

B. V. Turris à Christo vero Dauide ædificata vt esset nobis peccatoribus in refugium, & munimen.

Propugnacula in Turri Dauidica sūt virtutes, & prærogatiuæ B. V.

Quinam sint Clypei huius turris?

B. V. ad defensionem nostram hostiumque impugnationē nobis adiutorium subministrat.

17. Quanta porro vis, & energia sit orationum sacratissimæ huius Virginis, quibus quasi collo cum Christo eius Filio humani generis capite vnimur, quātumque omnium Angelorum Sanctorūq; intercessiones antecellat, idem deuotissimus in Deiparam Cardinalis mysteriosè declarauit. Explicans enim illud sponsi in huius Virginis laudem celebratum elogium Cantic. 4.

Orationum B. V. apud DEVM super omnes Angelos, & sanctos præstantia.

Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua: Fauus, inquit, *est mel in cera, significatque Deitatem in carne. Labia igitur Matris IESV Christi, in precibus suis distillant magnitudinem Filij, qui exauditus est, pro sua reuerentia, vt in fauorem tanti Filij, ipsa digna sit exaudiri. Vt autem potentior ostendatur oratio Virginis quacunque cuiuscunque tandem, siue Angelicæ, siue humanæ creaturæ,* Oratione, subditur: *Mel, & lac sub lingua tua. Mel siquidem quod è cælo trahit originem, Angelicam naturam demonstrat. Lac verò, quod de carne nascitur, in sanctis hominibus mundæ vitæ candorem designat. Atque hi omnes tam Angeli, quam viri Sancti inferiores sunt in precibus lingua Matris Christi.*

Ad harum vero precum efficacem potentiam, accedit odor vestimentorum, idest odor meritorum, quibus Virgo exornata refulget. qui odor est, sicut odor thuris, idest, sicut odor orationis

Meritorum B. V. apud DEVM potentia.

flagantis ac fragrantis. Ipsa enim pro peccatoribus, non minus meritis, quam precibus intercedit. Sic Cardinalis de virtute, & energia Virginearum orationum, ac meritorum, quibus apud Diuinam Maiestatem, intercedit, nosque contra Orci potentiam aereasque potestates reddit inexpugnabiles, virtutem cælestium Virtutum quam longissimè excedendo.

17. Ostendit sane Deipara nostra gloriosissima quanta super omnes Angelicas Virtutes ad retundendas ac comprimendas Tartareorum hostium vires, robur, ac tyrannidem, polleat facultate in Hieronymo illo Religioso Pictore eximio, de quo Religiosissimus Plebartus lib. 6. Stell. Part. 2. art. 2.

Pictoris B.V. Imagines venustè pingentis grauis tentatio.

Hic cum summopere oblectaretur pingendis Sacris Deiparæ Imaginibus, mos illi fuit eam Schemate pulcherrimæ Reginæ Sole vestitæ, corona stellarum 12. redimitæ, Cacodæmonem pedibus, specie tortuosi serpentis conculcantis eiusque teterrimum caput conterentis, repræsentare. Aegrè id humani generis ferens hostis, quod Virginem tam venusto, se vero tam turpi, atque abominando efformaret ore, indignatione, furoreque percitus, ardentissimas Hieronymo libidinis subijcit faces, eumque ad scelus perpetrandum inflammat. Vtque faciliorem ad illud designandum ipsi sternat viam, suadet tanquam Sacrarij curam gerenti, vt calices aliaque vasa aurea atque argentea colligat, atque confringat, vsibus futuræ vxoris, familiæque sustentandæ opportuna. Dum infelix tam nefandum sacrilegium aggreditur, mox Cacodæmon stentoriâ voce vociferatur:

Tentatur à Dæmone Carnali concupiscentia.

Currite currite, quia Hieronymus thesauros Ecclesiæ deprędatur. Aduenere subito domestici, eumque inflagranti repertum cum nox intempesta esset columnę alligarunt, in crastinum eum mulctaturi. Interea vinctum Stygius tenebrio ac Veterator sannis, cachinisque amarissimis diuexat. *Tunc es ille*, inquiens, *qui me adeo deformem adeo horrendum atque abominabilem; Mariam vero contra tam eleganti forma conspicuam pingere assueueras?*

Adiuuet ergo te illa tua pulcherrima Regina, teque ab his liberet vinculis, si valet.

Dæmonis sannæ ac irrisiones.

Inter has deprehensus angustias Hieronymus quo se vertat nescius, tandem ad misericordię recurrit Matrem, scelus detestatur, intimoque cordis eam inuocat affectu, rogat, obsecrat, ne sibi in tam præsenti desit periculo. Nec mora, ei se visendam Angelis stipata exhibet Deipara: *Confortare*, inquiens, *Hieronyme, ac deinceps caue versutias Diaboli:*

Et quia mihi seruijsti, in hisce te tribulationibus non deseram. Illicoque mandat Angelis vt vinculis Hieronymum suum absoluant; & Veteratorem Tartareum comprehensum, in tantę ipsius fraudis, atque nequitiæ vltionem ad eandem columnam constringant. Monetur interea Hieronymus à Deipara vt hora competenti det signum ad matutinum, & in choro cum reliquis Psalmos de more decantet, salua sibi futura omnia. Quod, & factum est. Religiosi enim illi cum in Sacrario calices aliaque Ecclesiæ vasa integra, operâ sine dubio siue Angelorum, siue Deiparæ reparata, suisque locis reposita, & Hieronymum in choro psallentem, ac denique humana Specie Cacodæmonem columnæ alligatum vidissent, hæsere stupefacti.

B.V. curat Hieronymū vinculis absolui, & Dæmonem ad Columnam per Angelos alligari.

Quibus Hieronymus rei gestæ seriem cum enarrasset, multisque lacrymis veniam tanti delicti esset deprecatus, Virginisque benignissima pietatis viscera, quæ pro tam modicis picturæ obsequijs & tantis malis nequissimique Veteratoris fraudibus, eripuerit, inque eius caput omnia retorserit, deprædicasset; Reginæ cælorum nimirum omnes Patres illi clementiam admirati, communi consilio, atque consensu, in stygium illum columnæ alligatum Nebulonem multis verberibus sæuierunt.

Quis hic gloriosissimę Deiparæ vim virtutéquę omnes Angelicas Virtutes longè transcendentem in Tænerei hostis viribus, conatibusque elidendis, quibus aduersus eius clientulos desæuire consueuit, non obstupescat, summisque in cælum laudibus non extollat?

Quare præclarè tandem concludit idem Pelbartus: *O' igitur anima fidelis, vide quam bonum sit Virginem benedictam inuocare, ei deseruire. O' super benedicta Virgo Dei Mater, Sponsa charissima, Soror, & Filia. O' Virgo Virginum Regina misericordissima. Domina omnium creaturarum excellentissima, per illum pium IESVM, qui te elegit, per illum tuum dulcē Natum per eius amorem Sanctissimum te obsecramus, vt in huius mundi naufragio contra omnes Dæmonum insultus nobis succurere non dedigneris.*

Oratio Pelbarti ad B.V.

18. Eandem suam virtutum ostendit Virgo Deipara in muliere quadam Antverpiensi, è Cacodæmonis potesta-

Mulier sodalitatem Rosarij ingressa à Dæmonis potestate eripitur.

te liberanda declarauit, vt scribit Bzouius ad Annum Christi 1213. n. 10. Hęc data proprio sanguine exarata humani generis hosti Syngrapha sese eius seruitio mancipauerat. Verum postquam Sodalitati Sacratissimi Rosarij Nomen dedit, Dæmon, Virginis compulsus imperio chirographum restituere, ipsomet inuite fatente, compulsus est, atque ita inuincibili illa Diuinæ Matris virtute, miserabilis illa mulier in pristinam libertatem restituta est.

Aliæ Virtutū proprietates. In Virtutibus Angelicis.

19. Ad alias Virtutum proprietates gradum faciamus. Has B. Albertus M. & Sanctus Antoninus collectas ex S. Dionysio tres esse dicunt. Agmen ducit, *Incommunicabilis Virilitas in resistentia contrarij, in aggressione ardui, & tolerantia mali. Altera est, omnis imbecillitatis, qua ad exequendam Dei voluntatem tradiores fieri possent, carentia*. Postrema denique *ad inferiores largitas*. Quæ omnia quam venustè, & longè maiori cum splendore refulserint in gloriosissima Deipara nostra, manifestissimum est. Ipsa enim ob incommunicabilem vlli puræ creaturæ eximiam illam suam virilitatem, in ipsis mundi nascentis incunabulis Virago ab ipso Creatore appellata est, dum dixit de Eua: *Hæc vocabitur Virago, quia de viro sumpta est*. Gen. 2. Quæ verba expendens Rich. à S. Laurent. libr. 4. de laud. V. *docet eam potius, quam Euam dicendam Viraginem, eo quod consentiendo in Incarnationem Verbi effecerit, vt verbum, caro; Filius Dei, Filius hominis fieret, atq; ita immensum DEVM hominem, virumq; egerit effeceritque dum ipsius vtero purissimo, humanitatis nostræ sese paludamento contexit*. Idem Richardus ait *Deiparam virilitatem egregiam ostendisse dum prima omnium, absque omni præcepto, consilio, exemploque Virginitatem vouit*; Quare ait longè potiori iure ipsi illa pulcherrima elogia conuenire Iudith. c. 15. *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri; Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris*. Et licet varijs in rebus Virgo nostra virilem semper animum ostenderit, ostendit tamen vel maxime, in dilectissimi Filij Passione, inquit idem Rich. *ita vt ad titulum eius laudis, & gloriæ sufficiat, quod eius mentem tanta vis amoris accenderat, vt fugientibus discipulis, oblita sexus fragilis, astrans cruci, morientique Filio condolens, animam suam etsi non posuit, exposuit tamen. Quis enim sani capitis dicat ipsam talem Matrem, à tali filio tam dilectam, minus dilexisse Filium suum Vnigenitum, & talem filium, quam Dauid Absolonem fratricidam cum dicebat* 2. Reg. 18. *Quis mihi det vt ego moriar pro te Fili mi Absolon*! Sic fere Rich.

B. V. à Deo Virgo appellata, ob incommunicabilem virilitatem.

B. V. potius quam Eua Virago appellanda, & quare.

B. V. virilitatem egregiā ostendit prima omnium Virginitatem Deo vouēdo.

B. V. virilem animum in Filij passione ostendit.

20. Ostendit item Virilitatem suā Virago nostra plane nulli creaturæ cōmunicabilem, in resistendo contrarijs. *Ita enim*, inquit Albertus, *omne contrarium nociuum, videlicet peccatum vicit, ab illo nunquam se vinci passa fuerit. Qua in re ipsas excessit Virtutes quum longissimè. Angeli enim nunquam vicerunt, quia nunquam in aliqua aggressione ardui pugnauerunt, cum sint Spiritus, qui mundi huius, carnisque miserijs minimè obnoxij sunt. Neque enim egestate aut paupertate premi possunt, neque similiter, carnis macerationem experiri, vti Virgo Deipara*, ob quam merito mons myrrhæ à Filio nuncupatur. De hac aduersus vitia virili plane Virginis resistentia præclarè S. Ignat. scribens ad Ioannem: *Contra autem vitiorum pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit*. Porro super omnes Virtutes, peccatum adeo viriliter deuicit, vt merito de ipsa pronunciarit Bernardus, Epist. 174. ad Canon. Lugdun. *Ego puto quod, & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed, & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem; quod nemini alteri, inter natos quidem mulierum, creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis, ab omni peccato vacuam ducere vitam, quæ dum peccati, mortisque pareret peremptorem, munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret*. Quam Virginis purissimæ ab omni peccato immunitatem peruenustè Pater noster expressit Causinus lib. 2. Hierogl. 20. Dianâ Cyndiade, cuius simulachrū sub dio nunquam omnino niue, aut pluuia tangebatur, vt scribit Polybius lib. 16. pag. 752. *Multa huiusmodi*, inquit Causinus, *celebrantur argumenta in honorem Sanctissimæ Virginis, cui nihil est ex communi hominum macula contagionis instillatum:*

B. V. ita peccatum vicit, vt ab illo vinci nunquā potuerit.

Angelicæ virtutes carnis miseriis minimè obnoxiæ, vnde nunquam huiusmodi vicisse dicēdæ sunt vti B. V.

Decuit Reginam Virginum singulari priuilegio Sanctitatis ab omni peccato vacuam ducere vitam.

B. V. Diana Cyndias à niue, & pluuia peccatorum illæsa.

Qualiter è spinis mollis rosa surgit acutis
Nil quo lædat habens, matremque obscurat honore.

Qua in re Virgo videtur persimilis statuę Iouis Ithomatæ, quæ in flagrante sylua illæsa perstitit. Exarsit nimirum vehementissimo cupiditatis igne vniuersa generis humani sylua post protoplastorum lapsum, omnes noxia illa ambus-

ambussit flamma, sola Virgo vniuersali hoc Incendio exempta, Virilitatem suam, peccatis resistendo manifestauit.

21. Ob eamdem hanc Deiparæ nostræ ab omnis peccati incendio immunitatem comparari posse videtur admirabili Viti illi regionis Cataceumenes de qua idem Causinus libr. 1. Hierogl. 76. ait, quod sit combusta, arboribus prorsus careat, siquidem camporum superficies tota est cinericia, montana, & saxo nigri coloris, velut ex adustione fulminum. Inter illam tamen terræ maciem, & ingratam cæli inclementiam Vitis ramos viridissimos explicat. Et quæ tandem est vitis ista, nisi illa, quæ de se aiebat Eccli. 24.

B. V. Vitis Cataceumenes tota virens.

Ego quasi Vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis.

Vnde huic potissimum Virgini ab omni peccati labe depuratissimæ lemma illud Viti Cataceumenes præfixum appropriandum est: *Virgo inter vitiorum incendia intacta.* Quam ego terram ambustam variarum cupiditatum, vitiorumque ignibus atque incendijs merito dixerim esse mundũ, in quo Vnica ac primaria Vitis Christus eiusque Mater ab hoc vniuersali incendio illæsa perstitit. Quare quod de hac cõcremata regione quidam eruditus scripsit Poeta, multo aptius de mundo hoc quem vitiorum cupiditatumque incendia concremarunt, dici potest. Verè enim Mundus hic immundus:

Mũdo regio sterilis.

Est Regio igniferis late combusta ruinis
Arboribusque, satisq; carens vt torridus aruis
Stat vapor, & steriles mundi squallentis arenæ,
Hanc nunquam pluuio perfudit Sydere vernus
Iuppiter, aut picto Thaumantis disco lor arcu,
Sed situs informis terras premit, aruaque sascis
Aspera moerentes cruciant sub vomere tauros.
Tum forte exiguæ calamus si reptat auenæ
Aegra soli macies crescentem exsugit aristam.
Hinc frustrata Ceres fœtus deplorat ademptos,
Et labor et malesuada fames, & tristis egestas
Crudeles longo ludunt, examina Diræ,
Nempe hic vt perhibent ignitum flumen Olympo
Decidit, & rapidis fluxere vaporibus auræ
Sulphureasque vagus torquens per inania flammas
Omnia Vulcanus fumanti vortice sorpsit.
At licet infestus terram decoxerit ardor,
Vastarit que amplos pestis Lipareia tractus,
Vinea combustæ se subtrahit vna ruinæ
Et læto grauidos extollens vertice ramos
Irrorat madidas Lenæo nectare rupes.

B.V. vitis sola inter incẽdia intacta.

Quæ porro hæc inter tam torrida fumantique incendia Vitis sit, quia tam ardens omnia funditus decoquẽs ignis, non ambidem Causinus eleganti hoc versiculo declarauit:

Est ardor, vitij labes; Virgo integra, Vitis,

Quod de integerrima Virgine nostra Virginum omnium Regina Sanctissima si intelligamus, impeccabilitatem ipsius, qua, vt loquitur Albertus Magnus omne contrarium nociuum, peccatum videlicet vicit, & ab illo nunquam victa est, clarè hoc Symbolo repræsentatam, vt, & virilitatem eius Heroicam in resistendo peccatis perspiciemus.

Neque vero Virgo Beata virilem hanc fortitudinem in semetipsa dumtaxat ostendebat, sed, & alios ad illam exercendam animabat, vti S. Ignatium Mart. cui ipsa scribere manu propria non est dedignata: *Veniam vna cum Ioanne, te, & qui tecum sunt, visura (ò admirandam Matris Dei dignationẽ) sta in fide, viriliter age, nec commoueat persecutionis austeritas, sed valeat, & exultet Spiritus tuus in Deo salutari tuo.* Amen.

B.V.S. Ignatium Martyrem ad virilem fortitudinem excitabat.

22. Quid de altera Virtutum dicam proprietate, qua in Diuina exequenda voluntate nihil vnquam imbecillitatis, nihil vnquam tarditatis experiuntur? Illi enim sunt beati illi Spiritus ad quos loquebatur Dauid Psal. 102. 120. *Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute, qui facitis verbum eius ad audiendam vocem sermonum eius.*

B.V. in exequenda diuina voluntate promptitudo.

Quæ proprietas quanta cum perfectione enitescat in Deipara, notissimum est. Vnde B. Albertus hanc, cum excellentia summa habuisse Deiparam affirmauit. *Eandem enim vitam Angelicam, quã ducunt Angeli sine onere carnis, ipsa cum carne, & in carne traduxit; cumque eadem carnis sarcina, eosdem ad nobilius brauium consequendum antecurrit:* Sic Alber. Quod nobis illa manifestè, re ipsa declarauit quando abijt in montana cum festinatione ad inuisendam Elisabet, Præcursoremque sanctificandum. Quo in itinere, amor sane Dei, proximique geminas illi addidisse alas visus est; ita vt cum illam in cælo velut signum magnum à Ioanne, sole charitatis amictum, Aqui-

læque magnæ duas habentem Apoc. 12. vel cum Astrologis in Zodiaco signum Virginis alis instructæ, contemplamur epigraphen illam apponere possumus: *Amor addidit*. Vnde Rich. à S. Laur. lib. 4. Virgineæ huius charitatis nonnullas considerans proprietates, inter reliquas ait fuisse *mobilitatem, qua ad opera pia, instinctu Spiritus S. omni seclusa tarditate mouebatur. Qui enim, vt ait Bern. amat ardentius, currit velocius, peruenit citius; Vnde cum ipsa ardentiori amore æstuauerit, vt eius verba præseferunt: Osculetur me osculo oris sui, &c: Amore langueo; consequens sane fuit, vt ipsa curreret velocius omnibus, & citius ad brauium vitæ æternæ stolâ immortalitatis induta, perueniret. Vnde Sapiës de illa dicere poterat: omnibus mobilibus mobilior est sapiëtia.* Sap. 7.

B.V. Alas habuit aquilæ ad opera charitatis exercenda.

B.V. charitas mobilis ac velox.

23. Quod si cum D. Antonino dicamus Virtutes hasce cælestes, esse illas Intelligentias, de quibus Christus: *Virtutes cælorum mouebuntur*; quæ cælorum orbibus assiduè mirabili illa celeritate gyrandis ac voluëdis in beneficiü hominum, sunt destinatæ; dicere sanè poterimus gloriosissimam Virginem, in hoc Cælo militantis Ecclesiæ gyrando, atque gubernando eorundem beatorum spirituü dexteritatem æmulatam, longeque fuisse multis parasangis träsgressam. Ipsa enim ab ipsis primis nascentis Ecclesiæ exordijs, velut quędam assistens Intelligentia, Sapientiâ suâ totam gubernauit, dum ad illam tanquã Oraculum, Ecclesię Principes Apostoli confugiebant, vt testatus est Rupertus Abbas libr. 1. in Cant. vbi vocat eam Magistram diuinæ legis, & Magistram Magistrorum, Apostolarum scilicet, iuxta illud: Cant. 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Vox tua,* inquit ille, *ò B.V. vox illis fuit Spiritus sancti, quicquid supplementi opus erat eisdem mortalibus, vel testimonijs, ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant ab eodem Spiritu diuidente singulis, prout vult, ex Religioso ore tuo perceperunt, instructo ad loquendum, bene composito ad tacendum, prout tempus erat opportunum.* Idem affirmat eam primo illi Apostolico Concilio, de quo S. Lucas cap. 15. Actorum licet de præsentia Virginis nulla fiat mentio, interfuisse, cum eaque Apostolos de rebus omnibus consultasse. *Non est putãdum,* inquiens, *quod conuentus ille te omiserit, & sanctum de tuo pectore, de tuo ore Spiritum non consuluerit. Imo, & illic, & in cæteris agendis tu Princeps omnem soluisti quæstionem, &c.* Item sentit P. Petrus Canisius noster libr. 5. de B.V. capit. 1. docetque Deiparam non solum interfuisse, sed, & pręfuisse vt Caput Concilio illi Apostolico; quicquid contradicat Rutilius Benzonius lib. 1. in Magn. ca. 13. cuius argumentum solidissimè confutauit P. Hinc offer in Apologia Epistolæ B. V. ad Messanenses.

Sicut Virtutes cælorum, orbes regüt, ita B.V. cælum hoc militantis Ecclesiæ.

B.V. de rebus fidei Apostoli velut Oraculum consulebant.

B.V. primo Apostolico Concilio interfuit.

24. Quid tandem de postrema virtutum insigni illa dicemus proprietate, qua in inferiores largi, ac liberales perhibentur, dum inferiores Angelos illuminant, dum mortalibus in varijs miserijs, infirmitatibusque constitutis auxilio, atque ope præsentissima succurrunt? In hac quoque proprietate Virtutes longè excelluit Deipara. Ipsi enim sua liberalitate dona Dei communicare consueuerunt: Ipsa verò ipsum DEVM: quod tunc vel maximè fecit cum illum in publico peperit stabulo, mox reclinauit in præsepio, vt quisque illo libere frui posset. Liberalitatem Virginis in donando Filio expertus fuit S. Simeon, cui illum, in eius vlnas sinumque vltro amplexãdum osculandumque dedit. Quod munus quantum, quamque magnam extiterit ostendit Guerricus Abbas serm. 1. de Purif. dum Iesum eius Sapientiam, eius Amorem fuisse insinuat: *Lætare,* inquiens, *iam senior iuste, vide iam quod prauidebas; discussæ sunt mundi tenebræ, ambulant gentes in lumine tuo. Plena est omnis terra luminis illius, quod occultum in sinu fouebas, imo quo sensus tuos refouebas. O' fomes amoris ipse Amor suauis, & dulcis ad refocillandam animam! Prorsus suauis, & dulcis, etiam cum crucias, & affligis: cruciatus feliciter delectans, sicut ignis salubriter refrigerans! Ignis iste si in sinu absconditus fuerit vestimenta non comburit; imo illum ignem extinguit, qui in sinu celatus non modo vestimentam adurit, sed, & quod vestitum est depascit; id est corpus, & animam consumit. DVES, inquit, noster Ignis consumens est. Sed ò Ignem consumentem, nam animam refouet, demulcet mentem, spiritum recreat, reparatque pereuntem. Huius ignis vim Simeon non ignorabat, qui in sinu suo eum portare gaudebat, pectusque senile fotu illius calefaciebat. Quã salubrius, & suauius Ignis iste senen nostrum calefecit, quam Regem Dauid Abysag Sulamitis, nisi forte Abysag hic idem ignis, sapientia scilicet, cuius amplexu non solum recalescunt frigidi, sed etiã reuiuiscunt mortui. Amplectere igitur beate senex sapientiam Dei, & recalescent, atque reca-*

Angelicæ virtutes largæ ac liberales.

recanescent quasi de nouo sensus tui ; adstringe vberibus tuis misericordiam Dei, & erit senectus tua in misericordia vberi. *Inter vbera mea, inquit, commorabitur. Etiam cum reddam illum Matri suæ, manebit apud me.*
Et cum inter materna vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea commorabitur, & vbera quoque mea inebriabit misericordia vberi, & si non quantum Vbera Matris.
Hæc ille. Quibus sane eximium donum bonorũ omniũ copiam in se cõplectẽs à Deipara seni illi communicatũ, liberalitate plane profusissima, indicauit.

25. Idem cęleste Diuinissimumque donum etiam hoc nostro sæculo cum innumeris alijs gratijs, ac charismatis effusissima munificentia elargita est Virgo Deipara alijs quam plurimis, de quibus Discursu de Thronis meminimus. Inter hos merito accensendus videtur Pater noster Bernardinus Realinus, cuius in Virginem Matrem amor fuit tenerrimus. Ab hac enim cum singularia ab ipsis vitæ melioris initijs beneficia accepisset, vt ipsius Vitæ scribit Auctor c. 16. gratissimum se semper ipsi exhibuit; eamque vt Patronam suam cliens agnouit; quippe quæ nouis semper beneficijs eum sibi obstringens, catenâ quadam amoris, vt sibi emancipatum ducebat, adigebatque, vt tanto illius fauori ac beneficijs parem animi gratitudinem reponeret. Constat inter omnes, visibili specie Beatissimã V. illi sese spectandam dedisse, modoque prorsus singulari Angelicam illi castitatem impertitam esse, adeo vt exinde per totam vitam nullam sensus, carnisque rebellionem, imo ne phantasma quidem, illusionévè impuram expertus fuerit. Nec desijt deinceps miserationum Mater hisce, ac similibus eum fauoribus cumulare, quos inter numerari merito potest is, quem Anno 1598. cum de nocte decumberet, consecutus est.
Inuisit enim eum benignissima Mater, ac Infantulum suum illius vlnis excipiendum, mira liberalitate porrexit; liquescebat nimirum tunc illius anima diffluens suauissimis lacrymis dum brachijs stringeret, suoque admoueret pectori preciosissimum hunc cæli thesaurum, in quo sunt omnes Sapientiæ, & scientiæ Dei thesauri absconditi.
Ad fuit interim vt lumen inferret Excitator, qui cum vultu plane accensum, lacrymisque perfusum cerneret, quid acciderit eī rogat, ille vero cælesti dulcedine ebrius, continere se nequibat, quin exclamaret: *O' frater charissime si tibi contingeret videre quæ vidi: ò gratiam, ò fauorem singularem? Virgo Virginum hic mihi adfuit cærulea induta pallâ, vlnisque meis Infantulum suum IESVM reposuit. O' conspectum beatissimum, ò cæli delicias.* Nec hic Virginis nostræ stitit liberalitas.
Alia etiam vice eandem in ipsum ostēdit. Cum enim ille nocte Natalis Domini, eadem veste indutus, quam tota æstate gestabat, in amorem, & memoriam frigoris illius, quod Saluator in stabulo Bethlemitico infans tulit, confessionibus excipiendis occupatus, frigore pene diriguisset, quod tremore insolito testabatur, B. V. eum rursus in cubiculo cęleste illud ipsius Sanctissimi partus mysterium meditantem inusitata benignitate inuisit, iterumque in vlnis illius Infantulum suum, qui ignis consumens est, accinentibus Angelis deposuit, vt algida eius membra diuino hoc calore confoueret. Dimidiam fere horam tenuerat hæc optimi, ac Sancti Senis voluptas, cum ex Adiutoribus vnus, de superioris mandato cubiculum, vt inibi ignem exstrueret, ingressus, illum conspicatus hæsit attonitus, situ eum minimè consueto, ac apud se non esse animaduertens, subindeque exclamare: *Adhuc pauxillum ò Domina, adhuc pauxillum.* Hisce verbis Sanctissimam Matrem charissimum suum depositum reposcere, quo sese satiare ille non poterat, significans. Quid animo illius factum sit, quantumque cælestium donorum copiam munificentia tam Diuini Infantuli, quam Virginis Matris hauserit, nescitur. At illud certum per totam deinde hyemem eum frigoris omnis expertem fuisse, cælesti illo Infante tantum caloris, pro tantillo frigore, quod perpauco tempore sustinuerat, rependente. Quis quæso benignissimam hunc Deiparę liberalitatem non obstupescat? Denique Virgo hæc liberalissima vt ait S. Chrysologus serm. 143. *dedit cælis gloriam, terris DEVM, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam, salutem sæculis redditura.*
Qua sane cælestium donorum exuberantiâ Virtutes Angelicas longo interuallo superauit. Hæ siquidem dona Dei tantum inferioribus communicãt. At verò Deipara, & inferioribus simul, & superioribus summum donorum omnium donum, DEVM ipsum dedit.

B.V. in P. Bernardinum Realinum liberalitas.

Angelicam illi castitatem communicat.

B. V. se illi visendam exhibet, & suum Infantulum donat.

Nocte Natiuitatis Domini eius amore frigus passus a B. V. inuisitur & Puer IESVS amplectẽdus exhibetur.

Amplexibus IESV paruuli calefactus deinceps expers frigoris fuit.

Dedit,

Dedit, inquam, Deo mundum reformatum ac redintegratum per humillimum suum illud verbum; Fiat. Dedit Angelis eundem Filium, qui qua etiam homo, constitutus est caput omnium Angelorum. Dedit etiam toti mundo DEVM, cum Filium Patri æterno in Templo pro totius Vniuersi salute præsentauit. Dedit denique hominibus cælorum Regnum, eiusdemque illos, cum Filio cohæredes effecit. O' liberalitatem Virginis nostrę effusissimam! O' largissimam munificentiam!

26. Plenitudo nimirum gratiarum qua ipsa tantopere super omnes Angelorum redundat Hierarchias eiusdemque pietatis viscera eam tam in superiora, quam in hęc inferiora adeo munificam effecerunt, vt omnibus ad illam tanquam ad Matrem misericordię confugientibus, bona omnia, ad æternam pręsertim salutem necessaria expectanda sint. Qua de re præclarè Leo V. Orientis Imperator Hom. 6. de Assumpt. B. V. *A te indesinenter beneficia quasi ex fonte manant, & perenni illo rerum prosperarum cursu, & fluxu, earum quæ nos circumstant impressionem cohibes: dissipantur tristitiæ nubila, cum nitore tuo vitam nostram serenas; passiones, & cruciatus fugantur; formido periculorum in securitatem commutatur.*

A B.V. indesinenter beneficia velut è perenni fonte profluunt.

Nihil commodorum reperitur, quod te volente non suppetat, & nullæ sunt aduersariorum vires, quæ, te opitulante non propulsentur.

Aduersariorum omnes vires B.V. opitulante propulsantur.

Annuit enim omnibus, & omnia per te largitur ille, qui vt beneficio singulari figmentum suum afficeret, te vt in hanc vitam nascereris, concessit. Sic ille. Eandem in omnia, tam superiora quam inferiora liberalitatem celebrauit S. Bern. serm. de Verb. Apoc. *Denique omnibus omnia facta est sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinũ aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam; iustus gratiam; Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam; Filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit quis se abscondat à calore eius.*

B. V. sua copiosissima charitate omnibus debitricem se fecit.

27. Hanc in Filium etiam suum dilectissimmum, & Filij vicissim in se, ipsa Virgo celebrare visa est liberalitatem cum dixit Cant. 6. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia:* Quæ verba expendens Guilelmus Abbas, Deiparam sic loquentem introduxit: Rectè adolescentulæ à me potissimum inquirentes, quo declinauerit Dilectus meus, qui à solio Patris, diuinâ dignatione declinauit in hortum suum vterum meum. Nulli hoc Sacramentum æquè innotuit, vt mihi, nulli tantum contulit, quantum mihi. Ego dilecto meo ex carne mea dedi carnis substantiam, & dilectus meus mihi refudit singularem inter homines gloriam.

Inter Dei Filium, & Matrem mutua liberalitas.

Maria Filio dedit carnis substantiam, & ille refudit illi singularem inter homines gloriam.

Nempè ad cumulum gloriæ mihi, quod sibi non tantum de me, sed, & à me carnem sumere dignatus est. Sumpsit enim de Adam vnde formauit Euam, sed non ab Adam. Non enim Adam de se dedit, quod illi nescienti, & dormienti detractum est. Porrò de me nesciente, & non consentiẽte carnem sumere noluit, sed quod sumeret me per fidelem, hilaremque consensum, dare voluit, & ideo Angelum qui me ad fidem mulceret, dignanter prouideque præmisit.

Denique hilariter dedi, quod de me dignanter sumeret, ipsâ vtique dignatione sua fidei meę deuotionem amplè remunerans. Quid enim insignius præclariusque conferri mihi potuit, quam vt Mater Verbi fierẽ, & hoc tam excellenter, vt non tantùm de me, sed, & à me in vsum redemptionis humanæ carnem sumere dignaretur? Et hoc ipsum ad quantam gloriam mihi suo tempore reuelandam? Itaque ego dilecto meo ex me dedi corpus humilitatis, & dilectus meus mihi tribuit culmen excellentissimæ dignitatis. Eadem mensura qua ego mensa sum dilecto meo, Dilectus meus remensus est mihi.

B.V. hilariter dedit Filio Dei, quod ex ipsa assumpsit.

B. V. Dilecto dedit corpus humilitatis, & ille ipsi vicissim culmẽ excellentissimæ dignitatis, diuinæ nempe Maternitatis.

Quia diuina sua dignatione fidei meæ, desiderioque respondit, & adiecit plurimum; quia dignanter accipiens mea carnalia, copiosè mihi sua refudit spiritualia. Planè mensuram bonam, & coagitatam, & confertam, & supereffluentem honoris, & gratiæ dedit, dabitque in sinum meum, pro eo quod illi incarnando, promptâ hilarique fide aperui vterum meum. Sic ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, ille, qui pascitur inter lilia mea. addit Halgrinus: Nam inter lilia Virginus, id est, vitam, munditiam carnis ipsius, ipse Christus pascitur, & præcipuè iucundatur.

B.V. mensurã bonam, & contentam accepit à Filio donans ei carnalia, & accipiẽs spiritualia.

Qua percepta iucunditate quid mirum si pro tam grato Virginalis vteri hospitio, omnibus eam donis, bonisque cælestibus nobiscum communicandis cumulauerit?

28. Eandem inter se, Filiumque mutuam liberalitatem expressit Virgo Deipara cum Cant. 2. gloriata est:

Dile-

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia: Quæ verba gratiosè vt assolet rursus illustrauit Guilelmus: *Prædicat*, inquiens, *Filij beneficium, & animi sui gratitudinem profitetur*. *Q. D. inuitat me Filius ad gloriam, & Regnum suum iam confido me arctius adhuc, atque arctius, indissolubili vinculo coniungendam. Adero filio meo, perpetuum illi adfutura. Sed vnde hoc mihi? Nemo impinguet caput meum oleo peccatoris dicens. Hoc meritis tuis debetur, quia tam sedula, & afficiosa in illum fuisti: Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Planè non ego prior dedi illi, sed ipse mihi, vt ideo non dico, ego dilecto meo, & ille mihi; sed dilectus meus mihi, & ego illi. Dedi quod prius acceperam, quid enim habebam, quod non ab eo accepissem? Non ergo gloriabor quasi non acceperim. Dilectus meus prior dedit mihi, & ego posteà deuotè illi refudi. Accepit à me carnis substantiam, sed quam ante dederat, paui eum lacte meo, sed quo ipse vbera mea implebat. Officiosa fui, & hoc ipse Ancillæ suæ præstabat. Cum ergo seruierim illi de suo, quid magnum feci? quin potius fecit mihi magna, qui potens est. Planè magna mihi fecit, de me nasci, & à me pasci dignatus cum æternaliter natus de Patre, in cælo pasceret Angelos. Quod ergo nunc accersiuit me, vt pascar cum illo inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, non meis meritis siuè officiis, sed eius exuberantissimæ gratiæ est adscribendum*. Sic Guilelmus summam vrbanissimamque Deiparæ in Filium, ipsam in tot benedictionibus dulcedinis preuenientem extulit liberalitatem. Quam illa pro ingenita sibi morum suauitate ac facilitate, cum alijs etiam Filijs hominum pro modicis sibi exhibitis obsequijs in extrema maximè huius vitæ periodo exercere, promptissima charitate, cælorum Regnum promittendo, consueuit.

B.V. à Filio preuenta beneficiis eadè in illum grata refudit.

Christus accepit a Matre carnis substantiam, quam ante illi donauerat. lac suxit, quo ille eius repleuerat vbera.

Magna fecit DEVS B.V. de ipsa nascendo, eiusque lacte semetipsum nutriendo.

29. Expertus est hanc bene volentissimam Virginis liberalitatem eius cultui addictissimus Leodatus Ordinis Prædicatorum, de quo scribit Bzouius ad Annum 1238. n. 12. quod in extrema ægritudine ipsi Regina cæli apparuerit, & num secum ad cælorum Regnum venire velit interrogarit. Quam ipse cum quæsijsset; quænam esset? & illa se Dei Matrem esse renunciasset; mox Leodatus humillimo, pientissimoque cum affectu: *Et vnde*, inquit, *hoc mihi vt adeo sublimis Heroina, ad me vilem tot peccatis deformatum, ac mille suppliciys dignissimum adueniat? Quod si Domina mea indignitatem meam non despicis, peccatorum indulgentiam mihi à Filio tuo obtine, & tum demum de carcere hoc exime tecumque in cælos proficisci iube*. Obtinuit illa efficaci sua apud Filium intercessione quod optabat, æternæque salutis tum fiduciam, tum certitudinem ingerens, rebus humanis exemptum mirifica lætitia iubilantem secum in Paradisum introduxit. O ter felicem, ac ter beatum illum, qui cultui venerationique Virginis dum viuit est addictus, eius enim, & viuens, & moriens liberalitatem largissimam experietur.

Leodatus à B.V. ad cælũ inuitatur.

30. Expertus est hanc hoc nostro sæculo pius ille Adolescens ex Parthenio Burdigalensi Anno 1609. quod in illius Collegij literis annuis legisse me memini. Hic cum se in difficili morbo à medicis conclamatum vidisset, ad cælestem opem adiecit animum, spopponditque si reualesceret, in Virginis sodalitate anno se æditui munere cum diligentia functurum. Non ingratum fuisse votum, euentus declarauit. Species enim augustissimæ Matris niueo amictu oblata, clienti suo sanitati fuit. Ostenditque re vera Virgo beatissima se Angelicarum Virtutum liberalitatem pro tam modico obsequio, tam preciosum vitæ munus largiendo, longe transcendisse.

Adolescens iam conclamatus promittit B.V. se sacristæ munere in sodalitate functurum, si conualesceret, ex mox conualuit.

32. Expertus quoque est munificentiam hanc, benignitatemque Deiparæ in suo ex hac vita fælicissimo ope gratiaque ipsius obtento decessu Pater Claudius Panceotus. Hic cum Virginis dum viueret obsequijs esset addictissimus, vt habetur in Annuis Coll Aniciensis 1609. cum grauissima infirmitate conflictaretur, dum vice quadam expergiscitur, vidit ad pedes duos adolescentulos candenti corporis habitu, vultu speciosissimo, qui in summis morbi doloribus posito nunciabant, nouas illi molestias superesse deuorandas, & faucibus plenioribus potiones anxias hauriendas, quas in phialis aquâ turbidâ repletis, coram miscebant; cum interim tertius adest, qui è conspectu priores remoueri iubet, angoris enim verò terminum adesse: Sic Reginæ cælorum visum, de cuius imperio, & auctoritate significabat se fuisse missum, neque verò ipsammet longius esse. Desierat loqui, simul ac B. Virgo cum Filio IESV spectabilis adstitit. Comitabantur Dominam Beati, Clau-

P. Claudij Panceoti obitus felix patrocinante B.V.

B.V moribundo vna cum Filio adest, & aliquot Cælitibus.

Claudius, & Ignatius, hic Parens, ille Patronus. Adhærebant aliquot è Societate nostra Patres cælo Beati, qui omnes lectulo appliciti, sponderunt futurum breui, vt ducibus se ad æternæ salutis portum inueheretur. Lætos hosce nuntios mirabilis excepit animi voluptas. Triduum super vixit in continuis precibus, defixus, statu immobili, in Christi de Cruce pendētis obiectam effigiem oculis, eam modo dissuauians, modo pijs allocutionibus compellans. Audisses porro iam instante obitu IESV, & Mariæ Salutaria Nomina identidem elata, lætaque voce pronunciantem, modo toto mentis affectu cum Psalte Regio canentem: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. Posteà exporrectis manibus, quasi Cælites præsentes vellet amplecti: *Venite*, inquiebat, *omnes Sancti, adeste omnes Angeli Dei, omnes Sancti intercedite pro me. Sancta Maria ora pro me*. Sciscitanti de ipso Patri cuidam quam speciosa Virgo Mater esset? Exclamans respondit: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra!* Et de IESV item percontanti: *IESV!* ait moribundus, O' *IESV!* Et hoc tantùm iterabat, eo dexteræ gestu, ea capitis nutatione, ea vocis prolatione, quæ ex intimo pectore vehementiorem, inexplicabilis cuiusdam, qua totus diffluebat lætitiæ affectum declararet, non licere homini loqui, aut aperire quæ videret. O' admirabilem Heroinæ nostræ benignitatem, ac liberalitatem, quæ non contenta deuotum sibi clientulum ab imminentibus illis tribulationibus iam iam exsorbendis, per aquam turbidam significatis, liberare, sed iam præsentiâ, pulcherrimâque sua, & Filij facie eum dignata est exhilarare, vt verè dicere posset: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*; tot denique tantisque animi cælo dignis ornamentis locupletare. Atque hæc de liberalitate Virginis, qua Virtutes omnes Angelicas excessit, diseruisse sit satis. Alias earum qualitates consideremus.

Crucifixum amplectitur, & osculatur.

Videt B.V. faciem pulcherrimam.

Virtutum est patrare miracula.

33. D. Antoninus cum S. Gregorio Virtutes has Cælicas docet patrare miracula, quibus naturalis rei resistit proprietas, sicut quod cæcus videat, mortuus resurgat, hoc natura non habet, imò naturæ consuetudo est in contrarium, & tamen viriliter, vt ministri Dei, præter naturam operantur; Quæ proprietas quam excellenter resplēdeat in Virgine, quis non videt? Quis enim, & plura, & admirabiliora vnquàm edidit, & in hodiernum vsque diem edit signa ac prodigia, quam Virgo nostra, cuius tota vita, assiduum quoddam miraculum extitit? Vnde S. Damascenus eam *miraculorum Officinam* appellare non dubitauit.

B.V. super omnes Virtutes miracula edidit, vnde Miraculorum Officina dicitur.

34. Mirabilium horum breue quoddam quasi compendium texuit S. Amad. Hom. 8. *Non solùm autem*, inquiens, *animarum saluti, verum etiam humanorum corporum sanitati, atque necessitati, pia diligentia prouidet, ac medetur. In locis quippe memoriæ sanctitatis eius dicatis, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbensque innumera beneficia sanitatum. Accedunt ad eius limina rei, tundentes pectora, confitentes delicta, & accepta venia, læti ad propria reuertuntur. Accedunt etiam mente capite languidi, phrenetici, maniaci, arreptitij nocturno timore, alioue phantasmate, seu certa maligni incursione delusi, qui recepta sospitate diuini muneris largitatem assequuntur. Accedunt etiam ad eius vestigia, qui amaro sunt animo, moesti, egeni, afflicti, desolati, ære alieno obligati, quodque grauissimum est viuentes cum dedecoris nota respersi. Horum, & omnium de quacunque tribulatione clamantium, illa libens preces suscipit, & Nato supplicans, omne malum ab eis miseratrix auertit.* Hæc ille.

Miraculorū à B.V. patrotorum breue compendiū.

35. Quod si D. Gregorio teste, maius miraculum est patientem esse, quam Dæmones eijcere, & carnem vincere, quam Gigantem, quem trucidauit Dauid occidere: Virgo sanè gloriosissima ingens erit miraculum, ac patientiæ prodigium; siquidem in Filij Passione, vt ait Bern. plusquam Martyr fuit; sanè de eius eminentissima patientia, alijsque Heroicis virtutibus hæc Diuus Ignatius Mart. Epis. ad Ioan. scripsit: *Et quidam notificauere eandem Matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, & omnium, more Virginis Virtutum, & gratiæ fæcundam, quæ, vt dicunt, in persecutionibus, & afflictionibus est hilaris in penurijs, & indigentijs non querula, iniuriantibus grata, & modesta in re læta, miseris, & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit. Nostræ nouæ Religionis, & pœnitentiæ est Magistra, & apud fideles omnium operum pietatis est ministra. Humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur, cum à scribis, & Pharisæis detrahatur.* Tandem concludit, quantum

Patientē esse est plus quā Dæmones eijcere.

S. Ignatij Mart. testimonium de Patientia B. V.

tum ab huiusmodi patientia sit apud omnes miraculum. *Et hæc talia excitarunt viscera nostra, & cogunt valdè desiderare aspectum huius, si fas est fari, cælestis prodigij, & sacratissimi spectaculi.*

M. cæleste Prodigium, & Sacratissimum spectaculum ob miracula ab illa edita.

36. Denique de hac Virginis in Passione, morteque Filij admirabili patientia præclarè dixit supra memoratus Guilelmus Abbas super illud: *Inueni quē diligit anima mea: Tota denique, & tanta,* inquit, *virtute dilexit Christum, vt ad titulum suæ laudis sufficiat, quod mentem eius tanta vis amoris occupauerat, vt fugientibus Discipulis oblita sexus fragilis, ipsa cum lacrymis adstans Cruci, & condolens morienti, animam suam pro Filio suo, etsi minimè posuit patiendo; tamen exposuit compatiendo.*

In morte Filii B. V. patientiam suam maximè ostendit.

Ex quibus omnibus facile est intelligere virtute etiam Miraculorum cælestes Virtutes longè superatas, à Deipara, cùm ei ipsa Virtus Altissimi obumbrauerit, eique sicut plenitudinem gratiæ, omniumque virtutum concessit abundantiam, sic etiam facultatem super omnes Angelorum Hierarchias, sanctorumque ordines miracula prodigiaque perpetrandi ad Diuinę gloriam Maiestatis. Quare S. Antoninus Virginem Virtutibus mirantibus, vt ipsarum choro sisteret, sic respondentem introducit: *Congratulor vestris Virtutibus, sed Virtus Altissimi, quæ obumbrauit mihi, Filius scilicet meus, qui vmbram carnis, qua lucem suæ Deitatis contexit, ex me accepit, ad superiora me vocat.*

37. Neque vero Virgo Deipara dum in terris viueret, patientiâ, & reliquis illustrissimis suis virtutibus, quam plurima, eaque mirifica Signa super omnes Cælicas Virtutes designauit, verum etiam in ipsa sua morte Sanctissimaque sepultura. De quibus audiendus S. Ioannes Damascenus, Oratio. 2. de dorm. B. V. vbi inter varia miracula, Virgineo tam Spiritu, quam corpore omnia purificata fuisse elementa testatus est. *Quid vero ij,* inquit ille, *qui aderant Sanctissimo, & Sacratissimo Corpori? metu, & desiderio, & lacrymis exultationis Diuinissimum, & Sanctissimum circumsistentes Tabernaculum, amplectebantur, osculabantur, omnibus membris os admouebant, ex contactu repleti Sanctificatione, & benedictione.*

B.V. in morte multa miracula perpetrauit.

Tunc autem morbi quidem fugiebant, fugabantur turbæ Dæmonum omni ex parte compulsæ ad sola loca subterranea. Aer, æther, & Cælum conspersu Spiritus Sanctificabatur.

Ad corpus B. Virginis iam mortuū morbi effugabantur ac Dæmones.

Terra autem depositione corporis. Sed nec Aqua natura erat expers benedictionis. Lauatur enim aqua pura, quæ non eam mundabat, imo vero ipsa Sanctificabatur. Hic surdis quidem perficiebatur auditus claudis autem integer reddebatur ingressus, firmæque, & solidæ fiebant bases pedum.

Per B.V. elementa purificata.

Cæcis restituebatur visus: accedentibus peccatoribus disrumpebantur Chirographa, &c.

Similia scribit Simeō Metaphras, Orat. de Vita, & dormit. B. V. Denique de Virgineis hisce post mortem miraculis sic Nicephorus Callixtus libr. 2. Hist. Eccles. cap. 22. *Apostoli,* inquit, *& qui ibi aderant Viri egregij lectum corona circumdantes, reuerenter illum exosculantur. Ad quem deinde quamplurima fiunt miracula. Cæci namque præter spem, expectationemque omnem, oculis suis solem cernunt; surdis auditus suus datur, claudi gressus recipiunt; & vt semel dicam omne morbi genus attactui solo prorsus cedit, & profugit.* Sic ille. Quæ sanæ prodigia, & longè maiora, atque admirabiliora in hodiernum vsque diem, ad Sanctissimi ipsius Nominis, patrocinijque fidelissimi inuocationem, summa totius christiani orbis admiratione atque ædificatione perpetrantur.

Vnicum hic ex Annalibus Patrum Capucinorum, quod Anno 1602. nu. 59. perpetratum est miraculum, recensuisse sufficiat. Fuit Hercules quidam Ciuis Regiensis, qui cum in ardentissimam febrim incidisset, eaque in dies ingrauesceret, tam acri dolore cruciari cæpit, vt de eius vita Medici penitus desperarent. Hoc in periculo tam euidenti constitutus, manum Virginis virtutemque eius adiutricem breui expertus est. Aduenit enim mox Seraphicus P. Franciscus sine dubio submissus à Deipara, atque ægrotantis lectulo sese sistens, verbis illum huiusmodi compellat. Patienter ò Hercules labores, ac dolores sustine, à quibus vnius horæ spatio grauiter vexandus es; neque animum despondeas; post hos enim statim conualesces. Vix hæc S. Pater protulerat, cum ecce tot cępit corporis doloribus excruciari, vt imbecillis natura vix ijs tolerandis par esse posse videretur. His cruciatibus ingens, & importuna Dæmonum, illum, varijs assumptis laruis territantium accedebat tentatio, qui omnes suas admouebant machinas, vt in eo fidei fundamentum euerterent. Cum enim aliquando Hercules in eam hæresim quæ Diuinitatem Spiritui Sancto denegabat incidisset,

Dæmonum circa moribundos vexationes.

hancob rem vel maximè à Cacodæmone vexabatur. Verum Sancti Patris præsentia in fide ac patientia confirmabatur. Tandem cum ad præscriptum horæ terminum peruenisset, clarissimâ subito cælitus orta luce recreatus est.

B V. in luce se aspiciendā infirmo exhibet.

In ea enim Beatissima cælorum Regina sese ei visendam exhibuit, dexterâ quidem arundinem, lævâ argenteam Scutellam gestans. Ad huius aspectum mox effugati sunt, Dæmones, miraque ægrotanti inducta mentis serenitas, ac tranquillitas. Ad quem conuersa Deipara, his verbis eundem affari non est dedignata: Hercules, si è morbo optas euadere, Angelica tibi Salutatio recitanda est. Qui cum ob virium imbecillitatem eam proferre nō posset; vxorem ac domesticos adstantes in subsidium vocat, eosque Angelicam Salutationem pronunciantes, & ipse Spiritu ac voce, quoad potuit prosequitur.

Qua absoluta, Virgo Beatissima clarissimum liquorem ex arundine in scutellam effundens, illum ægroto propinauit, qui simul atque totum ebibit, tam repente persanatus fuit, ac si nullo vnquam morbo ad illud vsque tempus laborasset. Post hæc statim B. V. velut aurea stella in cælum subuecta, comitante Patre Seraphico euanuit. His similibus exemplis innumeri pene referti inueniuntur libri, qui admirandam Virginis Deiparę in persanandis mortalium incurabilibus morbis virtutem contestantur.

In quauis orbis parte Templa B V. velut miserorum Asyla reperiuntur.

38. Hinc passim ad virtutem hanc Virginis comprobādam in quauis pene mūdi parte, in omnibus Regnis, Prouincijs, Vrbibus, Oppidis Templa Diuæ Virgini Sacra velut miserorum Asyla crebris Illustrissima miraculis reperire est, adeo vt vix aliqua Christiana in orbe inueniatur Ciuitas, quæ prodigiorum, Deiparæ virtute, omnipotentiaque propemodum infinita perpetratorum, gloriâ non resplendeat. Hinc Baptista Mantuanus Virtutum ipsius, miraculorumque, toto orbe agnoscens vim, atque operationem admirabilem erectione plurimorum Templorum ac Basilicarum fuisse contestatam cecinit li. 1. Parth.

Propterea totum surgentia Templa per orbem
Istius immensam laudem, Regnique perennis
Perpetuos fasces, & fine carentia iura
In nostrumque genus summum testatur amorem.

Templum B. V. de Eremo in Croatia miraculis celebre.

Certè in hoc Croatiæ Regno olim potentissimo, nunc vero nimium quantum Turcarum tyrannide acciso, atque oppresso, plura visuntur honori Virginis dedicata Templa, inter quæ præ ceteris gloria miraculorum coruscat illud Reuerendorum Patrum Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, quod S. Mariæ de Eremo prope Zagrabiam vulgo appellatur; in quo Virgo, ea qua diuinitus pollet vi, ac virtute quotannis non pauca edit miracula, ad afflictissimi huiusce Regni consolationem. Anno 1646. certè, mihi videre licuit Adolescentem, qui luminibus cum plane captus esset, & semel, atque iterum ad Sanctissimam hanc Illuminatricem, tanquam ad fontem lucis, à pia quadam Matrona esset deductus, eiusque ante oculos luce misericordiæ plenissimos præsentatus, lucem aspexit, hodieque Scholas nostras, literis nauans operam, frequentat.

37. De me certè illud ingenuè ad tantæ Virginis gloriam fateri debeo, quod dum Tomum hunc secundum de eiusdem conscriberem laudibus, in occurrentibus difficultatibus, cum ad illam pro opportunitate tanquam ad Asylum sæpius recurrerem, mentis meæ caligantis, ac cæcutientis Illuminatricem benignissimam fuerim expertus.

Varia miracula. quæ in illo Templo per V. Beatissimam perpetrantur.

In sacra hac Aede videre est plures votiuas depictas tabellas, & inter has maiorem quandam, in qua varijs, diutinis, ijsque grauissimis morbis, vt comitiali, ac dolore cordis laborantibus sanitas restituta legitur. Mutis item loquendi, surdis audiendi, cæcis videndi, claudis ingrediendi concessa facultas. Non paucis etiam cum morte periculosissimè colluctantibus, beneficio Virginis, Lachesis ensem terribilium terribilissimum subterfugere licuit. Non pauci etiam mortui ad vitam sunt reuocati. Inter hos memorabilis est Puella, quæ aquis fluuij Selini præfocata, cum trium horarum Spatio in fundo gurgiteque fluminis iacuisset, tandemque extracta atque vitalibus, Deiparæ veræ vitæ mortalium reparatricis obtutibus esset præsentata, mox Spiritus in eius præcordia reuocatus est. Quid de ijs dicam, qui cum atrocissima Turcarum captiuitate oppressi detinerentur, huius Virginis memores, diffractis grauissimis, immanissimisque diuinitus catenis, ac vinculis libertatem consecuti sunt?

sunt? Quid de illis, qui nocturnis spectris, Tartareis laruis, Dæmonumque terriculamentis molestissimè diuexati, ope huius Virginis Orco terribilis, vt castrorum acies ordinata, pristinæ quieti sunt restituti? Quid denique de foeminis difficultate periculisque partus laborantibus dicam? Quot, DEVS immortalis ab hac fælicissimâ Diuinissimaque Puerpera, quæ summo cum gaudio lætitiam, salutemque mundo peperit, ipsius præsentissimam opem sunt expertæ? Verè de hac quoque huius Aedis Religiosissimę Virgine gloriosissima cani potest illud, ac dici Baptistæ Mantuani libo. 1. Part. quod afflictissimo huic Croatiæ Regno.

Ipsa sint aduersis commune in rebus Asylum,
Ante preces etiam necdum obsecrata fauorem.
Donat, & ad miseros maternas explicat vlnas.

40. Iam quid de Sacratissimę Domus Lauretanæ, Virginisque Deiparæ in ea commorantis miraculis, ac prodigijs dicam? Legendus hic Auctor Lauretani Sanctuarij Vir pius ac Religiosus Antonius Salt, Paragrapho 10. qui paucis multa complexus ex Auctore quodam moderno cum Panegyricum huius S. Domus præmisisset huiusmodi: Basilica illa Reginæ cæli consecrata, videtur omnino non lapidibus sed miraculis constructa, & quanta quanta est tota miraculum est, tota prodigium est. Alter vero addere non dubitauit, huius Sanctæ Domus miraculorum numerum, esse absque numero, & facilius stellas quam huiuscè Aedis miracula dinumerari posse.

Domus Lauretana non tam lapidibus quam miraculis composita.

Postquam, inquam, hæc præmisisset, tum ita prosequitur: Operatus est igitur vniuersorum Dominus in honorem huiuscè Angelici Domicilij, inque emolumentum tam corporis, quam animæ sibi deuotorum miracula pene infinita; ac primo ab ipso cæpit Sanctuario, eius parietes integros, absque vllo fundamento conseruando, ita vt absque vllo marmoreæ illius incrustationis, ac ornamenti fulcro per se Diuiniore virtute subsistant. Eadem S. Domus sæpius à varijs hostium incursibus, militum insolentia atq; hac deprædatione, eiusque thesauri à furum rapacitate præseruati sunt. Illustratum est pręterea sæpius Sacrum hoc Domicilium Cælicis splendoribus qui tam Penitentiariorum, quam pœnitentium capitibus, eorum intellectum illuminando, dura corda ad pęnitentiā emolliendo, insederūt. In hac Sacra Domo cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus, captiuis libertas, paralyticis membrorū integritas ac perfecta Sanitas identidē restituta est. Notissima est Christiernæ Lotaringiæ Ducissæ, ope Virginis valetudo restituta, quæ cum Paralytica pluribus annis decubuisset, tandem, in hoc Sanctuarium fide plena ingrediens, instanti temporis valens, vti, & Longa Neapolitana surrexit. Quid Antoniam Grationopolitanam in Gallijs memorem? Nonnè hæc cum à septem Dæmonijs esset oppressa, ad huius cælorum Reginæ præsentiam liberata est, ijs magna voce conclamantibus, hanc nimirum esse Sanctam Mariæ Domum, cuius vel solum Nomen eos nimium quantum cruciabat, & inde profligabat.

Christierna Dux Lotar. à paralysi per B. V. liberatur.

Longa Neapol. à S. Dæmonij per B. V. liberatur.

Alia miracula hic ab illo breuiter recensita, nos quia alibi fusius ea descripsimus reticemus.

41. Neque vero solum in hoc nostro Orbe Virginearum Virtutum, miraculorumque innumera habemus monimenta, verum etiam in nouo, Superiori sæculo à Lusitaniæ Regibus industriâ potissimum Christophori Columbi Genuensis nauigatione difficillima, atque periculosissima inuento; in quo ipsa Natura, vt indigenas ad Dei Matrem Virtutum admirabilium operatricem, colendam, venerandâque, proculcata Idolorum adoratione excitaret, sua propria vi, atque energia, Simulachra stupendo artificio, cum nullus adesset Artifex efformauit. Certè P. Alphonsus de Ouagle libr. 7. Relat. de Regno Cile cap. 21. refert quod ad littus maris illarum partium Arauci, quæ vocantur Tubulia, sinus quidam visitur præ altis, asperrimisque scopulis cinctus. Inter hos reperta rupes altitudinis sequi alterius cannæ seu cubiti excauata in modum capellæ concamerate in qua reperta est prodigiosa imago, ex Iaspide Dominæ nostræ, Sanctissimum suum Filium in vlnis gestantis. Rupem hanc attentius consideranti illud accidit admiratione dignissimum, quod lapis ipse vario suarum venarum colore nigram cæsariem è capite in humeros Virginis defluentem, vultumque candidum oblongum, optimâ cum proportione efformat, vestes item coloris rosei; pal-

In nouo Orbe B. V. Imagines miraculosæ.

lium coloris flaui, ac quasi aurei, suffultura vero coloris cęrulei, mira venustate repræsentat. Multis retro annis viderãt eius loci incolæ Imaginem hanc Virginis, verum Stygij tenebrionis circumuenti technis, circumfusi tenebris diligentius eam considerare neglixerunt.

Natura Statuam B.V. absque Artifice efformat.

Sed octo vel decem ab hinc circiter Annis, cum Puer quidam Indus simul cum Matre, iuxta hoc excauatum saxum cõsedisset, nescio quo casu in Imaginem illam defixit obtutum, vocemque attollens, ita Matrem compellauit: *Vides ne quam venusta Domina paruulum vlnis gestans ibi sit?* His auditis Inda mulier propius mox accessit, & incredibilem illam demirata Virginis pulchritudinem, rem totam quam viderat euulgauit. Quod vbi Societatis IESV Patres, qui in Missionibus Arauci versabantur intellexissent sese ad illum locum contulerunt, vt de tanto prodigio redderentur certiores, in summamque rapti sunt mox admirationem. Cumque locum illum dumis, vepribusque syluescentem perpurgari curassent, indigenæ pleni gaudio in tanti fauoris recognitionem promisere inibi ædificare Templum summæ cælorum Reginæ; quæ suos fauores continuando contagiosam luem, quæ populum illum affligebat repressit, & Indam illam fœminam præcipue, quæ sacrum illud pignus in lucem extulerat, omni contagione, epoto modico puluere, quem ab imagine abraserat, liberauit. Hoc porro hac in Imagine obstupescendum est, quod nullius creati Artificis, sed ipsius Naturæ Factoris Opus esse omnino videatur, quia ipsius lapidis venis variè coloratis eam huiusmodi cum proportione depinxit, vt ex certa aliqua loci distantia considerantem mirificè recreet, atque afficiat.

Imago reperta B. V. populum à contagiosa lue liberat.

Alia Imago B.V. antiquissima reperta apud Barbaros Insulæ Tanarifæ.

42. In Tenerifa quoque Insula vna ex Canarijs, vt in Relatione P. Alphõsi de Andrada nostri data Anno 1633. videre est, Anno Domini 1400. antequam indigenę fidei lucem aspexissent, reperta est casu à Pastoribus in exesa rupe statua mulieris longitudinis vnius vlnæ, cum spitama. Tenebat hæc altera manu cereum, altera nudum Infantulum, inter cuius digitos auicula passis alis visebatur quasi puero colludere.

Vestis statuæ erat aurea, chlamys cærulea, & floribus eleganter insertis distincta, capillus in humeros defluebat, sed inter sex spiras collectus. Denique per omnes quasi vestimenti limbos errabant variæ inscriptiones charactere peregrino, & lingua Barbaris tunc incolis vsitata, ex Latino idiomati redditæ sic sonant. Ad collum legebatur: *Typus Matris*. Apud sinistram manum in chlamyde: *Incorruptæ desponsatæ Imperatricis cæli, & terræ Sponsę Creatoris æterni*. A dextra: *Hic est Infans qui genitus fuit sine principio ab Omnipotente Creatore*. In fimbrijs: *Hęc est Pacifica Maria, quæ fuit Annæ partus*. Supra Zonam: *Pro nobis ora;* Seu, *Sis Aduocata*. Ad læuam manicam: *Purificatio, & Præsentatio Infantis*. Porro circa specum hanc in qua Sacra hæc effigies seruabatur dulce melos sæpius, vehementi cum Ethnicorum admiratione resonare auditum est; senserunt etiam ex ore statuæ gratissimum quendam odorem exhalari, toto denique vultu insolitos, non raros splendores euibrari. Vnde persuasum illis fuit Diuinum quid ibi delitescere. Certe illius Ditionis Rex decreuit, vt Imago hæc ab omnibus summo in honore haberetur, eique summa, vti par est veneratio deferetur, quod quia illius loci incolæ quãtumuis Gentiles præstiterunt, per quadraginta annos illam beneficam experti sunt, dum cælestem hunc Thesaurum asseruarunt. Percrebuit interea huius tam prodigiosæ Iconis apud Hispanos fama, qui cum à Barbaris infidelibus eã nõ ea veneratione, qua, par erat coli intelligerent, piâ violentia ereptã in aliam Insulam transtulerunt. Verum translationem illam minimè vel Deo, vel Matri ipsius placuisse comprobauit euentus. Contagiosa enim in primis lues non tantum in ipsos raptores grassata est, verum etiam in Insulam omnẽ; nec vllis sacrificijs, supplicationibus, aut votorum nuncupationibus poterat abstergi. Aliud signum accessit, translationem illam Statuę Diuinę Matri cordi minimè fuisse, quod Imago faciem parieti, populo vero tergum obuertere consueuerat. Quibus prodigijs Hispani consternati, Sacram Iconem Barbaris retulerunt, quæ apud eosdem in Tenarifa insula permansit, donec Anno 1495. Ferdinandus Hispaniarum Rex Insulâ in suam potestatem redacta Patribus Ordinis Prędicatorem etiam hodie miraculis claram tradidit. De hac breuiter etiam Hyacinthus Choquetius in Visc. B.V. erga Præd. Ordinem cap. 26.

Melodia Angelorum circa Imaginẽ B.V. resonare à barbaris audita.

Pestis in raptores Imag. B.V. & in totam Insulam grassatur.

Imago B.V. alio translata tergum non faciem populo obuertebat.


hæc

B. V. Imago Tanari saua nec pingi nec sculpi potest vertendo se in alias, aliasque formas.

hæc tradidit: *Nulla eiuscè Iconis effigies conspecta vnquam est, quod scilicet eius similitudinem penicillo pingi, aut æri insculpi, non permiserit Maria Deipara; cum enim sæpe numero varijs modis tentatum sit; in alias, aliasque formas versa, omnem artis operam lusit semper. Fidem omnem superat quanta ad eam quotidie Religionis; & patrocinij implorandi causa confluat hominum multitudo. Duobus sæculis ante restitutam Insulis illis Christianæ fidei lucem iam dudum extinctam, barbari Incolæ Iconem illam, vti ingens aliquod Diuinumque Numen, summa religione coluerunt*. Sic ille. Ex quibus relationibus satis cõstat Diuam Virg. etiam in mundo noua etiam apud gentiles ac barbaros, omni luce fidei destitutos certa sibi perinde atque in Europa deligere consueuisse apud diuersas gentes, ac nationes domicilia, vt omnibus absque vlla personarum acceptione amplissimæ misericordiæ suæ sinum aperire, omnes recipere, omnibus deniq; prodesse, suisque Virtutibus, ac miraculis fidei christianę lumen inferre, atque ad agnitionem veritatis reuocare posset, ostendendo reuera se omnibus Angelicis Virtutibus, in perpetrandis huiusmodi miraculis ac prodigijs ad animarum salutem, conuersionemque conducentibus potentiorem: vt merito quisque æquus rerum arbiter dignissimam existimet, quæ ob huiusmodi virtutes admirabiles, super Virtutum Angelicarum Hierarchiam efferatur, longèque excellentioribus laudum præconijs celebretur.



D I-



DISCVRSVS VII.

Quod Virgo Deipara Potestatum in se proprietates expresserit.

Quid Angelicæ Potestates significent.

1.



Otestatum nomine Magnus ille Areopagita significari dixit, *ornatissimum, & nulla permixtione confusum ad Diuina suscipienda, ac pulcherrimum ordinem, aptissimamque seriem cælesties Potentiæ, non tyrannicè, atque in deterius viribus suæ potestatis abutentis, verum inseperabili constantia ordinatissimè ad Diuina tendentis, & quæ post se sunt agmina, Dei imitatione promouentis; Hæ verò summæ illius Potestatis, ex qua vt sint potentes acceperunt, similitudinem in se nituntur exprimere.*

Quæ verba expendens Doctor Angelicus 1. P.q.108. art.5. ad 3. Nomen Potestatis ait ordinationem quandam designare, secundum illud Apostoli: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Vnde Potestas quandam ordinationem significat, & circa susceptionem Diuinorum, & circa actiones Diuinas, quas superiores in Inferiores aguat, eas sursum ducendo. Ad ordinem ergo Potestatum pertinet ordinare, quæ à subditis sint agenda. Quæ omnia Potestatum ministeria quam aptè Virgo Maria in se expresserit, vel inde euadit manifestum, quod in nuptijs Canæ sapientissimè ordinarit. *Quodcumque dixerit vobis, facite. Cum enim*, vt loquitur Rupertus Abbas libr. 2. in Ioann.

B V in Nuptijs Canæ Potestates imitata.

Voluntatis eius conscia, & de potentia eius non dubitans, sciret quid erat euenturum, opportuna commonitione ministrorum animos præparat, ornatissimumque illum, & nulla commixtione confusum ad Diuina suscipienda, ac pulcherrimum ordinem, aptissimamque seriem cælestis potentiæ imitata, solicita præmonet, vt non diffidentes, aut etiam irridentes indigni fierent gratia miraculi, sed præcepto parentes viam Dei gloriæ manifestandæ facerent.

Atque ita summæ illius Potestatis, quæ ordinatissima est, ad instar cælestium Potestatum, imò modo longè excellentiori, imaginem similitudinemque in sese exprimere studuit.

2. Quam excellentiam in Virgine nostra agnoscens S.Chrysostomus, postquam illam omnibus Angelicis prætulisset choris, ac Hierarchijs, sub intulit: *Visnè cognoscere quanto Virgo hæc præstantior sit cælestibus Potentijs? Illæ cum timore, ac tremore assistunt, faciem velantes suam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit.* Quare agnoscens in Virgine hanc, suo arbitratu res ordinandi, ac disponendi in cælesti curia atque Ecclesia Potestatem B. Petrus Cardin. Damianus præclarè pronunciauit serm. 1. de Natiu. *Fecit tibi magna qui potens est, & data tibi est omnis potestas in cælo, & in terra, & nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spè beatitudinis releuare.* Et ser. 2. de Nat. hanc disponendi ac ordinandi de salute nostra potestatem in illa agnoscens sic eam alloquitur: *Accedis ante illud aureum humanæ reconciliationis Altare, non solum rogans, sed etiam imperans Domina, non Ancilla.* Eandem hanc Potestatem Potestatibus cælestibus eminentiorem agnouit Seraphicus Bonau. in spec. cap. 5. *Quia*, inquiens, *Dominus potentissimus tecum est, ideo, & tu es potentissima secum. Potentissima es per ipsum, potentissima es apud ipsum, ita vt vere dicere possis: In Ierusalem potestas mea.* Agnouit potestatem hanc; Angelicâ excellentiorem denique S. Ansel. cap. 12. de Excell. B. V. vbi eam sic alloquitur: *Te sic DEVS exaltauit, vt omnia secum possibilia esse donauerit. Tu velis, & nequaquam fieri non poterit.*

M. Potestatibus excellentior, & quare?

M apud DEVM nihil impossibile.

M. apud DEVM potestas.

Dummodo velit B. V. homo saluatur.

3. Potestatem hanc porro libere de salute nostra disponendi ei indulsit Filius ob Diuinæ Maternitatis dignitatem, cui iam pridem in figura dixisse vide-

Diuina Maternitas causa est cur Christus Mariæ nil denegare possit.

videtur 2. Reg. 2. 20. *Pete Mater mea, nec enim fas est, vt auertam faciam tuam.* Vnde scite Rusbrochius libr. de Amor. gradi. *Maria omnis gratiæ, & pietatis, & misericordiæ Mater est, & Aduocata, & Mediatrix nostra, media intercedens inter nos, & Filium suum, qui nihil petenti negare potest, cum sit illius Mater.* Hanc ob causam S. Ioannes Damasc. illam orat. 1. de Natiu. *Diuinæ potentiæ Conceptaculum appellauit.* Hæc nimirum est potentissima illa ac gratiosissima Regina Esther, quæ auctoritate sua de populi sui iam pereuntis salute apud Regem Assuerum liberè disposuit. Audiendus hic S. Bonau. in spec. capit. 6. *Ducta in cubiculum quietis æternæ Regina Maria, gratiam veri Regis habuit super omnes mulieres, Intelligentias nempè Angelicas, & super omnes beatas animas, vt sit in Maria gratia, super gratiam omnium beatorum. Nam reuera in capite eius Rex Regum Diadema Regni posuit, Diadema tā impreciabile, diadema tā delectabile, diadema tā mirabile, vt hoc omni linguæ inennarrabile, omni ingenio sit inscrutabile.* Vnde Potestatē hanc in celis Virginis nostræ tā insignē ibidē vocat, Priuilegium grande. *Mariæ grande Priuilegium est, quod ipsa super omnem creaturam apud Deum potentissima est. Vnde August. Impetra quod rogamus, excusa quod timemus, quia nec potentiorem meritis inuenimus quam te, quæ meruisti Mater existere eiusdem Redemptoris, ac Iudicis: Grande priuilegium est, quod ipsa præ omnibus Sanctis apud DEVM tam potentissima, sicut idem Augustinus declarat: Neque dubium, quin ea quæ meruit, pro liberandis proferre precium, possit plus omnibus sanctis liberatis impendere suffragium; Sed quid tanta Mariæ potentia prodest nobis, si ipsa nihil curaret de nobis. Propter hoc charissimi sciamus indubitanter, & pro hoc gratias agamus incessanter, quia sicut ipsa apud DEVM omnibus sanctis est potior, ita pro nobis apud DEVM omnibus sanctis est solicitior, teste Aug. Te solam ò Maria pro sancta Ecclesia solicitam præ omnibus sanctis scimus, quæ impetras inducias transgressoribus, vt renuntient suis erroribus.*

M. Regina Esthere potentior in nostra salute apud Filium procuranda.

Mariæ grande priuilegium quod sit apud DEVM potentissima.

M. præ omnibus Sāctis apud DEVM potētissima.

M. præ omnibus Sāctis pro nobis est solicitior.

4. Eandem supernarum Potestatum, vt, & reliquorum ordinum agnoscens in Virgine excellentiam B. Arnoldus Carnotensis Abbas Tract. de Laud. Virg. ait eam omnibus beatissimis illis Spiritibus fuisse admirabilem: *Constituta est*, inquiens, *super omnem creaturam, & quicunque IESV curuat genu, Matri quoque pronus supplicat, & accliuis. In supernis, & Infernis admirationi est Virgo puerpera, stupent Dæmones, gaudent homines, in cælo gloriam Deo concinunt Principatus, & Potestates. Non cadit in Angelos Zelus, nec inuidiæ liuore candidatus ille tabescit exercitus, nec de præposito sibi carnis ordine offenduntur. Quia etsi Christus aliquando paulo minus ab Angelis propter passibilitatem sit imminutus, modo gloria, & honore coronatus sub pedibus suis continet omnia subiecta.* Nec à Dominatione vel potentia Filij, Mater potest esse seiuncta. Vna est Mariæ, & Christi caro, vnus Spiritus, vna charitas. Sic Arnoldus, qui in Virgine Matre parem ferè cum Filio potestatem (intellige qualem tantæ Matri à tanto Filio dari fas est) communicatam agnoscens, eam per consequens omnibus Potestatibus antetulit.

M. in supernis, & Infernis est omnibus admirationi.

5. Quare Richar. à S. Laur. libr. 4. ait ipsi soli post Filium competere illud: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Super totam enim cælestem curiam collata est ei plenaria potestas. Vnde dicit: In Ierusalem potestas mea, imperandi videlicet virtutibus Angelicis, & animabus sanctis, ad beneplacitum meum, & introducendi in illud Regnum quoscunque voluero. Nec solùm in Regno celorum data est ei singularis omnipotentia, sed in tribus Regnis, scilicet celestium, terrestrium, & Infernorem, vt in nomine eius omne genu flectatur celestium, terrestrium, & Infernorum.* Addit deinde *potestatem hanc Virginis consistere in orationum ipsius impetratiua virtuositate. Ostendit enim Filio ventrem, & vbera. Nec potest esse repulsa vbi concurrunt, & perorant omni lingua disertius hec clementie monimenta, vt ait Bernardus.* Hinc S. Brigitta lib 4. Reuel cap. 74. ait in quadam visione sibi sanctos apparuisse, & dixisse Virgini: *O' Domina benedicta, tu portasti Dominum in te, & tu Domina omnium es. Quid est quod non poteris? Quod enim tu vis, hoc factum est.*

In qua re consistit potestas B. Virginis apud DEVM?

Sanctorum pulchrum elogium de potestate B. Virginis.

5. Quod quidem varijs in locis ac temporibus sæpius accidit, ac præsertim Diuo Dominico Tolosæ contra hereticos, aliosque sceleratos homines concionante. Cum enim die quadam mugire cælum tonitruis, ignescere fulguribus atque fulminibus, terra quateretur horribilibus, insolitisque motibus, & facies quædam extremi iudicij formidabilis hominibus repræsentaretur, Sanctus Patriarcha animarum successus Zælo, magno cum spiritu de B. V. eiusque Rosario pro concione dicere cæpit Hæc dextera Excelsi, irati hæc vis Numinis est, ò Ciues date locum Deo,

S. Dominici indicendo vis.

Deo, ad ostium cordis vestri stat, & pulsat. DEVS enim est qui fulminat in nubibus, terret vt corrigat, non ferit vt occidat. Tum admirandam potentiam Deiparæ in illis protegendis agnoscés, ita prosecutus est: Agite Saluatoris Genitricem Virginem, Matrem misericordiæ poscite omnes Aduocatam.

S. Dominici exhortatio ad colenda B. V. in aduersitatibus.

Matri piæ pius Filius nihil abnuit, vtriusque precem amate, Rosarium vsurpate. Secundum DEVM Matrem colite, eique fidite, salutem spondeo. Sponsionem hanc meam affirmauit gratam Deiparæ, Deoque ratam, subita ab hisce terroribus quies, & tranquilla securitas. Credite mihi cerno coram centum, & 50. Potestates Angelos vindictæ Dei administros, à Christo, & Christi Matre Virgine cælitus in vos immissos, pœnis vestrorũ scelerũ exposcendis. Interim horribiles Cacodæmonum vlulatus toto Templo insonuere: Væ nobis, væ nobis per vim virtutemque maximè Rosarij igneis catenis religamur, & procul ab orbe hoc heu infelices relegamur in barathrum.

B. V statua sublata in cælum manu minitari visa peccatoribus.

Interea vt Virgo nostra potentiorem se longè Angelicis Potestatibus siue stygijs, siue cælestibus ostenderet, visa est statua ipsius loco editiore constituta, quæ dexteram in cælos porrectam extendebat tribus repetitis vicibus quasi minitando, ac si diceret:

Nisi iussa facessatis peribitis. Ita enim gestum statuæ mox interpretatus est S. Dominicus; non plaga, inquiens, non horrida monstra remittent, nisi à pertinacia remittentes salutem per Aduocatam misericordiæ in Rosario quæsieritis. Ergo sacris precibus Rosarij placate iratam, & iratum minaciter brachium ea flectet ad misericordiam.

Tum vultu ad Deiparæ statuam verso, humi genua supplex ponit, itaque misericordiæ Matrem, eiusq; potentiam apud Filium agnoscens deprecatur:

O Domina cæli terræque, potens Virgo aspice pœnitentes, supplices audi, iras pone, remitte minas, brachiumque repone in sinum tuæ clementiæ.

Audijt pia Parens, & suæ brachium statuę contractum composuit, placatoque suâ materna potentia Filio, pariter venti, tonitrua, terræ motus ac procellæ, magna omnium admiratione conquieuerunt. Atque ita potentiam suam Virgo nostra supra omnium Potestatum vires roburque demonstrauit.

Crediderim idem illud brachium Virginem pientissimam extendisse in collum filij, eique suauiter blandiendo, eius iram mitigasse. Sic enim fecisse visa est à S. Gertrude libr. 4. cap. 49.

Cum enim caneretur Hymnus quidam ad B. V. in quo eam orabant: *Pro nobis rogamus rogita*, vidit Sancta illa anima Virginem brachijs suis stringentem collum dulciter Filij suasque illi Sanctimoniales commendantem.

Addit S. Gertrudis vidisse se eamdem Dominam Nostram apprehendentem dexteram manum Nati sui, eamque ita ducentem vt Crucem auream supra suas sorores efformaret. Vnde vidit paulo super vnam quamque Crucem auream viridi quodam vinculo illigatam dependere, quo significabatur; spe in B. V. facile vnumquemque benedictionem à Christo obtenturum, dummodo de Matre misericordiæ confiderent.

7. Beatus Albertus Magnus Tract. super Missus in Potestibus alias agnoscit proprietates, quas in Deipara in summo, & longè excellentius ait reperiri. Prima est, quod sui ordinis, & suæ dignitatis sint custoditiui. Quis porrò suum ordinem, suamque dignitatem magis custodiuit, quam Virgo nostra, quæ Virginalem pudicitiam tam ante, quàm post partum incorruptam, imò longè puriorem conseruauit.

M. suam dignitatem pṛe omnibus Potestatibus custodiuit.

Quod eleganti similitudine declarauit Augustinus serm. 3. de Aduentu: *Solis*, inquiens, *radius speculum penetrat, & soliditatem eius insensibili subtilitate pertransit, & talis videtur intrinsecus, qualis extra. Itaque fratres nec cum ingreditur violat, nec cum egreditur dissipat, quia ad ingressum, & regressum eius speculum integrum perseuerat. Speculum ergo non rumpit radius solis. Integritatem Virginis ingressus, aut regressus, numquid vitiare potuit Deitatis? Minimè gentium, quinpotius ad instar solis ampliori lumine illustrauit, longèque splendidiorem reddidit.*

M. quomodo dignitatem Virginis custodierit.

Maria partu Diuino Virginitatem suam clariorem reddidit, quia solem iustitiæ peperit.

Hinc S. Amadeus Homil. 4. scitè pronũciauit cõceptu, partuque Dei Filij redditam Deiparam Virginiorem: *Dei Genitrix*, inquiens, *nec in carne delectata, nec carne cruciata, & in conceptione Virginior, & in partu extitit sanior, obstetricante illâ Manu de qua per Psalmistam Deo dicitur; Fiat Manus tua vt saluet me. Manus quippè Dei, Vnigenitus Patris appellatur, per quem fecit, & sęcula. Hęc Manus facta, quando incarnata, non solùm nullum vulnus infixit, verum attestan-*

teſtante Propheta: *Languores noſtros ipſa tulit, & dolores noſtros ipſa portauit. Planè Manus iſta plena remedijs, plena medicinis, ſanauit omnem languorem, morbos expulit, mortuos ſuſcitauit, &c.*

8. Altera Poteſtatum Proprietas eſt, quod ſint aliorum ordinaturi. Et quis Virginum ordinem inuenit, quis illum illuſtrauit alius, quam hæc Virgo Virginum ſanctiſſima, ſiquidem prima omnium communi Sanctorum Patrum aſſeueratione inaudito prorſus, ad illa vſque tempora exemplo, emiſſo Virginitatis voto ſeſe Domino conſecrauit?

B. V. Collegium Virginum Ieroſolymis inchoauit, illudque rexit.

Ipſa plurimas Religioſorum virorũ mulierumque familias, inſtituit, atque ordinauit, ac præſertim lectiſſimum illud fęliciſſimumque cętum viginti Virginum Ieroſolymis coactum Collegiũ cui ipſa Deipara præfuiſſe, illudque inſtituiſſe à Dionyſio Carthuſiano memoratur in 1. ſent. D.16. quæſt.9. vbi de ſcientia, ſapientiaque Virginis agens, inter reliqua hæc addit: quotidie quoque ſeu tempore opportuno edocuit fæliciſſimum illud Collegium centum viginti Virginum eius obſequio, atque regimini deputatarum. Quod Collegium P. Spinellus noſter in Throno Deip. cap.37. num. 18. extitiſſe fundatum atque inchoatum à Virgine varijs ijſq; admodum probabilibus comprobat argumentis, quæ videri poterunt. Illud ſane certiſſimum eſt. Ipſam potiſſimùm ſuorum ſeruorum Ordinem per B. Bonfilium Florẽtinum inchoaſſe, ac toto pene orbe admirabili quadam viſione amplificaſſe Cùm enim B. Bonfilius vt in ſeruorum B. Virginis legitur Annalibus cum ſuis ſocijs in ſolitudinem Montis ſe varijs feceſſiſſent, & ægrè eos, qui ad ipſos accurrebant, Deiparæ ſeruituri, admitterent, inaudito illo prodigio ad augendam familiam, amplificandumque ſui Ordinis inſtitutum, Diuinitus ope Virginis ſũt inflammati. Hi ſiquidem cum verno tẽpore vitem in hortulo domeſtico plantaſſent, ea ipſo die Annũciationis Virgineæ, quo Deipara Dei Mater, ſimulque hominum quamplurimorum effecta eſt, palmites ampliſſimos emiſit, flores ſuauiſſimos germinauit, vuas dulciſſimas produxit. Quo tàm ſtupendo miraculo oſtẽdere voluit Virgo glorioſiſſima ſe auſpice, quæ *quaſi Vitis fructificauit ſuauitatem odoris*, vt ipſa de ſe loquitur Ordinem illum toto orbe palmites ſuos propagaturum, varioſque virtutum flores ac fructus vberrimos producturum. Agnouit S. Gregor. Thaumat. ſerm. 1. de Annunc. Virginem vitem eſſe cum illam ita ſalutauit; *Aue gratia plena, Vitis ſemper vigens, quæ animas glorificantium te lætificas*. O quantis delibuti gaudijs, quantis in ceſſere lætitijs dilectiſſimi illi Dei, Virginiſque ſerui cũ benignitate Deiparæ Ordinem ſuum ad inſtar vitis toto orbe propagandũ, atque amplificandum cum vberrimo ſpiritualium florum, fructuumque prouentu intellexerunt! Sacram porro hanc familiam poſteà Diua Virgo ſapientiſſimè ordinauit, præſcripſitque nigrum vt geſtarent habitum in memoriam dolorum, quos ipſa in Paſſione, dilectiſſimo ſuo Filio viduata pertulit, Regulamque D. Auguſtini obſeruandam demandauit. Eiuſdem quoque Dei Genitricis fauore Ordo ille, ad inſtar cæli pulcherrimo illo ſydere Philippo Tudertino illuſtratus eſt. Cùm enim hic Florentiæ in ædem ſeruorum eiuſdem Virginis ab Angelo ſalutatæ eſſet ingreſſus, dum illa ad aliũ Philippum verba leguntur: *Philippe accede, & adiunge te ad currum iſtum*, vidit cęli Dominam aureo in Curru à Beatis mentibus ſtipari, ab oue, & Leone trahi, videt cæleſte donum atri coloris tunicam ſibi porrigi, & ad Ordinem ſuorum ſeruorum ingrediendum euocari. Nec ille ob tãtum beneficium Dei Matri ingratus extitit, ſiquidem vitæ ſanctimonia ac puritate eius Ordinem illuſtrauit adeo, vt Purpurati Patres eũ ad totius Eccleſiæ clauum gubernandum eligere voluerint; Verùm ſummos hos honores vir humillimus humili eluſit fuga, contentus ordinem hũc ſuum Virgini tam dilectum virtutum ſuarum exemplis illuſtrare.

B. V. vitis fructificans ſuauitatem odoris.

Ordo ſeruorum B. V. per vitem germinantem ſignificatus.

B.V. Regulã S Auguſtini ſuis ſeruis obſeruãdam mandat.

B. Philippus Tudertinus ad Ordinem ſuorum ſeruorum à B. V. vocatus, viſione admirabili.

9. Quid de alijs Religioſorum à Deipara ordinatis familis dicam! Ordinauit Virgo noſtra Ordinem Carmelitarum, qui à B. V. de monte Carmelo denominantur. Ordinauit eorum familiam, qui à B. Maria Montis Virginis intitulantur. Ordinauit, & alteram illam familiam, quæ à B.V. de mercede, ac redemptione captiuorum inſignitur. Ordinauit Religionem illã, quæ ab eius immaculata Conceptione vocitatur, cuius Regulam Summi Pont. Alexan. VI. Iulius II. Leo X inſignia il-

Varij Religioſorum Ordines à B. V Ordinati.

li priuilegia concedendo confirmarūt. Ordinauit Virgo nostra Religionem Oliuetanam. Cum enim Ordinis huius auctores ad Ioānem Papam XXII. recurrissent, eosque ipse ad Aretinum Episcopum remisisset, Virgo benignissima suorum suscipiens patrocinium, apparuit Episcopo, candidam vestem ad recolendam assiduæ tuæ puritatis memoriam, Regulamque Diui Benedicti præscripsit, vt refert Paulus Morigia de origine Rel. c.37.

Ordo Cistercienfis à B. V. institutus.

10. Quid de Cistercienfi dicam illustrissima sanctissimaque familia? Nonne, & ipsam D. Virgo ordinauit, cum Robertum ad eius iacienda fundamenta ab vtero Matris destinauit? Cum enim necdum lucem hanc aspexisset, Matri eius, annulum Virgo pientissima porrexit, quo sibi desponsari eum quem vtero gestaret, asseuerauit.

Robertus in vtero Matris à B.V. annulo desponsatus.

Quantopere porrò sacra hæc familia foret in Virginis delicijs, ostendit ipsa Bertramo eiusdem Ordinis Monacho, vt refert Cæsarius libr.7. cap. 38. Hic enim dùm instaret orationi Virgo Deipara sese ei conspiciendam exhibuit. Ex huius regione fons aurei coloris erumpens ad Virginis pedes, decurrebat. Arenæ Capillique fontis huius erant admodum preciosi, ijque pulcherrimi, smaragdi, carbunculi, topazij, sapphyri, hyacinthi, & his similes. Dum hæc anxius quidnam significent rimatur, Virgo ipsi fontis eius mysteria reserauit, docuitque fontem illum aureum, Ordinem esse Cistercienfem, qui velut aurum inter reliqua metalla, tunc dignitate, sanctitateque præcellebat, & speciali quodam amoris impetu in illam ferebatur, ad instar illius cælestis fluminis, cuius impetus lætificat Ciuitatem Dei. Gemmas illas capillosque preciosissimos, esse eiusdem familiæ viros eximiæ pietatis, sanctimoniæque, ac præsertim singulari erga se deuotionis præ cæteris splendore conspicuos; Tali enim virtutum splendore Virgo fideles suos seruulos ac clientes à cæteris velut notâ distinguere consueuit.

Ordo Cistercienfis velut fons est aurei coloris.

Praclarè enim deuotissimus Pelbartus de Themisuar in Stell. Virg. lib. 12. p. 1. art. 3. *Sicut* inquit, *Serui Regis, & Reginæ in Curia Regis certis notabilibus clenodijs deaurati procedunt, per quæ serui Regis, vel Reginæ esse dignoscuntur, & speciali purpura vestiti ambulant; Ita in Curia cælesti serui V. speciali ornatu, & gloria, qua præ alijs discernuntur, quod serui sunt Mariæ, fulgebunt, iuxta illud Prou. 31. Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.*

Serui ac clientes B. V. singularibus virtutū Rotis atque insignibus à cæteris distinguuntur.

11. Neque vero solum Virgo Deipara Sacram hanc familia ordinauit, verumetiam ab accurrentibus aduersitatibus magna pietate defendit. Nam vt scribit Cæsarius lib.7. Dial. cap. 6. cum Innoc. III. suis literis demandasset Ordini Cistercienfi, vt quadragesimam partem omnium redituum in succursum belli Terrę Sanctæ transmitteret. Ordo vero priuilegijs sibi ab eius antecessoribus datis, innitens, ex actioni tam graui minimè aquiesceret, Innocentius adeo commotus fuisse dicitur, vt sæcularibus Principus bona Cistercienfium tradere meditaretur. Hoc vbi Abbates Ordinis intellexissent, spem suam in Deiparam Virginem totius Ordinis Patronam defigentes, speciales orationes ac supplicationes mox faciendas indixerunt. Nec irritæ bonorum Patrum cecidere præces. Ei enim Sacerdoti qui Summo Summo Pontifici erat à Confessionibus se visendam exhibens, hæc verba Innocentio referenda mandauit: Tu Ordinem Cistercienfem cuius ego sum Aduocata destruere conaris, at non præualebis, & nisi cito resipiscas, ego te, & omnem potentiam tuam conteram. Hæc commonitione conterritus Pontifex conquieuit, Ordinisque Priuilegia roborauit, nouumque adiecit, vt Cistercienfium negotia primo omnium in curia expedirentur. Cum priuilegium hoc peculiari Bulla, & Cardinalium subscriptionibus firmare vellet, eique vnus ex illis contradiceret, ita in eum exarsisse memoratur, vt ei amotionem à dignitate illa minitaretur.

B. V. non solum sacras familias ordinat, sed etiam defendit.

B. V. Cistercienses aduersus Innoc. III. protegit.

12. Quid demum de minima hac nostra Societate dicam? quæ tota quanta, quanta est Virginis Deiparæ est, adeo vt quemadmodum pariendo toti mondo IESVM, innumeros Nato Filios enixa est, sic patiendo spiritualiter Ignatium Patriarcham nostrum eius cultui addictissimum, totam hanc selectissimam gentem, gloriæ Dei, Virginisque amplificandæ potissimùm ac disseminandæ toto orbe natam, edidisse visa sit, adeo, vt iure ipsam Societatis IESV Auctricem ac Propagatricem vocitare possimus. Ipsa enim Constitutiones, Regulasque scribenti Ignatio adsuit,

adfuit, ipsa tanquam illuminatrix Stella, tanquam omnium Religiosorum Ordinum Magistra, arcana illa ac Singularia, quæ nos Substantialia Instituti nostri, vocitamus, quibus tanquam fundamentis tota hæc Spiritualis ædificij moles nititur, suggessit, dictauitq;. Ipsa pietatis suæ lacte purissimo, & Ignatium, & omnes eius filios aluit ab initio, alit modo, alitura pro innata sibi benignitate sæculis omnibus, & in posterum, ita vt dicere videatur, & nunc dilectissimo suo Filio de hac minima eius Societate à quo denominatur:

Ibi dabo tibi vbera mea: Apud Iudæos dedi tibi Vbera corporalia, ad pascendum te, inquit Guilelmus: porro in Ecclesia gentium dabo tibi Vbera mea Spiritualia ad pascendos tuos.

Spiritualiter enim pascam paruulos tuos lacte maternæ pietatis, quæ te olim paui lacte corporali pro veritate carnis. Denique pro eo quod tibi sum Mater corporalis, ero tuis Mater Spiritualis, materna charitate, quasi proprios parturiens filios donec plenius formeris in eis; materna ibidem cura nutriens eos, donec vsque in virum perfectum grandescas in eis. Totum autem hoc faciam eos tibi assiduè commendando, & augmenta gratiarũ eis, pijs à te precibus impetrando. Quæ sane Societas reipsa in dies singulos, manifestis experitur argumentis, ita vt fateri debeat se Virgini Deiparæ debere & originem, & progressum.

13. Vnde Maior Diuæ Virginis Annunciatæ Sodalitas in Academia Græcensi erecta, Anno sæculari 1640. in perpetuæ gratitudinis erga Societatem IESV monimentum, statuam prægrandem augustissimæ cælorum Reginæ, aureis solis radijs vestitæ, Coronâ 12. stellarum redimitæ, candida Lunâ calceatæ, Filiumque vlnis gestantis à duobus beatis Spiritibus lucidas faces præferentibus, flexis poplitibus adoratæ cum hac Epigraphe, basi eiusdem statuæ incisa, erexit. Diuæ Matri Virgini Societatis IESV Auctrici Maior Sodalitas. DD.

Maioris Sodalitatis B. V. in eam gratitudo.

Hoc tibi sacramus Monimentũ Virgo perẽne,
Quo tuus in nostro corde perennet amor.
Phidiaco tu Virgo quidem dignissima cælo,
Quin, & Palladia viuere digna manu.
Sed quia non opis est nostræ tibi ponere vultus
Diuinos, meritis, muneribusque pares.
Viuito vel nostris precor effigiata medullis.
O' fierent spirans oris Imago tui.

Anno Primo Sæculari Soc. IESV 1640.

14. Ipsa denique Virgo nostra Angelorum omnes ordines, Luciferi lapsu, qui tertiam stellarum partem cauda sua in barathrum traxit, admodum imminutos, instaurauit reparauitque, & quasi in pristinum ordinem redegit, dum homines Adæ filios de Sathanica captiuitate liberatos, humillimo suo in Incarnationem Filij Dei cõsensu, in beatissimas illas Angelorum sedes restituit, omnemque tam Angelicam, quam humanam naturam, eius reparatrix effecta, decorauit.

B. V. Angelorum Ordines peccato Luciferi lapsos instaurauit.

Quod peruenustè B. Petrus Card. Dam. serm. de Annunc. nobis declarauit, vbi agens de Virginis in Matrem Dei à Patre æterno facta electione, illam æterno Verbo, per quod facta sunt omnia comparauit: *Statim,* inquiens, *de thesauro Diuinitatis Mariæ Nomen euoluitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa, totũ hoc faciendum decernitur, vt sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refactum sit.*

15. Neque verò solùm Deipara Angelicam, humanamque Naturam consensu suo ordinauit, redintegrauit, decorauitque, dum Verbum æternum hypostaticæ Vnionis vinculo humanitatem nostram, quæ Microcosmus quidam est, atque totius compendium creaturæ, sibi sociauit, verum etiam totum Vniuersorum Protoplastorum scelere perturbatum, defoedatumque in ordinem pulcherrimum redegit, reformauit, & quodam Diuino honore, DEVM creaturis omnibus in humanitate illa assumpta, vniendo, condecorauit: Quam ob causam S. Anselmus Virginem Patri æterno Verbo cuncta creanti conferre non dubitauit libr. de Excell. V. cap. 11. *Vtique, quæ DEVS benè, & vtiliter fecit, in eo statu, quo condita fuerunt esse destiterunt, & per hanc beatissimam Virginem, in statum pristinum reuocata sunt, & restituta. Sicut ergo DEVS sua potentia parando cuncta Pater est, & DEVS omnium, ita beata Dei Genitrix Maria suis meritis cuncta reparando, Mater est, & Domina rerum.*

Per B. V. cuncta creaturæ pristinæ integritati restitutæ.

DEVS enim est Dominus omnium, singula in sua natura, propriâ iussione constituendo, & Maria est Domina rerum, singula congenitæ dignitati, per illam quam meruit gratiam restituendo. Et quemadmodum DEVS ex sua substantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit: ita B. V. Maria de sua carne mundissima peperit illum, qui primæ creationis de-

corem cunctis restituit. Quis igitur ista recto sensu, & corde syncero perpendens plenè percipere nequeat excellentium huius Virginis, per quam tam inæstimabilia bona habet rerum natura, per quam tàm inæstimabili gratia, à tàm ineffabili deiectione erectus est mundus?

Ordo Potestatum Actiuus, & reductiuus.

16. Vltima denique Potestatum proprietas est, quod sint actiui, ac reductiui. Et quæ tandem creatura adeo actiua fuit atque Virgo sacratissima, quæ etiam in somnis ab actione, S. Ambrosio teste lib. 2. de Virgin. nunquam cessabat? *In somnis siquidem cum quiescebat corpus, vigilabat animus, vt idem ait, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronunciat.* Eandem Virginis actiuitatem S. Brigitta orat. 4. agnouit, cùm dixit *Beatam Virg. ex virtute Spiritus Sancti nunquam anhelitum attraxisse vel emisisse, quin tota eius cogitatio esset apud Altissimum. Et quamuis aliquando dormiret, voluntatem tamen suam à Deo nunquam mutabat.* Actiuitatem hanc suam ipsa nobis contestatam reliquit cum dixit in persona sponsæ: Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quæ verba Rupertus Abbas lib. 5. In Cantic. propriè censet gloriosissimæ quadrare Deiparæ: *Multarum,* inquiens, *fuit, & est, non solùm secundùm illam similitudinem otio sancto dormire, id est, à terrenis curis vacare, & in cælestibus per contemplationem, corde vigilare, verum etiam eodem modo, quo Iacob tunc dormiuit, secundum corpus, dormire, & secundùm animam per somnium cælestia videre, iuxta illud: Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed, ò tu cælum Dei, vnica sedes Domini, in vtroque vigilantiæ modo cunctis mortalibus, siue terrenis hominibus longè eminentior extitisti, longè studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere, atque aptior fuisti.*

B. V. fuit actiua dum etiã in somno à contemplatione non cessabat.

B. V. nunquã anhelitum attraxit, aut emisit, quin tota eius cogitatio esset apud Deum.

Non absimiliter verba illa Seraphicus Bernardinus Sen. explicat To. 2. serm. 51. art. 1. cap. 2. *Somnus,* inquiens, *qui abyssat, & sepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per consequens actum merendi, non credo quod talia in Virgine fuerit operatus, sed anima eius liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in DEVM. Vnde illo tempore erat perfectior contamplatrix, quam vnquam fuerit aliquis alius dum vigilauit. Vnde ipsa ait: Ego dormio, & cor meum vigilat, scilicet in contemplatione perfecta, à nulla actione debilitata.* Idem asserit Dionys. Carthus. hunc eundem Canticorum exponens locum: *Hoc sanctissima Virgo præeminenter dicere potuit, quia contemplatiuissimam vitam duxit, & ab exteriori tumultu, omni inordinato strepitu, & cura superflua, atque inquietudine culpæ penitus abstinens, & sopita, vigilantissimâ mente Deo vacauit, pro Ecclesia exorauit, actibusque virtutum in termino excellentiæ perfectionis iugiter fuit intenta. Denique in somno corporali cor eius peruigil fuit, ex assidua assuefactione perfectè insistendi Diuinis, ex ardentissima, & exercitatissima charitate, ex splendidissima, & exuberantissima sapientia sibi infusa, & contemplatione in vigilijs, pene aut prorsus continuè etiam tempore somni vigili corde fuit, Deo coniuncta, & pro commissa sibi Ecclesia vigilare non cessabat.*

Somnus abyssans, & sepeliens rationis vsum non fuit in B. V.

B. V. pro commissa sibi Ecclesia nunquam vigilare cessabat.

17. De somno hoc contemplationis Virgineæ, deque eius mirificis effectibus præclarè S. Gregorius Nyssenus; *Somnus,* inquiens, *simulachrum mortis est. Nam per somnum omnis sensuum effectio in corporibus remittitur, & corporis ipsius velut omnis intentio laxatur, curarumque in homine velut obliuio inducitur, metus sopitur, ira mitagatur, & malorum omnium sensus adimitur. Hinc discimus eam, quæ se iactat corpore dormire, ac mente vigilare, ipsa seipsa sublimiorem esse redditam. Reuera enim in illo, in quo mens sola sibi viuit, à nullo sensu molestata, quasi quodam somno, corporea natura libratur, vereque visio tranquillitate quadam sopitur neglectis spectris, quæ pueriles oculos solent perstringere, & admirationem afferre, non modo, quæ terrena sunt, vt aurum, argentum, gemmæ, colorum elegantia oculos irritantes, sed & illis nobilioribus naturæ miraculis, quæ in cælis conspiciuntur, vt sunt radij syderum, globus solis, Lunæ multiplex facies, & si quid aliud aspectum oblectat. Hæc omnia propter contemplationem verorum bonorum sponsa aspernatur, vtpotè, quæ perpetua non sunt, sed vna cum ipso tempore transeunte loco moueantur ac prætereant. Nimirum tunc oculus animæ liber, ac solutus, nec patitur se deorsum trahi, intuens dumtaxat ea, quæ celestiora sunt rebus sub aspectum cadentibus, tunc auditus velut amissis affectionibus suis, mortuus iacet, occupata mente rebus ijs, quę rationem omnem longè superant, &c.*

Somnus simulachrum mortis.

18. De pia verò solicitaque Deiparæ circa Ecclesiam actiuitate, ac vigilantia, qua fideles docebat mysteria fidei, & Incarnationis, præclarè Guilelmus Abbas: *Expleto,* inquit, *iam opere redemptionis, & assumpto in Patris dexteram Filio, erat pia Mater cum Sodalibus eius Apostolis intrans, & exiens, verbisque salubribus credentes informabat. Et licet Apostoli docente*

Delectabuntur Apostoli mysteria fidei audire ex ore B.V.

cente vnctione S. Spiritus, omnia fidei mysteria plenissimè didicissent, delectabat tamen eos cognita per Spiritum S. audire ex ore Mariæ, & de his sępius cum ea conferebant, & super eos stillabat eloquium eius, & cum differebat de mysterio Incarnationis cuius ministra extiterat singularis, tacebant omnes, & os cordis sui aperiebant, quasi ad imbrem serotinum, & velut quasdam cælestes delicias ex verbis eius hauriebant. Ipsa verò illis hoc arcanum insinuans: Vox, inquiebat, Dilecti mei pulsantis facta est ad me, quando impleto tempore æternæ dispositionis suæ, placuit incarnari ex me.

Cælestes delicias Apostoli ex verbis B. V. hauriebant.

Vox autem eius fuit illa: Aperi mihi soror mea, &c. Poterat Dilectus non aperiente ipsa introire in Virginalem vterum, sed ad maiorem gloriam Matris, quam maluit sponte, & hilariter aperire, stetit ad ostium, & pulsauit.

Tulit Dominus de dormiente Adam, vnde formauit Euam, non stetit ad ostium eius, & pulsauit, consensum, & cooperationem eius minimè flagitauit, noluit conscium esse occultæ operationis suæ. Poterat etiam Incarnationis Mysterium celebrare, Maria nesciente, nec sentiẽte, nec consentiente, nec carnem dante, sicut sumpsit de Adam vnde formauit Euam; sed maluit sumere non tantum ex ipsa, sed & ab ipsa sciente, sentiente, & consentiente, & offerente ad cumulum gloriæ maternæ.

Vnde, & ipsa non simpliciter magnum sibi aliquod à Deo collatum fatetur. Sed fecit, inquit, mihi, magna, qui potens est. Magnum, quod de ipsa, magnum, quod ex ipsa sumere dignatus, & magnum vtrumque ei, quod ad superemimentem eius gloriam. Vide plura apud Delrium, quibus Incarnationis Mysterium explicat vberius.

19. Quam gratus porrò hic Virgineæ cõtemplationis somnus cum tam eximia circa Ecclesiam vigilantia, spõso extiterit, luculenter id sane ipse cælestis declarauit Sponsus Cant. 2. cùm tam serio pronunciauit: *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum ne suscitetis, neque euigilare faciatis Dilectam, quoad vsque ipsa velit.* Vbi ad denotandum quanta in suis contemplationibus, & erga DEVM, & erga Ecclesiam vniuersam flagraret charitate, 70. Interpp. loco; adiectiui illius; Dilectã; ponunt substantiuũ, Dilectionem siue Charitatem, quasi Virgo, tanta tamque ardenti in DEVM, proximumque exardescat charitate, vt in ipsam charitatẽ, in ipsum amoris ignem, eius vehementiâ transformata videatur. Sponsi verba præclarè, vt assolet interpretatus est Guilelmus Abbas sępius iam memoratus, aitque à tempore Incarnationis vsque ad tempus Passionis Filij altissima rerum Diuinarum contemplatione cum insigni erga Ecclesiam Christi sociata solicitudine fuisse defixam.

B.V. mira charitas in Solicitudine Ecclesiæ.

B.V. est ipsa Charitas.

Qua in quiete spirituali dum versatur non permisisse sponsum aliquos obtrectatores, sponsæ quietem illam sanctissimam grauius interturbari. Sed verba pijssimi huius Patris non melluflui, vt ait Delrio, sed præ Pactolo, & Tago diuitis, atque auriflui audiamus, de cuius verbis, velut Thesauris nefas fuerit aliquid subtrahere: *Dormiebat pia Mater inter medios cleros, & erant pennæ eius, pennæ columbæ deargentatæ. Quis dabit mihi alas sicut columbæ huic, & volabo, & requiescam? Quippè non illi datum est sicut cæteris, sed sicut inter omnes participes veritatis habeat priuilegiũ Mater Veritatis. Pennæ eius, virtutes eius, quibus subleuatur à terra licet originaliter esset ex terra. Pennæ eius deargentatæ, id est, nitidę, nihil obscurę, vel sordidæ admixtionis habentes, cum dormiret in medio duorum clerorum, idest, sortium; sors vna dextera erat, & alia sinistra. Porrò vtraque attingebat Columbam illam. Sors dextera, Incarnatio Saluatoris, ea quippè Virginem Matrem pia exultatione repleuit. Sors verò sinistra eiusdem Redemptoris Passio, quę scilicet, piam Matrem mestificauit ad tempus. Toto autem tempore quod erat inter duos cleros Incarnationem, & Passionem, dormiebat pia Mater dulcissimo sõno contemplationis, somnians iugiter Dilectum, & quidem circa humanitatem eius materna solicitudine pro tempore satagebat.*

Attamen in Diuinitatem eius iugiter, intenta, cõtẽplatiuę quietis dulcedine fouebatur, & ita in se circa Filium perfectè, atque excellenter implebat negotium Marthę simul, & otium Marię. Negotiosa erat circa humanitatem Filij, ad Diuinitatem eius otiosa. Sic dormiuit à dextro clero, vsque ad sinistrum. Nempe vbi ventum est ad sinistrum Clerum, Passionem Vnici Filij, sequestrata paululum quiete contemplationis, pijs se doloribus totam impendit, & totam se cum eis expendit, impletaque est illa presagi Simeonis Prophetia: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Verum illi dormienti inter medios Cleros obstrepebant quædam improbę animę, & inquietare conabantur suauiter quiescentem. Cum enim pius IESVS verbum vitę cogitaret, & sermonem Diuinis miraculis confirmaret, compatriotę sui scandalizabantur in eo, dicentes: Vnde huic Sapiẽtia hęc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius. Nonnè Mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacob, & Ioseph? Exierunt etiam quidam

de

de suis tenere eum quasi arreptitium dicentes, quoniam in furorem versus est. Et audiebat à Scribis, & Pharisæis quod in Belzebub Principe Dæmoniorum eijceret Dæmones, & credebant eis quasi magnis, & doctis viris.
Quanta putas tunc compatriotæ, & cognati eius loquebantur de eo, piæ Matri; Audire me mihi videor voces loquentium: Corripe Maria Filium tuum, si forte vel tibi obaudiat, & quiescat à vanitatibus suis. Nempe aliena loquitur, & Filium Dei se nominat, & gloriatur se Patrem habere DEVM, quasi Vir tuus Ioseph DEVS fuerit, & non homo. Nec contentus se dicere esse vnum ex Prophetis, sed quod auditu graue est, cum nondum sit homo 50. annorum, facit seipsum DEVM. Et cum deberet domi sedens fabrili opere, sicut Pater suus honestum sibi victum acquirere, ecce inuerecundus versatur in publico, pro magno Doctore se gerit, cum his quos seduxit conuiuia celebrat per domos, & dicitur homo vorax.
Planè melius tibi erat non fecisse semen in Israel, quam semen tale. Signa verò quæ facit, maiores nostri dicunt esse opera Belzebub, & vehementi indignatione exardescunt contra Filium fabri ambulantem in magnis, & mirabilibus super se. Si ergo diligis Filium tuum corripe cũ, & compesce à superbia, & stultitia sua, ne à populo secundum legem quasi blasphemus lapidetur. Hæc, & his similia cum quadam beneuolentia quidem dicere videbantur. Alij malitiosè eadem improperabant illi.
Vtrique autem quantum in ipsis erat contemplatiuam eius quietem, importunè obstrependo turbabant. Proindè ad huiusmodi animas tam improbè garrientes sponsi vox est: Adiuro vos filiæ Ierusalem, &c. Molli, & benigna appellatione blanditur, eas appellans filias Ierusalem. Nam si vocaret filias Babylonis miseras, quod potius erant, vehementius exasperaret eas tam in se, quam in Matrem. Sic traditori suo dixit: Amice ad quid venisti? Quem tamen hostem nequissimum esse sciebat. Adiurat etiam eas per capreas, ceruosque camporum, per Prophetas, & Patriarchas, de quorum carnali paternitate gloriabantur. Per capreas enim designantur Prophetæ, propter acumen videndi. Per ceruos quoque armatos cornibus, & inimicos serpentibus, præcipui illi naturalis legis æmulatores, Patriarchæ figurantur. Q. D. capreartum, & Ceruorum vos hinnulos esse iactatis? Si ergo filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc Columbæ dormienti inter medios Cleros obstrepitis, & improbis vocibus quantum in vobis est quietem eius turbatis. Hoc Abraham non fecit, nec Isaac, nec Iacob, nec aliquis Prophetarum. Adiuro vos per illos, quorum vos filios esse gloriamini, cessate ab inquietatione columbæ dormientis. Ne suscitetis, neque euigilare faciatis eam à dulcissimo somno contemplationis, quoad vsque ipsa velit, vsque ad tempus.
Erit enim tempus surgendi à suauitate somni huius, & tunc non inuita, sed volens suscitabitur, vt pijs vacet doloribus, & morienti mihi materno commoriatur affectu: Nondũ autẽ vult quia tempus meum nõdũ aduenit, tempus meæ passionis quo se totam in maternis expendat mœroribus, suspẽsa pro tempore atque interpolata dulcedine contemplationis. Hæc Guilelmus quibus clarè ostendit, quanti Filius altissimam faceret Matris, de rebus Diuinis, omnem etiam Angelicam excedentem contemplationem.

20. Ex his alijsque Sanctorum Patrum testimonijs Franciscus Suar. To. 2. in 3. Part. Disput. 18. sect. 2. colligit gloriosissimam Deiparam nunquam ab actibus amoris Diuini ne in somnis quidem cessasse, cum ei scientia infusa à suo creatore communicata fuerit, qua ipsa, absque conuersione ad phantasmata, ac per consequens, absque vlla defatigatione vtebatur: Idque probat exemplo Protoplastorum quibus hoc concessum fuisse Sanctus asseuerat Augustinus lib. 1. cont. Iulia. cap. 9. *Tam felicia*, inquiens, *erant somnia dormientium, quam vita vigilantium.*

B.V. nunquã ab actibus diuini amoris eliciẽdis, ne quidem in somnis cessabat.

B.V. scientia infusa absque conuersione ad phantasmata vtebatur.

Deinde Angelorum, qui si à primo suæ creationis instanti, in quo ad DEVM sunt conuersi, nunquam ab illius actuali amore cessarunt, multo minus ipsorum Regina gloriosissima.

21. Ex qua intentissima Deiparæ actiuitate, consecutus est insignis ille, ardentissimusq; zelus, quo animas malignitate, fraudibusque Sathanæ seductas, ad suum principium reducere conata est, vti & in hodiernum vsque diẽ suis patrocinijs, ac intercessionibus id facere minimè prætermittit.
Vnde Ioann. Card. Halgrinus eadem illa verba ponderans sponsæ: Ego dormio, & cor meum vigilat: *Potest*, inquit, *hoc ad illam solicitudinem referri quam, & nunc B. V. gerit pro Ecclesia. Nam licet in se ipsa dormiat, & quiescat, pro nobis tamen est piè solicita in precibus ad Filium, & in defensionibus contra inimicum.* Eadem verba ad piam Virginis erga nos solicitudinem transtulit B. Theodoretus dum illam ita loquentem introduxit:
Quamuis à natura cogor oculos claudere somnumque capere; mente tamen vigilo, & ignauiæ

B.V. piè pro nobis solicita in precibus ad Filium.

uiæ somnum minimè suscipio, cum sponsi aduentum expecto, vt nimirum cum illo egrediar in agrum, commorer in villis, ad terras animarum excolendas. Vtque hoc verum esse intelligatis: Ecce vox dilecti Filij mei pulsantis, hoc est ita memonentis. Aperi mihi, id est, impetra à me tuis precibus, quo iustè debeam misereri omnibus. Eandem in precibus pro nobis Deiparæ vigilantiam intellexit Honorius Augustodunensis in sigillo B.V. dum ait paraphrasticè.

B. V. vigilat pro nobis orando.

Ego dormio dum in gloria requiesco, & cor meum vigilat pro vobis orando.

22. Pientissimam hanc vigilãtiam solicitudinemque pro totius Ecclesiæ maximè verò Gentilitatis salute, ac conuersione ostendit, dum Cant. 7. 12. in persona sponsæ Filium amantissimè alloquens pro illis intercedit:

Mane surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala Punica ibi dabo tibi vbera mea.

Quam inuitationem pijssimus Guilelmus ait esse piæ Matris directam ad Filium. Q. D. *Surge tu, & quia ego semper tecum, surgamus, & hoc manè, id est, maturius dum in summis Ecclesiæ manè est, eum adhuc in suis primordijs est: Manè surgamus ad vineas in gentibus plantandas, & excolendas, vt sic te reuersuri ad vineam illam Domini Sabbaoth, Domum Israel, quę nunc degenerauit atque elãguit. Vinea quippè olim facta est tibi Dilecto meo in cornu filio olei, & sepisti eam egregiè, & expectasti vt faceret vuas, & fecit labruscas. Sed hoc primo. Consequenter quod multo grauius est, fecit vuas, sed vuas fellis, & botros amarissimos. An non vua eius, vua fellis erat, & botrus amantissimus cum tibi Dulcedini ingratà propinauit vinum cum felle mixtum? An non & tunc fel draconum, vinum eorum, & venenum aspidum insanabile dum tuos odit, & interficit?*

B.V. non modo pia est, sed etiam iusta.

23. Et quia non modo pia, sed & iusta esse consueuit Deipara, tanta gentis suæ ingratitudine commotam inducit idem Abbas sic loquentem ad Filium. *Aufer ergo sepem eius, & sit in direptionem vsque ad tempus, non putetur, neque fodiatur, & nubibus tuis idest, Apostolis manda, Dilecte mi, ne pluant super eam imbrem; sed dicant ei: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes.* Act. 3. Tum piam se erga gentiles potissimum noui orbis ostendens, orat Filium, vt mittat veros Apostolicos, velut nubes, de quibus Isaias: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Quod aliqui de Societatis nostræ hominibus intellexere.*

Conuersæ igitur ad gentes nubes tuæ ibi placant, ibi fructuosè prædicent, atque ita manè surgamus ad vineas Ecclesias per orbem plantandas atque excolendas, quæ in vnam magnam vineam. 1. Ecclesiam Catholicam, redigantur. Et cum hæc magna vinea per orbem terrarum plantata fuerit ac propagata, videamus si floruit vinea. Tuum est videre hæc, & tamen dixi videamus, quia ego semper tecum, & sequar te, ô Agne, quousque ieris.

Floret vinea id est Ecclesia in inchoantibus, flores eius fructus parturiunt, in proficientibus. Tuum verò est vtrumque videre, id est approbare in beneplacito tuo, sed multo magis flores malorum punitorum, id est decus, & deuotionem Martyrum, propter te proprio cruore rubentium. Addit denique Virgo:

Ibi dabo tibi Vbera mea. Quibus verbis propensissimam suam demonstrat voluntatem, in barbaris illis populis, velut membris, Filio ceu capiti adhærentibus, pietatis suæ lacte nutriendis.

24. Quæ omnia quam sint in Gentilibus illi noui orbis etiam hac nostra tempestate verificata clarum est literas nostras annuas tam Indiarum, quam Iaponum, Sinensiumque necnon Insularum Philippinarum lectitanti.

In quibus velut amænissimo Hortulo venustissimus flosculus; vel cælo pulcherrimum Sydus, præ cæteris miro splendore emicat Adolescens in Deiparam pientissimus Michael Aytumi, cuius vita plane Angelica habetur in Annuis nostrę Societatis Anni 1609. ad finem. Vbi inter reliqua videre est vt in adolescentiæ flore, tribus ante mortem Annis in honorem Virginis, Virginitatis suæ florem coram Christi in Cruce pendentis Imagine ipsi deuouit. Vt porrò ipsum Virgo nostra velut Mater amantissima sit amplexa, ceu filium, lacteque suæ pietatis, solidam ipsi sanctimoniam, vitæque puritatem instillando nutrierit, eduxit tunc potissimum, cum Mater Ethnica illum ad se euocatum, his blanditijs, magnam vim auri ei ostendendo, est ipsum aggressa: *Ex tibi fili mi,* inquiens, *iam partares est, nihil porro deest, quam sponsa te digna, cum qua inter nobiles lætus viuas, & felix.*

Adolescens [illegible]tus Virginitatem B. Virgini corã Crucifixo vouet.

Itaque elige tibi vel Baclaini, vel Raboti æqualem forma, & diuitijs eumque duc domum; ipsa ego nuptijs tuis præero, nullis sumptibus, nullis laboribus parcam. Ad has fœminæ voces,

ces, ceu serpentis alicuius sibilum exhorruit castissimus Adolescens, repudiataque hac matris postulatione, ad Patrem nostrum aduolat: *Quam callidè*, inquiens, *ò Pater me aggressus est hoc vespere antiquus hostis! DEVM immortalem! quam fallax, & vafer est hic piscator animarum, qui mortiferum hamum speciosa esca obductum pueris quasi pisculis in æterno igne excoquendis amat obtrudere; aduersus quem sicut diuinam in me expertus sum clementiam, sic, & hoc tibi, vt pro me grates vna mecum Deo persoluas, volui significare.* Quanto porrò pietatis affectu ferretur in Virginem Matrem eiusque Filium vel inde cognoscitur; quod insignia Christi passi, Pueri IESV, Matrisque illius effigiem à D. Luca expressam in testudinata capsula à seipso confecta secum semper gestabat, ne videlicet oculi priuarentur, quo animus pasceretur, aut locus esset, in quo delicias suas non videret. Adeò enim iucunda illi Mariæ, adeo IESV dulcis fuit memoria, vt ab eorum se laudibus ne in turba quidem, aut ludo abstineret, illa verba identidem vsurpans: *Laudetur vbique IESVS Christus, eiusque Mater Sanctissima Maria.*

Mariæ & Pueri IESV effigiem adolescens Indus semper secum gestabat.

25. In honorem Virginis præter alias præces sibi familiares nouies quotidie recitauit B. Virginis corollam; sua sibi manu Christi Domini è Cruce pendentis scalpsit effigiem, cuius intuitu, considerationeque ad similia quædam pro suo seruatore perferenda accenderetur. Et sanè mortificationem IESV Christi in suo corpore assiduè circumtulit; sæpè sciscitatus à Patre, quanam sibi posset ratione Dei pręsentiam animo velut insculpere Atque hoc eum desiderio frustratum minimè fuisse, in re deprehensum est; quod apud omnes ea fuerit semper illius hilaritas, ac modestia, vt aut cum optimo aliquo amico suo, aut cum grauissimo morum Magistro versari videretur. Moriens tandem affectu pietatis singulari sacra illa Nomina ingeminabat, IESVS, Maria, Ioseph. An non igitur hic Deiparæ dilectissimus, ipsius pietatis lacte nutritus, in orbe nouo extitit Filius.

Indus adolescens præter alias preces quotidie nouies B. V. corollam recitabat.

26. Alios quoque huiusmodi Virgineo pietatis nutritos lacte in Indijs Deiparæ pientissimæ reperio Filios, quos illa benignitate sibi naturaliter insita ad sui castissimum amorem pellexit. Scribit Alphonsus de Ouagle noster lib. 4. in Relat. de Regno Cilæ cap. 7. ad Insulam Cubam Castillienses appulisse, quorum quidam nauta cum graui infirmitate laboraret, ab illis derelictus est. Hic paulo post conualescens, cum aliquod linguæ Indicæ didicisset, cæpit aliqua nostræ fidei Mysteria Indis explicare, & in specie procurauit illos ad deuotionem B. V. inducere, ostendendo illis chartaceam quandam Imaginem, quam secum gestabat, dicendo illis Dominam illam, esse Matrem Dei, per quā DEVS multa bona præstaret hominibus, cum sit Mater pietatis, ac misericordiæ; Docebatque illos Salutationē Angelicam, cuius memoriæ infixas retinuerunt primas duas voces: *Aue Maria;* simulque persuasit, vt illi ædificarent Domum & Templum. Populi huius Caciches siue Sacerdos erat Indus quidam sat bonę indolis, hic cum omni sua gente aquisiuit amorem adeo tenerum Dei Matrem, vt illi ędificari curauerit, & domum, & Templum; in quo ille ponebat multas scutellas cibis refertas, & pocula arbitrantes Diuam Virginem nocte siue die esuriendo, de cibis illis comedere; Omnibus diebus hic Caciches cū sua tota gente mane, ac vespere attendebat ad seruitium ac obsequium huius Supremæ Reginæ, ante quam genua flectentes, manibus iunctis, capite, oculisque demissis eam adorabant dicentes: Aue Maria, Aue Maria, eandem salutationem sæpius repetendo. In eiusdem laudem ei quoque multos versiculos composuerunt ac canciones, ibantque ad ducendas choreas eius celebrando festa, in diesque semper maiori erga Virginem amore capti, cuius dulcedine, ac sensibili consolatione inescati interius, ad illam rapiebantur. Quod rarum est, ac mirandum in Ethnicis, vt absque vllius iussu, ex doctrina vnius nautę, absque vllius exemplo ad cultum venerationemque Diuinę Matris induce sint. Vnde nil mirum quod hæc liberalissima cælorum Regina, se non sit passa ab his liberalitate superari, siquidem illis, pro ingenita sibi liberalitate veram sui Filij fidem nō ita multo post impetrauit, ostenditque reuera maternæ suæ pietatis viscera erga hosce Gentiles.

Nauta Christianus Gentiles ad cultum B. V. excitat.

27. Sed ad reliqua Potestatum officia progrediamur S. Antoninus 4. Par. Tit. 15. c. 44. addit Potestatum quoque proprium officium esse ac dignitatem, Diabolicas potestates, ne hominibus no-

noceant, coercere: Vnde cùm maligni Spiritus Aegyptiorum primogenita occiderent, Poteſtates Angelicę malitiam eorum, ne familias Hebræorum attingerent, repreſſerunt. Hanc quoque conditionem ait habuiſſe B. Virginem excellētiſſimè. Ipſa enim Dæmones coercet quotidie à nocumento hominum, vt patet multis exemplis, quibus ipſa maximos peccatores de manibus Diaboli quoad corpus, & animam eripuit. Hinc illi canit Eccleſia. *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe*; in qua ſicut maiores eius inſidiæ eſſe conſueuerunt, ſic quoque maior Virginis Poteſtas eluceſcit. Præclarè enim Amad. Hom. 8. *Enimverò ſicut ignis attactu cera liqueſcit, & velut ardore ſolis deſluit glacies, ſic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaque iubente nihil aduerſi ſubſiſtit.*

B.V. Virgo excellentius quam Poteſtates coercet Dæmones.

28. Et licet Virgo ſanctiſſima contra Dæmonum inſidias omnibus Chriſti fidelibus ſemper præſentiſſimo ſit auxilio, illis tamen, qui peculiari aliquo cultu ac veneratione eam proſequuntur, vel maximè. Celebre eſt exemplum illud in libro qui ſcala cæli indigitatur exaratum, de viro nobili qui quotidie orationem illam ad Virginem, & ad S. Ioannem Euāgeliſtam: O' *intemerata*, &c. vſurpare conſueuerat: Huic Dæmon humano ſchemate cum pluribus annis deſeruijſſet, variaſque eius vitæ ſtruxiſſet inſidias, nec vnquam, patrocinante Virgine ei obeſſe potuiſſet, tandem Epiſcopo cuidā fateri compulſus eſt, ſe Dæmonē eſſe, & hactenus pluribus annis nobilis illius vitæ inſidiatū eſſe incaſſum, quia quotidie conſuetam illam orationem ad Dei Matrem, & Ioannem Euangeliſtam recitaret.

Vis orationis. O intemerata cōtra inſidias Diaboli.

29. Non minus præſentem ſeſe exhibuit Virgo Deipara alteri cuidam viro Religioſo Diuina meditanti, vt eodem in libro memorię conſignatum eſt. Huius enim conclaue cum mali genij, turpiſſimorum porcorum ſpecie inuolaſſent, mox ad Virginem velut Aſylum confugit, exclamando. *Ab hoſte maligno defende nos Dei Genitrix Virgo.* Nec ſpe ſua fruſtratus eſt Dei, Virginiſque ſeruus. Mox enim illi adfuit, & virgâ, quam manu geſtabat, fędiſſimorum Dæmonum exercitū illum abegit: *Recedite*, inquiens, *maligni, recedite quia victoriā de mihi deuotis nunquam reportabitis*. Ad quę verba illico, velut fumus euanuere, req; ipſa cōteſtati ſunt, Deiparā ſupra Angelicas Poteſtates virtutem eos coercendi obtinere.

B.V. virga Dæmones abigit.

30. In huius rei confirmationem in eadem vita Michaelis Aytumi Indi, res ſane ſcitu digna refertur, Indos Baglanos in Philippinis Inſulis peculiari reuerentiâ Deiparam eiuſque Nomen ſanctiſſimum venerari, eo quod ſæpius Cacodæmonem vociferantem, à Maria ſuum contritum eſſe caput, multi audierint. Hinc factum vt ante Hiſpanorum, noſtrorumque Patrum Euangelij præconum in Philippinas Inſulas aduentum reperta fuerit Mulier Inda, quę filiæ ſuæ Nomen Mariæ indidit. Quam nominis, nunquam in illis regionibus auditi, cum omnes mirarentur impoſitionem, quærerentque vndenam id vocabuli deduxiſſet, reſpondiſſe fertur: In ſummo cæli vertice conſidere nobiliſſimam quandam Matronam, eo Nomine inſignitam, in cuius honorem illud ipſum, natæ indidiſſet. En vt ipſi Tartarei tenebriones poteſtatem ſuper ſe Virgineam, Poteſtatibus Angelicis longe eminentiorem, fateri, eiuſdemque infinitam quandam omnipotentiam ſerpentina eorum capita contelentem, deque toto Inferno triumphantem compellantur.

In Inſulis Philippinis ſæpius auditus Dæmon vociferans à Maria ſuum contritum eſſe caput.

31. Eandem virtutem Cacodęmones compeſcendi oſtendit Virgo Deipara in Regno Cilæ, vt de, eo Regno ſcribit Alphonſus de Ouagle li. 5. c. 20. Cum enim vicinus Indorum exercitus eſſet Ciuitati Imperiali, repente turbatus eſt aer, & factum eſt quaſi ingens diluuium aquarum, & grandinis ac lapidum, apparuitque in medio illus tempeſtuoſi nimbi Epunanome .i. falſus Indorum DEVS, ſpecie, ferociſſimi, ac horribilis Draconis, qui caudâ in gyrum collectâ ore cauernoſo flammas euomens præcepit vt cito in ciuitatem irrumperent quod nullam haberet munitionem, proinde illam deprædarentur, omneſque Chriſtianos perimerent in ore gladij. Mox dictis obtemperant Indi, dumque ſe pręparant ad exequendum id quod illorum Apollo ſuaſerat, ecce repente ſerenatur cælum, & in medio reſplendentis nubis apparuit Iunēcula pulcherrima, ſole ſplendidior, quæ illos vultu benigno, ſimulque graui ac ſeuero aſpiciendo ſuperbiā omnem in cordibus ipſorum ab Epunanome ſuſcitatam extinxit, Monſtrumque illud Tartareum in fumum euaneſcere compulit. Mandauit præterea Virgo eadem

B. V. vires Draconis Tartarei infringit.

Indis ne vltra progrederentur, sed quantocyus quisque in patriam suam reuerteretur, quia DEVS Christianos aduersus Dęmones, eorumque membra protegere volebat, ea in Ciuitate habitantes. Quibus dictis visio disparuit quæ à toto exercitu 23. Apr. visa est, & Indi ne vnum quidem passum vltra progressi, ad domos suas cum rubore magnaque confusione sunt regressi. En vt Virgo beatissima Potestates Diabolicas, ne hominibus noceant, diuinâ suâ potestate super omnes Angelicas Potestates coerceat.

32. P. Antonius Franc. Cardin in Relatione Iaponica ad Innoc. X. rei huic aliquid haud dissimile memorat, ostenditque quam vel solum Nomen Deiparæ Tartareis Potestatibus sit formidandum, easque ne mortalibus nocere possint coerceat. Refert igitur post mortem cuiusdam Gentilis cum Christiano quodam habitantis sequenti nocte tumultus, horrisonos commixtos vocibus ad prælium inuitantibus fuisse auditos. Ad quos Christianus mox se ex lecto proripuit, & ad Oratorium suum accurrit, accendit candelas, genua flectit, Deoque sese commendat. Interim retro se conuertens, videt cubiculum sordidis, teterrimisque refertum animalibus, quæ in voces has erumperunt. *Non venimus huc ad te deuorandum, frustra hos facis apparatus gratis tanta machinaris.* Quibus auditis vbi Christianus vidit eos nil agere, sed loqui, resumpto animo, respondit se non habere arma, à quibus illi sibi timere possint, neque se aliter defendere posse, quam dulcissimo IESV Nomine, & Mariæ. *Quare si potestas à Deo vobis data est*, inquiebat, *me præsentem deuorate*. Subito atque hæc Christianus pronunciauit, dehiscens terra stygios illos tenebriones, ac laruas igne circumdatas

Christianus laruis Dæmonum non terretur fretus IESV, & Mariæ Nomine.

absorbuit. His visis Christianus Diuinæ benignitati eiusque Sacratissimæ Matri ob relatam de sæuissimis illis hostibus victoriam gratias egit, simulque cuidam Patri ex nostris retulit, se iam perinde metuere Cacodęmonem, ac leue folium, vel paleam; vires nimirum eius infringente Deiparâ, quæ alias sunt tam grandes, vt quemadmodum loquitur Iob cap. 41. 18. *Reputet quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs.*


33. Quare Richar. à S. Laur. libr. 4. ingeniosissimè omnipotentię Virginis, hoc in Dæmones ius, eosdem tam potenter coercendi, attribuit: *Maria omnipotentiâ sua*, inquit, *multos de sua damnatione iam certos, multos in aquis præfocatos, multos ex improuiso mortuos liberauit, qui dum viuerent ipsius patrocinio se commendauerant. Multos quoque qui sine pœnitentia decesserant in mortali, ab ipsis Diaboli faucibus potenter eripuit, vtque agere possent pœnitentiam, ad vitam reduxit. Ita enim ingeniosa est, atque subtilis ad saluationem peccatorum, sicut Diabolus ingeniosus est, & subtilis ad damnationem eorundem. Qua autem iustitia, vel iure saluet damnabiles, & sine pœnitentia defunctos in mortali, quis enarrare sufficiat? Constat autem quod, & ita facit, & quod saluâ iustitia facit. Ad cuius rei euidentiam ei canere videtur sponsus.* Cant. 4. *Fons signatus.* Adeo enim exuberans est *Virgineæ misericordiæ fons, vt semper fluant miserationes eius, integro tamen atque illibato iustitiæ sigillo, sic namque nouit ingeniosè facere misericordiã, vt non frangat iustitiam.* Quãobrẽ sic Angelicas Potestates Virginem in cęlos proficiscentem alloquentes dum in ea sua proprietates agnoscunt, idem S. Antoninus introducit: *Mane nobiscum ô Domina potentissima. Tu enim terribilis es Dæmonijs vt castrorum acies ordinata, & ideo iuuare homines nobiscum potens contra malignos Spiritus, eos sine cessatione infestantes.*

Mariæ mira in rebus omnibus potestas.

B. V. ingeniosa, & subtilis in saluandis peccatoribus.

Maria ita ingeniosè facit misericordiam, vt non frangat iustitiam.





DISCVRSVS VIII.

Quod Virgo Deipara Principatuum proprietates longè excellentius in se repræsentet.

1.

AD postremam Hierarchiam gradum faciamus, in qua Principatus principatum obtinent, quorum nomen officiumque S. Dionys. capit. 9. de cælesti Hierar. sic describit. *Nomen cælestium Principatuum significat eorum cum sacro quodam, principalibusque virtutibus conuenientissimo ordine, deiformiter principandi, atque gubernandi potestatem, nec non ad super principalem principatum totaliter se conuertendi, & ad ipsum alios quoque principaliter ducendi, ipsiusque Principificis formam principatus in semetipsis, quantum fas est, exprimendi, eiusdemque super essentialem ordinandi principatum, in principalium virtutum dispositione, declarandi facultatem.* Ex qua descriptione B. Albertus Magnus Tract. super missus, & S. Antoninus 4. P. Tit. 15. c. 44. tres Principatuum colligunt proprietates. Prima est quod Primi principij sint imitatiui. Quod mirificè enitescit in Virgine. Quis enim Primum illud rerum omnium Principium Alpha, & Omega, Filium, inquam, qui se ipse Principium, interrogantibus Pharisæis; *Tu quis es?* appellare voluit respondendo: *Principium, qui, & loquor vobis* Ioan. 8. v. 25. quis inquam melius imitatus est, atque Virgo beatissima quæ Filium non modo in donis Naturæ, verum etiam gratiæ æmulata est, ita vt viuum, spiransque eius simulachrum, atque adeo ipsius Diuinitatis forma quædam esse videretur, vt fusius priori parte, qua Virgo speculum Diuinitatis comprobatur, ostensum est. Quare B. Ioannes Geometra Hymno 3. aptissimè Diuam Virginem salutasse visus est cum dixit:

Principatus sunt primi Principi imitatiui.

B. V. quædam Diuinitatis I. na 30.

Salue Puella, Naturæ gloria Imago Plasmatoris,
Demonstrans totam artem summi Artificis.
Diurnæ culpæ nihil continens.

Vbi ponderanda verba illa: Demonstrans totam artem Summi Artificis; quibus indicare voluit supremum omnium rerum Opificem, in condenda Virgine vniuersam suam Omnipotentiam, Sapientiam, Bonitatem ceterorumque attributorum omnium vim exeruisse, eique omnem creaturarum perfectionem, ac pulchritudinem contulisse, vt ita viua Imago Diuinæ Maiestatis eam condentis videretur.

Cum enim Plasmator Matrem suam ab omni æternitate mente possideret, eamque condere decerneret, voluit eam esse quoddam omnium Saluandorum Prototypon post Christum, in eaque omnium Sanctorum virtutes, omnisque perfectionis florem contineri, ita vt nulla creatura sub Deo eius opifice perfectior inueniretur.

Quemadmodum .n. Adam, quod primus omnium mortalium ipsis Dei manibus cõditus fuerit, extitit creatura omnibus numeris absolutissima, in vtraque qua constabat parte, eo quod immediatè ab ipso Summo Artifice compositus fuerit: Sic sane nobis de ipsa Dei Matre, & maiori longè cum prærogatiua ratiocinandum est, cum ipsamet fateatur.

Ab initio, & ante sæcula creata sum.

Vbi per initium, ipsum totius Vniuersi Principium accipiendum est. Et in Eccli. 1. Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.

Atque vt hæc Virginis laus illustrior euadat, audiendus hic Philo Hebræus

Adam quod immediate à Deo fuerit conditus, fuit perfectissimus.

libr. de opificio mundi: Ille primus homo terrigina Princeps totius nostri generis, vtraque parte præstantissimus, & anima, & corpore factus mihi videtur, longeque posteros suos antecellere vtraque præstantia. Hic enim ipse reuera erat pulcher, & bonus. Nos enim, ex hominibus gignimur, illum vero Deus condidit. Quanto autem melior Auctor, tanto etiam Opus melius. Sicut sane quidquid viget, senescente melius est, siue animal, siue planta, siue fructus, siue aliud, quod ex his, quę Natura cõtinet. Itaque par est illum recens creatũ hominem robur fuisse Vniuersi nostri generis, posteros vero eius non ita viguisse degenerantibus vsque formarum, & virium successionibus. Quod quidem, & in Plastarum, & Pictorum arte vidi fieri. Deteriora enim sunt, quæ exprimuntur ad exemplar propositum.

Quod si hæc ipsa imitetur Plastes, Pictorue multo magis degenerant, quippe longe remota à Principio. Cum igitur Virgo nostra maximè fuerit summo illi rerum omnium Principio, proxima, ab eaque ex omni æternitate, ante omnem cuiuscumque creaturæ conditionẽ, diuinissimâ illa mente possessa, consequitur sane illam summo illi Pulchro, ac Bono, à quo fabrefacta est fuisse quam simillimam. Atque ita vere dicere possumus hãc ob causam Deiparam, robur, pulchritudinẽ, gloriãq; totius humani generis extitisse, eo quod Pulchritudine, Bonitate, ac perfectione sua ipsum supremum imitata sit Principium, siue Plasmatorem, eiusque absolutissima in attributis omnibus fuerit Imago. Quare si supra memoratus Ioannes Geometra Hym. 3. pulchritudinem Virginei corporis considerans, dixit illud non in terris, nec terrestri Paradiso, sed in cælis efformatum, absque vllius peccati labe:

B. V. quod à primo rerum omnium Principio cõdita, fuit perfectissima.

Salue corpus formatum supra in splendido cælo,
Nostræ iniquitatis nihil contrahens.

Multo potiori iure idem asserere possumus, de innocentissima, purissimaque eius Anima quæ longe purior Angelica in cælo, atque etiam Protoplastorum in Paradiso condita, extitit.

Quemadmodum igitur suprema illa Maiestas rebus omnibus tam celi, quam terræ principatur, ita quoque beatæ istę mentes cum Gloriosissima Deipara DEVM imitantes inferioribus Angelis, hominibusque dominantur. Præclarè enim D. Tho. 1. P. Q. 108. art. 5. ad 3. ex S. Gregorio, *Principari est inter reliquos priorem existere, quasi primi sint in executione, eorum, quæ imperantur. Et ideo, ait Dionysius, quod nomen principatuum significat ductiuum, cum ordine sacro. Illi enim qui alios ducunt primi inter eos existentes principes propriè vocantur. Ps. 67. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus.* Sic S. Thom.

Quid sit principari?

Imitantur porro in particulari Diuinum Numen in gubernatione, ac dispositione Regnorum, ac Prouinciarum vt S. ait Antoninus. Ex his fuit S. Michael qui armatus apparuit Iosue, adueniens in adiutorium populo Dei.

2. Quam proprietatem Dei populum adiuuandi Beatam Mariam habuisse supereminenter Sanctus asseuerauit Antoninus. O' quoties Virgo Deipara nostra ad instar Turris, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium Ecclesiam Catholicam, Regna, ac prouincias protegit, ac propugnat contra insidias Dæmonum, contra machinationes infidelium, Paganorum, atque hæreticorum. Consulendus hac in re Alphonsus de Ouagle in descriptione Regni Cilæ, in qua mira prodigia à B. V. perpetrata in defensionem nouorum illorum christianorum apportat, & quanam ratione ingruentibus in illos Barbarorum innumeris copijs ipsa Virgo exercitum nostrum, tanquam Generosa Ductrix, ac Generalissima præeundo puluerem in hostiũ oculos asperserit, eosdemque in fugam egerit, vetueritque in posterum populos illos sibi dilectos infestari. Quare nil mirum mihi accidit, quod eius expertus auxilium, ac patrocinium in tot aduersitatibus, in tot bellorum turbinibus Augustissimus Imperator Ferdinãdus II. eam suam *Generalissimam* iure merito vocitare consueuerit. Sibi certo persuadens, se eius auspicij de omnibus hostibus quantumuis ferocissimis triumphaturum. Legerat fortasse orationem illam B. Andr. Cret. Epis. orat. 2. de dormit. qua pro epilogo ad Virginem vtitur. *Da nobis qui te Dei Matrem oramus, da vicissim hanc parui doni remunerationem, vt habeamus videlicet quibusuis thesauris, ac diuitijs pretiosiores, ac splendidiores tuas ad Filium tuum, & Dominum nostrum preces supplices, & nos rectè gerentes eundem melius ad nos attrahamus. Per has preces arma barbarorum,*

B. V. puluerem in oculos hostium Christianorum iacit, ne illis noceant.

Ferdinandi II. Imper. in B. V. pietas.

Precibus B. V. tela Barbarorum sũt nobis infantium tela.

infan-

infantium tela ducimus; lanceaque, & galea, & iaculatio manent inutilia, & inefficacia. Et vt in summa dicam, per hascè tuas supplicationes, omne bonum rectè geritur à Christianis. Legerat etiam fortassis orationem illam B. Georgij Nicomedia Archiep. orat. de præsent. fiduciæ plenissimam: *Te nostram salutis habemus adiutricem. Te nostri auxilij habemus defensionem. Te proponimus cuius ore nostra dicatur excusatio. Te nostræ fiduciæ circumferimus gloriationem. Te Christianorum multitudo murum habet firmissimum. Te Reges fideles arma habēt validissima. Per te bellorum frangūtur audaces impetus, per te victoriæ trophæa consequuntur. Tu ò Dei genitrix preces eorum ne despicias, qui semper petunt. Præbe manum laborantibus, opem fereis, qui tempestatibus agitantur, seda bellorum fluctus, fac in auras euanescant eorum Spiritus, qui nos iniurijs incessunt. Da petitioni conuenientem, potes enim, euentum. Habes vt Mater in filium, quæ recusari non potest fiduciam. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile.*

B.V. gloriosè de hostibus triumphat.

3. Huius Generalissimę, atque inuictissimæ Imperatricis robur ac vires, gloriosos progressus aduersus hostes, ac triumphos præclarè descripsit S. Amadeus Homil. 8. *Nouis*, inquiens, *triumphis, noua perditorum ereptione, nouis populorum incrementis exaltans gratulatur in Domino, nec contenta partis spolijs, sed humanæ salutis cupida, hoste liuido longius propulsato, alias, atque alias sibi exuuias semper acquirit. Igitur in manu potenti, & brachio excelso Tyrannorum fines egreditur munitissima quæque domorum aggreditur, inferna sub pedibus suis faciens contremiscere, & Principem mortis nimio terrore percussum, resilire. Denique ipsa iubente vehementer euomit prædam, quam in ventrem malitiæ traiecerat, reijciens cum dolore, quam cum ingenti superbia detinebat. Atque ita desiderium peccatorum perit, Desiderium vero B. M. perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miserię, & luto fęcis, vt de profundo peccati ergastulo, & profundo inquitatis, indulgentiæ dono respirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit dispersos, reuocat auersos, eruens eos, qui ducuntur ad mortem, quosque trahi cernit ad supplicia liberare non cessat.* Hæc Amadeus, & verè.

Solicitudo S. Basilii pro conseruando suo grege.

4. Celebre prorsus est auxilium illud Virginis impensum S. Basilio Magno, Pastori vigilātissimo, eiusque ouiculis de quo Richar. à S. Laur. de Laudib Virg. ex Fulberto Abbate.

Cum enim monstrum illud portentumque orbis Iulianus apostata cōtra Persas in prælium proficesceretur, vouissetque suis Dijs Christianorum sanguinem se illis litaturum si Victor ex illo prælio domum redijsset, ipsique S. Basilio insano fastu, furoreque percitus fuisset comminatus, vrbem eius se desolaturum, omnesque Christianos Deorum suorum contemptores, deuictis Persis, daturum internecioni, mox S. Antistes pro grege suo sollicitus, conuocatis vniuersis ciuibus, impijssimum iniquissimi Imperatoris eis exposuit decretum, simulque communi consilio, cum vniuerso clero, ac populo, mulieribus, ac infantibus ad Deiparæ ædem, tanquam ad Asylum in monte Dydimi constitutam, confugerunt, vbi tribus diebus ieiunijs cum lacrymis, feruentibusque orationibus intenti, auxilium præsentissimum Dei Matris sunt experti. Vidit enim per quietem S. Basilius ad montem illum cum innumera militiæ cælestis multitudine, atque exercitu gloriosissimam hanc cæli Reginam aduentantem, tandemque vbi excelso in Throno magna Maiestate consedisset, Angelisque demandasset, vt Sanctum militem Mercurium ad se euocarent, & ille armatus mox aduenisset, audiuit sic loquentem Dei Matrem: *Abi interfice Iulianum, multa in Deum meūque Filium blasphemantem.* Hæc cum audisset Sanctus Basilius somno solutus Sancti Mercurij sepulchrum adijt, cumque arma lanceamque de tholo pendētem non vidisset, intellexit somni veritatem, iussitque omnes de monte ad sepulchrum Sancti Militis venire.

Interea cruentata lancea in suum est reposita locum, intellexitque omnis populus, S. Basilio, Dei, Virginisq; virtutem exponente, Iulianum interfectū. Plaudente interea, lætitiaque gestiente, Diuinasque ac Deiparæ laudes personante vniuerso populo, die ab interitu quarto aduenit Libanius Iuliani Quæstor, luculenterque asseuerauit, Iulianum Dominum suum, dum secus Euphratem fluuium castra esset metatus, septemque militum cohortes, in eius defensionem excubarēt, nocte quadam ab ignoto milite lanceæ valido impetu fuisse confossum, blasphemantemque infelicissimè, in hiscé verbis: Vicisti Galilææ vicisti; impijssimā animam, abominandamque euomuisse.

B.V. precibus S. Basilii per S. Mercurium Apostatam curauit interimi.

5. Crediderim Heluetios Catholicos

Heluetij Catholici auxilio B V. protecti de Zuinglianis victoriam reportant.

eos ab his Christianis pietatem illam imbibisse, quando contra Zuinglium, Bernates, Tigurinosque Hæreticos libertatem suam vindicaturi, in mōtem quendam Diuæ Virgini sacrum vniuersi, tanquam ad sacram Anchoram confugerunt, opeque Virginis gloriosissimæ victoriam, de impijssimis Ecclesiæ, patriæque hostibus, Zuinglio miserabiliter extincto, alijsque libertatis inimicis quiuis omnino prælijs internecioni datis, reportarunt. Et primo quidem prælio vniuersus Zuinglianorum exercitus partim cæsus, partim in Catholicorum potestatem redactus est.

Dicuntur omnino ibi 17. millia cecidisse, vt scribit Florimundus Remundus lib. 3. de Hæres. cap. 4. Vt porro in sacro illo Virginis Sacello nullo vnquā tempore durante bello, oratio ad Deiparam interrumperetur, è viduarum numero pientissimæ lectæ fuerunt fœminæ 18. omnino, ex quibus senę alternatim, pro felici belli successu preces funderent. Quod ægerrimè ferentes Zuingliani Sacellum tot miraculis inclytum, ac celeberrimum, per summam impietatem demoliri statuerunt.

Quod odorati Catholici sic eos exceperunt, vt quinque milia hostium Dei Genitricis ope tanquam noua castrorum bene ordinata acie adiuti, fuderint. En vobis Virginem gloriosissimam Principatuum virtutem in defendenda Dei Ecclesia in Regnis, ac prouincijs protegendis longè excellentissime transcendentem, Deique principatum in suos hostes vniuersumque orbem æmulantem. Verè eminentissimæ huic Principi canere possumus cum Claudiano:

O nimium dilecta Deo cui militat æther.

B.V ducit, & educit captiuos de manibus barbarorum.

6. Ducit quoque atque atque educit Virgo gloriosissima, Principatus imitando cum ordines sacro captiuos de carceribus, deque Turcarum, Paganorum, Hæreticorumque Tyrannide, vti varia huiuscè rei varijs in eius Basilicis mouimenta videre est.

B. Ioanne de Matha ab vtero destinatus a B. V. pro redimēdis captiuis.

Hinc varij sacri Ordines, auspicijs gloriosissimæ Virginis pro redimendis captiuis educēdisque de Barbarorum ergastulis, instituti sunt. Vnum ex his fundauit B. Ioannes de Matha, vt scribit Hyppolitus Maracci in Fundatoribus Marianis cap. 16. Hic cum adhuc esset in vtero Matris, B. V. illi apparuit dixitque, eum quem vtero portabat Christianorum captiuorum Redemptorem futurum, ac meritis sanctisque operibus cumulatum, feliciter in Domino obiturum. Idem Vir hic cultui Virginis addictissimus, primam suam Missam cū Parisijs ad altare DiuęVirginis celebraret, ei mira visio apparuit. Videbat non modo ille, sed et circumstantes Angelum veste candida amictum, cui crux rubei, & cærulei coloris pectori inhærebat duos captiuos cancellatis manibus, tanquam eos commutaret, tenēs. Qua visione sine dubio Deipara ostendere voluit se Ductricem cum Sacro ordine, & eductricem captiuorum ex Tyrannorum ergastulis super omnes esse Principatus, ad eosque liberandos ipsos Angelos hominesque religiosos mittere consueuisse. De eadem S. illo Viro res alia eius charitatem illustrans ibidem narratur. Nam cū Anno 1210. quandam redemptionem 129. Christianorum captiuorum fecisset, & deficiente sibi pecunia, Agareni eum spoliantes flagellis in eum immaniter sæuijssent, seminecem relinquentes, ipse paulo post aliquantulum à doloribus respirans Iconem B. V. quam collo appensam gestabat, depromens, ab ea fusis lacrymis, auxilium, tam sibi, quam miseris Christianis, captiuis postulauit. Nec irritæ ipsius cecidere preces, mox enim ei Deipara pulcherrimæ Virginis specie apparuit, tantumque pecuniæ tradidit, quantum ad illorum captiuorum redemptionem sufficere videbatur.

B. V. illi datā pecuniā pro redimendis captiuis.

Ostendit denique Diua Virgo omnium Angelorum Regina, Ductricem, & Eductricem cum Sacro ordine se esse captiuorum, cum Anno 1201. idem B. Ioannes Conuentum sui Ordinis Auinganiæ fundaret; Tunc enim instāte Petro II. Aragoniæ Rege quandam redemptionem 207. Christianorum captiuorum Valentiæ est aggressus, ad quam perficiendam cum æs deesset, Missam de B.V. patrona sua deuotè celebrauit: postulauitque vt necessitati miserorum illorum sub venire dignaretur. Exaudiuit misericordiæ Mater sibi deuotum clientulum. Nam iuxta altare pecuniam, quę ad p[...]um illud opus perficiendum deerat, mox cunctis obstupescentibus reperta est, quibus prodigijs Virgo nostra ostēdit se vere Ductricem, & Eductricem esse captiuorum super omnes Angelos.

B. Ioanni B. V. dicenti suā Missam pecuniam pro captiuis mi[...]it.

7. Hanc

7. Hanc Principatuum dignitatem agnoscens in Deipara S. Ephreæm orat. ad Deip. sic in eius prorupit laudes: *O' omnibus superis exercitibus gloriosior, omnium Sanctorum, ac Virginum Corona, ob fulgorem inaccessa, omnium Princeps, omnium dux, Sacratissima puella, per te reconciliati sumus Deo meo.* Sic ille. Et licet Dei Mater in omnibus propemodùm suis actionibus Primum Principium, rerumque omnium principem DEVM imitetur, imitata tamen est potissimum in incorruptione, vt asserit Albertus, & Antoninus, qua Deo proxima effecta, non modo Principatus, verum etiam ipsos Seraphinos Deo vicinissimos superauit. Vnde iure merito illam Sergius Hieropolitanus: *Corruptionis interitum nuncupauit.* Siue enim incorruptio pro mentis, animique puritate, quæ ex Diuinorum mandatorum resultat obseruatione, acquisitioneq; gratiæ, ac Sãctitatis; siue pro gloria eterna, atq; immortali tate, qua similes Deo erimus, quia videbimus eum sicut est, accipiatur, Diua sane Virgo nostra perfectissimam habuit incorruptionem.

B.V. Primum principium incorruptione sua maximè imitata est.

B.V. est corruptionis interitus.

Hinc de eius puritate tam animi, quam corporis præclarè S. Anselmus: *Decebat Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Ob hanc puritatem B. Andr. Cret. orat. 2. de dorm. B. V. creaturis omnibus sub Deo vocauit altiorem: *Regina*, inquiens, *omnis humanæ naturæ, quæ habes non comparabilem cum alijs appellationem, quæ excepto Deo solo es omnibus altior. O' quouis auro, & quauis sensili, & immateriali natura purior. Tu cæli, & cælorum naturam superasti sanctitate.*

B. V. Regina omnis humanæ naturæ, quę habet incomparabilem cum alijs appellationem.

Ex corpore tuo odorifero, impolluto, & pleno sanctificationis scatet remissio, manat immortalitas, ex quo est Deificatio, in quo est perfectio. Tu enim vere es, quæ es reuera pulchra, & macula non est in te. Tu es flos incorruptionis, terra quæ fers aromata. Et orat. 1. Virgo, inquit, vniuersam quæ in generatione est Naturam puritate superauit.

E corpore B. V. odorifero, & impolluto scatet remissio peccatorum.

8. Quod si, eius gloriam beatam, immortalitatemque æternam, qua videndo DEVM, ei intima fuit, spectemus, incorruptio eius erit plane incõparabilis. Hanc enim, beneficio Visionis beatificæ, qua sæpius etiam in hac vita perfruebatur, est consecuta. Præclare siquidem S. Irenæus libr. 4. cont. Hæres. capit. 75. *Visio Dei*, inquit, *efficax est incorruptelæ, incorruptela vero proximum facit esse Deo.* Et paulo superius: *subiectio*, inquit, *Dei, incorruptelæ perseuerantia est, incorruptela autem gloria Infecti.* Q. D. Incorruptio est dos, & gloria propria Deo, qui non est factus, sed per se semper existit, à quo eandem participant iusti, ac beati, & inter eos sine dubio, modo longè excellentiori ipsa Virgo Deipara, illi plane subiecta, & vnita adeo, vt vnum quid per amoris affectum cum Deo esse videretur.

B.V. incorruptionem etiã beneficio visionis beatificæ nacta est.

Vnde & forma Dei à D. Augustino appellata est; quia vti reliquas eius perfectiones, atque attributa, ita, & hanc incorruptionis gloriam in se veluti in speculo etiam dum in hac vita degeret mirificè repræsentabat. Hinc Plinius in Panegyrico Traiani Sanctitate, Dijs simillimum Principem euadere censuit: *Nihil*, inquiens, *præstabilius, ac pulchrius Deorum, quam castus, & Sanctus, Dijsque simillimus Princeps.* Hinc Plutarchus libr. quod cum Principe philosophandum sit; Minoem docet esse Iouis discipulum: *Non enim*, inquit, *priuatos homines, vel otiosos Deorum voluerunt esse Discipulos, sed Reges, qui sapientiam, & virtutes animi consecuti, ea essent ad vtilitatem omnium conuersuri.* Sic Plutarchus.

Sanctitate Princeps Diis simillimus euadit.

9. Imitata quoque est Primum Principium Deipara in bonorum communicatione. Ob quam dicitur, *Bonorum omnium Mater à Salomone.* Huius effusissimam expertus communicationem idem Salomon sap. 7. gloriabatur. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter, cum illa, & innumerabilis honestas, per manus illius.* Imo Richardus à S. Laur. lib. 2. ait vocem illam esse humanæ Naturæ, quã ingenuè fatetur, beneficientiâ Virginis, se quam plurima, tam naturæ, quam gratiæ munera cælitus accepisse.

B.V. primum Principium in bonorum communicatione imitata.

Ob promptissimam hanc communicationem Oliuam speciosam in campis, palam sese omnibus exhibentem appellat. *Idem sapiens ait, quod præoccupet, qui se concupiscunt, & circuit quærentes se dignos.* Eiusdem Virginis vox est illa amantissima; apud Eccli. 24. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* De hac Virginis communicatione eleganter iam supra memoratus Amadeus Hom. 2. *At illa residens in arce sublimissima virtutum, & pelago Diuinorum affluens charismatum, abyssum gratiarum, qua cunctos excesserat, credenti, & silenti populo largissima emanatione profundebat. Salutem namque corporibus, & animis medelam*

Desiderium B V. hominibus sese communicandi.

B V. Abyssũ gratiarum credentibus profundit.

lam afferebat, potens suscitare à morte carnis, & animæ. Quis vnquam ab ea æger, vel tristis, aut ignarus cælestium mysteriorum abijt? Quis non lætus, & gaudens redijt ad propria, impetrato à Matre Domini, quod voluit? Hæc De Virginis largitate Amadeus.

B.V. solet reddere maxima pro minimis.

Agnouit liberalitatem hanc Deiparæ B. Andr. Cret. Epis. orat. 2. de dormit. cum pronunciauit: *Solet Sanctissima, vt quę sit munificentissima, maxima reddere pro minimis.*

B.V. Principatuum cælestium ornatum ex virtutibus constantem superauit.

10. Quid de altera Principatuum proprietate dicam? Quæ est Principalium virtutum, vt sapientiæ, charitatis, prudentiæ, similiumque præ cæteris inferioribus ornatus, qui in beatis illis mentibus mirificè resplendet. At vero multo maiori cum excellentiâ in Deipara. Vnde hi ipsi cælestes Principatus eam huiusmodi virtutibus renitentem, ad celosque ascendentem contemplantes, Sancto Bernardo teste, demirati sunt. *Ipsi cælestis curiæ Principes*, inquit ille, *in consideratione tantæ nouitatis clamant non sine admiratione: quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens innixa super dilectũ suum? Quæ est ista quæ sub sole vbi nihil, nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus ascendit, delicijs spiritualibus affluens?* Quæ porro hæ sint deliciæ, mox subnectit:

Deliciæ B.V. quæ fuerint; quibus affluës in celos ascendit.

Quid ni delicias dixerim Virginitatis decus, cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogatiuam gloriæ singularis? Sic Bernardus.

Quare B. Petrus Card. Damiani Homel. 55. Virginem gloriosissimam in se præeminentias huiusmodi, Virtutum plusquam Angelicarum agnoscentem, introducens, sic in eius persona ad Angelos, reliquosque Curiæ cælestis ciues proloquitur, eamque ob huiusmodi virtutum super omnes, Angelos excellentiam; *Diuinum mysterium, nullis humanis rationibus compræhensum*, appellat:

In M. est Diuinum Mysterium nullis humanis rationibus comprehensum.

Illic Regina Virginum, inquiens, *Virginibus innumeris comitata mansiones perambulans Angelorum, & vtrisque Naturis gloriam eius admirantibus dicit: Quid me admiramini? Diuinum est hoc mysterium quod cernitis, Diuinum profecto non humanum, nec humanis vnquam rationibus comprehensum.*

B.V. virtutũ suarum fragrantia cælestis Hierusalem ciues mirificè recreauit.

11. Sanctus vero Hieron. serm. de Assumpt ait Virginem virtutum suarum insolitâ fragrantiâ cælestis Hierusalem ciues mirificè recreasse: *Ad cuius fragrantiam odoris*, inquit ille, *omnis illa cælestis Hierusalem læta decurrit, quam circumdabant flores rosarum, & lilia conuallium, eo quod omnes animæ martyrio rubricatæ, eam æternæ dilectionis complectantur amplexibus, & Virginitatis splendore candidatæ, ac si lilia in valle humilitatis enutritæ, circumdant eam venerationis gratia obsequentes indesinenterque eius admirantes pulchritudinem, inter filias Hierusalem, in qua posuit Rex thronum suum, quia concupiuit eius speciem, & decorem. Fuit enim plena charitate, & dilectione, id circo sequitur post eam purpuratorum exercitus, & candidatorum grex. Quam si diligentius aspicias nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriæque, quod ex ea non resplendeat. Et ideo bene circumdant eam flores rosarum, & lilia conuallium, vt virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur. Nam omnis splendor, & gloria quanto illustratur fulgore suo sublimius, tanto apparet præstantior charitate, quorumlibet subiectorum, & eximior prædicatur: Sic, & B. Dei Genitrix cuius plantatio est velut rosa in Hierico specialius refulsit, candorque Virginitatis splendidius emicuit, cum circumdata officio charitatis, submittitur illi sanctorum charitas, vt eius amplius splendor, & gloria commendetur, quæ super choros Angelorum eleuata, iam beata prædicatur, & beatissima.*

Si diligentius B.V. aspiciatur, nihil est virtutis, nihil speciositatis nihil est candoris, quod de illa non resplendeat.

12. Idem B. Cardinalis Damiani serm. de Assumpt. earundem beatarum mentium alterum illud in Virginem iactatum expendens præconium Cant. 3. *Quæ est ista quę ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij*, cum dixisset Deiparam, consumatione virtutum omnium fuisse vestitam, tandem vniuersum illum pigmentarium explicans puluerem, mirificè earundem Virginearum virtutum deprædicat copiam, ac excellentiam: *Vniuersus*, inquiens, *puluis pigmentarius in Virgine coniectus est, quia in ea virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit. Et si per partes cæteris spiritus affluit, Mariæ tamen tota plenitudo gratię superuenit. Nec integrę fuerunt in ea species, sed in subtilissimum comminutę, quia ipsa est quę fortioribus tribulationum malleis superpressa, vidit suum, & Dei Filium affigi cruci, militari lance à vulnerari, & inter Duos latrones positum expirare.* Hanc virtutum excellentiam B. Albertus M. contemplans in Maria, ait eam Deiformissimas habuisse virtutes, eamque ob causam ipsam confidenter gloriari Eccli. 24. *Ego in altissimis habito*, vicina nimirum, Sacrosanctæ Triades Throno. Sic ille.

In Mariam tota plenitudo gratiæ superuenit.

B.V. Dei formissimas habuit virtutes.

Virtu-

B. V. in altissimis habitat, vicina SS. Trinitatis throno.

Virtutes hasce Angelicas in Virgine sibi domicilium fixisse ostendere voluit sponsus cum dixit Cant. 8. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* quæ,& mirtam concentus, veluti cychara edebant suauitatem, & Tartareis hostibus terrorem, sua coordinatione virtutum, ordinante eas ordinatâ charitate incutiebant. Audiamus hic Alanum:

In B.V. virtutum consonantia.

In Virgine fuerunt chori canentium, quantum ad consonantiam Virtutum; castra vero pugnantium, secũdum quæ Virgo circumsepta, & Sanctis disciplinis instructa, vitiorum, & Dæmonum repellebat insultus.

B.V. excellentius quam Principatus inferiores ad Primũ Principium, nempe DEVM reduxit.

13. Postrema Principatuum proprietas est, quod inferiores ad primum principium, Diuinam nempe maiestatem reducant. Quod sane mirificè in Virgine nostra longè maiori cum eminentia resplenduit. Ipsa enim modo hactenus inaudito, humanam Naturam inferiorem Angelis; in creaturarum formatione postremam, ad suam primum, à quo, Protoplastorum scelere aberrarat, reduxit principium, dum in suo purissimo vtero Virgineum suum sanguinem, carnemque ad efformandam ope, operaque Spiritus S. Humanitatem nostram Diuino illi Verbo, quod Alpha,& Omega rerum omnium est, copulandam hypostaticè subministrauit, nosque primigeniæ, consortes Diuinæ efficiendo Naturæ, restituit dignitati. Atque ita vniuersam creaturam eodem primiorum parentum labefactatam crimine, ad pristinam integritatem reuocauit, Sanctificauit, Deoque Principifico principio vniuit, & quodammodo deificauit. Quæ omnia sane nobis mirificè S. Georgius Nicomed. Archiep. venustissima illa oratione de Præsent. Deiparæ ob oculos posuit: *Tu, ô Dei Genitrix, omnium summum ornamentum, tu casum veteris nostræ nobilitatis erexisti, partu tuo, qui est supra omnem rationem. Tu primæ imaginis obscuratam speciem, restituisti, in suam pulchritudinem. Tu primæ parentis dolores in pariendo susceptos, tuo partu in gaudium conuertisti. Per te Paradisum pure sumus consecuti. Per te generis nostri colonia ad propriam rediit mansionem. Per te recessit Rhomphæa versatilis. Per te quæ erant clausæ deliciarum portæ fuerunt apertæ. Per te spes Prophetarum ad effectum sunt deductæ. In te finem acceperunt quæ ab eis dicta sunt. Per te nostræ resurrectionis certa signa tenemus.* Sic ille.

B.V. primæ nostræ Imaginis obscuratam in nobis speciem ad suam pulchritudinem reduxit.

14. Ob hanc ad primum principium hominum reductionem, Filius eam in hiscè nobiscum terris diutius commorari voluit, vt sapientiâ, Diuinaque sua doctrina, morum innocentiá, atque inculpatæ vitæ integritate, tum Apostolos, aliosque Christi Discipulos, tum mortales omnes erudiret, & ad DEVM primam omnium originem reduceret. Ipsa enim dictante fertur, S. Euangelista Lucas suum Euangelium maximè circa infantiam Saluatoris composuisse. Vnde Eusebius Emissenus serm. 2. de Nat. Domini sic illam compellauit: *O Mater Sapientissima, O sola tanto Filio dignissima, quę omnia verba hęc in corde suo conferebat, nobisque conseruabat, & memorię commendabat, vt postea ipsa docente, ipsa narrante, & nunciante scriberentur, & in vniuerso mundo prędicarentur, cunctisque nationibus nunciarentur. Ab ipsa hęc Apostoli audierunt, & ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandauerunt. Quis igitur Euangeliis non credat? Quis eis contra dicere pręsumat? Quę aut Matris, aut Filii auctoritate muniuntur? Quędam enim Apostoli, & Euangelistę à Matre Domini audierunt, quemadmodum ista, & cętera quæ de Saluatoris nostri infantia scripta sunt. Plurima vero visa, & audita ab ipso Domino didicerunt.* Et serm. de Assumpt. *Ipsa denique Maria, sicut eius verbum, non solum audiebat, verumetiam in corde suo conferebat, nobisque ad legendum, & audiendum custodiebat: Sic enim scriptum est: Maria autem conseruabat omnia verba hęc conferens in corde suo:* Idem docet S. Hieronymus serm. de Assumpt. *Ecce IESV ascendente, cum quibus vacat Virgo in schola virtutum, meditatur in lege mandatorum Dei, vt, & ipsa sit forma disciplinę Christi, & exemplum perfectionis hominibus. Conuersatur quidem cum testibus sanctæ resurrectionis, & ipsa testis, conuersatur cum Senatoribus cęli intra curiam Paradisi, sub Spiritus Sancti Disciplina, & & Magisterio Diuinę Maiestatis. Inuenitur prima B. Maria inter primos summi Regis coheredes, quorum vita non erat iam de terris, in quibus Christus pręliabatur, sed de cęlis. Neque enim eximius Sanctorum chorus Apostolicus deseruit eam inter quos post resurrectionem intrans,& exiens familiarius, contulit familiarius de Christi Incarnatione. Tanto siquidem verius, quanto ab initio plenius per Spiritum Sanctum cuncta didicerat, & perspexerat oculis vniuersa.*

B.V. dictante S. Lucas suũ Euangelium maximè de Infantia Saluatoris conscripsit.

M. forma disciplinæ Christi, & exemplum perfectionis.

B.V. conuersabatur post Ascensionẽ Christi in cęlos cũ Apostolis.

14. Audiendus etiam in hac veritate confirmanda pijssimus in Deiparam S. Hild. serm. 5. de Assumptione. *Iam vero optimam partem quę soror Marthę*

 Maria,

Maria, specie, & figura gerebat, *Dei Genitrix iure merito vera firmissimè retinebat, & cum Apostolis de humanis Christi actibus, & verius, & specialius cognoscebat, verius, ac specialiter conferebat, vt ab ea discerent, qualiter arcanum tanti mysterij, & ipsi crederent, & lucidius alijs enarrarent, & cum opportunum fuerit sine omni ambiguitate, scriptis mundo transmitterent*. Audiendus quoque Zacharias Chrysopolitanus in Monotessaron: *Omnia*, inquit ille, *de Domino, vel à Domino vel à Domino, dicta vel facta cognouit, siue intellecta in memoriam recondebat, vt tempore suo vniuersa, prout gesta erant intelligeret, & quęrentibus explicaret*.

16. Hanc tam eximiam Virgineæ doctrinæ, sapientięque pulchritudinem inter reliquas eius venustates demiratus sapiens Idiota cap. 3. in Contemp. B.V. exclamauit: *O beatissima V. Maria species tua consistit in humilitate, pulchritudine sanctarum cogitationum, & doctrinę veritate, quę in collo intelligitur, quia Doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum*.

Vnde, & beatus Lucas, cui inter cęteros Euangelistas descriptio Dominicę Incarnationis attribuitur, Euangelij seriem à te Virgo Maria didicisse traditur. Hanc ob causam Deiparam, Illuminatricis Nomen, iuxta Mariæ ethymon fuisse sortitam crediderim, siquidem illa quæ de arcanis profundissimisque nostræ fidei mysterijs penetrabat in lucem maxima claritate, ac perspicuitate coram Apostolis proferebat. *Et per hoc multa eis, per hanc reuelabantur, quę in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu ipso experimento didicerat eiusdem Domini nostri*.

B.V. Illuminatrix Apostolorum dicta.

17. Idem hoc Principatuum Diuinum planè ministerium in hodiernum vsque diem exercere non desinit Virgo nostra, animarum salutis Zelantissima. Semper enim vniuersum terrarum orbem ipsosque Antipodas, Iapones, Sinasque vltimamque Thulem, vt in Annuis Societatis nostræ literis apparet, videtur circuire, vt de hominibus benè merendi occasionem nasciscatur.

Eius nimirum sunt verba illa amoris plenissima apud Eccli. 24. *Gyrum cęli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui*. Videre quis cupit huius Virginis gyros, & circuitus vt nobis benefaciat? audiat Leonem Imperatorem Hom. 6. qui eam velut animatum quoddam Cælum, ex quo in supernam patriam est assumpta terras circumire docet, vt mortalibus omnibus benignissimis suæ gratiæ influxibus prosit. *Moratur*, inquiens, *in his terrenis, & circuit, & magis vbique adest animatum illud Cęlum, omnium similiter curam gerens, beneficentię guttas distillans, arentisque vitę nostrę constitutionem irrigans*. Hęc ille de Virginis in nos pia solicitudine.

B.V. circuit vt omnium animas etiã in nouo orbe saluet.

B.V. pluuias beneficiorũ distillans.

18. Hanc sane eximiam agnouit B. Theodoretus lib. 2. in Cant. in verbis illis sponsæ iuxta 70. Int. *Adiuro vos filię Hierusalem per potentias, & virtutes agri, vt suscitetis, & excitetis charitatem*, quæ videlicet est ad DEVM rerum omnium principium. Ad quæ verba sic loquitur: *Qui corporum amore capti sunt, eorum vt ipsi soli potiantur studiosè curant, & ab amatis ęmulos, totis viribus conantur arcere*.

Atqui Spiritus amore sunt inflammati, Deique tenentur desiderio, eadem flammâ omnes, vt homines incendantur, exoptant. Quam ob rem cum sponsa sponsi complexum exposuisset: Leua eius, inquiens, sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, se in sponsi delicijs solã versari non sustinet, neq; satis esse putat, si ipsa sola sacris illis complexibus perfruatur, sed omnes inuitat adolescentulas, neque tantũ inuitat, sed cogit, ac iuris iurãdi obstringit necessitate, vt suscitent, & excitẽt charitatẽ; Adiuro vos &c. Ager est mundus. Potestates, & virtutes, Angelicas vocat Potestates quę Dei iussu mundum obeunt. Hactenus Theodoretus de insigni Deiparę in nos charitate ex verbis eiusdem collecta.

B. V. sola amare sponsum non sustinet, sed alios etiam ad eundem amandum inuitat.

19. Eiusdem sunt verba illa ex corde, animarum præsertim gentilium zelo æstuanti profecta, teste Ruperto Abbate libr. 6. in Cant. *Veni dilecte mi egrediamur in agrum, commoremur in villis, vt videlicet qui erant agrestes fiant domestici, qui villani fiant ciues, & domestici Dei, & demum iuxta Propheticum Oraculũ: Lætetur deserta, & inuia, & exultet solitudo, et floreat quasi liliũ germinens germinet, & exultet lætabunda, & laudãs, & gloria Libani detur ei, gloria sc. hæc, vt videant Gloriam Domini, & decorẽ Dei nostri, cuius visione indignum se Libanus, idest populus Iudaicus fecit repellendo Verbum Dei. Illuc egrediamur, ibi commoremur, & ibi commorantes manè surgemus ad vineas, sine dubio iam illic nostra commoratione fructificantes. Ibi dabo tibi vbera mea, nutriendo scilicet multitudinem filiorum; quos in nouam infantiam fęcundâ tibi pariam gratia. Nõ solùm lacte nutriã, sed, & solido cibo fideles iam factos fortiores, & perfectos. Omnia enim poma noua, & vetera seruaui tibi Dilecte mi, omnia veteris,*

B.V. erga gentiles conuertendos zelus.

&

& noui Testamenti Sacramenta seruaui tibi conferens in corde meo proferenda in tempore suo, in tempore opportuno. Ex qua elegantissimi periphrasi facile est colligere quanto Diua Virgo animarum ad suũ primũ, principificumq; Principium reducendarum æstuarit Zelo, qui cum ab excellenti proficisci consueuerit charitate, quæ decor ac pulchritudo fidelis est animæ, merito eam tantopere admirans in Virgine, illis verbis deprædicabat sponsus Cant. 2. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*. Quod elogium Psellus apud S. Theodoretum, sic paraphrasticè in persona cælestis reddidit Sponsi:

B.V. Pulchra effecta dum cunctarum animarum salutem quærit.

Pulchra profecto es propinqua mea dum cunctorum hominum animas salutem assequi cupis.

Theophilus pœnitens ad B.V. pro peccatorum suorum venia confugit.

19. Agnouit famosus ille peccator Theophilus à fide apostata Cacodæmonis factus miserabile mancipium, agnouit, in quam, cũctorum hominum animas, vt saluæ fiant summis in votis desiderijsque esse Deiparę, cum nefandum illud apostasiæ suæ scelus detestatus, sic eam allocutus est, vt scribit Euthychiamus eiusdem famulus, à quo referente hæc singillatim didicerat:

Sic igitur ille coram Icone Virginis in Templo prostratus, manantibus vbertim lachrymis, ductis ex imo corde suspirijs, ardentissimam hanc animarum Zelatricem est allocutus: *Hei mihi, quid feci? Hei mihi quid faciam? quo ibo? Hei mihi, quid respondebo Deo in die iudicij? quem rogabo? quem in illa afflictione inuocabo? Heu misera, & abiecta anima, quomodo abducta fuisti in captiuitatem? quonam fuisti obruta naufragio? Ad quem partum confugies?*

Ad quodnam te conferes refugium? Vadam ad Matrem Dei Sanctissimam Mariam, ad eam accedo ex tota anima mea, ex toto corde meo, & assiduè fundam preces, & ieiunabo in venerando eius Templo, donec per eam inuenero misericordiam in futuro iudicio. Sed quibusnam labris bonitatem eius placabo? Nescio.

Quodnam principium meę confessionis inueniam? quo corde, aut qua consciẽtia fretus impiam conabor mouere linguam, & labra plena sordibus? quomodo de peccatis meis audebo petere remissionem? Timeo enim ne ignis de cęlo statim ad me descendat, meque miserum cõburat. Attamen, anima mea, ab hac, quę te tenet vertigine, resipisce, & accede ad Matrem Christi, & pudore non afficieris. Sic ille.

20. Nec sane sua spe in Virginem frustratus est Theophilus; nec eidem Virgo, pro ardentissimo illo suo animarum saluandarum, easque ad suum principium reducendarum, quo flagrat zelo, suam denegauit benignitatem.

Sic enim eodem Euthychiano teste, ipsi respondisse fertur: *Facile ego hominum peccatis, ac delictis ignosco, propterea, quod ego Christum peperi, ita diligam genus Christianorum, & maximè eos, qui recta mente, & fide ad me accedunt, & mane vigilant in meo Templo. His enim pateo, eis occurro, eosdemque meis vlnis amplector, precesque eorum exaudio. quæ autem Filium meum ad iram prouocant, & quæ in eum geruntur impiè, de ijs vos ex audire est magnorum certaminum, ac laborum, ad eius placandam bonitatem, etiamsi sit valde clemens, & benignus*. Ad quam mox Theophilus, postquam iam Tartareo illi fœderi, stipulationique renunciauit, spe maxima in Dei Matrem erectus: *Certè*, inquit, *Domina mea, benedicta, & defensio generis humani, certè portus, & defensio eorum, qui ad te confugiunt. Scio ò Domina Dei Parens quod te valdè offenderim, & ex te natum DEVM nostrum, nec sum dignus consequi misericordiam. Sed habeo multa exempla eorum, qui ante me offenderunt Filium tuum, quibus data est venia suorum in eum peccatorum, propter pœnitentiam, & confessionem*.

B.V. facilitas in remittendis peccatis.

Tãdem Virgo tot gemitibus, lacrymisque, ac singultibus flexa, hilari vultu lætissimisque oculis, de ipsius pœnitentia, impetrataque salute, mirifico gestiens gaudio, sic eum aflata memoratur: *Homo Dei sufficit tibi pœnitentia, quam coram Filio meo ostendisti. Suscepit enim Dominus lacrymas tuas, & preces propter me:*

Si tu con eruaueris in corde tuo rectam fidem in Christum meum Filium, vsque ad diem mortis tuæ.

21. Cui denique Theophilus tantam eius misericordiam, pietatem, suęque salutis zelum expertus, cupiens eiusdem Deiparæ beneficio perfectam salutis suæ securitatem obtinere, ac syngrapham illam, qua se, per summum nefas stygio Veteratori obstrinxerat sibi restitui, sic summâ in Virginem charitate ac fiducia respondit: *Certè Domina mea benedicta conseruabo, nec faciam irrita ea, quæ mihi dixisti. Te enim habeo post eum protectionem, & defensionem, & ad tuum intuens auxilium, & gubernationem, non faciam irrita ea, quæ tibi sum pollicitus.*

Theophili in B.V. fiducia.

Scio enim scio, ò Benedicta, non esse aliam hominum defensionem nisi te solam, ò Dei Parẽs. Quis enim, ò Domina mea, sperauit in te, &

pudore est affectus? Aut quis hominum fideliter omnipotentem tuam rogauit opem, & fuit vnquam derelictus? Reuera nullus vnquam, quamobrem ego quoque peccator, ac nequam, rogo tuum perennem fontem, ex quo fluunt ad animas nostras curationes, præbe mihi viscera miserationum, qui aberraui, & cecidi in pelagus luti, & iube me accipere hanc malam ac perniciosam negationis chartam obsignatam à Diabolo, qui me fefellit, quoniam hoc est solum, quod miseram meam animam tabefacit.

Nec irritæ hæ quoque Theophili cecidere preces. Pientissima enim misericordiæ Mater, ac Regina, pro summa illa, qua in Regnum quoque Inferorum pollet auctoritate, ac potestate abominandam syngrapham illam ex Tartarei illius Nebulonis vnguibus extorsit, quæ vbi in Templo, spectante populo, ac Episcopo, aduolauit, mox coram omnibus Vulcano tradita est. En quanta cum benignitate Deipara, creaturas ad suum principium, excellentiori longè ratione, quam Principatus consueuerint, studet reducere, earundemque salutem procurare.

B. V. coegit Dæmonem vt restituat Theophilo syngrapham qua DEVM nega...

22. Ardentissimum hunc Deiparæ Salutis humanæ zelum, piamque animas ad suum principium reducendi solicitudinem Henricus Coloniensis Canonicus ille, de quo Cæsarius libro 7. capit. 8. expertus est.

Henricus Canonicus Coloniensis compulsus à B. V. ad pœnitentiam agendam.

Hic enim cum vitam, mores seculares redolentem ageret, modicumque negotia salutis suæ curaret, die quadam cum solus animi causa obequitaret, lucida nubecula coram illo præteruolauit, clarissima hac mirificæque dulcedinis edita voce cuius cum posteà subinde recordaretur præ gaudio sibi temperare à lacrymis minimè valebat. Vox autem illa erat huiusmodi:

Fiat voluntas sua sicut in cælo, & in terra.

Orabat nimirum Christum amantissima salutis Canonici illius Deipara, ceu interpretatur Cæsarius, vt sicut voluntas eius est in Cælo, id est, in iusto, cuius anima sedes est Sapientiæ; ita, & eius volūtas, quæ semper bona est, fieret in terra, hoc est in terreo illo peccatore. Verum ille ad vocem hanc cælitus demissam minimè attendens vel potius eandem minimè intelligens, piam Virginis, Nubeculæ leuis, super quam Dominus orbem visitaturus ascendit, admonitionem neglexit. Sed non item ipsius Salutem Deipara. Cum enim aliquando in domus suæ Sacello coram Icone Dei Matris, eam Angelica Salutatione venerabundus sibi stare videretur, Virgo ipsum auersata, durè admodum increpuit: *Vt quid,* inquiens, *me Salutas? Homo perditus es, & ni vitam emēdaueris citius peribis. Ego enim, & Sanctus Benedictus pro te intercessimus.* At ille hanc etiam increpationem Virginis, vitæ sæcularis irretius illecebris, surdâ aure pertransiuit, genioque indulgens, negotium salutis propriæ susque, deque ferebat. Cum tandem Virgo, quæ hactenus Virgam se illi amygdalinam floridāque, benignis illis increpationibus exhibuerat, in Virgam quasi ferream conuersa, tam graui eum ægritudine corporis, quo Spiritus saluus fieret, percussit, lectuloque affixit, vt desperatâ à Medicis valetudine, de eius vita fuerit conclamatum. In extremis igitur illis mortis constitutus angustijs, manum omnipotentem piè sæuientis Virginis agnoscens, accitis Ordinis Cisterciensis Patribus, liberioris vitæ sæcularis licentiam detestatus, sæculo eiusque vanitatibus ac pompis renuncians, in familiam illam Deiparæ deuotissimam, eiusdem se meritis, precibusque palam coram omnibus illuminatum deprædicās, adlectus est, reque ipsa expertus Virginem humanæ salutis nimium quantum esse solicitam atque satagentem vt creaturas ad suum principium, earundemque reuocet creatorem.

Quod in Canonico illo agnoscens Cæsarius, totius rei gestæ seriem ita conclusit: *Nec mirari debes si peccatores per eam illuminantur, quia sicut Nomen eius, ita, & laus eius fines terræ. Maria enim interpretatur Stella maris, siue Illuminatrix.* Dum enim illa peccatoris mentem illuminat, simul voluntatem amore creatoris accendit, atque ita peccatorem à via salutis aberrantem, ad suum, à quo deflexerat principium, mira suauitate Angelicos Principatus æmulando reducit.

Mariæ Nomen, & laus in fines terræ, quia omnes illuminat.

23. Porrò quemadmodum Virgo Deipara Principatum hunc longè excellentiorem inter hasce beatas Mentes, eminentissimis suis virtutibus est indepta, ita censendum omnino Principatum alterum seu primogenituram illam inter omnes creaturas, eisdem virtutibus, ac præsertim illo Dei decreto, quoad Diuinæ Maternitatis dignitatem euehebatur, fuisse consecutam, eamque singularem quendam in creaturis indeptam esse principatum de

Maria Principatum adepta inter omnes creaturas, quod fuerit Dei Mater electa.

quo

quo ipsa tanquam de re singularissima, longeque dignissima gloriabatur:
Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. Eccli. 24. Quasi dicere voluisset: Cùm Altissimus sæculorum Pater, ab omni æternitate consilia de fabricanda hac pulcherrima mundi machina, mente agitaret sua, ego prima mentis eius oculis occurri, vtpotè Mater ipsius Filij amantissima, cuius amore decreuerat mundum hunc vniuersum cum creaturis omnibus ipsi tanquam Regi suo naturali, famulaturis condere. Atque ita primogenituram, seu principatum inter creaturas omnes velut ipsarum Regis naturalis Mater sum indepta, tantumque ab æterno huiuscè Regis, Filij mei Patre sum adamata, tantis cæli donis exornata, vt omnibus rebus creatis quantumuis pulcherrimis, imo toto hoc mundissimo, ornatissimoque Mundo dignior, ornatiorque euaserim, vtpotè in quam florem, præcipuamque totius huius Vniuersi venustatem conferre non est dedignatus.

24. Et verò iure merito Virgo nostra gloriosissima ante omnē creaturam primogenita, ac Princeps ob Diuinæ potissimum Maternitatis, vt dixi, eminentissimam dignitatem dici debet. Si enim Iuno apud Ouidium sese iactare non dubitauit:

Iunonis nobilitas præcipua, quod Saturni Mater extiterit.

Si genus aspicitur Saturnum prima Parentem
Feci, Saturni Sors ego prima fui:

Potiori iure dicere potest modo cælorum vera Regina Maria; Ego verum DEVM Parentem sæculorum, creaturarumque omnium feci, cum ipse in vtero meo homo fieri dignatus est, ac proinde iure merito inter creata omnia primatum possideo. Quod inter varia admirabilia ac stupenda Incarnationis mysteria Diuus numerauit Epiphanius libr. de laudibus Virginis.
Stupendum, inquiens, *miraculum in cælis Virginis Filius, qui ipsius, & sæculorum Parens est.* Idem hoc miraculum obstupescens S. Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 39. de Incarn. *vocat semper mysteriū:*

Incarnatio Dominica semper est Mysterium.

Quomodo, inquiens, *Natura Verbi quæ nullius opere facta est, nec mente capi potest, quæque cum nulla creatura communicari potest, in quam Cherubini reliquos ordines supereminentes defigere oculos non audent, quomodo, inquā, hæc cum infirma, & terrestri Humanitatis natura lubens in communionem venit?*
Hoc fuerit mysterium, quod in hodiernum vsque diem mysterium permanet, nec vnquam mysterium non erit. Tunc vidit creatura, quod ante viderat nunquam, Filium Genitricis esse Patrem: Infantem ætate Matrem superare, Infantem ætate antiquiorem. Nec enim fuit nudus homo qui genitus, sed DEVS Verbum, ex Virgine incarnatum, carne naturaque eadem mecum sibi circumiecta, vt simile simili saluaret. Sic Basilius primogenituram Virginis ante ipsum quodammodo primum rerum omnium, principificumque principium celebrauit. Quam dignitatem sanè eminentissimam iure illi gratulatur Euseb. Emiss. serm. 1. de Natiu.
Exulta Mater salutis humanæ. Ecce Domini mei vniuerso mundo promissum prima suscipere mereris aduentum.

26. Ex quibus Sanctorum Patrum verbis iure merito Virginis Primogenituram, Principatumque super res vniuersas colligere possumus, itaque discurrere: DEVS Pater vnicum Filium suum hæredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula, Primæ ante omnes creaturas Virgini Mariæ, in sinum purissimū nutriendum immisit, iure igitur meritissimo Primogenita ante omnem creaturam censenda est. Hinc narrat Herodotus in Erato, & Mamertino Panegyrico ad Maximianum, Aristodemum Lacædemoniorum Regem ex Regina vxore habuisse gemellos, dubitatumque esse quisnam esset primogenitus, cum id vxor patefacere detrectaret.

Aristodemus Rex Lacedęmonum gemellos habuit, cum dubitaret quisnam esset primogenitus, vnde resciuerit?

Tum Regem in Senatum aduocasse Seniores, eosque consuluisse. Responsum est ab illis, constitueret Rex hominem qui Reginæ quasi aliud agendo adstet, obseruetque diligenter vter filiorum primus, ab illa lactetur, vter primus ad oscula ad mammillas adhibeatur, & illum à Regina ad huiusmodi primatum admissum, habeat pro primogenito.
Habeatur igitur, & Virgo sanctissima Primogenita ante omnem creaturam, earumque Principatum obtineat siquidem DEVS Pater supremus cæli Rex ei primæ creaturarum omnium, suauissimum suum castissimumque dedit Osculum, Verbum æternum. Siquidem, Bernardo teste in Cant. *Osculans est Verbum assumens, osculatum, caro quæ assumitur, Osculum verò, quod ex osculante, & osculato pariter conficitur Mediator Dei, & hominum homo Christus IESVS.* Habeatur etiam eadem Virgo primogenita ante omnem creaturam; Siquidē idem Deus Pater primæ omnium creaturarum suam porrexit Mam-

B.V. primogenita ante omnes creaturas censenda, quia Deo Pater dedit illi Osculum, nempe Verbum Incarnatum.

Dei Filius est Mammilla Patris.

Mammillam dilectissimum suum, Vnigenitumque Filium, quem Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. cap. 6. *Mammillam Patris appellat, eosque verè beatos, qui hanc lactant mammillam.*

27. Vt porrò magis adhuc hęc Virg. primogenitura confirmaretur, ipse Dei Filius eam est osculatus, & illa vicissim Filium. Audiendus hic S. Epiphan. eodem libr. de laud. Virg. *Exercitus Angelorum, qui sunt scabellum pedum Christi, procidentes, nec videre possunt, vel contingere. Hæc verò labra labris coniungens incompræhēsum salutabat.* Audiendus, & D. Ioannes Damesc. orat. 1. de Natiu. qui ex hiscè eisdem cæli fauoribus primatum Virginis inter creaturas omnes colligit.

B. V. creaturas omnes dignitate superauit; quia lac de mammillis eius suxit Dei Filius, eiusque labijs labia sua imprimere dignatus est.

Sanè res omnes conditas, inquiens, *dignitate antecelluisti. Ex te enim sola summus ille Opifex partem assumpsit, hoc est, massæ nostræ primitias. Caro ipsius ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo, & lac ex mammillis tuis, suxit DEVS, & labia tua Dei labijs vnita sunt. O' miracula mentis captū, atque orationis facultatē excedētia! Te rerum omnium Deus dignam præno scens amauit, amatam prædestinauit, extremisque temporibus in ortum produxit, Deique Matrem, suique Filij ac Verbi Nutriciam effecit.* Hæc Damasc.

28. Quare ex hisce singularissimis Diuinæ dilectionis signis iure meritissimo colligimus Deiparæ nostræ inter Vniuersi creaturas omnes tàm cæli, quā terræ, excellentissimum primatum, ac primogenituram fuisse concessam. Verèque dicere possumus ante Angelos, ante cælos genitam esse Deiparam, quod nobis per creationem terræ sat luculenter denotatur, cui præcepit DEVS vt antequam cæli, luce exornarentur, herbam virentem, tum flores, tum fructus germinaret. Hinc S. Anastasius Sinaita lib. 4. in Gen. *Ante DEVS ornauit terram, quam cælum, tanquam si terra ante cælum ditata sit, Christi mysterio, & aduentu. Propterea ante cælum ornatur, quoniam ante Angelos terra, & terrâ geniti homines, DEVM per carnem vidimus, & antè cælestia exornans ille hæc inferiora, & lætificauit, & illuminauit: ante Cherubin, & Seraphin, Magi, & publicani, & latrones, meretrices, & peccatores facie ad faciem DEVM viderunt, eoque se oblectarunt, & fruiti sunt, deinde eum sic transmiserunt videndum supernis virtutibus.* Hæc Anastasius.

Cur DEVS prius ornauerit terram, quam cęlū?

B. V. tāquam Terra Virginea prius ornata fuit germine, & fructu Diuino, quam cęlum.

Idem dicere possumus de hac Virginea, & animata Terra, quæ ante cælos, Angelos, & Archangelos sua nobilissima accepit ornamenta nempe germen, florem, & Fructum IESVM vt se primatum, ac primogenituram habere inter omnes creaturas ostenderet. Intellexit hunc eundem Virginis inter omnes creaturas principatum Goffridus Vindocinensis Card. cum de ea dixit serm. 8. *Hæc est cui Angeli seruiunt, Archangeli famulantur, omnis etiam militia cęlestis exercitus hanc Virginem laudat, ac veneratur. Hæc sola post DEVM super omnes creaturas obtinet principatum. O' quàm venerabilis quàm sublimis hæc beatissima Mater, cuius Filius quamuis omnipotens DEVS sit, ei tamen nihil vnquam negare potuerit!* Sic ille.

29. Quo circa tam insignem super se Dominam, ac Principem ad dexteram Filij considentem intuentes mirificè gloriatæ sunt non Principatuum tantum verumetiam vniuersæ Angelorum Hierarchiæ, nullamque sibi putarunt factam esse iniuriam, quod humana natura, eorum longè inferior super illos exaltata fuerit in Maria. Hinc B. Arnoldus Carnot. Abb. Tra. de laud. B. V. *Nulla facta est Angelicæ dignitati iniuria, si illius excellentiæ cacumen obumbrat Virgo exaltata sicut Cedrus in Libano. Imo ipsius castissimo amore captæ beatissimę illę Mentes, mirificis ipsius pulcherrimam, diuinamque faciem contemplandi quęuis per se Hierarchia exarsisse visa est desiderijs, identidem summo affectu voces illas amabilissimas ingeminans: Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* O' verè facies cælum tempestatesque serenans. O' facies dignissima cælo, de cuius decore id verè, & potiori longè iure dicere possumus, quod Claud. de Mariæ Augustæ Stiliconis Principis Coniugis pulchritudine modulatus est:

Quod B. V. fuerit super omnes Angelorum Hierarchias exaltata, nulla fuit illis facta iniuria.

In qua decus Marię iam Sydera parturit ęther.

Quid mirum igitur quod beatissimæ, purissimæque illæ Mentes venustissimam Augustissimæ totius Vniuersi Reginæ, Deique Parentis faciem tantopere intueri anhelarent?

30. De hac eadem eximia Virginis pulchritudine ex virtutibus resultante, qua beatorum Spirituum in se omnium prouocauit aspectus insigniter D. Bern. Hom. 2. super Missus: *Hi: Virgo Regia gemmis ornata virtutum, specie sua, & pulchritudine sua cęli Ciuium in se prouocauit aspectum, ita vt Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cęlestem nuntium de supernis ad se educeret* Tanta fuit hæc interne

B. V. sua pulchritudine ornatuque virtutum cęli Ciuium in se prouocauit aspectū.

na præsertim à virtutibus plusquam Angelicis animi Virginalis venustas, vt reliquorum, & Angelorum, & Sanctorum puritatem offuscaret: Vnde Diuus Hieron. *Tanta erat Mariæ vitæ claritas, vt omnium vitam quodammodo obscuraret.*

B.V. vitæ claritas omnium quasi vitam obscurauit.

Hinc D. Maximus: *Omnis pulchritudo ad Virginem comparata, deformitas est, & omnis innocentia, peccatum.* Quocirca B. Bonau. in spec. c. 6. inter illustria Deiparæ priuilegia glorificationem hanc beatorũ Ciuium ipsius aspectu causatam numerauit: Hinc Rich. à S. Laur. lib. 1. c. 3. *Tàm Angeli, quàm homines, inquit, iugiter respiciunt in Mariam, eiusque præsentia beantur.* Hinc denique B. Petrus Cardi. Damiani serm. de Ass. *Felices Angelici Spiritus qui B. Virginis habent præsentiam. Nos interim memoriam suauitatis tuæ eructamus, illi præsentiam, nos memoriam. Si sic dulcis est memoria, quid erit præsentia?*

Tam Angeli, quã homines iugiter respiciunt in Mariã, eiusque præsentia beantur.

Hinc Suauissimâ tantæ Virginis, tantis virtutum splendoribus radiantis, beatissimi illi Spiritus præsertim Principatus, præsentia delectati iure merito à S. Antonino introducuntur obsecrantes, cælum petentem Deiparam, vt ob morum, virtutumque similitudinem ac consonantiam cum illis dignaretur commorari. Eorum nimirum communis vox fuit: *O Domina nostra si inuenimus gratiam in conspectu tuo, & si multæ filiæ sanctarum animarum diuitias congregarunt virtutũ, tu tamen supergressa es vniuersas, siquidem ornatum præcipuum virtutum habes, quod nostri est proprium. Placeat tibi igitur in ordine nostro, vt Principissam residere.*

Principatus ob virtutum ornatum B. V. in suo choro morari expectebant.

31. Neque verò solum sanctissimorum Principatuum Hierarchia suas in Deipara, perfectiori longè gradu virtutes agnoscens, eius præsentiâ iucundissima, eiusque dulcissimo perfrui anhelabat aspectu, verumetiam, quia nouerat ijsdem illis virtutibus, & sui Ordinis, & reliquorum Angelorum, per ipsam, tanquam nouam quandam recreatricem, ruinas fuisse reparatas.

Hinc tot annorum myriadibus desiderabant omnes, vt quamprimùm Diuinum Verbum in vterum descenderet Virginis, humanitatemque nostram ad vnionis hypostaticæ eueheret dignitatem eamque ita Diuinę consortem efficeret naturæ. Desiderium hoc in verbis illis Sponsi, assensum Virginis exposcentis fuit expressum Cant. 5. *Aperi mihi soror mea Columba mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Vbi per Cincinnos Sponsi Lucas Abbas Angelos intellexit, quorũ etiam intererat, Sponsam Deo suo, dato in Incarnationem assensu, quasi aperiri, Dei Matrem fieri, vt eorum Sedes restaurerentur. Et verè merito Angeli cincinni Sponsi cælestis appellantur; quemadmodum enim hi capitis extrinsecus pręcipua sunt ornamenta; ita Angeli inter reliquas creaturas, primaria Diuinitatis, quæ caput Christi est, sunt decora. In illis enim peculiari quadam ratione Diuinę Maiestatis eiusdemque perfectionum, vt testatur Areopagita Dionysius, Imago resplendet.

Angelorum desiderium de Filij Dei Incarnatione.

Angeli velut cincinni pręcipua Diuinitatis, quæ caput Christi est, ornamenta sunt.

Cincinni isti pleni erant guttis noctiũ, quia peccantium, nocte ipsa tetriora scelera, vt Diuini Numinis sunt offensa ipsos mirum quantum, ad instar densissimi roris, nocte densissimâ cadentis grauare videbantur; optabant proinde vt Virgo suo consensu, & quasi reseratione voluntatis aperiret se sponso, tãtisque malis remedium afferret, atque ita ipsorum ruinas restauraret.

Instaurationem hanc Sanctus contemplans Anselmus in Orat. de Deip. ipsius castissimo amore exæstuans in illas prorupit voces: *O fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis! per quam elementa renouantur, Inferna remediuntur, Dæmones conculcantur, homines saluantur, Angeli redintegrantur. O fœmina plena, & superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantiá respersa sic reuiuiscit omnis creatura;*

Mariæ beneficia in omnes creaturas redundant.

Quæ nimirùm in assumpta Christi humanitate veluti paruo quodam mundo, admirabili compendio continetur.

Illa enim non modo pristinum virorem, vigoremque, verumetiam diuinam quandam dignitatem vi vnionis hypostaticæ est fortita. Sanctus quoque Vincentius Ferrerius serm. 2. de Nati. B.V. Deiparæ effusissimam celebrans bonitatem: *Maria*, inquit, *bona Angelis, quia per eam eorum cathedræ reparantur.*

Per Mariam Angelorum ruinæ redintegratæ.

Richardus etiam Laurentinus lib. 10. *Angelis*, inquit, *data est Maria in restaurationem.* Omnium denique pulcherrimè hanc creaturarum totius Vniuersi ipsorumque Angelorum à Deipara factam renouationem contestatus est B. Petrus Card. Dam. serm. de Assumpt. *An putas quod non contremiscat tota rationalis creatura, ad contemplationem tantę dignitatis, Diuinę scilicet Maternitatis? Considera, & quę in cælis, & quæ in terris in Virgine refabricata, DEVM qui cęlum palmo metitur Virginei ven-*

ventris breuitate conclusum; redemptionem hominum, Angelorum restaurationem, denique quicquid est, fuit, & erit, per Virginis vterum renouatum, & tunc tibi cogitatio suggeret, quod locutio demonstrare non potest.

32. Ex quibus omnibus facile colligimus Deiparam longè præstantiori ratione, quàm ipsos Principatus fuisse DEVM imitatam quod illorum proprium est, ac principale, cum illi nec suarum sedium ruinas instaurare, nec mundum recreare, quemadmodum fecit Deipara, vnquam potuerint.

Vnde iure merito ipsi post DEVM Mundi totius gubernatio, Regnorum, ac Imperiorum dispositio, ac distributio super omnes Principatus conuenit. Quemadmodum enim illa Orbem vniuersum, vna cum Regnis, Imperijs, ac Monarchijs omnibus instaurauit, atque erexit, ita quoque illi earundem administratio ac gubernatio, tanquam Vniuersi totius Reginæ, potiori iure quam Principatibus congruit. Hoc agnoscentes pij huius mundi Principes, Dynastæ, Reges, Imperatores, ac Monarchæ sese cum Regnis suis ac Prouincijs cultui Deiparæ deuouere, ad illam tanquam ad Asylum in necessitatibus omnibus, hostiumque insidijs confugere, ipsius honori quam plurimas Basilicas, opere magnificentissimo, sumptibus profusissimis erexere, aliaque innumera ardentissimæ suæ in Virginem pietatis monimenta, ad eiusdem Nominis propagandam gloriam posteritati reliquere.

Regum ac Imperatorũ erga B.V. deuotio, & quod illa eorum Regna ac Principatus feliciter regat.

33. Inter hos merito S. Henricus Imperator Augustissimus primo loco annumerandus est, qui cum Sancta Vxore sua Cunegundæ, beneficio Virginis illibatam Virginitatem perpetuo conseruassent, gratitudinis memor mille quasi Templa Dei, Virginisque Matris gloriæ amplificandæ cupidus à Goffrido Viterbiensi in suo Chronico extruxisse memoratur. Quam grata porro hæc Sanctissimi Cæsaris pietas Deo, eiusque Matri Virgini foret, demonstrauit euentus. Cum enim aliquando Romæ more sibi consueto, prima nocte, qua in vrbem est ingressus, in Templo S. Mariæ Maioris excubaret, ac rerum Diuinarum contemplationi, orationique intenderet, mira menti eius visio, vt scribit Ioannes Nauclerus, repræsentata est. Visus est enim videre Christum Pontificalibus indutum procedere quasi Missam celebraturum; sequebantur pone Diaconus ac Subdiaconus S. Laurentius, & Vincentius Martyres; post hos Sanctissima Deipara Angelicis Virgineisque stipatæ choris; sequebantur mox Ioannes Baptista cum Patriarchis, ac Prophetis; post hoc Petrus, & Ioannes cum Apostolis, & Euangelistis, ceterisque Domini Discipulis: S. Stephanus agmen ducebat inter Martyres. S. Martinus inter Pontifices ac Confessores. Tandem Missæ introitum suauissimis modulis, harmonicisque concetibus inchoantibus Angelis: *Suscepimus DEVS misericordiam tuã;* ad verba illa cum deuenissent: *Iustitia est plena dextera tua*, omnes Christum, eiusque Matrem Virginem imitantes digitum in Henricum tanquam iustitiæ amantissimum extenderunt.

Hẽricus Imperator mille templa B.V. erexit.

Hẽricus Imperator B.V. gratus eiusque in illum dilectionis signa.

Christus corã Henrico sacrum celebrat.

Decantato postea Euangelio, cum Angelus illud Christo, tum Deiparæ, ceterisque omnibus deosculandum exhibuisset, Virgo pio suo in Imperatorem affectu, innuit Angelo, vt idem Euangelium osculandum illi quoque porrigeret: *Præbe ei*, inquiens, *pacis osculum, cuius Virginitas mihi placet*. His tantis, tamquam eximijs Virgineæ benignitatis argumentis obstupefactus, atque extra se raptus cum esset Henricus; idem Angelus, tamquam alteri Iacobo illi, cælicis visionibus inclyto, neruum tangens: *Hoc*, inquit, *tibi erit signum dilectionis Dei, ob tuam castitatem, ac iustitiam*. Vnde factum vt ad mortem vsque claudicauerit, nomenque Henrici Claudi sortiretur.

34. Quid de Roberto pientissimo Galliarum Rege dicam? Hic sane cum Deiparam Regni sui Ductricem ac moderatricem agnosceret, Anno 1022. die Virginis Natali Sacro instituit Ordinẽ Equitum 30. dumtaxat ex primaria Regni nobilitate, eosque hoc titulo insigniuit: *Ordo Equitum Dominæ nostræ de Stella*. Singulis quos crearat Equitibus torquem aureum distribuit, in cuius extremitate supra pectus dependebat Stella item aurea quinque radijs illustris. Iussit insuper in superiori parte Sottanæ vestis ad dexterum latus Stellam auream acu pictam gestari. Ad Ordinis huiusce stabilimentum, Parisijs Oratorium magnificentissimum erexit, cui idem nomen, nostræ Dominæ de Stella indere placuit; his pietatis demonstrans argumentis, Dei Matrem,

Robertus Galliarum Rex B Virginem Regni sui Ductricẽ ac gubernatricem agnoscit, inque eius honorẽ Ordinem equitum instituit.

iuxta

iuxta Sacratissimi sui Nominis ethymum sicut est Stella maris huius sæculi, mortalibus iter in portum sempiternæ beatitudinis indicans, itaq; quoque sui Regni Puetricem ac directricem esse, illi benignitatis suæ assiduè affulgescentem radijs, errorumque tenebras dispellentem. Nec hac tam illustri in honorem Deiparæ inchoato, pijssimus Rex contentus opere, aliā Sacrā Aedem Dominæ nostræ de Campis prope Parisios eleganti, ac splendida architectura extruxit, eandemque locupletissimo dotauit Prioratu. Præter hanc fertur etiā alias multas Nomini Deiparæ fundasse atque consecrasse Ecclesias, quas omnes auro, argento, lapidibusque preciosis, Martyrumque insuper memorijs, omnibus Capillis Indis atque Erithreis longè preciosioribus venustauit.

Roberti Regis Francorum in pauperes, egenosq; Clericos pietas.

Nec hic eximia ipsius ardentissimaque stitit pietas. In honorem Christi Domini, qui nobis Corpus suo Sanctissimum de Virgine sumptum in cibum dedit, die Iouis Sancto trecentis pauperibus manu propria, hora diei tertia poplite flexo, cibos ministrabat ad mensam, pecuniaque exhibita ipsorum inopiam subleuabat. Hora vero sexta duodecim Clericis pauperibus similiter mensę accumbentibus deseruiebat, largiorique stipe donatos recreabat. Erga partum Virgineum mirum quanto pietatis ferebatur affectu. Noctem enim Natalis Domini, vt, & nonnullorum aliarum celebriorum Solennitatum, sic totam ducebat in somnem, vsque ad summum mane, vt nec sedens, nec stans somnum caperet, donec quam expectabat Eucharistiæ acciperet refectionem.

Roberto Rege orante muri Aualonis ciuitatis quę à Gallis obsidebatur sponte corruerunt.

Gratissima porro hæc tam insignia deuotionis obsequia extitisse Deiparæ comprobauit euentus. Dum enim pius Rex in Templo cum Clericis Dei, Deiparæque laudes concineret, cantus precesque eius, beneficio Virginis, argentearum tubarum illarum vim, quā mari Hiericuntini sponte corruere, habuisse vitæ sunt. Illa enim nocte Moenia Aualonis Ciuitatis Burgudiæ quā per suos obsidione cinxerat, nullo facto assultu diuinitus diruti sunt. Kal. B.V. 20. Iulij.

35. Quid de Iacobo primo Aragonum Rege, qui cognomento Victor seu Expugnator appellatus est, dicam? Sic cum auspicijs Deiparæ Regni sui fines longè latemque propagasset, triaque Saracenorum Regna nobilissima ex eorum manibus eripuisset; ac rursus in Regno Valentię cum eisdem Saracenis signa conferens, insignem victoriā, cæcis eorum decem millibus, militibus eius inter pugnandum gloriosum Mariæ Nomen inuocantibus, eique confidentibus retulisset, ac tandem è captiuitate, benignitate omnipotentiaque Deiparæ cui sese enixè commendauerat ter esset liberatus, in grati animi erga ipsam significationem ad duo millia Templa ad Virgineam gloriam vbique quoad poterat propagandam ædificauit, eique tanquam Regni sui propagatrici ac gubernatrici, deque hostibus illis infestissimis gloriosissimæ triumphatrici dedicauit. Siquidem decem illis Saracenorum millibus intereptis, in eorum cadaueribus nulla penitus vulnerum signa apparuere, quo prodigio intellexit pius Rex, Mariæ Nomine, ceu fulmine fuisse prostratos. Quam charus porro hic Rex pientissimus foret summæ cælorum Reginæ, ipsis factis comprobauit. Cum enim nocte quadam in oratione profundissimaque contemplatione esset defixus, diuinoque lumine totum eius veluti meridiano fulgore cubiculum collucceret, in eadem illa luce se illi spectandam exhibuit Virgo benignissima à qua audire meruit, quāti à Deo fieret ardens ipsius zelus animusque in Mauris domandis ac debellandis, & Christianis ex eorum manibus, ac seruitute eripiendis. Monuit denique vt Religionem sub suo Nomine de mercede redemptionis captiuorum institueret, cuius pręcipuum munus esset, precium ad redimendos ab infidelium Tyrannide oppressos Christianos corrogare. Amicam hanc vocem suæ Dilectæ vbi audiuit Iacobus, facturum se omnia, mira spiritus suauitate lætitiaque perfusus, manantibus vbertim præ gaudio lacrymis, quæcumque Virgo mandasset ad promisit. Nec in promittendo, quam in exequendo quæ promiserat tardior fuit, nam 10. Augusti Anno 1218. Solenniter Ordo hic inchoatus est, in qua Solennitate S. Raymundus Ord. D. Dominici concione in laudem tam pij instituti ad populū habuit, qua peracta omniū primū Petrū Nolaseum nouę illius Religionis habitu induit.

Iacobi Aragonum Regis auspicijs Mariæ reportatæ victoriæ.

Erga Iacobū Regem B. V. beneuolentia.


Iacobus Aragonum Rex monitu B.V. Religionem redemptionis captiuorum instituit.

36. Quid demum de S. Stephano Hungarorum Rege gloriosissimo dicam? Hic quanto pietatis affectu ferretur in Deiparā difficile est enarrare, cū

ei velut Orbis totius instauratrici Reginæ, ac gubernatrici, & se totum, & vxorem, & liberos, Regnum denique vniuersum ipsius dominio, gubernationique moderandum deuouerit, ac consecrarit, adeo vt illud Familiam Dominæ nostræ vocitare consueuerit. Et vero reipsa Deipara curam illius Regni Regisque, varijs beneuolentiæ signis exhibitis, reportatis etiam gloriosissimis de infestissimis hostibus victorijs, se habere ostendit. Inter hęc Virgineæ benignitatis argumenta, illud in postremis non est omnino numerandum, quod cum S. hic Rex, à Deipara, multis lacrymis, crebrius ex hac vita discessum sibi contingere, ipso in cælos assumptæ Virgineis die postularit, impetrare, meruerit animamque suam in ipsius manus præsentibus Angelis commendauerit: *Regina, inquiens, cæli, mundi inclyta Reparatrix, tuo patrocinio Sanctam Ecclesiam cum clero, & Episcopis, Regnumque cum primoribus, & populo, tuis precibus commendo, quibus vltimum valedicens animam quoque meam tuis manibus commendo.* Longum foret quamplurimos alios Principes Reges ac Monarchas percensere, qui Virginem in omnia mundi Regna Principatum dominiumque super omnes Principatus Angelicos habere cognoscentes, eius pedibus, & se, & Regna prouinciasque tanquam, ei quæ de se loquitur: Per me Reges regnant, per me Principes imperant, magna animi demissione prostrauere.



D I



DISCVRSVS IX.

Quod Virgo Deipara Archangelorum perfectiones in se repræsentarit.

1.

SAnctus Archangelorum Ordo, ait Dionys. eodem 9. cap. *iure quodam Hierarchico communi medietate sua continet extrema. Sanctissimis enim Principatibus communicat, & sanctis Angelis. Illis quidem quoniam ad superessentialem Principatum principaliter conuersus est, & ad ipsum quantum fas est efformatur, nec non Angelis decoro suo, atque ordinato, qui aspectum effugit, ducatu, vnionis auctor extitit; His autem, quia etiam ordinis est dictatorij, diuinasque illustrationes Hierarchicè, per primas virtutes suscipiens, exinde ipsis Angelis easdem beneuolè annunciat, nobisque per Angelos manifestat, pro cuiusque illorum, qui Diuinis illustrationibus afflantur ad res sacras capacitate*. Sic Areopagita. Ex qua Archangelorum descriptione B. Albertus & S. Antoninus tres colligunt harum beatarum mentium proprietates, quæ summa cum eminentia in Virgine Deipara mirificè refulserunt. Prima est cũ superioribus communicatio, ab illis illuminationem recipiendo.

Archangelorum tres proprietates in B.V.

Altera super inferiores eminentia, ad Angelos hominesque illuminandos.

Postrema est inferiores ad superiores reducere, ad contemplanda, & diligenda cælestia, diuinaque mandata exequenda.

B.V. à Sanctissima Trinitate illuminata.

2. Hascé proprietates quanam ratione Deipara in se veluti speculo lucidissimo repræsentarit videamus. Communicauit verè in primis Virgo nostra cum superioribus, tribus nempe augustissimæ Trinitatis personis quibus proxima, & per se Hierarchiam super omnes reliquos Angelorum choros constituens ab illis lumen celeste variaque spiritualia bona ac munera copiosissimè recepit. Vnde ab hoc Sanctissimarum illarum personarum Diuinissimo accepto lumine Virgo Deipara Illuminatæ ac Illuminatricis pulcherrimum illud nobilissimumque Nomen sortita est, de quo sæpius dictum. Quæ ei merito dixit Angelus Gabriel dum sciscitaretur quonam modo Incarnationis peragendum in suo vtero salua Virginitate esset Mysterium: *Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Q. D. Ipse Spiritus S. qui omnis est Doctor veritatis te illuminabit, edocebitque hoc cæleste Arcanum. Similiter Iacobus de Voragine Archiep. Genuens. ser. de Annunc. verba illa interpretatur: *quid a me quæris, quod in te mox experiens? Scies, scies, & feliciter scies, sed illo Doctore, quo Auctore. Ego nunciare missus sum Virginalem conceptum, non creare*. Hanc crediderim ob causam Mariam significare Illuminatam, quod cum Patre in primis luminum assidua familiaritate, beatissimarumque illarum mentium communicatione incredibilia mentis lumina hauserit, quibus postea vniuersam Christi Ecclesiam, imò orbem vniuersum irradiauit. Audiendus hic Richar. à S. Laur. l. b. 1. cap. 3. *Maria dicitur Illuminata à Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, & cuius dono tot habuit in se luminaria, quot virtutes, atque ita hoc Nomen Maria ei singulariter, & excellenter conuenit, quæ præ omnibus post Filium suum plurima dona habuit gratiarum. Dicitur etiã Illuminata per gratiam Spiritus S. quando in vtero sanctificata (in primo videlicet illo immaculatæ Conceptionis instanti:) & quando Spiritus Sanctus annunciante Angelo, superuenit in eam. Illuminata denique dicitur à Filio Dei, vero Sole Iustitiæ, in illius conceptione, quem totum in corde, totum suscepit, & portauit in ventre, nec potuit non esse illuminata,*

A Spiritu S. Maria illuminata circa Incarnationis Mysterium.

M Patre luminum illuminata.

Maria fuit illuminata à Dei Filio vero iustitiæ Sole in ipsius conceptione.

nata, quæ fontem luminis in se totum susceperat. Ideo Mulieri amictæ sole comparatur. Apoc. 12. *Ex huius solis imo Diuinitatis respectu beatificatur à generationibus vniuersis. Vnde ipsa tantorum suorum luminum reddens causam: Quia, inquit, respexit sol ille nimirum iustitiæ, humilitatem ancillæ suę, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Eandem ob causam Stella maris, lumē à sole iustitiæ participans, denominatur. Vnde idem Richardus suadet, vt ad hanc tam copiosis irradiatam luminibus Dominam confidēter accurramus. *Roganda est ergo,* inquit ille, *assiduè vt Nomen suum interpretetur in nobis, vt scilicet illuminet tenebras nostras, noxias nobis amaricet delicias, vias nostras tanquam maris stella regat ac dirigat, tanquam Domina tempestates comprimat, nostrosque aduersarios puniat ac compescat.* Hæc Richar. de luce Virginis cælitus à Sacrosancta Triade lucem inaccessibilem inhabitante participata ad instar Archangelorum, & in inferiora, eorundem exemplo, transfusa.

Roganda B. V. vt nomen suum interpretetur in nobis, & mentis nostræ tenebras dispellat.

3. Quid de alijs gratis cælestibus loquar, quas Diuina Bonitas plena manu congessit in Virginem, ita vt gratię omnes charismataque Spiritus Sancti, quæ vllo vnquam tempore ab ipsis orbis nascentis incunabulis in aliquo sanctorum sunt reperta, in Virgine maiori longè splendore, ac copia redundarint ac refulserint. Vnde spōsus eius eminentissimas virtutes preciosissimis, ac longè lateque odorem suum diffundentibus aromatis ac vnguentis comporauit, *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Cuius elogij dat rationem Hugo de S. Victore sita Virginis Virtutes, de cælo haustas deprædicans, serm. vltimo. *Quia omnem gratiam vincit tua sublimitas, omnem perfectionem superat tua dignitas. Tu singulariter electa, tu ineffabiliter sublimata, nulla tibi in gratia similis esse potuit, per quam gratia venit super omnes filios hominum cum gratia plena extiteris. Ergo super omne meritum excellentia tua, eminentior, cunctis, sanctior vniuersis. Nemo vt tu gratia plenus fuit, quæ sola sine exemplo Mater Virgo genuisti, castitatisque lilium cum fructu fœcunditatis seruasti. Tu ad iucunditatem vnguenta accepisti, vnguenta ad speciem, vnguent a ad odorem. Alij vnguētum ad curationem, alij ad stabilitatem, omnes vnguenta ad necessitatem accipimus. Tu filia delicata, & omni gratia plena charissima in delicijs tuis, vncta es ad gloriam decoris tui, & in signum dilectionis. Vnctum paritura, & tu quoque vncta es, vt ipsum in te vnguentum prius excellenter effunderet, quod postmodum in vtero tuo singulariter acciperet. Ipse etiam supra te præ cunctis participibus suis accepit plenitudinem, tu post ipsum præ cunctis suauitatem.* Sic Hugo.

Virtutes B. V. redolent ad instar suauissimorum aromatum.

4. Ex quibus intelligimus Diuam Virginem non modo gratiam creatam vniuersaliter, & Increatam singulariter, vt loquitur Albertus Magnus, cælitus participasse, dum vniuersas, tam omnium Angelorum, quam sanctorum gratias, tāquam dispositiones præuias, ad increatam illam, summamque Diuinæ Maternitatis gratiam, seu ad Diuini Verbi in suo purissimo vtero receptionē participauit. Denique præclarè Diuus Hierony. tam de creata hac, quā de Increata Gratia ser. de Assumptione B.V. differens, dum plenitudinem gratiæ in Virgine contemplatur, & Gabrielis Archangeli salutationem, Aue gratia plena, expendit pronunciauit. *Et benè plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc enim est, quod Dauid canit. Descendet sicut pluuia in vellus. Vellus itaque cum sit de corpore nescit corporis passionem. Sic & Virginitas cum sit in carne, nescit vitia carnis. Cælestis planè imber in vellus Virgineum, placido se infudit illapsu, & tota Diuinitatis vnda se contulit in carnem, quando Verbum caro factum est. Verè plena, per quam largo Spiritus Sancti imbre superfusa est omnis creatura.* Hactenus Hier.

M. insignis plenitudo gratiæ.

5. Quid de altera Archangelorum proprietate, qua super inferiores, tam Angelos, quam homines eos illuminādo, præsidesque Ciuitatum ac Rerum publicarum regendo, esse perhibentur, dicam? Quod sanè ornamentum excellentia singulari refulsit in Virgine. Licet enim Archangeli super reliquos Angelos hominesque emineant, non tamen eminent super omnes vti Virgo gloriosissima, quę non modo super Angelos, sed & super Archangelos, adeoque supra mediam, supremamq; Hierarchiam est euecta, in easque clarissimi lumina diuinæ cognitionis, à supremo rerum omnium Principio hausta, transfundit, quibus respublicæ earumque Rectores ac Principes felicissimè gubernātur. Hinc Richar. à S.Laur. libr. 1. cap. 3. *Nomen Virginis Illuminatricem sonare asseruit; & ideo, inquit, postquam dicta est Pulchra vt Luna, dicitur electa vt Sol. Quia*

Archangeli Rectores præsidesque Rerum publicarum ac Ciuitatum eos illuminando regunt.

Quia sicut sol radijs suæ claritatis illuminat mundum, sic ipsa suis virtutibus, & exemplis populum irradiat Christianum. Vnde dicit ipsa Eccli. 24. *Illuminabo omnes sperantes in Domino, & nequaquam alios. Ipsa enim illuminat Ecclesiam militantem, per Arcam Noe designatam, quam illuminat fenestra crystallina, quæ Mariam figurauit. Ipsa quoque illuminat triumphantem, vti ipsa testatur.* Eccli. 24. *Ego feci vt in cælis oriretur lumen indeficiens .i. ego genui Christum, qui est in cælis lumen indeficiens, propterea de ipsa canitur. Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias, tam militantem videlicet, quam triumphãtem. Ipsa etiam post Filium est illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipsi nimirum etiam dicebat Pater.* Isa. 42. *Dedite in lucem gentium: Ad hoc signandum media nocte lucem veram peperit. Ipsa est via illa per quam spargitur lux, & diuiditur æstus super terram.* Iob. 38.

Ecclesia, & Arca Noe quæ per fenestrã crystallinam .i. per B. V. illuminatur.

B. V. illuminat Ecclesiã triumphantem, & Militantem.

Hinc S. Methodius Olympi, & Tyri Episcopus Martyrque gloriosissimus Orat. in Hypap. Virginem alloquens aiebat: *Te sanctissima Virgo tanquam die clarissima mundo affulgente, iustitiæque solem illam producente odiosus tenebrarum horror depulsus est, vniuersusque terrarum orbis, veritatis purissimæ est luce perfusus.* Hinc denique Ecclesia Illuminatricem, lumẽque inextinguibile, quo totus mundus irradiatur Virginem agnoscens, extinctis luminibus, reliquis tribus diebus Maioris hebdomadæ, in officio tenebrarum, vnicum lumen seruat inextinctũ, quod Deiparam fidei lumen, in morte Filij inextinctum, conseruantemque Ecclesiam illuminantem repræsentat. Nimirum ipsa est B. Petro Dam. teste serm. de Assumpt. *Stella matutina in medio nebulæ, quæ in cæli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radijs incolorat.*

Per M. tanquam diem, clarissimam odiosus tenebrarum horror repulsus est.

M. Stella matutina in medio nebulæ.

7. Virginis hiscé splendoribus incoloratus irradiatusque fuit Religiosus ille de quo Cæsar. lib. 7. cap. 9. qui cum quædam in sæculo perpetrata scelera in confessione subticuisset, eaque nec in Nouitiatu, nec reliquo vitæ tempore vnquam in Religione aperuisset, in grauem tandem ex ægritudine mentis, ægritudinem incidit corporis. ingrauescente morbo, erat de salute eius corporis iam conclamatum, nec tamen vlla spiritualis salutis animæ suæ, solicitudine tangebatur. Cum esse duo tetri Cacodæmones in eius cubiculum irrũpunt, complosisque manibus lætitia gestientes in effusissimos cachinnos prorumpunt vociferantes: *Cras hora tertia huius animam magno cum gaudio deducemus ad Infernum.* Tartareis hisce fatalibusque consternatus vocibus miser ille totis artubus contremuit, & conscientiæ excruciatus stimulis Obstupuit, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit. In tantis constitutus angustijs, inuocauerat in auxilium Deiparam Virginem, vt opinatur Cæsarius; quæ illi pulcherrimæ Matronæ, ac honestissimæ specie sese visendam exhibuit, nequissimorumque Spirituum, cachinnãtium audaciam repressit: *Nolite*, inquiens, *nimium ridere. ego enim dabo illi mox consilium, quod amplectens facile dentes vestros euadet.* Atque ita omnino factum. Clarissima enim hæc Maris stella diuinitus illuminata, mortalesque omnes illuminans, luce saluberrima consilij sui ita infelicis illius hominis mentem illuminauit, vt abstersis densissimis illis, quibus obseptus eius animus erat tenebris, peccata sua coram confessario in lucem protulerit, ac munitus sacramẽtis omnibus animam suo creatori fæliciter reddiderit; ostendens reuera, Deiparam inferiorum, super omnes Archangelos eminentissimam nobilissimamq; esse Illuminatricem, quæ sapientissimi ac saluberrimi consilij sui luce plusquam Cimmerias mensis eius tenebras.

B. V. Religiosum in peccato obstinatum illuminat.

8. Inferiorum quoque Illuminatricem se esse demonstrauit Deipara, prodigio plane singulari in S. Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi, qui in eius Templo tanquam alter Samuel educatus fuisse fertur. In hoc enim dũ adhuc maternis visceribus clausus esset cum Mater die Virgineæ Purificationis sacro, sese contulisset, & maxima virorum ac mulierum multitudo accẽsas faces candelasque de more gestantium in illud confluxisset, accidit vt inter Missarum solemnia, cælo licet sereno, ac placido, cuncta luminaria stupentibus omnibus ac cohorrescẽtibus, extinguerentur; sed mox cunctis, cælitus lapsa flamma cereum, quem Mater Dunstani in manu tenebat diuinitus accendi, ad quã cum singuli vt ex cereo illo ita prodigiosè accenso lucem flammãque mutuarentur, accessissent, agnouere prolem quam vtero gestabat, Diuinum quoddam lumen flammamque futuram, beneficio Deiparæ qua mundus, & illuminaretur, & accenderetur.

S. Dunstanus Archiepiscopus à B. V. illuminatus admirabiliter.

Ka-

Kalend. B. Virg. 19. Maij.

9. Hanc Virginis super omnes superioratem, ita dicam, atque eminentiam, omnia subiecta illustrantem agnouit S. Anselmus cum dixit: *Nihil tibi aequale est, ò Virgo, quicquid enim est, aut supra te est, aut subter te est, quod supra te est, solus DEVS est, quod infra te est, omne est, quod DEVS non est*. Beatus Andreas Cretensis orat. 2. de dormit. B.V. superioritatem hanc in ea agnoscens illam alloquens ita pronunciauit: *Regina omnis humanae Naturae, quae habes non comparabilem cum alijs appellationem, quae excepto Deo solo, es, omnibus altior*. Eandem superioritatem super Angelos creaturasque omnes, agnouit idem B. Card. Dam. ser. 1. de Nat. B.V. Throni Salomonis magnitudinem in eoque ipsam Virginem cōtemplans: *Quid, inquit, gradius Virgine Maria, quae magnitudinem summae Diuinitatis intra sui ventris concludit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturae superuola dignitatem, & videbis quicquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi?* Hinc S. Georgius Nicomed. Arch. orat. de praesent. B. V. ad eius eminentiam declarandam, Templum illud quod ipsam excepit sic alloquitur: *Hanc cum gaudio excipe, prompto alacrique animo accurre, adora eam, vt quę superior sit omni, tam quae sub aspectum cadit, tam quae non cadit creaturâ, amplectere purissimum habitaculum, immaculatum introduc Tabernaculum*.

Nihil est aequale Mariae.

Maria solo Deo excepto est omnibus altior.

Maria nil grandius in rerum natura.

10. Singularis haec porro Virginis nostrae super omnes eminentia duplici ex fonte habere videtur originem, nimirum ex ipsa Diuina gratia, atque Dei Materniratis dignitate. Licet enim Angeli, alijque sancti, quod alijs superiores ac Sanctiores sint, hoc eis contingat ex vberiori gratia à Deo collata: Virgo tamen Deipara hanc super omnes eminentiam, non modo habet ex copiosiori eiusdem Diuinae gratiae influxu, quo prae caeteris longè vberius infundi meruit, verumetiam ex iustitia, atque ex ipsa rei Natura. Cum vera sit ipsius Regis caelorum Mater, cui proinde tanquam Reginae omnis Regis debentur iura ac priuilegia. *Naturaliter enim* ait S. Antoninus *Mater Regis, est Regina, & non solum ex gratia, sed natura instigante, & iustitia hoc die tantę est super omnes qui sunt in Regno Filij. Quemadmodum enim ille Rex Regum est, & Dominus dominantium, ita, & ipse huius Regis Mater, cui data est omnis potestas in cęlo, & in terra.*

Marię inter omnes creaturas eminentia ex diuina gratia, & Dei Maternitate trahit originem.

Vnde illi concinit Ecclesia:

Aue Regina cęlorum,
Mater Regis Angelorum.

Vnde ob potestatem hanc praeeminentiamque Regiam, liberè Regnum caelorum reserat, & quantumuis sceleratos, pietate ipsius, respicientes, in illud admittit. Regiam hanc in Virgine potestatem agnouit B. Card. Pet. Dam. serm. 1. de Nat. B. V. dum illam obsecraret: *Reuertere per potentiam: Fecit in te magna qui potens est, & data tibi est omnis potestas in caelo, & in terra. Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus reuocare. Infelicem animulam totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto fęcis, & miserię subleuasti. Nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis reuelare. Quomodo enim illa tua potestas, tuae potentię poterit obuiare, quę de carne tua, carnis suscepit originem. Accedit enim ante illud aureum humanę reconciliationis altare, non solùm rogans, sed imperans, Domina non ancilla. Moueat te Natura, potentia moueat, quia quanto potentior, tanto misericordior esse debebis. Potestati enim cedit ad gloriam, iniurias vlcisci nolle cum possis.*

Potestate sua Regia peccatoribus etiā desperatis dū resipiscunt cęlum reserat.

Theophilus per Mariam ex ipsis perditionis faucibus reuocatus.

11. Postrema Archangelorum proprietas est inferiores ad superiores reducere, & ad contemplanda diligendaque caelestia diuinaque exequenda mādata excitare. Quam proprietatem quis vnquam excellentius in se expressit, quam Virgo nostra beatissima, vtpotè Mediatrix, Aduocata, inter DEVM, & & hominem, humanae salutis, ac redemptionis adiutrix, Angelorum ruinae instauratrix. Cuius omnes post DEVM cogitationes, dum in hac adhuc vita degeret, & modo etiam dum caelesti beatitudine fruitur, in id solum tendere videntur, vt omnes homines de Daemonis atrocissima captiuitate liberati, Diuinis sese manciparent obsequijs, & ad suum creatorem agnoscendum amandumque reducantur.

12. De hac Virginis pro reducendis ad suum principiū omnibus absque vllo personarum discrimine mortalibus, adeò solicita, eximiaque charitate, praeclarè Rich. de S. Virt. c. 26. in Cant. *Talis fuit in virtutibus, tantaque fuit eius charitas, vt non solùm ad eius gentem, Iudeos videlicet extenderetur, sed ad ignotas, & notas, ad omnes denique homines, ad omnes charitas eius dilatata fuerunt pro his solicitata fuit, pro his indesinenter orauit, pro his orando exau-*

Charitas B. V. ad omnes mortales, ad Iudęos, & ignotas etiā gentes extensa.

exaudita fuit, dicente Angelo; Inuenisti gratiā apud DEVM, quam scilicet quærebas. *Omnium salutem desiderauit, quęsiuit, & obtinuit, imo salus omnium per ipsam facta est. Vnde, & mundi salus dicta est.* Solicitudinem hanc in reducendis ad suum primum principium mortalibus adeo in illa suspexit sponsus, vt ea se quodammodo ceu amoris spiculis vulnerari fateretur: *Vulnerasti*, inquiens, *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*. Cant. 4. Vbi Guilelmus Abbas oculum hunc sponsæ refert ad solicitudinem pientissimam, quam erga suum dilectissimum Filium habuit, & ad fideles omnes, additque illam pleniorem intus, & extra fuisse oculis, quam mystica illa Ezechielis animalia: *Quis*, inquiens, *tam plenus oculis quam Mater luminis? Quis pari solicitudine sibi, & alijs inuigilauit, quam Mater pietatis? Quid igitur circa Dei Filium in similitudinem carnis peccati de se natum, pia Mater propensioris curę, credenda est adhibuisse? Hęc circa Filium tam deuotę solicitudinis, tam solicitę deuotionis vigilantia fuit oculus vnus, quo sponsum vulnerauit.*

B. V. in nostris miserijs inspiciendis magis oculata quam Ezechielis animalia.

Hinc B. Ioannes Geometra illam Polum siue cælum mille oculis, ceu stellis exornatum, humanas miserias desuper spectantem appellauit, dum ipsam sic salutat:

Maria Cælum mille stellis ceu oculis natus ad nostras miserias inspiciendas.

Salue mille oculis Pole prædita, sydera circū
Solem clara regens.

Ex quo sane Virginis nostræ piæ solicitudinis plenissimo oculo facile colligimus, eam semper totius vitæ curriculo id solum intendisse ac studuisse, vt animas omnes ad suum creatorē ad instar Archangelorum reduceret.

13. Hanc ob causam, pio amore hominum inflammata variarum Ciuitatum, ac Rerum publicarum, Archangelos æmulata, curam patrociniumque suscepit. Testantur Senæ, quæ ideo Ciuitas Virginis dicuntur. Testis Florentia, & Messana, quas adeo Virgo dilexit, vt ad illas etiam Epistolas manu propria conscriptas transmiserit. Testis est Lutetia Parisiorum quæ Diuæ Virgini fuit consecrata de qua Abbo Floriacensis libro de obsessa à Nortmannis Lutetia, ita cecinit:

Vrbs in honore micat celsę sacrata Marię.

Testis Recinetum, quod superioribus annis æneam Deiparæ statuam cum eius Nazaretana: domo in foro publico ad tanti beneficij memoriam visitationemque Virginis ditioni suæ factam recolendam eam veram lætitiæ suæ, gloriæque causam agnoscentes erexit. Testis est Hungaria tota, Regnum olim sub protectione Deiparæ florentissimū, quod quia ipsa sub suum patrocinium suscipere non est dedignata, cum illud, & semetipsum totum S. Rex Stephanus peculiari voto Reginæ cælorum deuouisset, Familiam, vti supra meminimus, magnæ Dei Matris appellari voluit.

Hungaria Rex Stephanus B.V. dedicauit, camque Familiā Mariæ appellauit.

14. Amorem hunc in se Virginis ac patrocinium experta est antiquissima illa Venetiarum Vrbs cuius Anno Domini 421. prima fundamenta in mari ipsa Annunciationi Virginis Deiparæ Sacra iacta sunt, die verè boni nuncij, die quo mundi salus inchoauit, die quo terra cælestibus, & cælestia terrenis associata sunt, die denique qua de cælis bonorum omnium quædam Cornucopia in terras effusa est. Vnde nil mirum Vrbem hanc tam insignem fælicitatem, prosperitatem ac potentiam Dei Matris auspicijs singularique benignitate fuisse consecutam. Quid enim aliud indicant illa ipsius in mari iacta fundamenta, quam Venetias in MARIA, quæ Mare amarum à Sanctis Patribus vocitatur, esse fundatas, adeo vt de Vrbe hac verè dici possit: *Quoniam ipse super Maria, siue MARIAM fundauit eam.* Psal. 28. Quare quod S. Bonauentura in spec. c. 3. de gloriosissimæ Virginis nostræ Nomine potentissimo pronunciauit rectè hic vsurpare possumus ad declarandū inclytę huius Vrbis aduersus hostes omnes munimen, ac protectionem: *Maria Virgo*, inquit ille, *est Mare amarum Diabolum submergendo, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Aegyptijs in ipso submersis. O' quam amara, & quam timenda est Maria Dęmonibus! Vnde Bernardus: Non sic timent hostes visibiles quamuis castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Marię vocabulum, patrocinium, exemplum: fluunt, & pereant sicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt huius Nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem.* Hæc Bonauent. Quæ non solum de inuisibilibus, Tartareis videlicet hostibus verum etiam de quibuslibet alijs siue Turcis, siue Hæreticis, siue barbaris siue quibuscumque tandem alijs impugnatoribus intelligenda sunt. Siquidem Vrbs hęc in Maria fundata, eiusque patrocinio tanquam aheneo muro circumdata, vt hactenus semper, sic, & in posterum ab omnibus quan-

Venetiæ in Festo Annūciationis B. V. fundatæ.

Fundatæ in mare, id est, in Maria.

Venetiis nulli hostes pertimescendi, si quidem in Maria fundata.

quantumuis sæuissimorum hostium incursibus protegetur, dummodo eam debitis pietatis officijs, cultuque Dei Matre digno prosequatur. Celebrata sunt toto orbe carmina illa Sannazarij in laudem huius Vrbis, quod in mari Diuinitus quodammodo Deorum ope sita, miraculum quoddam totius Vniuersi euaserit, dum ita cecinit:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare Vrbem, & toto ponere iura mari.
Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arces
Obijce, & illa tui moenia Martis, ait;
Si pelago Tibrim præfers, Vrbem aspice vtramque.
Illam homines dices; hanc potuisse DEOS.

Verum multo potiori iure dicere possumus Vrbem hanc posuisse, ac fundasse DEVM ipsum, dum in Maria, eiusque celeberrimo die festo, die inquam boni nuncij omnine fortunatissimo cæpit assurgere, totique Adriatico mari dominari. Eiusdem Virginem protectionis est Constantinopolis noua Roma, quam cum Byzantij Magnus ille ac Primus Christianitatis Imperator Constantinus fundasset sumptuque magnificentissimo exædificasset, Episcopos omnes, qui ad Nicænam Synodum aduenerant conuocauit, nouamque Vrbem insigni pompa, ac Solennitate, summaque religione, Deiparæ Virgini dedicauit, eiusdemque perpetuo addixit patrocinio, ac protectioni.

Constantinopolis B.V. solenniter dedicata.

Rem vniuersam descripsit Niceph. Callixtus libr. 8. Hist. Eccl. cap. 26. his verbis: *Posteaquam finem suum ad quod videlicet sacros illos Præsides inuitauerat, conuiuium id habuit, loco suo exurgens, supplicis more conuentum rogauit, vt qui tantum pertulissent laboris, perpaucos sibi dies dare, & recens fundatam Vrbem, iam tunc perfectam adire non grauarentur, vt precationibus suis munitiones, & muros eius firmarent. Atque illi statim quod petierat faciunt; Constantinopolim veniunt, Excænia, & consecrationis festum diem celebrant, in cruento sacrificio operantur, precibus, votisque vrbem abundè prosequuntur, & firmant, eandemque Dei Genitrici dedicant, nouam Romam imperantemque Constantinopolim cognominantes.*

Constantinus Imperat. insignem Basilicam B. V. in Vrbe sua construxit.

Nec contentus Religiosissimus Imperator Vrbem ipsam vniuersam Deiparæ honori consecrasse, breui eidem Basilicam, magnificentissimo opere, sumptibusq; extruxit, vt scribit Gregor. Turon. lib. de gloria Mart. c. 9. in qua cum columnæ ingentis magnitudinis, sedecim nempe pedum in circuitu, erigi non possent, Virgo benignissima per visum ostendit artifici, quasnam machinas deberet adhibere, quomodo trocleas suspenderet atque funes, iussitque vt tres pueros ex scholis ad tantum opus adhiberet, quæ omnia cum ille euigilans perfecisset, tres illi pueri, columnas quas multitudo virorum fortium mouere nequiuerat, summa velocitate subleuarunt. Quantum porro auxilij Vrbs illa celeberrima, tantæ Patronæ protectione consecuta sit plenę sunt Græcorum Historiæ atque Annales.

B.V. ostendit quanam ratione in Templo suo Constantinopolitano columnæ erant erigendæ ingẽtis magnitudinis.

Theophanes certè affirmat, quoties Constantinopolitani Ciues magnum aliquod bonum olim consequebantur, illud acceptum referre consueuisse Deiparæ tutelari suæ clementissimæ.

Constantinopolis patrocinio B.V. hostes suos vicit.

Hac protegente Saracenorum sæpè insidias, Thracum, Hunnorumque aliorumque Tartarorum inuasiones, atque obsidiones risit, semper felicissimè euasit, ac denique de suis hostibus, auspicijs Virginis de suis hostibus gloriosissimè triumphauit. Virgo enim benignissima, sua intercessione erat illis firmissimum à facie inimicorum omnium præsidium, adeo vt ipsa pro hac sua Vrbe dicere potuerit: *Ego Murus, & Vbera mea sicut Thuris*. Cant. 8. At vero postquam tam impio nefarioque Schismate ab Ecclesia Catholica, Christique in terris Vicario sese auulsit, ac pertinacissimè sacrosancti Spiritus à Patre Filioq; processionem pernegauit, omni Dei Deiparæque Virginis destituta præsidio Anno 1452. feria secunda Pentecostes post diutinam eamque acerbissimam obsidionem capta, à crudelissimo Turcarum Tyranno Mahomete, iusto Spiritus Diuinissimi, quem DEVM esse per summum nefas denegarunt iudicio sub iugum crudelissimæ seruitutis subacta est; à quo sane se nunquam liberabit, donec Ecclesiæ reconcilietur, summoque Christi Vicario superbissimas suas ceruices submittat, & ad Virginem Patronam suam, velut Sacram Anchoram recurrat.

14. Testis est India atque orbis nouus Vniuersus, qui auspicijs Deiparæ Virginis, felicissimis temporibus Henrici Intantis Portugalliæ castissimi Deique

que Matris studiosissimi Principis Anno 1410. detegi cæptus est. Cum .n. per quietem cælesti munito, ad noua Oriẽtis Maria, & ignotas lõginquasque terras explorandas esset incitatus, mox ad cælorum Reginę confugit patrocinium, eique studiosissimè nouam illam nauigationem, tanquam stellæ maris, tanquam Naui illi institoris de longè panem illum, qui de cælo descendit, portanti commendauit. Nec irritæ ipsius ad Virginem preces votaque cecidere, siquidem annis singulis eius classis ad remotiora Africæ littora nauigans, oras illa atque regiones antea incognitas legens, vsque ad Leænam promontorium Duce Deipara, velut Helice ac Cynosura peruenit Anno 1460.

India, & nouus Orbis Lusitaniæ Regibus à B. V. patefactus

In cuius Virginei fauoris planè singularis memoriam, quatuor passuum millibus Olysippone ad portus illius fauces, vnde naues in Orientem proficiscentes soluunt, Templum ipsi dedicauit.

Quæ sanè Virginei huius Regis religio adeò Virgini nostræ placuit, vt, & posteris Lusitanis Regibus mirificè fauentem, ad debellandas feras, barbarasque illas gentes, prædicandumque Christi eius Filij Euangelium sese exhibuerit. Vnde, & Emmanuel Rex, alijque eum secuti, Indiæ Protectricem Deiparam agnouere, singularique pietate venerati sunt. Qua de re Maffeius noster lib. 2. Histor. Indicæ audiendus est:

Rex Emmanuel B.V. Indiæ Protectricem agnouit.

Patefacta iam India, primum omnium Emmanuel toto Regno supplicationes indixit, dein Mariæ Virgini eius nauigationis Præsidi extructam ab Henrico Principe ædiculam in ipso aditu portus Olysiponensis, muram in amplitudinem extulit, auxitque. Ad eius templi custodiã, & cęrimonias, & naualis pręsertim turbę Ducumque animos ritè expiandos, eximia sanctitate Monachi acciti, è Hieronymiana familia; locus, desumpto à Christi incunabulis nomine Bethleem dictus, inprimis totius Hispaniæ tum structure tum religione visendus.

Nouerant inimicum Principes hi Regesque pientissimi, quod quemadmodum per Virginem Sacratissimam veluti Regium ferculum Christus Dei Filius de cælo in terras ad nos delatus est, sic per eandem, eius cognitio, fidesque in nouum illum orbem facillimè, felicissimèque tantæ Patronæ ope, patrocinioque esset deferenda. Vnde iure merito tanquam Indiarum Orbisque noui Præsidem, Archangelis, Regna, Prouincias, Resque publicas ac Ciuitates gubernantibus, longè præstantiorem tam insigni pietate venerati sunt.

15. Quid hic Ciuitates peculiari tutelà pręsidiasque Deiparę gaudentes, ab hostium insidijs illæsas conseruataque referam? Carnutum Ciuitas Galliæ celebris patrocinio Deiparæ, cuius apud se summa veneratione ac religione seruat indusium, cum ab hæreticis obsideretur omnem suam spem collocauit in Virginem, quam irridentes hæretici, blasphemantesque iactabant, non plus posse, ea in Ciuitate Mariam, quam olim Dianam Ephesi. At contrarium reipsa cum experta esset eorum impietas, mentiri quoque coacta est iniquitas sibi. Nam cum supra portam Ciuitatis ad quam obsidionem collocarunt, Imago Deiparæ viseretur, contra illam tot maiora tormenta exonerarunt, vt omnia quæ circa illum vndique erant eorum vi fulgoreque obtrita essent, illæsa semper, & intacta Imagine, imò, & magno spatio quod circa illam intercedebat. Demum contra nefarios homines cælitus Deipara pro Ciuitate illa depugnante, magna suorum iactura, internectione, atque infamia recedere sunt compulsi. Kalend. Deip. 15. Martij.

Carnutum protectione B.V. ab obsidione liberatur.

16. Quid Londinum memorem? quod cum tertio anno Regni Edelredi Regis Angliæ arctissima obsidione à Dacis premeretur, pius Rex magno affectu se Vrbemque suam Deiparæ meritis tutelæque commendauit. Quod quidem eo fecit ardentius, & maiori cum spe opis ab ea impetrandæ, quod dies esset Natiuitati Virginis consecrata. Mirum dictu, Ciuitas mox ab obsidione libera reddita est. Quæ Virginis pia protectio ac beneficentia occasionem, ijs Anglię Regibus qui de familia Artus erant propagati, vt in suis gentilitijs Insignibus Iconem Deiparæ gestarent, memoresque essent eorum posteri, debere se in illam tanquam in firmissimũ præsidium spem omnem de hostibus quibuscumque triumphandis collocare. Kalend. Deip. 8. Sept. n. 9.

Londinum patrocinio B.V. à Dacis obsessum, liberatur die Festo suæ Natiuitatis.

Angliæ Reges, qui ex familia Artus propagati Imaginem B. V. in Gentiliciis insignibus gestabant.

17. Quid Cameracum referam? Quod Anno 930. ab Hungarorum furibundo insultu Virgo benignissima, per Fulbertum Episcopum honoris sui studiosissimum interpellata, in eiusdemque tutelam Ciuitate illa tradita, hosti inexpugnabilẽ reddidit. Kalend. Deip. 2. April. Quid demùm de Rodo Insula,

Camera cum à B.V. protectum.

Rhodus Insula à B. V. protecta cõtra Turcas.

la, Phœbeo Colosso olim, postea verò Virginis protectione longè celeberrima? Hec Virginis fisam patrocinio cum, vt refert Iacobus Bozius in Histor. Equitum Rhodiorum An. 1480. hostilis Turcarum exercitus supra Rhodiensium moenia sua jam signa collocasset, ecce tibi in aere vident Turcæ Christianorum Bellonam inuictissimam, cum scuto, & lancea, Præcursore Ioanne, innumerisque cæli militibus, splendentibus armis instructis comitatam, ad liberationem Ciuitatis properantem.

Quo viso ita timore consternati sunt barbari, vt licet iam penæ victores, se in fugam sine ordine dederint, seque mutuis vulneribus ad fugæ locum parandum confecerint, Quos fugientes trepidantesque Rhodij, præsidio freti Virginis, magno animo insecuti sunt, plurimosque trucidarunt. Vtinam Insula illa in pristina erga Deiparam pietate perstitisset, non illa certè tam acerbè, sub iugo Turcicæ captiuitatis modo ingemisceret. Quæ sanè omnia tam illustria Vigineæ protectionis exempla clarè nobis demonstrant, illam in protegendis Vrbibus, mundique regnis Archangelis esse longè eminentiorem. Vnde virtutes has, proprietatesque in illa ad cælos proficiscente, admiratus Archangelus Gabriel castissimarum illarum nuptiarum inter Verbum humanamque naturam Paranymphus, omnes reliquos suos commilitones ad ipsius deprædicandas laudes prouocabat, vt Sanctus testatur Antoninus. Hæc est, inquiens, *illa Sanctissima, quę dum humiliter verbis meis fidem habuit cæli Opificem in se corporauit, hominesque ad Societatem nostram reduxit. Benedicamus igitur Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, qui hæc in ea operatus est, laudemus, & super exaltemus eum in sæcula.*





DISCVRSVS X.

Quod Deipara Virgo Angelorum proprietates in hominibus custodiendis repræsentet.

1.

AD Angelos tandem decurramus, de quibus S. Dionys. ad finem cap. 9. sic loquitur: *Ipsi Angeli omnes cęlestium Intelligentiarum Ordines complendo terminant, vt qui nouissimè cælestes inter essentias Angelicam sortiti sint proprietatem, adeoque præ superioribus istis hoc rectius à nobis Angeli vocentur, quo magis ipsorum Hierarchia res euidentiores, ac mundanas attingit.* Hinc B. Albertus, & S. Antoninus tres colligunt Angelorum proprietates. Prima est quod immediatè ad humanam Hierarchiam tanquam eis magis propinquam ordinentur. Altera quod nobis quæ cæteris beatis mentibus sint noti, quia frequentius visitant Sanctos, eisque in diuersis apparent formis. Postrema quia singuli eorum singulis hominibus assignati sunt ad custodiam. Vnde Psal. Angelis suis DEVS mandauit de te vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

Tres Angelorum proprietates.

2. Quæ sanè proprietates in Virgine singulari ac prorsus eminentiori lumine emicuerunt. Quis enim humanę Hierarchiæ magis propinguus est, ad eamque adiuuandam protegandamque magis ordinatus, quam Deipara? cum nobiscum in natura humana conueniat. Vnde licet Angeli sint hominibus superiores, non tamen nostri sunt fratres, aut filij. At verò Virgo Sanctissima non modo Regina nostra est dignissima, sed, & Mater, filia, sororque nostra est, ob humanitatis nobiscum communicationem. Vnde B. Card. Petrus Dam. serm. 1. de Nat. B. V. volens illam inflectere ad pietatem misericordiamque generi humano exhibendam, naturæ nostræ, ei in mentem reducit communionem: *Subueni*, inquiens, *Domina clamantibus ad te iugiter: Reuertere reuertere Sulamitis, reuertere reuertere vt intueamur te. Tu benedicta, & super benedicta reuertere primo per naturam.*

B V. nobis propinqua ob humanæ naturæ communionem.

Numquid quia ita Deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam Domina suis in quo discrimine nos dereliqueris, vbi iaceant, quantum delinquant serui tui, non enim conuenit tantæ misericordiæ, tantam miseriam obliuisci. Quia etsi subtrahit gloriam, reuocat natura non enim ita recordaris iustitiæ Dei solius, vt misericordiam non habeas, neque ita es impassibilis, vt sis incompassibilis. Naturam nostram habes, non aliam, & iustum est vt de rore tuæ pietatis diffusius infundamur.

Sic Damianus. Eodem vsus est argumento ad inflectendam Virginem, vt nostris petitionibus condescendat, D. Athanas. serm. de Sanctissima Deipara: *Audi*, inquit, *Filia Dauidis, & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri, quia sumus de familia, & de domo Patris tui. Parentes .n. tui sumus secundum generis, prosapiæque rationem, nostraque Filia es, quia ex nobis genita es. Intercede hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis, quoniam ex nobis tu oriunda es, & is qui editus est ex te carnigerus DEVS, noster est.* Hactenus Athanasius.

S. Athanasii efficax ad B. V. oratio.

3. Ob hanc Virginis cum natura nostra vicinitatem, iure merito à Rich. de S. Laur. libr. 7. de Laud. Virginis Lunæ comparantur, quæ omnium Planetarum terræ vicinissima est. *Nullus Planeta*, inquit ille, *terræ vel mari sic accedit ac Luna, & nullus Sanctorum tantū peccatoribus, qui terra sunt, per compassionem condescendit, atque Virgo Beata: maximè verò his quia maricantur, pro peccatis. Luna enim*

B. V. est velut Luna hominibus per pietate vicinissima.

præ cæteris Planetis mari dominari consueuit. hinc maris fluxus ille atque refluxus; de quo Lucanus.

Thetios vnda vagæ Lunaribus æstuat horis.

Mare hoc, amaritudinem esse pœnitentiæ, ait idem Richardus, addiderim ego, copiam quoque esse Diuinæ gratiæ, quæ velut ingens quoddam est mare, ex quo plurima in humanum genus bona redundant. Vnde si nobis Virgo assistat, vt loquitur idem Richardus, affluit, & abundat in nobis hoc mare, si vero eadem elongetur, affluit, receditque.

Suis beneficijs nobis notissima Maria.

4. Iam si alteram Angelorum proprietatem consideremus, quis notior nobis quam Maria? Noti quidem nobis sunt Angeli sed per intellectum, & imperfectè. Sicut enim oculus noctuæ ait Aristoteles 9. Metaph. se habet ad lumē Solis, ita intellectus noster ad Intelligentias. At verò Virgo gloriosissima nota nobis est etiam per experientiam. Experimur enim quotidie sæpius insignia eius miracula ac prodigia, certissima ipsius in genus humanum amoris beneuolentiæque argumenta.

Ipsa enim, teste Idiota, *diligentes se diligit, & sibi seruientibus seruit; nec est qui se abscondat à calore eius*. Expertus fuerat amplissima huius Virginis amantissimæ beneficia Seraphicus P. Bonau. cum 3. Par. stim diu. Amoris c. 16. aiebat:

Per Mariam franguntur vincula, & varia beneficia cō[m]municantur hominibus.

Quis ò Domina te amare desistat, cuius beneficijs gratiam, & gloriam impetramus?

Per te Domina franguntur vincula, soluuntur debita, vincuntur vitia, solidiantur confracta, reparātur perdita, renouātur vetera, roborātur infirma magnificātur minima, exaltātur infima, promouētur incæpta, perficiūtur imperfecta, perfecta consumantur, cor purgatur, refulget mens, animus inflammatur, liquescit pectus, dulcescit gustus, decoratur aspectus, desponsatur peregrina, traducitur sponsa, & resoluitur anima.

Per Mariam adest nobis ægrotantibus Medicus.

Omnia hæc per te Virgo Maria: Ergo Aue Maria. Sic Bonauentura. Expertus fuit Deiparæ beneficentiam S. Ioann. Chrysost. Homil. de Annunciat. *Per hanc*, inquiens, *adest nobis charissimi ægrotantibus Medicus, in tenebris obsidentibus iustitiæ illuxit Sol, tempestate iactatis facta anchora portusque tutissimus, Deo inuisis, & inimicis reconciliatio, captiuis redemptio; in bello versantibus munitissimum propugnaculum, ille nimirum qui est Pax nostra, qua pace vtinam nobis detur frui per gloriam, &c.*

B. V. tempestate iactatis est Anchora. In bello versantibus munitissimam Propugnaculum.

5. Accedit quod ipsa quoque Deipara per experientiam cognoscat infirmitatem nostram, ex his quæ hic dum nobiscum in terris viueret perpessa est. Quare sicut ait S. Paulus Hebr. 4. 15. de Christo: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*: Ita verè dicere possumus de ipsius Matre gloriosissima, quod, & ipsa possit compati infirmitatibus nostris, ex ijs quæ ipsa passa est in hoc mundo dum viueret, absque vllo tamen peccato. De hac Virginis nostræ erga homines compassione morum facilitate, ac benignitate præclarè scripsit S. Ignatius Martyr ad Magistrum suum Ioannem Apostolum: *Et quidem*, inquiens, *notificauere eamdem Matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum more Virginis, & gratię fœcundam, quę vt dicunt in persecutionibus, & afflictionibus est hilaris, in penurijs, & indigentijs non querula: iniuriantibus grata, & modesta in re læta, miseris, & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit.*

Nouit B. V. ex his, quæ passa est compati infirmitatibus nostris.

B. V. in persecutionibus, & afflictionibus erat hilaris.

Contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans exitescit: nostrę nouę Religionis, & pœnitentiam est Magistra, & apud fideles omnium operum pietatis ministra.

B. V. omnium operum pietatis ministra.

Humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur, cum à Scribis, & Pharisęis ei detrahitur.

6. Eadem pietatis viscera Virgo Deipara etiam inimicis suis exhibuit. Notissimum est beneficium illud quod iam mortua, Iudæo illi impijssimo, qui corpus eius cum ad Sepulturam deferetur inuolare ausus est, pro summa sua in mortales omnes benignitate ostendere non est dedignata. Libet totius rei gestæ seriem à S. Damasceno orat. 2. de dormit. Deip. conscriptam audire: *Aderant forte*, inquit ille. *ex Iudęis nonnulli (operę precium enim est tanquam obsonio condimentum, id quod multorum labijs profertur, admiscere narrationi). Aiuntque cum fuissent in descensu montis ij, qui tollebant Beatum Corpus Dei Matris, Hębreum quendam seruum peccati, & qui fœdus inierat cum errore, imitantem seruum Annę, & Caiphę qui Dominico, & Diuino Christi vultui impegit alapam cū effectus esset instrumentum Diaboli, audaci, impetu, & infelici impressione irruisse in Diuinissimū illud tabernaculū, ad quod timētes accedunt Angeli: & cum ambabus manibus furiosè grabatum apprehendisset, ad terram deijcere voluisse. Et hoc quidem fuit eius facinus; sed laborem præuenit fructus, & amaram collegit vuam dignamque sui animi instituto.*

Iudæus, qui corpus B. V. cum portaretur ad sepulturam inuolare fuit ausus, manibus captus est, sed rursus pristinæ sanitati per ipsam redditus.

Aiunt

Aiunt enim ei defecisse manus, licebatque videre eum, qui sua manu audax nefariumque facinus perpetrarat, repente carere manibus, donec mentem converteret ad fidem ac pænitentiam. Cum primam enim constiterunt hi, qui grabatum portabant, & infelix ille mutilata brachia imposuit tabernaculo quod vitę dedit principium peperitque admirabiliter, ex manco manibus sanus, & saluus euasit. Solent enim magna ex parte calamitates quoque Sapientia, & Salutaria parere consilia. Hæc Damascenus.

7. Quid tandem de Angelorum sollicita circa homines custodia dicam, quæ in Virgine nostra longè maiori resplenduit excellentiâ? Nam vt loquitur S. Antoninus *vbi singuli Angeli singulos custodiunt homines, ipsa Virgo custodit vniuersaliter singulos, & singulariter vniuersos.*

B. V. custodit homines vniuersaliter singulos, & singulariter vniuersos.

Quod si Angelis summa illa Maiestas mandauit de nobis vt custodiant nos in omnibus vijs nostris, vt in manibus nos portent, ne offendamus ad lapidem pedem nostrum, longè magis mandauit de nobis Sanctissimæ suæ Matri, quãdo præsertim sub Cruce illi curam Ioannis dilectissimi Discipuli, in eiusque personа omnium nostrum commisit, inter mortuis vocibus, dicendo: *Mulier ecce Filius tuus:* Atque ita beatissima hæc Christi Mater ad instar veræ nostræ genuinæque Matris in manibus sinuque suo velut tenerrimos infantes nos portat ne cadamus in peccata, diuinæque gratiæ dispendium faciamus.

B. V. mandauit Christus de nobis sub Cruce vt nos custodiret.

Hinc Cardinalis Toletus in Ioan. c. 19. verba illa Christi: *Mulier ecce Filius tuus;* attentius considerãs. *Omnes nos,* inquit, *curę, protectioni, & intercessioni Virginis commendat nobis autem fiduciam confert,* vt tanquam ad Matrem, & Dominam in omnibus nostris confugeremus. Vnde Ioãnes non repræsentabat. Audiendus hic P. Seraphicus Bonau. c. 8. Spec.

Hęc Mater est flos misericordię, Mater Solis iustitię, Mater fontis Sapientię, Mater Regis glorię. Mater inquam est eius cuius misericordia, ad dilectionem, cuius iustitia ad timorem, cuius Sapientia ad agnitionem, cuius gloria ad spem nos inducit. Sed numquid solius Christi Mater est Maria? Imo certe quod iucundissimum est Maria non solum est Mater Christi singularis, sed etiam Mater omnium fidelium vniuersalis. Vnde S. Ambros. Si Christus est credentium frater, cur non ipsa quę genuit Christum credentium sit Mater? Eia charissimi nunc omnes gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus: Benedictus frater, per quem Maria est nostra Mater, & Benedicta Mater, per quam Christus est noster frater. Hinc bene Sanctus ait Anselmus: Domina Mater per quam talem fratrem habemus, quid gratiarum, quid laudis tibi retribuemus? Sic Bonau.

Mater hæc benignissima sub amplissimo suæ pietatis nos abscondens pallio à nobis Dæmonum infestissimorum arcet insidias, eaque nobis præstat omnia modo longè excellentiori quam pręstare consueuerunt Angeli. De quibus B. Laur. Iustin. libr. 6. de casto connub. capit. 8. *Ipsi sancti Angeli aereas coercent potestates, ne ad libitum nos tentent, eorum detegunt fraudes, eorum argumentis obuiant. Si cadimus nos erigunt, si ignoramus instruunt, si frigescimus accendunt. Vbique tanquam fidi comites nos tuentur dormientes, stantes, ambulantes, quiescentes, operantes. Illuminant quoque intellectum nostrum, excitando disponendo, & lumen diuinum in nos transfundendo, purgant nos, phantasmata amouendo, &c.* Quæ omnia maiori cum perfectione obire munia Deipara consueuit.

B. V. nos sub suæ protectionis pallio à Dæmonum protegit insidijs.

8. Tanta porro est Angelorum vis, vt vel vnicus ad instar munitissimorum castrorum custodiat homines aduersus omnes Tartareorum hostium legiones. Vnde canit Dauid Ps. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Seu vt legit Hebr. *Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Ad quæ verba Vir pijssimus ac Religiosissimus Card. Bellar. *Mira potentia Angelorum, vt vnicus Angelus vicem exercitus suppleat?* Quod si amico Angelo tanta vis diuinitus indita est, quanto magis Virgini benedictæ, ad nos ab omnibus Infernalis hostis insidijs defendendos; siquidem à Sponso *terribilis vt castrorum acies ordinata prædicatur?* Verè enim Virgo hæc Sacratissima, *tantum Dæmonibus est terribilis* vt cum Richar. à S. Laur. libr. 4. loquar, *quantum Angelis, & Sanctis extitit venerabilis, hoc est sicut tota acies Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Angelorum, Confessorum, & Virginum, omnium denique qui ordinatè contra Diabolum pugnauerunt. Quia enim omnium Sanctorum priuilegia habet in se congesta, ideò terribilis est Dæmonibus sicut vniuersa collectio omnium aliorum Sanctorum.* Sic Rich.

Si Angelus vnicus ad instar castrorũ nos defendit, quanto magis Virgo beatissima.

M. tantum Dæmonibus est terribilis, quãtum Angelis, & Sanctis extitit venerabilis.

Quare in omni Dæmonum tentatione, atque assultu sicut ad Nomen Saluatoris, ita ad Nomen quoque Deiparæ summam cum fiducia confugiendum; His enim velut castrorum benè ordinata acie munimur, Tartareisque hostibus

stibus reddimur terribiles, planeque formidabiles. Vnde rectè suadet Aegid. Columnius Romanus D. Thomæ disci-pulus in Salut. Angel. *Nomen Mariæ semper cum Nomine Filij sui Domini nostri IESV Christi nobis in ore resonare debet. Quia sicut de nomine Filij eius dicit Ioel: Qui inuocauerit Nomen Domini saluus erit, ita, & de Nomine huius Virginis gloriosæ pie, & rationabiliter credi debet. Si enim in Nomine Filij Dei quicquid petimus accipiemus à Patre: quomodo, & in Nomine B. V. petendo, & illam, quæ Mater est Dei proprio Nomine inuocando, & honorando, non accipiemus? Patet hoc ex illo quod in persona eius dicitur: Eccli. 24. In me omnis spes vitæ, & virtutis. Quod, & de ipsius Nominis inuocatione potest intelligi. Hoc enim Nomen, post Filij est super omne Nomen, ratione terribilitatis, dulcedinis, ac reuerentię. Nam sicut in Nomine terribili, ac tremendo IESV eijciuntur Dęmonia, & aduersa omnia iuxta illud Mar. 16. In Nomine meo Dęmonia eijcient, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ęgros manus imponent, & bene habebunt. Ita, & post hoc Nomen, in Nomine B. M. V. omnia eijciuntur aduersa, neque aduersus eam portę Inferi stare possunt, cum ipsa Inferni principis caput, per eā quem corpore gessit, contriuerit. Et ita terribile est hoc Nomen Marię, vt Dæmones illud sustinere non possint, sed ipsum audiendo cum tremore ac dolore clamant: Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Hæc Aegidius, ex quibus Virginis protectionem, atque custodiam securissimam contra omnes Cacodæmonis insidias facile comprehendimus.

In omni tentatione ad Nomen Iesu, & Mariæ confugiendum.

Nomen B. V. post Filij eius Nomen est super omne Nomen, ratione terribilitatis, dulcedinis, & reuerentiæ.

Mariæ Nomen quam sit Dæmonibus terribile.

9. Quod si denique Angeli ideo sic appellati sunt eodem Dionys. teste cap. 4. cæl. Hierar. quia in eos primo Diuinę claritatis fulgor emanet, & postmodum illum ad nos traijciunt, vt in actionibus omnibus ac tentationibus Satanæ nos illuminent. Vnde, & per illos lex Moysi tradita est: Longè sanè meliùs proprietas hæc effuegebit in Virgine, quæ 9. Mensibus Candorem illum lucis æternæ suo purissimo vtero circumgestauit. Vnde quid mirum quod, & Illuminata, & Illuminatrix ex Nominis ipsius gloriosissimi, ethymologia nuncupata sit? Quid mirum si per illam æternus ille Legislator, atque adeo ipsa increata lex, Lumenque illud Serenissimum vultus Patris æterni toti mundo affulsit. Intellexit B. Petrus Card. Dam. ser. de Assumpt. candorem hunc lucis æternæ etiam in Virginis corpus redundasse, cum dixit. *Caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentię puritas in candorem lucis ęternę conuersa est.* Quasi puritas illa mentis, qua candorem æternę lucis æmulari Deipara visa est, in corpus hoc terrenum quodammodo fuisset transfusa, & toto ore oculisque emituisset, orbemque vniuersum luce illa diuinitus hausta irradiasset:

10. Sed ad Virginis nostræ sedulam illam qua in hominibus gubernandis vtitur custodia redeamus, de qua ipsa in Canticis cap. 1. gloriatur: *Posuerunt me custodem in vineis.* Quæ sunt hæ vineæ, nisi fidelium animæ, quæ sicut Angelorum custodia velut sepibus, ita imò longè meliùs patrocinio Deiparæ muniuntur, ne à singulari illo fero, & efferato Cacodæmone, ne à vulpium Infernalium circumueniantur astutijs, & fraudibus, eisdemque destruantur ac proculcentur; Quod sane in nos ingens est Virginis beneficium, sicut, & alia quamplurima, quæ plena manu in nos assiduè congerit. Pro quibus iam memoratus Rich. libr. 2. immensis beneficijs, quæ iam accepimus, & iugiter suscipimus, per Mariam, probat ex S. Augustino; omnes Sanctos in digna gratiarum actione, apud ipsam deficere, dum exclamat: *O' B. Maria quis tibi dignè valeat iura gratiarum, & laudum pręconia impendere?* Idem ait Sancta animalia coram hoc animato Dei Throno requiem in laudibus non habuisse die ac nocte. Quare docet ob hanc insufficientiam nostram dicendum esse illi, sicut dicimus Filio Iob. 7. *Quid faciam tibi ò Custos hominum? Id est, tibi ò Virgo beata quę fideles custodis*, ait idem Richardus, *quid retribuam pro omnibus tuis beneficijs, bonorum enim meorum non eges. Nihil boni ex me possum præstare, & hoc nihil est coram te, nihil est respectu bonorum, quę iugiter facis mihi.*

B. V. custos est vineaū id est hominum.

11. Hanc vigilantissimam agnoscens in hominibus tuendis Virginis custodiam idem Rich. lib. 9. postquam dixisset proniorem illam esse ad saluandum quam Diabolum ad perdendum, docet ei sæpè dicendum cum Psal. 16. *A resistentibus dexteræ tuæ ò Maria, à Dæmonibus inquam, qui quantum possunt suis donis resistunt, custodi me vt pupillam oculi.* Idem Richardus libr. 2. docet *Virginem impetrare nobis à Filio gratiam, & impetratam sedulo custodire*, *ac proinde dictum esse de illa* ab

ab Eccli. 17. *Gratiam hominis quasi pupillam conseruabit. Atque ita, & gratiam, & nos ipsos, si ei fideliter deseruierimus vt pupillam oculi conseruabit*. Tantus enim eius est in nos maternus amor, vt nos ferat in oculis, & ad instar pupillæ custodire à minimis puluisculis leuissimarum culparum non dedignetur, quo nos puros immaculatosque conspectui diuinissimæ repræsentet Maiestatis. Hanc ob causam pro nobis acerrimè pugnat cōtra Infernales aduersarios adeo vt idē dicat Rich. lib. 2. ei illud conuenire. Eccli. 29. *Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit pro te*. Ipsa enim est scutum omnibus in se sperantibus. Ipsa lancea qua Tartareos hostes configimus.

B.V. est scutū nostrum, & lancea pugnando pro nobis.

12. Ipsa murus est ignis in circuitu nostro. Dicit enim cum Filio, inquit idem Richar. lib. 7. *Ero murus ignis in circuitu Ecclesiæ*. Zach. 2. *Ipsa quoque est columna illa nubis, & ignis de qua canebat David*. Psal. 104. *Expandit nubem in protectione eorum, & ignem vt luceret eis per noctem*. Ecce duo officia, ait Rich. ad quæ data est nobis Maria, scilicet vt nos protegat à feruore solis iustitiæ tanquam nubes, & ideo quasi suspensa est inter terram, & solem: vt nos item illuminet suis orationibus, & exemplis, tanquam ignis; quoniam ipsa est lux ostendens lucem virtutum; Eadem protegit nos contra peccata quasi murus igneus in circuitu nostro, protegit contra circuitum Diaboli, qui, vt ait Apostolorum Princeps, *circuit tanquam Leo rugiens quærens quem deuoret*.

M. Murus ignis in circuitu nostro.

B V. data nobis in columnam ignis & nubis.

13. Quod si consideremus Virginē nostram multis myriadibus Angelorum, & quidem principalissimorum ad eius ministeria, obsequia custodiamque qua minimè erat indiga deputatorum circumseptam, facile eius erga nos custodiæ excellentiam deprehendemus cum omnes illi cælestes milites, qui latus Virginis cingunt, eamque custodiunt, ijdem planè dum illa nos custodit, ac protegit ad nostram custodiam protectionemque conuolent.

Angeli qui ministrant B.V. simul cū ipsa in nostrū auxilium aduolant.

Certè S. Georg. Nicomed. Archiepisc. orat. de Præsent. B.V. asserit eam adhuc *trimulam ad fores Templi Hierosolymitani venisse, Angelis circumdatam, & super mundanis Virtutibus omnibus, vt* inquit ille, *collectantibus? Nam etsi ignorabant arcanum mysterij modum, vt serui tamen, iussu Domini, seruiebant eius processui. Et primum quidem considerabant videntes, vtpotè, qui sunt naturæ intelligentis, eam esse preciosum Vas virtutum, & ferre in corruptæ puritatis signa, habereque corpus procul remotum à vitiorum colluuie*. Eâdem ratione; *Oportebat*, inquit, *non vnum solum ei seruire Angelum, sed decies mille millia eam stipare. Quæ enim illi minimè videre possunt, ipsa mirandum in modum vtero continuit, eumque qui lucem induit tanquam vestem, in suo sinu comprahendit. Eum qui pugillo continet vniuersum, hominem factum in vlnis continuit. Quis hæc cogitans de eius natura maxima quæque non apprahendat?* Sic ille.

B. V. trimula ad Templum Angelis circumdata venit.

Oportebat vt B V. non vnus Angelus, sed decies mille millia stiparent.

14. Angelorum porrò hæc circa Deiparam ministeria, ea verba Canticorum cap. 3. nobis indicant: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*. Quæ verba ponderas Card. Halgrinus ait ea esse Sodalium Christi, describentium quanto studio B. Virgini Angeli famulentur, & assistant. *Lectulus igitur Salomonis veri Pacifici B.V. dicitur, in qua Deitatis inclinato capite, ipse Dei Filius velut in lectulo requieuit. Vnde aiebat ipsa: Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Quia autem, vt ait Apostolus Hebr. 1. Omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium eorum missi, qui hæreditatem capiunt salutis, ostenditur hoc loco quod ad custodiam obsequiumque B. Virginis non inferioris, sed superioris dignitatis Angeli, Seraphini deputati sint. Nam B. Virginem ambiebant diligēti custodia, & obsequij diligentia Angelici Spiritus, fortes inter fortissimos Spirituum, qui eo quod DEVM assidua contemplatione conspiciunt Israelis nomine designantur. Igitur per sexaginta fortes illi notantur Spiritus, qui in subtilitate naturalium, & abundantia Spiritualium gratiarum, expressiorique creatoris similitudine, perfectione quadam cæteris præeminere, in potestate præsertim debellandi malignos Spiritus noscuntur*. Hæc Halgrinus.

B. V. quasi Lectulus veri Salomonis à præcipuis Angelis circundatus.

15. Eadem illa verba Guilelmus Abbas censet esse ipsius Virginis asserentis se Salomonis æterni, Regisque pacifici esse Lectulum à præcipuis Hierarchiarum cælestium custoditum Angelis, aitque Lectulum dici comparatione sinus Paterni, qui infinitus, & ideo Lectus. *Sane ex quo in Lectulo vteri Virginalis, per Incarnationis mysterium accumbere dignatus est, eundem Lectulum Sanctissimi Angeli plurimi ambire cæperunt, & circa quiescentem in vtero Virginis DEVM sacras*

B.V. Lectulus Filii Dei dicitur respectu sinus Paterni, qui Lectus est immensus.

sacras excubias agere. Non enim ipsum Lectulum contingere, hoc est, ad Diuinum illud mysterium, quod in vtero Virgineo peragebatur accedere præsumebant, sed venerationis, & obsequij gratia circa illum excubabant.

Nobiliores, & præstantiores Angeli ad obsequium B. V. delecti.

Sexaginta ex fortissimis erant. Hæc commixtio numerorum perfectorum, denarij, & senarij, indicant nobiliores quosque, & excellentiores ad hoc munus delectos. Egressus postea Dilectus ex hoc thalamo suo, Lectulum sine excubijs non dereliquit. Sacer ille, & sanctificatus, IESV locus, omnium aliorum vsui, & dominio eximebatur. Et verò si Angelico custodia circa Elisæum Prophetam excubabat, quanto magis circa Matrem luminis. Si mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Elisæi, quanto magis in circuitu gloriosæ Virginis Dei parentis?

Si Angeli ad Elisæum custodiendum excubabant; multo magis ad obsequiũ Dei Matris.

Quod nimirum ipsam non latebat, quæ cum Sãctis his custodibus suis familiariter versabatur. Est igitur hæc vox eius inter omnia vitæ mortalis discrimina, & hostilium, molitionum nequitias exultantis de cælica protectione: En me lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. Quid me igitur frustra cruentus Herodes persequitur? Quid inani rugitu me Leo superbiæ conatur terrere, & otiosè circuit quærens vt deuoret? Scio quod gloria mea vehementer vrit Leonem, & Draconem, scio quod odio Filij, quem exhorrescit, concitus fertur in Matrem. Ideo mihi timendus hic impetus foret, nisi tam fido satellitio stiparetur.

Hunc hostem despicio, stipatorum tot ac taliũ, si sapit, gladios timebit. Nam exultationes Dei in faucibus eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Omnes sunt tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Dominus enim fortis, & potens, Dominus potens in prælio, ad expugnationem Principum, & Potestatum aeris huius; docuit manus eorum ad prælium, & digitos eorum ad bellum; & non tantum in manibus eorum gladij, sed & vniuscuiusque ensis super femur suum. Nec manus habent corporales, nec femora. Spiritus enim sunt, sed gladios tenere dicuntur, qui potestatem vlciscendi in promptu, & palam habent, instàr gladij, ad feriendum euaginati, sed quia hanc potestatem non exerentes, pro tempore occultant, circa femur, vagina inclusi gladij describuntur.

His occultatis, timores nocturnos, hoc est, lucifugas Dæmones: qui quasi vult peculæ in nequitiæ foueis latitant, ad audendum, & subsessas reliquendas prouocant; mox tamen ijsdem euaginatis illorum improbos ausus ad Dei gloriam potenter coercent. Hęc Guilelmus quibus ingeniosè sane atque eleganter, & Angelicam Virginis custodiam ac ministerium descripsit, & plures Mẽtes beatas illi famulatas fuisse Virgini asseuerauit, à quibus, & nos dum à benignissima Virgine custodimur, protegimur.

16. Idem sensit S. Bernardinus Sen. Tom. 2. ser. 51. art. 2. cap. 2. de hoc Angelorum famulatu, custodia, alijsque obsequijs erga Deiparam.

Assistebant illi innumerabiles, inquiens, *multitudines Angelorum in eius protectionẽ. Vnde Propheta ad Virginem: Angelis suis DEVS mandauit de te vt custodiant te in omnibus vijs tuis, &c. Piè etenim credo quod plurimas legiones lubuerit Angelorum ad custodiam, & protectionem suam, cùm & Elisæus, vt legitur* 4. Reg. 6. *Angelorum multitudinem habuit ad sui defensionem.* Quid de B. Laur. Iust. Venet. Patriarcha dicam? qui serm. de Purific. *Erat*, inquit, *Maria Angelorum consortio custodita, & à Spiritu S. absque temporis interuallo possessa.*

Sibi namque ipsam in sponsam delegerat, Sapientia in Matrem, in suam interuentricem mundus, Angeli in Dominam, æternus Pater in Filiam. O' honor fæminę, ò excellentia Mariæ, cuius meritorum celsitudine, & gratiarum opulentiâ, stupet cælum, natura miratur, Sancta beatorum Spirituum venerantur agmina.

17. Angelicum hunc famulatum mille clypeorum illorum nomine, qui de Turri illa pendebant, de qua sponsus Cant. 4. Sicut Turris Dauid collum tuũ quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ea, omnis armatura fortium, significatum, ait fuisse S. Greg. Nyssenus Homil. 7. in Cant.

Angelorum custodia circa B. Virginẽ designata per Turrim de qua mille clypei pendent, &c.

Pendentes, inquiens, *clypei non in terra siti, sed aerei in ipsa considerati, hastæque atque armatura fortium terrorem hostibus incutiunt, adeo vt turrim inuadere non audeant: Existimo autem clypeornm multitudine, Angelicum præsidium, quo Turris illa est circumsepta significari, de quo præsidio* Psalm. 33. *Castra metabitur Angelus in circuitu timentium eum, & liberabit eos.* Sic Nyssenus.

Denique iam sæpius memoratus Richar. lib. 10. de Laud. B. V. eadem Cãticorum exponens verba, eandem Beatarum Mentium Deiparæ famulantium atque assistentium confirmat custodiã. *Hæc possunt*, inquit, *esse verba Angelorum describentium quanto studio Angeli famulabãtur in terris Virgini gloriosæ, &c.* quæ studio prætermitto, quod eadem cum Halgrini verbis, & sensu, à quo ea mutuatus est, esse videantur. Illud solùm addam, quod ait Seraphinos quoque ministrasse B. Virgini, qui propter charitatis ardorem

Seraphini propter ardorem charitatis dicuntur flamma ignis.

dorem dicuntur *flāma ignis, vel ignis vrens.* De quibus Psa. 103. *Qui facit Angelos suos flammam ignis, vel ignem vrentem.*

18. Quæ sanè tam innumerabiles Beatissimorum Spirituum Virgini assistentes eidemque ministrantes Legiones, mirum quendam splendorem addidisse, eamque ad ipsorum præsentiam mirificis gaudijs delibutam crediderim? Fertur sanè vnicus Angelus Custos S. Franciscæ Viduæ illius Romanæ Sanctitatis gloria celeberrimæ, tantam toto ore, oculisque euibrasse lucem, vt alio lumine ad legendas horas canonicas per noctem non indigeret.

Angelus Custos S. Franciscæ Viduæ, quam luminosus?

Imò quocunque pergeret eidem ad instar lucis præluceret. Assistebat enim illi assiduè specie Iuuenis elegantissimi, vt scribit, ipsius vitæ Auctor, vultu, & oculis in cælum semper erectis, manibusque in formam crucis ad pectus cancellatis. Facies eius porrò adeo coruscabat, vt vix in eam posset intendere, si ægritudine aliqua S. Vidua laborabat, aut à Cacodæmone tentationibus, & spectris vexabatur, mox Angelus crines duntaxat suos mouendo, clarissimæ lucis iaculabatur spicula, ex quibus illa maxima lætitia, consolationeque perfundebatur, confusique Dæmones profugiebant. Quod si aliquando, quæ humana est fragilitas, cogitatione, verbo, vel opere peccasset, subducebat se, & disparebat quidem Angelus, sicque ipsa pœnitens, culpā examinabat, agnitā lacrymis abluebat, rursusq; ei cum lætitia adueniebat. Hic ego Spiritus bonus illi Pædagogus erat, deducebat eam in viā rectam, in omnibus actionibus eam dirigens, eratque protector contra omnes tentationes, & scrupulos, qui cum eam angerent, sola frontis serenitate, lætissimoque suo aspectu omnem fugabat anxietatem. Colloquens cum eodem Angelo tātam ex eius cælesti voce percipiebat consolationem, & dulcedinem, vt omnem humanam despiceret harmoniam, diceretque cum Sponsa: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Angelus hic denique mirum ipsi afflabat Spiritum; vt de puritate, innocentia, rebusque Diuinis mira efficacia, ac feruore verba faceret cum adstantium admiratione.

Colloquia Angeli Custodis quanta consolatione plena.

Quod si vnus Custos Angelus tot tamque Diuina in vna anima operabatur; Quæ tandem, DEVS immortalis tot Angelorum myriades in anima Deiparæ Virginis operatas fuisse censendum est?

19. Et licet tot Spiritus Angelici Virgini assiduo astiterint, habuit tamen illa aliquem peculiarem præter reliquos ad ipsius custodiam protectionemque, à Diuina Maiestate designatum, qui tamen nec illius rector, vel moderator, sed ipsius humillimus seruus, ad ipsius minimum nutum obsequentissimus extitit. Vnde teste S. Georg. Epis. Nicom. orat. de Præs. B.V. legimus illam ab Angelo in Templo fuisse nutritam. Angelum hunc porro crediderim cum P. Francisco Mendoza nostro in suo Viridario libr. 2. Probl. 8. fuisse ex supremo Seraphinorum Choro. Verissimè enim asseruit Scot. in 2. D. 10. Q. 1. Durand. ibid. q. 1. Marsilius q. 7. ex omnibus etiam summis ordinibus etiam summis ordinibus mitti ad nos tutelares Angelos. *Omnes enim,* inquit, Apostolus Hebr. 1. *sunt administratorij Spiritus in mysterium missi eorum, qui hæreditatem capiunt salutis.* Quod nemini incredibile videri debet, cum, vt loquitur S. Bern. serm. de S. Mich. *ipse quoque creator, & Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare.* Congruum porro fuit vt Supremæ Hierarchiæ Virginis tutelaris foret Angelus isque Seraphinus. Cum enim illa inter omnes puras creaturas nobilissima, soloque Deo excepto maior extiterit, fueritque super omnes Angelorum Hierarchias tanquam earum Regina, per se, Deo propinquissimam constituens Hierarchiam, exaltata, debuit sanè omnium nobilissimus Supremusque Angelus ad ipsius ministeria deputari. Vide apud eundem Mendozam loco citato pluribus agitatam quæstionem illam: Vtrum B. Virgo vnum aut plures Angelos Custodes habuerit.

Præter multos alios Angelos habuit B.V. aliquem peculiarem ex Seraphinorum ordine à Deo ad suum, seruitium destinatum.

20. Ex dictis vere felices verèque beatos Virginis Deiparæ sinceros clientulos ac cultores esse colligimus. Hi enim dum Dei Matri fideliter deseruiunt, non modo eiusdem Virginis, verum etiam innumerabilium militiæ cælestis exercituum custodiam, tutelamque in se experiuntur. Vnde quid mirum si inuincibiles, ac inexpugnabiles in grauissimis peccatorum luctis, atque occasionibus inueniantur? Quid mirum si charactere prædestinationis ad æternam beatitudinem insigniti prædicentur, cum nil nos ab illa sempiterna de-

turbare possit felicitate, quam peccata, à quibus Virginis Angelorumque custodiâ nos præseruari dùm in seruitio cultuque ipsius perseueramus, necesse est.

B.V. seruorū suorum animas è corporibus exeuntes protegit ab incursu Dæmonum.

21. Ipsa siquidem in extremo illo discriminis plenissimo mortis articulo *seruorum suorum animas*, vt iam toties memoratus ait Rich. libr. 2. *de corporibus exeuntes protegit ab incursu aerearum potestatum, quibus est terribilis vt castrorum acies ordinata, vt in eius miraculis sæpè legitur.*
Fugiunt enim qui oderunt nos à facie eius, & ipsa in adiutorium nostrum exurgente dissipantur inimici. Custodit enim exemplo Filij animas seruorum suorum, & de manu peccatoris liberabit eos. Vnde Sap. 10. *de ea dicitur: Eos qui se amant à doloribus conseruabit.*
Quare Spiritus S. agnoscens eam optimam fidelissimam nostram esse custodem Prou. 4. nobis optimum suggerit consilium. Ne dimittas eam, & custodiet te, dilige eam, & seruabit te. Hæc ille.

B. V. terribilis est Dæmonibus eorumdemque timor singularis.

22. Et verò quis eam in tremendo illo mortis articulo dimittat, cum tot Dæmonum insidijs se circumuallatum cernet? Roganda sanè nobis erit tunc vel maximè, vt ad instar castrorum aciei ordinatæ innumeris Angelorum legionibus circumuallata nobis assistat.
Quia verè Virgo hæc vt ait Card. Dam. serm. de Assumpt. *Terribilis est Dæmonibus, ordinata virtutibus, singularis timor malignorum Spirituum, specialis amor Ciuium beatorum.* Quare Virgo hæc benignissima, vt se animarum nostrarum custodem ostēderet, hortabatur S. Brigittam vt se sub eius Mantello, seu pallio humilitatis absconderet, quo contra omnes aduersos casus temporisque iniurias secura tutaque persisteret. Amabilissima eius verba sunt hæc libr. 2. Reuel c. 23.

Quantumcūque homo peccet si reuertatur toto corde ad Virginem ipsa eum sub pallio suæ misericordiæ proteget.

Quantumcumque homo peccet, si ex toto corde, & vera emendatione ad me reuersus fuerit, statim parata sum recipere reuertentem.
Nec attendo quantum peccauerit, sed cum quali intentione, & voluntate redit.
Ego vocor ab omnibus Mater misericordiæ, & verè misericordia Filij mei fecit me misericordem, & miseriā eius visa compatientem.
Ideo miser erit, qui ad misericordiam, cum possit, non accedit. Ergo tu Filia mea veni, & absconde te sub mantello meæ humilitatis, quod obumbrabit te, ab aere corruptiuo, & tempestuoso, à frigore vrente, & à nubium imbribus. Hæc Virgo benignissima.

23. Porro licet Virgo gloriosissima in omnibus nos vitæ huius tam animæ, quam corporis periculis sedulo custodire, ac sub amplissimo suæ misericordiæ protectionisque pallio aduersus omnes Dæmonum insidias fraudesque obtegere atque defendere consueuerit, defendit tamen custoditque vel maximè, vti paulo ante dixi, in tremendo illo, & terribilium omnium terribilissimo extremo mortis articulo, in quo Tartarei Veteratores suas illas mille nocendi artes, ad miseras animas è corporibus emigrantes, illaqueandas exerunt. Tunc enim Virgo nostra gloriosissima ad nos contra validissimos hostium illorum impetus defendendos ac custodiendos Heroinam plusquam Giganteo robore præditam sese exhibet, Deoque gratissimarum, pulcherrimarumque virtutum suarum meritis nos custodit, omnesque vires, conatusque eorum infringit, ac delumbat, ita vt nobis in tanto discrimine nullum penitus nocumentum inferre valeant.

B.V. in articulo mortis vel maximè suos clientulos protegit.

Quid enim eximiæ Diuinæque virtutes Virginis nostræ sunt aliud quam pallium sub cuius vmbra custodimur ac protegimur, quid aliud quam eius spiritualis pulchritudo, quam quoties Diuinissimæ illius Maiestatis oculis spectandam obijcit, toties pro nobis quicquid desiderat, impetrat; ac proinde Stygias phalanges Saluti nostræ tunc insidiantes, nullo negotio in fugam cōuertit. Vnde merito cum Iuditha Heroide illa generosissima de Holoferne, reliquisque hostibus triumphante seque ipsā cum Titanibus, ac Gigantibus, viribus, ac robore concesso sibi diuinitus conferente, concinere potest. Iud. 16. 8. *Non cecidit potens eorum à Iuuenibus, nec Filij Titam percusserunt eum, nec excelsi Gigantes opposuerunt se illi, sed Iudith filia Merari, in specie faciei suæ dissoluit eum.* Dissoluit verè plusquam Giganteo suo robore Virgo nostra omnes Sathanæ aduersum nos machinationes, ita vt sicut fumus deficiant, & sicut cera fluit à facie ignis, ita, & eius conatus, robur, ac vires à facie illa Virginis, maiestate, ac terrore plenissima pereant, atque annichilentur, incredibili suorum clientiū animos perfundendo lætitia, cælique delicijs cupedijsque saturando.

B. V. velut Gigantissa dissoluit vires Dæmonis aduersus nos sæuientis in mortis articulo.

24. Expertus est hanc Tartareorum conatuum ac virium ad præsentiam Virginis dissolutionem VVernerus ille Religiosus Adolescens de quo Cæsarius lib. 7. cap. 55. Hic enim cum paulo ante

quam

Adolescens Religiosus moribundus tentatur à Dæmonibus, & inuocando B. V. liberatur.

quam ex hac vita migraret, Cacodæmonum cateruam circa lectulum adstantium ac insidiantium conspexisset, eorumdemque importunitate valdè esset turbatus, clamare vehementer, alias modestissimus Adolescens: identidemque ingeminare cæpit: *Sancta Maria*, inquiens, *libera me ab his vilissimis*. Nec irritæ illius cecidere preces. Adfuit enim illi mox Virgo Custos hominum benignissima, adeoque Dæmonum illorum compescuit insolentiam, viresque dissoluit, vt mirâ perfusus lætitiâ venerabundus caput inclinans, in voces illa proruperit: *Bene venerit clarissima Domina mea bene venerit.* Statimque animosior factus, viresque Stygiorum Tenebrionum elisas esse iam animaduertens, contra eos manum attollens perque contemptum eis insultans, subiunxerit. *Modo iacete vos vos ibi, modo iacete vos ibi.* Nec ita multo post vultu hilari, placidissimoque exspirauit. Neque vero malignorum Spirituum illorum Heroina hæc gloriosissima vires dissoluit, verumetiam luce præsentiæ suæ Lucifugas teterrimos in fugam conuertit. Addit enim idem Cæsarius: *Nec dubitandum est quin aduentu Reginæ cæli omnis illa malignorum spirituum turba expulsa sit ac deiecta, sicut in ortu Solis dispergitur nebula matutina.*

B. V. Cacodæmones velut oriens Sol nebulas dispergit.

B.V. in hora mortis suos clientulos consolatur.

25. Quantum porro gaudium consolationemque Spirituus Virginea hæc hominum custos afflictis mortalibus in hora illa postrema angustijs plenissima adferre consueuerit illustri iam memoratus Cæsarius cap. 52. comprobauit exemplo. Scribit enim Adolescentem quendam Hispanum sui Ordinis, ita cultui Deiparæ fuisse addictum, inque eius obsequio ita feruentem ac deuotum, adeoque in horis eius decantandis intentum, vt non solum in singulis Psalmorum versiculis, verumetiam in singulis pene verbis memoriam Virginis haberet iucundissimam. Ad hunc ex graui ægritudine decumbentem cum ex Religiosis fratribus non nemo accessisset rogassetque aliquid sibi ad ædificationem pro solita sibi pietate ediceret; respondit: *Heri Domina nostra visitauit me, & quia die septimo ad Dominum sum migraturus prædixit, adiecitque: Quia præ alijs mihi intentius seruiuisti, & ego tibi faciam, quod nondum alicui feci, simulque collum meum brachijs suis castissimis stringens, dedit mihi osculum.* Veram porro prædictionem illam Virginis fuisse demonstrauit euentus. Prior enim Monasterij illius per quietem candidatorum Iuuenum, Angelicorum nempe Spirituum, ad Sanctissimam illam adolescentis animam in cælos deducendam, die septimo conspexit exercitum; sicque miris delibutus gaudijs, cælestibus illis comitantibus, à Virgine submissis ciuibus, ad æuiternam patriam amicam suam æuiternum contemplaturus euolauit.

B. V. amplectitur, & castissimè osculatur suũ cliẽtẽ sibi deuotum circa vitæ illius exitum.

26. Ex quibus omnibus facile perspicimus, quam sit hæc Virgo nostra clementissima, fidelis hominum custos super omnes Custodes Angelos, dum, & in vita, & in morte, ad animarum nostrarum adeo solicitè peruigilat custodiam, adeo vt vigilantissimus quidam Argus centum oculis ad nos ab omnibus periculis tutandos excubans esse videatur. Quamobrem à S. Epiphanio dictam Multi oculam esse crediderim. Quare iure merito, & nos oculos nostros, in ipsam intentos iugiter habere, & ab eius nutibus dependere decet, si eius fauorem, & gratiam, ac tandem in morte præsidium patrociniumque experiri desideramus. Vnde præclarum nobis consilium Doctor Seraphicus Suggerit Bonau. in Spec. cap. 3 vbi cum præmisisset ac docuisset illã nostram potentissimam esse Dominam, monuit, vt quælibet anima ad instar Ancillæ erga benignissimam Dominam, oculos ad eius manus semper habens intentos sese gereret, ita suadente Propheta Regio Psal. 112. *Sicut oculi ancillę in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominam nostram donec misereatur nostri.* Tum hæc attexit: *Ancilla Dominæ Mariæ est quælibet anima fidelis, imo etiam Ecclesia vniuersalis. Oculi huius Ancillæ in manibus Dominæ suæ semper debent esse, quia oculi Ecclesię, oculi omnium nostram ad manus Mariæ semper debent respicere, vt per manus eius aliquid boni accipiamus, & per manus eius quicquid boni agimus Dominum offeramus. Per manus enim huius Dominæ habemus quicquid boni possidemus, testante B. Bernardo: Nihil nos habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret. Per manus quoque huius Dominę offerre Deo debemus quicquid boni egerimus, quemadmodum idem B. Bern. hortatur: Modicum illud, inquiens, quod offerre desideras gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Marię manibus tradere cura, si non vis sustinere repulsa.*

B. V. multi ocula in hominum custodia.

Si B.V. fauorẽ habere desideramus in eam oculi nostri semper defigẽdi.

Quælibet anima imo tota Ecclesia vniuersalis oculos suos intentos habere debet ad manu B. V. assiduè nobis beneficia largientis.

Per manus Mariæ offerenda omnia, quæ Deo præsentari desideramus.

Bene nobis charissimi, bene nobis, quod talem Dominam habemus, quæ manus tam liberales habet ad nos, & tam præpotens est apud Filium super nos, vt securi ad ipsam confugere possimus omnes nos. Vnde deuotissimus Anselmus: *Domina magna cui gratias agit concio læta iustorum, ad quam territa fugit turba reorum, ad te prepotens, & misericors Domina ego peccator anxius confugio.* Sic ille.

27. Neque vero spe dumtaxat, varias ab ipsa gratias donaque accipiendi, oculos semper in Virginem ad nos custodiendos vigilantissimam, defixos habere, debemus, verumetiam ipsam præcipuo, vti par est, venerandi studio ne tam amore concupiscentiæ, quam amore beneuolentiæ ipsi seruire videamur. Certè D. Bernardus in Psalm. 90. verba illi Regij Psaltis accuratius expendens: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Hæc de Custodum nostrorum Angelorum cultu literis mandauit: *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiam pro præsentia, deuotionē pro beneuolentia, fiduciā pro custodia. Cautè ambula, vt videlicet cui adsunt Angeli sicut eis mandatum est, in omnibus vijs tuis. In quouis diuersorio, in quouis Angulo, Angelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. An præsentem esse dubitas, quem non vides? Quid si audires? Quid si tangeres? Quid si olfaceres? Vide quoniam non solo visu rerum præsentia comprobatur.* Sic Bernardus.

B.V. non tam amore concupiscentiæ quam amore amicitiæ seruiendum.

Quanta reuerentia in omni loco Angeli nobis venerandi.

Quod si tantopere Angeli Custodis nostri nobis semper assistentis, hortatur mellifluus Doctor venerandam esse præsentiam, cauendumque ne aliquid quod eius oculos offendamus, designemus; quo tandem animo erga cæli Reginam, tot Angelorum myriadibus stipatam tot centenis oculis nos, nostraque assiduè contemplantem esse decet? Decet sane esse humillimo, reuerentissimo, purissimo omni omnino contentione præcauendo, ne quæ vel minima cogitatio turpior mentem nostram in tantæ Maiestatis præsentia commaculet, eiusque oculos benignissimos ad nobis auertat, iugemque illam vigilantissimam expanos custodiam interrumpat. Sicut enim illa, quemadmodum Sanctus loquitur Damascenus orat. 2. de dorm. B. V. *Virgo est, & Virginum amans, pura est, & purorum amas: sic sane lutum illa omne fugit, vt idem ait cænosasque affectiones auersatur, ingluuiem execratur, fœdissimæ fornicationis vitijs infesta est, eiusdemque impuras, scelestas cogitationes non secus ac viperarum fœtus abhorret; sermones fœdos scurrilesque, nec non cantus, & meretricia vnguenta detestatur. Iræ tumorem odit; inhumanitatem ac inuidiam simultatesque minimè admittit. Inanem gloriam vanis laboribus sese frangentem respuit. Superbię fastui, animo plane hostili resistit, Iniuriarum memoriam tanquam salutis hostem odio prosequitur. Vitium denique omne velut lethale venenum execratur; vitio quolibet offenditur ac discruciatur, qualibet autem virtute, vt nota sua peculiari, lætatur, tripudiat.* Concludit tandem docetque quibus modis Virginem ad nos allicere vt nobiscum maneat, nosque assiduè custodiat, oculisque illis suis misericordiâ plenissimis semper benignè aspiciat, debeamus. *Quare si vitia,* inquit ille, *prompto alacrique animo euitemus, si virtutem omni studio amoreque complectamur, easque socias habeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, secumque bonorum omnium agmen trahet, Christumque Filium suum, omniumque Regem ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet.* Qua sane præsente felices ac beati, imperterriti atque inexpugnabiles euadamus oportet.

Multo maiori veneratione prosequēda nobis est semper Maria nobis semper assistens, nosque custodiens, quam Angeli custodes.

Quæ nam vitia auersetur potissimum B. Virgo.

B. V. omne vitium velut lethale venenum auersatur.

B. V. si vitia auersemur, & virtutem adamemus frequens ad nos inuisendos adueniet, cum Filio.

28. Certè de Angelis Custodibus tantæ Reginæ infimis ministris rursus egregiè pronunciauit idem Bern. *Quid sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt. Qui custodiunt nos in omnibus vijs nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? tantum sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cęli commoremur. Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, Ductorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus in tribulatione, inclama eum, & dic: Domine salua nos perimus.* Quod si de Angelis Virginis ipsius ministris tam bene nos sperare oportet; quanto magis de clementissima, ac potentissima ipsorum Regina millenis oculis ad nostram custodiam excubante, miseriasque nostras benignissimè ad eas pietate bonitateque sua tollendam aspiciente! Cum igitur illa in hominibus defendendis ac custodiendis sit multi oculæ oculosque suos in nos semper intentos habeat, & pro salute nostra in tremenda præsertim mortis hora, adeo solicita, decet sane vt, & nos dum viuimus dum spi-

spiramus, in eam semper defixos habere oculos, vt ipsius patrocinium experiamur benignissimum. Sicut enim docet Salomon oculos Viri Sapientis in capite eius Christo defixos esse debere: Sapientis oculi in capite eius Eccles. 2. iuxta expositionem Nysseni, ita quoque in Matre capitis nostri Virgine Maria. Exemplo nobis sit Seraphicus Doctor, qui Psalm. 120, & 121. ita ipsius auxilium custodiamque supplex implorans, in mortis præsertim articulo, illi modulabatur:

Leuaui oculos meos ad te Mater Christi, per quam venit solatium omni carni.

Auxilium tuum, & gratiam tuam nobis impende in omni tribulatione nostra.

B V. oculi nunquam dormiunt, nec dormitant ad nostram custodiam præsertim in morte nostra.

Custodi nos Domina Virgo Maria, ne peccatorum laqueo capiamur. Non dormit neque dormiet pupilla oculi tui, vt tua semper custodia protegamur. Pacem, & indulgentiam Virgo nobis impetra; palmam de hostibus, ac triumphum. Conforta, & consolare cor nostrum tuæ dulcedine pietatis. Sic Domina infunde nobis tuam clementiam vt deuotè in Domino moriamur.

29. Decursis iam omnibus beatarum mentium Hierarchijs earundemque proprietatibus ac virtutibus longè excellentiori gradu ac splendore in Deipara refulgentibus, breuem anachephaleosin eorum omnium pene, quæ dicta sunt à B. Alberto Magno descriptam audiamus. Tract. super Missus est: Est B.V. *Angelus in gratiæ inuentione, Archangelus in Dei generatione. Princeps in Principum subiectione. Potestas in super naturalium operatione.*

In B.V. omnium Angelicarum Hierarchiarum perfectiones in excellentiori gradu reperiuntur.

Virtus in deiformissimorum actuum perfectione. Dominationes in creaturæ superpositione; Thronus in Dei corporali receptione. Cherubin in omnium secretorum secretissima cognitione. Seraphin in summa supra omnes dilectione. Patet ergo qua ratione B. V. omnes proprietates Angelorum omnium habens super Hierarchias omnes exaltata est, & singulorum, & omnium proprietates omnes, donaque ipsa vniuersaliter ac singulariter, summo in gradu possederit vniuersa. Sic ille.

30. Quare S. Georgius Nicomed. Archiep. orat. de Præsent. B. V. hanc omnium Angelicarum perfectionum collectionem, ac præsertim vim illam, virtutemque genus humanum tanta pietate defendendi, protegendi, ac custodiendi agnoscens, in Virgine, ad pulcherrimæ illius orationis calcem cupidus eius protectionem, ac custodiam non solum in se, verumetiam in omnibus Ecclesiæ potentatibus experiendi sic eam alloquitur. *Per te Regnum cælorum nos consecuturos speramus. Te nostræ salutis habemus adiutricem, Te nostri auxilij habemus defensatricem. Te proponimus, cuius ore nostra dicatur excusatio.*

Christiani in B V. habent murum firmissimum.

Te nostræ fiduciæ circumferimus gloriationem. Te Christianorum multitudo Murum habet firmissimum. Te fideles, ac Reges validum habent armamentarium. Per te bellorum frangunt audaces impetus.

In B. V. fideles, & Reges validum habent armamentarium.

Per te victoriæ trophæa consequuntur. Tu ò Dei Genitrix ne despicias preces eorum, qui semper petunt. Præbe manum laboratoribus, opem fer eis, qui tempestatibus agitantur; Seda bellorum fluctus; fac in auras euanescant Spiritus eorum, qui nos iniurijs lacessunt, atque incessant. Da petitionis conuenientem, potes enim, euentum. Habes vt Mater in Filium, quæ recusari repelliue nequit fiduciam.

B.V. habet vires insuperabiles, robur inexpugnabile.

Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile, ne immensam tuam clementiam peccatorum nostrorum superet multitudo, ne absurda facta nostra retardent tuam, quæ verbis exprimi non potest misericordiam. Quæcunque enim fuerit multitudo eorum quæ ignorantur, ea facilem accipit solutionem, si tu solum velis.

Nihil B. Virginis potentiæ resistit, omnia cedūt eius imperio.

Nihil tuæ potentiæ resistit, nil tuis viribus repugnat, omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ deseruiunt potestati. Te omnibus operibus suis excellentiorem reddidit, qui ex te natus est, & per ea quæ in te mirabiliter facit, & præter opinionem ita esse confirmauit. Ea potes citra laborem consequi. De ijs ipsa absque vllo intercessore ipsum creatorem interpella. Delectatur tua petitione, gaudet se à te rogari, non resistit quo minus tua petita impleantur.

DEVS B.Virginis gloriā, suam propriam esse existimat.

Tuam enim gloriam existimat esse propriam, & tanquam Filius in ea exultans, quasi suum exoluens debitum, tuas implet petitiones. Hæc Sanctus Antistes, quibus sanè, virtutem, potentiamque Virginis in humano genere custodiendo, ac defendendo pientissimamque eius in nos solicitudinem, ac charitatem, vti, & reliquas eius perfectiones super omnes Angelorum Hierarchias extulisse visus est. Libet tandem Discursum hunc

hunc cum Virgineo Psalmista claudere, qui vigilantissimam hominum Custodem Protectricemque hominum eam agnoscens, in quacumque, & maximè mortis tribulatione, ac periculo ita ei modulatus est: *Nisi quia Domina nostra erat in nobis, inuenissent nos pericula multa. Esto Virgo defensatrix nostra, & ante DEVM Aduocata propitia. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & conforta nos in seruitio Sancto tuo. Benedicant te Sancti Angeli tui in cælo, benedicant te omnes homines super terram; Ne tradas bestijs animas confitentium tibi; ora te canentium non obturentur.*

Amen.



D 1.



DISCVRSVS XI.

Quod cæli præsertim Empyrei perfectiones in Virgine Deipara repræsententur.

Quando præparabat cælos aderam. Prouerb. 8.

1. ConsiderATIS, ac decursis omnium Angelorũ Hierarchijs, eorumdemque proprietatibus ac perfectionibus tanta cum eminentia in Deipara Virgine relucentibus, ad cælorum tandem contemplationem veniamus. Communi Sanctorum Patrum asseueratione Virgo Sanctissima ob Diuini potissimùm Verbi Incarnationem in eius purissimo vtero peractam, eiusdemque in ipso nouem mensibus habitationem, cæli nomine decorari consueuit. Omnes enim cælorum proprietates quas decursu sermonis enarrabimus, ipsi mirificè, & longè maiori cum perfectione congruunt. Vnde D. Ioann. Damascenus orat. de Assumpt. B.V. ait iure merito eam velut animatum quoddam cælum in cælos sibi similes, assumptam. *Hodierna die*, inquit ille, *Virgo immacnlata, quæ cum terrenis affectibus commune nihil habuit, sed cælestibus cogitationibus educata est, non in terram abscessit, verum, vtpotè, quæ verè viuum erat cælum, in cælestia tabernacula introducitur. Quis enim eam cælum nuncupans aberret à veritate? Nisi quis forte rem intelligens rectius ac perpendens, eam cælis quoque ipsis incomporabili præcellentia dicat esse superiorem. Etenim is qui cælorum Architectus, & Conseruator est, qui rerum omnium conditarum; tàm mundanarum, quàm mundo sublimiorum, tàm in aspectum cadentium, quàm ab oculorum sensu remotarum Artifex, cui nullus in rebus omnibus locus est: (siquidem id quod continet, eorum quæ continentur locus esse definitur:) in ea à seipso, absque semine infans effectus est, & tam læsum suæ solius omnia complectentis Deitatis promptuariam reddidit. Totus in ea, citra perpessionem vllam collectus est, totus in ea mansit, locumque incomprabensibilem in ea sibi effecit.* Sic ille.

B. V. cum terrenis affectibus nil habuit commune.

B. V. est viuũ quoddam Cælum.

B.V. latum omnia complectentis Deitatis est promptuarium.

2. Idem Damasc. eiusdem Virginis vterum purissimum orat. 1. de Natiuit. B.V. cælum appellauit, dum Annæ Matris vterum laudat: *O' beatam, & præclarum vterum, qui viuum cælum, cælis ipsis latius peperit. Hodie ex terrena natura cælum in terra ille condidit, qui olim firmamentum, ex aquis fixerat, atque in altum extulerat. Nam qui in illo solẽ effecerat, ex hoc iustitię sol ortus est.* Et ora. 2. de Nat. V. *Cuius venter*, inquit, *cælum est, in quo habitauit is, qui nullo loco capi potest.* B. Andreas Cretensis orat. 2. de Dormit. Deip. ait *illam puritate sua cælorum superasse naturam: Mulier, quæ cælorum superauerat naturam puritate, in adytorum, quæ sunt in cælis sancta commeans atque ingrediens. O' Miraculũ.* B. Petrus Cardinal. Damiani serm. de Annunc. animati huius cæli Dei Filium hominem factum capientis, admiratus amplitudinem, postquam dixisset: *Virgo postquam ei locutus est Gabriel sensit DEVM suis illapsum visceribus, maiestatemque illius Virginalis ventris breuitate conclusam:* tandem in illud prorumpit epiphonema: *O' venter diffusior cælis terris amplior, capacior elementis, qui totum claudit omnia concludentem, in quo DEVS gloriæ reclinatur.*

Ex B.V. veluti cælo Sol iustitiæ ortus est.

B. V. sua puritate cælorum naturã superauit.

M. Vterus diffusior cælis, terris amplior, capacior elementis.

3. Idem pijssimus Cardinalis serm. 3. de Natiuit. ostendit Deiparam gratia fuisse plenam, absque vllius peccati labe, eo quod fuerit cęlum quoddam nouum in terris: *Quod rogo*, inquit, *vitium in eius mente, vel corpore vindicare sibi*

po-

potuit locum, quæ ad instar cæli, plenitudinis totius Diuinitatis meruit esse sacrarium? *In Christo enim habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Colos. 3. Nec mirum si cunctorum merita transcendit mortalium, quæ & ipsam superexcedit celsitudinem Angelorum. Per hanc enim Beatissimam Virginem non solùm amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelicæ sublimitatis augetur, quia dum homo ad superna reducitur, eorum numerus, qui diuinitus fuerat, reparatur.* Denique idem Cardinalis ser. 63. de S. Ioan. Euang. vt ostenderet paris eum esse dignitatis cum Apostolorum Principe, eo quod, & ipsi claues Regni cælorum datæ fuisse videantur, dum ei cura demandata fuit Dei Genitricis eandem Cælum appellat: *Nunquid & B. V. fratres mei, cælum non fuit, in cuius vtero Virginali nouem mensibus tota Diuinitatis plenitudo permansit? Ex ipsius quippè castis, mundisque visceribus, Dei verbum, per quod facta sunt omnia immaculatâ se carne vestiuit. In angusto scilicet habebat aluo cõclusus, sed totius orbis iura regebat immensus. In breuissimo, inquam, Virginalis vteri domicilio cõstitutus, & cæli gubernabat imperium, & terrenorum omnium non amiserat Principatum. Non ergo præsumptiuè cælum dicitur Venerabilis V. M. Atque ideo B. Ioannem Dominus quodammodo cæli clauicularium esse constituit, cum Beatæ Genitricis suæ eum decreuit esse custodem.* Sic ille.

Per B.V. beatitudo Angelicæ sublimitatis aucta est, eorumdemque numerus reparatus.

S. Ioannes cæli clauicularius à Christo fuit constitutus dum ei Matris suæ tanquam cæli custodiã demandauit.

4. Quid de S. Epiphanio dicam, qui lib. de Laud. Virg. inter varia ipsius encomia hoc pronunciauit? *Dico illam esse cælum, Thronum simul, & Crucem. Extendens enim sacras vlnas Christum portauit.* Et paucis interpositis: *Gabriel salutat Virginem: Aue gratia plena, quæ es splendidum cælum, quæ habes radium de cęlo lucidis facibus coruscantem, vtpotè Solem Christum.* Eodem cæli nomine Virginem salutauit B. Andreas Cretens. Archiepisc. Hierosol. oratio. in Salutationem Angelicam: *Gaude cælum, in quo sol gloriæ splendet, domicilium cælo præstantius. Gaude vnicum illius, qui nusquam capitur amplissimum habitaculum.* Quid de Hesychio Præsbyt. Hier. serm. 2. de Deip. qui Virginis huius Filium alloquens; *si*, inquit, *tu es gẽma, merito illa est Arca, & quia sol existis, necessario Virgo vocabitur Cælum.* Quid de S. Athanas. qui luculenter ait sermone quodam: *Non coinquinatum fuit secundum illud cælum, neque commaculatum Vas Mariæ Dei capax effectum.* Quid memorem D. Methodium Martyrem Tyri atque Olympi Episcopum, qui orat. in Hypap. Virginem dixit, eius qui loco compræhendi non potest cælum verè compræhensibile?

M. splendidũ cælum habens solum Christum.

5. Quid S. Chrysostomum qui Homel. de Annunciat. introducit Patrem æternum Gabrieli loquentem: *Vade ad animatam Ciuitatem, de qua Propheta: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Vade ad Paradisum meum ratione præditum. Vade ad habitaculum Verbo meo dignum. Vade ad alterum cælum quod est in terra.* Eodem modo S. Gregor. Thaumat. eundem cælestem Patrem assantem Archangelum introducit. Quid Proclum Episcopum Constantinop. qui de hac gloriosissima Dei Genitrici loquens: *Hæc*, ait, *Ancilla, Mater, & Virgo, & Cælum.*

B. V. ratione præditus Paradisus.

B. V. alterum Cælum qui est in terra.

6. Quid Leonem Magnum Orientis Imperatorem memorem? qui Mariam Homil. 6. *Cælum honoratius quam hoc aspectabile appellauit*: Dum Virginem in se, ad Filium proficiscentem assumpsit: *Cælum*, inquit, *splendidiorum syderum flore circumfulgens, ad honoratioris Cæli:* (Mariã intellige:) *susceptionem est referatum.* Idem Imperator, vt ostenderet nil detrimenti passum esse genus humanum, quod Dei Mater in cælos sit assumpta, ait *illam velut animatum quoddam cælum circumire hęc inferiora, & gratię suæ imbribus nos irrigare. Propter quam nihil iacturę mundus fecit, quasi Virgine ex hoc rerum statu, subducta, & procul auocata. Nam quibus vt prodesset in hunc mundum venit, iisdem nunc quoque in cælos translata conducibilia procurare nunquam desistit. Moratur in his terrenis, & circuit, & magis vbique adest animatum illud Cęlum, omnium similiter curam gerens, beneficentię suæ guttas distillans, arentisque vitæ nostrę constitutionem irrigans.* Hæc ille.

M. Cælum honoratius, quam hoc aspectabile.

B. V. velut animatum quoddam Cælum circumire hæc inferiora.

B. V. in cælũ subducta nil detrimenti mundus accepit, quia pro illo apud Filium intercedit.

7. Quid de S. Bernard. dicam qui serm. 27. in Cant. illa sponsæ verba expendens: *Formosa sum sicut pelles Salomonis;* postquam eas pelles dixisset esse cęlos, siquidem per Psalmistam dicitur: *Extendens cęlum sicut pellem;* addidit: *Nunc intueamini eius gloriam, quę cęlo se cõparat, & illi cęlo quod tanto est gloriosius, quanto Diuinius. Nec immerito vsurpat inde similitudinem vnde originem ducit, &c.* Quid Diuum August. commemorẽ qui serm. 83. de Sanctis Tom. 10. huius cæli sublimitatem admirans exclamauit: *Sed quid dicam pauper ingenio, cum de te quicquid dixero minor laus est, quam dignitas tua meretur? Si cælum te vocem, altior es.*

B. V. formosa sicut pelles Salomonis, quę sunt ipsi Cæli.

B. V. Cælo comparetur, quæ de cælo sumpsit originẽ.

B. V. Cælo altior.

Si

Si Matrem gentium dicam, præcedis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse probaris.

8. Missum facio Rupertum Tuitiensem Abb. libr.5. in Cant. qui Deiparam cælum, veramque Sedem Domini vocitauit. Missum facio Diuum Ambros. qui lib. de Instit.V. c.5. cum Vaticinium de partu Virginis præmisisset Isaiæ, Emmanuelisque interpretationem Nobiscum DEVS: Mox subtexiuit: *Vnde hoc munus? Non de terra vtique sed de cælo vas sibi hoc per quod descenderet Christus elegit, & sacrauit templum pudoris.*

Missum facio B. Albertum Magnum qui Tract. super Missus expendens initium illud Geneseos: *In principio DEVS creauit cęlum, & terram, Deiparam Virginem Cælum hoc, terramque fuisse dicit. Tum quia cælestem, & terrestrem simul duxit vitam, id est Angelicam, humanamque habuit conuersationem. Tum quia altissima dignitate, infimaque humilitate prædita. Tum quia purissima Virginitate, fœcundissimaque Maternitate Virgo, & Mater simul extitit.*

9. Missum denique facio Rich. à S. Laurent. qui totum ferè libr.7. insumit in probando Virginem, Cælo, cælestibusque signis designari. *Cælum*, inquiens, *est Maria, maximè quoad animam vnde apud Hierem.23. ait ipsum Verbum: Cælum, & terram ego impleo, animam nempe, & corpus Mariæ. De hoc cælo Propheta Dauid* Psal. 102. *Dominus in cęlo portauit sedem suam, ministerio vtique Spiritus S. cuius Virgo opus extitit primarium.* Missum facio S. Petrum Chrysologum qui serm.143. *Verè*, ait, *benedicta quę fuit maior cęlo, orbe latior, nam DEVM quem mundus non capit, sola capit, portauit eum, qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutriuit omnium viuentium nutritorem.*

10. Missum denique facio S. Georgium Episcopum Nicomediensem, qui serm. de Præsen. B. Virginis, Virginem trimulam in Sancta Sanctorum commorantem, Angelorumque escâ quotidie refectam, contemplans:

Oportebat, inquit, *Agnam immaculatam tali excipi conuiuio, talibus cibis exsatiari.* B V. Agna immaculata.

Oportebat non in Sanctis Sanctorum tabernaculis, sed in ipso cælo, in prima ætate educari illam, quæ his est latior, eosque puritate antecellit.

11. Missis inquam his alijsque quamplurimis Patrum tàm Latinorum quàm Græcorum testimonijs, Seraphici Doctoris Bonauenturæ luculentissimum illud ex speculi B.V. cap.5. desumptum expendamus, proprietatesque animati huius cæli breuiter quoad fieri poterit consideremus: *Tu*, inquit Sanctus, *immensissima Maria capaciores cælo, quia quem cæli capere non poterant tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Denique cælum est Maria, tùm quia cælesti puritate, cælesti claritate, cælestibus alijs virtutibus abundauit. Tùm quia sedes Dei altissima fuit, in hoc cęlo Dominus parauit sedem suam.* B.V. immensissima cælo capacior, & mundo.

12. Quibus verbis licet S. Doctor Deiparam omnibus cælorum orbibus conferre videatur conferre tamen videtur potissimùm cælo Empyreo, quod Sedes est Angelorum beatorumque omnium, in quo incomprehensa illa Maiestas, Diuinissima illa Natura, vnica in essentia, in Personis trina, quæ nullo metiri comprehendique potest loco, sese clarè beatissimis illis ab omni materiæ concretione liberis mentibus, terrigenisque qui se carnis terræque aspergi non permisere sordibus videndam spectandamque æuiæternum exhibet. B. V. est Cælum Empyreum.

Hinc deuotissimus Deiparæ Bernardinus Bussius Par.2. Maril. serm.3. Deiparam cælum Empyreum ob ineffabilem claritatem qua tota à capite ad calcem circundatur, ob immensam capacitatem ac sublimitatem appellauit.

Sicut enim, inquit, *cælum illud est lucidissimum, ita ipsa tota lucet, & splendoribus plena est.*

De illa enim dicitur Apoc. 12. *signum magnum apparuit in cælo mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, & in capite corona Stellarum 12. Quibus verbis, immensus quidam, omni ex parte splendor fuisse in Virgine nobis indicatur. Lucida à parte interiori ostenditur, cum Luna eius pedibus supponitur.* B.V. Cælum omni ex parte lucidum, & quare?

Lucida à parte superiori, quia corona 12. Stellarum redimitur. Lucida denique à parte medij indicatur, cum amicta Sole perhibetur.

Sicut denique cęlum Empyreum omnibus reliquis sublimius est, (: vt de capacitate taceamus, de qua posteâ nos fusius :) *sic ipsa,* inquit Bernardinus, *omnibus est sublimior creaturis. Vnde de ipsa Deo canebat Dauid:* Psal.8. *Exaltata est magnificentia tua super cęlos, non modo materiales, sedet rationales ac intellectuales Sanctos videlicet omnes, atque Angelos. Virgo igitur est cælum illud, de quo Isa.46. Cęlum mihi sedes est. De hoc cælo pulcherrimo egressus est DEVS, de quo* Psal. 18. *A summo cęlo egressio eius, & occursus*

eius vsque ad summum eius. Huius cęli altitudinem atque excellentiam humanus animus perscrutari nequit. Vnde Salomon Sap.9. *de hoc cęlo dixisse visus est. Quę in cęlis sunt quis inuestigabit?* Hæc Busius, quibus clarè satis ostendit Deiparam cælum esse Empyreum. Omnia enim si rectè consideremus quę cælo Empyreo attribuere soliti sunt Patres, ea Deiparæ longè aptissimè congruunt.

Cælum à cõditum in principio mundi est B. Virgo.

13. Si enim Cælum Empyreum est cælum illud quod memorat Moyses à Deo conditum in principio, vt S. Clemens libr. 1. Recognit. fatetur se accepisse à S. Petro; & Maria similiter huiusmodi cælum dicitur, vt supra probatum ex Alberto Magno, & Richardo à S. Laurentio. Verè enim vniuersorum conditor cum cęlum hoc, aliasque creaturas deinceps conderet, in Deiparam, quæ ei mentis obtutibus obuersabatur, intendebat oculos, decernebatque omninò illi perfectiones omnes illius cæli communicare. Vnde ipsa Virgo Prou. 8. se Diuina tunc possessam fuisse mente, in huius mundi principijs gloriabatur: *Dominus,* inquiens, *possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Et paucis interpositis ad particulares creaturas descendendo, quas Dominus condidit: *Quando,* inquit, *pręparabat cęlos aderam,* eiusque lateri, eius menti obuersabar, vt in me ea omnia, quæ perfecta sunt in eis, quorum capax esse possem transferret, alia verò quorum capax esse nequirem saltem in mysterio quodam repræsentarem.

Cum DEVS in mundi principio conderet, Mariam præ oculos habuit, vt in illam eius perfectiones trāscriberet.

14. Quare cum Cælum hoc Empyreum Sedes sit Dei ter optimi Maximi, eiusque Maiestatis, necnon Angelorum, beatorumque omnium pulcherrimum domicilium, iure merito Virgo Deipara, in qua Verbum æternum Patri consubstantiale nouem mensibus habitauit, in eamque Angelorum reliquorumque beatorum perfectiones omnes, virtutesque singulari excellentiâ contulit, cælum Empyreum nuncupanda erit. Vnde 70. Interpp. ad hoç confirmandum legere: *Cùm pararet cęlos, cum secerneret sedem suam, aderam illi;* vt Sapienter interpungendum censuit, doctissimus Salazar noster. Verè enim Deipara in Incarnatione Filij Dei, purissimo vtero suo cælum, Deique sedem, sua illa nescio qua virtuali mentis, animique immensitate repræsentauit. Quod agnouit S. Iacobus Apostolus in sua Lyturgia, de qua 6. Synodus vniuersalis can. 32. mentionem facit: Sic igitur inter varia Præfationis illius Missæ encomia:

B.V. in incarnatione Verbi Cælum Empyreum mentis animique sui immensitate quadam repræsentauit.

Tuum vterum Thronum fecit, & tuum ventrem latiorem atque ampliorem cęlis ipsis reddidit. Quare S. Epiphanius lib. de laud. Virg. stupore attonitos hæsisse Angelos, Cherubinos, ac Seraphinos ait, quod tam tenera Virguncula Thronus, ac cælum tantæ Maiestatis, quam vniuersa compræhendere nequit creatura, fieri merita fuerit. *Obstupuerunt,* inquit, *omnes Angeli Cherubin, & Seraphin, & exhorrescebant. Spectabant Virginem cęlum, & Thronum, & formidabant, dùm conspicerent eum, qui principio caret descendentem à Throno Cherubico, in Vtero Virgineo sedere.* Prætermitto innumera Patrum testimonia quibus Deipara Dei sedes ac Thronus comprobatur, quæ fusè retulit P. Antonius Spinellus in suo Throno Deiparæ.

15. Videamus nunc huius Throni, cælique Empyrei spatia, quæ tàm immensam potuere compræhendere Maiestatem. Quæ sane corporea minime esse potuere, sed Spiritualia, non ventris, sed mentis, quæ illa cæli Empyrei, amplissima spatia longè superabant, vt non immerito supremus ille Rex virtutum, dilecti Patris dilectus Filius, eius in vtero summa eximi sui voluptate, velut in amplissimo quopiam ornatissimoque palatio conquieuisse perhibeatur. Vnde præclarè B. Guerricus Abbas huius amplitudinis vteri Virginalis rationem reddidit: *Quia quod deerat,* inquiens, *corporalis spatij, mentis compensabat amplitudo; quę cum diuina, eaque intensissima semper fuerit charitate accensa, in immensum quodammodo,* supra cor Pauli (: quod charitate adeo dilatatum fuisse asseruit Chrysostomus, vt totum mundum complecteretur:) diffundebatur, ita vt mille mundos cõplecti posse videretur.

16. Hæc animati huius cæli Empyrei spatia sibi videre videbatur in Virgine pijssimus ille Imperator Leo Hom. 7. de Annunc. cum eam alloquens aiebat: *Concepisti in vtero eum qui omnia comprehendit; tuo gremio contulisti, quem cęli sinuosa volumina capere nequeunt.*
Portasti eum cuius nutu omnia portantur peperisti nouissimis temporibus eum, quem ante secula Pater genuit. Beatus venter, & verè beatus, qui peperit parentem omnium.
Eadem amplissima huius cæli Virginei spatia intueri sibi videbatur idem

Diuus

Laudes pulcherrimæ à SS. Patribus vtero Virginali attributæ.

Diuus Epiphanius libr. de laud. Virg. cum stupore tantæ amplitudinis attonitus exclamauit: *O' vterum impollutum habentem circulum cælorum, qui DEVM incompræhensum, in te vero comprahensum portasti! O' vterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti!* Eadem immensa quodammodo cæli spatia in Virgine contemplatus est B. Andr. Cretensis serm. de Annunc. dum ingenti admiratione perculsus exclamauit:

O' rem maximè omnium admirandam! DEVS tui cælum sedes est, terra autem scabellum pedum eius, quem cæli non capiunt, qui idem quod Pater solium habet æternitatis, in Virginis vtero concluditur! Quid maiore dignum admiratione; quam DEVM sub hominis forma à propria Diuinitate non deficientem intueri, & humanam cernere naturam totam omnino cum suo creatore conuinctam, vt totus homo DEVS euadat? Vidit eadem immensa cæli Empyrei spatia in vtero Virginis, S. Bonau. cum Part. 3. stim. Diu. amoris c. 19. exclamauit præ admiratione: *O' venter mirabilis, qui potuit capere creatorem! O' venter laudabilis, qui meruit recipere Redemptorem! O' venter desiderabilis, qui emanauit desiderium mentium, gratiarum fluuium, gloriæ præmium! O' venter, non venter, sed cælum Empyreum! In hoc ventre fuit precium perditorum, felicitas beatorum, DEVS Angelorum.*

O' beatus venter, ò beata viscera, ò beata vbera, ò Domina nostra, ò fons pietatis, locus Sanctitatis, flumen bonitatis venter tuus Domina! O' felix venter, qui solem genuisti, mundum reparasti, patriam recuperasti! O' quam preciosus venter, qui portauit medicinam infirmis, vitā mortuis, Paradisum iustis! O' venter eburneus, & sedes Sapientiæ, celsitudo gloriæ. Hæc Bon.

Vterus Virginalis portauit medicinam infirmis, vitam mortuis, Paradisum iustis.

17. Et qua quæso ratione, Vterus Virginalis, celsitudinem illam sempiternæ gloriæ, Sapientiam increatam, ac immensam, non coarctauit? Siquidē in persona Christi dicebat Salomō Sap. 7. vt testatur Richard. à S. Laurent. lib. 10. Sum quidem, & ego mortalis homo, similis omnibus, & in ventre Matris figuratus sum caro. De hac figuratione hominis in Matris vtero, atque coarctatione, qua fit præ alijs animalibus quodammodo deterioris conditionis, audiamus Philosophorum Principem lib. 7. de Hist. animalium c. 6.

Situs in vtero quadrupedum omnium extensus est; expedum autem obliquus, vt piscium: bipedum verò inflexus contractusque vt auium. Homo etiam in semet coglabatus sic gestatur, vt nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat. Si hac ratione Dei Filius in vtero Materno fuit constitutus, vt verissimè fuit, tanquam verus homo, quomodo ergo non coarctatus extitit ille, qui se dixit: *cęlum, & terram ego impleo*. Quomodo non coarctatus ille quis ait: *Cęlum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum?* Quomodo non coarctatus ille de quo canebat Dauid: *Quoniam DEVS magnus Dominus, & Rex magnus super omnes DEVS, quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium, ipse conspicit?* Psalm. 94. Quomodo non coarctatus ille, cui, magnitudinem immensitatemque miro artificio, exquisitisque coloribus depinxit nobis Isa. cap. 40. *Qui mensus est pugillo aquas, & cęlos palmo ponderauit. Qui appendit tribus digitis molem terrę; & librauit in pondere montes, & colles in statera? Ecce gentes quasi stilla situlę, & quasi momentū staterę reputatę sunt ei, ecce Insulę quasi puluis exiguus. Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatę sunt ei. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustę. Qui extendit velut nihilum cęlos, & expandit eos sicut tabernaculum ad habitandum.*

Mira Dei immensitas, quæ in angusto Virginis non est coarctata.

18. Et qui tandem fieri potuit vt tanta tamque immensa Maiestas quam nec cæli, nec terra, nec vniuersitas creaturarum compræhendit, in vnius Virgunculæ tenellæ vtero non fuerit coarctata? Quomodo denique non coarctatur, non coglobatur illa infinita magnitudo æterni Verbi, quam Sapientissimè nobis ob oculos proposuit Salomon immensi cuiuspiam Gigantes bellicosissimi specie, qui vt ait sacer textus Sap. 18. 16. *Vsque ad cęlum attingebat stans in terra?* Quomodo inquam tanta magnitudo atque immensitas Virginei non fuit arctata breuitate corpusculi, quomodo ita astricta, ita conglobata nouem mensibus velut ergastulo quopiam perdurare potuit? Cernebat cernebat nimirum sapientia illa æterna, Sapientia illa, cuius oculis nuda, & aperta sunt omnia, in illis corporeæ molis, Virginalisque vteri angustijs amplissima quædam immensaque spatia virtutis, præsertim verò cælestis charitatis, quæ eam ad mille ampliusque mundos capiendos idoneam reddebāt. Atque ita DEVS ille qui hoc vastissimo mundo regnans arctari quodammodo videtur, siquidem immensitate infinitatesque sua infinitos explere potest mundos,

Verbum incarnatum Gigas immẽsus, qui ad cælum pertingebat stās in terra.

B.V. charitas dilatauit, ita vt Verbum incarnatum, licet immẽsum nullas in eius vtero angustias in ea fuerit expertum.

dos, in aluo puriſſima intemeratæ Virginis deliteſcens ſic conglobatus, ſic arctatus, nullas prorſus expertus eſt anguſtias; quia Virguncula hæc humillima, virtute, charitateque ſua ampliſſimâ, non ad inſtar vnius mundi, ſed ad inſtar omnium, quos infinita ſua virtute DEVS condere, immenſitate replere potuit, immenſa quodammodo extitit.

Chriſtus in vtero B.V. adeo libenter morabatur vt niſi præcepto Patris ad opus redēptionis noſtræ exequēdum fuiſſet compulſus ibidem annaſſet, & perennaſſet.

19. Vnde in illa æternum Verbū, *Beniamin ille amantiſſimus Domini Patris, quaſi in thalamo tota die morabatur*, adeò libenter, vt niſi præcepto Patris ad exeundum, exequendamque redemptionem noſtram eſſet compulſus, ibidem annare, & perennare velle videretur: Vnde Richar. à S. Laur. libr. 10. de Laudib. Virg. locum illum de Beniamino Deut. 33. interpretatus, attexuit: *Morabatur Chriſtus libenter in ſacrario huius thalami, in eoque hoſpitabatur, quia ibi in pace factus eſt locus eius.* Pſal. 75. Beatus quoque Albertus Magnus Trac. ſuper Miſſus expēdens benedictionem hanc Beniaminicam. *Hæc omnia*, inquit, *habuit Beatiſſima Virgo, quæ ſuper omnem pulchritudinem dilecta eſt à Domino, vnde, & ſecuriſſima habitat nunc in Regali ſolio, ſiquidem viciſſim habitauit Diuinitas in ea corporaliter, non tantùm tota die, ſed nouem menſibus. Hæc eſt Mulier illa prudentiſſima, quæ in omnibus delectabat virum, illum inquam, quē vtero circumdedit, Dei nempè Filium, qui in ea velut in thalamo, Humanitatem noſtram ſibi in ſponſam copulando ſuauiſſimè, velut in loco pacis, ſummæque voluptatis conquieuit. Verè in pace ſummiſque delicijs factus eſt hic locus vteri Virginalis Filio Dei.* In eo namque poſt Angelorum hominumque rebellantium tumultus, velut in Paradiſo ad auram poſt meridiem, ad illum iuſtiſſimæ indignationis æſtum ſedandum, inambulare quietis captandæ gratia viſus eſt.

In B.V. Chriſtus velut Beniaminus in thalamo delicioſiſſimo commoratus nouem menſibus.

B. V. vterus floridus varijs virtutibus.

20. Hanc ob cauſam interprete Guilelmo Abbate vterum ſuum ſponſa *Lectulum floridum* appellauit, vt eum ad inſtar Paradiſi floridiſſimum atque amæniſſimum eximijs eius virtutibus nobis oſtenderet. Hos inter Lectuli huius Paradiſiaci flores erat ſine dubio nardus humilitatis Virgineæ, quæ & dum Dilectus in ſinu illo immenſo æterni accumbebat Patris, & dum in ſinu ipſius vteri quieſcebat ſuauiſſimū ſemper odorem exhalauit, dilectumque ibi commorantem mirificè recreauit. Vnde Virgo ipſa gloriabatur: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Quæ verba conſiderans Rupertus Abbas in perſona Virginis, ait: *Ipſe*, inquit, *priuſquam ego eſſem, immo & antequam Abraham fieret, eſt, & erat, in illo accubitu ſuo erat. Nam in principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEVM. Dum ita eſſet, nardus mea dedit odorem ſuum, & hoc odore delectatus deſcendit in vterum meum. Olim in Eua malo ſuperbiæ fœtore offenſus, & ob hoc ab humano genere auerſus fuerat, nunc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meæ, ſic ad humanum genus conuerſus eſt. Proptereà nardum meam dico humilitatem meam, quia ſicut nardus herba aromatica, paruo quidem frutice, vel parua ſpica, nequaquam in altum ſe ſubrigit, ſed comoſa, atque odoratiſſima flore optimi odoris, atque radicula ſuaui, multis vſibus probatur vtilis. Sic humilitas mea, ſuo quidem arbitrio, vel iudicio parua quidem res eſt, nimiumque exilis; ſed iudicio Regis precioſior eſt cunctis operibus legis, in quibus homines iuſti ſibi videntur atque magnifici, ipſumque Regem; & Patrem eius DEVM, ſanctum quoque Spiritum vnicè delectat, veluti ſuauis odor, qualis quantuſque de nullo vnquam, vſque ad ipſum ſpirauit, vel ſpirare potuit ſacrificio Humilitatem meam de illo accubitu ſuo ſenſit, & reſpexit, & valdè delectatus eſt, & placuit ſibi, quod in iſto ſexu tantam humilitatem inuenit, in iſto inquam ſexu, à quo initium ſuperbiæ generi humano ſuperueniens, totam maſſam corrupit.*

Humilitas B. Virginis nardus precioſa, cuius odore Chriſtus delectatus in eius vterum deſcendit.

Chriſtus malo Euæ ſuperbiæ odore offenſus ab humano genere fuit auerſus, ſicut humilitate B. V. conciliatus.

Nardus humilitatis B. V. Patrem, Filium, & Spiritum S. vnicè delectat.

21. Audiamus iam Guilelmum Abbatem eadem illa verba ſponſæ ad accubitum vteri Virginalis transferentem, in quo mirificè deliciatus eſt. Vult enim vocem illam eſſe piæ Matris poſt præclaram Filij Aſcenſionem cum Sodalibus eius Sanctis Apoſtolis conuerſantis, & familiariter cum illis ſermocinantis; Accubitum ergo vult eſſe vterum Virginalem, & in eo nouē menſium Regis, Verbi videlicet, quietem. Nardum verò fragantem Matris amorem. *Nardus*, inquit, *vnguentum ſine pigmentum calidæ naturæ eſt, & charitatem ſignificat: odor eſt deuotio, qua hilariter, obſequebatur tanto myſterio. Hanc nardum ait ſuaniter fragaſſe toti Trinitati, Patri mittenti, Filio Incarnato, Spiritui Sancto obumbranti, Angelis aſſiſtentibus ipſemet Virgini. Nam illa incnarrabilis deuotio, qua mens tum ardebat atque amabat, quo vterus tumebat, ſuauis, & dulcis erat, ſuper omnes ſuauitates, atque dulcedines vitæ mortalis. Hoc ergo vult dice-*

Nardus Virginis beatæ claritatē, & deuotionem ſignificat.

dicere; toto tempore quo erat Rex in accubitu suo, in magnis agebam delicijs deuotionis meę, & confitebatur iugiter cogitatio mea, & reliquiæ cogitationis meæ diem festum agebant illi. Porro Rege egresso de accubitu suo, nardus mea non desiit dare odorem suum, quia cōceptus eo tempore deuotionis calor, nullo deinceps tempore tepuit, in pectore meo. Suum accubitum vocat, singulariter Regi dicatum. Nemo enim ante illum, & nemo post illum, in illo sacratissimo Virginalis vteri thalamo accumbere potuit. Ait odorem suum, hoc est singularem, & eximium. nunquam enim alia fœmina quidquam huiusmodi suauitatis in se fuit experta. Hæc Guilelmus de deliciosissimo vteri Virginalis thalamo in quo & Rex supernus, & ipsa Regis Mater dum illum sinu suo fouebat mirificis, ac plusquàm Paradisiacis cælique Empyrei perfusi sunt delicijs.

22. De hoc floridissimo vteri Virginalis lectulo rursus præclarè idē Rupertus lib. 3. in Cant. *Quis est*, inquiens, *lectulus verè, & veri pacifici Regis Salomonis, qui inter nos, & Dominum pacem composuit? Nisi illc, in quo Diuina natura humanam sibi Naturam coniunxit. Et quis ille est, nisi vterus tuus Dilecta Dilecti, vterus Virginalis? Ibi namque Diuinitas Verbi Dei, Verbum DEVS sese conclusit, & humanam Naturam de carne formatam sibimet in vnitate Personę inseparabiliter coniunxit.*

Vterus B.V. Hortus amęnissimus.

23. Vterum hunc virtutum floribus ornatissimum Alanus amænissimo comparauit horto, dum ita cælestem Sponsum eum depredicantem introduxit: *Quia talis est Virgo, iam humanatus sum in Virginalis vteri thalamo. Hic est hortus, in quo spirant virtutum aromata, in quo redolent patientiæ rosaria; Hic est Hortus fructibus redundans, copijs exuberans, flore virginitatis vernans, quem non venti tangit austeritas, vbi mollioris auræ gratia indesinenter aspirat, & vernalis amœnitas allicit intuentes.*

B.V. Sol est in quo Christus posuit tabernaculum suū.

24. Nec immerito Virgo supremi Regis accubitus, ac Thalamus appellata est iucundissimus immo, & cælum Empyreum, ex quo ipse Dei Filius ad humanum genus redimendum, velut sponsus plusquā solaribus radijs exornatus processit. Virgo enim calentissimâ, amplissimâque sua charitate est sol ille, in quo vniuersorum Dominus posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam spōsus procellit de thalamo suo, vt Regius vates cecinit. O felicissimū, fortunatissimumque hunc thalamum, in quo Diuinitas cum humanitate nostra hypostaseos vinculo tam feliciter copulata est! Quod si Thorus olim felix, fortunatusq; dictus est ille, qui post raptum Sabinarum forma elegantissimam Virginem, Oraculi nutu Thalamoni Duci sociauit, vnde postea hanc ob causam nuptialis lectulus, vt testatur Rich. libr. 10. Thalamus nuncupatus est; quanto magis Virgo nostra venustate, pulchritudineque creaturarum omnium, tàm cæli, quàm terræ decorata, felicissima censenda est, quod nuptiali Thalamo non Duci alicui Thalamoni terræ filio, sed Regi Regum, Domino Dominantium ipsi Altissimo Dei Filio, qui summa Angelorum beatorumque omnium est felicitas sociata est?

Thalamus à Thalamone Duce sic dictus quod pulcherrimā Sabinarum sibi thalamo sociarit.

25. Ex qua sanè Thalami appellatione mirifica virtutis ornamenta, insitatas delicias, ac cupedias Dei Filium in Maria Virgine reperisse, quibus super omnium creaturarum pulchritudinem, ornatumque captus, atque oblectatus est, facile deprehendimus. Præclarè enim iam memoratus Richardus obseruauit Reges, Principes, ac Magnates dùm ædificāt domos ac mansiones, maiori studio, cultiori schemate ædificare sibi proprios thalamos, ac cubilia, peritissimorum artificum adhibitâ industriâ ac diligentiâ, Id quoque vnice curare, vt ea in parte collocetur vnde melior, salubrior, puriorque aspirat aura, aerisque temperies esse consueuit placidior, vbi locus est amænior, vbi molles herbulæ, vbi arbusta, ac viridaria fructiferarum arborum oblectant oculos, auicularum concentus mulcent aures, olfactum recreant flosculorum, aromatumque fragrantia. Vbi denique primi orientis solis excipiuntur radij, & quicquid humana mente deliciarum commodorumque ad relaxandum animum excogitari potest idoneum.

Supremus Artifex sibi B.V. in amænissimum ac deliciosissimum domicilium ac thalamum ædificauit ad deliciandum cum filijs hominum.

Quæ omnia significata, quam perfectè in Virgine nostra reperire licuit, intelligere quiuis facillimè poterit, si Virginei huius Domicilij ipsam increatam sapientiam, quæ verè domum hanc sibi in proprios vsus, ad deliciandum cum filijs hominum, adhibito insuper Spiritus Sancti, qui omnium Artifex dicitur Sapien. 7. diuinissimo artificio, & Patris denique æterni atque adeo totius Trinitatis, cuius operâ ad extra sunt indiuisa, omni exer-

exertâ omnipotentiâ, Auctricem fuisse perspexerit, in eamque tam nobilis Domus fabricam vim omnem, virtutemque principalium Diuinæ Naturæ attributorum exeruisse, diuitiasque, ac thesauros omnes suæ scientiæ, incredibili magnificentiâ profudisse.

Vnde mirum nobis accidere non debet, quod Maiestas tam immensa, in vtero Virginali velut floridissimo lectulo, velut felicissimo, ac beatissimo Thalamo requiescens minimè fuerit coarctata. Ipsa enim infinita suâ potentiâ quod corporeæ defuit moli, spatijs amplissimis lanatis, Virgineæ ipsius virtutis, ac charitatis, sapientissimè supplere non est dedignata; Atque ita in illa, velut spatiosissimo cælo Empyreo velut sede sibi propria, suauissimè, incredibiliaque animi sui voluptate nouem ipsi mensibus requieuit, ita vt verè B. Card. Petrus Damiani serm. de Annunc. B.V. sapientissimè pronunciarit; *Non est locus voluptatis nisi vterus Virginis*.

Non est locus voluptatis, nisi vterus B.V.

Nimirum vterus Virginis non modo Thalamus est, sed, & hortus Paradisi deliciosissimus, de quo Dei Filius homo factus dicere visus est: *Veni in hortum meum*, à me scilicet, omnium florum, ac deliciarum genere consitum, soror mea sponsa. Quæ verba in persona Filij sic reddidit Psellus apud Theodoretum libr. 3. in Cant. *Descendi ego quidem in hortum tuũ Virgo, pulchrisque fructibus tuis cupiditatem meam prorsus expleui, magnamque lætitiam percepi*. Pro quales quantaque huius horti deliciæ esse debuerunt, quæ infiniti illius sponsi infinitam vtique cupiditatem explere potuerunt? Quod spatia immensa habere Virgo debuit charitatis, vt immensosque illius sinus paterni cælique Empyrei Spatiorum vices supplere possent, præ quibus, angustias vteri Virginalis præeligere non est dedignatus.

In B.V velut horto cælestis sponsus suam cupiditate eius amænitate expleuit.

26. Quid iam de reliquis huius cæli Empyrei dicemus ornamentis? Primum est post amplitudinem siue immensitatem eius lux ac splendor, qui maximè in illo enitescit. Licet enim Empyreum, hoc est, igneum vocitetur, illud tamen non ab ardore, sed à splendore sic denominatur, vt luculenter testatur Doctor Angelicus 1. Par. Q. 66. art. 3. in corp. & ad 4. vbi ait habere lucem cælum Empyreum non condensatam, vt radios emittat, sicut corpus Solis, sed magis subtilem, vel habere claritatem gloriæ, quæ non est conformis cum claritate naturali. Quæ omnia quã aptè in Virginem cadant Deiparam manifestissimum est, si ad eius lucem mentis, ardoremque charitatis, qua voluntas eius æstuabat debitè vti par est aduersatur. Atque ita animatum hoc Cælum non modo à splendore, verumetiam ac potissimùm ab ardore illo ignitæ charitatis, quæ in Deipara mirificè à primo conceptionis ipsius immaculatæ exarsit, instanti, maioraque in dies singulos accepit incrementa, denominatum esse crediderim. Ex qua velut radice pullulauit pulcherrimum illud subtileque, & minimè condensatum lumen gloriæ, quod in mente animaque Virginis ab ipso purissimæ ipsius conceptionis exordio, & aliàs sæpè, dum in hac vita degeret, vti in Filij Dei Incarnatione, eiusdem Natiuitate, ac Resurrectione, denique felicissimo illo suo, ex hac vita transitu, in immensam quodammodo radiauit. Cùm enim gratia, & charitas ex plurimorum Theologorum sententia identificentur semper, & semen sint gloriæ, consequens sanè est, vt quò copiosior intensiorque in Virgine refulsit gratia, & charitas, eò vberius intensiusque, & quasi in immensum lumen gloriæ, in eius mente animoque emicuisse.

Cælum Empyreũ habet claritatem gloriæ, quæ non est conformis cum claritate naturali.

B.V. habuit à primo suæ Conceptionis instanti claritatẽ gloriæ, visionis nempe beatificę.

B V. sæpius dum viueret vidit clarè Dei essentiã.

Gratia est semen gloriæ. Vnde quia Virgo copiosissimam & intensissimã habuit gratiam, intensissimũ quoque habuit lumẽ glorię.

27. Cùm enim eminentissimæ Diuinæ Maternitatis dignitas immensa quædam res sit, ac infinita, consequens sanè fuit, vt per infirmitatem quandam, velut præuiam dispositionem, charitatis aliarumque gratiarum disponeretur, vt pręclarè Seraphicus discurrit Bernardinus alibi sæpius citatus. Hinc D.Tho. 3. P. Q. 7. art. 10. ait in Dei Matre fuisse gratiam tali dignitati proportionatam. Quam Diuinæ Maternitatis dignitatẽ, idem S. Doctor 1. P. Q. 25. art. 6. ad 4. inter tria quæ creata sunt, Humanitatem nempè Christi vnitam hypostaticè Verbo; Visionem Dei beatificam, asserit habere quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est DEVS, vt ipse loquitur. Ex hac ipsa cum Deo propinquitate secundum humanitatem idem Sanctus 3. Par. Q. 27. art. 5. ait præ cęteris debuisse à Christo maiorem gratiæ plenitudinem obtinere.

B.V. à Christo maiorem præ cęteris Sanctis gratiæ plenitudinem accepit.

Hanc porrò gratiæ plenitudinem plerique SS. Patres habere dicunt quandam infinitatem. Vnde S. Ioan. Damasc. Orat. 2. de Assumpt. illam *Gratię abyssum immen-*

B.V. immensa quædam gratiarum Abyssus.

immensam vocitauit. Epiphan. lib. de Laud. Virg. *Gratia sanctæ Virginis est immensa*, pronunciauit. S. Anselmus libr. de Excell. Virg. c. 8. immensitatem hanc Virginalis gratiæ, & mente, & lingua assequi se posse diffidens, exclamauit:

B. V. dicitur à S. Patribus immensa.

Quid amplius dicere possum Domina? Immensitatem gratię, gloriæ, & felicitatis tuæ considerare incipienti sensus deficit, lingua fatiscit. Infinitatem hanc gratiæ gloriæque Virginalis agnouit B. Card. Petrus Damiani serm. 1. de Natiuit. in Throno illo Salomonis, de quo dicitur 3. Reg. 10. quod Rotundus erat in posterioribus. *Posteriora Virginis*, inquit Sanctus, *Assumptionem eius intellige, in qua finem vitæ mortalis accepit, quæ vitam reddidit orbi. Et nota quanto cum Sacramento, transitum Virginis scriptura comparet rotunditati. In rotundo nec principium, nec finem poteris inuenire: ita, & gloria quæ eam ex hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat nescit finem, de qua nil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te Gloria Dei*. Ps. 86. Quod si in gloria gloriosissimæ Deiparæ finis nequit inueniri, nequit vtique etiam in gratia cui semper gloria proportionari consueuit.

B. V. gloria principium ignorat, finem nescit.

28. Ex hac Virgineæ gratiæ ac gloriæ infinitate Seraphicus Doctor Bonau. cap. 5. speculi, in hoc intellectuali animatoque cælo, infinitam, immensamque depræhendit capacitatem. *Immensa*, inquiens, *fuit gratia, qua Virgo fuit plena. Immensum enim Vas non potest esse plenum nisi immensum sit illud quo est plenum. Maria autem Vas immensissimum fuit ex quo illum qui cælo maior fuit continere potuit*. Quod si capacitas tam immensa fuit, oportuit sane vt illa gratia, quę tantam implere potuit capacitatem, esset immensa; & consecutiuè oportuit quoque vt lumen illud gloriæ, quo mens animusque eius eleuabatur, ad videndam clare Diuinam essentiam esset immensum, atque infinitum, immensæ illi cæli capacitati correspondens.

Vas immensum est B. V. quia immensum complexa est.

29. Aduertendum porrò gratiam hanc gloriamque ex obiecto dumtaxat ipsius Dei, in quem tendit esse infinitam, non autem ex sua natura, atque entitate, quæ cum limitata sit, vtpotè ornamentum creaturæ limitatæ ac finitę, illi proportionetur necesse est. Pari ratione ipsa Diuina Maternitas, ideo infinita, & ita quidem, vt ipsa maiorem creare DEVS nequiuerit, prędicatur dignitas, quia terminatur ad DEVM obiectum infinitũ. Quæ si aliàs per se, & velut dos, ac dignitas humanæ naturæ cõsideretur, est entitatiuè, & absolutè finita, quia nimirum in purã merãque cadit creaturam, cuius capacitas limitata est, ac finita, nec doni absolutè infiniti natura sua capax. Dici etiam potest infinita gratia lumenque gloriæ Virginalis huiuscè cæli Empyrei infinitum, eo quod secundum nostrum capiendi modum, capere nequeamus aliter, quam infinitatem quandam gratię, luminisque gloriosi, dum consideramus omnium Angelorum, hominumque qui à prima mundi creatione extiterunt, existere possunt, existentque vsque ad consummationem sæculi gratiam ac gloriam nullo modo accedere posse ad Diuinæ Maternitatis dignitatem, ac præcellentiam, & per consequens ad eius gratiam, & gloriam, quæ si ad libellam Critolai appenderetur, rebus omnibus creatis quantumuis eminentissimis ac nobilissimis præponderaret, vt pote, & graduum intensione, & obiecti ordinisque longè eminentioris excellentia præstantiorem.

Gratia & gloria B. V. immensa ex obiecto nempe Dei, non autem ex se.

B. V gratia & lumen glorię est infinitum secundum nostrum cõcipiendi modum, & quomodo id intelligendum.

30. Verissimè enim eximij nonnulli Philosophi, ac Theologi mihi sensisse visi sunt, dum gradus intensionis gratiæ, & cuiuscunque habitus censuere esse heterogeneos, hoc est alterius rationis à primo, ita vt semper inter sese differant, & alij alijs præstantioris altiorisque ordinis, ac naturæ euadant: Quæ sententia si in vlla creatura, in Virgine sanè nostra potissimùm locum habet. Ipsa enim verè gratiæ, ac gloriæ gradus heterogeneos diuersæ nimirum altioris, ac præstantioris rationis, & inter se, & à nostris habuit, cum ipsius quoque Diuina Maternitas fuerit heterogenea, & sublimioris ordinis quam omnis alia res creata. Quod si ita est, cum Deipara Virgo Angelos omnes hominesque iam creatos, ac creabiles licet infinitos in numero intensionis graduum gratiæ, ac gloriæ longè pro vt illi Diuinam Maternitatem dignitatem eminentissimam respiciunt, superauerit, hique gradus inter se differant, & alterius, longèque eminentioris ordinis ac rationis sint, inferiores sanè gradus gratiæ Angelorum quantumuis infinitorum, quamuis forent plurimi ac intensissimi, nunquam tamen ad præstantiam illam eminentiamque Virgineorum actuum, quibus eius intensa est

Gradus intensionis gratiæ in sententia quorumdam sunt heterogenei. i. alterius rationis à primo, ita vt alii aliis altioris ordinis sint à primo.

est gratia, ac gloria peruenient, cum sint omnes altioris inter se ordinis ac naturę. Quemadmodum enim ingens æris plumbiué pondus, nunquam accedet ad dignitatem auri: Sic etiam gradus gratiæ ac gloriæ etiam supremi Angeli nunquam accedet ad præstantiam gradus Virgineæ gratiæ ac gloriæ, quia altioris est ordinis, vti diximus, & naturæ. Iam cum Virgo Deipara omnes Angelos, hominesque, & actuum multitudine ac intensione, eorundemque præstantiâ, plurimis parasangis excesserit, iure merito secundum nostrum intelligendi modum eius gratia, ac gloria prædicatur quodammodo infinita, prædicatur immensa vniuersumque cælum Empyreum censetur tanti luminis immensitate complere. Quare dicere potest Virgo Sacratissima inquā Domina gloriari, hoc immenso lumine suæ gloriæ, se felicem illam patriam, summâ omnium Angelorum beatorumque lætitia irradiasse. Dicat igitur cum æterna Sapientia cuius semper studiosissima extitit æmulatrix, dicat Eccli. 24. *Ego feci vt oriretur in cælis lumen indeficiens;* quæ verba esse ipsius quoque Virginis fatetur Rich. lib. 1. de laud. B.V. c. 3. Licet per lumen illud indeficiens intelligat Christum, *qui in cælis*, inquit, *est lumen indeficiens*. Quod si in cælis eius benedictus Filius est fons luminis vberrimus, erit, & in ipsa velut animato quopiam cælo; ab illo enim verè tanquàm à perenni, indeficientique fonte copiosissimi illi gratiæ, gloriæque riui in Virginem emanarunt, eamque cælum Empyreum, ardore charitatis, luceque eximia Sapientiæ coruscans, artificio planè Diuino effecit, consecrauit.

Sicut ingens æris plumbiue pondus nunquam accedit ad dignitatem auri, sic etiā ingens gratia ac gloria, etiam primi Angeli, non accedet ad dignitatem gratiæ ac gloriæ B. V.

B V. fecit vt in cælis oriretur lumen indeficiens.

31. Splendor hic mirificusque cæli huius animati ornatus ob oculos mentis nobis est à dilecto Discipulo propositus Apo. c. 21. dùm ait se vidisse cælum nouum, quod explicare volens qualenam quamque pulchrum, ornatumque foret, non addidit: *Et ego Ioannes vidi Sanctam Ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo*. Addit posteà Angelum quendam sibi ostendisse eandem *Ciuitatem habentem claritatem Dei, & lumen eius simile lapidi precioso tanquam lapidi Iaspidis, sicut crystallum. Et habebat*, inquit, *murum magnum, & altum habentem Dei, & habentem portas duodecim, quæ erant duodecim margaritæ. Et erat structura muri eius ex lapide Iaspide. Ipsa verò Ciuitas aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri Ciuitatis, omni lapide precioso ornata. Et platea Ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Et Templum non vidi in ea. Dominus enim DEVS omnipotens Templum illus est, & Agnus. Et Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt lucebant in ea, nam claritas Dei Illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus*. Quæ omnia sicut nobis cælum Empyreum, Dei sedem, domiciliumque beatorum Symbolicè adumbrant, ita, & Virgineum hoc animatumque cælum de quo loquimur, mirificumque eius gloriæ lumen splendoremque repræsentant. Cum igitur ait Ioannes: *vidi Ciuitatem nouam Ierusalem*, intelligit nouum cælum esse Deiparam, quod tūc factum fuisse videtur, cum hæc eadem humillimum illud, Fiat pronuntiauit, Verbumque caro in vtero eius factum est. Tunc enim verè, vt ait Ierem. creauit Dominus nouum (nouum inquam Cælum super terram:) cum mediante Incarnatione Mulier hæc Sanctissima Virum incarnatum nempe Verbum circundedit.

B.V. est Ciuitas Sancta Ierusalem cælesti Lumina coruscās.

32. Ciuitas verè Sancta Ierusalem, visio Pacis, est Virgo nostra, quia in illa visus est Pacificus Rex magnificatus super omnes Reges vniuersæ terræ. Visus est ille, qui est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Ciuitas inquam sancta est Virgo Sanctissima, quia à primis suæ conceptionis immaculatæ fundamentis in Sanctitate hoc est secundum Dionysium Areop. cap. 4. de Diu. Nom. *in puritate ab omni scelere libera, itemque incontaminata munditia ædificata fuit*, adeoque supernus ille Rex in hac eius puritate, ac munditia sibi complacuit, vt in eam Regiam sedem, domiciliumque velut Metropoli nobilissima, ob insignem gloriam, quam inde sibi prouenturam cognouit, figere decreuerit. De qua magnificè vt assolet Regius Vates: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei nostri in monte Sancto eius*. Psalm. 47. Vnde idem S. Vates ingentem hanc eius gloriam intuens admirabundus dicebat: *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*. Huius cæli Sanctitatem admirans B. Andr. Cretensis orat. 2. de Dormit. exclamauit: O' *Sancta, & Sanctis Sanctior, & omnis Sanctitatis Sanctissimè Thesaure!* Et vero Deiparam tam eximia Sancti-

B.V. Ciuitas sancta à primo conceptionis suæ instanti in sanctitate, ac puritate fundata.

B.V. Sancta, & sanctis omnibus sāctior, & omnis sanctitatis Sanctissimus Thesaurus.

Sanctitate clarescere fuit omnino conuenientissimum, vt S. Bern. Episto. 174. præclarè ostendit, cum dixit: *Ego puto, quod, & copiosior Sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solùm Sāctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Virginem, singularis priuilegio Sanctitatis, ab omni peccato immunem ducere vitam, quæ dum peccati, mortisque pareret peremptorem, munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret.*

33. Speciem porrò, pulchritudinēque huius animatæ Ciuitatis præclarè expressit Cælius Pannonius sub nomine Ecclesiæ. Quam nos longè concinnius aptare possumus Deiparæ.

B.V. pulchritudo eximia, ipsiusque Ecclesiæ venustatem transcendens.

Noua hæc, & speciosa Virgo est Ecclesia, inquit ille; dicamus nos potiori iure, *est Maria; sponsa pudica, à Deo de cælis descendens, in omni ornatu virtutum spiritualium decora, ideoque parata, cuius odor inæstimabilis nimis in vestimentis eius, quam circumdabant flores rosarum, & lilia conuallium. De qua summæ admirationis vox illa cantici est: Quę est ista, quę ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Cant. 3. *De cuius pulchritudine loquitur sponsus Christus: Quam pulchra es amica mea, quam pulchra, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Cant. 4. *Et iterum: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Vbi eadem Hortus conclusus ob varietatem fructuum bonorum; fons signatus ob vbertatem gratiarum describitur, cuius emissiones Paradisus sunt, & summæ voluptates malorum Punicorum.* Hæc Pannonius.

B. V. cælestis Hierusalem est ad nos descendens vt nostris cōmodis prospiciat.

34. Illud porrò quod dicitur de hac noua Hierusalem, quod descendat de cælo à Deo, mirè Virginis nostrę benignissimam, amabilissimam, nostrorūque commodorum cupidissimam naturam ostendit. Cum enim difficillimum sit, vt homo humi hærens, huius insuper corporeæ molis pondere prægrauatus ascendat in cælum, ipsa Virgo beatissima, velut Hierusalem cælestis descendit ad nos, Diuinæque gratiæ nobis manum porrigit, vt à terrenis corporeisque affectibus subleuati, erigamur in cælum, illucque nostram mentem, cogitationem, conuersationemque omnem defigamus.

35. In qua functione Virgo pijssima ipsius Diuinæ gratiæ obire videtur vices. De qua August. libr. 20. de Ciuit. cap. 17. *De cælo,* inquit, *dicitur descendere, quia cælestis gratia est, qua DEVS eam fecit; Et de cęlo quidem ab initio sui descendit, Spiritu S. misso de cælo.* Idem Sanctus Doctor in sententijs nu. 31. Ad cælestis, inquit, Ierusalem non ascendunt consortium, nisi, qui toto corde profitentur, nō proprij operis, sed Diuini esse muneris quod ascendant. Qua de causa Virgo nostra probe sciens non esse humani operis, ac industriæ ad cælestem Hierusalem ascendere, ipsa descendit à Deo ad nos in terras, vt nos reducat ad DEVM, Templumque gloriæ ipsius efficiat.

39. Vnde passim in Virginis Historijs, ac miraculis legimus eam ad fideles suos clientulos ex hac vita decedētes, è cælo Angelicis comitatam choris hilarem aduenire, eosdemque mira benignitate inuisere, ac blandè consolari consueuisse. Celebris est Vir ille nobilis apud Cæsarium lib. 7. capit. 57. cuno nomine, qui cum militiæ sacrę ad terram sanctam liberandam nomē dedisset, atque in itinere grauissimè esset infirmatus, deque eius salute conclamatum, miram tamen ipse toto ore, oculisque animi lætitiam præseferebat. Quęsitus à circumstantibus socijs illius hilaritatis causam, respondit magna animi tranquillitate: *Quare non gaudeam? Ecce Domina nostra Sancta Maria hic præsens est, & hęc mihi dicit: Cuno, quia reliquisti vxorem, filios, & omnia tua, propter honorem Filij mei, periculis te exponens, ego bene, & plene retribuam tibi. Moxque exclamauit: En video cælum apertum, & in eo sedem mihi pręparatam, ad quam breui sum ascēsurus.* Atque ita non multo post omnibus sacramentis munitus, ad Terram illam cælestem, terram verè, Sanctam, Terrā viuentium, visurus æterna bona Domini, felicissimè auspicijs benignissimæ Virginis emigrauit.

B.V. ad suos clientulos morientes è cælo descendit, vt eos adiuet.

Miles profectus ad terrā Sanctam ibi militaturus à B.V. in morte inuisitur.

40. Et si vero sacratissima Deipara ad plerosque suos clientulos in hora mortis cælo descendere, eisdem tantis in angustijs, ac periculis opitulatura consueuerit, descendit tamen vel maximè ad eos, qui peculiaribus, ardētioribusque eius obsequijs in Parthenijs Sodalicijs sese ipsi deuouerunt. Testis est Diliganus ille Adolescens, qui cum ad supremum illud discriminis plenissimum certamen Virginem gloriosissimam, Præsidem, Patronam-

Nn que

que aduocasset, votorum suorum compos effectus, eam lectulo adstantē summa animi sui voluptate contemplatus est. Vidit enim illā, manibus pulcherrimam quandam tabellam gestantem, in qua & suum, aliorumque Consodalium, qui in illa congregatione versabantur, Nomina literis aureis exarata visebantur. Benignè ipsum allocuta est Virgo, & breui ex hac vita, feliciterque migraturum ad meliorem, felicioremque, ac breue quoque Purgatorium perpessurum prædixit. Anno societatis 1590.

B. V. Parthenio Adolescenti moriēti adest, & tabellā in qua ipsius, & reliquorum Consodaliū Nomina aureis literis conscripta ostendit, eius breue Purgatorium prædixit.

41. Testis est alter Viēnensis Adolescens Austriacus, qui cum lectulo suo iam moribundus adstantem Deiparam esset intuitus, magno animi sensu, parique vocis contentione præmissa Salutatione illa pijssima; *Salue Regina*, eam suauissimè allocutus est: *Et vnde hoc mihi*, inquiens, *vt veniat Mater Domini mei ad me?* Cum plura adhuc adderet, inter hæc pia, humillimaque colloquia cum Virgine, loqui desijt, simulque cum Matre Domini sui, ad Dominum obsequiorum suorum in illam mercedem copiosissimam recepturus, abijt.
Anno societatis 1594. Innumera huiusmodi Virgineæ benignitatis, facilitatisque in litteris annuis Societatis nostræ erga Sodales Parthenios reperire est exempla. Hæc pro hoc tempore breuiter commemorasse sufficiat.
Ad lineam.

42. Illud quoque pulcherrimè Virgini nostræ congruit, quod dicitur de illa cælesti Hierusalem, *ornatam esse viro suo*. Verè enim inter pulcherrima virtutum, gratiarumque, quæ in ipsa refulserunt ornamenta, nullum ęquè gratiosum, ac pulchrum emicuit, atque Vir ille, quem vtero circundedit, qui ei fuit Vir, Sponsus, ac Filius. Vnde si Cornelia Græcchorum Mater Filios ornamenta sua dixit, vt refert Valer. Max lib. 4. cap. 4. Et si vt refert Iustinus lib. 16. *Olympia, ob æacidum gentem fuit nobilissima, multo tamen nobilior ob Filium Alexandrum Magnum*: Quantò magis dicenda est Virgo Deipara ornata, ac nobilitata Dei Filio verè magno, cui vnus non sufficit orbis, ad immensam ipsius magnitudinem compræhendendam?
Hic illi decus omne, hic ornamentum attulit, imo hic Diadema orbis vniuersi eius capiti imposuit, dum eius Filius esse voluit. Præclarè siquidem S. Amad. Hom. 6. *Corona capitis eius Christus est, dicente Sapientissimo Prou. 13.*
Quod Filius Sapiens corona sit Matris suæ, & quis Sapientior illo, qui Patris est Sapientia?

43. Reliqua Virginis nostræ ornamenta ab eodem Sponso, ac Filio ei donata eleganter prosecutus est S. Amad. dum Hom. 2. ita loquitur: *Cum Psalmista, de specioso forma præ filijs hominum, deque laude Sponsæ eius loqueretur, cecinit:*
Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. Omnis gloria eius abintus, in fimbrijs aureis circundata varietate. Non solùm autem vestitu deaurato, & fimbrijs aureis decoratur, verùm etiam veste stragulata, quam sibi fecit, attestante Salomone Prou. 31. Et omni lapide precioso cooperitur; nulla enim gemma, nullus lapis preciosus, nulla preciosa margarita huic, deest operimento, vt non iam simpliciter preciosum, sed omni preciositate preciosum iure appellari queat.
Nam sicut vna preciositas momento momenti, imo vltra omne momentum, & partem momenti discurrens multas efficit preciositates.
Sic multæ in vnam conueniunt, vt vnius participatione in vna sint vnum. Et hæc preciositas est charitas, vestis scilicet nuptialis, vestis non habens maculam, vestis impartibilis, inconsutilis, desuper contexta per totum.
Qua, per quam, & in qua sunt omnia chara, quæcunque chara sunt, omnia bona, quæcunque bona sunt. Annuli ornant digitos, quia singula opera eius fide, & dilectione clarescunt.
Annulus enim significat fidem, & castam dilectionem. Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Tornatiles ob perfectionem operis, aureæ ob fulgorem Sapientiæ, plenæ hyacinthis ob puram, & feruidam intentionem.
Hyacinthus quippè cæruleus, & rubeus, lucidum, & feruens opus demonstrat.
Bracchia eius, illo sunt impressa signaculo, de quo Sponsus: Pone me signaculum super brachium tuum. Aut certè eius dexteram operit ignea lex, & sinistra rutilat purpurā Dominicæ Passionis. Auribus dependent inaures obedientiæ. Crines ligat vitta disciplinæ.
Pectus exornant monilia mundissimarum, & lucidissimarum cogitationum. Torquis additur collo eius, quo soliti sunt Secundi in Regno coronari. Ipsa enim singularis regnat in Regno Dei, & Christi, de hinc sub illa, & post illam Sancti altissimi. Caput eius, Virginitatis gloria obumbratur, charitatisque coccino velatur.
Benedictio Domini super illud, & benedictione omnium gentium repletur. Coronatur etiam coronis omnium populorum, & exaltatione cunctorum promouetur. Cerne in diademate
eius

Filius Dei Matrem Suam, natus ex ea pulcherrimo diademate coronauit.

Quam varius, & quā preciosus sit B. Virginis ornatus ipsi à Sponso Filio donatus.

eius Sanctorum concentum vibratum à repercusso lumine, cerne sculptos lapides; gemmas vernantes, stellas coruscantes, Patriarchas præmonstrantes, Apostolos comitantes, Martyres triumphantes, Confessores, & Virgines exultantes. Corona illa rosis rubescit, lilijs albescit, pallescit violis, viret laureis, palmis densatur, oleis impinguatur, omni fructu repleta, omni suauitate referta. Hæc ille de ornamentis Virgineæ huius Hierusalem Ciuitatis quibus à Viro suo decorari meruit, pluraque alia quæ breuitatis causa omisimus.

44. Iam ad Virginis mirificum illud lumen gloriæ, quo ad instar cæli Empyrei radiat B. Virgo rursus accedamus, quod nobis longè clarissimum subtilissimumque, vt vult D. Thomas, ostendit Apostolus, vt auri, vitri, crystalli, variarumque gemmarum ac margaritarum sileamus splendores, his verbis: *Et Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & Lucerna eius est Agnus.*

B.V. tanquã Cælum empyreum charitas Dei illuminat, & Lucerna eius est Agnus.

Verè animatum hoc cælum, Ciuitasque Virginea non eget Sole, neque Luna, vel eorum splendore, quia Lumen illud gloriæ infinitum, infinitæ Virginis correspondens gratiæ, secundum nostrum concipiendi modum, vt ante diximus, illam illuminauit adeo, vt eam transradiatam Ioannes Taulerus fuisse asseuerauerit. Lumen nimirum hoc, est verissima Dei claritas, quâ Virgo Diuinam adhuc in terris cõtemplans Essentiam mirifice, adeoque copiosè irradiata fuit, vt toto eius ore, oculisque emicaret. Aspectus hic Diuinitatis ad instar Solis eius mentem, animumque illuminabat. Humanitas verò Filij vtero ipsius delitescens, ad instar Lunæ, ac Lucernæ luculentissimæ ipsius quoque illuminabat corporeos oculos, reliquaque Sacratissima eius membra, atque ita felicitatem illam beatorum in vtroque homine, dum adhuc in terris viueret, consecuta fuisse videbatur.

Lux Cæli Virginei est lumen gloriæ, quo etiam in terris emicabat.

Nec immeritò cælestis ille Agnus qui tollit peccata mundi, Lucernæ comparatur; siquidem multo ante eundem Isaias accensæ lampadi contulit: *Egrediatur vt splendor Iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendetur.* Diuinitas Verbi nempe splendor fuit, quo humanitatis testea lampas ex luto carnis nostræ composita, oleoque Spiritus S. charismatum in vtero Virginis infusa, mirificè refulsit in Virgine, adeo vt canere de hoc animato Empyreo cælo cum S. Aug. & B. Card. Damiano possimus:

Christus est splendor, & lampas accensa.

Non alternat Luna vices, Sol, vel cursus Syderum,
Agnus est felicis vrbis Lumen inocciduum.

45. Quod si in sententia S. Augustini in Sententijs nu. 221. & in libr. de Ciuit. Dei. *Amor Dei sibi facit Ciuitatem Ierusalem, sicut Babylonem amor sæculi;* facile perspicimus iure merito Deiparam dici, esseque Ierusalem cælestem, cęlum Empyreum, Deique Sedem, eo quod præ cæteris creaturis omnibus ratione præditis Diuinus amor sibi in eius corde Sedem, Domiciliumque defixerit. Quare ob ardentissimam hanc ipsius charitatem, quâ fieri beata Hierusalem, & cælum Empyreum promeruit; eam Sphæræ ignis, quæ sub concauo est Lunæ, comparare S. Amad. Hom. 2. non dubitauit: *Rubet, inquiens, vt Sphæra ignea, vt Regis purpura, vt coccus bis tinctus, præferens amorem Dei, & proximi.* Summum hunc amorem Virginis, in DEVM, expressit idem Gers. Tract. 2. in Mag. cum dixit. *Mariam in via summè vnitam fuisse Sponso, per charitatis affectum, in eumque transformatam, nilque restare aliud, quam Spiritualis matrimonij castissimã consummationem, in cælo tandem faciendam, quam ipsa verecundè insinuare visa fuit, cùm dixit: Osculetur me osculo oris sui.*

Amor Diuinus B. V. Hierusalem cælestem effecit.

B.V. rubebat & ardebat vt sphęra ignea.

Maria in via summè vnita fuit Sponso in eumq; transformata.

Item cùm pudicè indicauit: Lectulus noster floridus. Quæ omnia ardentissimum Virginis in DEVM amorem spirant:

Amor, inquit ille, *igneus est. Lampades eius lampades ignis, atque flammarum. Propterea neque se in se continere, quin assimilationem quærat sibi facere; semper inquietus est, quousque pertingat ad intimum rei quam diligit. Vnde vocat Diuinus Dionys. vim amoris esse quoddam semper mobile, incessabile, calidum, acutum, feruidum, superferuidum. Quid igitur æstimas faciet Sponsa talibus ad Sponsum succensa flammis amoris, nisi vt inquirat intimos eius amplexus, in illisque refrigerium, tota toti coniuncta inueniat? Expectat tamen Pudicitia Virginalis tempus beneplaciti sponsi, diemque statutum pro nuptijs anticipare non audet. Facit interea quod sibi fas est, petit ad solatium, petit ad refrigerium æstuantis ardoris sui osculum Sponsi, castissima suauitate iucundum: Osculetur me, inquit, osculo oris sui. Vidimus raptam, videmus exultantem extra se sponsum. Ipsa petit osculum, nec explicat cuius.*

B. V. ardentissimus in DEVM amor.

Cur ita? Reputat enim illud omnes intelligere, quod solùm ipsa cogitat, quod vnicum ipsa desiderat, quod totum cor eius occupat.

Sicut illa Philtro capta de Domino aiebat: Si tu sustulisti eum dicito mihi. Atque ita petebat osculum exercendæ dilectionis mutuæ gratia, nihil requirens, nil intendens in osculo præter amorem, vt nimirum ametur, & amet.

B.V. Sola super omnes animas viaticus posita Osculo Dei Sponsis sui.

Et verè sola inter omnes, & super omnes animas viatrices anima Mariæ posita fuit tali osculo Dei Sponsi sui, dum viueret.

Erat siquidem tota semper mundissima, nunquam egens reconciliatione, erat gloria plena, super omnes benedicta, non egens nouis muneribus, licet augerentur. Ipsa tamen magis amari, & amare dilectoque suo frui proximè iam ad statum patriæ peroptabat. Hæc Gerson, quibus sane eximium Deiparæ in DEVM amorem nobis ostendit, ex quo colligere possumus, eam iure merito nouam Ierusalem à Ioanne descriptam vocitari, siquidem Diuinus Amor sicut Ierusalem in terris, ita Amor proprius Babylonem ædificat.

46. Ne porrò quispiam hanc de proprio sensu nostro depromptam fuisse arbitretur appellationem, audiat Richard. Laurentinum mirum, ac pium Virginis encomiastem lib. 11. de Laud. Virg. qui vbi dixisset Mariam esse Ciuitatem Ierusalem pacificamque nostram, quæ filio reconciliauit peccatores, indeque descriptionem S. Ioannis recitasset, obseruandum monet, quod dilectus Discipulus huic visioni specialiter nomen suum apposuerit, ad insinuandum specialem esse gratiam videre ac intelligere Mariæ dignitatem, totumque hoc Diuinæ gratiæ adscribendum esse, quæ nulli post Christum tantum de secretis Virginis reuelauit, quãtum Ioanni, cuius peculiariter curæ à Christo commissa fuerat.

Specialis est gratia intelligere Mariæ dignitatem, quam vidit S. Ioannes Euangelista.

Atque hæc de lumine gloriæ, animati huius cæli Empyrei, quod Ierusalem cælestis nobis, tot lucentibus gemmis, auro crystalloque adumbrauit, dixisse sufficiat. Ad alias cęli Empyrei proprietates accedamus.

47. Inter reliquas cælorum proprietates non inter postremas numeratur incorruptibilitas. Vnde Rupertus Abbas Deiparam, ob Virginitatis incorruptionem, quam ante partum, in parte, & post partum illibatam seruauit, cælo incorruptibili eam conferre non dubitauit. Et verò si materiam cælorum diuersæ rationis esse, à materia sublunarium, ex sententia potissimùm Aristotelis, aliorumque Philosophorum non vulgarium asseramus, facile intelligemus quænam sit Virgineæ huius incorruptionis radix, & causa. Cùm hi eo potissimùm niti fundamento ad cælorum asserẽdam incorruptionem consueuerint, quod ea materiâ, qua constant sublunaria minimè sint compositi, siquidem ea, radix est corruptionis. Cùm igitur Virginis gloriosissimæ corpus, & anima inter omnes mortales, qui sub hoc orbe Lunæ, à primis mundi exordijs vixere, & ad eius vsque finem victuri sunt, fuerint præstantissima, & altioris cuiusdam ordinis, vtpotè quemadmodum ante diximus Angelificata quodammodo, nullaque originalis peccati labe supra cõmunem terrigenarum ordinem, ab instanti conceptionis contaminata, fuerintque quasi materia quædam à sublunaribus longè diuersa, procliue sanè fuerit inferre Deiparam nulli corruptioni obnoxiam extitisse, verùm incorruptione animi, corporisque ad instar cæli fuisse dotatam, vtpotè quæ Sancta Sanctorum fuerit, ipsumque Sanctum Sanctorum genuerit, quem Pater non dedit videre corruptionem.

B.V. cælum incorruptibile, quia fuit Semper Virgo.

B.V. corpus, & anima inter omnes homines perfectissima fuerunt.

48. Et licet hęc animi, corporisque, morumque omnium incorruptio totius vitæ decursu veluti pulcherrimo cælo, in Virgine resplenduerit, resplenduit tamen potissimùm in eius illibata Virginitate, qua purissimè concepit, ediditque mundo communem omnium Saluatorem. De partu hoc admirabili, qui Virgini integritatem amplificauit B. Petrus Card. Dam. Tom. 4. qui nondum in lucem prodijt orat. 50. sic Deiparam alloquitur; *O gloriosa Puerpera, in qua sola reperitur fœcunda Virginitas, quæ sic ex intemeratis visceribus Filium protulisti, vt illibatæ pudicitiæ integritas cresceret, non libido Virginalis clausuræ signaculum violaret;* Et paucis interpositis sic cecinit:

B.V. Cęlum corruptionis expers suæ Virginitate.

Creuit in ortu Prolis
Integritas pudoris.

De quo partu Virgineo, atque incorrupto S. Aug. serm. 15. de Tempore: *Creuit in eius partu integritas corporis, potius quam decreuit, & Virginitas ampliata est potiùs quam fugata.* Et D. Idelphonsus lib. de Virginit. B.V. cap. 2.

Hanc

Hanc domum ingrediens, scilicet Dei Filius, non pudoris spolia tulit, sed egrediens integritate donauit. Quasi Virgo post partum Virginior, integriorque euaserit. Quod sanè nobis minimè mirum videri debet, cum Manum illam Saluatricem Omnipotentis Dei peperit. De partu hoc præclarè S. Amad. Hom. 4. *Porrò Dei Genitrix,* inquit, *nec in carne delectata, nec carne cruciata, & in Conceptione Virginior, & in partu extitit sanior, obstetricante illa Manu, de qua per Psalmistam Deo dicitur* Ps. 118. *Fiat manus tua, vt saluet me.*

B.V. in conceptione Verbi Virginior reddita.

Manus quippe Dei Vnigenitus Patris appellatur, per quem fecit sæcula. Hæc Manus facta, quando incarnata, non solùm nullum vulnus inflixit, verùm attestante Propheta Isa. 53. *Languores nostros ipsa tulit, & dolores nostros ipsa portauit. Planè Manus ista plena remedijs, plena medicinis sanauit omnem languorem, morbos expulit, mortuos suscitauit,* &c.

Manu Dei Patris est eius Filius.

49. Resplenduit denique incorruptio hæc Virginalis, in eius ex hac vita decessu in quo corpus illud, quod incompræhensum cælorum compræhendit Opificem omnis corruptionis expers conseruatum est, donec rursus imperio Filij beatissimæ illi animæ indissolubili vinculo sociatum est. De hoc argumento consulendus D. August. lib. de Assumpt. Tomo. 9. ipsius Operum. Ad hanc Virginalem incorruptionem mundo luculentius ostendendam Spiritus S. in Sacris litteris partum Virginis, ijs rebus contulit, quæ rem totam mirificè nobis ob oculos proponunt. Subindè enim confert productioni lucis. Sic Euangelicus Propheta Isa. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Quæ verba expendens S. Cyrillus Alex. lib. 10. in Isaiam: *Salutare,* inquit, *Dei quid aliud quam Verbum Patris, quod ob salutem humani generis carnem assumpsit? Ita namque per Isaiam ait. Videbunt gentes iustitiam meam, & Salutare meum sicut lampas accendetur.* Vbi insinuatur nobis Saluatorem ea ratione, ex vtero Virginali processisse, qua è cælo aut sydere quopiam lumen emicare consueuit.

Corpus B.V. post mortem incorruptũ.

Sicut enim hic idem Virginis Filius ex vtero fæcundæ memoriæ Dei Patris processit vt Lumen de Lumine, in splẽdoribus Sanctorum ante Luciferum, sic idem in tempore, velut lux splendidissima illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum egressus est de Virgine. Hinc præclarè mellifluus Bernar. Hom. 2. super. Miss. *Maria,* inquit, *optissimè syderi comparatur, quia sicut sine sui corruptione, sydus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit Filium. Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta.* Num. 24. *cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor, & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentis, quam corpora, fouet virtutes, excoquit vitia.*

Natiuitas Christi temporaria ex Matre similis æternæ ex Patre.

B.V. peperit absque corruptione Filium sicut stella radium.

50. Quod si iuxta Hebraicum legamus textum vaticinium illud Isaiæ, adhuc multo magis incorruptio Virginis nostræ elucescet: Siquidem legitur: *Donec egrediatur vt Fulmen iustus eius.* Vere enim Dei Filius caro factus, fuit Fulgur illud quod exijt ab oriente vteri Virginalis, & apparuit in occidente tenebricosi mundi huius ad terrendos timore Sancto, illuminandoque mortales. Vnde, & oraculum Apollinis, eius Natiuitatem Argonautis prædicare compulsum, ortam ipsius egressui Fulminis comparauit, dum cecinit:

Christi natiuitas eruptioni Fulminis persimilis.

Assidua virtute decus sublime parate
Atque vnum, sic mando DEVM, qui cuncta gubernat.
Cælesti residens solio colite, atque timete:
Illius æternum atque ante omnia sæcula Verbum
Nescia Virgo Viri nostras emittet in aures;
Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis
Edomitum reddet Diuino munere mundum.

Apollo Delphicus Argonautis partum Virginis Fulmini persimilem prædixit.

Quæ sanè comparatio mirificè Virgineam hanc de qua agimus integritatem nobis ob oculos proponit. Quemadmodum enim fulmen integra, & illęsa relinquit omnia in quibus nullam inuenit resistentiam (: vnde, & gladium, illæsa vagina liquefacit:) sic Dei Filius intacta Virginitate Matris conseruata, in mundum hunc, Cacodęmonis vim omnem labefactaturus irrupit.

51. Idem Diuinissimus Spiritus conceptum partumque Virginis nostrę confert rori vellus illud Gedeonis Iud. 6. infundenti, necnon imbri lento placidoque illapsu terram irriganti, ac fęcun-

cundanti. Vnde hoc afflatus Spiritu canebat Dauid de Messiæ aduentu Psal.71. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*. Quasi dicat Vates Regius: Dei Filius humanum genus de captiuitate Satanica liberaturus, non solùm ad instar roris in Vteri Virginalis vellus placidissimè, absque strepitu ingredietur, & egredietur, absque vlla læsione ipsius velleris, replendo concham humanæ naturæ rore gratiæ, verùm etiam ad instar stillantis pluuiæ leniter, suauiterque Virgineam illam terrã absq; vllo puritatis integritatisq; preiudicio irrigabit fecũdabitque. Agnouit Deiparę illibatã integritatem incorruptionemque animati huius cæli in hiscé verbis;

Conceptus Verbo in vtero Virginis similis illapsui roris in vellus, & stillicidiis in terram decurrentibus.

Descendet sicut pluuia in vellus, Diuus Ambr. serm.13. in Natiuit. Domini. *Quid*, inquiens, *tam silenter, & sine strepitu fit, quàm cùm imber in lanæ vellus infunditur? nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit, sed sine inquietudine hominum, per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eũ hauriret corpore, nec eius discissurã corporis pateretur; sed esset mollis ad obsequiũ, solida Sanctimonia. Rectè inquã Maria velleri comparatur, de cuius fructu Salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu eius Agnus egressus est, qui, & ipse Matris Lanificium, hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi fouetur sanguine, & vt sanitatem recipiat Christi indumento vestitur*. Hactenus Ambros.

B.V. vellus de quo salutaria populis vestimenta texuntur.

B.V. suo vellere Agnum Dei induit, dum eum in lucem edidit.

Eadem Psalmistæ verba dilucidantem si placet etiam audiamus Bernardum Hom.2. super Missus: *Quid illud Gedeonis vellus significat*, inquit ille, *quod vtique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc verò area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, & absque detrimento Virginitatis? Cui vtique distillantibus cælis, tota se infudit plenitudo Diuinitatis, adeo vt ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui verè sine illa non aliud quam terra arida sumus.*

Huic quoque Gedeonico facto, propheticum dictum pulchrè satis conuenit. Descendet sicut pluuia, &c. Pluuia quippè voluntaria, quam segregauit DEVS hæreditati suæ, placidè, & absque strepitu operationis humanæ suo se quietissimo illapsu Virgineum demisit in vterum. Sic Bernardus.

52. Illibatam hanc Virginis puritatem atque integritatem mirè, a rea sua eloquentia gratioso dialogismo expressit Diuus Chrysostomus Hom. de Annunc. in qua cum Patrem æternum Gabrielem ad Virginem amandantem introduxisset, ipsam quoque Angelum sic secum de mysterio tam sublimi discurrentem quasi in scena exhibuit: *Noua res hæc est cuius intelligentia nullis verbis explicari potest. Quem metuant Cherubin, quem Seraphin intueri non possunt, quem omnes virtutes Angelicæ compræhendere nequeunt, modo quodam speciali nunciatur cum Puella Virgine conuersaturus. Nunquid potest Virginis vterus eum capere, qui compræhendi non potest? Verè mysterium magnum, & venerandum. Sic Angelo cogitanti: Quid, inquit Dominus, turbaris ò Gabriel nouitate rei? Nonnè paulò ante sterilis concepit Ioannem, & peperit? Quid est quod ego non possim efficere? Cur igitur dubitas? Tum Angelus: Naturæ, inquit, errores Domine corrigere, membra mortua ad vitalem vim reuocare, naturæ præcipere vt liberos gignat, senescentem stipulam ad viridem formam reducere, terram infæcundam efficere statim manipulorum Matrem solitum est tuæ virtutis opus: Virginem verò sine viri congressu parere superat naturæ leges, præsentiamque tuã in puella denunciat, vt quem cæli terræque termini non capiunt, Virginis vterus compræhendat. Ad hæc Dominus: Quomodo, inquit, me tabernaculum Abrahæ potuit continere? Quoniam, ait Angelus, hospitalitatis pelagus habebat. Verùm illic ò Domine te conspicuum. Abrahæ præbuisti in ostio tabernaculi, & pertransisti, qui comples omnia. Quomodo autem feret Maria Diuinitatis ignem? Solium tuum ardat splendore illustratum, & Virgo te ferre poterit vt non comburatur?* Conclusit tandem Dominus, Virginitatemque Mariæ illæsam permansuram ostendit, quod Verbum specie pluuiæ in eius vterum, absque vllo strepitu corruptionesque esset illapsurum: *Si læsit*, inquit Dominus, *rubum ignis in Solitudine, lædet quoque omnino Mariam mea præsentia. Sin ignis ille, qui Diuini mei ignis præsentiam significabat, rubum potius irrigauit, quam combussit, quid de veritate dices non igne flammæ, sed in pluuiæ specie descendente?* Hactenus Chrysostomus.

Angelus Gabriel Incarnationem Verbi capere nequit.

Dialogismus inter Deum, & Angelum Gabrielem de Incarnatione.

M. in Incarnatione Rubus ardens incóbustus.

53. Quæ sanè siue pluuiæ, siue roris generatio, animati huiuscé nostri cæli mirè nobis ob oculos proponit incorruptionem. Vnde Vates Regius Psal.109. hoc nobis insinuare volens,

de Saluatoris nostri, siue ęterna, siuè téporali Natiuitate canebat: *In splédoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te:* Quasi diceret, vt Tertullianus libr. 5. cont. Marc. c. 9. interpretatur, *ex solo vtero generaui te, sine viri semine, ante Luciferum, quia ante omnem conditam creaturam etiam Angelicam, ab omni æternitate, vt fieres homo in intemerato vtero Virginis decreui, voluique tuam generationem in tempore, meã illam in æternitate, incorruptione æmulari.* Quod si Hebraicum textum sequamur, & locum hunc ita interpretemur: *Ex vtero auroræ ros natiuitatis tuæ;* longè clarius cæli huiuscé nostri diuinissimi elucescet incorruptio. Siquidé hic Auroram ostendit esse Virginem; Rorem verò Dei Filium. Quemadmodum igitur Aurora pulcherrima, roseo suo vultu orbem illuminãs, exhilaransque, simul Rorem purissimum purissimè, absque corruptione emittit. Sic Virgo nostra (, quam Angeli, ad instar Auroræ Sole Iustitiæ grauidæ, ad mundum hunc illuminandum aduentantem contemplantes dicebant: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens:*) Christum rorem amabilem, rorem tot Patrum votis expetitum mundo, ad eius sterilitatem fœcundandam edidit. Verè Aurora nobis Virgo extitit; cuius rei causam B. Petrus Card. Dam. serm. de Assumpt. nobis dedit luculentissimam, dum illa iam dicta Angelorum verba ponderaret: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens:*

B.V. instar auroræ roré cælestem népe Filium absque vlla læsione peperit.

Quam elegans, inquit, *& clara similitudo, & ex illius disciplina descendens, qui summum Sapientiæ fontem in Canticis affluenter inclusit. In meridiano lumine primus ille parens creatus est, factus ad imaginem, & similitudinem Conditoris; quid enim clariùs, quam creatum creanti non esse dissimilem?*

Faciamus, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Imaginem ei dedit in ęternitate, similitudinem in moribus, vt sit similis Creatori, si non identitate, similitudine tamen. Sed ille tanti priuilegij dignitate reiecta, se cum posteritate sua perpetuę morti destinauit, & tenebris. Ab illa hora tenebrę factę sunt super vniuersam terram, vsque ad Virginem, nec inuentus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet, sed mundo crescente concreuit, & tenebrosa vorago, douec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepeliuit.*

B.V. Aurora, quæ Solem iustitiæ peperit.

Hęc est illa nox Solitaria, nec laude digna, de qua scriptum est: Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransierunt omnes bestię syluę, quia crudeles, & indomiti Spiritus, dimotis repagulis humanum genus totis viribus obtriuerunt. Sed nata Virgine surrexit Aurora, quia Maria veripræuia luminis, Natiuitate sua Mane clarissimum serenauit. Hæc est Aurora quam sequitur, imò de qua nascitur Sol iustitiæ solius Solis claritati succumbens.

Hæc est Aurora quam ille non vidit, qui vidit omne sublime. Vnde orat B. Iob. vt ei multa suppressione claudatur cap. 3. Non videat ortum surgentis Auroræ. Tuus est dies Domine, in quo Adam est conditus; tua est nox, in qua Adam à die est eiectus; tu fabricatus es Auroram, idest, Virginem Matrem, & Solem scilicet iustitiæ, qui de Virginali thalamo consurrexit. Nam sicut Aurora terminum noctis, diei principium adesse testatur, sicut, & Virgo noctem expulit sempiternam, & de die diem, de terra suum Virginitatis exortum terris infudit. Hactenus Damianus.

54. Agnouit quoque Virginem nostram pulcherrimam esse auroram in eisdem Canticorum Verbis Rupertus Abbas libr. 6. in Cant. *Quam pulcher ordo*, inquiens, *in ista laudatione, in ista tuæ pulchritudinis, ò beatissima prædicatione. Primum consurgens, vt Aurora, deinde pulchra vt Luna, tandem electa, vt Sol. Quando nata es ò Virgo beata, tunc vera nobis Aurora surrexit, Aurora prænuncia diei sempiterni. Quia sicut Aurora quotidiana finis præteritæ noctis, & initium diei sequentis, sic Natiuitas tua, Natiuitas ex semine Abrahę clara, ex stirpe Dauid, ad quos cum iuramento facta est repromissio benedictionis, finis dolorum fuit, & consolationis initium, finis tristitię, & lętitię nobis extitit principium.*

B.V. in sua Natiuitate fuit nobis Aurora præuia diei sempiterni.

55. Agnouit Auroram esse Deiparam Card. Halgrinus in verbis illis Angeli Gen. 32. v. *Dimitte me, iam enim ascẽdit Aurora*, Dum Iacobum cum Angelo colluctantem Sanctos Patres figurasse ait, qui precibus, lacrymisque, velut brachijs nitebantur à Deo extorquere Incarnationem Vnigeniti. Quibus responsum, quasi in exortu Mariæ: *Dimitte me, iam enim ascendit Aurora. Ac si diceret: cesset iam instantia vestri luctaminis, quia lux illa nascitur, quę vobis pariet verum Solem.*

Iacob cum Angelo luctans Sãctos Patres figurauit Incarnationem Verbi exposcentes.

56. Agnouit quoque Richar. à S. Laur. libr. 7. de Laud. Virg. Virginem gloriosissimam esse Auroram, sic dictam, quod tota sit aurea ob splendorem internum, externumque virtutum, præsertim Virgineæ puritatis, feruentissimæ

M Aurora, quasi tota aurea ob splendorem internum.

tissimæ charitatis, cælestis denique sapientiæ. Addit insuper, eam Auroram ab aurea horâ nuncupari secundum Isidorum, quia nobis ætatem auream, tempus videlicet gratiæ adduxit.

M. ætatē auream, id est, tempus gratiæ mundo adduxit.

Vnde ei cani potest, quod Saturno non nemo cecinit:

Aurea per cunctas disponens sæcula terras.

57. Plura alia, quæ de hoc argumēto affert Richardus breuitatis amore prætermitto, illud vnicum attexuisse sufficiat, quod imis mortalium omniū medullis inserendum censeo: *Sicut impossibile est,* inquit, *de tenebris noctis venire ad lucem, nisi mediante Aurora, sic impossibile est de tenebris vitiorum venire ad lucem gratiæ, & virtutum, nisi mediante intercessione Mariæ. Oportet enim præuenire solem ad benedictionem tuam Sap. 16. id est, oportet prius ad Mariam venire, quàm ad solem iustitiæ, si obtinere cupimus benedictionem.*

Impossibile est de tenebris vitiorū venire ad lucem gratiæ, nisi per B. V.

Vnde Christus ipse nobis dicere videtur: Dimitte me, iam enim ascendit Aurora, quasi dicat, iam me primo loco oratione non pulses, sed vade ad Matrem meam. Vbi ita se gerere videtur Filius, atque Iuuenis Rex quispiam, qui honorare Matrem valdè cupiens, Regni negotia ad eam vt plurimum remittit. Ita ferè Richar.

58. Sensit Auroram pulcherrimam esse Deiparam S. Bernard. sermo. 4. in Salue Regina, dum eam sic alloquitur; *Te benedixit Dominus, vt per te benedictam vita veniret, sicut mors per Euam processerat maledicta. Te secretorum cælestium conscius Salomon dicit: Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens? Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit Auroram. Quid autem est nox frigida, & obscura, nisi originale peccatum, frigidum concupiscentiā, obscuram ignorantiā? Tu ergo processisti, vt Aurora lucida, & rubicunda, quia superatis originalibus peccatis in vtero Matris, nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis.*

59. Sensit denique Virginem nostram gloriosissimam Guilelmus Abbas esse Auroram, dum Deo extitit grauida, mundoque Solem iustitiæ radiorum suorum pennis mortalium infirmitates ex sceleribus contractas persanantem edidit. Interpretans enim eadem verba illa Canticorum: Sanè, inquit, *mitis Mater non progreditur cum sonitu, & strepitu, quasi in magnis ambulans, sed progreditur simpliciter, & nihilominùs confidenter; progreditur silenter, & nihilominùs potenter progreditur sicut Aurora consurgens. Quid enim silentius, & quid item potentius Aurora progrediente? Nam nec vnquam audiuit aliquis sonitum surgentis Auroræ, nec vlla vis creaturæ potest impedire surgentem. Ipsa etiam est vera Aurora, in qua finitæ sunt tenebræ, & inchoata lux, finiuit noctem, & diem inchoauit eo ipso, quod solem iustitiæ generauit. Itaque Aurora fuit, ex quo lumen peperit. Sed tamen ante clarificationem Filij non progrediebatur sicut Aurora consurgens, idest manifestè, quod erat apparens. Quamdiu sol iustitiæ natus ex ea putabatur Filius Ioseph, & ipsa puri hominis Mater putabatur. Nondum ergo Aurora procedebat, idest, quod esset Mater veræ lucis nondum clarebat. Clarificato iam Sole iustitiæ per triumphum Resurrectionis, & Ascensionis, qui ante niger videbatur sicut saccus cilicinus, dum putaretur filius Ioseph, Mater quoque eius progreditur sicut Aurora consurgens, idest non iam Mater puri hominis, sed sicut est verè Mater veri luminis manifestè apparens.* Hæc Guilelmus.

B.V. Aurora Sole iustitiæ grauida.

60. Videre cupitis, an Rorem cælestem, Dei Filius in Virgineæ huiuscè Auroræ vtero homo factus, nobis repræsentet? Audite Euangelicum Prophetam Isa. 26. qui mirificos huiuscé viuifici, diuinissimique Roris describit effectus; *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia Ros lucis, ros tuus.*

Christus Ros mortuos viuificans.

Quæ verba ponderans Procopius: *Ros tuus,* inquit, *est Vnigenitus Filius tuus, qui stillans guttis viuificantibus mortuis tuis medicinam faciet peccatorum, quæ contraxerunt, simulque vitam reddet æternam.*

O rorem planè mirificum, rorem planè stupendum, qui sua aspersione mortuos resuscitat, interfectos ad vitam reuocat. Hic est Ros ille tot suspirijs, tot votis, ardentibus, à priscis expetitus Patribus, vt cælum hoc animatum, hæc cælestis Aurora tandem eum redderet. Eorum est vox illa Isa. 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, germinet Saluatorem.*

Quibus verbis peruenustè intemeratæ Virginis partus citra vllam corruptionem nobis proponitur.

Sicut cælum rorem, absque vlla sui læsione parit, sic B.V. intacta Virginitate Christū peperit.

Quemadmodum enim cælum rorem; nubes pluuiam, terra flores, fructusque absque vlla sui læsione, corruptioneque summâ mortalium lætitiâ, ac gaudio nobis germinat, ita Virgo nostra sacratissima animatum hoc cęlum, Nubes leuis, ac fœcunda, Terra hæc Virginea nobis florem suauissimum, fructum

ctum dulcissimum germinauit, Saluatorem, *qui vniuersorum Risus, velut alter Isaac, & omnium factus est remissio peccatorum*, vt ait Ambrosius. Quapropter vbi vulgata legit; *Rorate cæli*; legere 70. Interpp. *Exultent cæli desuper*, vt indicarent quod cum hic Ros viuificus de hoc animato, Virgineoque cælo, absque eius corruptione ad nos defluxit, non modo illi summum gaudium exultationēque, verumetiam orbi vniuerso risum tripudiumque attulerit. Hic est nimirum *Ros ille Hermon, qui descendit in montem hunc animatum Virgineæ Sionis, in quo beneplacitum fuit altissimo habitare.*

Christus est Ros Hermō.

61. Rore. De rore hoc fusè iam memoratus Richar. lib. 12. ex quibus pauca decerpemus. *Ros*, inquit ille, est *Christus, qui fœcundauit Virginem. Ipse est ros Hermon, quod interpretatur lumen exaltatum, quia Christus, qui est lux vera, primò in candelabro crucis, in sua ad cælos Ascensione tandem fuit exaltatus. Hic descendit in montem Sion in beatam videlicet Virginem per Incarnationem. Hæc enim est verè mons, Ecclesiæ Ciuitatem sustentans, de qua ipse aiebat Christus Matth. 5. Non potest abscondi Ciuitas super montem posita. Verè Christus est Ros ille, qui apud Oseam cap. vltimo loquebatur: Diligam eos spontaneè, ero quasi Ros Israeli, germinabit, quasi lilium. Verè enim Virgini de Israelis stirpe proficiscenti Ros extitit, eamque ad instar candidissimi lilij, absque vlla corruptione germinare fecit.*

B. V. lilium purissimum.

Sicut enim lilium, seminatione minimè propagatur, sed de substantia lilij portio aliqua desumitur, & plantatur, & fit lilium, sic B. Virgo ex se sobolem propagauit, quia de eius carne portionem quandam assumpsit Spiritus sanctus, eamque efformauit in lilium, nempe Filium, qui de se ait: Ego lilium conuallium.

Liliorū propagatio fit absque semine.

62. Et meritò Filij Dei in carnem aduentus significatur per roris descensum. *Sicut enim descensus roris* prosequitur Richard. *occultus est, & absconditus, nec videtur, qua ratione, absque vlla corruptione descendat in lilium, licet, ex eius descensu flos speciosior lilij onitescat; Sic Domini descensus in Virginem, absque vllo strepitu, mundo non est agnitus, nec enim eum capit mens hominis, cum verissimè dixerit Isaias: Generationem eius quis enarrabit? quamuis ex hoc roris descensu in Virginem, manente Virginitatis integritate, agnoscamus, ac credamus, florem ipsius puritatis magis incanduisse.* Hæc ferè Richardus.

63. Neque verò superna, & cælestia nobis Virginei huiusce Cæli, incorruptionem, verùm etiam terrestria indicarunt. Quid enim aliud gratiosum florum germen, quod absque vlla campi, arboris, fructicisque profertur corruptione nobis indicat aliud, quam florem illum cælestem, qui de se aiebat: Cant. 2. Ego flos campi; appariturum olim in terra nostra, absque vlla intemeratæ Matris læsione, quæ verè ager odore virtutum omnium refertissimus, & Arbor quædam pulcherrima longè illa, quam vidit Nabuchodonosor procerior extitit? Hoc agnoscens Isaias cap. 11. partum Virgineum toti mundo prædicare volens dixit: *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.*

Partum illibatum B. V. non solum cælestia, sed & terrestria indicant.

Communi enim Patrum asseueratione Virga illa, de radice Iesse, Virginem nostram, Flos eius, Filium denotat, vt luculenter inter cæteros S. Leo Papa serm. 4. de Nat. testatur: *In qua Virga*, inquiens, *non dubiè quod B. V. M. prædicta est, quæ de radice Iesse progenita, Spiritu S. fœcundata, nouum florem carnis humanæ, vtero quidem materno, sed partu est enixa Virgineo. Quemadmodum enim videmus communiter ex Virga frondeque Arboris, cælesti tantùm virtute, ac rore perfusa, absque vlla ipsius Virgæ corruptione florem pullulare: ita Dei Filius, absque vllo humano adiutorio, solà virtute Altissimi, & obumbratione Spiritus Sancti, saluâ incorruptaque, imò aucta Virginis purissimæ* integritate, de ipsa processit, ostendens reuera se esse eundem illū, qui ab æterno ad instar germinis, ac floris pulcherrimi ex Patre, velut procera quapiam, aureaque Arbore, processit. Quod nobis insinuauit Magnus Dionysius. c. 2. de Diu. Nomi. *Accepimus*, inquiens, *à sacris eloquijs, Patrem quidem esse fontanam, vt ita dixerim Deitatem, Filium verò Spiritumque fœcundæ Deitatis, si modo ita licet loqui germina Diuinitus pullulantia, & flores, & supersubstantialia lumina. Sed quâ ratione hæc fiant, nec loqui, nec intelligere possumus.* Cum Mysterium hoc in substantia supernaturale sit, nec solo duntaxat lumine naturali, vt volunt Theologi compræhendi possit.

B. V. Virga de radice Iesse.

Sicut arbor absque vlla sui læsione florum profert, ita B. V. Christum.

Ex Patre æterno velut procera quadam Arbore Filius & Spiritus S. tanquam Diuinitatis germina processere.

64. Admirabilem hunc, Salua Matris integritate contemplans partum Eusebius Emistenus Hom. 2. de Nat. Domini: *Quid primùm mirer*, inquit, *quid vè postremum, quod sine conceptu est collata fœcunditas, an quod per partum magis est glorificata Virginitas?* Eundem incorruptum partum obstupescens Bern. serm. 1. in

Vigil. Nat. exclamauit: *O' partus solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non reserans, sed consecrans Virginalis vteri Templum!* Vnde B. Card. Petrus Dam. serm. de Annunc. Vterum Virginis tanquam rem sibi propriam, & à nullo vnquam temerandam à Diuinitate sigillatum asseruit: *Egreditur*, inquiens, *de Virgine Virga, cum nouitate, quia nunquam sic natus est homo, sicut ipse nascitur.*

Quatuor modi generationis.

Primus enim homo primo de terra formatur, secundò mulier de eius latere fabricatur, tertiò Cain consuetudinario ordine nascendi gignitur, ab vtroque. Solus iste de sola Virgine nascitur, & Virginis vterum nouo singularique partu Diuinitas humanata sigillat. Vbi nunc Aristotelicæ subtilitatis facunda quidem, sed infœcunda loquacitas? Si peperit, cum viro concubuit? Velit, nolit vertitur in habitum priuatio, nec adstringitur dialecticis terminis omnium Terminator; ad cuius Imperium paret natura, desuescit consuetudo. Hæc ille.

Aristotelis subtilitas partum Virgineum non assequitur.

65. Eandem Virginis nostræ incorruptionem peruenustè nobis germinans illa Virga Aaron Num. 17. ob oculos proposuit, ad quam intendens oculum IESVS Sirach Eccli. 36. ingemiscens DEVM precabatur, vt tandem Virginea hæc Virga germinaret, optatissimumque florem, dulcissimumque fructum toti orbi proferret: *Miserere*, inquiens, *nostri DEVS omnium, & respice nos, & ostende lucem miserationum tuarum. Innoua signa, immuta mirabilia, secundum benedictionem Aaron da populo tuo, & dirige nos in viam iustitiæ.* Quæ porrò fuerit hæc Aaronis benedictio, quam toti populo suo, atque adeò in illo, vniuerso orbi impertiri optabat, Moyses Num. 17. nobis exposuit de seipso loqueus: *Sequenti die regressus Moyses inuenit germinasse Virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.*

B. V. in Partu suo fuit velut Virga Aaron.

Virga hæc, communi Patrum consensu, Deiparam Virginem, incorruptâ mentis corporisque Virginitate Dei Filiū, qui verè germen Domini, verè fructus dulcissimus perhibetur, parientem denotat. Quemadmodum enim illa arida, omnique humore carens, absque vllâ agricolæ industriâ, cælesti, occultaque vi, absque sui læsione fronduit, floruit, fructificauit, venustiorque longè extitit, quàm antè: Sic Virgo gloriosissima, licet nullo virili semine humectata, absque corruptione suæ illibatæ Virginitatis germen illud Domini, quod futurum in magnificentia, & gloria vaticinatus est Isaias, florem pulcherrimum, fructum sapidissimum vtero suo Virginali Dei Filium protulit, qui tantùm abest, vt aliquid de suæ Virginitatis pulchritudine, partu hoc cælesti deperderet, vt potiùs eam decore quodam ineffabili exornarit;

Vnde Filius vtero eius purissimo adhuc delitescens, hanc geminatam pulchritudinem fortasse admirans dixerit: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Quæ verba expendens Rupertus Abb. lib. 1. in Cant. *Pulchra decore Virgineo, pulchra Vnigenito Filio. Taliter geminata nullius vnquam fuit, nullius vnquam erit pulchritudo.*

Pulchritudo B. V. a Filio, & Spiritu S. mutuata.

Vtque ostendat non modo Filium, verumetiam Spiritum S. auctorem esse geminatæ huiusce Virginitatis ac pulchritudinis æternæ, quæ toto ore, oculisque eius promicabat: mox subtexuit: *Adhuc addo istud pulcherrimum: Oculi tui columbarum: Quinam sunt oculi columbarum? nisi dona 7. gratiarum, id est septē Spirituum super me requiescentium. Septem namque oculi qui iuxta Zachariam in vno lapide sunt, septem sunt Spiritus Dei, qui iuxta Isaiam super florem requiescunt. Isti oculi mei sunt oculi tui, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum, vel Spirituum, quorum tu effecta es particeps,* ex quo me castis visceribus suscepisti, super quem requiescit, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.

Septem dona Spiritus Sancti super B. V. requiescunt.

66. Eodem libro Virgineę huiusce corruptionis pulchritudinem, eiusdemque causam demiratus in voces illas pijssimas erupit: *O' pulcherrima mulierum, ò benedicta inter mulieres, cuius pulchritudo benedictio est, cuius pulchritudo ipse benedictus Fructus ventris tui est;* Idem deuotissimus Deiparæ Rupertus lib. 3. in Cant. Virgineam hanc incorruptionem cum fœcunditate sociatam, in pulcherrimo illo sponsi elogio: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli, capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs,* demirans, exclamauit: *O' vbera verè gratissima atque pulcherrima, duo vbera manu Altissimi formata. Hæc sunt Virginitas, & fœcunditas, quarum pulchritudo in tuis, ò Dilecta, vberibus castis, quæ me lactauerunt maximè spectanda est. Spectate amici vbera hæc, imò in vberibus istis duo hæc, Virginitatem, & Fœcunditatē. Nonnè sunt hęc sicut duo hinnuli capreæ*

Duo Vbera B. V. Virginitas, & Fœcunditas.

preæ gemelli? Nunquam visum est simile huic in montibus, siue collibus nostris, sed neque videbitur in sæculis superuenturis, vt vni capreæ fiant duo tales hinnuli gemelli, vt vni fœminæ contingat, quatenus eisdem vberibus, & Filium lactet, & Virgo sit. Aspicite, & admiramini, videte, & cõgratulamini, quia caprea hæc tales hinnulos ita geminos edidit. Sic ille hanc siue fæcundam Virginemque Capream super cælestes montes aspiciens, siue Virgineam hanc Virgam Diuinissimi huius floris decore, absque omni corruptione vernantem, ac fructificantem contemplans.

Virga Aaronis Symbolum est B.V.

67. Quod porrò Virga Aaronica Symbolum intemeratæ Virginis nostræ Dei Genitricis extiterit, testis est S. Amadeus Lausanensis Episc. Hom. 1. de Laud. B.V. circa finem, qui Virgæ illius mysteria sic exponit:

Virgo Virga dicitur, vtpotè gratiosa, & recta, subtilis, & porrecta. Gratiosa per verecundiam, & formositatem; recta per iudicium, & æquitatem; subtilis per contemplationis ingenium; porrecta per vitæ meritam.

Effloruit autem de Spiritu S. sicut Virga Aaron floruit ex miraculo. Illa fructum protulit amygdalinum habentem nucleum, & testam. Nucleum vt reficiat, testam vt contegat.

Nucleum in Diuinitate, testam in humanitate. Vis nosce nucleum? Audi quia in principio erat Verbum. Testam nosce desideras?

Audi quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vides ergo quod nucleus in testa Verbum est incarnatum. Et quoniam testa etiam corticem habbet, corticem intellige in carnis amaritudine; testam in resurrectione, nucleum in Deitate. Cortice Christus non sanat, testâ corroborat, nucleo pastum æternum administrat. Hæc Amad.

68. Testis est S. Hildephonsus serm. 6. de Assumpt. *Hæc est illa Virga gloriosa, cuius ineffabile meritum longè ante, & figuris legalibus, & Prophetarum oraculis prænunciabatur. Nam quid aliud prænunciabat Virga illa Aaron, quæ in tabernaculo Domini posita, tertia die inuenta est germinasse?*

Iamque dilatatis folijs eruperant flores, qui turgentibus gemmis, in amygdalas deformati sunt. Virga ista est sacra Virgo M. quæ neque sata, neque radicata, sine vllo cultore, tertio die, hoc est tertio sæculi tempore, Sancto Spiritu est fœcundata, nobisque DEVM genuit, & hominem Christum, cuius vtraque substantia benè per amygdalam est figurata.

Amygdala namque ex carne esse, & nucleo constat: Sic DEVS, & homo, in vna persona est IESVS Christus.

Et in amygdala quidem caro exterior amarissima est, nucleus verò interior vescentes grata dulcedine reficit.

Sic, & Christus per humanitatem passionis amaritudinem sensit, per diuinitatem impassibilis mansit.

Sic Hild.

69. Testis denique est Richar. à S. Laur. libr. 10. de Laud. Virginis.

Maria, inquit, *congruè præfigurata est per Virgam Aaron, quæ nec radicata plantario, nec defossa sarculo, nec animata succo, nec fæcundata semine floruit, fronduit, nucesque peperit.* Et lib. 12. *Virga Aaron Virgo Maria, huius Virgæ frondes boni sunt mores, flores virtutes, fructus bonæ operationes.*

Peperit hæc Virga amygdalas, quæ sunt cibus infirmorum, quia pietatis opera Christo, qui de se ait: Infirmata est in paupertate vita mea, de propria sua substantia subministrauit, eiusque membris. Denique Virgo Maria est arida Virga Aaron, quæ sine humore virilis semini: peperit amygdalam Christum videlicet. Hæc Virga floruit consentiendo, fronduit ac fructificauit pariendo, &c.

70. Atque ita Virgineo hoc, incorruptoque Partu, vti postulabat IESVS Sirach DEVS Pater, Pater misericordiarum, DEVS omnium, misertus est nostri, bonitatisque suæ effusissimâ communicatione, æternam à nobis amolitus est miseriam extremæ perditionis.

Verè respexit nos, licet nostris tot criminibus offensus, dum amabilissimam suam faciem, quæ est Filius, nobis, licet indignissimis, tot sceleribus perpetratis, manifestauit. Verè ostendit nobis lucem miserationum suarum, dum eundem dilectissimum Filium, cuius Oriẽs nomen est, ipsum candorem lucis æternæ, suæ Maiestatis gloriæque splendorem, ad mundum hunc plusquam Cimmerijs tenebris circumuallatum, Diuino iubare collustrandum misit.

Hæc nimirum est lux illa, ad quam tam anxijs, imò inquietis desiderijs anhelabat Dauid dum canebat: Emitte lucem tuam, & Veritatem suam.

DEVS misereatur nostri, & benedicat nobis illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, vt cognoscamus in terra viam tuam.

Verè secundum benedictionem Aaron dedit populo suo, quia, vti dictum est, Virgo Sacratissima ad instar Aronicæ Virgæ ita fuit benedicta, vt florem simul, fructumque pulcherrimum ger-

minaret, simulque benedictionem illam Abrahæ promissam omnibus gentibus apportaret.

B.V. generatio similis generationi æterni Patris.

71. Verè in hoc Virgineo, incorruptoque partu innouauit signa, immutauit mirabilia. Signum quidem magnum, mirabile, obstupescendum fuit, & est quod Pater absque Matre, ex fœcundæ suæ memoriæ vtero, cognitione comprehensiua creaturarum possibilium, ab æterno, æternum suum generet Filium in splendoribus Sanctorum, seu Sanctitatis. Innouatum est hoc signum, immutatum est hoc miraculum, generat Mater, absque Patre eundem Filium DEVM pariter, & hominem, altissima rerum Diuinarum contemplatione defixa, totaque lumine beatificæ Visionis irradiata, ex suo Virginali Vtero, Diuinis planè puritatis, ac Sanctitatis splendoribus circundato.

72. Signum magnum, mirabile, obstupescendum, quod Pater generet Filium vnicum, intactâ illa suæ mentis Virginitate purissima. Vnde S. Gregor. Nazian. in carmine de Virginitate, ipsum sicut, & reliquas Diuinas personas Primam Virginem vocitare non dubitauit: *Prima Trias Virgo*.

Prima Virgo est Trinitas Sanctissima.

Innouatum est hoc signum, immutatum est hoc Miraculum, generat, & Mater illibatâ mentis simul, ac corporis puritate vnicum Filium, ad instar Leænæ cuiuspiam, *cui secundus non contingit partus*, vt ait Epiphanius: Ex quo infert Sapienter: *Non ergo alium partum nouit Maria*. Atque ita, vti canebat ille:

Sicut Leænæ vnicum edit Partum, sic B. V. Leæna de tribu Iuda.

Partus, & Integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

73. Signum magnum, mirabile, obstupescendum, à Patre generari Filium DEVM in similitudinem naturæ, eandem ei numero communicando Spiritualem substantiam, eandem gloriam, ac Maiestatem, impassibilem, immortalem, cum omnibus attributis, ac perfectionibus, ita vt Filius vera Dei inuisibilis, iuxta Apostolum sit Imago. Col. 1.
Innouatum est hoc signum, immutatum est hoc miraculum, generat, & Mater Filium DEVM pariter, & hominem, suam ei communicando substantiam, suæ quam simillimam, passibilem, mortalem. Præclarè enim S. Leo Summus Pont. Epist. ad Pulcheriam Imperatricem: *Nisi nouus homo*, inquit, *factus in similitudinem carnis peccati nostram susciperet vetustatem, & consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur & Matri, sub viro Diaboli teneretur humana Natura*.
Videre quis cupit hanc inter Matrem, & Filium naturæ similitudinem? Audiat Nicephorum Callixtum in sua Ecclesiastica Histor. libr. 1. c. vltimo. *Per omnia similis fuit ipsius Diuinæ atque immaculatę Genitrici*. Audite Richard. de S. Vict. in Cant. *Ipsa est specialiter species Christi præ omnibus speciosa, Christoque simillima, non solùm speciem Christi ipsa habens, sed etiam in alijs hanc restituens.*

B.V. Imagini Christus fuit persimilis.

B.V. & singulariter species Christi omnibus speciosa.

74. Signum magnum, mirabile, verè stupendum, Patrem omnipotenti suo Brachio vnicoque Verbo, Fiat, cælum, terram vniuersamque molitum fuisse creaturam. Innouatum est hoc signum, immutatum est hoc miraculum. Nam & Mater hæc sanctissima suo illo verbo, Fiat mihi, totum mirificè reparauit Vniuersum. Atque ita verè dici potest habuisse Deiparā Brachium, vt DEVS, vti loquitu Dominus apud Iob cap. Siquidem Brachium Domini Verbum est Patris, Augustino teste: & voce insuper, Fiat, illi initio mundi persimili intonuisse, qua mox vniuersa recreata renouataque fuit creatura.

75. Signam magnum, Miraculum obstupescendum fuit quando de costa Protoplasti Adæ producta fuit mulier. Sed hodie innouatum fuit hoc signum, immutatum est hoc miraculum, siquidem, vt ait Card. Halgrinus, ex sola mulierum benedicta, secundus Adam de Cælo cęlestis, absque vlla corruptionė efformatus est. Hæc nimirum inter generationes, est quarta illa felicissima, de qua Dominus ad Abraham. Gen. 15. 16. *Generatione autem quarta reuertentur huc*, in terram nimirum promissionis, sempiternæ illius felicitatis, vbi per Virgineam generationem de captiuitate Sathanica Tartarei Pharaonis fuerint liberati. Præcesserant iam in alijs retro sæculis tres aliæ productiones. Prima illa immediate à Deo facta, creando Adam de limo terræ. Altera Euæ ex latere, & costa Adæ, Tertia communis hæc omnium de viro & fœmina. In nulla harum hominibus contigit liberatio, huic quartæ, nimirum

Generatione B.V. reuertimur in terrā promissionis æternæ felicitatis.

nimirum Virgineæ, illibatæ, incorruptæ, hæc fælicitas, hæc beatitas, fęlix, beatumque reddens genus humanum reseruabatur.

76. Signum denique magnum, ac mirabile fuit, inquit Richar. à S. Laur. libr. 4. Hominem per summum nefas fieri voluisse DEVM, Virgam Aaronis, vti iam diximus, aridam atque ex siccam fronduisse, floruisse, fructumque produxisse. Sed in hoc incorrupto Virgineoq; partu innouata sunt, signa immutata sunt mirabilia; DEVS fieri homo, amore hominis nō est dedignatus. Virga, imò Virgo de radice Iesse, intacta Virginitate florem nobis Paradisi cælestis pulcherrimum, fructumque saluberrimum produxit; Verè flos amygdalinus benedictæ illius ac prodigiosæ Aaronis Virgæ est Dei, Virginisque Filius homo factus. Quemadmodum enim hic ante reliquos omnes festinat, & efflorescit, (: vnde amygdalus arbor vigilans, properans, ac festinans à sacris literis Hier. 1. circa illud:

Christus Flos amygdalinus ob celeritatem in nostra Redemptione.

Virgam vigilantem ego video, secundum varias variorum lectiones appellatur:) sic Dei Filius amore nostri stimulatus quàm celerrimè ad hominum liberationem redemptionemque aduolauit. Vnde celeritatem hanc, nec non Giganteos eius gressus admiratus Regius Psaltes festiuè concinebat:

Exultauit vt Gigas ad currendam viam à summo cælo egressio eius. Et rursus alibi:

Velociter currit sermo eius. Giganteos hoscè similiter celerrimosque gressus demirata sponsa: *Ecce*, aiebat, *iste venit saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum.* Cant. 2.

77. Hic est Flos ille, ac fructus suauissimus, quem præstolabatur Patriarcha Iacob, *quando moriens*, vt ait Apostolus Heb. 11. *adorauit fastigium Virgæ* Filij sui Iosephi, vt potè Proregis Aegyptiorum, qui suorum sceptrorum vertice, vt testatur Herodotus aut florem, aut lilium, aut etiam pomum in signum clementiæ, vti è contra alij, in signum seueritatis securim, &c. gestare consueuerant. In flore igitur qui in fastigio verticeque Iosephini emicabat sceptri, Florem hunc qui de incorrupta Virga germinauit Virgine contemplatus, quid mirùm si illum, vt pote DEVM suum adorauit, quid mirum si lætitia gestiens, collectis pedibus suis super lectulum, vt ait scriptura Gen. vlt. quendam quasi saltum dederit, currensque in eius odorem suauissimum, fiducia plenus dixerit: *Salutare tuum expectabo Domine?*

Flos in vertice Sceptri Iosephi Patriarchæ designabat Christum.

78. Hic nimirùm est Flos ille Regius, vtpote de Iessea atque Dauidica radice, ac stirpe ascendens, de quo sanè potiori iure canere poterat Romanus Poeta quam de Hyacintho, quam de Augusto Cæsare, & Lucio Floro:

Christus flos Regio Nomine inscriptus.

Dic quibus in terris inscripti nomina Regum
Nascantur flores?

Vis scire quibus in terris? In terra benedicta, nullo sulcata vomere, nullo circumfossa sarculo; in Virga Virginea, & incorrupta, de qua IESVS Dei Filius ad instar Regij floris in Nazareth, loco qui à flore nomen deduxit, germinauit: Hic est flos ille rationalis cuius in femore scriptum est: *Rex Regum, Dominus Dominantium*. Verè in flore hoc Regia quædam Maiestas, gloria ac magnificentia mirificè elucescit.

Vnde illam à longè contemplatus Isaias canebat c. 4. *In illa die erit Germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis*. O' quam appositè de flore hoc Virgineo, Matri incorruptionis gloriam duplicante idem cecinit Richardus.

Pneuma sacrum recipit, non visus spargit odorem,
Pascit apes, & eis ceram, cum melle ministrat.

Aduolate aduolate animæ sanctæ illicet ad instar apum mellilegarum, ad Regium hunc, cælestemque flosculum, de terra incorrupta, de Virga Virginea exortum, aduolate, inquam, & sugite in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento; mel mihi credite, suæ Diuinitatis, ceram suæ Humanitatis cum omnibus Spiritus S. donis super eam requiescentibus vobis affatim ministrabit.

Hic est flos ille venustissimus, flos amænissimus ac desideratissimus, ipsumque collium æternorum desiderium.

De quo longè aptiùs cecinisset Catullus in Carm. Nuptiali:

Vt flos in septis secretus nascitur hortis
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optare puellæ.

Et quid mirum? siquidem est, vti sponsa

sa in Cant. 4. amanter loquitur: *Totus desiderabilis*; seu, *Totus desiderium*, vt Theodoretus; seu, *totus Concupiscentiæ*, vt Hieronymus.

79. Flos igitur hic pulcherrimus Matris sanctissimæ integritatem non minuit sed sacrauit, longèque gloriosiorem effecit, & ipsius Dei Patris integritati quodammodo quam simillimam, vti diximus, & S. Andreas Cretẽsis Episco. Hierosolymit. orat. de Annunc. confirmat, vbi sic Gabrielem ad Virginem, in sermone eius, ob memoratum, ab illo conceptum, & partum, turbatam loquentem introducit: *Quodsi modum requiris, eum quoque tibi declarabo: Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, &c. Non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri gignetur, nulla carnis voluptas intercedet. naturæ enim terminos superat. Quamuis enim naturalis omnino conditionis non sit expers futurus, quem paries, præstantiori tamen ratione concipitur, & sine vlla perturbatione, quẽadmodum & ab æterno sine perturbatione genitus est. Quomodo hoc erit tibi? Cogita quomodo Virga floruit, quomodo Petra copiam aquarum effuderit, quomodo ignis in rubo ardens eum non combusserit. Quæ si credis, & id quod nuncio crede. Is enim hoc faciet, à quo, & illa facta sunt. Nouâ, & præter naturam ratione Mater es futura.* Eodem sermone, ob hanc tam Diuinam Virginitatis incorruptionem ingeminat illam verè benedictam: *Tu verè*, inquiens, *benedicta, cuius vterus arcæ cumulus est, quia benedictionis fructum, immortalitatis spicam Christum sine semine, sine cultoris labore, multiplicem frugum innumerabilium messem, illi nostræ salutis agricolæ protulisti. Tu verè benedicta, quæ sola ex omnibus Matribus Creatori tuo Mater electa es, & quod est Matrum omniũ proprium, ignoras, cuius quoque excellentia Virginitatis, maternis doloribus corrupta non est; Virgineo germine tuo signa tuæ castitatis integra conseruante. Tu verè benedicta, quæ sola, sine viri coniunctione filium genuisti, qui cęlum condidit, & terram, Virginitate tua, cęlis exæquauit.* Hæc ille, quibus florem simul, ac fructum Virginitatis in Deiparæ vtero indissolubili vinculo sociatum, inaudito hactenùs exemplo, extitisse declarauit.

80. Quod nobis S. Cyrillus libr. 4. Apologorum cap. 8. peruenustè Dialogismo inter lilia, rosasque ac Ficulneã ob oculos proposuit: Cum enim liliis, rorisque vicina aliquãdo ficulnea dul- *Dialogismus inter ficulneam, & rosas, liliaque.* cibus onusta fructibus exprobrasset: *Post tam amœnam rutilantiam floridam, vbi fructus vestri? Vanum quippè est florere sine fructu. Cui sic insultanti lilia, rosæque mox respondere: Benè scimus quod propter pruritum generationis, perdidisti gloriam floris. Nempè fructum paris dulcissimum, sed tamen pateris in radice pruritum, quo florem amisisti. Nobis autem ex plena puritate, ac suauitate substantiæ, flos ipse fructus est. Vnde in nobis Flos, & Fructus minimè distinguuntur, quoniam redundante puritatis flore, & odoriferæ sublimitatis humore, nobis idipsum factum est flos, & fructus. Nonnè vapor terræ purissimus, totus floridum in aurum concrescit; & ros dulcissimus cęli, virginitate vernante, in margaritam congemmascit? Igitur Rosa, & lilium, & flores fructiferi, & fructus floridi sunt. Annescis quod virginitatis virtus ipsa, clarissimus flos ac fructus sit? Mirabile igitur germen virginitatis sine germine non est, nunquam est flos, sine fructu, imo totus ipse est fructus: Sic vtique Sancta Virginitas ipsum naturę, & virtutis est germen preciosissimum, flos amœnissimus, & splendor clarissimus, fructus dulcissimus, decor præstantissimus, odor suauissimus, valor totus. Nimirum ipsa est naturę, & virtutis clarissima gemma, summa temperantia, perfecta victoria, Spiritus supra germen, gloria tota. Vt rosa igitur fragrans, ac lilium rutilans est Sancta Virginitas flos, & fructus, ad cuius quidem fragrantiam Vnicornis attractus suauiter currit; cuius dulcedine ferocitas eius mãsuescit, cuius puritate validissima eius potestas delectata, quasi victa in nitido gremio Virginali, reuerentialiter prostrata recumbit.* O virtus magnetica Virginitatis ad se naturam trahens! O Saphyrus mirabilis castitatis omnem fugans destruensque famam venenosam! O smaragdus rutilans perpetuæ viriditatis, puritas inuiolatæ integritatis amatrix, fœtidam Veneris nullatenus patiens corruptelam! Hæc Cyrillus.

Flos Virginitatis est simul fructus.

Odore Virginitatis Vnicornis attrahitur, eiusq; ferocitas mansuescit.

In Virginitate Virtus magnetica, ad pertrahendos homines.

81. Quibus sanè pulcherrimam illibatæ Deiparæ nostræ Virginitatem, absque vlla corruptione Filium, florem venustissimum, fructum dulcissimum ad instar Aaronicæ Virgæ germinantem, ac proferẽtem ob oculos proposuit. Quare Virgo hæc sacratissima, flore incorrupto Virginitatis, fructuque suauissimo fœcunditatis decorata, iure merito gloriatur: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis.* Eccli. 24. Quam Guerricus Abbas Virginis expendens glo-

B. V. Virginitate sua fructificauit suauitatem odoris.

gloriam sic eam serm. 1. de Natiu. B.V. loquentem introducit: *Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum.*

Quæris quomodo Virginitas genuit Saluatorem? sicut flos vitis odorem. Si corruptum in veneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Saluatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim est aliud virginitas, quam flos inuiolati corporis? Quid aliud est Filius virginitatis, quam suauitas odoris? Sanè suauitate huius odoris refocillabatur Spiritus Patriarchæ senis, qui Filium tangens, & fragrantiam Christi sentiens, de memoria abundantiæ illius eructabat: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Suauitatem huius odoris odoratus est Dominus Pater, & delectatus, repropitiatus est humano generi, cum filius offerret semetipsum oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Hoc suaui odore trahimur cum per conuersationem trahimur ad ipsum; hoc trahuntur adolescentulæ cùm per deuotionem currunt post ipsam.

Quia ergo tam odoriferum fructum edidit, glorietur Maria, & dicat, Ego quasi vitis fructificaui suauitatis odorem. Quasi vitis, inquam, illa, quæ dixit: Ego sum vitis vera. Siquidem in omnibus eius puritatem tam animi, quam corporis æmulata est. Concludit tandem pijssimus Abbas eiusdem Virginis prosopopeiâ, Virginitatem suam attollente: *Talis est igitur Dilectus meus, & iste est Filius meus. Iste est benedictus fructus ventris mei, hunc fructificauerunt flores mei.*

Non ait flos, sed flores. Quia cum Virgo sancta est, flos Virginitatis, in ea multiformis est. In Maria tamen gratia singulari, præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus, & foris, tota vernabat quadam florulentia, & venustate pudoris. Hæc ille, quibus sanè pulcherrimè Virginea Deiparæ mirè commendatur incorruptio.

B.V. caro incorrupta, eo quod Filium omnis corruptionis expertem pepetit.

82. Verum quid opus est animati huius cæli incorruptionem, ab illibata virginitate comprobare? cum ipsa per se etiam considerata, nulli corruptioni obnoxia pronuncianda sit, eo ipso quod Dei Filius, ex ea carnem assumpserit, eiusque caro, caro fuerit virginis. Quod nobis lapis ille abscissus de monte, sine manibus Dan. 2. comprobauit, qui sanè eiusdem naturæ cum lapide montis esse debuit. Lapidem hunc eiusdem substantiæ, naturæque futurum, cum petra montis agnoscens Isaias, eumque non duritiem aut insensibilitatem lapidis, in pietatis visceribus, humano generi exhibendis, sed potius mitissimi blandissimique naturam Agni habiturum sciens, tam anxijs desiderijs illum expectabat ca. 16. *Emitte*, inquiens, *Agnum Dominatorem terræ de Petra deserti, ad Montem Filiæ Sion.* Vbi per Petram deserti intelligitur incorrupta virgo, nullo humano opere exculta, ab omnibus mundi illecebris deserta, quæ eiusdem substantiæ naturæque Petram Christum, absque manibus, idest operatione hominis, edidit.

B V. Petra Agnum Dominatorem terræ emittens.

83. Ne porro Petram hic insensibilem, & duritie quadam seueritatis obrigescentem esse arbitraremur, Agnum, vti diximus, emittere perhibetur vt intelligamus Petram hanc deserti in benignitate, ac facilitate erga genus humanum Ouem, seu Agnam esse, vti eam S. Georg. Nicom. Archiep. vocitauit orat. de Præsent. eiusdemque naturæ futuram cum mansuetissimo Agno, tollente peccata mundi, quem nobis Virgo erat paritura. Quæ omnia, & præsertim Virgineam Deiparæ integritatem considerans idem Guer. Abb. serm. 2. de Annunc. sic vaticinium illud declarauit: *Emitte*, inquiens, *Domine Agnū de Petra deserti, idest, abscinde Petram, de petra, sanctum, & inuiolabilem, sancta, & immaculata proferat Virginitas. Sanè in hoc ipso satis decenter Christi occasus, ortui, sepultura cōceptioni respondet, dum videlicet emittitur Agnus de Petra deserti, condendus in petra monumenti, & cuius corpori monumentum excidendum erat in Petra, ipse ab inicio conceptus sui, corpus sibi excidit de Petra, & corpori locum, in petra, sic integritatem petræ, cum de ea emitteretur, non imminens, sicut nec signatam sepulturę petram, cum de ea egrederetur, aperiens. Si ergo Petra Christus, vt ait Apostolus, non degenerat à Matre Filius, quoniam, & ipsa Petra nomine censetur.*

Sicut Petra est Christus, sic & eius Mater & Petra deserti.

An non rectè vocatur Petra, quæ, & in amore integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso, aduersus illecebram peccati, tota insensibilis erat, ac lapidea? Annon rectè Petra Virginalis integritas, quæ & nihil parit per naturam sui, cum parit, roris virtute Diuini, nec admittens conceptum, nec emittens partum nouit aperiri. Hæc Guerricus.

Cur B. V. Petra appellatur?

84. Vbi attentius expendendum illud: *Non degenerat à Matre Filius*; quod asseuerat etiam B. Arnoldus Abbas Carnotensis lib. de laud. Virg. vbi hanc ob causam Filij gloriam eandem cum

Matris

Matris esse prædicat. Expendendum, inquam, Matrem à Filio non degenerasse. Quod si ita est, vti est verissimum, quemadmodum Filius Sanctus non vidit corruptionem, ita omnino Matrem corruptionem minimè vidisse ob carnis naturæq; identitatem inferendũ est. Quo argumento vsus est D. August. To. 9. serm. de Assumpt. comprobare volens Deiparæ corpus post ipsius ab anima dissolutionem, nullam passum fuisse corruptionem vtpotè quod Sanctum Sanctorum continuit;

B. V. caro vti & Filii non vidit corruptionem.

Nunquid, inquit, *non pertinet ad benignitatem Domini Matris seruare honorem, qui legem non soluere venerat, sed adimplere?*

Lex enim sicut honorem Matris præcipit, ita illius inhonorationem damnat. Qui enim in vita præ ceteris illam gratiâ sui conceptus honorauit, pium est credere singulari saluatione eam, in morte, etiam speciali gratiâ honorasse. Potuit enim eam à putredine, & puluere alienam facere, qui ex ea nascens potuit Virginem relinquere. Putredo namque, & vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quo opprobrio cum IESVS sit alienus, natura quoque Mariæ excipitur, quam IESVS de ea suscepisse probatur. Caro enim IESV, caro est Mariæ, & multo specialius, quam Ioséphi, Iudæ cæterorumque fratrum eius, quibus dicebat: Frater enim, & caro nostra est. Caro enim Christi, quamuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cælos ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit, manetque natura, quæ suscepta est de Maria.

Caro Christi est caro est Mariæ.

85. Ex qua consideratione tandem Sanctissimus infert Doctor, non decuisse corpus carnemque Virginis in sepulchri tenebris delitescere, sed in cælum ad dexteram Filij transferri, vt cui erat carne consubstantialis, foret eadem etiam in gloria quoad fieri potest coæqualis: *Ipse idem*, inquit Sanctus, *qui cælos ascendit, & carnem quam de Matre suscepit, super astra transuexit, honorans omnem humanam naturam, sed multò magis maternam. Si igitur natura Matris est Filius, conueniens est, vt sit, & Filij Mater; non quantum pertinet ad æquam administrationem, sed quantum pertinet ad eandem reciprocam substantiam. Quantum igitur contueor, quantum intelligo; quantum credo, Mariæ anima claritate fruitur Christi, & gloriosis conspectibus, eum semper videre sitiens, & semper conspiciens, dum inæstimabiliter pascitur, excellentiori quadam, specialique prærogatiuâ à Filio honoratur, possidens in Christo Corpus suũ, quod genuit clarificatum in dextera Patris, & si non suum, per quod genuit, tamen suum quod genuit. Et quare non suum per quod genuit? Si non obuiauerit necdum perspecta auctoritas, verè credo, & per quod genuit, quia tanta Sanctificatio dignior est cælo, quam terra. Thronum Dei, Thalamum Domini, Domum atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse vbi ipse est. Tam preciosum enim thesaurum dignius est cælo seruari, quam terra, tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur. Istud igitur sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, escam vermibus traditum, in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco.* Hactenus Augustinus.

Christus ad cælos ascendendo omnẽ humanam naturam honorauit, carnem quam de Matre sũpserat ad dexteram Patris euehẽdo.

M. Thronus Dei, Thalamus Domini, Domus, & Tabernaculum Christi ac preciosus Thesaurus.

86. S. Anselmus verò asserit corporis hanc incorruptionem debitam fuisse Deiparę ob meritorum super omnes sanctos eminentiam: *Non dubitandum est*, inquit ille, *Beatæ Mariæ merita apud DEVM incomparabiliter excelluisse, nec aliquem sanctorum singulariter, nec etiam omnes communiter illi soli æquari posse.*

Iustum est autem, vt cum maiora eius sint apud DEVM merita, excellentiora etiam ab eo percipiantur præmia. DEVM porrò constat nihil quod iustum est negligere. Quapropter B. Mariam iam gloria resurrectionis dotatam, & perpetua immortalitate vestitam nostra præsumit credulitas. Cum enim amplior sit eius iustitia, & copiosior ei fuerit data gratia, quomodo corpus eius, ipsius videlicet Dei Templum, spes adhuc resurgendi maneat? spes quę omnium animas fęlici expectatione solicitat? Neque verò præsumptuosum est si credamus, quod illa omnes sanctos præcessit in præmio, quam scimus omnes præcessisse in merito. Conuenit certè Dei iusto iudicio, vt magnitudo muneris amplificetur velocitate retributionis, præsertim cum pro doni liberalitate nihil donatoris detrahatur copię. Imo Virginis commendetur iustitia, extollantur merita, atque accendatur fides nostra. Sic Anselmus.

Quia B.V. est maior sanctitas, quam reliquorum Sanctorum, ideo ipsius corpus videre nõ debuit corrupt.

87. Consulendus de hac sacratissimi Virgineique Cæli incorruptione deuotissimus Bernardinus Bustius Par. 11. serm. 1. partic. 7. vbi luculenter varijs rationibus probat decuisse Filium honorare Matrem in anima, & corpore, idque conuenientissimum eius fuisse sapientiæ, Bonitati, atque omnipotentiæ. Quæ sanè mirificè etiam ab instanti ipsius immaculatæ Conceptionis, & totius vitæ sanctissimæ decursu, ad

Conueniebat Diuinæ Omnipotentiæ, Bonitati, & Sapientiæ Matrem à corruptione přęseruare.

ad extremam vsque periodum eluxit, ita vt, & in hac postrema vitæ catastrophe canere potuerit: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum Nomen eius.*

Vnde iam memoratus Augustinus totam hanc Virginei corporis incorruptionem Diuinæ attribuit potestati, de qua ipse Filius: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Si,* inquit, *Saluator sua potestate sanctorum suorum de capite capillum perire non sinit, quanto magis Matrem anima, & corpore integram eadem potestate seruabit? Si elegit Diuina voluntas solâ gratiâ inter crepitantes vehementium ignium flammas, non solum puerorum corpora seruare illæsa, verumetiam ipsa vestimenta seruare inusta, cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veste aliena? Ionam seruare in ventre Ceti præter naturalem vsum voluit incorruptum, sola misericordia, Mariam incorruptam præter naturam, non seruabit gratia? Seruatus est Daniel ab intemperantissima fame Leonum, non seruanda est Maria tantis dotata meritis dignitatum?*

Diuinæ Omnipotentiæ varia Miracula, quæ multo magis in Matre Dei è corruptione prçseruãda reluxere.

Concludit tandem: *Dignè igitur videtur lætari Maria lætitia innenarabili in anima, & corpore in proprio Filio, per proprium Filium, nec vllam sequi debere corruptionis ærumnam, quam nulla secuta est tantum Filium pariendo integritatis corruptio, vt sit semper incorrupta, quam tanta perfudit gratia, sit integraliter viuens, quæ omnium integram perfectamque genuit vitam, sit cum illo, quem suo gessit vtero, sit apud illam, quæ eundem genuit, fouit aluitque Maria Dei Genitrix, Dei ministratrix, Dei secutrix.* Sic August.

Atque hæc de animati huius Virgineique cæli incorruptione dicta sufficiant. Nunc ad eiusdem huius cæli actionem, influxumque considerandum veniamus.

88. Probabile siquidem est Cælum etiam Empyreum agere in subiecta corpora, vt docet D. Thom. 1. P. Q. 66. art. 3. Albertus, Maioronius, Durandus, Richardus.

Cælum Empyreum agit in subiecta corpora.

Cum vnũquodque, teste Aristotele 7. Eth. *sit operationis suæ gratiâ.* Hinc Gen. 2. dicitur: *In die septimo cessauerat ab omni opere, quod creauit DEVS vt faceret*, hoc est, vt non esset otiosum, sed ageret, quasi dicat Moyses: *Ideo creauit DEVS sua opera, vt operarentur, & agerent.*

Quælibet creatura ideo est, vt operetur.

Hinc S. Damasc. lib. 2. de fide Orthod. cap. 23. *Minimè*, inquit, *congruit in mundi vniuersitate aliquam esse substantiam otiosam, & actionis expertem, cum vnumquodque sic propter suam operationem.*

Cum igitur Virgo Deipara Cælum quoddam sit Empyreum, agat in hac inferiora necesse est. Sentiunt actionẽ hanc omnes, qui eius peculiari cultui sunt addicti, dum rara intellectus lumina, voluntatis ad cælestia ac Diuina accensa desideria, insignia virtutum omnium incrementa in se experiuntur. Sentiunt actionem hanc ipsius Nomini dicata Sodalitia, dum Sacramentorum frequentatione, sedula virtutum exercitatione, assidua cælestium meditatione, eiusdemque Virginis Sanctissimæ vitæ, morumque imitatione, se variarum gratiarum cælestium donis, ac charismatis exornatos cumulatosque animaduertunt.

B.V. tãquam cælum Empyreum, agit in hæc inferiora influẽdo gratiam, &c.

Quare præclarè supra memoratus Bernardinus Bustius Part. 2. Marial. serm. 3. pronunciauit, quod *quemadmodum mediante cælo, eiusque luminaribus terra, varijs fructibus fœcundatur, profertque aurum, argentum, lapidesque preciosos: Ita Virgo Maria totam Ecclesiam suis illustrat exemplis, fœcundat Spiritus S. donis, fructiferam reddit operibus bonis, eamque virtutibus preciosis locupletat.*

Sicut mediãte Cælo terra fęcundatur, fructibusque repletur, ita etiam per Mariam Dei Ecclesia.

89. Et quia hæc cælorum actio in vitali quodam in hæc inferiora potissimùm consistit influxu, quo arbores, herbæ, animantia viuunt, crescunt, atque vegetantur, benignum hunc quoque nobis Deipara Virgo communicat influxum, quo vita, Spiritus vel maximè conseruatur, deperdita restituitur adeo vt de illa post DEVM dicere possimus illud Apostoli Act. 7. *In ipsa viuimus, mouemur, & sumus.*

Ostendit vitalem hunc influxum Virgo beatissima in militem illum, qui tempore Sigismundi Regis Hungariæ in prælio cecidit; Cum enim vt scribit Bonfinius Decad. 3. libr. 3. num. 40. & 50. secundo, tertioue anno post, aliqui in eum campum descendissent, vbi dimicatum fuerat, altissimumque cadauerum aceruum spectarent, audita est vox IESVM, & Mariam subinde resonans. Ad vocis locum inter ossa mox acceditur, disquiritur, quidnam hoc sibi velit, cum ecce tibi, loquax inter cadauera caput inueniunt. Quibus illud: *Quid hic tantopere stupescitis? Christianus ego sum, & Magnæ Matri Diuæ Mariæ semper addictus, peccatis inexpiatus hoc in bello occubui. Magna Dea, in cuius tutela vitam degi, me æterni supplicij reum esse non patitur, hic me adhuc linguæ compotem seruauit, vt*

B.V. Militem in peccato mortali absq; Confessione mortuum vitæ restituit.

delicta fateri queam. proinde Sacerdotem, qui confessionem audiat, & me expiatum reddat, accersite quæso. Cum quæreretur ab adstantibus, quomodo tantum beneficij à Dea promeruisset, respondit; peculiare sibi fuisse in vita septem Diuæ Virginis festa peculiari pietate ac reuerentia celebrare, religiosissimisque ieiunis ex pane, & aqua duntaxat decorare, illique totas animi vires dedicare. Tandem vbi ex vicino pago aduenit sacerdos, confessione rite peracta, nouissimaque lustratione accepta, caput illud repente ope Deiparæ meliorem vitam sortitum conticuit. Inspirauit illi nimirum dubio procul halitum longe præstantioris vitæ, videlicet æternæ, ostendens reuera se esse vitæ suppeditatricem, vitam viuentium, & causam vitæ, vt eam vocauit B. And. Cretensis Episc. orat. 2. de Dormit. Deip.

M les septē festa B. Virg. præmio ieiunio honorās mori absque confessione non potuit.

Maria vitæ suppeditatrix & vita viuentium.

90. Verè in tanti prodigij contemplatione cum Sancto Hildephonso sermon. 1. de Assumption. dicere possumus: *Hæc est Mater Domini, per quam nobis vita redonatur.* Quam liberalitatem erga suos clientes in illa Sponsus agnoscens: *Emissiones, ait, tuæ Paradisus:* seu vt legit Hebr. *Emissiones tuæ ex ore Paradisus.* Ac si dicat: Tu Mater mea quemadmodum in cæteris omnibus DEVM Creatorem æmulans, sic etiam in creatione. Sicut enim ille in Paradiso inspirauit in faciem hominis spiraculum vitæ, seu vitarum, sic tu viuifico tuo halitu vitam æquè corporalem, ac spiritualem clientulis tuis, amicisque fidelibus insufflare videris, dum eas saluas, incolumes in corpore, & anima conseruas. Denique indicare vult spōsus: Halitum ipsum Virginis per eius os in hominem transfusum, ecce vitam quandam Paradisiacam, esse vitam immortalem, & æternam, nosque miseros assiduâ eius in nos emissione, exhalatione, influxuque huius Virginei halitus in vita vtriusque hominis, dum nobis, suis efficacissimis apud Filium precibus Diuinam gratiam, quæ ipsa est vita animæ impetrat conseruari. Hinc præclarè Origenes Hom. 2. in Cant. hascé Emissiones vniuersim, ait esse munera sponsæ, quæ suis clientulis pro opportunitate elargitur. Quare idem Sanctus Antistes assiduum influxum hunc vitæ perennis in Virgine contemplans, ad eius venerationem inuitabat omnes: *Ecce fons immortalitatis qui non potest exinaniri, venite qui morte affecti estis, haurite. Ecce vitæ fluuij perennes, adeste omnes, efficiamini immortales.* Accedamus igitur amoris passibus ad Virginem, nosque totos eius obsequijs, seruitijsque quam humillimè mancipemus, ac consecremus, vberrimum sane fructum seruitutis nostræ ex ipsius benignissimis, vitalibusque gratiarum influxibus experiemur.

Per Mariam nobis vita redonatur.

B.V. DEVM in donanda vita hominibus imitatur.


B. V. est fons immortalitatis, qui non potest exinaniri.

91. Sensit animati huius Cæli vitę immortalis influxum Ferdinandus Lusitaniæ Princeps Virginis cultui addictissimus, dum An. 1443. 5. Iunij ex hac vita migraturus Deiparam lectulo astātem specie Matronæ sublimi loco insidentis, multisque cinctæ aulicis, miro splendore collucentibus conspexit. Ex his S. Michael supplicanbundum se coram ea abijciens dicebat: *Oro Domina vt seruum tuum tibi, mihique semper impensè deditum tot malis exuas, & copus nostris adiungas.* Vix finierat, cum Sanctus Ioannes Euangelista hæc ad eam protulit: *Ne tuum hunc asseclam Mater, & Domina pluribus damnis atteri patiaris. Iam ad conuiuium Nuptiarum Agni inuitetur, quando nullis vnquam sordibus vestimenta inquinauit.* Horum precibus exorata Virgo, pijssimis illis suis, velut vitalibus syderibus, aspexit oculis, & hac eadem die, illum Cælitibus, vitâ beata perfruentibus, annumerandum pronunciauit.
Atque ita Princeps hic Deiparę semper studiosissimus, Christum Dominum, Beatissimamque eius Genitricem, Diuinorumque omnium merita implorans, placidissimæ vitæ huic mortali, æuiternâ, beneficio influxuque Virgineæ gratiæ, potitus æuiternum victurus viuere desijt. In Kal. Deipar. 5. Iunij.

Ferdinandus Lusitaniæ Princeps moribundus B.V. lectulo adstantem conspexit.

S. Michael & S. Ioannes Euangelista pro Ferdinādo apud B. V. intercedūt.

DI-



DISCVRSVS XII.

Quod Virgo Deipara Primi Mobilis in se similitudinem expresserit.

1. POST cælum Empyreum reponunt Astrologi Cælum aliud, quod ipsi Primum mobile appellant, eo quod ab assistente Intelligentia motum, moueat, rapiatque secum reliquos orbes tanta, tamque admirabili velocitate vt 24. horarum spatio ab oriente in occidentem suum cursum conficiat. In hoc quoque cælo creando crediderim vniuersorum Opificem oculos defixisse in Virginem, vt ei eiusdem proprietates communicaret. Siquidem gloriatur ipsa vniuersaliter in creatione cælorum omnium, se Conditori adfuisse, vt eorum perfectiones pulchritudinemque in se transcriberet: *Quando præparabat*, inquiens, *cælos aderam*. Quemadmodum igitur cælum hoc inter omnia mouibilia ob velocitatem motus celerrimam, Primum Mobile nuncupatur; sic sanè Virgo gloriosissima prima est inter omnes creaturas, quæ ad promptè exequendam Dei voluntatem mouentur, (vt taceam de eius promptitudine ac velocitate, qua ad succurrendum mortalibus vti consueuit, de qua sæpius dictum est:) velocissima extitit, adeò, vt de illa bene dixerit Salomon Sap. 6.

B.V. Primum Mobile dicitur ob promptitudinem Deo obediendi celerrimã.

Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia. Cum enim ab inhabitante intus Spiritus Sancti virtute potius, quàm ab assistente Intelligentia moueretur, sanè in omnibus suis operationibus debuit esse velocissima, cum vt Diuus loquitur Ambrosius, *nesciat tarda molimina Spiritus S. gratia*. Quare Diuus Ioannes Damascenus mentem Virginis ab ipso Deo motam fuisse sensit cum admirabundus orat. de Nat. B. Virginis exclamauit: O' Diuinum ad mundi simulacrum ad quod Opifex DEVS inuentus est, mentem quidem diuinitus gubernatam habens. Idem sensit Richar. à S. Laur. lib. 7. de laud. B.V. *Motus*, inquit, *cæli vniformis est, & quasi stabilis in bono, & B. V. secundum beneplacitum Diuinæ voluntatis continuè mouebatur per obedientiam regularem, cuius regula erat diuina voluntas. Et sicut Motus cæli est velox, & imperceptibilis, nec vnquam retrocedit: Sic, & ipsa semper progressa est de virtute in virtutem, nec vnquam substitit in via Domini, in qua non procedere, retrocedere est*. Hæc ferè Richar.

B V. omnibus mobilibus mobilior, quia intus ab inhabitante Spiritu mouebatur.

B V Mens ab inhabitante Deo mouebatur.

2. Et licet hanc diuinis nutibus obediendi promptitudinem Virgo Deipara totius vitæ decursu, in omnibus suis actionibus præsetulerit, præsetulit tamen vel maximè, consensu illo promptissimo in Incarnationem Dei Filij; Cùm enim decretum fuisse in cælesti augustissimæ Triados consistorio intellexisset, vt Verbum in eius purissimo vtero carnem assumeret, illicò, promptitudine inaudita, assensum præbuit: *Ecce*, inquiens, *Ancilla Domini fiat, &c.* Quam obedientiam admirans Virginis S. Augustinus serm. de Ann. in illam exclamationem erupit: *O' felix obedientia, ò insignis gratia, quæ dum fidem humiliter dedit, cæli in se opificem corporauit! Impleuit ea Dominus, quę dudũ promiserat: Obedientiam malo quam sacrificium, & scientiam Dei magis quam holocausta. Hæc fuit vera obedientia, omni sacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hostijs acceptior. Hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum hausit: Ecce, inquiens, ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. In promptissimi huius consensus laudes sic excurrit S. Bern. Sen. To. 3. serm. 6. ar. 2. c. 3. *O' verbum omni acceptione dignum, quod sic tam ardens exprimit desiderium, quod de sinu*

B.V. obediendi promptitudo in Incarnatione Verbi.

Laudes Consensus B V. facti in Incarnatione Verbi.

Patris rapuit Dei Filium! O' verbum transitorium, quod complectitur sempiternum! O' gratum responsum, quo Filium Dei recipit sponsum! ò verbum Virgineum, sed tamen validum, quod ad se trahit Dominum. Verè magnum expressit suum desiderium, quando toto operi tam facilem adhibuit consensum. Sic Pater Seraphicus.

3. Hanc Virginei assensus promptitudinem idem S. Bernardinus ar. 1. cap. 2. pulcherrima explicat similitudine, quæ nobis Virginis in assentiendo celeritatem simul, atque humilitatem declarat: *Cogitabat*, inquiens, *Dei aduentū, velut quendā immensissimū, & infiniti ponderis montem, qui ipsam sub se intra se funditus sepeliret, eiusque nihileitatem, suæ æternitatis, & totalis vniuersitatis pondere ineffabiliter pressam in æternum teneret. Si enim Iob. 31. ait. Semper quasi tumentes fluctus super me timui DEVM, & pondus eius ferre non potui.*

Quanto magis in ista, in qua de monte Maiestatis Diuinæ, habitante in ea, excisus est lapis, qui fractâ statua mundanæ vanitatis, factus est mons magnus, replens vniuersam terram. Dan. 2.

Hic cogitandum quam citò, cum lapis in mare demergitur, subsidat aqua eique momento temporis locum præparet. Nō secus sanè se habuit Virgineum Mare hoc Maria, cum lapis ille angularis immensus, imò Mons diuinitatis, eius vtero quodammodo est demersus.

4. Nec mira nobis hæc in Virgine Diuinæ voluntati obsequendi celeritas videri debet. Nouerat enim illa eam tot sæculis, à sanctis Patriarchis, ac Prophetis, tot annorum myriadibus expetitam, nouerat ab Angelis, imò ab Augustissima Trinitate, magno desiderio expectatum, ab eaque totius humani generis salutem, quam mirificè semper desiderabat, dependisse.

Labia B. V. fauus distillans.

Quare Guilelmus Abbas encomium illud oris Virginei planè dulcissimum Cant. 4. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua;* declarans, sic de hoc Virginis assensu loquitur:

Potest hic Spiritualiter tempus illud notari, quo ex eius ore quodammodo veritas omnis Prophetiæ, atque humani generis salus pendebat. Cum enim Dei Filius iam fletibus, & suspirijs antiquorum iustorum responderet, qui iam penè vsque ad raucedinem clamauerant: Excita Domine potentiam tuam, & veni ad saluandum nos; cùm, inquam, iam excitaret potentiam suam, vt exiret à Patre, & veniret in mundum, non vt iudicaret mundum, sed vt saluaretur mundus per ipsum, cælestem nuncium præmisit ad Virginem, de cuius carne munda sumpturus erat, quod suæ personæ vnitum tempore suo offerret Patri in redemptionem multorum, vt ei humanæ redemptionis mysterium panderet, atque eius consensum, atque cooperationem flagitaret. Nolebat enim omnipotens carnem sumere ex ipsa non dante ipsa, sicut sumpsit de dormiente, & non dante Adam, vnde formauit Euam.

Absque consensu B. V. noluit DEVS facere Incarnationem.

Ad futuræ Matris excellentiam non tantùm ex ipsa carnem suam sumere, sed etiam ipsa volebat. Denique missus ad eam Gabriel dixit: Aue gratia plena, &c. Ecce quàm blandè aggreditur, qui missus erat eius consensum elicere, non extorquere. Ecce, ait, concipies in vtero, & paries Filium, &c. Q. D. Consenti Virgo per fidem mysterio reconciliationis humanæ, quia elegit quidem te DEVS in hoc singulare mysterium, sed tamen de nesciente, vel inuita, non vult sumere hostiam reconciliationis.

Quod profectò ad singulare meritum, & gloriam tibi est. Hilari ergo fide da illi de te, quod in salutem omnium expendatur.

Credis, scio, sed non sufficit simpliciter credere, nisi fidem ore expresseris, non accipiet Altissimus de te hostiam salutis. Dic ergo verbum dulce, dic quod dictura es, quia tempus loquendi est, non tempus tacendi. Noli tuo silentio salutem omnium suspendere, vel impedire, ne videaris Prophetarum veritati, & omnium Saluti nunc inuidere. Ecce os tuum respiciunt Angeli hominum amatores, Sancti Patriarchæ, & Prophetæ apud Inferos positi expectant verbum tuum quasi imbrem serotinum, & omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc sub expectatione verbi dulcissimi.

Quin dicis, quod dictura es? Adhuc labia tua, sicut mel in faui cera? quia nondum erupit verbum dulcissimum. Adhuc sunt labia tua sicut fauus, sed distillans, idest, occultæ dulcedinis aliquid emittens, dicendo: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Adhuc mel, & lac sub lingua tua, verbum nempè illud dulcissimum, quod erit mel Angelorum, & lac mortalium. Vt ergo lætentur Angeli, lætentur homines, non sit vlterius tam dulce mel, & tam dulce lac sub lingua tua, sed potius in lingua tua. Non vlterius bonum verbū sub modio abscōdatur, sed ad salutem omniū in luce ponatur. Nec morata Virgo: Ecce inquit, Ancilla Domini, &c. Hoc planè verbum dulcisonum, quod, & Angeli, & homines desiderabant audire. Hoc verè est mel, & lac, quod erat sub lingua Virginis. Hæc Guilelmus, ex quibus satis colligi potest, quā libenter, quam celeriter Diuinis nutibus

Ecce Ancilla Domini &c. est verbum dulcisonum, quod Angeli, & homines aud re desiderabāt, est etiam mel, & lac sub lingua Virginis.

bus obtemperarit, cuius assensum tam terra, quam cælum, tam anxijs desiderijs anhelauit.

5. Eandem Deo obsecundandi promptitudinem in Virgine nostra manifestant verba illa sponsæ Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera Matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Hæc enim verba idem Guilelmus vult esse ipsius Deiparæ nectentis cum præcedentibus, quam etiam sic loquentem introducit: Verè omnia poma noua, & vetera dilecte mi seruaui tibi; non quærens gloriam meam, sed tuam, quod tamen in meam gloriam suo tempore insigniter redundaret. Vnde etiam accepto desuper nuncio, quia ex me corporaliter nasci, & cum hominibus conuersari visibiliter dignareris, id quidem maturius impleri flagrantissimis votis optabam, sed tamen stupefacta præ magnitudine deuotionis in tuis auribus verecundè clamabam: Quis mihi det te fratrem meum, & cet. Polliceris, quod mihi Filius nascaris, sed vtinam nascendo de alia qualibet, vel frater mihi nascaris in meam omniumque salutem. Et vnde hoc mihi vt Dominus meus nascatur ex me sumendo hostiam humanæ redemptionis ex me, & de meis pascaris vberibus, qui etiam Angelos pascis in cælestibus? Transferatur si placet hæc tam grandis, & præclara dignitas ad aliam quālibet generis Abrahæ, dum tamen Sacramentum à sæculis conditum compleatur, quia iam instat plenitudo temporis; venias, qui venturus es liberare populum tuum; nascaris, & mihi sufficit; nutriaris, & sufficit. Verum tamen si hanc mihi singularem dignaris tribuere dignitatem, vt de meis nascaris visceribus, & de meis nutriaris vberibus, non sum incredula, vel ingrata: Ecce Ancilla tua Domine fiat, &cet. Nam nec Pater noster Abraham incredulus, vel ingratus extitit, cum tibi Filium ex ea, cui iam desierant fieri muliebria, pollicenti, miraculi nouitate stupefactus, & Diuini muneris acceptator verecundus, respondit: Vtinam Ismael viuat coram te. Sic nimirùm pollicenti tibi per Angelum, quod ex me nasci dignareris, tantæ dignationis pondus non ferens, & multo rectius quàm Abraham obstupescens, respondeo: Quis mihi det te fratrem meum.

B. V. humilitas, qua se indignam vt esset Mater Dei arbitrabatur.

Vtinam vel frater mihi sis, per humanæ communionem naturæ, qui te mihi Filium polliceris. Vtinam hoc mihi simpliciter tribuas, vt incarneris, qui te ex me incarnandum polliceris! Incarneris tantùm, & sufficit mihi, frater meus sis tantùm. Hoc mihi tantùm tribuas, quod cæteris per Incarnationem tuam, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat, & sufficit mihi. Nam omnibus dilectis tuis, quibus secundum carnem Frater esse dignaberis, hoc interim per Incarnationis sacramentum largieris, vt inueniant te foris, & deosculentur te, & iam eos nemo despiciat. Inueniris siquidem iugiter intus, sed ab his, qui sunt intus, idest, ab Angelis sanctis, porrò ab his, qui sunt foris idest ab hominibus non inueniris intus, sed nec foris, adhuc inueniris ab eis, qui totus es apud Patrem. Itaque per Incarnationis mysterium exi à Patre, & veni in mundum, vt inueniant te homines foris, scilicet, à te traijciendi intus. Egredere ad nos, vt nos facias ingredi in gaudium Domini nostri. Non intrabimus nisi tu exeas, non inuenimus te intus, nisi prius inuentum, & osculatum foris. Egredere, idest, incarnare, vt inueniamus te foris, & deosculemur te, inueniamus te foris per fidem incarnationis tuæ, & deosculemur te puritate dilectionis. Quippe inuenire te, & non deosculari, nihil est, quia fides sine charitate mortua est. Inueniamus te foris in veritate carnis nostræ visibilem, & deosculemur te in perferendis passionibus pro nobis amicum mitem. Quis autem despicere nos poterit, te inuento, & deosculato à nobis? Quis poterit despicere homines in Deo homine facto? Quis vilem iudicabit hominem, precio sanguinis tui pro hominibus dato? Nemo ergo nos despiciat, nemo planè, quia nec Deus, nec Angelus siue bonus, siue malus. Non Deus, quia propter te hominem, & in te homine curabit homines. Angelus bonus non, quia, & ipse propter te hominem, homines amabit, eorumque saluti, quantum in ipso est hilariter ministrabit. Porro Angelus malus inuidebit quidem, sed tamen timebit homines propter te hominem, vnde nec ipse despicere poterit homines, te propter homines homine facto. Ex quibus sanè Virgineæ voluntatis in Incarnatum

Christus est etiam Frater B. V. per humanæ communionem Naturæ.

Post Incarnationem nemo potest hominé, nec DEVS nec homo, nec Angelus bonus, aut malus despicere.

natum Verbum ardentissimis, simulq; cellerrimis ac promptissimis, & ad instar ignis volitantibus affectibus, colligimus quo impetu Deipara ad Diuinam exequendam voluntatẽ moueretur, & in se Primi mobilis velocitatem repræsentarit, dũ eum in carne videre, eiq; famulari deuotissime anhelabat.

B. V. Omnes Virgines velut primum Mobile reliquas sphoeras ad sui imitationem rapuit.

6. Neque verò solum Virgo nostra celeritatem Primi Mobilis, verum etiã alias proprietates in se expressit; sicut enim hoc rapit suo motu reliquas cælestes sphæras; Sic B. V. pulcherrimo suarum virtutum exemplo omnes, ac virgines præsertim ad sui traxit imitationem. Cùm enim ipsa primo omniũ, velut Primum quoddam Mobile, votum Virginitatis emisit, mox Virgines, veluti cælos quosdam, post se ad sui imitationem rapuit. Vnde enim tot Virginum sacrarum cœnobia, velut copiosissima apum examina, quam ab huius Reginæ Virginum exemplo prodiere? Suauissimo nempe Virginitatis, ceu candidissimi lilij reliquarumque virtutum, velut suauiolentium aromatum odore attractæ, atque raptæ, spretis carnis oblectamentis huiusque mundi delicijs, atque illecebris post illam cucurrere. Quare B. Albertus Magnus Tract. super Missus præclarè pronunciauit: *Beatissima Virgo est Mater omnium, Virginitate; quia sine præcepto, sine consilio, sine exemplo sola prima omnium gloriosum munus Virginitatis Deo obtulit, per quod & omnes virgines per imitationem in Virginitate genuit, ideoque ei soli conuenit, sit Virgo Virginum, id est Mater omnium Virginum.*

B. V. est Mater omnium Virginum.

B. V. Prima omnium Virginitatem vouit.

7. Agnouit primum Mobile ad vouendum Virginitatem Virgines promouens esse Deiparam S. Bernard. Homel. 3. super Missus, dum illam sic alloquitur: *O' Virgo prudens, ò Virgo deuota quis te docuit Deo placere Virginitatem? Quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris testamẽti, vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam? Vbi legeras de virginibus, quia cantant canticum nouum quod nemo alius cantare potest, & sequuntur Agnum quocunque ierit? Vbi legeras laudatos esse, qui se castrauerunt propter Regnum cælorum? Vbi legeras in carne ambulantes, non secundum carnem militamus? Vbi audieras: volo vos omnes esse, sicut & me ipsum? De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum, nisi quod vnctio docebat, te de omnibus, ac sermo Dei viuus & efficax ante tibi factus est Magister, quam Filius, prius instruxit mentem, quam indueritcarnem. Christo ergo deuoues te exhibere virginem, & nescis quod ipsi exhiberi te oportet etiam Matrem? Eligis in Israel esse contemptibilis, & vt illi placeas cui te probasti, maledictum incurrere sterilitatis, & ecce maledictio, benedictione commutatur, sterilitas fœcunditate compensatur.* Agnouit Primum Mobile ad vouendam Virginitatem esse Virginem S. Hildephonsus serm. 5. de Assumpt. *De ista*, inquiens, *dicitur optimam partem elegit, quia prima omnium fœminarum Deo Virginitatem obtulit, & idcirco promeruit, vt Dei Filius ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet.* Agnouit denique Beda Venerabilis Hom. de Annun. *Verè*, inquiens, *gratia plena, cui diuino munere collatum est, vt prima inter fœminas gloriosissimum Deo Virginitatis munus offerret.*

B. V. ideo optimam partem elegit, quia prima omnium fœminarũ Deo Virginitatẽ vouit.

8. Hinc factum, vt illa vexillum Sanctæ Virginitatis, veluti Duce extollente, innumeras Virginum cohortes, exemplo suo contra mundum, Tartarumque dimicaturas euocauerit. Vnde S. Ambros. lib. de Instit. Virg. capit. 5. *Egregia Maria*, inquit, *quæ signum sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ Virginitatis pium Christo vexillum leuauit, & omnes ad cultum Virginitatis Sanctæ Mariæ aduocantur exemplo.* Hinc S. Gregorius Nazianzenus in carmine de Virginitate, de Virgineo hoc Virginitatem Deo vouendi sic modulatus est exemplo:

Ante quidem vmbroso in paucis splendore micabat
Dum lex iura daret terris, & in orbe vigeret
Exiguis spectanda notis, &c.
At postquam Christus per castæ viscera Matris
Absque Patre, & tædis, vitæ progressus in auras
Lustrauit muliebre genus, tum deniq; nostro
Virginitas generi præclaro lumine fulsit.

9. Affulsit hoc Virgineæ puritatis lumen menti Adolescentis illius Angelici Edmundi, qui vt vinc. Belluac. lib. 31. spec. Hist. cap. 70. 71. scribit, cõsilio cuiusdam sacerdotis perpetuam Virginitatem coram Virginis Imagine vouit, & annulum cui incidi fecerat: Aue Maria, in ipsius Imaginis digito inseruit. Ex quo tempore, sicut ipse moriẽs fassus est, quoties eiusdem Virginis præsidium inuocauit, ipsa in tentatio-

S. Edmundus consilio cuiusdam pij Sacerdotis vouit B. V. virginitatẽ.

tatione prouentum, in persecutione solatium, in tribulatione remedium, in dolore gaudium sibi celeriter impetrabat. Vt porrò Virgo Deipara gratam hanc virginitatis ab Edmundo factam sibi oblationem demonstraret, in annulo Episcopali, cum quo sepeliebatur, cunctis videntibus idem illud; Aue Maria, incisum apparuit. Atque ita par pari virgo benignissima reddidisse visa est.

10. Pietas porrò hæc sibi Virginē quasi desponsandi, quantum ad effugandas carnis tentationes, facesque libidinis extinguendas conferat, varijs exemplis comprobatum est. Certè in Annuis Societ. IESV Cordubensis Col. Ann. 1610. refertur à quodam sodali Nostrum Patrem auditum fuisse, ad corporis lasciuiam compescēdam prę-cipuè valere annulum literis, Aue Maria, inscriptum, si eodem quis Virgini se quodammodo desponsaret. Id quod exemplo eiusdem huius declarabatur Edmundi. Voluit ergo, & ipse experimentum huius rei facere, & contra easdem molestias eodem remedio vti. Quod ita planè successit, vt hominis naturam, ea in parte prorsus exuisse sibi videretur. Adeò Angelica Salutatio placet Virgini, vt pro illa Angelicam puritatem suis clientulis impertiri non dedignetur.

Annulus cū inscriptione Salutationis Angelicæ remedium cōtra libidinē.

11. Quid memorem Augustam Pulcheriam pulcherrimum Mulierū Principum, augustissimumque ornamentum? Glycas sanè grauis auctor ait, eam Deiparæ Virginitatem consecrasse, & in Martiani Imperatoris coniugio illibatam, vsque ad mortem custodisse. O' quàm præclarè S. Ioan. Damascenus Virginem nostram compellauit Orat. 1. de Natiuit. B.V. *Tu virginitatis feracissima Planta, per te enim Virginitatis pulchritudo latissimè sese diffudit*, ad Pulcheriam nimirum Augustam, ad Aulas Principum, Regum, Imperatorum, vbi vt plurimum carnis illecebris indulgetur. Quapropter D. August. serm. 1. de Annunc. Primum quoddam Mobile Virginem agnoscens, cuius exemplo moueri, rapique reliquæ Virgines ad Virginitatem Deo vouendum debeant, admonuit: *Imitamini Virginem quantum potestis*. Et D. Hier. ser. de Assumpt. Paulum, & Eustochium hortatur: *Idcircò dilectissimæ amate, quam colitis, & colite quam amatis, quia tunc eam verè colitis, & amatis, si imitari velitis, toto corde quam laudatis*.

Pulcheria Imperatrix Deiparæ suæ Virginitatē consecrauit.

B.V. Virginitatis feracissima planta.

Virginibus imitanda B. Virgo.

12. Et verè quis eius virtutum prę-clarissimo exemplo, velut odore ad illam imitandum non pertrahatur? Cum ipsa sit areola illa aromatum, quorum odore delectatus cælestis spōsus de cælo ad illam aduolauit, aliosque ad currendum in odorem eius vnguentorum atque aromatum excitauit. Vnde sponsa in Cant. aiebat: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum*. Quæ verba ponderans Iustus Episcopus: *Descendit*, inquit, *ad hortum suum, quando visitauit aduentu suo Israel populum suum, sicut ipsemet ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Areolam autem aromatis ipsam S. Mariam Virginem intelligendam accipimus, ex ea quippè odor iustitiæ ortus est Dominus IESVS Christus*.

B.V. Areola aromatum.

13. De suauissimo hoc aromatum, virtutum videlicet omnium odore, quo Virgines, reliquique eius deuoti exciti clientuli ipsius sanctissima exempla consectantes post illam cucurrerunt, Virgo gloriabatur Eccli. 24. *Sicut Cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris*. Quæ verba expendens Seraphicus Bonauen. in spec. cap. 7. eaque ad exēpla ipsius, tam internæ virtutis, quam externæ transferens, sic loquitur: *Odor Mariæ fuit sicut cinnamomum in cortice conuersationis; sicut balsamum interius in vnctione deuotionis; sicut myrrha in amaricatione castigationis. Fuit quoque odor Marię sicut cinnamomum in actione; sicut balsamum in contemplatione, sicut myrrha in Passione. O verè diues, quæ tam plena fuit odorifero Spiritus Sancti balsamo*. Hæc Bonau. Alanus quoque agnoscens quam efficax fuerit Deiparæ exemplum ab Virginitatem, reliquasque virtutes eius amplectendas, consectandaque eiusdem vestigia, Nomen ipsius Oleo vndequaque effuso comparauit, in cuius odorem suauissimum Virgines potissimum cucurrere: *Cuius*, inquiens, *Nomen præconatur mundus, nisi virginis huius? Cuius laus celebratur in ore populi fidelis, nisi Virginis Matris? Cuius humilitas nobis proponitur in exemplo, nisi Virginis Mariæ? Cuius Virginitas nobis datur in speculum, nisi Virginis incorruptæ? Eleganter porrò fama, & gloria Nominis eius oleo effuso comparatur. Oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit,* flam-

B.V exemplum sicut cinnamomū, & balsamum ad pertrahēdas post se Virgines.

B.V Nomen Oleum effusum, quod odore suo mundum ad se traxit.

flammam nutrit. Sic & laude Virginis reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina inuitamur, aduersitatibus fessi, eius patientia recreamur, vitæ eius forma illustramur.

Nominis fama diffunditur, & ideo non solum oleo, sed & oleo effuso Nomen eius comparatur. Quia sicut oleum effusum magis redolet, sic quanto magis Nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur. Vnde subditur: Ideo adolescentulæ propter hunc virtutum ac præsertim Virginitatis tuæ odorem, dilexerunt te nimis, clamantque singulæ: Trahe me post te, curramus in odorem vnguentorum tuorum.

B.V. tanquam primum Mobile Apostolos velut cælos post se traxit.

14. Neque verò solùm respectu Virginum Primum Mobile extitit Deipara, sed, & respectu Apostolorum, qui animati quidam sunt cæli gloriam Domini enarrantes; Dum enim in hac vita degeret, ad illam tanquam ad oraculum in omnibus Catholicæ religionis negotijs confugiebant, ab eius ore, consilijsque pendebant. Vnde S. Amadeus Hom. 7. de laud. B.V. ait hanc vnicam ob causam post ipsius dilectissimi Filij in cælos ascensum, ad Discipulorum, totiusque Ecclesiæ solatium, atque eruditionem in terris fuisse reseruatam, vt illius nutu, veluti primi Mobilis motu, & ipsi, & vniuersa militans Ecclesia regeretur. Postquam enim quæsijsset. *Vt quid enim, retardata est vel ad momentum, aut passa Nati diuortium?*

B.V post ascensionem Domini in mundo remansit, vt Apostolos, & Ecclesiam erudiret.

Vt quid dilatum est feruentius igne tam sanctum eius desiderium? Mox rationem subijciens, Respondit: *Quoniam ista dilatio, Discipulorum Christi non minima consolatio fuit. Ista dilatio Matri nil minuit, & mundo contulit remedia salutis. Voluit enim Dominus IESVS, vt ipso ad Patrem reuertente, Apostoli materno solatio, & eruditione fruerentur. Qui quidem licet edocti essent à Spiritu, ab illa tamen poterant edoceri, quæ mundo iustitiæ solem edidit, & fontem Sapientiæ, ex prato Virgineo, intemerato nobis alueo produxit.*

Mira denique pietate primitiuæ Ecclesiæ prouisum est, vt quæ DEVM in carne hac præsentem iam minimè cerneret, Matrem eius, visu iucundissimo recreata videret.

Hæc Amad.

B.V. Non optabat cum Christo, sed post Christū cælos ascendere, quia interim optabat Ecclesiæ prodesse.

15. Eandem in hoc sæculo Virginis mansionem miratur Ioan. Ger. Tr. 2. in Magnif. maximè cum latro conuersus in Cruce eâdem die incola Paradisi sit factus, aitque potuisse Virginem aliqua tangi inuidia, si non fecisset eam charitas vnum cor, & vnam animam cum eo. Quare respondit, suasisse eandem charitatem quærentem quæ Dei sunt, habere hic vitam in patientia, propter electos Dei per se, & ex se, de mysterijs veræ fidei edocendos.

Hinc Guilelmus Abbas ait hanc ob causam optasse Virginem, post Christi in cælos profectionem, in hac vita remanere, cum dixit: *Trahe me, non tecum, sed post te ò mi dulcis IESV, ò gloria tuæ Matris IESV! Redis nunc ad Patrem, trahe me post te Matrem, vt videat pia Mater charitatem quam habes ex Patre. Vt mutuam vicem reddas Matri, quæ pro tempore meis vberibus paui te, nunc delicijs diuinitatis tuæ pascatur à te. Lacte meo paui te, & quibus potui cibis alui, in diebus humilitatis tuæ, nunc qui potes inebria me ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ pota me. Nec ait: trahe me tecum, sed trahe me post te; quo charitatem suam erga genus humanum clarissimè manifestat. Non petit cum Filio cælum ascendere, quia licet sciret se multo tædio afficiendam absente Filio in terris, sua tamen, Ecclesiæ commodis postponebat, & nolebat adhuc rudi deesse sermonibus suis de mysterio Incarnationis plenius informandæ, & exemplis ad spiritualem profectum excitandæ.* Sic Guilelmus.

16. Quapropter Rupertus Abbas asseuerare non dubitauit primo illi Hierosolymis Apostolico habito Concilio, Virginem sapientissimam præfuisse, omniaque eius velut cuiusdam primi Mobilis directione tractata atque conclusa vt alibi fusius comprobatum est. In alijs etiam Apostolorum conuentibus eandem Primi Mobilis actionem peragere visa est, vt testatur S. Hildephonsus Archiep. Tolet. serm. 5. de Assumpt. *Apostolorum conuentui nobili contubernio semper adhærebat Sanctissima Virgo, cum illis semper habitabat, seseque Dominicis conspectibus præsentari frequenter gaudebat. Eam verò optimam partem, quam Maria Magdalena in specie, & figura gerebat Dei Genitrix iure, & verè firmissimè retinebat, & cum Apostolis de humanis Christi actibus, vt veriùs, ac specialiùs cognoscebat, sic veriùs, ac specialiùs conferebat, vt ab ea discerent, qualiter arcanum tanti mysterij, & ipsi crederent, & lucidiùs alijs enarrarent, & cùm oportunum fuisset sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent.*

B.V. Primo Apostolico Concilio Præfuit.

M. Magistra Apostolorū.

Hæc Hildephonsus.

17. Quid plura hic commemorem? Audeamus sanè dicere non modo in hoc orbe, sed, & modo in cælis Primum Mobile esse Deiparam? Cum ipsa sola

per

per se post augustissimam Trinitatem, vt Ioannes Gerson Parisinus Cancell. affirmat Tract. 6. in Magnif. constituat Hierarchiam, sitque, vt ipse loquitur, suprema Hierarchizans post Filium purgando, illuminando, & perficiendo. Quare idem Cancellarius Tract. 4. ait, *quod ipsam suscipit Dominus recordatus misericordiæ suæ, eam super omnes choros Angelorum collocans, eamque ita magnificans, vt Regina cæli imò mundi iure vocitetur, habens præeminentiam, & virtutem influxiuam super omnem principatum, & dimidium Regni Dei, nempe misericordiam.*

B.V. est suprema Hierarchizans post Filium purgando, illuminando, & perficiendo.

Quibus verbis sat clarè ostendit Virginem gloriosissimam esse velut Primum Mobile, siquidem super omnes Angelorum Hierarchias sortita est præeminentiam, virtutemque influxiuam super omnem principatum, reliquosque beatorum Spirituum choros, quos velut Regina potentissima ad omnem suum nutum mouet, regit, ac dirigit, ita vt illos motu suæ voluntatis vel minimo, ad instar inferiorum cælorum secum rapere videatur.

18. Hoc nobis declarauit Angelus in suo serm. apud S. Brigittam c. 20. *DEVS*, inquiens, *ipsius Virginis animam super omnes cælos mirificè sublimauit, eique imperium super vniuersum mundum donauit, & Angelorum Dominam æternaliter ipsam constituit. Qui quidem Angeli ita postmodum obedientes Virgini effecti sunt, vt omnes Inferni pœnas libentius sustinerent, quam aliquibus eius præceptis in aliquo contradicerent.*

Angeli ita sunt subditi B. V. vt libentius omnes pœnas Inferni sustinerent, quā ipsis præceptis contradicerent.

Addit insuper ipsos apostatas, reprobosque Spiritus nutui Virginis mirè obsequentes ac subditos: *Super omnes etiam malignos Spiritus*, inquit Angelus, *ipsam sic DEVS potentem effecit, vt quotiescūque ipsi aliquem hominem Virginis auxilium ex charitate implorantem impugnauerint, ad ipsius Virginis nutum illicò pauidi procul diffugiunt, volentes pœnas suas, & miserias sibi potius multiplicari, quam eiusdem Virginis potentiam super se taliter dominari.*

B.V. potētia contra malignos Spiritus.

Tandem totam hanc Virginis præeminentiam, qua velut Primum Mobile nutu suo potentissimo inferiora mouet omnia, profundissimæ ipsius attribuit humilitati; *Et quia*, inquiens, *inter omnes Angelos, & homines ipsa est inuenta humillima, ideo super omnia quæ creata sunt, facta est sublimissima, omniumque pulcherrima, ipsique Deo super omnia simillima.*

Cùm vt canit Boetius lib. de consolat. Philosophiæ.

Immobilisque manens dat cuncta moueri.

19. Agnouit S. Gertrudis Virgo Deiparam post augustissimam Trinitatem esse Primum quoddam mobile, spiritualem motum gratiæ in animis suorum clientum imprimens, cum die Annunciationi ipsius sacro, vt habetur in eius lib. 4. Reuel. c. 12. dum cantaretur Aue Maria, talis visio menti eius repręsentata est. Videbat ipsa tres riuulos efficacissimos procedentes à Patre, & Filio, & Spiritu S. cor Virginis Matris suauissimo impetu penetrātes, & rursus de corde eiusdem efficaci impetuositate suam originem repetentes.

Salutationis Angelicæ virtus, atque efficacia.

Agnouitque ex hoc Sanctissimæ Trinitatis tam pleno influxu, Beatæ Virgini donatum fuisse, vt ipsa post Patrem esset potentissima, sapientissima post Filium, & benignissima post Spiritum Sanctum. Cognouit insuper quod quotiescumque illa salutatio Angelica cū deuotione à fidelibus recitatur in terris, riuuli illi efficaciori impetu superabundantes Virginem beatissimam circumfluant, & ex altero latere in cor eius sanctissimum reinfluant.

Salutatio Angelica mira lætitia B. V. Angelos, & Sanctos omnes afficit.

Atque ita mira delectatione fontem suum repetant; & tandem ex illa tam copiosa redundantia, venæ quædam gaudij, delectationis, æternæque salutis diffundantur in personas Sanctorum, & Angelorum, mortaliumque omnium, qui in terris eandem salutationem commemorant. Per easdem venas denique vidit omne bonum renouari in singulis, quod aliquando per salutiferam Incarnationem sunt indepti.

Agnouit Primi huius Mobilis in hęc inferiora præ omnibus sanctis gratiarum influxum S. Thom. Opusc. 8. *Magnum est*, inquiens, *in quolibet Sancto quando habet tantùm de gratia, quod sufficit ad salutem multorum. Sed quando haberet tantùm quod sufficeret ad salutem hominum de mundo, hoc esset maximum, & hoc est in Christo, & in B. V. Nam in omni periculo potes obtinere salutem ab ipsa Virgine gloriosa. Vnde Cant. 4. dicitur: Mille clypei pendent ex ea, id est, remedia contra pericula. Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium, & ideo dicit ipsa Eccli. 24. In me omnis spes vitæ, & virtutis.*

A Christo & B.V. obtinetur defensio in omni periculo.

Agnouit denique Primi huius Mobilis potentissimum post DEVM gratiarum omnium influxum, S. Germanus Constantinop. Patriar. orat. de Præsent. B. V. *Certè Domina Deiparens, certè meum refugium,*

M. nostrum refugium, vita, & defensio, arma & gloriatio, &c.

fugium, vita, & defensio, arma, & gloriatio, spes, & robur meum, concede mihi, vt, & ego quoque cum ea fruar inenarrabilibus bonis, & quæ comprehendi non possunt tuis bonis in cælesti perseuerantia. Habes enim, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, vt quæ sis Mater Altissimi, & propterea audeo.

Ne ergo priuer expectatione mea ô Domina intemerata, quæ vniuersorum expectationem supra rationem peperisti Dominum nostrum IESVM Christum. Sic S. Germanus.

20. Cùm igitur ad Sanctissimæ Deiparæ nutum velut ad primi Mobilis motum sese & Virgines, & Sancti Apostoli, omnes denique cælestes Angelorum Hierarchiæ conforment, eiusdemque ductum sequantur, sapienter admodum aguntij, qui mox vbi de lectulo mane consurgunt, ipsi se, omniaque sua, cogitationes, verba operaque, ac quæcunque tandem negotia siue spiritualia, siue temporalia illa sint, dirigenda, ac gubernanda cōmittunt. Fieri enim minimè potest, quin huiusmodi hominum actiones, & rectissimæ, & Sanctissimæ sint, vtpotè à Virgine velut primo, eoque ordinatissimo Mouente directæ.

Quod fortasse nobis insinuare voluerunt ij, qui illam Horologio compararunt. Quemadmodum enim hoc rectè regulatèque moueri dicitur, cum ad incessum Primi Mobilis viginti quatuor horarum spatio cursum suum conficientis sese conformat: sic quicunque Virgineo huic, animatoque Horologio Primaque Mobili, vitam mores, actionesque suas omnes conformauerit, directionemque ipsius ac gubernationē secutus fuerit, miram in rebus omnibus concinnitatem, prosperitatemque sortietur. Quare sapienter Pater noster Spinellus in Thro. Deip. cap. 38. n. 9. mane cum primum surgimus orationem illam recitandam suadet in honorem Virginis, vt eius nutu velut Primi Mobilis motu omnia nostra dirigātur: *O' Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ hodie, & quotidie, & in hora exitus mei animam meā, & corpus meum tibi commendo, omnem spem meam, & consolationem meam, omnes angustias, & miserias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo, vt per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita omnia mea dirigantur, & disponantur opera secundum tuam, tuique Filij voluntatem.* Amen.

Mane vbi primum surgimus B.V patrocinio nos cōmendemus.

Tum num. 10. idem Pater consulit, vt antequam domo, quis egrediatur Virgini beatissimæ velut peculiari suæ Dominæ in cubiculo, coram eius imagine se suaque negotia peragenda commendet, ac sub eius amplissimo pallio, peculiari videlicet patrocinio tantisper cogitatione se sistat, eoque munitus præsidio contra varias hostium tam visibilium, quam inuisibilium insidias, foras exeat dicendo: Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria, recitatâ prius Angelica Salutatione. qua in re sequendum omnino Diui Hieronymi in deprecando est consilium saluberrimum, quod Sanctæ illi Virgini dedit Eustochio Epist. 22. Egredientes hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, antequam sessio, nec prius corpusculum quiescat, quam anima pascatur.

21. Amplectendum quoque sapiētissimum Landspergij monitum, qui in ordinario breui manuscripto de ratione viuendi Carthusianorum sic loquitur: *Persoluto sacro, redditisque debitis gratijs rediens ad cellam ad Imaginem B. Mariæ, quæ Custos iuxta fores cellæ tuæ vigilat, paulisper subsiste, aut si festinato intrandū est, dum claui reseras ostium, ora Matrem Dei, vt te adoptet, teneat, possideat in Filium: Cellam ingressus primum sit, quod ante omnia facias, vt in oratorio ad orationem procidas, Beatam Mariam tuæ cellæ Patronam, ac Dominam salutaturus. Dic ergo mente deuota vnum, Aue Maria.* Sic egisse visus est Sanctissimus ille Anachoreta Ioannes Abbas, de quo Sophronius in Prato spirit. capit. 180. ita loquitur: *Habebat Senex in specunla Imaginem immaculatæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ in vlnis ferentem Christum Dominum, & Saluatorem nostrum. Quoties igitur abire volebat ad locum aliquem, vel per vastam solitudinem, siue Ierosolymam ad sacram crucem adorandam, & venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis gratia, siue ad Martyres distantes Ierosolymis multis prolixisque interuallis, nunc pergendo Ephesum ad S. Ioannem, nunc Euchaitam ad S. Theodorum, nunc ad S. Theclam in Seleuciam, nunc ad S. Sergium in Saraphas, modo ad hunc, modo ad illum Sanctum, reficiebat candelam, & accendebat, vt illi erat consuetudo, atque ad orationem stans, Deoque, vt suum iter dirigeret supplicans, dicebat ad Dominam, intendens in ipsius Imaginem: Saneta Domina nostra Dei Genitrix, quia longum iter iturus sum, diebus multis*

Ingrediētes egredientesque cubiculo Imaginē B.V. salutent tanquam Cubiculi nutricem.

Pietas cuiusdam Anachoretæ in Imaginem B.V. cui lampadem accēdebat.

multis perficiendum, candelæ suę tu curam habe, eamque ne extinguatur iuxta propositum meum serua. Ego enim adiutorio suo comitante iter arripio. Hisque ad Imaginem dictis, egrediebatur, pactoque proposito itincre, reuertebatur aliquando post mensem sępe etiam post Duos, vel tres menses, nonnunquam post quinque vel sex, & ità reperiebat integram candelam, & ardentem, sicut eam, cum iter arriperet, dimiserat, & nunquam hanc à seipsa extingui vidit, neque à somno surgens, neque à peregrinatione rediens, neque ex Eremo ad speluncam pergens. Quo sane pijssimo facto ostendit se Deiparam tamquam Primum Mobile, & suæ peregrinationis, & suarum actionum directricem habere. Hinc piam illam laudabilemque in Italia natam crediderim consuetudinem qua coram Virginis Icone in qualibet pæne domo, præsertim diebus Sabbati lampades eius honori accenduntur, vt sic illam benignissimam domus suæ patronam, protectricem, atque illuminatricem, viarumque suarum, atque actionum directricem fateantur.





DISCVRSVS XIII.

Quod B. V. Deipara Firmamenti, seu cæli stellati similitudinem in se repræsentarit.

I. INTER creaturas omnes quæ Dei Matrem nobis ob oculos ponunt, nullam crediderim aptiorem reperiri, quàm firmamentum, quàm ipsum cælum sydereum. Siue enim eius claritatem, siue stellarum tàm multiplicium primæ, secundæ, tertiæ, quartæ magnitudinis innumerabilem contemplemur multitudinem, mirum in modum tam internam, quam externam Virginis nostræ pulchritudinem, animi corporisque nobis repræsentant. Quid enim pulcherrima illa cæli claritas, quam eminentissimam ac plusquam Angelicam animi puritatem nobis indicat in Deipara? Quid tanta stellarum, ac constellationum varietas, quàm ipsius virtutum ac priuilegiorum planè singularissimorum multiplicitatem, nulli hactenùs puræ concessam creaturæ? Stellas primæ magnitudinis iure dixerim esse Diuinam Maternitatem, quam sicut Rupertus Abbas, inter arbores Cedrum altissimam, ita nos inter Sydera stellam primæ magnitudinis appellamus. Stella item primæ magnitudinis est Virginea fœcunditas, ac fœcunda Virginitas, profundissima Virginis humilitas, atque obedientia, aliæque ipsius virtutes eximiæ.

In B. V. velut Cęlo sydereo stella primæ magnitudinis est Diuina Maternitas, & virginitas fęcũda.

Quare iure meritò S. Epiphan. libr. de laud. B. V. eam eiusque vterum firmamento comparauit: *O vterum qui es octauum cælum septem firmamentis celsiorem! O vterum habentem inextinguibile lumen lucentis gratiæ, idest, septem dona Spiritus Sancti, quæ septem Planetis respondent.*

Iure etiam meritò B. Bern. serm. 3. in salue Regina verba illa vniuersorum Conditoris ponderans Gen. I. *Fiat firmamentum, & diuidat aquas, ab aquis,* ad Virginem conuersus dixit: *Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina, quæ eum, quem cæli capere non poterant cepisti, & concepisti, portasti, & non defecisti, genuisti, aluisti, pauisti, mammasti, & educasti. Tu in medio aquarũ diuisisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum, ab affectibus temporalium. Posuit DEVS in hoc firmamento Solem, & Lunam, Christum, & Ecclesiam, & stellas prærogatiuas gratiarum multas.*

2. Sanctus quoque Antoninus 4. P. tit. 15. cap. 22. *Cælum*, inquit, *est Virgo quo ad animam totam cælestem, plenam charitate, & syderibus virtutũ, in qua propter maximam eius puritatem requieuit DEVS, & in corpore eius terreno humili, & fructifero, tanquam in scabello steterunt pedes eius, Humanitas videlicet Christi in ventre eius assumpta. Ibi, & Sol, maximus Sol iustitiæ Christus DEVS noster, quem cæli capere non poterant suo gremio nobis contulit.* Audiendus hic B. Albertus Magnus super Missus.

B V. Cælum est quoad animam totam cęlestem plenam syderibus virtutum.

Quid indicat secundo die positum firmamentum in medio aquarum, quod habet fixas stellas, in sui ornamentum, & diuidit aquas ab aquis? nisi Beatissimam Virginem, quæ habet stellas in corona 12. stellarum, idest omnium Sanctorũ, in capite suo positam. Firmamentum, hoc in medio aquarum est .i. in medio Sanctorum viæ, & Sanctorum patriæ, diuisa prius ab vtrisque existens supra communem statum viæ, & infra statum patriæ, communicans cum vtrisque, habens cum superioribus virtutum perfectionem, cum inferioribus merendi conditionem. Item cum superioribus securitatem contra casum, cum inferioribus passibilitatem ad meritum. Denique cum superioribus exultationem, cum inferioribus cordis compassionem. Sic Alber.

3. Richardum denique Laurentinum lib. 7. de laud. B. Virginis audiamus, qui rationem etiam nobis adfert, cur

Cur B V dicatur Firmamentum.

cur Virgo nostra appelletur firmamentum: *Maria,* inquiens, *Firmamentum dicitur; quoad se, & quoad nos. Quo ad se, quia sic firmata est in omni virtute, & gratia, maximè in Filij conceptione, vt postea nullo modo peccare vel venialiter, vel mortaliter potuerit. Vnde ipsa de se fatetur: Et sic in Sion firmata sum. Quoad nos, quia suos firmat in bono, & in ipsis firmat gratias, ac virtutes.*

Firmamentum dicitur B.V. quia ita fuit confirmata in gratia vt nunquam peccare potuerit.

De ipsa specialiter dictum est Dan. 3. Benedictus es Domine in firmamento cæli. Cùm enim omnia opera Domini benedicant ei, excellentius tamen benedictus est in firmamento cæli, quod est Maria, non solum quia ipsa singulis creaturis singulariter præeminet, verùm etiam, quia luminarium suorum, virtutum videlicet, ornatu multiplici, instar firmamenti miram potentiam in se mirabiliter ostendit. Quæ quidem luminaria in ea posita sunt, non tantùm vt in ea luceant, sed etiam vt distinguant inter diem, & noctem, inter vitia nimirum, ac virtutes, & illuminent terram, terrenorum videlicet hominum animos. Hactenùs Rich.

DEVS vel maxime benedictus in firmamento cęli. i. Maria.

4. Porrò quemadmodum tota Firmamenti venustas ac pulchritudo ex insigni luce, stellarumque varietate potissimùm resultat: Sic Virginis eximia illa perfectio, atque excellentia, ex mẽtis puritate, virtutumque omnium copia emicabat. Hoc intellexisse visus est Sapiens cùm dixit Eccli. 43. *Species cæli, Virginis nimirùm, quæ animatum quoddam cælum extitit, gloria stellarum.* Quasi diceret: Si quis eximiam illam formam, pulchritudinemque Virgineæ admiratur mentis, eam totam stellarum, virtutum scilicet pulcherrimarum, adscribat gloriæ, quæ illam non modo pulchram, verum etiam toto orbe gloriosam reddiderunt. In ipsa enim omnium Iustorum, qui per stellas designari consueuere, virtutes ac merita veluti compendio quodam compræhenduntur. Vnde Sapiens Idiota in Contempl. B. V. cap. 1. *Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non Zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia, & humilitas Virginum. In summa nullo genere vacasti virtutum; quodcunque donum alicui sanctorum datum est, tibi non fuit negatum, sed omnia, omnium sanctorum priuilegia in te congesta.* Hinc S. Bern. Sene. To. 1. serm. 6. art. 2. cap. 3. ait Virginem super omnes inferiores ordines tam hominum, quàm Angelorum simul sumptorum improportionaliter esse prælatam, & quicquid est gloriæ in omni inferiori glorificata natura, tam Angelica, quam humana, multo præcellentius esse in Virgine Matre Dei.

Pulchritudo cæli Virginei ex virtutum splendore redundat.

B. V. super omnes ordines tam Angelorum, quam hominum improportionabiliter esse prælatam ob virtutes.

5. Hinc B. Laurent. Iustin. serm. de Assumpt. *Merito,* inquit, *quicquid honoris, quicquid felicitatis habebatur in singulis, totum abundat in Maria. Hanc ob causam Corona Sanctorum omnium vocitari consueuit. Quemadmodum enim Corona Regum, Principumque capitibus eminet, eaque condecorat, ita Virgo meritis virtutibusque suis sanctis super eminet omnibus, eosque gloriæ suæ luce venustat.* Eandem ob causam S. Bonau. in Spec. cap. 14. *Coronam anni Dominicæ benignitatis appellauit.* Explicans enim illud Psalm. *Benedices Coronæ anni benignitatis tuæ. Est,* inquit, *annus qui habet dies solos, Iustos videlicet, & hic est annus benignitatis, cuius B. V. Corona est. In Anno huius benignitatis boni benignissimè coronantur. Huius autem Anni benedicti Corona est benedicta Virgo Maria. Ipsa certè est Corona omnium dierum huius anni, quia ipsa est Corona omnium Sanctorum cæli. Corona super caput poni solet, sic Maria quasi super capita omnium Sanctorum locata est, vt testatur B. Hieronymi. Exaltari meruit super choros Angelorum, & peruenit vltra quam nostræ humilitatis est natura. Filius Mariæ summa certè est Sanctorum Corona, Maria verò Corona sub Corona. Patet ergo quam sublimiter benedicta sit Corona nostra, Mater nostra Maria.* Intellexit omnium Sanctorum merita, ceu stellas Deiparam compræhendere idem B. Laur. Iust. serm. de Nati. B. V. cum dixit: *Tota pulchra absque delicto sine mentis, & corporis deformitate, Deo, & hominibus amabilis, Sanctitatis pellucidum speculum. Nullus planè mortalium, quamuis donorum cælestium numerositate sit præditus, huic valet Virgini coæquari, Patriarcharum vtique Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, omnium Sanctorum merita Maria beata transcendit; eisque velut cælum venustissimis syderibus exornatur.* Sic ille.

Cur B.V. Corona Sanctorum omniũ dicitur.

B.V. Corona Anni Dominicæ benignitatis quare dicatur?

B.V. Sanctitatis pellucidum Speculum.

6. Hoc nimirùm est semen illud Abrahæ, quod se multiplicaturum sicut stellas cæli prædixerat Dominus Gene. 22. Illa enim adhuc in vtero Matris à primis conceptionis exordijs, ad instar cæli stellati resplenduit, mundique tenebras, veluti firmamenti luce, syderibusque illustrauit. Hinc Angelus in suo serm. cap. 5. apud S. Brigittam eam paruo cuidam mundo ac cælo contulit, ex cuius creatione summa in DEVM gloria, inque totum vniuersum maxima

ma vtilitas redundauit: Postquam enim dixisset: *Mundo, & creaturis omnibus perfectis, & diuino aspectui, cum pulchritudine reuerenter assistentibus, adhuc vnus minor Mundus coram Deo, cum omni venustate increatas adstabat, quo maior Deo gloria, Angelis maior lætitia, atque omni homini eius bonitate frui volenti, maior vtilitas, quam de hoc maiori mundo prouenire debebat.*

B. V. est quidam Minor mundus Deo assistēs.

Tum ad Virginem conuersus, quidnam esset hic paruus mundus, seu cælum, subiungit, exclamatque: *O' prædulcis Domina Virgo M. omnibus amabilis, omnibus vtilis, per hunc minorem mundum non incongruè tu intelligeris. Sicut enim in hoc maiori mundo placuit Deo diuidere lucem à tenebris, ita multo magis ei placuit, quando tenerioris infantiæ ignorantia, quæ tenebris comparatur, à te penitus debebat abscedere, & Dei cognitio cum voluntate, & intelligentia viuendi secundum eius velle, quæ luci assimilatur, cum feruentissima charitate in te debebat plenissimè remanere. Hanc vtique ętatis, infantię teneritudinem ò, Virgo, omnis peccati expers innocentissimè transegisti. Deinde quemadmodum DEVS duo luminaria simul cum stellis huic mundo necessaria creauit vnum vt pręesset diei, alterum vt pręesset nocti: ita, & in te alia duo luminaria clariora fieri prędidit.*

B. V. Minori Mundo figurata.

Duo luminaria in cælo Virgineo quæ sint.

Primum erat tua Diuina obedientia, quę instar solis cum Angelis in cęlo, & bonis hominibus in mundo, quibus verè DEVS sempiternus dies est, lucidissimè radiaret. Secundum luminare erat tua constantissima fides, qua multi nocturno tempore, hoc est, ab hora illa qua. Creator in carne pro creatura pati debebat, vsque ad eius Resurrectionem, in tenebris desperationis, & perfidiæ misere peruagantes, veluti quodam lunari iubare, ad veritatis agnitionem ducendi erant. Stellis quoque cogitationes tui cordis in hoc similes apparebant, quod à tēpore illo, quo primo Dei cognitionem habuisti, ita feruens in Diuina claritate, vsque ad mortem permansisti, vt Dei atque Angelorum aspectui omnes cogitationes tuę, nitidiores stellis humano visui apparerent. Hæc Angelus.

7. Ex his porrò manifestè ostenditur cælum quoddam animatum, lumine vario, stellisque exornatum syderei huius cæli æmulum in terris fuisse Deiparam, quam supremus ille artifex Diuino planè artificio manibus suis potentissimis, vt quondam Archimedes Syracusanus adeò scitè in vitrea illa sua sphoera effórmauit, vt in ea solis, Lunę, syderum, Planetarumque omnium circumuolutiones viserentur.

B. V. similis Sphęræ cristallinæ Archimedis.

8. Similem huic Sphoeram ex metallo confectam in Regia Caroli V. Imperatoris ornatissima videre est, teste Franc. Mendoza in Virid. libr. 6. orat. 9. num. 124. Quam ille octauum seu potius Vnicum mundi miraculum appellat, Dædaleo artificio, & adeo Diuino propè ingenio fabrefactam, *vt dicere quis possit Cęlum in terram*, inquit ille, *deriuatum, & maiori commendatione, quo breuioribus circulis inclusum; neque in cęlesti illa domo quidpiam admirationis inueniri, quod in hoc opere perfectissimâ arte absoluto requiratur.* Quod sanè de hoc Virgineo animatoque cælo multo veriùs pronunciasset, in quo elaborando Pater æternus ambas quodammodo manus nempe Filium, & Spiritum S. adhibuisse visus est. Quod intelligens Dauid canebat: *Opera manuum tuarum sunt cęli.* Manus has Diuinas ostendere nobis visus est idem Dauid, cum dixit: *Verbo Domini cęli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et verò si in firmatione Prælatorū, quos Rupertus cælos, Lunā, & stellas appellat, omnes Dei elaborasse digitos asseruit; quanto magis in pulcherrimo hoc opere, quæ est Deipara, cælis, luna, stellisque pulchrior, omnibusque creaturis prælata? Verba sunt Ruperti: *In horum scilicet Pręlatorum formatione non vnus aliquis Dei digitus, sed omnes occupantur; nam qui alijs pręficitur oportet vt omnibus Spiritus S. donis conspicuus sit, nempè Spiritu Sapientię, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientię, & pietatis.* Ad quod confirmandum vtitur Ioannis verbis illis Apoc. 1. *Et à 7. Spiritibus, qui in circuitu Throni eius sunt.* Quem Thronum nos alibi diximus esse Virginem, in qua nouem mensibus sempiterna consedit Sapientia. Quæ meritò à septem Spiritibus circumuallata perhibetur, eo quod esset Virga illa de radice Iesse germinans, de qua ascendit Flos ille pulcherrimus, super quem 7. Spiritus S. dona requierunt. Qua de re videndus D. Bonau. in spec. c. 6.

Sphęra ex metallo in modum Cęli visa in Aula Caroli V. Imperatoris.

B. V. Cælum est ambabus manibus Patris æterni, nempe Filio, & Spiritu S. elobratum.

Deus in Prælatorum eformatione omnes suos digitos occupat, dum eos omnibus Spiritu S. donis ornat.

B. V. Thronus Filij Dei septem donis Spiritu S. circumuallatus.

9. Neque verò in animatum hanc Cælum licet tam eximijs decoratum sit luminum, ceu gemmarum ornamentis licet super omnem Angelicam, humanamque creaturam eleuatum, vlla vnquam cecidit iactantia, quasi ornatum illum à se, & nō summo bonorum omnium largitate Deo accepisset, cum ipsa dona hæc à Deo sibi donata cognoscens, tanquàm Siren quæpiam, iuxta

Pla-

Platonis sensum, cælo insidens fuerit modulata: Magnificat anima mea Dominum. Non inquam in Virgineum hoccè cælum, licet à Deo ob eius amplissima merita, super omnem creaturam euectum, vlla cadere potuit elatio, velut in hanc Sphœram aspectabilem cecidisse pulchra quadam fabella S. Cyrillus lib. 2. Apol. cap. 24. declarauit: *Fixarum*, inquiens, *stellarum Sphæra, gloriabatur, de corporis sui magnitudine, & motus velocitate, atque vniuersalis virtutis granditate, necnon astrorum multitudine. Cuius pompam Saturnus intelligens, ita ei dixisse fertur: Gloriatio, si falsa est, confusio est vera. Sed dic mihi rogo te Firmamentum, vnde tibi sit tantæ molis realitas, tantæ motionis velocitas, tanta stellarum luciditas, & numerositas? At illa respondit: Ab intelligentia quidem ventilor, à sole illustror, vniuersorum auctor me condidit, & in me sydera idem fixit. Tunc Saturnus adiunxit: Nihil ergo habes quod ex te sit, sed totum aliunde sumpsisti. Cui illa: Fateor, inquit; Mox alter subiunxit: Cur igitur, quasi non acceperis de communicatis tibi perfectionibus gloriaris, & alienæ gloriæ vsurpatrix erigeris?*

B. V licet cælum esset altissimum, fuit tamen humillima.

Non attendis, quod vbi pompositatis rapina sapientem contaminat, nulla sit vera gloria, cuius est bonitas vniuersa. Sed falsum verò perdere, & per gloriam vanam in confusionem incidere, maximè stultum est. Propter hoc summo studio cauendum est à subtilissimo inanis gloriæ laqueo, quæ cum sit ab arrogantiæ filio genita, cum quem decipit, simili quidem fallacia concludit: Nam quemadmodum fastus falsus veram celsitudinem diruit, sic & pompa inanis solidam, vt deceptrix, gloriam rapit. Et sicut illa sursum apparenter rapiendo, demergit: ita & ista pompa falsa, præferendo gloriam, te confundit. Nouit quippè quam fallacia cuiusuis læsionis arma sint, vnde apponendo similia morbum ordinat, ducit ad furiam, leuat luctatrix, vt prosternat: escam offert, vt hamo fallaciæ prædam trahat.

Sic & dicendo hoc tuum facit totum se tuum, ac fallaci gloria foris depictum, intus te rodit gratia vacuum. Quamobrem quantò generosior es, & in bonis tibi communicatis præstantior, tanto sis intra solidum humilitatis sinum collecta latentior. Diues es, time furem, cum lynce thesaurum reconde, gratiarum Spiritum sub duarum velationum tunicis absconde.

Aurum es, sub terra late, preciosissimus es rubinus, in petra bellagij te reconde.

Quid plura? fuge gloriam sparsæ lucis, & tunc cum noctiluca intrinseco gloriæ splendore fulgebis. Hæc ille, quæ sanè Virgineo huic animatoque cælo, nec Saturnus, nec vllus seuerior Censor occinere vnquam potuit, cum ipsa in profundissima humilitate, veluti centro fundata, licet tam mirifica cæli pulchritudine se venustatam circumspiceret, omnia sua decora in supremum illud bonorum omnium principium summo gratæ voluntatis affectu transferre consueuerit.

10. Quid tandem de huiuscè Virginei cæli lumine, quid de Mariana dicemus puritate? Hanc B. Albertus Magnus Tr. super Missus aptè ad rem nostram sit descripsit: *Puritas est ad Primam lucem, quantum possibile est, puræ creaturæ Deiformis approximatio. Atque ita quo plus aliquid de natura lucis participat, plus habet puritatis. Participat autem quispiam magis de natura lucis, quo magis ad increatam illam accedit lucem, in qua tenebræ non sunt vllæ, à qua Diuina gratia, quæ in animis nostris, puritatem gignit, ceu radius à sole, ceu riuulus a fonte deriuatur.* Cum igitur Virgo beatissima adeo supernæ illi, atque inaccessibili luci appropinquarit, vt eam in suo purissimo vtero nouem mẽsibus circumgestarit, consequens sanè est summè illam fuisse lumine cælesti perfusam, ac proinde summa puritate, vtpotè, quæ gratiâ plena extitit, renitentem. Verissimè enim dixit S. Anselmus lib. de Concept. Virg. cap. 18. *Decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.*

Quid sit Puritas?

Quænam sit maior Puritas?

Decens erat B. V maxima sub Deo puritate nitere.

Hinc Isaias cap. 51. puritatis florem præcipuum datum Virgini agnoscens, canebat: *Gloria Libani data est ei.*

Quid enim Libanus, nisi candor siue candidatio est? Cum ergo Libani gloria Deiparæ data fuisse prædicatur, quid aliud quam ipsius puritatis summum decus, ac venustas ab illo copiosimo omnis puritatis, sanctimoniæque fonte illi communicata esse censenda sunt? Singularissimam hanc Virginis puritatem agnoscens Pontanus noster lib. 5. Florid. sic cecinit:

B. V. ob puritatem luce, & gemmis radiantior.

Luce ò lucidior, lapillulisque
Eois radiantior; coruscis
Poli lampadibus magis corusca;
Niue ò candidiorque lilioque
Argento simul, & simul ligustro
Cycno, marmore, eburneisque signis.

Quod si incorruptio facit esse proximum Deo, vt ait Salomon, quantum obsecro non accessit ad DEVM Virgo hæc sacratissima, quam Sergius Hieropoli-

politanus, *Corruptionis interitum vocitare non dubitauit?* quantum de increata illa puritate non participauit, quæ semper existens Virgo Virginitatem, cum Diuina fœcunditate seu Maternitate indissolubili vinculo sociauit? Quare B. Albertus summam in Virgine puritatē collegit ex eo, quod DEVS illi summum donum, cuius creatura capax esse potest, Diuinam nempe Maternitatem communicauit, quæ in se non modo summam puritatem, verùm etiam virtutes omnes, velut præuias ad tantam dignitatem dispositiones, includit.

B.V. summè pura si quidē illi DEVS summum Donum, Diuinam nempe Maternitatem concessit.

11. Hanc Virginis cum Deo propinquitatem nobis insinuauit Angelus cum ipsi dixit: *Inuenisti gratiam apud Deū.* Vnde idem B. Albertus præpositionem illam; *Apud*, ponderans, ait indicare vicinitatem: *Apud dico*, inquiens, *quia propinquissima similitudine, dignitate, familiaritate, natura, veritate. Et hoc apud Deum creatorem, recreatorem, iustificatorem, glorificatorem.* Ex quibus titulis totidem quasi gratiarum fontes in Virginem, fonti illi inexhausto bonorum omniū vicinissimam emanarunt, effeceruntque, vt quæ erat fons paruus, adinstar Hesteris *cresceret in fluuium, & in lucem, solemque conuerteretur, & in aquas plurimas redundaret.* Est. 10. Verè enim Virgo nostra in oculis suis ob profundissimam, qua prędita erat, humilitatem fons quidem paruus extitit, qui influente in illam posteà tramite illo aquæ immensæ de Fluuio Diuinitatis, nempè Dei Filio, illoque aquæ ductu exeunte de Paradiso, in eandem sese infundente, creuit in fluuium, qui totum Ecclesiæ Paradisum, ad instar fluminis illius, de loco voluptatis egredientis, aquis gratiarum copiosissimis irrigauit.

B. V. fuit Deo propinquissima similitudine, dignitate, familiaritate natura est.

B.V. fons paruus, qui in Incarnatione Verbi creuit in fluuium, & in lucem, solēque conuersa est.

Et ne quidpiam in hac misera vita nobis, in ignorantiæ, peccatorumque tenebris ambulantibus, deesse posset, eadem Virgo benignissima in lucē, solemque conuersa est, vt nobis dies, noctesque sanctissimis suis exemplis, velut cæli facibus, præluceret, nosque suæ pietatis calore confoueret. Verè Virgo nostra effusissimâ suâ pietate omnibus omnia facta fuisse videbatur:

B.V. sua pietate omnibus omnia facta est.

Vnde præclarè S. Greg. Nyssen. Hom. 9. in Cant. *Non solum facta est Hortus conclusus proprium ferens fructum, sed fit etiam potabilis sitientibus translata in naturam fontis, idque obsignati. Et nec in his consistit, sed ad hoc vsque suum in maius constituit incrementum, vt ex ore eius germinaret Paradisus. Qui enim attentiùs, accurratiùsque attendit emphasim dictionis Hebraicæ, pro eo quod dicendum erat: Emissiones tuæ Paradisus; legetur: Emissiones ex ore, Paradisus malorum Punicorum. Mala autem Punica producunt omne genus fructuum, &c.* Et sic Virgo sāctissima tota penitus nostris vsibus deseruiens, est fructus nos satians, est fons refrigerans, est Hortus ac Paradisus nos suis delicijs recreans, est Lux mentem illuminans, est sol denique voluntatis affectum diuino amore calefaciens, adeo vt quemadmodum ait Idiota, nemo sit, qui se abscondat à calore eius.

B. V. Paradisum ex ore suo producit.

12. Hæc nimirum est lux illa, quæ in primis mundi incunabulis condita, primo verbo quod protulisse legitur DEVS, totum mundum irradians, eundem teterrimâ illa qua circumuallatus erat caligine, liberauit. Vnde S. Vincētius in Natiuitate Virginis, lucem hāc mundo illuxisse affirmauit.

B. V. & lux quæ in prima oratione fuit à Deo condita.

Hinc S. Gregor. Thaumat. serm. 1. de Annunc. Sic eam solito suæ pietatis affectu salutauit: *Aue gratia plena, fons lucis, qui cunctos in ipsum credentes illuminat. Aue gratia plena, intelligibilis solis iustitiæ oriens.* Sic eam etiam Chrysippus Presbyter Hier. serm. de B. V. salutauit: *Aue fons lucis, omnem hominem illuminantis. Aue solis ortus, qui nullum ferre potest occasum.* Sic eam Hesychius Matrem lucis appellauit. Similiter Leo V. oriētis Imperator Lucem mundum illuminantem Virginem nostram agnoscens, eam in hunc modum salutauit: Hom. 7. *Salue lucerna, ex qua splendor Patris elucescens, cum mundum Genitori in Templum dedicasset, eundem suæ cognitionis lumine dedicauit.* Sic denique Method. oratio. in Hyp. *Fidelium facem Mariam dixit:* Hæc est noua illa lux, quæ non solum Iudæis, sed vniuerso illucescens orbi eum exhilarauit, mirificâque pulchritudine decorauit. Est. 8. *Iudæis noua lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium.* Hæc est altera illa lux, quæ densis ac palpabilibus tenebris vndique circumuallatâ Terra Aegypti, Filios Israel illustrauit, & in hodiernum vsque diem veros Israelitas, Christi fideles gratiæ Diuinæ splendoribus irradiat. Exo. 10. v. 23.

B. V. Fons lucis, qui cunctos credentes illuminat.

B. V. est Mater lucis.

Maria Fax & fidelium.

Hæc est illa pulcherrima Iobi Filia, Dies appellata Iob. 42. quæ post tam diuturnam tot millium annorum noctem, optatissimam, pulcherrimamque Diui-

M. est Filia Iobi Dies appellata.

Diuinæ notitiæ reuexit lucem, & plusquam Cimmerias, quibus inuolutus iacebat mundus, tenebras absterſit. Hanc ſine dubio vniuerſorum Conditor in mundi principio vidit lucem, quod eſſet bona; quæ poſtrema vox pulchram quoque, Græco ſonat idiomate. Eo quod Virgo Sanctiſſima bona, perfecta, pulchraque in ſe, bonitatem, perfectionem, puritatem, quæ Dies vera pulchritudo eſt animi, velut lucem reliquis communicet.

13. Hanc crediderim ob cauſam S. Petrus Chryſologus Rauen. Archiep. ſerm. 1. eiuſdem Virginis faciem aſpectumque Diem nuncupauit. Dies eſt aſpectus Matris, Sol Patris rutilat in vultu. Quare Petrus Bleſenſis Bathomienſis Archid. Epiſ. 14. Deiparam Imperialem diem vocitauit.

B.V. eſt Dies Imperialis, & quare.

Quemadmodum enim Imperator reliquis omnibus terræ Principibus maieſtate, dignitateque præeminet, Sic Virgo puriſſima ſplendoris principatu, quę omnis eſt expers caliginis. Dies omnes, quibus ſemper ſuccedere conſueuit nox, quàm longiſſimè tranſcendit.

Quod doctus intelligens Idiota cap. 1. & 2. de laud. B. V. ſcitè pronunciauit: *Virgo ſua pulchritudine, & dignitate omnem mundi pulchritudinem vincit. Solem, Lunam, & Stellas flore lucis excedit. Neque enim Sol perpetuè nobis ſplendet, cum contraria viciſſitudine nox diei ſuccedat; nec ſemper Luna orbem illuſtrat, cum cælorum conuerſione noſter hic mundus certo temporis ſpatio tenebris obuoluatur. Maria verò, & Sole, & Luna, & aſtris illuſtrior, ſuo lumine, nulla ſui commutatione, aut viciſſitudine complet, ac ambit omnia, flammis luſtrat, luce veſtit, nec enim illi ſuccedit nox.* Sic ille.

B.V Solem, Lunam ac ſtellas flore lucis excedit, & quare?

14. Hinc Rich. à S. Laur. libr. 7. *Maria lux eſt*, inquit, *ob ſpecioſitatem, nulla enim pura creatura Maria pulchrior. Siquidem de ea Salomon* Sap. 7. *Specioſior eſt Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata inuenitur prior. Nibil enim luce purius, quo ſimplicitas eius ac innocentia: nihil mundius quo operum eius munditia: nihil clarius, quo exemplorum lumen: nihil humanę vitę iucũdius, quo in ea doctrina, verborũq; ſapientia adnotatur: nihil ſubtilius deniq; quia per anguſtiſſimã rimam, gratiam infundẽdo ingreditur. Quaſi modica rima eſt, aliquoties eã deuotè Salutare, pro eius amore libẽter eleemoſynã dare; miſſam eius, vel de ea ſermonẽ deuotè auſcultare. Blaſphemantes eam, vel per eam iurantes acerrimè redarguere, eius magnalia firmiter credere, tutelæ ipſius ſeſe commendare, &c. Nulla enim creaturarum Dei æquè ad benefaciendum, ac per huiuſmodi rimas lumen gratiarum ac miſericordiæ diffundendum prona eſt, atque Virgo beatiſſima.* Sic ferè Richar.

Per lucem Mariæ variæ virtutes deſignantur.

Obſequia quibus B.V. fauor & gratia impetratur.

15. Porro licet Lux hæc Virginea hominem in omnibus tribulationibus, in tentationibus tamen Satanæ, Mundi, ac præſertim carnis ac ſenſus ſuos clientulos vel maximè illuminare conſueuit. Crediderim luce hac diuiniſſima S. Popponem caſtiſſimam adoleſcentem, ab ineunte ætate pietatis, militiæque ſtudioſiſſimum, fuiſſe circumfuſum, quando mundi irretitus illecebris, conſenſo equo ad nuptias properabat. Tunc enim cælitus demiſſa lux totum cum, ſimulque ipſam quam geſtabat circumdedit, carneſque nuptias auerſari compulit. Illo enim prodigio aduertit Adoleſcens prudentiſſimus ſacratiori luce interius irradiatus, ſe ad meliorem militiam, nempe Chriſti euocari, vt proculcatis cupidinis illecebris Chriſtum Crucifixum ſequeretur. Quare valedicens carnalibus Hymæneis ſæculique pompis, Monaſterij ſeptis ſeſe abdidit, nouoque apud Monachos ſeſe obſtrinxit Sacramento, Chriſtoque, eiuſque Matri, inſigne lacrymarum donum conſecutus feruentiſſimè deſeruiuit. Mortuum eius corpus ſex omnino diebus, cum alias quatriduanum grauiter fæteat, mirificum eumque ſuauiſſimum ſparſit odorem, virtute eius fragrantiæ euidentiſſimum argumentum.

Poppo cælitus miſſa lux circumdatus, fit Religioſus.

16. Et licet Virginea hæc lux ſemper ad nos irradiandos prompta ſit, eſt tamen tunc vel maximè, cum caligo, & inſtantis vmbra mortis nos circundat; quam etiam viri Sanctiſſimi mirum quantum extimuerunt, inter quos S. Cyrillus Alex. Epiſ. orat. de morte, ſic loquitur: *Metuo mortem, quia acerba mihi eſt, Metuo gehennam, quoniam æterna eſt. Metuo Tartarum, quia nil habet caloris. Metuo tenebras, quia nihil habent lucis. Metuo vermem veneniferum, qui ęternus eſt. Metuo genios iudicio præficiendos, quia immiſericordes ſunt. Metuo cum cogito illius diei terribile, & muneribus inexpugnabile cõſilium, tribunal horribile, Iudicem incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementiſſimãque flammã torrens, & acutos enſes. Metuo ſupplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, ſtridorem*

B.V. lux optanda eſt vt nobis in morte noſtra illuceſcat.

Horror mortis quãtus ſit.

vem dentium. fletum inconsolabilem, &c. Hæc Cyrillus. Cum igitur tam instantis mortis, quàm Iudicij, ac Inferni metus adeo sit horribilis, ad nullum nobis tutius erit perfugium atque Asylum, quàm ad Virginem Deiparam.

Eo enim tempore periculosissimo rimulas omnes, veluti lux amabilissima percurrit, vt nobis in tàm tetra caligine constitutis illucescat, technas ac insidias Tartarei veteratoris aperiat.

A primaado-lescentia B. V. seruiendũ, vt eam patronam in morte nostra expiamur.

17. Vt porrò Lucis huius Virgineæ, atque amabilissimæ particeps quis euadat, de mane ab ipsis primis adolescentiæ annis ad vigilandum, in eius obsequio assuescendum est.

Verissimè enim pronunciauit Salomon Sap. 6. *Qui de mane vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam pro foribus suis inueniet*. Verè huiusmodi Virginis diligens, ac obsequiosus cliens, eam promptissimam in tanto discrimine inueniet. Siue enim per portas, Iudicium extremum intelligamus, cum Lyrano, *non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta*. Psal. 126. *In portis enim*, inquit ille, antiquitus Iudices sedebant.

Siue per portas mortem, per quam, ex hac vita egredimur, intelligamus, vt Strabus in Glossa morali: non confundetur à Spiritibus malignis, etiamsi fuerit scelerum tenebris coopertus, etiamsi hians barathrum ante se, Dæmonesque sibi insultantes videat, non confudetur, non desperabit, quia lux hæc beatissima reuelabit profunda de tenebris, & producet in lucem vmbram mortis Iob. 12. clientulumque suum ante faciem Filij sui misericorditer statuet, eique teterrimas peccatorum tenebras absterget, vt potuit in Theophilo, inquit Richar. loco citato. Quam siue pietatem, siue potestatem in Deipara demicans Goffridus Cardin. serm. 8. exclamat: O' *quàm venerabilis, quam sublimis hæc beatissima Mater, cuius Filius quamuis omnipotens DEVS sit, ei tamẽ nihil vnquàm negare potuerit! Hæc Virgo tam Sancta, tam gloriosa, tam honorata, à Deo tam sublimata, ita est humilis, ita compatiens, ita misericors, & pia, vt propter animam peccatricem, & iam pœnis deputatam æternis, seueritati districti Iudicis se opposuerit. Idque probat exemplo iam memorati Theophili, apud Patres celeberrimi*.

Qui Mariæ seruit deuotè non peribit in morte.

Vnde verissimũ illud mellislui Doctoris euadit pronunciatum: *Qui Maria, sicut debet seruit deuotè, non peribit in morte*.

18. Non perijt in morte Iuuenis ille Brabantinus, qui cultui Deiparæ addictus ternas quotidie ipsi, Angelicis salutationibus, ceu suaueolentibus rosulis tenebat corollas. Cùm enim mortuus plures iacuisset horas, cadauer se repente erexit obstupescentibus omnibus, sororique suæ, quæ in cænobio quodam Sanctimonialium Virginitatem suam consecrauerat aperuit, quid sibi contigisset. Aiebat ille se ante tremendum supremi Iudicis constitutum fuisse tribunal, accusatumque in primis quod decimas Ecclesiasticis legitimè non persoluisset. Deinde quod cum socijs Religiosorum pisces furto sustulisset. Denique, quod sata pauperum venando protriuisset. Fatebatur itaque ob hæc peccata, iam tam æternis Inferni cruciatibus fuisse addicendum, nisi misericordiæ Mater apud Filium, vt ad corpus pœnitentiæ gratia rediret, intercessisset. Hic igitur facta ritè Sacerdoti suorum criminum Confessione, recitatisque ternis in honorem Virginis Rosarijs, mortem secundam, eamque Sanctissimam impetrauit, expertusque reuera est Dei Parentem clementissimam, lucem esse beatissimam, horrorem, tenebrasque ęternæ mortis dispellentem. Optas ò homo cælicam hanc benignissimamque lucem tibi, in tremenda illa mortis periodo affulgescente? in contexendis hiscè Virgineis quotidie corollis esto sedulus, fieri enim nequit, vt in tanto discrimine constitutum te Mater hæc pientissima deserat, siquidem quolibet huiusmodi precum illi gratissimarum persoluto penso, sexaginta tribus vicibus postulatur, vt pro nobis in mortis hora Filium deprecetur; quam omnino tamquam Dei Matrem, cælorumque Reginam exaudiri, nobisque benè, feliciterque moriendi gratiam impetrare necesse est. Siquidem vt sapienter loquitur S. Bern. ser. 1. de Assumpt. *nec facultas ei deesse potest, nec voluntas. Regina cęlorum est, misericors est: Denique Mater est Vnigeniti Filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare; nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transijsse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas nouem mensibus corporaliter requieuit*. Sic Bernardus.

Iuuenis recitans ternas quotidie coronas vita functus ope B.V. resurgit ad agendam ob quædam delicta pęnitentiam.

Decimarum non persolutarum pœna.

B.V. intercessio efficacissima apud Filium.

19. Plu-

19. Plurimæ aliæ reperiuntur lucis proprietates, quas singillatim prosequi longum foret. Aliquas delibasse modicè sufficiat. Inter reliquas ea non vulgaris est, quod oculos nostros sponte præueniat, illuminetque obiecta, vt videantur. Talis est Virginea hæc lux, *clara est, & quæ nunquam marcescit*, inquit B. Alber. Mag. *& facile videtur, ab his, qui diligunt eam, & inuenitur, ab his, qui quærunt eam. Præoccupat eos qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat*. Sap. 6. O' quot in deuotissimis ignorantiæ rerum diuinarum tenebris absorpti iacuissent! ò quot veri Dei cognitione, rerumque ad salutem necessariarum destituti, scelerum variorum cœno demersi fuissent absorpti, deque æterna beatitudine fuissent periclitati, nisi eorum mentibus amabilissima hæc lux affulsisset. Si enim, ipsâ veritate attestante, vita æterna ac vera nostra beatitudo incognitione Patris ac Filij consistit:

Lucis proprietas est, vt oculos nostros spõte perueniat.

B.V. lux clara nos sua benignitate perueniens.

Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Solum DEVM verum, & quem misisti IESVM Christum Ioan. 17. Quis quæso beatitudinis hoc nostræ obiectum nobis clariùs illuminauit, quàm Deipara quæ ad instar cuiuspiam luminis gloriæ nostrum intellectum illustrans, totam augustissimam Triadem, eiusdem Sacratissimum effecta Triclinium, in se nobis contemplandum exhibuit, vt dum adhuc in hac vita dignius æternam illam beatitudinem pro modulo nostro deliberemus?

20. Virgineæ huius lucis admirandos toto terrarum orbe sese diffundentis effectus præclarè exposuit S. Cyrillus Alex. Homel. contra Nestorium in Concil. Ephesino habita Tom. 4. dum eam lampadem inextinguibilem salutauit: *Salue per nos S. Deipara preciosus totius orbis thesaurus, lampas inextinguibilis, Corona Virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, Templum insolubile, locus eius qui loco capi nequit, Mater, & Virgo per quam benedictus in Euangelijs nominatur, qui venit in nomine Domini. Salue quæ incomprehensibilem in Sancto Virginali vtero comprehendisti; per quam S. Trinitas per vniuersum orbem glorificatur, & adoratur; per quam cælum exultat, per quam Angeli, & Archangeli Lætantur; per quam Dæmones fugantur, per quam Diabolus tentator cælo decidit, per quam pro lapsum plasma in cælum recipitur, per quam vniuersa creatura Idolorum vesania detenta ad cognitionem peruenit veritatis, per quam sanctum credentibus contingit baptisma; per quam per totum orbem fundatæ sunt Ecclesiæ; per quam gentes ducuntur ad pœnitentiam. Et quid multa connumero? per quam Vnigenitus Dei Filius, ijs qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant, lux resplenduit, &c.* Hæc ille.

M. est preciosus totius orbis Thesaurus.

Per M. SS. Trinitas per vniuersum orbem glorificatur.

Per M. vniuersa creatū Idolorum vesania detenta ad cognitione præuenit veritatis.

21. Quid de lucis oblectamentis dicam? Verè pronunciauit Eccli. 11. *Dulce lumen, & delectabile oculis videre Solem.* Quod si tantoperè aspectabilis hæc lux arridet oculis, quanto magis hæc Virginea, eaque pulcherrima, quam ego plusquam Angelicam, siue puritatem siue venustatem Spectes, dixerim esse Deiparæ, quæ in primis DEVM ipsum, tum homines velut magnes ferrum ad se videndum pellexit. Audite Leonem V. orientis Imperatorem Hom. 6. qui quantum pulchritudo puritasque hæc Virginea oblectarit Creatorem luculenter nobis exposuit. *Non inest in pulchritudine eius fallax gratia. Quare DEVS specie illa, & pulchritudine captus, ex omnibus hanc vnam sibi Matrem selegit, & sanguine eius formatus in pristinum statum, dilapsam, & dissolutam figmenti sui formam restituit.* Audite, & D. Brunonem Carthusiensium Patriarcham qui serm. de Annunc. verba illa Psalmistæ: *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*, expendens, *Quid mirum*, inquit, *si diuites, & nobiles Virginis Matris vultum pulchritudinemque desiderabant, cum iam dixerit: Quia concupiuit Rex speciem tuam? Valdè enim pulchra est, quæ sua pulchritudine DEVM ipsum ad amorem sui pellexit.* Sic Bruno.

Lux dulcis & oculis ad videndum.

DEVS ipse B.V. pulchritudine captus, tam in Matrem delegit.

22. Audite iam S. Amad. Hom. 7. quantum Virginea hæc lux, dum adhuc in hac vita mundo affulgesceret, mortales oblectarit omnes: *Mira pietate*, inquit ille, *primitiuæ Ecclesiæ prouisum est, vt quæ DEVM in carne hac præsentem iam minimè cerneret, Matrem eius visu iucundissimo recreata videret. Quid enim tam iucundum, quid tam decorum ac delectabile, quam Matrem Plasmatoris, & Redemptoris omnium videre? Nam si sepulchrum eiusdem nostri Redemptoris, quod vsque hodie extat, ita visui desiderabile est, si lapis in quo requieuit stirps sancta Iesse, tanta est expetibilis celebritate, vt affectus, & animos cunctorum prouocaret in se, & quadam pietatis arte trahat ad se omnia; quæ vel qualis erat, Dei Genitricem cernere lætitia, donec eam Diuina pietas, communi sorte degentem nobis concessit in terra? Beata gens, & felix generatio, quæ tali specta-*

Christus mira pietate Ecclesiæ prouidit, vt in ipso de hoc mundo abscedente, Matrem illi contemplandam per suo solatio relinqueret.

Sepulchr Christi quã desiderabilis fuerit aspectus?

culo meruit illustrari. *Beatam planè in cuius medio credentis, & fruentis constitit arbor producens fructum vitæ, Genitrixque lucis veræ effulsit. Hoc insigne priuilegium, hoc cæleste munus, hæc gratia specialis Ecclesiæ primitiuorum præstita est*. Hactenùs Amadæus.

23. Et licet Virgo Sacratissima, vt potè ea, quæ splendorem paternæ peperit gloriæ, toto corpore, membrisq; omnibus luculentissimam pulcherrimamque euibraret lucem, ac splendorem, euibrabat tamen oculis potissimùm, velut geminis cæli luminaribus, ita vt fęlices beatique reputarentur omnes, quos ille oculorum benignissimorum splendor irradiasset.

Oculi B.V. lucidissimi, atque efficacissimi.

Vnde S. Bonauen. Ter. Par. Stim. Diu. Amor. cap. 19. rogabat illam, affectu ardentissimo: *Eia ergo Aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: Non enim dubito quod si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio suum officium retardare. Mirabiles, nec non amabiles tuorum radij oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam salutem ò Domina, venenatos oculos eruis basilisci! O' Euæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam? Nam ipsius oculorum claritas vmbras expellit, effugat cateruas Dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata succendit, & demū ad cælestia trahit. O' Domina, quam beati sunt, quos viderint oculi tui. Hos ergo oculos ad nos conuerte:* De Virgineis hiscé tam cælesti luce radiantibus oculis verè cani potest illud: Radiant vtrique gemelli Luce smaragdina, vel syderis instar ocelli. Hoscé oculos figurarunt pulcherrimi illi Reginæ Estheris de quibus dicitur cap. 15. *Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac intentibus oculis, &c.* De his oculis verius dixisset Salomon: *Lux oculorum lætificat animam*. Prou. 15. Hiscé oculis nobis in hac vitę huius peregrinatione prælucentibus securè, & absque vllo errore ambulamus, & ad beatam illam patriam, incredibili lætitiâ perfusi peruenimus.

Oculorum B.V. claritas vmbras pellit, effugat cateruas Dęmonum, &c.

Beati censendi quos oculi B. V. aspexerint.

Lux oculorū B V. lætificat animam.

Verissimè enim Bern. serm. 2. super Missus: *Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa protegente non metuit, ipsa duce non fatigaris*.

Præ lucentibus B.V. oculis ad beatam patriam securè pręuenimus.

24. Expertus est Virgineę huius lucis dulcedinem, & plusquam Paradisiacam amœnitatem pius ille in Virginem Religiosusque Adolescens apud Cæsarium lib. 7. cap. 52. qui cum vmbra mortis iam esset circumdatus, oculique eius essent in morte natantes, dulcissima hac luce recreatus, magna gestiensis animi lætitia ridere cæpit: Quæsitus cur tam suauiter rideret: *Cur non rideam*, respondit? *ecce Domina nostra præsens est, & iam animam meam suscipiet*.

Deuotus B. V. adolescens moribundus ridet.

Nimirum Adolescens hic risu hoc Matrem misericordiæ cognouit.

25. Expertus est eiusdē lucis dulcedinem apud Pomeriū alter Adolescēs, qui Virgineæ huius seu lucis, seu pulchritudinis contemplandæ cupidus mane, & vesperi summa cum pietate Salutatione Angelica eam venerabatur. Tandem cum die quadam summo mane de more Deiparam consalutaret, en tibi tota cælesti luce radians sese illi videndam exhibet. Quam vbi piè esset contemplatus, tanta, tamque mirifica dulcedine delibutus, tanta amoris vehementia est accensus, vt ei cor dissilierit, animaque soluta corpore, associata Virgini gloriosissimæ, turmisque Angelicis felicissimè in cælum euolarit.

Alter adolescens videns B.V. pulchritudinem, cor ipsi prę amoris vehemētia rumpitur.

26. Quid denique de lucis huius effusissima toti orbi, tàm cælesti, quàm sublunari sese impendentis promptissima dicam communicatione? Nimirum Virgo Aurora est, quæ, vt alibi diximus, momento temporis aurea suæ gratiæ luce inaurat, decoratque vniuersa. Nimirum Bona Domina est, vt eam sæpè cū S. Damasceno Gosfridus Cardinalis appellat, quæ cum summum æternumq; illud peperit Bonum, in quo comprehenditur omne bonum; & Boni natura sit sui ipsius diffusiua atque communicatiua, vt ait S. Dionys. Areop. summè profectò, optima hæc Virgineaque lux, fulgentissimaque Aurora toti terrarum orbi sese communicare debuit. Verderius libr. de Imagin. describens Auroram, ait illam cum Phæbus est, ex Oriente proditurus, cæli fulgentes portas patefacere, quæ recentibus rosis sunt refertissimæ, Equoque Pegasi velocissimo insidere, quo ipsius in diffundenda, communicandaque luce promptitudinem, celeritatemque declararet. Verius hæc Auroræ nostræ quadrant longè aptius. Ipsa enim est in primis porta lucis fulgida, ipsa cæli portas nobis aperit, perque eas solis iustitiæ lumina, innumeros

B. V. bona Domina est, promptè alii sua dona cōmunicans.

Aurora Pegaso insidere dicitur ob spargendæ lucis celeritatem.

ros

tos fauores, gratiasque communicat, ipsa nobis variarum virtutum flores, rosas, violas, lilia, narcissos, pleno cornu diffundit, suorumque clientulorum animos, velut amœnissimos hortulos fruticibus aromaticis exornat, tunc præsertim, cum ei Salutationum Angelicarum roseas corollas contexímus, eiusque gaudia commemorantes ei applaudimus, & aggratulamur. Quare Hercules Stroza cum Tito Filio pulchrè Virgini nostræ modulati sunt:

M. Salutis Ianua.

Aue salutis Ianua
Aperta semper supplici,
Spes, & salus mortalium
Quos crimen Euæ perdidit.
Tu sacra Iessæ Virgula,
Odore complens æthera,
Quam fabricator omnium
Creauit ante sæcula.
Tu sponsa Regis maximi
Omni referta gratia, &c.

B.V. Auroræ celerrimis quadrigis videtur inuehi dum tã promptè sua dona mortalibus communicat.

27. Verè denique Virgo nostra celerrimis, incitatisque Naturæ quadrigis videtur insidere, dum orbem vniuersum percurrens, omnes mundi plagas, ad ipsos antipodas penetrans, eos gratiarum suarum luce perfundit, & liberalissimè, ac celerrimè cæli dona, ac charismata elargitur. Imo, cum Mater æternæ sit sapientiæ, vbertatem etiã ingenij, fontemque eloquentiæ, velut Hippocrenes, riuulum Musis sacrum, clientulis suis communicat, quo ad eius pangendas scribendasque laudes, miris delibuti delicijs promptiores alacrioresque euadant. Huius nouæ liberalissimæque Auroræ exortum, copiosissimamque diffusionem admiratus Pont. lib. 1. Floridorum exclamauit:

Quæ tanta sterilis fęminæ fœcunditas?
Aurora, sol, & Luna generantur simul,
Trium instar horum sola habet puellula.
Quę tanta sterilis fœminæ fœcunditas?
Quam non fugabit lux noua hęc caliginem?
Aurora splendida dum aperis atria tua
Plenissima rosarum, oculuntur sydera.
Nam lucidorum es vna sidus syderum
Veram diem mox affuturam nuntians.

B.V. liberalitas mira.

28. De hac liberalissima gratiarum in omnes communicatione Aurorę nostræ præclarè Richard. à S. Laur. libr. 7. de laud. B.V. sic loquitur: *Tantæ liberalitatis est, vt à nulla creatura quantumcunque fœtente, & sordida, si, sit ei exposita, radios suos auertat; nec contra quantumlibet speciosam, si ab ea abscondatur, illustret. Talis est Virgo nostra beatissima, quæ nũquam à quantumcunque vilissimo peccatore*, inquit idem Richar. *ipsam fideliter inuocante aspectum pietatis auertit: nec contra quantumlibet magnus literis, honoribus, diuitijsque extiterit, eum irradiabit, qui eam neglexerit inuocare. Multos tamen, solita sua pietate preuenit vt velint, volentesque prosequitur ne frustra voluerint, vt ait Augustinus de eius Filio, à quo sine dubio gratiam præuenientem, concomitantem, & subsequentem impetrat, vt à peccatis resipiscant, & in cępto iustitiæ tramite decurrendo perseuerent.* Quare egregiè Goffridus Cardin. serm. 8. exhortans peccatores ad pœnitentiam, peccatorumque detestationem suadet recursum ad Deiparam, quæ larga gratię diuinæ luce eorum mentes illuminando, eosdem Filio reconciliare consueuit: *Hæc*, inquiens, *post Filium suum est pręcipuum refugium peccatoribus, quo post lapsum fugiant, consilium vt pœniteant, auxilium vt conuertantur, ne pereant. Nulla tam grauis est peccati vel criminis plaga, cuius non sit, si ipsa voluerit, medicina. Confessionem, & pęnitentiam in hominibus desiderat peccatorum, vt pro illis occasionem habeat deprecandi. Huic igitur excellentissimæ, & pijssimæ Matri Domini semper Virgini Mariæ humiliter supplicantes, quod malè fecimus, confiteri nulla occasione differamus, vt per supplicabiles illius preces, nos, & omnes actus nostros Domino commendemus.* Sic Cardinal.

B.V. à nullo peccatore quantumcũque vilissimo ipsam fideliter inuocãte aspectum auertit.

B.V. post Filium est pręcipuum peccatoribus refugium.

Adhuc clariùs doctus Idiota in Prol. Contemp. de B.V. huius Virgineæ lucis in omnes communicationem nobis indicauit: *Beatissima Virgo Maria*, inquiẽs *sicut est omnium Regina, sic & omnium patrona, & Aduocata, & cura est illi de omnibus. Longè enim positos radijs misericordiæ suæ illuminat; sibi propinquos per specialem deuotionem consolationis suauite; præsentes sibi in patria, excellentia glorię, & sic non est, qui se abscondat à calore eius.* Hæc Idiota de Virginis nostrę copiosissima luce, qua & viatores, & comprehensores irradiat. Verum omnium venustissimè Virgineæ lucis in omnes diffusionem expressit Bern. serm. 1. de Assumpt. *Marię pręsentia*, inquiens, *totus illustratur orbis, adeo vt & ipsa iam cęlestis patria clariùs rutilet Virgineæ lampadis irradiata fulgore.*

M. est omniũ Aduocata, & cura illi est de omnibus.

Cælum ipsũ clarius splẽdet B.V. fulgore irradiatum.

29. De larga Virgineæ huius lucis diffusione, ac liberalitate supra abundè dictum est. hic illud duntaxat de ea attexuisse sufficiat, quod dilectissimus eius Filius de ipsa apud S. Brigittam

lib.

lib. 1. Reuel. cap. 50. & ipsa vicissim de se lib. 6. cap. 56. commemorat. Sic enim Filius, veram illam huius mundi agnoscens esse lucem, alloquitur: *Tu es quasi Aurora procedens cum serenitate. Tu radiasti super omnes cælos; lux tua, & serenitas tua excellit omnes Angelos. Tu attraxisti serenitate tua solem verum, idest, Deitatem meam. In tantum quod sol Deitatis meæ veniens in te, & ex cuius calore calefacta es, super omnes charitate mea. Ex cuius splendore, plus omnibus, Sapientiâ meâ illuminata es.*

Christus ipse Matris suæ celebrat claritatem.

Terræ tenebræ fugatæ sunt, omnes cæli per te illustrati sunt. In veritate mea dico, quod puritas tua, quæ mihi super omnes Angelos placuit, traxit Deitatem meam in te, vt ex calore Spiritus inflammareris, quo verum Deum & hominem in vtero tuo conclusisti, quo homo illuminatus est, & Angeli lætificati sunt.

Hæc Dei Filius. Audiamus iam ipsam Matrem de sua felicissima Natiuitate sic loquentem, seque lucem quandam clarissimam profitentem: *Amici Dei, qui in longa erant expectatione dicebant Deo ipsis inspirante: Cur amplius dolemus?*

Gaudendum nobis est potius, quia nata est lux, quâ tenebræ nostræ illuminabuntur, nostrumque perficietur desiderium.

31. Verùm quid miramur in Virgine tam copiosam lucis in omnes effusionem? Cum eam nomine suo, Sacrosancto Diuinitus sibi indito, quod futurorum effectuum quoddam erat vaticinium, nobis illam indicet.

M. Illuminatam, & Illuminatricem sonat.

Maria enim non solum illuminatam, verumetiam Illuminatricem sonat, vt nomen illud communiter Sancti Patres, tam Græci, quam Latini interpretantur. Vndè Ioan. Gerson Tract. 12. in Magnif. ita eam de hoc suo Nomine loquentem introducit: *Scitote, quoniam Dominus ipse est DEVS, DEVS autem scientiarum Dominus est, scientiæ, inquam, quæ illuminat, quæ descendit à Patre luminum propterea consequens fuerit, vt Dominam me Dominus instituens illuminaret, secundum Nomen Sanctum suum, & meum.*

Maria quippe dicitur illuminata, & ipse est lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quanto ampliori perfudit lumine Dominam mundi?

Proinde superest vt Domina illuminata refundat lumen in cæteros. Est lumen sui ipsius naturali liberalitate diffusiuum. Vnde factum vt iure diceretur Illuminatrix. Sic enim sonat Maria proprium Nomen meum. Sic Maria per Ethymologiam decor, stella Maris, quam illuminatricem esse constat.

M. Stella maris illuminatrix.

32. Seraphicus quoque Bonauentura ex nomine Virginem Illuminatam, Illuminatricemque agnoscens, multiplici ratione mundum illuminare ait in Spec. cap. 3. *Considerandum*, inquit, *est quod Maria, interpretatur Illuminata, & Illuminatrix, quod sane competit tantæ Virgini, quæ mirabiliter illuminata est per præsentiam Domini, iuxta illud* Apoc. 18. *Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius. Filius Dei est magni consilij Angelus; terra verò à gloria eius illuminata est Maria, quæ sicut illuminata fuit à gratia eius in mundo, ita nunc illuminata est à gloria eius in cælo, vt sic illuminata, fieret illuminatrix in mundo, & in cælo.* Tum huius illuminationis modos varios prosequens:

Maria, inquit, Illuminata, illuminatrix est per exempla vitæ suæ, illuminatrix per beneficia misericordiæ suæ, illuminatrix per præmia gloriæ suæ. Maria verè illuminatrix est plurimorum per exempla lucidissima vitæ suæ.

B. V. illuminatrix est per exempla vitę suæ.

Ipsa est enim, cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo, ipsa est, cuius vita inclyta cunctas illustrauit Ecclesias. Ipsa est enim Lucerna Ecclesiæ ad hoc illuminata à Deo, vt per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia.

Oret ergo Ecclesia, oret fidelis anima: Quoniam tu illuminans lucernam meam Domine. Hanc verè Lucernam Dominus illuminauit plenissimè, & per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat, & fugauit: Hoc benè sentiens Bern. ait: O' Maria tu virtutum tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem sui nos prouocas, sicque noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitæ. Illuminatrix quoque est Maria per beneficia lucidissimæ suæ misericordiæ, per quam multi in nocte huius sæculi illuminati sunt spiritualiter, sicut olim filij Israel per columnam Ignis illuminati fuerunt corporaliter, iuxta illud Psal. 77. *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.*

Illuminatrix est B. V. per beneficia suę misericordię.

Maria est nobis Columna nubis, quia tanquam nubes protegit nos à diuinæ indignationis æstu; protegit etiam ab æstu diabolicæ tentationis, vt rursus ait Psal. 104. Expandit nubem in protectionem eorum. Maria quoque columna ignis est illuminans nos, imò illuminans mundum multis misericordiæ suæ beneficijs.

B. V. Colũna nubis protegens à diuinæ indignationis æstu.

M. Columna ignis nos illuminans.

Quid nos miseri, nos obtenebrati, quid in nocte huius sæculi faceremus! si tam lucidam, si tam luminosam columnam non haberemus.

Quid enim totus mundus valeret, si Solem non haberet? Ideo benè B. Bernar. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies?

Absque Maria Mundus est absque Sole.

Tolle

Tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo inuoluens, vmbra mortis, & densissimę tenebrę relinquuntur? Illuminatrix est denique Maria, per lucidissimam gloriam suam, per omnia illuminans cęlum, sicut Sol mundum.

B.V. Illuminatrix est per gloriam suã.

Est enim ille sol Maria per omnia respiciens, & gloria Domini plenum est opus eius Eccli. 42. *Sol illuminans est Maria pulchra vt Luna per gratiam, electa vt Sol per gloriam. Opus Domini excellentissimum est Maria. Hoc opus sicut plenum fuit gratia Domini in mundo, sic plenum est gloria Domini in cęlo. Sic ergo illuminans Maria in gloria sua rutilans per omnia respicit, quia per omnes Angelos, perque omnes Sanctos glorię suę illuminationem extendit. Quid mirum si Marię presentia totum illuminat cęlum, quę etiam totum illustrat orbem?* Hæc Bonauent. de Mariana luce splendidissima, qua non modo cælites, verùmetiam mortales omnes, totumque terrarum orbem virtutum præcipuè suarum splendore irradiat, vt ipsius præclarissima virtutum exempla consectemur.

B.V. Opus excellentissimum.

33. Et licet Deipara, nostra sit assidua in rebus omnibus illuminatrix, eamque sequi veluti stellam huius viæ ducem, ad æternam patriam tendentes, debeamus; Sequi tamen eam nos vult potissimùm idem D. Bonau. in bene operando. Cum illa ab instanti sed immaculatæ Conceptionis totam se excellentissimis tam intellectus, quam voluntatis actionibus, DEVM Diuinaque cognoscendo, eaque maiori, ac maiori amoris affectu in dies singulos prosequendo, impenderit, maioribusque virtutum incrementis animum suum, quo gratior cælesti sponso euaderet, locupletauerit. Vnde ipsam cælestem vocitando Auroram. operarios ad laborandum euocantem appellans, sic de illa in eodem spec. cap. 9. loquitur. *Attendite quod Aurora nostra Maria nobis est, quoad nos ipsos Illuminatrix ad bene operandum. Operarij ab ascensu Auroræ incipiunt operari. Vnde in* Neem. 4. *dicitur: Nos ipsi faciemus opus, media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu Auroræ, donec egrediantur astra. Hoc est opus illud de quo Apostolus* Gal. 4. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. Benè autem dicunt: Nos ipsi faciemus, nos ipsi, non nostri vicarij.*

B. V. in bene operãdo nobis sequenda tanquam Aurora.

Sic Maria non nutricem aliam, non vicariam, sed semper semetipsam exhibuit Dei Ministrã, sicut B. August. testatur: Maria absque dubio operis ministratrix extitit, quæ hunc vtero gessit, partuque profusum aluit, & fouit, in pręsepio reclinauit, & à facie Herodis abscondit, fugiens in Aegyptum, & omnem infantiam eius piæ mentis affectu est prosecuta, ita vt vsq; ad mortem crucis, ab eius non recesserit consectatu, non tantum gressibus pedum, tanquam pro amore filij, verùmetiam imitatione morum tanquam pro reuerentia Domini.

B.V. semetipsam semper exhibuit Dei Ministram.

Necessarium denique est, vt non solum bonis operibus insistamus, sed etiam, vt vitijs resistamus, & ideo additur de lanceis tenendis. Tenere enim debemus lanceam zeli contra impetum vitij, contra impugnationem Diaboli, carnis, ac mundi. Vt ergo bonis operibus fideliter insistamus, malisque vitijs viriliter resistamus, necessarium nobis est, vt Mariæ exemplum inspiciamus, Mariæ suffragium imploremus. Tunc verè quasi ab ascensu Auroræ operamur, quando irradiante exemplo, & vita Mariæ, quando irradiante patrocinio, & misericordia Mariæ ad benè operandum incitamur. Benè denique operari debemus, donec egrediantur astra, hoc est, donec animę nostræ lucidę, tanquam astra exeuntes de corporibus euolent ad astra. Sed super omnia astra iam egressa, vel adhuc ad astra egressura, splendidissimum Astrum est Aurora nostra Maria, testante B. Bernardo: Tu veri solis expressissima Imago inter millia astrorum, Deo assistentium Virginali puritate in cælis gloriosa præfulgens. Hæc Bonau. Ex quibus clarè sanè colligimus Illuminatricem nostram, veramque mundi lucem Virginem, pulcherrimam nobis esse Auroram, nos virtutum suarum luce, exemploque ad benè operandum vitijsque resistẽdum, ad laborandum denique in hac vinea Domini Sabbaoth, anima nempè, virtutibus excolenda inuitantem.

Operandum bene vsque ad vitam excitum.

M. veri solis expressissima Imago.

Quare de illa cum Virgo libr. 11. Aene. iure canere possumus:

Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem referens opera, atq; labores.

Et cum Statio lib. 6. Theb.

Clara laboriferos cælo Thitomia currus
Extulerat.

Verè Aurora nobis est Deipara mentibus nostris non modo lucem, verùm etiam omnium bonorum copiam efferens. Quare sicut à Poetis Aurora surgere ab Oceano dicitur, eo quod mũdo mare quoddam bonorum, suo exortu inuehere videatur: Sic sanè dicere possumus Deiparam, suo in hanc lucem exortu, Oceanum quendam ac mare immensum gratiarum omnium, iuxta sui nominis Ethymologiam, gratiarum inquam, nos ad benè operandum præuenientium, comitantium, ac sub-

M. mare quoddam gratiarum nobis in suo exortu attulit.

subsequentium attulisse. Quemadmodum enim primus homo ex se de terra creatus,quæ erat inanis, & vacua, inanis vacuusque,naturâ eius per se considerata extitit:ita Virgo,& immaculatè concepta, & immaculatè nata mare quoddam cęlestium charismatum, bonorumque omniũ extitit, adeo vt iure merito B.Alber.Magnus Congregationem illam aquarum initio mundi, dixerit esse Mariam,quia in illa aquæ gratiarum omnium, in primo eius ad nos exortu,ad eas nobiscum communicandas, nosque ad benè operandum incitandos fuerunt collectæ.

34. Quid porrò iam de Virginei huiuscè siue cæli, siue firmamenti assiduo dicemus motu? Illud dixisse cum deuotissimo Bernardino Bustio Par. 2. Mar.serm.3. sufficiat. Quod quemadmodum firmamentum cælos omnes inferiores quotidie secum mouet,ac circunducit. Sic Maria sanctos omnes ad intercedendum pro nobis apud Diuinam Maiestatem adducit. Mouetur animatum hoc cælum etiam ad nos solita sua pietate ac commiseratione, dũ idẽtidem illos suos misericordes oculos ad nos cõuertit, dum gyrũ non modo cæli,verũetiã terræ totius circumit, de omnibus benè merendi cupida.

B.V. Mouet sanctos ad secum intercedendo pro nobis apud DEVM.

Agnouit piam hanc Virginis circa nos Solicitudinem Leo Imperator Hom. 6. de Assumpt. *Moratur*, inquiens, *in his terris, & circumit,& magis vbique adest animatum illud Cælum, omnium similiter curam gerens,beneficientiæ suæ guttas distillans, arentisque vitæ nostræ constitutionem irrigans. Nunc omnes adit, quippè viâ longè faciliori, maternoque affectu omnes cognatos; præsto est promptissimè vt omnia incommoda depellat, stans pro nostra salute,& pro omnibus immaculatas manus extendens, quibus vniuersorum est gestata salus.* Sic ille.

B.V.tanquã cælum gratiarum imbres nobis stillat.

35. Et licet motu, luceque sua cælum hoc Virgineum in hæc inferiora agat vt diximus, non desunt tamen, & illi ipsius latentes influentiæ (: quæ à Philosophis insensibiles, & occultæ quædam qualitates, quibus cælum in hæc inferiora vim suam, agendo exercet, nuncupantur:) quibus admirandos subinde producit effectus humanæ menti pęnè incompręhensibiles.

Quid sint Influentię?

Quemadmodum enim intelligere nequimus, quanam ratione in terræ visceribus generetur aurum, argentum, & nonnulli preciosi lapides; sic sanè perdifficile est capere quomodo lutei, terreique quidam homines, terræ, mundoque inuiscerati, producant ex se aurum Diuinæ charitatis, argentum cælestis Sapientiæ, gemmasque virtutum variarum, qui verè dicere olim ingemiscentes poterant cum Psalmista: *Adhæsit in terra venter noster*; & vita nostra Inferno appropinquauit.

Quis enim neget occultis quibusdam animati huius Cæli, admirandisque hoc fieri influentijs, quæ omnem humanæ, imo, & Angelicæ mentis aciem effugiunt? Si quidem ad illos, ob tam profundam in ima terræ demersionem, nullum cæli lumen, nostro concipiendi modo pertingere posse videtur. Secretas hascè Virginis influentias crediderim intellexisse Sapientem Sap. 7. cum dixit Sapientiæ Spiritum illum vnicum, subtilem, omnem habentem virtutem, omnia prospicientem, attingentem denique vbique propter suam munditiciem.

Quenam sint Virginei Cęli influentię.

Siquidem S. Antoninus, Albertus Magnus, & Richar. à S. Laurentio encomia illa eo capite à Salomone compræhensa gloriosissimæ Virgini attribuere consueuerunt. Hinc idem Richar. libr. 4. ingentia Virginis super omnes Angelos, ac Sanctos merita, ac priuilegia, expendens, cum quæsijsset: Vnde ei tanta excellentia, *Ex hoc*, respondit, *quod Dominus fecit ei magna, qui potens est. Magna in terris, exaltans eam super omnes homines,magna in cęlis, exaltãs illã super omnes Angelos, magna in Infernis, subijciens ei vniuersas tenebrarum potestates.*

Ideo de illa id dici potest, quod de Filio pronunciauit Isa. 48. *Faciet voluntatem suam in Babylone, id est in Inferno, & Brachium suum in in Chaldæis, Dæmonibus videlicet, qui luteos illos homunciones terræ visceribus immersos Infernoque iam propinquos iure suo possidebant.* Quos tamen Virgo nostra vnico illo suo Spiritu, ac subtili, attingente, ac penetrante omnia, velut occultâ influentiâ, voluntate sua efficacissima,Brachioq; suo potentissimo eripuit, eripitque in hodiernum vsque diem, magna totius orbis admiratione. *Ipsa enim*, quemadmodũ loquitur loco cit. idem Rich. *est spiritualibus diuitijs copiosa, bonitate conspicua, potestate cunctis viuentibus tremenda, immensitate incomprehensibilis, æternitate indeficiens, cuius imperium attingit, à mari, vsque ad mare; attingensque insuper ex dono Filij, à fine,*

vsque

vsque ad finem fortiter, cum eo disponit omnia suauiter. Ipsa denique vbique attingit propter suam munditiam. Hæc Richardus, quibus aliquo modo Virginei huiuscè cæli nobis adumbrare visus est influentias, ad ima terræ, Inferis propinqua viscera penetrantes, vt inde terreos homines, mundi illecebris, vanitatibusque immersos, ac Tartaro quodammodo iam destinatos eripiat, terrenisque affectibus expurgatos in preciosissimum aurum, gemmasque conuertat. Plura de hiscè influentijs, quibus corda peccatorum, velut acus magnetica ad se conuertit; Discursu sequenti adferemus.

36. Interim audiamus illustre illud exemplum quod scribit Tritemius Abbas in Chronico Spanchaimensi de Adalberto quodam Germano, vt Virginearum influentiarum vires magis, perspiciamus. Hic coram viris grauibus fassus est, se, dum viueret de Ecclesię decimis vilem manipulum defraudasse, damnumque quatuor denariorum intulisse, nec illud reparasse, licet id peccatum esset confessus, ac propterea se æternæ damnationis sententiam incursurum fuisse, nisi Sanctissima Dei Mater cum Sanctis Angelis misericordiam Iudicis interpellasset. An non facto hoc Virgo nostra veluti Cælum secreta suæ gratiæ influentiâ hominem hunc centro terræ; Infernoque proximum, in aurum quodammodo gemmamque cęli Thesauris reponendam transformauit?


37. Ex quibus omnibus colligimus quod si Virgo hæc benignissima pietatis suæ luce homines, terrenarum rerum amore sepultos vi, virtuteque Diuinitus sibi insita, visitat, in eisque tam mirificos virtutum, Salutisque producit effectus, multo certè maiores insigniores que producet in ijs, qui eam velut aquilæ genuini pulli irretortis cõtemplantur oculis. Quod si ad tantæ lucis copiam oculos mentis nostrę ob humanam imbecillitatem caliget, contemplandi saltem illi nobis erunt ipsius fideles amici, ac clientuli, qui eius lucę perfusi, magnis passibus viam tam Diuini quam, ipsius seruitij ingenti præclarissimarum virtutum incremento decurrerunt, vt eorum excitati exemplo similia virtutum, bonorumque operum decora indispicamur. Audiamus hic Absolonem Abbatem serm. 28. de Nat. B.V. cuius hoc est sapientissimum consilium: *In ipsis tenebris tuis eo quo potes respectu B. Mariam intuere: in lectulo tuo illam cogita, & tene in memoria cordis tui, quoniam, & res, in quam directè radius solis non dirigitur, ex repercussione luminis, quandoque irradiatur, & infirma conscientia, quæ radio aspirantis gratiæ non tangitur, per vitam iustorum, & exemplo bonorum operum quandoque mutatur in melius*. Sic ille.

In tenebris tentationũ, & in lectulo cogitandum de B. V.

38. Et quoniam in Virgineo hoc Cælo lumẽ plusquam Angelicę eius puritatis adeo emicat, vt eius ad splendorem humanus oculus, velut cuiuspiam noctuæ caliget, lucem hanc in Seraphico illo Viro P. Ripa Transonio Minorita contemplemur, eumque imitari pro virili studeamus.
Hic, vt habetur in Chronico Minorum P.4. libr.10. cum plurimum sese in Christi eiusque Matris cruciatibus meditandis occuparet; Virginemque per acerbissimos eius dolores esset obtestatus, vt sibi puritatem cordis obtineret; mox illa se ipsi visendam materna prorsus benignitate exhibuit.
Ille tamen dubitans ne Diabolica esset illusio fugam adornabat: Ad quem Dei Mater: *Si tu me fugis*, inquit, *cur me compellas?* Tum Deiparentem agnoscens, se in terram prosternens exclamat, affectu quam humillimo: *Vnde hoc mihi?*
Tum illa manu sua super eius pectus posita: *En tibi*, inquit, *quam tantopere flagitas cordis puritatem*. O' vere Virginis purissimæ Manus tornatiles atque ad cæli munera largienda promptissimæ, hyacinthis virtutum omnium, ac cælestis præsertim puritatis plenissimæ!
O' Virgo clementissima fiat quæso manus tua vt saluet me, meumque, hyacintho hoc puritatis pectus intimumque cor velut præciosissimo Monili exorna, quo anima mea Diuinæ placita acceptaque euadat Maiestati.
Amen.

M. per cruciatus Filij obsecranda pro puritate cordis aquirenda.

B. V. manus suæ attactu cuidam suo deuoto cordis puritatem communicat.



DISCVRSVS XIV.

Quod B.V. Deipara sit nostra Cinosura, & Elice, dum in mari huius sæculi versamur.

1. AGgredimur Firmamenti, seu cæli stellati asterismos, siuè constellationes, quæ figuras varias, varia syderum dispositione, ductisque lineis nobis repręsentant: Figuræ hæ porro mera sunt Poetarum commenta, quæ tamen hiscé fabularum inuolucris, contectæ veritatem, eximiamque sapientiam, ad hominum mores efformandos edocent. Vnde præclarè Marcus Manilius Astr. lib. 2. in Procemio de Homeri Hesiodique loquens fabulis cecinit:

Ex carminibus Hesiodi, & Homeri cælum est fabula.

Quorum carminibus nihil est nisi fabula cælum,
Terraque composuit cęlum, quæ pendet ab illo.

Hinc antiquitus vniuersa Philosophiæ dogmata ante Aristotelem, & Platonem aliorumque Philosophorum tempora non apertè sed obscurè sub fabularum integumentis tradebantur. Græci etenim sapientes eum occultam Philosophandi rationem ab Aegyptijs in patriam inuexissent, timerentque ne res tam admirabiles ac Diuinæ euulgarentur ac vilescerent, eas quodam quasi honestarum fabularum velo contexerunt.

Plato suadebat Nutricibus vt honestas fabulas pueris narrarent.

2. Hinc Plato antiquorum sapientum Coryphæus *libr.* 2. de Repub. cupiens à teneris annis iuuentutem bonis moribus imbuere, & ad omnem probitatem sapientiamque efformare præclarè pronunciauit: *Selectas autem fabulas nutrices ac Matres pueris narrare hortabimur, animosque illorum, fabulis diligentius quam corpora ipsa manibus informare.* Hinc Dionysius Halicarnasseus libr. 1. rerum Antiquarum quam plurimas fabulis ad erudiendos homines vtilitates contineri perspiciens: *Neque mihi,* inquit, *obscurum esse quis existimet, quod ex Græcis fabulis nonnullę sunt hominibus per vtiles. Alię siquidem sunt, quę naturę opera sub allegorijs contineant, alię humanarum calamitatum habent consolationem, aliæ terrores, animorumque perturbationes à nobis depellunt, opinionesque parum honestas, destruũt; alię alterius cuiuspiam vtilitatis causa fuerunt inuentę.*

Fabularum vtilitates.

3. Quare Iacobus Pontanus noster Volum. 3. Par. 1. Progym. 40. de vtilitate fabularum differens, ait Fabulis vsos fuisse Philosophos, oratores, Poetas, scriptores alios, viros demum sapientiæ opinione clarissimos. Aristotelem insuper dicendi Magistrum singularem, constituere fabulam genus quoddam probationis Rhetoricę, & in exéplis numerare, indicareque veterum in his versatam eloquentiam. Additque hac nos via breuiore, commodioreque sine multa agitatione mentis, sine definitionibus, diuisionibus, ratiocinationibus, enthymematis, aut etiam ex vetustate repetitis, historiarum monumentis, cum risu, ac voluptate ad desendas detestandasque vitiorum labes, & virtutis pulchritudinem consectandam institui. Habent enim fabulæ vim per magnam ad excolendas animas, ad præcipiendum, ad emendandum, ad monendum, ad obiurgandum, ad cohortandum, ad repræhendendum, ad docendum, ac probandum, siquidem quædam, quasi ipsius Naturæ voces sunt, ac testimonia, ad persuadendum denique ac permouendum, cum tamen horum agere nihil videantur per

idonea.

idonea. Hæc omnia inesse comenentis istis viderunt illi, qui libros suos, quibus æternitatem se assecutores sperabant: (quæ spes eos frustrata non est:) fabellis huiuscemodi tanquam gemmulis distinguendos putarunt. Sic ille.

4. Naralis etiam Comes li. 1. Myth. c. 2. varia fabellarum recenset ad morũ institutioné, vitamq. secundũ rectã ratione instituendam, emolumenta: *Aliæ* inquit ille, *Fortunæ inconstantiam declarant, nosque ad eam forti animo ferendam instruunt, vt ea, quę de Phœbo dicta sunt, quod armenta pauerit Admeti. Aliæ ab impuris opinionibus, & à crudelitate atque ab omni perfidia, & impura libidine nos retrahunt, vt Lycaonis fabula. Alię ad deterrendos homines à rebus turpibus sunt inuentæ, vt Ixionis supplicium apud inferos. Alię cohortantur ad strenuitatem, vt ea, quæ tradita sunt de Hercule. Aliæ ex auaritiæ sordibus nos erigunt, vt sitis Tantali. Aliæ ad deprimendam temeritatem confingũtur, vt calamitas Bellerophontis, & cęcitas Marsyę. Aliæ ad virtutes nos alliciunt, ad integritatem vitæ, ad fidem, ad ęquitatem, ad religionem, vt mirifica camporum Elysiorum amœnitas. Aliæ denique ab omnibus flagitijs reuocant, vt seuerissimi Triumviri apud inferos singulorum animas defunctorum iudicantes, & grauissima conscelleratorum supplicia. Equidem sic existimo quasi suauissimum humanæ vitæ condimentum existere fabularum inuentionem, ac earum ærumnarum, quas in vita patimur, non mediocre solatium, quas etiam idcirco à sapientibus fuisse excogitatas censeo.* Hæc Natalis.

5. Fabularum vtilitates has perspexisse visus est S. Fulgentius Episcopus Carthaginensis vir æquè Theologica scientia literisque etiam humanioribus, ac morum integritate, sanctimoniaque clarissimus, dum tres Mythologiarum libros ad Catum Presbyterum conscripsit, quibus varias fabulas, ac metamorphoses ab Ouidio, alijsque Poetis mutuatas prosequitur, ex eisque documenta saluberrima ad humanæ vitæ institutionem, morumque correctionem elicit. Atque vt fabellis huiusmodi se delectari non mediocriter ostendat, eleganti carmine à se composito Musas initio mythologici huiuscé operis adiutrices inuocat, rogatque tam Hesiodi, quam Homeri, Maronis, atque Ouidij sibi recondita figmentorum mysteria reserari.

S. Fulgentius tres Mythologiarum libros conscripsit.

Nec irrita sua cecidisse vota ostendit, dum prosequitur; mox Calliopen crine neglecto, quem margaritis pænitens diadema constrinxerat, aliasque duas Virgines sibi adstitisse, & iam memoratam Calliopen *ludibundo palmulę tactu eius vaporans pectusculum poeticæ pruriginis,* vt ipse loquitur, *dulcedine sparsisse.*

6. Audiendus hic nobis est de hiscé fabularum mysterijs cælo contentis S. Gregorius Pont. Max. lib. 9. Moral. cap. 6. qui verba illa Iob. 9. interpretans: *Qui facit Arcturum, & Orionas, & Hyadas;* docensque per Arcturum septem stellarum radijs fulgentem, Ecclesiam vniuersalem septiformis Spiritus S. gratiâ radiantem; per Orionas verò, Martyres, per Hyadas deniq; Doctores sanctæ prędicationis imbre terram irrigantes designari; ita loquitur: *Nequaquam sermo veritatis vanas Hesiodi, Arati, & Callimachi fabulas sequitur, vt Arcturum nominans, extremam Stellarum septem caudam Vrsę suspicetur, & quasi Orion gladium teneat amator insanus. Hęc quippe astrorum nomina à cultoribus sapientię carnalibus inuenta sunt; sed scriptura sacra iccirco eisdem vocabulis vtitur, vt res quas insinuare appetit, notitia vsitatæ appellationis exprimantur. Nam si astra quę vellet per ignota nobis nomina diceret, homo, pro quo hæc eadem scriptura facta est, nesciret procul dubio quid audiret. Sic igitur in sacro eloquio sapientes Dei sermonem trahunt à sapientibus sæculi; sicut in eo pro vtilitate hominis vocem in se humanę passionis ipse conditor hominum sumit DEVS, vt videlicet dicat: Pœnitet me fecisse hominem super terram, cum profecto constet, quia is, qui cuncta priusquam veniant conspicit, nequaquam postquam aliquid fecerit, pœnitendo resipiscat. Quid igitur mirum si spirituales viri vtantur verbis carnalium, quando ipse ineffabilis creator omnium Spiritus, vt ad intellectum suum carnem protrahat, in seipso carnis sermonem format. In scriptura igitur sacra, dum nota astrorum nomina audimus, de quibus astris sermo mouetur, agnoscimus. Cum vero, quæ enarrentur astra propendimus, restat vt ex eorum motibus ad spiritualis intelligentiæ arcana surgamus. Neque enim iuxta literam mirum aliquid dicitur, quod DEVS Arcturum, Oriones, & Hyadas fecit, de quo nimirum constat, quia omnino in mundo nihil est, quod ipse non fecerit. Sed sanctus vir hæc fecisse Dominum dicit, per quę signari propriè, ea quę spiritualiter gerantur intelligit.* Sic ille.

Arcturus Ecclesiam notat.

Orion Martyres.

Hyades Doctores.

7. Ex qua sanè tanti Doctoris, sicut, & Diui Fulgentij auctoritate ac sententia perspicere facile possumus in

postremis minimè habendas esse fabulas, ac præsertim eas, quas cælum, velut immensus quidam Dei ter opt. Max. Magistrique excellentissimi liber complexu suo, quasi nobilitauit, nobisque legendas exhibuit. Hanc fortassis etiam crediderim ob causam, cælum à veteribus nonnullis Librum fuisse appellatum. Hinc S. Basil. Hom. 11. in Hexam. *Mundi Moles*, inquit, *perinde est ac Liber literis exaratus, gloriam Dei palam prædicans.* Sanctus quoque Bernardus in illa verba Psal. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus DEVS, sic loquitur: *Sensibilis Mundus iste est veluti communis quidam liber catena ligatus, vt in eo sapientiam legat, quicunque voluerit.*

Cælum cur liber appellatum sit.

Licet enim cum in cælum oculos attollimus, eiusque immensam quasi molem, ac splendorem nec non Solis, Lunæ, reliquorumque syderum mirificam pulchritudinem contemplamur, mox ad laudandam tanti Conditoris Omnipotentiam, Sapientiam, bonitatemque prouocemur, erudiri tamen eadem videmur libro, illis ipsis quas repræsentat fabulis, ad morum honestatem, ad sectandam iustitiam, virtutem amplectendam, detestanda scelera, vti decursu operis manifestum euadet.

Hanc ob causam Euangelicus Propheta Isaias cap. 34 de tempore illo post extremi iudicij diem loquens: *Complicabuntur sicut liber cæli*, indicauit ministerium, vsumque cæli ac syderum exhibitum, ad eruditionem mortalibus, postea desiturum. Vt enim liber complicatur postquam eo vti desijmus, sic cæli sublatis hominibus, in alio statu erunt, quasi clausi.

8. Quamuis Doctor Angelicus, Nicolaus Lyranus hoc aliter, sed tamen ad rem nostram exponant: *Complicabuntur*, inquiunt, *cæli tanquam liber, id est, non exercebunt Ethnici Astronomantiam suam, nec ibi videbunt, vt ipsi putabant, futura descripta*. Fuere enim non pauci inter quos Origines, vt memorat Eusebius libr. 6. de præpar. Euang. cap. 9. qui explicans illud Gen. 1. de stellis: *Erunt in signa;* dixit cælum esse velut quédam librum, in quo DEVS depinxit atque descripsit; quæcunque in toto mũdani æui decursu, suo quæque tempore futura sunt, idque per astra varijs aspectibus, & coniunctionibus disposita.

Futurarum rerum euentus in stellis signatos aliqui perperam existimarunt.

Ad quod probandum citat librum quendam inscriptum: Narratio Ioseph; olim apud multos receptum; in quo Iacob Patriarcha inducitur filios suos alloquens, *Legi in tabulis cæli quæcunque contingent vobis, & filijs vestris.*

Plotinus quoque Origenis Condiscipulus stellarum vsum hunc esse docuit, vt qui illas suspicerent, & quasi literas considerarent, atque huiusmodi literaturam nouissent, futura quæ euentura erant, in illis legerent. Quare Porphyrius affirmare non dubitauit, cum ipse de se interficiendo deliberaret, Plotinum hoc cælitus præuidisse, & tanto facinore prohibuisse. Quę quia delirantium somnia potius, quam sanè sentientium sunt dogmata, explodenda sunt. Nobis suffecerit de spinis vuas, & de tribulis hisce ficus collegisse, & cęlum, esse Dei supremi omnium Doctoris Librum, vti diximus, intellexisse in quo nobis non modo Diuina eius pulchritudo, aliaque innumera attributa, verumetiam ipsius Sanctissimæ Matris cælorum Reginæ interior præsertim mentis venustas, virtutesque eximiæ, varia quoque ad vitam rectè ex rationis præscripto traducendam documenta legenda atque contemplanda, arcanis quibusdam depicta notis, ac Hieroglyphicis ob oculos nobis ponuntur. Fabulæ enim mores hominum imitantes ac exprimentes huiusmodi, Picturæ adeo sunt similes, vt Horatius lib. de Arte Poetica Poeticem Picturæ conferre non dubitarit, dum cecinit:

Cæli constellationes Mariæ interiorem pulchritudinem repræsentant.

Vt Pictura Poesis erit.

Vnde, & fabulosam fictionem quidam formam animamque esse artis Poeticæ asseruere. Quare quemadmodum Picturæ finis est mimisis, siue Dei Creatoris, humanarumque actionum vtilitati, & delectationi sociata imitatio, ita quoque, & ipsius Poeseos. Rectè enim ibidem idem canit Horatius:

Fictio est, & forma, & quasi anima Artis Poeticæ.

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetę,
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitę,
Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Quæ sane vtilitas atque obsecratio, in fabulis hiscè, cæli firmamento descriptis inesse videtur vel maximè.

Hæc paucis præmittenda duximus, ne quis summæ cælorum Reginę laudes hiscè fabularum, quæ in firmamento cæli repræsentantur fundamentis nixas considerans, tanquam tanta Maiestate indi-

indignus aspernetur. Licet enim fabulæ sint, & totum sit fabula cælum, vti supra retulimus ex Manilio, eo tamen veritas, sapientia, reconditique quidam sensus ad eruditionem mortalium cõtinentur. Iam ipsas constellationes, principio ducto à polaribus, quæ mirificè fauorem Virginis in hoc opere, ceu pelago, absque duce nauigantibus nobis necessarium, repræsentant, aggrediamur. Verè enim, & nos, absit verbis iactantia, cum eodem rursus Manilio libr. 2. Astronom. in Proœmio noua se canere, nec trita aliorum Poetarum via incedere profitente, dicere possumus:

Omnis ad accessus Heliconis semita trita est;
Et iam confusi manant de fontibus amnes,
Nec capiunt haustu, turbamque ad sacra mentem.
Integra quæramus rorantes prata per herbas,
Vndamque occultis meditantem murmur in antris,
Quam neque durato gustarint ore volucres
Ipse nec æthereo Phœbus libauerit igni.
Nostra loquar nulli vatum debebimus orsa,
Nec furtum, sed opus veniet, soloque volamus
In cœlum curru, propria rate pellimus vndas.

9. Sapientissimè sanè Sapientum Princeps docuit Plato in Timeo nomina ita rebus imponenda esse, vt ea nobis velut in quopiam speculo rei Naturam repræsentent. Censuit proinde Nominum impositionem, non ad quemlibet, sed ad sapientissimum quemque pertinere. Vnde videmus Nomen Mariæ Virginis nostræ gloriosissimæ è Thesauro Diuinitatis, vt loquitur Card. Damianus serm. de Annunc. æuolutum, oreque ipsius Dei Angelo internuncio, nominatum speculum quoddam eiusdem extitisse Virginis, nobilissimam ipsius indolem naturamque in se exprimens, dum Dominã, dum amarum mare, dum stillã maris, dũ denique stellam maris sonat. Atque, vt de reliquis significationibus sileam, de quibus iam partim dictum in prima parte, partim erit dicendum decursu operis, verè Deipara Sacratissima est stella maris miseris mortalibus, mare hoc amarissimum huius sæculi sulcantibus propitia. Est, inquam, stella illa polo Arctico seu Boreali vicina, est pulcherrima illa constellatio eidem polo propinqua, quam Vrsam maiorem, minoremque Astrologi vocitant, nobisque vtraque currum quendam suarum dispositione stellarum repræsentat.

B.V. est Stella maris polo Arctico vicina.

Hanc septem constantem stellis pulcherrimis, Phœnices potissimum inter nauigandum obseruarunt, & Cynosuram à Nympha, quæ in Idæ monte Iouem lactasse perhibetur, appellarunt, dixeruntque eam de Ioue benè meritam, inter sydera referri dignam fuisse. Illam Græci in suis nauigationibus obseruare sunt soliti, eamque Elicem nominarunt vt canit Ouid. de Trist.

Quid sit Cynosura?

Esse duas Arctos quarum Cynosura notatur
Sidonijs, Elicem Graia carina notat.

Hæc 27. constat stellis, quarum principales sunt 12. De vtraque idem Ouidus sic cecinit:

Magna Minorque Feræ, quarum regit altra Graias.
Altera Sidonias vtraque sicca rates.
Omnia cum summo positæ videatis in axe,
Et maris Occiduas non subeatis aquas.
Aethereaumque suis cingens amplexibus arcem
Vester ab intacta Circulus extet humo.
In me iam tandem nitidos conuertite vultus.

De eisdem Manilius lib. 1. Astron. c. 4.

Summa tenent eius miseris notissima Nautis.
Signa per immensum cupidos ducentia pontũ.
Maioremque Helice, maior decircinat Arcton.
Septem illa Stellæ certantes lumine signant,
Qua duce per fluctus Graiæ dant vela carinæ.
Angusto Cynosura breuis torquetur in orbe
Tam spatio, quam luce minor. Sed iudice vincit
Maiorem Tyrio: Pœnis hæc certior auctor:
Non apparentem pelago quærentibus orbem
Nec paribus positæ sunt frontibus: vtraque caudam
Vergit in alterius rostro, sequiturque sequentem.

10. Hæ constellulationes quàm apposité ad Deiparam gloriosissimam applicari possint, nemo non videt. Verè enim in primis Virgo *hæc semper est vicina polo, seu cœli cardini immobili Christo* vt ait S. Bern. Senen. Tom. 3. serm. 1. de Nom. Mar. art. 1. cap. 2. Quia sicut hic

centrum

centrum est huius orbis, sic est & cardo Vniuersi, circa quem vertuntur omnia, quorum est Alpha, & Omega, principiũ & finis. Ipse enim immobilis manens dat cuncta moueri, vt ait Boetius.

B. V. est stella semper vicina Polo id est Christo.

Et quemadmodum duo sunt orbis huius poli circa quos assiduè vertitur. Alter hic visibilis Borealis videlicet, alter inuisibilis Meridionalis; de quibus Romanus Poeta in Georgicis.

Hic nobis semper vertex sublimis; at illum
Sub pedibus Styx alta videt, manesque profundi.

Sic in Christo duæ sunt Naturæ, Diuina, quæ per polum meridionalem denotatur, quam non styx atra videt manesque profundi, vt fabulatur Virgilius; sed Angeli beati, sanctique omnes, qui æterna in cælis felicitate perfruuntur. Polum hunc contemplari ac desiderare visa est sponsa, cum diuino eius amore ebria dicebat Cant. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*. Altera est humana Natura, quæ per Polum hunc visibilem Borealem, seu Aquilonarem designatur.

Duo poli duas Naturas in Christo Diuinam, & Humanam designant.

Per hanc enim, DEVM illum in maiestate sua inuisibilem, polum illum cardinemque meridionalem quodammodo videre licuit, vt dum visibiliter Deũ cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur, vt canit Ecclesia.

11. Huic ergo polo visibili semper Virgo nostra, velut Elice quæpiam, aut Cynosura, etiam dum in hac vita inter mortales degeret, (vt de Incarnatione, in purissimo eius vtero peracta, qua caro eius Dei Filio vnita, & quasi inuiscerata est, sileam): amoris saltem affectu adhærebat, & iam æterno illo beatoque æuo perfruens, ad eius dexteram collocata tam ob meritorum, gratiarumque plenitudinem ac excellẽtiam, quam Diuinæ maternitatis eminentissimam dignitatem, carnisque purissimæ indissolubilem illam identitatem iure meritissimo adhærescit. Quæ omnia D. August. To. 9. ser. de Assumpt. fusè probat, & nos alibi plura de hoc argumento diximus; suffecerit hic breuiter illud eiusdem S. Doctoris dictum attexere: *De illis quos secum per gratiam, vnum esse voluit Christus, ait: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem, quam dedisti mihi. Si igitur illos secum habere vult, quid æstimãdum est de Matre, vbi digna sit haberi, nisi in præsentia Filij? Igitur Mariæ anima claritate fruitur Christi, & gloriosis conspectibus, eum semper videre sitiens, & semper conspiciens, dum inæstimabiliter pascitur, excellentiori quadam specialique prærogatiua à Filio honoratur, possidens in Christo corpus suum, quod genuit clarificatum in dextera Patris.*

B. V. Christo velut polo suo, ob identitatem carnis, diuinamque Maternitatem adhæsit.

Hæc August. Cui consonat Seraphicus Bernardinus loco iam memorato, eodem argumento probãs illam esse stellam verè polarem, quod Christo in cęlis sit vicinissima: *Si eorum quorum eadem est natura, idem est locus*, inquit ille: *Ipsius autem Virginis, & Filij eadem est natura: ergo idem erit, & locus; quapropter, & merito, & loco vicinissima erit Filio suo, non secus ac stella polaris suo polo*. Sic Bernardinus.

Eorum quorum eadem est natura, idem est & locus.

12. Quod si Cynosura ideo inter sydera est translata, poloque adhæsit Boreali, quod summum Iouem paruulum, suo lacte pauerit; quanto magis credendum Deiparam Christo in cælis esse vicinissimam quæ illum, & vtero nouem mensibus fouit, & proprio lacte nutriuit, totoque ipsius vitæ decursu, eidem ministrauit? Rursus hic audiendus loco citato Augustinus: *Si hæc est generalis sententia omnium per fidem, & bonam operationem Christo ministrantium: Vbi ego sum, illic sit & minister meus; quanto magis, & specialius est Mariæ? Mariam namque operis exhibitione, & Filij rigidissima veritate ministram Christi fuisse, omnis qui sanè sapit, intelligit. Absque dubio enim omni operi ministratrix extitit, quæ hunc in vtero gessit, partuque profusum aluit ac fouit*. Concludit tandem: *Sit apud illum illa, quæ genuit, fouit, & aluit illum Maria Dei Genitrix, Dei ministratrix, Dei secutrix*.

M. Cynosura quæ DEVM paruulum effectum lacte suo nutriuit.

M. velut stella, est apud Christum suum polum, quæ illum genuit fouit, & aluit.

13. Obsequia hæc ministeriaque à Virgine, omnibus penè suis membris Filio olim exhibenda mirè deprædicauit Pontanus noster lib. 4. Floridorum num. 12. dum in lucem hanc vix exortam tenellam Virgunculam, & purissimum ipsius præsertim vterum, quo Dei Filius velut sponsus in floridissimo lectulo nouem mensibus erat quieturus, ita dilaudat:

Laudes Vteri Virginalis.

Venter, ventricule, ò beate venter
Tunc intra tua claustra continebis
Quem non concepit amplitudo mundi?
Vos nè quondam alimenta lactis illi
Paruæ suppeditabitis papillæ,
A quo cuncta alimenta procreantur?
Per quem nec minima esuriuit ales?
Felices nimis, oh nimis papillæ!
Vos ò brachiola, ò lacertulique

Laudes papillarum B. V.

Vobis

Vobis tangere, & gestitare vobis
Et amplexibus implicare crebris
Numen omnipotens, & æuiternum
Potestate licebit inuidenda!
Salue os purpureum, labella auete,
Quæ Deo puero cum amore dulci
Longè plurima basiationum
Factura estis. Auete vos ocelli
Melliti, rosei, sereni ocelli.
Heu quam flumina larga lacrymarum
Vos quondam in miserum dabunt ruborem?
Quando nempe mala illa magna fient.

14. Sed ad lineam. Hic nempe locus Virginis, polo vicinissimus, est locus ille de quo disceptabat Dominus cum Iobo cap. 38. Nunquid ostendisti Auroræ locum suum? Quæ verba trutinans Seraphicus Bonau. in spec. cap. 9. Sic in ipsius Dei persona loquitur: *Non ad te pertinet ostendere Auroræ Mariæ locum suum in cælo, sed ad me. Benè autem dicit suum, quasi appropriando, & discernendo illum ab alijs omnium Sanctorum locis. Hinc etiam* 3. Reg. 8. benè legitur: *Intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum. Hic certe locus est super omnes choros Angelorum. Hic denique locus est in cælo dignissimus, vtpotè eius Filio proximus.*

Mariæ locus est penes Christum.

Vicinitatem hanc Virginei huius syderis ad polum suum præclarè expressit. Ioan. Gerson Cancell. Parис. Tract. 12. in Magnif. dum ipsam per prosopopœiam Nomen suum interpretantem, variosque lucis suæ benignissimæ in mortales omnes saluberrimos effectus exponentem introducit: *Ego Maria, per Ethymologiam dicor, Maris stella, quam illuminatricem esse constat. Hæc illa sum, quæ proxima Deo, cardini totius mundi machinę dirigo nauigantes in Ciuitatem, quoniam non habent hic manentem Ciuitatem, sed futuram inquirunt homines. Et qui homines? Certè viatores procellis huius maris magni grauiter impulsi, fluctibus, & cantibus incessanter impulsi. Futurum est per omnes generationes, vt me stellam esse maris prędicent, me respiciant, cursus suos ad illustrationem meam dirigant. Nec hoc agentes fallentur, nec in deuijs aberrabunt, nec in periculis contabescent. Itaque Domino propitio me Dominam inuocantes, me Illuminatam, & Illuminatricem aspicientes, patriæ portum salutarem introibunt. Hęc sunt, quę magnificat, magnum prędicat, magnum esse apud omnes generationes clarificat, & significat anima mea Dominum.* Hæc Cancell. quibus sanè totam polaris huius syderis naturam nobis bellissimè adumbrauit in Virgine.

Mariam Illuminatam, & illuminatricem aspicientes patriæ portum salutarem introibunt.

15. Eadem Virgo nostra iure merito etiam sydus Helice dicitur, quod Græcis à circumeundo polum intra diem, noctemque nuncupatur. Ipsa enim, & hic dum viueret, etiam dũ in cælestibus beata commoratur quosdam amoris assidui nunquam finiendos, attamen breuissimos, vtpotè diei vnius noctisque spatio, ob poli vicinitatem terminatos format circulos, circa Filium dilectissimum, velut cẽtrum, cardinem, polumque suum.

B.V. Sydus Elice quare dicatur.

Quam etiam ob causam per excellentiam Mater pulchræ dilectionis, quod æternum illum Amorem, non modo toti mundo, sed & sibi, & singulis suis clientulis peperit. Qui sanè amoris motus iure circularis appellatur. Quia quemadmodum Circulus circa suum centrum, ab eodem puncto in idem redit, ac terminatur: Ita amor Virginis sphæricus quodammodo videbatur, quia à Filio incipiebat, in eũdemque, omnia propter ipsum, & in ipso, amoris affectu complectendo, terminabatur. De quo amoris circa suum cẽtrum breuissimo sed felicissimo Circulo pulchrè mellifluus Bernardus: *Qui amat vehementiùs, currit velo eius, & peruenit citiùs.* De hoc circuitu amoris circa Filium gloriati Virgo ipsa visa est apud Eccli. 24. *Gyrum cæli circumiui sola.* Aptè porrò dicitur Virginem circumiuisse cæli Gyrum, dum Patris Vnigenam carne circumdedit. Cum enim Filius Dei, vt inquit, Richar. à S. Lauren. lib. 10. prius esset circulus, cuius centrum vbique, cuius circumferentia nusquàm, B. Virgo dedit ei circumferentiam carnis, in qua habitaret plenitudo Diuinitatis corporaliter. Christus enim Gyrus est ingyrabilis, omnia continens. Sic ille.

Christus est Gyrus ingyrabilis omnia continẽs.

16. Vtrumque verò hunc Asterismum tàm Helices, quàm Cynosuræ, vmbram quandam figuramque Deiparæ, eius indolem repræsentantem, extitisse, eleganter cecinit Ioannes Bapt. Mant. libr. 1. Parth. dum Virginea hac luce irradiatus eam sic est allocutus:

Tu placidum terris sydus, quod liberat omnes
A pelagi feruore rates, quod luce benigna,
Saturni, Martisque graues eliminat iras.
Tu nobis Elice, nobis Cynosura, per altum
Te duce vela damus, portus habitura secundos.
Tu mare, tu ventos, tu sydera cuncta, Deũq;
Con-

Concilias, tu tuta salus, tu pacis origo.
Noster etiam Pontanus libr. 4. Florid. nu. 21. eam Cynosuram salutauit:

Ego te saluto plurimum
Cælestis aulæ Ianua,
Cynosura nauigantium
Secunda spes mortalium.

17. Et verò si quis attentiùs harum constellationum expendat proprietates, inueniat sanè in his Naturam Virginis nostræ venustissimè delineatam. Si enim hæ super omnia sydera videntur eleuatæ, quia polo nostro sunt vicinæ. Et Virgo gloriosissima super omnes Angelorum iustorumque choros ita eleuata est, vt proxima Filio, per se Hierarchiam vti sæpiùs ex Ioanne Gersone dictum est constituat. Et iure sanè merito. *Quia si*, vt S. Ildephonsus Archiep. Tolet. loquitur serm. 2. de Assumpt. *impertit iustus Iudex Christus Dominus vnicuique iuxta opera sua, huic tamen sacratissimæ Virgini Genitrici suæ, sicut incomparabile est quod gessit, & ineffabile donum quod percepit, ita & inestimabile atque incomprehensibile premium, & gloria, non dico inter ceteras sacras Virgines, verum etiam vltra omnes sanctos quam promeruit. Peruenit namque ad cęli palatium beata, & gloriosa, vbi Christus sponsus Ecclesię, eam intra thalamum collocauit in dextera suę Maiestatis. Ibi siquidem eam assumpsit præcellentissimam inter primos, vbi iuxta Dauidis vocem stat Regina à dextris Dei, in vestitu deaurato circundata varietate, & inter filias Hierusalem cælo renata speciosa resplenduit.*

Si Christus Iustus Iudex impertitur vnicuique secundum opera sua, quanto magis Matri?

18. Quod si stella differt à Stella, ob diuersitatem meritorum bonorumque operum præsertim pietatis, quæ etiam minimo cuipiam in Christi nomine exhibentur, & huiusmodi est, teste Paulo, resurrectio mortuorum; longè differentior sanè gloria sublimiorque super omnes reliquos sanctos erit gloriosissimæ nostræ Virginis, quæ pietatis ac misericordiæ opera tam effuso charitatis affectu, erga personam eminentissimam, erga totius vniuersi Cardinem ipsum Dei Filium exercuit.

Qua de re quia alibi fusius dictum est, sufficerit D. Anselmum Homel. Intrauit IESVS, audire: *Vt breuiter*, inquit ille, *illa sex misericordiæ opera percurramus, quæ cum vni ex minimis suis fiunt, DEVS sibi soli facta confitetur. Virgo non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem, non in domo, sed in vtero suscepit. Nudum, carne, vel etiam pannis operuit. Esurientem pauit, sitientem lacte potauit. Infirmum per infantiam, & iacentem non solùm visitauit, sed etiam balneando, fouendo, leniendo, gestando frequentauit, vt merito de ea dicatur: Martha satagebat circa frequens ministerium. Comprehenso, & Crucifixo, quasi in carcere posito adfuit. Stabat enim iuxta crucem IESV Mater eius.* Hæc Anselm.

B.V. opera misericordiæ erga Filium exercendo maximis meritis cumulata.

Cùm igitur præ reliquis sanctis omnibus stella hæc Virginea ipsi Dei Filio in hac vita ministrando adhæserit, quid mirum si iā super omnes sanctos, in gloria eminentissima ipsius Maiestatis, velut polares illæ constellationes emineat, eidemque arctissimo amoris affectu adhæreſcat?

19. Accedit quod quemadmodum æquè Cynosura hæc, atque Helice, Deiparam nostram sacratissimam repræsentantes, totæ ex stellis lucidissimis iisque pulcherrimis coaluerunt, ita planè, & Virgo nostra, adeo vt nil terreæ, nil humanæ labis, fœcisque illi aspersum esse videatur, sed sit tota penitus cælestis, tota syderea. Hinc S. Bernardus serm. de verb. Apocal. In capite Virginis Coronam stellarum 12. contemplans ait: *totam sideream esse Mariam, dignamque stellis coronari, soleque circundari, vtpotè, quę Dei Filium purissima sua carne circumdedit.* Sic enim ille ad Virginem conuersus pijssimo suo affectu: *Quàm familiaris, inquit, ei facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruisti, quantam inuenisti gratiam apud DEVM! In te manet, & tu in eo. Vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, & vestit ille te gloria suę Maiestatis. Vestis solem nube, & sole ipsa vestiris. Nouum enim fecit Dominus super terram, vt mulier circumdaret virum, nec alium quàm Christum, de quo Zach. 6. Ecce vir oriens Nomen eius.* Cum igitur solem orientem, stellam illam splendidam ac matutinam, Candorem lucis æternæ, splendorem Paternæ gloriæ vtero suo circundedit, quid mirum si tota stella, si tota Diuina luce irradiata in cælis splendescat? Quid mirum si Diademate ex stellis coruscantibus concinnato redimita in æterna gloria compareat, siquidem Dei Filium carnis diademate in terris coronauit? Vnde beatæ illæ mentes pulcherrimam hanc humanitatis nostræ coronam intuentes, terrigenas, de quorum substantia erat cōposita, ad eius venustatem contemplandam prouocabant: Cant. 3.

Maria tota syderea.

Egre-

Egredimini filię Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Hinc idem Bernardus: *Denique coronauit eum, inquit, & ab eo meruit coronari. Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clarius micans, ornet eas potius, quàm ornetur ab eis. Quid ni coronent sidera quàm sol vestit?* Tùm stellas illas 12. cum totidem prerogatiuis gratiarum, homini inefabiles esse dixisset, & in Virginitate, fœcunditateque eiusdem, sidereum planè decus emicare, addit tandem ipsam eius generationem esse sydeream, ex qua, velut ex aurora diei, decursum radiantem, colligere consueuimus:

Omnia Syderea sunt in Maria.

Quid, inquit ille, non sydereum micat in generatione Marię? Planè quod ex Regibus orta, quod ex semine Abrahę, quod generosa ex stirpe Dauid. Si id parùm videtur, addo quod generationi illi, ob singulare priuilegium sanctitatis diuinitus noscitur fuisse concessa, quod longè ante eisdem patribus cęlitus repromissa, quod mysticis pręfigurata miraculis, quod oraculis prenunciata Propheticis. Meritò signum hoc magnum in cęlo apparuisse scribitur, quod tanto ante de cęlo noscitur fuisse promissum. Accedit inde ad Filij Dei in vtero eius conceptionem, quę illam totam sydereã, atq; coruscantẽ reddidit. Vnde infert: *Huius ergo prærogatiuæ fulgor, quorum non vehementer reuerberat aciem oculorum. Nam quod verum DEVM, & Dei Filium genuit, vt idem ipse Dei atque hominis Filius vnus omnino DEVS, & homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis, nec facile dixerim, quod vel Angelicus oculus, ad huius fulgoris vehementiam non caliget.* Virginitatem denique fœcunditatemque Diuinissimo huic puerperio indissolubiliter sociatas admirans, duo clarissima sidera esse dixit, quibus Virgo facta est gloriosior, siquidem mutuis sese radijs illustrare videntur. Ex quibus mellifluis Sanctissimi Doctoris verbis planè colligimus gloriosissimam Deiparam totam sydeream, totam coruscantem, longèque splendidiorem Elice, ac Cynosura esse, vt potè quæ sole iustitiæ sempiterno, quem genuit irradiata, earum splendorem omnem ad instar solis offuscauit.

Virginitas, & fœcunditas in Maria duo sunt fulgentissima Sydera.

20. Quo sanè venustissimo Virginis elogio, mirificè ipsius conceptio, quæ ad instar primæ illius à Deo conditæ lucis, tota extitit luminosissima, & ad instar primæ Matris Euę in primigenia innocentia creatæ, tota purissima, tota Sanctissima, ita vt nil desiderari in ea virtutis, puritatisque posse videretur. Quod eleganti carmine expressit noster Pontanus libr. 4. Florid. num. 1.

Conceptio B. Virginis primæ luci à Deo conditæ similis.

Ceu quodam Pater ille sæculorum
Vastum surgere cum iuberet orbem
Terrarum populis suam parentem
Quauis labe procul, piaculoque
Integram, nitidamque, nec nocentem
Miranda bonitate suscitauit.
Sic cum te tibi condidisse Matrem
Aeterno statuisset arbitratu,
Puram, lucidulamque, candidamque,
Primæui illuuieque liberatam
Extra Adamigenas creauit omnes.
Haud mundando domum, sed ipso ab ortu
Quam mundissima decebat illum
Quo nil mundiùs est intentiusque.
Te contagia, nescere prisca;
Te non collutulauit vlla culpa;
In te næuulus haud in hæsit vllus.
O & sole magis serena, & astris,
Tu pulcherrima tota es, & fuisti.
Ex quo te tua parturire cæpit.
Tu cælestibus antelata cunctis,
Tuo proxima puritate nato.
Qui tale hospitium sibi cooptans,
Sanctitudine per poliuit omni,
Gemmeum, aureum, eburneumque fecit.

Immaculatæ B.V. Conceptionis laudes.

Christus in Maria hospitium eligẽs, illud gemmeum, aureum atque eburneum effecit.

21. Nec mysterio, beatissimam Virginem repræsentante, vacant septem illæ Stellæ, quibus composita est Cynosura, quas ego septem Spiritus S. dona esse dixerim, quæ cum à primo immaculatæ conceptionis instanti in Virginem cum omnium gratiarum pulchritudine aduexerint, eamque iam natam ac septennem ætatis decursu, maioribus semper incrementis auxerint, illam sanè ita composuisse visa sunt, vt tota nil nisi diuinus quidam Spiritus videretur.

B.V. ex 7. Spiritus Sancti donis tota quasi cõposita.

Vnde S. Ioan. Damasc. Orat. 1. de Natiu. B.V. eam alloquens dicebat: Tota Spiritus thalamus es, gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua. Ipsa namque Cherubinos superans, ac super Seraphinos euecta, propinqua Deo extitisti. Quibus verbis indicare nobis quasi voluit, veram illam fuisse Cynosuram cælorum polo cardinique vicinissimam, singulari merito puritatis.

Maria tota Spiritus S. thalamus, gratiarum pelagus.

22. Neque mirum nobis videri debet cùm audimus Virginem nostram septem donis Spiritus S. velut stellis coalitam, totam quodammodo Diuinissi-

nissimum euasisse Spiritum.

Siquidem S. Gregorius Nazianzenus in Panægyrico S. Athanasij volens eum ostendere Virum fuisse planè spiritualem, memorabilem illam protulit sententiam: *Dei Filius belli socium nanciscitur: Spiritus, hominem, per quem spiraret, inuenit*. Quod multo excellentius Deiparæ nostræ congruit: Verè enim Spiritus ille Diuinissimus Virginem hanc per quam spiraret, functionesque illas suas admirabiles purgationis, illuminationis, consumationis, ac perfectionis excerceret, inuenit, dum in illam, Incarnationis felicissimo illo instanti superuenit. Quot sanè illam animasse, mirabilique quadam metamorphosi in se transformasse visus est. Quam ob rem Vicaria quædam Sanctissimi Spiritus Maria dici potest, dum in purgandis peccatoribus ac incipientibus; in illuminandis proficientibus, in consumandis ornandisque omni virtute perfectis, ipsius vices obit.

Spiritus S. B V. per quā spiraret, suasque functiones excerceret inuenit.

B.V. Spiritus S Vicaria esse videtur in purgandis illuminādis, ac perficiendis hominibus.

23. Hanc ob causam oculos eius columbarum à sponso cælesti appellari crediderim. Tanta enim Virginis interior etiam ab inhabitante Spiritu Sancto, eiusque charismatis causata extitit pulchritudo, vt ex toto ore oculisque, sicut ex ipsius causa, ipse spiritus Diuinissimus, cum suis donis emicare videretur. Vnde iure merito eam admirans sponsus pronunciauit:

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum Cant. 1. Quod elogium expendens Ruper. Abb. l. 1. in Cāt. *Pulchra, inquit, decore Virgineo, pulchra vnigenito Filio. Taliter geminata nullius vnquam fuit, nullius vnquā erit pulchritudo. Adhuc addo illud pulcherrimum: Oculi tui columbarum. Quinam sunt oculi columbarum, nisi dona 7. gratiarum, id est septem spirituum super me requiescentium? Septem namqua oculi qui iuxta Zachariam in vno lapide sunt, septem sunt Spiritus Dei, qui iuxta Isaiam super florem requiescunt. Isti oculi mei, sunt oculi tui, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum vel Spirituum, quorum tu effecta es particeps, ex quo me castis visceribus suscepisti, super quem requiescit, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*.

Hæc ille.

B.V. pulchra decore Virgineo, pulchra Vnigenito Filio.

16. Quid tandem nobis alterius constellationis, nempe Elices, illa 27. quibus constat, demonstrant sydera? quam eandem Virginem minorennem, septem illis duntaxat coalitam sideribus, ætatis curriculo adeò in virtutum splendore profecisse, vt eum penè triplicarit, & quasi ad ipsius augustissimæ Triados, Diuinæ Maternitatis beneficio, innumerabiliumque meritorum incrementis perfectionem quandam peruenerit. Septem enim illę stellæ, quibus minorennem Virginem constitisse diximus, ita totius vitæ ipsius decursu, assidua virtutum exercitatione multiplicari visæ sunt, vt triplicatum penè septenarium confecerint.

Elices Constellatio 27. stellis constans B.V. repræsentat.

Quo sanè eminentissima Virginis, absolutissimaque designatur puritas atque Virginitas. Cùm enim omnes numeri intra decadem positi, aut gignant alios, aut gignantur ex alijs, sola Heptas, septenarius nempè numerus, nec gignit vllum, nec gignitur ab vllo.

Septēnarius numerus symbolum est Virginitatis.

Vnde fabulosa Minerua, à Pythagoreis, Heptade puritatis, Virginitatisque symbolo, designata fuit, & Tritonia Virgo appellata, quod naturæ opera, absque generationum contagione cōformaret. Vt porrò Heptade hac aptissimè Deiparam Virginem adumbrari intelligamus, obseruandum, ex Macrobij doctrina nulli numero iungi aptius Monadem incorruptam, quam Virgini. Licet enim Monas, Vnitasque omni videatur præesse numero, in Heptade tamen præcipuè vim suam ostendit.

Minerua à Pythagoreis Heptade quare designata.

Nulli numero iungitur aptius Monas incorrupta quam Virgini.

Vnde Albertus Magnus super Missus septenarium vocat numerum Virgineū, citatque eundem Macrobium, qui dicit omnes numeros, infra decadem vel generare, vel generari, vel genitos esse præter septenarium. *Et cui, inquit, magis hoc proprium, quam illi, quę nec secundum naturam genuit, vel genita fuit, vtpotè miraculo, ex sterilibus parentibus progenerata?*

Septēnarius est numerus Virgineus vocatus ab Alberto Magno.

Hinc S. Emericus S. Stephani Hungarorum Regis Filius, vt scribit Bonfinius Dec. 2. libr. 1. cum Religiosorum cænobium aliquando cum Parente viseret, & alicui vnum, vel duo, alicui etiam septem fixisset oscula, quæsitus à Patre, cur id fecisset? Respondit: *Ex numero septenario, absolutissimam, prępotentissimamque virtutum Virginitatem esse, intelligito*. Quibus omnibus Incarnationis Diuini Verbi: (quod Monas vnitasque est, principium, finisq; omnium, omnis principij, finisq; expers:) mysterium in Virginis sacratissimę vtero, super omnem naturæ ordinem, peractum nobis adumbratur. Monas enim illa sempiterna, vnicum illud rerum om-

S. Emericus septem oscula cuidam Religioso figens, Virginem illum esse ostēdit.

omnium principium, ac causa nasci pro omnibus, non ex quocunque, sed ex Virgine voluit, atque ita Heptadi sese sociasse visa est, effecitque vt Virgo permanens, pareret non numerum, sed infinitum: Minerua illa sanè longè felicior vtpotè, quæ oliuam non inuenerit, sed genuerit, pacemque in symbolo non ostenderit, sed re ipsa, in lucem produxerit. Siquidem eius Filius, vt ait Apostolus: *Ipse est Pax nostra qui fecit vtraque vnum.*

Monas, seu vnitas æterna Virgini per Incarnationem vnita peperit Infinitum Dei Filium.

25. Obseruandum porrò inter 27. illa Elices sydera vt Alexander Picolomineus notat in sua mundi sphœra, 12. esse præcipua, quæ nos iure merito dixerimus Diadema illud duodenis stellis contextum, quod in principali totius corporis Virginei membro capite videlicet suis aquilinis oculis contemplatus est Ioannes, cùm dixit: *In capite eius corona stellarum duodecim.* Apoc 12. Quibus & multiplicia priuilegia vti videre est apud S. Bernard. Senensem, S. Antoninum, Albertum &cet & ingens prorsus Gigantea quædam virtualis magnitudo Virginis adumbratur. Si enim minima stella quæ dicitur sextæ magnitudinis, apud Mathematicos, adeo magna est, vt terram multis partibus superet, eamque habeat ad terram proportionem quam 21. ad 8. vt obseruauit Clauius in Sphæra, quale quantumque caput oportet esse Virginis, quæ non vno, a terouè sydere, sed duodeno plane coronatur?

Minima stella, quæ dicitur sextæ magnitudinis connet sua in peri feria 21. globum terræ.

Hinc Bernardinus Bustius Par. 10. Mar. serm. 4. par. 3. *Erat*, inquit, *Virgo Maria secundum quosdam de stirpe Gigantea, sicut eius Filius de quo canit Dauid* Psalm. 18. *Exultauit vt Gigas ad currendam viam.* Si ergo vtero suo circumdare potuit Virum, tamque inmensæ molis cælum, terramque implentis Gigantem, considerandum vobis relinquo, quam incomprænsibilis, infinitæque magnitudinis saltem Spiritus ac virtutis debuerit esse Deipara.

26. Hanc molem virtutis vt nobis ostenderet in Matre sua dilectissima Filius, sub persona sponsi eam eiusque membra rebus maximis conferre non dubitauit. Videre cupitis staturæ eius altitudinem? *Statura tua assimilata est palmæ.* Cant. 7. seu vt legunt 70. Interp. *Magnitudo tua.* Vbi Lyranus addit: *Propter rectitudinem, & altitudinem.* Videre cupitis magnitudinem capitis? *Caput tuum vt Carmelus*, Mons videlicet Iudex altissimus simul atque amplissimus. Vultis magnitudinem oculorum? *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Vultis nasi? *Nasus tuus sicut Turris Liban.* Vultis colli? *Collum tuum sicut turris eburnea.* Cant. 7. & cap 4 *Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Vultis purissimorum vberum magnitudinem? *Vbera mea sicut Turris.* Cant 8. Vultis denique Virginalis vteri amplitudinem? *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.*

B.V. ob virtualem molem rebus maximis cõparatur.

Nihil mirùm igitur nobis videri debet si Virgo nostra gloriosissima nobilissimis illis constellationibus Cynosuræ, atque Elices ex syderibus tam multis tamque ingentibus, quorum aliqua Alexand. Picolomineus secundæ, tertiæ, & quartæ magnitudinis esse dicit in vnum coalitis, comparetur; siquidem infinita ac immensa ipsius merita, ac virtutes cum omnium gratiarũ plenitudine, illi ob diuinæ Maternitatis dignitatem debitæ incomprænsibilem quandam omni humanæ imò & Angelicæ menti, ipsi tribuisse visæ sunt immensitatem, vt non immerito S. Bonauent. in spec. cap. 5. eam cælis immensiorem, & vas immensissimum, vocitauerit.

27. Quid denique de eisdem Cynosuræ atque Elices constellationibus dicam, quod nobis suorum primariorum dispositione syderum, Currum quendam vehiculumque repræsentare videantur? Quod quàm aptè Virgini nostræ beatissimæ, quæ Ferculum siue vehiculum Salomonis à Sanctis Patribus Andrea Cretensi Episc. Antonino, Hugone Card. Carthusiano, Honorio, alijsque appellatur, quadret, perspicuum est. Certè B. Georgius Nicom. Archiep. orat. de Præsent. B. V. Templum Ierosolymitanum alloquens vt Virginem cũ honore debito accipiat, *Vehiculum Verbi* appellat: *Accipe*, inquiens, *Thronum gloriosum, quo vectum verbum ad nos, cum carne aduenit.* Et verè omnia quæ in illo Salomonis siue Vehiculo siue Ferculo visebantur ornamenta, multo excellentius in hoc cælesti exprimuntur. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani*, inquit sacer text. Cant. 3. vers. 9. *columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias*

Sydera primaria Cynosuræ, atque Elices Currum quendam repræsentant.

B V. est vehiculũ Verbi quo in terras venit.

Hierusalem. In qua descriptione audimus res varias atque preciosissimas tàm quoad materiam, quàm quoad artem. Audimus aurum rutilans, argentum candidans, rubentem purpuram, charitatem inflammatam, quæ omnia eminentiori longè ratione inueniuntur in stellis vehiculum hoc veri Pacifici nostri componentibus, quæ vt argẽtum candicant, vt aurum rutilant, rubent vt purpura, scintillant ardentque vt charitas. Verè Virgo stellatum veri Salomonis nostri est vehiculum, quo ipse in hunc mundum ad humanum genus de Sathanica Tyramide eripiendum inuectus est. Audiendus hic est Ghislerius Clericus Regularis doctus simul ac pius, qui breuiter mysteria Virginei huius vehiculi Expos. 3. & 4. enarrauit: *Habebat Diuinum Verbum habuitque ab æterno lectulum in quo perfectissima quiescebat felicitate, sinum Patris ipsum diuinitatis arcanum. Verumtamen dum in hoc sinu Patris dormiret videri ab aliquo nequaquam poterat, DEVM enim nemo vidit vnquam* ait Ioan. *Quid ergo fecit, cum mundo manifestare voluit gloriam suam? Alterum sibi fecit lectulum Rex pacificus, lectulum sanè magnificentissimum, ac præstantissimum, quo deueheretur in mundum, ad regnandum super solium Dauid, Mariam Virginem, quam prædestinauit in Matrem. Fecit autem illam de lignis Libani excelsis, & odoratis, prædestinans eam nasc ituram de parentibus, qui & Regia dignitate, nobilique celsitudine præeminerent, fragrantique odore redolerent sanctitatis, quos Euangelistæ memorant in genealogia Saluatoris. Columnas eius fecit argenteas, conferens ei ab instanti conceptionis 7. dona Spiritus S. quæ veræ eius sunt columnæ.*

B.V. Ferculũ Salomonis.

Reclinatorium, vterum videlicet ipsius, in quo carnem suam reclinaturus esset, aureum fecit, Virginalem fulgorem, Virginemque eam præseruans. Neque enim immaculatum Agnum alibi reclinari decebat, quam in huiusmodi vtero, qui aureo Virginitatis fulgore decorus esset. Sicut nec preciosam fulgidamque gemmam, in ferrum, plumbum, æs, aut vile aliquod metallum immittere solet quispiam iudicij compos, sed in aureum annulum, aliuduè vas item aureum magno artificio elaboratum. Ascensum denique superioremuè partem huius ferculi, mentem eiusdem Virginis gloriosæ, seu eiusdem cor, quod instar aulæi cuiusdam, super ipsius vterum, ac reclinatorium ascendebat, illudque quodammodo cooperiebat, fecit, purpureum ob ingentem, quem illi indidit charitatis odorem. Hæc ille, quibus aptè satis mysteria Virginei huius, stellatique Vehiculi, quoad nos æterni Patris deuecta est sapientia., explicata sunt.

28. Neque verò V. Beata ipsius Dei Filij dumtaxat est Ferculum, verumetiam filiorum hominum stellatũ quoddam dici potest vehiculum, quo omnes deuoti eius clientuli, qui se peculiari pietate in Marianis sodalicijs, ipsius obsequio manciparunt, in molestissima huius vitæ peregrinatione progressu facto in virtutibus admirabili, ac participata cælesti quadam sydereaque eius vitæ puritate in cælum suauissimè, & quasi dormiendo subuehuntur. Ita vt & nos gratitudinis memores illi dicere possimus: *Mater nostra, Mater nostra, Currus Israel, & auriga eius.* Te enim sidereis tuis rotis, veluti quibusdam trocleis peccatores terræ affixos in cælos euehente, materno prorsus, pietatisque plenissimo affectu, Currus ac vehiculi, necnon aurigæ cuiuspiam prouidi ac fidelis, imò, & trocleæ ministeria obire videris. Vnde iure merito tibi Christianus Poeta Venantius Fortunatus cecinit:

B V. Vehiculum est, quo suos clientulos in cælũ subuehit.

M. est Israelis .i. Christianitatis Currus, & Auriga eius.

Felix quæ humano generi sub Tartara lapso
In cælos facta est Sors, via, porta, Rota.

29. Vehiculum quódam mortalibus in hac vita agnoscens esse Deiparam Richar. Laurentinus lib. 2. piè pronunciauit: *Maria in via comes est iucunda, ad confabulandum. Vnde* Sap. 8. *ait de ipsa Salomon: Erit allocutio cogitationis, & tædij mei. De illa enim verè dici potest illud Philosophi: Facundus comes in via pro vehiculo est.*

30. Nec immerito Rotam vocat Venantius Deiparam, Rotam inquam, qua peccatores in imo terræ iacentes quodammodo, & Inferno appropinquantes, velut trocleâ, siue curru ad alta perfectionis sanctitatisque culmina subuehuntur, vti Part. 1. declaratum est. Rota reuera est Deipara, & quidem illa quam vidit S. Propheta Ezechiel cap. 1. v. 15. *Apparuit Rota vna super terram habens quatuor facies, & aspectus eius quasi visio maris, & quasi sit rota in medio rotæ, & totum corpus plenum erat oculis in circuitu.* De qua Rota piè S. Bernard. Senen. Tom. 3. serm. 11. art. 1. cap. 1. *Eleuata fuit B. V. per excellentiam conuersationis, designatam in eleuatione Rotæ Ezechielis.* Verè Rota quatuor facierum fuit Deipara. Dum enim nos in alta subuehit, de-

B.V. est troclea qua peccatores velut graues lapides in cęlum subuehuntur.

B.V. Rota est Ezechieli, quæ habet 4. facies.

Explicatio Mysteriorũ Rotæ Ezechielis, vt B. V. conueniat?

demonstrat faciem hominis, vt potè de qua natus est is, qui se in Euangelijs nuncupat Filium hominis, humanitatem, beneuolentiamque suam nobis exhibendo. Demonstrat faciem Leonis, vt Leæna quæ Leonem de tribu Iuda peperit, nos à peccatis absterrendo, Leonemque Tartareum circumeuntem nos, quærentemque quem deuoret, comprimendo. Demonstrat faciem bouis, nos ad labores pro vita æterna subeundos exhortando.

Demonstrat denique faciem Aquilæ, nobis auxilia gratiæ, velut aquilinas alas impetrando, quarum remigio imbecillitatem nostram mutemus in fortitudinem, volemus, & non deficiamus, donec ad faciem Dei contemplandam euolemus.

31. Rota hæc Virginea est velut visio maris. Quemadmodum enim ipsius Nomen, mare amarum sonat, ita ipsa mare imo Maria quædã gratiarum amplissima nobis repræsentet, adeo vt cum Mariam nominamus, illico nobis congregatio illa aquarum, gratiarum videlicet, mentis oculis sese ingerat, de quibus Moyses Gen. 1.

Maria est Cõgregatio aquarum .i. gratiarum.

Congregationem aquarum vocauit Maria. Quæ verba ponderans Alb. Magnus super Missus: *Tertiæ diei opus est congregatio aquarum in vnum locum, id est, in Virginalem vterum congregatiuum omnium gratiarum.*

Maria Mare dicitur Gratiarum.

Sed in hoc est differentia, quod congregatio gratiarum vocatur Maria media producta. Congregatio verò aquarum vocatur Maria, media correpta, & hoc, quia sunt transitoria Eccli. 21. *Et mare iam non est. Hæc autem mediá producta. Quia Maria optimam partem elegit, quæ non aufcretur ab ea.*

Vnde Dionys. Carthus. libr. 3. de laud. B.V. art. 30. *Maria*, inquit, *interpratatur Mare quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare, sic misericordiam, gratiæ excellentiam, gloriamque Mariæ nullus valet exprimere.*

Oculi Rotæ notát Mariæ erga nos prouidentiã, vigilantiam, &c.

32. Quid porrò sibi vult illud, quod dicitur Rota hęc admirabilis esse plena oculis in circuitu? Oculi nempe isti, Deiparæ, erga nos vigilantiam, solicitudinem, prouidentiamque pietate plenissimam, qua nos ad cælestia subuehere studet, demonstrant. Quam ob causam etiam S. Epiphanius, & S. Ephræm eam Multioculam appellarunt, vt alibi fusius explicatum.

M. Multi ocula dicitur, & qua re?

Vnde S. German. serm. de Assumpt. *Spiritus*, inquit, *tuus ò Maria viuit in æternum, omnia obseruas, omnia intueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit.* Atque vt non solum oculatam, ac solicitam, verumetiam promptissimam, ac celerrimam hanc Virginis nostræ prouidentiam esse intelligeremus, obseruandum est, quod vniuersorum Dominus Rotam illam vocare voluerit *volubilem*, vt est apud eundem Ezechielem c. 10. 12. ad ostendendum Rotæ huius primarium nimirum effectum volubilitatis, ac celeritatis promptissimæ, qua clientulos suos adiuuat, atque à terra eleuat, vt quam facillimè in cęlum tandem inuehantur.

Rota volubilis quare dicatur B. V.

33. Quid denique sibi vult quod Rota hæc sit Rota in medio Rotæ sese intersecans, dupliciterque quasi decussans, orbisque cælestis quandam sphœram, quatuor partibus quasi portis potentem exprimens? Hoc nempè indicat cælum quoddam esse Deiparam, omnibus quatuor orbis partibus peruium. Atque ita Virgo nostra non solum nobis Vehiculum est, simul ac rota, quæ ad cælestia, terrenis licet profundissimè demersi fœcibus, sub vehimur, sed ipsa quoque cælestis est beatitudo, ac felicitas qua æuiternum perfruemur. *Summa enim gloria est post DEVM te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari*, ait B. Card. Damianus serm. 1. de Nat. eandem alloquens. Ex hactenùs dictis facile est colligere quam aptè duæ illæ pulcherrimæ constellationes Vrsæ minoris, maiorisque suorum dispositione siderum ceu rotarum currum, vehiculumque efformantes Dei Genitricem repræsentent.

Rota Ezechieli habẽs in medio aliam rotam Sphæram quandam cęli exprimẽs, Mariam repræsentat. & quomodo?

34. Cùm igitur Virgo beatissima nostra sit stella polaris, nostra Cynosura, nostra Helice, in illam semper dum in hoc tempestuoso huius sæculi versamur mari, irretortum oculum figere debemus, & quoties eius Nomen dulcissimum mente reuoluimus, vel inuocamus meminisse, illam inter plurima, eaque pulcherrima significata etiam stellam maris nobis sonare, quæ venustate, fulgoreque suo reliqua omnia sydera antecellit. De qua audiendus Eusebius Episcopus Emissenus serm. de Annunc. *Dicitur Maria*, inquit ille, *stella maris, huius vtique maris de quo scriptum est* Psal. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum illic reptilia, quorum non est numerus. Plures stellas habet cælum. Mare vnam, quæ præ illis omnibus clarior, ac melior est. De hac enim vna ortus est Sol*

In Mariam, dum in hoc mari huius sæculi nauigamus irretortum nos oculum velut in Cynosuram nostrã conuenit.

Maria stella de qua ortus est Sol iustitiæ.

Sol iustitiæ, cuius fulgore omnia illustrantur, quem qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ. Cuius igitur fulgoris stellam illam esse putamus, quæ hunc tantum talemque solem peperit mundo? Sic ille.

35. Aptissimè porrò stella hæc ad Aquilonem sita esse dicitur *à quo panditur omne malum* Hier. 1. Ab illo enim venti, procellæ, tempestatesque tribulationum, persecutionum turbines exoriuntur, quibus humanum genus, nisi stella hæc sese interponeret, luceque suę consolationis nos identidem irradiaret, funditus irretiret. Hinc Alexander Alēsis in Ps. ait Deiparā dū iuxta Crucē Iesu staret, stetisse à sinistris, à parte Aquilonis, quasi sese inter peccatores per Aquilonem designatos, & Filium, vt illum ipsis redderet propitium, interponeret. Han ob causam querebatur Saluator intermortuis pene vocibus: Psal. 141. *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me*, vtique amantissimâ illâ Matris cognitione, quæ quò magis reliquis omnibus excellentiam agnouit Filij, eò propensiori affectu acerbissimis eius doloribus compatiebatur.

B.V. pendente in Cruce Filio à sinistris, id est à parte Aquilonis cur steterit?

36. Stella hæc nunquam occidit, sed quasi affixa polo cardinique semper immota permanet, vt nautas sua luce in caliginosis, turbulentisque noctibus soletur, ac dirigat. Aliæ stellæ, Sancti videlicet retrahunt splendorem suum, vt ait Ioel c. 2. At verò stella hæc vsque ad futurum sæculum non desinit. Quod de permanentia ad nobis benefaciendum intelligendum, ait Bernardinus Bustius. *Alijs enim Sanctis lumen suorum beneficiorum subtrahentibus, ipsa nobis nunquam deest, sed semper firma, ac perseuerans pro nobis solicita, nos expectat suorumque auxiliorum radios in nos effundit.* *Et quemadmodum de eius Filio canit Psalmista. Non dormitabit, neque dormitet qui custodit Israel; ita verè de ea dicere possumus, quod non dormiat, sed semper pro nobis vigilet, ne huius tempestuosi maris fluctibus obruamur.*

B.V. vt pote Stella polaris nobis nūquam occidit, & quare?

Solicitudinem hanc vigilantissimam, omnique charitate plenissimam considerans Aegidius Romanus Columnius in Salut. Angel. censuit hanc ob causam illam vocatam Mariam, quod inter varia significata, Mare amarum sonat. *Amarum enim mare videbatur*, inquit ille, *post Filij sui ascensionem, ob populi sui excæcationem. Vnde cunctorum, qui excæcati erant salutis auida dicere poterat cum Apostolo* Rom. 9. *Tristitia mihi est magna, & dolor continuus cordi meo: Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Quod tanto verius, & rationabilius potest intelligi de benedicta Virgine, quanto magis ipsa charitate ardebat, & compassionis tenebatur amaritudine. Erat prætereà amarum mare ex tribulatione, & persecutione Apostolorum, aliorumque Sanctorum, & ex hac compassionis amaritudine illis auxilium impetrabat à Filio, eisque largiebatur. Et sicut Apostolus omnibus omnia erat factus, vt omnes Christo lucrifaceret: Sic Virgo Sanctissima ex amaritudine compassionis, omnibus misericordiam implorabat, omnibus auxilium suum offerre non cessabat.* Sic ille.

Maria Mare amarum dici potuit, post Filij sui in cælos ascensionem, considerata populi sui excæcatione.

37. Quod si, dum adhuc in hac mortalitate nobiscum versabatur Deipara, adeo nostris miserijs compatiebatur, vt amarum quoddam mare cor ipsius esse videretur. Quid quæso censendum est modo, dum suo vicina cardini Christo regnat in cælis, & in illo tanquam in speculo calamitates ac tribulationes, quibus velut fluctibus in hoc mundi Oceano conflictamur intuetur? Non dormitabit sine dubio, aut tardabit, sed vti multis oculis instructus Cherubinus angustias nostras introspiciet; velut lenis alis ornatus Seraphinus aderit quam citissimè, & ad eas à nobis amoliendus aduolabit; *Quia enim*, vt præclarè inquit Hom. 8. Sanctus Amadeus, *sublimiùs immensi cor Regis aspicit, eò profundiùs diuinæ gratiæ pietatis, afflictorum, & miseri, & miseris succurrere nouit.*

Maria amarum mare dicitur ob piam erga nos compassionem.

B.V. quia clarius immensi cor Regis aspicit, eo citius nostris miserijs succurrere nouit.

38. Stella item hæc corda, animosque nostros durissimos, & plusquā ferreos, de sua salute nimium quantum solicitos, ac trepidantes, velut acum magneticam rapit, attrahitque, nec eos donec ad ipsam conuertantur finit conquiescere. Qua in re admirabilem sui, in hęc inferiora animatum hoc sicut constellatio, ostendit influxum.
Siquidem etiam in densissima scelerum caligine latitantibus, & conscientiæ horribili turbine agitatis peccatoribus affulgescit, eosque velut magnes ferrum occultâ sua, Diuinaque qua pollet, vi ad se conuertit.
Hoc ipsa de se fatetur Virgo S. Brigittæ libr. 3. Reuel. cap. 32. *Filius meus*, inquiens, *inter Sanctos me elegit specialiter in Matrem sibi, vt per me homines ad portum cæli reducerentur. Ergo sicut magnes attrahit sibi*

Maria velut stella polaris induratos peccatores ad se trahit.

Maria peccatores ad se attrahit sicut Magnes ferrum.

sibi ferrum, sic ego Deo attraho dura corda. Hinc B. Alber. Magnus super Missus: *Sicut stella polaris ferrum attrahit, ita Beatissima Virgo per infinitam suam misericordiam duros ad instar ferri peccatores, ad cælum attrahit, omnesque naufragantes ad portum Salutis introducit.* Verissimùm enim est, quod canit Ecclesia apud S. Antonin. 4. P. Tit. 15. c. 14.

Ad te pia suspiramus.
Si non ducis deuiamus.
En ad te confugimus.

B.V. sustinet terram ne corruat.

38. Quare quod quidam Astrologi fabulosè de syderibus sensere, ea nempè ad instar adamantum in mundi medio sustinere terram, eam ad se attrahendo, ne corruat: veriùs cogitare possumus de syderea nostra Virgine. Ipsa enim sanctissimis suis precibus, ac patrocinijs sustinere Vniuersum videtur mundum in maligno positum, ne pessum detur, in æternamque perditionem collabatur. Rectè etiam dicere possumus cum Rich. à S. Laur. lib. 1. *Stellam hanc attractiuæ esse naturę, eo quod vapores terreos ad se trahat. Citatque Alchabicium Philosophum asserentem eam naturam esse stellarum respectu vaporum, quæ adamãtis respectu ferri. Cùm sit ergo stella, peccatores vitijs fluidos trahit ad Filium, vti traxit olim Theophilum.* Sic ille.

B.V. est stella naturæ attractiuæ.

39. Quare Sancti Patres hortari consueuerunt mortales vniuersos, vt dum hoc procellosum, syrtibus, tempestatibusque horridum mare huius inquieti nauigamus sæculi, mentis nostrę in hanc stellam oculos conuertamus, eamque omni prorsus honore, ac veneratione tam internâ animi, quàm externâ corporis, ei Templa, ei signa, tabulas, statuasque dicando, prosequamur, si Salua rate, ac mercibus portum cælestis patriæ læti ingredi desideramus. Si enim apud Messenios Anemotidis Mineruæ signum, siue simulacrum ob sedatam ventorum rabiem qui intempestiuis horrificisque flatibus, ac turbinibus regionem illam vastabant, infestabantque Diomedes cõsecrauit: Quanto magis Virgini nostræ, æternæ sapientiæ parenti omnis cultus, erectis statuis, aris, ac templis, exhibendus est, quæ edito in mundum, Virgineo suo partu, omnium Saluatorẽ, sublatis horrisonis Aquilonis flatibus, cælo serenitatem, mari malatiam, dies Alcionios zephyrorumque lenitatem induxit. Quare eam peruenustè vocitauit Causinus lib. 2. Symb. 57.

Mineruæ simulachrum apud Messenios dicatũ ob sedatam ventorum rabiem.

Sydus miseris implorabile nautis.

Vnde Hiero. Vida Albæ Episcopus in Hymno ad magnam Matrẽ eius opem sic concinendo implorabat:

Nunc ò stella maris nostri, nos aspice præsens,
Eripe tot pelagi pene haustos fluctibus atris:
Nunc lucem, lucisque tuæ iubar exere, & orbi
Exorere, ac radijs nigrantem discute nubẽ.

Atque vt ad inuocandam hanc maris Stellam maiori cum affectu excitemur, iuuerit illud identidem mente reuoluere, quod ipsa nobis ipsum Portum, qui Christus est, pepererit vt S. Epiphanius lib. de laud. B.V. attestatus est: *Maria*, inquiens, *myrrha maris interpretatur. Mare autem dicit vniuersum mundum, cui Virgo serenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum.*

M. nobis portũ, idest, Christum peperit.

40. Sed iam saluberrima SS. Patrum monita, quibus ad hanc stellam respiciendam, inuocandamque excitamur, audiamus. Agmen ducat D. Hieron. ser. de Assumpt. vbi monet intuẽdam Virginem velut sydus dum in hac vita, ceu solo nauigamus: *Quia*, inquit, *ad vicem, seu similitudinem Virginis, Matris nostræ Ecclesiæ forma construitur, ipsa eam inter procelles sæculi frequenter aspiciat ipsa inter incursus mundiales continua oratione cõfoueat. Neque enim dubium est, illam, quæ pro liberandis serre precium potuit, posse impertiri suffragium liberatis. Nostra inter hæc oratio iugis ad Dominum dirigatur, vt qui pro honore nominis sui viscera illa, quæ sanctificauerat, intrauit, quæ etiam nos sedulitate debita veneramur, prosit nobis ad remediũ, quod per eam se nobis dedit in precium.*

Sanctorum Patrum testimoniis Maria stella polaris esse cõprobatur.

S. Hieronymus.

41. Audiendus hic etiam Virginis amantissimus ac studiosissimus S. Amadeus Lausan. Epis. Hom. 8. de laudib. B.V. *Maria, idest Maris stella*, inquit, *prouido Dei consilio vocata est, vt nomine declaret, quod re ipsa clariùs manifestat. Nam ex quo cælos cum Filio suo regnatura conscendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit se, Mirabiles elationes maris, solo nutu compescitura. Mare quippe præsentis sæculi nauigantes, seque plena fide inuocantes ab impetu procellæ, & ventorum rabie eruit, eosque secum ouantes ad litus felicissimæ patriæ secum perducit. Dici non potest quotiès hi asperrimis scopulis naufragaturi offenderent, illi in syrtes pessimas non reuersuri inciderent; hos scyllæa vorago hiatu horribili mergeret; illos Sirenarum dulcis cantus in exi-*

S. Amadeus Episcopus.

M. mirabiles elationes maris solo nutu compescit.

B.V. à syrtibus, & scylę voragine nauigantes liberat.

exitium pertraherent, nisi stella maris perpetua V. Maria, ope validissima obstitisset, suosque iam fracto gubernaculo, & rate conquassata, omni humano consilio destitutos, cælesti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos eueheret. Hæc Amad.

42. Audiamus S. Ildephonsum Archiep. Tolet. serm. 1. de Assumpt. *Ipsa*, inquit, *Stella maris, quam hodie cælum, suis recepit sedibus, appellatur. Quia secundum verbum Hebraicum Maria ita interpretatur. Hinc agite dulcissimi vt Lucifer ille, qui nescit occasum oriatur in cordibus vestris, dum in hoc sæculo estis. Nam mare prorsus sæculum est. Stella autem B. V. Maria, de qua ortus est ille, per quem illuminatur omnis mundus. Hinc securius accedite ad laudem Virginis, & illuminamini, quoniam ipsa est, per quam vera lux in mare huius sæculi refulsit*. Sic ille.

S. Ildephonsus.

43. Audiamus Seraphicum Bonau. in speculo c. 3. *Considerandum, quod Maria stella maris interpretatur. Hoc optimè conuenit Mariæ, quæ gerit officium stellæ marinæ. Legitur enim, & verum est, quod nautarum sit mos, vt cum in aliquam terram nauigare disponunt, vnum sydus eligant, cuius signi luce radiante in eam, quam desiderant partem possint adduci sine errore. Tale certè officium est stellæ nostræ Mariæ, quæ nauigantes per mare mundi in naui innocentiæ, vel pænitentiæ dirigit ad litus cælestis patriæ. Vnde bene Innocentius ait: Quibus auxilijs possunt naues inter tot pericula pertransire vsque ad littus patriæ? Certè per duo, scilicet, per lignũ, & stellam, id est fidem Crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis Maria maris stella: Benè autem Maria stellæ maris comparatur, propter puritatem, radiositatem, & vtilitatem. Maria enim est stella purissima, stella radiosissima, stella vtilissima. Maria est stella purissima purissimè viuendo, Maria est stella radiosissima, Radium æternum pariendo; Maria vtilissima ad littus patriæ dirigendo. Primo ergo purissima stella est Maria, sine peccato purissimè viuendo. Quia de illa dicitur: Speciosior est sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur purior, siue prior. Vtrumque stellæ nostræ competit. Est enim Maria prior, id est, potior siue dignior. Maria etiam purior est sole, stellis, & luce, quia tam dignitate, quam puritate solem, & stellas, & omnem lucem superat corporalem, imo etiam spiritualem, id est Angelicam creaturam; de qua dicitur: Diuisit DEVS lucem à tenebris. Hac vtique luce Angelica prior, & purior est Maria. Prior dignitate, & purior sanctitate; Vnde Anselmus exclamauit: O benedicta supra mulieres, quæ Angelos vincis puritate, sanctos superas pietate. Secundo stella radiosissima est Maria, Radium æternum emittendo, & Dei Filium pariendo. O verè beatissima, ò verè radiosissima stella Maria, cuius radius non solum mundum, imo etiam cælum, & non solum Cælum, imò etiam Infernum penetrauit. Considera denique quod Maria est stella vtilissima nos ad portum cælestem dirigendo, imò ducendo nos, per mare huius sæculi ad gratiam Filij sui, tanquam ad portum Paradisi. Ipsa nimirum est stella illa clarissimè fulgens tres Magos ad Christum rectissimè ducens. Maria verè est stella, quæ in fluctibus præsentis vitæ valdè nobis est necessaria. Vnde Bernar. Ne auertas oculos tuos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis*. Hæc Bonauen.

S. Bonauent.

M. stella tres Magos ducens ad præsepium.

44. Audite S. Fulbertum Episcopum serm. de Natiu. B. V. *Oportet vniuersos Christicolas inter fluctus huius sæculi remigantes attendere maris stellam hanc, id est Mariam, quę supremo rerum cardini Deo proxima est, & aspectu eius exempli cursum vitę dirigere. Quod qui fecerit vanę glorię vento non iactabitur, non scopulis aduersorum frangetur, nec absorbebitur scyllęâ voragine voluptatum, sed prosperè veniet ad portum quietis eternę*. Sic ille.

S. Fulbertus.

Oportet fideles aspectu exempli B. V. cursum vitæ dirigere.

45. Audiamus Doctorem Angelicum Opuscul. 8. *Dicitur Maria stella maris. Sicut enim nauigantes ad portum diriguntur per stellam maris, ita Christiani diriguntur ad gloriam per Mariam*. Audiamus & Absolonem Abbatem serm. 31. de Annunc. Deiparam in hunc modum salutantem: *Aue cęli stella, Aue mundi stella, Aue maris stella, Aue Maria. Velut modo video rectè stella maris vocata est. Tempore huius salutationis nulli erant in cælo beati, in mundo nulli iusti, vel ad modum pauci, sed omnes erant in mari, hoc est in amaritudine peccatorum inuoluti. Et ideo iustè maris stella, id est, peccatoris stella nuncupata est. Sicut stella hęc nauigantibus in mari rectę vię indicium est; sic est Maria in hoc mundo tortuosè viuentibus, alijs rectam viam bonę operationis, alijs rectam viam humilitatis, alijs rectam viam castitatis ostendit*. Hactenus Absolon.

S. Thomas Aquinas.

Absolon Abbas.

46. Non est hic prætermittendus Richar. à S. Laur. lib. 1. cap. 3. *Maria est stella maris, quia nauigantes per mare mundi introducit in portum salutis, qui est Christus*; ait insuper eam designatam per stellam illam, quæ Magos duxit ad presepium. Tandem post varias huius stellæ proprietates addit illam, quæ est pulcherrima, nempè, luminis communionem: *Quia*,

Richardus à S. Laurentio.

Reliqui Sancti habent curam aliquorum particularium, B.V habet omnium.

Quia, inquit, *cęteris sanctis vicissim lumen suum præbentibus, hæc sine vicissitudine, semper æquali radio, quantum in se est, cunctis viuentibus claritatem effundit. Cęteri enim sancti iure patronatus sibi commissis plus possunt prodesse, & sic mortalibus sua impendunt suffragia, sed modo differenti, vt Petrus Romanis; Dionysius Francigenis; Martinus Turonicis, &c. Pro suo etenim grege, plus potest quilibet sanctus in curia Altissimi, quam pro alieno. Maria verò sicut omnium Regina, sic & omnium patrona, & æqualiter, quantum in se est, sine acceptione personarum est illi cura de omnibus Sap.6. quæ super omnes plenitudinem dignitatis accepit. Longè enim positos radijs misericordiæ suę illuminat, propinquos per specialem consolationis deuotionem, ac suauitatem, existentes secum denique in patria excellentia gloriæ. Et sic non est qui se abscondat à calore eius.* Hæc ille.

Mariæ absq; acceptione personarum est cura de omnibus.

47. Non est hic tacendus etiam Aegidius Columnius Archiepiscopus Bituric. qui in Exposit. supra citata Salut. Angel. *Maria singulariter dicitur stella maris, & denotatur singularissima eius perfectio, ac super omnes sanctos gloria, quia ipsa post solem iustitię Christum prima est stella, & omnibus clarior, quæ in hoc mari magno, ac spatioso, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, necessariò est super omnes alias eleuata, micans meritis, illustrans exemplis, meritis super omnes, & orationum suffragijs adiuuat laborantes, & exemplis vitæ perfectissimæ dirigit deuiantes. Vnde Ecclesia: Cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo. Hanc suam excellentiam perfectionemque ipsa aperuit cùm dixit: Fecit mihi magna, qui potens est.*

B.V. post solem iustitiæ Christum est prima stella omnibus clarior in hoc mari magno.

B. V. exẽplis vitę perfectissimæ dirigit deuiãtes.

Magna mihi fecit, quam Matrem non modo suam, sed totius sæculi exhibuit, talemque fecit, vt tanquam ad magnam Dei, & hominum mediatricem recurrerent vniuersi, tanquam ad Illuminatam, & Illuminatricem.

Hactenus Aegid.

48. Quid memorem iam memoratum Hierony. Vidam Albæ Episcopum in Hym. Magnæ Matris? in quo mundi calamitates, miseriasque varias recensens, sic Virginem alloquitur:

Tu bellum, morbosque graues, pestemque famemque
Auertis, cæliq; minas, tot sospita mortes,
Tot clades, tot das miseris euadere casus;
Vtque mari magno iactatos turbine nautas
Seruat stella polo, si tandem affulserit alto;
Sic tua lux quæcunque instent, quęcunque premantur
Nos regit, inque omni tutos discrimine reddit.

49. Quid Herculem Strozam memorem? qui sic canit:

Hercules Stroza.

Virgo salutiferi Genitrix intacta Tonantis
Vnicaque vndosi stella benigna maris,
Quam rerum Pater, vt lapso succurreret orbi
Nondum dispositis iusserat esse polis.

Quid Titum Strozam eius Filium, qui carmine de Annunciatione B.Virginis sic modulatus est:

Titus Stroza.

Tu gemini Regina poli, tu maxima cęli
Ianua, tu mundi mystica lampas eris.
Tu miseris in rebus opem præstabis egenti,
Si casto meritas fuderit ore preces,
Quam vocat irato submersus nauita ponto,
Suspenditque tuis naufraga vela tholis.

B V. Nauta suspendit vela naufraga, &c.

Idem Titus Stroza alibi:

Tu scelus primi Patris expiasti
Exules, qui nos patria, reosque
Fecerat semper; tibi cessit vni
Ianua lethi.
Iure te dicunt igitur potentem
Gratię, & lapsi generis salutem,
Et maris stellam, micat vnde fulgor
Luce perenni.

50. Verum omnium venustissimè Doctor Mellitissimus S. Bernardus syderis huius Virginei mari huius sæculi præsidentis mysteria enarrauit serm.2. super Miss. vbi Euangelistæ verba illa interpretans: *Et Nomen Virginis Maria*, sic loquitur: *Maria aptissimè syderi comparatur. Quia sicut sine sui corruptione sydus suũ emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit Filium. Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella orta ex Iacob, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor, & præfulget in supernis, & Inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quam corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa inquam, est pręclara, & eximia stella super hoc mare magnum, & spatiosum necessario subleuata micans meritis, illustrans exemplis quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis.*

S. Bernardus.

M. aptissime syderi comparatur.

Tum docere volens quanam ratione turbulenti huius mundani maris pericula, tempestates, ac turbines, Syrtes, charybdes, scyllæos latratus, ac rabiem sirenumque cautus, variaque vitiorum monstra, quibus velut scopulis illisa mens salutis naufragium facere consueuit, vel euitare, vel superare possimus, hæc attexuit: *Si insurgant venti tentatio-*

In ventis tẽtationum, in scopulis tribulationum aspicienda & inuocanda stella M.

tationum, si incurrat scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam: Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam: Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, respice ad Mariã. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitię, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, nõ deseras conuersationis exemplũ. Ipsam sequens, non deuias, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce, non fatigaris, ipsa propitia peruenis, & sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit. Et Nomen Virginis Maria. In hoc igitur tempestuoso dum versamur immundi mundi huius mari, ex consilio Bernardi semper mẽtis nostræ oculos defixos in ipsis Virgineis habeamus oculis; illi nobis sint Elice ac Cynosura. O' si tam vehemẽti, tam casto amore huius Virginis, quam ille nescio quis profano suæ amicæ exardesceremus, vt dicere possemus pudico ex corde:

B. V. Oculi sint nobis semper dum in hoc mundi pelago nauigamus Elice, & Cynosura.

Tandem venusti cernere contigit
Vultus decorem, tandem oculos eos
Qui fluctuanti per dolores
Sunt Elice, & Cynosura menti.

51. Iam tandem auream Coronidem huic sermoni cum B. Petro Card. Damiani ser. 1. de Epiph. & D. Bonau. imponamus, ac Regiæ huius stellæ naturam virtutesque imitemur, vti nos Cardinalis hi sanctissimi, inque Virginem pientissimi hortantur, quorũ prior proprietates varias huius stellę cum explicuisset, vt quod igneæ sit naturę, quod ex se sit lucida, ex se radium emittat, & denique quod in nocte luceat, tandem sic concludit: *Talis est stella nostra, Fratres, talis est V. Maria, talis est stella maris. Et quia nobis reliquit exemplum, vt sequamur vestigia eius, talis etiam debet esse anima nostra. Simus ergo igneæ naturę, vt sit in nobis ille ignis, quem venit Dominus mittere in terram, & ignis ille, qui erat flammigerans in ossibus Hieremię, accendatur in conflatorio cordis nostri, iuxta quem sedet Dominus purgans & mundans filios Leui. Malach. 3. Simus, & nos clari ac fulgidi vt aspiret nobis dies, & inclinentur vmbrę, vt si aliquando fuimus tenebræ, nunc simus lux in Domino, & induti armis lucis ambulemus honestè sicut in die. Emittamus etiam è nobis radium bonę operationis, sintque lucernæ ardentes in manibus nostris. Luceamus denique sapientię lumine cõtra hæreticorum tenebras, sicut stellę in nocte huius sęculi, & simus ex illis, de quibus Apostolus Philip. 2. Inter quos lucetis quasi luminaria in firmamento. Sic ergo ad verum solem poterimus peruenire, si Virginis, & verę stellę vestigia, fuerimus imitati.* Hæc Damia.

Quomodo stella Maria imitanda.

52. Audiamus iam rursus Seraphicum Bonauenturam, qui cum Part. 3. stim. Diu. Amor. c. 16. dixisset: *Verè Maria est Stella maris, amarum mare, & Domina;* mox subtexuit, exponendo singula, effectusque eorundem nominum singulos: *Stella maris*, inquiens, *mundo totaliter in amaritudine posito, lucis æternę radium emittendo: Amarum mare es cor tuum in passione Filij tui in Cruce pro nobis pendentis totaliter transformando. Domina super omnes Angelorum choros ad dexteram Filij ascendendo. Stella maris es, nos dirigendo, amarum mare, compatiendo, & Domina protegendo. Stella maris es honestate, amarum mare pietate, Domina potestate.* Tum ad Filium conuersus pro tam insignibus beneficijs in Matre nobis communicatis, memor gratitudinis, sic loquitur: *O' Domine Deus quid tibi retribuemus, pro omnibus, quæ dedisti nobis? Quid tibi faciemus, aut facere possumus, quod nobis in amaricatione amaritudinis positis, tenebris vndique circumseptis, à portu salutis nimium elongatis, turbinibus, & procellis ad naufragium agitatis, imò tempestate nimia penè submersis, tam nobile solatium, tam dulce cõsortium, tam efficax auxilium, tam pium subsidium Virginem Mariam irradiantem stellam dedisti? O' certè beata nox, felix tenebra, gloriosa caligo, quæ tali stellâ meruit irradiari! Certè hæc nox illuminatio mea in delicijs meis.*

Gratitudo S. Bonauenturæ erga DEVM quod nobis Matrẽ suam stellam in hoc mari ductricem concesserit.

53. Tandem apostrophe ad Deiparã facta, amore eius purissimo quasi extra se positus, inque eius charitate ac pietate solidatus ac cõfirmatus omnes aduersitatum periculorumque procellas ac tempestates prouocat generosè ac intrepide: *O' gloriosa Virgo*, inquiens, *si es stella maris, semper volo in hac vita esse in mari, vt sis semper mea stella, semper in mari sim perfectæ amaritudinis de peccatis meis gemendo, Christo crucifixo intimè compatiendo, proximorum miserijs, & vitijs condolendo. Semper volo in hoc triplici pelago nauigare, vt habeam huius stellę ducatum. Vę illis, qui sunt in delicijs, & nolunt in hoc mare intrare, quia dulcissima hac stella carebunt. Currant vndique tribulationes, & sepiant me amaritudinibus inauditis, nõ timebo, quoniam tu mecum es, imò tunc verè mihi refulges, cum vallatus angustijs, cum omni humano auxilio destitutus, cum intra-*

Affectus amoris S. Sancti Bonau. erga Stellã maris Mariam.

trauerit aqua vsque ad animam meam, cum abiectus fuero, & reprobatus ab omnibus creaturis. Me peccatorem nequissimum, omnique malo dignissimum impugnet, & simulet obsecro tota mundi machina, vt mecum sit hęc stella maris Maria. O felix cùm fuerò ab omnibus abiectus, & conculcatus, & ab hac stella susceptus! Stella est maris, & in amaritudine positis, ipsa relucet. O quàm dulce, & delectabile oculis videre hanc lucem! O quam bona, & amabilis commutatio, omnem mundi consolationem abhorrere, & longè à se irrecuperabiliter eijcere, pro fulgenti hac stella maris. Plus enim valet vna sola illustratio huius stellæ, quã omnium mundanorum. Quis ergo omnis amaritudinis, & compassionis, & passionis mare non gaudenter intret vbi refulget hæc stella? Nec est quod paueat cor perfectum, quia impossibile est naufragium fieri, hac stella radiante; nec potest aliqua nubes interponi nisi volenti. Hactenus D. Bonauentura de benigno ac fauẽti huius stellę maris aspectu.

B.V. cum B. Stanislao Kotsca inuocati, à naufragio suos deuotos liberant.


54. Radiantis huiuscè stellæ lucem propitiam, aspectumq; benignissimum experti sunt nobilissimi illi Gentis Polonæ Iuuenes fratres Kostcæ, nostri B. Stanislai Consanguinei, qui in furentis Oceani summis constituti periculis, ad sacratissimam Deiparam Claramõtanam, eumdemque B. Stanislaum velut Virgini dilectissimum Filium, tanquam ad sacram Anchoram, suamque Elicem ac Cynosuram, summâ cum fiducia confugere; quorum ope mox è præsentissimo naufragio sunt erepti. Vnde perpetuum suæ gratitudinis erga Virginem monimentum, quinque palmari fere argenteæ Tabulæ incisum, in eiusdem Diuæ Templo posteritati, cum hac epigraphe reliquere:

Magnæ Matri Virgini Conseruatrici suæ clementissimæ,

Et sibi iuncto sanguine B. Stanislao Kotsca.

Stanislaus, & Alexander Kotsca fratres vterini, iam iam vorticibus æstuantis Oceani, non procul zelandiæ portum, & eius Vrbem Briel circa meridiem absorbendi, amborum inuocatorum beneficio, præsentissimo subtracti naufragio salui, & reduces in patriam pro incolumitate ea voto posuere. Anno à partu Virginis 1638. 3. Aprilis. Ita refert R.P. Andreas Goldenouschij Paulinus Eremita in Virgine claromontana cap. 3. 55. Vbi eiusdem argumenti plura recensentur prodigia, quam nos amore breuitatis præterimus.





DISCVRSVS XV.

Quod B.V. Deipara Coronam ſtellatam Ariadnæ repræſentet.

1.



FAbulantur Poetæ à Vulcano arte admirabili fabrefactam fuiſſe Coronam quandam, eamque ab ipſo Amorum Parenti Veneri amoris ergò donatam, quam ipſa poſtea Ariadnæ puellæ formæ præſtantiâ celeberrimæ ſimiliter dono dedit. Hanc tandem Bacchus, Ariadnæ gratificandi ſtudio, inter ſydera retulit. Vnde Aratus in Aſtronomicis:

Atque Corona nitet, clarum inter ſydera ſignum
Defunctæ quæ Bacchus ibi dedit eſſe Ariadnæ.

De hac Propertius lib.3.

Teſtis ſydereæ, torta Corona Deæ.

De eadem Corona Ouid. Metam. lib.8. de Ariadna loquens ſic cecinit:

vtque perenni
Sidere clara foret, ſumptam de fronte Coronam
Imiſit cælo; tenues volat illa per auras;
Dumque volant gemmæ, nitidos vertuntur in ignes
Conſiſtuntque loco, ſpecie remanente Coronæ.

De eadem hac denique Corona Manilius lib.1. Aſtron. cap.4. canit:

At parte ex alia claro volat orbe Corona
Luce micans varia. nam ſtella vincitur vna
Circulus in medio radians, quæ proxima fronte
Candidaque ardenti diſtinguit lumina flamma
Gnoſia deſertæ fulgent monumenta Puellæ.

Puella hæc Ariadna Minois Regis fertur fuiſſe Filia, quæ Theſeum Heroem animi, corporiſque robore inſignem, cæſo Minotauro, ex Labyrinthæis anfractibus, erroreque illo inextricabili, vnici fili greſſus regẽtis ductu, liberauit: vti ipſa eidem ſcribens fatetur Heroidum Epiſtola 10.

Cùm tibi ne victus tecto morere recuruo
Quæ regerent paſſus, pro duce fila dedi.

Et paucis interpoſitis:

Nec tibi quæ reditus monſtrarent fila dediſſem
Fila per adductas ſæpè recepta manus.

Iam vt ex hac fabula aliquod pium documentum ad ſpiritualem vtilitatem noſtram deſumamus, dicere poſſumus Labyrinthum hunc ſæculum, Minotaurum mundi vanitatem; Ariadnam Virginem noſtram repræſentare.

2. Quod vt facilius intelligamus Labyrinthi deſcriptionem apud Herodotum in Euterpe audiamus: Labyrinthi deſcriptio.

Labyrinthus, inquit ille, *ipſas etiam Pyramides operum mirabilitate ſuperat, longoque relinquit interuallo. Huius ſiquidem 12. ſunt aulę tecto coopertę, portas habentes inuicem oppoſitas, quarum ſex in Boream ſpectant ordine conuerſæ, ſex Notum reſpiciunt. Vnus eſt murus exterior, qui illas inter ſe continet, domicilia ſunt interius duplicia, alia quidem ſubterranea, alia ſublimia, & ſub illis numero ad tria millia, atque vtraque ad numerum mille, & quingentorum accedebant.*

Eundem Labyrinthum deſcripſit Ouidius lib.8. Metamorphoſ. Alia deſcriptio Labyrinthi.

Dædalus ingenio fabrę celeberrimus artis
Ponit opus, turbatque notas, & limina flexu,
Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non ſecus ac liquidis Phrygius Mæandrus in vndis
Ludit, & ambiguo lapſu refluitque fluitque,
Occurrenſque ſibi venturas aſpicit vndas.

Et

Et nunc ad fontes, nunc ad mare versus apertam
Incertas exercet aquas: ita Dędalus implet
Innumeras errore vias, vixque ipse reuerti
Ad limen potuit, tanta est fallacia tecti.

De eodem Virgilius lib. 5. Aeneidos sic cecinit:

Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus centum cęcis iter, ancipitemque
Mille vijs habuisse dolum, qua signa videndi
Frangeret indeprębensus, & irremediabilis error.

Cattullus denique sic eundem descripsit, vt, & Ariadnæ in Theseum pietatem.

Inde pedem victor multa cum laude reflexit,
Errabunda tenens tenui vestigia filo,
Ne Labyrinthęis è flexibus egredientem
Tecti frustraretur inextricabilis error.

In Labyrinthum hunc vt scribit Natalis Comes libr. 7. Mythol. cap. 9. Iuuenes vtriusque sexus includebantur qui tributi nomine Minoi Cretæ Regi mittebantur, vt à Minotauro deuorarentur.

Minotaurus quid.

3. Minotaurus porro Monstrum erat, corpore quidem hominis, capite verò bouis constans, vt idem ait Natalis. Hinc Ouid. libr 2. de arte Amandi illud vocitauit.

Semibouemque virum, Semiuirumque bouem.

Minotaurus mundum adumbrat.

Quo sanè bellè mundi huius vanitas adumbratur, qua homines miseri, ad instar boum, dies, noctesque durissimo iugo eius subacti laborantes, in Minotaurum quodammodo esca ipsius effecti transformari videntur. Hinc Pierius lib. 3. Hierogl. c 22. bouem laboris esse symbolum dixit; attestans vidisse se Romæ ceneum Bouis caput antiquissimi operis scitè, venusteque elaboratum, quod olim trabem aliquam ingentem, vel quid simile sustentabat; eo enim gestu erat factum vt laborioso nixu aliquid sustentare videretur, erat enim caput gutturi appressum, crispantibusque palearibus conatus speciem ostentabat, quod procul dubio ad tolerantię, laborisque significatum referendum est. Hinc Cornelius Tacitus scribit veterum Germanorum institutum fuisse, vt vxori ducendæ iuncti boues, quibus laboris admoneretur, domum dotis nomine mitterentur. Hinc Tauro signo cælesti ascendente, genitos laboriosos, perpetuæque seruituti deditos Astrologi ominantur, propterea quod animal illud ad iugum pręcipuè natum sit. Hinc Tyrij Charthaginem ædificare aggressi, bouillo reperto capite opus intermisere, aliumque locum delegere, in quo Equi mox adinuento capite, lęti alacresque vrbem moliri perexere, quod libertatem se consecuturos ominarentur, sicut bouillo capite laborem perpetuamque seruitutem. Bellè ergo Monstrum illud Minotauri bouillo capite mundum, eiusque vanitatem significat, c.i. terrenis rebus hiscè addicti homines deseruientes, similes fiunt.

DEVS laboris symbolū.

Germanorū mos antiquus vt in nuptijs duo iuncti boues ducerent, ad laborem sponsos adhortantes.

Nati sub signo Tauri laboriosi habentur.

Similes enim facti sunt ijs qui dilexerunt, ait Propheta. Vnde tandem æternis adiudicati supplicijs, tanquam è profundo somno excitati sortem suam miserabilem deplorabunt: Lassati sumus in via iniquitatis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis, ambulauimus vias difficiles. Sap. 5.

4. Miserrima hæc mundi vanitatisque mancipia tam duris eius laboribus ad instar boum oppressa, Israeliticus populus sub Tyrannide Pharaonis Regis Aegypti in laboribus luti, & lateris assiduè desudans nobis ad viuum repręsentauit, de quibus Moyses scripsit Exod. 1. cap. *Pręposuit eis Pharao magistros operū, vt affligerēt eos oneribus, ędificauerūntque vrbes Pharaoni Phiton, & Ramesses, oderantque filios Israel Aegyptij, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terrę operibus premebantur.* Laborem porrò atque oppressionem hanc singillatim sic explicat Philo Hebr. lib. 1. de vita Moysi:

Labores Israelitarum in Aegypto sub Pharaone quam graues?

Rex cogebat ad opera seruilia homines non solùm ingenuos, sed hospites, imperabat eis grauiora quam ferre possent, alios super alios labores cumulans. Si quibus labori ob infirmitatem se subtraheret, capitalis noxa iudicabatur. Operibus pręerat immitissimus, & crudelissimus quisque, quos proinde exactores vocabant. Ex nimio labore, & estu plurimi corripiebātur & moriebantur peste, quos insepultos proijciebant Aegyptij.

5. Nec vacat mysterio quod Ciuitates, quas Israeliticæ ædificare sunt adacti Phithon, & Ramesses appellatæ sunt. Illa enim, os abyssi interpretatur, eo quod amatores mundi os, siue

por-

portam abyssi Infernalis, per quā transituri sunt, sibi ædificare videantur.

Mundi amatores sibi portam abyssi Infernalis ædificare videntur.

Hæc verò conculcatio tineæ dicitur, quod ijdem miserabiles, laboribus mūdi oppressi abreptique, conculcare tineam, memoriamque mortis in se funditus abolere videantur, ne eis vnquam illud occurrat Isa. 14: 11. *subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes;* & tandem salutari mortis memoriâ conterriti, in libertatem filiorum Dei respirent.

Amatores mundi memoriam mortis obterunt.

6. Nec istis mundi mancipijs in hodiernum vsque diem durissimi, crudelissimique desunt exactores, de quibus S. Bern. in sententijs: *Magistri*, inquit, *operum Pharaonis tres sunt. Fœtidus ardor æstuantis luxuriæ, anxius furor sæuientis auaritiæ, noxius appetitus inanis gloriæ.* Eosdem hos exactores intellexit S. Ioan. Apostolus cùm 1. Ioan. 2. dixit: *Filioli nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt: Quicquid enim in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Quos tamen exactores filij hominum vanissimi ad instar Numinum venerari consueuerunt; Vnde Poetarum non nemo:

Exactores Pharaonis qui non sint.

Mundi Numina quænā sint?

Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino Numine mundus habet.

7. Quàm verò Labyrinthus mundum nobis congruè exprimat, facile est vel ex eius Ethymologia intelligere. Labyrinthus enim dicitur à nonnullis, quasi *labor intus*: Hinc Virgil. 6. Aenei: de Labyrintho loquens cecinit:

Muudus dicitur Labyrinthus .i. Labor intus.

Hic labor ille domus, & inextricabilis error.

Et Catullus;

Ne Labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti frustraretur inextricabilis error.

Verè enim in mundo hoc nil aliud reperitur quam durus, & importunus labor, vitiorumque inter se circūmplexorum, ceu viarum varij anfractus, atque ambages, ex quibus vt plurimum nemo nisi cælesti illa castissimaque Ariadnâ nostra Virgine Maria, filum porrigente sese extricare potest. Si enim tria illa, ex quibus quodammodo componi, ac coalescere, teste Apostolo, videtur mundus, attentius expendamus, in omnibus, singulisque Labor intus, errorésque inextricabiles reperiuntur.

In mundo nil aliud quā durus, & importunus labor reperitur.

Quid quæso est aliud concupiscentia carnis, quam labor intus, quid nisi inextricabilis error? Considerate vitam alicuius hominis, qui se Venereis oblectationibus, turpissimisque amoribus dedidit, ac mancipauit, quantos labores animi, corporisque, quot dolores, quot angustias patitur, quibus dies, noctesque diseruiatur, & aliquando quidem vsque ad insaniam, vsque ad miserrimam mortem, vt votorum suorum compos esse valeat. Plenæ sunt historiæ, plenæ Poetarum fabulæ huiusmodi exemplis. Quam miserum exhibuere spectaculum illi duo amantes Pyramus & Thisbe, cum amore antea saucij, ac vix non exanimati, vno eodemque ense semetipsos confecere. De quibus Ouidius Metamor. li. 4. consuli potest. Horum infelicissimorum amantium necem deplorandam breuius descripsit Calensius:

Concupiscentia carnis est labor intus.

Pyramus, & Thisbe miseri sine crimine amarunt,
Occidit heu propria, sexus vterque manu.
Et quos vnus amor tetigit, nox vna peremit
Ensis, & vnus: & hæc contegit vrna duas.

Qua siue conficta siue vera historia impuri amoris vis naturaque aptissimè exprimitur, quæ sicut his amantibus vno eodemque gladio corporeæ necis causa extitit, sic animæ quoque nostræ esse consueuit. Impurus nempe amor gladius est quidam acutissimus, qui sicut animam, à corpore diuidit, ita quoque Diuinam gratiam, quæ vera est animæ nostræ vita, ab eadem separat. Hinc Eusthatius Græcus auctor Amorem impudicum non modo pharetratum, sed & ense accinctum introducit.

8. Insaniam porro amantium bellè ostendit Plato lib. de Repub. fabellâ percelebri, qua aiebat duos amantes quadam in solitudine secum confabulantes incidisse in Vulcanum, instanterque postulasse, vt eas in suum caminum inijceret, ex eisque vnum corpus, vnamque conflaret animam, atque ita ambo in vnum quid coalescerent.

Notissima est insania Galeazij Ducis Mantuani, qui suę amasiæ iussu dum Papiæ hybernaret in flumen equo insidens semetipsum præcipitauit.

Galeazius Dux Mantuanus suæ amasiæ iussu equo insidens sese in flumen præcipitauit.

Notissima denique insania est duorum illorum amantium Granatensium, qui cum simul profugissent, parensque eos à tergo vsque ad quendam montem, rupemque asperrimam præcipitemque esset insecutus, in mutuos irruentes amplexus sese ex sublimi illa rupe in

Duo Amātes Granatenses.

mare

mare præcipitarunt, simulque vndis hausti locum illum tam infęlici morte celebrem, dum in hodiernum vsque diem Petra amantium nũcupatur, reddiderunt. Quis igitur in carnis concupiscentia, qua mundus tantoperè inescatur, laborem, dolorem, amentiam, mortem denique ipsam miseriarũ omnium compendium inesse neget?

Quare de his iure meritò pronunciauit Apostolus: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi*. Qua quidem in tribulatione, siue labore omnium sordidissimo miseri mortales scarabeos mihi imitari videntur, dum ex boum aliorumq; animalium execrementis tanto cum labore globulos efformant, quos Pierius libr.8. Hierogl. cap. 15. mundi formam ob rotunditatem, imitari ait, quia mox eos vbi formarunt, ab ortu, occasum versus, posticis impellunt pedibus, protunduntque, non intermissa rotatione, quasi mundi motum æmulando.

Carnales homines Scarabeis similes.

Atque ita fœculentes hoscè, luteosque homines non modo scarabeos, sed & stercoreos quosdam globos, appellare possumus.

9. Eandem ob causam mundum hunc, eiusque amatores conferre quis potest scriniolo illi, de quo Cælius Rhodiginus scribit libr.5. repertum fuisse Babylone in Templo Apollinis Delphici. Erat hoc totum aureum summi valoris ac precij, & quia multis clauibus erat obseratum iudicio omnium ingentes, inæstimabilesque ibi recondi thesauros augurabantur. Apertum tandem est, cupiditate stimulante, & in eo nil repertum aliud, quam pestilentissimus fœtidissimusque quidam halitus, quo plurimi illico extincti sunt.

Mundus similes scriniolo aureo pleno fętore.

Talem prorsus carnis concupiscentia exhalat memphitim in hoc mundo prima sui specie preciosissimo, ac pulcherrimo, qui tamen postea nil aliud quam miseris mortalibus certissimam inhalat perniciem ac pestem.

10. Quapropter Sanctissima illa Catharina Virgo Senensis, vt scripsit S.Raimundus, cum ei aliquando matrona quædam nobilis obscænis amoribus irretita veste preciosa, auro, gemmis, monilibusque preciosissimis conspicua fuisset obuiam facta, auertit aspectum, obturauit nares, aitque ob intolerabilem fœtorem sibi summam nauseam peperisse. O si nares nobis essent Sancti Euthymij de quo scribit Cyrillus Monachus in eius vita, quod cum quidam in eius præsentia vnicæ venereæ cogitationi assensum præbuisset, tantùm, tamque horribilem fœtorem corpore illius exhalatum persensit, tantumque molestiæ inde expertus est, atque si à Cacodæmone fuisset obsessus. Vnde præclarè Diuus Anselmus pronunciauit: *Tolerabilius fœtet canis putridus hominibus, quàm anima peccatrix Deo, & Angelis eius.*

S. Catharina sensit fœtorem libidinis quem impura fœmina exhalabat.

S. Euthymius sensit fętorem hominis turpi cogitationi assentienti.

11. Hinc S. Antoninus Archiepisc. Florent. P.4. summæ Tit.14. cap.6. scribit Angelum aliquando per heremum humana specie Viro Religioso associatum ambulasse, & in cadauer hominis tetrum odorem exhalans incidisse quo viso exhorruisse Religiosum, naresque obturasse. Post verò aliquantulum viæ, temporisque interuallum obuius factus est illi comptulus elegantulusque vestibus ornatus redolentibus, adolescens; quo mox conspecto nares fortiter obturauit Angelus, eumque mirum quantum auersatus est. Sciscitanti Religioso cur ad præsentiam tam formosi, tamque suaui odore redolentis iuuenis tantùm horrorem ostenderet? respondit Angelus: *Tu cum caro sit, sentis fœtorem carnis, nos verò, quia sumus Spiritus, sentimus fœtorem Spiritus, qui procedit ex peccatis, quibus lasciuus ille iuuenis scatebat, & ideo mihi nimium quantum fœtebat.* Concludit tandem S. Antoninus: *Cum ergo Angeli boni sint nobis amicissimi, ac socij, debemus peccata timere, & cauere, ne eis abominabiles euadamus.*

Angelus cõptum adolescentem libidinosum auersatur.

Peccata fugienda, ne Angelis abominabiles euadamus.

12. Iam in concupiscentia oculorum, seu cupiditate diuitiarum quantus sit labor intus, quam inextricabiles errores, videamus: Contempletur quispiam solicitam, anxiamque mercatorum, hominumque diuitijs congregandis intentorum vitam, fallacibus contractibus, cambijs recambijs, velut recuruis anfractibus, erroribusq; inextricabilibus perplexam, quid aliud sibi videre videbitur in tali viuendi ratione, quam laborem intus, quam errorem inextricabilem? Consideremus eorundem itinera in Indiam, Japoniã, Sinas, in Brasiliam, in Regnum Peruanum, aliasque innumeras peregrinationes, terra marique periculis, laboribusque plenissimas, in quibus etiam sæpenumero vitam, tam corporis, quã animi miserabiliter amittunt, & intelligemus verè huiuscèmodi vitam Labyrin-

In Concupiscentia oculorum labor intus.

byrinthum, erroremque esse inextricabilem. Quare merito eorum miseratus sortem cecinit Horatius:

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Tam cæcus est hic diuitiarum amor, vt non contenti homines diuitijs, quas ex sua superficie velut locupleti gremio Terra pia vniuersorum Parens distribuit, eam suffodere ingenti labore ausi sint, ad inquirenda auri argentique preciosa metalla, quæ Bonitas Diuina iuris telluris, Inferno proximis recessibus, ne hominum cupiditas ad varia scelera aliquando irritari posset, recondiderat. Hoc nimirũ est illud, quod deplorabat Ouid. lib. 1. Metam. ferrei sæculi miserias recensendo:

Cur aurum imis terræ visceribus sit defossum.

Nec tantùm segetes, alimentaque debita, diues
Poscebatur humus, sed itum est in viscera terræ;
Quasque recondiderat, Stygijsque admouerat vmbris
Effodiuntur opes irritamenta malorum,
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum, quod pugnat vtroque
Sanguineaque manu crepitantia contulit arma.

13. O' quàm aptè S. Paulus diuitiarum naturam à Spiritu Sancto illuminatus agnoscens, eas, tentationem, laqueumque Diaboli appellauit! *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.* Quam tentationem, laqueumq; Diabolicum Deus ter optimus, cuius natura bonitas cuius opus misericordia, nostræ salutis cupidissimus, imis terræ abdidit visceribus, ne in ipsum incidentes periremus.

Diuitiæ sunt tentatio, & laqueus Diaboli.

14. Laqueum non modo inuisibilem, verùm etiam visibilem esse diuitias, probauit ille infelix, qui paupertate oppressus, ac desperatione cum laqueum quæreret, reperit thesaurum, cuius in locum mox eundem laqueum deposuit. In quo cùm tandem thesauri Dominus, suo Idolo ibi recondito litare thesaurum inuisendo vellet, nec illud reperisset, eodem illo laqueo appensus vitam miserabiliter terminauit. De hoc infelici sic Ausonius.

Homines diuitiarum cupidi aliquando laqueo vitam finiũt.

Qui laqueum collo nectebat repperit aurum,
Thesaurique loco deposuit laqueum.
At qui condiderat postquam non repperit aurum
Aptauit collo quem reperit laqueum.

15. O' quàm præclarè Diuus Ambrosius à diuidendo diuitias deriuauit, quod non solùm mentem ipsam diuidant plurimumque distrahant; verum etiam quod labore nimio quem in ipsis comparandis miseri mortales impendunt, animam à corpore præmaturè diuidant, citissimèque intereant. Quod vel ipse Poeta Ethnicus agnouit deplorauitque Propertius:

Diuitiæ à diuidendo dictæ.

Ergo solicitæ tu causa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitijs hominum crudelia pabula prębes,
Semina curarum de capite orta tuo.

16. Idem Sanctus Ambrosius libr. de bono mortis cap. 7. putat huiusmodi homines inuanum animam accepisse à Deo: *Inuanum*, inquiens, *accepit animam suam, qui sæcularia struit, ædificat corporalia. Quotidie ad edendum, & bibendum surgimus, & nullus expletur, vt non post momentum esuriat, & sitiat. Quotidie lucrum quærimus, & nullus cupiditati modus ponitur. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu. Qui diligit argentum non satiatur argento. nullus finis laboris, & nullus est fructus abundantiæ.* Sic ille. Quare præclarè Diuus Augustinus, *Aurum, materiam laborum definiuit.* Et Palladius. *Aurum Pater est adulatorum, doloris, & curæ filius.*

Cupiditas diuitiarum inexplebilis.

Aurum materia est laborum, Pater adulatorum, doloris, & curæ Filius.

17. Aurum verè doloris, curæ, ac solicitudinis esse Filium ostendit cęcus ille Agrigentinus in sicilia, de quo Fulgosus lib. 7. cap. 3. Hic cum magna parsimonia ac industria aureos nummos quingentos corrasisset, nimium quantum dies, noctesque anxius ne quis illos furto sublegeret, in agrum quendam spectante vicino agricola eos defodit, quos mox etiam abscedente Cæco, abstulit. Post dies aliquot reuertitur cęcus, suum thesaurum in quem cor quasi defixerat, reuisurus, cùm ecce sublatam ingemiscens, doloreque anxius vicinum rusticum furem esse suspicatus, stratagemma excogitauit ingeniosissimum. Addit illum, & iuramẽto in primis obstringit, ne secretum, quod illi committere cogitat vlli aperiat; petit itaque ab eo consilium, quid facto opus de bona pecuniæ summa, quam congregarat; defodisse se iam aureos 500. quodam in loco, videreturne illi eodem in loco collocandos vel apud se retinendos?

Cæci Agrigentini astutia.

Ru-

Rusticus non minus astutus, quàm cæcus ille, consulit eodem in loco omnino deponendos, & statim abeunte cæco aureos illos iam sublectos eodem loci reponit, sperans se simul illos cum reliquis mox defodiendis, multiplicato fœnore recepturum. Non ita multo post aduenit cæcus, fossâsque terrâ cum nummos suos iam amissos repe-risset, mirificè exhilaratus vicinum illum rusticum non procul esse suspicans, exclamat: *Iam vero amice mi, cæcus magis oculatus fuit, quam tu qui tam cernis acutum*. En vobis aurum verè laboris, doloris, ac curæ multiplicisque miseriæ atque afflictionis Filium.

En vobis in concupiscentia oculorum, in diuitiarum cupiditate Labyrintheos anfractus; en vobis cogitationes anxietatis plenissimas; en vobis errores inextricabiles.

18. Quid tandem de superbia vitæ, de honorum, ac dignitatum ambitu, deque regnandi, ac dominandi inexplebili libidine dicam? In his omnibus, si vnquam alibi, est omnino labor intus, est omnino inextricabilis error. Quis enim nesciat huiusmodi ambitiosos assiduis cogitationibus, ijsque molestissimis, curis mordacibus, amaris solicitudinibus discruciari, vt vel nouos honores, ac dignitates consequantur, vel nè iam indeptos amittant acerbissimo motu ac pauore diuexari?

Dionysij Tiranni timor assiduus.

Quod Dionysius Tyrannus amico illi, qui se beatum prædicabat, ostendit, cum lautissimæ mensæ accumbenti, acutissimum ensem setę equinæ eius ceruicibus imminentem iussit appendi; quo facto amicum docuit, huiusmodi esse ipsius vitæ statum, etiamsi Regia dignitate fulgeret, etiamsi delicijs diffueret, omnibusque fortunæ bonis abundaret. Idem tanto cruciatu timoris angi erat solitus, vt cultros metuens tonsorios, quemadmodum ait M. Tull. lib. 2. de officijs, candenti carbone sibi adureret capillum.

Alexandri Pheræi timor.

18. De Alexandro Pheræo idem affirmat Cicero eum tanto in timore semper vixisse, vt cum vxorem Thebem admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, Barbarum, & eum quidem compunctum notis Threicijs iuberet anteire; præmitteretque de stipatoribus suis, qui scrutarentur arculas muliebres, & ne quod in vestimentis occultaretur telum exquireret. *O miserū*, exclamat Tullius, *qui fideliorem, & Barbarum, & stigmaticum putaret quam coniugem*! Nec fefellit opinio, ab ea enim ipsa propter pellicatus suspicionem interfectus est.

Alexandri Magni viræ, & Solicitudines in mūdo subiugando.

20. Quid de Alexandro Macedone dicemus? Nonnè in tanto tamque vasto orbis imperio tanta cura, vigilantia, innumeris capitis periculis indepto fuit labor intus? nonnè in possesso labor intus? Nonnè denique in ardentissima hoc idem imperium amplificandi cupiditate labor intus? Quis enim nesciat illum dum Philosophos de mundorum pluralitate disceptantes audisset, acerbè ingemuisse, quod necdum vnum in suam potestatem, tot annorum decursu, tot exantlatis laboribus, ac periculis redegisset?

Babylone moritur Alexander exiguo sarcophago contentus.

Tanta huic inerat dominandi libido, vt mundus hic illi carcer quidam Gyara, Seriphoque angustior videretur, cùm tamen Babylone mortuus, contentus exiguo sarcophago, modicoque terræ spatio esse debuerit. Quare iure merito eum irrisit Satyricus Iuuen. Satyra 10.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis
Aestuat infelix angusto in limite mundi,
Vt Gyaræ clausus scopulis, paruaque Scripho,
Cùm tamen à figulis munitam intrauerit vrbem
Sarcophago contectus erit. Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.

21. Quare huiusmodi orbis Monarchæ ipsam regnandi fęlicitatem, ipsos prosperos arridentis Fortunę flatus suspectos habuisse visi sunt: metuebant nimirum ne in illis ipsis aliquis labor intus delitesceret, ex quo tandem sese expedire, atque extricare minimè possent. Testis est Philippus ipse Alexandri Parens, qui, vt refert Volaterranus lib. 31. Philol. cum vno eodemque tempore ternos, eosque faustissimos accepisset nuntios, Tresippum nimirum in ludis olympicis victoriam reportasse, à Parmenione Macedonum exercitus totius Duce Dardanos profligatos, Olympiam denique coniugem Alexandrum in lucem edidisse, metuens ne Fortuna tandem prospera ipsi fauendo lassaretur, sublatis in cælum manibus, alta voce exclamasse fertur: *O fortuna pro tot, tantisque beneficijs, vel leui aliquo malo me affice*!

Philippus Alexandri Magni Parens suspectum Fortunam habuit.

Tiramentis Tyranni infelix exitus.

22. Testis est Tiramenes vnus ex 30. Siciliæ Tyrannis, de quo idem scripsit Volaterranus, eum aliquando sumptuosissimum præcipuis Regni Proceribus instituisse conuiuium, cùm ecce in medio epularum, hilarique compotatione palatium derepente corruit, omnesque miserimâ sui ruinâ conuiuas, excepto vno Tiramene oppressit.

Hoc admiratus Tiramenes, suspicans ne in hac ipsa felicitate labor intus delitesceret exclamasse fertur:

Quo me Fortuna reseruas? Reseruabat nimirum ad præbendum iugulum ferro, reseruabat ad cruenta vulnera, reseruabat ad amariorem, violentamque necem. Coniurantibus enim in illum Siciliæ Tyrannis, multis pugionum ictibus confossus miserandum in modum animam exhalauit.

23. Consideremus præcipuos orbis olim Principes, Reges, ac Imperatores Romanos, nationumque externarum, reperiemus sanè eos in adipiscendis conseruandisque Regnis, ac Imperijs nimium quantum desudasse, eorumque vitam ærumnosam, ac laboriosam, mortem ærumnosiorem longè calamitosioremque consecutam, adeo vt quis vere dicere possit quod eorum vita, ac mors, nil aliud quam continua ærumna, ac calamitas, continuus denique Labor intus extiterit, verissimamque esse Hesiodi sententiam; qua ipsum illorum nasci, laborem esse asseuerauit;

Quorundam ipsum eorũ nasci labor est.

Marius qui septies Consul fuit, quã fuerit postea infælix.

24. Veniat in mentem Marius, qui septies Consul fuerat, de Iugurtha gloriosè triumpharat, Cimbros ac Teutones subegerat, Apuleium, & Glauciam seditiosos intemerat, multaque alia præclarissima facinora honorum cupiditate inescatus perpetrauerat; in tota eius tam vita, quàm morte nil aliud, quam Labyrinthum inuenies.

Debellatus enim à Sylla, in Minturnensium paludibus turpissimè delituit, tandemque exantlatis innumeris laboribus ingloriùs vitam cum morte commutauit.

Vnde non immerito illum risit Ouid. lib. 4. de Ponto:

Ille Iugurthino clarius Cimbroque triumpho
Quo victrix toties Consule Roma fuit.
In cæno Marius iacuit cannaque palustri,
Pertulit, & tanto multa pudenda viro.

Magis adhuc salsè eundem risit Satyricus Iuuen. Sat. 10. optauitq; ei maturiorem mortem. Sic enim nec exilium, nec carcerem fuisset passus, nec in Minturnarum paludibus latitasset ingloriùs, nec exul in ruinis Carthaginis panem mendicare esset coactus:

Exilium, & carcer Minturnarumque paludes
Et mendicatus victâ Carthagine panis
Hinc causas habuere. Quid illo ciue tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius vnquam
Si circumducto captiuorum agmine, & omni
Bellorum pompâ, animam exhalasset opimam,
Cum de Teutonico vellet descendere curru?

Eiusdem infaustam Fortunam, eius vincula, carceremque ipsum denique senio iam laborantem, Lucamus irrisit:

Exul limosa Marius caput abdidit vlua.
Stagna auidi texere soli, cannæque palustres
Depositum Fortuna tuum, mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere pudor.

25. Veniat in mentem Gneius Pompeius, qui ambitione ac dominandi cupiditate inflammatus, incredibili labore exercitam vitam traduxit.

Pompei infælicitas.

Hic expugnato Domitio, Iarba triumphato, Sertorio in Hispanijs sublato, Pyratis ac Tygrane Rege Armeniæ subactis; debellatis item Iberis, Albinis, & Iudæis cum Aristobulo Rege, & Mithridiate ad hauriendum venenum coacto, tandem post tot illustres victorias, ac triumphos à Iulio Cæsare in Thessalia victus, iussu Ptolomæi, ad quem in extrema rerum desperatione confugerat, miserrimè interfectus est.

Quare merito eundem risit Satyricus ibidem, aitque eum longè futurum fuisse feliciorem, si tunc cum in Campania febribus laborabat, esset extinctus, nec tot votis populorum, ei salus à Dijs fuisset impetrata. Sic enim infelici ob ciuile bellum excitatum, ob patriæ tot illatas clades, caput minimè esset amputatum. Vnde febrim illam vocitauit prouidam, nempe tanti eius in-

infortunij non ita multo post subsecuturi:

Prouida Pompeio dederat Campania febres
Optandas, sed multæ vrbes, & publica vota
Vicerunt, igitur Fortunæ ipsius, & vrbis
Seruatum victo caput, abstulit.

Annibalis infelicitas.

27. Veniat in mentem Martis ille generosus pullus Annibal ad Romanam potentiam infrigẽdam ac delumbandam potissimùm natus, quem Amilcar parens adhuc impuberem labori quasi consecrasse, & iureiurando ante Deorum aras astrinxisse fertur, vt quamprimum per ætatem licuerit, arma contra Romanos capesseret. Quod qua erat audacia, ingenitoque aduersus Romanos odio, summis laboribus, ac discriminibus exãtlatis, perfecit. Vbi primum .n. ex ephœbis excessit in Hispaniam traiecit, ibique quibusdam ciuitatibus, in suam potestatem, dominiumque redactis, occurrentem sibi Titum sempronium consulẽ apud Trebiam profligauit. Flaminium ab Transimenum lacum, cæsis centũ quinquaginta millibus Romanorum, fudit: Paulum Aemilium, & Terentium Varronem nouos Consules creatos apud Cannas, tanta edita strage debellauit, vt in hoc prælio ad 40. peditum, & duo millia supra septingentos equites trucidata fuisse memorentur, adeo vt tres modios cum dimidio annulorum, quos ex digitis nobilissimorum Ciuium Romanorum detraxerat, Carthaginem transmiserit. Hunc, *cui armato*, vt canit Silius, *nullus Diuum pudor, penitusque medullis sanguinis humani flagrabat sitis*, post tot labores, post tot exantlatas ærumnas, vitæque discrimina, quem tandem vitæ finem habuisse arbitramur? Miserrimum sanè, atque ærumnosissimum. Homo enim infelicissimus post aliquot aduersantis Fortunæ impetus, post 20. Pœnorum crudelissimè deleta millia, totidemq; in seruitutem à Romanis redacta, tandem metuens, nè & ipse etiam captiuus, mutato iam fortunæ, olim tantopere sibi arridentis statu, in Romanorum manus deueniret, hausto veneno, quod sub annuli gemma gestabat, sponte sibi vitam homo amentissimus ademit. Quapropter, & hunc ipsum solitis cachinis excepit Iuuenalis, quod cupiditate glorię accensus, tantos labores exsorbuerit, tantas ærumnas exhauserit, eiusque cineres minimi fuisse ponderis, cuius animus tantus erat, tãtaque dominandi cupiditate accensus, vt Africæ, quæ ab occidente Athlantico mari, ab Asia æstuoso Nilo alluitur, & ad Trogloditas extenditur, contentus nõ esset tanto imperio, contra fœdus addiderit illi Hispaniam. Nec his contentus homo ambitiosissimus, superato Pireneo saltu, Galliam inuasit, inde igni, acetoque perumpens Alpes, quas velut muros quosdam natura aduersus Barbarorum impetum collocarat, nil altis niuibus deterritus, ob quas etiam oculum amisit, in Italiam descendit, nec sic se sat felicem ratus, Romam occupare, & in suburra vico Romano figere sua vexilla attentauit. Tandem exul ad Antiochum Regem Syriæ profugit, inde ad Prusiam Regem Bithyniæ, cuius Prætorio assidere, & tantisper expectare cogebatur, quoad Rex somno solueretur. Quos omnes eius labores aditaque pericula eundem Iuunalem Sat. 10. ridentem audiamus:

Expende Annibalem, quot libras in Duce summo
Inuenies? Hic est quem nõn capit Africa Mauro
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti.
Rursus ad Aethiopum populos, altosq; Elephantos.
Additur imperijs Hispania; Pyreneum
Transilit. Opposuit natura Alpemque, niuemque
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto.
Iam tenet Italiam, tamen vltra pergere tentat.
Actum, inquit, nihil est nisi Pœno milite portas
Frangimus, & media vexillũ pono suburrá;
O' qualis facies, & quali digna tabella!
Cùm Getula Ducem portaret bellua lusum.
Exitus ergo quis est? O gloria! Vincitur idem,
Nempe, & in exilium præceps fugit, atque ibi magnus
Mirandusque cliens sedet ad Prętoria Regis
Donec Bithyno libeat vigilare Tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim
Non gladij, non saxa dabunt, nec tela, sed ille
Cannarum vindex, & tanti sanguinis vltor
Anulus. I demens, & sæuas curre per Alpes
Vt pueris placeas, & declamatio fias.

28. Veniat in mentem denique.

Iulij Cæsaris infelicitas.

C. Iulius Cæsar Pōpei in Pharsalica illa nefasta planè, atque calamitosissima pugna, tanto ciuium profuso sanguine, Victor gloriosissimus, quid eius vita fuit aliud, quam labor intus?
De Gallis, de Alexandrinis, de Ponticis, Africanis, Hispanis, maxima orbis parte, innumeris exantlatis ærumnis ac laboribus, in potestatem suam redacta, triumphauit. Hic est qui insatiabili regnandi cupiditate inflammatus nulli labori parcebat, donec Tyrannide quadam Romanam Rempublicam, summo imperio, atque Dictatura potitus, opprimeret. Impellebat nimirum, vt canit Lucanus:

Quicquid sibi summa petenti
Obstaret, gaudensque viam fecisse ruinâ.

Eundem in finem summo cupiens potiri imperio didicerat vt idem cecinit Poeta:

Multa dare in vulgus, totus popularibus auris
Impelli, plausuque sui gaudere theatri.

Vultis miserandam huius, infelicemque post tot labores ac discrimina, post tot res præclarè gestas, post tantam indeptam laudem ac gloriam, vitæ catastrophen? In senatu tandem suorum amicorum. (Cassij, & Decij Bruti) coniuratione tribus ac viginti vulneribus confossus occubuit infelicissimè.
Quare merito sæpius iam memoratus Iuuenalis non modo Cæsaris, verum etiam omnium ailorum ambitiosorum huiusmodi tristes ac calamitosos ex hac vita exitus esse consueuisse, cecinit:

Quid Crassos, quid Pompeios euertit? & illum
Ad sua, qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus, nulla nō arte petitus
Magnaque Numinibus vota ex audita malignis.

Nimirum huiusmodi prægrandes Colossi, superbia tumidi;

Tolluntur in altum
Vt lapsu grauiora ruant.

Ambitiosi similes Chamaleonti.

29. Sunt huiusmodi ventosi homines inanisque gloriæ vilissima mancipia Chamaleontes quidam, aere, seu popularibus auris, muscarumque aucupio semetipsos pascentes, per similes Domitiano Imperatori, de quo Scribit Suetonius, quod diebus singulis duarum horarum spatio recreari muscarum aucupio consueuisset.

Sæuitia Domitiani Imperatoris etiam in muscas.

Hinc natum Prouerbium: *Nec musca quidem*. Siquidem ne muscis quidem per illius sæuitiem viuere licebat.
Mirabilis sanè insania, eum, qui orbis terrarum possidebat imperium ac Dominium, aucupio muscarum tempus terrere. Verùm quot Christianos ad Regnum cælorum destinatos reperire est, qui aureum huius vitæ tempus saluti comparandæ, meritisque cumulandis à Deo concessum, aucupio muscarum, non vna alteraue hora, sed totius vitæ tempore impendunt? Quid enim aliud agere videtur auarus diuitijs congerendis assiduè inhians, quid superbus honoribus, ceu auris captandis intentus, quid turpissimum Veneris mancipium obscænis carnis voluptatibus consectandis sese impendens, quid inquam aliud videtur agere, quàm inani labore fatigari, quàm muscas aucupari, quàm pasci vento, quàm expleri aere? Nos iure merito seuerè increpuit Dauid: *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Vanitates mundi consectantes muscas aucupari videntur.

30. Quæ cùm ita se habeant, quis mundum hunc, omniaque, quæ in illo sunt, & ex quibus componitur ac coalescit neget esse Labyrinthum mille viarum anfractibus atque ambagibus perplenissimum? Quis neget illum assiduum quendam esse laborem, quo miseri mortales dum viuunt ita opprimūtur, vt illo plerumque execentur, & tandem de temporario hoc labore ad alium æternum duraturum deuoluantur? Dixit quidem Pindarus: Natus laboris gloria: Verum laboris huius Labyrinthei, ac mundani fœtus non gloria, sed sempiterna est confusio, ac contumelia, qua miserabiliter, nō modo coram hominibus, verum etiam, quod horribilius, magisque pertimescendum est, coram seuerissimo omnium mortalium Iudice, vbi scrutatus fuerit Hierusalem in lucernis, afficientur. Laboris huius mundani Templum vnitum non est cum altero Honoris, vt olim fecerat Marcellus, ad ostendendum neminem honores indipisci posse, nisi per labores transierit. Labor enim hic non æuiternum honorem, verum probrosissimum mortalibus parturit vituperium.

Filia laboris est Gloria.

Templum laboris vnitum cum templo Honoris.

31. Quis neget denique Labyrinthum mundi huius, errorem esse inextricabilem, & multiplicis negotij, vt eum

eum vocitauit Sydonius, quo qui semel est implicitus vix, ac ne vix quidem, nisi luce Diuinâ affulgescēte, nisi Ariadnâ quapiam filum porrigente expediri extricarique potest, quin horribilis illius Monstri Minotauri, habitatoris ipsius Labyrinthi præda, escaque desiderabilis, fiat, inque illud naturali consecutione transformetur, cum cibus in substantiam aliti verti consueuerit? Ariadna hæc, vti supra memorauimus, est ipsa gloriosissima Dei Genitrix V. Maria. Hæc vtriusque sexus adolescentulis in hoc Labyrintho mundi, monstro illi ad deuorandum expositis, ipsique Theseo eiusdem Monstri triumphatori, filum quoddam porrigere videtur, dum illorum menti, velut stella maris, ac Cynosura affulgescens, humanæ vitæ breuitatem simul ac vanitatem; quam rectè subtile filum, ac licium pertenue, quod insperato secat Atropos ense, dixeris; nobis manifestat: dum mundi fallacias, technas, ac sophismata, futilissimas ac detestabiles voluptatis blandientis illecebras, diuitiarum pedicas, ac laqueos, honorum ac dignitatum fumos ac bullas, virtutis è contra venustatem ac pulchritudinem ad amplectendum, vti illa iam memorata malorum irritamenta, ad detestandum ob oculos proponit.

E Labyrintho mundi huius B.V. velut Ariadna nos educit.

32. Opem hanc Virginis præsentissimam Papienses Academici in suo Albo seu Matricula, vt testatur Lucas Contilis peruenustè, ingenioso emblemate, quo inextricabilis ac perplexus varijs viarum ambagibus repræsentatur Labyrinthus, quem cælitus fulgentissima irradiabat stella, appositâ Epigraphe: *Hac duce egrediar*; insinuare visi sunt. Vti & Claudius Paradinus in Symbolis Heroicis fol. 98. cum similiter pinxisset Labyrinthum, velletque ostendere, neminem è mundi sese expedire posse erroribus, intricatissimisque negotijs, absque superni Numinis ductu atque auxilio, aptissimam illam præfixit inscriptionem: *Fata viam inuenient*. Quæ pene omnia quàm appositè Virgini nostræ clementissimæ conueniant, nemo non videt. Quod si eadem hæc emblemata illustrarè nobis in rem nostram, aliquomodo licet, super ponatur huic mundi Labyrintho octonarum Corona stellarum, quibus Deiparæ octo beatitudines designentur. Siue, quod malim Corona illa stellarum duodecim, quam Ioannes dilectus Discipulus in capite mulieris amictæ Sole contemplatus est: Addatur huic desuper inscriptio: *Hac monstrante viam*. Atque vt facilius quispiam è mundi huius Labyrintho se expediat extricetque, syderum illorum accuratius intueatur, expendeatque mysteria, quæ cum aliud non sint, quàm Virginis gloriosissimæ prærogatiuæ ac singularia priuilegia, fieri non potest, quin menti, eius copiosissima lux affulgescat, ac detectis viarum ambagibus, ac periculis mundi huius, viam salutis ingrediatur.

Stella Labyrinthum illuminans, symbolum B.V.

Corona stellarum 12. super Labyrinthum posita B.V. exprimit.

33. Stellas hascè seu priuilegia varij variè interpretati sunt. B. Albertus Magnus Tractatu super Missus.
Primum Deiparæ priuilegium esse dixit, quod nunquam peccauerit.
Alterum, quod peccare non potuerit.
Tertium quod quolibet actu merebatur. Quartum eius summa puritas.
Quintum quod fuerit Virgo Virginum.
Sextum Mater Dei. Septimum Mater omnium. Octauum Stella maris.
Nonum Porta cæli. Decimum Passionis cum Filio communicatio.
Vndecimum eius in cælis exaltatio.
Duodecimum quod sit Regina misericordiæ.

Stellæ 12. in capite B.V. varia ipsius denotant priuilegia.

34. Seraphicus verò Bernardinus senensis, & cum illo eiusdem sacri Ordinis Vir Religiosissimus Bustius duodecim hasce stellas in Corona Virginis aiunt esse totidem priuilegia iam cum Filio in cælo regnantis Deiparæ, quorum vim in mortales in hac vita degentes exercere consueuit.
Primum est cæcorum illuminatio, de qua ipsa gloriatur Eccl. 24. Illuminabo omnes sperantes in Domino. Hanc ob causam D. Gregorius Thaumat. ser. 1. de Annunc. eam sic salutauit:
Aue gratia plena fons lucis, qui cunctos in ipsum credentes illuminat.

B.V. Primum priuilegium Cæcorum illuminatio.

35. Secundum, lapsorum eleuatio de qua Dan. c. 11. vaticinari visus est: *Cumque corruerint sub leuabuntur auxilio paruulo*, humillimæ videlicet Virginis, quæ cum esset paruula in oculis suis, placuit Altissimo. Vnde S. Ioan. Damasc. in Canticis Ecclesiasticis sic illi canebat:

Precare tuum Filium, & Dominum
Casta Virgo, vt captiuos aduersis
Quicumque detenti criminibus

In

In te verè confidunt.
Cum bona pace liberet.
Te habemus peccatores Aduocatam,
Te possidemus in periculis salutem.

3. Priuilegiũ sordidorum purgatio.

36. Tertium, sordidorum purgatio. Hæc nimirum est Abigail illa, quæ vero Dauid sese obtulit 1. Reg. 15.

B.V. est Abigail quæ lauat pedes affectum seruorum suorum.

Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes, intellectum videlicet atque affectum, atque adeo animas, ac conscientias à peccatorum sordibus *seruorum tuorum.* De hac tam hilari promptaque exhibitione S. Vincentius serm. de Incarn. *Abigail interpretatur Patris mei exultatio.* Verè exultauit Adam in limbo quando dixit B. Virgo: *Ecce Ancilla Domini.* Verè lauat nos B. Virgo velut pedes postremos in corpore Ecclesiæ, in quos fines sæculorum deuenerunt 1. Cor. 10. lauat, inquam, nos ab omnibus peccatorum immunditijs, ac maculis, quia continuè orat pro nobis; aliàs enim essemus destituti, & ideo illi canit Ecclesia: *Monstra te esse Matrem.*

4. Priu. Desolatorum lætificatio.

37. Quartum, desolatorum lætificatio. Vnde quilibet deuotus eius Filius eius solatium expertus illi dicere potest, Cant. 1. Meliora sunt vbera tua vino, quod lætificare solet cor hominis. Expertus hanc Virginis consolationem S. Damascenus, eam in hymnis Ecclesiasticis, *intemeratam omnium lætitiam salutauit.* Ioannes vero Geometra hymno 1. Moerorum medicinam gaudere iussit:

B.V. est intemerata omnium lætitia.

Gaude Moerorum Medicina, obliuia fundens:
Aeternæ vitæ, summi, & Alumna Boni.

Sanctus denique Ephrem Syrus serm. de B.V. eiusdem expertus solatia sic eam compellauit: *Tu consolatrix Sanctissima, & vniuersorum Dux: tu mundi solatium, tu orphanorum susceptio, tu mundi lætitia, ò Domina, Princeps, atque Regina præstantissima.*

Mundi solatium ac lætitia.

5. Priu. Tentatorum auxilium.

38. Quintum, tentatorum auxilium. Virgo enim hæc hominibus huiusmodi Satanicis insidijs impetitis, velut castrorum acies ordinata venire ad opitulaudum consueuit. Quod ad singularem eius pulchritudinem referre non dubitauit sponsus Cant. 5.

B V. à Satana tentatis vt castrorum acies ordinata subuenire solet.

Pulchra es amica mea suauis, & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Quare ipsius auxilio fretus confidenter illi dicebat Richardus à Sancto Laurentio: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Et Bernardinus Bustius: *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi.* Psalm. 34.

6. Priu. In aduersis robur.

39. Sextum, in aduersis roboratio. Verè enim, vt canit Euangelicus Propheta: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion.* Isa. 28. est Virgo nostra, quæ assiduè iuxta suum nomen illud; *Sion!* speculatur, quanam ratione irruentes in nos aduersitates à nobis amoliatur, in eisque patienter sufferendis nos roboret, ne succumbamus. Hinc illi canebat S. Damascenus in Canticis Ecclesiasticis:

B.V. est Vrbs fortitudinis nostræ, dum speculatur quanam ratione aduersitates à nobis amoliatur.

Misericordiæ fontem concepisti,
Hinc nobis cõpateris bona Dei Genitrix,
Tu enim fideles sola protegis,
Tu moerentium es consolatio
Quare tibi nunc omnes
In fide procidimus
Vt malis soluamur,
Solo diuites auxilio tuo.

B.V. Moerentium consolatio.

B.V. auxilio solo sumus diuites.

7. Priu. Mortuorum suscitatio.

40. Septimum, mortuorum suscitatio, ad vitam præsertim Spiritualem. Hanc ob causam gloriabatur ipsa Eccli. 24. In me omnis spes vitæ, & virtutis. Quã præclarè de illa pronunciauit S. Hildephonsus serm. 1. de Assum. *Hæc est Mater Domini, per quam nobis vita redonatur.* Virginem hanc Vitam nostram agnoscens S. Andreas Cretensis Episcopus exclamauit: *O' vitæ suppeditatrix, vita viuentium, & causa vitæ.*

Per Mariam vita nobis redonatur.

8. Priu. Induratorum mollificatio.

41. Octauum, induratorum mollificatio. Virgo nimirum est prodigiosa illa Virga Moysis, quæ vbi durissimum illum cordium nostrorum silicem bis percutit, suadens declinare à malo, & facere bonum, adeo emollescere consueuit, vt in copiosissimas lacrymarum aquas resoluatur. Nonnè Virga hac suauiter percussus celebris ille visus est Theophilus? nonnè alij innumeri obdurati in flagitijs peccatores, qui tamen potentissima Virginis huius virtute emolliti sunt?

B. Virgo Virga Moysis silicem cordium nostrũ tangens in aquas lacrymarum ac compunctionis resoluit.

9 Priuilegiũ. Vitæ salutis demonstratio.

42. Nonum, ad Christum directio, siue viæ salutis demonstratio. Verè enim Deipara nostra est Columna illa nubis, & ignis vt testatur S. Bonau. in speculo cap. 3. quæ filios Israel per desertum aspertimum mundi huius in terram illam promissionis, æternam videlicet patriam, deduxit felicissimè Exod. 13. De hac canebat Dauid Ps. 104. *Dedit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem.* Atque ita Virgo interdiu Solis vices, non accendentis

B.V. Columna nubis, & ignis.

dentis sed instar lucidæ nubis refrigerantis, noctu Lunæ vices ignis instar calefaciētis, vt potè Virgo pulchra, vt Luna; electa vt Sol obisse, viamque direxisse visa est. De hac columna ignis nubisque præclarè in rem nostram S. Zeno. Martyr Episc. Veron. *Israelis populis*, inquit, *miseratione Dei, duce Moysse iussus est proficisci. Huic non circulus solis, per diem, sed columna nubis; non candida Luna, sed ignis columna, per noctem, iter pandebat ignotum.*

Fælix qui B. V. ceu columnæ innititur.

O' felicem vnumquemque Marię clientulum, si spiritualis eius ædificij fabrica Mariæ velut columnæ firmissimæ imitator! erit sane firmum, & inconcussum; si æstu cupiditatum accendatur, erit illi Virgo ad instar columnæ nubis in refrigerium; si frigore negligentiæ aliquando torpuerit; erit illi Virgo ad instar columnæ ignis, vt torporis pulso frigore, Dei amore incalescat, & corde dilatato viam mandatorum Dei hilaris decurrat.

10. Priuilegium In hora mortis subuentio.

43. Decimum, in hora mortis subuentio. Quo in puncto discriminis plenissimo verè se Matrem ostendens misericordiæ pientissimam, obuiat nobis quasi mater honorificata, animamque nostram suis vlnis excipiens suo Filius ipsius creatori commendat, ac repræsentat. Vnde ei iure canit Ecclesia: *Maria Mater gratiæ; Mater misericordiæ; tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Similiter B. Hugo Carthus. illi concinit.

Oratio B. Hugonis ad B.V. pro fælici morte.

Preces tuæ nobis subueniant
Pia Mater, & sic custodiant,
Hora mortis, vt hostes fugiant,
Et nos cæli ciues suscipiant.
Metuentes hostis insidias,
Hora mortis magis quam aliàs,
Supplicamus vt tunc subuenias,
Et nos ope tua custodias.
Mentes nostras peccatis deditas,
Multum terret mortis acerbitas,
Sed tu Mater, quæ cælos habitas
Fac vt nobis detur securitas.
Verè sumus viles, & miseri,
Qui mox nati cogimur conteri,
Efficimur similes pulueri,
Properantes ad portas Inferi.
Sed tu Dauid proles dignissima,
Mulierum Virgo pulcherrima,
Vrbs Regalis, Turris fortissima,
Defende nos à morte pessima.
Tota plena roris dulcedine,
Cęli regnans cum summo Principe,
Preces nostras auribus percipe,
Et in fine nos tecum recipe.

11. Priuil. Ignis Purgatorij refrigeratio.

44. Vndecimum, Ignis purgatorij refrigeratio. *Ipsa enim est Petra illa agri, à qua deficere non potest nix Libani* Hier. 18. ad miserrimas, afflictissimasque illas animas refrigerandas. Quare S. Vincentius, Bonam esse Mariam animabus in purgatorio detentis, prædicauit. Hanc eius Bonitatem experiri cupiens paulo ante memoratus B. Hugo Carthus. sic eam orabat:

B.V. est bona animabus in Purgatorio detentis.

Oratio B. Hugonis pro animabus Purgatorii.

Lugentibus in Purgatorio,
Qui purgantur ardore nimio,
Et torquentur graui supplicio,
Subueniat tua compassio.
O' fons patens, qui culpas abluis,
Omnes iuuas, & nullum respuis,
Manum tuam extende mortuis,
Qui sub pœnis gemunt continuis.
Ad te pia suspirant mortui,
Cupientes de pœnis erui,
Et adesse tuo conspectui.
Et gaudijs ęternis perfrui.
Clauis Dauid, quę cęlum aperis,
Nunc Beata succurre miseris,
Qui tormentis premuntur asperis,
Educ eos, de domo carceris.
Lux iustorum, norma credentium,
Vera Salus in te sperantium,
Pro defunctis sit tibi studium,
Assiduè orare Filium.
Benedicta, per tua merita,
Te rogamus mortuos adiuua,
Et alleuans eorum debita,
Ad requiem sis eis semita.

Oratio Dominica efficacissimum medium ad animas è Purgatorio liberandas.

45. Porro etsi Sanctis illis animabus ergastulis Purgatorij ignis detentis Virgo Deipara, ad eamque pro ipsis fusæ preces sint directa ad requiem semita, est tamen præcipua etiam ipsa Oratio Dominica. Hinc cum aliquando B. Metildis die quodam festo pro illis liberandis ad Sacram Mensam accubuisset, rogassetque Dominum vt Sacra illa Hostia eis cederet in omnium peccatorum remissionem, ac simul in omnium negligentiarum supplementum, respondit Christus iussitque, vt pro illis attentè ac deuotè Pater noster recitaret, in vnionem illius intentionis inquit, qua ego ex meo amāti corde hominibus recitandum tradidi. Qua oratione persoluta cum tali intentione vidit Sancta illa anima copiosam animarum multitudinē magna cum lętitia persoluentem gratias Deo pro ipsarū ex tātis supplicijs liberatione. Eadem V. recitabat subinde quinquies

quies eandem Dominicam orationem in honorem quinque vulnerum Christi, pro quodam defuncto; similiter faciebat quoties intellexit aliquem è vita decessisse. Vnde scire cupiebat, quidnam refrigerij animæ ex his precationibus perciperent. Cui Dominus respondit; Anima pro qua hæc mea oratio recitatur quinque percipit vtilitates. Angeli enim illi subministrant à dextris eius defensionem; à sinistris cõsolationem; ante spem; retro confidẽtiam siue fiduciam, desuper denique cæleste gaudium. Subiunxitque Dominus: quicunque miserationis charitatisque affectu pro aliquo defuncto intercedit, bonorum illorum omnium, quæ pro ipso in Ecclesia pro ipso offeruntur, fiet particeps in suo ex hac vita decessu, omniaque ad salutem comparandam prompta, & expedita reperiet. Sic Metildis libr. 6. vitæ c.8. quæ nobis erga Orationem Dominicam magnum affectum merito accendere debent, nosque excitare, vt eam sæpius pro defunctis iteremus.

Quid vtilitatis ex orat. Dominica Animæ Purgatorij percipiant.

46. Duodecimum, denique priuilegium ac stella in Corona Deiparæ est beatorum cælestis patriæ sincera lætitia, atque oblectatio. Vnde illi iure canere possimus vt olim Iudithæ: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri*. Hinc B. Cardin. Damian. ser. de Assumptione. *Hæc est*, inquit, *illa dies, quæ cælorum officinas subliniori gaudio cumulauit, annua mundo, Angelis continua, continuans homines cum Angelis, & Angelos hominibus felici fæderatione coniungens*. Hinc eadem Virgo à S. Gregorio Nysseno *Radix gaudij* appellata est, quia ex illa, nascente Dei Filio, qui totius orbis, vtpotè desideratus cunctis gentibus, fuit gaudium, sicut noua luce tam superna, quam inferna, sunt irradiata, nouamque perfectionem, ac venustatem adepta, ita & noua exultatione, ac lætitia sunt perfusa.

12. Priuilegium Beatorum in cælo oblectatio.

Quare D. Bernardus ser. 1. de Assumpt. gloriosissimam asserit Virginem in cælos assumptam copiosissima lętitia omnes cælorum incolas perfudisse:

Virgo hodie gloriosa cælos ascendens supernorum gaudia ciuium copiosis sine dubio comulauit augmentis. Hæc est enim cuius salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt.

B.V. cælos ascendẽs gaudia ciuium supernorum copiosis cumulauit augmentis.

Quod si paruuli necdum nati anima liquefacta est, vt Maria loquuta est; quid putamus, quænam illa fuerit cælestium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præsentia meruerunt? Sic ille. De visione hac Virginea, qua beati summa post Dei visionem lætitia perfunduntur præclarè Cæsarius lib. 7. cap. 1. *Sicut*, inquit, *in creaturis vniuersis, Matre Creatoris nihil est sanctius, nihil dignius, nil præcellentiùs, ita eius visione nulla sanctorum visio dignior, nulla iucundior, nulla eminentior*.

Visio B.V. quam sit iucunda?

47. Hæc Priuilegia Virgini à Deo ter optimo maximo peculiari ex amore tanquam dilectissimæ Matri concessa iure duodecim stellæ, quæ velut lucidissimæ ac preciosissimæ gemmæ Regium ipsius capitis exornant diadema, vocitantur. Quemadmodum enim stellæ non modo cæli pulcherrimum sunt decus, ac ornamentum, verùm etiam mortalium in densa huius sæculi nocte ac caligine versantium solamen, dum largissima sui splendoris cõmunicatione, tenebras irradiant, benignissimisque suis influxibus miros, eosque, vtplurimum, mortalibus saluberrimos, ad vitæ quoque humanæ sustentationem effectus producunt: ita singularissimæ illæ Virginis prærogatiuæ, & illam, vt animatum quoddam cęlum ad instar fulgentissimorum sydèrum decorant, venustant, totique orbi reddunt admirandam, ac venerãdam, nostræque menti cæcutienti lumẽ proferentes, ac præferentes, nos è Labyrinthi mundi huius anfractibus ac erroribus educunt, pietatis suæ ac misericordiæ occultis influxibus, virtutes, ceu aurum, argentum, gemmasque in secretis cordium velut terrę visceribus, progignunt.

Priuilegiorũ B.V. meditatio quam vtilis?

48. Quare consultissimum esse debet adolescentibus, qui in mundi huius Labyrintheis, atque intricatissimis versantur erroribus crudelissimo illi monstro in prædam atque escam expositis, in lucidissimam hanc Deiparæ Coronam, diebus singulis, priuilegia hęc attentius meditando oculos intendere, & ad numerum stellarum, eidem, magno pietatis affectu Angelicas Salutationes persoluere, quo ipsa suis illis, luce misericordiæ plenissimis oculis, nos dignetur respicere, suorumque syderum splendore vias mũdi huius tam difficiles, ac perpleas illuminare, ac dirigere pedes nostros in viam pacis, viã, inquã, illam, quæ de se dixit: *Ego sum via*,

12. Priuilegia B.V. totidem salutationibus Angelicis veneranda.

via. Pacis inquam illius, de qua Apostolus: *Ipse est, pax nostra, qui fecit vtraque vnum*. Respiciet sanè nos vultu suo benignissimo, ac lucidissimo Virgo pientissima, tenebrasque nostras illuminabit, pericula salutis aperiet, vt inoffenso pede ad beatam illam patriam perueniamus.

49. Vnde Salomon ipsius erga nos piæ solicitudinis propè conscius eam res nostras, & Labyrintheas hascè viarum ambages speculantem, ac prospectantem, magna solicitudine introducit. Prou. 8. *In summis excelsisque verticibus supra viam, & in medijs semitis stans, iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur: O viri ad vos clamito, & vox mea ad Filios hominum! Intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite*. Quæ verba Virgineæ charitatis piæque in nos benignitatis plena, librans P. Quirinus Salazar noster, scitè pronunciauit: *Virtutum omnium summos vertices, & cacumina tenet Virgo sanctissima, vt inde velut in viam, quam in hac vita nos homines agimus despectans nos deducat, ac regat. Verticem scilicet Virginitatis ascendit, vt Virginibus inde monstraret viam: culmen obedientiæ tenuit, vt obedientibus iter inde doceret: cacumen fidei subijt, vt semitam fidei nobis aperiret. Denique apices virtutum omnium Virgo hæc honestissima terit, vt earum dissimiles orbitas, eas ingredi volentes dedoceret*. Sublimem hunc situm Virginis humana speculantis, ac prospectantis ad nos in via vitæ huius dirigendos, ac iuuandos vidit S. Amadeus Hom. 7. de Laud. B.V. dum ait: *At illa residens in arce sublimissima virtutum, & pelago diuinorum affluens charismatum, abyssum gratiarum, qua cunctos excesserat credenti, & sitienti, populo largissima emanatione profundebat. Salutem namque corporibus, & animis medelam afferebat, potēs suscitare à morte corporis, & animæ. Quis vnquam ab ea æger vel tristis, aut ignarus cælestium mysteriorum abijt?* Sic Amad.

B.V. homines ad verticem omnium virtutum conscendendum inuitat.

B.V. in sublimissima virtutum arce residet.

50. Neque verò in summis excelsisque verticibus supra vias hascè mundi huius plusquam Labyrintheas, ad eas nobis multiplici suo, quo radiat sydere, quo vestita est sole illustrandas, habitat, verùm etiam, præoccupās eos, qui se concupiscunt, imò, & eos aliquando, qui nil minus, quam de illa cogitant in medijs semitis, biuijs, ac triuijs, quando scilicet, vt ait idem P. Salazar, plures in vnum concurrentes semitæ viatorem ancipitem reddunt, tunc Virgo vel maximè occurrere consueuit media, vt in optimam dirigat, inferatque. Vnde idem Pater sapiēter: *Satis*, inquit, *imprudenter, ne dicam temerariè, agit ille, qui statum seu rationem agendæ vitæ electurus, inter multas vitæ conditiones, quasi inter plures vias transuersas constitutus, non statim Mariam inuocat, & ab ea discit, quanam ingrediatur, cui se potissimùm committat. Nam quemadmodum veteres in triuijs Dianæ, seu Hecatis simulacrum erigere solebant, vt iter agentes regeret, atque illis vias denunciaret; ad eandem DEVS optimus maximus, in intellectualibus illis dissimilium vitæ rationum triuijs, Mariam statuit, vt cuique eam denunciet, ostendatque viam, quæ illum in patriam suam, cælum ipsum inferat*. Atque ideo huiusmodi hominibus, ac præsertim Adolescentibus in eligendo vitę statu dubijs inuocanda, totisque præcordijs exoranda est, vt monet Bernar. Hom. 2. super Missus. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non à corde; Ipsam sequens nō deuias, ipsam cogitans non erras, ipsa duce, non fatigaris, ipsa propitia peruenis.

B.V. in vitæ statu deligēdo vel maximè consulenda.

In triuiis veteres simulachrum Dianæ erigere solebant.

51. Oleaster de Ciuitatibus refugij deque vijs ad eas ducentibus remnarrat in ca. 35. Num. notatu dignam, quæ ad rem præsentem plurimùm confert. Vię in primis, quæ ad ipsas ducebant complanatæ erant, vt nullum esset obstaculum, quod homicidam in via impediret. En nobis illud quod dicebat supra Virgo beatissima: *Et currens non habebis offendiculum*. Addit insuper hæc: *In biuio aut triuio stipes erat erectus*, in quo scriptum erat *MiKlat*, vt fugientem dirigeret in eam viam, quæ ad refugij ducebat Ciuitatem. En nobis in biuio, & triuio, in viarum mundi huius plusquam Labyrintheis ambagibus stipes, siue Columna, Virgo beatissima tot insignita inscriptionibus, quot de ea leguntur miracula, quæ illa, in peccatoribus ad cælorum viam reducendis perpetrauit. En nobis in hac Virgine quoque Ciuitatem refugij, ad quam in omnibus periculis in summis vitæ capitisque discriminibus nobis confugiendum est. Olim in lege veteri pientissimus Dominus humanæ salutis cupidus, plures huiusmodi refugij ciuitates condi mandarat, in quibus facinorosi homines saluarentur. At verò in noua lege vnicam, in qua ipse, tanquam

B.V. Ciuitas refugij.

in vrbe Regia, nouem mensibus inhabitans, eius expertus fuerat delicias, nobis assignauit, vt in ea habitantes ab omnibus hostibus vitæque periculis tuti euaderemus. Vnde D. Ioan. Damasc. orat. de dormit. Deiparæ, eam sic loquentem introducit: *Ego Ciuitas refugij omnibus ad me confugientibus*. Et Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud. v. par. 3. *Peccator*, inquit, *debet ad Mariam confugere, quia ipsa est Ciuitas refugij*. Virgo igitur nostra sacratissima non solum est nobis Vrbs refugij, sed & tutissima dux, & columna, in viam salutis, absque vllis ambagibus nos dirigens.

Quare sapienter monet doctissimus ac Religiosissimus Aloysius Nouarinus in vmbra Virginea Excursu 81. *Qui in errores incurrit, ad Virginem decurrat, ne aberret*.

52. Ad Virgineam hanc tanquam ad columnam illam igneam viæ ad cælestem patriam ductricem confugerat B. noster Alosius Gonzaga, cum dubius in primæuo adolescentię flore fluctuaret, quodnam tandem vitæ Religiosæ consectaretur institutum.

B. Aloysius Gonzaga Duce B. V. Societatem nostram ingressus.

Cùm enim vice quadam præmissâ ad Virginem Deiparam oratione, animũ cælestibus epulis reficeret, rogaretque vt sibi certam, compendiosamque ad salutem capessendam viam demonstraret, audiuit sibi à Virgine clara voce edici: *Ingredere in Societatem IESV*.

Idem lumen à Virgine sibi porrectum expertus est Ioannes Nunnius.

Idem Pater Ledesma, vti fusius hæc omnia prosequitur Bourghesius noster, in sua societate Mariana.

53. Hanc ob causam B. Petrus Cardin. Damian. serm. de Epiph. sentit à stella illa Magorum expressam fuisse Deiparam. Vnde eam appellat nouam stellam, verum solem denunciantem, ac parientem, velut exiguum riuulum fontem aquæ salientis vitam æternam. Franciscus quoque Magronius subtilis Doctoris Discipulus serm. de Natiuit. B. V. eandem stellam Regiam, quæ nimirum tres illos Reges Orientis, ad Christum direxit, ne in via tam longinqua aberrarent vocitare non dubitauit; Quemadmodum enim stella illa lucidissima Reges ad agnitionẽ Christi, eiusque sanctissimæ fidei absque vllo errore rectum illis iter indicando, saluos incolumesque perduxit, eosdémque in suam patriam hilares reduxit:

B. V. noua stella quæ Magos duxit ad præsepiũ.

Sic Virginea hæc stella, ex Iacobi stirpe Regia oriunda. Num. 24. fidelissima, sua pietate ac charitate, velut copiosa luce nobis rectum iter ad emergendum, ex mundi huius periculosissimo Labyrintho, absque errore, ambagibusque demonstrat, vt tendere possimus ad Christum, eiusque nos obsequijs mancipando, ad beatissimam æternamque patriam felicissimè peruenire.

Vnde ipsius ea est vox beneuolentiæ plenissima, cui omnes Adolescentes in deligendo vitæ statu fluctuantes aures humillimè inclinare consultissimum est. Prou. 4. 10. *Audi Fili mi, & suscipe verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*.

54. Quod quam verè dicere potest Virgo beatissima, intelligere poterimus, ex Angeli Raphaelis Tobiam in peregrinatione sua deducentis, pia solicitudine. Si enim ille dicere valuit Seniori Tobiæ. *Ego sanum ducam, tibi, & reducam Filium tuum*. Tob. 5. quanto magis Angelorum omnium Regina, cui de mortalibus omnibus tam magna cura est, vt eorum actiones, ac negotia, mille oculis, ad instar mysticorum Ezechielis animalium, seu Cherubinorum inspiciat, & senis alis instructa ad instar Seraphinorum, ad opem operamque suam nobis quam citissimè nauandam aduolet, vt alibi fusius dictum est. Stella igitur Regia, ac pulcherrima est nobis Virgo nostra, difficillimi huius, ac Labyrinthei itineris vitæ huius directiua.

M. nobis est vicina, vt promptius nobis succurrat.

55. Quod nobis ex ipsius stellæ ad nos vicinitate declaratur. Stella enim hæc Magorum ductrix, nec in firmamento, nec in aliquo cælorum, sed solùm in aere apparuit, vt testatur Glossa in cap. 2. Matth. Talis nimirum est nobis quoque Virgo Deipara, est vicinior, nobisque propinquior ad succurrendum in nostris necessitatibus, sanctis omnibus, vt asseuerat Bernard. Vnde quod apud Hieremiam cap. 23. de se eius Filius pronunciauit, iure merito prædicari potest aliquomodo de Virgine: *DEVS è vicinio ego sum*. Et illud Dauidicum Ps. *Prope est omnibus inuocantibus eam, in veritate*.

56. Atque vt hanc Deiparę ad nos vicinitatem melius intelligamus, sciendum,

dum, variam apud Legistas vicinitaté reperiri. Vicini enim aliqui dicuntur, quod tantum ad centum milliaria, vel ad duas dietas legales à se inuicem non distant. Atque ex his vicinis tam longè à se dissitis Virgo nostra benignissima minimè censenda est, nimia enim hæc, & locorum, & temporum ad opitulandum præsentissimis nostris, in horas, momentaque penè singula occurrentibus miserijs, ac necessitatibus sunt interualla. Verùm hæc Virgo optima, inter illos vicinos, iuxta eorundem Legistarum definitionem numeranda est, qui vocem clamantis audire possunt.

B.V. ita nobis vicina est, vt nostrã vocem audire possit.

Ipsa enim, mox vt ad illam non dicam clamamus, sed vel oculum attollimus, vel suspirium, affectu pio ad illam dirigimus, adest illicò. Quàm præclarè de illa pronunciauit Salomon Sap.6. qui de luce vigilauerit ad illam non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inueniet. Addit Richar. à S.Laur. hiscè verbis lib.2. de Laud. Virg. venustam, piamque paraphrasin: *Inueniet semper paratam auxiliari, inueniet pulsantem vt intret. Vnde dicit cum Filio: Ego sto ad ostium, liberi scilicet arbitrij. Fores animæ, per quas intrat Mariæ gratia, sunt timor, & amor Matris, & Filij. Hiscé foribus assidet Mariæ pietas, vt solis radius ad fenestrã clausam, quæ, mox vt aperitur, statim radius subintrat totamque domum illuminat. Assidet etiam tanquam Ianitor & Custos, ne Diabolus, aut peccatum subintret portas nostras ad deprædandum, & iugulandum*. Sic ille.

Mariç promptitudo in opitulando hominibus.

Idem eiusdem libr. Part.2. vicinitatem hanc Deiparæ pulchrè expressit: *Maria*, inquiens, *velocior est ceteris sanctis omnibus, miseris subueniendo vt dicere de ijs videatur cum Filio Isa. 65. Antequam clament ad me, exaudiam eos.*

57. Est item Virgo nostra ex his vicinis iuxta eorundem Legistarum doctrinam, qui sunt in eodem territorio. Licet enim Deipara cum anima, & corpore in cælum, auolarit, adest tamen nobis, sua intercessione assiduisque patrocinijs; & circumit velut animatum cælum, vt loquitur Leo Imperator Hom.5. terram hanc vt pluuijs suæ gratiæ eandem irroret ac fœcundet.

Est nobis B. V. vicina tanquam in eodem nobiscũ territorio.

Vnde mellifluus Bernard. serm. 1. de Assumpt. postquã dixisset cæli ciues aduẽtu Mariæ exhilaratos, addidit: *Mariç prçsẽtia totus illustratur orbis*. Verum quidem est omnes sanctos esse charitatis affectu vicinos, sed alij, alijs regionibus ac Prouincijs vicinores, vnde, & talium Prouinciarum seu Ciuitatum patroni perhibentur. At verò Virgo Deipara, quæ commune omnium bonum mundo peperit, omnium atque adeo totius mundi Patrona est, & Aduocata. Vnde Sapientissimus Idiota in Prol. Contempl. B.V. *Ipsa est*, inquit, *thesauraria gratiarum. Cæteri sancti iure quodammodo patrocinij, pro quibusdam sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in Curia cęlesti, quàm pro alienis. Beatissima vero Virgo Maria sicut est omnium Regina, sic etiam est omnium Aduocata, & Patrona, & cura illi est de omnibus.*

M. Thesauraria gratiarũ.

B.V. præ cæteris sanctis in omnibus nobis subuenit necessitatibus.

58. Est denique Virgo nostra ex his vicinis, qui dicuntur à Legistis ff. Communi L. Simeo; alicuius rei consortes. Ipsa enim est nostræ fragilis, imbecillisque naturæ consors, ac particeps. Hoc argumento vsus ad implorandum eius patrocinium B. Card. Petrus Dam. serm. 1. de Natiu.

B.V. nobis vicina, qui humanæ Naturæ est consors.

O benedicta, & super benedicta reuertere ad nos per naturam. Nunquid quia ita deificata, ideo nostrę humanitatis oblita es? Nequaquam Domina; scis in quo discrimine nos reliqueris, vbi iaceant, quantum delinquant serui tui; non enim conuenit tantę misericordię tantam miseriam obliuisci, quia etsi subtrahit gloria, reuocat natura; non enim ita memoraris iustitię Dei solius, vt misericordiam non habeas, neque ita es impassibilis, vt sis incompassibilis. Naturam nostram habes, non aliam, & iustam est, vt de rore tantę pietatis diffusius infundamur. Cùm igitur Sanctissima Deipara consortio naturæ nostræ nobis vicina sit, ac intima; *Et vicinus* secundùm Bartholum *pręsumatur scire facta sui vicini*, nouerit sine dubio *miserias ac calamitates nostras*, nouerit animi nostri fluctuationes, nouerit tentationes quibus à Tartareis hostibus assiduè impugnamur, nouerit assiduam inter carnem, & Spiritum, discriminis plenissimam luctam. Hæc enim omnia contemplatur clarissimè in amplissimo illo immensoque Diuinitatis speculo, ac proinde fieri nequit, vt hæc omnia, aliaque facta nostra videat, & pro materna illa sua in nos cura, ac prouidentia non prouideat.

B V. omnia nostra videt in Diuinitatis speculo, vt nobis tãquam pia Mater prouideat.

Didicit enim ex ijs, quæ in natura nostra, & ipsa passa est, compassionem. Quæ omnia piè ad modum expressit S. Amadeus Hom.8. *Astat*, inquiens, *Bea-*

tissima singulari merito præcipua vultui Conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis. Illo enim edocta lumine, cui nuda, & aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostrique clemens, & dulcis Domina materno affectu miseretur.

59. Quare cum Virgo beatissima nobis in Labyrintho mundi huius periculosissimo, velut stella Regia, imo Corona stellata luce benignissima affulgescat, errores viarum detegat, gressus nostros ductu suo materno securiùs quàm Ariadneo filo dirigat, in illam, Coronâ hac stellarum fulgentissima redimitam, assiduè, ad extremum vsque finem vitæ nostræ defigamus obtutum. Sic n. futurũ est, vt in tantis viæ, & vitæ huius periculis, hac eius gloriosissimâ Coronâ protegamur, & tandem ad immarcescibilem illam gloriç Coronam, beatitudinemque omni fine carentem, incredibili perfusi gaudio, perueniamus. Audiamus hic consilium sapientissimum Sapientiç Principis Prou. 4:8. *Arripe illam, & exaltabit te; glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & Corona inclyta proteget.* Quod sanè consilium simillimum est illi quod cap. 1. v. 8. 9. continetur, datumque videtur omnibus eius clientulis, ac Filijs, qui in Parthenijs Sodalicijs certis legibus, ad mores pietatis normam componendos adstrictis ipsi deseruire consueuerunt, & est hæc: *Audi Fili, & ne dimittas legem Matris tuæ. Vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*: seu vt legerunt 70. Interpp. *Coronam enim gratiarum suscipies tuo vertici.* Vbi alludere videtur ad Pandoram, quam Charites reliquorum Deorum virtutibus ceu floribus, vt ait Hesiodus, seu stellis potius, quæ magis diuinitatem quandam exprimunt, exornarunt, vt Venus, formâ; Mercurius, eloquentiâ; Mars, fortitudine; Apollo seu Sol, musicâ, ac splendore; Pallas denique sapientia.

Ad Mariam iugiter mentis oculus dirigendus.

B. V. suos clientulos Corona gratiarum redimire solet, eosque Pandoros efficit.

Pandora à Charitibus varijs Deorũ virtutibus coronata.

60. Quę sanè Pandora donis Deorum omnium referta, ac composita, Deiparæ Virginis, plenitudine cælestium gratiarum cumulatissimæ viuam spirantemque effigiem repręsentauit; vt potè quæ tàm Angelorum omnium, quam hominum Sanctissimorum, virtutum prærogatiuis, ac priuilegijs ceu pulcherrimis stellis, conspirantibus ad eam exornandum Gratijs, fuerit coronata. Hac igitur eadem Corona pollicetur Spiritus S. omnes eius clientes ac Filios, qui Sodalitiorum leges solerter obseruant, coronandos, futurosque Pandores, & velut galeâ, aduersus hostium Tartareorum sæuissimos impetus Coronâ illa inclyta, præsertim in articulo ipso mortis, discriminis plenissimo, summo eorum gaudio protegendos. Tunc enim Virgo hæc Regali de stirpe oriunda ostendet se verè esse stellam Regiam, quam videntes Magi gauisi sunt gaudio magno valdè.

B.V. Pandora ob multitudinem gratiarum.

Sodales Parthinij Pandori.

Ipsa enim adueniente, cum sit, teste Damasceno orat. 2. de dormit. Deip. *inexhaustum gaudij pelagus, & vnica mœroris oblectatio*; & teste Chrysippo Herosol. ser. de B. V. *vniuersæ lætitiæ Thesaurus*; sine dubio, pleno hoc suorum thesauro gaudiorum, incredibili cælestique lętitiâ perfundet vniuersos, qui se eius fidelissimo patrocinio commiserunt. Quod nobis attestatur Bernardinus Bustius 4. Par. Mar. serm. vltimo. *Quando*, inquiens, *in morte sibi deuotorum apparet B. V. quam tantis desiderijs in vita videre anhelabant, incredibili eos exultatione perfundens, facit gaudere gaudio magno valdè, tota nimirum anima, toto corde, tota mente, totisque, & corporalibus, & spiritualibus suis visceribus.* Hoc gaudio in articulo mortis perfundentur omnes hi, qui in vita peculiaribus pietatis obsequijs sibi Virginem conciliarunt, simulque digni habebuntur, quibus ipsa morientibus cum Filio ac Sanctis omnibus assistat, eorumdemque animas, omni labe puras Christo Dominum in cęlis repræsentet.

In articulo Mortis B. V. suos clientulos mira perfundere solet lętitia.

B. V. morientibus est inexhaustum gaudij pelagus, vnica mœroris obliteratio, & vniuersæ lætitiæ Thesaurus.

M. sibi deuotis apparet in morte & facit gaudere gaudio magno valdè.

Quod præstitisse memoratur cuidam Religiosæ Monasterij S. Metildis, vt ipsa libr. 5. Spirit. Gratiæ capit. 5. meminit. Cum enim hæc grauiter decumberet, Christumque Dominum piè inuocaret, vidit ipsum ad se venientem, rubentesque suas plagas demonstrantem, quas illa versu hoc nunquam hactenus audito salutabat: *O' Salutifera vulnera dulcissimi mei IESV Christi Saluete, Saluete, Saluete, in omnipotentia Patris, qui vos dedit: in Sapientia Filij, qui in vobis sustinuit; in benignitate Spiritus S. qui in vobis Opus nostræ redemptionis perfecit.* Cum vero paulo post eadem infirma Sanctimonialis extremam vnctionem esset acceptu-

Pia Vulnerũ Christi Salutatio.

ptura, vidit duos Angelos catinum deportantes plenum aqua, quæ misericordiam, & veritatem, quibus anima ab omnibus maculis abluenda erat, denotabat, iuxta Psalmistam: *Misericordia, & Veritas pręcedent faciem tuam*. Vidit inde Christum se ad lectulum infirmæ applicantem eo loco quo solet Sacerdos considere; Deipara vero ad caput lectuli consedit.

Dum Sacerdos Litanias recitabat, Christus Dominus ter infirmam Cruce signauit, dicendo: *Ego te benedico in Sanctificationem, & sanitatem animę, & corporis*. Dum nominaretur Virgo Maria, ipsa infirmam subleauauit, & conuersa ad Filium dixit:

Christus moribundę Sanctimoniali cum Matre ad lectulum assistit.

Ecce Fili ego tibi hanc Sponsam consigno, vt tecum semper in tuis amplexibus commoretur. Cum etiam in Litanijs reliqui Sancti nominabantur, singuli flexis genibus pro ea Dominum deprecabantur. Tandem oratione peracta, Filius suæ Matri ita fatus est:

Ecce hanc meam Sponsam tibi commendo, quam sic immaculatam ante meum conspectum presentabis in cælis. Ex qua relatione discimus proprium officium Deiparæ esse sibi deuotos qui eam aliquibus obsequijs sibi demeriti sunt, in æterna beatitudine Diuinis conspectibus præsentare, quam ob causam, vt alibi diximus, Princeps facierum vocitata est. Ad has etiam facies Diuinissimas contemplandas defunctos qui hærent in Purgatorio maximè ducit, Missarum deuota celebratio, & larga eleemosynarum distributio, cum oratione de puro corde profecta. Quod intellexit eadem B. Metildis, quæ vti ipsa scribit libr. quinto Spirit. Gratiæ capit. tertio cum pro Comite Bernardo sui Monasterij Fundatore defuncto oraret, eius anima se illi visendam exhibuit, grisea quadam veste induta, & duobus Angelis circumdata. Quam vbi hoc schemate conspexit, quæsiuit:

Christus Sanctimonialem Matri suæ commendat vt sibi in cælo præsentat.

Missa, eleemosynæ, & orationes maximè prosunt defunctis.

Cur griseam vestem induerit? Respondit ille: cum ad extremum vitæ meæ peruenissem, & Eucharistiam suscepissem, absoluta voluntate proposui, si mihi vita superstes fuerit, me militem Christi euasurum.

Quæsiuit vlterius Metildis: Quidnam potissimum à pœnis Purgatorij ipsum expediuisset? Subintulit: Missarum celebratio, liberalis eleemosynarum dispensatio, & pura oratio de corde omni peccato libero ad DEVM fusa. Inquisiuit denique quinam essent Iuuenes illi, qui ipsum comitabantur? Respondit, alterum esse Custodem Angelum, cui dum in mundo viueret erat comissus:

Alterum vero esse item Angelum ex illo Choro, ad quem introducendus sum.

61. Sed rursus ad Deiparam clientulorum suorum in articulo mortis fautricem reuertamur, & videamus in particulari, quam modicis obsequijs hic dum viuimus nobis eam demereri possimus.

Libet hic reuelationem quandam ab ipsa factam eidem huic Sanctæ Ducissæ Metildi, breuiter commemorare. Apparuit illi aliquando, vti sæpius consueuerat, Deipara, eamque docuit ter Salutationem Angelicam cum sequentibus oratiunculis recitare, quas si illa in dies singulos persoluisset, pollicebatur, se illi in articulo mortis benignè adfuturam. Post primam igitur Salutationem Angelicam suadebat, vt oratiunculam hanc piè iteraret:

Metildem Diuissam docet B.V. quanam ratione eam habere possit in morte propitiam.

O' Domina mea Sancta Maria, sicut DEVS Pater per omnipotentiam suam, te potentissimam effecit; ita quæso mihi adsis in hora mortis, expellendo à me omnem contrariam potestatem. Post secundam salutationem, hæc subdi optabat:

O' Domina mea Sancta Maria, sicut Filius Dei tanta te cognitione, & claritate dignatus est, vt totum cælum illumines; ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corrobores, vt nullo errore aut ignorantia peruertatur.

Piæ orationes à B V. præscripto ad obtinendam fælicem mortem.

Post tertiam denique hæc subnecti cupiebat. *O' Domina mea Sancta Maria, sicut Spiritus Sanctus suum amorem tibi plenè infudit; ita tu in morte dulcedinem amoris Diuini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suauissima*.

O' admirabilem Deiparæ nostræ facilitatem, suauitemque, quæ auxilium, patrociniumque suum fidelissimum in negotio tanti momenti, à quo dependet æternitas, pro tam exiguo sibi exhibito obsequio polliceri benignissimè non dedignatur.

Quæ cùm ita se habeant, O' Virgo Sanctissima, ò pulcherrima Virginitatis ac Sanctitatis absolutissimæ splendidissima Corona, rogo te, & ob-

Oratio ad B. V. pro felici morte.

obsecro per viscera pietatis tuæ, per dulcissimum Filium tuum, affulgesce menti meæ in hoc mundi periculosissimo Labyrintho, & inenarrabili, charitate illa tua condescendens, vt tuus loquitur Amadeus Homel. septima illos misericordissimos oculos, quibus cælum illustratur ad me conuerte. detectisque eius viarum erroribus, filo maternæ prouidentiæ pietatisque tuæ gressus meos præsertim in mortis tremendo illo instanti rege, ac dirige, vt Monstri illius Tartarei euadens hitantem rictum, immarciscibilis illius tuæ gloriæ Coronæ, radiantibus stellis ceu gemmis resplendentis, particeps esse possim. Amen.





DISCVRSVS XVI.

Quod B.V. Deipara Lyram Orphei inter sydera relatam repræsentet.

1. Notissimum est in Græcorum fabulis, Orphei Lyram incredibili virtute non modo in concinandis, & quamlibet in partem inclinandis hominum animis, verum etiam feris, ac belluis perdomandis, saxis, arboribus, syluisque ad se pertrahendis, ac demum in Dite stygio, nigris manibus, totoque placando Tartaro præditam fuisse; Hanc tandem ferunt ab Apolline, Musisque inter sydera relatam, denique omninò stellis exornatam, quod eorum laudes bellè sæpius fuisset modulata, vt inter cæteros scribit Natal. Comes lib. 7. cap. 14. De Lyra hac Manilius libro 1. Astrono. cap. 4. ita cecinit:

Et Lyra deductis per cœlum cornibus inter
Sydera conspicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cãtu, manesq; per ipsos
Fecit iter, domuitque Internas carmine leges.
Huic cœlestis bonos similisque potẽtia causæ
Tunc syluas, & saxa trahens, nunc sydera ducit,
Et rapit immẽsum mundi reuolubilis orbem.

Idem de illa eadem Lyra libr. 5.

Hac surgente Lyra testudinis enatat vndis
Forma per hæredem tantum prolata Tonantis,
Qua quondam sonitumque ferens Oeagrius Orpheus
Et sensum scopulis, & syluis addidit aures,
Et Diti lacrymas, & morti denique finem.

2. Orpheum hunc vmbram quandam Incarnati Verbi fuisse asserere nõ dubitauit Clemens Alexand. Exhort. ad Gent. initio: *Orpheus*, inquiens, *cantu feras reddebat mansuetas; hæc est fabula Græca. Solus meus cantor, id est, Christus, difficillimas feras, homines mansuefecit, feras & lapides ipse cœlestis cantus, in homines trãsformat. Homines enim scelerati, & à Christo alieni ferarum speciem referunt. Volucres, idest, qui ex seipsis sunt leues; serpentes verò deceptores; & Leones hi, qui sunt ad iram cõcitati; sues voluptatibus dediti; Lupi, qui sunt rapaces; Lapides etiam, & ligna ad se traxit, id est, qui lapides, & ligna adorabant, & qui instar lapidum insipientes, iuxta illud Matth. 13. Potens est DEVS de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, & ex Gentilibus, qui latapid bus crediderunt. Has ergo omnes immanissimas feras, & tales lapides ipse cœlesti cãtu in mansuetos homines transformauit. Vide quantùm potuerit nouum canticum, homines fecit ex lapidibus, & homines fecit ex feris.* Sic ille.

Christus verus Orpheus duros peccatores ad se trahens.

Peccatores varias belluarum formas repræsentant.

3. Idem sensit S. Amadeus Lausan. Episcop. Hom. 4. de laudib. B.V. *Factus est*, inquiens, *Dei Filius hominis Filius, vt in vnitate personæ DEVS esset, & homo. DEVS ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia Matris in seculo natus. Exultauit itaque Gigas geminę substantię modulatisque vocibus, tinnulisque chordis suauissimis in cythara corporis decantare, & in carnis Organo, virtute Spiritus sancti compacto dulcissimos sonos edere, & ineffabili concordia resonare cœpit, adeo vt lapides suscitaret, ligna commoueret, feras traheret, homines abstractos à carne educeret in sublime. Nam mirificæ cantilenę suauitate suscitauit filios Abrahæ, & ligna syl uarum, i. gẽtilium ad fidem commouit. Feras quoq; id est, feros motus, & incultam Barbariem moraliter composuit, & homines ab hominibus edoctos in numerum Deorum instituit.* Hæc ille.

4. Quibus ex verbis Lyram hanc Orphei, iure asserere possumus suauissimam simul, ac potentissimam esse Saluatoris dicendi vim ac facultatem, qua admirãdâ prorsus metamorphosi, bel-

Lyra Orphei est Christi admirabilis dicendi vis.

belluinos efferatosque homines, ac barbaros, truncis verè, & duro robore natos, in Dei filios transformauit.

Cuius enim Lyræ dulcior suauiorque cantus exaudiri vnquam potuit, quam Incarnati Verbi, ipsius Dei Filij, qui amore in homines accensus ardentissimo dicebat: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua*. Quo mellifluo sanè cantu miserum illum, qui ob peccata, belluæ cuiuspiam formam induerat, in hominem ratione præditum, in Dei filium transmutauit. Vnde ipsius etiam capitalissimi hostes Iudæi eius cælestem demirati dicendi facultatem fateri compulsi sunt: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*. Ioann. 7. Nec enim sic locutus est ab orbis principio Moyses, non Dauid, non Salomon, non Isaias, &c. Hi enim erant puri homines, hic autem Verbum, atque ipsius æterni Patris sapientia. Vnde S. Augu. 4. Tractat. 23. in Ioan. *Non quisquam sic loquitur homo, ille autem sic locutus est, quia DEVS erat, & homo*. Verbum enim erat penetrabilius omni gladio ancipiti perimens belluinam naturam ac mores, in hominibus quadrupedum more viuentibus. Verbum erat omnipotens, in cuius labijs diffusa erat gratia, ad domines, in quamlibet partem permouendas.

Nunquam ab orbis principio ita locutus est homo vti Christus, quia fuit DEVS & homo.

5. Erat nimirum Hercule illo Gallicano potentior, qui aureis in aures hominum insertis catenis trahebat, quo volebat auditores. His catenis ligauit satellites ad eum compræhendendum missos, quos potiùs ipse compræhendit.

6. Iure sponsa in Cant. 5. *Guttur eius prædicat suauissimum*, imò dulcedinem ipsam, quia suauissima edebat eloquia. Vnde Theodor. in Cantic. *Quid diuinis eloquijs dulcius? Vnde Dauid Psalm. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel, & fauum ori meo. Itaque & ministri Principum Sacerdotum, qui ad Dominum missi fuerant desiderio dulcedinis sermonum eius deliniti, & capti ad eos, qui se miserant: Nunquam sic, aiunt, locutus est homo, sicut hic homo. Alij clamabant: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti: Quare benedicitur: Guttur eius dulcedo. Totus denique desiderabilis, seu desiderium.*

Christi guttur & loquela suauissima.

Mira Christi Domini suauitas.

Dubitans enim sponsa, quibus eum laudibus cumularet, vno se verbo expedit, cunctaque complectitur: Quid, inquiens, in singulis eius pulchritudinis partibus explicandis immoror? Totus est desiderium, omnes ad amandum se trahit, ad diligendum impellit, non intuentes solùm, sed & audientes etiam allicit, suique desiderio accendit.

7. Hinc eadem sponsa labiorum Christi pulchritudinem, qua ad sui amorem omnium corda pertrahebat, licet minùs grata sensui prædicaret, commendauit Cant. 5. *Labia eius lilia distillantia myrrham primam*. Quæ verba expendens Theodor. *Lilijs similia videntur eius labra, quia per se splendent Diuini sermones, licet humani ornamenti nihil habeant. Non enim nent, neque texunt lilia, sed Pater cælestis vestit ea. Quoniam igitur omni humana sapientia Diuini sermones sunt nudi, sed Diuinam solùm obtinent pulchritudinem, merito dicit labia eius distillantia myrrham primam. Docet enim in præsenti vita mortificationem. Quid enim est aliud? Qui non relinquit Patrem, & Matrem, & vxorem, non est me dignus; quid est? Qui non accipit crucem, & sequitur me, non est me dignus. Quid est? Si vis perfectus esse, vade vende omnia. Quid inquam sunt hæc aliud, quam myrrha quam mortificatio?* Sic fere Theod.

Labia Christi velut lilia.

Labia Christi distillant myrrham, quia docent mortificatione.

Quare merito dicimus. Nullus planè mortalis eloquentiam Incarnati Verbi loquendi suauitati potuisse comparari. Non Nestoris illius cuius ex ore melle dulcior manabat oratio: Non Xenophontis, cuius voce Musas quasi locutas ferunt; non Theophrasti, qui à loquendi diuinitate nomen inuenit: Non Periclis, qui tonare ac fulgurare, permiscere totam Græciam dictus est, non denique Tullij, aut Demosthenis, quem mirabantur Athenæ.

Nullius hominis eloquentia cum Christi comparanda.

Orantem, & pleni moderantem frena theatri.

8. Hac eius permoti dicendi vi, ait S. Lucas cap. 19. *Omnis populus manicabat, idest, mane ibat ad eum in Templum audire eũ.* Et Luc. 19. *Omnis populus suspensus erat audiens illum*. Denique Luc. 4. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*. Quis neget igitur suauissimam dulcissimamque Christi eloquentiam pulcherrimam quandam mellifluamque fuisse Lyram, Orphei illius longè præstatiorem, dignissimamque, quæ illustrissimis decorata syderibus in cælos transferetur?

9 Verùm in hac Orphei Lyra liceat mihi dicere non tantùm Saluatoris ipsius Dei Filij potentissimam dicendi vim aliquo modo fuisse adumbratam, verùm etiam ipsam eius purissimam Genitricem, quæ sicut in tertia

Filia

filia Iobi, ſecundum D. Gregorium libr. 35. Moral. cap. 13. à cornu tibiæ dicta, ob cæleſtem ipſi diuinitus inſitam lætitiam, fuit præfigurata, ita & in hac Orphei ſtellanti Lyra. Si enim ſanctiſſima Chriſti Humanitas, quæ caro erat Mariæ, vt loquitur S. Auguſtinus. à D. Bernardo Cythara appellata eſt Trac. de Paſſione capite 8. *Cythara*, inquiens, *tibi factus eſt ſponſus, Cruce habente formam ligni, corpore autem ſuo vicem ſupplente chordarum per ligni planiciem extenſarum. Obſerua diligenter 7. chordas habet cythara, cantat tibi, ludit tibi, te ad audiendum inuitat;* dicere ſanè poterimus etiam Virginem ſacratiſſimam eius Matrem, cuius velut pars vel idem potius cum illa, vtpotè Filius, extitit, cytharam quandam Lyramque eſſe ſuauiſſimam. Hinc Rich. à S. Laur. lib. 10. de Laudib. Virginis, eam Inſtrumentum Muſicum appellauit: *Comparatur*, inquiens, *Maria vaſis craterarum, & vaſis muſicorum ſuſpenſis è paxillo, ſcilicet Chriſto Iſa. 22. Tum quia velut Crater ſuos amatores cæleſtis potus abundantia, & deuotione inebriat, quibus dicit: Bibite, & inebriamini chariſſimi. Tum quia velut vas muſicorum ſanctam eis delectationem infundit. Vas hoc ſuſpenſum hæret è paxillo, quia ab omni terrenitate eleuata, adhæret Chriſto, cuius dilectio eam ſurſum attollebat.* Hinc S. Auguſt. ſerm. 3. de Temp. cytharam ait repræſentare carnem Chriſti. *Adhuc cytharam reſpice, vt muſicum melos ſonis dulcibus reddat, tria pariter adeſſe videntur, ars, manus, & chorda, & tamen vnus ſonus auditur, ars dictat, manus tangit, reſonat chorda. Tria pariter operantur, ſed ſola chorda perſonat, quod audiatur; nec ars, nec manus ſonum reddunt, ſed ea cũ chorda pariter operantur: Sic nec Pater, nec Spiritus S. ſuſceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur, ſonum ſola chorda excutit, carnem ſolus Chriſtus accipit, operatio in tribus conſtat. Sed quoniam ad ſolam pertinet chordam ſoni redditio, ſic pertinet ad ſolum Chriſtum carnis humanæ ſuſceptio.*

B.V. Lyra Orphei cur dici poſſit.

Caro Chriſti Cithara quędam eſt.

B.V. inſtrumentum Muſicum.

Caro Chriſti eſt Cithara.

10. Idem in Pſalm. 36. ponderans illa verba: *Exurge Pſalterium, & cythara. In Pſalterio, ait chordæ deſuper ſonum accipiunt, in cythara autem ex inferiore parte: ſic per carnem ſuam duo genera factorum operatus eſt, miracula, & paſſiones. Miracula deſuper fuerunt, paſſiones de inferiori fuerunt. Illa enim, quæ fecit miracula, diuina fuerunt, ſed per corpus fecit, per carnem fecit. Caro ergo diuina operans Pſalterium eſt: caro humana patiens cithara eſt. Sonet Pſalterium, illuminentur cæci, audiant ſurdi, ſtringantur Paralytici, ambulent claudi, ſurgant ægroti, reſurgant mortui; iſte eſt ſonus Pſalterij. Sonet, & cithara, eſuriat, ſitiat, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, ſepeliatur.* Hinc Angelomus Dęmonium quod vexabat ſaulem, ait, cytharâ Dauidis, ideſt, virtute Crucifixi IESV expulſum. Non enim, inquit, illius tanta virtus erat, ſed myſterium Crucis Chriſti per lignum extenſione neruorum, myſticè gerebatur, in qua etiam paſſio cantabatur. Sic ille. Ex quibus facile intelligimus Humanitatem Carnemque Chriſti Pſalterium, Cytharam, Lyramque quandam eſſe. Cum igitur caro Chriſti fuerit vti diximus caro Mariæ, merito eamdem quoque Citharam, Lyramque appellare poterimus.

Humanitas Chriſti Pſalterium, & Cithara quo modo dicatur.

11. Quod minimè ſanè mirum nobis videri debebit, ſi Viros quoſque ſpirituales Diuinique verbi præcones cytharas in ſacris literis vocari intellexerimus. Hinc Sanctiſſimi illi Seniores, qui vniuerſam Eccleſiam, & præcipua eius membra repræſentantes, ſtabant ante Thronum Agni, Deiparam denotantem, habuiſſe feruntur Apoc. 5. citharas in manibus, quæ non ſolum eorum bona opera, vt aſſeuerat Richar. de S. Victor. quibus quaſi quibuſdam ſonis proximos ad rerum diuinarum contemplationem excitant, & inuitant, non ſolum mortificationem carnis vt volunt Beda, Primaſius, Rupertus, Anſbertus, Hugo Cardin. non ſolùm diuinas laudes, ex prædicatione ac mortificatione reſultantes, verum etiam ipſorum animas, vt vult Pannonius, deſignabat, quæ velut quædam videntur cytharæ, ac lyræ, dum ex puritate morum, & virtutum inter ſe concinentium coniunctione reſultãtem ſpiritualem quandam reddunt harmoniam, Deo, proximiſque gratiſſimam. Hinc Iſaias cor, viſceraque ſua Moab calamitate conturbata, imò & ſeipſum cytharæ comparauit: *Venter meus*, inquiens, *ad Moab quaſi cythara ſonabit.* Quaſi diceret cor viſceraque mea mihi neſcio quid funereum ad inſtar citharæ funebris reſonãt, ita vt iam exequias exſoluere tumulatæ illius Regionis videantur. Quæ comparatio nemini mira videbitur, ſi legerit Galenum lib. 3. de Symptomatum cauſis, qui ait viſcerum rugitum, cum vacua ſunt, ſimilem eſſe tubæ, quæ mortuos in funere comita-

S. Citharis comparãtur.

Citharæ bona opera, & mortificationem carnis ſignificant.

mitatur. Porrò, inquit, *sunt alij viscerum rugitus bombosi, bombis lætissimarum tibiarum non absimiles, quales habere solent hi, qui tymbaulæ, id est siticines nominantur.*

Isaias igitur cor visceraque sua atque adeo seipsum commiseratione venturæ calamitatis illius infelicis populi cytharæ ob virtutum veluti chordarum suauem quendam concentum contulit. Vnde S. Hier. in illum locum: *Quomodo cythara non emittit sonum compositum, si vel vna chorda rupta fuerit, sic spiritualis venter Prophetæ, si vna in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce sonare.*

12. Eandem ob causam idem Propheta cap. 22. diuini verbi præcones vasa, seu instrumenta Musicorum appellauit: *Figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domui Patris sui, & suspendent super eum omnem gloriam domus Patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum à vase craterarum, vsque ad omne vas musicorum.* Quem locum idem D. Hieron. exponit de Christo quem Eliacin Sacerdos figurabat. *Paxillus enim seu clauus in loco fideli, est Christus in conuentu fidelium. Vnde, & credentes in Christum,* inquit Hieron. *fideles appellantur.*

Concionatores Instrumenta Musica appellati.

Paxillus iste erit in solium gloriæ domus Patris sui, hoc est Ecclesiæ. de hoc paxillo suspenditur omnis gloria domus Patris eius, quia vt ait Luc. 19. Omnis populus pendebat ex eo.

Quod quidem non illo tantùm tempore factum est, sed vsque hodie impletur, vt pendeant ex eo quasi vasa diuersa Dei, Sapientia, iustitia, & omnia, quibus Christus appellatur.

Symmachus vertit nepotes, atque mixtos, vt & Apostoli, & omnes credentes filij filiorum commixti de vniuersis gẽtibus pendeant super eum. Vasa craterarum vertit Theodotion; agganothi, parui enim, & magni in Dominum credituri sunt. Crateras hos puto esse Apostolos plenos vitalibus aquis, in quibus crateris Sapientia miscuit vinum suum. Vasa denique musicorum sunt ij, qui omni tempore in Dei laudes personant. Sic ferè Hieron.

13. Hinc Apoc. 14. Virgines canticum illud nouum modulantes, & cytharis, & citharaedis conferuntur: *Et vocem quam audiui sicut citharaedorum citharizantium in citharis suis.* Ad has laudes portabatur illas sapiens Eccli. 39. *Obandite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuulos aquarum fructificate, quasi Libanus odorem suauitatis habete, flore te flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis, date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & citharis.* Quibus aliqui purissima Virginum corpora per mortificationem extenuata, chordis variarum virtutum concinnata intelligunt, lucem præferente D. Gregor. libr. 20. Moral. cap. 31. qui dum illud Iob. 31. interpretaretur: *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium,* sic ait: *Quia organum per fistulas; cithara per chordas sonat; potest per citharam recta operatio, per organum verò sancta prædicatio designari. Per fistulas quippe organi, ora prædicantium; per chordas verò citharæ intentionem rectè viuentium non inconuenienter accipimus, quæ dum ad patriam per afflictionem carnis tenditur, quasi extenuata chorda in cithara per intuentium admirationem sonat. Siccatur etenim chorda, vt congruum in cithara cantum reddat, quia sancti castigant corpus suum, & seruituti subijciunt.* Sonum porro harmonicum huius citharæ ait S. Hieronymus esse illud quod canebat Dauid:

Citharæ Virginum corpora per mortificationem extenuata significant.

Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius.

14. Hinc Pierius Valer. libr. 47. cap. 2. ait per lyram hominem compositi iudicij olim significatum.

Diogenes cur Musicos reprehenderit?

Quare Diogenem Cynicum carpere solitum fuisse musicos asserit, qui cum Lyræ chordas congruenter temperarent, animi tamen mores inconcinnos haberent. Isidorus quoque Cynicus Neronem nimirùm quantum citharizandi studio vsque ad insaniam pene deditum, cum in thesauris musicâ non sine maiestatis Imperatoriæ dedecore atque ignominiâ decertasset, transeuntem in publicum clara voce corripuit, quod Nauplij mala benè ad lyram cantitaret, sua bona malè disponeret, neque vllum in vitæ tenore temperamentum adhiberet. Quapropter Plato in Timeo, Aristonemus, & Dicæarchus, Animam sine dubio in suis affectibus bene concinnatam, vti à suo fuerat condita creatore, Concentum, Concordiam atque Harmonicam vocitare non dubitarunt. Hinc Aristophones hominem citharoedum, Virum Sapientem Gratijs omnibus ornatum censuit. Hinc Homerus odys. lib. 3. Cantorem morum correctorem dixit.

Anima in suis affectibus bene cõcinnata Concentus, & Harmonia dicta.

Cantor morum Corrector ab Homero dictus.

Hinc scripturæ sacræ interpretes confiteri Domino in cithara, plerique aiunt esse,

esse, bonam, ac sanctam, ordinatam,& rectæ rationi consonam, discretam, prudentem, omnibus virtutum numeris absolutam vitam agere; virtutum enim concentu, nil gratius diuinis auribus accidere potest.

Quid sit Confiteri Domino in Cithara.

15. Quare S.Gregor.lib.20.Moral. cap. 31. præclarè pronunciauit: *Pensandum est, quod chorda in cithara, si minus tenditur non sonat, si amplius, raucum sonat, quia virtus abstinentię aut omnino nulla est, si si tantùm quisque corpus nou edomat, quantum valet; aut valdè inordinata est, si corpus atterit, plusquam valet.* Audiendus hic quoque Rupertus Abbas, qui non modo Virgines, sed fideles omnes, in timore Domini viuentes diuinisque præceptis obtemperantes, citharas nominauit: *Citharæ,* inquiens, *sunt pectora fidelium, quibus per fidem musica cælestis inhabitat, vbi chordæ extentæ sunt præceptorum,* de quibus Psal. 32. *Confitemini Domino in cithara, in Psalterio decem chordarum psallite illi.* Decem quippè legis præcepta sunt, hæc obseruare est cantare, primùm in cithara, deinde in psalterio clarius sonante, idest, primum in timore, deinde in charitate perfecta. Clemens denique Alexand. libr. 4. Pæda. c. 4. Christum Saluatorem, Musicum instrumentum, Psalterium nimirum Decachordum appellauit, quod Nomen IESV à littera inchoet I, quæ apud Græcos decem significat; *Confitemini,* inquiens, *Domino in cithara, in psalterio decachordo psallite illi. Nunquid decachordum psalterium verbum IESVM significat, qui manifestatur elemento decadis?*

Christus est Psalterium Decachordum, & quare?

16. Iam si Sancti illi 24. seniores vniuersa Ecclesiæ membra principalia repræsentantes, Si Virgines, si animæ fidelium, si ipsum, caput Ecclesiæ IESVS est instrumentum quoddam musicum, & Psalterium decachordum, quis asserere dubitabit Deiparam Virginem dulcissimam, cælestem quandam esse Lyram, ac citharam, atque adeo Dauidicum illud decachordum Psalterium, cum in omnibus pene, atque per omnia simillima Filio ob carnis indissolubilem illam identitatem extiterit? Vnde Diuus Bernardinus senensis, Diuinum illud ipsius, lætissimumque Canticum, quo Dei magnalia, atque excellentiam tam sublimiter, modulata est, atque adeo ipsam Deiparam, Psalterium decachordum, ob denos versiculos eo contentos, velut totidem cordas indigitare non dubitauit.

B.V. Psalterium Decachordum.

Idque sanè iure meritissimo ob animi Virginei simul, ac corporis, eiusque membrorum, ac sensuum, potentiarumque omnium ac virium, tàm internarum, quàm externarum, tàm spiritualium, quàm corporalium cum recta ratione concinnitatem, suauissimamque consonantiam, quam eleganter expressit S. Ioannes Damascenus orat. 1. de Natiu. dum eam sic alloquitur: *Mentem diuinitus gubernatam habes; cupiditatem omnem ad id quod solum expetendum, & amandum est, intentam habes, iram verò aduersus peccatum duntaxat, illiusque parentem. Appetitus tuus in hoc situs est, vt diuinis sermonibus nutriaris hisque sagineris: Sanctam omnem, & cum animæ vtilitate coniunctam cogitationem habes; contra superuacaneam, & animo exitiosam, antequam gustes eijcis. Oculi semper ad Dominum, perenne, & in accensum lumen intuentes; aures diuinum sermonem audiunt, ac Spiritus cithara oblectantur, per quas verbum carnem assumpturum, ingressum est: nares vnguentorum sponsi odore deliniuntur, quod quidem diuinum vnguentum est sponte exhaustum, atque humanitatem suam vngens: Porrò labia tibi sunt dominum laudantia, ipsiusque labris adhærentia: lingua, & fauces Dei verba discernentes; cor purum, ac labis expers; venter in quo habitabit is, qui nullo loco capitur; lactis vbera, quæ puerum IESVM aluerunt; manus DEVM gestantes; genua, Thronus cherubinis sublimior; pedes Dei lege tanquam lucerna deducti. Tota denique Spiritus thalamus, & gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua.* Sic Damasc.

Mira affectuum animique compositio atque concentus in Maria.

B.V. habebat labia assiduè DEVM laudantia.

B.V. tota Spiritus S. Thalamus, gratiarum pelagus.

17. Est igitur cælestis quædam Diuini illius Orphei omnium virtutum numeris concinnata Lyra Virgo nostra, quæ in animis mortalium, eosdem admirandos illos effectus in hodiernum vsque diem operatur. Mouit quidem ille sua benè concinnata Lyra, & ad se pertraxit syluas, flumina, ventosque vt canit Horatius libr. 1. Carm.

Miri effectus Lyrę Orphei.

Vnde vocalem temerè insecutæ
Orphea syluæ
Arte materna rapidos morantem
Fluminum cursus, celeresque ventos,
Blandum, & auritas fidibus canoris
Ducere syluas.

Mouit idem antropophagos feras, belluas dicas potius, quā homines, vt humanarū carmiū esca abstinerent, & sese in communem humanę vitæ societatem

tem darent. Vndem idem vates præclarè in Arte Poetica de eodem rursus sic canit:

Syluestres homines sacer interpræsque Deorum,
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire Tigres, rapidosque Leones.

De eodem Apollonius lib. 1. Argonaut:

Hunc referunt duros lapides, & flumina cantu
Detinuisse suæ captos dulcedine vocis,
Syluestres fagos inter confinia terræ
Threiciæ, quæ nunc frondent, vestigia cantus
Illius esse ferunt, quas secum adduxerat Orpheus
Vertice Pierio citharę dulcedine, & artis.

Addit Antipater illum traxisse, & domuisse quercus, feras, maria, niuium, gradinumque vim, vnde mortem ipsius deplorans canebat:

Non quercus non saxa trahes dulcedine cantus
Orpheu, non poteris detinuisse feras,
Non ventos, niuesque domabis, grandinis aut vim,
Non mare, vt insanis litora pulset aquis.

Virgilius denique hac Lyra ait placatum Plutonem, placatos Manes, ac vmbras stygias, domuisse Infernales Furias tricipitemque illum Canem; suspensos fuisse Tartari cruciatus, ac tormenta, Euridicem demum, quam aliqui Typum animæ præfetulisse dicunt, ab Orco reuocasse cecinit Georg. libr. 4.

Manesque adijt, Regemque tremendum
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda
At cantu commotę Erebi de sedibus imis
Vmbrę ibant tenues simulacraque luce carentum.
Quin ipsa stupuere domus, atque intima lethi
Tartara, cęruleosque implexę crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionei vento rota constitit orbis.

10. Hæc tandem omnia, & longè excellentiori modo operatur cælestis Citharoedus per Virginem hanc velut optimè concinnatam Lyram.

Per illam enim etiam hisce temporibus tàm in Indijs orientalibus, quàm occidentalibus, Iaponia, Sina, Brasilia, Peru, homines syluestres, ac Barbaros, de quibus canebat Poeta;

Gens hominum truncis, & duro robore nata.

Homines vanissimos ad instar fluxarum aquarum dilabentes, ventorumque instabilium in suis cogitationibus euanescentes. Homines barbarie ad instar belluarum efferatos; ad instar marium varijs inordinatis affectibus, ceu fluctibus agitatos, ac perturbatos; ad instar niuis, grandinisque gelu torporis, circa diuina, resque salutis constrictos. Homines denique ad Tartareos illos rogos æuiternum inter stygios Manes cruciandos, destinatos, ad se miro artificio, ac diuinioribus quibusdam illecebris suauissimè pertrahit, belluinis efferatisque illis moribus exuit, cicurat, ad omnem humanitatem componit, suadetque vt Christum, eiusque mansuetudinem, ac modestiam induant, eiusdem sanctissimæ purissimæque vitæ, integerrimæque conuersationis, morumque incorruptissimorum vestigijs insistant, atque ita homines truncis syluescentibus, feris irrationabilibus, brutisque quadrupedibus persimiles, in nouam, ratione præditam creaturam inaudita quadam metamorphosi transformat.

Vnde merito Heroinæ illi Pici Latinorum Regis Coniugi quæ Canens dicta fuit, aliqua ratione conferri posset. De qua Ouid. Metamor. 14. *Pici Regis Latinorum vxor quare Canens dicta?*

Rara quidem facie, sed rarior arte canendi,
Vnde Canens dicta est; syluas, & saxa mouere
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat.

15. Hæc enim omnia præstat Virgo nostra suauissimè, & materno prorsus affectu, non tamen sine suo aliquo dolore ac cruciatu, (: si tamen in Cælites cũ Christo in cælo regnãtes dolor, gemitusq; cadere potest, à quibus fugiturus per Isaiã dicitur:) dũ varios modos, ac vias solicitè quærit, quibus aberrantes imo ferocientes, rebellantesque voluntates nostras domet, & ad se pertrahat. Quæ omnia expressit S. Apostolus Virginis secretorum conscius Apoc. 12. dum dixit:

Si-

Signum magnum apparuit in cęlo mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius Corona stellarum duodecim, & in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.

B.V. Deo parturit peccatores cum gemitu, quæ Christum peperit cum lętitia.

Quis enim est iste partus fœtusq; Virginis, qui in vtero gestatus, clamare eam, & cruciari in parturitione compellit, quæ summo cum gaudio, summaque animi sui voluptate, ac lætitia huic mundo peperit Saluatorem? quis, inquam, hic partus est aliud quam peccatores, quos Virgo in hodiernum vsque diem parturit, ad instar Rachelis Beniaminum, filium nimirum doloris parientis? Hi peccatores clamare, & discruciari quodammodo Deiparam cogunt, dum eos secretis inspirationibus, per se, suosque Angelos ac Ministros hortatur, ad exuendum veterem, ac belluinum hominem, & induendum nouum, qui secundum DEVM creatus est in sanctitate, & veritate, exhortatur. Quod si eos induratos in nequitia, ac perfidia sua animaduertit, mirum quanto diuini honoris, salutisque proximorum exardescens zelo cruciatur, dum filij sui preciosissimum sanguinem vilipendi, ac proculcari, diuinamque imaginē animabus impressam, scelerum spurcitiâ fœdari ac deturpari animaduertit.

20. Hic sanè iure vsurpare possumus id quod Guerricus Abbas serm. 3. de Annunc. protulit de quibusdam fidelibus, qui peruersis suis moribus Matrem suam angere, & cruciare solent Ecclesiam, quibus Christi infantis, in vtero Virginis, absque vlla ipsius molestia delitescentis, proposito exemplo sic loquitur: *In hoc tibi præterea sit exemplo IESVS conceptus, & gestatus in vtero, qui & si grauidauit, non tamen grauauit vterum Mariæ, sic ergo te non sentiat grauem vterus Ecclesiæ. Addiderim ego: Sic te non sentiat grauem vterus Deiparæ, qui te, vt filij sui fratrem spiritualiter gestat.* Tum paucis interpositis prosequitur de eadem Ecclesia, quod ego mutato nomine transfero iure merito ad Mariam: *Caue*, inquit, *ne illam pœniteat te concepisse, sicut Rebeccam pœnituit cum aiebat: Si sic futurum erat, quid necesse erat concipere? Si de aliquo nostrum sic conqueri contigerit viscera Matris nostræ, timeo ne melius fuisset, si conceptus non fuisset homo ille; Ipse DEVS, in nobis si qui tales sunt, emolliat cor lapideum, ne quatiant viscera Matris, ipsa viscera Matris consoletur, ne fatigetur, qualescunque sint, portare donec formetur Christus in eis.*

B.V. cupit formare Christum in cordibus suorum fideliũ.

21. O si pijssimæ huius Matris vocem amore plenissimam subinde audiremus, liquescerent sanè viscera nostra, torpore, plusquàm Aquilonari gelu adstricta. Audiremus enim fortassè clamorem illum Apostoli amabilissimum ad perfidos ac apostatantes à fide Galatas olim prolatum capit. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quæ verba expendens idem Abbas venerabilis serm. de Natiu. *Hoc ipsum*, inquit, *& Maria sapere videtur, quæ dilectum votorum suorum insinuare cupiens affectibus hominum, cupit formare iterum Vnigenitum suum in omnibus filijs adoptionis. Qui etsi geniti sunt verbo veritatis, nihilominus parturit eos quotidie desiderio, & cura pietatis, donec formetur in illis Christus, donec occurrat in virum perfectum, in mensuram plenitudinis ætatis filij sui, quem semel parturiuit, & peperit. Imò vt ait Isaias antequam parturiret, peperit, quia sine dolore peperit. Hoc nobis insinuare visus est Spiritus S. Psalm. 86. Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea? Seu vt legit* S. August. Ambros. S. Bruno, S. Bernard. Richar. à S. Laurent. & alij. *Mater Sion dicet homo, & homo natus est in ea. Vbi bis* repetitur homo, ad ostendendum animatam hanc Sionis Ciuitatem non solùm Matrem esse hominis illius Diuini, Patri æterno in Diuinitate consubstantialis, hominis, inquam, illius de cælo cælestis; verum etiam puri hominis, atque adeò totius generis humani, quod ipsa generando Dei Filium, in illo quoque spiritualiter totum regenerauit.

B.V. est Mater spiritualis omnium hominum.

22. Quapropter B. Albertus Magnus docet Deiparam Matrem spiritualem esse omnium hominum, illo potissimùm motus argumento. Quod S. Lucas dicat cap. 2. *Peperit filium suum primogenitum.* Vnde infert. *Igitur habuit secundo genitum, non corporaliter, ergo spiritualiter. Sed generatio spiritualis vna est omnium, igitur, & ipsa est Mater omnium spiritualiter. Hinc ipsius Filius, vt ait Apostolus Hebr. 2. non confunditur fideles vocare fratres, & ipse est primogenitus in multis fratribus.* Denique ait idem Albertus Virginem Deiparam esse mysticam illam Terram, de qua Isa. 60. sciscitabatur. *Nunquid pariet terra die vna, aut parietur gens simul?* Neque enim terra hæc aspectabilis partus huiusmodi emittet, sed terra figurata Beatissima Virgo Maria, quæ

B. V. pariens Christum cũ illo multos filios spirituales peperit.

quæ simul peperit omnem gẽtem, dùm peperit Saluatorem, qui omnium frater est; Atque ita concludit: *Ipsa est Mater omnium hominum.* Idem asserit S. August. lib. de S. Virginitate: *Fuit*, inquiẽs, *Mater spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Saluator, à quo magis ipsa spiritualiter nata est. Sed planè Mater membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperta est charitate sua, vt fideles in Ecclesia nascerentur.* Sic Augustin.

B. V. Mater est omnium Christianorũ cura, & affectu pietatis.

23. De pijssimis hiscè, maternisque Deiparæ erga filios hominum visceribus præclarè idem Guerricus serm. 1. de Assumpt. *Porrò Beata Mater illa Christi, quia se Matrem agnoscit Christianorum, ratione mysterij, curâ quoque se Matrem eius præstat, & affectu pietatis. Neque duratur ad filios quasi non sint sui, cuius viscera semel quidem feta, sed nunquam effecta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis.*

Et paulo infra mutuum filiorum amorem hunc in Matrem esse cupiens subnectit: *Vide autem si non & filij Matrem videntur agnoscere, dictante ipsis velut quadam naturali pietate fidei, vt ad inuocationẽ Nominis eius primo vel maximè refugiant in omnibus necessitatibus, & periculis, tanquàm paruuli ad sinum Matris. Vnde nimirum de his filijs puto non obscurè intelligi, quod per Prophetam promissum est: Habitabunt in te Filij tui. Et nunc siquidem habitamus in adiutorio Matris Altissimi, in protectione commoramur, tanquam sub vmbra alarum eius, & post modum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confouebimur.*

Hęc Guerricus de Materna prorsus in nos Virginis nostræ pietate.

Peccatores conuersi Mariam coronant.

24. Porrò partus hic spiritualis omnium hominum, atque adeo peccatorum, tam difficilis, summam Deiparæ parit in velis gloriam ac Coronam, coronam, inquam, illam stellarum 12. quam in eius capite contemplatus est Ioannes. Dum enim homines barbaris efferatisque moribus præditos more quadrupedum viuentes, velut orphei cælestis Lyra cicurat, ac perdomat, feræ huiusmodi dum fiunt Dei docibiles, mirâ metamorphosi in stellas conuertuntur, quæ postea summum Virgineo eius capiti addunt ornamentum.

Nec immerito peccatores ad DEVM conuersi Virginis patrocinio, coronæ eiusdem appellantur: Si enim S. Paulus fideles, operâ sua ad Christum conuersos ad Philiph. 4. *Gaudium, & coronam suam vocat;* quanto magis peccatores, feris ipsis efferatiores à Virgine cicuratos, ac mansuefactos Coronam eius appellare possumus, & debemus?

25. Hanc illi Coronam polliceri visus est sponsus, cum iam morti proximam fortassis, ad cæli præmia tam multis pro Ecclesia exantlatis laboribus, inque spirituali filiorum parturitione superatis cruciatibus, euocabat: Cant. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum.*

Quibus verbis sponsus Coronam quãdam mirabilem ac portentosam, ex atrocissimis feris Leonibus, Pardisque compositam, victrici ac triumphatrici Matri polliceri videtur. Et sanè non immerito. Quemadmodum enim olim antiquitas, rostratas, murales, ciuicas, aliasque coronas, varias formas, pro cuiusque merito, ac dignitate repræsentantes distribuere erat solita: Sic Virgini cælestis agonotheta Coronam ex Leonibus, Pardisque peccatorum ab ipsa cicuratorum, & in stellas tandem transformatorum, liberaliter, pro ardentissimo pijssimoque suo in Matrem affectu ad promittit.

26. Peccatores feris esse similes, quos suâ Lyra perdomuit Orpheus iam supra ex Clemente Alex. commemorauimus, idemque affirmat D. Chrysostomus Homel. 23. ad pop. Antio.

Homines peccatis suis varias belluas repræsentant.

Vnde quæso, inquit, *potero te fedelem agnoscere, dictis omnibus contraria protestantibus? Quid verò fidelem dico? Nec enim es homo, si manifestè possum videre, cum tanquam Asinus recalcitres, lasciuias vt taurus; tanquam equus post mulieres hinnias, ventri tanquam Vrsus indulgeas, & vt mulus carnem impingues; malum memoria teneas tanquam Camelus; rapias, vt lupus, vt serpens irascaris; ferias ut scorpius; sis subdolus vt vulpes; nequitia verò tanquam aspis, & vipera venenum serues. Quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talis in te naturę signa cum non intuear?* Audiamus de eodem argumento Boetium lib. 4. prosa 3.

Quem transformatum vitijs vides, hominem æstimare non potes, sed fuisse hominem, adhuc ipsa humanâ corporis relictâ species ostentat. Auaritiâ feruet, alienarum opum violentus ereptor? similem lupo dixeris. Ferox, atque inquietus, linguam litigijs exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? vulpecu-

pecu-

peculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax non metuenda formidat? Cerui similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum viuit. Leuis atque inconstans studia permutat? nihil ab auibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? Sordidæ suis voluptate detinetur. Ita homo probitate deserta vertitur in belluam.

Homo probitate deserta vertitur in belluam.

27. Hinc idem Boetius eadem lib. 4. Metro 3. homines varijs vitijs sceleribusque obnoxios Socijs Vlyssis Circeo poculo in quadrupedes transformatos conferre non dubitauit, dum cecinit:

Homines vitijs obnoxii similes Socijs Vlyssis in quadrupedes conuersis.

Vela Naricij Ducis
Et vagas pelago rates
Eurus appulit Insulæ,
Pulchra qua residens Dea
Solis edita semine
Miscet hospitibus nouis
Tacta carmine pocula;
Quos vt in varios modos
Vertit herbipotens manus;
Hunc Capri facies tegit,
Ille Marmaricus Leo
Dente crescit, & vnguibus:
Hic lupis nuper additus,
Flere dum parat, vlulat;
Ille Tigris vt Indica
Tecta mitis obambulat.
Sed licet varijs malis
Numen Arcadis alitis
Obsitum miserans Ducem
Peste soluerit hospitis,
Iam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant;
Iam sues Cerealia
Glande, pabula verterant:
Et nihil manet integrum
Voce, corpore perditis.
Sola mens stabilis super
Monstra quæ patitur gemit.
O' lenem nimium manum
Nec potentia gramina
Membra quæ valeant licet,
Corda vetere non valent.
Intus est hominum vigor
Arce conditus abdita.
Nec venena potentius
Detrahunt hominem sibi
Dira quo penitus meant,
Nec nocentia corpori
Mentis vulnera sæuiunt.

Sic Boetius, & verè.

28. Ex his igitur non tam hominibus, quam quadrupedibus, efferatisque belluis, quæ mundi huius voluptatibus, atque illecebris veluti Circeis poculis, operationes humanas rectâ rationis regulâ directas, ac vix non ipsum esse hominis amiserunt quodammodo, Virgineæ huiusce, cælestisque Lyræ Diuinis planè concentibus cicuratis, ac mansuefactis, inque sydera admirabili prorsus metamorphosi transmutatis, admirabilis splendoris quædam ipsi Corona contexitur, qua Virgo Deipara, tanquam potentissima cælorum Regina decorata, toti cælesti Hierosolymæ summam parit voluptatem atque admirationem. Intellexit hoc Rupertus Abb. lib. 3. in Cant. inuitationem illam expendens Sponsæ; Cum Virginei ventris agnito fructu, Gentes feras, ac barbaras Coronam Dei Genitricis futuras, pronunciauit: *Reges regnorum, Reges Babyloniorum, Persarum, atque Medorum, Reges Græcorum, & Consules siuè Imperatores Romanorum, quid nisi Leones, & Pardi dicendi sunt, qui tot bellis, & cædibus orbem terrarum lacerarunt? De talium Leonum cubilibus, taliumque Pardorum montibus, tu amica mea coronaberis. Quomodo? Videlicet credent in me Fructum ventris tui, & eorum credentium salus Corona tua erit. Ita coronaberis vt in cælis Regina sis sanctorum, & in terris Regina sis Regnorum. Vbicunque enim prædicatum fuerit illud de Dilecto: Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, prædicabitur, & de te, quod sis ò Dilecta, Mater huius Coronati, ac proinde Regina cælorum, totum iure possidens filij Regnum, atque hoc intuitu Reges, atque Imperatores Coronis suis decoronabuntur, palatia Nomini tuo sacrabunt, honori tuo dedicabunt, vt desinant esse, quod fuerunt, montes Pardorum, cubilia Leonum.* Hæc Rupertus.

B.V. in cælo Regina est sanctorum, & in terris Regina Regnorum.

29. At verò Richard. à S. Laurent. lib. 3. clarius, & ad rem nostram aptius inuitationem illam sponsi explicauit, addens insuper feras illas in stellas Coronam Virgini contexentes commutandas: *Ipsa*, inquit ille, *de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum dicitur coronari, Et nota quod Apoc. 12. dicitur Maria coronari de stellis, hic promittit ei Filius, quod coronabitur de feris vel montibus. Et quid est hoc, nisi quod feræ per gratiam, & orationes Mariæ fiunt stellæ, vt conueniant capiti tantæ Reginæ? vt de stellis ei corona videatur exhibita, quæ de feris fuerat promissa; & hæc est mutatio dexteræ Excelsi. De capite Amana, id est,*

Homines feri per gratiã, & orationes Mariæ fiunt stellæ ipsam coronantes.

idest, non solùm de his, qui inueniuntur in peccato cum cæteris, sed qui præ cæteris peccatores existunt. Sæpè enim vbi superabundauit peccatum, per eam superabundat gratia, & ita de nobis peccatoribus nouam Coronam sibi præparat in cælis. Sarge, quod sonat, auis nocturna vel fætor, signat luxuriosos.

Sæpe vbi superabundauit peccatum per Mariam superabundat gratia.

Oculus enim adulteri obseruat caliginem. Iob. 24. & de nocte volat luxuriosus ad cadauer meretricis, amans tenebras, odiens lucem. Et tales fætent Deo, & hominibus. Vnde Isaias 34. De cadaueribus eorum ascendet fœtor. Hermon interpretatur anathematizatio, hi sunt sacrilegi, excommunicati, tamen si pœnituerint, possunt per eam reconciliari. Horum porrò caput, & vertex sunt, qui in huiusmodi sceleribus alios excellunt. Cubilia Leonum sunt ij, quibus placet superbia, & crudelitas, qui cædibus inhiant, & rapinis. Montes Pardorum magni sunt hæreticorum, & hypocritarum Doctores. Sicut ergo ex lapidibus suscitantur filij Abrahæ, sic ex bestijs creantur stellæ. Quod ergo promittitur ei ex impijs, soluitur ex iustificatis, quos nimirum ipsa suis apud Filium precibus, & patrocinijs eiusdem filij gratiâ iustificat.

Similia ferè habet idem Richard. libro 12. de laud. B.V. *Nihil*, inquiens, *animæ infirmę medicinalius, nihil animę delicatę odoratiùs, quam quod B. V. tam pro iustis, quam pro peccatoribus interpellat. Ideo ipsa coronari dicitur de cubilibus Leonum. Leones isti sunt Dæmones, quorum cubilia sunt peccatores, pro quibus orat assiduè, & inde ab omni rationali creatura glorificatur.*

Peccatores sunt cubilia Leonum Infernalium.

Hæc Rich. Omnium denique elegantissimè inuitationem illam sponsi breuiter exposuit Guilelmus Abb. *Nonnè*, inquiens, *de his pia Mater coronatur, quotiescunque eius intercessione, & auxilijs tales fiunt mirabili mutatione dexterę Excelsi cubilia sponsi cęlestis, & montes Dei?* Ex quibus omnibus Virgineæ huius Lyræ diuinã planè vim ac energiam, ferinos hominum animos cicurantem, & in pulcherrimas cæli stellas sacrosanctum eiusdem verticem coronantes transmutantem agnoscimus.

30. Iam quid de eiusdem Lyræ admirabili energia ad Tartarum vsque penetrantem, homines desperatos ac perditos inde reuocantem, pœnas ac supplicia damnatorum, velut quãdam Ixionis rotam, de qua supra Virgilius suspendentem, dicam? Certè S. Ildephonsus serm. 5. de Assumpt. pie opinatur ipso Virginis in cælos assumptioni sacro die, imperio ipsius, damnatorũ suspendi, siue mitigari supplicia.

Verba illius sunt hæc: *Dicam aliquid plus, si audeo, dicam fideli presumptione, dicam pia temeritate. Totus mundus hodie condigna iubilatione lætatur, & gaudet, Tartarus tantummodo vlulat, fremit, & submurmurat, quoniam gaudium, & lætitia huius diei claustris Infernalibus inclusis, aliquod remedium, & refrigerium prestat. Non audent, vt opinor, ministri Tartarei hodie attingere suos captiuos, quos recolunt redemptos ipsius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de Virgine.* Hæc ad verbum S. Antistes.

Die assumpt. B V. aliqui censuerunt damnatorum in Inferno supplicia mitigari.

31. Quare iure merito omnes peccatores de æterna salute periclitãtes Inferniq; supplicia metuẽtes vti possunt verbis illis Mardochæi ad Ester Reginam Est. 15. prolatis: *Loquere Regi pro nobis, & libera nos de morte.* Verè enim in hodiernum vsque diem Amani illius caput, Tartareus videlicet hostis non temporaneæ, sed æternæ mortis nobis assiduè molitur insidias; & quemadmodum Aman vniuersum exterminare ac pessundare cogitabat Israelem, sic iste vniuersam Christianorum militantem Ecclesiam in æternæ perditionis Barathrum commissis lethalibus peccatis deturbare contendit. In quibus tam assiduis, præsentibus, certissimisque sempiternæ mortis constituti angustijs, ac periculis ad quem tandem nos conuertemus, quam ad benignissimam sempiternæ misericordiæ Matrem, vt apud supremum Regum omnium Regem Dominumque dominantium loquatur, voceque suã dulci in eius auribus resonante, labijsque illis suauissimos mellis fauos distillantibus, pro nobis intercedat, ne sempiternæ mortis horrifico illo rictu hilatuque absorbeamur? Quocirca deuotissimus Pelbartus libr. 12. Stellarij Part. 12. docet verba illa spiritualiter esse populi christiani *ad B. V. confugientis in periculis, & in omni necessitate, & angustia ipsam deprecantis ac dicentis: O' gloriosa Regina Maria, vnica spes nostra, & Aduocata generis nostri, loquere tu Regi sæculorum immortali, & inuisibili, Christo videlicet prædulcissimo tuo Filio, pro nobis intercedendo, & libera nos de morte damnationis æternę.*

Roganda B. V. vt oret pro nobis, & nos à morte æterna liberet.

32. Neque verò solùm Virgo hæc clementissima peccatores ad Inferni Barathrum properantes in suam tutelam patrociniumque recipit, eosque efficacis gratiæ impetratis auxilijs ad suum reducit creatorem, ita vt impossibile

B.V. peccatores sibi deuotos etiam ad Infernum delatos liberat, vt pœnitentiã agant.

bile sit eos perire: quemadmodum alibi docuimus ex mendoza libr. 2. Virid. Probl. 9. verùm etiam eosdem peccatores sibi deuotos iam vita functos, & ad Inferorum, æternæque mortis fauces delatos, omnipotentiâ illa admirabili subinde reuocat, peractaque scelerum ritè pœnitentiâ, condignaque expiatione ac satisfactione, Regni cælestis constituit hæredes felicissimos.

Vnde iam memoratus Mendoza eodem lib. 2. Virid. Prob. 5. difficillimam illam agitauit quæstionem: Vtrum B.V. suo patrocinio aliquem aliquando ab Inferis eripuerit? Cùm nulla ex Inferno sit redemptio, & sacræ literæ dicant de damnatis Isai. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Inferni pœnę perpetuę.

Cui loco Christus literalem de Inferno addit interpretationem Mar. 9.

Et Iudit. 16. *Dabit ignem, & vermem in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* Concilium denique Bracharense cap. 34. & Triburiense cap. 31. statuunt, ne pro his, qui in actuali peccato decedunt vllum fiat suffragium, ac si de illorum salute desperent; vbi refertur etiam illud S. August. *Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti.* His tamen non obstantibus docet in primis sapientissimè iam memoratus Mendoza dupliciter (vt de Purgatorio, & Limbo Patrum taceamus) ab Inferis peccatores, intercessione Deiparæ liberari. Primo ante mortem suis precibus auxilijsque gratiæ congruæ clientulos suos præseruando, ne in peccata labantur, æternæque damnationis rei efficiantur. Et hoc sensu sine dubio S. Bern. serm. 98. dixit *à B.V. cælum impletum, Infernum euacuatum.* S. Germanus Constant. Patriar. serm. de Zona Virg. ait plurimos Sacrosanctæ Deiparæ intercessionibus ab æterno supplicio liberatos. Cyrillus Alex. Hom. 6. Cont. Nestor. *B. Virginis patrocinio multos ab æternę damnationis sententia ereptos, ac præseruatos.* Celeberrimus est apud plures Theophilus, cuius se oculatum testem fatetur Eutychius Patriar. Constant. serm. quodam, in quo B. *Virginem Pontem peccatorum ad DEVM, & spem eorum, qui spes omnes abiecerunt, appellat.*

Concilium Bracharense & Triburiense statuunt, ne pro iis qui in actuali peccato decedunt vlla fiant suffragia.

B.V. peccatores ab Inferno ante mortem liberat suis precibus atque auxiliis, eos præueniendo, ne in peccata prolapsi damnationis rei euadant.

A B.V. cælum est impletũ, Infernus euacuatus.

B. V. Theophilum à damnatione præseruauit.

De eodem Theophilo B. Petrus Card. Damian. serm. 1. de Natiu. B.V. eam sic alloquitur: *Fecit in te magna, qui potens est, & data tibi est omnis potestas in cælo, & in terra. Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus reuocare? Infelicem animulam totum illud quod in te factum est proprio charactere denegantem, de luto fæcis, & miseriæ subleuasti.*

B. V. Nihil est impossibile.

Nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis releuare. Quam obrem Honorius Augustor. in sigillo B.V. capit. 1. explicans illud. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea;* præclarè dixit: *Sicut populus Dei à Pharaone per Virgam Moysi: Ita Ecclesia à Diabolo per Virgam Iesse Mariam, & florem suum Christum liberata est.*

Sicut Israel à Pharaone per Virgam Moysis, ita Ecclesia à Diabolo per Virgam Iesse Mariam liberata est.

33. Deinde docet idem Mendoza peccatores iam vita functos, ne in æternas Inferni pœnas detruderentur, ante finalem sempiterni Iudicis sententiam, à Beatissima Virgine subinde fuisse liberatos, & ad priorem vitæ statum, in quo de commissis peccatis pœnitentiam agerent, restitutos. Quod B. Petrus Card. Dam. Opusc. 33. cap. 2. luculentissimè probat exemplo Bassi cuiusdam Burgundionis, qui, cum in peregrinatione quadam in honorem Virginis instituta, vita functus fuisset, à B. V. in vitam reuocatus, & peccata confiteri iussus, narrauit quanam ratione Dæmones, Angelique boni pro eius anima decertarint, donec tandem aduentu Virginis tota lis dirempta est. *Ecce*, inquit Damianus, in persona Bassi, *velut igneum fulgur, repentinusque splendor illuxit, cunctisque admirantibus cælorum Regina, Angelicis vallata reuerenter obsequijs Dei Mater aduenit. Tunc reprobi Spiritus, licet ad primũ tantæ gloriæ terrerentur aduentum, eorumque nimius splendor reuerberaret obtutum, tamen illatam sibi conqueruntur iniuriam, & Angelicæ violentiæ protestantur ex propria possessione rapinam dicentes: Si DEVS est iustus, nunquam de manibus nostris auferet impium. Quibus Virgo: licet hic homo vt asseritis, vestra, per prauitatem operis possessio fuerit, & impiè sine carnaliter vixerit, nunquam tamen piissimus, & clementissimus Filius meus ac Dominus patietur, eum fieri vestris crudelitatibus subditum, quem sub mei famulatus obsequio cernit in peregrinatione defunctum, &c.*

B.V. peccatores iam mortuos ante finalem sententiam ab Inferno eripit, vt pœnitentiam agant.

B. V. animã Bassi de potestate Dæmonum eripit.

34. Celebre quoque exemplum est ilud quod S. Anno Coloniensis Archiepiscopus Deiparæ cultui addictissimus, suis narrare consueuerat, hortans, vt se totos eius patrocinio prote-

cioniqque deuouerent, si salutem consequi desiderarent. Referebat igitur ille Romæ fuisse quendam, luxui, atque inertiæ admodum deditum, nomine tantum Christianum, solique Sancto Martyri Cæsario deuotissimum.

Quidam homo carnalis, quia deuotus fuit S. Cæsario ab Inferno auxiliante etiam B. V. liberatur.

Hic tandem cum ex hac vita decessisset, & paulo post ad corpus maximo illorum horrore, qui ad eius exanime cadauer postero die tumulandum vigilabant, redijsset, quæsitusque esset, quonam loco essent res suæ: *Perpetuo*, respondit, *apud Inferos scelerum meorum pœnas dedissem, nisi me S. Cæsarij deprecatio adiuuisset, qui flexis genibus coram Deo pro me supplicauit, quo orante superuenit Sanctissima Virgo Deipara, Sanctorum omnium stipata choro, quæ Christum Filium suum, ad Sancti Martyris flexit voluntatem*. Quare vitæ redditus, Deo reconciliatus est, iterumque in Domino obdormiuit. Sic Kalend. Deip. 4. Decembr.

35. Simile exemplum recenset Vicentius Belluacensis in spec. Histor. libr. 8. cap. 117. de fœmina quadam in territorio Lugdunensi, quæ cum cultui Deiparæ alias esset addictissima, & noxia verecundia ac pudore diu lethale quoddam peccatum occultasset, crebriusque post confessionem corã Deiparæ Imagine scelus illud deplorasset, veniamque poposcisset, tandem ad extremam vitæ periodum peruenit, reliquisque peccatis confessario recensitis idem illud de more, subticuit.

Mulier, quæ scelus in cōfessione occultauerat intercessione B.V. ad vitam redijt vt pœnitentiam ageret.

Migrat igitur peccato illo obstricta ex hac vita; statimque ante Christi tribunal sistitur, iam æternus Iudex horribilem damnationis æuiternæ fulminaturus erat sententiam, cum ecce tibi misericordiæ Mater ad Filium accurrit, suspensionem sententiæ postulat, reditum ad corpus infelici illi animæ sempiternæ mortis reæ, vt peccata confiteri, proque eius possit satisfacere, impetrat. Interim cadauer domi asseruabatur, cum ecce derepente magna adstantium trepidatione, atque horrore surgit, iubetque sacerdotem mox aduocari, cui totius anteactæ vitæ peccatis magno animi sensu, ac detestatione, manantibus vbertim lacrymis singulibusque recensitis, veniam absolutionemque salutarem obtinuit. Tum totius rei gestæ serie, omnibus, qui ad spectaculum illud accurrerant enarrata, Virginisque in se effusissima pietate, ac misericordia, quæ in se sperantes, ac confidentes semper saluat, mirificè deprædicatã, rursus munita sacramentis omnibus, fœlicissimè ex hoc exilio in beatissimam patriam, vberrimam spectatoribus illis Deiparæ benignitatem, ad cælos vsque extollendi materiam relinquens, euolauit.

36. Deuotissimus quoque Virgini Pelbartus lib. 12. stell. Par. 2. articul. 1. cui titulum hunc præfixit; *quod seruire B. Mariæ, deuoteque ac debitè eam venerari est certissimum, & securum signum salutis æternæ*; narrat tanquam oculatus testis hominem quendam se vidisse, qui in Danubio, facto cum duobus socijs naufragio, illis natatu euadentibus, is mox fundum petijt, profundum inferni quoque tanquam plumbum, vtpotè quamplurimis grauatus sceleribus petiturus, nisi auxiliatricem manum naufrago benignissima Deipara porrexisset, eumque triduo in aquarum profundo ad maiorem suam potentiã demonstrandam conseruasset:

Seruire, & deuotè B.V. venerari signum est salutis.

Homo B.V. deuotus submersus in Danubio seruatur patrocinio Deiparæ ne dãnetur.

Interim dum in medio aquarum commoratur gurgite, audijt vocem hanc: *O homo ecce mori, & damnari ob tua peccata damnabilia deberes. Verum, quia Beatæ Mariæ Dei Matri seruiuisti, en donatum est tibi vt à morte corporis, & æterna animæ libereris, & peccata confitearis*. Addit demum Pelbartus, hominem hunc ad se, confitendi causâ accessisse, sibique totius rei gestæ seriem enarrasse. Plura, qui volet de hoc argumento exempla Rutilium Benzonum Episcopum Lauret. consulat. in Psalm. 86. vbi cap. 32. hanc mouet quæstionem: An interdum nonnullis existentibus in Inferno aliquod leuamen à B. V. exhibeatur, asseritque in primis de facto ex misericordia Christi, eiusque Matris damnatos puniri citra condignũ, cum Diuina misericordia, vt canit Dauid, sit superomnia opera eius. Deinde Matrem cum Filio *habere claues mortis, & Inferni*, vt ait Apostolus. Apoc. 1. & nonnullos à pœnis inferni ad vitam iterum reuocatos, media pœnitentiâ liberatos fuisse, ante finalem nimirum Iudicis prolatam sententiam.

Damnati ex Christi eius Matris misericordia puniuntur citra condignum.

37. Quod sane nemini mirum videri debet. Nam si aliquibus Sanctis huiusmodi priuilegia, peccatores ab inferis reuocandi fuerunt concessa, multo magis concedi dignum fuit Deiparæ Virgini, cum ipsi sanctorum omnium

Aliqui sancti habuerunt hoc priuilegium animas ab Inferis reuocandi. quanto magis Dei Mater.

nium priuilegia ob eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem debeantur. Præclarè enim S. Bernar. Epistol. 174. ad Canonicos Lugdunenses: *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam.* Quod autem nonnulli sancti, peccatores, imò etiam Ethnicos Idolorum cultores ab inferis reuocarint, testes sunt locupletissimi varij Patres. Testis est D. Ambrof. de ferm. 90. & D. Maximus ser. 2. qui narrant à S. Agnete suscitatum à mortuis iuuenem Idololatrum Pnefidis Filium, quem Diabolus occiderat, quia furens libidine S. illam Virginem opprimere attentauit. Testis est Gregor. Magnus libr. 1. Dialog. cap. 12. vbi scribit à S. Seuero excitatum virum quendam pessimum, qui à Dæmonibus ad Infernum deducebatur. Testis est Egesippus lib. 3. cap. 2. qui ait ab Apostolorum Principe excitatum à morte virum quendam Ethnicum affinem Cæsaris.

38. Quid de Maurilio Andegauēsi Episcopo dicam? Cui cum Infans baptizandus esset oblatus, & ipse expectare tantisper patrinos iussisset donec Missæ absolueretur sacrificium, & interea puer esset mortuus, suæ id negligentię adscribens vsque adeo doluit, vt relictâ Ecclesia nauim conscendens clam effugeret. Forte Sanctuarij claues secum tulerat, quibus de manu in mare elapsis, existimauit eo indicio se prorsus Episcopatu indignum.
Atque inde iam proposuit nunquam se ad Episcopatum suum reuersurum, nisi inuentas, quis ad se pertulisset.
Transmisso mari, veste sæculari indutus cuidam Principi operam seruilem locauit, aliter eius factus. Septennio sic peracto à Clericis inuentus, & cognitus est. mox claues quas capto in itinere, & exenterato pisce reperere illi offerunt. quibus visis intellexit Dei esse voluntatē, vt ad suam sedem reuerteretur. Vbi redijt illico ad tumbam defuncti Infantis illius absque baptismo aduolauit; orationeque ad DEVM facta eum vitæ restituit, deque inferno Superiori inaudito prodigio reuocauit, vt testatur Marcus Marulus Vrbis Spalatensis illustre decus lib. 4. cap. 10. de Institut. bene viu.

39. Quid denique de S. Francisco Xauerio Indiarum Apostolo dicam? vt alios, quam plurimos omittam.
Hic igitur Cangexime in Iaponia Puellam Ethnicam iam vita functam, cuius animam Dæmones iam deducturi erāt ad Infernum, ad vitam reuocauit.
Quam vti scribit Tursell. libr. 4. cap. 3. vbi parens rediuiuam conspexit, manantibus gaudio lacrymis vix oculis suis credens cum sciscitatus esset ex ipsa, qui tandem redijsset ad vitam, audiuit, sibi vitâ functæ teterrimos satellites præsto fuisse, qui protinus correptam deturbatum irent ad horrenda ignibus loca, cæterum repente duos egregios ad fuisse viros, quorum beneficio ex satellitum manibus erepta extiterit à mortuis. Mox parens grates Xauerio acturus ad illum deducit puellam, quæ Franciscum comitemq; eius Ferdinandum intuita primo obstupuit, tum ad Patrem conuersa succlamat: *En pater hi ipsi sunt, qui me ab Inferis excitarunt, &c.* Tres alios Ethnicos idem Xauerius à portis Orci suis precibus reduxisse, in Bulla ipsius Canonizationis memoratur. Ex quibus vnicum retulisse sufficiat totidem Summi Pontificis verbis: *Apud Comorinum Promontorium cum in quadam Ecclesia seruum Dei infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret, facta oratione iussit sepulchrum, in quo pridie defunctus tumulatus fuerat, aperiri, ac populo significans ad comprobandam Christianę fidei veritatem, mortuum illum Dei voluntate rursum victurum, linteo quo cadauer inuolutum erat, nescisso, ac rursus precibus ad DEVM fusis, mortuo vt viueret, imperauerat, qui statim, stupentibus omnibus, surrexerat viuus.*
Quo tam insigni miraculo commoti, qui aderant, tum alij multi crediderunt in DEVM.

S. Xauerius in Iaponiam mortuam puellam Ethnicam ad vitam reducit.

Idem S. Xauerius è sepulchro mortuum suscitat.

40. Imò addendum insuper censeo B. Virginem posse animam ex Inferno, finali nondum accepta condemnationis sententia, eripere. Si enim S. Gregorius potuit animam Traiani impijssimi Idololatræ Martyrumque crudelissimum persecutorem, ab Inferis reuocare, quanto magis poterit omnipotentis Dei Mater potentissima?
Quod autem id factum reuera fuerit, Christus ipse S. Brigittæ lib. 4. Reuelat. c. 13. reuelauit, vbi ita loquitur:
Quicumque offert pro anima alterius vnum Pater noster, acceptius est Deo pondere magno auri, sicut patuit in illo bono Gregorio, qui oratione sua

etiam infidelem Cæsarem eleuauit ad altiorem gradum. Ad quæ verba legenda omnino sat prolixa Annotatio, qua ostenditur rei huius probabilitas, ex D. Thoma, Richardo, Alphonso Ciaconio, Petri, & Ioannis Diaconorum S. Gregorij, Sixto Senensi, Nauarro, Hieronymo Menglio Minorita, Sigisberto Historico, & alijs, qui censent Traianum non fuisse absolutè damnatum, sed solum in Inferno pusitum, secundum eius præsentia demerita, & suspensam fuisse damnationis sententiam ob præuisas S. Gregorij præces, quas erat pro eius anima persoluturus.

41. Eadem sententia probatur auctoritate S. Ioannis Damasceni serm. de defunctis his verbis. *Cæterum hic, & aliarum historiarum meminisse operæ precium fuerit. Gregorius itaque qui Dialogas à nostris dicitur veteris Romæ Episcopus, Vir, quod testantur omnes sacrarum disciplinarum intelligentia celebris, cui etiam, vt fertur, sacrafacienti cælestis Angelus se socium addidit simul sacrificans, cum per forum Traiani lapidibus stratum iter faceret, validas preces ad misericordem, animabusque propitium Dominum habuit, vt Traiano Regi peccata dimitterentur. Et confestim vox diuinitus allata, audita est in hunc modum dicens: Preces tuas audiui, & veniam Traiano do: tu verò deinceps pro impio hostiam mihi ne offeras. Testantur autem oriens, & occidens totus miraculum hoc germanum, & irrefutabile.* Quod testimonium aliaque hac de re complura expendens præclarè Salmeron Tom. 4. Disp. 27. discussisque varijs variorum obiectionibus, ac difficultatibus tandem sic concludit: *Certè hac tanta tamque insolita exaudiendi ratione detexit Dominus thesauros bonitatis, & charitatis suæ, & perfectam Gregorij charitatem toti mundo patefecit, atque illustrem, & spectabilem reddidit, quanta etiam sit vis, & energia orationis in fide effusæ, ad omnia etiam, quæ impossibilia videntur, aut propter naturam, aut leges ab omnipotente Deo inditas, nobis indicare voluit.*

De salute Sansonis, Salomonis, Origenis, & Traiani B. Metildis non fuit certificata.

42. Quæ Damasceni auctoritas rem mihi omnino certam faceret, nisi apud S. Metildem libr. 5. Spiritualis Gratiæ cap. 6. legissem Sacerdotem quendam consuluisse hanc S. Virginem, in quo statu anima Sansonis, Salomonis, Origenis, & Traiani foret? Quæ mox ad Sponsum tanquam ad Oraculum recurrit, & huiusmodi accepit responsum: *Quidnam mea pietas cum anima Sampsonis executa fuerit, volo esse occultum, vt homines magis timeant de hostibus vindictam sumere. Quid etiam mea misericordia de anima Salomonis statuerit, volo homines latere, vt tanto magis, à peccatis carnalibus coerceantur. Quid vero benignitas mea circa animam Origenis egerit, volo vt ignoretur, vt nemo de sua confisus doctrina intimescat. Quid denique liberalitas mea de anima Traiani determinauerit, nolo sciri ab hominibus, vt hoc ipso fides Catholica magis exaltetur, quia licet hic omnibus virtutibus fuit exornatus, christiana tamen fide caruit, ac baptismate.* De eius virtutibus consulendus Plinius in Panegyrico ipsius.

43. Sed quid de Platone dicemus? refert Anastasius Antiochenus in suo Itinerario, Christo Domino ad Inferos post mortem suam descendente, Philosophum hunc inde extractum esse, quam historiam non solùm refert, sed etiam approbare videtur Nicetas interpres Nazianz. orat. 2. de Pasch. monens ne semper existimemus esse pœnitentiam in Inferno; *semel enim hoc contingit*, inquit, *cùm Christus descendit ad Inferos*. Idem Damascenus refert orationibus B. Theclæ Protomartyris, Falconillam Gentilem fœminam Idolorum cultricem ab Inferis reuocatam, cui etiam historiæ subscribit iam memoratus Salmeron. Quod si igitur aliqui Sancti Dei amici animas ab ipsis Inferis, nondum finaliter condemnatas, reuocarunt, cur priuilegium hoc ipsi Dei Matri potentissimæ negandum erit? Hoc intelligere visus est S. Eprem Syrus in Lament. B. V. dum eam ardentissimo affectu sic alloquitur. *O' Sacratissima desperantium spes, & damnatorum patrocinatrix!* Hoc idem voluisse visus est S. Georg. Nicom. Episcopus orat. de Præsent. B. V. *Nihil tuæ resistit potentiæ, nil tuis viribus repugnat, omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ deseruiunt potestati. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile.* Quæ locutiones generales cùm sint, & nil excludant, facile nobis persuadebimus, viribus, robori, potentiæque Virginis, ne ipsas quidem portas Inferi, vt olim Lyræ illi Orphei celeberrimæ, resistere aut præualere posse, quin omnipotentiâ eiusdem superentur. Præclarè enim S. Ansel. de excell. B. V. c. 12. *Te DEVS sic exaltauit, & omnia tibi secum possibilia esse donauit.*

Anastasius Antiochenus censuit Platonem à Christo ad Inferos descendente, liberatum.

Falconilla Gentilis B. Theclæ precibus ab Inferis reuocata.

B. V. Sacratissima desperantium spes, & damnatorum Patrocinatrix.

Nihil potentiæ B. V. resistit.

44. Hæc

44. Hęc Virgo nimirum est signum illud ac Miraculum cælis Inferisque abstupescendum; quod animas ab ipsis Orci vnguibus, faucibusque ereptas in cælum subuehat. Est inquam Signum illud, de quo Dominus ad Achaz loquebatur Isa. 7. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum Inferni, siue in excelsum supra*. Signum siquidem hoc Virgineum sicut magnæ gloriæ, ac Maiestatis in excelsum supra extitit, cum eam vidit Ioannes Aquila illa volans, velut signum magnum ac Miraculum apparens in cælo, amictam Sole, Lunam habentem sub pedibus, & in capite eius Coronam stellarum duodecim, vniuersitatem quandam peccatorum nimirum, ad DEVM eius precibus conuersorum: Sic magnæ clementiæ, pietatisque nobis signum se esse ostendit, cum sibi deuoti clientuli animam de Inferorum profundo, ante finalem sententiam, velut quandam Euridicem reuocat, corporique reunitam ad salutarem pro sceleribus pœnitentiam, agendam, in hanc vitam reducit, tandemque beatitudinis æternæ compotem efficit.

45. O'admirandam, ò Diuinam planè Virgineæ huius Lyræ cælestis Orphei, siue in permouendis, attrahendisque, saxis ipsis ferisque magis duris, ac efferatis ad pœnitentiam peccatoribus, siue in eisdem ab ipsis Tartarei Cerberi faucibus reuocandis vim, ac energiam! O'quàm verè ipsa Virgo huius tam diuinæ sibi à Deo inditæ facultatis probè conscia dixit apud Salomonem Prou. 8. v.35. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet Salutem à Domino*. Seu vt legit Hebræus: *Inueniens me, inueniet vitas*. Seu vt legunt 70. Interpp. *Egressiones meæ egressiones vitæ*, quia videlicet cum Virgo ad nos iuuandos, quasi è cælis egreditur, non egreditur aliam ob causam, quam vt nobis vitam siue corporis, siue animi, sempiternam illam beatitudinem nimirum, siue statum illum omnium bonorum aggregatione perfectum in mortis articulo concedat. Reuera enim vt ait Sapiens Idiota:

Qui B.V. inuenit, inuenit vitas Spiritualem, & corporalem simul, etiam æternam.

Inuenta Maria, inuenitur omne bonum, ac per consequens vita corporalis, vita Spiritualis ad rectæ rationis normam Deique leges conformata, vita denique *æuiterna in clara illa Diuinæ essentiæ*, Trinitatisque augustissimæ visione cōsistens; quia clientulos suos efficacis gratiæ auxilijs impetratis, vel à peccatis præseruat, ne labantur, vel lapsos, & in interitum ruentes erigit; vel demùm iam vita functos in qua Infernalium hostium potestatem redactos, & Orci quasi Barathro absorptos, infinitâ quadam omnipotentia eripit, & à peccatorum maculis exomologesi sacra, emundatos ad faciem Diuinæ Maiestatis contemplandam in cælos introducit.

46. Vnde & Mitraton, hoc est Princeps facierum dicitur; quod ipsa prima ac Princeps super omnes Angelicas Hierarchias omnesque reliquos Sanctorum ordines vultui Dei semper assistens, clientulos suos ad beatissimam illam Patris, Filij ac Spiritus S. contemplandam faciem, qua vera beatitudo ac felicitas nostra continetur, libertate, felicitateque admirabili introducat. Vnde magnus ille Germaniæ Apostolus Petrus Carisius li. 1. de Deipara capit. 1. de mysterioso hoc ipsius nomine sic loquitur: *Hebræi inter arcana sua celeberrimum ducunt, vnam inter creaturas longè perfectissimam esse, ipsi Mitraton, hoc est, Principem facierum appellant, quia semper stat ante faciem summi Imperatoris, & ius habeat ad ipsius præsentiam benemeritos introducendi. Animaduersum est autem ab eruditis Mariæ Nomen cum illo Mitraton haud perperam conuenire, cùm numerus, & literis collectis respondeat, & supputanti summam efficiat 999. id est nongentorum nonaginta nouem*. Hæc Canisius. Qui numerus cùm summæ sit perfectionis, quod nouenarius ter in se ternarium augustissimam Triadem denotantem contineat; & triplicatus ille nouenarius nouem Angelorum choros in tres Hierarchias ad honorem Sanctissimæ Trinitatis distributos, vt obseruauit S Dionys. de cæl. Hier. c. 6. nobis præseferat. Quæ omnia declarare videntur Deiparam Virginem in se veluti speculo Diuinam Maiestatem eiusque augustissimas personas, cum attributis Potentiæ, Sapientiæ, ac Bonitatis, omnesque beatarum mentium in tres Hierarchias distributarum perfectiones repræsentare, dignamque esse proinde quæ Princeps super omnes creaturas etiam Angelicas constituta, ad faciem tantæ Maiestatis contemplandam mortales introducat: *faciatque nos haurire* vt ipsa loquitur, *salutem à Domino*. Seu vt vertit Hebr.

B V Mitratō i. Princeps facierum quare dicta.

B V suos clientulos ad Dei faciem in cælis contemplandam introducit.

Et

Et educet voluntatem siue beneuolentiam à Domino. Siue, vt Pagninus: *Et educet, quod voluerit à Domino*. Seu vt Chaldæus. *Et habebit beneplacitum à facie Dei*.
Seu denique vt 70. vertere. *Et præparatur voluntas à Domino*. Hauriet, inquam, fidelis Deiparæ clientulus salutem à Domino, quia post hanc vitam, eius fretus auxilio, in cælos euolabit, ibique hauriet de fonte aquæ vitæ æternæ, vbi inebriantur beati ab vbertate, domus Dei, & torrente voluptatis potantur.
Ibi Virgo hæc beatissima educet volũtatem ac beneuolentiam à Domino, qua velut filios complectetur, quod in Matrem suam beneuoli ipsi quoque extiterint. Ibi educet Virgo nostra quod voluerit à Domino, quia est Regina cælorum, accedetque ad Filium *non rogans, sed imperans, vt Domina, non Ancilla*, queadmodum loquitur B. Damianus.
Ibi habebit beneplacitum à facie Dei, quia omnibus eius petitionibus annuet Filius, & pro arbitrio suo ad diuinam faciem contemplandam fideles sibi seruulos introducet. Ibi denique præparabitur voluntas à Domino, nẽpe intercessione eiusdem Matris Sanctissimæ, vt quemadmodum ipsa in hoc sæculo præuenientem nobis impetrabat gratiam illuminãtem intellectum, mouentem affectum ad boni prosecutionem, ita in futura vita easdem potentias ad agnitionem summi illius æternique boni eiusdemque amorem, impetrato abundantiori lumine gloriæ, quod est fructus gratiæ, præparabit.

B.V. motus præuenientis gratiæ in nobis suis precibus excitat.

Quare motus præuenientis gratiæ, quos in nobis identidem experimur non aliter quam suauissimos huius Lyræ Virgineæ concentus nos acceptare conuenit, quibus ipsa nos ad bonum operandum intellectum illuminando, affectum inflammando præuenire pro innata sibi charitate consueuit.
Ipsa enim, vt ait Salomon Sap. 6. *præoccupat, qui se concupiscunt*. Atque ita, quod nos præuenienti gratia sua, Diuina dignetur Bonitas, Mariæ vtplurimum debemus, quia illa nobis suis patrocinijs illam impetrat. Illa saxea corda, illa efferatas indomitasque voluntates nostras velut Orphei Lyra ad se suauiter pertrahit, illa brutos ac belluinos animi nostri motus cicurat, ac mansuefacit. Benignum hunc Virginis in voluntatibus nostris præuenientis, intellexit affectum Concilium Basil. sess. 43. cum ait: *In cuius commemoratione, qui tribulati sunt, Mariam implorant, quæ gaudiorum huiusmodi memor, vt sperandum est, non solùm supplicantes exaudiet, sed sicut sua clementia consueuit, etiam supplicare volentium preces præueniet*.

B.V. supplicare volentiũ preces præuenit.

47. Caueamus ne ad Lyræ huius suauissimos concentus obsurdescamus, eosque pro nihilo habeamus, alioqui duriores saxis, feris immaniores, truncis insensibiliores, imò tantæ tamque effusæ benignitatis huiuscé Virginis contemptores, eiusque Maiestatis, imò & conscientiæ nostræ læsæ crimen incurrisse censebimur, ipsamet attestante. Prouer. 8. 36. Qui autem in me peccauerit lædet animam suam. Seu vt legit Hebr. *Peccans in me iniurius est animæ suæ*. Pagninus: *Spoliat animam suam*. Caietan. *Torquebit animam suam*. Chaldæus: *Disperdet animam suam*. Septuaginta Interpp. *Impiè agunt in suas ipsorum animas*. Verè enim quicunque sanctas eius inspirationes, ipsius consilia ad vitam rectè instituendam, legesque ipsius sodalitiorum velut quosdam Lyræ huius cælestis concentus negligunt, qui denique per summum nefas eius Nomen blasphemant, eiusque honori detrahunt, lædunt animam suam, peccati scilicet vulnere, quod omnino mortiferum est, si quidem ipsius Dei Filij dignissimam Parentem, quam ipsemet tantopere honorauit, vt ipsi subditus esse, eamque super omnem creaturam exaltare non sit dedignatus, contemnit. Lædit inquam animam suam, eamque diuinâ spoliat gratia, quod spolium necessario lethalis peccati vulnus consequitur, vti & tortura animæ. Incredibile enim est dictu quantis conscientiæ doloribus ac cruciatibus torqueantur ij, qui Deum eiusque Matrem suis sceleribus offendunt. Vnde præclarè M. Tullius 2. de Finibus, *stultos malorum conscientia torqueri*, & lib. 3. de Natiu. deorum: *Conscientiam graue pondus esse*. Et Isidorus denique lib. 2. solit. *Nullam pœnam grauiorem pœnâ conscientiæ asseuerauit*. Verè vt paucis tandem multa complectar impijssimi huiusmodi Deiparæ contemptores: *Impiè agunt in suas ipsorum animas*.

Pœnæ eorum qui offendũt B.V.

Conscientiæ stimuli quam graues.

Quemadmodum enim ij, qui in Virginem pij, ac deuoti sunt, pij quoque in suas animas, quas multiplici in hac vita gratiâ, omniumque virtutum genere,

Pii in B.V. sunt etiã pij in animas suas.

re, ac tandem in altera æterna exornãt gloria: ita contra in eandem Virginem impij, impij etiam in suam animam, dum eam tantis bonis, quæ Virgo suis amatoribus communicare consueuit priuant, censendi sunt.

48. Verissimè enim est illud quod ipsa Virgo supradictis omnibus attexit: *Omnes, qui oderunt me, diligunt mortem*, tam corporis videlicet, quam animæ, quæ prima mors dicitur, imò, & illam secundam, quæ est extremum malorum omnium, quod homini contingere vnquam potest. Offenso enim Deo, eiusque Matre absque ipsius reconciliatione, diuinæque gratiæ recuperatione, quid est obsecro, quam à morte prima properare ad secundam, quæ est damnatio sempiterna? A qua vtique omnes, qui mundum carnemque vicerint, ac triumpharint, vsque ad exitum ex hac vita, non lædentur, vt testatur Ioã. Apoc. 2. *Qui vicerit*, inquiens, *non lædetur à morte secunda*. Sed missis his, qui sunt vel in Virginem blasphemi, ac iniurij, vt Nestorij, Constantini, Capronymi, Heluidij, Oluini, Lutheri, aliaque huiusmodi monstra, qui tam nefanda, ore Tartareo in illam euomuerunt, peccare quoque in Virginem dicuntur illi, qui ad ipsius implorandum auxilium patrociniumque fiducialiter non accurrunt, qui illam non rogant, qui eius preces non exposcunt.

Peccant in Virginẽ, qui eam non rogant, nec eius patrocinium exposcunt.

Nam optimè dixit Doctor Seraphicus in speculo. *Non solùm in te peccant ò Domina, qui tibi iniuriam irrogant, sed etiam, qui te non rogant?* Certissimum enim huiusmodi homines diu absque tutela patrocinioque Deiparæ, in arrepta virtutis diuiniq; obsequij semita absque mortali peccato perseuerare non posse: quia sicut impossibile est vt quis assiduus, diligensque cultor Deiparæ, vt supra diximus, æternum pereat, ita quoque moraliter loquendo impossibile quasi est, vt patrocinij eius expers diutius in Dei gratia eiusque seruitio perseueret, & saluus fiat. Vnde B. Franciscus Borgias olim Dux Gandiæ, dum Prouincialis officio fungeretur, visitans Nouitiatum cuiusdam Prouinciæ, cum quæsijsset, Tyrones quosnam quisque ex illis patronos inter sanctos sibi delegisset? Cum aliquos patrocinium Deiparæ neglexisse intellexisset, conuersus ad illorum Magistrum, eos ipsi sedulo commendauit, metuens ne in

Sine patrocinio B. V diu aliquis sine peccato mortali, aut in diuino obsequio viuere nequit.

Dei famulatu non essent perseueraturi; & sanè prædictioni respondit euentus. Nulli enim ex illis, vtpotè adulterinæ plantationes, quas Pater cælestis minimè plantarat, radices altas dedere, sed mox eradicati sunt. Nimirum ex illis electis non erant de quibus Virgini præcepit omnium Creator, vt in eorum cordibus mitteret radices. Quare Deiparam alloquens S. Bonau. 12. Psal. scitè dixit: *Quem vis ipsa, saluus erit, & à quo auertis faciem tuam vadit in interitum*. Idem rursus; *Qui dignè coluerit illam iustificabitur, & qui neglexerit illam, morietur in peccatis suis*. Denique Psalm. 75. expertus idem Sanctus optimos dulcissimosque Virginei huiuscé cultus fructus, palam de illius benignitate, est gloriatus: *Adiutorio sancto ipsius euasi pericula mortis, & de manu crudelis sum ereptus. Gratias Deo tibique Mater pia pro omnibus, quæ assecutus sum à pietate, & misericordia tua.*

Quē vult B. V. ipse saluus erit, à quo vero faciem auertit vadit in interitum.

S. Bona. fatetur se auxilio B.V. euasisse pericula mortis.

49. Quæ cùm ita se habeant, iure vnusquisque nostrum suauissimas huius Virginis sacratissimæ inspirationes, velut harmonicos Othrysiæ Lyræ concẽtus, quibus saxa ipsa emollita, efferatæ belluæ mansuefactæ sunt, audire debet; quo perdomitis, eius gratiæ beneficio, brutis animi affectionibus, alijsque humanæ vitæ vitijs, quæ nos ad sempiternam mortem deducunt, ab ipsis Orci faucibus, anima nostra velut altera Euridice reuocetur. Verè igitur Deipara, suauissima dici potest peccatorum, vti iam diximus, Lyra ac cithara, quâ saxeum pectus nostrum emollitur, quâ ferini rebellantesque animi nostri motus cicurantur, quâ denique in huius vitæ miseriis incredibili gaudio, lætitiâque perfundimur.

B.V. Organũ lætitiæ.

50. Quapropter B. Andreas Cretens. Epist. serm. de Annunc. sic Deiparam salutare, non dubitauit: *Salue lætitię Organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata, ac veri gaudij plena facta est compensatio*. Eodem sermone pro affectu suo in Virginem pijssimo eam sic salutauit: *Salua sis immensi gaudij Genitrix*. Eandem ob causam tertiam illam filiam Iobi Deiparam repræsentãtem, S. Gregorius magnus à Cornu tibiæ musico instrumento denominauit, aitque eandem etiam tertium hominum ordinem regnantem in cælis denotare lib. 35. Moral. cap. 13. *Quia verò*, inquit ille, *tertio ordine, est humanum genus etiam*

B.V. immensi gaudij Genitrix.

B.V Cornu tibij dicta quod lætitiã in nobis pariat.

carnis

carnis reſurrectione renouatum, in illo concentu æternę laudis aſſumitur tertia filia, quæ Cornuſtibij vocatur. Quid enim per Cornuſtibij niſi lætantium concentus exprimitur? Ibi enim veraciter impletur illud. Cantate Domino canticum nouum. Ibi à nobis Conditor noſter laudum ſuarum veraces cantus recipit, qui humanum genus condendo Diem redimendo Caſiam, & aſſumendo Cornuſtibij fecit. Qui enim lux fuimus conditi, & nunc ſumus Caſia redempti, erimus quandoque Cornuſtibij in exultatione æternę laudis aſſumpti.

B.V. omnium lætantium habitatio, & omnis lætitiæ cauſa.

Hinc crediderim Deiparam à S. Damaſceno orat. 2. de Dormit. B. V. *Omnium lętantium habitationem, & omnis lętitię cauſam appellatam:* Hinc B. Albertus Magn. Tract. ſuper Miſſ. ait eſſe Virginem illã Ciuitatem Dei, de qua glorioſa dicta ſunt, lætantium inſuper omnium habitationem: *Dicitur,* inquiens, *Beatiſſima V. plena hominibus lætantibus.*

Ipſa enim continet, ſeruat, & ambit, intra ſe eſſe lætitię, omniumque hominum affectum trahit ad ſe, ac denique omnium deſiderium quietat in ſe. Vnde ipſa eſt lętantium quoddam ſpeciale Regnum cælorum. Idem Albertus eodem Tractatu: *Beatiſſima Virgo,* inquit, *fuit omnibus comprehenſoribus ac viatoribus cauſa gaudij ac lætitię:*

B.V. omnium hominum affectum ad ſe trahit, & omnium deſiderium quietat in ſe.

Hinc Sara in eius figura dicit: *Riſum fecit mihi Dominus, & omnis, qui audierit corridebit mihi: Quaſi dicat: Gaudium principaliter pertinet ad me, alijs autem ex conſequenti, & per me. Eidem Virgini canitur in figura Judithę: Tu lętitia Iſrael Iud. 14. Quod ſi Iſaias cap. 9. duplici ex cauſa in diebus Meſſiæ lętitiam orituram hominibus affirmauit, ex fructuum nimirum vbertate ac victoria:*

B.V. ſpeciale eſt lætãtium Regnum cælorum. B.V. Lætitia Iſrael.

Lętabuntur coram te, ſicut, qui lętantur in meſſe, ſicut exultant victores captâ præda, ſummâ certè, ac ſuperfluenti perfrui lætitia debuit Deipara beatiſſima, eamque in ceteros deriuare; tùm quia benedictum illum ventris ſui fructum, frumentum illud electorum portauit, ratione cuius eius venter effectus eſt aceruus tritici vallatus lilijs. Tum, quia de hoſte Tartareo in ipſo inſtanti conceptionis victoriam reportauit, eiuſque ſpolia diripuit, dum ex faucibus Leuiathan mundum eripuit. Sic fere Albertus.

51. Agnouit dulciſonam plenamque lætitiæ ſpiritualis ac gaudij eſſe Lyram Virginem noſtram idem S. Ioannes Damaſcenus in Hymn. Eccleſiaſticis, dum eam ſic ſalutauit:

B.V. eſt intemerata omnium lętitia.

Salue fons perennis fluenti,
Salue Paradiſi delicię,
Salue Turris fidelium,
Salue intemerata
Omnium lætitia.

Agnouit, & ora. 1. de eiuſdem dormit. dum eius vel ſuauiſſimam memoriam miris ſolatijs animos mortalium reficere aſſeuerauit: *Sufficit,* inquiens, *ijs certè, qui tui memoriam piè vſurpant precioſiſſimum memoriæ tuæ donum, quippe, quæ eiuſmodi lætitiam pariat, quam nullus eripere poſſit. Quanam enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem ſuam ſanctiſſimę memoriæ tuæ promptuarium efficit?*

Mariæ memoria huiuſmodi lætitiã parit, quam nullus eripere poteſt.

Audiſſe ſuauem huius Lyræ Virgineæ melodiam viſus eſt Seraphicus Bonauentura Pſalm. 59. dum eius abreptus ſuauitate ſic eam eſt allocutus: *Tu mæſtis exultationem infundis, & mærentibus lętitiam & dulcorem. Lętifica nos dulcifluo ſono oris tui, & liquore tuo roſeo perfunde corda noſtra.* Et Pſalm. 34. *Anima mea in te lætabitur, tuiſque beneficijs deuotus exultabo. Gratiâ, & dulcedine tua pleni ſunt cæli, & terra. Curramus ergo chariſſimi nobilemque hanc, & dulcifluam Virginem ſalutemus, vt in eius dulcedinis gremio conquieſcamus.*

Miris bonis impletur is, qui mentem ſuam memoriæ Virgineę promptuarium efficit.

52. Audiſſe denique Lyræ huius dulciſſimos modulos viſus eſt Martinus de Magiſtris Theologus, qui in Paraph. ſuper Salue Reg. Deiparam cum Eccleſia vitam Dulcedinemque ſalutans, eius abſorptus ſpiritualibus delicijs exclamauit: *O ſuauitas noſtra! O ſanctiſſima collachrymantium dulcedo!*

B.V. Mira dulcedo.

Tu dulcedo noſtra cum languorem diſſipas.
Tu dulcedo cum imbecille ſenium diſcutis.
Tu dulcedo cum aridis nobis virorem inſtillas.
Tu dulcedo cum aduerſos ſanctitudini conatus cohibes. Tu dulcedo cum deſideria noſtra certa ratione metiris. Tu dulcedo cum ſublato ſuauitatis labore, quicquid agimus mirâ iucunditate reſpergis. Quare iure merito de huius Diuinæ Lyræ vocibus, ac modulis canere ac concludere poſſumus cum Papinio ſtatio;

Hyblæis, vox mixta fauis cui ſibila ſerpens
Poneret, & ſęue vellent ſeruire nouercę.

Et cum Claudiano;


Vel quis non ſitiens ſermonis mella polliti
Deſerat Orpheos blandâ teſtudine cantus.

53. Suauiſſimam hãc Virginis vocem, ac melodiam deguſtauit Religioſus ille ipſius ſtudioſiſſimus, de quo Cæſarius lib. 7. c. 22. Hic cùm aſſiduus in Virginis eſſet obſequio, aliquam eius viſitationem expetijt; nocte igitur concubiâ ingreditur pomarium, ſublatiſque in cælum oculis ardenti deſiderio ſola-

ſolatium aliquod ſpirituale expectat, cum ecce tibi duæ Virgines pulcherrimæ Agnes, & Catharina Deiparæ prodromæ, clariſſimo ſplendore radiantes de cælis aduolant, queruntque amicè ſingulæ: *Nunquid non desideras audire cãtum meum?* Cùm ille annuiſſet, adeò ſuauiter viciſſim modulatæ ſunt, vt ſummopere fuerit recreatus. Tandem beatorum Spirituum ſtipata choris ipſa miſericordiæ Mater aduenit, blandaque voce ſuum clientem compellauit: *O frater chariſſime, ſi placuerit, deuotiſſimum tuum famulatum dulci melodiâ compenſabo.* Præcinente itaque Virgine melos ſuauiſſimum, mox frater ille, cantus prælibatâ duntaxat modicâ dulcedine, in ectaſim rapitur, totuſque à ſenſibus alienatus in faciem corruit. Die poſtera ſic à ſe alienatus repertus à fratribus, Abbati fauores Virginis recenſere compellitur. Ipſe verò tanti memor beneficij, maiori ſedulitate Deiparæ, vti par erat, reliquo vitæ tempore deſeruiuit, mœroreſque in hac lacrymarum valle paſſim occurrentes, Matris miſericordiæ liquidiſſimis ſolatijs, velut cæleſtis Lyræ concentibus, totius vitæ decurſu ſuauiſſimè temperauit.

B.V. ſuauitate cantus deuotum ſuum clientulum recreat.





DISCVRSVS XVII.

Quod signum Aesculapij B. V. Deipara repræsentet, quod in curandis hominum morbis omnem ipsius artem superauerit.

1.



Nter reliquos medicæ artis peritos fertur extitisse apud antiquos Aesculapius Epidauro oriundus, qui eam ob causam, & inter Diuos relatus, & inter celebriora cæli sydera computatus, constellationem, figuramque efficit hominis serpentem manu gestantis, quod in sanando, ab Inferisque reuocādo Hyppolito, ei serpens herbam ore portans occurrerit, qua ille mox vsus iuueni vitam restituit. Fabulantur hunc Poetæ, Apollinis Medicinæ peritissimi, fuisse filium. Vnde cum Romæ contagiosa lues aliquando grassaretur, Senatusque Delphici Oraculum consuluisset Apollinis, quidnam facto opus, vt vrbs ab extremo interitu vindicaretur, suasit ille suum, Epidauro aduocandum Filium Aesculapium, qui mox vt Romam aduenit, vrbem contagione pestifera liberauit. Rem totam descripsit Ouid. lib. 15. Metam. his versibus.

Aesculapius Hyppolitum quanam ratione ab Inferis reuocauit.

Roma lue contagiosa infecta per Aesculapiū sanata.

Dira lues quondam Latias vitiauerat auras
Pallidaque exangui squallebant corpora morbo.
Funeribus fessi, postquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,
Auxilium cæleste petunt, mediamque tenentis
Orbis humum Delphos adeunt Oracula Phœbi,
Vtque salutifera miseris succurrere rebus
Sorte velit, tantæque vrbis mala finiat, orant.
Et locus, & laurus, & quas habet ipse pharetras
Intremuere simul, cortinaque reddidit imo
Hanc adito vocem, pauefactaque corpora mouit:
Quod petis hinc, propiore loco Romane petisses,
Et pete nunc propiore loco; nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus opus est, sed Apolline nato;
Ite bonis auibus, prolemque accersite nostram.

Oraculum Apollinis.

Tunc idem Poeta descripta Aesculapij in serpentem metamorphosi, aduentum illius toti vrbi salutarem fuisse concludit:

Hic se de Latia Pinu Phœbeius anguis
Contulit, & finem specie cæleste resumptâ,
Luctibus imposuit, venitque salutifer vrbi.

2. Insigne huius Aesculapij Templum scribit Strabo lib. 8. fuisse Tetrapoli, quæ ciuitas ab Ionibus, & Caribus habitabatur. Erat fanum illud multitudine ægrotantium, & varijs morbis laborantium plenum, & parietes pictis tabellis vbique tecti, in quibus scripti erant morbi, nominaque eorum, qui se ab illo Deo sanatos fuisse credebant. Quam etiam ob causam, velut grande quodpiam Numen illum adorantes, cælis, inter sydera intulerunt. Vnde M. Tullius lib. 2. de legibus: *Aesculapius*, inquit, *veluti Dij cæteri propter beneficia quæ in genus humanum contulisse dicitur, fuit in Deorum numerum relatus.* Sic enim, inquit, *Diuos illos, qui cælestes semper habiti, colunto, & ollos, quos in cælum merita reuocarint, Herculem, Liberum, Aesculapium.*

Aesculapii insigne Tēplum tetrapoli, in quo plurimi sanabantur infirmi.

3. Huic

Gallus æsculapio ob vigilantiam sacer.

3. Huic Gallus erat sacer ob vigilantiam, ac diligentiam. Vnde Socrates in Phœdone apud Platonem, *se Gallum debere*; ait; *Aesculapio Medico, cùm gallus illi mactari consueuerit*. Eidem dicatus fuit serpens ob acrem videndi vim. Vnde ὄφις, ab aspiciendo dictus.

Item serpens ob acrem cernendi vim.

Hinc Horatius:

Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum
Quam aut Aquila, aut serpens Epidaurius?

Cur Aesculapius baculum serpente inuolutum gestet?

Eandem ob causam solis qui videt omnia, Filius existimatus est. Denique Aesculapius baculum serpente inuolutum gestare consueuerat ideò, quod Medicina sit humanæ vitæ sensim labantis fulcimentum, & anguis multis remedijs conficiendis sit accommodatus, vt videre est in præparatione remedij longè præstantissimi, videlicet Theriacæ. Atque hæc de Aesculapio dicta sufficiant.

4. Medici huius porrò tam præstantis constellationem refert longè præstantissime Virgo nostra, quæ sicut animarum, sic, & corporum humanorum, imo totius mundi, efficacissima est medicina. Ipsa enim est Mater illius qui, & animis, & corporibus afferens medicinam aiebat: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*. Vnde S. August. *Magnus de cælo venit Medicus, quia per totum mundum magnus iacebat ægrotus*. Hinc S. Gregorius Thaumat. serm. 3. de Annunc. *Adest*, inquit, *per Mariam ægrotantibus Medicus, in tenebris sedentibus Sol iustitiæ*. Hinc Goffridus Cardin. serm. 2. de Natiuit. Domini. *Non est*, inquit, *amplius miseris desperandum de venia, quibus hodie in humana carne nascitur de Virgine Misericordia. Hodie de cælo datur medicina mundo, per quam infirmæ, & peccatrices animæ sanantur, & damnata, factaque deformis peccato, humanæ conditionis Natura in statum pristinum reformatur*.

M. quia peperit totius mundi Medicum animis simul, & corporibus mederi nouit.

Hanc ob causam S. Germanus Archiepiscopus Constant. orat. de Præsent. B.V. *Eam debilitatis suæ potentiam, insanabilium vulnerum suorum medicinam dixit*.

M. insanabilium vulnerū Medicina.

5. Hæc est Terra illa de qua Eccli. 38. Altissimus de Terra creauit Medicamentum. Quæ verba ponderans Rich. à S. Laur. lib. 1. de laud. B.V. *Altissimus*, inquit, *de terra Virgineæ carnis creauit medelam, corpus videlicet Christi. Hæc medicina de plenitudine Mariæ nobis profluit. Vnde ipse Christus ait Eccli. 24. Ego fluuius Doryx, quod interpretatur medicamentum generationis, quia ipse sanat omnes infirmitates nostras*. Idem lib. 2. *Ait Deiparam Apothecam medicinæ nostræ curationis extitisse*. lib. 8. vocat eandem *Terram hordei quod est naturæ frigidæ; & inde fit potus febricitantibus ad caloris refrigerium, quia infirmantibus per peccatum attulit medicinam*. Paucis interpositis appellat *Virginem Terram de qua oriuntur flores, & herbæ, species aromaticæ, & radices, è quibus conficiuntur medicinæ; De illa siquidem nata sunt membra saluatoris, quibus in Passione Cruceque contritis humanum genus persanatum est*. Idem Richard. lib. 12. ait *Deiparam esse Hortum sanatiuum, & medicinalem, ratione herbarum, aromatum, specierum, & arborum, medicinalium, quæ ibi crescunt, quarum singulæ singulas habent virtutes. Viola enim humilitatis, medetur malo superbiæ. Lilium Virginitatis adustioni luxuriæ; &c. Sanatiuus est denique Hortus hic, quia ex illo natus Christus est, qui medicus, & medicina est omnis morbi. In horto illo voluptatis lethaliter infectum, & vulneratum est genus humanum: contra in horto hoc inuentum est nostræ salutis remedium. Dicere ibi videtur Eua: Ego occidam. Respondit Maria: Et ego viuere faciam*.

M. est Terra de qua nobis prouenit Medicina.

M. Apotheca est nostræ curationis.

B.V. Hortus Medicinalis.

6. Quapropter Hieron. Vida Albæ Episc. in Hym. Magnæ Matris Deiparam humano generi, Protoplastorum scelere, languenti salutarem medicinam afferentem Euæ opposuit, eleganti que celebrauit anthitesi:

M. quam sit Euæ contraria.

Qua primùm dias prodisti in luminis auras,
Luce eadem nostræ spes est exorta salutis.
Fœmineos lapsus, ignominiaque pudendam
Vlta tui generis, genus ipsum ad sydera tollis.
Prisca hominum Genitrix, & Matrum maxima Mater
Prima tulit generi tristis contagia lethi.
Tu Virgo longo post tempore prima salutem
Felici peperisti vtero mortalibus ægris.
Illa dedit merso lacrymas, tu gaudia mūdo.
Illa homini inuenit pœnas, tu præmia; per te
Ianua aperta pijs cæli, quam clauserat illa
Circumuenta dolis malesuadi, & fraude Colubri.
Ipsum tu valido victrix pede proteris anguem,
Frustra insultantemque, & sibila colla mouentem.

Cum nata M. nata nobis est simul spes salutis.

7. Hæc Virgo nimirum est Nebula illa mysteriosa, quæ festinatione suâ omni languenti humano generi præ-

B.V. festinans Nebula.

sentissimam attulit medicinam. De qua sapiens Eccli. 43. Medicina omnium in festinatione Nebulæ. Audiendus hic iam memoratus Richa. à S. Laur. lib. 12. de laud. Virg. *Per Nebulam istam*, inquit ille, *congruè designari potest Maria. Quæ benè dicitur Nebula, quia à terre sis eleuata; quæ festinauit, quando ex fidelis cordi: abundantia eructauit verbum illud bonum: Fiat mihi secundum verbum tuum; Perque hoc verbum medicinalem curationem idest Christum, qui languores nostros portauit*. Isa. 53. *nobis contulit*. Exemplo quoque suo medicinam cõseruatiuam nobis præbuit, quia eius imitatio gratiam conseruat, & accumulat.

8. Non dissimiliter locum illum exposuit Cæsarius lib. 7. ca. 25. vbi cum recensuisset quâ ratione Adamo Monacho Cœnobij Luchensis tetra purulentaque capitis scabiæ laboranti Deipara medicamen præscripserit, eumque sanctissimarum suarum manuum attactu omni capitis dolore, quo vexari consueuerat, liberauit, tandem hæc addit in persona Apollonij: *Vt video medicina Beatæ Virginis nihil efficacius, nihil est salubrius. Nec mirum, ipsa Medicum genuit, ipsa, medicinam generis humani ex se produxit. Vnde scriptum est Gen. 1. Germinet terra herbam virentem secundum genus suum, idest, Maria Christum hominem qui animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est. Idem expressius in Ecclesiastico: Altissimus de terra creauit medicinam, ex carne scilicet Virginis Mariæ saluatorem, siue salutare, quod medicus, & medicina est, Quid ergo mirum si apud ipsam sunt medicamenta sanitatum, quæ hortus est aromatum?* Ibidem ait in Monte Pessulano eius Templum reperiri, in quo infirmis, præsertim pauperibus ad eius patrocinium confugientibus mox sanitas restituitur. Quare medici tantæ gratiæ inuidentes, hominibus egenis morbo aliquo laborantibus, consiliũque ab ipsis remediumuè postulantibus, ironicè dicere consueuerunt: Ite ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ, deferte ei lumen, & recipietis sanitatem. Nec spe sua frustrantur, passi enim à medicis repulsam ad Matrem mundi saluatoris, ac Medici recurrentes, sanantur; Concludit denique: *febricitantes, qui ei ieiunium trium Sabbatorum vouent pristinam consequi sanitatem consueuisse. Ipsumque eius Nomen & memoriale morbos sanare*.

Medicina B. V. nihil efficacius, nihil salubrius, quia ipsa Medicum genuit.

B. V. in Mõte Pessulano Templum miraculosũ.

Febricitãtes trium Sabbatorum ieiunium B. V. vouentes, sanantur.

Nomen & memoria le. Mariæ morbos sanat.

9. Hanc ob causam crediderim eam à D. Ioan. Damasc. orat. 1. de Natiu. *Miraculorum officinam* fuisse appellatam: *Miraculorum item abyssum, fontemque vniuerso orbi medicinam afferentem*. Eandem ob causam orat. 2. de Dormit. Deipar. *Abyssum gratiæ, & pelagus curationum eandem vocitauit*. Eadem oratione testatur, *quod in Virginis ex hac vita transitu morbi fugam capessebant, & Dæmonum cateruæ pellebantur, atque ad subterraneas partes vndique exigebantur. Hic surdis auditus, claudis pedum firmitas restituebatur: Peccatoribus in fide accedentibus syngraphæ lacerabantur*. Ibidem denique per prosopopeiam sepulchrum Virgineum sic loquens introducit: *Nunc me circumdant Angeli, nunc diuina me habitat gratia. Ego euasi officina medicinæ ægrotantibus, ego fons perennis curationum, ego remedium contra Dæmones. Ego Ciuitas refugij omnibus ad me confugientibus*. Hinc B. Andr. Cretensis Epis. orat. 2. de Dorm. Deiparæ agnoscens virtutem in ea eximiam ad perpetranda quæuis miracula, aptè pronunciauit: *Quid enim ex ijs, quę sunt longè maxima non processit in ea cum maxima virtutis abundantia? Quid verò ex ijs, quæ spectant ad ostendenda miracula non productum est admirabile? adeo vt omnium miraculorum, quę quomodocunque facta sunt, aut fiunt, esse effectricem in omnium auribus resonet*.

M. Miraculorum Officina & abyssus.

M. Fons vniuerso orbi Medicinam afferens.

In B. V. ex hac vita trãsitu morbi fugabantur.

Miracula in morte B. V. perpetrata.

Sepulchrum B. V. Officina Medicinæ ægrotantibus, & fons perennis curationum.

10. Quid S. Basilium Seleuciæ memorem Archiepiscopum qui orat. 39. quæ est de Annunc. B. V. ait ipsam miraculorum virtute longè sanctos omnes antecellere? *Quis*, inquiens, *magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur? Quis quanto eos omnes interuallo post se relinquat, quos diuorum loco habemus, non miretur? Si enim Christus seruis tantam gratiam contulit, vt solo contactu, imo verò sola corporis vmbra ęgris pręsidium afferre posset, qualem vim aduersus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est? an non multo maiorem quam ceteris Christi imperio subiectis? omninò res clara est. Ecquid mirum si sancti cum in viuis etiam nunc degebant, prępotenter operabantur, cum terra quoque non omnem, vita hac mortali iam perfunctorum, vim, & energiam vna cum illis prorsus obruere potuerit? Constat namque saxa illorum corpora ita tegere, vt interim, si eo quo par est modo adeantur, sibi addictos tueri ac cõseruare non desinant. Nam si talibus tantam miracula patrandi virtutem, contulit DEVS, qualem educationis mercedem Parenti donasse, quantisque charismatis, donisque* illam

B. V. miraculorum virtute sanctorũ omnes lõgè antecellit.

M. magna virtus à Filio collata aduersus omne morborum genus.

Virtus morbos persanãdi collata B. V. in educationis Christi mercedẽ.

illam exornasse existimandum est? Sic ille.

11. Ob admirabilem hanc in sanandis infirmis virtutem Deiparæ S. Damascenus orat. 1. de Nat. B.V. eam Probaticè Piscinæ, *in cuius porticibus iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum,* vt S. Ioan. 5. affirmat, comparare non dubitauit, *longeque præstantiorem humano generi varijs morbis languenti, attulisse medicinam.*

B.V. Probatica Piscina morbos sanans.

Hæc enim non ministrum Angelum accepit, vt ipse loquitur, *sed illum magni consilij Angelum, qui tanquam bona pluuia in vellus absque vllo strepitu descendit, atque in omnem naturam morbo laborantem atque ad interitum vergentem, in certam sanitatem, ac vitam senio carentem restituit, ob quam Paralyticus ille tanquam ceruus exilijt.*

12. Neque verò Virginea hæc piscina ad motum aquæ vnum duntaxat infirmum pristinæ reddit sanitati, sed omnes planè quotquot ad eius patrocinium confluunt. Tanta enim eius est latitudo charitatis, vt omnes prorsus amplectatur eisque etiam priusquam inuocetur benefacere studeat: *Omnibus enim hæc pientissima Mater misericordiæ sinum aperit,* vt loquitur S. Bern. *vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem* Piscinæ huius latitudinem ægros omnes curantis nobis ob oculos proponere visus est S. Amad. Hom. 8. de laud. B.V. postquam enim varia eius spiritualia beneficia, & multiplices animarum languores ab ea arte quadam Diuina persanatos recensuisset, hæc attexit: *Non solùm autem animarum saluti, verum etiam humanorum corporum sanitati pia diligentia prouidet, & medetur.*

Quam ampla sit Virginea Piscinæ latitudo ægros omnes curantis.

Varios morbos B.V. sanat.

In locis quippè memoriæ sanctitatis eius dicatis, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbensque innumera beneficia sanitatum. Accedunt ad eius limina rei tundentes pectora, confitentes delicta, & accepta venia læti ad propria reuertuntur.

Accedunt etiam mente capti, capite languidi, phrenetici, maniaci, arreptitij, nocturno timore, aliquoque phantasmate, seu certa maligni incursione delusi, qui recepta sospitate, diuini muneris largitatem assequuntur. Accedunt nihilominus qui amaro sunt animo, mœsti, egeni, afflicti, desolati, ære alieno obligati quodque grauissimum est viuentes cum dedecoris nota, respersi. Horum & omnium de quacunque tribulatione clamantium, illa libens preces suscipit, & Nato supplicans omne malum ab eis miseratrix auertit. Eiusdem Piscinæ mortales, insanabilesque languores persanantis videre sibi visus est latitudinem Baptista Mant. libr. 1. Parthen. cum varia ipsius in genus humanum collata beneficia commemorans, canebat:

Quot traiecta graui seruauit pectora telo?
Pectora Poconias, quæ non valuere per artes,
Restitui, nec opis nostræ poscentia quidquam?
Quot famis exhaustos macie vix ægra trahentes
Membra, datis cælo dapibus miserata reducit
Robur ad antiquum, viresque refundit in artus?

Morbos ope humana incurabiles B.V. Sanat.

Tandem varijs eius benignitatis commemoratis exemplis sic concludit:

Ipsa est aduersis commune in rebus Asylum.

B.V. commune in rebus aduersis Asylum.

13. Tanta est huius, morborum humani generis sapientissimæ Curatricis benignitas, vt suarum etiam sacratissimarum, omnique acceptione dignissimarum manuum attactu languentes curare non dedignetur. Vnde S. Bonau. Ps. 13. sic est modulatus: *Tuo tactu lenissimo sanantur infirmi, tuo odore roseo mortui reuiuiscunt.* Quantam, DEVS bone, ostendit benignitatem Deipara in deuotam illam viduam, de qua scribit Iacobus de Vitriaco Cardin. lib. 2. cap. 3. Cùm enim calentissimis febribus æstuaret visa est Deipara, à B. Maria Ocgniasensi, viduæ illius lectulo assistere, & flabello quodam æstum febrilem temperare. O quam aptè B. Albertus Magnus Tract. super Missus, *Virginem beatissimam: Vmbraculum infirmorum vocitauit!*

B. V. lenissimo tactu sanantur infirmi.

B.V. lectulo cuiusdam viduæ febricitantis assidens æstum flabello temperabat.

15. Tanta est illius in infirmos charitas, vt ipsa quodammodo illorum fieri medicina, pharmacum atque apotheca non dedignetur. Vnde S. Damascenus eam in hunc modum salutare non dubitauit: *Gaude pharmacum, dolorem omni pectore propulsans: Gaude Virgo, per quam mors submouetur, & vita importatur.* Beatus verò Ioannes Geometra Hym. 1. eandem *mærorum medicinam* nũcupauit. Quare S. Ephrem serm. de laud. B.V. iure eam salutauit: Aue nostra consolatrix, quæ mœrores sedasti, oppressorum molestias leniisti cunctasque oppressiones sustulisti.

B. V. est pharmacum dolorem ab omni pectore propulsans.

M Mœrorum Medicina.

Ean-

Eandem ob causam aptè pronunciauit supra memoratus Cæsarius cap. 1. *Apud ipsam electuaria sunt confortatiua, vnguenta sanatiua*. Hinc B. Andreas Cretensis Episc. orat. 2. de dormit. Deiparæ inter varia illius encomia pronunciauit: *Hoc est ineffabile, & planè inperscrutabile hominum, quæ ante principium extitit, curationis antidotum. Per hanc data nobis sunt salutis pignora*. Illam enim antequam quidquam vniuersorum conditor faceret à principio, humanarum tàm animi, quàm corporis ægritudinum in mente sua diuina, destinauit curatricem. Quapropter B. Albertus Magnus eodem Tractatu Physicæ ac Medicinæ ait fuisse peritissimam. Idque probat quod in sacris literis fuerit versatissima, in quibus variarum arborum, florum, herbarum, gemmarum, animalium medicinæ deseruientium sit mentio, quarum naturam proprietatesque callere sine dubio debuit Deipara, vti & animæ, cuius cognitionem Aristoteles ad omnia, & maximè ad naturalem scientiam comparandam valere asseruit. Accedit quod ipsa solo verbo curare nouerat morbos omnes tàm animi, quàm corporis, & quidem ad immortalitatem, quod ne quidem Aesculapio concessum fuit. Denique ait idem Albertus nullius Eucratici morbum adeo fuisse incurabilem, qui sciret possetque eum curare. Ex quibus omnibus tandem concludit, eam Medicinæ scientiam habuisse in summo.

B.V. est ineffabile curationis antidotum.

B.V. Medicinæ peritissima.

15. Deuotissimus verò Bernardinus Bustius 4. Par. Mar. serm. 9. probat in Virgine fuisse gratiam sanitatum. Siquidem & Medicum, & Medicinam omnium sanatricem generauit, ac per consequens ipsa quoque cum Filio totum orbem persanauit. Verissimè enim libr. de causis pronunciauit Philosophus: *Quod est causa causæ, est etiam causa causati*. Huius beneficij mundo collati Virgo sibi probe conscia iure dicebat Prou. 8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*.

B.V. Medicū & Medicinam omniū sanatricem nobis generauit.

16. Quapropter scitè idem Bernardinus Deiparam contulit Horologio Achazi 4. Regum 20. de cuius stirpe erat oritura, in quo cum Sol decem lineis retrocessisset, Ezechias Rex lethali morbo laborans pristinæ restitutus est sanitati. Verè enim cum sempiternus ille iustitiæ Sol Virgineum hoc horologium multiplicibus potentiarum tàm spiritualium quàm corporearum aptissimè inter se concinnatis dispositisque rotis, optimè instructum, omnibusque nouem Angelicorum ordinum, humanæque naturæ perfectionibus ceu lineis exornatum esset ingressus; ac relictis nouem illis rectissimis lineis naturæ Angelicæ, in decima naturæ humanæ, quam assumpserat, paulo minus minoratus ab Angelis, substitisset, orbis vniuersus incurabili illa, scelere protoplastorum contracta infirmitate, liberatus est.

B.V. Horologium Achazi.

18. Ab hoc verè vitali Sole, qui Virginem, velut animatum quoddam, beneque concinnatum Horologium irradiarat, vera vita per hominum peccata iam emortua, deriuata est. Ille nobis, & viuificatrix lux, & viuificans Aesculapius similitudinem peccatricis humanitatis nostræ, ceu serpentium naturam veneno peccati carentem assumendo, extitit. Quam ob causam sapientissimus hic animarum nostrarum Medicus, iure merito se serpenti illi Mosaico comparauit Ioan. 3. *Sicut*, inquiens, *Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*. Quam sententiam considerans S. Elias Episc. quæsiuit: *Quonam modo is qui, vt DEVS natura bonus est, serpens dicitur? Quoniam secundum nos, qui voluntate mali sumus, factus est in similitudinem carnis peccati, & inter iniquos deputatus est. Hoc nomine serpens Dominus dicitur, quod cum humanam naturam suscepit, in similitudinem peccati extitit*. Quā ob causam cum constellationem illam Aesculapij serpentem manu gestantis conspicimus, imaginemur videre nos Virginem Deiparam nostrorum morborum tàm animi, quàm corporis peritissimam Curatricem, Dei Filium, similitudine carnis peccati circumdatum, vlnis suis baiulantem, vt toti humano generi saluberrimam exhibeat medicinam.

Cur Christus serpenti Mosaico sese comparauit.

18. Quod si caro naturaque Christi, est caro ac natura Mariæ, quis dicere verebitur proprietatem quandam serpentis habuisse Virginem, vt quondam Aesculapius, non ad vnam duntaxat Romam, verum orbem vniuersum, contagiosā illa protoplastorum lue infectum, pristinæ restituendum sanitati? Quis illius iam perspicacissimam in nostris miserijs, ac morbis contemplandis videndi facultatem,

B. V. ob Christum sua carne circundatum quidam Aesculapius est.

ac

ac vigilantissimam prouidentiam non admiretur? Siquidem serpentis Aesculapij, Solis omnia videntis Filij, naturam in se repræsentat? Quis illam labantis naturæ nostræ baculum, ac fulcimentum quoddam serpente obuolutum, vt illud Aesculapij esse neget? Siquidem ex filij eius tanquam serpentis, omni peccati veneno carentis, carne ac sanguine omnium morborum, quibus humanum genus conflictatur, præsentissima ac preciosissima conficitur medicina?

B.V. Vnguentaria quędam pyxis ad omnia peccanda curanda.

19. Hanc ob causam Richard. à S. Laur. lib. 10. de laud. B.V. eam vnguentariam quandam Pyxidem ad curãdos hominum morbos peridoneam appellauit: elogium illud sponsi applicando Cant. 5. Venter eius eburneus distinctus Saphyris. Seu vt legunt alij: *Venter eius sicut pyxis eburnea, super lapidem Saphyrum*, scilicet purissima. Venter enim Virginis ob puritatem Virginalem, qua ebur saphyrumque, naturam videlicet Angelicam, superauit, rectè eburnea pyxis dicitur, quia in illa nobis Pater vnguentum medicinale Filium nempè suum transmisit, quo mundus, qui omnimodâ infirmitate laborabat, sanatus est. Sic ferè Richar.

Imago B.V. Sozopolitana manu sua vnguentum medicinale fundebat.

20. An non vnguentaria quædam Pyxis extitit Imago illa Deiparę Sozopolitana, de cuius manu scaturiebat vnguentum, quo plurimis infirmis, varijs morbis laborantibus sanitas reddebatur? De Imagine hac in Nicena Synodo II. Act. 4. fit mentio occasione recitatæ Epistolæ Germani Patriarchæ Constant. de cultu sacrarum Imaginũ, *quibus valetudo bona debilibus conciliatur*; in qua sic loquitur; *Extra omnem controuersiam est in Sozopoli Pisidiæ Ciuitate Imago Virginis Matris intemeratæ, quæ ex picta manu sua vnguentorum scaturiginem effundit, cuius sanè miraculi plures testes sunt.* Hæc Germanus.

21. Et verò testis oculatus est Eusthatius, qui ait in vita S. Entichij, vt videre est apud Sur. 6. Apr. ad sanctum illum virum dũ Amaseæ pro fide Christi exularet, venisse Androgium quendam cum coniuge, eumque rogasse, vt suis precibus à Domino impetraret, ne filij mox in lucem editi, vt ei sæpius cõtigerat, morerentur; qui accepto oleo Sozopolitanæ Virginis vtrumque coniugem in nomine Domini nostri IESV Christi perũgens, voti cõpotes effecit.

Oleum ex Imagine B.V. emanans quã mirabile.

22. Simile prodigium in altera Deiparæ Imagine contigisse scribit Raynaldus in suis Annalibus Eccles. Anno 1204. num. 26. *Narrat*, inquiens, *Matthęus Parisius prodigia de Oleo ex Imagine Virginis, quod in Phialam limpidissimum coniectum, in carnem concreuit, cultelloque perstrictum guttas sanguineas effudit: Eodem anno*, inquit ille, *feria tertia ante Paschalem solemnitatem contigit miraculum omni laude dignissimum de oleo Imaginis Matris Dei apud Sardenai (à Damasco is locus sex milliarium interuallo distat) in hunc modum: Accidit in carcere militum Christianorum in Castro Damasceno, vt miles quidam extraheret de suo armario Phialam in qua posuerat de oleo illo, quod de Icone Dei Genitricis apud Sardenai distillat. Sed cum diligenter Phialam illam inspexit, in qua oleum reposuerat lucidissimum, & instar aquæ fontis perspicuũ, apparuit in ea Oleum incarnatum, sed in duas partes diuisum hærebat; namque ima pars olei in inferiori parte Phialæ, & altera in Superiori. Miles autem accipiens cultellum suum voluit coniungere partem Superiorem cum inferiori: Sed continuo vt acies cultelli oleum istud incarnatum tetigit, videntibus capellanis, militibusque captiuis, & cæteris vniuersis, guttæ sanguinis inde cunctis admirantibus mirabiliter effluxerunt. Pluribus enarrare pergit, quanam ratione Deiparę Imago à quodam Monacho, multis eius beneficio patratis miraculis, ad pientissimam quandam sanctimonialem Constantinopolim delata fuerit; subditque Imaginem incredibili, atque admirando modo carne indutam, è qua liquor sacer cõtinuo emanaret. Procedente denique tempore*, inquit idem Parisius, *res dictu mirabilis contigit, & hactenus inaudita. Nam Imago hæc admirantibus cunctis, cœpit paulatim mammillis carnis liquorem emittere, & mirabiliter carne vestiri. Vnde hucusque à mammillis deorsum carne videbatur induta, à qua liquor ille incessanter distillat, quem liquorem Fratres Templi ad domos suas deferunt, cum inducias habent à paganis; vt peregrinis orationis gratia aduentantibus inde distribuant, quo honorem Dei Genitricis in diuersis mundi partibus venerenter attollant; dum nimirum sacer ille liquor varia morborum genera sanat, variaque prodigia perpetrat.*

Fons Constantinopoli Leoni Imperatori indicatus qui cęcis visum restituebat.

23. An non vnguentaria quædam pyxis fuit fonticulus ille Constantinopoli à Diua Virgine ostensus Leoni Imperatori, vt scribit Niceph. lib. 15. cap. 25. qui cæcis visum restituebat, ad quem etiam voce de cælo lapsa, Templum, ab eadem Virgine suo honori

ædi-

ædificare iussus est, his verbis: *Tu fac vt ędem mihi sacram hic construas, in qua identidem verser, & suauiter deambulem, in qua etiam precantibus omnibus, locumque hunc cum ardore, & fide certâ adeuntibus optata prestem omnia. Neque quidquam est prorsus quod mihi aduersetur, & non continuo potestati meę cessurum sit, etiamsi Dæmō sit, aut morbus, qui omnem superet medicinę curam, aut aliud quidquam, quod factura non sim, dummodo ritè pièque petitum sit.*

24. Neque sanè Virgo nostra in promittendo, quam in exequendo ea, quæ promisit pro sua consueta benignitate omnibus ad suum patrocinium confugientibus ægrotis minus prompta esse consueuit. Narrat Cæsarius libr. 7. cap. 23. Ottonem quendam adolescentem nobilem acuta febri, & fistula in locis secretioribus, quam ob verecundiam pudicus iuuenis medicos celarat, lethaliter laborasse; cum omnia desperata humana remedia cerneret, Deiparam in remedium crebro inuocabat. Iamque ab omnibus exspirasse credebatur, cùm ecce Virgo ipsi adesse dignata est cum Filio, quē blandè alloquens: *Fili*, inquit, *da mihi puerum istum*. Cui Filius: *Tuus sit*. Vix hæc profatus, æger mox respirat, ac reuiuiscit, cum circumstantium admiratione. An non hic Virgo sapientissima Aesculapium quendam Diuinum illum serpentem, quo vulnera nostra languoresque curantur gestantem repræsentare nobis visa est?

Moribundus adolescens Deiparæ deuotus ab ipsa inuisitur, & sanatur.

25. Neque vero benignissima Virgo Deipara Christi fidelibus dumtaxat in eorum ægritudinibus ac morbis, verum etiam infidelibus, ac Turcis, pro ingenita sibi facilitate opem afferre consueuit. Testis est Rutilius Benzonus Episc. in Psal. 86. cap. 31. cui titulum hunc præfixit: An aliquod auxilium B. V. perueniat ad Ethnicos ac Infideles? Et respondet omnino peruenire, eoque potissimum vtitur argumento, quod non solum Israelitas, sed etiam Ethnicos Templum Salomonis, quod figura extitit Deiparæ, adeuntes orationis causa constet Dei virtutem in seipsos sensisse, multiplicesque ex eo fructus reportasse. Patet id ex Ioan. 12. & Actor. 8. Idem fatetur Heliodorus 2. Mach. 3. vbi Dei flagellis in Templo fuit castigatus per Angelos, atque ita in eo Dei virtutem verè adesse cognoscere coactus est. Quod si Dei virtutem, Templique sanctitatem sentiūt Ethnici, cur non etiam Virginei huius animatique Spiritus Sancti sacrarij experientur, cum eam Saraceni, ac Turcæ in suis Templis venerentur, & benedicant, teste Lyrano, qui eorum citat Alcoranum, vbi cap. 75. Mahometus in ipsius laudem sic loquitur: *Nullus nascitur de filijs Adam, quem non tangat Sathan, & ideo plorat vociferans ex eius tactu, præter Mariam, & Filium eius. Multi perfecti fuerunt ex viris, nulla perfecta vnquam ex mulieribus nisi Mater Yse idest, IESV*, capite vero 5. sic idē eam alloquitur: *O' Maria cunctis viris, fęminisque præclarior, solique Deo perseueranter studens. O' Maria DEVS vtique elegit te claram, puramque reddidit super mulieres sæculorum. O' Maria DEVS annunciat tibi Verbum ex ipso, Nomen eius IESVS Filius Mariæ; & erit honorabilis in hoc sæculo, & in futuro*. Hanc cognitionis lucem de IESV, eiusque Matre habere nequiuere Mahumetani, absque Virginis omnium Illuminatricis auxilio; quo, si abominandis sceleribus, & maximè ijs, quæ contra naturam sunt reiectis vsi fuissent, iam pridem Christianam Religionem fuissent amplexi, ait Benzonius.

Etiam infideles opem B. V. sentiunt.

Mahometus laudat B. V. eiusque Filium.

26. His igitur tam abominandis hominibus uè dicam an pecudibus, Virgo nostra benignissima etiam benefacere non dedignatur. Quod idem Benzonus probat exemplo Corcuti Turcarum Bassæ, qui cum Anno 1552. esset Constantinopoli, & ex graui occultoque pectoris apostemate ad extremum vitæ discrimen deuenisset, à pio quodam eius seruo Christiano fuit admonitus iam moribundus, vt Lauretanam Virginem cuius admirabilem vim in morbis cuiuscunque generis depellendis illum edocuerat, inuocaret. Vouet igitur Virgini si ab illo morbo fuerit liberatus, sè in eius gratiam illum seruum libertate donaturum. Nec vota irrita cecidere Bassæ; mox enim tetrum illud dirumpitur apostema, seruusque effectus liber, cum literis ac muneribus transmittitur Lauretum ad Virginem. Literæ porro ex originali Arabico versæ ita sonant, & habentur Laureti: *Quod bonum, fortunatumque nobis esse velit magnus ac misericors mundi Dominus. Cum mihi ipsi diuinitus quiddam euenerit, ego Corcut Bassa, ne meo desim officio, tantæque rei monimentum aliquod extet, rem omnem ordine exponam.*

Corcutus Bassa Turcicus vouet B. V. Lauretanæ si sanitatem recuperet se Christiano seruo datu-rum libertatem.

Literæ Corcuti missæ Lauretum cū muneribus.

Ortum

Ortum erat atrox apostema nobis in pectore, iamque haud dubium imminebat exitium, cum desperata à Medicis salute, meus me seruus adijt, & sanè fidenter: si mihi libertatem polliceris, inquit, Dei mei Matrem exorabo, vt tibi pristinam restituat valetudinem.
Itaque ego confestim accersito Tabellione libertatem ei repromisi, si ipse promissa præstaret. Extemplo seruus positis humi genibus, & quædam super se signa ducens manu, rogitat, vt semet verbo præeuntem sequar.
Inde ipse præire his verbis cæpit: Ego B. Mariæ Lauretanę opem imploro; Monenti obsecutus triduo post, Deo fauente, conualui.
Ergo seruo in libertatem vindicato hoc chirographum dedi cum votiuis donis, quæ meę obseruantię, gratique animi monimenta sunt, B. Marię Parenti prępotentis Dei, qui nos saluos velit. Sic ille.

Alius Bassa eidem Lauretanæ Virg. vestem argenteã margaritis ornatam donat.

27. Narratur quoque in ijsdem Lauretanis Annalibus Anno 1529. Bassam quendam Turcicum argenteam Aræ vestem margaritis adornatã Lauretanæ Virgini donum misisse Clemente VII. Pont. Max. vt orbis intelligeret Virginem Deiparam communem omnium gentium esse Patronam, ac Curatricem, omnibusque pro ingenita sibi benignitate opitulari paratam, cum sit illi cura, absque personarum acceptione, de omnibus.

Imago B.V. prope Damascum Oleum salutiferum fundit.

28. Ostendit benignitatem hanc suam Virgo Deipara in quadam sua Ecclesia apud Saracenos tribus tãtum milliaribus Damasco distante; in qua ipsius depicta Imago oleum fragrantissimum iugiter effundit, quo non modo Christiani, verumetiam Saraceni, & Iudæi à variis morbis sæpè sanantur, vt scribit Arnoldus Abbas subetensis testis oculatus, & Cæsar Baronius ad Annum 870. Oleum porro hoc nunquam imminuitur quantumuis inde copiosè à varijs sumatur.
Ad Templum hoc die in cælos assumptionis Virgini, & eiusdem Natiuitati potissimum sacro omnes Saraceni orãdi causa confluunt, suasque maxima cum deuotione cærimonias peragunt; oleumque hoc quod Matris misericordiæ, est pietatis effusissimæ symbolum secum asportant præsentissimum variarum infirmitatum remedium.

Soldanus Damascenus cæcus oleo B V. visum recuperat.

Quod Anno 1203. Soldanus Damascenorum penitus cæcus effectus, expertus est. Cum enim auxilium Virginis implorasset, infusione olei illius Virginei visum recepit: inque suæ gratitudinis erga misericordiæ Parentem testificationem, olei sexaginta metretas annuas ad lumen ante altare eiusdem Virginis perpetuis temporibus alendum, lumenque pro lumine reddendũ, assignauit. Primum enim obiectum, quod visu recepto vidit, lampas illa coram altari lucens fuisse perhibetur.

Imago B. V. oleum vbertim fundit.

Ex illo tempore cæpit vberius oleum illud à memorata Virginis Imagine scaturire, & sequenti anno planè in carnem solidari. quo anno miraculis crebescentibus, & ob Soldanum curatum, & ob idem Oleum in carnem solidatum, fama celebris in Oriente fidem nostram solidauit. Admirabilis hæc Imago ea est, quæ Anno 870. translata erat Hierosolymis Damascum, quam antea possederant Constantinopolitani, eratque in tabula lignea depicta.
Sed postea pictura, quod verè dictu est admirabile; super ipsum lignum est in carnata. Atque hæc fortasse fuerit Imago illa cuius paulo ante meminit Raynaldus.

Rex Moxomotapæ per Imaginem B.V. ad fide Christianam cum Matre conuertitur.

29. Sed maius longè beneficium salutis spiritualis hoc nostro sæculo in Aethiopia eiusdem Deiparæ imago barbaro Moxomotapæ Regi exhibuit, dum eum ad Christianam fidem conuertit. Cum enim eam noster Pater Consaluus Sylueria secum ex Europa deportasset, illique aram in maperali suo, in quo habitabat erexisset, & coram illa rem sacram quotidie de more perageret, delatum est ad Regem, pulcherrimam Consaluo domi esse Puellam. Mittit igitur illico Rex ad Patrem, vt Coniugem, quam secum ex Europa adduxerat, ad se mittat.
Errorem intelligẽs Consaluus Iconem Virginis, precioso tegmine inuolutam ad Regem defert, eamque SS. Incarnationis Mysterio breuiter exposito, postulanti donat, quam mox Rex prostratus veneratus est. Astitit postea, nocte quadam, benignissima misericordiæ Mater ea specie quam tabula referebat, de nocte semisopito Regi, clarissima luce circumfusa, eumque alloqui visa fuit ignota lingua. quod cum Rex doleret, didicit à Consaluo linguam illam esse Diuinam, quam nemo, intelligeret nisi baptizatus. Itaque illuminante Illuminatrice Virgine, tam Rex, quam Regis Mater Christianis Sacris initiati sunt, & illi quidem Sebastiani Regis lusitaniæ, Matri vero MARIAE

Ccc no-

nomen inditum. Ex quibus omnibus clarè effusissimam Deiparæ benignitatem, qua absque vllo personarum discrimine omnibus subuenire consueuit perspicimus, quo tanto magis in castissimum eius amorem exardescamus.

30. Verum quod omnem humanæ mentis excedit captum meque quodammodo reddit attonitum, illud est, quod Virgo nostra non modo manibus, ac oculis, verum etiam purissimis suis vberibus Virgineoque suo lacte hominum morbos curare non sit dedignata. Adeò vt reuera ei dicere possimus: *Quia meliora sunt vbera tua, non modo vino, sed omnibus terræ medicinis, & eorum fragrantia vnguentis optimis*. Expertus fuit hoc Clericus ille Niuernensis Virgini deuotus, qui cùm animam ageret, medicina Virginei huius lactis vitæ est restitutus, vt testatur B. Petrus Card. Damian. lib. 6. Epist. 29. *Cùm enim*, vt ipse loquitur, *velut egressurus in eius pectore spiritus anxiè palpitaret, ecce gloriosa Mater Dei sibi visibiliter adstitit, & sacri vberis papillâ lac exprimens, eius labijs instillauit, & diuinæ virtutis antidoto protinus ille resumptis viribus, ex infirmitate conualuit, & mox clericalibus ornamentis indutus Ecclesiam adijt, sese que choro psallentium fratrum latus interserens, mirum videntibus spectaculum præbuit. Dicitur etiam quod adhuc tunc in labijs eius quædam lactis videbantur vestigia.*

B. V. lacte suo purissimo aliquos ægrotos sanat.

Eundem pietatis affectum Virgo benignissima S. Fulberto Epis. Carnotensi velut dilectissimo suo Filio ostēdit ante sexcentos, & amplius annos. Cùm enim hic S. Antistes mira in Dei Matrem ferretur pietate, ac igne sacro correpta esset eius lingua, ita vt totus ardere videretur, nocte quadam cum præter morem cruciaretur, obtulit se ei visendam Matrona nobilis, à qua monebatur vt os aperiret, quod cùm fecisset, mox ex sacris suis vberibus lac expressit in os eius, quo ita refrigerata est lingua, vt ardorem omnem extinxerit, eumque perfectæ sanitati restituerit. Nè autem illusio aliqua videretur, mãserunt in Fulberti gena guttæ aliquot, quas ipse diligenter sudario exceptas collegit, hodieque in thesauro Ecclesiæ Carnotensis summa cum veneratione seruantur. Ita testantur Annales Ecclesiæ Carnot. Et Baron. To. 12. Anno Christi 1028.

S. Fulbertus Episcopus eodem lacte B. V. ab igne Sacro in lingua liberatur.

31. Quid Reginaldum Aurelianẽsem Decanum commemorem quem Virgo Deipara duabus comitata Virginibus lethali morbo lecto affixum inuisere, eumque blande alloqui: *Pete, inquiens, à me quod vis, & dabo tibi*; non est dedignata. Cùm ille dubius hæreret quidnam esset petiturus, vna ex Virginibus Deiparæ socijs suggessit, ne quid peteret, sed totum se Reginæ misericordiæ committeret voluntati. Paruit ille, cùm ecce Virgo manu suâ ægrotantis oculos, aures, nares, os, manus, pedesque salutari, quam secum tulerat, vnctione perunxit, & statim pristinæ restituit sanitati; vt S. Antoninus testatur in sua Historia.

Reinaldus ægrotans à B. V. vnctione quendam cælesti Sanatur.

32. Quid tandem iam membra deperdita à Virgine hac pientissima, arte planè Diuina hominibus restituta commemorem? Testatur sanè Cæsarius libr. 7. cap. 24. Clerico cuidam, quod sacrum in honorem Deiparæ die Sabbati celebrasset ab Albigensibus hæreticis linguam fuisse exsectam, quã illi Mater benignissima, his cum verbis, affectu planè materno alloquens restituit; *Quia propter Filij mei fidem, honoremque mihi exhibitum, linguâ tuâ priuatus es, ecce nouam tibi restituo*. Qua recuperata, tanto beneficio non ingratus salutationem Angelicam identidem iterans, omnibus contestatum reliquit, Deiparam esse vnicam, post Filium, hominum curatricem ac medicinam.

Sacerdoti quod Sacrũ die Sabbati in honorem B. V. celebrasset Albigenses linguam rescindunt, quam illi mox eadem Virgo restituit.

33. Rem miram Pelbartus Themisuariensis lib. 12. Par. vlt. cap. 11. de de S. Ioanne Chrysostomo, se legisse in quodam libro memorat, quod nimirum cum Vir iste aspectu, vultuque esset pulcherrimo, à nescio qua mulier-cula ad flagitium fuerit solicitatus. Quæsiuit Vir Sanctissimus quid tandem in eo quod tantopere ad amaret, inuenisset; Respondit, se labijs eius esse captam, quod vbi intellexit Chrysostomus, ea mox mirando potius quam imitando exemplo abscidit, eique tradidit. Verum cùm se postea prædicationis munere ad populum fungi non posse videret, recurrit ad opem Virginis Deiparæ, quæ ei sese amicissimè visendam exhibens, aurea prorsus labia restituit, à quibus Chrysostomus nuncupari meruit.

B. V. aurea labia B. V. restituit.

34. Quid quod Diua Virgo non modo membra amore sui deperdita, verum etiam iuuentutem pristinam, vt se

se Lignum vitæ esse ostendat, quemadmodum eam S. Ber. Sen. appellat, restituere consueuerit. Testatur hoc idem Pelbartus lib. 12. Par. vlt. cap. 6. vbi narrat Religiosum quendam Anglum extitisse adeò cultui Deiparæ addictum vt quoties Nomen Mariæ audiret, toties summâ religione curuatis poplitibus eidem reuerentiam exhiberet. Tandem senio confectus cum amplius ex lectulo absque aliorum auxilio nequiret assurgere, & pietatem nihilominùs illam in Virginem exercere tentaret, nec posset, piè exclamauit: *Dulcissima V. Maria adiuua me*. Nec spe sua, auxilioque Dei Genitricis frustratus est. Illicet enim Virginibus stipata Virgo Virginum apparuit, eique suppetias tulit, & ad florentem viri, trigesimum annum agentis ætatem, summa omnium admiratione reduxit.

Religiosus qui Nomen B.V. curuatis poplitibus venerabatur cum iam senex esset, iuuentuti ope B.V. restituitur.

35. Quid iam vrbes peste afflictas referam, quibus B.V. velut quidam Aesculapius opem præsentissimam attulit? Quid Constantinopolim commemorem, quæ cùm Iustiniani Imperatoris temporibus sæuissimâ pestilētia vexari cœpisset, & nulli ętati, nulli sexui, nulli loco parceret, tantūq; tribus mēsibus inualuisset, vt teste Procopio lib. 2. de bello Persico quinque, & sæpe decem millia efferentur in dies singulos, cumque plures etiam diuites, ministris iam omnibus extinctis, curatorum penuria magis, quam morbo perirent, & insepulti iacerent, recursum est ad patrocinium Deiparæ, inquè eius honorem Purificationis ipsius solennitas instituta est. Gratam eam solennitatem accidisse Deiparæ comprobauit euentus; mox enim mortalitas cessauit.

B.V. Pesti Constantinopolitanæ medetur.

Constantin. facto Voto Purificationem B.V. Celebrandi à peste liberatur.

36. Quid Vrbem Romam commemorem? Quæ tempore Greg. Magni Pontif. contagiosa lue fuit afflicta, ac depopulata, sagittis corporali visu cælitus venientibus, & singulos penè ferientibus, vt scribit idem Greg. 4. Dial. cap. 36. Huic tandem tam atroci calamitati Virgo quoque Deipara suppetias tulit. Summus enim Pontifex Gregorius elata Solenni omnium ordinum pompa S. Mariæ maioris Imagine Vrbi sanitatem, lętitiamque restituit. Quacunque enim Imago illa sacratissima ferebatur, teter ille, pestilens, grauisque aer cedebat, optataque salubritas succedebat. Vnde tandem Angelus ad molem Adriani consistere, nudatumque gladium recondere in vaginam visus est. Quo signo intellexere omnes, precibus, ac patrocinijs Deiparæ propitiatum Numen contagiosam illam luem fuisse amolitum. Plura videnda apud Carolum Sigon lib. 1. de Regno Isal. Anno 500. & 590. Item apud Baron. Tom. 8. Anno 590. Quapropter iure Virgo hæc vt quondam Aesculapius à Romanis salus publica vocitanda, iure illi ara erigenda est, vti videre est apud Alciatum Emblemate 149. in quo, salutis publicæ, lemmate præfixo, serpens Altaris sacrificio colitur, hisque versibus celebratur:

Roma ope B.V. à peste liberatur.

S Mariæ Maioris Imago in peste à S. Greg. Pont. in processione gestata pestem depellit.

B.V. merito Salus Publica vocitanda.

Phœbigena erectis Epidaurius insidet aris,
Mitis, & immani conditur angue DEVS,
Accurunt ægri, veniatque Salutifer, orant,
Annuit, atque ratas efficit ille preces.

37. Experta quoque est Posnaniensis Poloniæ celebris Ciuitas, in contagiosa lue præsentissimum hoc Deiparæ Virginis remedium. Vnde Ciues illi gratitudinis memores illustri pictura Dei Matrem pro Ciuitate sua orantem repræsentarunt, tabulamque ad perpetuam rei memoriam in claro Monte Cestochouiensi Virgini sacro, hac additâ epigraphe posuerunt:

Posnania Poloniæ Vrbs per B.V. peste liberatur.

Posnamia Virgini Matri ex voto.

Diuum atque hominum spectatrix Hera tutelaris spem speratam quam Ciuitati Posnaniensi obtulisti, ob domos, familiam, vrbemque post multorum annorum pestilentiam à Te protectam, Respublica grata hoc te primùm ab se misso delato in Claro monte tuo veneratur munere, vt sis in casibus Mater sospita. Quodsi beneficijs tuis eandem muneri addas perpetuitatem, salui, incolumes maiora soluemus. Neque hæc Posnania tecum paciscitur, cum ipsa libens volens gratuito benefacias omnibus, sed quia tibi ab omnibus debentur omnia. Accipe & faue. Sic P. Andres Goldonouschy Sacri Ordini S Pauli Primi Eremitæ in Mirac. Diuæ Claramont. cap. 4. in cuius etiam honorem, purissimum vitalemque quendam Aerem Virginem agnoscens, hos versiculos piè modulatus est.

B.V. purus ac vitalis nobis est Aer.

O plena æreo vigore Virgo
Aer omnipotens, sacer, serenus.
O puro aere, purior Maria.
Per quam copia luminis beati,

Puro aere purior Maria.

Largo fonte fluit, serena per quam
Cœli munera carpimus rogantes.
Tu Cupidineas beata flammas
Grato frigore dissipa, fugaque.
Respirare iube tuos clientes,
Suspirare iube tibi dicatas,
Aspirare iube tuas ministras,
Puro corpore, facque mente puras.

38. Et licet gloriosissimæ Virginis inuocatio præsentissima sit contra contagiosam luem Medicina, est tamen vel maximè Angelica ipsius Salutatio. Cuius virtutem Pelbartus lib. 1. stellar. Par. 5. art. 1. se pluribus vicibus, in sua infirmitate expertum fuisse testatur, cum in Hungaria, lue inguinariæ esset infectus: Vbi enim, vt ab alijs idem expertis fuerat edoctus locum apostematis nouies cruce consignasset, & ad singula signa totidem Angelicas Salutationes recitasset, saluus incolumisque ope Virginis euasit.

Salutatio Angelica remedium contra pestem.

Nouies recitanda Salutatio Angelica, & nouies plaga Cruce signanda.

Crediderim nouenam illam Salutationem, in honorem nouem mensium, quibus Incarnatum Verbum totius humani generis Medicus ac Medicina in Virgineo conquieuit vtero potissimum fuisse directam, indeque virtutem illam admirabilem fuisse mutuatam.

Hinc idem pijssimus Pelbartus libro 7. P. 3. art. 3. postquam dixisset *Deiparam habuisse gratiam miraculorum;* addit *ipsam miraculum omnium miraculosissimum, nobilissimum, ac incompræhensibilissimum, fide sua perpetrasse, cum ad verbum illud: Ecce Ancilla Domini fiat, &c. DEVS factus est homo, Mater, & Virgo, & Christus in vtero adhuc existens perfectus homo.* Attexit ex S. Germano Deiparã adhuc in vita hac mortali adeo claruisse miraculis, vt innumeros ægros, debilesque curauerit.

B. V. adhuc in vita miraculis claruit, & innumerabiles ægros curauit.

Testatur denique *quod omnes ad eam venientes infirmi, curabantur; curui, claudi, debiles, cæci nati, leprosi, paralytici, surdi, muti, hydropici, epileptici, febricitantes, phrenetici, caducum morbum patientes ac fluxum sanguinis. Ex omnibus etiam prouincijs ait multos varijs languoribus laborantes, ad Mariam deductos, omnesque curatos. Ad hæc plurimæ fœminæ prægnantes Nomine Virginis inuocato, de partus periculis fuere liberatæ, vt & vinculis, carceribusque detenti.*

Prægnantes Nomine B.V. inuocato, partus periculis liberatæ.

39. Atque vt Deiparam longè excellentiorem absque vlla comparatione Aesculapio Hyppolitum ad vitam reuocante, intelligamus, refert idem Pelbartus ex eodem S. Germano tres mortuos ad vitam à Virgine hic adhuc viuente fuisse reductos. Primus ex his viduæ cuiusdam Filius fuisse perhibetur vnicus, qui labore suo matrem sustentabat. Alter fuit, Filia Vgo Simonis cuiusdam Apostolorum discipuli, quæ cum repentina morte decessisset, eidem Dei Mater suis precibus vitam restituit, eamque in suo contubernio ad extremum vsque suæ vitæ diem, beneficium beneficijs cumulando retinuit. Iudith denique Matrona Christiana cum vno partu gemellos parturisset, simulque viuere desijsset, & à Parentibus amicisque Virgo nostra benignissima ad opem illi ferendam fuisset implorata ipsa pro sua facilitate ad corpus iam emortuum accessisse memoratur, & IESVM inuocando ipsi vitam restituisse. Nec illud prætermittendum omnino videtur, quod idẽ Pelbartus ex S. Germano recenset Fidelem nimirum extitisse Mulierem, Virgini antea notam, quæ cum vnicum haberet filiolum, eumque ex agro Leo abripuisset, cum diu multumque eũ Mater solicita quæsiisset, magna cum fiducia accurrit ad Virginem orbitatemq; suam deplorauit. Cui Dei Mater: *O mulier*, inquit, *fiduciam habe in DEVM IESVM filium meum, qui potens est tuum natum reddere viuum, sanumque.*

B.V. adhuc viuens tres mortuos ad vitam reuocauit.

Puer abreptus à Leone, ope B.V. Matri restituitur.

Prædictioni huic respondit euentus. mox enim Leo saluum incolumenque puerum ante domus Matris ipsius fores collocauit.

40. Nec hoc nostro sæculo Virgo Deipara huiusmodi prodigia perpetrare desinit. Anno enim 1617. vt habetur lib. 4. Histor. Vveyerensis V. cap. 6. Petrus Kuning filium habebat bimulum, quem cum vxor, domesticis occupata laboribus, in altiori ac pensili loco, nec fascijs inuolutum, nec ligaminibus vllis à casu munitum deposuisset: is è somno exprectus corpusculum hinc inde motitans ad marginem vsque perreptando, capite prouo ac præuio decidit in pauimentum, cranioque cõuulso, concusso, ac dissoluto, manante ex auribus, ore, naribus, oculis copiosissimo sanguine, tandem exspirauit. Post varia parentum ac vicinorum lamenta tempus humandi appetebat. Et ecce dum congregantur, in funus prodituri, suggeritur plane cælitus vtrique parenti, vt supplices Dei Parenti fiant. Itaque coram omnibus in genua procumbunt, Deiparæ intercessionem

Puer acerba morte extinctus ope B.V. vitæ redditur.

nem

nem apud Filium inuocant, suam sibi prolem ad vitam restitui deprecantes, Addunt insuper annuæ peregrinationis votum cum sacro Donario.

Adhuc in oratione perdurabant, cum ecce tibi lutidum pueruli vultum rubescere, aperire labia, oculos moueri ac lacrymas emittere conspiciunt stupore attoniti circumstantes. Tum infantulus corporis totius tremore, & quasi animam iam denuo carni vnitam recepisset, & ploratu pariter, ac si iam primum è matris vtero prodiens, lucis huius vsuram auspicaretur, se vitæ compotem indicauit. Tandem erigit se omnino sanus absque vllo doloris sensu, aut signo, moxque comedit ac bibit, remanentibus interim aliquantisper luxationum signis, quæ tamen, & ipsa breui disparuerunt.

B. V. in furcā iniustē astos liberat.

41. Quid tandem de ijs dicam, qui ad furcam iniustè fuere damnati, & à Virgine clementissima iam patibulo appensi prodigiosè planè in vita conseruati? quod ab Aesculapio nunquam factum audiuimus. Lucius Mornicus libr. 5. de rebus Hispan. oculatus testis rem scribit admirabilem in hoc genere his verbis: *In antiquissima Ciuitate, quam S. Dominici Calciatensis vulgus nominat, Gallum vidimus, & Gallinam, qui dum viuerent cuius coloris fuerint ignoramus, postea vero cum iugulati essent, & assi, candidissimi reuixerunt, magnam Dei potentiam, summumque miraculum referentes. Cuius rei veritas sic habet. Vir quidam probus, & vxor, & adolescentulus Filius magnæ probitatis ad S. Iacobum Compostellam proficiscentes ad hanc vrbem diuertunt ad quendam hospitem, qui adultam filiam habebat, quæ pulchri adolescentis amore capta, ad stuprum eum inuitauit. Abnuit Adolescens, vnde amor puellæ in odiū versus, & ei nocere desiderans craterem patris sub tempus, quo discedere parabant in eius cucullo abscondit. Cum peregrini mane profecti essent, exclamat puella craterem sibi supreptum. quod audiens Prætor mittit, qui peregrinos reducant. qui cum accessissent, puella ex cuculla (erat tegmen rusticum assutum pallio ad arcendos imbres) adolescentis craterem educit. quare in campum eductus lata in eum sententia, suspensus est, miserique parentes cum Filium deplorassent, Compostellam peruenerunt. Vbi solutis Deo votis ad locum redierunt vbi filius eorum suspensus fuerat, & Mater multis profusis lacrymis, licet obnitente viro ad Filium accessit. Cumque Filium suspiceret, dixit illi Filius: Mater optima noli flere super me, ego enim viuus sum, quoniam Deipara Virgo, & S. Iacobus me seruant incolumen. Vade ad Iudicem, & dic ei me viuere. Currit Mater ad Prætorem mensæ tunc assidentem, qui Gallum, & Gallinam assos scindere parabat. Filius, inquit, meus viuit, iube illum solui. Prætor existimans eam somniare: quid ais, respondit, bona mulier? ne fallaris, ita viuit Filius tuus vt viuunt hæ aues. Quæ cum vix protulisset, ecce tibi Gallum, & Gallinam saltantes in mensa, ac Gallus quidem statim cantauit, cantuque ostendit se viuere. Prætor attonitus cōtinuo vocat Sacerdotes, qui cū ciuibus proficiscūtur ad suspēsum, & inuenerunt eum lætantem, quem, & parentibus reddunt. Domum reuersi Gallum, & Gallinam viuos capiunt, atque in Ecclesiam transferunt, magna solennitate: quæ ibi clausę Dei potentiam testantes seruantur, vbi septennio viuūt, & in fine septennij, antequam moriantur pullum relinquunt, & pullum sui coloris, & magnitudinis, & id fit in illa Ecclesia quolibet septennio. Magnæ quoque admirationis est, quod omnes peregrini, & transeuntes, qui sunt innumerabiles Galli huius, & Gallinæ plumam capiunt, & nunquam illis plumæ desunt. Hoc ego testor, quia vidi, & interfui, plumamque mecum fero.* Sic ille.

42. Huic ferè simile miraculum est, quod refert P. Antonius Balinghen in suo Kalend. B.V. 12. Martij.

Anno 1322. quidam Thomas Faber reus habebatur homicidij cōmissi Tolosæ, & ad ampliorem faciendam eius rei fidem equuleo torquetur. dolore miser victus fatetur, quod non perpetrauerat delictum. Educitur igitur ad supplicium, seseque B. V. commendat, idem rogat, vt faciant spectatores.

Tortor illum è scala deijcit, at fracto fune collo eius inserto, in terram absque vlla læsione decidit. Iubent Iudices nouum funem parari; sed rursus fune fracto illesus remansit. Obstinati Iudices tertium funem nouum adhiberi imperant, qui proinde vti priores, diruptus est. quærant tandem Iudices ex homine quid hoc rei esset, & vnde tot prodigia? Respondit: Interpellaui Dei Genitricem, vt me à morte, quam non commerueram dignaretur liberare, quod sua pietate tertio ab ea præstitum, vt vidistis. O admirandā Deiparæ omnipotentiam, quæ suos clientulos ex tantis vitę periculis tanta cum pietate eripit.

43. Verum missis antiquis huiusmodi miraculis quibus libri penè omnes

nes pleni sunt, aliqua quæ hoc nostro hoc sæculo contigere recenseamus.

In Hispania Michael quidam Pellizer adolescens annorum 19. cum ex curru quo triticum vehebatur excidisset, & crus illi dextrum à rota esset confractum Valentiam ad domum hospitalem pauperum est delatus; vbi cum varijs tentatis remedijs nihil proficeret, magnum illud Cæsaraugustæ Nosocomium petijt, seque Ioanni de Estango chirurgo expertissimo, & medicinæ ibidem publico professori commisit, qui crus ex toto corruptum videns, ad 4. digitos infra genu abscidit, ac terræ mandauit. Iuuenis obducta cicatrice ædem S. Mariæ adijt, ibique nunc Virginis opem implorans, nunc stipem à prætereuntibus petens, biennio integro se notum omnibus effecit.

B.V. pedem abscissum cuidam Iuueni in Hispania restituit.

Anno tandem 1640. vt parentes inuiseret Calandam patriam suam petiuit. Vnde ad vicina oppida proreptans, sibi, parentibusque victum corrogabat. Die 29. Martij eiusdem anni ad focum assistentibus Patre, ac matre, ac duobus alijs conterraneis, ligneum crus deposuit, cubitumque concessit.

Secunda noctis hora mater cubiculum intrans, duos in filij lecto mirata est pedes, & militem, quorum cohors ibi tūc morabatur, suspicata, ad maritum cucurrit, qui filium agnoscēs, excitauit. Ille verò in hæc verba prorupit: *Somniabam me in Sacello Diuæ Virginis de Pillari lampadis oleo crus inungere.*

Et Pater: *Gratias Deo redde, Virgo Deipara tibi crus restituit.* Hoc enim Iuuenis ad illud vsque tempus ignorabat.

Mane Iuuenis ad Templum frequenti populo ductus est. Ibi pes (: quem Virgo sanctissima distortum, vt omnes miraculum agnoscerent, reliquerat:) situm suum naturalem recepit, agnoueruntque eum verè bipedem, quem pridie altero crure destitutum viderāt. Tandem Cæsaraugustæ tota hæc res iudicio publico ventilata est, examinatisque varijs testibus miraculum hoc verissimum, atque autenticum à Domino Petro Apaolazā Archiepiscopo Cæsaraugustano, alijsque viris fide dignis, ac religiosis comprobatum est.

Affine est huic Miraculum illud celeberrimum, quod Anno 1647. in Comitijs sub Fer. III. contingit Posonij, dum post incendium Vrbis prodigiosa illa Imago Virginis Dolorosæ ex Collegio Societatis nostræ, in quo ob præsens periculum asseruabatur, in Templum ad sedem pristinam referretur. Fertur enim tunc Miles quidam Lithuanus Andreas Hortman nomine, pietate in Deiparam accensus baiulantibus sacram Iconem, socium sese iunxisse, dextroque brachio, quinque vulneribus saucio, onus illud Sacrosanctum vti poterat sustentasse.

Vberem mox illi mercedem pro hoc pietatis officio misericordiæ Mater reposuit. Illo enim vespere dum more consueto brachij vult alligare vulnera, omnia persanata reperit, quæ Septennio varijs Europæ peragratis Vrbibus mali sui apud peritissimos quosque chirurgos remedium quæsiturus, curare nunquam potuit. Siquidem ex quinis illis vulneribus duo erant inflicta globis veneno infectis, quæ reliqua etiam omni arte humana incurabilia reddebant. Nimirum beneficium hoc reseruabatur Diuinæ Matri, quæ totius Orbis Aesculapium Medicumque peperit, ad hæreticam prauitatem quæ Posonij miserandum in modum nidulatur confundendam.

43. Quis vnquam Apollo aut Aesculapius, quis Podalirius, aut Machaon simile quid præstitisse in veterum monumentis legitur? Nempe Deo, eiusque Matri Sanctissimæ huiusmodi prodigia, vt potè quæ *Sacratissimum Prodigium*, ab ipso Ignatio Martyre; & a S. Bernardino Senensi; *Miraculum miraculorum omnium maximum* appellatur, debebantur. O' sapientiam Virginis benignitate plenissimam! O' prudentiam serpentinam, imò Diuinissimam! Quare iure Aesculapium serpentem manu gestantem eam dicimus. Siquidem ipsa serpentinæ huius prudentiæ sibi probè conscia aiebat Prou. 8. *Mea est prudentia, serpentina* inquam illa, de qua loquebatur Matt. 10. Saluator! *Estote prudentes, sicut serpentes.*

In B.V. prudentia pluśquam serpētina.

Prudentia hac sua Virgo sapientissima serpentem illum antiquum, *serpentem vectem, serpentem tortuosum*, qui Euam in paradiso seduxit, longè antecelluit. Licet enim Moyses Gen. 3. *callidiorem cunctis terræ animantibus.* Et 70. Interpp. Φρονιμώτατον prudentissimum eum appellent: Virgo tamen nostra eum statim in primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti, caput eius conterendo, superauit. Notissima est serpen-

B.V. antiquū serpentem sua prudentiam, caput eius in Conceptione sua conterendo superauit.

tis

tis prudentia illa, qua in defensionem capitis, corpus vniuersum obijcit.

At Virgo tantilla adhuc in vtero Matris, prudentiâ hac illum omninò spoliauit, dum illius caput obtriuit.

Eademque illa ipsius serpentis astutiâ vsa, extremam sui corporis partem calcaneum videlicet illi tantùm exponendo, caput suum, conceptionem nimirum à peccati originalis maculâ, illæsam conseruauit, iuxta Domini ipsius prædicationem Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* O' admirabilem huius Virgunculæ prudentiam!

44. Verè prudentiâ hac sua cælesti, eiusdem serpentis mirificè etiam, in reliquis omnibus delusit astutiam.

Mariæ, & Euæ antithesis.

Quemadmodum enim ille veterator nequissimus, arboris vetitæ fructum proponendo, immortalitatem, ac diuinitatem fallaciter promittendo Euam decepit, vniuersumque genus humanum in mortem, interitumque sempiternum induxit: Sic Virgo Deipara nobis benedictum eumque dulcissimum ventris sui fructum exhibuit; vitam ac immortalitatem amissam restituit, Filijque sui fratres, ac per consequens Diuinitatis eius participes effecit. Humanam denique naturam vniuersam, humillimo illo suo in Verbi Diuini Incarnationem consensu, è Tartarea captiuitate, qua tot annorum myriadibus oppressa tenebatur, vindicatam, ad eminentissimam Vnionis hypostaticæ dignitatem, nequidquam Stygio illo fremente, inuidiâque tabescente Colubro, euexit.

Quare præclarè S. Damasc. orat. 1. de Nat. B. V. de eximia hac eius prudentia, quâ antiquum serpentem debellauit, prolocutus est: *Quamuis prima Eua à Dei mandato recesserit, ac per eam aduersus primum Parentem serpenti operam nauanti mors aditum inuenerit; tamen Maria Diuinæ voluntati obsecuta, deceptorem serpentem in fraudem induxit, mundoque immortalitatem inuenit.* Triumphum hunc Virginis de Tartareo serpente reportatum, optimè nobis insinuauit Bernar. ser. de Verb. Apoc. dum in specie Lunæ illum pedibus Virgineis substernit. Postquam .n. præmisisset: *Solet Luna non modo defectum corruptionis, sed & stultiam mentis designare;* paucis interpositis hæc attexuit:

Diabolus est velut Luna sub pedibus B.V.

Insipientia verò omnis sub pedibus eius est, vt penitus absit hac ab insipientium mulierum numero, & collegio Virginum fatuarum. Imò verò, & vnicus ille stultus, & totius stultitiæ Princeps, qui verè mutatus vt Luna sapientiam perdidit, in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus miseram patitur seruitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa Mulier, serpentis antiqui caput, virtutis pede contritura, cuius planè calcaneo, in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa, sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem. Reliquas antiqui serpentis proprietates vide apud Salaz. in cap. 8. Prou. 12. vbi à Virgine, Sodales Parthenios doceri, ait, quanam ratione eas imitari debeant.

45. Cum igitur Virgo Deipara medicæ artis super Aesculapium ipsum, omnesque Machaones sit peritissima, omnibusque tam animi, quàm corporis morbis efficacissimam afferat medicinam, ad illam magna cum fiducia in hominis vtriusque morbis, in necessitatibus omnibus recurrendum, sapientisque omninò consilium amplectendum suadentis: Eccl. 18. *Ante languorem adhibe medicinam*, idest, quemadmodum Bernardinus Bustius interpretatur: *Virginis deuotionem amplectere, quæ te à peccatorum infirmitate sapientissimè præseruabit.* Vnde sapientissimus Idiota eam alloquens in sua contemplatione aiebat: *Dedit DEVS Angelis te Reginam, peccatoribus medicinam.* Hinc S. Bernardus de Patre æterno, Patre verè misericordiarũ, & Dêo totius consolationis loquens, pronunciauit: *Dedit tibi Christum, sed per Mariam, & Mariam, & Christum propter tuã sanitatem. Natus est enim Christus remedium, quoniam ex Deo, & homine medicamentum confectum est, quod sanaret omnes nostras infirmitates: remedium autem hoc datum est homini per Mariam, per quã homo accepit quicquid habet; & quia Mater est, genuit nobis DEVM; quia verò Virgo est, exaudita est in causa totius humani generis pro sua reuerentia.* Sic ille.

Ante languorem B.V. patrocinium inuocandum.

M. à Dei data Angelis Regina, peccatoribus Medicina.

46. Quod si iuxta consiliũ sapientis Eccli. 38. 1. honorandus est Medicus; quibus tandem honoribus nobis prosequenda est Virgo Deipara omnium humani generis morborum tam animi, quam corporis Curatrix peritissima? Verum ipsa sapientis verba ponderemus, vt tanto maiores, digniores que honores Virgini deferre nouerimus. *Honora Medicum*, inquit ille, *propter necessitatem; etenim illum creauit Altissimus. A Deo enim est omnis medela, & à*

Honor Medicis deferendus.

Rege

Rege accipiet donationem, Disciplina Medici exaltabit caput ipsius, & in conspectu Magnatorum collaudabitur. Ben Sira Alphabeto primo, litera Aleph legit: *Honora Medicum dum non indiges eius*. Q. D. Honora Medicum ante morbum, dum Sanus es, vt tibi in morbo præsto sit, tibique deseruiat accuratius. Ita nimirum fidelissima, & animorum, & corporum nostrorum Curatrix colenda, ac veneranda est Deipara, vt cultus noster ex puro erga ipsam amore proficisci videatur. Huiusmodi enim pura ex intentione ipsi delatus honor præsentissimum est contra morbos omnes præseruans antidotum. Illa siquidem pro ingenita sibi benignitate, amore, ingenuitate, liberalitateque, nunquam se vinci patietur, sed huiusmodi syncero suo amatori erit Lignum vitæ, siue vt legunt alij, vitarum, spiritualem, corporalemque vitam conseruans. Quod si honorandus est peritus Medicus in primis propter necessitatem, quam habemus partim ex protoplastorum lapsu, qui in nobis in pœnam peccati tam multos morbos inuenit, partim ex cibi potusque superfluitate: Quo tandem honore Virgo nobis prosequenda est, ob tantas, quæ nos vndique circumstant, necessitates, ac calamitates, è quibus nisi ope Diuiniori, qualis est Virginea, eripiamur nullum nobis est effugium?

Honoranda B. V. ex pura intentione absque vllo intuitu nostri commodi.

47. Iam si etiam honorandus est Medicus, quod illum crearit Altissimus; quanto magis honoranda erit Deipara, quæ se ipsius ex ore Altissimi prodijsse gloriatur, quasi foret immediate à Deo, absque vlla humana ope producta? Quare præclarè pronunciauit Pelbar. libr. 2. Par. 3. art. 2. c. 5. *In omnibus operibus à principio mundi factis mirum, & maximum, quod DEVS fecit in toto mundo, & facere potuit, est hoc quod in Maria fecit*. Vnde S. Bernar. *Multa*, inquit, *magna fecit DEVS in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, & tam magnum opus digitorum Dei, sicut in Virgine, quam Sol, & Luna mirantur*. Hinc S. Ansel. *Nihil tibi ò Domina est æquale, nihil comparabile, omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te est; quod supra te est, Solus DEVS est, quod infra te est, est omne quod DEVS non est.* Idem libr. 5. Par. 2. art. 2. cap. 1. *DEVS*, inquit, *maiori potentia, & Sapientia, atque præcelsiori, & digniori excellentiâ creauit, & condidit benedictam M. Virginem secundum eius præcellentissimam animam; quam creauit omnes Angelos, & totam mundi machinam*.

Honoranda B. V. velut Medicus quia eã speciali ratione creauit Altissimus.

B. V. nihil est in rerum natura æquale.

DEVS maiori potentia, & Sapientia cōdidit B Virg. quam Angelos, vniuersamque creaturam.

48. *Quod si peritus Medicus, vt aiebat Sapiens, à Rege accipit donationem, siue donatiuum*, quæ tandem dona, nostrarum infirmitatum omnium tam peritæ Curatrici offerenda sunt? Summam sanè illi animi grati, quoad possumus, debemus significationem. Hanc nos deuotissimus in Virginem docuit Pelbartus, qui in prologo sui stellarij fatetur se, cum graui morbo esset vexatus, votum, opus illud de Virgineis laudibus componendi emisisse, & mox per eam se misericorditer liberatum. *Quod quidem nisi me compulisset*, inquit ille, *indignum, & insufficientem me sentiens, nullatenus hoc opus attentassem; Timeo nempe, ne si præconia laudis eius tacuero, sceleris, vt infidelis atque ingratus arguar. Hæc ergo causa præcipua laborem hunc assumendi animum meum permouit. Spero autem quod propositum meum perficiet ipsa, quæ cordis mei videt intentionem, eiusque auxilio me facere id posse non ambigo, quod ex me in eius laude non sufficio*.

Pelbartus morbo tentatus facit votum opus stellarij componendi, & mox conualescit.

49. Quod si denique vt idem pronunciauit Sapiens: *Disciplina medici exaltabit caput illius, & coram Magnatibus in admiratione erit*: Quanto magis exaltanda, & coram omnibus totius mundi Principibus, Regibus, ac Monarchis summis laudibus, summa cum admiratione celebranda atque suspicienda est Virgo Deipara, omni cælesti simul, & humana Sapientia plenissima, cuius vtero ille, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, nouem mensibus habitare non est dedignatus? Hanc sanè semper suspicere, admirari ac collaudare, muneribusque quibus possumus colere nos oportet.

50. Si enim Plinius lib. 24. cap. 1. de medicis loquens dixit: *Paremus externis, & vna Artium Medicina Imperatoribus quoque imperat*; cur nobis Sapientissima hæc corporum, animorumque Curatrix non imperet, cur à nobis omne obsequium, seruitiumque non deposcat? Idem certè Plinius lib. 29. cap. 1. scribit Eratistratum, Aristotelis filiâ genitum Antiocho Rege sanato, centenis talentis donatum fuisse à Ptolomæo filio Antiochi. *Multos prætereo*, inquit ille, *Medicos, celeberrimosque ex illis Cassios, Carpitanos, Aruntios, Albutios, Rubrios,*

Medicina Imperatoribus quoque imperat.

Eratistratus Antiocho Rege Senato centenis talentis donatus.

brios, quibus ccl. HS sestercium annua mercede fuere apud Principes. Quintus verò Sterninius imputauit Principibus quod HS quingenis annuis contentus esset, Sexcena enim sibi quæstu vrbis fuisse, numeratis domibus ostendebat. Par & patri eius merces à Claudio Cæsare infusa est: censusque quenquam exhausti operibus, Neapoli exornata HS ccc. reliquere, quantum ad eam ætatem Aruntius solus. Vide ibidem plura de largissimis Medicorum stipendijs, atque honorarijs; *quos tamen,* ait Plinius;

Quam larga fuerint olim Medicorum stipendia.

Discere ex periculis nostris, & experimenta per mortes agere, medicoque hominem occidisse, impunitatem summam esse.

Medicis hominem occidisse summa impunitas.

De eisdem idem Plin. *Quid enim, venenorum fertilius, aut vnde plures testamentorum insidiæ?* De Medicis hiscè præclarè Philemon apud Plutarchum in Laconicis: *Medico, & Aduocato occidisse impune est.* Hinc Diogenes Cynicus eos communes carnifices vocitabat.

Medico, & Aduocato occidisse impune est.

Medici communes Carnifices.

Hinc Nicocles Medicos felices appellabat, quoniam eorum Successus Sol intueretur, errores autem tellus operiret. Quid Stratonicum memorem, qui Medico suam experientiam iactanti insigniter respondit: *Laudo tuam experientiam, quia non sinis infirmos computrescere, sed illos statim è vita liberas?*

Medici fælices quod eorum errores terra operiat.

Quid referam Pausanium, *qui eum Medicum censebat optimum, qui non sineret ægrotos extabescere, sed quam primum sepeliret?* Denique Adrianus Imperator huiusmodi medicorum imperitiam damnans, moriturus illud vulgatum Menandri pronunciauit: *Turba Medicorum Cæsarem perdidit.*

Adrianus Imperator moribundus dixit: Turba Medicorum Cæsarem perdidit.

51. Iam si Medicos tot erroribus obnoxios, quoque sæpe sæpius hominibus sunt causa mortis, tā largis stipendijs, honorarijs, ac donarijs, honoribusque ornauit antiquitas, vt ibidem videre est apud Plinium: quo tandem animo nos in gloriosissimam Virginem, Sapientissimam animarum, corporumque nostrorum Curatricem esse decet? quæ cuicunque inualetudini suas applicuit manus, suamque impendit operam, saluum incolumemque reddidit: adeo vt cum Apolline longe potiori iure dicere possit illud apud Ouidium lib. 1. Metam.

Inuentum medicina meum est, Opiferque per orbem Dicor.

Cuius sanè medicina eo efficacior est, quo eam, impetratā à filio benedictione ac gratiâ porrigere consueuit, iuxta consilium Hippocratis, qui in totius suæ Artis Proœmio sic loquitur:

Non solum ægrotus præstare se debet opportuna facientem, sed, & Medicus scilicet adhibere curationem, & Dominum deprecari, vt dirigat opera sua. Quocirca Pelbartus lib. 7. Stellarij Par. 3. art. 3. Gratiam hanc in Virgine hominum morbos Dei munere curandi, eximiam esse agnoscens, stellam vnam è 12. illis, Sacrosanctum eius verticem coronantibus appellauit. Quæ cum ita se habeant iuxta sapientissimum Spiritus S. consilium, honoremus animitus, medullitus, modis omnibus quibus possumus hanc eximiam humanæ salutis in vtroque homine sospitatricem, ac Curatricem, & caueamus ne à senioribus nostris degeneremus, qui eam miris honoribus sunt prosecuti, vt Templa magnifica, amplissimisque sumptibus constructæ varijs in locis Basilicæ, preciosissimaque auro gemmisque exornata passim attestantur donaria.

Medicus debet Dominū deprecari, vt dirigat opera sua.

Gratia morbos curandi in B.V. est vna è 12. Stellis in ipsius capite.

Vnde S. Antoninus 4. Part. Titul. 15. capit. 19. §. 6. *Quod Beata Maria, inquit, innumerabiles varijs languoribus, & incurabilibus detentos curauerit, & curet, Ecclesiæ ad eius honorem constructæ plenæ Imaginibus, ipsas sanitates prædicantibus, satis edocent. Ipsa denique, quod copiosius, & maius est, sanauit totum hominem in anima, & corpore per benedictum ventris sui fructum.* Vnde dicitur Eccli. 48. *Medicina omnium in festinatione Nebulæ. Nebula ista est caro Christi, de terra Virginali exorta nullo peccati pondere prægrauata, vltra puritatem Angelorum eleuata, calore Spiritus S. formata. de hac canit Ecclesia:*

Potissima Templa B. V. erecta ob redditam hominibus sanitatem.

B.V. totum hominem per benedictus ventris sui fructum in anima, & corpore sanauit.

Ecce video Dei potentiam venientem, & nebulam totam terram tegentem.

Et de hac medicina nobis à Beata Maria facta, nobisque proposita, totus mundus sanatus est virtualiter. Vnde, & B. Bernardus *de plenitudine eius omnes recipiunt gratiam, æger curationem, tristis consolationem.* Sic ille. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus cum eodem Bernardo Mariam hanc veneremur, quia sic est voluptas eius, qui sicut omnia nos habere voluit per Mariam, ita quoque, & incolumitatem, sanitatemque tam mentis, quam corporis, quam in grati ani-

mi teſtificationem, illi ſemper dum viuimus dedicemus, conſecremus, curemuſque vt eius honori ſeruitioque tota poſt DEVM vita noſtra deſeruiat, eiuſque opem in dies in infirmitatibus tam animi, quam corporis experientes dicere poſſimus cum Alphonſo Aragonum Rege, qui cum lectione Curtij de rebus geſtis Alexandri Magni morbum grauem ſuperaſſet, exclamauit: Vale Auicenna, Vale Hippocrates cum alijs Medicis, & viuat Curtius reſtitutor ſanitatis meæ. Viuat, inquam, viuat Maria totius humani generis ſalutis, atque incolumitatis reſtitutrix atque reparatrix, Sapientiſſima.



D L



DISCVRSVS XVIII.

Signum Andromedæ Virginis, belluæ marinæ ad deuorandum expositæ, figuram esse Virginis Deiparæ, ab obligatione incurrendi peccatum Originale liberatæ.

Cassiopes Aethiopum Reginę fastus aduersus Deos intumescentis, vt compressus.

1.



Assiope Aethiopum Regina pulcherrima, tanta intumuisse ob formæ præstantiam fertur superbia, vt se, & Iunoni ipsi Deorum Reginæ, & Nymphis Nereidibus anteferre ausa sit. Vnde tantam arrogantiam minimè tolerandam rata Iuno, postquam illi patefecisset humanã omnem pulchritudinem quantumuis eximia videretur, esse turpitudinem, si cum Diuina conferatur, Neptunum rogauit, vt tãtùm Reginæ illius fastum temeritatemque vindicaret.

Paruit Neptunus, inque eius regionem Cęte, ingentis magnitudinis belluam, monstrumque formidabile immisit, quod omnes agros pessundabat, ædificia funditus demoliebatur, Ciuitates ipsas cum Ciuibus inuadens, vastitate corporis, ingentique mole opprimebat, ac deuastabat. Tantæ cladis, calamitatisque vnicum remedium Andromeda vnica Cassiopes Filia Virgo, formæ elegantiâ celeberrima petebatur vt horribili illi belluæ deuoranda exponeretur. Huius misertus Perseus Iouis filius, Medusâ triumphatâ, cum illac fortè transiret, mira specie ipsius captus, eam à præsentissimo illo periculo liberauit, expectatoque tantisper marino illo monstro, ense suo, harpe, inquam, adamanteâ obtruncat, reliquam eius partem, ostenso Medusæ capite in saxum scopulosque conuertit. Pro tanto Virgo hæc grata beneficio Perseum in sponsum accepit, vtque mutui, inter hos amantes amoris signa toti orbi paterent inter sydera translati, sibi propinqui esse voluerunt.

Andromeda Virgo pulcherrima Regnum ab interitu liberat.

De hac Propertius lib. 2. Elegiarum:

Andromedæ monstris fuerat deuota marinis:
Hæc eadem Persei nobilis vxor erat.

De eadem manilius lib. 1. Astron. c. 4.

iuxtaque relictum
Andromedem vastos metuentem Piscis hiatus
Expositam ponto deflet, scopulisque reuinctam
Ne actorem Perseus cælo quoque seruet amorem
Auxilioque iuuet, fugiendaque Gorgonis ora
Sustineat, spoliumque sibi, testemque videnti.

Fusius hæc omnia recenset Ouid. lib. 4. Metam. & Natalis Comes li. 7. Mythol. c. 18. & lib. 8. c. 25.

2. Quæ aptior quæso in tota Poesi figura excogitari potuit ad declarandam Virginis Deiparæ, à peccato Originali, Monstro sane horrendo, informi, ingenti, quod totum humanum genus deuastauit, immunitatem, ac præseruationem? Mater illa omnium viuentium Eua, formæ tàm animi, quàm corporis elegantiâ tumida, immortalitatem, Diuinitatemque suggerente mendacij parente. *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dij*, per summum nefas affectauit, Diuina iussa contempsit, maritumque in eandem contumaciam, — Peccati originalis damna.

atque inobedientiam induxit. Hinc in humanum genus superum ira desæuijt; hinc *nascimur omnes natura filij iræ*, vt ait Apostolus Eph. 2. filij perditionis, filij damnationis. Hinc conflictus, ac rebellio inter carnem, & spiritum; nam iuxta eundem Apostolum Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem, vt non quæcunque vultis illa faciatis*. Hinc corporis nostri in putredinem, puluerem, cineremque miseranda resolutio. Hinc innumerabilium scelerum orta colluuies.

Hinc bella, hinc fames, pestis, hinc vrbium vastitates, ac calamitates innumeræ, hinc denique malorum omnium Ilias, quæ totum humanum genus longè crudelius, quam marinum illud mōstrum, Reginæ illius tumidissimæ regionem deuastauit, ac pessundedit, vrbesque ipsas, cum habitatoribus absorbuit. Vnica ac sola iam iam deuoranda restabat Andromeda Virgo, tàm animi quàm corporis elegantiâ admirabilis, Virgo inquam Deipara, cuius præstanti formæ venustate captus non Perseus Iouis Filius, sed æterni Patris Vnigena eam sibi in sponsam, Matremque accepturus à præsentissimo illo periculo liberauit, tandemque in eodem secum throno, inter sydera relatam ad dextram suam, velut totius vniuersi, & tam humanæ, quam Angelicæ creaturæ Reginam consedere iussit. Atque ita, licet originali labe non fuerit contaminata, liberata tamen ac redempta ab originali maculâ dicitur; quia nisi ope Diuina Filij fuisset præseruata, more hominum cæterorum abominabilem illam maculam sine dubio contraxisset.

Duo Redēptionis modi.

3. Quod vt melius intelligamus, obseruandum duplicem apud Theologos præsertim D. Dionys. ca. 8. de Diu. Nom. & Augustinum redimendi modum distingui. Alter est, lapsum iam in captiuitatem, redimendo: Alter præueniendo iam iam lapsurum; qui sanè longè nobilior ac præstantior est præcedenti. Vnde iam memoratus August. In illud Psalmi 85. *Eruisti animā meam ex Inferno inferiori. Quidam in corpore Christi positus*, inquit, *fatetur DEVM eruisse animam suam ab Inferno inferiori, quia liberauit se à talibus peccatis, per quæ deduci posset ad tormenta Inferni inferioris. Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, & dicat; Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis vtere, nam si non feceris ægrotabis: si autem feceris saluus eris; rectè dicis medico: liberasti me ab ægritudine, non in qua iā erat, sed in qua futurus erat. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem. Venit alius defendit eum, gratias agens, quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, vt nisi subuentum esset, ibi essent; inde se rectè dicuntur liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci*. Sic August.

Præseruare hominem iā lapsurum est nobilior redemptionis modus.

Quomodo B. V. à lapsu in peccatum Originale fuerit præseruata?

Hoc ergo secundo modo liberata, ac redempta est Virgo nostra à captiuitate Sathanica, in quam ob debitum cōtrahendi peccatum originale lapsura erat, nisi peculiari Filij gratiâ fuisset præseruata, seu vt loquitur Sāctus Nazianzenus; *præpurgata*. Cùm enim per naturalem propagationem Ioachimi, & Annæ ex lumbis Adæ, eiusque corrupta massa, descendentibus, fuerit concepta Virgo nostra, & in communi illo Dei pacto cum Adamo, de transfundenda tàm iustitiâ originali in posteros, si Dei iussis paruisset, quàm peccato si eidem per inobedientiam rebellasset; cum reliquis mortalibus esset inclusa, consequens sanè fuit, debitam maculam originalem incurrendi contraxisse Virginem, ob quam sine dubio in Sathanicam captiuitatem, more reliquorum Adæ filiorum erat abducenda, nisi gratiâ Redemptoris fuisset præseruata, præpurgata atque redempta.

4. Quam sanè iure merito præstantissimus hic redemptionis modus maximè decebat, vtpotè quam Dei Filius præuidebat redemptioni totius humani generis maximè cooperaturam, atque ad laboraturam, purissimis suis sanguinibus exhibitis, ex quibus Spiritus Sanctus, sacratissimum Christi corpus mirificè erat formaturus, quod in ara Crucis Deo Patri oblatum, copiosam toti mundo exhibuit redemptionem.

Prima omniū à Christo redempta fuit Maria.

Quapropter S. Ambr. luculenter asseruit primam omnium à Filio redemptam fuisse Matrem, velut tanti operis Adiutorium illi quam simillimum; *Nec mirum*, inquit ille, *si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoauit à Matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret in pignore*. Hinc S. Bernardinus Senensis Tom. 3. serm. 51. cap. 3. ait, *Dei Filium venisse*

Dei Filius venit principalius ad redimēdam B. V quā alios.

venisse principalius ad redimendam Virginem beatissimam, quam alios, & ideo eam Primogenitam Redemptoris appellauit.

B.V. Primogenita Redemptoris.

Idem Tom. 4. ser. 8. de 7. flam. vbi ponderans verba illa Virginis, quæ flammis comparauit: *Exultauit Spiritus meus, in Deo salutari meo. Beata V. inquit, exultauit in Deo salutari suo, Quasi dicat: Singularis Saluator meus. Quia aliqui Doctores speculantes dicunt, quod DEVS assumpsit carnem potius propter saluare Virginem singularem, quam omnes alias creaturas.*

Cur Spiritus Mariæ exultarit in Deo salutari suo.

Idem serm. de Assumpt. *Plus,* inquit, *pro Virgine redimenda is venit, quàm pro omni alia creatura,* iuxta illud Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. Pro amore tuo carnem sumpsi, vulneribus primis vulnerasti in Cruce cor meũ. Nam primogenita Redemptoris Filij sui IESV fuit Virgo Beata.* Hoc agnoscens Sanctus Hildephonsus lib. de Virg. Mariæ cap. 2. peculiari, & planè ardentissimo amoris affectu de more est eam veneratus: *At nunc venio,* inquiens, *ad te sola Virgo Mater Dei, procido coram te solum seu sola, Opus Incarnationis Dei mei: humilior coram te sola inuenta Mater Domini mei; rogo te sola inuenta Ancilla filij tui, vt obtineas deleri facta peccati mei, vt concedas etiam mihi adhærere Deo, & tibi; seruire filio tuo, & tibi. Illi sicut factori meo, tibi sicut Genitrici factoris mei, illi sicut Domino virtutum, tibi sicut Ancillæ Domini omnium. Illi sicut Redemptori meo, tibi sicut operi redemptionis meæ. Quod enim in mea redemptione est operatus, in tuæ personæ veritate formauit, siue firmauit. Quod precium emptionis meę factus est, ex carne tua eius incarnatio fuit, in qua vulnera mea sanauit. Ex carne tua vulnerandum corpus exhibuit, in quo mortem meam tolleret. A mortalitatis tuæ corpore, mortale corpus attraxit, in quo mea deleret peccata. Quod tulit à te corpus, sine peccato suscepit, naturam meam, quam in se præcessore mihi ad regnum suum, in gloria paternæ sedis super Angelos collocauit, ex veritate corporis tui humiliatus assumpsit.* Ex quibus Sanctissimi Antistitis verbis clarè colligimus non solùm Dei Filium, eius amore, ad eamque potissimùm redimendam, hominem factum, verum etiam eandem ad redemptionem, glorificationemque nostram, fidelissimam fuisse adiutricem, dùm in purissimo vtero suo sacratissimum illud Christi corpus, velut amoris Diuini officina, artificio Spiritus Sancti efformatum est.

Desiderium S. Ildephonsi seruiendi B.V.

B.V. nostræ redemptionis Adiutorium facta, subministrãdo carnem suam ac sanguinem ad efformandũ in suo vtero corpus Christi.

5. Obseruandum porrò rectè à S. Hildephonso Deiparam vocitari solum opus Incarnationis Dei. Quia reuera sicut in illa condenda operam omnem ac laborem, omnesque vires ac diuitias omnipotentiæ, sapientiæ, Bonitatisque supremus rerum omnium Artifex profudisse visus est, ita quoque in illa redimenda, adeo vt verè dicere potuerit: *Hoc opus, hic labor est.* Quod agnoscens ipsa Virgo canebat: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum Nomen eius.* Et rursus: *Fecit potentiam in brachio suo.* Quia nimirum Pater æternus omnes omnipotentiæ suæ vires; Filius similiter robur brachij sui, eximiamque suæ sapientiæ vim; Spiritus Sãctus Bonitatem suam omnem exeruisse pro redimenda Virgine visus est, adeo vt in reliquis redimendis Adæ filijs, digitis quasi ludere videretur. Imò P. Quirinus Salazar *tãtum, tamque effusum precium redemptionis pro illis non satis vtiliter ac dignè collocatum videri, respectu Deiparæ asseuerauit. Sola enim Maria, proprium ac dignum Incarnationis Christi opus ac negotium est, in quo perficiendo infinitum redemptionis Christi precium decore ad modum impensum, vtpotè, quæ tantis conatibus dignum opus fuit.* Quare scitè sapiens Idiota capit 4. in Contemplat. B. V. eam alloquens pronunciauit: *Inter omnia opera æterni Opificis post operationem illam, quâ naturæ nostræ vnitus est Filius tuus, speciale opus fuisti ò Sanctissima V. Maria, quia ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.*

In rediměda B.V. omnem suam potentiam, sapientiam, ac Bonitatem exeruit DEVS.

Inter omnia Dei opera B.V. fuit opus speciale, & quare?

6. Vnde, & in hoc tam præclaro opere supremus Artifex singulariter gratulari ac complacere sibi videbatur. Hinc ipsa Virgo dicebat: *Delectabar per singulos dies ludens coram eo.* Seu vt legunt 70. Interp. *Ego eram cui ad gaudebat ipse.* Hinc Virgo, *Dei ipsius Requies,* à nonnullis appellatur. Hinc Gen. 2. dicit Moyses de die septimo, seu Sabbato, quod Beatus Albertus Magnus Tract. super Missus, ait figuram extitisse Deiparæ: *Compleuitque DEVS die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Quod si cum nonnullis dicamus Euam creatam die septimo, intelligemus sanè DEVM, qui in condendis reliquis creaturis adeo laborasse visus est, vt quiete tandem die septimo indigeret; intelligemus, inquã, inuenisse DEVM animi sui requiem,

In B.V. velut in Sabbato DEVS quieuit.

Eua creata die septimo.

ac singulare beneplacitum, non in Eua illa prima, de qua velut Pandoræ pyxide mala omnia in orbem irruperunt, sed in Eua figurata Virgo Maria, in qua DEVS laxamentum quoddam, gratissimumque leuamen à labore, quo in reliquarum creaturarum, Angelorum scilicet, cælorum, syderum, terræ, animãtium, hominumque molitione quodãmodo desudauit, expertus est.

In condenda B.V. Deus requiem, & leuamen quodam laborũ reperit.

Chrysippus Presbyt. Hier. ser. de Deip. cum Dauide Psalm. 131. ad hanc tantorum laborum vnicam requiem vniuersorum Conditorem in orbis huius fabrica delassatum, inuitabat: *Surge Domine in requiem tuam. Tua enim Requies est Virgo, & vterus tua requies.*

Requies Christi est B.V. eiusque vterus.

7. Porrò sicut supremi huius mundi Architecti labor ille in hac rerum condenda vniuersitate Imagò fuit laboris, quo in renouando mundo desudaturus erat, ita requies illa symbolum fuit singularis illius complacentiæ, qua ipsius voluntas in condenda, redimendaque Virgine hac sacratissima perfruita est. Quemadmodum enim Opificibus permolestum est reficere res veteres, vt perito Architecto domũ ruinosam instaurare; Sartori vestẽ laceram resarcire, è contra periucundum domum nouam à fundamentis erigere, vestem nouam conficere ac consuere: sic sanè in condenda Virgine, quæ ipsius Diuinæ Maiestatis Templum vt eam vocant S. Ephrem, Damascenus, Damianus, & alij passim; ipsius Indumentum Regale, à Deo contexta purpura, amictus à Deo variatus, vt eam appellat B. Andr. Cretensis Episc. Orat. 2. de Dorm. Deip. sic inquam in condenda ac formanda Virgine de supremo Artifice cogitandum est, eum nimirum summa in tam nouo mirificoque opere perficiendo perfruitum voluptate; vti è contra in reparando ac instaurando genere humano, non mediocri affectum molestiâ, incurrẽtibus in eius oculos ruinis ac sceleribus, quæ ipse, vt potè summa Bonitas, summopere auersabatur.

Res nouę facilius ac iucundius fiũt, quam veteres reparantur.

8. Quapropter iure merito S. Hildephonsus appellauit Virginem solam opus Incarnationis ac redemptionis sufficiens, videlicet quia primario, & per se ad illam excellentissimo modo mundo exhibendam ac redimendam DEVS homo fieri voluit, in eiusque formatione adeo sibi complacuit, vt etiamsi ipsa sola fuisset redimẽda, operam omnem suam in illa elaboranda benè collocatam fuisse existimasset. Quia illa sola de nouo facta, summæ ipsi voluptati fuit, reliqui verò non tam illum recrearunt, quam in laboribus, enormibus suis peccatis seruire fecerunt, vt ipse apud Prophetam testatus est. Vnde ipsa sola opus hoc Incarnationis ac redemptionis, veluti decorasse, extremamque ei venustatem, ac pulchritudinem, si loqui fas, addidisse visa est. Quod verbis sequentibus nobis insinuauit Hildephonsus, dum illi ita loquitur: *Quod enim in mea redemptione est operatus, in tua personæ veritate formauit.*

B.V.est sola opus Incarnationis ac Redemptionis Christi.

B.V. operi Incarnationis decus addidisse visa est.

Quasi diceret: Pulchrum quidem per se est meæ Redemptionis opus quia infusione diuinæ gratiæ, sanguineq; Christi, quæ stibiam, cerussa, ac purpurissum sunt animæ, peractum est; at verò tu, saluti nostræ ad laborando, tanquam noua Eua, nouo Adamo adiutorium facta, formam, pulchritudinemque mirificã addidisti. Et sanè quemadmodũ partus in humana generatione, teste Aristotele lib. 4. de partibus animaliũ, *ex viro robur, ex fœmina formam, venustatemque accipit*; sic spiritualis hæc regeneratio nostra, ac redemptio à Christo quidem, cuius vir oriens nomen est, vim omnem, robur, ac exergiam sortita est; at verò à Virgine, quæ eidem ad instar Heroicæ Virginis cooperata est, formam, ac venustatem.

In generatione hominis vir robur, fœmina vero formã ac venustatẽ fœtui communicat.

9. Cooperationem hanc in salutẽ, redemptionemque nostram Deiparæ scitè expressit B. Arnoldus Carnotensis Abbas Tr. de laud. B. V. *Diuidunt*, inquiens, *coram Pater inter se se Mater, & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inuiolabile testamentum: Maria se Christo spiritualiter immolat, & pro mundi salute obsecrat, Filius impetrat, Pater condonat.*

B.V. Cooperatrix Redẽptionis nostræ.

Eandem cooperationem Virginis magis explicitè expressit Richar. à S. Laur. lib. 1. de laud. cap. 5. Vbi ostendere volens Dominum semper fuisse cum Maria, sic loquitur: *Fuit Dominus cum Maria, & ipsa cum Domino eodem labore, & in eodem opere nostræ redemptionis. Mater misericordię, Patrem misericordiarum adiuuit, in opere nostræ salutis. Vnde prędictum erat de hac muliere sine dubio in figura primę. Gen. 2. Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium. Illa enim literalis*

Dominus fuit cum M. & illa cum Domino per cooperationem nostræ salutis.

M. Secundo Adamo fuit salutis nostræ Adiutorium, sicut Eua primo Adamo destructorium.

Eua

Eua viro suo non fuit in adiutorium, sed magis in destructorium. Hæc autem in adiutorium, quia in manu fœminæ tradidit Dominus Sisaram, nempe Diabolum Iudi. 5. & : Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor Iudit. 14. Verum quidem est Domine, quod Torcular calcasti solus, & de gentibus non fuit vir tecum; sed mulier vna tecum est, quę omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde, & sicut lancea militis perforauit latus tuum, ita gladius doloris, eius animam pertransiuit. Et sicut tu, non quod voluisti, sed quod Pater tuus voluit, sustinuisti; ita ipsa non quod voluit, sed quod tu voluisti sustinuit tecum. Quia sicut tu salutem humani generis in Cruce sitiuisti, sic & ipsa sitiuit. Stabat enim iuxta Crucem, sicut dicit Ambrosius, non vt dolorem filij consideraret, sed vt salutem humani generis expectaret. Hæc Richar. Ex quibus omnibus clarè perspicimus Virginem beatissimam, velut alteram Andromedam, immani illi belluæ, peccato scilicet originario, ob commune illud debitum generis humani in Protoplasto contractum ad degorandum expositam, ab hoc cælesti Perseo, nobilissimo modo liberatam, ac præseruatam, ad quam solam potissimùm liberandam quodãmodo talaria humanitatis nostræ induit, voluitque huiuscé suæ redemptionis esse primogenitam, vtpote quam eiusdem liberationis sibi delegerat adiutricem.

Sicut Christus in Crucę humani generis Salutem, ita B.V. sub Cruce sitiuit.

10. Verum quia redemptio hæc à debito incurrendi peccati non ita honorifica videtur Deiparæ, siquidem in ea, & à Protoplastis in primigenia innocentia constitutis, & ab Angelis superari videtur, vt dicetur infra.
Idcirco doctissimus, P. Alosius Nouarius in Vmbra Virginea Excursu 18. Paulus Scherlogus Tomo 2. in Cantic. Venetijs impresso, Quirinus denegant Deiparam debitum, obligationemque peccati originalis contraxisse, sed habuisse obnoxietatem quandam, ac potentiam remotam illud incurrendi, & Salazar libr. de Concept. Emanuel de Nanera in Iosue, & alij Recentiores, hanc ob causam nihilominus rectè dici, fuisse proprio, ac rigoroso sensu redemptam, & quidem modo longe nobilissimo, quam is fuerit, de quo hactenus disseruimus. Audiendus hic.
Pintus Ramirez libr. de Conceptione B.V. vbi sic loquitur. Decreuit DEVS tantas gratiarum vsuras Virgini impertiri, vt non solum non fœdaretur culpâ, sed etiam ad illius proximo debito liberatur. Cuius assertionis dat luculentissimam rationem Salazar.
Quia ad redemptionem propriè dictã non requiritur aut peccatum iam contractum, aut debitum, siuè obligatio illud contrahendi. Sicut, vt aliquis à peccato actuali liberetur, non requiritur vt illud commiserit, vel necessitatem habeat illud committendi.
Verè enim quispiam gratias agere potest Deo, quod eum à fornicatione liberauerit, etiamsi illam non commiserit, neque committendi necessitatem habuerit. Sufficit enim præcisè, quod illam committere potuerit, & obnoxietatem quandam remotam ad illam perpetrandam habuerit. Vndè à sapiente, Vir iustus laudatur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.*
Hinc S. Augustinus præseruationem hanc siue redemptionem à peccatis, quibus etiam remote erat obnoxius, eaque qualis est humana fragilitas committere poterat, in se agnoscens, gratias diuinæ agit Maiestati libr. 2. conf. cap. 7. *Gratias*, inquiens, *tibi agam, & confitebor nomini tuo, quoniam tanto dimisisti mala, & nefaria opera: gratiæ tuæ deputo, quod peccata mea, tanquam glaciem soluisti, gratiæ deputo, & quæcunque non feci mala. Quid enim non facere potui? Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ, te duce non feci.*

S. Augustinus Deo gratias agit pro præseruatione à peccatis quibus etiã remote erat obnoxius.

Vbi loquitur potentia etiam remota committendi peccata, quæ illi erant possibilia, & non de illis, ad quæ perpetranda occasionem præ manibus habebat. Hoc enim sonant verba illa: *Quid enim non facere potui?* Vndè hanc ob causam addit perinde cælesti medico imo magis obstrictum esse illum, qui nunquam in huiusmodi peccata prolapsus atque illum qui lapsus est quia præseruatiuam suæ gratiæ medicinam illi exhibuit, ne in talem incideret ægritudinem, in quam ipse incurrerat: *Qui enim*, inquit, *vocatus, ante secutus est vocem tuam, quæ me de meipso recordantem, & fatentem legit, non me derideat ab eo medico me ægrum sanari, à quo sibi prestitum est, ne ægrotaret, vel potius vt minus ægrotaret. Imò verò amplius Deũ diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.* Sic ille.
Idem hoc probari potest ex eodem August.

Medici duplex officium, no sanat ægrotum, altero præseruat.

August. supra cit. in Ps. 85. vbi duo officia medici exposuit, alterum quo sanat ægrotum, alterum quo præseruat, ne is qui potest esse infirmus, infirmetur. Ex Dionys. Areop. similiter qui cap. 8. de Diuinis Nom. sic loquitur de hac præseruatione: *Idcirco eam redemptionem etiam Theologi appellant, ex eo quod non sinit ea, quæ vera sunt, ad id cadere, vt non sint.*

11. Eandem redemptionem præseruantem à peccato admittit S. Fulgentius libr. 2. ad Frasimundum cap. 3. vbi Diuinam in redimendo genere humano deprædicans charitatem, postquam dixisset eum à nullo hominum, à nullo Angelorum redimi potuisse, quia homo iam erat peccati vulnere saucius, & Angelus ipse lapsui peccati obnoxius; hæc attexit: *Nec Angelico hoc reparationis munus poterat adipisci subsidio: Angelica quippè natura tunc homini reparando aliquatenus esset idonea, si cadendi mobilitate nunquam naturaliter fuit obstricta. Cùm verò se iuuaminis egenam, consubstantialis ruinæ documento testatur, profectò cognoscitur multo minus ad humanæ posse redemptionis efficaciam redundare, quæ propriè nequeat stabilitati sufficere. Suis autem ad custodiam sibi sat esse viribus non incongruè crederetur, si nulla pars eius in deterius laberetur. Vnitas enim naturalis vniuersitatem complexa naturæ Angelicæ, tota proculdubiò maneret impassibilitatis fundamento subnixa, si passioni non esse posset obnoxia, nec vnquam pateretur in reliquo, quod perpeti non posset in toto. Cùm verò pars eius de cęlestis beatitudinis culmine in imam, perpetuamque cernitur deuoluta miseriam, Beato Petro dicente; Quia DEVS Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis Inferni tradidit in iudicio puniendos reseruari, profectò cognoscitur, vniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet à casu prauitatis Virtus illa defendere, quæ sola naturaliter mutari deprauariuè non posset. Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna est in vtroque gratia operata, in hoc vt surgeret, in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in isto vt sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit; illum infirmari non non sinit; illius esca; istius medicina. Hunc autem quisquis sanum sapit, Filium Dei esse non ambigit, qui est Virtus, & sapientia Patris.* Ex quibus verbis clarè colligimus non solùm redemptionem siue præseruationem hominis à peccatis, quibus etiã remotè est obnoxius, dici posse propriè redemptionem, verum etiam Angelum ipsum, gratia Christi præseruatum, ne laberetur, dici posse redemptum, etiamsi nulla obligatione proximâ in peccata prolabendi teneretur. Qua sanè ratione impellimur omnino Virginem Deiparam ab obligatione peccati originalis contrahendi, absoluere, & nihilominùs verè ac propriè redemptam propter obnoxietatem illam peccandi, communem cum Angelis, effercere. Alioqui natura Angelica, sua puritate Virgineam superare videretur, quod Sanctissimorum Patrum sententijs repugnat.

Homo à nullo Angelorũ redimi potuit, qui lapsui peccati erat obnoxius.

12. Audiendus hic Ansel. libr. de Concept. Virg. cap. 18. *Nempè decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit, intelligi Virgo illa niteret, cui DEVS Pater vnicum sibi Filium ita dare disponebat, &c.* Iam si asseramus Deiparam debito contrahendi peccatum originale fuisse obstrictam, cogemur sanè dicere, eius puritatem sub Deo omnibus maiorem non extitisse, siquidem Angeli tali debito peccati minimè obligati, maiori puritate post DEVM enituerunt. Verissimum enim est vnumquemque eo puriorem, ac sanctionem esse censendum, quo magis recedit à peccato; Ideo enim DEVS purissimus, ac sanctissimus imo, & ter sanctus, hoc est, perfectissimâ conspicuus sanctitate, à Seraphinis prædicatur, quod naturâ suâ, & à se sit impeccabilis. At magis recedere à peccato iure merito censendus est ille, qui solam obnoxietatem duntaxat, ac potentiam remotam incidendi in peccatum habet, quam ille qui obli-gatione proxima in illud incidendi teneretur. ergo qui solam potentiam atque obnoxietatem habet peccandi purior, sanctiorque existimandus est. Et talis fuit Virgo nostra sanctissima. Vnde Angelicus Doctor in 1. sent. Dist. 44. q. 1. art. 3. ad 3. præclarè asseuerauit: Potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit Puritas B. Virginis quæ à peccato Originali, & actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea, potentia ad peccandum. Quibus ex verbis colligimus eum agnouisse suã obnoxietatem, atque potenten-

B. V. ea puritate extitit, qua sub Deo maior nequit intelligi.

Quo quis magis recedit à peccato, eo magis est purior.

tētiam illud contrahendi Deiparā habuisse, ac proinde æqualem cum Angelis habuisse puritatem: *Puritas enim intenditur*, inquit ille, *per recessum à contrario; & ideo potest aliqua creatura inueniri, qua nihil purius esse possit, sine aliqua contagione peccati. Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit;* tamen ista puritas sub Deo fuit, inquantùm erat in ea potentia ad peccandum. Cum igitur etiam in sententia S.Thomæ B. Virginis puritas recesserit ab omni peccato, ita vt licet non fuerit impeccabilis, habuerit tamen peccandi potentiam, atque obnoxietatem, vt eam habent ipsi Angeli, consequens sanè est, eius puritatem primam sub Deo esse, nec posse vllo modo ab Angelica superari.

Ex sententia S. Thomæ Aquinat. Puritas B.V. recessit ab omni peccato.

B.V. etiamsi non sit impeccabilis habuit tamen potentiam peccandi vt habent Angeli.

13. Quod si dicamus cum P. Suarez Tom. 1. in 3. Partem Disp. 42. sect. 1. alijsque Theologis Alberto, Ruardo, Catherino, Galatino, Ioanne Arboreo, Viguerio, Iacobo de Valenzia, Neclanto ab ipso citatis, Christum Dominum meruisse Angelis gratiam, ac gloriam, quæ illis data fuerat propter eiusdem Christi præuisa merita, inferemus similiter, eos obnoxietatem, ac potentiam ad peccandum habuisse, ac per consequens gratia Christi redēptos, eo modo, quo ipsa Deipara Virgo, redemptione nimirum propriè dicta, eaque nobilissima, ac proinde Deiparam ab illis puritate superari minimè potuisse, aut debuisse, cum eorum, atque adeò omnium creaturarum Domina fuerit, ac Regina, & ad illam potissimùm redimendam Dei Filius in carne aduenerit.

Christus Dominus meruit Angelis gratiam ac gloriam, quæ illis data fuerat propter eiusdē Christi præuisa merita.

14. De hac Angelorum redēptione præclarè S. Bernard. ser. 22. in Cant. vbi docens in odorem vnguentorum Christi non modo cucurrisse homines, sed etiam Angelos, quibus factus fuerat iustitia, Sapientia, sanctificatio, & redemptio; hanc mouit obiectionem: *At Angelis, inquis, quomodo redemptio fuerit non video? Nec enim auctoritas scripturarum vspiam assentire videtur eos aliquando aut peccato extitisse obnoxios, vt necessariam haberent redemptionem, exceptis duntaxat ijs, qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes, redimi deinceps non meruerunt.*

Christus quomodo Angelis factus Redemptio.

Si igitur Angeli nunquam redempti sunt, alij vtique non egentes, alij non promerentes, illi quidem, quia non lapsi sunt, hi autem quia irreuocabiles sunt, quo pacto tu dicis, Dominum IESVM Christum eis fuisse redemptionem? Huic obiectioni sic tandem respondit: *Audi breuiter: qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique redemptio soluens illum, & seruans istum. Liquet ergo sanctis Angelis fuisse Christum redemptionem, sicut iustitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem;* Vbi obseruanda verba illa *; à captiuitate defendens, & seruans;* quibus ostendit Doctor mellifluus, ex hoc Angelis Saluatorem fuisse redemptionem, nō quia debito proximo incurrendi in peccatum fuerunt adstricti, sed quia obnoxietatem, ac potentiam in captiuitatem peccati deueniendi habuerunt, à qua Christus redemptor illos defendit ac præseruauit.

Christus fuit Angelis Redemptio eos à lapsu præseruando.

15. Audiamus hic etiam D. Hierony. serm. de Assump. vbi docet digniorem adhuc quam Angeli redemptionem fuisse sortitam Deiparam, eiusque gratiam Angelicam claritatem superare: *Nam omnis splendor*, inquit, *& gloria, quanto illustrato fulgore suo sublimius, tanto apparet præstantior claritate quorumlibet subiectorum, & eximior prædicatur. Sic & B. Dei Genitrix, cuius plantatio quasi Rosę in Hierico specialius refulsit, & candor Virginitatis splendidius emicuit, cum circumdata officio charitatis, submittitur sanctorum claritas, vt eius amplius splendor, & gloria commendetur, quæ super Angelorum choros eleuata iam beata prędicatur, ac beatissima.*

B.V. redemptio dignior quam Angelorum.

Nam Angelorum quamuis celsior natura sit, non tamen gratia maior, quia ipsi gratuitâ gratiâ ne corruerent saluati sunt. Vnde Dauid: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quod si spiritu oris eius omnis eorum virtus subsistit, constat beatam, & gloriosam Virginem ampliora promeruisse virtutum priuilegia, & gratiam percepisse ab ipsis Angelis collaudatam.

Q. D. Sanctus Doctor: Si Angeli potētiam proximam habentes ad peccandum gratuitâ gratiâ saluati, ac præseruati sunt ne peccarent, & ad instar cælorum Verbo Diuino, & Spiritus S. virtute firmati sunt, ne laberentur, quanto maiori gratia animatum hoc, Virgineumque cælum, in quo nouem mensibus Verbum æternum sibi domiciliū, sedemque fixit stabiliuit? Quanto eādem maioribus superueniens, in eandem quoque Virginem Spiritus Diuinissimus, cooperatione suâ mirificâ,

donis, ac charismatis exornauit, confirmauitque, ne vnquam peccati corruptioni veluti quoddam cæleste corpus subiaceret? Hæc certè gratiarum dona ac priuilegia eiusmodi fuere, vt ea ipsi Angeli contemplantes suspicerent, ac obstupescerent, tandemque summis laudibus in cælum eueherent, suamq; puritatem longè inferiorem esse agnoscerent.

Puritas B.V. Angelica præstantior, & quare.

16. Quod luculenter nobis ostendit S. Hildephonsus lib. de Virg. Deip. cap. 10. vbi Virginitatem corporis, animique puritatem Deiparæ cum Angelicæ naturæ puritate comparans, ostendit eam longè Angelicâ esse præstantiorem. Licet enim Angelica Natura in gratia fuerit condita, Diuinam tamen essentiam in primo suæ creationis instanti non vidit. Vnde potentiam illam peccandi in actum reduxit, dum magna eius pars Deo Conditori suo rebellis effecta, in Inferni Barathrum corruit, & primigeniam illam iustitiam, puritatemque perdidit.

Angeli in primo creationis suę instanti DEVM non viderũt, vt vidit ipsa B.V. in sua Cõceptione.

At verò puritas illa Deiparæ tam corporis, quam animæ in primo conceptionis instanti accepta, nec in prima sua origine vllum sensit detrimentum, cum beatificâ Dei visione, mox vt est concepta, fuerit perfruita, nec in posterum etiam imminui potuit, siquidem eandem assiduis virtutis actibus, ijsque semper intensioribus cumulauit. Sed ipsum sanctum Antistitem audiamus: *Tu Sancte Gabriel Angele Domini, qui mitteris ad Virginem Israel, qui venis ad Matrem Domini, qui properas ad singulare Virgineum decus in mundo, enarra quid incorruptius, quid sincerius, quid integrius, quid solidius, inter Virginitatem maternam, & conditionem Angelicam? inter Virgineam fœcunditatem, & Angelicam formationem? inter incorruptibile Virgineum decus, & Angelorum exordium? inter pudorem prole perauctum, & Angelicæ nobilitatis initium?*

Quanta differentia inter Puritatẽ Virginis, & Angelorum.

Angelicę celsitudinis vna pars in ruinã prostrata.

Virgo, quæ fœcundatur, & non corrumpitur; an Angelica celsitudo cuius pars in ruinam prostratur? DEVS Virgineum, quod & post partum enitet, an nobilitas Angelica, quæ post gloriam culminis damna sustentat in socijs?

Integritas materna, quæ & post partum prolis concrescit in gloria Virginis, an conditio Angelica, quæ detrimentis læsa est in electis?

Beatitudo Matris, quæ inde fit generatio Dei, vnde nescia corruptionis est Angelicæ plebis tuę, quæ ante soliditatem incurrit diminutionem partis multitudinis suę. Certum est quod Angelorum castra superbia rupit, cuneos eorum presumptio minorauit, plebes ipsorum prauitas diminuit, turmas ipsorum elatio collisit. Nam Virginitatem Dominæ meę genita proles, nec introiens, nec exiens læsit, nec concepta nec nata violauit: nec eam cum hospitaretur in illa tristauit; nec illam cùm egrederetur, incorruptione priuauit, Hanc ergo fęminam Conceptio Virginem reddit.

Angelica Natura per lapsum aliquorum lęsa; at vero B. V. nec in partu nec post partum vnquam fuit violata.

Hanc fœminam partus Virginem seruat.

Hanc fœminam Filius ita post exitum nouit, sicut ante conceptum inuenit. Et huius certè Virginitas semper incorrupta, semper integra, semper illæsa, semper inuiolata. Nam Angelicę forma Naturę ante soliditatem fragilis, ante firmamentum labens, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans atque nutans.

At verò hæc fœmina sanctificationis vas, seu basis est. (vtpotè Domus sapientiæ septem columnis donorum Spiritus S. suffulta:) *Mater Dei est, sacrarium Spiritus S. est, Templum singulariter vnicum Factoris sui est. Verum Angelicæ beata conditio creaturę, post stabilitatem solida in bonis, post soliditatem indeficiens in amore Diuinitatis, post firmamentum perennis in conspectu Dominicæ visionis, post robur inseparabilis à consortio Deitatis.* Ex quibus verbis clarè perspicimus puritatem Virgineam tam animi, quam corporis, totâ naturâ Angelicâ longè esse excellentiorem, siquidem Deiparæ puritas nullam vnquam à primo conceptionis exordio passa est imminutionem, aut corruptionem, vt Angelica, imo maiora in dies accepit incrementa, vtpotè, quæ in posterum, quemadmodum, & Angelica, beatificâ sæpius visione fuit roborata.

B V. sanctificationis vas, seu basis est.

B.V. puritas decursu temporis magis magisq; beatifica visione roborata.

17. Quæ veritas memorabili illa Iobi sententia roboratur cap. 25. v. 5. vbi ait: *Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius*. Vbi Emmanuel Naxera noster in Appendice libri Iosue 52. Sed quæ stellis maculæ? quæ splendoribus notæ? Certè dum lucem vidit, ipsa Opificis lingua sibi blandita, faustis acclamationibus, dilaudauit: *Vidit DEVS lucem quod esset bona*. Et modo sydera lucis fontes Iobus indecoris aspersa maculis aspicit? Diuus Hieronymus stellarum nomine Angelos designari scribit, appellarique immundos non de admissa culpa, sed de peccandi capacitate. Itaque ipsum labi potuisse, nescio quæ nobilitatis macula est.

Angeli in conspectu B. V. cur nõ sint mundi?

Angelorum imminuit ingenuitatem à peccati iugo prorsus exemptos non fuisse:

fuisse: ipsum à veritate potuisse deflectere, Angelicæ nobilitatis est næuus: illustriores profectò essent, si nec culpâ aliquando obscuri, nec culpæ admittendæ idonei. Sancti Doctoris verba sunt: *Sub nomine stellarum Angelos, & supernas potestates intelligere possumus: immundi & tenebræ possunt vocari, ex eo vtique quoniam naturâ conditæ creaturæ, licet non peccent, capaces tamen peccati sunt, vt apparuit in alijs Angelis*. Quemadmodum igitur stellæ, siue Angeli mundi in Dei oculis non dicuntur, quia licet semper ab ipsa prima sua origine in cælo radiarint, obfuscari tamen ac de cælo cadere potuerunt, vt in eis patuit, quos Serpens antiquus, ac Draco Tartareus caudâ sua in terram detraxit: Sic etiam Virgo nostra etsi nulla vnquam vllius peccati macula fuerit aspersa, quia tamen aspergi potuit tãquam creatura fragilitati, ac peccandi cõditionis obnoxia, ideo meritò eam remotam quandã capacitatẽ peccandi habuisse dicimus, ac proinde hanc ob causã corã suo creatore mundam non esse asseueramus; à qua tamen obnoxietate peccandi per Christum Saluatorem redemptam confitemur.

18. Hoc nimirum est tributum illud à quo Diuina Mater, velut Parens ipsius Dauid ob reportatam insignem illam de Gigante Golia victoriam liberata est. Vnde Milites referebant: *Virum qui percusserit eam, ditabit Rex diuitijs magnis, & Filiam suam dabit ei, & domum Patris eius faciet absque tributo in Israel*. Itaque si Dauid ob egregiam suam bellicam virtutem qua de Gigante triumphauit factus est, absque tributo, ita vt nec ipse, nec domus eius vlli tributo fuerit obnoxia; quanto magis erit Mater Dei à debito seu tributo contrahendi peccatum originale immunis, quæ Tartareum illum Goliam tanquam vera Mater Dauidica, admirandâ sua fortitudine debellauit?

19. Prædicemus igitur, & nos, vt supra ex Hieronymo diximus cũ ipsis Angelis Diuã Virginẽ, pleniori excellentiorique longè gratiâ, donorumque cælestium amplioribus priuilegijs, præ omnibus beatissimis illis Spiritibus à peccato originali præseruatam, ac redemptam atque ab eius tributo omnino immunem extitisse eandemque hanc ob causam multis parasangis illorum excessisse puritatem, ita vt reuera sub Deo nulla maior in rerum natura posset intelligi. Quod sanè neutiquam asserere vllo modo possemus, si eam debito proximo peccati originalis contrahendi obstrictam fateremur, quia vt iam sæpius dictum est, hanc ipsius puritatem, Angelica, tali debito proximo absoluta, & remoto illi, potentiæ nimirùm peccandi, obnoxia, superaret.

20. Quod vt clarius pateat, obseruanda est series illa decretorum in mente, ac voluntate diuina, quam P. Salazar Sapienter ordinauit.

Series decretorum in mente Diuina.

In primo igitur decreto collocatis Adamum cum tota posteritate, quæ eius in lumbis continebatur, pactum cũ Deo ineuntem, vt si in iustitia originali diuinis iussis obtemperans perseueraret, iustitiam illam, sanctitatemque originalem in posteros transfunderet, vti contra faciendo, peccatum ipsum deriuaret. Ab hoc decreto exclusit Deus Virginem noluitque in hoc instanti, vt futuram præuidere, ne in hoc pacto cum Adamo includeretur, debitumque peccati originalis cum tota eius posteritate incurreret.

Quod sanè inter eximia magnaque beneficia Virgini connumerandum est, ad quod fortasse mentem intendit cum cecinit: *Fecit mihi magna qui potens est*. Quemadmodum enim beneficium agnoscit singulare D. Augustinus in pueris, quos præuidens Dominus DEVS in peccata iam grãdæuos prolapsuros, æternamque mortem adituros, ni ex vita maturè rapiantur, illos in ipsa infantia, aut pueritia de hoc mundo rapit, ne damnentur: ita beneficium nõ vulgare collatum Deiparæ censendum est, quod eam illo instanti, quo pactum cum Adamo inijt, excluserit, eique existentiam negauerit, pro eo tempore, ne debito illo contrahendi peccatum originale obligaretur.

B. V. ab illo instanti quo DEVS pactum cum Adamo inijt de peccato originali cõtrahendo B. V. fuit exclusa.

21. In secundo instanti pòstquam in mente, voluntateque Diuina decretum est, vt Verbum ad redimendum hominem iam lapsum, carnem assumeret ex muliere, sed non ex vlla earum, quas præuiderat in primo instanti, in pacto illo Adami inclusas. Vnde nouam præuidit mulierem, omnibus tam naturæ, quam gratiæ ornamentis velut alteram Pandoram decoratam, de cuius purissimis sanguinibus Filius, ope Spiritus S. corpus sibi erat formaturus,

In secundo instanti quo in mente Diuina decretũ est vt Verbũ carnem assumeret, B. V. præuisa.

quo tempore nullum iam peccati periculum imminebat, quia pactum illud, & peccati originalis in posteros deriuandi lex tantummodo illos Adę filios includebat, quia ante præuisi fuerant. In tertio tandem instanti decretum est, vt Virgo Beata meritis, & gratia Christi, ab obnoxietate illa, potentiaque peccandi ob Diuinæ maternitatis dignitatem pręseruaretur. Quam etiam ob causam vt in iustitia, ac sanctitate originaria stabiliretur eisdem Christi Saluatoris meritis in primo conceptionis eius instanti visio beatifica ipsi decreta est. Merita enim Christi præuisa vt præclarè docet P. Salazar, ex natura rei, & essentialiter ad diuinam voluntatem mouendam, non egebant peculiari, aut generali applicatione ipsius, sed ex natura sua referebantur ad omne præmium, quodcunque DEVS propter illa retribuere vellet.

Atque ita, licet Christus tunc adhuc non extiterit, cum Virgo futura, & libera ab obligatione illa in primo conceptionis momento præuidebatur, merita tamen illa naturâ sua sic erant constituta, vt mouere possent Diuinam voluntatem ad gratiam cuicunque communicandam etiam sine ipsius Christi, qui nondum extabat, applicatione. Sicut Reges Filijs parentum benemeritorum, qui iam è vita decesserunt, beneficia conferre solent ob merita auorum, parentumque qui illis fideliter inseruierunt, etiamsi ipsi huiusmodi gratias minimè postularint, vel postulare potuerint.

Idque facere non alia de causa Reges consueuerunt quam quod merita parentum ita sint natura sua comparata, vt iure suo gratias fauoresque huiusmodi in filios exigant. Licet enim Christus nondum extiterit, eius tamen merita natura sua mouere poterant Patris æterni voluntatem, quamcunque gratiam Matri impertiendam, etiamsi ipsa ea minimè applicaret.

Merita Christi quam efficacia apud Patrem etiā antequam in rerum natura existeret.

Ex hoc tandem decreto sequitur luculenter, quod Deipara nulli debito originarij peccati subiacuerit, cum pactum illud de transferendo originali peccato in Adæ posteritatem in primo illo instanti fuerit celebratum, in quo ipsa non dum erat præuisa; ac proinde infertur eam modo nobilissimo, ob solam illam obnoxietatem potentiamque peccandi remotam, fuisse præseruatam ac redemptam, gratiâ copiosissima Filij Redemptoris, tandemque in gratia, Diuinæ essentiæ visione in prima sui conditione confirmatam.

Quæ sanè priuilegia Angelica Natura in primo suæ creationis instanti non est, vti diximus, consecuta. Vnde rectè concluditur, Deiparam nobiliori præseruatione à peccato liberatam, quàm fuerint Angeli, seu præstantioribus gratiarum priuilegijs præuentam, Angelicam puritatem longè post se reliquisse, eaque nullam maiorem sub Deo extitisse.

22. Intellexit hoc S. Epiph. libr. de laud. Virg. dum dixit: *Solo Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior existis ipsis Cherubin, & Seraphin, & omni exercitu Angelico.* Intellexit S. Andreas Cret. Epis. orat. 2. de dormit. B.V. cum tam magnificè hæc de ipsa pronunciauit: *Regina omnis humanæ Naturę, quę habes incomparabilem cum alijs appellationem, quæ, excepto Deo, sola es omnibus altior.*

B.V. solo Deo excepto cunctis superior puritate fuit, etiam Cherubinis ac Seraphinis.

Intellexit S. Iacobus Hispaniarum Apostolus, cui se sæpius spectandam Virgo summa cum gloriâ, innumeris Angelorum stipata legionibus exhibebat, vti fecit Cæsaraugustæ in Columna, vbi sibi Templum ab ipso ædificari iussit, intellexit, inquam, ipsius super omnes Angelorum Hierarchias eminētiam, cum eam in sua Missa sic celebrare consueuerat: *Dignum est te verè beatam Dominam Deiparam semper beatam, & omnibus modis irreprehensam, & Matrem Dei nostri, honorabiliorem quàm Cherubin, & gloriosiorem quàm Seraphin.* Intellexit sublimissimam super omnes post DEVM creaturas, etiam Angelicas, dignitatem, ac puritatem Deiparæ Sanctus Ignatius Martyr qui Epistola, quam ad S. Ioannem Euangelistam scripsit, vt ostenderet ipsam omni obligatione originarium peccatum contrahēdi absolutam, & obnoxietatem illam potētiamque peccandi remotam habuisse cum ipsis Angelis, hæc posteritati mandauit: *In Maria Matre IESV humanæ Naturę, Natura Sanctitatis Angelicę sociatur.*

B.V. solo Deo excepto, omnibus altior.

Idem intellexisse visus est S. Ephrem, dum in ser. de B.V. sic eam alloquitur: *Intemerata prorsusque pura Virgo Deipara, sublimior cælicolis, purior solis radijs, ac splendoribus, honoratior Cherubin, sanctior Seraphin, & nulla comparatione cęteris omnibus superis exercitibus gloriosior.* Intellexit eādem puritatem Virginis Angelicam tran-

transcendentem S. Anselmus citatus à Bustio, & P. Salazar, cap. 42. sæculo 11. de immacul. Concept. cum dixit:

B.V. nihil æquale, nihil cōparabile.

Nihil tibi Domina æquale, nihil comparabile est, Omne quod est, aut supra te est, aut subtus te est. Quod supra te est, solus Deus est; quod infra te est, omne quod DEVS non est.

Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? quis attinget? Et certè vt ad hanc excellentiam peruenires in humillimo loco, idest in vtero Matris tuæ, purissima oriebaris, quia si tali modo concepta, & ordinata non fuisses, in tantam celsitudinem non excreuisses.

Hæc Anselm. Psellus denique apud S. Theodoretum lib. 3. in Cant. ob absolutissimam hanc Virginis, Angelicam transcendentem puritatem, vocat illam vnicam illam columbam, de qua sponsus loquebatur; *Vna est Colūba mea perfecta mea, electa Genitrici suæ*. Cant. 6. *Inter tot animas*, inquiens, *omnium hominum qui saluantur, vt electa columba est vna illa sola, quæ Christum genuit Virgo Mater, Puella Maria, quæ puritate profectò Cherubin, & Seraphin antecellit*. Huius eminentissimæ Puritatis in Virgine, paucis causā reddit Fulbertus Carnotensis Abbas in Salut. Angelicam, dum ait: *Ab initio suæ creationis immaculata semper extitit, quandoquidem creatorem totius sanctitatis erat paritura.*

B.V. vna electa Columba puritate Cherubinos ac Seraphinos superans.

23. Huiuscè tam eximiæ puritatis, omnem etiam cuiuscunque Angelicæ Hierarchiæ mundiciam, vti diximus transcendentis solidissimam reddit rationem Pelbartus lib. 8. stellarii Par. 3. art. 2. cap. 1. *Quia*, inquit ille, *ad summi Doni communicationem, omnium inferiorum consequitur collatio secundum illud Apostoli ad Rom. 8. Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum ipso nobis omnia donauit?*

Cum igitur largitor bonorum omnium Virgini beatæ summum donum, cuius pura creatura capax esse potest, Diuinam nempe Maternitatem communicauerit, consequens sanè est, summam etiam puritatem, qua sub Deo maior nequit intelligi, communicasse. Accedit quod cū, Virgo super omnes Angelorum Hierarchias aliorumque sanctorum ordines, tanquam omnium illorum Regina, fuerit exaltanda, & iuxta S. Dionysij Areopagitæ doctrinam libr. de cælesti Hierar. superiores chori inferiorem cōtineant, cum excellentiâ perfectiones, consentaneum sane fuit; vt sicut omnium reliquorum Angelorum virtutes in se gradu eminentiori complectitur, sic etiam eorundem puritatem.

Summū donum, Diuinā nempe Maternitatem consequitur summa quoque Angelicam concedens Puritas.

Superiores Angelorum Hierarchiæ continent inferiorum perfectiones cū excellentia.

Nam licet in puritate, & innocentia à suo creatore fuerint conditi, & confirmati, tamen suum præmium substantiale, ac gloriam nec augere sibi potuerunt, nec minuere. At verò gloriosissima hæc eorum Regina proficere potuit in merito, gloriamque suam, intensioribus semper virtutum elicitis actibus amplificare, & nunquam deficere. Hæc ferè Pelbartus, quibus explicatis cap. 3. conuersus ad Virginem tantam eius puritatem obstupescens exclamat: *Quis ergo mente capere sufficiat quantum ipsa præ omnibus nitidissima, & summa puritate post DEVM refulgeat? O Virgo gloriosissima super omnes sanctos, & Angelos purissima! O sanctarum sanctissima! O omnium creaturarum Domina cùm non sufficiamus enarrare tua magnalia, hoc tantum flagitamus prece humillima, vt per tuæ puritatis merita sanctissima, deleas sordium nostrarum crimina, & ducas ad tui præ dulcissimi Nati Regna felicia.*

Angeli semel in gratia cōfirmati, suam puritatem augere non potuerunt, quam tamen potuit B V. dum esset viatrix.

24. Idem Vir Religiosissimus Puritatem hanc Virginis adeò eximiam Diuinamque pro suo in illam affectu pijssimo extollere desiderans 12. priuilegijs, ceu stellis venustissimè coronauit, aitque primam Puritatis Virgineæ extitisse stellam, quod fuerit Deo gratissima, atque amantissima. De hac loquebatur Sapientia æterna Sap. 8. Hanc amaui, & exquisiui sponsam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius. Tantum quippè DEVS puritatem B. Virginis adamauit, vt eam tota Trinitas Pater, Filius ac Spiritus S. tanquam in prædilecto tabernaculo tam miro modo inhabitauerit, vt in nulla alia creatura taliter voluerit cōmorari. Vnde ipsa aiebat: *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* Licèt ergo DEVS Angelicam dilexerit puritatem, & in ea habitauerit, magis tamen dilexit Virginis Mariæ puritatem, in qua sic habitauit, vt ex eius carnis mūdissimæ, seu sanguinis purissimi portione sibi ipsi inseparabiliter vniret carnem purissimam assumptam, & in omnibus creatis adorandum præ exaltaret. Idcirco Angelus eam salutando dixit: Aue, idest, sine væ, quo notauit eius puritatem. Quantum porro eam DEVS diligat, subdit; *Gratia plena Dominus tecum*. Q. D. quia sine omni væ es purissima, ideò Deo es gratiosissima, totaliterque dilecta, adeo vt Dominus tecum per inhabitationem tui vteri, carnisque assumptionemque sit.

Puritas B. V. 12. priuilegiis ceu 12. stellis coronata.

B.V. Deo gratissima, atque amantissima, quia in ea SS. Trinitas tanquam in suo Tabernaculo requieuit, ex eaque carnē assumpsit, quod Angelis minimè contigit.

25. Secunda stella Virgineam Puritatem coronans est, quod fuerit Dei Filio

Filio familiarissima. Nunquam alicui creaturæ, ne quidem Angelicæ, concessum est, aut concedetur in posterum, vt sic familiaris foret Christo, vti puritas Deiparæ, vt nimirum tam frequenter, tam familiariter Christum complecteretur, oscularetur, manibus contractaret, vt vlnis portaret, lactaret, nutriret & educaret. Vnde dicere poterat Cantic. 6. *Dilectus meus Christus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia puritatis meę familiariter ac deliciosissime. Verè hic Filius Generositatem illius, beatę Matris videlicet, glorificat, contubernium habens Dei, prę omnibus creaturis.* Sap. 7.

26. Tertia stella Marianam Puritatem coronans fuit, quod Diuino splendore radiarit, idque ex summa ad purissimam diuinissimamque lucem approximatione, qua ita radians plenaque diuino lumine concupiscendo eũ, qui splendor est paternæ gloriæ extitit, vt nullus in ea tenebrarum, impuritatisque locus inueniretur, sed præ omnibus puris creaturis quodam splendore diuino præfulgeret. Vnde Ezech. 43. *Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per portā orientalem, Virginem beatam videlicet, & terra, eius nimirum caro, splendebat à maiestate eius, id est, Christi.*

27. Quarta stella Virginis Puritatem illustrans est, quod Dei Maternitate fuerit dignissima. Maxima quippè gloria ipsius est quod nulla alia creatura tantæ puritatis reperta sit, vt Mater Dei fieri esset idonea, sola hæc inuenit gratiā apud DEVM vt ait Angelus. Ad quæ verba Albertus Magnus super Missus, eandem Virginem alloquens: *Inuenisti gratiam apud DEVM excellentissimam, vt in tui puritate idonea fores tui, & omnium Creatoris Mater esse dignissima.*

B.V. sua puritate facta idonea, quæ Dei Mater existeret.

28. Quinta stella, Puritatem Deiparæ illustrans est, quod fuerit totalis, & plenissima, à primo conceptionis instanti, vsque ad vltimam vitæ periodum maiora semper capiens incrementa, tam gratiæ, quam gloriæ.

29. Sexta, quod Puritas hæc fuerit tranquillissima, quia caruit fomite peccati, qui eam nec à bono retrahebat, nec ad malum incitabat. Quia in prima sanctificatione in vtero Matris peracta, extinctus penitus fuit fomes, omnisque motus illicitus repressus.

Puritas B.V. absque vllo peccati fomite.

30. Septima, quod eius puritas fuit constantissima ac stabilissima, quia tāta gratia ipsi fuit diuinitus infusa, vt potentiam ipsius liberi arbitrij non solum impleret, sed etiam in bono confirmaret, adeò vt nunquam in posterum ad vllum vel minimum peccatum flecti posset.

31. Octaua stella Puritatem Deiparæ coronans est, quod ea fuerit miraculosissima. Fuit enim multis maximisque miraculis perfecta, & super omnem creaturarum puritatem euecta. Grande nimirum miraculum fuit, vt Mater esset, & Virgo purissima. Grande vt de purissimo sanguine, Spiritu S. operante, in instanti perfectam virum conciperet, secundũ omnia corporis lineamenta, cuius anima plena foret Spiritu S. omnique scientia, ac virtute. De hoc miraculo Hierem. 31. *Nouum fecit Dominus super terram, fœmina circundabit virum.* Verè hoc nouum, quia à sæculo inauditum est miraculum. Grande miraculum quod in purissimo vtero DEVM, quem cæli capere non poterant, clauderet, purissimoque suo sanguine ipsum, nouem mensibus in vtero aleret, tandemque purissimo lacte, ab vbere Virgineo, de cælo pleno, promanāte natum Angelorum Regem lactaret, eandemque purissimè genitũ, purissimis brachijs portaret, castissimo denique amplexu foueret, atque exoscularetur. O' quis enarrare sufficiat, quanta, quamque incompræhensibilia ac multiplicia fuerint miracula, quibus B. Virginis puritas consecrata, atque exaltata extitit? Pensa mens deuota quantum vales, nec vnquam assequeris.

Puritas B. V. miraculosissima.

32. Nona stella Virgineam Puritatem illustrans est, quod fuerit in alios efficacissima; adeò vt in aspicientium cordibus Virgo concupiscentiæ ardorem extingueret. Qua de re alibi fusius agendum erit.

Puritas B.V. excellentissima, & quod aspicientibus eam instillaret.

33. Decima, quod Puritas hæc fuerit assiduè proficiēs, maioraque in dies singulos, præ creaturis omnibus capiēs incrementa. Quolibet enim liberi arbitrij motu tàm agendo, quàm patiendo merebatur, sicque semper merita, nouis meritis cumulabat, sicque omnium tam hominum, quàm Angelorum puritatem transcendebat; hominum quidem, quia in alijs saltem aliquando per peccatum veniale puritas potuit obscurari. Angelorum autem, quia illa nec in merito, nec in præmio essentiali

tiali

tiali vllum capere poterat incrementum. Quare rectè de Virgine dixit Salomon Prou. vlt. Multæ filiæ congregarunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.

B.V. Puritas toti mundo fructuosissima.

34. Vndecima stella Puritatis Deiparæ, est quod toti mundo præ omnibus Angelis, ac Sanctis hominibus exstiterit fructuosissima. Ex illa enim precium nostræ redemptionis, caro videlicet, & Sanguis Christi, quo redempti sumus, processit. Vere enim, vt ait Apostolus 1. Pet. 1. *Non corruptibilibus, auro, vel argento, sed precioso sanguine redempti sumus.* Ex eadem Virginis puritate panis, & potus refectionis; cibus quoque Angelorum omniumque hominum, corpus scilicet, & sanguis in Eucharistiæ sacramento originem traxit. Ex puritate Virginis denique pax reconciliationis, & cælicæ reparationis fructus processit. Christus enim est pax nostra, qui fecit vtraque, terrestria nimirum, & cælestia vnum. Vnde Virgini canit Ecclesia: *Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus.*

Puritas B. V. ab omnibus, & ab ipso Dei Filio honorata.

35. Vltima denique Stella Puritatem Sacratissimæ Virginis exornans est, quod præ omnibus fuerit veneranda. Eam enim ipse DEVS venerari non est dedignatus, dum descendit cum ea in Nazareth, & erat subditus ei, debitis videlicet honoribus ac obsequijs Luc. 2. Puritatem hanc venerati sunt Angeli. Nam & Gabriel genuflexo eam Aue gratiâ plena salutauit.
Eandem Ecclesia tam militans, quàm triumphans cultu hyperduliæ veneratur. In laudem denique gloriamque Diuinissimæ huius puritatis omnes beati Spiritus Illud Iudithę encomium cap. 15. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, eo quod castitatem amaueris, & ideo eris benedicta in æternum,* modulantur.

B.V. Puritas merito laudatur, & glorificatur.

36. Concludit tandem pijssimus Pelbartus omnino pijssimè totum hoc Virgineæ Puritatis encomium, quo, ad coronam hanc stellatam Virgini contexendam, eiusdemque puritatem venerandam excitemur: *Merito ergo, & nos,* inquiens, *in gloriam, & laudem Dei omnipotentis tam puram, ac gloriosam Virginem adoramus, merito eius suffragia inuocamus. Merito deuotis laudibus efferimus, quam DEVS tantæ puritatis honore omnibus prætulit, tantisque priuilegijs dignissimam cunctis creaturarum generibus præfecit, vt foret Mater Dei, Domina mundi, Regina Angelorum, Mediatrix Dei, & hominum. O vere mundissimam Virginem! O verè dignissimam Dei Matrem! O DEVS meus quando tandem in cælo eius gloriam contemplabimur! O IESV prædilectissimæ Virginis Mariæ nate dulcissimè, da quæso nobis gratiam, vt imitando tuæ sanctissimæ Matris castimoniam, dignissimus peruenire ad tuam gloriam!* Hæc ferè Pelbartus.

37. Quod sanè Puritatis Virgineæ tanti Viri encomium, aliaque supra iam memorata sanctorum Patrum testimonia luculentissima ostendunt sat perspicuè eminentissimam Deiparæ Virginis supra omnem tam Angelicam, quam humanam creaturam puritatem, atque excellentiam, dignamque planè fuisse, quæ ab obnoxietate, potentiaque peccandi, redemptione longè præstantiori, eâ qua præseruati sunt Angeli, infinitis nimirum gratiarum diuinarum, donorumque cælestium priuilegijs, visionis denique beatificæ ab ipso immaculatæ conceptionis momento prærogatiuâ liberaretur.
Non enim decebat, vt Natura Angelica, in originali iustitia, ac sanctitate, absque vllo debito contrahendi peccatum conderetur, & Virgo Mater Dei altissimi, omnium Angelorum, totiusque vniuersi Regina, obligatione incurrendi peccatum originale astringeretur. Hoc enim infinitæ Dei omnipotentiæ inscrutabili eiusdem sapientiæ, effusissimæ, demum ipsius aliquo modo repugnare videretur Bonitati.

Non decet vt Natura Angelica absoluta sit obligatione incurrēdi peccatum, & eorum Regina obstricta.

Quis enim bonus sapiens, potensque orbis huius Monarcha Matrem suam vinculo aliquo adstringi sinat vel leuissimo, & id facere cuipiam attentanti, indignabundus non dicat?
Libera sic semper Regis quoque Salua potestas?

38. Argumentum hoc pulchrâ similitudine iam memoratus illustrauit Anselmus cap. 6. *Adhuc tibi propone Palatium quod specialiter suis vsibus aptum existat, construere volentem, in quo & ipse frequentiori, & festiuiori concursu conuersetur, & omnibus ope eius, & auxilio indigentibus mitiori, & leniori vultu respondeat. Pateretur ne in principio palatij, fundamentum inualidum, & structuræ, quæ foret ędificanda, incongruum, & non coherens? Non puto si saperet, & propositum suum ad finem perducere vellet. Ergo sapientiam ante omnia secula proposuisse sibi habitaculum quod spe-*

B. V. Palatiū est quod Deus suis proprijs vsibus ædificauit.

specialiter inhabitaret, construere indubitatâ fide tenemus. Quod autem habitaculum illud fuerit, iam dudum innotuit. Hoc enim habitaculum illud Sacrarium Spiritus S. esse fatemur, in quo, & per quod eadem Sapientia humanę coniungi voluit, & incorporari Naturę, & omnibus se pura mente confitentibus parcere, & misereri. Quodnam sacrarium aulamuè vniuersalis propitiationis Spiritu S. cooperante construeret, si fundamentum illius, initium scilicet, siue primordium Conceptionis B. Marię corruptum fuit? Ipsi certè structurę non congruebat, nec cohęrebat. Et paucis interpositis hæc addit, quæ ad rem nostram nimium quantum conferunt: *Insciane fuit, & impotens sapientia Dei, & virtus, mundum sibi habitaculum condere, remota labe conditionis humanę? Angelos alijs peccantibus, bonos, à peccato seruauit, & fœminam Matrem suam mox futuram, ab aliorum peccatis exortem seruare non valuit? In æternitate consilij sui fixum statuit eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum, nunc inferiorem natam, in consortium acceptam esse credamus omnium peccatorum? Existimet hoc, & argumentis suis probet qui vult. Ego donec ostendat mihi DEVS aliquid dignius excellentia Dominæ meæ posse dici, quod dixi dico, quod scripsi, non muto. Cæterum me, & intentionem meam Filio eius, & illi committo.* Quid luculentius quæso pro hac præseruatione, siue redemptione Virginis, etiam à debito originalis labis contrahendæ aut excogitari aut dici poterat?

S. Anselmi in asserenda Deiparæ immaculatæ Concep. constantia.

39. Simili Domicilij, siue Templi comparatione Rutilius Bēzonius Episcopus Lauretanus ad immaculatam conceptionem Virginis comprobandam vsus est comment. in Psal. 86. cap. 40. Tradit. 5. *Illud*, inquiens, *in hac re vehementissimum est argumentum, quod dum Virgo concipitur, & generatur, non homini, sed Deo præparatur habitatio. Quocirca opus grande esse debet, & singulari gratia cunctas rationales, & Angelicas creaturas excedente, decet esse ornatum, & non solum in vtero Matris Annæ sanctificatum, quod etiam alijs concessum est, sed etiam in exordio eius conceptionis benedictum, & Dei priuilegio à labe peccati præseruatum, iuxta illud quod de Templo à Salomone construendo dicitur* 1. Paral. 29. *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. Quonam pacto Deo? si in primo momento animationis eius culpa, & Dæmon eam occupauit? Horrent aures audire Matrem Dei fuisse aliquando Diaboli mancipium, & eam quam DEVS osculatus est osculo oris sui, amplexatam à Diabolo fuisse vel minimo temporis momento, quæ enim conuentio Dei cum Belial, & lucis ad tenebras? Si enim eodem instanti, quo creati sunt Angeli etiam mali, & primi nostri parentes, qui erāt peccabiles, gratiam iustificantem Dei dono habuerunt, cur non & Virgo, quæ Dei munere peccare non poterat?*

B. V. dū concipitur non homini, sed Deo præparatur habitatio.

Sic ille. Quod sanè viri æquè pijssimi atque doctissimi argumentum adhuc euadit luculentius, si cōsideremus Deiparam Templum esse atque sacrarium ipsius omnis sanctitatis ac puritatis Auctoris ipsius Spiritus Diuinissimi, in quod ipse cum omni suarum gratiarum, donorum, atque charismatum abundantia descendit atque inhabitauit. quæ sane sola cogitatio omnem nobis huiusmodi obligationis peccatum originale contrahendi excutit suspicionem. Verissimè enim Tuba illa Spiritus Sancti Apostolus Paulus 2. Cor. 3. vers. 17. pronunciauit: *Vbi Spiritus Domini ibi libertas.* Cum qua profecto nulla proxima ad contrahendum genitale peccatum cōsistere potest obligatio, præsertim cum Persona illa Diuina ipsissima sit substantialis, ac summa Bonitas, cui summa etiam suarum gratiarum competit communicatio; qua ille ita se, vtpotè fluuius igneus, rapidusque tanto cum impetu in sinum Virginis infudit, vt eam in Diuinā quādā formā trasfunderit, similemq; Filio effecerit. Ex quibus luculēter perspicimus omnes prærogatiuas, ac priuilegia tam Angelorum, quam primorum parentum modo longè excellentiori attribuenda esse Virgini nostræ, ob eminentissimam Diuinæ Maternitatis, ad quam euehenda erat, dignitatem. Vnde quemadmodum dicere non possumus Angelos obligationem incurrēdi peccatum, sed solam obnoxietatem, seu potentiam remotam habuisse, ita planè, & longè potiori ratione pronūciare possumus, & debemus, Deiparam sacratissimam nulla tali obligatione peccandi fuisse adstrictam.

B. V. quia Tēplum fuit Spiritus S. ideo protectam libertatem sortita.

40. Perfectissimam hāc Puritatem Virginis omnem tam Angelicam, quam reliquorum Cælitum transcendentem contemplans cælestis sponsus summa illa amplissimaque laudum attribuit encomia: *Pulchra es, amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem*, hoc est sicut omnis sanctorum, tam virorum, quam mulierum, Hierarchiarum quoque Angelicarum

rum

rum collectio. Seu vt legit S. Greg. Nyssenus in Cantica: *Pulchra es proxima mea suauis, & decora sicut Beneuolentia.* Quasi dicat, animæ tuæ venustas ac puritas, quam in immaculata tua conceptione tibi indidi, tanta est, vt diuina quidem, quia creatura es, esse non possit, effeci tamen vt mihi sit proxima, aliaque illi similis sub me maior, eminentiorque intelligi, aut reperiri nequeat; est enim hæc meo in te amore, acbeneuolentiâ commensurata adeo, vt quemadmodum amor beneuolentiaque mea est immensa, ita quoque tua animi Pulchritudo, ac puritas immensitatem quandam, cuius creatura capax esse potest, consecuta sit.

B. V. pulchritudo ac Puritas Diuinæ beneuolětiæ commensurata fuit, quę cum sit infinita, Puritas quoque ipsius aliquo modo est infinita.

41. Iam si amor, beneuolentiâque substantialis Dei Filij, aliud nil est quã Spiritus Sanctus, qui à S. Augustino, *amborum, nempe Patris, ac Filij appellatur amor, ac vinculum;* pulchritudo sanè ac venustas Virginea similis iam erit Spiritui Diuinissimo, ac sanctissimo, qui ab eodem Augustino, *substantialis sanctitas Patris, & Filij nuncupatur, eritque puritas non similis, aut par Angelis, sed omninò tanta, vt sub Deo maior eminentiorque intelligi non possit.* Quis igitur his alijsque rationibus cõuictus, absolutissimam numeris omnibus Diuinæ Virginis, Diuinæque persimilem neget esse mundiciem?

Beneuolětia Christi, quo nos amat est ipse Spiritus S. qui est Diuinarum Personarũ amor ac vinculum.

42. Non sit, per DEVM immortalem, Dei Mater, Matre Sampsonis inferior, *qui cum ambularet in Thammata, prę-uidens Leonem illi occursurum, Matremque dilaceraturum, secessit, ipsumque quasi hædum de capris in frustra discerpsit. Et hoc Matri indicare noluit.* Quid enim per Leonem illum nisi Originale peccatum, quod in omne humanum genus tam immaniter sæuire assueuerat? Quid Sampson, nisi Christum, qui cum Matre ambulans, ipsi semper assistens, omneque periculum, ne in originalis peccati fauces incideret remouens, eandem singulariter præseruauit? Hoc enim significare videntur verba illa: *Et matri noluit indicare;* quod notat Virginem, ne quidem à longè originale vidisse, ac proinde fieri non potuisse, vt periculo proximo in illud incidendi obnoxia fieret.

Sampson præfocans Leonem ne Matrem ambulantem in Thammata deuoraret, figura Christi Matrem ab originali liberantis.

Mysterium hoc nobis insinuare visus est S. Augu. dum ait: *Intelligamus hic grandia latere mysteria fratres, Sampson Christum significat.*

43. Non est, non est, Virgo nostra hac in parte Andromedæ similis, ferreis vinculis alligata scopulis, marinęque illi belluæ ad deuorandum exposita, licet ipsius deuorationi, tanquam Adæ Filia fuerit obnoxia, à qua Perseus supremi Iouis Filius, æterni videlicet Patris: (si profanis Diuina componere licet:) Virgineâ admirabiliq; eius pulchritudine illectus, sibique eam castissimè despondens, infinitâ sua omnipotentiâ liberauit. Demus igitur nouum hoc, pulcherrimumque elogium Virgini, quod tantopere ad eius amplificandam dignitatem conferre perspicimus; ne quæso parci in huiusmodi simus laudibus, ac titulis, memores nos in hac peregrinatione inter tot animi corporisque pericula dies, noctes versantes, eius tutela, patrocinioque indigere.

44. Sapienter Princeps ille Italiæ cum ex ipso aliquando is, qui erat illi à secretis per contaretur qualisnam titulus in Epistola ad virum quendam non vulgarem mittenda, esset adscribendus, quæsiuit: *An eius opera aliquando indigeret?* Cùm ille affirmaret; adiecit: *Detur igitur titulus quicunque tibi libuerit.* Quis quæso est, qui in hac misera vita inter tot capitis vitæque, præsertim spiritualis discrimina assiduo versans, ope Virginis Matris non indigeat? Nil certius morte, nil incertius horâ mortis, ait Gregorius Magnus. Quis illam in tanto salutis periculo propitiam habere non cupit? quis illam in illo tremendo articulo, in quo de summa rerum agitur, eam præsentem, adstantemque suo lectulo non calentissimè appetat? Attribuamus ergo illi generosa quadam, ingenuaque liberalitate animi titulos omnes, ac laudes, quæ sub Deo creaturæ cuipiam impertiri possumus; respondebit illa, mihi credite, pro innata sibi liberalitate, ac munificentiâ, copiosissimâ suarum gratiarum, ac charismatum effusione, gratamque voluntatem in se nostram, vberrima donorum suorum largitione compensabit.

Cum ope B. V. maximè in articulo mortis indigeamus, quam honorificè à nobis tractãda est.

Audiamus B. Andream Cretensem Episc. Oration. 2. de Dormitat. Deiparæ ad hanc liberalitatem in Virginem nos exhortantem, qui post quam illam vocasset, *largam bonorum largitricem inuitantem ad se honestatis studiosos;* hæc attexit; *Nemo cunctetur vocatus, non enim indiget labore gratia ipsius, sed sola voluntate,*

B. V. larga bonorum distributrix inuitans ad se honestatis studiosos.

Eat ergo prompto, alacrique animo vnusquisque qui certam, & minimè dubitatam habet fidem: Eat ad thesauri Virginis repositorium, discatque experientiâ euentum eorum, quæ desiderat. Quis tanti præsulis vocibus ad laudes Virginis quam amplissimas assiduè pangendas, eiusque immunitatem ab omni etiam originarij peccato debito deprędicandam, velut admotis facibus, non accendatur?

45. Moueat nos quæso eximia illa, atque omnino cum nulla creaturarum comparabilis, eius animi præsertim pulchritudo, ac venustas, qua omni sub Deo, tam humanâ quam Angelicâ Naturâ fuit superior. Ne quæso Atheniensibus illis Iudicibus atque Aristarchis, Rhadamantisque simus seueriores, coram quibus cum quondam Hipericles, vt testatur Plutarchus, Phrinem puellam formæ elegantiâ insignem suæ eloquentiæ vbertate ac vi protegeret, alter orator Ethias nomine, præcisâ orationis quam texebat telâ, faciem puellæ, reorum more opertam, subducto velo aperuit, vt sic rara illa adolescentulæ pulchritudo conspecta, omnis sceleris suspicionem euelleret, innocentiamque illius Iudicibus persuaderet.

Phrine puella ob crimen Athenis accusata, visa eius à Iudicibus pulchritudine absoluitur.

Nec opinione sua frustratus est Ethias: Sapientissimi enim illi Iudices, licet essent seuerissimi, tantam formæ præstantiam admirati, sibi persuadere non potuerunt labe alicuius sceleris Phrinis animum esse maculatum, vtpote cuius venustas, toto ore, oculisque emicaret. Ac proinde illam innocentē pronūciarūt. Quod sanè iure fecere meritissimo. *Nam vbi facinus obscurum dubiumque est, & non euidens, Pulchriori fauet Ius Cæsareum*, vt docet Baldus L. Et versa quæ autem. Cod. quorum appellationes. Blanc. L. Finali, Cod. de quæstionibus. Mascardus de probationibus Conclus. 831. à nu. 27. Cum igitur Virgo nostra Deipara formæ tam animi, quam corporis præstantiâ, super omnes creaturas, etiam Angelicas, fuerit eminentissima, vtpotè in quam vniuersorum Opifex venustatem, floremque pulchritudinis creaturarum omnium, tam earum quæ cælorum, quam quæ terræ ambitu continentur, liberalissimâ effusissimâque contulerit munificentiâ, quis eam quæso minimo næuo originalis peccati obnoxiam, quis debito proximo, illud contrahendi obligatam iudicare audebit?

Vbi facinus obscurum est & nam euidens pulchriori fauet ius Cæsareum.

B. V. ob vtriusque hominis pulchritudinem omni peccato absoluenda.

46. Considerate tantisper velum illud sanctissimi eius corporis, præstantissimam illā ipsius animi pulchritudinē contegens, quod sponsus in amoris Cantico cap. 4. elegantissimè ornauit: *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet*, & cetera quæ sequuntur. Tùm hoc corporeo remoto velo contemplemur attentius eam, quæ intrinsecus latet animi pulchritudinem. Videbitis ibi sanè cælum quoddam serenissimum amplissimaque eius charitatis spatia, magnitudinem, amplitudinemque cælorum longè excedentia; Quia quem cæli capere non poterant ipsa suo gremio mundo contulit. Videbitis innumeras virtutum omniū tam moralium, quam Cardinalium, quam Theologicarum stellas. Videbitis eximium Diuinumque sapientiæ splendorem Lunam solemque superantem. Videbitis nitorem puritatis eius, lucem Angelicarum Hierarchiarum obfuscantem. Videbitis in illa terræ fœcunditatem, ac liberalitatem omnia ad vitam mortalium tolerandam necessaria copiosissimè suppeditātem. In illa erit videre florum omnium pulchritudinem enitescere. Videbitis Virginitatis lilium, Rosam charitatis, violam humilitatis, solsequium obedientiæ. Videbitis in fructu illo sui ventris, quem nobis peperit, fructum omnium reclusam dulcediņē. Videbitis denique creaturæ totius tam cælestis, quam terrestris venustatis absolutissimum quoddam compendium, vt non immeritò tribus illis pulcherrimis Iobi filiabus, alijsque omnibus creaturis longè eminentissimam esse fateri debeamus. Licet enim earum prima, vultus serenitate, diem imitari visa, Dies dicta sit. Altera ab odoris suauitate, ac fragrantia, Casia; Postrema denique ab omnimoda pulchritudine alijsque bonis, quæ alijs etiam cōmunicare poterat, Cornustibij, seu pyxis, scriniolumque quoddam aureum, quo cerussa, stibium, purpurissum muliebris pulchritudinis adminicula continebantur. Seu *Cornu Amalthea*, vt legere 70. Interp. quod ea bonorum omnium copiam, in tot malis afflictissimi parentis domum intulisset, dicta sit: tamen, & filiæ ipsæ, & ea, quæ nomine suo præseferebat, vmbra duntaxat fuerunt Virginis nostræ immaculatæ.

B. V. interior pulchritudo animi cælo similis.

In B. V. terræ pulchritudo enitescit.

Iobi tres Filiæ Dies, Casia, Cornustibij figura pulchritudinis B. V. fuerunt.

Ipsa

Ipsa enim vera nostra, ac serenissima, sine nube Dies extitit. Ipsa suauissimum nobis halans sanctæ conuersationis odorem Casia, ipsa animarum nostrarum præsentissima, in quauis nostra ægritudine, medicina. Ipsa nobis est aureum quoddam cerussæ, ac purpurissi scriniolum, quo animarum fidelium decor, ac forma venustatur.

B.V. bonorũ omnium Cornucopia.

Ipsa bonorum omnium Cornucopia. Quia verissimè dixit sapiens Idiota. *Inuenta Maria, inuenitur omne bonum.* Ipsa est Imago quædam pulchritudinem Diuinam repræsentãs. Vnde eam S. Augustinus: *Formam Dei vocitauit.* Ipsa est, vt ait Damascenus, *Humanæ naturæ venustas, primigeniæ Matris, Euæ correctio, mulierum ornamentum.* Summam hãc eius contemplatus pulchritudinem B. Andreas Cretensis Epis. ora. 1. de Dormit. stupore attonitus exclamauit: *O' pulcherrima rerum omnium Pulchritudo, ò Dei Genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum.*

47. Quare iure merito cælestis spõsus *pulcherrimam inter mulieres appellauit.* Cant. 1. Vnde fœminæ omnes tam hæ quas sacræ literæ, quam aliæ quas Poetarum monimenta dilaudant, ei comparatæ non modo pulchræ non sunt, verum etiam deformes comprobãtur. Cedat illi Rachel Virgo formosa nimis. Cedat officiosa Abigail.

B.V. omnib. pulcherrimis fœminis pulchrior.

Cedat Iudithæ fulgidus ille formæ decor. Cedat Estheris amabilissima illa species, & Abisag Sulamitidis Virginis forma speciosa valdè. Cedant quotquot Gratiæ, in celeberrimis illis Virginibus ac Heroinis celebrauit antiquitas.

Euryale quã formosa.

Cedat Euryale quam Ibycus Poeta quondam ita extulit: *Euryale Cæsiarum Gratiarum germen, pulchricomarum cura. Te certè amoris Mater, blandisque oculis, Suadela, roseis in floribus educarunt.*

48. Hæc est Rosa illa venustissima, de qua Sappho Poetria: *Si floribus vellet Iupiter imponere Regem, rosa inter flores Regnum obtineret: Terræ est ornamentum, plantarum Decus, oculus florum, prati rubor, pulchritudo coruscans. Amorem spirat, & conciliat, formosis folijs comata est, nobilibus luxuriat frondibus, calyx Zephyro ridet.*

Rosæ pulchrum elogium.

O' quanto aptius de nostra Virgine, quod de Herone quondam, apostrophe facta ad Lunam cecinit Ouid. Epis. 17.

Non referam mores cælesti pectore dignos:
Forma nisi in veras non cadit illa Deas
A Veneris facie non est prior vlla, tuaque,
Neue meis credas vocibus, ipsa vide.
Quanto cum radijs fulges argentea puris,
Concedunt flammis sydera cuncta tuis:
Tanto formosis formosior omnibus illa est,
Si dubitas, cæcũ, Cynthia, lumen habes.

Pulchritudinem hanc Virginis planè diuinam admiratus Rupertus Abbàs iure exclamauit: *O' pulcherrima mulierum, ò benedicta inter mulieres, cuius pulchritudo benedictio est, talis, ac tanta causa tua est, vt si teipsam non ignores, statim scias illud, quod quæris: Fides, & humilitas tua, pulchritudo tua, hic est locus requiei meæ, ait sponsus.*

Humilitas, & pulchritudo B.V. locus requiei sponsi est.

49. Quapropter ob tã formę eximię elegantiam, quam Virgo nostra purissima Virgines, & Heroinas omnes, omnibus retro sæculis longè post se reliquit, potiori iure vsurpare posset, & dicere vnicuique nostrum illud Helenæ, ob cuius formam, tota Asia in arma ruit, Troiaque eorundem armorum incendio conflagrauit, potiori inquam iure vsurpare posset illud, quod Helena Paridi virtutem, sapientiamque Palladis, Iunonisque Regna contemnenti dixit, Ouidio teste Epis. 15.

Ergo ego sum Virtus, ego sum tibi nobile Regnum.

50. Cum igitur in Virgine Deipara pulchritudo cæli ac terræ, venustas creaturæ omnis, mulierumque ac Heroinarum omnium quotquot à sæculorum exordio in hoc mundo extitere, continentur, eiusque interna in animo latitans puritas, ac pulchritudo ipsam Angelicam, atque adeò totius cælestis Hierusalem transcendat venustatem, inque Diuinæ Maiestatis, proprijs eius manibus, vti diximus sæpius, in habitationem, ac domicilium, amplissimis, & omnipotentiæ, & sapientiæ bonitatisque profusis sumptibus fuerit ædificata; quis Rhadamanteo supercilio eam originali obstrictam scelere damnare, vel etiam eiusdem contrahendi debito teneri, iudicare præsumet? Ignorare sanè conuincetur huiusmodi Rhadamantus, quæ sit Virginis Deiparæ tam internæ animi quam externa corporis pulchritudo, ac Diuinissima eius Maternitas, qui aliquam huiusmodi labem, aut maculam eidem aspergere attentauit.

51. O quanto sapientius egit Vrbs illa Italiæ celeberrima Neapolis, quæ Anno 1618. communi omnium ordinum statuumque consensu ipso immaculatæ Conceptioni Virginis sacro die publicum ac solemne emisit Iuramentum, quo se Deo, eiusque Matri Sanctissimæ ad purissimam, omnique originarij peccati labe liberrimam Conceptionem semper defendendum religiosissimæ adstrinxerunt.
Quod quidem Iuramentum, quia summam redolet Religionem, tenerrimamque in Deiparam spirat pietatem hic ad verbum attexere libuit.
Sic igitur ipse Prorex totius Vrbis, omnium nomine magno animi sensu est prolocutus: *Ad tuæ Maiestatis pedes, ò cæli, terreque Regina Maria prouoluti, & tua beneficia recolentes, atque erga tuam Conceptionem deuotioni accepta referentes Nos D. Petrus Giron Dux Osunnæ, & in præsenti Regno Neapolitano Prorex, & Venerabilis Vniuersitas studiorum Regiorum, nec non Consilia Ministrorum, ac Militia peditum in hac Ciuitate consistentes, sacrarum literarum, Sanctorum Conciliorum Tridentini præsertim, Sanctorum Romanorum Pontificum, ac Beatissimi Domini Nostri Pauli diuina prouidentia Papæ Quinti de tua gloriæ amplificatione bene meriti, probatissimorum Patrum, vniuerso fere iam populo applaudente, vestigijs inhærentes, in hoc tibi Sacro Templo, in hac nobis læta, & fausta Festiuitate, per merita Filij tui, te iam ab ipsa æternitate sine originali peccato præuisam, & præseruatam confitemur; testamurque DEVM, & Filium tuum, nos hanc sententiam de tua ab originali peccato præseruatione nostro iam dudum insitam pectori, Deo inspirante constantissimè ad vltimum vitæ spiritum retenturos.*
Hoc publicè, hoc priuatim docebimus.
Hec eadem à nostris subditis, & à cæteris omnibus, quantum in nobis fuerit, teneri, & doceri, Deo adiuuante curabimus.
Ita vouemus, ita spondemus, ita iuramus, sic nos DEVS adiuuat, & hec sancta Dei Euangelia. quam Assertionem, Votum, & Iuramentum ad pedes Sanctissimi Domini Nostri Pauli Pape Quinti submittimus, vt hec omnia Apostolica benedictione promouere dignetur. Tu ergo ò felix, ò summè fælix, quæ ab initio, & ante sæcula ab ipso Deo electa, & præseruata fuisti, Beatissima Virgo, eundem Sanctissimũ Dominum Nostrum Paulum, diuturnitate pacis, & fælicitate amplifica, & Catholicum Regem nostrum Philippum, tue sine peccato Conceptioni constanter addictum, omnibus bonis accumula, & longeue senectutis, Imperij, & gloria exorna, nobisque omnibus animorum puritatem, ac peccati sordium detestationem impetrare digneris. Sic voueo sic iuro, sic me DEVS adiuuet, & sancta hec Dei Euangelia.

52. Pari laude dignissimæ sunt celeberrimæ illæ orbis Christiani Academiæ Pariensis, & Valentina, aliæque quæ sanctissimè Sanciuere, vt testatur P. Suarez Tom. 2. in 3. Part. Disput. 3. Sect. 5. vt nulli ad Doctoratus Theologiæ gradum capessendum aditus pateat, qui prius sub iuramento non promiserit, nunquam se veritatem hanc oppugnaturum. Has imitata est Maior Congregatio Annunciatæ Virginis ex Philosophis, Theologis, alijsque Styriæ proceribus constans in Academia Græcensi erecta, quæ ipso immaculatæ Conceptionis die, quo nouus Sodalicij Magistratus instauratur, solenni iuramento sese ad defendendam Deiparæ Conceptionem intemeratam obstringit, propitioque Chirographo eandem confirmat.

53. Quid tandem de Sanctissima illa Religione Virginum dicam? quæ ab illustri fœmina Beatrice de Sylua in honorem immaculatæ Conceptionis Dominæ nostræ circa Annum 1480. instituta est, approbante Innocentio VIII. Iulio II. Leone X. & Alexandro VI. varijsque priuilegijs eandem exornante. In cuius Regula cap. 3. dicitur; Animam Virginis primo creationis instanti fuisse Sanctam. Quæ Religio quam grata ipsi extiterit, ostendere non est dedignata, dum iam memoratæ Beatrici Habitus, quo Virgines illæ vti debebant, ab ipsa ostensus est. Visendam ei se exhibuit veste, & scapulari candidis, cæruleoque amicta pallio. Et in scapulari quidem ac pallio gestant eiusdem Deiparæ Imaginem solis radijs circumdatam, stellis coronatam, Filiumque in vlnis baiulantem, quibus profundam eiusdem cordi insculptam memoriam, Virginearumque virtutum imitationem præseferunt.
Atque vt assiduè honori, laudibusque intemeratæ Conceptionis animum intenderent, assignatæ sunt illis Horæ Canonicæ, quibus aliud in dies singulos nil continetur, quam eiusdem Virginis

ginis Officium, Dominicis duntaxat festisque diebus solennioribus exceptis. Quæ sane omnia si à nobis matura consideratione expendantur huiusmodi sunt, vt mirificos stimulos, ardentissimasque faces animis nostris admoueant, nosque vehementissimè commoueant, quo liberrimè, omnique remota dubietate ad immaculatam Conceptionem vbique semper deprædicandam, celebrandamque accendamur. Dicamus ergo vnanimiter omnes, dicamus animitus, prædicemus pleno ore medullitus:

A solis ortu vsque ad Occasum laudetur omni hora, & in æternum immaculata Conceptio Beatissimæ, ac Gloriosissimæ Virginis Mariæ, & omnis lingua eamdem, toto orbe confiteatur, nec vnquam de eius laudibus conticescat.

Fiat, Fiat, Fiat.





DISCVRSVS XIX.

Quod Cygnus cælestis, Virginem Deiparam repræsentet.

1.

CYgni tabulam breuiter cecinit Manilius li. 1. Astronom. cap. 4.

Proxima sors Cygni, quem cælo Iuppiter ipse
Imposuit formæ precium qua cepit amantem,
Cum DEVS in niueum descendit versus olorem
Tergaque fidenti subiecit plumen Ledæ.
Nunc quoque deductas volitat stellatus in alas.

In Cygno candor, vocisque suauitas commendatur.

In Cycno candor, vocisque, præsertim circa vitæ suæ finem, cuius præsagus esse dicitur, amœnitas, suauitasque celebris est apud Poetas. Vnde Ouid. Epis. 7.

Sic vbi fata vocant vdis abiectus in herbis
Ad vada Mæandri, concinit albus olor.

Hinc Mortialis libr. 13. Epigr. 78.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

Pythagoras Cygno censebat esse animam immortalitaté.

Hanc ob causam Pythagoras perperam censebat auibus hiscè animam esse immortalem, quod spe æternitatis ante mortem adeò suauiter modularentur. Vnde Plato in Phœdone, ait Cycnum iam iam, moriturum cantillare maximè, plurimumque, quia lætus quod ad DEVM cui seruiuit mox sit migraturus. De auis huius candore ac pulchritudine Virgil. in Cyri.

Cyris Amycleo formosior ansere Ledæ.

Et libro 2. Georg. *Pascentem niueos herboso flumine Cygnos* Idem Eclo. 7. Corydonem Pastorem Galateæ Nymphæ marinæ amore captum eius formæ elegantiam sic dilaudantem introducit:

Herice Galatea thymo mihi dulcior Hybla
Candidior Cycnis, hederâ formosior alba.

Eandem laudabat Polyphemus apud Ouid. lib. 13. Metamorph.

Lucidior glacie, maturâ dulcior vuâ,
Mollior & Cygni plumis, & lacte coacto.

Martialis denique lib. 5. Epigr. 38. Puellam Erontion Virginem pulcherrimam laudaturus ita exorditur:

Puella senibus dulcior mihi Cycnis
Agna Galesi mollior Phalantini, &c.

Cygneus cãdor puritatem B. V. adumbrat.

2. Cycneus candor hic ac pulchritudo candorem, venustatemque tam internam animi, quam externam corporis gloriosissimæ Deiparæ Virginis nostræ videtur adumbrare. Vnde cælestis sponsus niueum hunc candorem in illa admiratus, sciensque illum à monte Libano, qui ipsissimus est sponsus, mutuatam, peramanter illam ad cælestis Regni capessendam Coronam inuitabat: *Veni de Libano sponsa mea, veni coronaberis*, Cant. 4. *Libanus enim candorem, siue candidationem* significat, eo quod eius vertex assiduis candicet, albescatque niuibus, quæ Virginis singularem illam, & plusquam Angelicam denotat puritatem, qua cum cælestis sponsus per se, & à se fulgeat, atque enitescat, eandem tam Matri sanctissimæ, quàm alijs mysticis eius membris, ac potissimum Virginibus, quæ inter pulcherrima eius membra annumerari consueuerunt, communicauit.

Libanus cãdorem, seu candidationem significat ob assiduas in illo niues.

Christus speciosus vt Libanus.

3. Hinc de sponso hoc Diuinissimo loquens Salomon Cant. 5. præclarè pronunciauit: *Species eius vt Libani, electus vt Cedri*. Quæ verba expendens Rich. à S. Laur. libr. 5. de laud. B.V. circa init. *Species Libani consistit in continuitate candoris, quia ibi sunt niues continuæ.* Vnde Hier. 18. *Nunquid de petra agri deficict*

Non est possibile vt firmus ac constans in seruitio B V. ipsius refrigerio destituatur.

ciet nix Libani. Id est, estnè possibile, vt de mente firma ac constanti in seruitio Virginis, deficiat ipsius refrigerium, deficiat candor Virginitatis? De hac Virginis specie admirabili: Eccli. 43. Pulchritudinem, inquit, candoris eius admirabitur oculus. Hac species supra Libanum, niuemque candidior figurata fuit in Abisag Sulamitide, quæ fuit Virgo speciosa valde, quæ fouebat pedes Dauid frigescentes. 3.Reg. 1. Sic enim species Mariæ, licet sit niue candidior frigidiorque ob virginitatem, calefacit tamen affectus Filij ad amorem nostrum suis orationibus, quando sentit eos, quoad nos, ob peccata nostra frigescere. Sic ille.

Species Libani sunt fideles præsertim Virgines, & ipsa S. Virgo Virginum.

4. In idem illud encomium sponsi audiendus alter Richard. de S. Victor. Theologus Parisinus cap. 39. in Cant. qui & Ecclesiæ filios, fideles videlicet omnes, & Virgines, præstantissima Ecclesię Christique membra, & ipsam sanctam Virginem Virginum gloriosissimam Libani speciem candidissimam pulcherrimamque esse prædicauit: *Hæ sunt Virgines*, inquiens, *decorem Christi, & similitudinem habentes. Habet enim similitudinem Christi anima, quæ habet charitatem, & plenius proficiens in morum correctione plenius percipit. Hac similitudine omnes boni Christo conformamur, sed specialius Virgines, quæ cum hac similitudine candorem, & munditiem habent vitæ. Vnde Libano comparantur, qui Christum significat, qui candidus interpretatur. Proxima est ergo munditia Auctori munditiæ. Vnde quia specialem hunc decorem Virgines obtinent, benè species dicuntur. Et quia sine macula pollutionis sunt, Agno sine macula familiarius iunguntur, sequuntur quoque Agnum quocumque ierit, & specialiter sequuntur, cui se specialiter similes fecerunt.*

B. V. est Cedrus in Libano exaltata candorem Christi, qui Libanus ipse est præticipans.

5. Prosequitur inde vir religiosissimus inque Deiparam pijssimus, aitque in hoc Libano Virginem ad instar cuiuspiam procerissimæ Cedri exaltatã, candorem illum, puritatemque plusquam Angelicum ab eodem mutuatam fuisse Libano: *Sicut ergo*, inquit ille, *species Christi, sicut species Libani. Libanus enim est Christus, nec tantum est cãdidus, sed etiam candidatio. Candidat enim decoratque electos. Libanus quoque nobilium ferax est arborum. Inter has arbores sublimior, & nobilior fuit B. Virgo, quæ exaltata est sicut Cedrus in Libano, idest, in Christo, quia non est sublimis, per seipsam, sed per Christum, & ab illo sublimata, & electa, vt sic excresceret. & Creatori suo ipsa incrementum daret.*

Christus, & Candor candidãs electos

Sublimis, & nobilis Arbor, quæ sublimem hunc protulit fructum, Dei videlicet Filium. Denique ipsa est Cedrus, quæ creuit in Libano, idest in Christo, & dum Christum ipsa genuit, quasi Libanum Cedrus produxit, & Mons processit in arborem, cum DEVS prodijt ex homine. Hoc est nouum, & inauditum quod Deus fecit super terram, vt Cedrus proferret Libanum, Arbor Montem, Mulier circumdaret virum, id est, DEVM, & quem mundus non caperet, hunc Virgo in vtero suo concluderet. Ex hac porrò intima Matris cum Filio, Libano candidissimo, vnione colligit, quod licet omnes Virgines puritate sua Christum repræsentent; repræsentat tamen speciali quadam ratione ipsa Deipara, sua singulari morum innocentiã ac sanctitate, eiusdemque viuã spirantemque exprimit similitudinem: *Species*, inquiens, *Christi sunt Virgines. Sed B. Virgo specialis eius species, quæ speciem suam nunquam per aliquod peccatum mortale, vel veniale maculauit. Vnde speciem eius Rex cælestis concupiuit, in ea carnem sumens, amplius hanc speciem decorauit, quia ampliori eam gratiã repleuit. Mundo igitur tenebris obuoluto, & deformato, adeo solem iustitiæ speciosum formã præ filijs hominum edidit, & ita lumen cæcitatis, & speciem deformitatis speciosam restituit. Ipsa igitur singulariter species Christi, præ omnibus speciosa, Christoque simillima, non solùm speciem Christi ipsa habens, sed etiam in alijs hanc restituens.*

B. V. non est sublimis per seipsam sed per Christũ, sicut Cedrus per Libanũ.

Nouitas inaudita quod Cedrus protulerit Libanum, nempe Virgo Christum.

B.V specialiter est species Christi ob immunitatẽ ab omni peccato.

6. Ex hac tandem tam singulari Virginis cum Christo similitudine colligit idem Doctor, Deiparam ob singularem illum innocentiæ candorem, puritatemque naturâ quadam plusquam humana, plusquam Angelica, & ad Diuinitatis propemodum limites accedente fuisse præditam: *Maria*, inquit ille, *supra homines est, in eo quod nunquam peccatum commisit, sicut homines, inter quos nullus inuentus est, qui faciat bonum, & non peccet. Supra Angelos quoque est, quia eos puritate supergreditur, dum Diuinitatem, illis clarius contemplatur. Nec tantùm peccatum non commisit, sed & aliorum peccata deleuit, quo videlicet tanto similior suo euaderet Filio. Nec solùm in se lucida fuit, sed etiam lucis radios ex se emisit, quia per eam mundus lumen gratiæ accepit. Inter Diuina igitur, & humana, media, & Mediatrix est Maria, vt humana supergrediatur, dum tam sublimia per Filium operatur.* Ob eminentissimam hanc Virginis puritatem, idem Richard. à S.Laur. lib. 5. eandem ipsam Libanum dixit mundicię

M. super homines, & super Angelos est.

B V. Diuinitaté clarius, quam Angeli contẽplatur.

B. V. in se lucida fuit, & lucis radios ex se emisit.

B.V. est ipse Libanus mūdiciæ Virginalis.

Christus Aquila, quæ venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, nēpe portionem quādam carnis, & sanguinis Virginis Matris.

ciæ Virginalis, ad quem venit Dei Filius, Aquila illa grādis magnarum alarum, sapientiæ videlicet ac potentiæ, & tulit medullam Cedri Ezec. 17. idest, portionem quandam purissimorum sanguinum, secundum Damascenum, vel purissimæ eius carnis. Sic ille.

7. Cùm igitur Virgo purissima, morum innocentiam, animique puritatem, candorem, speciemque ac pulchritudinem increati illius Libani, cādoris illius Lucis æternæ, splendorisque paternæ gloriæ, nempe Filij, fuerit æmulata, quis eam, velut quandam cælestem castissimamque Nympham, Cycno candidiorem, Cycno, inquam, illo cælesti ac stellanti, longè splendidiorem ac planè Diuinam asseuerare dubitabit? Ob hanc tam illibatam ac diuinam, & à peccatis omnibus, ipso etiā originali, imò, & obligatione ipsum incurrendi quam remotissimam puritatem, illam, Candorem lucis æternæ S. Bernardinus sen. Tom. 4. serm. 13. ac 2. cap. 3. vocitauit. *Refulsit*, inquiens, *Candore Diuinalis sapientiæ, cum ipsa fuerit candor lucis æternę, & speculum sine macula, ac sole speciosior. Tanto enim lumine illustrata fuit B.V. cū etiam esset in ventre Matris, vt non tantùm plena fuerit lumine rationis, sed etiam altissimę contemplationis, cognoscendo Creatorem, & in eo creaturas omnes*. Perfectissimam, Diuinissimamque hanc, quā Virgo nostra pollebat, puritatem agnoscens Pelbartus lib. 8. stel. P. 3. in qua multis de summa ipsius agit puritate, Proęmij loco, eadem sapientis vsurpat, explicatque verba: *Nihil*, inquiens, *immundum in illam incurrit: Candor est enim lucis ęternæ, & speculum sine macula Dei Maiestatis. Quibus verbis sapiens Spiritu S. loquente tripliciter Puritatem B.V. commendat. Primo quidem quod sit summæ mundiciæ, immunis ab omni peccati originalis mortalis, & venialis macula: Ideo dicit in primis: Nihil immundum incurrit in illam, quoad peccatum mortale. Et postea speculum sine macula, quoad peccatum veniale, & originale. Verè ò anima deuota permaximè tibi redditur laudabilis venerabilis, & amabilis ipsa sanctissima Dei Mater, quæ in sua puritate, ac mundicia Virginali meruit concipere Dei Filium. Vnde in eius laudem canit Ecclesia: Sancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam! nescio, quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti! Deinde commendat ijsdem verbis sapiens Puritatem Virginis Mariæ, ostenditque esse sublimem, Diuinam, summæque excellentiæ supra omnis creaturæ puritatem. Vnde subdit: Candor est enim lucis æternæ, hoc est, Diuinæ per participationem. Nam vt ait Ansel. Ipsa tanta puritate nitebat, & nitet, vt sub Deo maior nequeat intelligi. O' quid cogitare, aut dignum dicere possumus de te, ò purissima Virgo? Reuera si te formam Dei appellamus, digna existis. Si te candorem æternæ lucis nominemus, per omnia comprobaris. Prædicat denique idem Salomon, quod eius Puritas sit Diuinalis munificentię, & magnificæ gratiæ, pro singulari eius priuilegiatione, & Diuinæ Maiestatis operatione; Vnde subdit: Speculum Dei Maiestatis; nimirum in benedicta Virgine, tanquam in speculo relucet summa gratia Diuinæ Bonitatis, ac Maiestatis ac singularissimum eius charitatis donum, in Incarnatione eius in purissimo vtero peracta.*

B.V. stellanti candidoque Cygno lucidior.

B.V. refulsit candore Diuinalis Sapientiæ, cum fuerit cādor lucis ęternæ.

B.V. vocatur Candor lucis æternæ ob summā mundiciam omni prorsus peccati labe carentem.

B.V. est candor lucis Diuinæ per participationē.

8. Quod si addamus, vt superiori Discursu dictum est, eam in ipso suæ immaculatæ Conceptionis instāti Diuinam essentiam fuisse contemplatam, quod nec Angelis in prima ipsorum creatione concessum fuit, quæ obsecro tandem creata puritas cum hoc Diuinali eius candore poterit comparari? Quare Richard. à S. Laur. lib. 5. de laudibus Virginis eandem, ob eminentissimum hunc diuinæ lucis candorem ipsi Luningi gloriæ, quo beatorum corroboratus intellectus, ad DEVM clarè videndum eleuatur, conferre non est veritas: *De candore Mariæ*, inquit, *dicitur in libro sapientiæ: Candor est lucis ęternę, quia per eam videbitur lux ęterna, Pater nimirum, & Filius. Cui proinde dicere possumus: In lumine tuo videbimus lumen: Hoc est in Filio tuo, qui te illuminauit, & quem tu lucem veram peperisti.* Audiendus hic denique Bernardinus Bustius Part. 2. Mar. ser. 4. in eadem illa verba Sap. 7. Candor est lucis æternæ, & speculū sine macula Diuinæ Maiestatis; quibus nō modo animi verum etiam corporis Virginei candor, & puritas, Filij sanctitatem æmulans, ab illo celebratur: *Maria*, inquiens, *splendor dicitur quantum ad puritatem mentis; speculum sine macula, quantum ad honestatem carnis. Tanta enim erat honestas huius luminosi speculi, vt ab omnibus inspicientibus omnes motus inhonestos expelleret. Quare ipsa Virgo dicere poterat cum Iobo 2. Lux vultus mei non cadebat in terram.*

Maxima B.V. puritas esse intelligitur, quod in Cōceptione Diuinam essentiam viderit.

B.V. lumini gloriæ, quo Beatorum intellectus ad videndū clarè DEVM roboratur, comparata.

B.V. velut luminosū speculum totius honestatis inspicientibus motus omnes in honestos depellebat.

9. Intellexit Diuini huius candoris æmulationem in Virgine Orig. Homel. 3.

mel. 3. in Cant. dum verba illa eius Filij: *Ego flos campi, & lilium conuallium*; trutinans: *Cum*, inquit, *flos fuiſſet in campo, nullum dicit ex ipſo campo florem ad imitationem ſui ac ſimilitudinem proceſſiſſe. Vbi verò factus eſt in conuallibus Lilium, continuo etiam efficitur, Proxima ſua, ſponſa videlicet, eius imitatione, ipſius Lilium, vt operæ precium fuerit, quoniam ipſe effectus eſt Lilium, vt etiam proxima ſua, quæ ei approximat, & exemplum ipſius, imitationemque ſectatur, Lilium fiat. Vnde ſubnectit ſponſus in laudem dilectæ: Sicut Lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Quia nimirum Candorem illius æternæ lucis in vtero ſuo incarnatæ, & inſtar pulcherrimi candidiſſimique Lilij effectæ, ob intimam illam cum ipſo propinquitatem æmulata, & ipſa in candidiſſimum Lilium transformata eſt.

B V. ad imitationem cæleſtis lilij nẽpe Christi, & ipſa puritatis omnis euaſit Liliũ.

10. Quod ſi, Magno Alberto teſte Tract. ſuper Miſſus, maior candor, ac puritas per acceſſum maiorem ad increatam illam lucem acquiritur, candidiſſimam ſanè, & ad inſtar ſtellantis Cycni puriſſimam oportuit eſſe Deiparam Virginem, in cuius puriſſimo vtero æterna illa, atque inacceſſibilis lux, Verbum æternum carnis noſtræ pulcherrimo paludamento, ceu candore lilij amictum, nouem menſibus requieuit. Candorem hunc Virginis admiratę beatæ illæ mentes dicebant: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum delicijs affluens*, ſeu vt legunt 70. Interp. *Dealbata, innixa ſuper dilectum ſuum?* Cant. 8. v. 5. Verè enim in Dei Filij Incarnatione, Virginitate, ac fæcunditate ſua admirabili, velut delicijs ſuauiſſimis affluens Virgo noſtra dealbata eſt. Nam præclarè dixit Bern. ſerm. 4. de Aſſumpt. Quid ni delicias dixerim Virginitatis decus, cum munere fœcunditatis? Sic enim candorem illum lucis æternæ, verumque iuſtitiæ Solem, in ſe, velut vaſe quopiam cryſtallino, fœcunda Virgo continendo, candidiſſimos puræ lucis radios euibrabat, quia feliciſſimo illo Incarnationis Dominicæ inſtanti *Fons paruus*, ob profundiſſimam humilitatem, qua ſe Ancillam Domini appellabat, *creuit in fluuium, & in lucem, ſolemque conuerſus eſt*. Eſt. 10. Sicque verificatum eſt illud Regij vatis vaticinium: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*. Atque ita tandem *in aquas plurimas redundauit, ad inſtar fluuij illius* Paradiſiaci, qui de loco voluptatis egrediens, vniuerſum Eccleſiæ Paradiſum irrigauit, mirificoque lucis ſuæ candore irradiauit.

Maior puritas per acceſſum ad increatam puritatem aquiritur. Vnde cum B.V. æternam lucẽ pepererit, puriſſima, extitit.

B.V. in ſe Solem iuſtitiæ velut vaſe cryſtallino cõtinens puriſſimos lucis radios euibrabat.

B V. velut fons paruus ob humilitatem in Incarnẽm creuit in fluuium, & in lucem, ſolemque conuerſus eſt.

11. Dealbata verè fuit in Incarnatione Filij Virgo Deipara, quia licet propter obnoxietatem illam, potentiamque peccandi nigram ſe eſſe fuſcãque fateatur, vtpotè quam decolorauit Sol, cuius pulchritudinis reſpectu creatura omnis fuſca, nigraque comprobatur, nihilominùs tamen ob intimam cum Filio, Pulchritudine illa eſſentiali Dei inuiſibilis, ac venuſtiſſima Forma, lucisque æternæ candore, vnionem, formoſam ſe eſſe ait, vtpotè quæ de pulchritudinis, ac venuſtatis omnis Fonte illo inexhauſto copioſiſſimè participauit. Ipſe ergo formæ ac venuſtatis fons perennis eam ad inſtar ſtellantis Cycni dealbauit, ipſe cæleſtem illum candorem, quem demirati ſunt Angeli, eidem induxit, effecitque, vt iuxta Nomen ſuum Diuiniſſimum, quod Illuminatam, Illuminantemque ſonat, fons inexhauſtus Diuinarum foret illuminationum, vt eam B. Andr. Cret. orat. 2. de Deip. vocitauit:

B.V. dicitur Dealbata ob vnionem intimam cum candore lucis æternæ.

B.V. Diuinarum illuminationum fons exhauſtus.

12. Quare Angelorum illa verba trutinans S. Theodoretus libr. 4. in Cant. *Non dicunt*, inquit; *albam; ſed dealbatam, ſupponentes fuiſſe nigram* (: ob peccandi videlicet potentiam, ſiue obligationem peccatum originale contrahendi:) *non enim de ea ſicut de ſponſo dicunt, Candidus, & non dealbatus. Quia candidus eſt per naturam. At ipſa cum eſſet denigrata, propterea quod ipſum ſol aſpexiſſet, dealbata eſt, candoriſque ſponſi particeps effecta; quia ſicut lux ipſe exiſtens, ipſam lucidam, & reddidit, & appellauit: & ſanctus exiſtens, ſanctam fecit, & nominauit, & cum ſit reſurrectio, reſurrectione dignam eſſe voluit; ſic etiam albedinem illi ſuam communicauit*. Quapropter optans ſponſus, vt candorem hunc, puritatemque æuiternam animi ſui conſeruaret, deſiderabat, vt ſemper illi per amoris ardentiſſimi affectum vnita perduraret, eſſetque quædam igne charitatis liquefacta cera, quæ formam illam diuinæ puritatis candoriſque ſibi impreſſa conſeruaret. Vnde illi dicebat: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum ſignaculum ſuper brachium tuum*. Cant. 8. Quæ verba tres Patres Nyſſenus, Pſellus, & Maximus apud eundem Theodoretum paraphraſticè in perſona ſponſi ſic exponunt: *In me nimirum exemplari permaneto, principe quidem tui parte; mente videlicet, ſeruans imaginem per veram contem-*

B.V. dici poteſt nigra ob peccandi potentiam remotam; vel obligationẽ contrahendi Originale: vnde ab his liberata dicitur Dealbata.

Quomodo Sponſus vt ſignaculum animę imprimatur?

plationem, meique desiderium: vi autem qua ad agendum vales, similitudinem seruans per actionem minimè simulatam, ardentemque à malo declinationem. Sic enim ipse quoque in te manebo, tuasque vt signaculum tum intelligendi, tum agendi potentias à rerum fragilium caducarumque affectionibus integras conseruabo.

Quomodo B. V. in exēplar Diuini candoris transformata sit?

13. Quod sponsi sapientissimum consilium cum Deiparam accuratissimè obseruasse non dubium sit, non erit quoque dubium, eam in illud exemplar diuini candoris transformatam, suo candore ac puritate sydereum illum cęlestis Cycni candorem multis parasangis superasse. Vnde B. Andreas Cretensis Epis. orat. 2. de Dormit. Deip. inducens Apostolos varijs, ijsque pulcherrimis encomijs eam extollentes, inter reliqua hoc habet: *Hęc est eximia Pulchritudo, hæc est à Deo sculpta statua, rectè descripta Diuini Archetypi Imago*; candorem videlicet æternæ illius lucis, pulchritudinemque ad vitam repræsentās.

B. V. est eximia Diuinitatis pulchritudo, & à Deo sculpta statua, & bene descripta Diuini Archetypi Imago.

14. Quod si Cygni candorem, immortalitatem tam animi quam corporis Virginei interpræter, intelligemus sanè Deiparam candidissimum esse Cycnum, vt potè quæ cum anima, & corpore, vt fusè Tom. 9. Tract. de Assumpt. probat Augustinus, felicissimè in cælos euolauit. Audiendus hic D. Hieronymus in cap. 66. Isaiæ vbi mentionem faciens de equis illis Apocalypticis cap. 19. *Equo*, inquit, *rufo sedebat Dominus, atque Saluator humanum corpus assumens. Equo autem sedebat albo, quando post resurrectionem, immortale, & incorruptum corpus assumpsit. Et quicunque eum sequebantur, candidis vtebantur equis, incorruptis videlicet, ac immortalibus corporibus.*

Cygni cādor immortalitatem tam animi quam corporis B. V. denotat.

Candor immortalitatē corporis in Beatis denotat.

Hanc ob causam Beati in sanguine Agni stolas suas dealbare dicuntur, ad indicandum eos, meritis sanguinis Christi preciosissimi etiam immortalitatem corporum consecutos. Vnde vnus ex senioribus cum quæsiisset Ioannem Apoc. 7. 14. Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt? tandem respondit: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerūt stolas suas, & dealbarunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die, ac nocte. Vtque ostendat ipsorum corporis immortalitatem candore illo stolarum indicari, annectit: *Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus, quoniam Agnus reget illos, & deducet ad vitæ fontes aquarum, & absterget DEVS omnem lacrymam ab oculis eorum.*

Quare Virgil. Apotheosin Cæsaris celebrare eumque in Diuos referre volens, candidum appellauit:

Cæsar Candidus à Virgilio dictus, quia in numerū Deorū relatus.

Candidus insuetum miratur limen Olympi
Sub pedibusque videt nubes, & sydera Daphnis.

Hinc Plato libr. 5. de Repub. Albos Deorum filios appellauit. Hinc seruius Epithetō illud; *Candidus*, dixit significare DEVM. Vnde iure merito dixerimus Deiparam immortalitate etiam corporis dealbatam, beatis illis mentibus summam admirationem peperisse, dum candore illo diuino ad DEVM, cuius vestimentam vidit candidum sicut est nix Daniel cap. 7. accedere, ac penes illum eam consedere vidēt, & non solum nubes ac sydera, Lunam, Solemque, sed vniuersas Angelicas Hierarchias eius pedibus substratas eamque adorantes, suspicientesque contemplantur?

Plato Deorū filios Candidos vocat.

15. Quid iam de Cycni huius nostri morientis suauissima dicam cantus harmonia? Cecinit quidem Virgo sacratissima totius vitæ decursu crebro Diuinas laudes, & maximè tunc, cum Deo plena abijt in montana in domum Elisabeth, vbi auditis proprijs, ijsque amplissimis laudibus, vniuersorum Dominum extulit, ac magnificauit, easque omnes in eum, ceu fontem, auctoremque bonorum, gratiarumque omnium refudit, vt ad locum, vnde exierant illa donorum cælestium flumina, reuersa, iterum copiosius fluerent, inque animo ipsius redundarent, Eccles. 1. Verum circa extremam vitæ suæ periodum, credibile est eandem Virginem longè suauius diuinas laudes, spe cælestis beatitudinis, æternorumque gaudiorum illectam, identidem fuisse modulatam. Si. n. Cycnus, vt Plato censuit, ideo circa vitæ suæ finē ita dulciter concinere cōsueuit, quod ad Deū cui seruiuit, sit emigraturus, æternâque animę suæ immortalitate, vt Pythoragas arbitratus est, perfruiturus; quid censendum est de Deipara nostra, quæ assiduis, ijsque ardentissimis, maximè postquam Filius in cælos profectus est, Dei faciem clarè videndi anhelabat desiderijs? Filius, cordis eius erat centrum, Filius vera beatitudo ac fælicitas, Filius animæ eius nunquam terminanda immortalitas. Ad illum cecinerit identidem sine dubio cum Parente suo Dauide: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aqua-*

Plato censuit Cygnū ideo circa vitę suę finem canit dulciter, qui ad Deum cui seruiuit emigraturus.

B. V. ex hac vita migrans dulciter cecinisse visa est.

aquarum ita desiderat anima me ad te DEVS; Sitiuit anima mea DEVM fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Concinebat, & illud tota hilaris eiusdem canticum: *Lætata sum in his, quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus.*

Cygnus traiecta penna per tempora canendo moritur.

16. Quod si opinemur cum nonnullis Cycnum traiectum pennâ, in capite ipsius nata, paulatimque per cerebrum descendente, canendo emori, vt insinuat Ouidius:

Veluti canentia durâ
Traiectus pennâ tempora, cantat olor;

B. V. sicut & S. Teresia amoris vi, emortua.

dicere poterimus Diuam Virginem pennato volucrique Diuini amoris telo, vt B. Teresia, nullius vi morbi sauciam, ad instar Cycni, amoris illud modulando carmen. *Vulnerata charitate ego sum*; emortuam. Sagitta hæc alata, atque electa erat ipse substãtialis Amor, & charitas ipse Dei, eiusque Filius, qui se apud Isaiam sagittam electam vocitat: De hac sagitta S. Ambr. in Psalm. 118. serm. 5. ponderans, verba illa spõsæ: *Nudemus membra nostra bono vulneri, nudemus sagittę electę. Sagitta hęc Christus est, qui dicit: Posuit me sicut sagittam electã. Bonum est hac vulnerari sagittâ.* Et verò si Moyses Dei dilectissimus seruus postquam pulcherrimum illud suum cecinisset canticum Deuter. 32. *mortuus est in monte, iubente Domino*, seu vt legit Hebr. in Osculo Domini, *absque vlla ægritudine, aut infirmitate corporis;* Cum illi vt ait Scriptura, *non caligauerit oculus, nec dentes illius moti sunt.* Quanto magis Virgo Deipara? Crediderim sanè hanc amore Filij dilectissimi ceu telo transfixam ad instar Cycni dulciter identidem modulatam: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. sicque tandem in osculo, & amplexu Filij obijsse.

Christus sagitta electa corda configens.

Moyses cantico suo absoluto mortuus in osculo Domini, absque vlla ægritudine.

Moysi non caligauit oculus, nec dentes moti.

B.V. non fuit mortua vi alicuius morbi corporalis, sed vi amoris in Filium.

17. Vnde Suarez noster Tom. 2. in 3. Par. Disput. 21. serm. 1. ait: *Quamuis B. V. mortua non fuerit, vi alicuius morbi corporalis; vi tamen amoris, & ardentissimi desiderij, intensissimæque contemplationis, obijt. Fieri enim potest vt mens tanta efficacia, & intensione in his actibus occupetur, vt velut destituat corpus, ita vt paulatim eius dispositiones remittantur, ac deficiant, ac tandem ob earum defectum, non possit anima in corpore conseruari.* Idem sensit Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus, in Psal. 86. cap. 40. Hinc Magnus Albertus Tract. super Missus præclarè pronunciauit; *maiorem delectationem, quę in Diuino amore nimirum reperitur, posse abstrahere animam à corpore secundam substantiam, & excludere omnem pœnam ac dolorem;* quod Virgini nostræ sine dubio euenit, quæ amoris vi tota fuit in dilectum transformata Filium, adeò vt anima illa benedicta magis fuerit vbi amabat, quam vbi animabat. Addit idem Albertus, *Virginem multo ardentius quam Apostolum cupiuisse dissolui, & esse cum Christo, eiusque hanc inclinationem sursum indies intensiorem euasisse, ac consequenter eam tandem separatam abstractamque fuisse ab inclinatione deorsum, totamque eius animam in dilectum transiuisse, maximè cum amore languentem se fuisse fateatur: Cant. 2. Nunciate dilecto meo, quia amore langueo. Quis autem dubitet huiusmodi amoris languorem deficientibus debitis illis, quas anima in corpore requirit, dispositionibus eandem à corpore absque vllo doloris sensu separari potuisse? Cum amoris effectus proprij sint teste S. Dionys. cap. 4. de Diu. Nom. amantes extra se ponere, & quasi de statu proprio dimouere, nec sinere illos esse suos, sed illorum, quos amant. Amor enim, vt B. Hierotheus asserit est vis vnitiua, & concretiua, qua amans amato connectitur,* Hinc Plato amorem ita definiuit: Amor est ardor animi in proprio corpore mortui, in alieno viuentis. Quare B. Guerricus Ignaciensis Abbas serm. 2. de Assumpt. scitè de ipsa pronunciauit: *Primo languit timore, postea dolore, in morte amore. Timore à natiuitate, vsque ad passionem, cum semper vitam Filij insidijs appeti videret: Dolore toto tempore passionis, donec rediuiuum reciperet: In morte amore, & desiderio felicius, sed miserabilius cruciatur, quia sedentem in cælo non tenebat:* Ibidem Deiparam ad Angelos sic loquentem introduxit: *Vt minus miremini languorem meum, amore langueo, langueo plus impatientia amoris, quam passione doloris, plus vulnerata charitate, quam grauata infirmitate, Filię Hierusalem vos Angeli nuntiate dilecto meo, quia amore langueo, ipse nouit quomodo meo medendum sit languori.* Hæc ille.

B.V. multo ardentius quam Paulus cupiebat dissolui, & esse cum Christo.

B.V. moriens languebat amore Filij dilecti.

Amoris proprietas, est amantem extra se ponere.

Amor est vis vnitiua, & concretiua qua amans amato connectitur.

18. Hinc Pelbartus libr. 10. stell. Part. 1. art. 2. triplicem gratiam à Filio ipsi in morte concessam fuisse asserit. *Prima est quod ipsam mori voluit, sine dolore, cum suauissima dulcoratione, absque mærore, cum lętissima consolatione, sine timore denique cum certissima assecuratione. Mortua igitur est Virgo nostra sine dolore, cum suauissimo dulcore Spiritus. Dulcedo siquidem amoris con-*

B V. triplex gratia in morte à Deo concessa.

templationisque suauitas omnem dolorem absorbuit. Sic Moyses, & Elias ieiunantes famis sensum illum tristem præ diuinæ dulcedinis contemplatione minimè sensere. Vnde Sanctissima Virgo non in lecto decumbens vt cæteri, sed flexis genibus, eleuatis ad DEVM manibus vt B. Paulus Eremita, migrasse creditur. B.V. mortua non decumbens, sed flexis genibus, eleuatis ad cælum manibus. *Mortua etiam est B.V. absque mœrore cum mira consolatione ex præsentia tam Apostolorum, quam Angelorum, ipsius quoque dilectissimi Filij, illam ad cælum tota cælesti curia comitante inuitantis.* B.V. expers mœroris in morte. *Mortua denique est Virgo absque vllo timore. Non enim ipsa exhorrescebat mortem, quam nouerat transitum esse ad æternam felicitatem; Vnde charitate, & desiderio Filij feruens cupiebat dissolui;* B.V. mortem non exhorruit. *Non mala opera, aut peccata metuebat à quibus ipsa libera fuit. Non denique Dæmonum malitiã. Quia à Filio suo dilectissimo postularat, & obtinuerat, vt anima eius de corpore exiens nullum Tartareum spiritum videret, nullaque ipsi Sathanæ potestas occurreret.* B.V. in morte nullis Dæmonum territiculamentis affectu.

Hæc ferè Pelbartus, ex quibus facile colligimus, Deiparam ad instar Cycni canentem, cælestibusque gaudijs ac delicijs delibutam, amoreque Filij dulciter æstuantem, ac languentem, ad immortalem perennemque vitam fælicissimè euolasse. Et verò quid mirum Deiparam summâ cum lætitiâ, & iubilo suauissimam suam animalam exhalasse, quæ semper dum vixit summis delicijs Spiritus delibuta fuit. Cum plerũque qualis vita, talis, & mors esse consueuerit. Vnde B. Theodoretus libr. 4. in Cant. interpretans encomium illud sponsi: *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis: Crateri, inquit, similis videtur, quia lætitiæ poculum semper habet, nec gaudio, quod ex pietate proficiscitur, vnquam indiget.* B.V. Crateri similis, quia lætitiæ poculum semper habuit.

19. Hoc gaudio amorisque lãguore penè resoluta, rogabat Angelos: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Et verè iure, pro languoris amorosi remedio petit flores, petit mala, quia cum languor ille ex desiderio videndi faciem sui dilecti oriatur, optabat interim his recreari, quæ illum menti animoque suo repræsentarent. B.V. pro languoris amorosi remedio cur petat flores ac mala? Nouerat illum esse florem de radice Iesse, nouerat esse illius vocem illam: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Nouerat illum suauissimum, dulcissimumque esse Malum inter ligna syluarum. Vnde, & eius odore, saporeque in tanto amoris languore recreari desiderabat, donec tandem in cælis cupitis, amplexibus posset perfrui.

20. Hinc Dionysius Carthus. libr. 4. de laud. B.V. art. 3. ait rerum diuinarum contemplatione, visioneque Filij defixam illam ex hac vita migrasse: *Ad intuitum dilecti Filij,* inquit ille, *cui incomparabili aspirauit ardore, diuinarum quoque rerum, contemplationi profundissimè tunc intenta, præ spiritualis suauitatis affluentissima experientia, ac feruentissima dilectione, separabatur, sine pœna à corpore.* B.V. rerum Diuinarum contemplatione absorpta, mortua est. Sed ipsam Virginem de sua hac morte diuinæ charitatis vi, ac contemplatione attentiori peractam, loquentem S. Brigittæ libro 6. cap. 2. audiamus: *Cum quadam die, lapsis aliquibus annis, post Ascensionem mei Filij multum anxiarer desiderio ad eum perueniendi, vidi Angelum fulgentem, qui mihi dixit, Filius tuus, qui est DEVS, & Dominus noster, misit me nuntiare tibi, quod tempus iam est, quo corporaliter venias ad eum ad recipiẽdum Coronam tibi præparatam. Venient interim amici Filij tui, qui sepelient corpus tuum. Quibus dictis disparuit Angelus, & ego paraui me ad exitum, circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat; cumque quadam die animus meus suspensus esset in diuinæ charitatis admiratione, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, vt vix se capere posset, & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta.* B.V. suã mortem ipsamet descripsit. Mariæ mors annuntiata per Angelũ. In contemplatione rerum Diuinarum mira lætitia perfusa B.V. è vita migrauit.

21. De hac Virginis in morte sua, exultatione ac gaudio, præclarè pronunciauit Salomon Prou. 31. *Et ridebit in die nouissimo.* Risit enim reuera in die nouissimo suæ mortis Deipara, quia mors illi felicissima, ac beatissima vita extitit. B.V. risit in morte quæ ei felicissima vita fuit. Audiendus hic Sanctus Ioan. Damasc. orat. 2. de dormit. Deiparæ: *Tu sola nobis in terra consolatio relicta es, & te viuente simul viuere, & moriente simul mori beatum est. Quid autem moriente dicemus? Tibi enim mors quoque ipsa vita est, ac vita præstantior, atque hanc vitam incomparabiliter antecedens.* Cum B.V. viuere, & cum eadem mori beatum est. Quare paucis interiectis, ait, *mortem Virginem aggredi timuisse: Hanc autem quæ sine voluptate, & viri congressu Dei Verbum, & personam illam, mentem omnem superantem, atque omnia implentem, naturaliter, absque doloribus procreauit, seque totam Deo dicauit, ac consecrauit, hanc inquam, quonam pacto mors absorbebit? quonam pacto corruptio corpus illud, quo vita suscepta est, aggredietur? Abhorrent omnino hæc, atque aliena sunt à Deifera illa anima, & corpore; ipsius enim aspectum mors quoque ipsa pertimuit, siquidem ipsius Filium ador-* B.V. aspectum mors ipsa pertimuit.

adorsa, ex his quæ pertulit erudita, periculosoque facto prudentior reddita est.

22. Vt porrò idem Sanctus Virginis studiosissimus Doctor ostendat Ora. 1. de Dormit. Deip. à morte illam inuadi minimè potuisse, nec veram eius dicendum esse mortem, eius ex hac vita decessum, Ecclipsi Solis confert: *Quemadmodum*, inquiens, *splendidissimus hic, perpetuaque luce præditus Sol, tametsi cum à Lunari corpore aliquantisper obducitur, quodammodo deficere, caligineque obrui, fulgoremque cum tenebris commutare videtur, non tamen à luce sua excedit, imo perennis in se lucis fontem scaturientem habet, imo vt rectius loquar, ipse indeficiens in se luminis fons est. Ad eundem modum tu quoque fons perennis veri luminis, atque inexhaustus vitæ thesaurus, & vberrima scaturigo benedictionis, quæ nobis bonorum omnium causa, & parens extitisti, etiamsi ad breue aliquod spatium corporeo modo, morte obtegeris, tamen immensi lum nis, atque immortalis vitæ, vereque beatitudinis puros, & inexhaustos latices, gratiæ flumina, perennemque nobis benedictionem infundis: ac proinde sacram tuam migrationem, mortem haud quaquam appellabimus sed somnum, vel peregrinationem, vel, vt aptiori verbo vtar, cum Deo præsētiam.* Vnde tam desiderabilem hanc mortem ibidem attentius considerans in illa admiratione plena prorupit verba: *O miraculum sanè naturâ præstantius, ò res summæ admirationis plena! Mors, quæ odio, & execrationi prius erat, hic commendatur, ac beata censetur, quæ olim luctum, ac mærorem, lacrymasque, ac tristitiam afferebat, nunc gaudij, ac lætæ celebritatis causa est.* Quare apostrophe facta ad Deiparam merito subnectit idem Damascenus: *Quocirca non te mors beatam reddidit, sed ipsa mortem exornasti, vt quæ eius mæstitiam sustuleris, ac mortem gaudium esse plenum feceris.*

B.V. Mors Eul ipsi Solis comparatur.

B.V. inexhaustus vitæ Thesaurus, & vberrima benedictionis scaturigo.

B.V. bonorū omniū causa, & Parens.

B.V. Mors somnus fuit, & cum Deo præsentia.

B.V. sua Morte, Mortem exornauit, & gaudium plenum eandem effecit.

23. Agnouit risum hunc Virginis, quem in sua morte ipsa habuit S. Hildephonsus serm. 3. de Assumpt. *Hodie*, inquiens, *thalamum intrauit, quia simul Virgo, & sponsa fuit; Hodie siquidem audiuit illam vocem blandientis à sede Maiestatis: Veni electa mea, & ponam super te thronum meum, quia concupiuit Rex speciem tuam. Ad quam sanè vocem credimus, quod gaudens & exultans soluta est beata illa anima, ac perexit ad Dominum, vbi facta est ipsa thronus, quæ fuerat in carne Templum Diuinitatis, tanto speciosior præ cunctis, & sublimior, quanto, & gratia gloriosior refulsit.* Sic ille. Et decebat sanè vt Deipara ridens, ac gaudens ex hac vita migraret, quæ dilectissimos suos filios, ac clientulos in morte, insolitâ cumulare solita est lætitiâ, eorumque ora replere risu, ac iubilo consueuit, vt testatur Cæsarius de Religioso illo sui ordinis, cui morienti, vt alibi diximus, Dei Mater cum astitisset, isque præ gaudio in dulcissimum esset solutus risum, cælestibusque delibutus delicijs ex hac vita ad beatam commigrauit. Verè huic, inquit Cæsarius, dici poterat:

Religiosus in præsentia B.V. moriens, risit.

Incipe parue Puer risu cognoscere Matrem.

Risum porrò hūc, gaudiumque in Virgine, ex perfecta in DEVM charitate, cuius fructus gaudium est, originem traxisse manifestum est. Itaque verè dicere possumus, quod sicut charitate, ita & gaudio spirituali fuerit emortua, vt quondam Diagoras, qui cum Filium in athletico certamine coronatum vidisset præ nimio gaudio exspirauit, duplicique felicissimo iaculo tam amoris, quam lætitiæ sauciata, ex hac vita migrauerit.

24. O quàm verè de hoc ardentissimo eius amore pronunciauit sponsus: *Fortis est vt mors dilectio.* Cant. 8. Dilectio enim Virginis, quâ in Filium suū dilectissimum summo impetu tendebat, adeo fortis adeo violenta extitit, vt velut pennata, inflammataque sagitta cor eius suauissimè transuerberauerit, animamque à corpore ad instar mortis separarit. Vtque amoris Virginei maiorem ostendat amplitudinem, ac vehementiam de eodem subdit: *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* Seu vt legit Hebr. *Lampades eius flāmæ Dei.* Quasi dicat: Ignis amoris Matris meæ dilectissimæ, quo circa vitæ suæ finem exarsit in me, flammas ingētes ad instar inflammatæ fornacis in cælum euibrabat, vt velut montes quidam altissimi, & Cedri Dei viderētur. Sunt inquam flammæ Dei, quia Diuino illi amori, quo se mutuo diuinissimæ illæ personæ complectuntur, amor Virginis est quam simillimus. Quod si cum 70. Interpp. legamus: *Volatilia, seu Iacula volantia, seu alæ in circuitu;* seu denique cum Arabico textu: *Extensio alarum eius, sicut alarum ignis;* intelligemus sanè charitatis Virgineæ iaculum, quo eius cor confixum erat, non modo ardens, ad instar lampadis, facisque ingentes flāmas in cælum eiaculantis extitisse, verum etiam alatum, pennis igneis vndique

B.V. amor fortis vt mors.

dique

dique circundatum, quo celerius aera, nubes, ipsaque penetraret sydera, & ad cor Filij perueniret. O quam prçclarè de hac charitate ardenti, atque pennata edixit Ambr. lib. de Isaac cap. 8. *Bona charitas habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora, & corda sanctorum, & exurit quidquid materiale atque terrenum est, quicquid verò sincerum est probat, & quod contigerit suo igne meliorat.* Volitet quæso hęc tua inflammata pennataque charitas, ò Virgo Beatissima, & ad instar potentissimi iaculi, ferrea corda nostra trāsfigat, accendatque omnemque vitiorū rubiginem, scoriamque decoquat, illaq; ad concupiscenda cælestia sursum attollat, vt tuam puritatem illam stellanti Cycno longè superiorem æmulantes candidi, & nos, amicti stolis albis in sanguine Agni dealbatis euadamus, teque cum Agno quocunque ierit sequētes diuinas laudes nullo fine terminandas tecum concinamus.

Consilium S. Antonii Patauini de lugendis peccatis semper & maximè circa mortē.

25. Hos fauores vt patrocinio Virginis consequamur, opus est vt & nos, dum in hac vita viuimus, Cycni naturā æmulemur, & Diui Antonij Patauini cōsilium amplectamur; qui solitus erat dicere: *Cum per totam vitam nostram peccata nostra debeamus quotidie cognoscere, & omnia tam particulariter, quam vniuersaliter cōfiteri, maximè tamen id conuenit facere circa mortem. Tunc enim debemus facere sicut facit Cycnus, qui quando moritur cantando moritur, & hæc dicunt contigere, propter quandam plumam, quam habet in gutture. Sed tamen ille cantus dolorosus est ei. Cycnus albus est peccator, ad pœnitentiam conuersus super niuem dealbatus. Hic in articulo suæ mortis deuotè debet canere, idest, peccata sua in amaritudine animę suæ recogitare. Pluma in gutture est peccati notitia, & confessio in iusti ore, ex quo debet procedere cantus dolorosus, qui tūc est valdè fructuosus.*

Peccator lugens peccata à S. Antonio Patau. Cygno comparatur.

Hoc consiliū sapientissimū sāctissimi huius Patris si amplectamur, inque pangēdis Virginis laudibus fuerimus assidui patrocinio subnixi Deiparæ Virginis merito, sperare poterimus nos quoque in cælo velut sydereos quosdam Cycnos immortalitatis luce radiantes, cum cælorum Regina reliquisque beatis euolaturos, perennaturos.

Tres sorores B. Virginis laudibus, recitandoque Rosario intentæ à B. V. ad cælum inuitantur.

26. Huiusmodi candidissimi fuere Cycni tres illæ Sorores Virgines, quæ S. Dominici ętate vnà viuebant laudibus Deiparæ recitandoque eiusdem Rosario quotidie intensæ. Has sæpe misericordiæ Mater, pro ea, qua pollet benignitate, inuisebat, ac solabatur. Sed tūc visitatio illius eis accidit longe gratissima, ac lætissima, cum circa vitæ finem S. Catharinâ, Agnete, aliarumque Virginum stipata choro eas blādissimè ita alloqui non est dedignata: *Nunc vos securas de Regno Filij mei reddo, in quod die crastino deducemini.* Nec Virgo benignissima in promittendo, quam quæ promiserat exequendo liberalior fuit. Aduenit .n. die sequenti eisdem Virginum comitata choris, mirificâ luce radians, odoribusque Paradisiacis delibuta, comitibus suauissimè accinentibus: *Veni sponsa Christi, accipe Coronam, &c.* simulq; nouas illas nuptas Christi, veste albâ induit, cælique candidatas, stellātesque quosdam Cycnos efficiens corpore tandem solutas earum innocentes, purissimasque animulas secum in cælum auolare iussit.

27. Candidissimus quoque Virginis Deiparæ Cygnus esse visa est B. M. de Oegnies, quæ vt scribit Iacob⁹ Cardinalis de Vitriaco morti vicina Canticum Patronæ suæ cuius Nomen gerebat, magno pietatis affectu, incredibilique perfusa gaudio ac lætitia *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo, modulata est.*

28. Candidissimus etiam Cygnus fuisse visus est pientissimus in DEVM eiusque Matrem visus est Frater ille nomine Electus de Chronicum Minorum P. 2. lib. 9. c. 29. Hic tantæ puritatis fuisse memoratur, vt in postrema vitæ suæ constitutus carastrophe, prius quidem voce demissa ac suaui, plenus magna fiducia verba illa Christi cecinerit: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad DEVM meum, & DEVM vestrum. Altera vice paulo altius. Tertia vero multo altiore, ad quā omnes Fratres concurrentes, ipse dulciter Spiritum Domino suo reddidit.

29. Huic similis Cygnus fuit Ordinis Cistercіensis insigne iubar Gaufridus de Perona S. Bernardi dilectissimus Discipulus, in quem paternum suū affectum satis ostendit Epist. 110. scribens ad eius Parentes, vbi inter cætera hæc habet: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium, quousq; de meis manibus excipiat eum Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis. Nolite ergo lugere, nolite flere, quia Gaufridus vester festinat ad Gaudium non

non ad luctum. Ego ero illi Pater, ego Mater, ego frater, & soror. Ego faciam illi praua, in directa, & aspera in vias planas. Denique seruiet Domino in lætitia, & exultatione, & cantabit in vijs Domini, quoniam magna est gloria Domini; quod ei maximè circa suæ vitæ finem omnino contigit. De illo .n. Bernardus de Brito ita scripsit: Cum intelligeret se iam dissolui, cæpit intra semetipsum exultare, & cantare Psalmos ac Hymnos in laudem illius, qui eum vocabat ad se, ita vt Monachi rem insolitam, & hactenus inuisam stupefacti mirarentur. Nam cum lege vniuersali, & Naturali sancitum sit, vt omnes mortem timeamus, solus sanctus hic Prior instar cādidissimi Cygni suaui Musicâ celebrabat, & inter exteriorem exultationem, & cordis iubilum, spiritum reddidit suo creatori. De hoc Chrysostomus Henriq. in suo Menologio ad 15. Ianu. Quo in opere plurium huiusmodi Cygnorum in morte sua canentium facit mentionem, vti in 1. P. Disc. 18. nu. 100. & sequentibus ostendimus. Vbi domesticis etiam Societatis nostræ exemplis B. Aloysij Gonzagæ, Ioannis Berchmans, & Pauli Hoffei idem confirmauimus.

30. Non defuere plures huiusmodi in morte Diuinas laudes concinentes Cygni. Legisse me memini in Annuis Collegij Panormitani literis Ann. 1597. Matthæum Gerardum operis domestici administrum, cum ei Medicus mortem instare denunciasset, lætum in sacrum illud carmen: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto tanta animi lętitia erupisse, vt cęteros adstantes ad studium bene moriendi excitare videretur.

31. Huiusmodi denique Cygnus canendo moriens esse visus est S. Franciscus Xauerius Indiarum Apostolus, de quo scribit Ioannes de Lucena noster, quod morti vicinus suauibus ac crebris colloquijs cum Domino Deo agebat fixis in cælum oculis, vti consueuerat, & vultu lætitiâ pleno, sæpè illa verba iterabat: *IESV Fili Dauid miserere mei*. Et Virgini Dominæ nostræ, *Monstra te esse Matrem*, & alias voces ad instar sagittarum ab igne Diuini amoris accensarum, quas eius Spiritus altissime eiaculabatur. Tandem die Sabbati tenendo in manu Cruci affixum Dominum defixis in illum oculis, & in ore internortuis penè vocibus *IESVM ac MARIAM* inuocando, & suspirando potius quam loquendo, exijt e corpore illa sancta anima tam faciliter ac suauiter, quantum libera ac seiuncta semper ab illo extitit, reliquitque cum tam extraordinaria pulchritudine, & lætitia in facie, vti de S. Francisco scribit Bonauentura, ac si iam inciperet illi partem illius gloriæ communicare, ad quam iam Diuina misericordia illum conduxit. O vtinam, gloriosissima Virgo, ac Domina mea benignissima, moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea eorum similia, vt animi corporisque puritate, ac sanctimonia, veluti niuali candore Cygnus in cęlum ad Dei faciem, tuamque pulcherrimam clarè contemplandam euolem.

Amen.





DISCVRSVS XX.

Quod Aquila cælestis, Virginem Deiparam repræsentat.

1.

AQuilam summi Iouis volucrem dilectissimam, eiusdemque ministram esse, in quam ipse transformari non est dedignatus, fabulati sunt Poetæ, eamque ob causam inter sydera relatam pulcherrimam, lucidissimamque constituere 9. Syderibus constantem constellationem.

De hac sic Manilius libr. 1. Astronom. capit. 4.

Tum magni Iouis Ales fertur in altum
Assueto volitans, gestet ceu fulmina mundi
Digna Ioue, & cælo, quod sacris instruit armis.

B.V. Aquila grandis magnarum alarum. Hanc nos iure dixerimus symbolum esse, viuamque imaginem, Deiparam ad viuum exprimentem. Hinc S. Bernardinus Senensis in capit. 12. Apoc. Mulierem illam mysteriosissimam, *cui datæ sunt alæ duæ Aquilæ* contemplans, scitè pronunciauit eam *esse Aquilam illam grandem magnarum alarum*, de qua Ezech. 17. Alas illas magnas esse dixit; *Auctoritatem Imperatricis, Generositatem Genitricis: Siue puellarem Virginitatem, & singularem fœcunditatem*. Quibus virtutibus, velut maximis quibusdam alis in altum sublata, inter sydera collocari ob eminentissimam puritatis eius, sanctimoniæque lucem promerita est.

Quænam sint alæ B. Virginis.

2. Hinc Rich. à S. Laur. libr. 12. de laud. B.V. multis de causis gloriosissimam Virginem nostram Aquilæ comparauit. *Aquila*, inquiens, *est Regina volucrum, & Maria Regina Angelorum, contemplatiuorum, & Virginum, quæ in nido, suo corde videlicet, posuit fidei amethystum, quo concepit Filium Dei. Imò ipsa facta est amethystus. Sicut enim lapis hic colorem præsefert purpureum, & violaceum, fugat serpentes, ac venenum, præseruat ab ebrietate. Sic B. V. ob excellentiam conceptus induta est veste purpurea regalis dignitatis, effecta vniuersi Regina. Vnde de ea dicitur Byssus, & purpura indumentum eius. Habuit colorem violæ, cui per humilitatem fuit similis. Expulit à se serpentes ac venena vitiorum omnium, quæ nunquam ad eius mentem ingredi potuerunt, cauit ab ebrietate omnium carnalium voluptatum, à quibus etiam amicos suos præseruat. Aquila cæteras aues volatu præcellit, & solis aspectu; & ipsa reliquos sanctos in volatu contemplationis, & aspectu iustitiæ Solis Filij sui, qui lucem habitat inaccessibilem 1. Tim. 6. Quæ lux in ipsa fuit abscondita, & ipsa nobis eam accessibilem fecit eamque ipsa vicinius, ac limpidius contemplatur. Aquila hæc donis ac virtutibus ditissimum facit nidum suum, cor videlicet quod inhabitat per gratiam, vt verè dicere possit qui in ipsa spiritualiter hospitatur: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, Sap. 7. Aquila hæc misericorditer ad cadauerosos peccatores ipsum humiliter inuocantes respiciens, mox duabus alis pietate, & compassione aduolat, vt ad Theophilum, quem quasi rostro orationis, quam pro eo fudit ad Filium, & quasi vnguibus iustitiæ à Diaboli faucibus potenter eripuit chirographum suum anulo proprio consignatum ei restituens. Propter hoc de Maria dicitur: Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit. Quia Christus eius Vir, ac sponsus de eius fide ac fortitudine confidens, ditatur animarum spolijs, quibus ipsa aduersarium nostrum Diabolum spoliare consueuit. Hæc Aquila demum vt ait Iob. 39. ad præceptum Domini eleuata est, & in arduis posuit nidum suum, quando in sua assumptione ascendit super Cherubin, super omnes choros Angelorum, omnemque humanum intellectum.* Hæc ferè Rich.

Amethisti proprietates.

B.V. Amethisto similis.

B.V. locupletat suos amantes.

Peccatores B.V. à Dæmonum insidijs eripit.

B.V potentia in Theophilo à potestate Dæmonis eripiendo.

3. Hinc Bernardinus Bustius P. 11.

serm.

ferm.2. partic.7. *Eleuata est*, inquit, *Maria per excellentiam contemplationis, quod designatum est in eleuatione illius Aquilæ, de qua Iob. 39. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum? Ipsa enim Beatissima V. super omnes Apostolos, Prophetas, & Patriarchas, & quoscumque mundi homines eleuata est per sapientiam & contemplationem, sicut Aquila eleuatur super omnes aues in aere.*

B.V. velut Aquila eleuata super omnes Sanctos per contemplationē.

Hinc denique P. Ioannes Posoniensis Ordinis sacri S. Pauli primi Eremitæ in .m. 5. serm. de Visit. B.V. eam proficiscentem ad Elisabeth cum festinatione, Aquilæ ad nidum aduolanti, cuius aduentu pulli lętitiâ gestiunt, cibumque expetunt, comparauit.

4. Sunt, & aliæ in Aquilis, eæque pulcherrimæ proprietates, quæ in Virgine nostra mirificè elucescunt.

Inter reliquas illa videtur princeps, quod miro feratur in pullos suos amore. Quem vniuersorum Dominus ac creator verbis illis Exod. 19.4. insinuauit: *Vos ipsi vidistis quid fecerim Aegyptijs, quomodo portauerim vos super alas Aquilarum, & assumpserim mihi.* Quasi vellet dicere: sicut Aquilæ pullos suos non transferunt vnguibus, & pedibus, sed eos super alas imponunt, & vectant, adeo altè, vt nullus eas vel telo petere possit, sic & ego vos meum dilectum populum, alis prouidentiæ meæ sustuli de terra Aegypti, vosque ab omnibus hostibus tutissimos reddidi, paternaque solicitudine foui. De hac Aquilarum in suos pullos pietate sic scribit Rabbi Salomon: *Omnes reliquæ aues pullos suos, ponunt inter pedes suos, eo quod timent sibi ab auibus, quæ supra se volitant.*

Aquilarum in suos pullos pietas, dū se vt illos defendant telorum ictibus exponunt.

Verum aquila non timet sibi nisi ab homine, ne fortè petat eam iaculo. Cum enim nulla auis altius ipsa volet, propterea collocat pullos suos in alis, cogitans, satius est vt in me penetret iaculum, quàm in pullos meos. Ita, & ego feci, inquit, DEVS iuxta illud Exo. 14. 19.

Tollensque se Angelus Domini stetit inter castra Aegyptiorum, & castra Israel, cumque Aegyptij mitterent iacula, & lapides, ipsa nubes in qua latebat Angelus excepit ea. Sic ille. Ex quo colligimus Aquilam se ad instar clypei pro pullis suis interponere.

5. Talis est Aquila Deipara Virgo, quæ cùm sit Turris illa Dauidica, de qua mille clypei pendent, quid nobis indicat aliud quam se tutissimum, firmissimumque, contra omnia Tartareorum hostium, mundi, ac carnis ignita tela, omnibus in se sperantibus esse clypeum, seque mortales omnes, velut pullos non modo sub vmbra alarum suarum fouere, verum etiam proprio corpore velut murum, ac Turrim contra insidiantes hostes opponere?

B.V. velut Aquila quasi proprij obiectu corporis nos defendit.

Vnde ipsa Cāt. 8. aiebat: *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* An non ostendit tunc Deipara beatissima se esse Aquilam, cum Filius tribus lanceis mundum perdere ac pessundare, ob enormia superbiæ, auaritiæ, luxuriæque scelera, attentantem, proprij obiectu pectoris, castissimorumque vberum quæ ille amore nostri suxit, placauit?

Christus tribus lanceis mundum perdere volens B.V. sese interposuit.

Vnde S. Fulgent. lib. Mythol. præclarè dixit: *Dudum cælum, & terra ruisset, si non Maria precibus sustentasset.* Vnde Pelbartus libr. 11. stell. Par. 2. cap. 2. Miratur quod olim DEVS in testamento veteri tam seuerè mundi peccata longè leuiora puniuerit, totūque adscribit precibus, patrocinioque Deiparæ.

Profectò, inquit ille, *quicquid DEVS parcit mundo, cumque vt conuertatur misericorditer expectat, inque suo esse præseruat, nec eidem vti meretur finem imponit, totum hoc facit propter Beatam Virginem, eiusque merita, aduocationisque ipsius intercessionem.*

Hinc Bernardus: Nemo, inquit, Domina tam idoneus, qui gladio se obijcit pro nobis, vt tu Mater Dei amantissima, per quam primam suscepimus misericordiam de manu Dei nostri. Hæc Pelbartus.

6. Vidit hoc deuotus ille sacerdos Guilelmus vt refert Petrus Iustinellus Part. 1. capit. 4. qui cum tota die raptus esset in estasin, contemplatus est ante tribunal Christi Angelum tubam manu gestantem, Cui cùm alta voce, vt tubam inflaret, demandasset, isque iussis paruisset, tam horribilis tubæ illius sonus extitit, vt totus mundus ad instar folij alicuius arboris, perflante vento, contremuerit.

B.V. pietas in genere humano aduersus iram Iudicis protegendo.

Cumque rursus, vt idem faceret præcepisset, mox misericordiæ Mater, cum præuidisset, ad secundum tubæ sonitum mundum ruiturum, silentibus Angelis, sanctisque omnibus qui Christo aderant, ante pedes Filij sese prostrauit, iramque iustissimam suis precibus auertit, sententiæque tam terribilis dilationem ob sibi deuotos clientulos impetrauit. Idem intellexit alter Sacerdos relatus à Cæsario, & Discipulo, qui cùm sacris opera-

B.V. Imago sudat ob hominum scelera.

Hhh retur

retur vidit Imaginem Dei Matris, largo sudore madentem. Aderat ibi dæmoniacus, qui à Sacerdote illo adiuratus, vt illius causam patefaceret. Respondit: *Mariæ Filium hominum enormibus peccatis, ac sceleribus offensum suæ iustitiæ manum iam extendisse ad vlciscendas iniurias, de suis inimicis, accurrisse interea Matrem eius pijssimam, tantoque nisu, ac conatu manum eius vltricem retinuisse, vt sudore tã largo redundaret. Quod nisi ipsa pro sua in homines pietate præstitisset, mundus minimè substitisset.* Quare præclarè S. Bonauent. cap.7. spec. de ipsa pronunciauit: *Ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet. Vnde Isa. 54. Non est qui consurgat, & teneat te. Detinet illa Filium ne peccatores percutiat, detinet Dæmones ne noceant.*

Antequam esset B.V. nõ erat qui iram Dei placaret ne in homines desæuiret.

7. Hinc Christus ad S. Brigittam lib.6. Reuel. cap.26. *Verè*, inquit, *Ecclesia mea longè recessit à me in tantùm quod nisi preces Matris meæ interuenirent, non esset spes misericordiæ.* Atque ita credibile est quoties Iudex iratus conspicere vult mundum hunc, peccatoresque in eo habitantes expansis manibus Matrem hanc honorificatam ei obuiare, in cuius pectore Virgineo vbi defigit oculos, sacratissimaque illa, quæ ipsum lactauerunt cernit vbera, vera pietatis monimenta, mox mitescit, & quodammodo totus in misericordiam, pietatemque transmutatur. Hinc illam S. Bernard. Sen. Tom.3. serm.1. de Nom. Mat. art.1. cap.3. Iridem cælestem, pacem cum hominibus componentem vocat: *Ipsa est arcus fœderis sempiterni, vt non interficiatur omnis caro.* Idem asserit Pater Ioannes Posoniensis Eremita in m.5. ser.2. de Assumpt. *Adstat*, inquiens, *Regina à dextris Filij, vt nobis reducat ad memoriam suam intercessionem apud Filium. Quando enim videt Dominus Matrem suam ante se, de qua pro nobis carnem assumpsit, nostri recordatur, nostrique miseretur; Est enim Virgo arcus fœderis Gen.9. de quo Dominus: Cum obduxero nubibus cælum; volensque orbem destruere vti factum tempore diluuij, apparebit Arcus meus in nubibus, gloriosa scilicet Virgo in cælestibus, & tunc recordabor fęderis mei vobiscum.* Quare optimè B. Andr. Cret. orat.2. de dormit. eam: *Diuinum inter DEVM, & homines reconciliationis profugium vocitauit.* Ipsa denique ad instar Aquilę pietatis suæ humeris portat infirmitatem nostram dum in hac vita peregrinamur, donec tandem nos saluos incolumesq; in cælos subuehat. Vnde Venerabilis Rich. à S. Laurentio lib.2. Partic.5. eius quoque esse verba illa maternæ benignitatis plenissima Isa. 46.3. *Audite me domus Israel qui portamini à meo vtero, qui gestamini à me vulua. Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo; ego feci, & ego feram, ego portabo, & saluabo.* Eadem materna pietate verè vsurpare potest Virgo nostra verba illa Filij Ose.11.4. *Ego quasi Nutritis Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quod curarem eos.*

B.V. detinet Filium ne peccatores percutiat.

Christi de Matris suæ erga homines pietate testimoniũ.

B.V. Iris cælestis, quia pacem hominibus cum Deo impetrauit.

B.V. Virgo est inter Deũ & homines reconciliationis profugium.

8. Altera aquilæ proprietas, eaque pulcherrima est, qua singulari in homines præsertim castos, Virgines, atque beneficos feratur beneuolentiâ, eosque à præsentissimis periculis liberat. Mira plena sunt, quæ de hoc scribunt Autores. Plin. libr.10. Natur. Hist. cap.5. scribit in sesto educatam à Virgine Aquilam, eamque libertate donatam, hanc ei duplicis beneficij gratiam detulisse, vt primo oues, mox etiam vt venatus Virgini aggereret. Eo vsque tandem eius processit in puellam amor, vt cum eam vita decessisse, iamque rogum exurendæ instructum vidisset, in accensam pyram sese iniecit, simulque conflagrauit; quippè, quæ pari letho interire, quam altrici Dominæ superuiuere satius esse indicarit. Suidas in Lago testatur Ptolomæum Soterem Arsinoe Filium fuisse expositum, & ab Aquila nutritum. Ab eadem expansis alis contra pluuiam, æstumque solis protectũ, & coturnicum sanguine, tanquam lacte fuisse nutritum. Pausanias libro 4. narrat miro planè modo Aristomenem ab Aquila ex alta fouea fuisse liberatum.

Aquilarum in homines amor.

Puer expositus ab Aquila alis protegitur, & sanguine coturnicum tanquam lacte nutritur.

9. Quid Plutarchum in Parallelis referam? *Cum pestis*, inquit ille, *Spartæ grassaretur, oracula monuerunt, mali vim cessaturam, si quotannis nobilem aliquam Virginem immolassent. Fortè euenit, vt Helenæ sors obtingeret, quæ cum mactanda duceretur, Aquila deuolans sacrificuli gladium abripuit, & ad armenta delatum, super iuuencam demisit. Cuius prodigij argumento, hæc Virginum immolatio quam sat diu spartani, ex oraculo obseruarunt, sublata est.* Apud valerios similiter Virgo reperta est, cui nomen valeriæ Lupercæ fuit. quæ sacrificio destinata, Aquilæ beneficio præseruata fuit. Quid Athenæum referam? Ex Philarcho scribit hic, pullum Aquilæ à puero quodam alitum, atque educatũ, tanto

Aquila Virginem ab interfectione liberat.

amore

amorein puerum illum affectum,vt cùm quasi fratrem adamarit. Vnde ægrotanti astabat moestus; cum puer non ederet, ipse quoque cibum recusabat. tandem eo mortuo, pullus funus est insecutus, seque ipsum in rogum Domini, summâ spectantium admiratione coniecit.

Pullus Aquilæ à puero educatus quā gratus extiterit?

10. Quid Alianum memorem? Refert hic libr. 17. cap. 37. agricolam cum aliquibus socijs hausturum aquā, Aquilam cum serpente pugnantem ad fontem reperisse; eumque Aquilam, in pugna cum serpente, falce eundem dissecando adiuuisse. Bibisse deinde de fonte illo socios, & paulo post, ob aquam veneno infectam expirasse. Cum inde bibere pararet ipse quoque agricola, aquilam beneficij memorem mox aduolasse, poculum euertisse, aquā effudisse, atque ita veneno ac morte eundem suum benefactorem liberasse. Idem Aelianus libr. 12. capit. 21. narrat Tilgamum Regem Babylonis cum puer esset, aui iussu fuisse præcipitatum, & ab aquila subuolante, quæ puerum dorso excepit liberatum, & in hortum quendam leniter depositum. *Hoc, inquit, si cui fabula videtur, me quoque non approbare illi fatebor. Audio tamen Achamenem Persam à quo nobilis Persarum prosapia descendit, Aquilæ alumnum fuisse.*

Aquila suum benefactorē à veneno liberat.

11. Quæ sanè omnia minimè vel mira vel incredibilia nobis esse debent, cum Dominus DEVS seruos suos per easdem Aquilas sæpè iuuerit, eisque paternè prouiderit. Certè S. Medardus cum puer esset, in campo pluuiæ expositus, ab aquila, alas, corpusque suum super ipsum expandente, immunis seruatus est. S. Benedicti occisi à latronibus corpus in aquam proiectum ab aquila demonstratum est. Corpus S. Stanislai Cracouiensis Episcopi à Boleslao Rege trucidati, quatuor Aquilæ à canibus, & feris defenderunt toto biduo, donec Sacerdotes disiecta membra colligerent, quæ subito in vnum coaluisse dicuntur. Venerabilis denique Præsbyter Beda de S. Cutheberto Episcopo Lisfardiensi refert, Aquilam miraculosè piscem extulisse ex flumine, eumque Viro sancto extrema fame laboranti, ne interiret, detulisse.

S. Merdardus cum puer esset, in campo pluuiæ expositus ab aquila alas super eū expandente, immunis fuit.

S. Cuthberto esurienti Aquila ex flumine piscem extulit.

12. Qui sanè Aquilarum in homines tam insignis amor ac beneuolentia nobis velut in imagine beneuolentissimam pientissimamque Deiparæ nostræ naturam ac indolem repræsentat. Ipsa enim suis clientulis omnia ad vitam tolerandam necessaria subministrare, mirificumque suum in Virgines amorem ostendere consueuit. Declarauit hoc in duabus illis Virginibus, quæ ob eextrmam qua premebantur inopiam, de pudicitia periclitabantur, quibus Virgo benignissima in tam præsenti periculo suam opem non denegauit. Cùm enim earum Mater alias matrona nobilis, post mortem mariti, omnibus viuendi auxilijs esset destituta, ad Templum ante altare D. Virginis cum filiabus accurrit, easque ipsi consignauit, apprehensisque illarum manibus, easdem cum manibus coniuxit Deiparæ in signum omnimodæ resignationis. Hac tam pia filiarum facta in manus eius oblatione, dum domum reuertuntur, præ foribus pulcherrimum iuuenem reperiunt, qui nomine Deiparæ, afflictissimæ illi viduæ copiosam pecuniam ad suam, filiarumque vitam sustentandam tradidit; Mater acceptâ cum gratiarum actione, vti pararat pecuniâ, filias decenter vestiuit, quo Templum pietatisque officia obire, frequentareque possent. Mox maledicorum suadente inuidiâ, exacuuntur linguæ, fama iuuencularum, proscinditur. Mater ad solitum suum asylū accurrit ad Deiparam pro filiarum honore, ac fama defendenda. Initæ ipsius preces minimè cecidere. Virgo enim pientissima solemni quodam festo die, in frequentissima concione misit Angelum, qui earum capitibus in Templo, spectante populo, duas corollas, niueis rosis contextas imposuit: *Hascé corollas mittit*, inquiens, *vobis Regina Maria, in Virginitatis vestræ contestationem.* Admiratione attonitus hæsit nimirum omnis populus cum Episcopo ac primoribus vrbis, certatimque omnes ingentem pecuniæ vim ad paupertatem illarum Virginum subleuandam contulerunt, quibus pecunijs posteà duo Monasteria sunt constructa, eisque cum Virgines illæ fuissent præpositæ, plurimæ vndique puellæ confluxere, quæ vitam religiosissimam in earum sancto contubernio, sanctissimaque disciplina plurimis annis traduxerunt. Videndus P. Humilis Segala in Exercit. ad B. V. cap. 1. Carthag. Tom. 4. Homel. lib. vlt. §. 230. Quis in hoc tam insigni

B. V. duabus pauperibus Virginibus de necessarijs ad vitam sustinendam prouidet.

B. V. Virgines sibi deuotos ab infamia miraculosè liberat.

signi Virgineæ pietatis exemplo non videat Aquilam nostram esse summè prouidam, summè Virginitatis studiosam, atque amantem.

13. Eandem Virgo Deipara beneuolentiam, erga Virgineum illum Adolescentem qui ad S. Iacobum Compostellarum proficiscebatur, ostendit, vti diximus Disc. 17. Cuius pudicitiæ cum hospitis filia esset insidiata, nec inuictum eius animum potuisset expugnare, furti accusatum in furcam agi curauit, quem Virgo clementissima ipsius innocentiam, castitatemque miserata diu in patibulo appensum viuum conseruauit; nobis clarè indicans quantis in amoribus iuuenes pudici illi esse consueuerint. Eandem Virgo benignissima suam prouidentiam exercuit erga Hermannum innocentissimum atque Angelicum adolescentem, qui cum egestate laboraret, ita vt nec calceos, nec chartam, aliaque ad studendum necessaria non haberet, Beata Virgo ostendit ei lapidem quendam, eumque reuolui iussit, ibidem pecuniam semper reperturum, quæ ad huiusmodi vsus forent opportuna.
Nec promissio illa Virginis cassa extitit. Quoties enim aliqua re bonus adolescens indiguit, sub eo saxo, tanquam in thesauro, pecuniam ad coemendum reperit.

14. Ipsa quoque nos velut Aquila alarum suarum vmbrâ ab æstu carnalium terrenarumque cupiditatum protegit. Vnde huius protectionis sibi probè conscia dicebat: Eccli. 24. *Et sicut nebula texi omnem carnem.*
Si enim, inquit, P. Ioannes Posoniensis Eremita in M. S. serm. de Assumpt. *ista nebula recederet, DEVS multoties peccata nostra respiceret aduindictam.* De hac Virginis protectione scitè dixit Rich. à S. Laur. lib. 2. *Maria protegit nos, vt arbor sub vmbra ramorum, & foliorum suorum; sub pallio humilitatis, & Virginitatis suæ.*
Hæ enim virtutes ipsius sunt alæ: latæ sunt alæ istæ, per gratiæ plenitudinem. De his alis ei dicere possumus: Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt. Ps. 16. Et. In vmbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas.
Hæc Richar.

B. V. velut Aquila nos sub vmbra alarum suarũ protegit.

15. Ipsa nos à peccatorum imò, & Inferni fouea, ac præcipitio, suis precibus, ac patrocinijs, innumeris à periculis, laqueisque quos Tartareus tendit hostis, præseruando liberat. Verissimè enim de vnoquoque nostrum pronunciauit Sapiens Eccli. 15. *In corde suo insidiatur inimicus, vt subuertat te in foueam, & si inuenerit tempus non satiabitur sanguine.*
Ipsa enim est illa æternæ Sapientiæ Parens, de qua Sapientissimus Salomon Sap. 10. *Hæc venditum iustum non dereliquit; Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum Regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant.* O quot Virgo nostra tanquam Aquila generosissima ab interitu corporis, animique velut imminente ceruicibus gladio, præseruauit atque liberauit?

B. V. nos ab Inferni fouea suis precibus liberat.

16. Vnde refert exemplum idem Richar. cuiusdam pueri Hebræi, quem Parens in fornacem ardentem coniecit, eo quod cum pueris Christianis Imaginem B. Virginis adorasset.
Res mira! in medio fornacis se visendam ei exhibuit misericordiæ Mater, eo schemate quo in templo repræsentabatur, puerumque suo pallio ab incendio protexit, effecitque medium fornacis quasi ventum roris flantem.

Puer Hebreus à parẽtibus in fornacẽ ardente coniectus sub pallio B. V. contegitur.

17. Non minus admiranda gloriosissimæ Virginis enituit charitas in liberando à morte adolescente quodam de quo scribit Pelbartus in stell. lib. 12. part. vlt. cap. 12. Mirac. 2. Syluanus Pazius lib. 3. Mirac. B. V. Mir. 40. Carthagena Tom. 4. lib. vlt. & alij. Aiunt fuisse hunc filium Matri vnicum, quem ipsa à primis annis in Dei timore, & singulari erga Deiparam pietate educauit. Vbi iam adoleuerat petitus est ad cuiusdam Principis aulam, ad quam antequam proficisceretur hortata est serio, vt pietatem illam filialem erga Dei Matrem conseruaret, eamque in omni periculo, ac necessitate inuocaret, diebus singulis Salutationem Angelicam cum illa clausula: *Virgo benedicta esto mihi adiutrix in hora mortis meæ;* deuotè recitaret. In aula non ita multo post iuuenis contubernalium peruersis moribus corrumpitur, tandemque velut incorrigibilis aula exturbatur. Cùm egestate laboraret, nec vnde vitam tolerare posset reperiret, latronẽ antesignanus euadit, tandẽq; in manus iustitię incidit detruditurque in obscurissimum carcerem, formatoque de eius vita sceleratissima processu, morti ignominiosissimæ adiudicatur. Auditâ sententiâ mœrore tabescens sese lacrymis,

Deuotus erga B. V. adolescens in aula corrumpitur, ea extrusus dedit se latrocinijs, in carcerem truditur, morti addicitur, sed à B. V. liberatur.

mis, gemitibuſque dedidit. Inter hos gemitus, ac ſingultus viſendum ſe illi exhibet Iuuenis quidam altus, atroque colore horribilis, eique ex vinculis ac carcere liberationem promittit dummodo in primis Chriſtum, tum Sacramenta, Eccleſiamque abneget, eiuretque. Conſenſit his omnibus infelix iuuenis. His non contentus Dæmon vrget, ſi libertate donari velit, vt renunciet omni auxilio quod à Dei Matre præſtolari poſſet. Hic adoleſcens materni conſilij, monitique memor magna conſtantia Tartareo nebuloni reſiſtit, & ad Virginem conuerſus, ſummo, quo poterat pietatis affectu, in illas erupit voces: *Virgo benedicta eſto mihi adiutrix in hora mortis meæ*. Tum aduocato ad ſe ſacerdote, peccata omnia, magno doloris ſenſu per exomologeſin expiauit. Cum ad ſupplicium duceretur, conſuetam illam, quam à Matre didicerat orationem iterabat.

Tentatur adoleſcens in carcere à Dæmone, vt B. V. abiuro.

Dum ita pergit, vidit quoddam in itinere Diuinæ Virginis ſimulacrum, in quod piè defigens oculos exclamauit: *O' ſpes vnica peccatorum adiuua me*. O' rem mirandam! Virgo piiſſima pertranſeunti iuueni aſſurrexit, eumque inclinato capite ſalutare viſa eſt. Exhilaratus iuuenis, petijt ſibi gratiam fieri ad Virginem accedendi, vt eius ſacratis pedibus figeret oſculum; vbi fuiſſet permiſſum, ecce tibi, ò pietatem Virginis ineffabilem, dum ipſe ad oſculandos pedes ſeſe inclinat, Maria ſuam extendit manum eiuſque poſt tergum reuinctum appræhendit brachium, adeò arctè, vt nulla vi miniſtrorum iuſtitiæ, auelli potuerit. Prodigium admiratus populus, vt reo gratia fieret exclamauit, impetrauitque. En vt Aquila hæc imminentem miſerabilis huius iuuenis ceruicibus gladium mirificâ ſuâ auertit pietate?

B V. à Iuuene ad ſupplicium tracto ſalutata, ei dem ſe inclinat.

18. Videre vultis Aquilam noſtram à veneno hæreticæ prauitatis clientulos ſuos nè inficiantur auertentem? In mentem veniat pientiſſima illa Virginis ſacratiſſimæ ſolicitudo, qua Præſulem illum per quietem monuit, quémadmodum teſtatur Sophronius in Prato ſpirituali, vt inimicum ſuum capitalem, nefarium Neſtorium domo eijceret, ne eius libri tabe, ac peſte deprauatus periret. Hanc ſolicitudinem clientulos ſuos, ab huiuſmodi hæreſeon venenis præſeruandi, Aquila hæc præſetulit, cùm dicebat Cant. 1. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, vinea enim noſtra floruit*. Ait enim S. Bernardus vinearum florem, odoremque ſerpentes fugare. Quemadmodum igitur vitis flos fugare conſueuit ſerpentes, ſic effuſiſſima Virginis noſtræ pietas hæreticæ prauitatis colubros, eorumque peſtiferum virus ab animis fidelium auertit. Ipſa enim eſt illa Virgo generoſiſſima, quæ ſicut Tartarei ſerpentis caput contriuit, ita & cunctas hæreſes, quæ velut virus, ac peſtis animos hominum enecant, in vniuerſo mundo, interemit. Hæc nimirum eſt prodigioſa illa Virga Moyſis, quæ in Colubrum conuerſa, vt potè Virgo prudentiſſima increatæque Sapientiæ Mater, Aegyptiorum ſerpêtes hæreſes denotantes deuorauit, ac peſſumdedit. Ipſa quoque hæreticos Eccleſiam vineam velut vulpeculas, demolientes per Doctores capi exoptat, vt argumentis ac rationibus ſolidis capti ac conuicti non amplius Chriſti Eccleſiam demoliantur, ſed potius ædificent verbo, & exemplo.

B. V. hæreticorum inimica.

Heretici vulpeculæ.

Vitis flos ſerpentes fugat.

19. Videre vultis Aquilam noſtrã in mortis vltimo præcipitio ac periculo nos, vt quondam Tilgamum ſubuolantem, atque à præſentiſſimo interitu præſeruantem? cogitate eam hanc potiſſimum ob cauſam Matrem miſericordiæ à B. Odilone vocatam, quod moribundum ſui ordinis Religioſum fuerit conſolata, eique ſpem vitæ æternæ, ſalutiſque capeſſendæ certiſſimam ſubminiſtrarit. Quam ſpem lectiſſimi illi Coniuges Comes Goritiæ, & Imperij Princeps Leonardus Comitum Goritienſium poſtremus, & Paula Gonzaga habuiſſe viſi ſunt dum in Arce Leontij in Tyroli ſeſe coram Regina miſericordiæ, Puerum IESVM ſinu fouente flexis poplitibus ita Virginem deprecantes pingi curarunt. Vbi Leonardus ſic B.V. alloquitur. *Mater miſericordiæ miſerere mei*: Paula vero: *Ora pro nobis Mater miſericordiæ*. Pietatem hanc Sanctiſſimę miſericordiæ Parentis celebrare volẽs. Ioannes Gerſon circa ſuorum clientulorum mortem, pronunciauit, hæc memoratu digna Tract. 6. ſuper Magnif. Addam *propoſitiones aliquas veræ fidei, & bonæ ſpei de Beata noſtra. Prima eſt, quod nihil abſolutâ voluntate petit à Deo, quod non obtinet. Alioquin non eſſet idem velle, & idem nolle ſponſi, & ſponſæ, ſed diſſolutio Ami-*

B. V. nihil abſoluta voluntate petit à Deo, quod non obtinet.

micitiæ, qualis hic esse nequit. Rursus nemo, qui petit Mariam pro se piè, ac perseueranter in Nomine IESV saluatoris, hoc est, ad salutem, quin illud velit Maria absoluta voluntate compleri. Tum paucis interpositis:

Quod petitur à B. V. pertinens ad salutē, illud vult ipsa absoluta volūtate cōpleri.

Narrat Anselmus, inquit, *cuidam morienti adstitisse Mariam, & interrogata, quænam esset?* Respondit: *Ego Mater, & Regina misericordiæ*. Tandemque concludit: *Ergo Maria potest efficere vt cuiuis in suo exitu præsens consolatrix, ductrix, & protetrix existat.*

M. mater misericordiæ cuilibet in suo ex hac vita decessu potest efficere vt præsens velut ductrix assistat.

20. Qua in re, suorum clientulorum animas in cælum subuehendo ac deducendo Deipara se veram, Regiamque ostendit Aquilam. Hanc enim veteres Cæsarum, virorumque Principum animos in cælos subuehere consueuisse censuere. Vnde factum vt in funere Imperatorum Aquilam è rogo submitterent, quæ animam defuncti in cælum deferre videretur. Audiendus Spartianus in funere, & apotheosi Adriani Imperatoris: *E fastigio simul cum subiecto igne ascensura in cælum aquila dimittitur, quæ in cælum creditur ipsam Principis animam deferre*. Dio quoque idem testatur de Augusto Cæsare, scribens de eius funere lib. 56. Idem testantur Nummi, qui vna ex parte habebant effigiem Diui Imperatoris; in altera verò Aquilam cum epigraphe: *Consecratio S.C.* Imo ipsi Cæsares, Principesque post mortem, Aquilæ insidere, ab eaque vehi fingebantur, pingebanturque. Hinc Artemidonus in suis Diuin. Somn. libro 2. cap. 20. *Aquila vehi, Regibus, & opulentis viris, obitum prædicit. Vetus enim mos est hos mortuos fingere, & pingere Aquilæ insidentes. Hinc Seuero Imperatori quatuor Aquilæ, à quibus per quietem in cælum abripi sibi visus est pronosticum mortis extitere.*

B. V. velut Aquila sibi deuotorum animas in cælum subuehit.

In funeribus Imperatorū è rogo submittebatur Aquila, quæ animā illius in cælum vehere videbatur.

Aquila vehi Regibus, & Imperatoribus mortem imminentē indicat.

Hinc in Nummo quodam videre est inscriptionem illam: *Diuus Pert. Pius Pater*, vna ex parte: Ex altera vero Aquilam pilæ insidentem, quasi ipsum ad celi globum ipsa euexerit. Hinc denique Platonis sepulchro appicta conspicitur Aquila, quasi eius specie anima tāti, tamque arguti Philosophi in cælum euolarit, additurque hoc epigramma.

Per Aquilam Platonis sepulchro insidentem, eius anima beatificata notabatur.

Cur Aquila ad tumulum hunc volitas? dic nunquid ab astris.
Hic habitare DEVM forte aliquem intuita es?
Imo anima extincti sum Diua Platonis; Olympum
Quæ colo; sed corpus terrigenum Attica habet.

21. Quare iure merito nobis persuadere possumus, ac debemus gloriosissimam Virginem nostram in extremo illo, terribilique mortis articulo, ad animam nostram solandam, protegendam, in cælumque euehendam aduolare, ad instar Aquilæ. Hanc enim ob causam crediderim Mulieri illi Apocalypticæ cap. 12. Deiparam ex sent. S. Bernardi aliorumque Patrum repræsentanti, datas alas duas Aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum. Mors enim iure locus desertus omni humano solatio, auxilioque destitutus dici potest, ad quem nisi Aquila hæc Regia, clara ex stirpe Dauid oriunda mox aduolet, homo miserabilis in barathrum desperationis deturbetur necesse est. Audite huius aquilæ vocem solatij plenissimam, quam B. Metildem per reuelationem ab ipsa accepisse, testatur Blosius cap. 12. Monilis: *Ego omnibus, qui mihi piè, & sanctè deseruiunt volo in morte felicissimè tanquam Mater pijssima adesse, eosque consolari ac protegere.* Sic Deipara.

B. V. suis deuotis moribundis assistit, vt eos velut Aquila alis suis protegat.

B. V Mulier cui datæ alæ aquilæ ad nos protegendos in morte.

Promissio B. V. qua permittit se suis deuotis morientibus presto futuram.

22. Et verè in illa horrida, & caliginosa mortis nostræ nocte, in qua bestiæ illæ Tartareæ ad insidiandum afflictissimis animabus pertransseunt, nisi Deipara beatissima, & tanquam Aquila tenendo fulmen, gladiumque ad hostes illos deterrendos, & velut lux clarissima nobis ad mentem nostram irradiandam, vt eorum fraudes detegamus, assistat, infelicissimam Lethi aleam nos subire foret necesse. Sicut contra, ipsâ assistente, omnia fausta, omnia felicia nobis polliceri possumus ac debemus. Hinc Vir quidam pius ac doctus suam, patrocinio Deiparæ, in rebus omnibus felicitatem exprimere volens, huiusmodi emblema idque ingeniosissimum composuit: Serenum depinxit cælum, in quo rubicunda Aurora, Sol, Luna, stellæque sese mutuo iucundè quodammodo aspicientes, rutilabant, addita epigraphe: *Iam feliciter omnia.*

Emblema patrocinium B. V. erga suos clientes repræsentās.

Et verò quam tandem prosperitatem, felicitatem, ac securitatem aduersus Leonum stygiorum rugientium catulos, in obscurissima illa mortis hora, nobis promittere non poterimus, Orto hoc Virgineo sole? Sicut enim mulier illa ad instar Aquilæ suæ pietatis alis aduersus teterrimas illas Orci belluas in formidabilissimo illo instanti nos obumbrat, ac protegit, ita eadem illa

illa mulier ad instar Auroræ, Solis, Lunæ, ac stellarum in tenebris horæ illius plusquam cimmerijs, Ægyptijsque feliciter ad illuminandum nobis exoritur, cum eam Apostolus amictam Sole, Lunâ calceatam, stellisque fulgentissimis coronatam conspexerit. Et quis tandem tunc feliciter omnia sibi successura, atque adeo sempiternam felicitatem beatitudineq; Virginis pijssimæ auspicijs, se adepturum, sibi non polliceatur?

23. Pollicebatur sibi in morte feliciter succe ssura omnia, beatitudinemque æuiternam se consecuturam Virginis eiusque Filij auspicijs S. Richardus Cisterciensis Episcopus, qui cum imminere sibi mortem præuidisset, ac prædixisset, petijt ad se deportari in primis Imaginem Crucifixi, quem piè cõplexus, perinde ac si morientem Dominum cerneret, pia oscula in manibus fixit, eaque suauiter labijs demulcens in hæc verba prorupit: *Gratias tibi ago Domine IESV Christe pro omnibus beneficijs, quæ mihi præstitisti, pro pœnis, & approbrijs, quæ meâ causa pertulisti, quæ tanta fuere vt dicere merito potueris: Non est dolor sicut dolor meus. Tu nosti Domine, quod si tibi placeret omnia opprobria, atque tormenta, & ipsam deniquc mortem propter te paratus sim tolerare: Et sicut tu nosti vera me dicere, ita quæso miserearis mei, quia tibi commendo animam meam*. Illam etiam crebro iterabat vocem: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*. Iussit quoque sibi Deiparæ afferri Imaginem, ad quam corde simul, ac voce se conuertens aiebat:
Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.
Mandauitque suis capellanis, vt ea verba ad eius aures pronunciare non cessarent. Atque ita inter pijssima suspiria precesque animam in æterna felicitate victuram suo reddidit Creatori sur. 3. April. Et Pater Canisius lib. 5. de Deipara cap. 19. Verè sanctus hic Antistes alis huius tam grandis aquilæ pro tectus easdem alas, quibus in cælum est subuectus, visus fuit assumere, in eoque verificari vaticinium Isa. 40. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt Aquilæ, current, & non laborabũt, ambulabunt, & non deficient*. Verè dicere poterat cum Dauide Cruciconfixum Saluatorem, eiusque Matrem complexus: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Verissimè enim B. Petrus Cardin. Damian. serm. de Assumpt. de hac Virga, ac Baculo pronunciauit:
Hæc est virga illa, qua retunduntur impetus ad uersantium Dæmoniorum: Virga Aaron, per quam fiunt signa, & mirabilia. Baculum autem Crucis intellige, quo non solùm verberatus est, sed & occisus est insatiabilis ille homicida, qui mortibus hominum pascitur, & nutritur: In Virgine Virga, & baculo Crucis miserorum spes, & consolatio continetur.
Sic Damianus.

S. Richardi Episcopi Cisterciensis pia mors.

Crucifixum, & Imaginem B.V. sub mortem sibi dari postulat.

Crucifixus est baculus Dæmones percutiens.

B.V. est Virga nos in morte consolans.

24. Quare si superstitiosa olim antiquitas omẽ faustissimum esse arbitrabatur, cum ad bellum proficiscentibus Aquila præteruolasset: rati certo de hostibus victoriam se reportaturos, ad instar Aquilæ, quæ de serpentibus, ac etiam ceruis, quos puluere quem alis colligit, in oculos eorum coniecto in præcipitium tandem orbatos deducẽs gloriosè triumphare consueuit.
Quanto magis hac grandi Aquilâ, magnarum alarum, in illo postremo, ac metuendo cum Tartareis hostibus conflictu nobis aduolante, certi de victoria, cum antiquo serpente, deque æternæ felicitatis indeptione esse debebimus?

Bella faustè cõfecta, quæ præteruolauit Aquila.

25. Mira sanè sunt, quæ de aquilarum felici augurio, atque omine maximè in committendis prælijs recensent Historiæ. Anacreon antiquus Auctor scribit, Iouem contra Gigantes bellaturum in Naxo Insula sacrificium instituisse, Aquilasque tempore sacrificij ei comparentes, telum prætulisse. Quibus ille visis auspicium faustum, victoriæque inditium suscepit, quæ cum esset subsecuta, pro bellicis insignibus Auream Aquilam gestasse dicitur, vt testatur Aglaosthenes. Cyrus quoque Persarum Rex victoriæ ex Aquila, cum lepore pugnante, accepit felix augurium, vt scribit Xexophon in Cyroped. lib. 2. his verbis: *Cyro aduersus Armenos proficiscenti continuo in primo agro consurgit lepus, Aquila autem volans, ex parte dextera leporem fugientem despiciens irruit, & percussit, extulitque correptum, coque ablato in collem proximum pro libidine, præda vtebatur. Augurium igitur Cyrus intuitus tum lętatus est, tum Iouem Regem adorauit, dixitque adstantibus: Venatio quidem pulchra est futura si Deo libuerit*. Alibi etiam de eodem Cyro hæc habet Herodotus: *Cum talia differentes ad fines vsque Persidis venissent, essetque his Aquila dextera apparens itineris dux facta, Deos heroasque præcati terram colentes,*

Iuppiter cõtra Gigantes bellum gesturus sacrificium obtulit, cui ad fuerunt Aquilę, telũque prætulerunt.

Cyro Regi persarum Aquila leporem discerpens omen fuit victoriæ contra Armenos.

lentes, vt se propitij iuuarent, ac mites, ita fines superarunt. Hinc Cyri ac Persarum vexilla, Aquilâ aureâ insignita, sicut Romanorum Argenteâ fulmen pedibus euibrante, ad bella gestabantur.

Augurio Alexander M. victoriam reportauit.

Hinc Aristander vates, augurio Aquilæ, contra hostes proficiscentem Alexandrum, ante conflictum victorem pronunciauit.

Alexandro M. contra Darium pugnāte, Aquila victoriæ augurium dedit.

26. Difficillimo quoque eo prælio, quod cum Dario apud Arbella cōmissum est, quo nullum vnquam acrius inter eos extitit, Aquila paululum supra caput Alexandri placidè volitans, nec armorum sonitu, nec gemitu, clamoreque vllo morientium terreri potuit, sed diu circa equum Regis pendenti magis, quam volanti similis constitit, præsagiens, vel indicans potius, quo res esset euasura. Huic dissimile non est illud quod Tacitus lib. 1. de Fabio Valēte commemorat, qui cum exercitum in pugnam educeret, ipso profectionis die, Aquila leni meatu, prout agmen incedebat, velut viæ dux præuolauit, & per lōgum spatium, nullo militum clamore armorumque concussione perterrita, iter ita continuauit, vt prosperum belli euentum hoc eius volatu sint omnes ominati. Suetonius denique in Domitiano simile quid narrat; quod ipso, quo contra Antonium dimicatum est die, statuam Domitiani Romæ insignis Aquila circumplexa sit, pennisque clāgores lætissimos ediderit, pauloq; post allatum nuntium, belli motorem occisum fuisse Antonium.

27. His omnibus affine est quod superiori sæculo Carolo V. Imperatori gloriosissimo ac inuictissimo contra Saxoniæ Ducem, aliosque Protestantes Principes Lutheranos, vt Solis prodigia missa faciam, accidisse memorat fide dignissimus Auctor Florimundus de ortu Hæres. libr. 3. capit. 16.

Et quidem ipso tempore, inquiens, *quo Catholicus exercitus prælij copiam, hæreticorum vero elabendi spatium quærebat, Aquila visa fuit, quæ Cæsarianum exercitum in gyrum circumuolitans lustrauit, tanquam victoriæ, quam Imperialis Aquilæ milites paulo post adepturi erant, prænuncia. Et Lupus è Sylua progressus in Hispanorum militum globum incidit, à quibus gladiorum ictibus subito confossus est*. Quæ omnia felicissima extiterunt omina celeberrimæ illius victoriæ, quam de Hæreticis infestissimis rapacissimisque Ouilis Ecclesiæ Lupis, Duce Saxoniæ, & Lantgrauio Hassiæ in captiuitatem redactis, Cæsar reportauit. Ex quibus omnibus facile colligere poterimus, quod si nobis etiam in supremo illo cum Tartareis hostibus conflictu horribili, extremoque salutis nostræ discrimine, Virginea hæc Aquila ad caput lectuli aduolauerit, nosque protectionis suæ alis circumplexa, obuallauerit, in spem certissimam venturos, quod de omnibus illis Orci atrocissimis hostibus gloriosissimum triumphum reportabimus, ouantesque in cælestem illud beatitatis sempiternæ Capitalium ingrediamur.

28. Expertus est Carolus B. Brigittæ Filius in mortis suæ discriminis plenissimo articulo Aquilæ huius præsentiam sibi certissimæ de Inferni Tenebrioribus victoriæ augurium, omenque sempiternæ indipiscendæ felicitatis extitisse. Ipsa enim Virgo benignissima pro infinita sua pietate, ac clementia Iuuenis huius lectulo adstare, eumque consolari, sanctas cogitationes suggerere, Dæmones ab eius conspectu depellere, cum his coram Filij sui tribunali disceptare, illiusque animæ tanquam Aduocata, ac Mediatrix fidelissima causam agere, ac demum manibus in suis in cælum deportare non est dedignata.

B. V. Carolo S. Brigittæ Filio moriēti adstitit, animamque eius in cælū deportauit.

Sic enim ipsa Deipara S. Brigittæ libr. 7. Reuel. capit. 13. totius mortis successum ac seriem sat prolixè enarrauit, ac mirificè rem totam illi ob oculos proposuit. *Ait igitur inprimis se ad instar obstetricis animam illam in ipsius ex hac vita exitu adiuuisse, nè velut infans ex fluxu sanguinis moreretur: Ego quippè*, inquit, *steti propè Filium tuum Carolum paulo ante quam emisit spiritum, vt carnalem amorem non ita in memoria haberet, quod propter eum, aliquid Deo contrarium cogitaret, vel loqueretur, nec aliqua Deo placentia omitteret. Neque illa, quæ possent esse quomodolibet Diuinæ voluntati contraria perficeret, ad suæ animæ nocumentum. Ego etiam taliter eum iuui in illo arcto spatio, id est, exitu animæ suæ à corpore, vt non tam duram pœnam in morte sustineret, vt ex ea inconstans fieri posset, aliquo modo desperando, & nè Dei in morte obliuisceretur.*

B. V narrat S. Brigittę obsequia Carolo eius Filio in morte exhibita.

Ego etiam ita animam eius à mortalibus ipsius inimicis, videlicet Dæmonibus custodiui, vt nullus eorum eam attingere posset, sed statim cùm egressa fuit è corpore,

B. V exeuntē de corpore animam Caroli à Dęmonibus custodiuit, ne eum vel tangerēt.

pore, accepi eam in meam custodiam ac defensionem. Quo facto tota Dæmonum turba festinanter profugit, ac recessit, qui ex sua malitia ipsam deglutire, atque æternum cruciare cupiebant.

Tandem eadem Virgo Beatissima prosequitur totum animæ illius iudicium, cui ipsa se, velut Aduocata, coram Filio interfuisse se fatetur, varia, eaque nequissima Dæmonum argumenta confutando. Cumque mali illi genij inuidiâ, malignitateque tabescentes, nimium quantum de protectione tutelaque animæ, ac corporis adolescentis illius à Deipara tam sedulo impensa lamentarentur, cumque ea impudentissimè expostularent, quod animam illam antequam quasi de ore hominis egrederetur, manibus suis appræhenderit, & in sua forti tutela ad tribunal Iudicis produxerit, Virgo suæ tutelæ fidelissimæ eam causam hiscè verbis reddidit: *Dum anima hæc erat in corpore, magnam ad me habuit charitatem, sæpius hoc in corde suo reuoluens, quod me DEVS suam Matrem facere sit dignatus, quodque super omnia creata me sublimiter exaltare voluerit. Quam ob causam tanto in DEVM amore ferri cœpit, vt corde suo identidem diceret: In tantum gaudeo quod DEVS Virginem Mariam Matrem suam super omnia charissimam elegerit, vt nulla creatura, vel corporalis delectatio in mundo reperiatur, quam ego in illius gaudij permutationem acciperem; imo gaudium illud omnibus terrenis delectationibus anteferrem. Et si possibile esset, vt ipsa in minimo puncto à dignitate, in qua est, à Deo remotior fieret, ego in huius detrimenti permutationem mihi magis eligerem, in Inferni profundo æternaliter cruciari. Et idcircò sit ipsi Deo, pro benedicta illa gratia immensaque quam dedit dignissimæ suæ Matri, gloria, infinita gratiarum actio, & laus sempiterna.*

Carolus à B. V contra Dæmones protectus ob insignem amorē quo ipsi de eius electione in Matrē Dei congratulabatur.

Carolus mallebat in Inferno cruciari, quam pati vt aliquid de B.V. gloria decederet.

Cùm verò rursus Dæmones instarent, expostularentque, quod omnes eos in agone, & separatione illius animæ à corpore abegerit, nec vllum terrorem illi incutere permiserit; Intulit Virgo sanctissima huius rei causam: *Hoc ego feci pro illa ardenti charitate, quam ipse erga corpus meum habuit, proque eo gaudio, quod sentiebat ex hoc, quod sim Mater Dei: Ideo eam gratiam impetraui à Filio meo, vt nullus malignus Spiritus ei appropinquaret.*

Cur B.V. Dæmones à morte Caroli abegerit?

Sic Dei Mater piissima.

Ex quibus tàm verbis, quam factis inferimus, Deiparam suis clientulis, qui eam sincere, fideliterque diligunt, deque eius gloria tam animi, quàm corporis, excellentissimisque eius priuilegijs congratulantur, laudumque eius præconia dilucidant, ac deprædicant, in extremo illo mortis discrimine, velut fulminatricem quandam Aquilam adfuturam, eosque tanquam pullos super alas suas portaturam, corporisque purissimi sui, velut clypei, murique inexpugnabilis aduersus inimicorum tela, oppositione, defensuram.

29. Quod vt nobis contingat, conandum summopere vt dum in hac vita degimus genuini eius pulli, probatique ad lumen solis euadamus; eiusque mores, vitamque quam diligentissimè æmulemur. Est enim Virgo Deipara Aquila illa, de qua Moyses in suo cantico Deut. 32. 10. modulatus est: *Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis: circumduxit eum, & docuit, & custodiuit, quasi pupillam oculi sui. Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Verè enim Aquila hæc Virginea inuenit dilectissimos suos clientes, velut pullos in in huius mundi deserto, virtutibus omnibus verè deserto, ac destituto, in loco verè vitiorum senticetis, tribulis, vepribusque horrido, ac squallenti, eosque per huius tam miserè vitæ spatia ipsa benignè circumducit, ipsa diuinam legem eos edocet, ipsa cælesti erudit sapientiâ, omnibusque virtutibus imbuit: ipsa tanquam pupillam oculi sui custodit, ne quempiam in tot hostium, tam animi, quàm corporis periculis amittat. Proinde sese velut Aquila eis proponit in exemplum, vt eius velocissimos ad alta virtutis cacumina volatus æmulantes, in æternumque illum iustitiæ solem obtutus defigentes, Domini gloriam speculentur. Ipsa super eos expandens alas suas, volitat, vt eos à Diuinæ vltionis, iræque iaculis, ac sagittis defendat, ac protegat. Ipsa eos assumit, portatque in alis, humerisque suis, vt contra Tartarei hostis tela sui ipsius, ceu clypei obiectu, eosdem obumbret, ac tueatur.

Hanc .n. ob causam, inter reliquas crediderim, eam à Spiritu Sancto obumbratam, vt ipsa deinde suos clientulos, alis suæ protectionis tegeret, atque obumbraret. Hinc præclarè pronunciauit Richar. à S. Laur. lib. 12. de laud. *In Maria velut horto condenso atque vmbroso inuenitur vmbra propitiationis. Ad hoc enim obumbrauit eam virtus Altissimi in Filij Conceptione, vt ipsa precibus suis, meritis, & exemplis obumbraret peccatores contra Diuinæ iracundiæ feruorem.*

Ideo B. Virginem Spiritus obumbrauit, vt ipsa p. ccibus suis contra diuinæ iracundiæ feruorem peccatores obumbraret.

30. Ne porrò quispiam exiguam alarum eius contra tam innumera infinitæ multitudinis hostium tela suspicetur esse protectionem, intelligat, illam esse non de communi genere aquilarum, sed Aquilam grandem, magnarum alarum, vt supra memorauimus, de genere inquam illo, de quo scribit Georgius Fabricius anno 1550.

Quam ingẽtes sint Aquilæ in Saxonia?

Ait enim inter Misniam, & Dresdam Germaniæ oppida inuentum esse Aquilæ nidum per tres quercus extensum, in eoque vitulorum, & ouium coria reperta, hinnulumque insuper recens allatum. Pullus harum Aquilarum, habebat alas, septem vlnas longas, cum per transuersum erant expansæ.

Vngues erant digitis viri magni æquales, crura Leonis maiora. Quod si credimus Vlyssi Altrouando in sua Ornothologia in Aethiopia Aquilas reperiri, tam magnas, ac fortes, vt bouem vel equum integrum pedibus abripiant; quid nobis de huius nostræ Aquilæ magnitudine, quid de eius alarum latitudine, ac protectione quæso cogitandum est? Dixisse sufficiat, Aquilam hanc pullum illum Diuinitatis, nempe Dei Filium genuisse, quo nil maius, nil immensius in creaturis omnibus reperitur. Qua consideratione motus B. Petrus Card. Dam. serm. 1. de Nat. B. V. merito exclamauit:

Virginea Aquila quã ingens sit, colligimus ex pullo Diuinitatis quem genuit.

Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ Diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphin, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi.

31. Ipsa denique eosdem suos clientulos, velut Aquila suos pullos in solis rotam oculos docet defigere, vt à rebus terrenis abstracti, diuinis contemplandis assuescant, suamque ingenuitatem comprobent. Atque ita reuera de hac Virginea nostra Aquila canere possumus, quod olim Claudianus Præf. in Tertium Consulat. Honorij Imperatoris:

Aquila suos pullos ad lucem solis probat.

Protinus implumes conuertit ad æthera nidos
Et recto flammas imperat ore pati.
Consulit ardentes radios, & luce magistrâ
Naturam, vires, ingeniumque probat.
Degeneres refugo tor sit qui lumine visus,
Vnguibus hunc sæuis, ira paterna ferit.
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Sustinuitque acie nobiliore diem.
Nutritur, volucrumque potens, & fulminis hæres
Gesturus summo tela trisulca Ioui.

Huc spectat id quod refert Aelianus apud Causinum Hierogl. lib. 6. cap. 12. de Aquilæ felle, quod Attico melle temperatum hebescentibus oculis illitum collyrium est præsentissimum, visumque efficit acutissimum. Vere enim fel Virginis, atque amaritudo, quam in passione ac morte Filij degustauit, si melle pietatis ac deuotionis in meditatione temperetur, mirificâ cælitus demissa luce intellectum nostrum illuminat, atque ita fit, vt Mariam, quæ amarum mare, ob mortem Filij extitit, efficacissimam Illuminatricem experiamur.

Fel Aquilæ cum melle Attico commixtum oculis est Collyrium.

32. Quæ cum ita se habeant, quisquis genuinus huius Aquilæ pullus esse cupit, securamque protectionem in huius mortalis vitæ periculis, extremoque mortis articulo sub eius alis experiri desiderat, ad contemplanda diuina mentis aciem intendat, à rebus terrenis affectum abstrahat, seque supra se, & super omne quod mortale attollat, eamque ad cælestia super omnes Angelorum Hierarchias volitantem, obtutumque in immensam illam, incomprænhensamque sempiterni solis Sphoeram defigentem, mente animoque subsequatur, fel illud amaritudinemque in passione acerbissima Filij degustatam ruminet; identidemque illud Dauidicum ingeminet:

Quid faciendum nobis vt genuini huius Virgineæ Aquilæ pulli euadamus?

Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, quin, & huius Virgineæ Aquilæ, *& volabo, & requiescam?* His pijs desiderijs, velut quibusdam alis, si quis animum suum à terre-

terrenis caducisque rebus, ad cæleſtes euexerit, agnoſcet hunc tanquam genuinum, generoſumque pullum hæc cæleſtis Aquila, eumque alis ſuis impoſitum in montes illos æternæ felicitatis transferet, longèque euadet beatior, quam magnus ille Pythagoras, qui quod Aquilam candidam ſe ſinu ſuo excepiſſe ſomniarat, arbitrabatur ſimul, ſe in Diuinum quendam hominem transformatum arcana quædam ac ſublimia, omnem humanæ mentis captum excedentia didiciſſe.

Verè enim ſi hæc Aquila Diuiniſſima, candore rariſſimæ puritatis, ac ſanctimoniæ ſingularis, alis ſuis nos foueat, ſinuque ſuo complectatur, deque plenitudine gratiæ ſuæ nobiſcum, pro ingenita ſibi pietate, ac liberalitate communicet, nos diuinæ conſortes efficiet naturæ, nobiſque ſapientiæ ſuæ reconditos reuelando theſauros, ita erudiet, vt cum Dauide ei canere poſſimus:

Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi; tandemque in Deos quoſdam, admirabili metamorphoſi tranſmutabit.





DISCVRSVS XXI.

Cælestem Sagittam esse Virginem Deiparam.

1.

SAgitta illa, quæ inter cæleſtes conſtellationes viſitur, fertur à nonnullis telum eſſe Herculis, quo Aquilam ſeu Vulturem Promethei ad Caucaſum alligati iecur, viſceraque corrodentem transfixit, eumque à tam horribili ſupplicio vindicauit. Nos Aquilam illam ſiue vulturem iure merito malam conſciẽtiam eſſe dicimus. Sagittam verò hanc cæleſtem, Deiparam glorioſiſſimam, quæ pro immensâ illa ſua pietate, ac miſericordia, qua ferri in peccatores conſueuit, dum eos ad pœnitentiam ſuis precibus, patrocinijſque conuertit. vitricem illam atrociſſimam ſcelerum, carnificemque conſcientiam videtur interficere, eoſque priſtinæ reſtituere libertati.

Vultur ſiue Aquila Promethei iecur dilanians eſt mala Conſcientia.

2. Verè vultur ſiue Aquila quędam rapaciſſima, ac voraciſſima dies, noctesque interiora hominis corrodens vellicansque eſt mala conſcientia. Audiendus hic Macrobius libro 1. de ſomnio Scipion. cap. 10. *Vulturem*, inquit ille, *iecur immortale rodentem nihil aliud intelligi voluerunt ſapientes, videlicet Poetæ, quàm tormenta malæ conſcientiæ, obnoxia flagitio, viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſa admiſſi ſceleris admonitione lanıantis, ſemperque curas, ſi requieſcere fortè tentarint excitantis, tanquam fibris renaſcentibus inhærendo, nec vlla ſibi miseratione parcentis lege hac, qua ſe iudice nemo nocens abſoluitur, nec de ſe ſuam poteſt vitare ſententiam*. Quam ob cauſam præclarè Salomon Sap. 17. 10 malam conſcientiam ſæuam ad inſtar crudelis tortoris appellauit: *Cum ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia*.

Conſcientia mala ſæuus Tortor.

Hinc Aegyptij dum palpabilium plagâ percuſſi erant tenebrarum, ſcelerum commiſſorum remordente conſciẽtia, omnia pauebant, & horrebant, ſiue ſonum auium, ſiue mugitum beſtiarum, ſiue ſtrepitum arborum, ſiue fragorem aquarum, lapidum, aut montium audirent, putabant omnia huiuſmodi in proprium illorum interitum coniuraſſe. Vnde de loco, in quo iacebant, velut quadam catena conſtricti ſe mouere non audebant. *Vnâ enim catena*, inquit Sapiens, *tenebrarum omnes erant colligati, ſiue Spiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis, aut vis aquę decurrentis nimium: aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inuiſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis Echo, deficientes faciebat eos, præ timore*.

Malæ conſcientiæ omnia ſunt ſuſpecta.

Scitè ſæuientem conſcientiam deſcripſit M. Tullius in Piſonem: *Sua*, inquiens, *quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia, de ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces*.

Mala conſcientia eſt quædam Infernalis Furia.

3. Similia habet pro Roſcio Amerino; *Nolite*, inquiens, *putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero videtis, eos qui aliquid impiè, ſceleratèque commiſerint, agitari, & perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impijs aſſiduę, domeſticæque furiæ, quę dies noctesque parentum pœnas à ſceleratiſſimis filijs repetunt*.

Malæ conſcientiæ pœnæ.

De eadem conſcientia idem cùm in Antonium quadam in Philippica inueheretur: *Te*, inquit, *miſeriæ, te ærumnæ premunt omnes, qui te beatum, te florentem putas, tuæ libidines te torquent, tu dies noctesque cruciaris, te conſcientia cruciat, maleficiorum*

ciorum tuorum, te metus exanimat iudiciorũ, atque legum, quocumque aspexisti, aut Furiæ sic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te respirare non sinunt. Audiamus denique de his conscientiæ cruciatibus Tacitum libro 9. Ann. *Quorum corda si recludantur, si inspici valeant laniatus, & ictus, quando, vt corpora verberibus, ita sęuitia libidine, malis consultis animus dilaceratur*.

4. Hinc idem Sapiens sup. citatus Aegyptios igne, inter illas densissimas tenebras subindè ad instar fulguris intermicante, varijs fuisse territos Laruis, ac spectris, ceu furijs, eisdemque vix non exanimatos attestatur v.6. *Apparebat autem illis*, inquit, *subitaneus ignis, timore plenus, & timore perculsi illius quam non videbant faciei, æstimabant deteriora esse, quę videbantur*.

Peccatum triceps Cerberus.

5. Hanc ob causam non nemo scitè pronunciauit, Cerberum illum tricipitem, esse peccatum, quod DEVM in primis, animam, corpusque lædit, ac mordet, suisque crudelissimis latratibus inquietat. Hinc Gen.4. Dominus ad Cain fratricidam ait: *Nonne si benè egeris recipies, si autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* insinuare volens peccatum præ foribus conscientiæ mox vt commissum fuit excubare, horrendisque latratibus animam conturbare. Verè enim Poeta ille pronunciauit: *Noxa caput sequitur*: Et Horat. libro 3. Carm. Ode 3.

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Mala conscientia sęuus Carnifex, ac tortor.

Alter quidam sæuum Carnificem malam censuit esse conscientiam:

Nocte dieque tuum gestas in pectore testem,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Quàm præclarè Lucanus lib. 1. de Cæsare sibi malè conscio, ob tot perpetrata flagitia:

Inuigilant animo, scelerisque patrati
Supplicium exercent curæ, tunc plurima versat
Pessimus in dubijs augur timor.

Hinc Euripedes Orestem tot malis afflictum, furijsque exagitatum cernens, causamque inquirens:

O' miser Oresta quid morbi te perdit?

Orestis animi angor ob interfectam Matrem.

sic respondentem introducit:

Conscientia. sum enim mihi cõscius de malis perpetratis; de ociosa videlicet Matre Clytemnestra.

6. Sæuissimum carnificem malam esse conscientiam animi interiora ad instar vulturis assiduè corrodentem intellexit Seneca Philosophus Epist.97. cùm dixit: *Facinorum mala flagellantur à conscientia, cui plurimum tormentorum est, eo quod perpetua illam solicitudo vrget, ac verberat, quod sponsoribus suæ securitatis non potest credere*. Hinc Alexander Macedo cum Clytum sibi charissimum, ac fidelissimum temulentus occidisset, mox conscientiâ sceleris furens, sibi violentas manus inferre voluit, ni à suis esset prohibitus, vt idem testatur Sen. Epist. 83. Nero quoque Imperator, auctore Dione, matre per summum nefas trucidata, aiebat se specie maternâ exagitari, verberibus furiarum, tædisque ardentibus, nulloque loco tutum posse consistere. Idem sent. Epis.27. *Bona conscientia prodire vult, & conspici mala ipsas nequitiæ tenebras timet. Prima, & maxima peccantium pœna est, peccasse, nec vllum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Proprium nocentium est trepidare*. Sic ille. Agnouit, & Plutar. lib. de tranquillitate animi: *Facinorosa conscientia in anima instar est vlceris in corpore, vtpotè, quę pœnitentiam lancinantem relinquat iugiter peruellentemque animam*.

Alexander M. ob Clytũ interfectum sibi violẽtas manus inferre voluit.

Mala conscientiæ est instar vlceris.

Idem de sera Num. vindicta: *Malitia coniunctum, assiduoque ipsam torquentem, ac affligentem gestat dolorem. Quemadmodum flagitiosus quisque vltimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem, ita improbitas ex seipsa supplicium sibi struit*. Sic ille.

7. Iam sanctorum Patrum, missis profanis, sacra testimonia videamus. Agnouit conscientiæ malæ carnificinam S. Basilius Magnus apud Anton. in Melissa Par. 1. serm. 16. *Sicut vmbræ corpora*, inquit ille, *sic peccata sequuntur animas, & manifestas facinorum repręsentat Imagines*. Agnouit Isidorus libr. 2. Soliloqu. *Nulla pœna grauior est pœna conscientię. vis autem nunquam esse tristis? benè viue. Secura mens tristitiam leuiter sustinet. Bona vita gaudium semper habet. Conscientia autem rei semper in pœna est. Nunquam securus est reus animus. mens enim mala conscientiæ proprijs giratur stimulis*.

Nulla pœna grauior pœna conscientiæ.

Agnouit S. Ioannes Chrysos. qui aptissima similitudine rem hanc ob oculos proponens Hom. 22. de Nequit. rep. *sicut, qui carcerem habitant, capitis damnationem operientes, & mortem, etiamsi delicijs abundè fruantur, vitam agunt maximè molestam, & anxiam; sic qui improba conscientia molestatur*. Idem Homel. 1. de Lazaro

Diui-

Diuitis epulonis conscientiæ lanienā, acerbissimosque animi tumultus graphicè descripsit: *Explica mihi,* inquiens, *istius conscientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, ingem metum, tempestatem, turbationem. Videbis velut in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse Regalem, & tanquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes, loco carnificum, adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraque conscientiæ radentem vngulis, pro commissis vehementer inclamantem, cum nemo sciat, nisi quod solus DEVS hæc videre nouerit.*

Mala conscientia seuus Iudex.

Etenim, qui committit adulterium etiamsi millies fuerit diues, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare, & voluptas quidem breuis, dolor verò perpetuus. Timor vndique ac tremor, suspicio, & anxietas; angulos metuit, vmbras ipsas formidat, suos ipsius famulos conscios, inscios, illam ipsam, quam corrupit, & virum, quem affecit contumelia. Obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam cum sit suo ipsius iudicio damnatus, nec vel ad breue tempus possit respirare. Idem patiuntur, & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt, hoc & ebriosi, & summa quotquot in peccatis viuunt. Similia habet S. Cyrillus in Ioan. cap. 32. *Magna certè quædam res est conscientiæ stimulus, qui quando perperam aliquid agimus etiam nullo præsente ingenti nos metu exagitat.*

Mala conscientia vmbras ipsas formidat.

Agnouit conscientiam malam sæuissimum esse carnificem S. August. in Psal. 45. *Inter omnes humanæ animæ tribulationes, nulla est maior tribulatio, quam conscientia delictorum.* Et in Psalm. 36. *Quisquis,* ait, *malus est male secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est; ipse enim est pœna sua, quem torquet conscientia sua: Fugiat ab inimico quo potuerit, à se quo fugiet?*

Audiamus S. Ambrosium libr. 1. de offic. cap. 12. *Peccator quamuis foris abundet, & delicijs affluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit. Vita facinorosi, vt somnium aperuit oculos, transiuit requies eius, euanuit delectatio, licet ipsa, quæ videtur, etiam dum viuunt impiorum requies in Inferno sit: viuentes enim in Inferna descendunt. Vides conuiuium peccatoris? interroga conscientiam eius, nonnè grauius fætet, omnibus sepulchris? Intuearis lętitiam eius, opum abūdantiam? introspice vlcera, & vibices animæ eius, cordisque mæstitudinem?* Et alibi idem S. Pater hæc habet: *Nihil est, quod tam summo dolori sit, quam si vnusquisque positus sub captiuitate peccati, recordetur vnde lapsus sit. Ita grauis est culpa conscientiæ, vt sine iudice se puniat, & velare se cupiat, & tamen apud DEVM nuda sit.* Hunc denique malæ conscientiæ cruciatum torturamque acerbissimam, metum, angoremque molestissimum omnium optimè descripsit S. Iob cap. 15. num. 11. *Sonitus terroris,* inquiens, *semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium quo, velut à carnifice, iam iam feriatur.*

Peccator etiam in summis delicijs viuit in amaritudine animæ.

Conscientia peccatoris grauius omnibus sepulchris fœtet.

Salomon quoque eundem impij timorem expressit. *Fugit impius, nemine persequente.* Prou. 28.

8. Horribilem igitur timorem hūc animique cruciatum, lancinationem, ac carnificinam, velut vulturem, Aquilamque rapacissimam, vbi primum piētissima Virgo peccatorem tanquam pia Mater ad scelerum detestationē, amoremque Filij conuertit, ad instar Sagittæ electæ transfigit, pristinæque ceu nouum Prometheum restituit tranquillitati, atque libertati. Quare sapienter peccatores omnes conscientiæ turbinibus furijsque agitatos monet S. Bernardus Hom. 2. super Missus, vt sydeream hanc sagittam aspiciant, eamque inuocent, quoad mactandam conficiendamque hanc sæuum perturbatæ conscientiæ Vulturem, quam primum aduolet: *Ne auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientię fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, Barathro incipias absorberi tristitię, desperationis Abysso, Mariam cogita. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde.*

M. velut syderea sagitta in turbinibus ac tempestatibus conscientiæ aspicienda.

9. Quare iure merito peccator quisque sydeream hanc sagittam, salutem suam, vti Prometheus potest appellare, cum hastæ illi Peliæ persimilis videatur, de qua canit Poeta:

Pelias hasta salus, vulnus opemque tulit.

Iure etiam illi concinere potest cum Seraphico Bonau. Psalm. 118. *Tu salus mea in Domino, quia me morti adiudicatum liberasti. Quid pro his retribuam tibi, nisi me totum? Domina suscipe me. Tuus totus ego sum Domina, saluum me fac, quoniam desiderabilis sunt mihi laudes tuę, in tempore peregrinationis meę.*

10. Sydeream hanc sagittam respexit famosissimus ille Theophilus, cum

cum sæuo conscientiæ Vulturæ lancinatus, à tam immani cruciatu ope Virginis liberari desiderabat. Sic enim Eutychianus ipsius secretorum conscius, qui eiusdem vitam conscripsit, eum ad Deiparam in tantis angustijs post apostasiam constitutum, loquentem introducit: *Hei mihi quid feci? Hei mihi quid faciam? quo ibo? Hei mihi quid respondebo Deo in die iudicij? quem rogabo? quem in illa afflictione inuocabo? Hei mihi misera, & abiecta anima, quomodo abiecta fuisti in captiuitatem? Quonam fuisti obruta naufragio? Ad quem portum confugies? Ad quodnam te conferes refugium? Vadam ad Matrem eius sanctissimam Mariam.* (ecce sydeream sagittam sæuum consciétię Vulturem conficientem, pristinamque animi tranquillitatem peccatori reddentem) *ad eam accedo ex tota anima mea, ex toto corde meo, & assiduè fundam preces, & ieiunabo in venerando eius Templo, donec per eam inuenero misericordiam in futuro iudicio. Sed quibusnam labris bonitatem eius placabo? nescio. Quodnam principium meæ confessionis inueniam? Quo corde, aut qua conscientia fretus impiam conabor mouere linguam, & labra plena sordibus? quomodo de peccatis meis audebo petere remissionem? Timeo enim ne ignis de cælo statim ad me descendat, meque miserum comburat. Attamē anima mea ab hac, quæ te tenet vertigine, resipisce, & accede ad Matrem Christi, & pudore non afficieris.* Et vero pudore minimè affectus fuit. Vbi enim syderea hæc sagitta crudelē illum conscientiæ sæuientis vulturem perdidit, ei sereno, hilarique vultu, lætisque oculis post 40. dierum actam pœnitentiam, apostasiamq; detestatam, sic benignissime ab eodem Eutychiano cui ipse totius rei seriem tanquam fideli amico recensuerat locuta fuisse memoratur: *Homo Dei sufficit tibi pænitentia, quam coram Filio meo ostendisti. Suscepit enim Dominus lacrymas tuas, & preces propter me, si conseruaueris in corde tuo rectam fidem in Christum meum Filium vsque ad diem mortis.*

11. Expertus est Deiparam Sydeream esse Sagittam excarnificantem conscientiæ Vulturem conficientem fędus ille peccator, de quo Pelbartus libr. 2. Stell. Par. 3. art. 2. cap. 3. meminit his fere verbis: *Cum quidam deuotus esset B. Virgini. & multa enormia commisisset crimina, Ecclesiamque vice quadam esset ingressus, visaque Beatæ Dei Matris effigie dixisset: O' Domina si te inuocarem, inuanum laborarē, quia, cum sim peccator maximus, scio quod non exaudies, sed me contemnes: Me enim quasi damnatum reputo, nec per te me posse adiuuari. Cumque se auertisisset, exiretque desperatus ex Templo, mox illum benedicta Virgo misericordiæ Mater ita allocuta est benignissimè: Confide in me, quia etiamsi in profundo Inferni esses damnatus in æternum, possem tui misereri, indeque te eripere. Nil enim est quod mihi Filius denegare possit. Quibus verbis ille confortatus, atque exhilaratus de peccatis suis veniam petijt, sanctèque in posterum viuens deuotius Virgini deseruiuit.* Concludit tandem Pelbartus: *O' igitur fidelis anima aduerte quantum DEVS B. Virginē diligat, quantum eius oratio apud DEVM valeat, & super omnes sanctos eam in patronam tibi dilige, vt tibi in tuis necessitatibus valeat suffragari.* Ex quibus omnibus facile intelligimus Virginem cælestem esse sagittam illam, quæ Vulturem lancinantem hominum peccatorum conscientiam conficit, pacemque ac tranquillitatem animis restituit.

12. Neque verò sagitta tantum sęuam carnificemque cōscientiam è medio tollens Deipara appellanda est, verumetiam sagitta Diuini amoris, qua DEVS, qui increatus amor, ac charitas est, cor nostrum transfigere consueuit, vt nos penitus ad se trahat rapiatque, vocitanda est. Sic enim Helena illa, Græcorum tàm historijs, quàm fabulis ob formæ elegantiam celeberrima, quod Paridis cor amore sauciatura esset, à Cassandra vate fatidica sagitta cælestis appellata est. Vnde ipse Paris amoris sui insani æstus Helenæ aperiēs apud Ouid. Epist. 15 ita lamentatur. Helena cælestis sagitta à Cassandra vate appellata.

Non mea sunt summâ leuiter districta sagittâ
Pectora, descendit vulnus in ossa meum.
Hoc mihi nunc recolo fore, vt a cæleste Sagitta
Figar; erat verax vaticinata soror.

13. Virgo igitur nostra amoris Diuini potentissima sagitta est, qua semel cor nostrum sauciatum, in DEVM rapitur, eiusque dominio subijcitur. B. V. Amoris Diuini potētissima est sagitta.

Quemadmodum enim illa, eo quod tota Diuini amoris, quo sauciata est, sit possessio, *Vulneratæ charitatis esse perhibetur;* sic sanè anima sydereo hoc, Virgineoque telo confixa, vulneratæ huius charitatis possessio appellari potest. Vnde Origenes Hom. 3. in Cant. explicans illud Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis.* Secundum 70. Interp. versionem, B. V. Vulneratę Charitatis possessio dicitur, & quare. Anima telo Virgineæ Charitatis sauciata, sit eius possessio.

sionem, qui sic vertere: *Confirmate me in vnguentis, stipate me in malis, quia vulneratæ charitatis ego sum*, sic loquitur: *Si quis vsquam est, qui fideli hoc amore Verbi Dei arsit aliquando, si quis est, qui electi iaculi eius dulce vulnus plagamq; accepit, si quis est, qui sciētiæ eius amabili cōfixus est telo, ita vt diurnis eū desiderijs, nocturnisq; suspiret, aliud quid loqui non possit, audire aliud nolit, cogitare aliud nesciat, desiderare præter ipsum aut cupere aliud vel sperare non libeat, ista anima merito dixit.*

Vulneratæ charitatis ego sum, & ab illo vulnus accepi de quo dicit Isaias 49. Et posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me. Tali vulnere decet DEVM percutere animas, talibus iaculis, telisque configere, ac salutaribus eas vulneribus sauciare, vt quia DEVS charitas dicat, & ipse: Quia vulneratæ charitatis ego sum: Et quidem in hoc amatorio Dramate sponsa dicit Charitatis se vulnera suscepisse. Potest autem feruens anima erga sapientiam Dei dicere: Quia vulneratæ sapientiæ ego sum, illa scilicet, quę sapientiæ eius pulchritudinem potuit intueri.

Sponsa cum se dicit esse vulneratæ charitatis, ostendit se esse Dei, qui Charitas est.

Potest, & alia virtutis eius magnificentiam contuens, & admirata potentiam verbi Dei dicere: Quia vulneratę virtutis ego sum.

Talis erat, quæ dicebat: Dominus illuminatio mea, & salus mea. Alia erga amorem iustitiæ feruens dicere potest: Vulneratæ iustitię ego sum. Alia bonitatis ac pietatis immensitatem respiciens dicere potest similia. Hęc Dei iacula animę habenti bonorum desiderium amoris vulnus infligunt. Sic ille.

14. Ex quibus colligere possumus illum, qui sagitta hac Virginea sauciari meruit, non solùm possessionem ipsius Deiparæ euadere, verumetiam in illam amoris vi transformari, sicut & ipsa vulnerata telo charitatis, ipsius increatæ charitatis possessio facta, in eandem mirabili metamorphosi trāsmutata est. Vnde illam in persona spōsæ celestis ipse sponsus *charitatem* ipsam sæpius in Canticis, Nysseno, & Halgrino teste, appellare non dubitauit.

B.V. dici potest ipsa Charitas.

Hinc anima, castissimo amoris Virginei telo sauciata dicere potest cū sponsa Cant. 2. iuxta 70. Interp. *Vulnerata sum charitatis, seu charitate*; seu vt legere alij: *Occisa vel mortua sum charitate*.

Quasi dicat: amore Deiparæ velut sagittâ, adeo vehementer perfossum est cor meum, vt amore mihi moriendum, & in illam eiusque Filium transeundum sit, vt viuam. O' *vulnus verè, quod ad veram salutem rapit*, ait S. Augustinus in Psalm. 37. Non est amor hic de quo canebat Anacreon:

Per amorem carnalem homines pereunt.

Quod maximum malorum est,
Quicumque amamus, omnes
Per hoc perimus vnum.

Per Virgineum enim hunc amorem tātum abest vt pereamus, vt per illum saluemur, & æternum quidem, felicitatemque illam nullis sæculis terminandam nanciscamur. Quis tali sagittâ vulnerari non expectat? O' *moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea eorum similia*, vt ita mortuus viuam Christo, eiusque Matri. Quare ex Diui Ambrosij consilio in Psal. 118. ser. 5. *Nudemus membra nostra bono vulneri, nudemus sagittę electę. Bonum est vulnerari hac sagitta. Audiamus, & Adamantium Originem: Quam pulchrum est, & quam decorum à charitate vulnus accipere. Alius iaculum carnei amoris excepit, alius terrena cupidine vulneratus est. Tu nuda membra, & præbe te iaculo electo, iaculo formoso*; Siquidem DEVS sagittarius est.

Pulchrum, & decorum est à Diuina charitate vulnus accipere.

15. Porrò iaculum hoc electum ac formosum Virginis nostræ, quo mortalium corda amore suo castissimo felicissimè sauciat, dixerim ego potissimùm eximiam illam, Diuinamque tam internam animi, quàm externam corporis eius esse pulchritudinem.

Quare quod de reliquarum mulierum forma dixit idem Anacreon, idem planè, sed longè diuiniori affectu dicere possumus de hac Virginea Deiparæ sacratissimæ specie. Sic enim ille:

Tauro ferire cornu,
Equo ferire calce,
Lepri valere cursu,
Natura dat. Leoni
Dentes hiante rictu:
Pisces docet natare,
Aues docet volare.
Prudentiam viris dat;
At fœminis nequiuit.
Quid ergo donat illis?
Decoram habere formam,
Pro paruulisque cunctis,
Pro lanceisque cunctis,
Quin flamma cedat illi,
Ferrumque si qua pulchra.

Natura mulieribus dedit pro lāces reliquisque armis venustatem ac formam.

Verè enim purissima ac Diuinissima Virginis nostræ venustas est Parma, est lancea, sagitta denique est, atque admirabilis quædam Panoplia, cui flamma, cui ferrum cedat necesse est.

B.V. forma est lancea ac sagitta casto cor sauciens.

Adeò vt cum eodem Poeta dicere possimus de Virgine intemerata, quod ille de turpissimo Cupidine:

Iacit

Si adeo sacra profanis miscere licet.

Iacit se in me velut sagittam,
Et penetrans in cor vsque
Medium, resoluit artus.
Me non eques pedesué,
Non perdidere naues,
Aliud nouum sed Agmen
Dominæ insidens ocellis.
Et inde tela mittens.

Licet B.V. tota sit sagitta corda hominum castè saucians, oculi tamen eius vel maximè.

Licet enim tota Virgo nostra illibata, cælesti sua pulchritudine iaculum quoddam sit, ac sagitta potentissima, oculi tamen illi, per quos dona gratiarum Spiritus Sancti ad instar columbarum, vt ait Rupertus Abbas, promicabant, sunt vel maxime. hi nimirum mortalium corda casta sauciare, hi ad sese rapere, ac felicissimè captiuare consueuerunt.

16. Et vero quis hac eius pulchritudine ad Diuinam proximè accedente non rapiatur, non felicissimè captiuetur? Audiamus seu potius videamus illam à B. Georgio Nicomed. Archiep. Orat. de Præsent. eleganter adumbratam: *Hæc est,* inquit ille, *quæ à dextris Dei adstitit Regina, quæ propè illi est pulchritudine, ac splendore, quæ est speciosa Natura, & nullam suo libero arbitrio suscipit maculam. Quæ ascendit de Libano Virginitatis, & mundum perfudit vnguento, ex qua dulcedo diffluens veterem ligni amaritudinem dulcem reddidit; cuius super mel labra extiterunt dulcia, & ex lingua eius, tanquam ex fonte manauit lætitia. Cuius vestes vnguento delibutæ, bonum, super omnia terræ aromata, odorem emiserunt. Huius sponsæ pulchritudo est incomparabilis, gloria ineffabilis, cuius oculorum lux solis radios exsuperat.* Quis tam diuina pulchritudine illa non absorbeatur, quam S. Augustinus, *Formam Dei* appellare non dubitauit? Quam S. Andreas Cretensis Epis. orat. 2. de Dormit. velut præsentem intuens pronunciauit? *Hæc est eximia pulchritudo, à Deo sculpta statua, rectè descripta Diuini Architypi Imago.* Quam denique idem Nicomediensis Antistes suspiciens, ac venerans stupore attonitus exclamauit: *O' pulcherrima rerum omnium Pulchritudo, ò Dei Mater pulchrorum omnium summum ornamentum!*

Descriptio Pulchritudinis Deiparæ.

Dulcedo B. V. veterem ligni amaritudinem dulcem reddidit.

Lux oculorũ B. Virginis solis radios vincit.

B.V. pulcherrima rerum omniũ Pulchritudo, & pulchrorum omnium summum ornamentum.

17. Sagitta igitur amoris acutissima est Virgo nostra purissima, sicut, & Sponsus, cuius charitate iam se vulneratam supra fatebatur Sagitta, inquam, est Virgo, ac præsertim ipsius oculi vti diximus per quos, quasi per fenestras, interna animi pulchritudo emicabat. Bellè S. August. in Ps. 41. Oculi membra carnis sunt & fenestra mentis. Et M. Tullius lib. 3. de orat. Imago animi vultus est, indices autem oculi. Hinc Ouid. Epis. 19. de formosa illa Cydippe:

Oculi fenestræ mentis, & indices.

Tu facis hoc, oculique tui quibus ignea cedũt
Sydera, qui flammæ causa fuere meæ.

Hinc Propertius de sua Cynthia:

Cynthia prima suis miserum mè cepit ocellis.

Hinc Theocritus Idyl. 18. Helenæ oculos radios quasi vibrasse, & quasdam sagittas amoris eiaculatos asserit. Hinc Iacobus de Vitriaco Card. Sanctimonialem quandam pulchritudine oculorum ita vulnerasse cor Principis cuiusdam, eumque dementasse, vt eam habere omnino vellet. Quæ pudicitiam magis diligens, quàm oculos proprios, eos sibi euulsit, misitque Principi: *Ecce,* inquiens, *sagittæ quæ cor tuum sauciarunt* Idem fecisse aliam quandam Virginem narrat Sophron. in Prato c. 60. Idem S. Luciam fecisse scribit Sabellicus lib. 4. Exemp. capit. 8. Simile tam Heroicum facinus aliam quandam Luciam Ordinis Diui Dominici perpetrasse scribit Hyacinthus Choquetius.

Helenæ oculi radios quasi euibrabant.

Sanctimonialis quædam oculos sibi eruit eosque amasio misit.

18. Quapropter Sponsus Virginis oculos sagittas esse intelligens dulciter querebatur: *Vulnerasti cor meum Soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cant. 4: 9. Seu vt legere 70. Interp. ἐκαρδίωσας: *Excordasti.* hoc est, vt interpretatur Vatablus: *Abstulisti mihi cor.* carnale videlicet, & indit cor spirituale ad DEVM ipsamque amandam. R. Dauid; *Transfixisti mihi cor.* Arabicus; *Inflammasti cor.* Complut. *Superfecisti me.* Alij: *Incordiasti me.* id est, in corde me sauciasti. Vulnus autem cordis, est summi doloris ac plane mortiferum; Atque ita amor efficit, vt anima in corpore amantis quasi moriatur, viuatque in amati corpore. S. Greg. Nyssenus ait *Incordiasti esse idem quod cor mihi eripuisti, & in corde tuo inclusisti ac captiuasti.* Vnde S. Ambr. in Ps. 115. serm. 12. vertit: *Corde nos cepisti.* Et serm. 16. *Cor meum cepisti.* Idem Nyssenus Hom. 8. *Cor indidisti mihi. Fateor,* inquit, *mihi cor inditum ad imitandum te.* Seu vt alij; Cor tuum mihi inseruisti, vt illud in me operetur quod tibi collibitum est.

Vulnus cordis est summi doloris ac plane mortiferum.

B.V. sua pulchritudine nobis cor indit ad eã imitandam.

19. Atque ita dum se sponsæ oculis sponsus vulneratum, corque suum transfixum, ablatum, stupefactum, inflammatum, captum esse fatetur, simul insinuat eosdem illos pulcherrimos sponsæ oculos non modo potentissimas sagittas esse, verumetiam latrunculos, cor suffurantes, philtrum, idem cor, mentemque stupefacientes, ignem, flammasque cor incendentes ac liquefacientes, iucundissimum quendam demum carcerem idem cor captiuantes. Hinc S. Bonauent. ad Virginem Med. in Salue Reg. potentiam eius oculorum expressit: *Mirabiles, nec non amabiles*, inquit, *sunt illi tuorum radij oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam conducis salutem, venenatos oculos Infernalis eruis Basilisci. O' Euæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam? nam ipsius claritas oculorum tenebras expellit, effugat cateruas Dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata accendit, & demùm ad cælestia pertrahit. O' quam beati sunt, ò Domina, quos tui viderint oculi!*

B.V. oculi quidam latrunculi cor homini suffurantes.

Beati illi quos oculi beatæ Virginis aspexerint.

20. Eosdem porro Virginis oculos latrunculos quosdam esse fatetur dum ait: *O' dulcis Domina, cuius sola memoria affectum dulcorat, cuius pulchritudo oculum interiorem exhilarat. O' Domina quæ rapis corda dulcedine! Nonnè Domina cor meum rapuisti? Et vbi quæso posuisti illud, vt ipsum valeam inuenire? Nunquid in sinu tuo, ne inueniam collocasti? Nunquid inter vbera tua illud posuisti? Fortasse ibi posuisti illud, vt frigidum ibi calefiat. O' Raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? Quare corda simplicium rapis? Quare violentiam facis tuis amicis?*

B.V. sua dulcedine hominum corda rapit.

B.V. Raptrix cordium.

21. De his oculis, quibus hominum corda rapiuntur, Pelbartus libr. 6. stell. Part. 1. cap. 3. art. 3. ex Epiphanio: *Oculi eius erant pulchri, & clarè lucentes, aspectu delectabiles, visus mitis, & benignus, & humilis, & mansuetus, pupilla oculorum nigra, & valdè lucida.* Sensit horum oculorum, pulchritudinisque Virgineæ vim, ac exergiam Iuuenis ille, de quo idem Pelbartus, qui cum Deiparæ venustatem contemplari tam manè, quam vesperi in dies singulos, summopere desideraret, eamque pijssimo affectu Angelicâ salutatione veneraretur, die quodam cum ardentius eam salutaret, ecce tibi adest illi Virgo ingenti luce circumfusa: *Desiderasnè*, inquiens, *meam pulchritudinem videre?* Cui ille venerabundus: *O' Virgo benedicta quamuis indignus sim, tamen toto corde desidero*. Mox sub intulit Virgo: *Aspice decorem meum, eiusque qui decorauit me*. Qua visa exclamat adolescens: *O' Domina si à tua pulchritudine separabor, nunquam imposterum consolari potero*. Vix hæc protulerat, cùm ecce cor eius ardore nimio amorisque vehementia dulcedineque Spiritus, discinditur, animaque soluta corpore à beatissimis Spiritibus, comitante Virgine gloriosissimâ in cælum deportatur. Quis iam pulchritudinem Virgineam castissimum neget esse iaculum, quo corda feliciter sauciata, felicissimè emoriantur? Quam apte simul ac piè de Virginea hac Pulchritudine subnectit Pelbartus; *Ex his aduerte ò anima deuota, quàm pulcherrima, quàm gratiosissima sit Maria Mater Domini IESV. O' quàm felices, qui eam facie ad faciem intuentur! O' quàm infelices sunt qui eius visionem per peccatum amittunt! Verè enim, vt ait Anselmus, pulchra est Maria ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad videndum; Summa enim lętitia post DEVM est eam intueri, & in eius laudibus delectari. O' igitur ter beati omnes sancti in cælo, beati quidem pro visione Diuinitatis, beati pro visione humanitatis Christi, in quem desiderant Angeli prospicere: Et verè denique beati pro visione Mariæ, cuius pulchritudinem Sol, & Luna, & omnes creaturæ, sanctique admirantur, & laudant assiduè concinentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Hæc ille.

Pulchritudo oculorum B. Virginis.

Iuuenis quidam pulchritudine B. V. conspecta, per amore moritur.

Quam felices qui B.V. intuentur.

Beatorũ pars aliqua beatitudinis videre Matrem Dei.

22. Agnouit pulchritudinem eorundem Virginis oculorum, sicut, & sponsi mutuas esse sagittas vicissim ipsorum corda suauiter sauciantes Ioannes Gerson. Cancell. Paris. Tract. 3. super Magn. verba illa enucleans Deiparæ: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Oculus*, inquit ille, *vulnerans sponsum, oculus est amoris, quo nullus acutior, nullus penetrabilior, nullus ad intimi cordis vulnerationem efficacior dici potest.* Vnde Sponsus: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum. Non aliter sponsa de oculo sponsi. Quia respectus amorosus sponsi sauciat sponsam ita, vt exclamet: Vulnerata charitate ego, & amore langueo. Hoc est præcipuum tam in sponso, quam in sponsa membrum. Vnde sponsus cum laudaret sponsæ pulchritudinem dicit: Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra! Mox subiunxit: Oculi tui columbarum. Et quid per columbam intel-*

Oculum vulnerans Spõsum, oculus est amoris, quo nullus acutior.

intelligis, nisi amorem simplicem? In columba enim Spiritus, cui appropriatur amor, sæpius apparuit. Sic sponsa insinuans pulchritudinem dilecti, eamdem posuit comparationem: Oculi eius, inquiens, sicut columbæ.

Columba notat amorem simplicem.

Hinc est illa duorum mutua postulatio, videri scilicet, & videre. Quoniam visio nuncius est præcipuus amoris cordialis. Nam vbi amor, ibi oculus nihil amore amabilius.

Poculum amatorium fine herbis ac veneficijs est: Si vis amari ama.

Dabo tibi, inquit Seneca, poculum amatorium sine herbis, absque veneficijs: Si vis amari, ama. Hoc in amatoribus etiam fœtidissimis locum habet, quanto efficacius in pulcherrimis. Hæc Gerson.

23. Has oculorum tam sponsi, quam sponsæ potentissimas sagittas, ac flammas expertus erat Poeta ille Religiosus, dum his suauissimè sauciatus, flammisque propemodum amoris consumptus canebat:

Religiosi Poetæ ardēs in Christū, & B.V. amor.

Nō sat erat consumpta vnū per viscera telū?
Binæ conspirant in mea corda faces?
Pupulus in gremio dum ludit, & ore puellæ
In iaculo iaculum est, ignis in igne sedet.
Tela quatit Puer, & Genitrix, incendia iactat
Pulchra parens, glomerat pulchrior ipse Puer.
Eia agite haud magnum est, si vos duo vincitis vnum.
At mihi honor gemina succubuisse face.
Dulce malum! ah! cur non data sunt mihi pectora plura?
Pectora tam charis obuia vulneribus?
Dulce mori! ah! cur non geminata est vita beatis?
Esset, quæ totidem debita funeribus?
Non est hæc tua flamma venus, non arma Cupido.
Fœda parens procul hinc, hinc fuge fœde Puer.
At tu qui nostrum rides, aut spernis amorē.
Quisquis es, ò possis igne perire meo

Sic pientissimus Poeta Deiparam Deique Filium in eius sinu, toto ore oculisque flammas sagittasque euibrantes contemplans, liquescebat, consumebatur.

14. Merito ergo sagittam illam cælestem quinque ex syderibus compositam dicimus esse Dei Genitricem sacratissimam, quæ non modo malæ conscientiæ in peccatoribus ad Deum conuersis vulturem conficit, verumetiā in suorum clientulorum pijs cordibus vulnus amoris castissimi infligit, eosque flammis diuinæ charitatis ardentissimis accendit; Et verò, quis nō saucietur, quis non accendatur in Virginem Puellum in eius gremio suauiter quiescentem considerans? Quis amore Diuino totus non liquescat ac fluat expendens Virgunculam hanc amore nostri factam Dei Matrem, magnumque illum DEVM, quem totus non capit orbis infantilibus illis membris coarctari? Quis cælesti igne totus non concremetur cum eādem Dei Matrem hominē quoq; omnium factā esse Matrem considerat, dum primogenitum suum peperit filium, qui nos suos fratres appellare non est dedignatus?

Variæ considerationes de B.V. quibus aliquis in eius amorem potest exardescere.

Quis amore non absorbeatur, dum intelligit, eandem Virginem, Matrem esse misericordiæ, quæ mille oculis, vtpotè, quæ à S. Epiphanio, & Ephremo *Multiocula* appellatur, nostras miserias aspicit, vt suæ infinitæ communicatione bonitatis, eas à nobis tollat, atque amoliatur? Quis non extra se fiat, dum expendit eandem Deiparam Matrem pulchræ esse Dilectionis non modo, quia DEVM, qui ipsa substantialis est charitas, amore nostri generauit, verumetiam quia pulchram, castamque dilectionem, amoremque quo, & Filium, & ipsam, omnesque proximos amplectimur, generauit?

Quis denique lætitia amoris plenissima non efferatur atque exiliat, cùm Virginem nostram sacratissimam, Matrem sanctę spei factam expendit, dum nobis in extremo illo mortis formidabilissimo articulo assistens, ceu flammata sagitta Tartareos hostes, ceu vultures rapacissimos conficit, inque Inferni Barathrum deturbat, nosque velut pientissima Mater consolatur, inque suorum clientulorum cordibus spem infallibilem vitæ æternæ consequendę fouet, ac nutrit, & tandem, animas corpore solutas, innumeris Angelorum myriadibus sociatas, in cælos transfert. Hos ego quinque pulcherrimos Virginis nostræ titulos, nempè, quod sit Dei Mater dignissima, quod sic nostra quoque Mater amantissima, quod sit Mater misericordiæ pientissima, Mater pulchræ dilectionis suauissima, Mater denique sanctæ spei dulcissima, quinque illas lucidissimas reor esse stellas, quibus cęlestis illa conflatur sagitta; Has sanè stellas si quis identi-

Quinque tituli B.V. dici possunt quinque stellæ ex quibus cæleste zelum componitur.

Cōsideratio priuilegiorum B.V. remedium cōtra impuritatem.

dem contempletur, fieri non poterit, quin eius intellectus admirabili cælitus demissa luce irradietur, fieri non potest, quin eius voluntas castissimis amoris flammis accendatur, experiaturque re ipsa Virginem verissimum illud sydereum esse telum, ad vulturem vti diximus, non modo malæ conscientię conficiendum, verùm etiã ad fędum Cupidinem confodiendum corque diuino amore sauciandum, peridoneum.

25. Quo circa quoties quispiam tumultuantis perturbatisque consciẽtiæ agitatur stimulis, quoties impudici Cupidinis impugnatur iaculis, aduritur flammis, toties ei ad purissimam Virginem, magna cum fiducia confugiendum est, sperandumque omnino ipsam tamquam Sydeream illam cælestemque sagittam, vulturem illum lancinantis conscientiæ confecturam, animoque optatam tranquillitatem à Filio suo dilectissimo, impetrata delictorum veniâ, reddituram.

Sperandum denique ipsam castissimi sui amoris telo ita cor nostrum perstricturam, vt nulla imposterum fœdi Amoris illecebra titilletur. Atque ita fiet, vt telum telo, quemadmodum clauus clauo extrudatur.

Vnicum remedium impudici Amoris amor B. V.

Nullum enim præsentius contra turpem impudicumque Amorem remedium quam cultissimus, syncerissimusque Amor Virginis Deiparæ reperitur. Hæc vnicum adhibuisset, atque præscripsisset ille, qui in remedio impudici Amoris inueniendo duobus conscriptis libris tantopere laborauit, desudauit, pharmacum profecto efficacissimum, acu planè tetigisset.

Hinc P. Ioannes Auila celeberrimæ sanctitatis Vir, suadet in Tract. spirit. cap. 5. vt his, qui se impugnari carnali tentatione præsentiscit, mox se ante purissimæ Virginis Mariæ Imaginem sistat, eximiam cordis eius, ac corporis puritatem contemplando, & illico inhonestam illam cogitationem abhorrendo, quæ mox velut caligo tenebrosa, clarissimâ apparente luce, effugabitur. Idem M. Auila, vt alibi etiam diximus, præsentissimum obscœnarum cogitationum esse remedium Obsecrationem illam factam ad Deiparam, qua petimus, vt per immaculatam Cõceptionem suam, nos ab omni peccati macula, præsertim mortalis, dignetur præseruare. Porro de vi & efficacia Imaginis gloriosæ Deiparæ contra Dæmones scribit P. Ioannes Bonifacius noster libr. 5. de Hist. B. V. cap. 1. insigne exemplum: Dono dederat, inquit ille, sacerdos noster cuidam, vt haberet stimulos ad fundendas preces, Imaginem B. V. quod cum is facere die quadam detrectat, an obliuiscitur, sequenti nocte inspectantibus vxore, & filio, à furenti Dæmone corripitur, tanquam ad Inferos pertrahendus.

Imago B. V. Dæmonibus formidabilis.

Initium ille symboli Apostolici recitare cæpit, sed nihilo magis mitigatus est Diabolus afferens causam, quod sacerdotis spreuisset imperium. His admonitus redit in memoriam Imago quam acceperat, expromit, exosculatur, addit preces non sine affectu.

Eam Imaginem Dæmon cum visu perferre non posset, celeri fugâ sese proripuit, scintillas, & sulphur, fœda corporis vestigia post se relinquens.

Porrò sicut Cacodæmon immaculatæ Virginis nec ferre, nec intueri potest Imaginem: ita spurcissimæ Veneris adeo amat, vt in illa velut domicilio proprio conquiescat. Rem plane stupendam, horrendamque hoc in genere recenset Baronius Tomo 7. Anno Christi 564. ex Eusthatio, qui præsens aspexit. *Iuuenis quidam*, inquit, *arte pingendi peritus eam in domo Chrysaphij pię memoriæ in ipsa Ciuitatę Amasenorum exercuit. Hic aliquando veterem in pariete Veneris picturam delebat vt historias pias reponeret. Volebat enim vir ille ex domo sua superiore Archangeli oratorium facere, ex inferiore autem oratorium Sanctæ, & Immaculatę Dominæ nostrę Dei Genitricis Mariæ semper Virginis. Cum igitur Pictor fœdam impudicæ Veneris historiam euertisset, Dęmon, qui illi inhærebat, artificis manum sic inuasit, vt inflammata tumesceret, & graui vulnere affecta necessario amputanda videretur. Quare cum periculum aspiceret, vtile cępit consilium, & ad virum Sanctum Euthichium confugit, vt per ipsum à Deo auxilium impetret.*

Dæmon turpes Imagines amat, & in illis delitescit.

A ille cum pro ipso DEVM orasset, vnxit dexteram eius manum, quę vlcere laborabat oleo sancto, quod videlicet ex Sanctę puręque Genitricis, & perpetuę Virginis Marię Dominæ nostrę veneranda Imagine scaturire solet Zozopoli, in nomine Domini nostri IESV Christi. Idque fecit tribus diebus, & manus eius Diuino auxilio conualuit, alterius similis reddita est.

est. Et quo loco Pictor vulnus acceperat, in eo memoriæ, & grati animi declarandi causa sancti viri depinxit Imaginem vt manus, quæ curationis beneficium acceperat, Medicum suum secundum DEVM testaretur.

His, hæc memoriâ æterna dignissima imisque fidelium, ac præsertim Virginis clientulorum, fibris ac medullis cordis imprimenda subiungit Baronius.

Hic velim attendas Lector non tantum editum Diuina virtute miraculum, sed etiam patefactam latentem ipsam veritatem, si quis eam ab exemplis deductam accipere velit.

Si enim in prophanis, in honestisque Imaginibus inhæsisse cognita est ad nocendum, Deo permittente, vis inimica; vtique vel ex his discas in sacris Deo dicatis Imaginibus non deesse Diuinam ad benefaciendum virtutem.

Et sicut illæ Christianis obesse solent, ita & istas consueuisse iisdem esse proficuas.

Sic ille. Videant illi, qui turpes obscenasque Imagines domi conseruant, sciantque in illis malum Dæmonem latitare, qui eos ad varia flagitia, ac præsertim libidinem inflammare, sicut ècontra præ Imagines, ac potissimum Deiparæ Virg. ad omnem honestatem puritatemque excitare consueuerunt.





DISCVRSVS XXII.

Quod B. V. Deipara sit cælestis amator hominum Delphinus.

I.

NAtalis Comes lib. 2. cap. 8. Mythol. Delphinum à Neptuno gratitudinis ergo inter sydera translatum asserit, quod is, vt potè omnium marinorum piscium sagacissimus, & ingenio ac cognitione quadam, corporisque celeritate præstantissimus Amphitritem illi conciliauerit, inque eius cum illa nuptijs, Paranymphi cuiusdam vices obierit.

Verùm ego censuerim potius, quod sydereus ille in cæli firmamento situs Delphinus spectantibus reducit ad memoriam Arionem nobilissimum Citharædum ex insidiantium, eiusque opibus inhiantium, siue nautarum, siue famulorum elapsum manibus, & in mare insilientem ab hoc Pisce hominum studiosissimo, eius lyræ concentibus pellecto, incolumem seruatum, eamque ob causam à Dijs inter sydera relatum. Quam siue fabulam, siue historiam Ouidius lib. 2. Fastorum elegantissimis carminibus prosecutus est:

Arion Musicus nautarũ manus vt euaderet se in mare deiecit, & à Delphino exceptus incolumis euasit.

Nomen Arionium siculas impleuerat Vrbes,
Captaque erat Lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens puppim conscendit Arion
Atque ita quæsitas arte ferebat opes.
Forsitan infelix ventosque, vndasque timebas?
At tibi naue tua tutius æquor erat,
Namque gubernator districto constitit ense,
Cæteraque armatâ conscia turba manu.
Ille metu pauidus; mortem non deprecor inquit,
Sed liceat sumptâ pauca referre lyrâ.
Dant veniam, ridentque moram. Capit ille coronam,
Quæ posset crines Phœbe decere tuos.
Induerat Tyrio distinctam murice pallam.
Reddidit icta suos pollice chorda sonos.
Flebilibus numeris, veluti canentia durâ
Traiectus pœnâ tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit vndas,
Spargitur impulsâ cærula puppis aquâ.
Inde: (fide maius:) tergo Delphina recuruo,
Se memorant oneri supposuisse nouo.
Ille sedet, citharamque tenet, preciumque vehendi
Cantat, & æquoreas, carmine mulcet aquas.
Dÿ pia fata vident: astris Delphina recepit.
Iuppiter, & stellas iussit habere nouem.

De Delphino hoc Manil. lib. 1. Astron. cap. 4.

Tum quoque de ponto surgit Delphinus in astra,
Oceani, cælique decus, per vtrumque sacratus.

2. Verè Delphinus hic cæli decus hoc tam illustri facto iure merito nobis Virginem Deiparam humani generis amantissimam, singularemque periclitantium adiutricem, pulcherrimo quodam Schemate repræsentat; quæ licet in periculis omnibus præsentissima semper, tùm verò in postrema vitæ catastrophe, vti sæpius dictum est, miseris mortalibus in mari huius sæculi nauigantibus ac naufragantibus velut amantissimus hominum Delphinus esse consueuit, fidelissimo suo interposito patrocinio, precibusque efficacissimis prouidendo, ne abyssi infernalis vorticibus rapacissimis absorbeantur. Quare merito Pierius Valer. Hierog. lib. 27. cap. 1. Delphinum ait esse incolumitatis symbolum; *Delphinus*, inquiens, *in totius humani generis beneficium cessit, quippè plerisque mortalium extremo vitæ*

B. V. velut Delphinus in extremo mortis periculo nos iuuat.

Delphinus incolumitatis symbolum.

vitæ periculo laborantibus, ab animali hoc sponte auxilium allatum est. Neque enim temerè frænatus Delphinus incolumitatis indicium fuit, quod dubio procul ob multos ab vndis eius opera seruatos factum opinamur.

Palæmon Puer à Delphino seruatus.

In Neptum siquidem Templo, quod apud Isthmon erat, visebatur Palæmon puer super Delphino, ex auro, & ebore confectus, quem Herodes Athemiensis dicauerat. Nam, & Palæmoni nautæ pro incolumi nauigatione vota faciunt. Vnde Virgilius Georg. libr. I.

Seruati votum soluunt in littore nautæ.

Phalantus naufragium passus, à Delphino exceptus.

Hinc Pausanias memorat Phalantum Lacedæmonem priusquam Italiam attingeret naufragium in Crisæo mari fecisse, cui Delphinus opem tulerit, sublatumque dorso in littus incolumem exposuerit. Simile quid Stesichorus recenset de Telemacho Vlyssis Filio, cum adhuc puer in alto maris littore luderet, in mare prolapsum, mox Delphinorum beneficio receptum, qui puerum surrexerint, seu sustulerint, & in littus exposuerint. Idcirco Vlyssem postmodum Delphini insignia, eademque in ense, & in scutis, & in annulo signatorio circumgestasse.

Thelemachus Vlyssis Filius à Delphino in mari seruatus.

Vlysses gratitudinis memor Delphinum in annulo, & scuto gestauit.

Hesiodi corpus trucidatum, & in mare proiectū Delphinus excepit.

3. Quid Hesiodi Poetæ, in Templo Nemæi Iouis trucidati in mare abiectum cadauer à Delphino inter Locridem & Eubœam expositum commemorem? Quid Melicertæ corpus in Isthmo ab eodem elatum referam? Quid Virginem Lesbiam cum amasio suo in mare demersam Delphinorum auxilio incolumem seruatam recenseam?

Quanta olim Delhino veneratio exhibita.

Quare iure merito *Veteres*, ait idem Pierius, *tanta veneratione Delphinum prosequebantur, vt eum neque venarentur, neque vllo pacto lædendum putarent;* quæ vt ita dicam religio in hæc vsque tempora, in nautarum præsertim animis viget mirificè, adeò vt eum vel interficere vel carnibus eius vesci nefas esse ducant, eo quod illi cum humano genere arctissima quædam necessitudo, ac familiaritas intercedere videatur.

Delphinus Puerorum amātissimus.

4. Et licet Delphinus totius humani generis sit amantissimus, puerilis nihilominus ætatis videtur esse vel maximè. Scribit certè supra memoratus Pausanias in Proselene Ioniæ vrbe inclamatum à puero Delphinum properare ad eum solitum, subiectoque dorso ad eum vectandum sese accommodasse. Idque in grati animi signum præstitisse, propterea quod ab eo redemptus è piscatorum manibus, curato etiam vulnere, quod ei inflixerant, incolumis euasisset, incolumisque ad mare abire permissus sit. Scribit etiam Plinius ab Egeside proditum in Ialyso Rhodiorum vrbe Hermiam puerum Delphino longâ consuetudine vectari solitum fuisse per mare, & tandem subitâ procella ingruente, non sine Delphini peculiari doloris sensu demersum. Plutarchus in Caruiuiede de eisdem Delphinis, in eodem proposito sic loquitur: *Natatione etiam puerorum gaudent, certantque cum natantibus. Itaque lege non scripta cautum illis est de securitate. Nemo enim eos piscatur, aut lædit, nisi quando in retia ingressi, piscationi nocent, tunc enim puerorum instar delinquentium verberibus castigantur. An memini me de Lesbijs audire puellam quandam è mari à Delphino fuisse seruatam?* Sic ille.

Hermias Puer à Delphino per mare vectus.

Delphini natatione Puerorum gaudent.

5. Verum id quod scribit Plinius Secundus libro 9. Epistolarum. Epistola ad Caninium Poetam amicū suum, est longe admirabilissimum de Delphino, quod hic totidem verbis referre libet. *Est in Africa,* inquit ille, *Hipponensis Colonia mari proxima, adiacet ei nauigabile stagnum, quod in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alterna, prout æstus aut repressit, aut impulit nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hic ætas piscandi, nauigandi, atque etiam natand. studio tenetur, maximè pueri, quos otium, ludusque solicitant; his gloria, & virtus altissimè prouehi. victor ille, qui longissimè vt littus, ita simul nantes relinquit. Hoc certamine puer quidam audentior cęteris in vlteriora tendebat. Delphinus occurrit, & nunc præcedere puerum, nunc sequi, nunc circumire, postremo subire, deponere, iterum subire, trepidantemque perferre primum in altum, mox flectit ad littus, redditque terræ. Serpit per Coloniam fama, concurrere omnes, ipsum puerum tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident littus, prospectant mare, & siquid est marisimile, natant pueri, inter hos ille, sed cautius. Delphinus rursus ad puerum, fugit ille cum ceteris; Delphinus quasi inuitet, reuocet, exilit, mergitur, variosque orbes implicitat expeditque. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari subiret timendi pudor, accedunt, & alludunt, & appellant: (Simonem crediderim vt consueuere nautæ,) tangunt etiam pertractantque præbentem, crescit audacia experimento maximè. Puer qui primus expertus est adnatat, nanti insilit*

Delphini mirabilis affectus in quendam Puerum.

insilit tergo, fertur, refertur que, agnosci se, amarique putat. Amat ipse, neuter timet, neuter timetur: huius fiducia, mansuetudo eius augetur; nec non alij pueri dextra, leuaque simul eunt hortantes, monentesque Ibant vna. Id quoque mirum, Delphinus alius tantum spectator, & comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur, sed alterum illum ducebat, & reducebat, vt puerum ceteri pueri, incredibile, tam verum tamen, quam priora.

Delphinum gestatorem, collusoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum, arenisque siccatum, vbi incaluisset, in mare reuolui. Constat Octauium Auitum legatum Proconsulis in littus educto, religione praua superfudisse vnguentum; cuius ille nouitatem, odoremque in altum refugisse, nec nisi post multos dies visum languidum, & mœstum; mox redditis viribus, priorem lasciuiam, & solita ministeria repetiisse. Confluebant ad spectaculum omnes magistratus, quorum aduentu, & mora modica Respublica nouis sumptibus atterebatur. Postremo locus ipse quietem suam, secretumque perdebat. Placuit secretè interfici, ad quod coibatur. Hæc tu qua miseratione, qua copiâ deflebis, ornatis, attolles. Quamquam non est opus affingas aliquid, aut struas, sufficit, nec ea quę sunt vera minuãtur. Hæc Plinius. Quæ sanè nobis prodigiosam quandam inclinationem, ac vix non rationalem affectionem muti piscis erga iuuentutem declarant.

Amor Delphini in adolescentes.

6. Amor hic Delphini in teneriorem innocentemque ætatem à veteribus passim expressus in nummis argenteis æreisque cernitur, dum puerum, Cupidinem Delphinum equitantem frænantemque excuderunt.

Idem ostendere voluit Poeta Græcus, qui vt Amorem terra, marique rebusque omnibus dominantem insinuaret, eum speciosissimi pueri schemate, altera manu Delphinum, altera flores gestantem repræsentauit, cuius elegantissimos versus: Latinè reddidit Alciatus in suis Emblematis, dum cecinit:

Nudus Amor viden vt ridet, placidumque tuetur?
Nec faculas, nec quę cornua flectat, habet.
Altera sed manuum flores gerit, altera piscem,
Scilicet vt terræ iura det, atque mari.

B.V. in adolescentiam pius affectus.

7. Hanc sane Delphini proprietatem cernere est longè excellentius in Virgine Deipara, quæ licet vniuersum humanum genus synceríssimo, tenerrimoque amore complectatur, adolescentulos tamen innocuos peculiari beneuolentiâ, ob Angelicam, quæ in illorum moribus emicare solet puritatem prosequi consueuit. Eius est vox illa Prouer. 9. *Si quis est paruulus veniat ad me*, teste Rich. à S. Laur. li. 12. de laud. B.V. Eius quoque est vox illa Prouer. 8. 17. *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, inuenient me.* Q. D. Qui mane, in prima nimirum ætatis aurora sese ad mihi seruiendum amandumque impenderit, inueniet me, præsentissimumque meum auxilium, simul ac patrocinium, eumque diuinæ lucis sempiternique iustitiæ solis radijs, ita irradiabo, vt eius vniuersa vita sit quasi lux splendens, ac crescens vsque ad perfectam diem, efficiamque vt summum Christianæ perfectionis attingat apicem, eiusque incorruptæ vitæ lux ita luceat coram hominibus, vt videant bona eius opera, & glorificent Patrem, qui in cælis est. Cùm enim tenera illa ætas sit tabula rasa, sit virgula in vtrãque partem flexibilis, sit vas quoddam vacuum, quod quouis liquore imbuatur, eius odorẽ retinet, vt canit Poeta:

B.V. à prima adolescentia desiderat vt sibi seruiatur.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorẽ
Testa diu.

Atque ita si preciosissimo Virgineę pietatis, amorisque impleatur, balsamo à primis vnguiculis, illud idem conseruabit ad senium, efficieturque omnium bonorum particeps. Vnde Richard. à S. Laur. lib. 12. de laud. B. V. verba illa expendens: *Felix inuentio, inuenire gratiæ Inuentricem, qua inuenta, inuenitur omne bonum. Verè enim, qui vigilauerint ad illam, excipient eius benedictionem. Eccli. 32. Ideo iustus quilibet tradere debet cor suum ad vigilandum diluculo ad hanc Dominam, per quam redemptus, & reconciliatus est. Quia per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habuit mundus, & habet, & habiturus est omne bonum, nempè Christum, qui est omne bonum, & summè bonum, sine quo nihil est bonum, qui est solus bonus.* Sic Richard.

B.V. inuenire est fælix inuentio, quia inuenit gratiæ inuentricem.

8. An non inuenit à primis annis omne bonum in Maria Sanctissimus ille Adolescens Bernardinus Senensis immaculatum verè Iuuentutis speculum, cùm se totum eius seruitio amorique mancipauit, vbi primum sapere didicit? An non inuenit in Virgine hac omne bonum, cùm eam in castissimam accepit sponsam atque amicam, cuius tan-

S. Bernardini Senensis à primis annis pius affectus in B. V.

tantis, tamque vehementibus ardebat ignibus, vt omnino se continere non posset quin quotidie ad illa extra portam Camuliæ salutandam, ardentissimoque affectu venerandam sese conferret. Dicebat identidem sine dubio magno animi sensu. *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui eam mihi in sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius*. Sap. 8 Hinc pro concione die Natali Virginis piè gloriabatur: *Ego frater Bernardinus semper fui deuotus B. Virgini: in die enim Natiuitatis eius natus sum, eodem die baptizatus sum. Illo ipso die monasticum habitum indui, & Monachum professus sum. Eodem die primum sacrificium feci, eodem die ex hac vita exire cupio*.

B. Hermanus septennis à B.V. dilectus.

9. An non inuenit in Virgine omne bonum B. Hermanus quando, Paranympho Angelo, eam accepit in sponsam, & Iosephi pulcherrimum nomen sortitus est? Hunc porro puerulum adhuc septennem, tanto amore Virgo complexa est, vt cum de more is Templum quoddam sibi sacrum, asperrimo hyemis tempore esset ingressus, eumque nudis pedibus Mater misericordiæ incendentem, nec in gelido corpore pietatis in se ardorem refrixisse cerneret, eum ad se vocatum sic allocuta est: *Cur in tanto frigore nudis incedis pedibus?* & puer se non habere calceos respondisset. Intulit Mater pientissima: *Vade ad lapidem illum, & sub eo quatuor inuenies denarios, quibus tibi calceos compares*.

B.V. Hermano pecuniā procurat pro calceis emēdis, &c.

Paruit, fide plenus, inuentaque peculiola ad benignam Matrem redit hilaris. Cui illa, sereno vultu: *Quoties*, inquit, *aliquo indigueris: vt calceis, tabulis, stylis, & alijs rebus huiusmodi, eo recurre, & denarios ad inopiam subleuandam reperies*. Quæ omnia ante mortem ad laudem Virginis, gratitudinis memor alijs recensuit, vt refert Sur. 7. Apr.

Puer à Iudæis interfectus à B. V. vitæ redditur, quod eius laudes cecinerit.

10. Quid quod Virgo Deipara pueris nonnullis etiam vitam omnis temporalis boni fundamentum restituit? Refert sanè Cantipratensis puerum quemdam scholarem, quod vespere per plateas ad confusionem Iudæorum canere consueuisset: *Erubescat infelix Iudæus, qui dicit Christum ex Ioseph semine esse natum; à Iudęis fuisse comprehensum, iugulatum, ac tumulatum*. Hunc cùm Mater mœstissima cum lacrymis ac fœmineo vlulatu tota vrbe perquireret; ecce tibi, res mira, puer è proximo tumulo ingeminat: *Erubescat Iudæus*. Aperitur mox tumulus, & puer saluus incolumisque, ope Virginis, matri redditur.

B.V. puerum sibi deuotū in medijs flammis protegit.

11. Richardus quoque à S. Laur. lib. 2. de laudib. B.V. refert, quòd cùm puer Hebręus cum reliquis Christianorum adolescentibus in Templo quoddam Deiparæ iconem adorasset, idque ad parentem esse delatum, mox irâ furentem in ardentem clibanum Filium abiecisse; quem tamen Virgo benignissima in medijs flammis sub pallio suo ita protexit, vt medium fornacis quasi ventum roris flantem, ceu quondam tribus illis pueris, effecerit.

Puer à lupo abreptus per B.V. Matri restituitur.

12. Scribit Matthæus Raderus noster 2. P. Virid. cap. 5. Filiolam piæ cuiusdam Matronæ, quæ Virginem summo colebat affectu, à lupo abreptam fuisse. Quod sibi intellexit Mater, ad Deiparę Templum tanquam ad asylum cum lacrymis confugit, Imaginemque pueri IESV ab vlnis Matris, pia violētia abstraxit: *Domina*, inquiens, *nunquam tuum Filium rehabebis, nisi mihi filium meum restitueris*. Mira Reginæ cæli benignitas, quasi sibi metueret ne filio suo careret, imperauit lupo vt Filiam matri redderet. Paruit ille Dei Matri, cui ob reuerentiam filij omnis paret creatura, recepitque Mater filium incolumem, in cuius collo, ac gutture ad tam stupendi miraculi memoriam dentium impressa vestigia cernebantur.

Adolescens captiuus à B.V. è carcere liberatur.

13. Simili impietate pia extitit vidua quædam de qua scribit Iacobus de Virgine Archiep. Genuensis in ser. de Natiu. B. V. & idem iam memoratus Raderus. Hæc cum vnicum haberet filium viduitatis, senijque sui solatium, isque ab hostibus captus carceribus esset mancipatus, ad Virginem tanquam ad sacram Anchoram consuetâ sibi fiduciâ accessit, rogauitque vt filium de captiuitate liberaret. Cum vota, precesque suas irritas cadere animaduerteret, Templum quoddam ingreditur, in quo statua D. Virginis filium vlnis baiulantis visebatur, mox ex sinu eius Filium abstrahit; *Virgo Beata*, inquiens, *pro liberatione Filij mei te sæpe rogaui, & adhuc nequaquam miseræ matri subuenisti, tuum pro filio meo imploro patrocinium, & adhuc nullum experior fructum. Igitur sicut Filius meus mihi ablatus est, sic, & ego Filium tuum tibi auferam, & pro filio meo obsidem in custodiam recludam*.

Quod & fecit, ablatum enim Puerum IESVM de sinu Matris, linteolo purissimo inuoluit, & in arcam recondens obserauit, bonum se pro filio obsidem habere gauisa. Sequenti nocte Deipara Virgo pia fiducia simplicitateque mulieris flexa adolescenti in carcere apparet, eique ianuas reserans, vt inde exiret præcepit: *Dices*, inquiens, *fili Matri tuæ, vt mihi meum reddat Filium, siquidem ego reddidi illi suum*. Euadens mox ex ergastulo feliciter adolescens, ad Matrem peruenit, eique totius res seriem enarrauit. His visis auditisque Mater præ gaudio sese vix capiens, recepto Filio, Puerum IESVM Matri, summa cum grati animi significatione restituit: *Gratias*, inquiens, *vobis Domina mea refero, quod vnicum meum mihi filium reddidistis; nunc tandem vobis Filium vestrum reddo*.

14. Innumera alia Virgineæ pietatis in pueros passim reperire est argumenta. Taceo D. Thomam Doctorem Angelicum, taceo D. Catharinam Senensem, B. Aloysium Gonzagam, B. Stanislaum Kostca, Ioannem Berchmans, de quibus infra, qui omnes à primis suæ pueritiæ annis tenerrimo in D. Virginem cum ferrentur affectu, vberrimum in se pietatis virtutisque Deiparæ beneficio experti sunt fructū. Quanta, DEVS bone, diuinę gratiæ munera, quot mentis lumina Magistrâ increatæ illius Sapientiæ Parente consecutus est adolescens ille admirabilis, Galliarum illustre sydus Comes Elzearius difficile est edicere, illud vnicum dixisse sufficiat datam illi ab ipso Dei Matrem suam dilectissimam, in Magistram, vti scribit Sur. 27. sept. vt eum ad omnem pietatem, sanctitatemque efformaret. Cum enim Gersenda eius nutrix, Matrona pijssima, eum in Templo feruentissimis precibus Christo Domino commendasset, audiuit nocte quadam verba hæc: *Iuueni huic, pro quo tam multum oras, noueris me Matrem meā dedisse Magistram. nihil igitur de illo dubites*.

B. Elzeario boniti data à Christo fuit Deipara in Magistram.

Vocem hanc Christi cum illusionem esse suspicaretur Gersenda, altera die cùm Missæ sacratissimo assistit sacrificio, iteratam audit de cælo vocem: *Quę superiori nocte de Iuuene Elzeario tibi dixi, ea non ambigas vera, & certa esse*.

Reuelationem hanc pia hæc Matrona cum suo confert Confessario, qui ad se accersitum Iuuenem studiosè sciscitatur, quemnam in suis precibus modum obseruaret, & quem ex Sanctis patronum sibi elegerit. Respondit suffusus ora rubore Elzearius: *Equidem Virginem sanctissimam mihi patronam, & Aduocatam elegi; cumque ad orandum præparare me volo, indignitatem, vilitatemque meam prius considero, atque ita Matri gratiæ me commendans, eā precor humiliter, vt ea quæ ipsi, & eius benedicto Filio grata sint ponat in corde, & in ore meo, simulque quanta possum animi pietate semel ei affero Angelicam Salutationem.*

B. Elzearius B.V. sibi in patronam à pis annis delegit.

Eâ dictâ, nunquam mihi deest noua rerum Diuinarum materia. Quis non videat Dei Matrem sanctissimam paruulorum Parentem esse amantissimam, Magistram atque instructricem omnis pietatis vigilantissimam? Ex quibus omnibus facile intelligimus quanto pietatis, amorisque in teneram illam ætatulam Virgo Deipara ad instar cuiuspiam Delphini feratur, affectu.

15. Quod si quispiam causam scire cupiat cur Virgo diligentes se pueros maximè, diligat, eam ego præcipuā esse crediderim, quod quemadmodum in omnibus reliquis Filij actionibus sic etiam in pijssimo hoc puerorum amore æmulatricem sese exhibere studuerit. Cùm igitur sciret Filio teneram illam ętatulam ob morum incorruptionem, puritatem, atque innocentiam esse charissimam, eidem sese, sicut in reliquis omnibus quoad potuit conformare studuit; vtpotè quæ eum semper intimè, velut vmbra corpus sequebatur. Audierat fortassis illud Mat. 9. ore prolatum Filij: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum.* Audierat fortassis, & illud, quod cum pueri clamarent in Templo dicentes Matt. 21. Osanna Filio Dauid, Principesque sacerdotum, & scribæ indignarentur, Filius responderit: *Vtique nunquam legistis: Quia ex ore infantium, & latentium perfecisti laudem?* ostendens gratissimas sibi puerorum illorum fuisse laudes atque applausus.

B. V ad imitationem Filij sui pueros tenerè diligit.

Christi erga paruulos peculiaria amoris signa.

Audierat sine dubio, & fortassis etiam viderat, singularia illa beneuolentiæ signa pueris à dilectissimo Filio exhibita, de quibus Sacratissimi Euangelistæ, præsertim Mar. 10. *Offerebant illi paruulos vt tangeret eos; Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cùm videret IESVS indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos. Talium enim est Regnum Dei. Amen dico vobis*

bis quisquis non receperit Regnum Dei velut paruulus non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos benedicebat eos. Causam porrò huius amoris, quo Saluator pueros prosequi non est dedignatus, affert Diuus Ambrosius.

Christus cõplexans paruulos, bene dicebat illis.

Cum enim præmisisset libr. 8. in Luc. Quæstionem illam: *Cur autem pueros aptos dicit esse Regno cælorum? Respondit, fortassis quia malitiam nesciunt, fraudare non norunt, referire non audeant, scrutari ignorent opes, bonorum ambitionem non appetant.*

Puerorum probitas ob quam apti Regno cælorum.

Non igitur pueritia, sed æmula simplicitatis puerilis bonitas indicatur. Non enim virtutis est non posse peccare, sed nolle, atque ita tenere perseuerantiam voluntatis, vt voluntas infantiam, vsus imitetur naturam. Hinc S. August. lib. 2. Conf. *Humilitatis signum in statura pueri commendasti Rex noster, cum dixisti: Talium est Regnum cęlorum.*

16. Causam eamdem aliasque complures affert Victor Antiochenus, vt videre est To. 1. Biblioth. SS. Patrum antiqu. dum affectum illum Christi in paruulos tenerrimum eiusque oblectationem deliciasque cum filijs hominum consideraret: *Proprium est Conditoris in suis se operibus oblectare, eorundemque ad se accessum non inhibere, maximè verò cum nihil occurrit, quod eiusmodi aditum legitimè impediat. Sic Christus Dominus, paruulos blandè complectitur, & suscipit, cælesteque Regnum eisdem promittit. Est enim paruuli anima candida, & ab omnibus vitiosis affectibus libera, quandoquidem paruulus tristia passus, aut iniuria à quopiam affectus, neque iniuriarum reminiscitur, neque vindictam meditatur, verum quasi nihil incommodi tulerit ad eum qui læserat, tanquam ad amicum vltro accedit. Pari modo licet grauiter à Matre cædatur, accurrit nihilosecius præ cæteris ad ipsam, vnamque illam omnibus alijs mulieribus potiorem ducit. Etsi Reginam diademate redimitam ostenderis, non anteponit eam Matri, quantumuis vilibus pannis indutæ, auetque magis illam videre pannis obsitam, quam Reginam splendido corporis cultu ornatam. Ad hæc nihil prorsus plus exigit, quam naturæ necessitas deposcit. Quare vbi primum mammarum succo sese expleuit, statim materna vbera deserit.*

Proprium est creatoris suis se operibus oblectare.

Puerorum bonæ qualitates imitandæ.

Præterea de earum rerum iactura, quas nos maximi facere consueuimus, vt sunt pecuniæ, gemmæ, aliaque huiusmodi, nihil prorsus mouetur, aut contristatur. Denique non stupet, non rapitur, ob corporum venustatem, vt cæteri mortalium solent. Propter hæc ergo Dominus dicit: Talium est Regnum cælorum; nempè per hoc nos admonens, vt studio, certaque voluntatis electione talia faciamus, talemque affectum induamus, qualem ipsi ex naturæ suæ qualitate induti sunt. Sic Victor.

17. Delicias hascè cum paruulis etiam nunc Christus in cælis regnans habere videtur, siquidem Gelasius puer Placentinus cum Opilium fraterculum suum in cubiculo orantem inuenisset, Angelorumque multitudinem cum eo loquentem proprijs oculis esset intuitus, vocem hanc de cælis audiuit: *Sinite paruulos venire ad me. talium est enim regnum cælorum.*

Christus Dominus etiam iam in cælis regnans in pueris sibi complacet.

Gelasius & Opilius quã grati fuerint pueri Christo Dominũ.

18. Quid de B. Edmundo Cant. dicam? Nonnè Christo Domino summis in delicijs fuit, eumque erudiuit, cùm eodemque familiarissimè conuersatus fuit? Inter reliqua beneuolentiæ signa illud sanè fuit singularissimum, quod cum apud Oxoniam per pratum quoddam cum socijs deambulandi gratiâ exijsset, ab eisque se tantisper subduxisset, ne nugis puerilibus, vel otiosis sermonibus conscientiæ puritatem, aliqua ratione contaminaret, Puer IESVS candidus, & rubicundus, specie illa pulcherrima, qua in Cantico amoris describitur à sponso capit. 5 sese ei spectandum exhibuerit eumque sic magna beneuolentiæ significatione compellarit: *Salue dilecte mi*. Admiratus inopinatam ignoti sibi pueri salutationem. Edmundus, interrogatusque rursus ab eodem puero, num vel tenuem aliquam ipsius haberet notitiam? Columbina simplicitate respondit: *Neque ego vllam habeo tui notitiam, neque me puto tibi esse notum*. Ad quem IESVS: *Et quinam*, inquit, *fieri potest vt tam ego tibi ignotus sim, cum in scholis ad latus tuũ tibi assideam, & vbicunq; sis, comes semper indiuiduus tibi præsto sim? Respice in faciem meam, & vide quid illic scriptum sit*. Respexit Sanctus adolescens, viditque cælestibus exaratum literis: *IESVS Nazarenus, Rex Iudæorum*; quod nomen vbi coram IESVLO pronunciasset, ocius subiunxit Puer IESVS: *Hoc est Nomen meum, quod animo tuo debes infigere, eiusque ardere desiderio, semper noctibus singulis accuratè tuæ fronti inscribere, quod & tibi aduersus repentinam mortem magnum futurum est præsidium, & alijs etiam quicunque illud fronti inscripserint*. Quibus dictis Puer amabilissimus omni melle dulcior, in quem desiderant Angeli prospicere, admirabili eius animum perfundendo lætitiâ, diuinaque dulcedine, disparuit. Quam porrò vtile do-

Christi cum B. Edmundo familiaritas mira.

B. Edmundo in Scholis IESVS ad latus assidere solitus erat.

IESVS Nazarenus Rex Iudæorum, fronti quotidie imprimendus, vt sit contra repentinam mortem remedium.

cumentum illud Saluatoris extiterit, comprobauit euentus. Cum enim quodam die festo, multis occupationibus esset distractus, & sub noctem meminisset se Dominicæ passionis commemorationem intermisisse, nec illam, oppressus somno, posset facere, sub auroram Cacodæmon se ei stitit ente lectulum, ambasque ei manus detinuit, ne signum Crucis in fronte pingeret. Verum mente ad DEVM eleuatâ, orante pio adolescente, malignus hostis inter lectulum, & parietem in terram concidit.

Signum crucis quam sit Dæmonibus infestum.

Hinc cordatus adolescens, horrificè eius appræhenso gutture, per virtutem passionis Christi, aspersionemque eius sanguinis eum adiurauit, vt fateretur, quibus rebus vel maximè ab ipso infestando arceretur? Respondit: Iis quas tu modo nominasti. En quanta amoris beneuolétiæque signa vniuersorum Dominus, rursus se in puerum transformans, Edmundo puerulo innocentissimo exhibuit, quam salutaribus monitis, documentisque erudiuit, quo toti mundo tenerrimum suum in paruulos amorem etiamnum in cęlis regnās, contestatum relinqueret.

19. Parem beneuolentiæ affectum ostendit Dei Filius in Laurentium Iustinianum, qui postea Primus Venetorum fuit Patriarcha absolutissimæ sanctitatis speculum, cuiumque suorum præstantissimum ornamentum.

Hic cum 19. esset annorum, inque deligendo vitæ statu fluctuaret, Christus se se ei specie venustissimæ Puellæ visendum exhibuit, vt ipse testatur in Fasciculo Diuini amoris, vbi sic loquitur:

Cælestis Sapientia se Laurentio Iustiniano specie pulcherrimæ Virginis visendam exhibuit.

Eram vestri similis, quærens æstuanti desiderio pacem in rebus extrinsecis, nec inueniebam. Tandem quædam Virgo sole splendidior mihi apparuit, cuius nomen ignorabam, hæc propius accedens, venusto vultu, placidoque affectu: O iuuenis, inquit, dilecte cur effundis cor tuum, & pacem sectando per multa variaris? quod quæris penes me est, quod concupiscis tibi polliceor, si tamen sponsam me volueris. Cùm verò nomen ipsius, & genus ac dignitatem scire per optarem, se ait Sapientiam Dei esse, quæ propter hominum reformationem, humanam formam suscepit. Assensi igitur, & dato pacis osculo, læta discessit. Sic Iustinianus ipse.

S Gregorio Nazianzeno adolescenti Sapientia, & Castitas dum Athenis studeret, apparent.

20. Non dissimili amore prosecutus est Christus Gregorium Nazianzenum adolescentem, qui cum Athenis literis operam daret, vt scribit Ruffinus Presbyter, vidit in somnis duas decoras Virgines, dextrâ, ac leuâ penes se consedisse, quas ille pudicitiæ amantissimus toruiore, ac seueriore oculo, vultuque respiciens, quænam essent, vel quid sibi vellent, sciscitatur.

Quæ mox familiarius eum complectētes responderunt; *Ne molestè accipias iuuenis, notæ tibi satis, ac familiares sumus. Altera enim ex nobis sapientia, altera Castitas nuncupatur, & missæ sumus à Domino tecum habitare, qui iucundum nobis, & satis mundum in corde tuo habitaculum præparasti.*

21. Quid demùm memorem Emericum Diui Stephani Regis Apostolici Hungarorum filium adolescentem quamplurimis virtutibus, præsertim verò dono orationis, mortificationis, puritatis, tam animi, quàm corporis mirificè conspicuum, qui cum exemplo sancti Parentis miro pietatis in Christum, eiusque Matrem Virginem ferretur affectu, nocte quadam Templum D. Georgij Vesprimij ingressus, dum magno spiritu, ardoreque se in preces effundit, apud se cæpit disquirere, quod nam Christo posset gratissimum munus offerre, cum ecce templum vniuersum, inmenso lumine ad Saluatoris contestandam Maiestatem, ac præsentiam completur, auditurque vox cælitus demissa huiusmodi; *Præclara res est Virginitas, itaque mentis, & corporis Virgineam integritatem à te exigo. Hanc offeras Deo, in eaque constanti animi proposito perseueres.*

S. Emericus S. Stephani Vngarorum Regis Filij pientissimus.

Vouet Deo Virginitatē, tamquam munus gratissimum.

Arripuit auidè Diuini Magistri pientissimus adolescens cæleste consilium, deque viribus suis diffidens ad opem Christi his ferè verbis implorandam confugit: *Domine IESV, qui inspicis omnia, qui humanam imbecillitatem adiuuas. qui aufers spiritum Principum, & terribilis es apud Reges terræ, perfice in me gratissimam tuam voluntatem, noxiasque concupiscentias tua misericordiæ rore prorsus extingue. Confirma seruuli tui fragilitatem, vt in tuo perpetim perduret seruitio. Ab omnibus carnis illecebris, spurcisque voluptatibus, pro tua benignitate eum tuere, ac presta, ne vnquam è tua gratia excidat.* Exauditam Sancti Adolescentis piam hanc deprecationem à Christo fuisse, comprobauit euentus. nam imperio parentis ducere vxorem compulsus, illibatum cum illa Virginitatis suæ florem ad postremum, vsque vitæ diem, magna totius Vngariæ

Postulat gratiam conseruandæ Virginitatis.

Patris iussu licet vxorem duxerit, seruanit cū illa Virginitatē.

riæ admiratione conseruauit, vti scribit Bonfinius Dec. 2. libr. 2.

23. Cùm igitur Dei Filius, & dum hoc in mundo inter mortales degeret, & modo in cælis regnans, cum paruulis deliciari dignatus sit, quid mirum Virginem Matrem eius sacratissimam, suas cum paruulis delicias habuisse? Cùm enim ipsa sit Mater purissima, nil sanè mirum si pueros imo verò puros adamet? Illi enim ipsi IESVM puerum dulcissimum repræsentant, quem illa tenerrimè dilexit, fascijs inuoluit, lactauit, vlnis gestauit, & complexans, osculansque, amantissimè purissimo suo pectori appressit, in eoque didicit pueros amare, atque educare, eosdemque ad omnem virtutem efformare.

M. cum sit Mater purissima, puros pueros amat.

Optat igitur quispiam à Virgine nostra diligi, eiusque peculiares aliquos fauores experiri? puer non sensu, sed puritate sit, moresque atque innocentiam paruulorum, ac præsertim illius, qui cum esset Magnus Dominus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis, ac Sapientiæ non est numerus ac finis, æmuletur. Hoc enim Diuus desiderabat Ambros. lib. 8. in Luc. *Quis puer, inquiens, imitandus est Apostolis Christi?* *Ille de quo Isaias dicit: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Ipse enim puer tibi dicit: Tolle crucem tuam, & sequere me.* *Et vt agnoscas puerum; Cum malediceretur, non maledixit, cum percuteretur, non repercussit. Hæc est enim perfecta virtus.* *Itaque, & in pueritia est venerabilis quædam morum senectus, & in senectute innocens pueritia.*

Puer IESVS imitandus Apostolis Christi.

23. Puerum hunc paruulumque amantissimum si æmulemur, mentis corporisque puritate admirabili, ac plusquam Angelicâ, omnibusque virtutibus cor, animusque noster enitescet, adeo, vt proculcatis humanæ naturæ vitijs, dignissimi tantæ Virginis fauore, atque amore euadamus.

Præclarè enim D. Damasc. Orat. 2. de dormit. Deip. ad finem pronunciauit: *Ipsa Virgo est, & Virginum amans, pura est, & purorum amans. Quo circa si & corporis, & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur. Siquidem lutum omne fugit, ac cænosas affectiones auersatur. Ingluuiem execratur, fœdissima fornicationis vitijs infesta est. Huius impuras ac scelestas cogitationes non secus ac viperarum fœtus fugit, sermones fœdos ac scurriles propellit, cantusque ac meretricia vnguenta submonet. Iræ tumorem odio habet. Inhumanitatem, & inuidiam ac simultates non admittit. Inanem gloriam reijcit. Superbiæ fastui animo hostili resistit, iniuriarum memoriam tanquam salutis hostem odio insectatur. Vitium denique omne tanquam lethale venenum execrationi habet.* *Ieiunio, & parsimonia psalmorumque cantibus gaudet; cum puritate ac Virginitate pudicitiaque pulchrè illi conuenit, sempiternam cum illis pacem colit, easque humanè, ac comiter exosculatur. Pacem animique lenitatem amplectitur; charitatem ac misericordiam humilitatemque tanquam alumnas suas vlnis fouet; Atque vt rem breuiter perstringam, quolibet vitio offenditur ac discruciatur, qualibet autem virtute, vt peculiari sua nota lætatur, & exultat. Quam obrem si vitia prompto, & alacri animo vitemus, virtutes autem omni studio, atque amore complectamur, easque socias adhibeamus, frequens illa ad famulos suos veniet, ac secum bonorum omnium agmen trahet, Christumque Filium suum, omniumque Regem ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet;* Hactenus Damasc.

B.V. pura est, & purorum amans Virgo est & Virginum amam.

Qui cordis corporisque puritatē diligit gratiam B.V. adipiscitur.

Quæ vitia B. V. execratur?

Quibus virtutibus B. V. delectetur.

B V. secum bonorum omnium agmen trahit.

Ex quibus planè liquet quantopere Virgo nostra puritate, reliquisque virtutibus, quæ in paruulis enitescunt, gaudeat, vt proindè minimè nobis mirum videatur, quod tantopere tenera illa, innocentique ætate oblectetur.

24. Hæc sanè Dei Filij, eiusque Matris sanctissimę luculentissima amoris in adolescentiam exempla, crediderim plurimum ad permouendos nonnullorum Religiosorum, præsertim nostræ minimæ societatis hominum animos, ad erudiendam peculiari studio iuuentutem momenti habuisse, vtpotè Deo, Virginisque eius Matri dilectissimam, omnisque bonæ disciplinæ, virtutumque capacissimam, in cuius sanè bona, sanctaque eruditione atque institutione totius Reipublicæ salus, in columitasque consistit. Hanc ob causam D. Basilius in Regul. breuior. Interr. 292. cum quæstionem illam mouisset: *An conueniat vt inter fratres Magister sit puerorum secularium?* Respondit: *Seruetur, quod preceptum est à Domino, qui dixit: Sinite paruulos venire ad me talium est enim Regnum cælorum.*

Religiosi exēplo Christi, & B.V. ad erudiendam iuuentutem excitati.

25. Paruuli enim tenellę sunt plantulæ, quas in omnem partem licet flectere, & ad omnem virtutem erudire. Sunt lanæ candidæ, quæ quouis bono colore possunt imbui. Sunt tersissima specula, quæ quod vis obiectum repræsentant. Quapropter Societas hæc

Societas scholas literarias, & Sodalicia B.V. aperuit, vt scientia, & pietate adolescentiam erudiat.

nostra

nostra minima non modo scholas literarias, verumetiam alia quædam pietatis gymnasia, Virginis appellata sodalitia, aperuit, vt iuuentus tenera nō modo literis imbuatur, verumetiam ad omnem pietatem efformetur, amoremque castissimum à prima ætate in Virginem Deiparam imbibat, seseque eius purissimæ vitæ sanctissimisque moribus, veluti proposito omnis sanctitatis speculo conformet, & à tam pia Matre lac pietatis sugat.

Ioānes Gerson Doctor Theologiæ Paruulos erudiebat.

26. Idem fecit Ioan. Gerson Cancell. Paris. Doctor Theologiæ valdè eximius, qui omne vitæ suæ tempus orando, meditando, concionando, componendo, docendo, paruulosque præsertim fidei Christianæ rudimentis imbuendo transegit.

Quâ porro arte, atque industria id fecerit, aureus ille libellus, cuius est Epigraphe: *De paruulis ad Christum trahendis;* ostēdit. Incuius fine pulcherrimam hāc ac planè paternam ad illos, vt eos ad se audiendum alliciat, habet inuitationem:

Gersonis inuitatio vt paruuli ad capessēdam disciplinam accedant.

Vsquequo paruuli diligitis infantiam? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Venite fidenter, nullæ viarum insidiæ, nullus latet anguis in herba:

Communicabimus bona mutuo spiritualia, quia temporalia vestra nulla requiro.

Ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis, imò orabimus pro inuicem, vt saluemur. Sic Angelos nostros vicissim lætificabimus, in quorum solemnitate hæc scribo.

Sic forte, nec iam forte, sed certâ spe, misericordiam inueniemus apud Patrem nostrum, dum obedieмus voci eius, in accessu nostro ad eum, ego prouocando, vos exequendo.

Nec deerunt piè gratiæ, & deuotionis amplexus in præsenti materia consolatorij, post modum gloriæ consummatę perpetua vnitas subsequetur. Ad quam nos omnes, qui spiritu paruuli esse debemus, inuitat ipse IESVS spirituali collocutione, & afflatu iugiter inspirans & dicens: Sinite paruulos ad me venire.

Hactenus Gerson. Qui sanè suæ in hos paruulos charitatis, & totius vitæ decursu, & præsertim in vltima mortis suæ catastrophe vberrimos fructus degustauit. Cum enim supremum vitæ diem sibi imminere præsensit, omnes paruulos, quos ad Templum D. Pauli quotidie ad catechismum audiendum educebat, coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento genua flectere, & sæpius iterare atq; exclamare, vt sibi Diuinum Numen propitium redderent, hæc verba docuit: *DEVS meus, Creator meus miserere pauperis famuli tui Ioannis Gersonis.* Quorum precibus sine dubio felicissimum ex hac vita transitum pro tantorum laborum mercede consecutus est; Explicatis enim, vt testatur P. Cornelius à lapide in cap. 14. Apoc. v. 13. Diuini amoris quinquaginta proprietatibus ex Cantico Canticorum, viuâ facie, ore, & corde identidem repetens suspiransque: *O' Domine, fortis est vt mors tua dilectio*, animam amantem amato Deo reddidit.

Gerson sentiens se breui moriturū iussit paruulos quotidie ante SS. Sacramentum pro se orare.

Gerson Diuino amore ardens piè moritur.

27. Diuus quoque Benedictus agnoscens quantum Christianæ Religioni puerorum sancta, piaque educatio afferret emolumentum, suis in cœnobijs paruulos educabat, & tam literis, quàm virtutibus imbuebat.

S. Benedicti in erudienda Iuuentute industria.

Ex quibus Placidus, ac Maurus, velut duo sydera orbi illuxere, Ordinemque illum sanctissimum, imò orbem miro splendore illustrarunt. Idem agnouit D. Gregorius Magnus eiusdem ordinis luminare maius, dum pueros Anglos conquiri diligentissimè mandabat, inque sui ordinis cænobijs ali, atque educari, omnique pietate, artibusque liberalibus exerceri.

S. Gregorij idem studiū.

28. Nouerant nimirum Viri hi eximij DEVMque timentes, verissimum esse illud, quod Plutarchus grauissimus Philosophus Traiani Principis Præceptor, memoriæ prodidit, libro illo verè aureo, quem de liberorum educatione scripsit. In quo inter reliqua memoria dignissima protulit: *Sicut*, inquit, *infantium membra, simul ac nati sunt, formari, componique debent, vt recta, minimeque obliqua fiant, ita puerorum mores principio aptè, concinneque fingere conuenit.*

Plutarchi de erudienda iuuentute præcepta.

Illa namque nouella ætas, ad fingendam facilis, & tenera est, & ipsorum animis, dum molles adhuc extant, disciplinæ meliùs instillantur: difficilius autem, quæ dura sunt molliuntur. Quemadmodum enim sigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrinæ, dum puerilis animus est, insculpūntur. Aptissimè igitur Diuinus ille Plato, nutrices admonuisse videtur, vt ne friuolas, ac turpes pueris fabellas mandent, ne illorum animos ex initio, stultitiâ ac corruptis imbuant moribus. Pulchrè igitur Phocylides Poeta monuit:

Dum tener est natus generosos imbue mores.

Hæc ille, & plura alia sanè sapientissimè. De vniuerso hoc argumento præclarè scripsit P. Petrus Ribad. libr. 3.

Vitæ

Vitæ S. Ign. cap. 24. vbi luculentissimis atque eruditissimis allatis rationibus ostendit iure merito Societatem nostram hanc teneræ ætatis institutionem, à primis suis initijs amplexam, vt potè quæ intelligeret hac vel solâ Reipublicę Christianæ incolumitatem, salutemque contineri.

29. Quid mirum igitur si sapientissima æternæ sapientiæ parens tenellam illam ętatem tam tenero amore, ac beneuolentiâ ad instar cuiuspiam hominum amantissimi Delphini complexa est? Quod si reliquas quoque huius beneuolentissimi animalis indagemus proprietates, videbimus omnino in illo veluti typo quodam pulcherrimas, virtutes, indolemque Virginis Deiparę adumbrari. Si enim Delphinus, vt scribit ex Aristotele Causinus noster lib. 8. Symbolorum, solus inter pisces caret felle; quo sanè mitissima, benignissima, placidissimaque eius, erga homines pręsertim, demonstratur natura: Et quis placidior, benigniorque Virgine nostra reperitur? Nimirum in illa non fel vllum acerbitatis, sed diuinæ charitatis mel fuit reperire. Vnde mellifluus Doctor serm. 1. de Assumpt.

Delphinus caret felle.

B. V. absque felle, tota redundans charitatis melle.

Dubitare quis potest omninò in affectum charitatis transiisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas nouem mensibus corporaliter requieuit? Dulcedinem huius suæ pietatis ostendit Virgo erga pauperes illos sponsos in nuptijs Canæ Galilæi cum dixit Filio: *Vinum non habent. Compassa enim est*, inquit idem Bern. serm. 1. post Dom. Epiph. *eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima.*

B.V. piissima, quia in illa æterna pietas 9. mensibus requieuit.

Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid inquam mirum si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonnè qui pomum in manu sua tenuerit dimidiâ die, reliqua diei parte pomi seruabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit? Audiamus denique eundem Bern. de hac eius mansuetudine, ac pietate mirificum elogium serm. de verb. Apoc. ex quo intelligere poterimus perspicue Diuam Virginem Delphinum quendam esse omne felle carentem: *Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est omnibus offerens lac et lanam. Reuolue diligentius Euangelicæ historiæ seriem vniuersam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si, vt verè sunt, plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inueneris, age gratias ei, qui talem tibi Mediatricem prouidit, in qua nihil possit esse suspectum, &c.* Hactenus Bern. Agnouit denique dulcedinem pietatis in Deipara B. Petrus Card. Dam. serm. 1. de Natiu. B. V. *Scio*, inquit, *Domina quia benignissima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te Filius tuus, & DEVS tuus summâ dilectione dilexit. In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, & sola electa es, cui tanta gratia conceditur.*

In B. V. nil austerum nil terribile.

B.V. amat nos amore inuincibili.

In manibus B. V. sunt thesauri miserationum Domini.

30. Hanc crediderim ob causam eâ à sponso, & vnicâ columbâ, & suâ colūbâ vocitari, eo quod omni felle amaritudinis careat, quodq; in mortales omnes sit mitissima, atque mansuetissima. Vnde Honorius Augustodunensis Presbyter encomium illud ponderans spōsi: *Oculi tui columbarum*. Cant. 1. *Columba ait, in petra nidificat, alienos pullos nutrit, felle caret, rostro non lædit, iuxta fluenta habitat. gregatim volat: Sic Ecclesia, ac multo magis eiusdem Christi Mater Deipara, in petra quæ est Christus fide, & opere nidificat, alienos à verbo Dei verbo, & exemplo nutrit, malitiâ inuidiæ caret, neminem detrahendo lædit, iuxta fluenta scripturarum residet, vt raptus accipitrum, videlicet Dæmonum, euadat, multos secum ad gaudia trahere laborat.*

B.V. vnica Christi Columba dicitur, quod omni felle amaritudinis careat.

Columbæ proprietates.

31. Ob eandem suauitatem amabilitatemque, Oculos habere columbarum Virgo dicitur Cant. 1. imo eos ipsas esse columbas perhibetur Cant. 5. ob suauem illum, & omni felle carentem aspectum: *Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Quæ elogia considerans Rich. à S. Laur. libr. 5. de laud. B. V. *Dicitur hoc*, inquit, *de oculis Sponsi, & exponi potest de oculis Mariæ; Sicut oculi columbæ, quæ simplicitatem ac innocentiam denotant, dùm sedet super riuulos aquarum, aquas respiciunt, quæ in præsentiarum fluunt, & in illas quæ iam fluxerunt, illosque quæ affluunt: Sic oculi Virginis per simplicitatem innocentiamque columbini, in speculo Trinitatis perspicaciter conspiciunt præterita, præsentia, & futura. Oculi hi mitissimi Columbis lacte lotis comparantur, quia respectus eius pietatis ac misericordiæ, dulcedine perfusus est.* Oculi hi subtiliter vident vt columbæ, quia iuxta fluenta plenissima Sapientię Saluatoris resident. Sed si vis, vt te respiciant oculi

B.V. oculi in speculo Trinitatis conspiciunt pręterita, presētia, & futura.

Laus Oculorum B. Virginis.

li

li isti, oportet te fieri pauperē Spiritu, quia oculi Christi, & Mariæ in pauperem respiciunt. Sicut oculi Matris super puerum ne cadat, & si ceciderit vt eum reuelet. Sic planè oculi Mariæ.

Eandem benignitatem Virginis dulcissimam, omni felle carentem deprædicat lib. 2. *Oculi Domini super iustos. Sed oculi Dominæ super peccatores, & iustos, sicut oculi bonæ Matris super puerum ne cadat, vel si ceciderit, vt eum subleuet. Vnde ipsa sibi seruienti ait: In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos. Sis ergo humilis, vt te oculi Mariæ benignè respiciant.* Hæc Rich. ex quibus miram Virginis, melleamque suauitatem, nititatéque columbinam, omni carentem felle amaritudinis, aut indignationis agnoscimus.

Oculi B. V. super peccatores & iustos, & eos subleuet.

32. Eandem ob causam crediderim ab Ecclesia Dulcedinem appellari. Est enim illa tota mellea, imo ipsum mel, ipsaque aerij mellis cælestia dona elargita est mortalibus, ad amaritudines innumerabiles, huius vitæ calamitosissimæ temperandas. Hinc Sponsus Cant. 4. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & eloquium tuum dulce.* Quæ verba librans Rupertus, ostendit originem, vnde tanta dulcedo in Virginem defluxit: *Deo*, inquit, *adhæsisti, vt vnus cum eo Spiritus sis. Hinc eloquium tuum dulce, quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, & dulcedinem, quæ abundat interius sapit sermo, qui redundat exterius.*

Origo dulcedinis in B. V. DEVS est.

Eidem origini dulcedinem hanc Virgineam adscribit Rich. de S. Vict. *Deuotæ animæ dulce est eloquium, & delectat, gratum est, & ædificat, quia procedit ex charitate, & profluit ex fonte gratiæ, gustat enim quoniam suauis est Dominus. Vnde dulcedinem quam experitur refundit, & plenitudinem qua fruitur, eructat. Quia repletum cor Spiritualibus delicijs, eructat foras verbum bonę dulcedinis, consolationis, instructionis, admirationis. Cordis promptuaria plena sunt his diuitijs, eructantia ex hoc dono gratiæ in illud.*

Loquelæ B. V. mira dulcedo.

Hugo de S. Victore serm. vlt. de Assumpt. Sic Christum alloquentem Matrem, eiusque oris dulcedinem explicantem introducit: *Ego expertus sum quod laudo, fauus distillans labia tua. Ego diuinitus tibi charitate, osculo oris mei labia tua pressi, simulque dulcedinem infudi, et à dulci dulcedinem expressi.*

Christus B. V. osculo suo dulcedinem infudit.

Valdè impressi dulcedinem, & verè expressi suauitatem, quando meum tuo in te sociaui, & per tuum, à te cum meo pariter, & tuo exiui. Mea Diuinitas mel erat, & tua humanitas cera erat, & inde meipsum fauum feci.

Diuinitas Mel est.

33. Hinc Bernardinus Bustius eam cælestem illum Apem, quæ nobis Diuinum illud Mel, quo amaritudo illa fellea, quam Protoplasti in mundum suo scelere inuexerunt dulcorata est, esse dixit: *Apem, inquam illam, de qua Eccli. 11. 3. Breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus eius.* Quasi dicat: Sicut fructus ille venenatus arboris vetitæ, Euæ manu porrectus Adamo initium omnis amaritudinis, quo vniuersum genus humanum miserrimè amaricatum est, ac pessundatum extitit; Sic fructus mellitissimus huius breuis humillimæque apiculæ, fructus, inquam, eius ventris benedictus initium fuit omnis illius dulcedinis, quæ in vniuersum orbem redundauit. Ob hanc enim stillarunt montes dulcedinem, & colles lacte, ac melle distluxerunt.

B.V. Apis quæ mel nobis ad amaritudinem huius vitę temperandam fundit.

34. Dulcedinem hanc Deiparæ plusquam melleam degustarat Epiph. cum lib. de laud. B.V. *Hæc est gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satiat.* Eandem dulcedinem degustarat Seraphicus Doctor Bonau. in suo Psalterio præsertim, quam sæpissimè; dum ei modo ita canebat: *Hæc est cuius distillatio dulcoris oblectat animas sanctorum, & Infusio charitatis eius super mel dulcissima* Psal. 85. Modo: *Hæc est cuius dulcis est memoria super mel & fauum, & amor eius super omnia aromata.* Psal. 75. Modo: *Quam magna est multitudo dulcedinis tuæ Domina, quam præparasti sperantibus, & diligentibus te!*

B.V. dulcedo oblectat animas Sanctorum.

B. V. memoria supra mel & fauum.

Ipsius denique Virginis sunt verba illa Eccli. 24. *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum.* Quæ verba supra memoratus Rich. à S. Laur. expendēs li. 4. sic loquitur: *Spiritus Mariæ nihil amaritudinis, sed totus est dulcis. Sicut enim pyxis contenti electuarij odorem retinet, & saporem, sic Spiritus B. Virginis dulcedinem Christi, qui in eius vtero nouem mensibus requieuit; Et licet ex ipsius prodierit vtero in hūc mundum, nunquam tamen à Spiritu, vel mente eius recessit. Spiritus etiam Mariæ dulcis est, & dicitur, quia specialis apotheca ipsius Spiritus Sancti extitit, qui dulcedo Patris, & Filij propriè nominatur;* Denique Spiritus meus, inquit Virgo, mea videlicet Spiritualis dilectio qua diligor, & diligo super mel dulcis est, quia omnem temporalem excedit dulcedinem. Sic ille.

B. V. Specialis Apotheca Spiritus S.

Spiritus S. dulcedo Patris, & Filij dictus.

35. Dulcedinem hanc in Virgineo in-

inuenit Spiritu admirabilem idem Richar. libr. 7. dum eam Arcæ, Vrnæque aureæ dulciſſimum Manna continenti comparauit: *Maria*, inquiens, Manna, *vel Manhu vocitatur, quia admirabilis conſolationis dulcedo, quam ſpecialibus ſuis amatoribus, eos viſitando infundit, quodammodo reddit attonitos, dum eam deguſtant, facitque exclamare præ admiratione: Quid eſt hoc? Ideo dicit Virgo ipſa: Spiritus meus ſuper mel dulcis*: Eodem Manna, dulciſſimam Mariæ charitatem, in qua fuit radicata, & fundata, figuratam eſſe pronunciauit. Quam ſanè quicunque deguſtant, in Manhu erumpere, attonitis quodammodo ſenſibus, cogitur, dum Matris Dei altiſſimi, ad infimos mortales, eorum neceſſitatibus miſerijſque ſuccurrendo, contemplatur demiſſionem.

M. ſtramma admirabile, ob dulcedinem quam continet.

Mariæ dulcedo charitatis admirabilis.

36. Et ſanè decebat Virginem hæc morum dulcedo, lenitas, mititas, & abſque felle manſuetudo, vtpote vniuerſi totius Reginam. Vnde Seneca libr. 1. de Clem. *Nullum clementia, ex omnibus magis quam Regem, & Principem decet*. Hinc Saluſt. *qui benignitate, & clementia imperium temperauere, his candida, & læta omnia fuiſſe, etiam hoſtes æquiores, quam alijs ciues*. Hinc in maximis Imperatoribus, ac Principibus, etiam Ethnicis virtus hæc facilitatis fuit ſemper celebratiſſima. Audiamus Spartianum de Adriano Cæſare: *In colloquijs*, inquit, *etiam humillimorum ciuiliſſimus fuit, deteſtans eos, qui hanc voluptatem humanitatis, quaſi ſeruantes faſtigium Principis, ſibi inuiderent*. Eiuſdem genij Titus fuit Veſpeſianus, teſte Suetonio, qui aiebat; *non oportere quemquam à ſermone Principis triſtem diſcedere. Quare ſi quem aliquo die beneficio non exhilaraſſet, cenſebat ſe diem perdidiſſe, aiebatque: Amici diem perdidimus*. Audiamus Plinium quâ ratione Traiani mititatem deprædicet in ſuo Panægyrico: *Non tu*, inquit, *ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec oſculum manus reddis. hæret lateri tuo quiſquis acceſſit, finemque ſermonis ſui cuique pudor, non tua ſuperbia facit. Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora, audiuntur ſtatim, dimittuntur ſtatim*. De eodem Traiano audiamus Eutropium: *Culpantibus*, inquit, *amicis, quod nimis circa omnes comis eſſet, reſpondit: Talem debere Imperatorem eſſe priuatis, quales ſibi eſſe Imperatores priuatus optaſſet*. Audiamus Lampridium de Alexandro Seuero: *Moderationis tantæ fuit, vt nemo vnquam ab eius latere ſubmoueretur, ita ſe omnibus blandum, affabilemque præbebat, vt amicos non ſolùm primi, & ſecundi loci, ſed etiam inferioris ægrotantes inuiſeret*. Quid demùm dicam de Chriſtiano Imperatore Theodoſio ſeniore? de quo Palcatus in eius Panægyrico ipſum alloquens hæc habet: *Creber egreſſu expectantibus populis te fateris, nec videri modo patiens, ſed facilis adiri; è proximo accipis vota omnia tuorum*. Taceo alios quàm plurimos Reges ac Principes æquè Ethnicos, ac Chriſtianos, qui hac lenitatis ac facilitatis gloria, tanquam virtute Principe, Regeque digniſſima, floruerunt, eamque inter præcipua Regij diadematis decora ac ornamenta ad inſtar lucidiſſimæ gemmæ repoſuerunt.

Clementia maximè cæli Reginam decet.

Adriani Imperatoris benignitas etiã erga humiliores.

Titi Veſpeſiani benignitas.

Traiani manſuetudo.

Alexandri Seueri moderatio.

Theodoſij Senioris facilitas.

37. Quare merito, dicere poſſumus ſingulari quodam ſplendore in Virgine ac Regina noſtra Regum Reginarumque maxima virtutem hanc ad inſtar Lunæ inter reliqua virtutum ſydera emicuiſſe. Hanc erga omnes facilitatem Virginis noſtræ, Reginæ clementiſſimæ mirè, aptiſſimèque celebrauit Bern. ſerm. de Verb. Apoc. Vbi enim illa ſupra memorata præmiſiſſet, hæc ad illorum cumulum addidit: *Denique omnibus omnia facta eſt ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe facit, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi; captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam; Angelus lætitiam, filij perſona carnis ſubſtantiam, tota denique Trinitas gloriã, vt non ſit, qui ſe abſcondat, à calore eius*. Hæc Bernard. Hanc in Virgine facilitam, ſuauitatemque Eccleſia cum ſanctis Patribus agnoſcens iure merito Reginam, Matremque miſericordiæ, non autem Imperatricem nuncupauit, vt obſeruauit S. Bern Sen.

B.V. clemẽtia præ reliquis virtutibus emicat.

B V. ſua charitate omnibus omnia facta.

38. Iam quid de Delphinorum inſigni erga benefactores gratitudine dicam? Rem admirabilem de his ſcribit Aelianus libr. 8. cap. 3. quod Cæranus quiſpiam ad Byzantium captiuos Delphinos, reti nimirum concluſos, pecunia redemit, atque in mare, libertate donatus dimiſit. Non excidit gratiſſimis piſcibus tanti beneficij memoria. Hominem enim hùc, poſteà facto naufragio, naui ſubmerſa, exceperunt, placidèque in portu collocarunt. Cùm verò poſteà is fato functus eſſet, exequiarumque pyra arderet in littore,

Delphinorũ in benefactores gratitudo.

frequentes exiliere è mari, nec nisi extincto rogo quasi officiosissimi amici, discesserunt.

B. V. gratitudo erga sibi deuotos.

39. Mira sanè est hæc in piscibus mutis gratitudo, mira benefactorum memoria. Verùm multo maior, absque comparatione resplenduit in Deipara. Testata est hanc in S. Hyacintho sibi addictissimo seruulo, ac clientulo exhibitorum sibi officiorum memoriam. Cùm enim Tartaris subito in Templum irruentibus ipse asportato secum venerabili sacramento fugeret, fugientem compellauit Dei Mater, ex statua quadam ex alabastro confecta: *Fili Hyacinthe, vt quid me deseris? Sic ergo meorum inimicorum opprobrijs me committes? Age, age me cum Filio meo alio transporta.* Cum ille porrò virium imbecillitatem, ad tantum onus portandum causaretur, adiecit Deipara, vt sese confidenter assumeret futuros tanto oneri humeros non impares.

S. Hyacinthus statuam B.V. ex alabastro ab iniuria Tartarorum seruat.

Quod, & euenit, nam cùm effigiem illam præ amore lacrymans, in humeros accepisset leuem admodum expertus est. Neque verò Virgo cum Filio beneuolentia superari à Hyacintho se passi sunt. Cum enim ad Boristhenem fluuium peruenisset, & ibi nec pons, nec nauis vlla compareret, facto signo crucis imploratoque Virginis auxilio, sacræ Eucharistiæ, Iconisque Virgineæ fretus præsidio substrata chlamyde, sicco aquas traiecit vestigio, quod etianum visitur. Nec hic gratitudo stitit Deiparæ. Innumeris illum totius vitę decursu ornauit fauoribus, ac gratijs, tandemque ad cumulum omnium, illud adiecit præclarissimum, quod eum secum cælestem assumpserit in gloriā, dum eum eodem die, quo ipsa assumpta est in cælos, ex hac vita migrare voluit.

B. V. erga S. Hyacinthum gratitudo.

B.V. S. Thomam Cant. Archiep. in resarciendo cilicio.

40. Testata est in Adolescente Thoma postea Episcopo Cantuariensi, quem ob fidelissima sibi exhibita seruitia, iuuit etiam resarcire cilicium, & resarciuit ipsa, quia crebra gestatione in ipsius honorem illud lacerarat.

Testata est in Hermano cui, vt ante meminimus, ad subleuandam eius paupertatem pecunias pro rebus necessarijs coemendis suppeditabat.

Religioso gaudia B.V. recolēti, gaudium ipsa ad precatur.

Testata est in illo Religioso, qui cum magno pietatis affectu altare B.V. pertransiens, eam gaudere iubebat, illi peramanter respondere non est dedignata, vt testatur B. Petrus Card. Damasc. *Gaudium mihi annuntiasti, gaudium tibi eueniet.*

S. Bernardinus Sen quotidie coronā in honorem gaudiorum B.V. persoluens, donum concionandi accepit.

41. Testata demùm est gratitudinem hanc suam Deipara erga S. Bern. Senensem, qui quod ei diebus singulis corollam ex salutationibus Angelicis, velut rosis odoriferis contexere fuerit solitus. Ipsa, in grati animi significationem donum ei eximium concionādi, ac miracula perpetrandi, à dilectissimo Filio suo impetrauit. Rem vniuersam posteritati commendauit Religiosissimus Pelbartus de Temisuar Ordinis Seraphici sydus lucidissimum his verbis lib. 2. stellarij part. 2. art. 3. *Cum hęc corona B.V. in vsum plurimorum venisset, S. Bern. de Senis quotidie eam ob deuotionem Virginis perorabat, cui die quadam oranti ipsam coronam, apparuit B. V. dicens: O' mi deuote famule multum mihi complacui in tua deuotione, ecce quia me hac corona quotidie honorasti, impetraui tibi à Filio meo gratiam miracula faciendi, & prædicandi.*
Et tandem scias te in cęlo mecum sine fine lætaturum, meorumque gaudiorum participem, & sic ab illo tempore cæpit sanctus miraculis coruscare, maximisque gratijs abundare.

Idem S. Bern. gloriabatur se omnia dona quę habe ret, per deuotam memoriam gaudiorum B. V. aquisiuisse.

Addit idem Pelbartus art. 2. eundem Patrem sanctissimum dum adhuc in hac vita versaretur sanctis suis fratribus dicere fuisse solitum: se omnē gratiam quam haberet, vel habuisset, acquisiuisse, & obtinuisse per deuotam gaudiorum B. Virginis recordationē, in quorum memoria quotidie Coronam recitabat. Vnde pro his donis gratus Bernardinus vbicunque se offerret occasio in concionibus, in laudes Deiparæ excurrendi, arripiebat auidissimè, easque tanto feruore Spiritus, atque alacritate explicabat, vt omnibus esset admirationi. Quod etiam constat omnibus, qui eius conciones lectitarunt, in quibus mirus in Deiparam amor, diuinumque lumen elucescit.

S. Bernardinus vt se gratum B.V. exhiberet, in laudes B. V. alacriter excurrebat pręsertim in Concionibus.

42. Quid de illo sacerdote Idiota dicam, qui adeo rudis fuisse memoratur, vt refert P. Antonius Balinghen in Kal. Deipar. 29. Decembr. vt quotidie Missam tantum de B.V. celebraret. Delatus hic fuit apud S. Thom. Episco. Cantuar. qui illum à Missa celebranda mox suspendit, cum miser Sacerdos ob inopiam affligeretur, rogaretque Virginem pro auxilio, ipsa se illi benignissimè visendam exhibuit, eique dixit: Vade ad Episcopum, dic ei, ex me

Sacerdos rudis à S. Thoma Cant à sacris suspēditur, sed à B.V. mirabiliter liberatur.

vt tuum tibi restituat officium. Cui ille cum respondisset; *Domina mea ego sum homo pauper, & vilis, non mihi ad eum patebit accessus, nec me audiet*, subiecit Virgo: *Vade, ego tibi viam præparabo*. Et ille. O' *Domina non credet verbis meis*. Intulit Dei Mater: *Dicas ei pro signo, quod à me missus sis, me tali hora, tali loco, dum suum cilicium resarciret, me inquam, illud ex vna parte tenuisse, eumque iuuisse, & statim credet tibi*. Sacerdos igitur inaudita hac benignitate animosior effectus, manè sine obstaculo ingreditur ad Episcopum, petitionem suam nomine exponit Dei paræ. Cui cum ille diceret: *Vnde credam te ab ea missum?* prædictum de cilicio signum retulit. Quo audito S. Antistes obstupescens, ac timens; *Ecce*, inquit, *tuo te officio restituo, vt tantùm Missam de B. V. celebres, & ora pro me semper*; O' admirandam planè Dei Matris animi gratitudinem ac benignitatem, pientissimamq; in suos clientulos solicitudiné.

Absoluitur sacerdos, eo pacto, vt tantum de B. V. Missam celebret.

43. De hac ipsa gloriabatur. Prou. 8. *In vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam*. Quare Rich. à S. Laur. libr. 2. de laud. Virg. inter causas, ob quas docet seruiendum Deiparę, hanc in ordine vigesimam affert: *Quia cum sit*, inquit, *thesaurus Domini, & Thesauraria gratiarum eius, donis spiritualibus ditat copiosissimè sibi seruientes. Vnde ipsa cum sapientia dicit: In vijs iustitiæ ambulo, &cet.*

Seruiendum B. V. quia ditat copiosissimè sibi seruientes.

Protegit insuper potentissimè seruos suos, à triplici aduersario, mundo, carne, ac Diabulo, quibus est terribilis, vt castrorum acies ordinata. Idem lib. 4. explicat diuitias, quibus suos seruulos, sincerosq; suos amatores largiter locupletare consueuit: *De multitudine diuitiarum suarum gloriatur ipsa cum dicit: Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia. Quasi dicat tibi seruire, seque diligere contemnentibus: Si amor meus non mouet vos, ad quærendum, & diligendum me, saltem cupiditas moueat vos, quia mecum sunt diuitiæ, & gloria, diuitiæ nimirum gloriosæ, quæ possessores suos faciunt gloriosos. His ego dito diligentes me, & thesauros eorum repleo, ternas videlicet eorum Animæ vires. Precibus enim Matris replet Dominus Rationabilem, perfecta agnitione summæ veritatis; Concupiscibilem, perfecta dilectione summæ Bonitatis; Irascibilem, perfecta gloria exultationis*. Hactenus Rich.

B. V. protegit suos, à mundo, carne, & Diabolo.

Quales diuitias B. V. suis cultoribus largiatur.

44. Hæc porrò omnia Virgo beatissima singulari animi complacentiâ, gratitudinis memor, exhibet potissimùm peccatoribus; Nouit enim se ad eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem ac gloriam per illos euectam esse, vnde gratâ tantum beneficium recolens memoria, adlaborat pro iuribus apud Filium, vt eos ad se conuertat, vt opibus spiritualibus locupletet, atque in dies omnium virtutum maiora tribuat incrementa.

B. V. gratitudinem ostendit erga peccatores, qui ei causa fuere vt esset Mater Dei.

Agnouit hanc Virginis erga peccatores gratitudinem idem Richa. à S. Lauren. libr. 4. de laud. Virg. cum dixit: *Maria dicere videtur Christianis cum Apostolo: Testis est mihi DEVS quomodo cupiam vos in visceribus Christi filij mei: Ipsa enim est fons misericordiæ: Quia sicut hic per subterraneos meatus semper recipit aquam, & semper refundit: sic B. V. fons, & puteus est aquarum viuentium, quæ à Christo ad ipsam, & ab ipsa ad nos flluunt impetu de Libano, de candore videlicet benignitatis vtriusque.*

B. V. effusa in peccatores Charitas.

Non enim Mater hæc dedignatur peccatores, sicut nec bona mater filium scabiosum, quia propter peccatores facta se recolit, misericordiæ Genitricem. Vbi enim miseria non est, misericordia locum non habet. Ideo etiam comparatur Lunæ, quę sicut inter Planetas, omnes terræ propinquior est, sic Maria inter sanctos magis peccatoribus, per terram, creaturarum omnium vilissimam designatis condescendit. Ideo ei dicere possunt peccatores quod propter ipsos Mater misericordiæ facta est. Nisi enim homo peccasset, Dei Filius non esset incarnatus, nec ipsa Dei Mater effecta. Vnde quidam illi cecinit apposite:

Sicut Luna inter reliqua sidera terræ propinquior sic B. V. peccatoribus.

Festina miseris misereri Virgo beata,
Nam te, si recolis, miseri fecere beatam,
Ergo bea miseros, quorum te causa beauit.

Et quidam alius:

Nec abhorres peccatores,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna Filio.
Si non essent redimendi,
Nulla tibi pariendi
Redemptorem ratio.

Et paucis interpositis idem prosequitur argumentum: *Ad hoc designandum*, inquiens, *eadem hora, quæ in Bethleem Saluatorem peperit, Romæ fons olei erupisse dicitur, & vsque in Tyberim defluxisse. Roma siquidem semper fuit quædam sentina peccati, & ipsa peccatoribus peperit illum, qui ad hoc natus est, vt tolleret peccata mundi. Ad hoc enim venit ipse, vt stabula cordium nostrorum emundaret, atque ideo in stabulo nasci dignatus est.* Sic ille.

Eadem hora qua B. V peperit Christũ fons olei Romæ erupit, & quare.

45. Agnouit hanc Deiparæ Virginis erga peccatores gratitudinem S.

Germ. Archiep. Constant. orat. de Zona V. dum ipsius in genus humanum amplissima deprædicat beneficia:

Nos inquēs, qui propter multitudinem peccatorum adeo eiecti eramus, per te DEVM acquisiuimus, & cum inuenissemus, salui facti sumus. Potens ergo ad salutem est tuum auxilium, ò Deipara, & non indiget aliquo alio ad DEVM intercessore. Hoc nos certè scientes, vt qui etiam cum sæpè petierimus, experientiâ didicimus, te esse vehementissimam nostram auxiliatricem, affatim postulandi sumimus occasionem, & in præsentia ad te confugimus tuus populus, tua hæreditas, tuus grex, qui tui Filij appellatione exornatur, & gloriatur.

B. V. auxiliũ est potens ad salutem.

Sapientia didicimus B.V. esse vehemẽtissimam Auxiliatricem,

Non est reuera finis tuæ magnitudinis, non est vlla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus est enim qui saluus fiat, nisi per te, ò Sanctissima! Nemo est qui liberetur à malis, nisi per te, ò purissima! Nemo est cui donũ concedatur, nisi per te, ò castissima! Nemo est cuius misereatur gratia, nisi per te, ò honestissima! Quãobrem quis te beatam non pronunciabit? Quis non glorificabit? Quis non magnificabit, si non pro dignitate, saltem promptè, & alacriter te, quę es glorificata, te, quæ es dicenda beata, te, quæ magnalia es consecuta ab ipso tuo Filio, & Deo verè magna, & admirabilia. Quamobrem te laudent omnes Generationes: Hactenùs Germ.

Non est numerus beneficiorum B. V.

Nullus est qui saluus fiat, nisi per Mariam.

46. Hanc denique gratitudinem Virginis in suos agnouit S. Bern super Salue Regi. Agnoscit Virgo, inquit ille, & diligit diligentes se, & prope est in veritate inuocantibus se, præsertim ijs, quos videt conformes sibi factos in castitate, & humilitate, & totam spem suam, post Filium suum, in ea posuerint, & toto corde quæsierint.

B.V. diligit diligentes se & sibi cõformes in castitate, &c.

Eandem Deiparæ gratitudinem paucis sed efficaciter expressit Idiota sapientissimus, cùm dixit: *Inuenta Maria, inuenitur omne bonum; Ipsa enim diligentes se diligit, & sibi seruientibus seruit.*

47. Seruiuit Virgo beatissima suo illi fidelissimo seruo, imò vero voluntario Mancipio Vualtero Viro nobilissimo Ducisque Louanij familiarissimo, affinitateque proximo qui vt Scribit Cæsarius lib 7. cap. 39. ab ipsa pueritia intimo cordis affectu pietateque ferebatur in Virginem, eamque ieiunijs, eleemosynis, sacrificijsque Missarum auditis, contestabatur.

B. V. gratitudo erga Vualterum.

Nec his pietatis operibus contentus, tot in se Deiparæ considerans beneficia, tanto tamque vehementi in illam exarsit amoris igne, vt in Templo honori Deiparæ consecrato, fune collo iniecto, tanquam seruus, ac mancipium annuum tributum certæ pecuniæ super altari quotannis deponeret, seseque totius Vniuersi Dominæ ac Reginę perpetuæ seruituti manciparet.

Et quia, inquit Cæsarius, *se propter honorem Reginæ cælestis tam valdè humiliauit, ipsa suum dilectum valdè glorificauit. Sub ipsis enim missarũ solennijs die quadam postquam Sacerdos calicem eleuasset, auream ibidem reperit Crucem cum hiscè Verbis Deiparæ in chartula enarratis: Crucem hanc defer, ex parte mea amico meo Vualtero militi propè Birbach.*

B.V. Vualtero auream crucem mittit.

Visa sacerdos pulcherrima illa cruce Virginisque Epistola, de superiori loco, quæsiuit, num quis ibi Vualterus adesset, mox respondetur à proximo, illic esse. Tum accepta Cruce, intellexit se ad Crucem Religionis, quæ verè aurea Crux, respectu trabalium Crucum, huius sæculi dici potest, à Diua Virgine benignissimè inuitari.

Vualterus accepta Cruce à B.V. fit Religiosus cistere.

Inuitationem acceptauit Vualterus, Ordinemque Cistercienſem Virginis obsequijs alias mancipatum ingressus, vitæ sanctitate, singularique in Deiparam pietate mirificè floruit, ostenditque in se luculenter quam grata erga sibi deuotos clientulos ac seruos Dei Mater esse consueuit.

48. Ante hunc Virgineam quoque gratitudinem expertus est Marinus B. Petri Card. Damiani frater, vt ipse scribit lib. 2. Epist. 14. Hic enim totum se obsequijs B. Dei Genitricis, *velut seruile mancipium*, vt loquitur Damianus, *tradidit, & nudus collo corrigia qua cingebatur innexa, ad altare B.V. quasi malum seruum coram Domina se verberibus affici curabat: Domina mea gloriosa*, inquiens, *Virginalis mundiciæ speculum, omnium norma virtutum, quam ego te miser, & infelix per obscænam carnis meæ putredinem offendi, eamque cuius tu Mater, & auctor es corporis mei castitatem violaui? Nunc itaque, quod solùm remedij superest, me tibi famulum trado, tuæque ditionis imperio substrati cordis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem, nec tua pietas respuat delinquentem, cuius intemerata Virginitas peperit verę pietatis auctorem. Per istud ergo munusculum seruitutis meæ tibi nunc offero censum, & amodo, & deinceps quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum. His dictis quandam pecuniæ summã ad altare deposuit; qua sanè securissimum ex hac vita transitum patrocinio Virginis sibi comparasse visus.* Priusquam enim è vita

Ritus, quo Marinus, se B.V. in mancipium obtulit.

B. V. Marino ante mortem se videndam exhibet, eumque solatur.

vita migraret, Deipara, innumeris Angelis comitantibus stipata, ei adesse, eumque inuisere, hilaritatemque illi sereni vultus ostendere, eumque benedicere dignata est. Quam ille conspicatus, cum circumstantes admonuisset, vt tantæ assurgerent Reginæ, tandem exclamauit; *Benedic me Domina mea, & ne patiaris in tenebras ire, cui lucem tantæ præsentiæ contulisti*. Quibus dictis non ita multo post suauiter exspirauit.

O singularem planè Virginis erga suos beneuolentiam, gratique animi significationem inauditam!

49. Huius sanè gratitudinis Virgineæ in suos clientulos contra præsertim Tartareos hostes, animarum callidissimos insidiatores, passim innumera apud Auctores reperiuntur exempla. Refert D. Antoninus 3. Part. Hist. Tit. 23. cap. 10. §. 6. Religiosum quendam Dominicani Ordinis, Alanum nomine, Deiparæ fuisse amantissimum, cum tamen ad extrema vitæ is peruenisset, eique duo Dæmones aspectu horribili, ad eumque rapiendum parati adstitissent, horrore tanto percussus est, vt extra se positus exclamaret: *Maledicta hora in qua Religiosus factus sum*. Verùm adueniente Deipara, cuius obsequijs totius vitæ decursu sese studiosè impenderat, effugati sunt mox teterrimi illi tenebriones, visaque misericordię Matre, spem illico de sua salute concepit, vtpotè, quæ ipsa de se dicit: *In me omnis spes vitæ, & virtutis;* serenoque vultu exclamauit: *Benedicta hora qua in ordinem intraui, & Benedicta Mater Christi, quam semper dilexi*. Quibus dictis, orantibus pro eo fratribus cum lacrymis, qui ei adstabant, suauissimè in Domino obdormiuit. O quàm verè B. Andr. Cret. orat. 2. de Dormit. B. V. pronunciauit: *Hæc est porta cæli, de qua Iacob dixit: Quam terribilis est locus iste; verè non est hic aliud nisi Domus Dei, & Porta cæli.*

B.V. Alanum in morte penè desperantem visitat, & in spem erigit.

B.V. est Porta cæli, & locus terribilis Dæmonibus.

50. B. Henricus Suso eiusdem Ordinis Vir sanctissimus, cum Sathanam aliquando nigro vultu, igneisque oculis arcum manu vibrantem acriter obiurgasset, quod fratrem quēdam igneâ contortâ sagittâ pene deiecisset, cumque eandem in se vibrantem ferocius aduertisset, ad opem sibi dilectissimæ Deiparæ, illis verbis implorandam cōfugit: *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria*. Vix hæc pronunciarat, cum Diua Virgo, solitâ suâ omnipotentia crudelissimum abegit hostem, vt testatur Ferdin. Castillius P. 2. Chron. S. Dominici lib. 2. cap. 18.

Henricus Suso Dæmonē in se ignitam contorquentem sagittam inuocatione B. V. abigit.

51. Quid S. Guilelmum Eremitam olim Ducem Aquitaniæ Deiparæ studiosissimum memorem? quem cùm Cacodæmon, assumptâ Patris proprij effigie, varijs technis, ac blandimentis, suâque putissimum propositâ orbitate, ad sæculum reuocare nequiuisset, tandem adscitis alijs è Tartaro socijs, efferatâ immanitate, effractis cellulæ foribus, eum ferocissimè extrahunt, verberibus adeo immaniter laniant, vt concussis, confractisque membris omnibus, penè examinis sit relictus. Spectauit heroicum hoc certamen Virgo nostra Multiocula, vt eā vocat Epiphanius, eiusque miserta Mater misericordiæ, charitate ad instar Seraphini cuiuspiam flagrantissima in auxilium sui militis, amantissimique clientuli, duabus stipata Virginibus, hilari facie, cælicaque luce radianti, aduolauit. Mox Virgines excitato luculento igne corpus Guilelmi suauiter calefaciunt, vnguento preciosissimo, magnâ pietatis significatione perungunt, ac mox pristinæ sanitati restituunt; eoque salutato, ac verbis blandissimis recreato, abscedunt. Hanc Virginis siue gratitudinem siue beneuolentiam, ipsius vitæ Auctor Theobaldus Episcopus considerans, sanctique huius Viri merita suspiciens, iure pronunciauit: *Merito ad eum Angelorum Domina mittitur de cælis, qui puritate Angelica rutilare nitebatur in terris. Iustè quidem Dei Filius Matrem destinauit corporalem ad sanandum in terris matrem suam spiritualem: Qui, inquit, fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus Frater, & soror, & Mater est. O mira vnguenti suauitas! O mira vngentium efficacitas! O mira vnctionis, & salutis celeritas! Felix contritio, quam pia manus alligat. Felix fractio, quam Virginalis palma consolidat. Felix vulneratio, quam digitus Dei Genitricis perungit ac sanat. Ne Pater sancte memineris angustię prioris, quam tantæ Virginis consolationes tam interiores, quam exteriores mitigarunt. Quid animi te habuisse cogitemus, cum odoratus tuus aromatis tam preciosi effusione pascebatur? auditus, Virginis allocutione recreabatur? tactus tantę dulcedinis respersione leniebatur? De cetero in periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariā potes securius inuocare, deuotius cogitare, iucūdius salutare, nec vnquā debet à corde recedere, nec ab ore excidere.*

B. Guilelmus à Dæmonibus immaniter percutitur, & à B.V. preciosissimo vnguento sanatur.

Quam fælix B. Guilelmus qui à B.V. curari meruit.

Et

B.V. misericordia maxime miseros consolatur.

Et nos quidem seruuli tui, si insurgant venti tribulationum, si flumina tentationum, si scopuli persecutionum, hoc solùm post Filium habemus residui, oculos nostros ad eius misericordiæ sinum dirigamus. Cæteris in virtutibus eius congaudemus ei, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus.

Quis misericordiæ eius longitudinem, latitudinem, sublimitatem ac profunditatem queat inuestigare? Sic deuotus Antistes?

B.V. ob Salutationem Angelicã sibi deuotè persolutam maxime suis clientulis est grata.

52. Et si porrò gratissima Virgini sacratissimæ omnia Iustorum sint opera, pro eisque sibi exhibitis gratam se semper ostendat, nihilominus tamen salutatio illa Angelica, qua tot bonorum fieri particeps est promerita, longè ipsi accidit gratissima; Vnde, & pro ea potissimùm copiosiores gratias suis clientulis solita est elargiri.

Experta est gratitudinem hanc Virginis Blanca Galliarum Regina, quæ cum multos annos esset sterilis, suasu D. Dominici Psalterium, seu Rosarium Diuæ Virginis cum recitasset ipsa, & alijs quibuscunque poterat recitandum distribuisset totâ Galliâ, tandem Virginis intercessione fœcundata est.

Blanca Galliarum Regina ex sterili reddita fœcũda recitatione Rosarij.

Atque ita ob tam pium in honorem suum exhibitum pensum illi gratam se ostendens prolem illam felicissimam, Sanctum nempe Ludouicum totius Galliæ sydus illustrissimum ei impetrauit, qui adeo Virginis puritatem æmulari conatus est, vt sæpius deliberato obfirmatoque animo diceret: *Malo mori quam peccare.*

S. Catharinæ B. Brigittæ Filiæ erga Salutationem Angelicam pietas.

53. Experta est eandem Deiparæ gratitudinem in recitatione Salutationis Angelicæ S. Catharina D. Brigittæ Filia, quæ maximâ fiducia in rebus, ac negotijs omnibus ad ipsam confugiẽs, verbis Angelicis eam auere iubebat.

Atque ita cum ab aliquo de rebus spiritualibus consuleretur, non ante respondebat, quàm à Deipara opem implorasset, secumque tacitè Angelicam Salutationem ruminasset. Vnde factum vt non nullæ fœminæ à Cacodæmone acriter infestatæ, consilijs eius acquiescentes Tartareis illis insidijs liberatæ sint. Eadem Virgo domesticorum quempiam curru lapsum cum in patriam rediret, ac totum adeo rotis confractum videret vt vix spiraret, salutata Deipara contactoque leuiter eius latere, sanitati pristinæ mox restituit.

Cum de rebus Spiritualibus consuleretur, non respondebat prius quam Angelicam Salutationẽ percurrisset.

Missam facio S. Catharinam Senensem, B. Aloysium qui salutandæ Virgini ad singulos scalarum gradus domus, in qua degebant intenti mirificos in vita spirituali fecere progressus, & sublimem perfectionis apicem, his quasi gradibus illius benignitate, gratique animi significatione sunt assecuti.

54. Hæc Virginis nostræ erga suos ob recitatam Salutationem Angelicam siue charitas, siue gratitudo reuelata fuit B. Gertrudi, vt ipsa testatur lib. 4. Reuelat. cap. 12. die Annuntiationis, quo Verbum caro factum est. Dum enim sub matutinum Angelica Salutatio caneretur, vidit ipsa tres riuulos efficacissimos procedentes à Patre, & Filio, & Spiritu S. cor Virginis Matris suauissimo impetu penetrantes, deque corde ipsius rursus efficaci impetuositate suam originem repetentes.

Miri fructus Salutationis Angelicæ in cælum terrãque redundantes.

Ex quo influxu Sanctæ Trinitatis, hoc Beatæ Virgini donatum intellexit, quod ipsa sit potentissima post Patrem, Sapientissima post Filium, & benignissima post Spiritum S. Cognouit etiam quod quoties Salutatio illa Angelica cum deuotione à fidelibus recitatur in terris, prædicti illi riuuli, efficaciori impetu superabundantes Beatissimam Virginem circumfluunt; & ex altero latere cor ipsius sacratissimum reinfluunt; sicque cum mira delectatione fontem suum repetunt. Ex illaque venæ redundatione, quidam gaudij, delectationis, æternæque salutis riuuli in omnes Sanctorum Angelorũq; atq; etiam aliorum personas, quæ in terris eãdem Salutationem commemorant, redundant; per quos renouatur omne bonum in singulis, quod per Salutiferam Incarnationem, Filij Dei vnquam sunt indepti. Quo facto sanè Virgo Sanctissima grati animi sui affectum, erga suos salutatores demonstrauit.

55. Iam quid de materna Delphini pietate, qua prolem suam fouere consueuit dicam? Sanè Diuus Basilius Hom. 8. in Hexam. ait *Delphinum teneros catulos ex aliqua causa consternatos, rursus in se excipere, & ventre complecti.*

Delphini in prolem suam pietas.

Inter natandum etiam teneræ soboli parentes, tanta mansuetudine, & cura adnatant, vt pædagogi videantur iuuentuti propositi; quod fusius describit Oppianus lib. 1. de piscibus. Ad eosdem Delphinos etiam oculum habuisse Diuum crediderim Ambrosium cum dixit lib. 5. Hen. cap. 3. *Alij pisces viuos fœtus edunt de suo corpore,* qui

Velut pædagogi paruulos natare docent.

qui cum ediderint partus, si quid forte insidiarum terroris præsenserint circa catulos suos quenquam moliri, quo tueantur eos, vel teneræ ætatis pauorem materno affectu comprimant, aperire ora, & innoxio, partus suos, dente suspendere, interno quoque recipere corpore, & genitali ferunt aluo abscondere.

Delphini in paruulos pietas confundit hominum in suam prolem feritatem.

Quis humanus affectus hanc piscium pietatem imitari possit? Oscula nobis satietati sunt, illis non satis est aperire viscera, natosque recipere, ac reuocare integros, atque iterum fotu quodam sui caloris animare, & spiritu alere, duosque corpore in vno viuere, donec aut securitatem deferunt, aut corporis sui obiectu, natos suos defendant periculis. Quis hæc videns non miretur, & stupeat? Seruat natura in piscibus, quod non seruat in hominibus.

Pleræque ex suspitione nouercalibus odijs appetitos, suos occiderunt filios. aliæ in fame, vt legimus partus proprios comederunt.

Humanis pignoribus Mater sepulchrum facta est. Piscium proli parentis est vterus sicut murus, vallo quodam internorum viscerum pignora inoffensa conseruat. Hæc Ambros. Quibus mirificè maternam Delphini in suam sobolem pietatem descripsit.

56. Quæ sanè animalis huius pietas pulcherrimum est Virgineæ in filios suos, clientesque charitatis symbolū, quâ nos suis visceribus pijssimis fouet, atque amplectitur, vt non immerito Causinus noster hunc pium Delphinorum genium pro symbolo amoris parentum in sobolem proposuerit.

Delphinus est symbolū amoris Parentum in filios.

Verè enim Deipara est Mater nostra pijssima Christi fideles omnes ceu filios amplissimis suæ charitatis visceribus complectens, ita vt verè dicere possimus cum Ambrosio longè aptius:

Proli, Deiparæ parentis est vterus sicut murus, vallo quodam internorum viscerum pignora inoffensa conseruans.

57. Hoc sine dubio nobis indicare visus est sponsus cùm inter singularia suæ sponsæ elogia, illud pulcherrimum attexuit: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis*, Cant.7. Quibus verbis ostendit non solùm se granum esse illud frumenti, quod in hanc benedictam vteri Virginalis cadens terram, multum fructum attulit, verum etiam omnes sibi fideles, qui eius fratres sunt, ac membra, grana esse frumenti, quæ simul per charitatem vnita, atque coalita aceruum pulcherrimum conficiūt, quem Mater eius sanctissima, vtero suę complectitur pietatis, obuallatque lilijs illibatæ Virginitatis, in ipsa semper, & ante partum, & in partu, & post partum, ad instar lilij maior semper candore enitescentis. Vnde cum Sanctus ille dubitantem Theologum quendam de hac Deiparæ Virginitate vellet corrigere, solius virgæ triplicato in terram ictu, additoque Virginis elogio; *Virgo ante partum, Virgo in partu; Virgo post partum*, tria venustissima lilia, illico de terra, ad Deiparæ confirmandam perpetuam Virginitatem germinarunt. Virgo igitur, velut Mater, pijssima, Delphinorum longè pietatem superans nos non modo intra suæ charitatis viscera quodammodo recipit atque complectitur, verumetiam exemplo suæ virginitatis ac puritatis nos ita obuallat, ac protegit, ne igneæ Tartarei hostis sagittæ nos lædere valeant, vt murus quidam ac turris munitissima ad nostram defensionem esse videatur.

B.V. spiritualibus filijs, est quasi vterus, & Murus.

Aceruus tritici vallatus liliis sunt filii B.V. ipsius puritate muniti.

58. Quare ipsa se murum ac turrim Cant.8. vocitare non dubitat: Ego Murus, & vbera mea sicut Turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Quæ verba Ioan. Card. Halgrinus eleganti illustrauit paraphrasi: *B. V.* inquiens, *murus est nostræ defensionis, & super eam ædificauit tota Trinitas propugnacula argentea; Hęc enim ad defensionem Ecclesiæ tota Trinitas ædificauit in ea, vt precibus suis benè sonantibus inimicum repellat.*

B.V. suis deuotis est murus defensionis.

Et hoc signatur argento, quod cæteris metallis dulcius sonat. Addit insuper: Et vbera mea sicut Turris. Quasi dicat, misericordia, & pietas mea, quibus quasi vberibus, suffragiorum dulcedine lacto filios Ecclesiæ, sunt turris, munimentum videlicet, refugium, & securitas peccatorum. Et hoc ita, ex quo facta sum sic grata, sic accepta, sic placita, coram eo, vt essem quasi pacem reperiens, eamque faciens inter DEVM, & hominē, vt essem denique Pacifica tanquam Mater veri Pacifici, Mediatrix, Mediatoris Mater. En vt Deipara nostra vtero suo circundans filios, velut aceruum tritici aduersus Tartareorum hostium insidias ac terrores, murus est, vallumque munitissimum, vt aiebat Ambrosius aluum esse Delphinorum.

Vbera B.V. sunt misericordia, & pietas.

59. Maternam hanc protectionem in Virgine agnouit S. Germ. Patriarch. Constan. Orat. de Zona V. dum eam alloquens, sic proloquitur: *Quis post Filium tuum ita generis humani curam gerit sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis ita præueniēs, nos ab irruētibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quæ cor-*

Quam efficax sit B.V. protectio?

B.V. suis supplicationibus pugnat pro peccatoribus.

corrigi non possunt, adeo repugnando excusat? Tu enim, cum maternam habeas apud tuum filium fiduciam, & potentiam, nos qui sumus condemnati, & ad cæli altitudinem intueri non audemus, tuis interpellationibus, atque intercessionibus efficis familiares; dasque salutem, nosque ab æterno liberas supplicio. Quamobrem is qui affligitur, ad te confugit; Qui iniuria afficitur, ad te accurrit. Qui rebus asperis atque aduersis est implicatus, tuum inuocat auxilium. Hæc Germanus, quibus sanè Maternam Virginis, quâ nos vndique aduersus hostes circumuallat, luculenter expressit pietatem.

60. Deiparam porro Matrem esse cunctorum Christianorum pientissimam nos vtero quodammodo protectionis velut paruulos Delphinos recludentem exploratissimum est, vt sæpius dictum alibi, siquidem illa Christum Saluatorem, qui caput nostrum est, ac frater amãtissimus, in lucem edidit, nosque quodammodo tanquam viua ipsius corporis membra vtero circumdedit atque obuallauit.

B. V. Mater viuentium.

Hanc ob causam Sancti Patres eã Matrem viuentium appellant. Quod sanè elogium multo aptius Mariæ, quàm Euæ conuenit, quæ potius mater morientium ob fructum illum vetitum degustatum, vocitanda est. Vnde D. Antoninus 4. Part Tit. 15. cap. 14. *De ea,* inquit, *sub figura primæ Matris Euæ dictum fuit antiquo serpenti; Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Gen. 3. *Mulier hæc Mater quidem omnium verè viuentium spiritualis est B. Virgo Maria. Nam Eua mater erat omnium morientium. Semen eius spirituale, sunt omnes electi, eam vt boni Filij spiritualis imitantes, &c.* Audiendus hic S. Epiphanius Hæres. 78. *Beata Mater Dei, Maria,* inquit ille, *per Euam significatur, quæ per ænigma accepit, vt Mater viuentium vocetur. Ab illa Eua omnis generatio ducta est in terra, hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita est, vt viuentem pigneret, & fieret Maria Mater viuentium.* Sic Epiph.

M. Euæ contraria, siquidem hæc mortem; illa vitam nobis peperit.

Illa verè nobis extitit mulier, de qua Salomon Eccles. 7. *Inueni amariorem morte mulierem.* Quia gustando vetitum illum fructum amarissimam mortem in orbem inuexit. At verò misericordiæ Mater Filium benedictum fructum ventris sui orbi donando, dulcissimam vitam eidem reddidit.

Eua mulier morte amarior.

61. De hoc Virginis in omnes Christianos materno pietatis affectu, atque effectu, audiamus B. Guerricum deuotissimum Ignatiensem Abbatem serm. 1. de Assumpt. *Porrò,* inquit, *Beata Mater illa Christi, quia se Matrem agnoscit Christianorum, ratione mysterij, curâ quoque se matrem eis præstat, & affectu pietatis, neque duratur, ad filios, quasi non sint sui, cuius viscera semel quidem fœta, sed nunquam effœta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis.* Et paucis interpositis, quasi spiritu præsagiens futurum aliquando, vt hanc Matrem singulari cultu: (quod in sodalitijs Marianis nostræ Societatis fieri consueuit, in quibus velut vtero Virgineo grana quædam tritici lectissima adolescentes coaceruantur, inuicemque charitate vniuntur:) venerentur, ac prosequantur Filij, hæc annectit: *Vide autem si non & Filij Matrem videntur agnoscere, dictante vtique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, vt ad inuocationem Nominis eius primo vel maximè refugiant in omnibus necessitatibus, & periculis, tanquam paruuli ad sinum Matris. Vnde nimirum de his filijs puto non absurdè intelligi, quod per Prophetam promissum est: Habitabunt in te filij tui. Et nunc siquidem habitamus in adiutorio Matris Altissimi, in protectione commoramur, tanquam sub vmbra alarum eius, & post modum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confouebimur.* Hæc Guerr. quibus sanè aptissimè Delphini naturam paruulos aliquo timore, aut periculo consternatos, vtero suo excipientis expressisse in Virgine beatissima visus est.

B. V. est Mater Christianorum et iã cura, & pietate.

Sodalicia B. V. aceruι tritici vtero protectionis Mariæ vallata.

Christiani habitant in adiutorio Matris Altissimi, & in eius protectione sub vmbra alarũ eius commorantur.

62. Piam hanc Delphini Naturam in catulis suis timore consternatis sinu fouendis agnouisse videbatur in Virgine supra memoratus Constantinop. Antistes eadem Orat. de Zona. *Tu quotidie peccatorum pelago fluctuantibus hominibus adiutricem manum extendens, eripis à fluctuatione. Tu nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones, sola tui Nominis inuocatione Sanctissima repellens, tutos, atque incolumes seruas. Tu implorantes te homines, ab omni necessitate ex omnigeneris tentationibus opportunè liberas.* Vtque ostendat quam tutum quis in ea laudanda reperiat Asylum, addit; *Templum ipsius esse cælum, ad quod nullus hostium patere potest assultus: Quamobrem,* inquit, *ad Templum tuum studiosè accurrimus, quo cum stamus, in cælo ipso stare nos credimus;* in quo te celebrantes in Angelorum choro nos versari existimamus.

B. V quotidie in pelago peccatorum fluctuantibus manum porrigit adiutricem.

Templa B. V. videntur cæli in quibus cũ Angelis ipsa laudatur.

63. Quam

63. Quam ob causam iure merito ad Diuam Virginem tanquam ad sacram Anchoram in omnibus periculis confugere possumus, & debemus, proque huius rei in memoriam reuocandæ symbolo adhibere, quod olim celeberrimi illi Imperatores Augustus, & Titus vsurpare, *Delphinum nempè Anchoræ implicatum.* Quo illi quidem alijque Cæsares non modo maris Dominium, verum etiam leutam festinationem, modumque in rebus denotabant.

Delphinus Anchorę implicitus quid denotet?

Vnde scribit Pierius lib. 27. Hierog. c. 6. pulcherrimum extare nummum, cuius inscriptio est: *Nero Claudius Cæsar Aug. Germ. P. M. TRI. P. IMP. PP. vbi Neptunum ipsum videre est in portu sedentem, dextrâ temonem terræ apprimentem, quod signum nauigationis est in portum fossilem: Læua verò Delphinum amplectentem quod maris blanditias ac tranquillitatem ostendit, iramque commotionemque fluctuum omnem ibi demolitam*. Idem Pierius cap. 5.

Delphinum fugæ periculorum, ait symbolum esse, quod mirificè Virgini nostræ quadrare videtur: *Apud nostros*, inquit ille, *vulgo Delphini sunt tuti receptus indicia. Quippè qui quoties futuram tempestatem præsentiunt, in portus accurrere, deque vndis exilire cernuntur, quasi velint reliquos inuitare, vt instationes properè se recipiant, neque nauigia alto credant.* Vnde Angelicus Doctor Delphinum futuræ tempestatis prognosticum minimè contemnendum asseruit, vbi visus fuerit in maris superficie frequentius se vibrare.

Delphinus futuræ tempestatis prognosticũ est.

B.V. nos tanquam Delphinus maris huius mũdi tempestates fugere docet.

Merito ergo nos Delphinum Anchoræ sociatum, atque innexum repræsentare Deiparam dicemus; tùm quia nos fugam periculorum maris huius turbulenti sæculi edocet, tum quia maris eiusdem tempestates sedat, ac tranquillat, nosque ad æternæ beatitudinis portum feliciter perducit.

Quare iure merito in hac misericordiæ optima Parente, pijssimam, Delphini naturam agnoscentes, omnemque post DEVM spem nostram in calamitatibus, ac miserijs mundique huius periculis, ac tempestatibus in eandem reponentes, illam nostrum Delphinum Anchoræ sociatum esse dicimus.

Agnouit Virginem nostram esse Anchoram nostram, pijssimamque Delphinum, in mari huius mundi periculosissimo, S. Damascenus orat. 1. de Dormit. dum ait: *Tibi nos quoque hodierna die assistimus, ò Domina, Domina, atque iterum dicam Domina, Dei Genitrix, & Virgo, animas nostras ad spem tuam non secus ac ad firmissimam quandam Anchoram alligantes mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes, ac consecrantes, psalmis & hymnis spiritualibus quantum possumus honorantes.*

B.V. est nostra Anchora in mari huius sæculi.

Anima nostra ad spem in Deiparam velut ad sacram Anchoram alligenda.

64. Sanctus verò Ephreem Syrus in Virgine non modo firmissimam anchoram in turbulenti mundi huius fluctibus, verumetiam tutissimum portum inuenit orat. ad Virginem Deip. *Sub alis*, inquiens, *tuis custodi me, & protege me, miserere mei quia sum luto inquinatus, ne aduersus me glorietur Sathanas exitiosissimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus. Non mihi alia fiducia Virgo syncera. Tu enim meus Portus, ò Virgo inuiolata, & præsens auxiliatrix! Denique sub tutela, & protectione tua totus sum, crebris lacrymis te ò celeberrima Mater imploro, & aduoluor tibi*. Idem serm. de B.V. eandem sic salutauit: *Aue portus tranquillissime, & à fluctibus procellisque agitatorum liberatrix desideratissima. Aue periclitantium Opitulatrix*. S. denique Greg. Thaumat. serm. 3. de Annunc. *Adest*, inquit, *per eam ægrotantibus Medicus, in tenebris sedentibus Sol iustitiæ, cunctis verò tempestate iactatis Anchora, portusque tutissimus.*

B.V. nostra fiducia, noster Portus.

B.V. Portus tranquillissimus.

B.V. cunctis naufragantibus est Anchora, & portus tutissimus.

65. Quare iure dicere possumus, eum qui peculiarem erga Deiparam dum in hac vita degit præsefert pietatem, spe cælestis Regni indipiscendi, ceu charactere quodam esse insignitum. Sic enim Seleucius quod Anchora ab ipsa sui origine signatum femur habuit, eiusdem quoque filij, ac nepotes futuri Regni pronosticum habuisse memoratur. Idem hic cum Babylonem iret, eam occupaturus, inter gradiendum pede lapidem offendit, eoque ex dolore coactus est subsistere.

Pietas in B.V. est character prædestinationis.

Seleucius signatus Anchora Regni adipiscendi prognosticũ habuit.

Interim amicis Principem demulcentibus, ac solantibus, anchorâ insignitus apparuit anulus, quem ipse ibi antea amiserat. Ex quo magnam imperij spem concepit, vt scribit Causinus lib. 3. Hierog. 42. Ad hanc igitur spei nostræ tutissimam Anchoram, cor, animumque nostrum alligemus, eius pietate, ceu Anchorâ insigniamur, certissimam cælestis Regni spem indipiscendi habituri.

66. Iam verò, quanam ratione Virgo nostra suos clientulos, per mare huius sæculi securè, vti Delphini suos catulos natare doceat, quis est, qui ex-

Elzarius adolescens Duce B.V. mare huius sæculi tranat fæliciter.

Nnn pli-

plicare sufficiat? Nonnè B. Elzearius Comes Ariani adolescens castissimus quidam Virginis catulus fuit? Siquidem à Christo Domino cum ei, vti supra memorauimus fuisset data in magistram, ea duce maximis in omni virtutum genere factis progressibus, mare huius sæculi, licet blandè canentibus Regiæ aulæ Sirenibus, tranauit felicissimè.

S. Edmundus adolescens B.V. ad custissimus florem Virginitatis perpetuæ seruauit.

67. Nonnè B. Edmundus adolescens puritissimus, ac mundissimus, quem Mater à munditie, in qua absque vllis sanguinis, & secundinarum sordibus natus est, Edmundum appellauit, nonnè, inquam, Magistrâ Deiparâ illibatum innocentiæ, virginitatisque, in qua fuit in lucem editus, florem conseruauit? nonnè eadem Magistrâ, coram ipsius statua perpetuæ Virginitatis votum emisit? Vt porrò voluntatem hanc suam, in Virginitate conseruanda stabiliret, digito Deiparæ annulum, cui Angelica inscripta fuit Salutatio inseruit; eamque hac ratione sibi castissimè desponsauit. Et verò ipsa Virgo purissimum hunc adolescentem, suum Sponsum agnouisse visa est, cùm ei vicissim annulum Angelicâ Salutatione insignitum donare non est dedignata. Vnde factum, vti ipse in suo obitu fassus est, *quoties clementissimæ Virginis implorauit opem, in tentationibus felicem exitum, in persecutionibus Solatium, in afflictionibus remedium, in doloribus gaudium, ei quàm citissimè impetrabat.*

S. Edmũdus annulo B.V. porrecto Sponsus eius factus.

Quoties B.V. implorauit opem semper est exauditus.

68. Eiusdem Deiparæ magisterio impuras libidinis faces à Satana per impudicam puellam, aliamque fœminam admotas extinxit, dùm huius impudica munuscula, illius fœdam petulantiam virgis acerrimè castigauit. Virgine denique magistrâ non modo virtutibus omnibus, verùmetiam liberalibus artibus insigniter exornari meruit. Siquidem coram eburnea eius Icone redemptionis nostræ mysterijs vndique circumdata, tàm pietati, quàm doctrinæ operam nauabat. Mirâ charitate prosequebatur inimicos; mundi aduersitates tolerabat; aiebatque sicut Mater ægrotanti filio solet amarum offerre poculum, & iubere vt salutis causa illud ebibat, ita nos aduersa omnia salutis causa perferre debemus, marisque huius inundationes, perinde vt lac sugere, atque cum Præcursore Domini in deserto mundi huius, mel syluestre comedere. Eiusdem denique Virginis magisterio feliciter mare huiusce mundi nauigans ad miseriarum portum, mortem videlicet feliciter, læto cantato celeusmate peruenit. Cùm enim Sacrosanctum Sacramentum Eucharistiæ adferri iussisset, ad illud extensis manibus conuersus, maximâ fiducia exclamauit: *Tu es Domine in quem credidi, quem prædicaui, quem veraciter docui; & tu mihi testis es quod in terris nihil præter te quæsiui. Et vt tu nosti me nihil velle, nisi quod tu vis, ita fiat Domine voluntas tua.* Tandem vnctione sacrâ acceptâ Christum Dominum de Cruce pendentem cum lacrymis, ac gemitibus complexus, miraque pietate eiusdem vulnera crebrò ac prolixè, ac præsertim illud lateris deosculans, identidemque in illud oculos defigens, diuque admoto ore inde quasi mel de petrâ sugens, aiebat: *Haurietis nunc aquas de fonte Saluatoris.* Demum non iacens, vt solent moribundi, sed sedens, caputque in manum inclinans, quasi quietem capturus, hilari vultu, ad portum beatæ patriæ, sibi fauente suâ maris stellâ, appulit. Sur. 16. Nou.

S. Edmũdus ducet coram eburnea B. V. Imagine.

De mundi huius aduersitatibus quid senserit Edmundus.

S. Edmundi in morte pietas.

Erga SS. Eucharistiam affectus.

S. Edmundi erga Crucifixum pietas in morte.

69. Quid de B. Hermanno adolescente pijssimo dicam? Nonnè Deiparæ Virginis magisterio, innocentiâ, puritateque Virginali conseruatâ, mare, huius sæculi sulcauit feliciter, & ad portum æternæ gloriæ, varijs virtutum meritis ope Virginis, & ipse gloriosus ingressus est? Libet hic pauca ex eius vita plane Angelica ad laudem Deiparæ delibare. Ab ineunte eius ætate vsque ad vitæ finem eam vultus, oculorumque columbinorum præfetulit gratiam, vt quemadmodum eius vitæ scribit Auctor, *& spiritualis lætitiæ plenitudinem ex se præseferrent, eandemque alijs, absque liuore intuentibus communicaret.* Septennis puer in Dei Matrem, Deique Filium cæpit esse liberalis, dùm Templum adiens Iconem Virginis Filium in vlnis gestantis magnâ pietate venerans, nunc Filio, nunc Matri panem, fructusque porrigebat. Ne ingrata ea munuscula eis accidere, siquidem vice quadam dum pomum porrigit Virgini, extensâ illud manu accepit, gratumque habuit. Aliâ vice cum ei se Deipara in Templo cum Puero IESV, & Ioanne Euangelistâ visendam exhibuisset, eum benignè ad se exciuit, vt cum Filiolo aliquibus lusibus puerilibus familia-

B. Hermannus Virginitatem ope B. V. vsque ad mortem seruauit.

Letitia Spirituali ex oculis B Hermãni emicabat, eamque alijs communicabat.

B. Hermannus B. V. & Puero IESV panem porrigebat.

Ludi cum Puero IESV.

liarius se recrearet. Religiosus factus cum domesticis fratrum ministerijs à spiritualibus exercitationibus se abstrahi doleret, Dei Mater illum, velut optima Spiritus Magistra, instruxit, gratissimum illi, & maximè spirituale exercitium esse, si suis fratribus ex charitate deseruiret.

B.V. docet Hermanum quod fratribus deseruire sit illi res gratissima.

Tanta erat illi cum Diua Virgine familiaritas, vt eum sæpè suâ voce suauissimâ ad se vocaret, tum pariter aliquo secretiori loco considentes inter se de Diuinis conferebant. *Talibus ille solatijs*, inquit eius vitæ Auctor, *nocturnas vigilias transmittebat, tali fretus consolatrice quę libet aduersa perferebat, tantæ Matris consolatoriis fouebatur vberibus, tam illustri Magistra illum docente multa dubia, & incerta cognouit*. Ad tantorum fauorum cumulum illud adiecit Virgo sanctissima, vt in castissimum sponsum, paranympho Angelo, eum sibi ascisceret, eique nomen Ioseph inderet, suumque Filium vlnis gestandum traderet his verbis: *Porta Filium meum sicut à sponso meo Ioseph portatus est in Aegyptum, vt sicut idem onus, ita & eius nominis honorem obtineas*.

Eius cum B. V. familiaris. B. V. eligit B. Hermanum in sponsum, cumque Iosephum vocat.

Cùm aliquando in faciem, titubante pede cecidisset, eoque casu duo dentes illi essent excussi, mox obuia facta est illi Virgo Mater illos dentes, suis benedictis manibus in locum pristinum reposuit, eumque dolore acerbissimo liberauit. Cùm aliàs grauiùs laboraret ex capite, & nimium quantum cruciaretur, adfuit ei vltro cælestis Medicinæ parens, eumque increpans, quod ad se minimè pro remedio accurrisset, omni illa molestiâ liberum reddidit.

B.V dentes excussos illi restituit.

B.V. Hermanum dolore capitis liberet.

Quid quod magisterio Deiparæ cantica canticorum explananda suscepit? Quid quod eiusdem magisterio Demonis insidias atque illusiones, appropinquante felicissimo suo ex hac vita decessu sapienter elusit, ac superauit? Tandem Spiritum in manus IESV cōmendans patrocinante sibi ac fauente Virgine, sua Elice, ac Cynosura in portum æternæ vitæ, gaudio lætitiaque plenus appulit.

70. Quid de S. Philippo Benitio Ordinis seruorum B. V. Adolescente pijssimo dicam? Hic cùm in Templo ea legi verba audiuisset: *Philippe accede, & adiunge te ad currum istum; simul*, vidit cæli Dominam, ac Reginam aureo in curru à beatis mentibus stipari, ab oue, & Leone trahi, videt simul etiam sibi vestem, habitumque seruorum ipsius exhiberi. Prodigium hoc, alterum in sequentem noctem sequutum est, cum ab eadem Domina, ad suorum seruorum monasterium, ibidē cum illis, perpetuo ei seruiturus, accedere est iussus. Magisterio Virginis illico paruit, eiusque monitis, ac disciplinâ totius vitæ tempore eruditus, mare huius sæculi turbulentissimum, ipsâ dirigente fautissimè emensus est.

B. Philippus Benitius à B.V. ad Ord. seruorum suorum vocatus.

Expertus nimirum fuit Sanctus adolescens totius vitæ decursu Virginem sibi aureum, suauissimùmque quoddam esse vehiculum. Expertus quoque fuit eandem sibi mitissimam esse Agnam, Tartareis verò hostibus in sui protectionem Leænam, de tribu Iuda, nimium quantum formidandam, vtpotè cui sponsus pulcherrimum illud attribuit Elogium: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata*. Cant. 2.

71. Quid de S. Gertrude Virgine dicam? Luculentum sanè in ipsius reuelationibus habemus testimonium, quânam ratione ei Christus Dominus Matrem suam dilectissimam inter mūdi huius turbulenti aduersitates ac fluctus attribuerit Magistram, ac ductricem, ne in tam sæuis maris huius procellis aliquod incurreret periculum, sed eius ductu fidelissimo in portum felicitatis æternæ deduceretur.

Hac de re licet eam referentem singularem hanc gratiam audire libr. 2. cap. vltimo pro qua sic Christo sponso gratias agit: *Ad tuorum beneficiorum cumulum hoc aliud quoque addidisti; dando mihi in Procuratricem, ac patronam tuam dulcissimam Virginem Matrem Mariam, cuius affectus etiam sæpe me amantissimè commendasti, eo modo, quo subinde dilecta Sponsa propriæ suæ Matri à sponso fideli commendari consueuit*.

Vnde lib. 3. vitæ ipsius cap. 1. hac de re hæc habemus: *Dum intellexisset S. Virgo Gertrudis sibi in augmentum meriti, aliquid aduersitatis imminere, indeque ex humana fragilitate trepidaret. Pius Dominus ipsius fragilitati condescendens misericordem Matrem suam inclytam cælorum Reginam, illi dedit in Matrem, benignamque dispensatricem, vt quantumcumque nimietate aduersitatis supra vires grauaretur, semper ad ipsam Matrem misericordiæ securum haberet recursum, cuius interuentu se sciret alleuiandam*.

Christus S. Gertrudi B. V. dedit in Matrem.

Ad B. V. in tribulationibus recurrebat.

Post hæc breui interuallo temporis elapso, cùm valdè quadam in re grauare-

 tur,

tur, recurrit ad desolatorum Consolatricem cupiens ab ea edoceri, quid in ea causa magis expediret, ab eaque responsum accipere meruit. Et capit. 4. cùm eadem Gertrudis inordinata quâdam tristitiâ, atque impatientiâ tantas incurrisset tenebras, vt magna ex parte iucunditatem Diuinæ præsentiæ sibi videretur amisisse, paulò post has per intercessionem Dei Genitricis gauisa est fuisse temperatas, cùm Sabbato in honorem, ipsius illa Antiphona, Stella Maria maris, cantaretur.

Tandem lib. 4. reuel. cap. 49. hæc habētur: *In Vigilia Assumptionis cùm ex intimo cordis affectu Beata Gertrudis lecto decumbens deprecaretur Dominum, vt sibi apud dulcissimam Matrem suam dignaretur fauorem, gratiamque obtinere, siquidem ipsa, vt sibi videbatur, ei nunquam debitum obsequium exhibuisset; Dominus se summa cum benignitate in amplexus Matris amantissimos inclinans, omnem ipsi filialem dilectionem exhibuit, qua vnquam antea erga eam erat affectus: Recole,* inquiens, *Domina Mater amantissima, quod peccatoribus ego propter te sim propitiatus, quare respice hanc electam meam eo affectu, ac si omnibus diebus vitæ suæ tibi placere studuisset, summaque deuotione tibi seruiisset.*

S. Gertrudis putabat se numquam debitum obsequium B. V. præstare.

Christus pro Gertrude Matrem intercedit.

Ad quod Virgo Mater quasi tota liquefacta, & in melleam dulcedinem resoluta, se totam huic, ob amorem Filij videbatur impendere.

Atque vt ostenderet Christus, quantopere illi foret gratum, vt Virgo hęc Matri suæ esset addictissima, ipsiusque laudum studiosissima, vice quadam ei obtulit suum cor, specie aureæ mammillæ, vt eâ potum suæ Virgini matri porrigeret, quod cum fecisset; & B. V. molleam quandam dulcedinem suauiter degustasset, mirificè ac dulciter satiata, imò vero abundanter inebriata est, cum potio illa ipsi ad intimas vsque medullas penetrarit. Quibus visis, inuitata fuit ad laudandam B. V. ac proinde ad eam conuersa illi dixit:

Christus cor suum in specie aureæ mammillæ donat S. Gertrudæ.

Ego laudo, & saluto te Matrem beatitudinum, sacrarium dignissimum Spiritus Sancti, obsecro te per dulcissimum cor IESV Christi Filij Dei Patris, ac tui amantissimi Nati, vt semper in omni nostra necessitate, & in hora etiam mortis nostræ nobis succurrere digneris.

Deinde patefactum fuit eidē Gertrudi, quod quoties Dominum, & suam dilectissimam Matrem prædicta oratiuncula, alijsque similibus venerata fuerit, toties porriget delicatissimam potionem Virgini Matri Domini nostri IESV Christi, quæ huic Regiæ Virgini erit adeo grata; vt iuxta maternā suam liberalitatem ac pietatem, benignissimè donis cælestibus obsequium hoc sit compensatura. An non hic Virgo nostra hanc suam filiam ad instar Delphini in aduersitatibus mundi huius, ceu fluctibus nauiganti se non modo Matrem sed etiam Magistram, ac ductricem fidelissimam exhibuit?

72. Quid demùm de duobus illis amabilissimis Delphinis, pientissimis, inquam Adolescentibus Stanislao, & Aloysio: (domestica enim etiam nobis non desunt exempla:) quos Virgo Deipara tanquam pientissima, ac sapientissima Mater, ac Magistra, per naufragosum mundi huius, formidandumque pelagus inconcussâ penitus pudicitiæ cymbâ, post varios illos à primis incunabulis, totiusque vitæ decursu exhibitos fauores, tandem in portum Societatis nostræ deduxit, clarâ voce vtrique dicendo: *Ingredere in Societatē IESV.* In qua similiter misericordiæ Mater, illis toto vitæ curriculo, in via Spiritus, quæ varijs periculorum scopulis, salebrisque vt plurimum obnoxia esse consueuit, tanquam teneris Delphinis ductricem ac Magistram exhibuit, dum eos tādem ad æuiternæ patriæ portum, plurimis virtutem mercibus locupletatas, introduxit.

B. Aloysius, & Stanislaus nostri quantum dilecti à B. V.

73. Pene animo exciderat Virgineus ille Deiparæ dilectissimus Delphinus noster Ioannes Berchmannus, quem illa ab ineunte ætate in suum Sodalicium receptum, magisterio planè cælesti, huius mundi mare, ad sirenum cantus, ac blandimenta, obturatis auribus, sulcare, inque æternæ patriæ portum tendere docuit. Quare Virgilius Ceparius de huius amabilissimi Delphini in Deiparam amore, atque obseruantia, in eius vita, mira planè conscripsit ac plurima, ex quibus aliqua summatim extremis, quod aiūt, digitis attingemus. Inter reliqua de eius in Deiparam affectu. Sic loquitur: *Amore, qualis filij esse erga Matrem solet, in Beatissimam Virginem rapiebatur, quam colebat religione tantâ, vt ad cultum eius propagandum in hanc lucem editus esse videretur.* Ideoque de se id constare in vulgus lætabatur, vt tāto liberius de eius passim laudibus, hoc nomine loqui posset, vtpotè publicus Virginis Præco. Commilitoni cuidam circa vitæ finem fassus est, *medium potissimum*

Ioannis Berchmans in B. V. qualis amor.

Ioannes Berchmans ita erga B. V. deuotus fuit, vt ad cultum eius propagandum editus in lucem videretur.

Medicum efficacissimum ad perfectionem est cultus B. V.

mùm ad religiosæ vitæ perfectionem acquirendam sibi fuisse, amorem, religionemque aduersus Virginem sanctissimam, quam ingenti fiduciâ suam Matrem appellabat. Tandem scriptum reliquit: *Patrona sanctitatis, sanitatis, & studiorum, tu es mea Mater Virgo Maria*. Eam in familiaribus colloquijs, eiusque laudes, semper in ore, semper in mente habere videbatur. Vnde aiebat subinde: *Si amauero Mariam, securus sum salutis, ac perseuerantiæ in religione, impetrabo quicquid libuerit à Domino, adeoque omnipotens ero*. Addebat necessarium cuilibet esse certum aliquem profugij locū, quo velut in asylum se reciperet, subitis aduersisque rebus: nullum autem tutiorem esse, sinu, plagisque sanctissimis Christi, & Pallio Reginæ cælorum. Rogatus quibus remedijs aduersus animi ariditatem vteretur? Respondit: *Orare, occupare me, patientia, sinus, & gremium B. Virginis. Quotidie Coronam 12. stellarum recitabat, duodecim eius virtutes ruminando. Nouies quotidie dicere consueuerat: Beata viscera M. Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium*, in memoriam 9. mēsium, quibus Dei Filius in purissimo Matris vtero requieuit. Quanto porro immaculatæ Deiparæ Conceptionem veneraretur affectu, testatur egregia illa voluntas quam coram Sacro Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in hæc verba scripto declarauit: *Ego Ioannes Berchmannus indignissimus Societatis IESV filius, tibi Filioque tuo, quem hic præsentem in Eucharistia veneror, polliceor, me perpetuum fore assertorem, vindicemque Conceptionis tuæ, nisi diuersè fuerit ab Ecclesia definitum*.

B V. Patrona Sanctitatis, sanitatis, ac studiorum est B. V.

Ioannis Berchmās amor? B.V.

Asylum suū esse dicebat plagas Christi, & Palliū Reginæ cælorum.

Deuotionis exercitia erga B.V. quibus Ioannes vtebatur.

Affectus Ioannis erga immaculatā Conceptionem B.V.

Verum Ioannis pro defendenda Concep.

Cùm post mortem voluntas hęc Ioann. Berchmanni Card. Bellarmino fuisset indicata exclamauit. *O rem egregiam, mireque ad inuentam, sic fidem Virgini obstrinxisse scripto etiam Sacramento!* Tanta erat ipsius in Virginem fiducia, vt cùm quid vellet ab illo impetrare, chartulæ inscriberet in hunc ferè modum: *Si Beatissima Mater hoc mihi impetrauerit, tum ego* eam tribus cumulabo rosarijs, vel alijs precibus, vel corporis hac, vel illa afflictione. tum chartulam ad Iconem B.V. affigebat. Scripsit quoque: *Nunquam acquiescam, donec obtinuero amorem tenerum erga dulcissimam meam Matrem Mariam*.

Card. Bellarmini dictum de voto facto à Ioanne.

Ioannis erga B.V. fiducia.

Iam tandem videamus quomodo B.V. hunc Delphinum post tot tibi reddita pietatis atque charitatis tam effusæ obsequia in æternæ salutis portum intrare velut, optima Magistra edocuerit; Morti vicimus Nomina IESV, & Marię pientissimè inuocabat. Cùm sacrum ad illum delatum esset Viaticum, magno amoris affectu in hæc verba prorupit: *Protestor hic esse verum Filiū Dei Patris omnipotentis, & Beatissimæ semper Virginis. Protestor me velle viuere, & mori verum Filium S. Matris Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ Romanæ. Protestor me velle viuere verum Filium B.M.V. Protestor me velle viuere, & mori verum Filiū Societatis*. Accepto mortis nuntio. Te DEVM laudamus recitauit. Deinde Hymnum Aue Maris stella, cum alias Musices esset imperitus dulciter cecinit, vti supra, eum olori comparando, meminimus. Tum Regulas, rosarium, ac Crucifixum sibi dari postulauit, eaque in manu complexus tanquā preciosum fasciculum magnâ vultus hilaritate pronunciauit: *Hæc tria mihi charissima, cum his libenter moriar*. Osculatusque ea pectori imposuit. Tum sæpius hæc verba iterabat: *Ne me deseras Maria, ne me fallas; filius enim tuus sum, tu scis, quia iurari*. Cùm ei P. Philippus Alegabe diceret: *Nunc oportet amare Christum, & B. Virginem, quam amasti in vita, & amabis in morte*. Respondit Ioannes: *Quam conatus sum amare in vita, & ipsa amabit me in morte*. Cùm denuo Pater ille diceret: *Ioannes si mille corda haberes, nonne Mariam mille cordibus amares?* Tum Ioannes: *Mille cordibus amarem*. Cùm ad extremum agonem peruentum esset, oculis in cælum fixis, turbato vultu, trementibus labijs, loquebatur: *Non faciam. Ego vt offendam te Domine? Maria ego nunquam offendam Filium tuum. Absit à me. Non faciam. Malo millies mori, centies millies, millies millies*. Quæ verba pronunciando arctè stringebat Crucifixum, rosarium, Regulas: *Hæc*, inquiens, *arma mea sunt*. Cùm tandem B. Virginis Lytaniæ recitarentur, ad ea encomia: *Sancta Virgo Virginum, Mater castitatis, Regina Virginum*, singularem prodebat affectum, sublato est ceruicali capite, & in Virginem quasi inclinato, vultu ad pietatem composito. Tandem oculis in Crucifixum, quem manibus vnà cum rosario, Regulisque complectebatur, defixis, pronunciatis Sanctissimis IESV, & Mariæ Nominibus, duce Virgine Delphinus hic in portum beatitudinis introiuit.

Ioannis protestationes ante mortē.

Ioannes moribundus Crucifixum Rosariū, Regulas sibi dari postulauit, pectorique imposuit.

Ioannis Amor erga B. V. vsque ad mortem.

Ioannes moriens mille cordibus amare cupiebat B.V.

Ioannis in morte obfirmata DEVM nunquam offendendi voluntas.

Nomina IESV, & Mariæ pronunciādo dulciter Ioannes moritur.

74. Ad vltimam Delphini proprietatem, quæ etiam in Virgine nostra mirificè elucescit, nempe celeritatem, vigilan-

Delphhinus velocitatis, & citæ nauigationis symbolum.

gilantiamque veniamus. Sanè Pier. lib. 27. Hierogl. cap. 7. Delphinum testatur tam velocitatis, tum citæ nauigationis esse symbolum. *Est & illud*, inquit, *præcipuum ex Delphino significatum, vt sit velocitatis, aut mirificæ agilitatis indicium. Constat enim vnicuique maris accolæ, quanta se velocitate Delphini iaculentur. Vnde omnium animalium tam aquatilium, quàm terrestrium habetur velocissimus, quippe qui maximarum etiam nauium malos supersiliant, perinde ac sagittæ, teste Aristotele. Hinc prouerbium; Delphinum natare doces; cùm hominis cuiuspiam agilitatem exprimimus*. Sed Delphinum longissimè superat Virgo Deipara dum nostris miserijs opem allatura aduenit. Vnde S. Amadeus eam Seraphinis, senis alis instructis, quibus illa ad nos in nostris periculis, ærumnisque adiuuandos aduolare consueuit, comparare non dubitauit, vt alibi fusius declarauimus. Hanc ob causam crediderim fortasse columbam à Sponso vocitatam, quod pernicibus alis ad nobis opem quàm celerrimè ferendam aduolet. Quam eius charitatem fortassis æmulari cupiens Regius Psaltes canebat: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Eandem ob causam crediderim Deiparam Rotę illi Ezechieli Spiritu, oculisque plenæ à S. Bernardino Senensi fuisse comparatam. Tanta enim est Deiparæ in mortalibus iuuandis celeritas, vt desideria nostra præuolare videatur.

B.V. Delphino longe velocior hominum miserijs subleuandis.

B.V. velocior Seraphinis in hominibus adiuuandis.

B.V. velocior Colũba.

B.V. velocior Rota Ezechielis.

Vnde B. Alb. Magnus Prologo Tractatus super Missus de ea illud Sapientiæ in creatæ elogium Sap. 6. intellexit: *Facile videtur ab his, qui diligunt illam, & inuenitur ab his, qui quærunt eam; præoccupat eos, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat, qui de luce vigilauerit ad eam non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inueniet. Inueniet*, inquam, *semper paratam ad auxiliũ*, vt ait Richar. à S. Laur. lib. 2. partic. 1. *Inueniet pulsantem, vt intret*. Vnde in Apoc. 3. *ait cum Filio: Ego sto ad ostium, liberi scilicet arbitrij. Fores animæ, per quas ad animam intrat gratia Mariæ, sunt timor, & amor Matris, & Filij. Istis foribus assidet pietas Mariæ, vt radius solis ad fenestram clausam, quæ si aperiatur, statim intrat radius.* Vbi vir pientissimus auxilium Virginis solis Illuminationi, quæ fit, momento, atque instanti temporis, quo nil velocius, sapientissimè comparauit. Hinc idem Vir religiosissimus li. 7. cum Deiparam luci contulisset, dixissetque illico per minimam rimam illam subintrare, addidit: *Quasi modica rima est aliquoties eam deuotè salutare, pro amore eius libenter eleemosynam elargiri, Missam, siue sermones de ea deuotè auscultare. Blasphemantes, vel per eam iurantes, accerrimè redarguere, tutelæ ipsius sese commendare, &c. & tamen per has rimas copiosè suam mox submittit gratiam. Nulla enim creaturarum Dei æquè prona est ad benefaciendum, lumenque gratiarum ac misericordiæ diffundendum atque V. Maria. Quia ipsa præuenit oculum ad hoc, vt videatur ab oculo. Vnde Sapientia vel Maria: Præoccupat eos qui se concupiscunt, vt illis priorem se ostendat*. Sic ferè Rich.

B.V. in hominibus iuuandis eorũ desideria præuolat.

B.V. velut Solis radius statim si non adsit obstaculum animam illuminat.

B.V. lux momento temporis mentẽ illuminans.

Nulla creatura æquè ad benefaciendum atque V. Maria.

75. Hanc Virgineæ gratiæ ad nos subleuandos, illuminandosque velocitatem, sagaciter agnouit S. Anselmus Deiparæ studiosissimus libr. de Excell. B.V. cap. 6. *Velocior interdum est Salus, memorato nomine Virginis, quam inuocato nomine Filij; non quod ipsa maior, aut potentior eo sit. Nec enim ipse magnus, & potens est per eam, sed illa per ipsum. Verum quia & si merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt vt exaudiatur.*

Quomodo velocior interdum nobis sit salus inuocato Nomine Mariæ, quam Filij?

76. Iam quid de Delphini dicemus vigilantia? Quæ in Deipara humanis necessitatibus illico succurrente longe sane excellentius elucescit. De hac verè Principe digna virtute præclarè Causinus noster ex Aeliano lib. 8. Hierog. cap. 39. *Delphinum*, inquit, *perpetuo motu præditum esse ferunt, nec quoad viuit, ne dormiens quidem, à motione conquiescit. Cum enim necesse habet dormire, ex alto summam aquam elatus, vt totus videatur, dormit. non enim somni expers est. atque ita dormiens in profundum tamdiu propellitur, quoad imam sedem maris contingat, ad quam postquam funditus delapsus est, terræ pulsu è somno excitatur. Deinde ex alto emergit, ac repetito somno similiter, atque prius ad maris fundum appulsus expergiscitur, tum rursus eminet extra aquam, & hoc ipsum sæpe facit, eamque ob causam inter quietem, & actionem agens, nunquam omnino à motu quiescit.* Præclarum hoc est viris Principibus, Regibus, ac Imperatoribus, quos oportet stantes mori, quorum vita ipsa vigilia esse debet, vigilantiæ exemplum. Vigilantiam hanc Solicitudinis plenissimam in omnibus suis actionibus mirificè præseferebat Annibal ille, terror totius Romani Imperij, de quo Silius Italicus cecinit lib. 12.

Delphini vigilantia.

Delphinus etiam dormiens mouetur.

Delphini vigilantia Principibus imitanda.

Annibalis vigilantia.

Pæ-

Pœnus vt ad somnos vix totam cursibus actæ
Indulsit pubi noctem; vigil ille, nec vllam
Ad requiem facilis; credensque abscedere vitæ
Quod sopor eripiat tempus.

77. Admirabilem hanc Delphini, Rege dignam vigilantiam, Dei Mater, in subleuandis mortalibus, imitari visa est. Vnde præclarè à Spiritu Sancto per Virgam illam vigilantem, visam à Heremia cap. 1. nobis adumbratur. Vbi enim Vulgatus legit interpres: *Virgam vigilantem ego video*; legit B. Theodoretus: *Video Virgam amygdalinam.* Syrus: *Virgam amygdali ego video.* Arabicus: *Vidi Virgam de arboribus amygdalorum.* Iure porro Virgæ amygdalinæ comparatur Virgo nostra. Quemadmodum enim arbor amygdali ante omnes euigilat, & solicita est, vt suos flores, dulcissimosque fructus proferat, mortalibus: Sic Virginem Deiparam, velut illam Aaronis Virgam antelucantem, & frondes, flores, fructusq; simul vnâ nocte proferentē cernimus, ita vt verè de illa dicere possimus illud Num. 17. *Sequēti die regressus Moyses inuenit germinasse Virgam Aaron, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Verè enim ad instar amygdali vigilat, antelucatur, properat in nobis adiuuandis, illuminandis, omnique virtutum genere quàm citissime excolendis Virgo Deipara, efficitque, vt mox simul frondes, ac flores virtutum, fructusque bonorum operum proferamus.

B.V. Virga vigilans.

B.V. velut virga amygdalina in hominibus iuuandis vigilat.

78. Vigilat illa ad instar Argi plusquam millenis luminibus, ad miserias quibus conflictamur benignè intuendas. Vnde Blasius Viegas Apoc. 15. Comm. 1. sec. 1. propriè vigilantem, exponit. *Oculatam, vel oculos apertos, & vigiles habentem.* Quare ea quæ Aegyptij, ac reliquæ gentes ad DEVM, eiusque prouidentiam repræsentandam, vsi sunt rectè in Deiparæ nostræ piam pro nobis adiuuandis vigilantiam solicitudinemque transferre possumus. Pingebant illi baculum, siue sceptrum, in cuius vertice vigilans oculus visebatur. Phryges verò DEVM cuncta moderantem, omnibusque prouidentem exprimere volentes, Virgam sole exornatam pinxere. Est enim DEVS vt canit Homerus: *Sol qui omnia videt, & omnia audit.* Veteres nonnulli denique, vt asserit Pierius libr. 33. Hierogl. DEVM quasi baculum stantem figurabant, quod DEVS staret immobilis, omnia sustinens, firmansque vt ait Cyrillus libr. 9. cont. Iul. Hinc Tertull. libr. de Trin. *DEVM totum oculum dixit, qui totus totum videt.* Idem alibi ait; *esse Dei Oculum somni expertem, quoniam est ipsa lux, vigiliæ, ex ipso naturæ ordine deputata.* Plinius denique lib. 2. Nat. Hist. cap. 7. *DEVS,* inquit, *totus est sensus, totus est visus, totus est auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.*

B.V. instar Argi vigilat in perspiciēdo nostris necessitatibus.

B V. velut sceptrum Oculatum.

DEVS est totus Oculus, quia omnia videt.

79. Quæ sanè omnia proportione quadam, Sanctissimæ Dei Genitrici applicari possunt; Ipsa enim, vt pote Regina, oculatum sceptrum gestat, vt nos prouidentissimè regat, ac gubernet. Ipsa Virga sole exornata, vt potè mulier amicta Sole. Ipsa baculus noster, nos sustentans, ac firmans. De hoc baculo sine dubio canebat David: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Ipsa denique Diuinam essentiam acutissimè contemplando, præ reliquis sanctis omnibus, ob plenitudinem gratiæ, cui respondere debuit plenitudo luminis gloriæ, intuetur omnium mortalium miserias, adeo vt tota oculus somni expers, tota visus, tota auditus, tota lux, ab ipsa matre naturâ ad vigilandum pro nobis deputata, esse videatur.

B.V. baculus noster quo sustētamur.

B.V. in vidēdis mortaliū miseriis tota oculus videtur esse.

80. Quod porrò Virga illa Vigilans, siue properans, siue amygdalina, Deiparam ad nos properantem repræsentet, vt à somno peccati excitet, audiendus est pijssimus Rich. de S. Laur. lib. 12. *Virga vigilans, siue vigiliarum, id est, ad vigilias excitans, est B.V. Siquidem Virgâ soleat excitari somnolenti Clerici ad eundem ad scholas, vel in ipsis scholis dormitantes.* Vnde Prou. 22. *dicitur: Stultitia est alligata, in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Videns enim DEVS infantile esse totum genus humanum, & quod moram faciente sponso dormitauerunt omnes, & dormierunt* Matt. 25. (*Dormitant enim frequenter peccantes, & resurgentes, dormiunt peccata continuantes, obdormiunt obstinati, & in peccatis morientes*) *Videns, inquam, hoc DEVS, misit nobis Virgam vigilantem B. Virginem, vt suis precibus, meritis, & exēplis nos à somno peccati excitaret. Quod sæpè fit, de ea meditando, ipsam exorando, ipsam aman-*

B.V. Virga vigilās, & properans vt vos à somno peccati excitet.

amãdo, *eique seruiendo. Nullos.n. per alicuius sancti meritum excitabitur, nisi per eam excitetur. Ipsa enim illis, quos diligit, Virga est Disciplinæ, hoc est, euigilationis, procurans nobis quandoque per Filium disciplinam præsentium flagellorum, ne in perpetua incurramus. Notandum porrò, quod postquam dixit Ieremias se Virgam vigilantem vidisse, mox subdidit; videre se ollam succensam ab Aquilone. Quia qui ad hanc Virgam non euigilauerit, in ollam succensam gehennæ casurus est sempiternæ.* Sic ille.

Nullus per alicuius Sancti meritum à somno peccati excitatur, nisi excitetur per B. Virginem.

Qui non euigilat ad excitationē Virgineæ Virgæ in ollam succensam gehennę cadet.

81. Ostendit Virgo Virgam se esse vigilantem, corrigentem, ac excitantem in supra iam memorato Adolescente Edmundo sibi dilectissimo, qui cũ quotidie in honorem Virginis, eiusque Filij adoptiui S. Ioannis Euangelistæ, solitus esset recitare Orationem illam deuotissimam: *O' intemerata, &c.* & ob studiorum occupationem aliquando eam persoluere oblitus esset; proxima nocte à S. Ioanne, vtique mittente Virgine, officij sui admonitus est seuerius. Gestabat enim manu ferulam, quâ immanem ipsi se inflictum ictum minari videbatur. Mox tamen blandè amanterque docuit, ne precationem illam, nullo vnquam tempore intermitteret, quod & Dei Matri, ac sibi esset longè gratissima.

S. Edmundus propter orationem ad B.V. omissam à S. Ioanne Euangelista castigatus.

82. Haud dissimilem correctionem Virginis in sua adolescentia expertus est pijssimus Thomas de Kempis, qui cum à teneris annis Deiparæ fuisset cultor eximius, eique in dies singulos statas preces, magno pietatis sensu persolueret, tandemque, quæ humana est imbecillitas, primo ad vnum diem, deinc ad duos, vel tres, demum ad quatuor, tãdem ad integram septimanam, imo ex toto neglexisset, neglecti officij sui graues pœnas luit. Siquidem vidit Deiparam de cæli nubibus venientem decorâ facie, fulgentique habitu reliquos fratres amantissimè amplexãtem. Cogitabat interim apud se Adolescens: Paululum expectabo, & cum felix Virgo charitatis insignia cęteris sufficienter ostenderit, tum etiam & mihi, qui eam, etsi non digno, saltem quoquo possum amore prosecutus sum, amplexum charitatis benignè offerret, sed nimirum spe sua frustratus est, & loco amplexus atque osculi, quod sperabat, verbum asperæ increpationis accepit. Ad illum enim conuersa, eumque seuerioribus luminibus intuita: *Frustra*, inquit, *amplexum sancti amoris expetis hostis acerbe, qui exosa amicitiæ negligentia, debitam solitamque mihi flammantium precum pensionem exsoluere intermisisti. Vbi sunt iam consuetæ orationes tuæ? quo auolarunt? Vbi mixta suspirijs pia suffragia? Vide vt refrixit in te charitas, torpuit amor, solitaque tua illa solidaque pietas vacillauit? Et nunc tu quasi nihil peccatum sit, hic stas, & audaci frontè amplexum expectas, qui argui ac castigari magis es promeritus?* Simulque his dictis idignabunda se auertit: *Abi*, inquiens, *abi à me, quia amplexibus meis indignus censeberis, qui tam faciles preces amatæ tuæ persoluere neglexisti.* Quibus dictis, iustisque increpationibus castigatum relinquens in cælos auolans disparuit. Thomas interea tam acri correctione confusus, ingreditur in seipsum, conscientiam discutit, culpam agnoscit, emendationē ad promittit. Et ne in posterum Virginis beatæ frustraretur amplexibus, neglecta pietatis exercitia adeo feruenter arripuit, vt ad extremum vsque vitæ finem nullo vnquam die ea prætermiserit. Quare præclarè ipsius Vitæ conclusit Auctor: *O' felix reprehensio, quæ correxit errorem, quæ amoris nonnihil dirupta fœdera resarcijt, quæ negligentiæ næuum aboleuit!*

Thomas de Kempis ob negligentiã in B.V. obsequio, ab ea reprehensus.

83. Parem propemodum increpationem Virginis accepit B. Hermannus, eiusdem alias amantissimus de quo supra meminimus. Hic enim cum Sacristæ munere fungeretur quam diligentissimè, eaque tempestate fures, Templorumque expilatores grassarentur, solicitudine grauiori, quam par erat, ne res sacræ diriperentur distractus, in precibus, alijsque deuotionis erga Virginem obsequijs feruorem illum solitum tantisper remisit, quod quantopere Deiparæ displicuerit, factis ostendit. Ocurrit enim illi non iam pristino illo Virgineoque schemate pulcherrimo, sed formam vetulæ cuiuspiam præseferens fronte rugis exarata. Intuitus illam, & non agnoscens Hermannus, spectrum esse sibi imaginatus exterritusque exclamauit: *quid est hoc!* At illa: *Ego sum Custos huius Monasterij, sicut multo iam tempore fui.* Agnita Iuuenis voce Deiparæ, quam de facie non nouerat, lætitiã gestiens in ea prorupit verba: *Tunè es*, inquit, *ò Rosa.* (sic enim illam familiari consuetudine, proprio supresso Nomine, ex amoris teneritudine vocitare

B. Hermannus reprehenditur à B. V. quod ipsius colendæ studium neglexerit.

tare

tare consueuerat.) Tum respondente Virgine; *Ego sum.* Stupefactus Adolescẽs intulit: *Quid sibi vult, quod rugosæ anus vultum rugis exaratum assumpsisti?* Ad quem illa: *Talis ego oculis tuis appareo, qualẽ me in animo tuo effinxisti, & ideo iam tibi sum vetula. Vbi nunc est illa gaudiorum meorum repræsentatio? Vbi Angelicę Salutationis iucunda commemoratio? Vbi deuotionis feruor? Vbi cetera spiritualia exercitia, quæ mihi hactenus obtulisti, quibus, & ego tibi, & tu mihi Iuuenis reddebaris? Nolo equidem vt prætextu custodiendi monasterij meum seruitium intermittas, siquidem ego multo melius id custodiam.* Correctus ergo Iuuenis seuera hac castigatione, Virgamque Vigilantem ad curam monasterij agnoscens tãtæ Custodi curam Monasterij reliquit, & tam se, quam Dominam suam ad pristinam iuuentutem reuocare, eius commemorandis gaudijs, Angelicisque Salutationibus impendit. Quibus omnibus eam mirificè delectari, ipsa reuelãte cognouerat; dum ei libellum quendam de ipsius gaudijs studiosissimè cõmendauit. Sur. 7. April.

84. Nec hoc nostro sæculo errãtes ac peccantes corrigere atque increpare desijt Virgo Deipara. Legi in Collegij Tergestini literis annuis 1647. fuisse militem quempiam, qui triennio exomologesim prætermiserat, vt licentiori vitæ fræna laxaret. Dum alta nocte stertit, diuersis vicibus somno excisus, his ad sanam mentem vocibus proprio eius expresso nomine fuit admonitus: Paule quid agis? Paule quid agis? Monitioni huic repetitæ, cum ille ad instar aspidis incantatæ sapienter aures, licentioris vitæ abreptus amore obturaret tertio tandem circa noctis mediũ Dei Mater cęruleo amicta paludamento Puerulum IESVM eiusdem coloris tunicâ indutum sinu complexa, ei se visendam exhibuit acuti gladij macroni insidens, quem quasi pondere grauatum modo in hanc, modo in illã flectebat partem, quasi percussionem comminando ostendens reuera se non modo Virgam amygdalinam, verumetiam ferream ad corrigendos percutiendosque peccatores esse. Paulus his visis conterritus, totoque corpore concussus, sese Deo commendare instititit, confessionemque scelerum, vitæque emendationem polliceri. Virgo post hæc, nullum locuta verbum disparuit. Ille, orto Sole, ad Templum nostrũ immaculatæ Conceptioni B.V. sacrum aduolat, animumque vti spoponderat triennali variorum peccatorum macula fœdatum per sacram confessionem eluit, qua peractâ totius rei seriem Confessario detexit. Ex quibus omnibus colligimus Deiparam Virginẽ Virgam esse non modo ad nostram prouidentiam, verumetiam ad nostram correctionem vigilantem, dum suauiter ac fortiter minimos etiam suorum amicorum clientulorumque næuos defectusque corrigit, corripitque, præcauẽdo ne stata pietatis erga se officia intermittendo, à perfectionis, sanctimonięque semita aberrent.

85. Eamdem Delphini Vigilantiã non modo hic dum inter mortales degeret Virgo nostra præsetulit, assiduè sese tam vitæ actiuæ, quam contemplatiuæ actibus exercendo, sed & nũc quoque ad æuiternam illam immortalemque eu ecta gloriam, dum ad nostram prouidentiam, curamque tanquã Mater pientissima excubat. Ipsius nimirũ sunt verba illa Cant. 2. piæ solicitudinis in nos plenissima: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quam Virginis sentẽtiam, Ioannes Cardinalis Halgrinus attentius ponderans: *Potest*, inquit, *hoc ad illam solicitudinem referri, quam etiam nunc Beatissima Virgo gerit pro Ecclesia. Nam licet in seipsa dormiat, & quiescat, pro nobis tamen est piè solicita in precibus ad Filium, & in defensionibus contra inimicum.* Hinc S. Bern. Senensis Tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 2. asserit Deiparam adhuc in vtero Matris, accelerato rationis vsu, in ipso immaculatæ Conceptionis instanti, vigilantiam hanc in Diuinorum contemplatione præsetulisse, sic enim loquitur: *Beata Virgo etiam dum erat in vtero Matris habuit vsum liberi arbitrij, lumenque perfectum in intellectu, & ratione, proinde secundum quosdam fuit tunc in sublimiori contemplationis statu, quam vnquam fuerit aliqua creatura humana in perfecta ætate. Et licet in vtero Matris suæ, sicut, & cæteri infantes dormiret, attamen somnus, qui abyssat, & sepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, ac per consequens actum merendi, non credo quod talia fuerit in ipsa operatus; sed anima sua, liberè ac meritorio actu tunc tendebat in Deum. Vnde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam vnquam fuerit aliquis alius dũ vigilauit. Vnde ipsa ait: Ego dormio, & cor meum*

B.V. pro Dei Ecclesia assidua vigilantia.

B.V. dum adhuc esset in vtero Matris DEVM contemplabatur.

B. V. noua Esther, cui acceleratus mundus muliebris, & quomodo?

vigilat, scilicet in contemplatione perfecta, à nulla actione debilitata. Hæc Bern.

86. Nimirum Virgo nostra fuit Esther illa tam corporis, quam animi pulchritudine celeberrima, quæ cum supremi Regis placuisset oculis, inuenissetque gratiam in conspectu illius, accelerauit illi mundum muliebrem, vt habetur. Est. 2. lumen intellectus videlicet in ipsa Conceptione, & tradidit ei partes, pulchritudinis nimirum, quæ in omni creatura, tam cælesti, quam sublunari totius Vniuersi enitescit, easque maiori longe excellentiâ: & septem puellas speciosissimas ornatas, atque excultas, virtutes videlicet actu ornatas, quibus ille velut pedisequis peraccelleratum illum rationis vsum vti posset.

B. V. in vtero Matris Votū Virginitatis emisit.

Quare Franciscus Suarez noster, & alij Doctores Sapienter censent Virginem, ob acceleratum hunc rationis vsum ab exordio Conceptionis, Votum Virginitatis emisisse. Qua in re singularem vigilantiam, quę cor suum tradidit, ad vigilandum diluculo, à primo scilicet vitæ suæ instanti, demonstrauit. Cùm enim eodem instanti Diuinam essentiam clarè esset contemplata, vt Pater Quirinus Salazar, cum alijs Doctoribus asseuerat, vidissetque quam gratum donum foret Diuinæ Maiestati voto consecrata Virginitas, cohibere non potuisse videbatur voluntatem, quin ad hanc oblationem illico faciendam quodammodo determinaretur.

Admiranda in B V. somno consociata vigilātia.

87. Assiduam hanc, indefessamque Deiparæ tam in contemplatione, quam in actione, & in ipso somno vigilantiam agnouit S. Ambros. cum libro secundo de Virg. pronunciauit:

Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit, & tamen cum quiesceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat.

Agnouit Virgineam hanc indefessamque vigilantiam Rupertus Abbas eadem illa Canticorum verba librans.

Postquam enim dixisset multarum sanctarum animarum esse, non solùm otio, sancto dormire, à terrenis videlicet curis vacare, & in cælestibus per contemplationem corde vigilare, verumetiam secundum corpus dormire, & secundum animam per somnium cælestia cognoscere sicut Jacob in somnis mirabilem illam vidit scalam, Angelosque ascendentes ac descendentes. Vnde Ioelis cap. 2. dicitur: *Senes vestri somnia somniabunt;* tandem conuersus ad Deiparam exclamat: *Sed tu ò Cælum Domini, vnica sedes Domini, in vtroque vigilantiæ modo, cunctis mortalibus longè eminentior fuisti, longè studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere, atque aptior fuisti.* Audiamus hic etiam Dionysium Carthusianum de hac singularissima Virginis vigilantia loquentem: *Hoc,* inquit, *nempe; Ego dormio, &c.*

B.V. vitam etiam Contemplatiuam duxit.

Sanctissima Virgo præeminenter dicere potuit, quia contemplatiuissimam vitam duxit, & ab exteriori tumultu, omni inordinato strepitu, & cura superflua, atque inquietudine culpæ penitus abstinens, & sopita, vigilantissima mente Deo vacauit, pro Ecclesia exorauit, actibusque virtutum, in termino excellentiæ perfectissimis iugiter fuit intenta.

Denique in somno corporali, cor eius peruigil fuit, & ex assidua assuefactione ac perfecta, insistendi Diuinis, ex ardentissima, & exercitatissima charitate, ex splendidissima, & exuberantissima sapientia sibi infusa, & contemplatione in Vigilijs, penè ac prorsus continuè, et iam tempore somni, vigil corde fuit, Deo coniuncta, & pro commissa sibi Ecclesia etiam nunc vigilare non cessat.

Vita Actiua, & Contemplatiua sociata in B. V.

88. Agnouit in Virgine assiduam hanc vigilantiam, & actionis, & contemplationis B. Petrus Cardin. Dam. sermon. 1. de Natiuit. B. V. postquam enim docuisset illam Thronum esse Salomonis, variaque eius exposuisset mysteria, tandem cum ad illa verba 3. Reg. 10. venisset: *Porrò duæ manus tenebant hinc, & inde sedile;* hæc attexuit:

Duæ illæ manus actiuam, & contemplatiuam vitam significant, quæ Matrem Virginem, propensiori diligentia ambierunt, adeo vt nec actio contemplationem misceret, & contemplatio non desereret actionem.

Quod, & comprobat exemplis:

Recordare, inquiens, *quia non erat ei locus in diuersorio, quomodo Filium proprijs vberibus lactauerit, & omnes denique vagientis paruuli sustinuerit actiones, & tunc intelliges, quia plurimum ministrauit. Considera etiam, quia ipsa est, quæ in contemplatiuæ dignitatis superuecta dulcedine in ipsius Dei substantiam lucidiores defixit obtutus: Læua eius, inquit, sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Sic ille.

B. V. indefessissima fuit per sedulitatem in bonis operibus.

89. Vi-

89. Vigilantiam hanc plusquam Delphinicam tam in hac vita, quam in altera agnouit S. Bonauent. in specul. cap. 4. *Indefessissima*, inquiens, *& studiosissima fuit Maria per sedulitatem in bonis operibus. Ipsa namque est Maria illa, de qua dicitur in Act. Apostolorum cap. 1. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione, cum Maria Matre IESV. Maria indefessa perseuerando in oratione exemplum dedit, quam oportet sequi, & non deficere. Etsi Maria tam sedulè orauit in terris, quomodo non sedulè orabit in cælis?* Tum paucis interpositis: *Sed ecce Maria nostra non solùm ore, & orationibus, sed etiam corde in sanctis meditationibus indefessa fuit, & sedula, de qua dicitur: Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Nec otiosa, & ideo non solùm mentem in sanctis meditationibus, non solùm linguam in deuotis orationibus, sed etiam manus in bonis operibus sedulas habuit.*

B.V. indefessa in sanctis orationibus.

Ad quid enim cum Elisebetha mansit tribus mensibus? Respondet Beda: Vt mulieri prouectæ ætatis Virgo iuuencula ministerium sedula impenderet. Hæc Doctor Seraphicus. Hanc ob causam S. Epiphanius, & Ephræem Syrus eam multioculam dixere, quod mille, & amplius oculis ad nobis succurrendum opitulandumque dies noctesque peruigilet.

90. Imitatur nimirum Virgo in hoc quoque suum dilectissimum Filium, de quo S. Ioannes Apocal. 5. Vidi Agnum tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem. Petr. Alchazar ait, præter duos oculos cælestem illum Agnum, alios septem habuisse, qui ei ad instar coronæ totum caput circumdabant, ita vt cornibus illis septem per modum coronæ dispositis, totidem illi oculi subijcerentur, ad indicandum hunc cælestem Agnum infinita sua prouidentiâ vigilare atque excubare pro nobis, omnesque nostras miserias, aduersitatesque, ac tentationes Diaboli, quibus assiduè confligamur, inspicere easdemque cornibus diuinæ suæ fortitudinis propulsare. Hæc enim cornua licet Agni mansueti ob Humanitatem sibi sociatam esse videantur, sunt tamen, ratione fortitudinis ipsius Diuinitatis cornua Rhinocerotis, ad ventilandos hostes Tartareos, eorundemque membra, peccatores. Vnde de his septem cornibus vaticinari visus est Moyses. Deut. 33. Cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes vsque ad extremum terræ.

Christus Agnus cornuũ & oculorum diademate coronatus.

91. De oculis hiscè Christi rem mirabilem prorsus scribit B. Petrus Cardinal. Damian. Opusc. 42. cap. 5. Comparuisse nimirum Saluatorem aliquando specie pauperis, ac peregrini, neglecto capillo, ac barba, homini cuidam, qui porcellum vicino erat suffuratus. Hic cum peregrinum hunc ita hirsutum esset conspicatus, capillum tondere est aggressus. Id dum facit, reperit, mirabile dictu, in accipitio sub crinibus duos oculos latitantes, ad quorum conspectum consternatus, audiuit vocem Saluatoris: *Ego IESVS vocor, qui vndique cuncta contemplor, & isti sunt oculi, quibus etiam suem vidi, quam nuper sustulisti.* Hæc Damianus.

Christus apparet cuidam cum oculis in occipite.

Multiplices hosce Filij sui oculos omnia prospicientes imitari etiam videtur Virgo nostra. Vnde S. Amadeus, vt etiam alibi dictum est, eam beatis illis spiritibus, qui à plenitudine scientiæ nomen accepere, quos Ezechiel Propheta, Dilectusque Domini discipulus, plenos oculis intrinsecus, extrinsecusque contemplati sunt, comparare non dubitauit. nobis clarè demonstrando tanta Deiparæ, circa mortales omnes esse vigilantiam, in miserijs nostris, tam intrinsecis animi, quam extrinsecis corporis perpetuo intuendis, vt Cherubinus quidam plenus oculis intus, & extra esse videatur; ac proinde cum miseriam aliquam, calamitatemque conspicatur, mox velut Cherubinus alarum remigio velocissimo, ad opitulandum aduolet.

B.V. Cherubinus quidã esse videtur plenus oculis.

92. Quæ cum ita se habeant ad vigilantissimam hanc Virginem in nostris hiscé bellorum tribulationibus, ac calamitatibus, quas sæuus Hæreticorum, malorumque Christianorum furor, è profundo Tartarei Barathri excitauit, magnâ, cum fiducia confugiamus, opem eius præsentissimam mihi credite experiemur.

Licet enim hactenus dormire quodammodo visa sit, certo tamen nobis persuademus, longè acerbiores calamitates, afflictionesque enormia mundi scelera, hiscé annis fuisse commerita, quæ longè maioribus pœnis, flagellisque fuissent expianda, nisi Virgo pro nobis ad Dominum, DEVMque Filium suum vigilas-

In his bellorum calamitatibus recurrendum ad B.V.

gilasset, manusque illas sacrosanctas expandisset, ictumque romphææ illius formidabilis, sui interpositione corporis, quod DEVM nouem mensibus gestauit, suorumque castissimorum Vberum oppositione, quæ DEVM infantem lactauerunt, non fuisset amolita.

Ad illam igitur, tanquam ad Thronum gratiæ, atque Asylum, tanquam ad salutis aram, tanquam ad ciuitatem refugij tutissimam accurramus, vt auxilium inueniamus, in tempore opportuno.

Amen.



D I-



DISCVRSVS XXIII.

Quod B. V. Deipara fortitudinem cæleſtis Herculis Draconem interimentis repræſentet.

1. INter varia eaque mira quæ in Hercule celebrauit antiquitas, fuit eximia, atque Heroica tam animi, quam corporis fortitudo, qua horrenda, & hominum, & belluarum monſtra trucidauit, totiuſque orbis ſaluti incolumitatiſque conſuluit. Inter hæc ferarum prodigia extitit Draco peruigil, qui ad aurea Heſperidum mala cuſtodienda excubabat; fuit item immanis illa 50. vt ait Heraclides Pontius, Hydra Lernea capitibus circumuallata: fuit Leo Nemeæus in vulnerabilis, cuius exuuijs velut clypeo loricâque tegebatur. Fuit Taurus Marathonius, qui ignem horribilem naribus efflabat. Fuere denique angues illi duo celeberrimi, quos infans, in ipſis incunabilis eliſiſſe perhibetur. Hæc aliaque quam plurima præclarè geſta facinora, Herculis inuictum robur conteſtantia Quintus Smyrnæus his verſibus compræhendit, vt habetur apud Natalem Comitem libro 7. capit. 1.

12. Labores Herculis.

Prima Cleonei tolerata ærumna Leonis.
Proxima Lernæam ferro, & face contudit Hydram.
Mox Erymantheum vis tertia contudit Aprum.
Aeripedis quarto fuit aurea cornua Cerui.
Stymphalidas pepulit volucres diſcrimine quinto.
Threiciam ſexto ſpoliauit Amazona baltheo.
Septima in Augiæ ſtabulis impenſa laboris.
Octaua expulſo numeratur adorea Tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Vndecimum mala Heſperidum diſtracta triumphum.
Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.

2. Herculeam hanc fortitudinem in perdomandis tot hominum ferarumque monſtris ac portentis in ſe quodammodo expreſſiſſe viſa eſt Heroina noſtra glorioſiſſima Virgo Deipara. Vnde iure merito ipſa velut animatum quoddam cælum, vt eam vocat Damaſcenus, ſtellatum in ſe repræſentat Herculem horribilem illum vigilemque Draconem actu ipſo clauâ trucidantem. Licet enim ipſa in immaculatâ ſuâ Conceptione Tartarei illius Draconis, incredibili ac Diuinâ planè vi caput contriuerit, deque ipſo glorioſiſſimum triumphum reportarit, in hodiernum tamẽ vſque diem triumphat adhuc, eiuſque vires elidit, ne ipſius clientulis noceat, eoſque peſtifero anhelitu inficiat. Ipſe enim eſt Leo, Nemeæo illo longè truculentior. Vnde 1. Pet. 1. ait Apoſtolus: *Aduerſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Ipſe eſt Aper, ipſe *ſingularis Ferus*, qui vineã Eccleſiæ aſſiduè vaſtat atque depaſcitur. Ipſe eſt Taurus ferociſſimus Tartareos ignes ore, oculis, naribuſque ad libidinis ignem in mortalium cordibus accendendum euomens. Ipſe abominanda illa volucris Stymphalia humanis carnibus (: ſiquidem *cibus eius electus*, vt ait Propheta:) ſaginata. Ipſe triceps ille Cerberus ſuarum tentationum latratibus orbem complens; Ipſe Anguis tortuoſus, horrificis ſuggeſtionum ſuarum

B. V. de Tartareo Dracone in ſua immaculata Concep. triũphauit.

Dæmon eſt Draco, eſt Aper, & ſingularis Ferus, Taurus ignes vomens, Cerberus, Anguis tortuoſus & Hydra multis capitibus vallata.

rum sibilis mortales decipiens. Ipse denique Hydra illa Lernæa multis serpentinis capitibus circumuallata.

Sic enim illam S. Ioannes Apoc. 12. descripsit: *Ecce Draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Magnus hic Draco ad instar Hydræ Luciferum repræsentat.

Serpentes longi, 20. pedes reperti.

Hic vt sæuitiam suam ostendat in forma serpentis magni se visendum exhibuit, & fortasse in eorum magnitudine de quibus scribit Plinius libr. 8. cap. 14. repertos 120. pedes longos; ex quibus vnus balistis ad instar cuiuspiam vrbis oppugnatus ac superatus fuit.

Serpentes aliqui reperti qui integras tauros, & ceruos deglutiebant.

Fuerit fortassis similis serpentibus illis Indicis, de quibus scribit idem Plinius esse nimirum adeo magnos, vt integros tauros, ceruosque deglutiant. Rufus est, quia vt ait Saluator Ioan. 8. *Homicida fuit ab initio*; & dùm Adæ, Euæque, omniumque posterorum causa mortis, ac perditionis extitit, quasi sanguine eorum pastus, rufus euasit.

Serpens Rufus quare Dæmon sit dictus?

Rufus est, quia color hic significat, vt ait Blasius Viegas, & Alchazar, fraudem, ac malitiam; Dæmone autem quid malitiosius, quid fraudulentius? In Græco textu pro Rufo habetur *πυῤῥὸς*, quasi ignitus alluditque ad illos ignitos serpentes, quos immiserat olim Dominus in Israelitas murmuratores. Num. 21. 6.

Dæmon serpens ignitus.

3. Et verò inuentos Dracones ignem vomentes scribunt Historici. Inter quos Leslæus in sua Scotia Anno 1558 ait apud Marchiam, & Laudouiam, Draconem quendam ignes vomuisse, quibus segetes, frugesque incendebat, ac proinde populum peruigilare compulsum, vt ignes illos extingueret. Huiusmodi est omnino Cacodæmon Infernalibus incendijs æuiternum addictus cuius nequitiam, astutiam, efferetamque truculentiam sic descripsere Patres. Audiamus B. Isid. lib. 1. de summo Bono. *Dæmones triplici acumine præscientiæ vigent, scilicet subtilitate naturæ, experientiâ temporum, reuelatione superiorum potestatum. Quanto propinquius Diabolus finem mundi videt, tanto crudelius persecutiones exercet, vt qui se continuo damnandum conspicit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus abdicatur.* Audiamus S. Cyprianum eius vafriciem adumbrantem: *Diabolus*, inquit, *dictus est serpens, quia cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit* (: vnde nomen serpentis accepit:) *ea est eius astutia, ea circumueniendi homines cæca, & latebrosa fallacia, vt asserere videatur noctem pro die, venenū pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiā sub prætextu fidei: Antichristum, sub vocabulo Christi, vt dū verisimilia mētitur, veritatem subtilitate frustretur. In Angelum .n. lucis se transfigurat.* Audiamus denique D. Augustinum varias, easque callidissimus antiqui huius veteratoris nequitias describentem serm. 4. in Communi. *Quid prauius, quid malignius, quid aduersario nostro nequius? qui posuit in cælo bellum, in Paradiso fraudem, odium inter primos fratres, & in omni opere nostro Zizania seminauit. Nam in comestione nostra posuit gulam; in generatione luxuriam; in exercitatione ignauiam; in conuersatione inuidiam; in gubernatione auaritiam; in correctione iram; in prælatu, sine Dominatione superbiam. In corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas, in vigilando mouet ad praua opera, in dormiendo ad somnia turpia. Lætos mouet ad dissolutionem; tristes autem ad desperationem. Sed vt breuius loquar, omnia mala mundi, suâ sunt prauitate commissa.* Hæc ille.

Dæmones vt Sancti Patres descripsesint?

Quibus sane antiqui serpentis malignantissimum nobis genium quem rufus color denotat perspicuè ob oculos proposuit, ac declarauit.

Dracones ignem vomentes reperti in Scotia.

4. Quod si septem illa eius capita consideremus, decemque cornua quæ eius caput vndique cingebant, multo magis eius ferocia elucescet, ac malitia, quâ hominem ad varia perpetranda instigat scelera. Alchazar enim Draconem hunc rufum ac magnum tot capitibus circumuallatam ait esse Hydram, quæ, Pierio Valeriano teste Hierogl. 16. Symbolum est inuidiæ, qua stimulante Diabolus mortem in orbem terrarum inuexit, vt pronunciauit Sapiens. Septem porro illa capita asserit Pater Alchazar septem esse nefarios immundosque Spiritus ad septem capitalia vitia nos exstimulantes. Vnde Pater Cornelius suspicatur capita illa fuisse totidem animalium peccata illa symbolicè repræsentantium, nempe Leonis, Tigridis, Vrsi, Viperæ, Lupi, Serpentis, & Asini. *Dum enim nos tentat Dæmon*, inquit Cornelius, *nunc caput, & vultum superbi Leonis nobis ostendit; nunc serpentis inuidi; nunc viperæ iratæ; nunc lupi gulosi; nunc tigridis auaræ; nunc vrsi luxuriosi; nunc asini pigri, & igna-*

Draco Rufus est Hydra.

Hydra Symbolum est inuidiæ.

Septem capita Hydræ erant capita variorum animalium.

ignaui. Quæ capita ideo diadematis singulis coronata perhibentur, quia innumeras victorias de hoc mundo, eiusque amatoribus retulerunt. Decem porrò illa Draconis ipsius Cornua, Luciferi efferatam notant potentiam, ac Tyrannidem, qua assiduè contra mortales omnes, vt eos à Deo auertat, inque suam potestatem redigat, depugnare consueuit. Cauda denique illa, qua tertiam partem stellarum trahebat in terram, extremam illius persecutionem, ac ferociam, Antichristi temporibus (:qui Luciferi verè cauda dici potest:) exerendam, qua quam plurimos viros doctrinæ, ac Sapientiæ, sanctitatisque luce, ad instar stellarum conspicuos, & iam in cælo quodammodo commorantes, ad rerum terrenarum desideria suis suggestionibus caudæ quasi suæ ictibus, ac voluminibus detrahet, in Barathrum tandem stygis præcipitandos. Vnde scitè S.Greg. libr. 32. Moral. cap. 14.

Cauda Draconis est Antichristus.

Stellas, inquit, *de cælo cadere, est nonnullos, relicta spe cælestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. Hinc de eiusdem sæuitia vaticinatus est Daniel capit. 8. v. 10.*

Quid sint stellæ, quæ Draconis Cauda detractæ sunt in terram?

Deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas. Ipse enim suâ cauda, idest, post se suadendo, & solicitando, ait Victorinus, *sicut tertiam partem Angelorum de cælo traxit, sic in hodiernum vsque diem de Ecclesiæ cælo, viros sapientes ac iustos callidis persuasionibus, assiduisque solicitationibus ad rerum terrenarum noxium amorem deturbat.*

5. Cum hoc igitur Dracone Tartareo, magno, ac rufo, cum hac Hydra immani, ac truculentam, lucta, ac pugna est assidua à primis suæ Conceptionis initijs gloriosissimæ Heroinæ nostræ Deiparæ, & in hodiernum vsque diem perseuerat. Quare ea omnia quæ eodem capite describit Ioannes Apostolus de Muliere amicta Sole, syderibusque coronata, deque eius incōtaminato illo partu, cui tantopere Draco insidiabatur, non modo Ecclesiæ, verumetiam Deiparæ aptissimè congruunt; siquidem *Auia Ecclesię*, à Diuo Ambrosio nuncupatur, *quia eum peperit, qui caput, & parens totius est Ecclesię.*

B.V. dicitur à S. Ambrosio Auia Ecclesiæ, & quare?

Quare præclarè pronunciauit Ansbertus: *Non mirum*, ait, *si illa typum Ecclesię prętendat, in cuius beato vtero capiti suo eadem Ecclesia vniri meruit.*

Ipsa est, quæ peperit masculum, non effeminatum, non ignauia torpentem, sed ad debellandas aereas potestates, caput, & corpus virile atque robustum.

6. Quam ob causam iure dicere possumus etiam modo id quod perhibet Ioannes: *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperisset, Filium eius deuoraret.* Licet enim Draco hic Tartareus per suum ministrum Herodem, Christum Filium Virginis, mox vbi fuit editus in lucem, deuorare voluerit, dum illum in nece illa infantium crudelissima, per summum nefas, quæsiuit ad mortem; nihilominus tamen in hodiernum vsque diem stare ante Virginem, & tam ipsi, quam eiusdem partui videtur insidiari, cum spirituales eius filios, quos amplissimo charitatis sinu, quasi vtero fouet, ac complectitur, absorbere contendit. Quare præclarè S. Cyprianus Diuinam illam comminationem aduersus hunc Draconem;

B.V. sese opponit Tartareo Draconi in defensionem suorum spiritualium filiorum.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: Gen. 3. expendens, de Virgine nostra pronunciauit: *Non dicit, Pono, ne ad Euam pertinere videatur, sed Ponam, hoc est suscitabo Mulierē, quæ repudiata facilitate credendi, non solum te non accidiat, sed ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat nouitate, dicendo: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Ecce istud semen mulieris, quod non per traducem genitalium ministeriorum, commixtione, sexus vtriusque infunderetur in vtero, sed clauso claustro indeflorata Virginis inueniretur in vtero.*

Assiduæ inimicitiæ antiqui serpentis cum Maria.

Ex hac ergo semen promissum est mulieris, quod semen secundum hominem Dominus Deus noster est, qui non infusus est in vtero, sed inuentus, Euãgelista confirmante, cum dicit de Maria: Inuenta est in vtero habens. Similiter comminationem hanc, vestigijs crediderim S. Cypriani insistens, declarauit. Richard. à S. Laurent. libro sexto. de laudib. B. Virg.

Hæc est mulier, de qua dictum est serpenti. Gen. 3. Ponam inimicitias, inter te & mulierem. Quasi diceret: Vidi olim amicitiam factam, inter te, & mulierem illam Euam, sed iã inimicitias ponam inter te, & quandam aliam, Mariam nempe, quæ conteret caput tuum. Ponam etiam inimicitias inter semen tuum, & semen illius. Quod impletum est, quando Herodes semen huius serpentis, statim natum persecutus est Christum semen benedictum Mariæ Virginis. Vnde dicitur in Apocalypsi: Draco stetit ante mulierem, &c. Stetit verè, quia non dormitabit neq; dormiet, qui impugnat Israel, sicut nec qui custodit Israel. Ipsa conteret caput

put tuum, quod superbè erigebas, exultans de homine de statu innocentiæ deiecto. Sic ille.

7. In qua Diuina aduersus stygium serpentem comminatione obseruandum, quod Card. Caietanus adnotauit: *Non dictum esse inimicitiam, sed inimicitias numero multitudinis, quoniam omne inimicitiæ genus Heroina nostra cum hoc Infernali Dracone suscepit, nullamque, vllo prorsus tempore, habere voluit cum eo amicitiam.* *Neque enim*, inquit ille, *satis est inimicum esse Diabolo, quo ad ea, quæ sunt fidei, aut spei, sed oportet secundum omnes partes inimicum esse, videlicet ea, quæ sunt castitatis, abstinentiæ, liberalitatis, misericordiæ, & cæterarum virtutum.* Vnde videmus eam in ipso primo Conceptionis instanti, eius virulentum caput, quod peccatum denotat originis, vtpotè, quod caput, & origo reliquorum, quæ in genus humanum dimanarunt scelerum, extiterit, contriuisse adeo gloriosè, vt nec eius virus, purissimam illam animam contaminarit. Qua in re robur ac fortitudinem Herculis adhuc infantis in incunabulis latitantis, geminosque angues, magnitudine animi singulari elidentis præseferre visa est. Meminit Heroici huiuscé facinoris Latinus vates Aene. 8. dum inter laudes Herculis, quas Iuuenesque senesque in choros distributi concinebant hoc primum ac palmarium numerauit:

B.V. omnem inimicitiam habuit cum Diabolo.

Hic Iuuenem chorus, ille senum, qui carmine laudes
Herculeas & facta ferant, vt prima Nouercæ
Monstra manu, geminosque præmens eliserit angues.

Quapropter fortissimæ huic tot stygiorum serpentum, ac Monstrorum debellatrici, velut alteri Palladi, Clypeum illum, quem Teron, vt canit Silius lib. 2.

Teronis Herculis sacrificali Clypeus, in quo erat gemina Hydra.

Alcidæ Templi custos, Aræque Sacerdos

habuisse memoratur, possemus attribuere. Sic enim de illo, Herculem æmulante, eiusque Clypeo idem Silius:

Atque illi nō hasta manu non vertice cassis,
Sed fisus latis humeris, & male iuuentæ
Agmina vastabat claua, nihil indigus ensis;
Exuuiæ capiti impositæ, tegmenque Leonis
Terribilem attollunt excelso vertice rictam.
Centum angues idem cælatum Insigne gerebat
In Clypeo, & sectis geminam serpentibus Hydram.

Cum enim Virgo nostra gloriosissima, non centum angues, sed omnes Tartareorum hostium phalanges fuderit, ac prostrauerit, easque in illorum Capite, Serpente illo antiquo, cuius caput nondum nata contriuit, tāquam vilissimos vermiculos, pede protriuerit; & Originalis præterea culpæ, Triumphatrix extiterit inuictissima, iure non centum, sed cētum millena millia anguium iure geminam, resectis virulentis illius capitibus Hydram in suis gestat Insignijs. Quid enim Originalis culpa, quam quędam Hydræ sunt, ex qua innumera variorum peccatorum capita pullulare consueuerunt? Quæ generosissima Heroina nostra, præseruatione illa diuinitus in immaculatæ Virginis Cōceptionis instanti sibi indultâ, velut vnico ictu obtruncauit.

8. Quod si postea vniuersum ipsius immaculatę vitæ decursum contemplemur, intelligemus sane nihil aliud extitisse, quam assiduas interminatasque cum Infernali hoste inimicitias, aperta bella, gloriosissimasque victorias. Vnde crediderim hanc ob causam à cęlesti, Diuinoque sponso attributum illi fuisse celeberrimum illud elogium, Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.* Quasi vniuersa eius corporis compositio Heroica, palmam quandam, atque victoriam præseferat, adeo vt quacunque ex parte eam contemplemur, tota nobis palma, atque ipsa de Tartareo Dracone victoria esse videatur.

B.V. vita vniuersa fuit cū Dæmonibus perpetuæ inimicitiæ.

Quod si ipsa eius verba ac opera attentius consideremus, inueniemus sanè arma esse validissima, quibus eundem illum Draconem debellauit, atque ita perspiciemus luce meridiana clarius, illam victricem esse Palmam, cuius folia acinaces quosdam præseferunt, quibus Virgo gloriosissima in multiplici cum illo conflictu vtitur, eiusque iugulum petit, eumque prosternit.

Eandem ob causam censuerim in Templo illo Salomonis, quod Damasceno teste, typus ac figura extitit Virginis, in parietibus omnibus palmas, ac Cherubinos, facie Leonina fuisse exculptos, vt asserit Villalpandus. In ipso verò Sanctuario, quod etiam Sancta Sanctorum dicebatur, docet idem ingentes fuisse palmas, ac Cherubinos, qui facie quidem hominem, corpore leonem, alis aquilam, pedibus bouē referebant. Quibus sanè omnibus, quid aliud, quā inuicta Deiparæ fortitudo, insigni associata

In Templo Salomonis Cherubini facie Leonina & palmę, quid denotabant.

ciata sapientiæ, quid aliud, quam gloriosissimæ eiusdem victoriæ ac triumphi denotabantur?

B.V. similis palmæ ex qua eram formata, ob terrorem Dæmonibus incursum.

9. Quapropter Rich. à S. Laur. libr. 5. Virginem Palmæ Crucis comparare, ob terrorem, quem serpentibus Tartareis incutit non dubitauit: *Sicut Palma*, inquiens, idest, *Arbor triumphalis Crucis Dominicæ, terribilis est malignis spiritibus, sic B.V. merito suæ rectitudinis malignos Spiritus tenet, & expellit. Vnde B. Bernardus:*

B.V. Dæmonibus quam terribilis.

Non ita metuunt hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum. cedunt, & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicunque inuenerint huius Nominis crebram recordationem, inuocationem deuotam, sollicitam imitationem. Vt ostenderet porrò vir hic in Virginem pijssimus quantum præsidij, ac spei de victoria contra Inferorum hostes in eam posuerit lib. 1. cap. 2. hoc eodem Bernardi citato testimonio, hæc attexit:

Marię Nomē men, & Memoriale in desiderio animæ retinendum.

Roganda est igitur assiduè Maria, vt Nomen suum, quod est Domina, interpretetur in nobis tentatores nostros expugnando, seque Turrim fortitudinis nobis exhibendo, à facie inimici, & vt hoc nobis pręstare dignetur Nomen eius, & Memoriale in desiderio animę, & iugi memoria retineatur.

10. Easdem de Tartareo Dracone victorias, ac triumphos Virginis nostræ gloriosissimę declarare volens Ioannes Apostolus, ait se vidisse illam, coronâ stellarum 12. redimitam; insinuando nimirum Deiparam tantâ virtute, potentiaque præditam esse, vt plurimas stellarum, quas stygius Draco caudâ suæ suggestionis in terram traxit, ipsa easdem illas in cælum rursus trahat, adeoque diligat, vt eas in vertice sui capitis gestet, eisque dicere videatur: *Gaudium meum, & Corona mea vos estis.*

B.V. etiā stellis coronatur, quas Draco in terram traxit, dum sibi deuotos peccatores corrigit ac conuertit.

11. Vt autem magis perspicuè intelligamus singularem planè, atq; Herculeam animi magnitudinem, ac fortitudinem in Virgine hac nostra elucescere, attētius adhuc comminationem illam expendamus. Nam vt sapienter obseruauit Rupertus Abbas in Deiparæ amore feruentissimus lib. 3. in Gen. cap. 19. Notandum est non dictum esse: ponam inter te, & mulierem fraudem, astutiam, dolum, machinationes, occultas insidias, sed ponam inimicitias, vt indicaret vniuersorum Dominus, ac creator multo maiorem futuram mulieris in superando Dæmone potentiam ac virtutem, quam fuerit Dæmonis, in vincenda Eua.

Siquidem ille vafricie, calliditate, astutiâque serpentinâ, simulatâ demum amicitiâ primam illam miserabilem mulierem fefellit, ac seduxit:

B.V. quasi aperto Marte cum Cacodęmone pugnauit non fraude, sed fortitudine.

At verò secunda hæc mulier non dolo, fraudibus, aut simulatione, verum clarè indicto bello, publicatis iustissimis inimicitijs, aperto denique Marte, illum ad prælium lacescens, eumque eo fortiter confligens, de ipso gloriosissimum triumphum reportauit.

Sed ipsius pijssimi Abbatis verba audiamus: *Hæ inimicitiæ, à fraudibus differunt, quod fraudes pacatam sermonis, vel cuiuslibet rei prætendunt superficiem; inimicitiæ verò manifestam contrarietatis habent intentionem. Constat autem quod subdolus Diabolus in serpente, non tanquam armatus aduersarius occurrit, sed tanquam fidus consiliarius lateri eius in via sese adiunxit. Cùm igitur DEVS dixit: Ponam inimicitias inter te, & Mulierem, profectò magnum gratiæ suæ opus promittit, quod victorem Diabolum, qui vicerat fraude, victa nunc mulier, vincere quandoque debeat fortitudine. Porro hæ inimicitiæ non per ipsam mulierem, sed per semen illius exercendæ, & vsque ad victoriam perducendæ sunt, hoc est per Christum, qui planè cum illo antiquo serpente fortiter se exercuit, & accinctus gladio super femur suum potentissimus intendit, prosperè processit, & regnauit, hostemque publicum ante pedes suos productum contriuit.*

12. Hanc ego crediderim ob causam à sponso cælesti, eius inuictæ fortitudinis probè conscio illud ipsi sæpius in Canticis, & præsertim cap. 5. attributum fuisse encomium: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.*

B.V. nō fraude, non ex insidijs sed explicatis signis, ordinatisque copijs cum Diabolo certauit, eumque expugnauit.

Nouerat enim illam non ex insidijs, non fraude, aut callidis circumuentionibus, siue dolosis stratagematis, sed explicatis signis, apertè in lucem productis ordinatisque copijs Draconem hunc Infernalem aggressuram, vt tanto gloriosior eam triumphus maneret.

In B.V. vera prudentia remota calliditate enituit, dum cum antiquo serpēte pugnauit.

Qua in re non modo fortitudinem, sed diuinam planè prudentiam, sapientiamque suam ostendit Deipara; cum ea vera prudentia censenda sit, quæ remotâ omni calliditate, ac fuco, in rebus agendis sincerè, ac simpliciter procedit. Verissimè enim pronunciauit Iamblicus Epist. ad Amphalum:

Prudentia sui possessores Deo similes facit.

Prudentia est, quæ singulorum vitam ad exem-

plar Diuinum referens, qua potest, optima similitudine depingit, ideoque sui possessores Deo similes facit.

13. Quod S. Cyrillus insigni illustrauit Apologo lib. 1. Apol. Mor. cap. 3. cui talem apposuit epigraphen:

Prudentia vera est, quæ simplicitate decoratur.

Prudentia vera est, quæ simplicitatis innocentiâ decoratur: Animalium, inquit, *omnium simul collecto concilio, cum de pluribus quærerent, placuit illis de ratione prudentiæ inuestigare, quodnam eorum astutius esse diceretur. Sed quoniam sumit interdiu vulgus studia contraria, priuatusque amor rectum iudicium vertit in obliquum, hinc volatilia coruum, inde vulpem terrestria, singula quæque suum exaltare cæperunt. Verum hinc quidem corui multiformis dolositatis, & versutię ostensis astutijs, inde vulpis deceptiuę artis ingenijs ventilatis, postquam animalia quasi iuris dignitate, & definitione, singulorum facinora pretulissent, ac talibus definitionibus partialitatis amore, sine rationis sententia tenatius adhęrerēt, pro veritate stans Simia, dixit, tam coruum quam vulpem astutos quidem esse, ac dolosos; non autem prudentes, idque hac ratione euicit;*

Coruus, & Vulpes dolosi.

Astutia nocendi conuincta est cum ignorantia virtuosè agendi. Prudentia autem vera, est ars pręclarissima rectè viuendi cum simplicitate, nescia quemquam lędendi. Quę itaque mite, nescia quemquam lędendi. Quę itaque mitè prouida sunt, arte quidem armata, calliditate, & stimulis nocendi malitiosiora fore dicam, sed non prudentia. Nam is tantum prudens est, qui ratione rectâ in omnibus gubernatur. Verùm recta ratio naturę rationalis illa est, quę suum finem, & optimum intendit, & omne quod impedit, ad hunc finem consequendum, effugit, & cuncta, quę expediunt ad illum finem agit, ac quęrit. Et in his omnibus quousque ad illum finem perueniat, firmâ constantiâ permanet. Finis autem naturę rationalis est, sine omni malo, gaudere omni vero bono, & cum perpetuitate securitatis, & securitate veritatis gaudere. Ad hunc capessendum cuncta impeditiua sunt vitia, & omnes virtutes opportunę; Quo definito vnusquisque secessit ad sua.

14. Hanc ob causam Sapientes Romani victorias calliditate, astuque, absque bellicæ fortitudinis gloriâ partas, nihil; æstimarunt, eisque qui gentes, ac regna his artibus ditioni Imperij Romani, quantumuis grandia subiecissent, triumphos denegarunt. vti varijs comprobari potest exemplis.

Romani Imperatoribus triumphos denegabant si qui fraudibus hostem debellassent.

Cùm igitur Virgo beatissima Heroina nostra fortissima victorias omnes de antiquo serpente, indicto bello, & aperto Marte reportarit, quis dubitare poterit, eam non astu ac fraude, sed insigni fortitudini associatâ prudentiâ, triumphum reportasse?

15. Quod sanè minimè nobis mirum videri debet, si verum est, quod de serpente, ac muliere idem obseruauit Rupertus, dum ita loquitur:

Inter mulierem, & hoc genus animantis, per quod mulier seducta est, grandes inimicitię positę sunt: vtrinque non tam rationis iudicium, quam sensus naturalis perpetuum seruat odiū. Hęc enim etsi non semper actu, semper tamen potestate conterit caput illius; ille autem vtpote humi depressus, & non arduus, calcaneo eius insidiatur. Nam si nuda mulieris planta dentem serpentis prævenerit, & viuacissimum caput eius, vel leuiter presserit, statim totam cum capite corpus repente interit, ita vt nullus omnino motus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit, quod nec malleis certè, aut vectibus, nec gladijs concidentibus cito, aut leuiter effici potest, siquidem excisum caput cum tribus, aut duobus digitulis viuere, & abire perhibetur. Hoc quod prædictum est, ita esse, ipsorum qui per industriam explorauerunt, fida relatione, comperimus. Hæc Rupertus.

Antipathia inter mulierem, & Serpentem.

16. Quæ quidem circa alias mulieres quam vera sint, hic non disserimus, sit fides penes auctorem. De Virgine sanè nostra Deipara verissima sunt, Quippe cuius planta premens vel leuiter, ait Blasius Viegas, antiqui serpentis caput, omnem ei motum, sensumque adimit, quod tunc fit, cum tentati à serpente Stygio ad Virginis opem, præsidiumque confugiunt. Satis enim est ad omnem vim serpentis frangendam, Virginem serpentis caput vel leuissimè calcare: in quo significatur summa Sanctissimæ Deiparæ, ad vincendum Dæmonem facilitas, Siquidem pede tantùm leuiter impresso potest illum tanquam abiectum vermiculum subitò opprimere. Quod præclarè Diuus confirmauit Ber. serm. de verbis Apoc.

B. V. antiquū Serpentem pede vel leuiter premēdo tanquam vilissimum vermiculum proterit.

Ipsa Virgo est quondam à Deo promissa Mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem.

17. Cùm igitur Draconem hunc Infernalem stetisse ante Mulierem, quæ erat paritura, legimus insignem ipsius Filiorum, clientulorumque quos quasi vtero, sinuque suo gestare, ac circumplecti videtur, securitatem munimenque intelligimus.

Quan-

Quantumuis enim Draco Tartareus Sathanicis illis, ad instar Hydræ, circũuallatus capitibus, & ipsi Mulieri, eiusq; proli insidiari videatur, nil nobis prorsus pertimescendum est, siquidem eâ, velut muro firmissimo, imò aheneo, velut ciuitate refugij, velut vrbe munitissimâ, de qua canebat Isaias; *Vrbs fortitudinis nostræ Sion:* velut *Turri firmissima, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium* protecti, omnibus aereis potestatibus, in nos conspirantibus inexpugnabiles euadimus: quandoquidem illa solo pede, ipsum omnium Tartareorum hostium caput, ac Ducem, nullo negotio velut vilissimum vermiculum proterit, eiusdemque arrogantissimam audaciam prosternit.

18. Quamobrem hæc Virgo sanctissima his inexpugnabilibus Diuinitus sibi concessis viribus confisa, gloriari in Domino non dubitauit Cant. 8. *Ego murus, & Vbera mea sicut Turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Quasi dicat: Licet omnes Tartareæ aduersus meos, quos ego sinu, gremioque meo complector, filios, ac clientes consurgant phalanges, in eosque impetum faciant, nihil illis pertimescendum est, siquidem ego eis sum murus fortissimus, imò cum Filio meo Murus ignis in circuitu, ego Turris munitissima, atque adeo mea Diuina Maternitas, meaque vbera, pietas nimirum, ac misericordia, quibus DEVM lactaui, facta sunt eis ad instar Turris à facie inimici. Imò, & ego ipsa ad tam sublimem dignitatem euecta, coram Deo adeo grata, acceptâque extiti, vt eos cum Filio meo Rege pacifico reconciliarem, ac pacificarem, quo externis, internisque sublatis tumultibus, altissimâ pace fruerentur.

B.V. est Murus firmissimus.

19. Agnouit Turrim munitissimam esse Diuam Virginem, imò, & ipsius vel solum Nomen duntaxat. Richard. à S. Laur. lib. 1. cap. 2. de laud. B.V. dum ait: *Peccatores? ad Nomen Mariæ confugias, ipsum solum sufficit ad medendum, nulla enim pestis tam efficax, nulla sic hæret, quæ ad nomen Mariæ non cedat continuò, vt patet exẽplo Theophili. Iustificatus es sed forte tentaris supra vires, eoque amplius tentatoris times insidias, quanto te amplius expugnantem aliquando recordaris? recordare, quod Turris fortissima Nomen Dominæ nostræ sit ad ipsum confugiet peccator in tentatione, & etiam, qui peccauit, & saluabitur. Dulcedinem quidem Nominis Domini pręuiderat Isaias capit. 26. dicens: Nomen tuum Domine, & memoriale tuum, in desiderio animæ: terribile tamen idem illud ostendit dum cap. 30. ait: Ecce Nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum. Horribilis sanè dulcedo, tanto furore respersa. Gratias autem ei, qui aliud prouidit refugium peccatoribus, delectationis, & securitatis plurimum habens, terroris nihil. Maria siquidem Syro sermone, Domina interpretatur, quæ non solùm potens est ad muniendum confugientes ad eam, tanquam Turris, sed & hostes insequentes potest expugnare, quia terribilis est, vt castrorum acies ordinata.* Sic ille.

Nomen B. V. Turris fortissima.

20. Castra quidem Dei, quæ sunt ipsi Angelici Spiritus, qui suum, Deo subiecti seruauere Principatum, malignis spiritibus nimium quantum sunt formidabiles. At verò eorum Regina potentissima Virgo nostra gloriosissima longè formidabilior. In ea siquidem non modo robur, ac fortitudo horum castrorũ, militiæque cælestis exercitus, verumetiam eorum virtutes omnes, perfectiones, ac decora, quasi cõpendio sunt reposita, vt licet vnica sit, sine felle Columba, tenellâque Virguncula, in se nihilominus innumerabilium Angelicarum myriadum, atque adeo inexpugnabilium castrorum vim, Heroicamque fortitudinem, roburque plusquam Herculeum repræsentet.

Angelorum Regina Tartareis hostibus nimium quãtum formidabilis.

21. Quibus in virtutibus sibi nimiũ quantum cælestis complacens Sponsus aiebat Cant. 8. *Quid videbis in Sulamite nisi choros?* Quasi dicat: Pacifica quidem est mea hæc Virgo, ac Sponsa, vtpotè quæ pacem inter DEVM hominesque conciliauit; tota etiam mitis, tota mansueta est ac benigna omnibus mortalibus, ob ingenitam sibi pietatem, ac charitatem; ob robur nihilominus inuictũ mentis, fortitudinemque animi singularem, choros cuneosque militum innumerabilium, velut in pulcherrimis beneque coordinatis castris videtur continere, ita vt Tartareis sit phalangibus horribilis, ac prorsus inexpugnabilis. Quare præclarè S. Amadeus Lausanensis Episcop. Hom. 8. de laud. B.V. pronunciauit: *Enimverò sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore solis defluit glacies; sic ab eius facie, inimicorum deperit acies, eaque iubente nihil aduersi subsistit.* Et Cyrillus Alexan. Hom. contra Nest. *Per te exultat cælum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur Dæmones, & homo ipse*

A facie B. V. Dæmones fugiunt.

ad cælum reuocantur. Audiamus D. Bern. in orat. ad B. V. qui Heroinæ nostræ cõtra Draconem antiquum gloriosissimã victoriam præ cæteris insigniter celebrauit: *Tu*, inquiens, *terribilis vt castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt Principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armatura omni fortiore instructam contra se procedere fœminam, fœminam fortem, ad bella doctissimam, cuius ensis super femur suum, propter timores nocturnos? In circuitu eius acies validas spiritualium virtutum suo se inuicem ordine tuentium: (siquidem ordinatione eius perseuerat dies:) sed & innumerabilium beatorum Spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam fuisse, nullatenus ambigimus, vtpotè qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac prouiderent ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes inuaderet. Nimirum timor, & tremor venerunt super eos, ita vt dicerent: Ecce plusquam Eua hæc, castra Dei sunt hæc, fugiamus Israelem: Tu ergo bellatrix egregia primo eum, qui primus omnia supplantauit, expugnare viriliter aggressa es, tu & Spiritum elationis Euæ, vertice humilitatis complosisti, quam in te, ita respexit Dominus, vt ipsius merito, super omnes Angelorum choros te sublimari dignam æstimauerit.*

B.V. quam horribilis Tartareis hostibus.

B.V. bellatrix egregia.

Nunquam enim super omnes Angelos glorificata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses. His ergo primarijs ducibus tenebrarum à te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam spiritualium nequitiarum militia in fugam conuersa est. Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei, Genitrix Dei Maria. Sed adhuc locus est tuæ laudi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Hæc Bern.

22. Audiamus B. Dionysium Carthus. qui lib. 3. de laudib. Virg. art. 11. Virgineæ simul huius fortitudinis ac roboris inuicti fontem nobis innuit; *Nec miror*, inquiens, *ò Domina, si sic fortitudine pollebas, summis etiam Angelis robustior, quoniam Dominum virtutum Christum Regem, qui Patris virtus est cuncta sustentans, protulisti.*

B.V. Virgo Dæmonibus formidabilis, quia D nũ virtutũ cæli Regem peperit.

Audiamus denique Bernardinum Bustium, qui Par. 9. Marial. serm. 2. partic. 7. reddens rationem cur Deipara Castrorum acies ordinata prædicetur, hæc habet: *Beatissima V. tentatis, & à Diabolo afflictis, est in eorum adiutorio, velut castrorum acies ordinata, vti eam in Spiritu vidit Salomon. Quia enim B. Virgo contriuit caput Diaboli, & cum Iuditha amputauit eiusdem caput in Holopherne, ipse Diabolus eam summopere timet. Quapropter sicut illi, qui ambulare debent per viam periculosam, vt per desertum, nemusque plenum feris crudelibus, ac latronibus transeuntes trucidantibus, quærere solent fortem, tutamque aliquam societatem, quæ eos in tantis periculis iuuare possit, præsertim si nocte transeundum sit: Sic nos dum per desertum mundi huius inter Infernales, horribilesque bestias, animas corporaque nostra perdere anhelantes, iter facimus, debemus pro optima nostra socia accipere deuotionem ipsius benedictæ Virginis, quæ nobis in peccatorum tenebris ambulantibus, luminis sui claritatem ministrabit, & contra horrificas illas Inferni belluas, hostesque infestissimos defensionis suæ patrocinium præstabit, eosque in fugam conuertet.* Ait enim Bern. *Cæli rident, Angeli gaudent, mundus exultat, Infernus extremiscit, Dæmones fugiunt, cùm dicitur; Aue Maria. Beatus igitur ille, qui est cum Virgine gloriosa, per deuotionem, eique dicit: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me: Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam mecum es. Dæmones enim eam videntes dicunt: Heu heu quia castra Dei sunt hæc. Væ nobis, væ nobis, quia Arca fœderis Domini venit in castra.* Sic ille.

B.V. tentatis est castrorũ acies ordinata in eorum auxilio.

Periculosi huius itineris mundi, quærenda socia B. V.

In periculis quomodo B. V. alloquenda.

23. Atque ita cum audimus Michaelem cælestis Ducem militiæ, omniumque Seraphinorum, reliquarumque Hierarchiarum Principem, eiusque Angelos prælium inijsse cum Dracone, eundemque cum suis Apostaticis spiritibus vicissim depugnasse, certo nobis persuadere debemus, sub signis, auspicijsque Virginis Reginæ omnium Angelorum militiæque illius cælestis Archistrategam, gloriosum illud bellum gestum confectumq; fuisse, eamque quasi solam, vtpotè, quæ virtutem omnium in se fuerat complexa, de toto Inferno gloriosissimum triumphum reportasse. Intellexit hoc S. Bonauent. cap. 3. specul. cùm citando D. Augustinum dicit: *Michael Dux, & Princeps militiæ cælestis cum omnibus spiritibus administratorijs, tuis Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium, specialiter tibi Domina, & die, & nocte se commendantium.*

S. Michael Archangelus paret B.V. præcepto in animabus ipsius clientulorum suscipiendis de corpore.

24. Quare iure merito cum Debbora de Sisara ac Madianitis infestissimis Israelitici populi hostibus triumphatrice, quæ ipsius typus extitit, canere poterat epinicium illud: Iud. 5. *Audite Reges, auribus percipite Principes: Ego sum ego sum, quæ Domino canam, psallam Domi-*

B.V. fortior Debbora, Iuditha, & Iahele.

Domino Deo Israel. Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit.
De cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt. Verè noua bella elegit Dominus cum imbellis Mulier, & tenella Virguncula aduersus Tartareum illum Draconem, eiusque innumerabiles cohortes sola, absque armis dimicauit, eiusque caput non clauo, vt Iahel caput Siseræ, non gladio vti Iudith ceruicem Holophernis, sed pede duntaxat ad instar vilissimi vermiculi obtriuit.

Verè de cęlo dimicatum est contra eos. Quid enim aliud est Deipara, quam animatum quoddam cælum? vt eam Sanctissimi Patres vocitant: quid stellæ in ordine suo, cursuque manentes, quam Heroicæ ipsius virtutes, quibus in ordinem, velut in aciem dispositis contra Tartareum illum Sisaram, eiusque phalanges impetum fecit, eiusque summâ cum gloriâ debellauit?

Virtutes velut stellæ in Virgineo Cęlo dimicauerunt contra Dæmones.

25. Etsi verò virtutes omnes in Virgine, velut stellę in acie fortiter contra ferocissimum illum Draconem, eiusque exercitum dimicauerunt, dimicauit tamen potissimum Regina reliquarum, ardentissimâ in filios suos, ac clientulos charitas, quam vel maximè in illa, etiam longè positi exhorruerũt. Vnde Richar. de S. Victor. capit. 26. in Cant. præclarè dixit: *Virgo tenebrarum Principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere eamque tentare non præsumpserint. deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis, stupebant immunem à peccatis.* Sanctus verò Bernardinus Senensis Tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 2. velut muscas eius feruentissimâ charitate Dæmones abactos asseuerauit: *Sicut magnus ignis, inquit Sanctus Pater, effugat muscas; sic à sua ardentissima mente, & inflammatissimâ charitate Dæmones effugabantur, & pellebantur, adeo vt vel in modico non sint ausi respicere mentem eius, nec de magno spacio illi appropinquare.* Si .n. hoc legimus de aliquibus Sãctis saltem post aliquam de Dęmonibus in tentationibus acquisitum triumphũ; quanto magis dę Matre Domini nostri credendum est, quæ semper contra omnes Dæmones triumphauit?

B.V. charitatem ardentissimam Dæmones velut ignem exhorruerunt.

Sicut magnus ignis effugat muscas: sic magna B. V. Charitas Dæmones.

26. Quare Angelus in suo serm. cap. 20. postquam ostendisset S. Brigittæ, quantopere cælestes Angeli reuereantur atque obsecundent Virgini, dixissetque malle eos omnes Inferni pœnas perpeti, quam eius præceptis aliquo modo contradicere; mox hæc de Apostatis Angelis subtexuit:
Super omnes etiam malignos Spiritus ipsam sic DEVS potentem effecit, vt quotiescunque ipsi aliquem hominem Virginis auxilium, ex charitate implorantem impugnauerint, ad ipsius Virginis nutum illico pauidi procul diffugiunt, volentes potius pœnas suas, & miserias sibi multiplicari, quam eiusdem Virginis potentiam, super se taliter dominari.

Angeli mallent omnes Inferni pœnas perpeti, quam B. V. præceptis contradicere.

Clientulos B. V. ad eius auxilium recurrentes dum Dæmones impugnant mox pauidi diffugiunt cupientes pœnas sibi multiplicari, quam B. V. potentiã experiri.

Felices igitur illi, qui in protectione, ac patrocinio Deiparæ velut muro adamantino, eburneaque Turri muniti sub eius clientela commorantur. Licet enim Draco ille magnus fremat, ac circumiens mille moliatur insidias, nihil ipsis erit omninò pertimescendum, cum se inter illos, & Draconem, qui dicitur stare ante mulierem, interposuerit Deipara, quæ vti iam diximus est castrorum acies in nostram defensionem ordinata.

27. Cæterùm accuratè obseruandum, quod si Virginis hac tutelâ quis gaudere, eiusque sinu gremioque quasi Filius foueri desiderat, granum sit, lilium sit, masculum robur habeat oportet, primogenitoque eius Filio, quoad fieri potest, quam simillimus.

Quod sanè nobis innuere videtur Sponsus dum eius purissimum Virgineumque dilaudat vterum Cant. 7.
Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs. Quid enim aceruus tritici quam Spiritualium filiorum multitudo, Christo, qui se granum frumenti cadens in terra, ac mortuum nominauit, persimilis? Quid lilia, quæ tã aceruum illum, quám vterum obuallant, quam eosdem filios, Virgineâ puritate, Christo quam simillima remitentes significant?

Aceruus tritici vallatus lilijs est multitudo Spiritualium filiorũ B. V.

Sit igitur cliens Deiparæ granum tritici mortificatum, suis passionibus, inordinatisque appetitibus mortuum, sit lilium, puritatem mentis corporisque tam Matris, quam Filij æmulando, qui, & seipsum, & Matrem appellat lilium: *Ego*, inquiens, *flos campi, & lilium conuallium* Cant. 2. Et: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.* Quare præclarè S. Damascenus orat. 2. de Dormit. Deip. vti alibi etiam diximus ostendere volens quinam tandem in amoribus Virginis esse consueuerunt, effatus est: *Ipsa Virgo est, & Virginum amans, pura est, & purorum amans,*

B.V. & Virginum, & puerorum amant.

amans. Quocirca si & corporis, & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur. Siquidem lutum omne fugit, cænosasque affectiones auersatur. Ingluuiem execratur: fœdissimæ fornicationis vitijs infesta est. Huius impuras ac scelestas cogitationes non secus ac viperarum fœtus fugit. Sermones fœdos, & scurriles propellit, cantusque ac meretricia vnguenta submouet. Cum puritate, virginitate ac pudicitia, pulchrè ipsi conuenit, sempiternamque cum illis pacem colit, easque humanæ ac comiter exosculatur.
Sic Damasc. & verè.

28. Nec his contentus cliens Marianus, admitatur omnino habere cor, roburque virile ac masculum. Mulier enim illa antequam Draco stetisse perhibetur, filium masculum peperisse memoratur; ad innuendum Deiparæ nostræ filios minimè molles, ac effœminatos, sed masculi pectoris ac roboris ad Draconem hunc Infernalem, Mūdum, carnemque debellandam esse oportere. Quare Andreas Cæsariensis suis in Apoc. Comment. *Masculus,* inquit, *Filius Ecclesiæ; & potiori iure Deiparæ, est populus voluptatibus indomitus. Quare cum Ecclesia eo tempore multos huiusmodi debeat parere, & educare filios, merito visa est Filium masculum peperisse.* Atque ita vt quis nō solùm Virginis, verumetiam vniuersim Dei Filius adoptiuus euadat eum voluptates omnes, carnisque illecebras, molliciemque fœmineam aspernari decet, atque ad arduos virtutis labores aspirare. Molles enim, effœminatique homines non tam viri quam mulieres censendi sunt. Hinc illud Pharaonis Draconem illum repræsentantis, in Israeliticum populum barbarum emanauit imperium, dum dictum est obstetricibus Exod. 1. 16. *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit interficite, si fœmina reseruate.*

B. V. clientes oportet esse masculos virilis pectoris, ac roboris contra Dæmones.

29. Quod expendens Origenes Hom. 2. in Exo. *Rex Aegypti,* inquit, *hoc est, Princeps mundi huius viuificari mares non vult, sed fœminas, in fœminis enim caro, & affectus carnis exprimitur. Vir autem est sensus rationabilis, qui cælestia sapit. Hunc odit Pharao cum necari cupit; vult enim vt omnes carnalia sapiant. Inde est, quod in hoc mundo serui Dei despectui habentur, & in eos persecutiones excitantur, quia odit eos Pharao.*

Cur Pharao masculos interficiendos, fœminas vero seruandas præcepit.

Vt igitur chari tantæ Matris filij, Deiparæ euadant clientuli, adnitantur robur habere masculum, vt, quemadmodum illa, Tartareo Pharaoni, ac Draconi odio sint. Quanto enim in odio fuerit huius Pharaonis, tanto amplius in amoribus erit Virginis, interque dilectissimos eius filias numerabitur. Quemadmodum enim in Israelitico numerando populo masculorum tantum ratio, & maximè eorum, qui vigesimum annum compleuerunt, quæ ætas viribus, roboreque corporis potissimùm viget, habebatur: ita sanè in numero filiorum Virginis non censebitur, qui animo fuerit molli, atque effœminato.

Filij Spirituales B. V. masculi, & non effœminati esse debent.

30. Sed ipsius Dei præceptum hæc mandantis audiamus Num. 1. *Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum quicquid sexus est masculini, à vigesimo anno, & supra omnium virorum fortium, ex Israel.* Quæ considerans Origenes sic vnumquemque nostrum, in hunc locum Hom. 1. sapienter docuit: *Donec inest alicui nostrum vel puerilis, vel lubricus sensus, vel fœminea, & resoluta segnities, vel Aegyptios barbarosuè mores gerimus, haberi apud DEVM in sancto, & consecrato numero non meremur. Innumeri enim apud Salomonem dicuntur esse, qui pereunt; numerati autem omnes illi, qui saluantur;* qui nimirū sub auspicijs vexillisque Virginis cum Tartareo Dracone decertant, ac vincunt. Hinc, prosequitur Origenes; *Iuss ait Christus: vestri capilli capitis omnes numerati sunt, & Psaltes: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Eūdem masculorum fortium delectum expendens S. Cyrill. Alex. li. 4 de Spiritu, & lit. *Reijcitur,* inquit, *quod est reprobū, molle, & imperfectum, & solis maribus diuiditur terra promissionis.* Idem libro. 3. vult molles fœminas nuncupari.

Quinam in consecrato numero apud DEVM habeantur.

Vnde Zach. 5. Iudæorum impietas repræsentatur per mulierem sedentem in medio amphoræ, cuius os talento plumbi obturatum est, cum impleta est mensura Patrū ipsorum, Dei Filio per summum nefas in crucem acto.

Iudæorum impietas repræsentata per Mulierē sedentem in medio amphoræ.

31. Quare Rich. à S. Laur. lib. 4. illud Isa. 66. *Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra die vnâ, aut parietur gens simul, quia parturiuit, & peperit Siō filios suos;* interpretatus est de Virgine gloriosissima, quæ non modò peperit primogenitum illum, Vnigenitumque Dei Filium, Gigantem illum fortissimum, qui accinxit se gladio super

per

per femur suum potentissimus, verum etiam alios innumerabiles filios adoptiuos, qui vt genuini sunt tantæ Matris filij, masculi pectoris, ac generosi sint oportet, quo ad bella assiduè cum Infernali Dracone sub tam gloriosæ Heroinæ auspicijs gerenda expediti esse possint. Quapropter, quod de Ecclesia in Exhortat ad Virgines Sanctus pronunciauit Ambrosius, rectè ad Deiparam nostram transtuleris: *Habet*, inquiens, *Ecclesia filios sine partus dolore. Vnde de ea dicitur: quis audiuit si parturit terra die vna? Vna die terra non parturit, sed parturit Gratia. Parturit, inquam, & illa gratia plena, illa Terra animata, ac benedicta, de qua Psal. 84. Benedixisti Domine terram tuam. Qua sanè tam innumeros fructus germinante, auersa est captiuitas Iacob, remissa est iniquitas plebis Israeliticæ, operta sunt omnia peccata eorum, mitigata est omnis ira Dei, ac proinde innumeri mortales suo reconciliati creatori, filij adoptiui Christi eiusque Matris, minimè degeneres generati sunt.*

Habet B.V. filios spirituales sine partus dolore quamplurimos.

32. Neque verò mirum nobis videri debet, genuinos filios Deiparæ fortes, ac masculos esse oportere, cum & illa fortissima quædam sit Gigantissa, quæ immensum illum Gigantem, qui stans in terra cælum suo attingebat vertice, vt ait Salomon in libr. Sapientiæ, cap. 18. *& stans repleuit omnia morte.* Virgo nimirum est Mulier illa fortis, quam tam anxijs desiderijs idem expectabat Salomon Prouer. 31. *Mulierem*, inquiens, *fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus precium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachiũ suum. Fortitudo, & decor indumentum eius.* Quod porrò fortis hæc Mulier Deiparam Virginem nobis repræsentet euidens est apud plerosque Patres, præsertim Diuum Bern. sermon. de Natiu. & Hom. 2. super Missus, qui cum præmisisset Heroinam hanc nostram caput antiqui serpentis, qui Draco ille Rufus est, contriuisse, subiecit: *Cui hæc victoria seruata est, nisi Marię? Ipsa procul dubio caput contriuit venenatum, quę omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. Quam verò aliam Salomon requirebat cum diceebat. Mulierem fortem, quis inueniet? Nouerat quippe vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mẽtem, quia tamen, & DEVM nouerat promisisse, & ita videbat congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans dicebat: Mulierem fortem quis inueniet? Quod est dicere: Si ita de manu fœminæ pendet, & nostra omnium Salus, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria, fortis omnino necesse est, vt prouideatur, quæ ad tantum opus possit esse idonea. At ne hæc quæsiuisse videatur desperãdo, subdit prophetãdo: Procul, & de vltimis finibus precium eius, hoc est, non vile, non paruum, nõ mediocre, non deniq; de terra, sed de cælo, nec de cælo proximo terris precium fortis huius mulieris, sed à summo cælo egressio eius.* Sic Bern.

B.V. Gigantissa quia Gignantem peperit.

B.V. Mulier fortis.

Precium Mulieris fortis non est de cælo proximo, sed de summo.

33. In hac forti atque Heroica muliere agnouit quoque Deiparam iam memoratus Richardus libr. 6. de laud. B. V. *Maria fortis est*, inquit, *contra carnem per Virginitatem, cuius votum prima omnium emisit. Tunc enim verè accinxit fortitudine lumbos suos, & rubore brachium suum, contemnendo legem quæ tales maledicebat. Fortis contra mundum per paupertatem. Vnde non immerito ab Angelo ineunta est clausa in suo thalamo. Mundi enim amatores foris sunt, in occupatione nimium quærendi exteriora. Et hoc etiam fecit supra legem, quæ temporalia promittebat. Fortis contra Diabolum per humilitatem, cuius caput contriuit. Fortis contra omne genus peccati per patientiam, quia aduersa omnia æquanimiter sustinens, prosperaque omnia viriliter pro Sponsi sui amore contemnens.*

B.V. Mulier fortis contra Mundũ, contra Diabolũ, & omne genus peccati.

34. Oportebat verò vt fortis esset mulier, quæ paritura erat masculum, & talem masculum, qui Principem huius mundi foras eijceret; eripiensque inopem de manu fortiorum eius propriâ virtute gloriosos terræ humiliaret. Et nota inquit idem Rich. quod hoc Nomen mulier hic tantum ponitur pro sexu, non pro corruptione vel fragilitate, aut mollicie. Propriè enim dicitur Mulier, quasi mollior, quæ scilicet molliciem carnalis coitus sit perpessa. Idem docet Virginem beatissimam dici quoque Mulierem, ab emolliendo posse, quod DEVM erga peccatores induratum emolliuerit, & hoc ipso insignem suam fortitudinem demonstrauerit. *Ante Incarnationem*, inquit, *erat Filius Dei quasi aurum solidum. Vnde ait Sponsa Cant. 5. Caput dilecti mei, Diuinitas videlicet, aurum optimum. Solidum autem erat, idest, massa, sine aliqua humanitatis forma. In Incarnatione autem à Tota Trinitate missum est hoc aurum in fornacem vteri Virginalis, ibiq; ineffabiliter fusum est, opere Spiritus S. vt possit quasi decurrere in modulos nostros, qui sunt fames, sitis,* mor-

B. V. Mulier dicta quod DEVM erga peccatores induratum emolliuerit.

Dei Filius ante Incarnationẽ fuit aurum solidum, sed liquefactum est vtero B. V & in omnes nostros modulos decurrit.

mortalitas, passibilitas, atque ita accepit formas, siue characteres Naturæ humanæ.

De hoc auro Iob 28. Loqui visus est: Auro locus est, in quo conflatur; vterus scilicet Virginis est locus ille; Conflator autem Spiritus.

35. Alio etiam modo, ait idem venerabilis Richardus emolliuit. *B.V. Dei Filium, qui quasi durus erat antequam incarnaretur, quia offensus humano generi, propter peccatum Adæ. Vnde quasi iratus, totum humanum genus in Infernum detrudebat.*

Ante incarnationē Dei Filius durus ob peccata hominum, in vtero B V. emollitus est.

Hinc in persona generis humani illi dicere videbatur cum Iobo cap. 30. Mutata es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Beata autem Virgo eundem hominem factum emolliuit, atque placauit, eique genus humanum reconciliauit. Neque verò tunc Maria emolliuit Dominum, sed & nunc emollit meritis precibusque suis, vt nunc maiora peccata patienter toleret, qui quondam minora durissimè vindicabat. Constat enim quod multo grauius peccant moderni Sodomitæ, ac luxuriosi, quam peccauerunt antiqui, qui atrociter sunt puniti. Nec dum enim nata erat B.V. nec dum Verbum caro factum. Vnde tunc longè inferior, & indignior fuit natura humana, quam modò sit. Nam Christus eam assumens, sibique vniens maximam ei contulit dignitatem. Inde hæc Natura humana de Sapientia Incarnata dixit Sap. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Vnde Matri, ac Filio maximam iniuriam faciunt, qui carnalium vitiorum fœditate seipsos polluunt.

Grauiora sũt peccata carnis post Incarnationem Verbi, quia per illud cælo nostro Sanctificata est.

Per Mariam venerunt Naturæ humanæ multa bona.

Mariæ, & Filio iniuriam faciunt, qui carnalibus vitijs polluntur.

Concludit tandem, factaque inter Mariam Euamque comparatione, Virgineam hanc fortitudinem confirmat, inquiens, *quod quemadmodum Eua mulier infirma, in tantum DEVM exasperauit, & quasi durum effecit, vt quasi misericordiæ suæ erga humanam naturam oblitus fuerit; ita Maria mulier fortis adeo DEVM hominem factum emolliuit, vt verè oblitus punitionis, & vindictæ sit, contra hominem, quem vt ad eum, à quo per peccatum recesserat, Filius reduceret, ipsum Filium formauit vel creauit Pater ex vtero Virginis seruum sibi. Vnde apud Isaiam ait. cap. 45. Ego Dominus creaui eum.*

Sicut Eua suo peccato DEVM ita exasperauit vt misericordiæ obliuisceretur: ita B.V. emolliuit, vt vindictæ non recordaretur.

Hæc Richardus de Virginis nostræ inuictissima fortitudine, quæ, & ipsi Deo præualere visa fuit, quod in Herculem cecidisse nunquam auditum est.

36. Hæc nimirum est Mulier illa, de qua disserentibus Darij duobus illis primoribus, quænam res in rerum natura esset fortissima; *Vinum an Rex?* Zorobabel Sapientissimè respondit 3. Esd. 4. *Non est magnus Rex, nec vinum præcellit. Nonnè mulieres dominantur eorum, quæ genuerunt Regem, & omnem populum, qui dominatur mari, & terræ, &c.*

B.V. Mulier Vino fortior, & Rege.

Verè enim Mulier hæc Heroica, vino fortior extitit, quæ, amore suo castissimo, suisque oculis vino pulchrioribus Gen. 39. Dei Filium in sinu Patris residentem ita inebriare potuit, vt eam oculis illis Sole lucidioribus, & gratijs omnibus, pietateque plenissimis respicere non fuerit dedignatus, cuius oculis vicissim captum se esse agnoscens illi dicebat: Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa in vno Oculorum tuorum. Quare huic mutuo aspectui, Virgo modestissima, pro egregia grati animi significatione, omnem illam gratiarum plenitudinem, omnia illa magna sibi ab Omnipotente facta adscribere non est verita, concinendo: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Verè mulier hæc Rege fortior extitit. Cum enim idem Dei Filius *Rex magnus super omnes DEOS, in cuius manu sunt omnes fines terræ, & altitudines montium conspicit,* esset terribilis ad instar Vnicornis, ac Rhinocerotis, in vniuersumque genus humanum omnipotentiæ iustitiæque suę cornu desæuiret, Mulier hæc Virgoque fortissima eum vtero suo purissimo comprehensum ad instar Agni mansuetissimi cicurauit, ita vt amplius Moyses dicere vix posse videatur: *Cornua Rhinocerotis, cornua illius, in ipsis ventilabit gentes, vsque ad extremum terræ,* Deut. 33.

B. V. vino fortior quia Filium de sinu Patris oculis suis quasi inebriatum in terram detraxit.

Maria Rege ipso cælesti fortior qui cum esset terribilis velut Rhinoceros, ipsa eum in vtero suo mansuetum reddidit.

37. Et sanè Virgo huiusmodi fortitudine, Heroicoque animi robore imo plusquam Herculeo prædita, quæ Mater tot filiorum, ipsiusque Dei Filij fratrum futura erat, omninò requirebatur. Cùm hi in acie assiduè contra Sathanam, mundum, carnemque versari debeant, Præclarè enim Horatius:

Cum Filij B. V. contra mundum Carnem, & Sathanam assidue pugnare debeant, corũ Mater fortis etiam esse debuit.

Fortes creantur fortibus
Nec imbellem generant Aquilæ columbam.

Vnde Lycurgus Spartanorum Legislator cum corpora Virginum cursu, luctâ, disci, & telorum iactu, varijsque laboribus exerceret, quæsitus cur id faceret, Sapienter respondit: *Vt in valido corpore fœtus validas agens radices, pulchrè adolescat, ipsæque deinde mulieres, robore in partu facta, eius dolores, & coniugij, domusque labores facile sustineant ac superent, vtque, si necessitas postulet, pro se suisque liberis, & patria pugnare, ac præliari possint.*

Lycurgus Virginum corpore duris assuescere voluit, vt prolem fortem generarent.

Hinc

Hinc Gorgo Leonidæ vxor, cuidam dicenti: *Solæ vos Lacænę viris imperatis;* Argutè respondit: *Solæ enim nos viros parimus:* vt habet Plutarchus. Vnde Nicolaus de moribus Gentium. *Sauromatæ*, inquit, *ceu Dominis per omnia parent, Virginem non prius locant ad nuptias, quam hostem occiderit*. Hanc ob causam crediderim Platonem lib. 5. de Republ. & libr. 8. de legibus docuisse Virgines militiæ adscribendas, ideoque exercendas, in circo, ludoque equestri. Vnde in Critia asserit, tales olim fuisse, quæ in Deas ob sua fortia facinora relatæ sunt.

Sauromatæ non prius nubere volunt Virginẽ, quam hostẽ vicerit.

Virgines fortes olim inter Deas relatæ.

38. Cùm igitur ex Virgine hac fortissima omnes Christi fideles ac fratres spiritualiter generati sint, eos sanè inuictum quoddam robur, heroicamque imò Herculeam magnanimitatem habere oportet, nè tantæ Herionæ degeneres filij habeantur. Felices ergo, ac terque quaterque beati sunt ij, qui sese in clientelam patrociniumque huius Virginis dedidere; hos enim illa velut dilectissimos filios sinu suo, & quodãmodo ipso suo vtero complectetur, ac fouebit, eisque fortem illam suam, generosamque indolem heroicumque animum contra Tartareos hostes in hac vita præliandi, insuperabiles Martis quosdam pullos efficiendo, communicabit, adeo vt illa cum eis vnita ad instar cuiusdam benè instructi, armatiq; exercitus esse videatur. Vnde alij vertere, *Mulierem exercitus quis inueniet?* Quasi illa ipsa ductrix quædam sit validissimi cuiuspiam exercitus, aliqua nimirum Bellona, Amazon quędam, Martia, ac Penthesilea, Tartareis hostibus nimium quantum formidabilis.

Fælices sunt clientes B.V. quia dat illis robur ad pugnandum cũ antiquo serpente.

B.V. Mulier fortis instar Exercitus.

Vnde 70. Interpp. vertere; *Mulierem virilem quis inueniet?* Vatablus: Mulierem masculam. Baynus: *Mulierem audacem ad res gerendas*. Alij: *Mulierem strenuam, industriam, Heroicam, omni virtute cumulatam*.

B. V. Mulier virilis, Mascula, audax ad res gerendus; Heroica, omni virtute cumulata.

39. Cùm igitur adeo fortem, adeo strenuam, atque Herculeo planè robore instructam Heroinam, ac Reginam in assiduis huius vitæ, quæ teste Iob est ipsa Militia, prælijs habeamus, quis ingentes animos ad dimicandum contra Tartareum illum Draconem reliquosque importunissimos Inferni hostes, totumque mundum, carnemque non assumat, seseque in spem certissimæ victoriæ erigat, quantumuis de propria imbecillitate diffidat? Cum verissimum sit pronunciatum illud: *Meliorem esse ceruorum exercitum, Leone duce; quam Leonum duce ceruo*. Et Caroli quoque V. prudentissimus fuerit sensus, Duces Italos vtplurimum suis exercitibus præficiendos, ob acumen mentis, celeritatem ingenij, prudentiam, vigilantiam, industriamque singularem.

Caroli V. Duces Italos sea debat exercitibus ob acumen ingenii perficiẽdos.

40. Quis porrò Matre increatæ sapientiæ sapientior, ac prudentior, fortiorque, quę de semetipsa fatetur. Prou. 8. 14. *Mea est prudentia, mea est fortitudo*. Quam illa, licet quidem semper totius vitæ decursu singularem ostendit, ostendit tamen tunc vel maximè cum stabat iuxta Crucem morientis Filij, vti fusè demonstrat. P. Salazar in illum locum, vbi illam cum Patre nostro Petro Canisio vocat veram, & non fabulosam Mineruam. Hinc Orpheus ob virilem huiuscè Deæ fortitudinem inuictumque robur ita illi cecinit:

B. V. fortitudinem suam iuxta Crucẽ morientis Filij maximè ostendit.

B. V. vera non fabulosa Minerua.

Fœmina, Masque eadem es.

Quod sanè longè excellentius Virgini nostræ conuenit, quæ in Filij sui generatione Mas-fœmina fuit, dum illum sine viro genuit, actiuèque, vt docet P. Suarez noster, ad illum generandũ concurrit. Quare non malè fabulata est vetustas, vt testatur Natalis Comes lib. 4 Myt. c. 5. Iouem vni Mineruæ suas vires impertijsse, quo eam fortissimam, omnipotentem, sibique simillimam in generando demonstraret. Eandem ob causam S. Fulgentius lib. 2. Mythol. Mineruam dixit incorruptibilem, atque immortalem, vocarique A'θενεὶ, quasi A'θάνατος παρθένος, hoc est immortalis Virgo, quia sapientia nec mori potest, nec corrumpi. Eandem ob causam idem in tutela Mineruæ dixit esse Noctuam, eo quod eius sapientia etiam in tenebris proprium fulgorẽ possideat.

Iuppiter vni Mineruę suas vires impertitus est, quo tam fortissimam ac omnipotentem efficeret.

Minerua dicta Virgo immortalis.

Cur Mineruæ sit sacra Noctua.

41. Hinc idem Canisius: *Quod si rem*, inquit, *paulo penitius inspiciamus, an non Virgini nostræ competunt, quæ tria stulti Greci in sua Minerua, velut eximia prædicant, virginitas, prudentia, fortitudo?* Rursus eandem Deiparam ob eximiam illam fortitudinem Penthesileam vocat.

B.V. conueniũt illa tria quæ Græci Mineruæ attribuunt Virginitatem, prudentiam fortitudinẽ.

Ignorastis, inquit, *Hactenus veram Penthesileam, de qua cecinit Poeta:*

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea.

Erat enim Amazonum Regina, Duxque, fortitudine viris omnibus longè præstans. Tandem subdit Canisius:

B.V. instar Penthesileæ Amazonum Reginæ fortis.

Hæc Virgo Amazonum, idest, sine mammis mu-

mulierum, optimam se ducem præbet Maria. Siquidem prima est, quæ hanc virginitatis semitam ingressa fuit, quamque innumerabiles puellarum, verè Amazonum copiæ sunt secutæ.

Fortitudo eximia B.V. iuxta Crucẽ Filij.

42. Porrò insignem illam plusquã Herculeam animi fortitudinem quam stans iuxta Crucem IESV Virgo nostra demonstrauit, eaque vnà cum Filio Orcum debellauit, ac triumphauit, præclarè descripsit S. Amadeus Hom. 5. de laud. B.V. *Hoc*, inquiens, *patiendi genere Gloriosa triumphans, quanto cunctis vicinior, cunctis gloriosior venerandæ Cruci Dominicæ passionis inhæsit, hausit calicem, bibit passionem, & torrente doloris potata, nulli vnquam similem potuit proferre dolorem. Currit post IESVM non tantùm in odore vnguentorum, sed in multitudine dolorum. Non solùm in gaudio consolationum, verum abundantia passionum. Cernebat verum Salomonem Mater in diademate, quo coronauerat cum Nouerca Synagoga, & ipsa coronata corona tribulationis post eum incedebat. Stabat autem iuxta Crucem, vt illud dulcissimum caput nati, vnctum oleo iustitiæ, præ participibus suis, arundine percussum, & spinis coronatum, tristi spectaculo videret. Aspiciebat speciosa forma, præ filijs hominum non esse speciem, neque decorem, excelsum super omnes gentes, despectum, & nouissimum deputatum, Sanctum Sanctorum cum sceleratis, & iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, & ceruicem sustinentis omnia, humeris inclinatum pendere, serenissimam faciem Dei emarcuisse, & decorem vultus eius absconditum.* Et paucis interpositis fortitudinem Virginis magis admiratur ac constantiam non solum ob mortem Filij, verumetiam ob perditionem extremam Iudæorum: *Igitur, tam pro nati morte*, inquiens, *quam pro Iudæorum perditione, ineffabili dolore Gloriosæ pectus vrebatur, & altissimo pietatis iaculo confossum extremas spirabat inter angustias, hausit poculum amarius ipsa morte, & quod hominum genus ferre non posset, adiuta diuino munere fœmina valuit sustinere. Vicit sexum, vicit hominem, passa est vltra humanitatem. Torquebatur namque magis, quam si torqueretur ex se, quoniam super se incomparabiliter diligebat id vnde dolebat. Et vt omittamus acerbissimam illam de morte nati mœstitiam, quis explicet, quo dolore arctabatur B. Virgo, quibusuè premebatur angustijs, cum propheticis oculis cerneret stirpis suæ magna quadam ex parte condemnationem gentis attritionem, casum populi, ruinam patriæ, & ipsius olim Ciuitatis Sanctæ Hierusalem euersionem. Effugit omnem sensum, humanos intellectus exsuperat concepta de passione Nati tristitia. Nulla huc similitudo, nulla ad tantam mœroris acerbitatem accedit comparatio. Ergo abysso abyssum inuocante, duæ dilectiones in vnam conuenerant, & ex duobus amoribus factus est vnus amor, cum Virgo Mater Filio Diuinitatis amorem impenderet, & in Deo amorem nato exhiberet. Quo igitur magis diligebat, plus doluit, & amoris magnitudo attulit fomenta passionis. Quid enim ageret, cum in Caluariæ consisteret loco, & videret Crucem, clauos, vulnera morientis in innocentia, nec tamen exsatiatam Pharisæi furentis inuidiâ, immanitatem? Pendebat ille lues nostra, non sua delicta. Inter hæc Dei Genitrix eo sternebatur animo, & dolores vt parturientis apprehenderunt illam. Ibi gemitus, ibi singultus, ibi suspiria, ibi mœror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æstus animi, ibi incendia, ibi mors, morte durior, vbi vita non tollitur, & mortis angustia non toleratur. Pallidus vultus IESV exsanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde passa est. Denique contumeliæ, & opprobria impiorum in capite materno redundabant. Mors Domini illi amarior morte fuit. Poterat ergo B. Maria illud, quod specialiter Christo conuenit exclamare: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis, &c. O quantus, & qualis dolor, ò quæ, & qualis in illo dolore Maria! In tanta posita aduersitate, nec resoluit pudorem verecundiæ, nec amisit vigorem constantiæ.* Vnde D. Ambrosius. *Lego stantem iuxta Crucem Domini, non lego plorantem. Stare namque in illa cordis amaritudine magnæ adscribitur constantiæ, abstinere à lacrymis summæ verecundiæ adnotatur. Cohibebat illa lacrymas præ pudore, stabat sublimissimâ quadam animi magnanimitate. Itaque nec dolor excussit lacrymas, nec animum pœna deiecit. Quia hinc pudor honestus, illinc fortis constantia decertabant.* Hæc Amadeus, quibus sanè inuictum animi ac plusquam Herculeum Virginis nostræ robur, ac celsitudinem, in tantis calamitatum procellis, dolorumque tempestatibus, quibus in tantam amarissimi illius Dominicæ passionis maris altitudinem venerat demergi, atque absorberi planè poterat, nisi erectus ille virtute diuina constansque animus obstitisset.

B.V. Coronata Corona tribulationis post Filium incedebat.

Patientia B.V. in videnda perditione Iudæorum.

B.V. pertulit ea diuino munere in Filii passione, quæ vt fœmina sustinere non potuisset.

Duo amores B.V. erga Filium vt Deũ, & vt hominẽ ex se natum in vnum coaliti.

Christus carne, B.V. corde passa.

B.V constantia admirabilis cum staret iuxta Crucem.

43. Eandem fortitudinem, Heroicamque magnanimitatem Virginis iuxta Crucem stantis descripsit Hierony. Vida Episcopus Cremon. in Hymno Magnæ Matris: dum de Christo moriẽte sic loquitur:

Tan-

Tandem in te ab moriens morientia lumina liquit
Et dulcem, vt potuit vultu seruauit amorem.
Hic tu muta siles, lacrymisque absumpta profusis,
Non iam vllos gemitus, non iam vllos amplius edis
Singultus: tacito dolor intus pectore sæuit.
Ipsa parens frugum pro te mœstissima Tellus
Planxit, & ingenti tremuit succussa fragore
Et silices erat hic nulla vi cernere apertos
Findere se, & mœsti vt poterant dare signa doloris:
Palluit aspectu cælum, atque illustre repente
Desuper insolitis vmbris alta petens Sol
Occuluit, medioque die nox plurima oborta est.
Et populi æternas mundo tenuere tenebras.

44. Agnouit inuictam fortitudinem Deiparæ iuxta Crucem Rich. à S. Laur. lib. 4. postquam enim dixisset ipsius dilectionem fuisse fortem, hæc attexuit: *In nulla aduersitate, nec etiam timore mortis ipsum negauit, vti fecit Petrus. Quod manifestè in passione apparuit, quando fugientibus discipulis stetit imperterrita iuxta Crucem. Timor enim non erat in charitate eius, quoniam perfectè diligebat. Dilectio enim eius fortis fuit, vt mors. Quemadmodum enim mors non moritur: Sic charitas eius nũquam excidit. Vnde, si fieri potuisset, secundum Diuinæ voluntatis beneplacitum mori pro eo, & cum eo desiderauit, nec vitæ suæ pepercit pro eius dilectione, sicut nec Filius. Quare dixisse visa est: Quis mihi det vt pro te moriar Fili mi IESV. Licet enim animam suam non posuit pro redemptione generis humani, exposuit tamen, & quod potuit fecit.*

B.V. licet animam suam non posuerit pro genere humano, exposuit tamẽ.

Idem lib. 5. eandem fortitudinem præ cæteris Apostolis agnouit in Virgine, ratione inconcussæ fidei: *Benè dicitur,* inquiens; *Stabat iuxta Crucem IESV Mater eius, quia cum omnes Apostoli in fide vacillarent tempore Dominicæ Passionis, ipsa in fide stetit immobilis cum esset Terra illa de qua Eccle. 1. Terra autem in æternum stat. Et ideo illi dicitur à Sponso: Statura tua assimilata est Palmæ.* Addit insuper non solum in fide stetisse imperterritam, verum etiam Demonibus ad instar Crucis Dominicæ fuisse formidabilem.

B.V. Terra in æternum stans, ob cõstantiã iuxta Crucem Filij.

B. V. instar Crucis Dæmonibus formidabilis.

45. Quemadmodum enim Crux, eo quod corpore, & sanguine Dei Filij, qui in illa pependit tota fuit Sanctificata, toti Inferno, eiusque incolis euasit horribilis; ita Virgo nostra Sanctissima postquam in Matrem Dei fuit electa, in eaque æterni Patris Vnigena, nouem mensibus requieuit, eamque velut Vnicornis inhabitauit venenatis illis Tartarei serpentibus, ad instar cuiuspiam latibuli Vnicornis facta est terribilis, ita vt eius vel solo audito nomine perhorrescant, totique contremiscant. Quare iure merito Diuus Epiphanius eam *Thronum Cherubicum Cruciformem, in quo Dei Filius, velut in Cruce expandens suas ad nos amplexandũ manus residere visus est.* Vnde merito Salomon Prou. 31. fortitudinem hanc ipsius tantopere Orci Satellitibus formidabilem admirans, cernensque totam indutam fortitudine, variarumque virtutum decore, pronuciauit: *Fortitudo, & decor indumentum eius.* His illa virtutibus plane Heroicis instructa Deæ Palladi, ægide, loricâ, galeâ, lanceâque armatę, quam Statius; toruam terrore decoro fuisse canit, persimilis videbatur.

B.V. ad instar latibuli Vnicornis Tartareos Serpẽtes fugat.

B.V. Heroicis virtutibus, ceu Pallas armata ægide, Lorica Galea lanceaque terribilis fuit Dæmonibus.

46. Dicat iam fortitudinem hanc admirabilem ac pene Diuinam suspiciens Salomon dicat: *Mulierem fortem,* huic videlicet similem, *quis inueniet?* Nullus profecto. Quia sicut ne DEVS quidem ipse maiorem, quam sit Mater Dei, creaturam aliquam facere posset: ita nec mulierem illâ fortiorem, ob eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem, quæ infinita est, cum DEVM includat, aquo omnem illam fortitudinem mutuata est. Hinc D. Thomas inter infinita, quæ DEVS creauit, Vnionem nempe Hypostaticam, ac Visionem beatificam, quibus aliquid magis infinitum nequit facere, Diuinam Maternitatem numerauit. Hinc Seraphicus Doctor Bonau. in Spec. cap. 10. *Ipsa est, qua maiorem DEVS facere non potest. Maiorem mundum posset facere DEVS, maius cælum posset facere DEVS, maiorem Matrem, quam Matrem Dei non potest facere DEVS.*

Maria Mulier fortis qua fortiorẽ non potest facere DEVS.

47. Cùm igitur infinita quædam hæc Dei Matris sit fortitudo, ingentes quidem animos nobis semper in omnibus nostris tribulationibus, aduersitatibus, atque angustijs, maximè verò in postrema illa discriminis plenissima vitæ nostræ periodo, vbi de summa to-

B.V. Fortitudo quasi infinita, quia est Matris Dei.

B. V. infinita fortitudo ingentes animos in articulo mortis nobis suggerere debet.

tius nostræ beatitatis agitur, à qua verè pendet æternitas, nobis addere, nosque erigere ac consolari debet.
Ea enim periodus est dies illa mala, de qua canebat Dauid Psalm. 48.
Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me. Ait enim Card. Bellarminus diem malam esse diē Iudicij diuini, quæ dicitur à Sophonia capit. 1.

Dies nostræ mortis, dies mala, & quare?

Dies iræ dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ; dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris. Quasi ergo dicat Dauid: Quod me timere facit in hac die mala, non est paupertas, quia Iudex non corrumpitur donis; non est humilitas generis, quia Iudex non respicit personas; non est malitia testium, aut aduocatorum, quia omnia nouit; non est potentia aduersariorum, quia neminem timet.

Extrema impœnitentia terret in morte.

Denique nihil est aliud, nisi iniquitas, & non quæuis, sed calcanei. id est aliud, nisi iniquitas extremæ vitæ meę iniquitas perseuerans vsque in finem vitæ.
Illa enim si eo die inueniatur in me, omninò me instar aggeris circumdabit, vt nullo modo euadere possim, quia non erit locus pœnitentiæ. E contra quod me securum ea die reddere poterit, non erunt diuitiæ, aut nobilitas, aut Aduocati, &c. Sed sola iustitia, & quidem calcanei, extrema scilicet vsque ad mortem.

Venialia peccata Vocari possunt iniquitas calcanei quia à nobis non videntur.

48. Crediderim ego per iniquitatem calcanei intelligi etiam posse peccata venialia, verba otiosa, & alia quædam, quæ vix à nobis videntur, & ad instar calcanei remota sunt ab oculis nostris.
Hæc enim nisi per confessionem expientur, & intenso dolore, ac contritione virtuteque Sacramentorum deleantur, in particulari iudicio quando Dominus, Sophonia teste ca. 1. scrutabitur non Babylonem, sed Hierusalem, ipsam animam nempe, quæ semper pacem cum Deo, per amicitiam, mandatorumque obseruantiam coluit, in lucernis ad instar sedulæ illius mulieris, ac solicitæ, quæ amiserat dracmam vnam, minimos defectus rimando, ac excutiendo, nos circumdabunt velut inimici vallo, circumdabunt, inquam, & ad terram, nisi ope Deiparæ adiuuemur, prosternent, & ad maximas angustias redigent, vt pluribus infra declarabitur exemplis.

49. Quod sane Scrutinium, ac peruestigatio Hierusalem in lucernis, summam nobis nimirum incutere debet formidinem, atque horrorem, cum exactissimam sempiterni illius iustissimique Iudicis in peruestigandis minimis etiam noxijs, nobis innuat diligentiam. Quid enim aliud cogitare possumus quod ille Agnus, cuius oculi lucidiores super solem, de quo dilectus Discipulus Apoc. 5. ait, quod præter duos oculos, habuerit oculos septem, totidemque cornua, quæ ad instar duplicis coronæ caput eius circumdabant, ita vt oculi singuli singulis cornibus corresponderent, quid, inquam, aliud cogitare possumus, quam quod iste Agnus adeò oculatus, ad videndum tamen clarius adhibeat adhuc lucernam, quo minutissimos nostrorum defectuum puluisculos depræhēdat, qu am exquisitissimam quandam curam ac diligentiam singula nostra, quantumuis minima, peccata perscrutandi ac ventilandi? Quod profecto tanto maiorem incutere nobis debet horrorem, quanto videmus singulis oculis singula cornua respondere, quibus peccata, ipsumque peccatorem ventilet, inque profundissimum Inferni Barathrum detrudat.

Terribile iudicium est quod Oculatus Agnus in scrutandis defectibus adhuc lucernā adhibeat.

Agnus cælestis duplici corona oculorū, & cornuum circuodatus.

Cornua Agni sūt cornue Rhinocerotis.

Neque enim hæc cornua quædam parua, qualia Agnorum esse consueuerunt, nobis persuadere debemus, sed omnino Rhinocerotis cornua; cum de Agno hoc cecinerit Moyses Deut 32. vti sup. d. *Cornua Rhinocerotis, cornua illius, in ipsis ventilabit gentes, vsque ad extremum terræ.*
Oculi vero huius Agni quam sint lucidi, ostendit S. Ioann. Apoc. 1. *Oculi eius tanquam flamma ignis, facies lucet vt Sol in virtute sua.*

In articulo mortis B. V. roganda vt sicut ipsa cōtriuit caput serpentis, ita & nos ad cū superandum opituletur.

50. Quid igitur facturus est homo miserabilis in illo tam periculoso mortis momento, terribilium omnium verè terribilissimo, nisi ad hanc Matrem misericordiæ, ad hanc Mulierem fortem, cælesti panopliâ vndique obarmatam confugiat, eiusque patrocinium, protectionemque imploret, obsecretque vt quemadmodum illa Infernalis Draconis, fratrum apud Filium Iudicem accusatoris contriuit caput, & insidias omnes quas eius calcaneo struxit fortissimè ac sapientissimè superauit; ita quoque nobis in tanto discrimine, veternosisque Tartarei tenebrionis insidijs opem suam porrigat, quo feliciter ad beatam patriam nostram transire

re

re possimus. Verè enim cruentus iste, immanisque Draco calcaneo nostro, extremæ videlicet vitæ nostræ termino, etiam nunc insidiatur, vt vaferrimè insidiari ausus est Virgini. Hoc .n. indicat, prædicitq; Dominus Gen.3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuū & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Vbi non solum præuidit sanctissimam suam Matrem assiduas gesturam inimicitias, horridaque bella cum immani illa sanguinolentaque belluâ, verumetiam se quoque hominem factum, ceu semen purissimum, Filiumque Virginis vnà cū omnibus suis fidelibus, adoptiuis fratribus, qui eiusdem Virginis quoque semen castissimum à S. Antonino nominantur, assiduè dimicaturum.

51. Non solum Matri, & suo eandem belluam calcaneo insidias structuram præuidit Dominus, sed etiam reliquorum spiritualium filiorum Matris dilectissimæ. Ita vt verè vnusquisque nostrum ingemiscens, obortisque lacrymis cum eodem Regio Psalte interrogare se possit: *Cur timebo in die mala?* Et sibimet respondere: Non solum iniquitas calcanei mei, extrema mea impœnitentia, meæ nouæ illæ occultæ, quę aciem oculorum meorum effugiunt, verumetiam iniquus ille fratrum accusator, & verè Iniquitas ipsa calcanei, calcaneo meo, nimirum fini extremitatique vitæ meæ insidians, me circumdabit, & multitudine illâ suorum horribilium capitum caudaque qua tot stellas de cælo detraxit in terram obuallabit me, vt nusquam effugiam sim reperturus. Quo igitur cōfugiam nisi ad sinum Virginis Matris, ad vallum hoc fidelium, vt illam S. Ephræem appellat, ad Murum hunc aheneum atque inexpugnabilem, ad *Turrim Dauidicam, de qua mille clypei pendent omnis armatura fortium?* Ad *Mulierem* denique hanc, fortissimam Bellonam Christianorum, Palladem que Virgineam, atque verissimam; in qua vera nostra vita, veraque salus nostra sempiterna consistit. Vnde pijssimus ille Societatis nostræ Adolescens Ioannes Berchmannus dicere solitus erat, *necessarium cuilibet esse certem aliquem perfugij locum, quo velut in asylum se reciperet subitis, aduersisque rebus, nullum autem tutiorem esse, sinu, plagisque sanctissimis Christi, & pallio Reginæ cælorum.* Hinc idem rogatus, quibus aduersus ariditates animi vteretur remedijs, respondit: *orare, occupare me, patientia, sinus denique, & gremium Beatæ Virginis.* Intellexit S. Antoninus Archiepiscopus Florent. Part.4. Tit.15. cap. 14. has insidias à Dracone Infernali semini, spirituali Virginis strui, dum calcaneo ipsius ac vitæ fini varias ad expugnandum machinas admouet, cum pronunciauit: *Insidiatur etiam iam calcaneo mulieris serpens antiquus, quoad semen eius spirituale, nempe electos, siue in generali fine, mundi, quia tunc soluetur Sathanas de carcere Infernali per semen suum Antichristum, ad perdendum animas; siue in particulari iudicio in fine vitæ cuiuslibet hominis, etiam sancti, fortiter tentans ad decipiendum. Verum adiutorio Christi, & Matris eius, ipsius insidiæ detegentur, vt superetur, vt de multis legimus, quos in exitu suo quasi deficientes Virgo liberauit.* Hæc Antoninus.

Timenda mors nō solum ob peccata, sed ob insidias etiā Diaboli.

B. V. est Vallum fideliū.

M. fortissima Christianorum Bellona, & Pallas.

Insidiatur Sathan semini spirituali B.V. nempe electis.

In morte etiam sanctos tentat Sathā, sed per B.V. superatur.

52. Quare in omni quidem tribulatione, atque angustia ad Deiparæ sinum præsidiumque, sed potissimum tamen in extrema illa vitæ periodo magna cum fiducia, vti diximus, confugiēdum est. Illa enim mortalium post Filium vnica protectrix, vnica vita, vnica veraque ad æternam vitam via est, adeo vt cum Filio iure dicere nobis possit: *Ego sum via, veritas, & vita;* Et quod longè ante increata dixit Sapientia. Eccl.24. *In me omnis gratia vitæ, viæ, & veritatis.* Quare ipsa merito dixit: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino:* Prou.8. Quo loquendi modo indicatur nobis, effecturam Virginem, vt tam facile Diuinam gratiam, virtutem, salutemque quispiam consequatur, quam aliqua potio suauissima exhauritur. Vnde S. Bonauentura de Virgine accipit illud sapientis Eccli. 15. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ, salutaris potabit illum.* *Quibus*, inquit scitè, Pater noster Salazar, *significatur Virginem nobis salutem, gratiam, & honestatem non modo edendam præbere, in quo difficultatis aliquid est, sed etiam bibendam propinare. Quod videre est in præcipuis quibusdam Mariæ cultoribus in Bernardo, Anselmo, Damasceno, Bonauentura, & alijs, quorum si vitam, moresque spectamus, si faciliem ac proliuem, ad omnem honestatem promptitudinem, dicemus sane illos, non tam comedisse, quā haustam ebibitamque percolasse virtutem, & salutem.*

B. V. cultor quam facile virtutem, ac perfectionē ac salutem consequatur?

53. Quisquis igitur in formidolosissimo illo ex hac vita transitu timoris expers esse cupit, dum viuit totum se

quam

quam primum Diuæ Virginis huius patrocinio, atque obsequio addicat ac mancipet, eiusque pietatem, tanquam cælestis Viridarij quendam pulcherrimum surculum in cor suum inserat, insertumque magna diligentia custodiat, eius inspirationibus, ac vocibus tanquam obedientissimus Filius obtemperet, eiusque disciplinam cęlestem obuijs vlnis amplectatur. Illius sunt voces illæ materna charitate plenissimæ, ipsis proinde præbendæ aures diligentius, eisque obsecundandum: *Nunc ergo Filij audite me. Beati, qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei.* Quibus sane verbis æternæ sapientiæ Mater cupit, vt tanquam ad omnis veræ pietatis sanctitatisque Magistram ad se clientuli sui, summâ vigilantiâ confluant, cælestem doctrinam, disciplinamque hausturi.

Exhortatio B.V. ad suos clientulos, vt sint vigilãtes in ipsius obsequio.

Ad B.V. tanquam ad veræ pietatis ac sanctitatis Magistram recurrendum ab adolescẽtia.

Quasi dicat: Felix est, ac ter beatus ille, qui instar Discipuli diligentis festinat ad me quæ sum increatæ sapientiæ domus, animatumque gymnasium.

Quare summo manè in ipsa adolescentiæ florentis Aurora sese ad me conuertat, imiteturque industrium quempiam discipulum, qui vbi primum illuxit, ad scholam magistri aduolat, ibique peruigil ante fores præstolatur, dum ostia referentur, vt in scholam ingrediatur.

Vnde Rabbi Salomon ita vertit: *Beatus, qui vigilat ad fores meas, vt primus scholas ac synagogam ingrediatur, & exeat postremus.* Vigilet igitur dum viuit, & ardẽter amet Virginem, quisquis in morte sua vitam, felicemque ex hac vita exitum sortiri desiderat. Verissima enim est Arabum illa gnome: *Amans dormire nequit, amor enim amanti somnum interdicit.*

Amans non potest dormire amor .n. amanti somnum interdicit.

54. Vigilantiam ergo summam à nobis requirit Virgo in suo seruitio, si eam vigilantem quoque ad nostram custodiam, in illo horribili cum Tartareo Dracone conflictu, qui tunc etiam naturam sæui Leonis, rugientis, circumeuntis, quærentisque quem deuoret induet, experiri cupit, vitamque suam salutemque in tuto collocare desiderat. Absque ipsius siquidem ope, atque auxilio rabidi illius Draconis, Leonisuè fauces euadere, vitamque ac salutem æternam cõsequi, est propemodum impossibile, Quam ob causam S. Damasc. orat. 2. de Dormit. Deiparæ, ait; *ipsa moriente, mortales omnino viuere, vtpotè vita destitutos minimè posse.* Hinc S. Andreas Cret. Episc. orat. de Annunc. eam salutauit: *Salue Thesaure vitæ immarcescibilis.* Et orat. 2. de Dormit. B. V. per eam vitam nostram stare agnoscens, amore quasi ipsius ebrius exclamauit; *O' vitæ suppeditatrix, vita viuentium, & causa vitæ.* Sanctus vero Germanus Patriar. Constantinop. orat. de Zona ait solam Nominis Sanctissimi Virginis gloriosissimæ mortalibus inuocationem vitam ad instar respirationis communicare: *Sicut continua respiratio,* inquit ille, *non solum est signum vitæ, sed etiam causa, sic sanctissimum Nomen Mariæ, quod in Dei seruorum ore assiduè versatur, simul argumentum est, quod vera vita viuant, simul hanc ipsam vitam efficit, & conseruat, omnemque eis lætitiam, & opem ad omnia impertitur.*

Mortales moriente Deipara, viuere non possunt, quia ipsa vita sunt destituti.

B.V. Thesaurus vitæ immarcescibilis, suppeditatrix vitæ vita viuentium, & causa vitæ.

Nomen B.V. est nobis respiratio, & causa vitæ.

Quam ob causam merito subtexuit: *Nemo saluatur, nisi per te, ò Virgo sanctissima. Nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ò purissima. Nemo est cui misereatur gratia, nisi per te, ò honestissima.* Hinc Seraphicus Doctor in Psalterio eàdem alloquens: *Quem vis,* inquit, *saluus erit, & à quo auertis faciem tuam cadet in interitum.* Et alio Psalmo: *Qui dignè coluerit illam iustificabitur, & qui neglexerit illam morietur in peccatis suis.* O' quam præclarè Richard. à S. Laur. lib. 9. de laud. vitam nostram maximè spiritualem, & æternam à Virgine hac, vitę illius increatæ Auctrice dependere cognoscens pronunciauit: *Maria est vena vitæ. Sicut enim sanguis, qui est vita carnis, occultè per venam decurrit, sic Christus, qui animarum nostrarum est vita, occultè venit ad nos, per Mariam.*

A quo B.V. faciem auertit cadet in interitum.

Qui negligit B. V. morietur in peccatis suis.

M. Vena vitæ.

55. Quam ob causam vix vt etiam alibi diximus, feruens assiduaque in Virginem pietas character æternæ felicitatis à sanctissimis Patribus vocitatur. Quemadmodum enim ij, qui Antichristi infelicissimis illis temporibus, adorabunt Imaginem Bestiæ, vel insigniti fuerint charactere Nominis eius, qui est 666. vt ait Apostolus Apoc. 13. æternæ damnationis perditionisque rei euadent, sic contra qui charactere Nominis Deiparæ fuerint insigniti, qui 999. esse dicitur, vt fusius prosequitur. P. Spinellus cap. 4. num. 20. æuiternæ felicitatis compotes fieri merebuntur. Sicut enim character ille triplicati senarij, numerus est in sacris literis laboris, sex enim diebus vniuersorum

Cultus B V. est character æternæ felicitatis.

Character Antichristi est triplex Senarius, qui numerus est laboris.

rum

rum conditor in creando mundo laborauit, ac desudauit, & die septimo requieuit: triplicatus itaque senarius laborem grauem, & non superficialem, sed velut trina dimensione constantem significat; euenturumque quodammodo denotat, quod Attagenes aues ex Lydia in Aegyptum deportatæ, grassante peste, grauissimâ ex alluuione Nili, quâ plurimi extincti sunt, quasi pueri cecinerunt,

τρὶς τοῖς κακοῖς, τὰ κακά.

hoc est; Ter mala, malis. Sic character Nominis gloriosissimæ Deiparæ 999. magnam nobis, & quasi triplicatam denotat requiem, ac felicitatem, quæ in solo Deo eiusque Matre, vera Domini requie reperitur. Verissimè enim pronunciauit Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Nouenarius enim ex triplicato ternario, numero perfectissimo, Sacrosanctam Trinitatem repræsentāte, componitur, & non solum augustissimam Triadem, verumetiam nouem choros Angelorum in tres Hierarchias, ob eiusdem Triados honorem distributos, vt testatur Magnus Areopagita cap.6. de cæl. Hier. nobis exprimit; atque adeo ipsam sacratissimam Virginem, Angelorum Reginam totius Trinitatis nobile Triclinium, vt ipsum vocat S. Bonauent. denotat; Quæ cum viua Imago non modo Diuinæ Essentiæ, verumetiam Personarum, earundemq; perfectionum, vt & Angelicarum extiterit, iure merito character hic nobilissimus 999. Mariam nobis repræsentat, quæ non modo nouem Angelicorum Ordinum puritatem perfectionesque omnes longè maiori excellentiâ, vt supra declarauimus, verumetiam ipsorum Creatricis Trinitatis sanctissimæ, in se velut animato speculo præsetulit, effectaque est omnibus suis cultoribus trāquillissima mentis, animique requies, ac character quidam felicitatis sempiternæ, quo electi ad æuiternam illam beatitudinem fouendam, à reprobis distinguuntur.

Character Nominis B. V. est triplex nouenarius.

B.V. SS. Trinitatis nobile Tricliniū.

56. In hoc enim etiam Virgo nostra, sicut in reliquis penè omnibus suū dilectissimum æmulari visa est Filium. Quemadmodum enim ipse suo sanctissimo Nomine IESV, Græcè scripto numerum exprimit 888. vt per se patet, cum I. significet decem: H. octo: Σ ducenta: O. septuaginta: Y. quadrigenta: Σ. ducenta. Et octonarius resurrectionem, gloriam, æternamque beatitatem denotet, triplicatusque eandem gloriam, beatitatemque perfectissimā, quæ in visione ac fruitione augustissimæ Trinitatis consistit, nobis insinuat: sic quoque Deipara suo Nomine exprimit Numerum 999. qui non solùm Trinitatem, vti diximus, veram hominis beatitudinem; verumetiam nouem Angelorum choros in tres Hierarchias distributos, inque Deo Trino, & vno tanquam in suo centro quiescentes, repræsentat. Ipsa enim est præclarissima illa creatura, quam Hebræi Mitraton appellant, quæ homines ante Diuinum conspectum, atque adeo ad æuiternam requiem, felicitatemque introducendi potestatem habet, de qua Georgius Venetus in Harmon. Mundi Cant.1.Tom. 5. cap.7. Vide Discursum 16. num.43. de Mitraton mysterijs.

Nomen IESV tribus octonariis cōstans perfectam beatitudinem notat.

B.V. nobilissima creatura ab Hebræis Mitraton appellata.

57. Cum igitur Mariæ nomen augustissimum summam gloriam perfectissimamque atque æternam nostram felicitatem, vti & IESV ipsius Filij dilectissimi Nomen contineat, curādum sanè vt nobis ea Nomina intimo cordi, imis fibris, ac medullis ardensque in eadem pietas exculpatur, quo charactere hoc felici notati, de grege ouium Christi esse agnoscamur. Quare quemadmodum illi Filius siue tota Trinitas præcipiebat, ait Richar. à S.Laur. lib.6. de laud. B. V. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*; sic illa suis clientulis in hodiernum vsque diem suadere videtur, vt charactere hoc, siue signaculo felicitatis æternę, assiduâ nimirum, ardentique in illam pietate insigniantur. Ita enim futurum est vt diuinæ Imaginis splendor in animis nostris magis effulgescat.

Nomen IESV, & Mariæ cum felicitatem æternam denotet imo cordi imprimenda.

Quemadmodum enim hoc signaculo, vt loquitur idem Richardus, *impressus est Virgini decor Diuinæ similitudinis expressius, quam alicui creaturæ*, ita si pietatis hic in illam character cordibus, animisque nostris imprimatur, non modo ipsius Diuinæ similitudinis decor, præ cæteris creaturis, verumetiam Virgineorum morum pulchritudo, ac splendor in nobis elucescet, ostendetque verè nos esse tantæ Matris dignissimos filios, omnium virtutum genere cumulatissimos.

Signaculo Nominis impressus est Mariæ decor Diuinæ similitudinis.

58. Sicut enim perditissimi infelicissimique illi homines, qui siue Imaginem Antichristi ad viuum expressam, siue

siue Nomen illius proprium, proprijs literis inscriptum, siue literæ quæ contineant numerum Nominis eius per compendium, qui numerus, vti diximus, erit *666*; siue denique characterem illum, quo totum Christi Nomen per compendium includitur, & esse hic, inustum in manu dextera, vel fronte gestabunt, vt voluit Primasius, & Ansbertus, qui etiam id sibi reuelatum fuisse asseuerauit, quibus consentit P. Cornelius; sicut, inquam, hi Imaginem characteremque Bestiæ illius circumgestantes, serui Antichristi esse cogentur, turpissimamque vitam brutis animalibus persimilem, omnibusque sceleribus coopertam agent, tesseramque æternæ damnationis circumferent: Sic ij, qui felicissimo Deiparæ charactere atque insignibus fuerint insigniti, ipsius perpetui erunt serui, imò filij dilectissimi, vitamque purissimam, atque Angelicam, omnis peccati labe expertem agent, pignusque æuiternæ beatitudinis, dum hic adhuc viuunt, degustabunt, securi se tandem, inuentâ hac Virgine, inuenturos vitam, & salutem à Domino hausturos sempiternam.

Hic est character Antichristi per compendiũ expressus.

Sicut ij qui charactere Antichristi fuerint insigniti serui ipsius erunt: sic illi qui B. V. charactere fuerint notati eiusdem serui existẽt.

59. Hoc charactere, Virgineoque signaculo insignitus æternæ vitæ arrhã accepisse visus est Pater Franciscus Binans ex ordine Minimorum, qui ob varia sibi à Virgine totius vitæ decursu collata beneficia Nomen Mariæ, vti, & Nomen IESV, scalpello in pectore ad partem cordis, non sine acutissimo cruciatu, quem tamen lubens, hilarisque perferebat exculpserat, præ desiderio circumferendi etiam in corpore signa ac Nomina eorum, quos tam tenerè adamarat, vti fusius Par. 1. Disc. 7. num. 143. ostensum, ex Chronico Minimorum.

Francisci Binantis in Nomen IESV, & Mariæ seruẽs amor.

60. Charactere hoc ardentissimæ in Deiparam pietatis insignitus fuit Magnus ille Regni Sueciæ nobilis, Israel vocitatus, Frater S. Brigittæ, de quo ipsa libr. *6*. Reuel. cap. 95.
Hic cum multoties à Rege solicitaretur vt nouam quandam dignitatem expeditionemque contra Paganos acceptaret, & ipse pro sua modestia recusaret, Deipara tandem monuit S. Brigittam, suaderet illi, vt regimen acceptaret se illi minimè defuturum: *Nam dico tibi*, inquit Dei Mater, *quod adhuc ore hominum dicetur de isto: Iste exiuit ex patria viriliter, honorauit Matrem Dei sinceriter, seruiuit Deo fideliter, propterea scias, quod per aliam viam ad meam regionem eum deducam.*

Israelis Fratis S. Brigittæ in B. V. amor porrecto ei anulo.

Additque S. Brigitta hæc omnia ita euenisse. Cùm enim contra infideles aliquot annis post, ad bellum fuisset profectus, Rigamque venisset, ibique ex morbo decubuisset, sensissetque mortem vicinam, mox ad Templum Cathedrale, magna cum pietate adrepsit, ibique digito Imaginis B. Virginis, quæ ibidem maximâ reuerentiâ colebatur, annulum preciosum impressit, addiditque alijs audientibus: *Tu mihi Domina es, & semper fuisti dulcissima, super quo te testem inuoco, ideo me, & animam meam tuæ prouidentiæ, ac misericordiæ relinquo;*
His dictis, acceptisque Sacramentis deuotissimè obijt. Cum verò deinceps pro illo S. Brigitta oraret, sic Dei Mater de ipso illi locuta est: *Ipse dedit mihi annulum charitatis suæ, desiderans me sponsam suam. Scito porrò Filia, quod ipse dum vixit, non dilexit me dimidio corde suo, sed toto; & in omnibus operibus suis timuit Filium meum. Ideo duxi eum, cooperante Deo Filio meo, per viam sibi magis necessariam, & vtilem, eumque cælesti Sanctorum, Angelorumque exercitui, à quibus ipse erat dilectus præsentaui, ne si in manibus parentum esset mortuus, consolatione temporali aliquo modo impediretur. Eius quippè bona voluntas sic Deo placuit, ac si pro fide sancta Catholica contra paganos depugnando obijsset.*

Israel feliciter sub protectione B. V. obijt.

61. Hoc eodem pietatis in Virginem charactere decoratus fuit homo ille, nobilitate quidem magnus, sed scelerum enormitate maior, qui vt eisdem in Reuelationibus habetur lib. *6*. cap. 97. sexaginta annis omni Sacramentorum Vsu abstinuerat, nihilque aliud, dum viueret, boni fecerat, quam Deiparæ dolores recolendo, eidem compatus in more habuit Vnde B. Virginis meritis, ac intercessione permotus Filius, monuit S. Brigittam vt eius confessarius eum adiret, & ad peccatorum exomologesim faciendam hortaretur. Verùm infirmus ille confessarium non admisit, asserens, se eius operâ minimè indigere siquidem sæpissimè confiteretur. Cum rursus confessarius hic ad miserum illum à Christo remitteretur, & ille eodem modo cum repulisset, tandem eiusdem Saluatoris iussu redire cogitur cum his verbis ipsi S. Brigittæ dictatis: *Christus Filius Dei viui, & ipsius Diaboli Dominus dicit tibi. Tu habes in*

Homo sceleratus dolores B. V. recolendo per eadem ad pœnitentiam reducitur.

te septem Dæmonia. *Vnus sedet in corde, illud ligans ne pro peccatis compungaris. Secundus sedet in oculis, ne vtiliora animæ tuæ videas. Tertius in ore, ne loquaris ea, quæ sunt ad honorem Dei. Quartus sedet in inferioribus tuis, & ideo omnem impuritatem dilexisti. Quintus in manibus ac pedibus tuis est, & ideo homines spoliare, atque interficere non verebaris. Sextus est in interioribus tuis, & ideò gulæ, atque ebrietati deditus es. Septimus in anima tua, vbi DEVS residere deberet, & modo ibi sedet Diabolus inimicus eius. Igitur age citius pœnitentiam, quia DEVS tibi adhuc propitiabitur.* Quibus auditis infirmus mox effusus in lacrymas quæsiuit an veniam suorum criminum sit habiturus? qui tot publicis sceleribus erat irretitus, & ipsi Diabolo, quo cum multoties loquebatur, de animæ suæ salute iam desperans, homagium præstitisset, sese ipsi totum deuouendo; cùmque confessarius respondisset, etiamsi his grauiora admisisset scelera, misericordiam iuuenturum, mox cum lacrymis quater magno doloris sensu eodem die confessus est, vti, & sequenti, quo viaticum ad meliorem vitam abiturus, accepit.

Quare cùm eadem S. Brigitta ex cæle sti quæsijsset sponso: *Quare meruerit homo ille contritionem, qui tantis sceleribus erat inuolutus?* Respondit: *Hoc fecit dilectio mea, quæ vsque ad vltimum punctum expectat hominis conuersionem, & Meritum Matris meæ. Nam licet homo iste corde eam non dilexerit, tamen quia consuetudo ei fuit doloribus eius compati, quoties eam considerabat, vel nominari audiebat, ideo compendium salutis suæ inuenit, & saluus erit.* Verè huic dicere poterat cælestis Salomon, quod quondam terrenus ille, Abiathar Sacerdoti 3. Reg. 2. 26. *Equidem Vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini Dei.* O' quam piè vereque de Virgine hac benignissima pronunciauit S. Bonauentura libr. 1. Pharetræ cap. 5.

Dolorum B. V. quam vtilis meditatio?

Sicut ò beatissima omnis à te auersus, & à te despectus necesse est vt intereat, ita ad te omnis conuersus, & à te respectus, impossibile est vt pereat? O' fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renouantur, Inferna remediuntur, homines saluantur, Angeli redintegrantur!

Sicut ille, qui despectus est à B.V. necesse est vt intereat, ita qui respicitur à B.V. impossibile est vt pereat.

O' fœmina plena, & superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa reuirescit omnis creatura. Sic ille.

S. Arnulphi Archiep. in B.V. pietas, & fælix obitus.

73. Quid de S. Arnulpho Archiepiscopo Suessionensi dicam? qui cum hoc pietatis in Virginem totius vitæ decursu esset decoratus charactere, singularia ipsius, circa vitæ finem beneficia promeritus est experiri. Mortis .n. suæ diem in Vigilia assumptionis Dominæ nostræ, quæ cadebat in Sabbatum sibi imminere prædixit, iussitque funeri necessaria præparari: *Sub noctis,* inquiens, *initium decedam, vt mihi Dominus, cui pro viribus seruire conatus sum hesterna nocte reuelauit, cum ille terræmotus, & aeris concussio fragorem cellæ excitaret. Sub prima enim quassatione B. Petrus Apostolus ad me venit significans mihi peccata remissa, & vitæ Ianuam patere. Sub altera quassatione, cum multis Angelicis spiritibus S. Michael me inuisit, pollicens se Duce, me ad Beatam vitam ingressurum: Tertia concussione adfuit Domina nostra, veræ misericordiæ Mater, multis stipata sanctarum Virginum agminibus, benignissima voce me certiorem efficiens, de anima mea inter Assumptionis eius gaudia in cælos transferenda.* Quod, & factum. Nam ipso felicissimæ Assumptionis Virgineæ noctis ingressu Eucharistiam deuotissimè, in pauimento, cinere, ac cilicio constrato, accepit, signoque salutifero Crucis se communiens, felicissimè exspirauit.

B.V. moriēdi cum multis Virginum agminibus adfuit.

74. Quid de Adulpho, dicam, qui relicto Principatu cum in Diui Francisci familiam se recepisset, Virginique fideliter deseruiisset, & vicinus morti trepidaret, Deipara fortissima, comitibus Angelis, illi adfuit, sicque eū benignissimè est allocuta: *Quid times fili, aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus, quoniam Filius meus, cui fideliter seruijsti, dabit tibi Coronam gloriæ.* Nonne magno illo prædestinationis signo hic obsignari visus est, qui tam benignam Dei Matris ad æternam gloriam inuitationem promeruit?

Adulphus B. V. deuotus ab eadem ad cælum inuitatur.

75. Eodem signo verè magno obsignatus est Adolescens ille è Mariano Sodalitio Bizontinus, vt habetur in societatis nostris litteris Annuis. Anni 1598. Hic enim vbi morti proximum se animaduertisset, cum in auxilium IESVM, eiusque Matrem Mariam inuocasset, Crucem manu vibrans altâ voce exclamauit: *Victoria, Victoria, Victoria.* Tum ad circumstantes conuersus, Angelos se cum gloriosissima Virgine præeuntes aspicere aiebat, quos & mox consecutus est in cælum.

Sodalis Bizuntinus cultui B.V. addictus lætus moritur.

Vis tibi Deiparam morti adstare, vt triumphatricem palmam, cuius statura assimilata est Palmæ. Cant. 7. vis, inquā,

victoriæ contra Draconem Tartareum, eiusque asseclas, reportare palmam, & gloriosè in morte concinendo, Victoria, Victoria triumphare? Castissimum in Virginem Dominam nostram amorem, ceu semper virentem palmam cordi tuo dum viuis inserito, & nil de Victoria contra cruentam illam belluam pertimescito. Si enim palma inter iuncturas lapidum ante domum enata, Augusto Cæsari, insignem, eandemque facilem portendebat de hostibus victoriam, vt testatur Causinus lib. 10. Hierogl. 54. 55 quanto magis hæc Virginea, & rationalis Palma, Virginis nempe castissimus amor, sincerissimaque pietas, in cordibus ipsius clientulorum enata, non modo facillimam, verumetiam gloriosissimam, in tam periculoso ex hac vita transitu, de Hydra illa Infernali, vniuersoque Orco victoriam apportabit?

Augusto Cæsari palma ante domum exata victoriā portēdit.

76. Enata fuit Virginea hæc atque rationalis Palma in anima Florentij illius, de quo Surius 12. Iulij, qui ad portas mortis cum appropinquasset, caput suum pallio, quo erat opertus contexit. Et interrogatus cur id faceret timens, tremensque respondit: *Video Sathanam propè assistere, è cuius ore vasta flamma funditur, & ex naribus fumus sulphureus prodit*. Cumque locum illum, in quo eum cernebat, intento digito indicasset, Cruceque illâ quam tenebat in manibus, quidam ex adstantibus velut baculo ferreaque virga acriter teterrimum ministrum verberasset, moxque ad instar fumi euanuisset, exclamauit Florētius: Ecce aufugit Satan, ecce recessit, & ecce adstat B.V. Maria cum S. Petro, & Benedicto, quibus in verbis animam suauissimè exhalauit.

S. Florentius superatis Satanæ insidijs in præsentia B.V. feliciter moritur.

77. Et licet Virginea hæc Palma quolibet in solo nasci, ac germinare feliciter videatur; in exculto tamen illo Marianorum sodalitio potissimū frondere ac gloriosissimus victoriarum de Tænareis phalangibus fructus parere vt plurimum consueuit. Testis est Henricus ab Haidem Canonicus, qui cum Romæ in Collegio Germanico degeret, in agone constitutus, narrauit se à sempiterni Iudicis Tribunali in Inferni Barathrum præcipitandum, ni à sua Patrona Deipara fuisset defensus, ac protectus. Dum enim Dæmones eum reptarent, Virgo clementissima, ac fidelissima: *Quo vos*, inquit, *istum, aut quid vobis cum illo, qui tot annos mihi in mea Congregatione seruiuit?* Mox sanctus Andreas, cum S. Apollinare adfuit, decisaque lite, teterrimos illos hostes, rationali hac, sibi assistente Palmâ, triumphauit.

Sodalis B.V. cum raptaretur sub mortem à Dæmonibus à B.V. defensus est.

78. Testis est alter Adolescens Parthenius, qui cum suos orasset commilitones, ne in extremo agone sibi deessent, accepto Christi de Cruce pendentis signo, illudque arctè complectens; Credo, credo ingeminabat. Cum paulo post: *Non ita est, mentiris, ad Infernalem* illam Belluam inclamasset, Crucemque manu circumferens, eamque in præsentem hostem intentans, pugnâ iam finitâ, victoriæque obtentâ palmâ, respirasset. in illis verbis: *Quam bonum est B. Matri in eius sodalitio famulari*. exspirauit, Annuæ Call. Dolani 1594.

Alterius sodalis in morte animus intrepidus.

79. Testis est Aniciensis Baro, qui circumstantibus sodalibus Dæmonem scelestas cogitationes sibi suggerētem. ope suæ Patronæ fretus verbis illis Sancti Martini agonizantis abegit: *Quid hic*, inquiens, *adstas cruenta bestia, nil in me funesti reperies?* additoque Psalmo; Miserere, vna cum consuetis ad Mariam precibus, cum illam ad se venientem esset intuitus, hilari vultu exclamauit:
En ego te video pulcherrima Virgo, ò verè benigna parens, quæ presto semper es tuis, in calamitate; in manus tuas commendo spiritum meum, sicque pijssimè spiritum suum in manus Deiparæ exhalauit, in cuius manu omnes sunt sancti Deut. 33. atque anima omnis viuentis Iob. 12.

Alter sodalis Parthenius à Dæmone sub mortem impugnatus à B. V. protectus.

O quam verè aptèque Bernardinus Bustius eam Dei Manum, animas in cælum deferentem vocitauit! An non his sodalibus, alijsque quam plurimis Palma in cordis domicilio germinasse visa est, siquidem, ope fortissimæ Virginis protecti, tantâ facilitate, tam gloriosas victoriæ palmas in tam horribili cū Tartareis hostibus dimicatione retulerunt? Nonnè hæc Mulier fortissima, panopliâ cælesti obarmata, sub suæ protectionis ac clientelæ pallio, eos à Draconis stygij insidijs tutata est? Nonnè velut Turris Dauid, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium eos protexit? Nonnè denique hæc eadem Mulier fortitudine plusquam Herculeâ Tænareis illis phalangibus terribilis, vt castrorum acies ordinata extitit, siquidem ad eius præsentiam, ad solam ipsius Sanctissimi Nominis inuocationem cōterriti, ac tremefacti tantæ Heroinæ forti-

fortitudine profugere? O quam benè augustissimum eius Nomen, Amarum Mare interpretatur! Verè enim amarũ mare Dæmonibus Virgo extitit, non secus ac Mare illud rubrum Aegyptijs teterrimis illis Israelitici populi hostibus, quod Mosaica illa, ac prodigiosa Virga contactum submersit, descenderuntque quasi lapis in profundum maris. Vnde Seraphicus Bonauentura rationem reddens cur Virgo nostra fortissima, amarum mare vocitetur; sic loquitur cap. 3. spec. *Illa enim amarum mare fuit Diabolo, & Angelis eius per ipsam oppressis, & submersis, non secus ac Aegyptijs in mari rubro.*

B.V. per Virgam Mosaicam figurata.

B.V. Amarũ mare est Dęmonibus.

80. Quare Rupertus Abbas iure merito Virgæ illi Mosaicę tot prodigiorum operatrici in terra Aegypti Virginem comparauit. De hac Virga, inquit Bernardinus Bustius P. 2. Mar. serm. 3. dicitur vnicuique nostrum illud. Exo. 4. *Sume virgam in manu tua, hoc est, deuotionem B. Virginis habeas semper in corde, & in operatione tua.* Hæc est verè terribilis illa Virga secundum D. Antoninum, quæ percussit Assyrios, Tartareos videlicet hostes spiritualis Israelis persecutores, de qua Isaias cap. 30. *A voce Domini pauebit Assur Virga percussus;* Hæc est Virga illa, de qua prophetauit Balaam Num. 24. *Consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab, & vastabit omnes filios Seth, & erit Idumæa possessio eius.*

B.V. est Virga cõsurgens de Israel vastans Dęmones.

Quæ verba idem Bernardinus Bustius expendens Par. 2. Marial. serm. 3. sic loquitur: *Inspirante Deo Balaam prophetauit de Virgine Benedicta, quam nascituram viderat de semine Israel, vidit quoque potestatem eius, qua destructura erat Regnum Diaboli.* *De hac quoque Beatæ Virginis dominatione super malignos spiritus prophetauit Dauid Filium Dei alloquens. Psalm. 109. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.*

81. Hæc est Virga illa, de qua idem Dauid Psal. 44. *Sedes tua DEVS in sæculum sæculi, Virga directionis virga Regni tui.* *Ipsa enim fuit sedes Dei, qui in ea semper requieuit, vt ipsa gloriatur: Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Fuit etiam virga directionis, quia opera sua semper in Deum direxit; Fuit quoque Virga Regni Dei, quia per ipsam DEVS Regnum suum, quod Diabolus vsurpauerat, acquisiuit. Ipsa autem Virga quamuis fuerit recta, quoad DEVM, per rectam intentionem, fuit tamen, & est flexibilis, quoad nos per compassionem. Nam modò flectitur ad iustos, impetrando eis gratiã, modò flectitur ad morientes expellendo ab eis hostis fallaciam. Modò flectitur ad iam mortuos, animas eorum deducendo ad gloriam.* *Modò flectitur ad tribulatos suam eis exhibendo consolationem. Vnde per illam Virgam Ionathæ figurata fuit, in cuius summitate gustauit mel, & illuminati sunt oculi eius.* 1. Reg. 14. *Hæc est illa Virga habens in summitate sua stimulum, quo Dæmones tanquam boues vrgentur, & effugantur. Sicut enim Virgã vtimur ad defensionem, & percussionẽ, ita, & B. V. data est nobis à Deo, ad defensionem, & percussionẽ Dæmonum.* Hęc Bustius.

B.V. quomodo fit Virga directionis, & Regni Dei.

B. V. Virga flexibilis ad peccatores, & morietes.

B.V. Virga Ionathæ in cuius fastigio est mel.

82. Hæc est denique Virga illa, qua Dauid se olim consolatum fuisse gloriabatur Psal. 22. dum canebat: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Quibus verbis ostendit planè Sanctissimus Rex se, spes suas omnes, suumque omne solatium in Crucifixum Saluatorem, cui perinde atque infirmus ac debilis quispiam baculo inniti videbatur, & in Virginem hanc fortissimam totius quidem vitæ decursu, sed extrema illa formidabilique vitæ periodo collocasse.

83. Et vere iure merito in Virginem hanc fortissimam spes nostræ tunc vel maximè collocandæ sunt, quia non solum Virga est fortissima, & toti Inferno formidabilis, sed & stella est lucidissima, supra tempestuosissimum hoc mundi pelagus eleuata, vt nos ad portum salutis sui placidissimi luminis ductu perducat. Sic enim olim vaticinatus est Balaam de Virgine, in illa & Virgam, & stellam agnoscens: *Orietur stella ex Iacob, & consurget Virga ex Israel.* Effectus etiam admirabiles huius tam stellæ, quàm Virgæ subtexit admirabiles, percussionem videlicet, & vastationem Inferni Draconis antiqui Ducumque eius superbissimorum, nempè apostatantium Spirituum, qui per Duces Moab, & filios Seth intelliguntur. Quare benè obseruauit S. Bernardinus Sen. Tom. 1. ser. 52. art. 3. cap. 1. merito in fine Salutationis Angélicæ S. Mariam inuocari, vt oret pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. *Cum enim,* inquit ille, *Maria interpretetur Maris stella, & nocte transeuntibus nobis, per hoc mare magnum, & spaciosum, opus sit, cælesti luce, notanda nobis est hæc stella, quæ cardini cæli IESV propinquissima est, vt non solùm eius corusco splendore possimus dirigere cursum nostrum cum salute, verum etiam*

B V. est Stella vt nos per mare huius sæculi ad portum cælestis patriæ deducat.

in quacunque necessitate possimus eam cum omni fiducia inuocare. Vnde Bern. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, ne deseras conuersationis exemplum, ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas.

84. Addit idem Pater Seraph. merito Virginem à fidelibus laudari, laudibus longè exquisitissimis, quo postulatis suis potiantur: Has autem laudes asserit esse: S. Maria Mater Dei:

Diuinæ Maternitatis excellentia.

Tanta nempe est laus hæc, inquit ille, *quam ei tribuimus cum dicimus; Mater Dei, vt nec personis creatis, ceu Angelis, & hominibus, nec in personis increatis, hæc incogitabilis dignitas reperiatur, scilicet, quod Filium Dei habeat, nisi in vna persona Diuina quæ est Patris, & vna persona humana, quæ est Matris. Maius insuper hoc donum est, quod sit Mater Dei, quam quod creaturarum Dei Domina sit, quia hoc dependet ab illo, sicut ramus à radice. Ideo enim Domina, & Regina totius vniuersi, creaturarumque omnium constituta est, quia ad Diuinæ Maternitatis dignitatem subuecta est. Propterea ei potius Mater Dei dicimus, quam Domina mundi, vel vniuersi. Vnde ob dignitatem hanc apud DEVM tam eminentem speramus nos in extremo illo vitæ discrimine apud dignissimam hanc Dei Matrem patrocinium, ac Asylum inuenturos. Quanto enim,* vt idem Sanctus loquitur, *Mediator inter peccatores, & DEVM ad intercedendum est promptior, & vehementior; ad impetrandum, dignior, reuerentior, ac gratiosior tanto cæteris paribus est vtilius eum habere pro Mediatore. Sed quænam Maternæ supplicationi potuit comparari? Adstat enim pro nobis supplex à dextris Filij vera Regina, quia summi Regis Mater per generosam conceptionem; quia summi Regis Filia, per gratiosam adoptionem, quia summi Regis sponsa, per gloriosam assumptionem. Adstat igitur talis Regina pro deuotè postulantibus ad intercedendum contra indignationem Iudicis, ad excusandum defectum nostræ infirmitatis; ad subueniendum acc plene pro nobis plenè influxum Diuinitatis, quam nobis infundit hic per gratiam, & in futuro per gloriam IESVS Christus eius Filius.* Hæc Bernardinus.

B.V. Mediatrix potentissima apud DEVM pro nobis.

85. Hanc stellam in tenebriosa illa mortis periodo, qua Draco Tartareus Tenebrionesque Infernales suas tenebras menti nostræ obfundere, vt lumen fidei in nobis extinguant, consueuerunt, optabat sibi illucescere S. Ephreem Syrus in orat. ad Deip. *Adesto,* inquiens, *mihi nunc, & semper, ô Virgo Dei Genitrix, Mater misericordiæ benigna, & clemens, in præsenti quidem vitæ cursu feruens protectrix, & auxiliatrix, hostiles quoscunque impetus, à me auertens, & in via salutis me constituens, ac in extremæ vitæ articulo miseram animam meam conseruans, & tenebrosos atque horrendas pessimorum Dæmonum aspectus ab ea procul repellens.*

S. Ephreem erga B. V. fiducia in morte.

In tremendo autem die iudicij, ab æterna me damnatione liberans, & postremo in numerum iustorum me referens, atque inaccessæ tui Filij Domini, & Dei gloriæ me hæredem efficias. Idem hoc in hora mortis Vir hic in Deiparam pientissimus implorauit auxilium in sermone de lamentat. B.V. *Eripe nos,* inquiens, *ô Virgo sancta, atque intemerata à quacunque necessitate ingruente, & à cunctis tentationibus Diaboli.*

Esto nostra conciliatrix, & Aduocata in hora mortis, atque iudicij, nosque à futuro inextinguibili igne, tenebrisque exterioribus libera, & Filij tui nos gloria dignare, ô Virgo Mater dulcissima, ac clementissima.

S. Bonau. erga B.V. in mortis articulo insignis fiducia.

86. In eandem hanc stellam Virgamque Virgineam spem suam collocarat S. Bonauentura dum Psal. 7. eius præsentiam sibi in morte ad propulsandos Dæmones, euadendumque Infernalis Draconis, Leonisque rictum, exoptabat: *Domina mea,* inquiens, *in te speraui, de inimicis meis libera me. Domina concludе ora Leonis Infernalis, & dentes eius confringe. Ne moreris propter Nomen sanctum tuum facere nobis misericordiam tuam.* Tum eandem stellam suam fulgidissimam esse agnoscens orat: *Splendor vultus tui fulgeat super nos, vt seruetur conscientia nostra apud Altissimum. Si persequatur inimicus animam meam, Domina adiutorio tuo confortetur, & vibrantem eius gladium auerte à me.* Et Psalm. 30. de ipsius inuicta confidens fortitudine, extremum illi suæ vitæ commendat habitum: *In te Domina speraui, non confundar in æternum, in gratia tua suscipe me. Tu es fortitudo mea, & refugium meum, consolatio, & protectio mea. Educas me de laqueo, quem absconderunt mihi, quoniam tu es adiutrix mea. In manus tuas Domina commendo spiritum meum, totam vitam meam, & diem vltimum meum.*

Richardus de S. Vict. præmium aliud pro labore sui libri in Cant. non petit, quà B. V. perfectionem in morte.

87. In eandem denique stellam, Virgamque Virgineam spes suas collocarat pientissimus Richar. de S. Victore, quando pro tot eius laudibus præclarissimis, quas interpretando Cantica passim illo opere celebrauerat, nullum

lum aliud præmium, quam ipsius amabilissimam in morte præsentiam postulauit, eam in hunc modum ad calcem operis salutando: *Aue Maria, Mater gratiæ, mundi Regina, Mater misericordiæ saluu nos à ruina. Fons vitæ, vena veniæ, venire tūc festina, cum morti propinquamus, vt tecum valeamus perpetuo gaudere*. Amen.

In hanc igitur stellam in formidoloso, illo mortis discrimine oculis mentis nostræ sunt defigendi si ipsius pietatem, maternamque prouidentiam experiri desideramus. Ad hoc sane faciendum numnisma quoddam vetus Pertinacis Imperatoris nos videtur commonere, in quo simulachrum manibus ad ingētem Stellam sublatis visebatur, hoc lemmate: Prouidentia Deorum.

Verè enim Mater pientissima in illa mortis tam tenebricosa hora luce sua ad deprehendendas Tartarei hostis fraudes, ac technas nos mirabiliter velut ingens quædam stella eos illuminat, nobisque de subsidijs ad tam periculosum transitum faciendum nobis prouidet.

88. Quam ob causam iure Mulieris huius inuictissimæ fortitudinem plusquam Herculeam, plusquam Giganteā, qua in omnibus quidem mortalium necessitatibus, maximè tamen in formidabili mortis momento nobis contra teterrimum humani generis hostem, Draconem illum magnum, eiusq; phalanges pro salute nostra depugnando assistit, maximo precio æstimauit Salomon cum pronunciauit: *Procul, & de vltimis finibus precium eius*. Seu vt legit Hebræus: *Ab vltimis angulis, & præ margaritis, siue vnionibus precium eius*. Septuaginta Interpp. *preciosior est lapidibus preciosis, quæ talis est*. Chaldæus: *Preciosior est lapidibus optimis*. Alij: *Preciosior est rubinis, seu Carbunculis*. Vatablus: *Feminam virtute præditam, quisquis nactus fuerit, mercem habet, gemmis procul petitis preciosiorem*.

B.V. omnibus gemmis rebusque preciosissimis de longè petitis preciosior.

Syrus denique: *Preciosior est lapillis preciosissimis, quibus nullum par precium est*.

Quibus sanè verbis indicare voluit, precium Heroinæ huiuscè fortissimæ esse inæstimabile, velut rei rarissimæ, atque charissimæ, quæ in rerum natura, vel mundo, hoc minimè reperiuntur, sed à longè petuntur è nouo mundo, quales sunt margaritæ atque vniones, rubini, atque carbunculi, adamantes, ac pyropi, aliæque gemmæ de longè aduectæ, precij, valorisque propemodum infiniti, nullâque argenti, nullâ auri vi comparabiles.

89. Et verò iure merito Virgo adeo preciosa, adeo diues, ac opulenta, à Salomone æstimata est. Nā si, Crasso Romanorum opulentissimo teste, nemo diues erat censendus, qui integrū exercitum suis sumptibus alere, ac sustentare nequiret, opulentissimam sanè, preciosissimamque Deiparam nostram fuisse oportuit, quæ ipsa exercitus quidam fortissimus, inexpugnabilis, atque terribilis, aciesque ordinata, aduersus Infernales cuneos extitit.

Ille diues cēsendus, qui exercitum potest alere.

Quod si duo duntaxat vniones Cleopatræ Reginæ Aegypti, vt refert Plinius lib. 9. cap. 35. per manus Regum orientis illi traditi, quos illa in conuiuio, quod apparauerat Antonio, ad magnificentiam suam ostendendam, protulit, æstimati sunt sexcenties sestercium, hoc est duodecies centies millibus Philippicorum, secundum computationem P. nostri Cornelij à Lapide: quam preciosa Virgo nostra fortissima cælestis plane Margarita credenda est, quæ omnibus Orientis, atque Occidentis vnionibus, ac lapillis preciosissimis longè preciosior est, vtpotè quæ Christum, ingentis precij Vnionem, vt loquitur Damascenus, peperit? Quare neminem omnino pigeat pro hac tam preciosa Margarita indipiscenda omnes opes, ac thesauros expendere. Ipsa enim est Thesaurus ille preciosissimus in agro abscōditus, pro quo coemendo expedit omnino vendere omnia, eamque sibi, vt olim vxorem moris fuit, sibi precio iusto emere, comparare. *Inuenta enim Maria*, ait Sapiens Idiota, *inuenitur omne bonum*. In illa enim velut quodam compendio, omnis omnino ratio boni, honesti, vtilis, delectabilis inuenitur, vti parte prim â fusè ostensum est.

B.V. ditiss. ma est, quia ipsa per se exercitum Inferis terribilem constituit.

Vniones Cleopatræ Antonio exhibiti quanti precii fuerint?

M. ingenti precij margarita.

90. Quod si id dicamus de Virgine hac fortissima, quod S. Augustinus dixit de ipsa Ecclesia, eam nimirum ipsis fidelibus, ceu preciosissimis lapidibus esse exornatam atque contectam, inæstimabile profectò precium Virginis huius nostræ depræhendemus, vtpotè, quæ tam innumerabiles clientulos, ac filios verè preciosissimos, gemmis omnibus, ac vnionibus preciosiores, quos ipsius dilectissimus Filius, non corruptilibus, auro, vel argento, sed preciosissimo sanguine profuso, sibi comparauit, suo quasi sinu complectitur.

B.V. suis cliētulis velut gemmis exornatur.

Qua-

Quare iure merito cætus omnes Parthenicos quædam dixerimus aurea esse huius fortissimæ Heroinæ ac Reginæ cælorum paludamenta, quæ tot gemmis, rubinis, carbunculis, ac pyropis exornantur, quot adolescentulis luce, ardoreque pietatis conspicuis inter se mutuæ charitatis vinculis sibi inuicem vnitis coalescunt. Optat quispiam lucem hanc, ardoremque pietatis semper, ad finem vsque vitæ in suo vigore, splédoreque conseruare huic paludamento, ac clientulæ Virginis fixus inhæreat certò sibi persuadens, quod si inde exciderit omne precium illico, splendoremque sit amissurus. Vnde præclarè idem pronunciauit Augustinus:

B. V. lapidibus preciosis qui sunt in eius paludamento ipsa precium est.

Discite lapides æstimare negotiatores Regni cælorum. nullus lapis nobis placeat, qui sit extra huius mulieris ornamentum. Hæc quæ preciosior est lapidibus preciosis, ornamenti sui, ipsa precium est. Mariæ igitur quisque fidus eius cliens semper adhæreat si gemma preciosa, si fulgida esse cupit. Sit instar Aetitis lapidis illius preciosi, in huius Regalis Aquilæ sinu, ceu nido, vt serpentes Tartarei ad illum accedere perhorrescant. Atque ita tandem Maria, quæ lapidibus preciosis preciosior est, ipsa sui ornamenti, suarum gemmarũ, ac clientulorum precium erit, & virtutem quodammodo, fortitudinemque suam plusquam Herculeam aduersus virulentos Orci serpentes illis communicabit, vt Aetites quidam in nido, sinuque huius cęlestis Aquilæ magnarum alarum esse videantur.

B. V. sua intercessione peccatores ceu Augiæ immundissima stabula purgat.

91. Satis superque de Virginea fortitudine, qua velut alter Hercules Inferni Monstra, ipsumque Draconem magnum eorum caput, & per se, & per suos clientes sanctissima Deipara superauit, dictum est. Iam quid de reliquis Herculis laboribus, quid de Augiæ expurgatis vnico die stabulis, quibus tria millia boum concludebantur, dicemus? Laborem hunc Herculis spiritualiter in hodiernum vsque diem, si ita loqui fas, æmulari, absque vllo labore videtur Heroina nostra, dum sola apud Filium intercessione, imò nutu, impurissima fœtidissimorum peccatorum, qui velut iumenta computruerant in stercore suo, corda, ceu Augiæ stabula emũdat, & in Templa Diuinæ Maiestati, ad inhabitandum idonea consecrat, virtutũque omnium ornumentis condecorat. Quod Seraphicus Virginis animaduertens Psalmista, supplex deprecabatur. Psal. 81. *Terge fœditatem meam Domina, quę semper rutilas puritate*. Vnde sapienter suadet Goffridus Vindocinensis Cardinalis serm. 3. de Natiu. vt Christum, & beatissimam eius Matrem humiliter, atque suppliciter imploremus, vt sua dulcissimâ pietate, & suæ dulcissimæ Matris intercessione, *animas, & corpora nostra, à peccatis omnibus purget, virtutibus illustret*. Quanta porrò, quamque efficax, quam ad implorandum facilis sit, præ omnibus Sanctis gloriosissimæ Virginis nostræ intercessio ostendit, ser. 8.

B. V. præ omnibus sanctis impetrat quidquid desiderat, quia Mater Dei est.

Cæteri sancti, inquiens, *Dominum DEVM orant, & orando impetrant, sed honorabilis V. Maria, si illum ex eo, quod DEVS, & Dominus est exorare merito creditur, eo tamen quod homo est, & natus ex ea, quasi quodam Matris imperio apud ipsum impetrare quicquid voluerit, pia fide non dubitabitur. Nam si quilibet sanctus apud iustum Iudicem obtinet quicquid sibi iure debetur, hæc quæ est Mater Iudicis, & omnium Sanctorum Domina, iure Matris nunquam fraudabitur. Hoc est enim Materni iuris apud Filios dignitate sublimes, vt si Matres eorum eos sæpius rogent, quia Domini sunt, eis etiam aliquando imperent, quia Filij sunt. Bonum, vtique naturæ, quod DEVS hominibus dedit, nunquam sibi, qui est summum bonum, & à quo bona cuncta procedunt, negabit*. Hæc Card.

B V. mundis mundum facile emendat homines à peccatorum sordibus.

92. Agnouit S. Anselmus in Contempl. de B. V. hanc corda immunda emundandi facilitatem in Deipara, cũ eam affectu ardentissimo rogabat: *Regina Angelorum, Domina mundi, Mater eius, qui mundat mundum, confiteor, quia cor meum nimis est immundum, vt merito erubescat in tam mundam intendere, nec dignè possit tam mundam intueri. Te igitur Mater illuminationis cordis mei, te auctrix salutis mẽtis meę, te obsecrant quantũ possunt cuncta præcordia mea, exaudi Domina, adesto propitia, adiuua potentissima, vt mundentur sordes mentis meæ, vt illuminentur tenebræ meæ, vt accendatur tepor meus, vt expergiscatur torpor meus, quatenus sicut tua beata sanctitas super omnia, post summum omnium Filium tuum est exaltata, sic super omnia, post Dominũ, & Deũ meum Filium tuũ, te cor meũ intelligat, & veneretur, amet, & deprecetur.* Hæc Ansel. Ex quibus facile intelligas, quantum in virtute, & oratione Deiparæ spem posuerit, certò sibi persuadens suum cor animamque à peccatorum sordibus ab illa emũdandam, pristinoque nitori gratiæ restituendam.

93. Hanc

93. Hanc peccatores à scelerum fœtidissimorum sordibus expurgandi facilitatem ostendit Deipara varijs, ijsque luculentissimis exemplis, vt in celeberrimo illo Theophilo, & nostra tempestate in altero homine ei non dissimili, de quo Horat. Tursellinus in Hist. Laur. lib. 3. cap. 33. qui sanè Augiæ, imo Dæmonum, ac Venerearum Spurciarum stabulum dici poterat, adeo in omnium penè flagitiorum fœtibus ad verticem vsque capitis demersus videbatur. Hic igitur cum proiectæ planè cupiditatis esset, ac libidinis, compluribusque mulieribus, quas nefario amore concupierat, fuisset potitus, insano tandem cuiusdam mulierculæ illaqueatus est amore eaque cùm nec prece ac precio, nec vi, doloue ad se allicere non posset, ad Dæmonis opem implorandam, per summum nefas, se conuertit. rogitat igitur vt se voti compotem faciat, ad omnia se eius imperata fore promptissimum. Comparet Dæmon, iubet illico, vt à Christo desciscat, seque totum illi tradat, conceptisque ab ipso verbis, & chirographo suam sibi fidem abstringat. Promptè infelix ille exsecutus est hæc omnia. Verum homo miserabilis vbi potitus est, quod tam insanè concupierat, cælesti luce obortâ redit ad se, & magnitudinem sui sceleris serâ æstimatione perpendit; pœnitentia igitur tanti peccati ductus aduen iæ spem erectus, DEVM, Deique Matrem implorare cæpit.

Conuertitur magnus peccator ad Aedem Lauretanam precibus B. Virginis.

Inter hæc occurrit Virgo Lauretana, eiusque Aedis sacerdotes amplissimâ absoluendi facultate præditi: protinus ergo Lauretum venit, Sacerdotem, re omni expositâ consulit, ecqua sibi spes sit reliqua salutis? Ille immanitate facinoris demonstratâ, ita spem ei salutis ostendit, si precibus, ieiunijs, & voluntaria corporis castigatione DEVM placare penitus insistitat, quod si imperata faceret, se eius confessionem auditurum, & à tanto piaculo absoluturum; interim monet, vt per triduum, media cilicio flagris corpus afflictet, Deiparæ opem apud DEVM imploret, se quoque eodem triduo pro eo sacrificium salutare oblaturum. Ita triduo exacto, Sacerdos ante absolutionem monet, vt in sacratissimo Sacello, in quo Verbum caro factum est, precibus, lacrymisque Deiparam obnixè roget, vt chirographum, à Diabolo extortum recipiat, quod cum ille, postrato humi corpore facit, &; *Monstrate esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus;* deuotè recitat; ingenti miraculo, voti compos efficitur. Subito enim chirographum à Diabolo extortum in manus delapsum conspicit. Quare ex inopinato gaudio, integrato fletu, grates Virgini agit enixius, sacerdoti receptum scriptum ostendit, quod tot tantisque in Christum, atque in ipsum, qui scripserat diris, & execrationibus erat refertum, vt facile appareret à sempiterno humani generis hoste dictatum. Ita ille ex Dæmonis seruitute, ac profundissimo tam enormium scelerum emersit ope Virginis, ostenditque reuera ipsam, plusquam Herculeo robore, cor animumque suum tot fœtidissimorum criminum inquinatum repletumque fimo ac cæno, velut Augiæ fœtidissimum stabulum per purgasse.

Extorquat B. V. è Diaboli vnguibus Syngrapham qua se quidē illi obstrinxerat.

94. Hoc agnoscens Sanctus Anselmus libr. de Excellen. B.V. cap. 12. cupiens à peccatorum sordibus expurgari animitus eam precabatur: *Vt ergo Filium tuum totius mundi Saluatorem, & te eius reconciliatricem esse veraciter, sentiamus, eo nos propensiori studio iuua precamur, & foue, quo in fæcibus mundi natos, & alitos potiori leuamine prospicis indigere. Ab initio denique renouationis humanæ omnibus sub tuum præsidium confugientibus hucusque succurristi, & idcirco præ omni creaturâ, omni laude dignissimus dici, & esse meruisti. Eia succurre rogamus, vt laus, quam per tot sæcula dignè possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa, quâ mundo perdito subuenisti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura ne pereamus.*

95. Et licet Virgo hæc sanctissima omnes Christi fideles à criminum sordibus, dum in huius mundi versantur exilio, mirâ celeritate expurgare cōsueuerit, expurgat tamē expurgabitq; suæ gentis homines, ingentibus coinquinatos, repletosq; peccatorum fœcibus ad mundi finem, luctuosissimis illis scelestissimi Antichristi temporibus, quibus, vt eos ad pœnitentiam agendam permoueat, post prædicationem sanctissimorum Prophetarum Enoch, & Eliæ, post eorum crudelissimam necem, atque resurrectionem, ostendet se illis in cælo in specie Arcæ fœderis Domini, ac propitiatorij, quo ea visa ad detestationem, expiationemque suorum facino-

B.V. Antichristi tēporibus iuuabit Hebreos vt conuertātur.

norum commoueantur. Qua de re dilectus Domini Discipulus Apoc. 11. vaticinatus est: *Aspectum est Templum Dei in cælo, & visa est Arca testamenti eius in Templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus ad tremefaciendos nimirum sancto timore incredulos Hebræos, vt detestando peccata ad DEVM, Christique fidem conuertantur*. Licet enim Arca illa repræsentarit Humanitatem Christi, eadem tamen significauit, & ipsam Dei Matrem.

B.V. est Arca visa à S. Ioãne Euangel. in cælo.

Audiendus hic S. Hildephonsus serm. 1. de Assumpt. *Quæ profecto Arca non illa Moysis fabricata, sed B.V. Maria est, quæ hinc iam transposita erat, quam B. Ioannes Euangelista testis veritatis, cui commissa est, forte recognoscens venerabiliter affatur, quia in cælo visa est, monstratur species in genere, sicut, & genus per speciem declaratur, quoniam B. M. in templo Dei visa est, scilicet in Ecclesia Dei; Ecclesia verè in eius Virginitatis fructu penitus Domino dedicatur, ac per hoc Arca testamenti Dei, ipsa videlicet Dei Genitrix in templo eius non immerito visa est, quia Ecclesia, & ipsa Virgo est. Vnde Apostolus: Despondi vos vni viro Virginem castam exhibere Christo.* Hæc Hildephonsus.

96. Eandem illam Arcam visam ab Apostolo in Templo Dei significasse Deiparam colligere possumus ex S. Ambr. serm. 81. vbi Arcæ illius veteris testamenti ornamenta transfert vniuersim ad Dei Matris decora. *Arca*, inquiens, *intrinsecus portabat testamenti tabulas: Maria autem ipsum testamenti gestabat hæredem. Illa intra se legem, hæc Euangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc Verbum. Arca intus, forisque auri nitore radiabat, B.M. intus forisque Virginitatis splẽdore refulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cælesti.* Quare iure merito Ecclesia sancta Deiparam rogat: *Fœderis Arca ora pro nobis*, velut eam, quæ non solum pro tota Christianitate, verum pro sua gente maximè in fine mundi sit DEVM pro infinita sua charitate deprecatura, vt expurgatis cordium eorum fœculentissimis stabulis, eos luce suæ fidei irradiare, ad æternamque tandem beatitatem deducere non dedignetur.

97. Hoc nimirum est quod illa totius etiam vitæ decursu tam anxijs desiderijs anhelabat; hæc gentis suæ scelerum abominandæ fæces, ac sordes, illa tam enormis cæcitas, cordisque infidelis crassities assiduo dolore mentem, animumque discrutiabat atque lancinabat Virginis. De hac eius insigni in populum Iudaicum charitate præclarè sanè discurrit S. Amadeus Hom. 5. de laud. B.V. *Quis explicet*, inquiens, *quo dolore arctabatur B. Virgo, quibusuè premebatur angustijs, cum Propheticis oculis cerneret stirpis suæ magna quadam ex parte condemnationem, gentis attritionem, casum populi, ruinam patriæ, & ipsius olim Ciuitatis Sanctæ Hierusalem euersionem? Certè si Prophetæ præscij futurorum prædixerunt excidium Iudæorum, & interitum suorum, fletu multo prosecuti sunt. Si ipse Dominus mouit lacrymas super Hierusalem, & Apostoli multo tempore fleuerunt perfidium patriæ. Si Paulus plenus pietate optauit anathema esse à Christo pro fratribus, qui erant secundum carnem, vt eos ad salutem prouocaret, atque æmulationem: quanto magis Mater pietatis cuncta faceret, omnia libens sustineret, quibuslibet se pœnis, ac mortibus obijceret, vt imminentem interitum, & cladem à gente sua submoueret?* Sic ille.

B.V. in populum Hebræũ insignis Charitas.

98. Hanc igitur ob causam crediderim potissimum sese viua hæc atque animata Arca in crudelissima illa Antichristi persecutione in cæli Templo ostendet, vt ad tolerandas tribulationes tam acerbas animentur Israelitæ, quo eius lumine clarissimo irradiati, suorum scelerum abominandas sordes agnoscentes easdem expurgent, & Arcę illius quæ intus, forisque auro purissimo, Cherubicâque atque Angelicâ puritate resplendebat, nitorem mentis, corporisque munditiâ imitentur.

99. De hoc eodem Deiparæ in populum suum, inque omne genus hominum à peccatorum sordibus expurgandis studio, effusissimaque charitate Richardus de S. Victore in Cant. cap. 26. insigniter disseruit, eiusque plusquam Herculeam fortitudinem hoc in genere deprædicauit: *Talis*, inquiẽs, *fuit in virtutibus, tantaque fuit eius charitas vt nõ solum ad eius gentem, Iudæos scilicet, extenderetur, sed ad ignotos, & notos, ad omnes denique homines dilatata fuerit, pro his indesinenter orauit, pro his solicita fuit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele: Inuenisti gratiam apud DEVM, scilicet, quem quærebas. Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit, imo & salus omnium per ipsam facta est, vnde, & mundi salus dicta est.* Sic ille, & verè. Nam cum mundus vniuersus, scelerum squallore ac immunditiâ, velut quoddam stabulum Augię, esset refertus, dum ipsa Saluatorem peccata mundi tollentem, atque expurgantem in lucem edidit,

B.V. pro populo Hebręo indesinentur orauit.

M. salutem omnium desiderauit.

dit, ipsa quoque peccata tollere, ipsa scelerum fœces expurgare visa est, ac proinde mundi salus dicta est.

100. Quare Rutilius Benzonius Episc. Laur. in Psal. 86. cap. 37. auxiliũ B. Virginis non modo ad Iudæos, verumetiam ad alios Ethnicos, ac Infideles se extendere, eisque bona tam spiritualia, quam temporalia impertiri, precibusque suis efficere, vt ad fidem conuersi, velut Augiæ stabula, à vitiorum sordibus expurgentur, asseuerauit, quod nobis, nouus orbis, Iaponum, Sinarum, Indorum, reliquarumque barbararum gentium perspicuè declarat, quæ cum essent cubilia serpentium, Draconum, aliarumque immanium ferarum stabula, in Templa Dei viuentis, ope Virginis potissimùm transformata sunt.

Rachel Virgo Iudæa à B V. ad fidẽ conuertitur.

101. Atque, vt hic Gentiles missos faciam, quantum Virgo gentem suam ab infidelitatis sordibus expurgare cupiat. Testatur puella illa Hebræa Rachel, de qua Cantipratensis lib. 2. Apum cap. 29. part. 14. Hæc cùm erga Nomen Mariæ mirificè afficeretur, & pauperibus amore eius nominis stipem postulantibus libentissimè eleemosynam largiretur, à Deipara mirificè illuminari adhuc septennis meruit. Cum enim parentes eam à Christi fide recipienda vellent auertere, per quietem Deipara in veste candida virgam splendidam ipsi porrigens ei se visendam exhibuit, & ad baptismum adhortata est, indito ipsi Catharinæ nomine: *Surge*, inquiens, *Catharina, & iter arripe, grandis enim tibi restat via*. Vbi euigilauit Rachel ad Presbyterum, qui eam catechizauerat, accessit, quam ille ad Monasterium Monialium Cistercienſium introduxit, in quo illa acceptâ in Matrem Virgine Deiparâ, mirè in Spiritu, & sapientia cælesti profecit, & ad Dei Matrem in omnibus suis necessitatibus confidentissimè semper accessit. Vnde cum reliquas Moniales parentes, ac cognati de more inuiserent, ipsa ad Dei Genitricis imaginem mox accurrebat: *Ego*, inquiens, *paupercula pupilla, & indigna ad te Dominam meam, & cognatam accedo, tu sola præ omnibus esto mihi refugium, & solatiũ*. En animam Rachelis ex Augiæ stabulo, in Hortũ deliciarũ cęlestis sponsi, Virginis sacratissimæ beneficio, trãsformatam.

B. V. est velut quidam Atlas orbem sustentans ne corruat.

102. Neque verò Virgini nostræ fortissimæ charitateque proximorum plenissimæ, Herculea illa fortitudo, qua cælum, orbemque humeris velut alter Atlas fulciuisse memoratur, videtur defuisse. Verè enim illa dum in hoc mundo vixit, & modo in cælis regnans, Atlantem Filium æmulata, humeris quasi suis vniuersum sustentat orbem, ne corruat, ne vel in nihilum relabatur, vel in Abyssum Inferni præcipitetur, dum suis validissimis precibus, atque intercessionibus iustissimam, iram, ac vindictã sempiterni Numinis, tot tamque innumeris mortalium sceleribus offensi, amolitur. Vnde totius vniuersi Columna iure meritissimo appellanda est.

B. V. Columna orbem sustentans.

Quare Bernardinus Bustius Par. 2. Marial. ser. 3. postquam Deiparam Virgam illam Aaronis frondentem, florentem, fructusque germinantem pronunciasset, hæc attexit. *Quamuis autem Virga hæc fuerit multum gracilis, tamen fructum portauit, qui totum genus humanum satiauit, imò qui totum mundum suo robore sustentauit. In passione enim Christi fractæ fuerunt columnæ mundi, & ista Virgo totum sustentauit mundum*. Sic ille.

B. V. Colũna Baoz in Tẽplo Ecclesiæ collocata.

103. Dicere sanè possumus gloriosissimam Virginem hanc, Heroinamque fortissimam esse, vnam ex his columnis quas Salomon, elegantissimo opere perfectas, ante sui Templi illius magnificentissimi porticum collocauit, quarum vna vocabatur Baoz, hoc est, in eo fortitudo, vt interpretatur Baradius: altera Iachim, idest, Dominus firmabit, stabiliet. Dixerim ego Columnam Iachim à dextris constitutam esse Christum Saluatorem, qui velut solidissima columna, quemadmodum Regnum Ecclesiæ firmauit, ac stabiliuit, ita & orbem vniuersum sustentat, ne in perditionem prolabatur. Quod sanè præstat efficacissimè dũ æterno Patri ostendit sui sacratissimi corporis, lãcea perfossum latus, clauis terebratas manus, perforatos pedes, ex quibus quinque vulneribus, velut copiosissimis fontibus riui sanguinis in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, in nostrę, totiusque mundi salutis abundantissimum precium profluxerunt.

Christus est Columna Iachim in Tẽplo Salomonis collocata.

104. Alteram Columnam Boaz iure vocamus Virginem, siquidem, vti hactenus ostendimus, in ea reuera Heroica, & longè excellentior, quam Herculea fortitudo, ac planè quodammodo Diuina, à Filio participata reperitur, qua illa inuicto planè robore non modo Infernis, atque apostatantibus

Sss spi-

spiritibus semper eorúque capiti Draconi illi magno resistit, verùmetiam ipsi irato Deo quodammodo tot mortalium sceleribus ad iustissimam indignationem lacessito, sese opponit, ne mundum pessundet vniuersum. Idque facit dexteritate planè admirabili, violentiâque quadam suauissimâ, dum suum nimirum Virginem pectus, dum sua purissima ostendit vbera, quibus Vnigenitum eius lactauit Filium, præclarissima sanè pietatis, ac misericordiæ monimenta. Atque ita siue pietate, siue humilitate hac sua radicare ac stabilire videtur orbem, ne suorum enormium scelerum merito in perditionem sempiternam prolabatur. Quod sanè intellexisse visus est Honorius Augustodunensis in sigillo B. V. cùm dixit: *Maria non didicit à Filio cælos creare, sed humilitate, & mansuetudine radicare. Audiuit enim: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.*

B. V. Colūna est sua humilitate, & mansuetud ne mundum sustentat.

105. Quod si dicamus cum Ruperto Abbate in 3. libr. Reg. duas illas Salomonis Calumnas Misericordiam, & Iustitiam Diuinam designare, merito Deiparam columnam misericordiæ appellabimus, siquidem reseruato sibi iustitiæ Regno, Regnum misericordiæ illi vniuersorum Dominus assignauit, vt Ioan. Gerson attestatur Tr. 4. in Magn. quo sanè, vnico velut fulcro ac Columnâ, Virgo nostra fortissima Mundum suffulcit, nè diuinæ Iustitiæ seueritate pessundetur.

B. V. Colūna misericordiæ orbem fulciens orbem, ne corruat in perditionē.

106. Vt porrò videamus clarius, rectè à nobis Virginem hanc inuictissimam orbis labantis Columnam firmissimam prædicari, videndum qualis hæc fuerit. Colligitur ex 3. Reg. cap. 7. & 2. Paral. 3. & 4. secundum obseruationem P. Vegas in cap. 3. Apoc. comm. 2. sect. 6. Columnam hanc, vt & alteram fuisse ex ære fusilem, à basi vsque ad capitellum altitudinis 35. cubitorum, ambitus verò cubitorum 12. striata erat, idest, serijs, seu canalibus quibusdam, & quasi sulcis excauata atque distincta.

Quales fuerint duæ illæ Columnæ in Templo Salomonis.

Tota denique vt obseruauit Salianus noster, ex Eupolemo laminis aureis digiti crassitudine erat contecta; Aurum hoc ad pondus 2879. talentorum, libras decem, vncias vndecim ascendit;

Columnæ Templi Salomonis fuerunt auro tectæ ad crassitiem digiti.

Atque adeo in vtraque columna auro tegenda expensa fuisse auri talenta quinque millia, 758. libras, vnam supra 20. vncias decem: vel 95. milliones, 953. millia. 124. nummos aureos monetæ Romanæ, vt idem obseruauit Salianus. Pondus æris porro ipsarum columnarum quamuis cauæ forent prope immēsum fuit. Villalpandus enim multo artificio inuenit, ciuitate subducta, pependisse singulas 4518. talenta, & libras 37. & vncias 4. Capitelli porro columnæ huius opus, atque artificium tā admirabili varietate, & elegantiâ perfectum est, vt difficillimè cuiusmodi fuerit, cogitatione compræhendi possit.

Erat siquidem capitellum hoc fusile liliatum, altitudine 5. cubitorum, factumque ad modum retis, & catenarum, quę ex multiplicibus ipsius æris complicationibus, & voluminibus conficiebantur, ita vt in quolibet capitello essent septem versuum, seu complicationum reticula. Ad hæc in superiori parte capitelli erat vnus circulus aliquanto crassior ad instar coronæ, similiterquę alius in inferiori extremitate.

Eratque vterque circulus, quasi labium Capitelli, totum capitellum ad instar coronarum circumdans. Igitur in superiori circulo erant ducenta malogranata ænea pendentia, centum videlicet supra circulum, centumque alia infra circulum. Et quoniam hæc malogranata sibi inuicem respondebant, superiora nimirum inferioribus, fiebat, vt quælibet duo malogranata superius & inferius efficerent suum ordinem, atque adeo ducenta malogranata centum ordines, Coronamque pulcherrimam, tam supernè, quam infernè, ex malogranatis venustissimo ordine dispositis, ac duplicatis confectam.

Rursus in inferiori extremitate capitelli, erant alia ducenta malogranata, quæ simili ordine disposita, Coronam centum malogranatorum tam infernè, quam supernè dispositorum conficiebant. Denique ad omnis venustatis complementum quodlibet capitellum in florem lilij pulcherrimi desinebat.

107. Quæ omnia miras sanctissimæ nostræ Deiparæ perfectiones, virtutesque cælestes nobis repræsentant, quibus illa, velut quispiam Atlas, aut Hercules, validissimis omnipotentiæ suæ quodammodo humeris mundum, ne corruat, fulcit, atque sustentat.

Quare rectè, & potiori iure ea omnia dici possunt de Virgine, quæ de quolibet viro iusto pronunciauit Richardus de S. Victore in illam promissionem Saluatoris Apoc. 3. *Faciam illum columnam* *in*

Iustus homo est Columna Ecclesiam sustentans.

in Templo Dei mei, id est, efficiam vt instar columnæ sit in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem. Et præterea alios sustentet verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis. Sic ille. Primasius verò: *Columna*, inquit, *in fabricis, & munimini congruit, & decori. Sic & mundi victores in Ecclesia eminent munere dignitatis, & portant alios officio charitatis.* Quæ virtutum ornamenta, in quo quæso magis, quam in Virgine nostra enitescunt, quæ harum perfectionum, vt & quarumlibet aliarum absolutissimum est compendium? Verè ære fusilis Columna est Deipara, vtpotè, quæ operatione Spiritus Sancti, qui ignis charitatis est, fuerit quasi fusa, atque eloborata, ita vt nil humanam quodammodo in ipsius efformatione admirabili, interuenisse videatur. Vnde ipsa Sanctæ reuelauit Brigittæ libr. 6. Reuelat. cap. 55. parentes suos diuinæ charitatis operatione potius, quam carnis voluptate matrimonialiter conuenisse. Eamque ob causam Conceptionem suam floram auream vocitat, ac præciosam, *quia cũ alij coniuges*, ait ipsa Deipara, *ex voluptate carnali conueniant, mei Parentes ex obedientia, & præcepto Dei conuenerunt.*

B.V. concepta est ex Diuina charitate, qua moti eius parentes conuenerũt.

Libro verò primo Reuel. cap. 9. *Cùm esset*, inquit Virgo, *nunciatum ab Angelo parentibus meis, quod Virginem parerent, ex qua salus mundi procederet, magis voluissent mori, quam carnali amore conuenire.*

Tamen pro certo dico tibi, quod ex charitate Diuina, & ex verbo Angeli nunciantis conuenerũt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, quæ in eis mortua erat, sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per Diuinam charitatem caro mea compaginata est. Sic Deipara.

Quæ sanè indicant Virginem in fornace Diuini amoris quasi diuinitus, absque vllius carnalis voluptatis admixtione fusam, atque conflatam.

107. Columna hæc, vtpotè striata, canales plurimos diuinæ gratiæ in se continens nobis repræsentat, ad indicandum sanctissimam Dei Genitricem totam Canalem esse gratiarum cælestium. Per illam enim fons ille aquæ vitæ, qui apud DEEM extitit ab æterno, ad nos cùm omnibus suis donis copiosissimis deriuatus est. Vnde iure merito eam Mellifluus Bernardus Aquæ ductum vocitauit, deque hoc elogio pulcherrimum sermonem contexuit; in quo inter reliqua hæc notatu dignissima commemorat: *Descendit per huc aquæ ductum vena illa cęlestis, fons indeficiens, qui vniuersam irrigat superficiem Paradisi. Quis verò fons vitæ nisi Christus Dominus, non tamen fontis nobis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, alijs quidem plus, alijs minus?*

Columna striata quid denotet?

B.V. Aquæ ductus cælestium gratiarum.

Plenus equidem est Aquæ ductus, vt accipiat cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Aduertistis iam ni fallor, quem velim dicere aquæ ductum, qui plenitudinem fontis ipsius, de corde Patris accipiens, nobis edidit illum, sed si non prout est, prout capere poteramus. Vt porrò virtualem altitudinem huius siue aquæ ductus, siue columnæ mundum sustentantis, eiusque canalium intelligeremus, aptè subiũgit Bernardus: *An vero inueniri potuisse miramur, vnde talis ac tantus fieret Aquæ ductus, cuius nimirum summitas instar profectò scalæ illius, quam vidit Patriarcha Iacob cælos tangere, imò, & transcendere cælos, vt viuidissimum illum aquarum, quæ supra cælos sunt, posset attingere fontem.* Et vt intelligeremus Columnam hanc fortissimam non solum fulcrum solidissimum ad sustentandum suis precibus orbem iam labantem, sed aureum Canalem, atque Aquæ ductum esse, sapienter subtexit idem Sanctus: *Mirabatur, & Salomon, & velut, desperanti similis aiebat: Mulierem fortem quis inueniet. Nimirum ideo tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod necdum interce-deret is, de quo loquimur, tam desiderabilis aquæ ductus.* Vt denique perspiceremus, quânam ratione animata hæc Columna, & sustentet orbem, & tota Aquę ductus, & tota canalata, vt ita dicam, ac canalis aureus, ad gratiarum aquas ad nos deriuandas sit effecta, idem mellifluus Doctor subintulit sciscitando: *Sed quomodo noster hic Aquę ductus Fontem illum attigit tam sublimem? Quomodo putas, nisi vehementia desiderij feruore deuotionis, nisi puritate orationis? Oratio siquidem iusti penetrat cælos, & quis iustus, si non Maria iusta, de qua Sol iustitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illam inaccessam attigit Maiestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique, & quod quęrebat, inuenit, cui dictum est: Inuenisti gratiam apud DEVM. Quid? Plena est gratiâ, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorsus inuenire, quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono, petit super effluentiam ad salutem vniuersitatis.*

B.V. canalis aureus ad gratiarum aquas ad nos deriuandas.

109. Neque verò solum oratione co-

columna hæc animata sustentat orbem, & gratiarum fontes, per suos innumeros, eosque aureos canales ad nos deriuat Virgo, sed, & Virgineâ suâ puritate atque incorruptione, quâ proxima Deo effecta copiosè de illo perrenni fonte aquas haurit in gaudio, Saluatoris. Postquam enim dixisset eam visitatam ab Angelo, vt potè Angelicè viuentem, & Angelicæ vitæ sociam, ciuem sanctorum, & domesticam Dei, subdidit: *Videsnè quonam modo Aquæ ductus noster ascendit ad Fontem, nec solâ iam oratione cælos penetret, sed etiam incorruptione, quæ proximam Deo facit, sicut Sapiens ait?*

B.V. incorruptione sua Deo proxima.

Erat enim Virgo Sācta corpore, & Spiritu, cui specialiter esset dicere: Conuersatio nostra in cælis est. Sancta, inquam, corpore, & Spiritu, ne quid forsitan super hoc dubites Aquæ ductu. Sublimis equidem valdè, sed nihilominus integerrimus manet. Hortus conclusus, fons signatus, Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti. Hæc Bern. Ex quibus euadit manifestum, Deiparam nostram non modo nobis Columnam esse plenam aureis canalibus, per quos donorum cælestium aquæ ad nos defluunt, verum etiam Aquæ ductum, fontem vitæ in hunc modum ad eum irriganadum copiosè deriuantem.

110. Quod vt clarius perspiceremus Virgo ipsa se hoc nomine appellare apud Eccl. 24. non dedignatur: *Ego, inquiens, quasi Aquæ ductus exiui de Paradiso.* Quæ verba expendens Richar. à S. Laur. libr. 9. de laud. B. V.

B.V. Aquæ ductus ex. ēs de Paradiso.

A duplici, inquit, *Paradiso exiuit hic Aquæ ductus; a Patre scilicet, qui est Paradisus cælestis, exiuit per creationem, & recreationem, à quo nobis attulit Aquam viuam, Christum nimirum, DEVM, & hominem.*

Exiuit à Paradiso terrestri, hoc est, Ecclesia militante per corporalem mortem, directè in cælum velut quidam Aquæ ductus aquas miseriarum, & tribulationum totius generis humani illuc deducens, Filioque eas exponens, proque eis intercedens. Longissimus sanè est hic Aquæ ductus, excellentiâ meritorum;

Vehementiâ enim desiderij, feruore deuotionis, puritate orationis fontem attigit tam sublimem, cuius plenitudinem tamquam Aquæ ductus, de corde Patris excipiens nobis edidit illum, non prout est, sed prout capere poteramus. Verè longissimus, cuius summitas aquarum, quæ supra cælos sunt, fontem potuit attingere, vt hauriret super Angelos, quam hominibus aquam viuam refunderet. Integerrimus est hic Aquæ ductus, per inuiolatam fidem,

Mundissimus per Virginitatem, omnimodamque castitatem. Aureus est non plumbeus per Regiam nobilitatem, eximiamque charitatem. Per hunc Aquæ ductum venit Christus ad nos vtero Virginali exultatus, vt tantum mysterium Diabolo celaretur. Vnde dicitur ei Isa. 45. Verè tu es DEVS absconditus, & Saluator.

Ad hoc enim venit, vt nos mundaret, reficeret, & aqua Sapientiæ salutaris potaret, velut per occultum Aquæ ductum aqua, ad necessarios vsus ciuitatis, deducitur.

Hic est Aquæ ductus, de quo legitur Iudith. 7. quem Holofernes incidi præceperat, quia per illum influebat fons quidam in Ciuitatem Bethuliæ à parte Australi. Verè enim Maria Aquæ ductus est, per quem fluunt siue in Ecclesiam vniuersalem, siue animam dona gratiarum; quem Dæmon incidere conatur, cum eius auxilium nobis auferre nititur. Incidit autem non quidem quod ad ipsam Virginem, sed quod ad nos, quando ab eius seruitio nos retrahit.

B.V. Aquæ ductus per quem in Ecclesiam vniuersalem, & in animas aquæ gratiarum.

Et ad hoc ipse magis laborat, quia ipsa est Aquæ ductus Piscinæ superioris, de qua Isaias cap. 7. per quam ad nos aqua donorum illuminantium, quæ descendit à Patre luminum deriuatur. Ideò autē nobis hic Aquæ ductus datus est; quia ad omnes nostros vsus necessario nobis aquæ gratiarum defuerunt. Hactenus Rich.

111. Cum igitur Columna hæc Virginea non solùm fortitudine suâ sustentet orbem, né in æternum ruat interitum, verumetiam sit ad instar altissimi, ac multiplicis Aquæ ductus, suis canalibus, in quos striata, & efformata est, eosdem Aquæ ductus gratiarum cælestium nobis repræsentans, in summam profectò spem donorum cælestium amplissimarumque gratiarum, patrocinio Virginis consequendarum, mentes, animique nostri erigendi sunt, certoque in animos nostros inducendum, canalibus illis tam multis, copiosissimos suæ Bonitatis riuos Diuinam Maiestatem ad mortales, & olim, semper deriuasse, & modo deriuare, & in finem vsque mundi effusissimè deriuaturam. Quare non immerito idem pijssimus Richar. à S. Laur. lib. 11. *Canalem, Fistulamque multiplicem, per quam aquæ gratiarum transeunt*, appellare non dubitauit Deiparam. Vnde Filius inter reliqua Matri suæ sanctissimæ illud pulcherrimum attribuit elogium apud S. Brigittam l. 6. Reuel. c. 54. *Tu es quasi potus dulcis sitiēti, & fons irrigās arida, quia per te omnibus gratia fluit, ideo faciam quod rogat.*

Spes nostræ in B.V. defigendæ, siquidem Aquæ ductus gratiarum est.

B.V. Aqua dulcis sitienti animæ.

112. Iam quid illud auri ærisque immensum quodammodo tot millium talen-

talentorum pondus nobis repræsentat aliud, quam Virginem esse Columnam hanc Boaz, hoc est, in ea fortitudo, & simul Mulierem illum Salomonis fortissimam, cuius precium non vile, non obuium, sed procul, & delonginquo tanquam vnionum, margaritarum, lapillorumque preciosissimorum, quibus illa longè preciosissima est, fuerit petitum. Inferimus quoque, ex tot millibus, tam æris, quam auri talentis, in columnam hanc expensis, dotes planè eximias, atque singulares, tam animi, quam corporis, easque supernaturales, quibus eam, præ sanctis omnibus, manu liberalissimâ, atque effusissimâ vniuersorum Conditor locupletauit, quibus profectò Sanctissima Deipara benè sapienterque vsa, totidem talenta assiduo meritorum incremento, dum viueret, absque dubio super lucrata est, dignaque proinde, quæ super omnes seruos, qui Domini talentis bene vsi sunt constituatur, & singulari quadam ratione præ cæteris in gaudium Domini sui ingrediatur, tot cæli Diuitijs locupletata. Adeo vt eam cum S Epiphanio, *Ecclesiæ Ingentem Thesaurum, qui adeptus est infinitum precium* vocitare possimus.

B.V. Iugens Ecclesiæ thesaurus qui adeptus est ingens præcium.

113. Quemadmodum porro singillatim immensum illud tot millium talentorum æs inuictissimum Virginis nostræ robur, ac fortitudinem; ita aurum illud, quo columna hæc contegebatur, tot talentorum, ac milliorum, penè immensi precij, immensos Sapientiæ puritatisque Virginalis Thesauros nobis indicat. Vnde hanc ob causam S. Andreas Cretensis Episc. Orat. de Annunc. eam laudans: *Benedicta*, inquit, *tu in mulieribus, quæ Sapientiæ Thesaurum, in quo omnes alij Sapientiæ cognitionisque thesauri sunt reconditi in tuto Virginitatis tuæ ceu promptuario liberrimè cõplexa es*. Idem or. 2. de Dorm. Deip. eius singularem demiratus puritatem iure merito exclamauit: *O' quouis auro, & quâuis sensili, & immateriali naturâ purior*. Et quia puritas hæc nil aliud est quam Sanctitas iuxta definitionem Dionysij Areop. cap. 2. de Diuinis Nom. asserentis, *Sanctitas, & puritas ab omni scelere libera, &c.*

B.V. Sapiētię Thronum in se complexa.

B.V. quolibet auro purior.

Puritas est ipsa Sãctitas.

Sanctitatis hunc, siue puritatis, in auro illo Virgineo, Thesaurum suspiciens in verba illa admiratione plenissima erupit: *O' sancta, & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissimè Thesaure. Tu cæli, cęlorumq; naturam sanctitate vperasti*.

B.V. omnis Sanctitatis Sanctissimus Thesaurus.

114. Neque aurum illud quo conuestita cernebatur Columna Boaz solummodo sapientiam, puritatem, sanctitatemque Deiparę, verumetiam charitatem eximiam nobis repræsentat. Quemadmodum enim aurum inter metalla omnia primum locum, ita charitas inter virtutes, velut earum Regina, principatum obtinet. Quemadmodum aurum ductile est, & in omnes partes flexibile, sic quoque beneuolentissima Virginis charitas omnibus, in quibuslibet necessitatibus nobis condescendit: Flexibilitatem hanc Virgineam mirè exprimere visus est Bernardus ser. de Verb. Apoc. *Omnibus*, inquiens, *omnia facta est sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperiat, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, peccator veniam, iustus gratiam, &c.* Hanc ob causam à S. Bonauentura in Speculo cap. 3. Columnæ illi ignis, & nubis, quæ Israeliticum populum per desertum deducebat comparatur.

Aurum charitatem denotat.

B.V. Charitas aurum purissimum.

B.V. Charitas ad instar auri flexibilis.

B.V. est Columna ignis, & nubis, & quare?

Tam enim nubes, quam ignis auream quandam habent flexibilitatem, suntque faciles, vt alieno termino terminentur; qua terminandi facilitate, varij Virgineæ charitatis tam in DEVM, quam in proximum effectus demonstrantur. Quemadmodum enim ignis ille in Columna, & ardebat in se, & sursum iuxta indictam sibi à natura propensionem tendebat, caloremque suum æquè, ac lucem in Israelitas ductum eius sequentes, diffundebat: Ita ardentissima Virginis charitas, quæ in corde eius velut Diuini Spiritus exæstuanti clibano, & vehementissimo amore flagrabat in se, & ardentissimis desiderijs ad intellectualem illam Sphæram ignis, nempe DEVM, sese attolebat tanquam ad centrum; fulgoremque suum, suasque flammas proximis communicabat adeo, vt non esset, quemadmodum loquitur sapiens Idiota, qui se absconderet à calore eius.

115. Eadem hæc Columna ignis, quæ noctu luce sua dispellebat tenebras, calore fouebat Israelitas; in columnam nubis de die transformabatur, vt eosdem ab æstuantibus solis Spiculis protegeret. Quod mirificam sanè Deiparæ nostrę in mortales omnes demonstrat charitatem. Vbi enim ira succensum

sum Numen, vlcionisque mox vibrare spicula ob hominum scelera, ac flagitia conspicit, illico Virgo pijssima velut nubes lucida roscidaque sese suâ solitâ charitate inter cælum, & terram interponit, æstumque Diuinæ iustitiæ têperat, ne mundum tanta flagitiorum colluuie scatentem pessundet.

Atque ita verè non modo Columna nubis, ac ignis, verumetiam æris se esse ostendit, dum suo inuicto, ac plusquam Herculeo robore, mundum suis quodammodo quassatum, nutantemque criminum motibus sustentat, ne ira iustissima sempiterni Iudicis in perditionis Barathrum deturbetur.

116. Verùm nè hæc ex nostro sensu duntaxat deprompta esse videatur, audiamus Doctorem Seraphicum iam citatum. *Per Mariam multi in nocte huius sæculi illuminati sunt spiritualiter, sicut aliquando filij Israel per columnam ignis illuminati sunt corporaliter iuxta illud Psalm. Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis, quia tanquam nubes protegit ab æstu Diuinæ indignationis, & ab æstu Diabolicæ tentationis, sicut dicitur in Psalmo: Expandit nubem in protectionem eorum. Maria quoque est Columna ignis in nocte sæculi huius illuminans nos, imò illuminando mundum multis misericordiæ suæ beneficijs. Vnde Bernardus: Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo inuoluens, vmbra mortis ac densissimæ tenebræ reliquuntur?*

B.V. instar Columnæ nubis protegit nos ab æstu diuinæ indignationis, & Diabolicæ tentationis.

B.V. Columna ignis nos illuminando.

117. Audiamus S. Andream Cretensem Episc. qui orat. 2. de dormitat. Deiparæ, cùm eius velut infaustum mundo ex hac vita abitum deploraret, in hæc verba prorumpit: *O' columna mortua, & columna viuifica, non carnalem per lucem deducens Israelem, qui fugatur, sed spiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, diuinis eum illuminans facibus! O' nubes tota lucida, & Mons vmbrosus, non adumbrans ingratum populum Iudæorum, sed electum Dei populum, gentem sanctam, maternis suis tædis illustrans.* Audiamus S. Epiph. Tract. de laud. B.V. vbi eam sic salutat: Aue gratia plena, Nubes Columnæ similis, quæ DEVM habes, qui populum deduxit per desertum.

B.V. Columna viuifica.

O' B.V. Nubes es lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum! Nubes cælestis, quæ tonitruum Spiritus S. in teipsa reconditum deduxit in mūdum, & imbrem Spiritus S. in vniuersam terram ad producendum fidei fructū cum impetu demisisti. Sic ille.

118. Denique S. Bernardinus sen. Tom. 3. ser. 11. art. 1. cap. 3. post quam docuisset Virginem nostram gloriosissimam in Columna illa nubis, & ignis figuratam, quæ & protegebat, & directo itinere in terram promissionis deducebat Israelem, esse datam, hęc addit, vt nos ad Virginis ductum quam diligentissimè, ne in via salutis aberremus, consectandum, hortetur: *Et aliquando quidem*, inquiens, *præcedebat, aliquando sequebatur, aliquando superferebatur;* vt mysticè patrocinia multiplicia B. Virginis indicentur, erga populum electorum, omniumque Christianorum. Hinc P. Spinellus præclarè docuit B. Dei Genitricem nobis non solum esse aduersum iram Diuinam vmbraculum, ac protectionem, sed indicem, vbi nam castra figenda sint dum in hac vita militamus, ac peregrinamur. Siquidem columna illa, vt videre est Num. 9. locum castrorum ostendebat: *In loco vbi stetisset nubes ibi castra metabantur*, inquit sacer textus: *Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco, &c. Quæ omnia spiritualiter*, inquit ille, *Virgo operari solet in suis deuotis. Quando ergo ad loca, in quibus peccandi sunt occasiones, incitaris, sane ille non est locus tibi à Virgine ostensus, cùm ibi sit mysticè scorpio, dipsas, & serpens flatu adurens, de quibus. Deuter. 8. Virgo enim ea loca ad castra metādum nobis ostendit, quæ animæ quieti, ac profectui sunt opportuna, quocirca eius consilium attenta mente excipiendum, eius sequenda vox.*

B.V. ductus in hac vita sequendus ne à recto itinere aberremus.

119. Vocem hanc consiliumque secutus est Virginis B. Aloysius Gonzaga Marchionis Castilionensis Imperijque Principis Filius, qui cùm 15. ætatis ageret annum, Dei voluntatem circa vitæ suæ statum certius cognoscere, & scire, quonam in loco sua castra metari deberet, Deo militaturus desiderans, ad eam rem statuit die aliqua Virgini sacro, per eandem Virginem id à superno Numine, peculiari adhibita animi contentione quærere. Instabat tunc dies ille felicissimus, quo Deipara in cęlos gloriosè est assumpta; quare multis precibus adhibitis, magna cum præparatione ad Sanctissimam Eucharistiam,

B. Aloysius Gonzaga suasu B.V. in Societatem IESV est ingressus.

co

eo die percipiendam se comparauit, qua sumptâ se totum in preces dedit; enixè vniuersorum Dominum rogat, vt per suæ Genitricis intercessionem ipsi significare dignetur, quamnam vitæ rationem inire debeat, quo gratum suæ Maiestati obsequium præstet. Et ecce quasi clara ac manifesta vox ab eo auditur. *Ingredere in Societatem IESV.*
Quo facto ostendit sanè Virgo benignissima Columnam quandam lucentis nubis, & ignis se esse, tam idoneum, securumque locum ad tabernaculum figendum, ad militandum Deo demonstrando.

120. Eundem locum Virginea hæc Columna indicauit alteri Adolescenti planè Angelico Stanislao hosteæ. Hic enim cum Viennæ ægrotaret, eique sancti Angeli, præsente S. Barbara patrona sua singulari Sãctissimam Eucharistiam exhibuissent; non ita multo post adfuit ei quoque sacratissima Deipara, in eiusque lectulo puerum IESVM ad solatij spiritualis complementum collocat, pristinamque illi restituit sanitatem. Ad cumulum demum totius gaudij in digressu maternâ planè pietate monuit nominatim, vt in Societatem IESV ingrederetur.

S. Stanislaus Kotscha monente B.V. Societatem IESV ingreditur.

Ex his luculenter colligimus Virginem nostram non solum, fortissimam esse Columnam orbem sustentantem, verumetiam Columnam nubis, & ignis suâ luce nobis in hac nostra peregrinatione ac militia locum designantem, in quo magno Spiritus profectu, ac tranquillitate animi, spiritualia stipendia promereri, eique velut firmissimæ Columnæ totam nostram ædificij spiritualis molem, nunquam lapsuram, super imponere possimus.

121. Iam tandem ad huius solidissimæ Columnæ orbem fulcientis mysteriosum capitellum veniamus. Ornabatur illud duplici circulo, ceu Coronâ, vti diximus, quarum quælibet infernæ supernèque ducentis malogranatis in orbem, duplici ordine dispositis decorabatur. Quæ Coronæ, quid quæso aliud quam duplex idque amplissimum cæli terræque Regnum, quod Virgo tanquam ęterni Regis Mater amplissimâ potestate moderatur, nobis repræsentat? Quod illa sanè Regnum ac Dominium tunc potissimum indepta est, S. Bernardino Senensi teste, cum profundissima humilitate pronũciauit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi, &cet.* cum denique Spiritu S. obumbrãte Dei Mater effecta est. Quod luculenter Diuus confirmat Anselmus lib. de Eccell. Virgin. cap. 4. *Ipse*, inquiens, *Spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris, & Filij ipse per quem, & in quo amatur omne, quod benè amatur, ipse inquam corporaliter, vt benè dicam venit in eam, singularique gratia præ omnibus, quæ creata sunt siue in cælo, siue in terra requieuit, & Reginam, & Imperatricẽ cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, fecit sponsam suam.*

Duplex Corona in Columna Baoz indicat B.V. esse cæli terræque Reginam.

Regnum cæli, & terræ adepta est B.V. in Incarnatione Filij.

122. Audiamus D. Athanasium, qui huius Virgineis Regni, ac Domini tanquam radicem, Diuinam Maternitatem assignat ser. de sanctissima Deip. *Quandoquidem*, inquiens, *ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque Dominus est DEVS, ea propter & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè, & verè censetur.* Et eodem sermone rursus ipsam Virginem alloquens: *Decet te Matrem Regeneratricem Dominam, ac Heram cognominare, eo quod ex te prodijt Rex Dominus, ac DEVS noster.* Sic ille. Audiamus denique Rupertum Abbatem lib. 3. in Cant. non modo eidem Diuinæ Maternitati, verumetiam infidelium peripsam factæ conuersioni, Regnum hoc, Coronamque acceptam referentem: Expendens enim illam inuitationem Sponsi, Cant. 4. *Veni coronaberis de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum, &c.* sic loquitur: *Reges Regnorum, Reges Babyloniorum, & Persarum atque Madorum, Reges Græcorum, & Consules, siue Imperatores Romanorum, quid nisi Leones, & Pardi dicendi sunt, qui tot bellis, & cędibus orbem terrarum lacerarunt? De talium Leonum cubilibus, taliumque Pardorum montibus tu amica mea coronaberis. Quomodo? Videlicet credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium Salus, Corona tua erit. Ita coronaberis, vt in cælis Regina sis Sanctorum, & in terris Regina sis Regnorum. Vbicunque enim fuerit prędicatum illud de Dilecto: Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; prædicabitur, & de te, quod sis ò Dilecta Mater huius Coronati, ac proinde Regina cælorum, totum iure possidens Filij Regnum, atque hoc intuitu Reges atque Imperatores coronis tuis decoronabuntur, palatia Nomini tuo sacrabũt, honori tuo dedicabunt, vt desinant esse quod fuerunt montes pardorum, & cubilia Leonum.* Hæc Rupertus. Plura de hoc Dominio Regnoque vide apud Salazar in cap.

B.V. Regina cæli, & terræ eo quod supernum Regẽ peperit.

Conuersio Infideliũ est Corona B.V.

cap. 8. Prouerb. versicul. 15. 16.

123. Nec mysterio carere omnino censendum est binas hasce capitelli cuiuslibet Coronas singulas ducentis ex malogranatis quodammodo fuisse cõpositas. Cùm enim fructus hic pulcherrimus, & ipsius Ecclesiæ, & quarumcunque congregationum sub vnius capitis regimine cõstitutarum sit symbolum, clarè nobis indicatur tam Ecclesiam, ac congregationes in cælis triumphantes, quæ per superiorem coronam ducentis malogranatis constantem exprimitur, quam in terris militantes, quæ per inferiorem, totidem malis punicis compositam, designatur, in vertice esse gloriosissimæ totius Vniuersi Reginæ, omnibusque his fidelium ac præsertim Religiosorum, ipsiusque sodalium cætibus, ceu malogranatis, Coronâ ipsius protectionis coronatis circumdari ac coronari, ita vt omnibus dicere possit cum Apostolo: *Gaudium meum, & Corona mea vos estis.*

Malogranatum symbolum Ecclesiæ & aliarum Congregationum.

Vnde S. Hieronymus in caput 2. Agg. *Malum,* inquit, *granatum propter granorum nimiam multitudinem, & intertextis membranulis quandam geometricam compositionem, & diuersas quidem mansiunculas, sed tamen vno cortice comprehensas, semper in scripturis super Ecclesiæ persona sumitur.*

124. Quod verò malogranatum non modo Ecclesiæ, verumetiam quorumcunque piorum cætuum ac sodalitiorum, præsertim verò Religiosorum, sit symbolum, luculenter testatur Gilbertus Abbas serm. 35. in Cant. vbi explicans elogium illud sponsi Cant. 4. *Emissiones tuæ Paradisus malorum Punicorum; Malogranatum,* ait, *Cætus Religiosorum repræsentare. Nos,* inquiens, *malorum punicorum parabola respicit, qui regulares celebramus conuentus, qui sub vno continemur ordine, quasi grana sub cortice. Atque vtinam hæc grana imitemur similiter in cohærentia cordis vnanimes, sicut in conclusione quadam ordinis. Penè indiscretâ facie huius sibi Mali grana cohærent, numeri singularitate magis distant quam specie, discamus, & nos ab inuicem numero distare, non animo. Non rixantur inuicem, non contra corticem murmurant, non tentant illum perumpere, patienter se sinunt eius quasi aluo concludi, vt quodammodo dicere illud videantur: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.*

Malogranatũ est Symbolũ Religiosorũ Ordinum.

Malum Punicum charitatis Symbolum.

An non fratres in hoc ordine nostro, ac si in cortice Punico Passionis Christi per imitationem color rutilat? Denique velut quædam huius mali grana sunt, qui sibi natiuum ducunt sub disciplinæ corio contineri, qui non tam se premi sentiunt, quam protegi. Absit amor proprietatis, absit amor priuatæ pietatis, & huius te Mali granum exhibes. Discant alij nostro inuitati exemplo, quam bonum sit, & quam iucundum habitare in quodam Horto communionis, & sub munimine corticis. Charitas vniat, & cortex muniat. Quot videtis ordinata Collegia, tot intelligite velut quædam mala Punica. Denique credentium, vt legimus Act. 4. erat cor vnum, & anima vna. Ex illis quasi granis tantarum Congregationum ordinatè, vnanimiterque viuentium mala punica prodierunt. Illos primos credentium conuentus non adstringebat adhuc institutio ordinis, sed instinctus amoris. Non modo ducebant vtile, non modo bonum, sed etiam iucundum habitare fratres in vnum. Hæc Gilb.

125. Ex quibus profectò colligimus omnes Religiosorum cætus, vt & reliqua Virginis Sodalitia, & Mala esse punica, & emissiones partusque pulcherrimos eiusdem Virginis, quos illa velut Regina sub suæ protectionis, quasi Corona ac cortice hic benignissimè complectitur, & in cælesti curia ab eisdem vicissim, velut malogranatis coronatur.

126. Atque vt reliquos Religiosorum sacratissimos ordines, vt Cisterciensium, Carmelitarum, Seruitarum, aliorumque qui se peculiariter Diuæ Virginis obsequijs mancipar unt de quibus alibi, prætermittam, minima sanè hæc nostra Societas, Emissio partusque purissimus (absit verbis iactantia) est Deiparæ. Ipse enim Sanctus Patriarcha noster Ignatius, in cuius quodammodo lumbis tota Societas continebatur, totus quantus erat, Deiparæ opus extitit. Illam enim à prima sua ad DEVM conuersione in peculiarem sibi aduocatam elegit, ad quam in suis necessitatibus difficultatibus, ac tentationibus, tanquam ad Asylum, confugiebat. Vnde dicebat P. Iacobus Laynes II. Societatis Generalis à Domino delectam fuisse Virginem Sacratissimam, tanquam instrumentum ad iuuandum excolẽdumque Beatum Ignatium, quem sanè illa tanquam Artifex, Opifexque Sapientissima ita ad omnem pietatem, virtutemque efformauit, vt vir omnibus Religiosæ perfectionis numeris absolutus, exemplarque eximiæ Sanctitatis, quod tota Societas, & suspiceret, & imitaretur, euaserit.

Societas Iesu est velut Malum Punicũ à B. V. emissum.

B. V. electa à Deo tanquã instrumentũ ad excolendum S. Ignatium.

127. Quod

127. Quod sanè ab æterna illa sapientia attingente à fine vsque ad finem fortiter, ac disponente omnia suauiter ordinatam fuit sapientissimè. Quid enim magis congruum, quam vt is, qui Societatem IESV Filij huius Virginis dilectissimi conditurus erat, in eiusdem Matris daretur clientelam, ab eaque tanquam omnis veritatis, ac sapientiæ, ipsorumque Apostolorum Ecclesiæ fundamentorum Magistra, ad omnem sanctitatem, pietatemque erudiretur, quo solidissima tantæ, tamque excelsæ molis fundamenta manu quodammodo ipsius Virginis huius fortissimæ iacerentur, vt maiora in dies hæc Dei ædificatio, ad ipsius potissimum Sacratissimi Nominis propagandam laudem, ac gloriam instituta, caperet incrementa.

Ignatius ad vitam meliorem à B. V. conuertitur.

128. Longum foret, & à nostro instituto alienum singula Dei Matris in Ignatium collata beneficia enumerare. Illud commemorasse sufficiat, Ignatiū cum de mutando vitæ statu deliberaret noctu de strato, vt solebat, assurgens ad Iconem Deiparæ preces Deo obtulisse calentissimas, quibus proposuit se relictis mundi castris sub Christi Crucifixi vexillo in posterum militaturum. Quo tempore domus magno terræmotu contremuit, cubiculumque à fundamentis concussum. Quod ei fuit argumentum, vel orationes suas oblatas per Virginem supremo Numini exauditas esse, vel exterminatum eiusdem auxilio, fortitudineque Virginis Cacodæmonem, furoris sui relinquere voluisse vestigia. Aliâ nocte clariora suæ beneuolentiæ in Ignatium Virgo sanctissima ostendit argumenta. Siquidem ei sese clarâ luce resplendens, vna cū paruulo IESV, quem vlnis gestabat, visendam exhibuit. Quo spectaculo tantâ lætitiâ, voluptateque eius Spiritus perfusus est, vt deinceps ab omnibus mundi, carnisque illecebris nimium quantum abhorreret, perinde atque si omnis cupiditatis, libidinisque sensus à Virgine purissima in eo esset extinctus. Quare non ita multo post votum castitatis eidem Virginum Reginæ vbi vouisset, ostendit illa promissionem hanc sui clientis sibi fuisse acceptissimam, cùm ei donum castitatis, non vtcunque quemadmodum loquebatur P. Polancus, sed modo quodam altissimo, ac perfectissimo ad extremam vsque vitæ periodum, absque vllis rebellantis sensitiuæ partis tumultibus, licet Naturâ foret præferuidus, fuerit impertita.

In Ignatio per B.V. omnis libidinis sensus extinguitur.

Denique, vt paucis multa complectar sæpissime, & confidentissimè rogabat Virginem, vt sibi ad Filium aditum aperiret, vt se cum Filio poneret. Vnde hac de causa in suis meditationibus tribus institutis colloquijs ad Patrem, & Filium, Diuamque Virginem, eam instāter obsecrabat, vt pro se apud Patrem Filiumque intercederet; Filiū quoque, vt annuens Matris precibus pro se Patrem interpellaret, compotemque suorum votorum ac desideriorum efficeret. Plura, qui volet Deiparæ in Societatem, eiusque particularia membra cognoscere beneficia, consulat Bourghesium in Societate Mariana, vbi sanè perspiciet quanam ratione sub protectionis suę Corona, Regioque paludamento, velut pulcherrimum Malum Punicum, sua rubicūda grana Deipara Virgo Societatem vniuersam fuerit complexa, vt ipsa per visum P. nostro Martino Guttierez viro sanctissimo ostendere dignata est.

129. Illud vnicum prætermisisse, nefas videri posset, quod idem scribit Bourghesius de electione ad Generalatum magni illius Claudij Aquauiuæ, qui reuera velut Aquaviua quædam, per Virgineum hunc Aquæductum in Societatem ceu cælestis Sponsi Viridariū deriuatus, Sapientiæ suæ, sanctissimamque suarum institutionum, industriarumque riuulis irrigauit, simul ac mirificè fœcundauit. Hic igitur vir tantus, auspicijs Deiparæ, in V.Societatis nostræ Generalem Præpositum potissimū electus esse creditur. Cum enim Pat. Claudius Matthæus Prouinciæ Franciæ Prouincialis, ea quæ electionem precedit orationis hora, intentius pro felici successu Congregationis illius Dominum deprecaretur, vidit Dei Matrem cum S.Bernardo ad ipsum P.Claudium de cælo descendentem; à quibus, & medius assumptus est, & ad cælestem Christi IESV summi Regis Thronum deductus est, illique cum prece, & gratia oblatus, vt Societati ipsius tam glorioso Nomine insignitæ summâ cum potestate præesset. Quibus benignissimus Dominus libenter annuit ipsique Claudio suam impertitus est benedictionem.

130. Eodem Comitiorum tempore Virgo gloriosissima Parisijs P.Thomę

Albigero pro felici Generalis electione deprecanti sese visendam exhibuisse memoratur, quæ spiritu in Patrum electorum Cōclaue eum deduxit, Patremque Claudium manu præhensum in medium produxit, visaque est ceteris electoribus indicare vt illum in Propositum Generalem eligerent. Nimirum Virgo benignissima P. Claudij in se pijssima obsequia hoc tam insigni fauore compensare visa est, solitus fuit siquidem P. Claudius in rebus omnibus, & maximè Societati aduersis ac turbulētis, quæ quidem grauissimæ eius tempore quorumdam potentium studio acciderunt, ad Deiparam tanquam ad stellam maris, tanquam ad suam Elicem, Cynosuramque, tanquam denique ad sacram Anchoram confugere, vniuersæque Societati ipsius elogia, Litanijs Lauretanis contenta recitanda indicere. Vnde facile benignitate Virginis, ceu propitio sydere affulgescente procellæ omnes tempestatesque sedatæ sunt. Vt porrò propensissam hanc suā, pientissimamque in Virginem voluntatem toti Societati testatam faceret, Epistola illa quā de perfectionis studio, & charitate fraterna conscripsit, omnes ad ipsius Religiosissimum cultum venerationemque adhortatur proinde, atque si ea omnis Societatis incolumitas contineretur: *Altera res*, inquit, *est, qua si minima nostra Societas nitatur, fore confido, vt quæ Dei beneficentia est, etiam atque etiam in dies efflorescat; Est præcipua quædam religio, ac pietas erga SS. Virginem Mariam.*

Ea namque cum parens fuerit eius, qui omne cælum omnemque naturam molitus est, verè ac propriè, vt ait Damasc. *in res vniuersas heræ, ac Reginæ nomen, & ius adepta est.*

Itaque velim in omnibus rebus ac temporibus siuè publicis Societatis, siue proprijs singulorum, præstanti quadam veneratione, ac singulari fiducia, quæ nullam vereatur repulsam, ad hoc laborum omnium, ac solicitudinum perfugium supplices accurramus. Equidem mecum dum reputo quanto deuotionis affectu hanc cæli Reginam complexi sint, quamtumque ex eius pio, & assiduo cultu ad omnem perfecerint sanctimoniam, multi sancti viri, ac priuatim P. Ignatius quantam rerum nostrarum spem, ac tutelam in hac velut arce collocarit, magno teneor studio, vt & nos eam propensissimis animis atque obsequijs prosequamur deposcentes, vt ipsamet deprecante hæc pietas velut suauissima nardus nostris mentibus innascatur. Sic ille.

Quæ sanè omnia luculenter ostendunt, quanto pietatis affectu in B. V. & ferebatur ipse, & alios ferri desiderarit. quantumque benignissima Dei Mater Societatem diligat, de se insigni, sapiētique Præposito ei apud Filium prouidendo.

131. Quare, & hæc Societas nostra, vti diximus, & reliqui Religiosorum Ordines iure merito purissimæ Emissiones Virginis, & pulcherrima Malogranata sacrosanctum Reginæ cælorum verticem ad instar Regij diadematis coronantia, dicenda sunt. *Societas IESV est emissio quædam Paradisiaca B. V.*

Licet enim Virgo sanctissima vnicum sui Virginei ventris, eumque vberrimū fructum IESVM emiserit, cum illo tamen, velut primogenito in multis fratribus, quam plurimos alios adoptionis Filios, & hos præsertim, qui minima hac Societate, ipsius Sacrosancto Nomine insignita, continentur, generauit; quos illa materno prorsus amore suis quodammodo conclusos visceribus, velut Malogranatum sua rubicunda grana fouet benignissimè, arctissimèque complectitur. *B. V. vnicum suum Filium generando, multos simul Societatis IESV filios generauit.* Verè enim dicere possumus de his Religiosis Ordinibus, eorumque donis, ac gratijs, quibus & sacrosanctus Deiparæ vertex, & totus hic orbis, imò, & ipsa cælestis curia decoratur, quæ vniuersim dixit Rupertus lib. 4. in Cant. *Quicquid gratiarum, quicquid virtutum, quicquid operationum cælestium mundus accepit, Emissiones tuæ sunt; vt vbi erant spinæ, vepres, & carduus, lappa, & tribulus, vrtica, & paliurus, vniuersitas nequitiarum, ibi sit cyrus, cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum, myrrha, & aloe, cum omnibus primis vnguentis, vniuersitas denique gratiarum.* *Omnes gratiæ in Christi fidelibus emissiones sunt B. Virginis.* Verè enim vbi prius dum in deserto mundi huius ab omnibus virtutibus deserto, spinæ, vepres, tribuli, carduique variorum peccatorum pallulabant, vniuersitasque nequitiarum succrescebat, beneficio Virginis varij, ijque pulcherrimi virtutum flores ac fructus, nec non dona Spiritus Sancti germinarunt, quæ Rupertus, & Gilbertus Abbas Ser. 36. in Cant. Sponsæ huius emissiones in Religiosorum animos, velut cultissimos Hortos appellauit.

132. Audiendus hic quoque Guilelmus Abbas, ex quo facile intelligemus societatem nostram, velut Malum Punicum, peculiari quadam ratione: (debita cum humilitate loquendo:) Emissionem esse Deiparæ, dum sic loquitur:

quitur: *Emissiones sunt fructus ex ea emissi. Vnicus eius fructus est, qui ab efficacitate salutis dictus est IESVS. Sed in vno illo fructu multiplex est fructus. In vno saluatore omnium IESV plurimos Maria peperit ad salutem, pariendo vitam, multos peperit ad vitam. Eo ipso, quod Mater est capitis, multorum membrorum Mater est. Mater Christi, Mater est membrorum Christi. Quia caput, & corpus vnus est Christus; corporaliter caput pariendo, spiritualiter membra peperit. Vnde etiam ab omnibus appellatur, & ab omnibus cultu debito, vt Mater honoratur.* Vbi sanè perspicimus corpus hoc mysticum minimæ huius Societatis, quod capite IESV gaudet, vtpotè à quo salutis efficacitatem in se, & in proximos redundantem mutuatur, genuinam prolem, emissionemque esse Deiparæ.

B.V. pariēdo vitam ipsam, plurimos alios peperit ad vitam.

B.V. cum sit Mater Christi, est etiam Mater membrorū Christi.

133. Quod si per Mala Punica secundum B. Theodoretum intelligamus charitatem, quæ cæteras virtutes in se ceu grana continet, coronatque eisque purpuream illam venustatem mutuatur (præclarè enim dixit Hierony. libro 1. cont. Iouin. In malogranatis, & pomis, omnium virtutum significatur in virginitate concentus.) Vel si secundum S. Gregorium, Anselmum, Hugonem, & alios intelligamus Martyres suo sanguine rubricatos, qui omnium virtutū, velut granorum congerie abundarunt; intel[illegible]emus sane societatem nostram Emi[illegible]nem esse Virginis, ac Paradisum Malorum punicorum, siquidem vnico sęculo tot centenos Martyres gloriosissimos, qui ferro, flammaque varijsque atrocissimis supplicijs excruciati, sanguine suo ad instar malogranatorum rubricati sunt. Intelligemus denique charitatem hanc mutuam, virtutum omnium Reginam, tesseramque Discipulorum Christi, qua hæc Societatis membra inter se vicissim colligantur, eiusdem Virginis emissionem esse, quæ reuera cætum omnem, in quo viget, amænissimum reddit Paradisum.

Per malogranata significatur charitas.

Per malogranata rubicūda, denotantur Martyres.

Ipsa enim est pulchræ dilectionis Mater, quæ sicut alia quam plurima Societati huic impetrat virtutum decora, atque ornamenta, ita quoque mutuum illum amorem, pulcherrimamque ac suauissimam animorum harmoniam, qua verè genuina totius huius mystici corporis salus, ac venustas continetur.

134. Dixeram suprà non modò Religiosorum Ordines tam militantes, quam triumphantes, pulcherrimam quandam contexere Deiparę malogranatorum Coronam, verumetiam ipsa Virgini dicata Sodalitia, quæ iure diximus, per ordinem illum malogranatorum inferiorem in Circulo designari, qui & in hac Ecclesia militanti, & in illa triumphanti Virgineum verticem decorant, ac coronant. Vnde & hæc minima Societas nostra Parthenios hosce cætus, in summam Dei Matris redundare agnoscens gloriam, eandemque quasi Regio quodam Diademate coronari; ac denique per eosdem, teneram præsertim iuuentutem velut vernos flores, rosas, liliaque excoli, ijsque Virginem mirificè oblectari, vbique terrarum eos erigere, summo studio contendit. Nouit enim iuuentutem flores rationales illos esse, de quibus canit Ecclesia: *Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.*

Sodalicia Parthenia sunt corona malogranatorum B.V coronātia.

Nouit hos ratione præditos flores illos esse, quos ad se audiendum, florendum in gratia, & fructificandum, & glorificandum vniuersorum Dominum Sapiens Diuino quodam enthusiamo percitus, qui eum in voces illas erumpere compulit, hortatur: Eccle. 39. 17.

Iuuenes pii sunt flores rosæ liliaque B.V. coronātia.

Obaudite me Diuini fructus, & quasi Rosa plātata super riuos aquarum fructificate.
Quasi Libanus odorem suauitatis habete.
Floretè flores, quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis.
Date Nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis, & cytharis.

135. Quapropter Societas nostra, Dei, eiusque Matris gloriæ amplificandæ quam maximè semper intenta, Romæ in primis Anno 1563. Partheniam Sodalitatem, vt testatur Franciscus Sachinus in Historia Societatis, inchoauit. Quod ille hisce verbis descripsit:

Primum Sodalicium B. V. institutū Romæ Auctore Ioanne Leonio Belga.

Inchoata est pia quædam sodalitas, auctore Ioāne Leonio Belga infimæ rudimentorum Grammaticæ classis Magistro, inter inferiorum classium adolescentes, ex his, qui præcipuo studio sociare cum litteris pietatem cuperent.
Capere diebus singulis, post missos cæteros, in vnam è scholis, in qua altare pulchrè ornauerant, congregari. Ibi aliquandiu orabant vniuersi, dum vnus è pio libello quidpiam legebat audientibus cæteris. Diebus verò Dominicis, & festis etiam vespertinas, de more Ecclesiæ, modico cum cantu peragebant preces.
Ex his rudibus initijs sodalitates, quæ deinde B. Virgini præcipuo studio dedicatæ, tum insigni

cum iuuentutis, atque aliorum bono certis formatæ institutis, latè per omnes mundi oras fusæ sunt, emanarunt. Prosequitur deinde idem Sachinus anno sequenti huius Sodalitij memorabiles sanè progressus: *Quæ cœpta, inquiens, superiore anno Sodalitas discentium erat, ea Beatissimæ Virginis subiecta tutelæ hoc anno est, usque constituta legibus, quibus magnā partē hodieque regitur.*

Finis Sodalitatum Parthenicarum quis?

Finis propositus in pietate, litterisque progressus. Sodales ad 70. numerantur.
Quaque hebdomada confiteri. Quoque mense Sanctissimum Christi corpus sumere.
Singulis diebus sacro interesse. Virginisque vel Rosaria, vel preces è libello iussi percurrere.
Vesperi è schola dimissi, congregati quartam horæ partem meditationi, alteram autem partem excipiendis capitibus, quæ die postero meditarentur, partim conferendo breuiter, quæ agitauerant, consumebant. Diebus festis à prandio post decantatas preces vespertinas, alij ad visendos in Nosocomijs ægrotos, alij ad salutandas Diuorum Reliquias, alij ad pia munia, mirâ ibant alacritate. Omnibus Vnus è Societate præerat, qui cum cetera moderabatur, tum diebus Dominicis adhortationem habebat. Ex Sodalibus vnus qui præesset ceteris lectus est, cui Præfecti appellatio indita: duodecimque præterea, inter quos cura reliquorum distributa, vt nullus negligeretur, quoque paucioribus quisque intentus esset, hoc absolutius cuncta procederent. In ceteris commoditatibus huiusce Sodalitatis illa non fuit è postremis, quod inter se agentes puri animo, & pietate adolescentes, vitabant improborum consuetudinem, quæ molli, improuidæque ætati exitium nullum est certius.

Fructus è sodalitatibus Parthenijs dimanentes.

Hæc Sachinus de origine ac progressu primæ Sodalitatis Parthenię Romæ institutæ; quæ commemorare libuit, vt clarè perspiceremus, quam tenuibus initijs res tam honorifica Deiparę inchoarit, & quantis postea progressibus toto terrarum orbe, tanto totius Christianæ Reipublicæ emolumento propagata fuerit. Quis igitur iam asseuerare dubitabit Sodalitates hasce Parthenias, pulcherrimum esse malogranatorum Coronam Deiparæ, Coronæ ipsius Societatis nostræ subtextam, qua ipsa tàm in militanti, quàm triumphanti Ecclesia summa cum lætitia cordis sui redimitur.

Sodalicia sūt quædam retia ad cupiēdos, & saluādos Adolescentes.

136. Nunc ad reliqua huius siue Columnæ, siue Capitelli ornamenta veniamus. Visebantur in hac Columna retia quædam; quæ ego vel eadem Deiparæ sodalitia, exhortationesque, quæ de eius virtutibus in ijsdem ad sodales haberi consueuerunt, vel denique ipsius pietatis plenissimos potentissimosque ad animas feliciter capiendas oculos esse dixerim. Verè retia Virginis sunt hi eius cætus Sanctissimi, quia in illis quamplurimi adolescentes, moribus quodanmodo efferati, capiuntur, mansuescunt, tandemque ad suaue Christi iugum in Religionibus, in alios prorsus viros, mirabili metamorphosi, transformati, tollendum idonei, ope Virginis redduntur. Et verò si Virgo hæc fortissima cælestem illum Vnicornem, siue Rhinocerotem, adeo terribilem, vt suæ omnipotentiæ, iustitiæque cornibus ventilaret gentes, vsque ad extremum terræ, vt cecinit Moyses, sinu suo compræhendit, eumque mansuescere, ac mitescere compulit: Quanto magis adolescentes quantumuis indomitos, ac duros, intractabiles, monitoribus asperos, hiscé suis sodalitijs, velut sinu placidissimo compræhensos emolliet, ad omnemque virtutem efformabit, ita vt quemadmodum antea cerei in vitium flecti extiterant, ita quoque cerei in hiscé cœtibus ad pietatis, omnisque probitatis formam capescendam euadant.

137. Verè retia etiam sunt pij de ipsius virtutibus laudumque præconijs sermones atque exhortationes. De quibus dici potest illud qu[illegible] Christus dixit Apostolis Luc. 5. Lax[illegible] retia vestra in capturam. In quæ verba præclarè Alphonsus Tostatus Adulensis Episcopus ex S. Ambrosio; *Quę sunt Apostolorum, quę laxari iubentur retia, nisi verborum complexiones, & quidam quasi orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos quos cęperunt, non amittunt. Et benè Apostolicą instrumenta, piscandi retia sunt, quę non captos perimunt, sed reseruant, & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes, de Infernis ad suprema producunt.*

138. Verè etiam retia Virginei sunt oculi, qui quoscunque solitâ inditâque sibi pietate respexerint suauissimè irretiunt ac capiunt, in qua rerum Diuinarum amorem accendunt.

Oculi B.V. sunt retia quædam capientia adolescentes.

Vnde 70. Interpretes, vbi nos legimus de oculis Sponsi: *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*, legere; *Respiciens per retia*, innuere volētes, oculos Sponsi, sicut fenestræ sunt mentis, ita quoque retia esse animarum. Quod similiter de sponsę oculis licet prædicare; vti fecit Pijssimus Richardus à S. Laur. lib. 7. de laud.

laud. V. *Virginei siquidem oculi adeò sunt efficaces, ac potentes, vt quoscunque piè respexerint feliciter capiant, inque rerum cælestium amorem accendant.*

139. Et verò si Palæmonis Philosophi effigies, aspectusque ad omnem grauitatem, ac modestiam compositus meretriculam, vt Diuus Auctor est Nazianzenus, scelus meditantem ab instituto deterruit, quantò magis pudicissimus aspectus Virginis, non modò ab omni impuro amore adolescentiam reuocabit, verumetiam mirificum castitatis, eius prius ostensâ pulchritudine, desiderium accendet? Vnde iam memoratus Rich. libr. 1. cum præmisisset, *Deiparam tria Væ, nempè obscuritatem intellectus, libidinem, superbiamque in nobis destruere consueuisse,* hæc addit: *Maria dicitur illuminatrix, tum quia obtenebrato mundo solem iustitiæ, veramque lucem edidit, tum quia cunctis se humiliter deuotèque implorantibus lucem veræ cognitionis impetrat. Ipsius enim est vox illa Eccl. 24. Illuminabo omnes sperantes in Domino. Vnde quoties sentimus nos esse in tenebris, debemus ei Nomen suum commemorare, orantes, vt illud in nobis interpretetur, ne falso ei impositum videatur. Quomodo autem secundum Væ, quod est luxuria, destruat, ipsos interroga, qui per eam de sentina luxuriæ se extractos, virtutemque castimoniæ adeptos gaudent. Nec dubitare fas est ipsam inimicissimam esse luxuriæ, feruentissimamque castitatis dilectricem, siquidem sine hac Virginitatis prærogatiua, nequaquam ei concessum fuisset Dei esse Genitricem.* Hæc Richar.

Palæmonis Philosophi Imago ad modestiam composita meretriculā à scelere perpetrando deterruit.

Cur B. V. dicatur Illuminatrix.

140. Tanta est Virgineorum oculorum vis, ac potentia, vt ipse Dei Filius, imo tota augustissima Trias illis sauciatam quodammodo se esse fateatur. *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum.* Cant. 4. Vnde legere 70. Interp. ἐκαρδίωσας ἡμᾶς. *Excordasti nos.* hoc est, vt interpretatur Vatablus: *Abstulisti nobis cor.* Arabicus: *Inflammasti corda nostra.* Nyssenus: *Incordiastime, hoc est, cor mihi eripuisti, & in corde tuo conclusisti ac captiuasti.* Quibus omnibus mirifica oculorum Deiparæ cor diuinum, non vnius, sed trium Personarum amoris iaculo vulnerantis, auferentis, inflammantis, captiuantis, cordeque suo concludentis, exprimitur energia. Vnde Diuus legit Ambr. in Psal. 118. serm. v. *Corde nos cepisti.* Et serm. 16. *cor meum cepisti.* Quod si oculi Virginis Diuinissimis illis Personis præualuisse, deque illis triumphasse quasi visi sunt; quanto magis de miseris mortalibus, eorumque cordibus triumphum referent, quoscunque benignissimo, amantissimoque suo dignabuntur aspectu? Verè oculi Virginis auferunt hominibus cor, sed cor carnale, impurum, mundanum, ad terrena inclinatum. Verè oculi Sponsæ inflammant corda, velut sagittæ ignitæ, diuinique amoris igne succensæ. Verè oculi Virginis cor eripiunt, & illud in cor suum concludunt, captiuantque felicissimè. Quamobrem D. Bonau. Par. 3. Spec. cap. 19. *Raptricem cordium Virginem nostram* appellare non dubitauit: *O' Domina,* inquiens, *quæ rapis corda dulcedine! Nonnè cor meum Domina rapuisti, & vbi quæso posuisti illud, vt ipsum valeam inuenire?* Vtque ostendat cor suum in corde conclusum esse Virginis, & in eo quasi captiuatum, hæc subtexuit: *Nunquid in sinu tuo, ne inueniam, collocasti? Nunquid inter vbera tua posuisti illud? Fortassis ibi posuisti cor meum, vt quod friget ibi cælefiat. O' Raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? Quare sic corda simplicium rapis, quare violentiam facis tuis amicis? Nunquid semper vis ipsum tenere? Cùm id à te postulo mihi arrides, & statim tua dulcedine consopitus quiesco. Et in me reuersus, cum iterum postulo me amplexaris dulcissima, statimque inebrior tui amore, & tunc cor meum non discerno, nec aliquid scio petere, nisi tuum. Sed ex quo sic est cor meum tuo dulcore inebriatum, guberna illud cum tuo, & in sanguine Agni conserua, & in latere Filij colloca.* Sic ille.

Oculorum B.V. vis, atque efficacia in Deo ipso capiendo, & quasi triumphando.

Oculi B.V. auferunt cor carnale, & reddunt Spirituale.

B.V. Oculi cor eripiunt, & in suum includunt.

B.V. Raptrix cordium.

S. Bonauenturæ feruens in B.V. amor.

141. Videre quis cupit, an oculi Virginis sint ignei, & cor ad amandum Diuinum Numen, diuinaque inflamment? Audiat Rich. à S. Laur. libr. 5. de laud. V. *De oculis Matris congruè dici potest illud quod de oculis Filij dicit Ioannes Apoc. cap. 1. Oculi eius velut flamma ignis, qui 4. habet proprietates, illuminat enim, calefacit, terret, & exurit. Sic Mariæ respectus luce sapientiæ illustrat electos, & calefacit amore iustitiæ. Reprobos autem, ac Dæmones terret ferocitate comminationis, & incorreptos exurit incendio damnationis, vt ostendit in Iuliano Apostata:* Sic ille. Quare iure merito ad Virginem pijssimam canit Ecclesia: *Eia ergo Aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Quæ verba idem Autor illustrans, insignes Virginei aspectus aliquot enumerat effectus: *Mirabiles,* inquiens, *necnon amabiles tuorum*

B.V. Oculi ignei.

rum

rum radij oculorum quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam salutem, ò Domina venenatos oculos eruis Basilisci! O' Euæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam? Ipsius enim claritas oculorum vmbras expellit, effugat catervas Dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata succendit, ac demum ad cælestia pertrahit. O' Domina quam beati sunt quos viderunt oculi tui! Hos ergo oculos ad nos converte. Hæc S. Doctor.

Oculorum B.V. mirabiles effectus.

152. Vbi obseruanda Virgineorum oculorum vis in eruendis Tartarei Basilisci oculis, qui mortalium corda, vt ignitæ sagittæ ad libidinem inflammāt. Has enim sagittas cordi nostro infixas solo suo aspectu Virgo purissima extinguit, vitamque carnalem perimit.

B.V. ad instar oculorum Basilisci vitā carnalem in nobis perimit.

Hanc ob causam S. Amadeus Homel. 7. eam Basilisco, siue Regulo, aspectu suo mortem inferenti conferre non dubitauit. Quemcunque enim Virgo nostra, quantumuis impurissimum, aspectu suo fuerit dignata, hunc oculis suis, ceu retibus capit, simulque in eo veterem, sensualemque hominem, carnis illecebris debitum, mactat, nouumque hominem creat, totumque purum illibatumque, imò Angelicum reddit. His retibus suauiter irretiri exoptabat Seraphicus Bonauentura, cum deuotè Virgini concinebat: Psal. 22. *Benedicti sunt oculi tui splendidissimi, quos digneris misericorditer conuertere super nos peccatores. Benedictum sit lumen, & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultus tui.* Et Psal. 34. *Gratiâ tuâ, & dulcedine tua pleni sunt cœli, & terra, vndique beneficijs tuis irretisti nos semper.*

143. Et verò quis dubitet suis oculis Virgineum, velut veneno carentem quendam Basiliscum carnem, sensumq; feliciter perimere, de cuius oculis totoque ore Spiritus Sanctus, sensui, carnique tantopere contrarius emicabat? Vnde Rupertus Abbas sic sponsum ipsam alloquentem introducens libr. 1. in Cant. *Oculi tui Columbarum*; mox addidit; *Quinam sunt oculi Columbarum? nisi dona 7. gratiarum, idest, 7. Spirituũ, superne requiescentium: Septem namque oculi, qui iuxta Zachariam in vno lapide sunt, septem sunt Spiritus Dei, qui iuxta Isaiam super florem requiescunt. Isti oculi mei, sunt oculi tui, oculi Columbarum, oculi omnium gratiarum, vel Spirituum, quorum tu effecta es particeps, ex quo me castis visceribus suscepisti, super quem requiescit, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Hæc Rupert.

Ex oculis B.V. spiritus S. quodammodo emicabat.

144. Videre quis cupit in hac Virginea, animataque Columna catenulas? Consideret eximiam Deiparæ charitatem, quam benignissimè omnes ad se trahere, suauissimeque illaqueare cōsueuit. Quam suauitatem, amoremque Virginis contemplans Bern. ser. de verb. Apoc. mortales omnes ad experiendum tantæ charitatis effectum inuitat: *Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in illa, nihil terribile, tota suauis est, omnibus offerens lac, & lanam. Denique omnibus omnia facta est sapientibus, & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi.*

145. Hæc ego vincula, catenasque esse crediderim, quibus Dominus olim per Oseam ad suum obsequium, amoremque mortales tracturum se est pollicitus cap. 11. v. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Verè enim sicut Dei filius humanatus, & secundus Adam, homoque factus in vtero Virginis, ab eadem humanitatem, facilitatemque illam suam, qua totus desiderabilis erat omnibus, mutuando, omnes ad se suumque iugum suauissimum gestandum alliciebat: Ita quoque Virgo nostra benignissima charitate suâ mirificâ, morumque suauitate, quam ab eodem Filio in Incarnatione acceperat omnes alliciebat adeo, vt de vtroque aptè occinerit David Psal. 44. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.* Hæ nimirum erant illorum catenæ, quibus mortalium animos ad sibi seruiendum pertrahebant, efficiebantque vt ipsorum regnandi dominandique ratio esset omnibus subditis iucundissima.

146. Quod si consideremus Virginis in Euangelio descripta verba, quæ S. Bernardinus Senensis, cum Richardo à S. Laur. alijsque omnino septem fuisse dicũt, inuenit profectò ea nil esse aliud quam catenulas quasdam aureas, quibus Virgo post se aures, cordaque trahit hominum, eaque Deo captiuat. Qua ex re facile colligemus Deiparam sacratissimam, sicut robore, ac fortitudine, sic etiam eloquentiæ vi, ipsum illum Herculem Celticum, seu Gallicanum ab illis Ogygium appellatum, longè superasse. Hunc enim Lucianus in Paracelsi sua ait à Gallis hoc schemate fuisse depictum: *Visebatur senex grādæuus,*

Herculis Gallicani homines aureis eloquentiæ catenulis post se trahentis descriptio.

cano

cano capillo, ingentem admodum hominū multitudinem trahens, omnibus ab aure reuinctis. Porrò vincula, inquit, catenulæ erant quædam tenues auro electroque confectæ pulcherrimis monilibus similes, quibus vinculis vsque adeo fragilibus cum ducantur, tamen de fugiendo nil cogitant, cum id alioqui facere commodè possint, neque pedibus aduersus trahentem sese resupinantes obnituntur, verùm læti alacresque sequuntur, ducentem admirantes, vltro festinantes omnes, laxatisque vinculis etiam anteuertere studentes, perinde quasi grauiter laturi, si vinculis illis soluerentur. Aureæ denique hæ catenulæ non manibus, quæ arcu, clauaque tenenda occupabantur, sed perterebratæ in summitate linguæ ipsius Herculis inhærebāt, atque ita oculis ad suos vinctos conuersis, eos suauiter arridens post se trahebat. Picturam hanc cum inspexisset accuratius cum admiratione Lucianus, ait Gallicum quendam Philosophum ad se accessisse, ac dixisse: *Ego tibi hospes picturæ illius enigma explicabo, videris enim vehementer ad eam attonitus ac stupefactus. Orationem nos Galli nequaquam arbitramur esse Mercurij, quemadmodum vos Græci; verum Herculi eam attribuimus, quod hic Mercurio longè robustior extiterit. Quod senex pingatur nil mirare. Siquidem vna dicendi facultas in senecta demum absolutum vigorem ostendere consueuit. Quod verò auribus ad linguam vinctos trahat, sermonem ipsius Herculis efficacem indicat, cū noueris linguæ cum auribus esse cognationem. Neque verò in contumeliam ipsius redundat, quod ea pertusa sit. Memini enim, inquit, iambicos me quosdam versiculos è comœdijs apud vos discere: Siquidem viris loquacibus extrema lingua perforata est omnibus. Quare de illo habemus opinionem, vt quicquid egit, id oratione, facundiaque confecisse putemus, vtpotè virum sapientem, persuadendo pleraque sibi subegisse. Tela quoque ipsius Arcu emissa, orationes sunt acutæ missiles, citæ, animumque sauciantes. Vnde & dicta pennigera vos quoque appellatis.* Hæc fere Lucianus.

Eloquentia Herculi potius quam Mercurio à Gallis attributa.

147. Quæ sanè multò aptius ad fortissimam Virginem nostram Herculeo robore longè superiorem applicari possunt. Ipsa enim Sapientiâ prudentiâque sua cælesti, quæ potissimùm in senibus spectari consueuit, labijs suis floridis, vt ea vocat Nicephorus, linguâ suâ suauissimâ, sub qua mel, & lac est, longe scilicet inferius, eloquio suo dulcissimo, vultu hilaritate, beneuolētiâque plenissimo omnes Apostolos, reliquosque, cum quibus versabatur, ceu aureis catenis post se, non tam trahebat, quàm illiciebat, vt in odorem vnguentorum suorum, Diuinarum nempe virtutum spontaneè currerent, ac quodammodo volantes, penè anteuerterent. Hanc porro autem planè eloquētiam tum vel maximè ostendisse crediderim Deiparam, cum primo illi Concilio Hierosolymis habito interfuit, in quo, vt ait Rupertus Abbas, omnem illa definiuit quæstionem.

B.V. Herculeo Gallicano longè eloquentior ac potentior.

148. Neque verò sermo duntaxat Virginis validissimæ erant catenæ, quibus omnes post se, ad currēdum in odorem vnguentorum suorum trahebat, verumetiam ipsa totius oris compositio, morum suauitas, ac modestia cum admirabili beneuolentiâ facilitateque sociata magnes erat cordium adeo magnus ac potens, vt omnium corda ad se pelliceret. Vnde S. Amadeus Homel. 7. præclarè pronunciauit: *Quis non properaret, quis non curreret ab extremis terræ reuerentiæ Maiestatis decus aspicere, & vultum omnimoda suauitate, Imperiali etiam dignitate singularique præditum potestate videre? Quippè nihil inueniebatur illi simile in filijs, & filiabus Adæ. Nihil tale in Prophetis, in Apostolis, aut Euangelistis. Nihil ei simile cælum, & terra dedere. Quis enim in nubibus æquaretur ei, aut similis foret Matri Domini inter filios Dei?* Quamobrem Filius Dei absentiam suam, Matris iucundissimâ præsentia loquendique vi ac suauitate, Ecclesiæ suæ compensare voluisse visus est, vt in suis tribulationibus præsentissimum solatium Apostoli reperirent. Audiendus hic rursus idem S. Antistes: *Mirâ denique*, inquit ille, *pietate primitiuæ Ecclesiæ prouisum est, vt quando DEVM in carne hac præsentem iam minimè cerneret, Matrem eius visu iucundissimo recreata videret. Quid enim tam iucundum, quid tam decorum ac delectabile, quam Matrem Plasmatoris, & Redemptoris omnium videre. Nam si sepulchrum eiusdem nostri Redemptoris, quod extat vsque hodie, ita visui desiderabile est, si lapis in quo requieuit stirps sancta Iesse, tanta expetibilis est celebritate, vt affectus, & animos cunctorum prouocet in se, & quadam pietatis arte trahat ad se omnia: Quę vel qualis erat Dei Genitricē cernere lętitia, donec eam Diuina pietas cōmuni sorte degentem nobiscum cōcessit in terra? Beata gens, & felix generatio, quæ tali spectaculo meruit illustrari. Beata planè in cuius medio credentis, & fouentis consistit Arbor producens fructum vitę, effulget Genitrix verę lucis, apparuit ille puteus clausus & signatus, de quo egressus est fons domus Dauid, patens in ablu-*

B.V. totius vultus, orisque compositione, ac modestia homines ad se polliciebat.

Iucundum ac decorum erat videre B.V. In terris degentem.

Sepulchrum est visu desiderabile multo magis B.V. in qua 9 mensibus requieuit.

ablutionem peccatoris, & menstruatę. *Hoc insigne priuilegium, hoc cęleste munus, hęc gratia specialis Ecclesiæ primitiuorum pręstita est.* Hactenus Amadeus.

149. Non defuere ergo animatæ huic Columnæ aureæ Herculei eloquij, siue charitatis, amorisque catenæ, quibus Deipara mortaliũ corda illigabat, animosque sibi omnium deuinciebat. Vnde merito pronunciarę possumus, illam, suorum verborum vi, ac exergiâ morumquę suauitate, facilitateque lõgè felicius quam Gallicanum Herculẽ animos quantumuis indomitos, ac efferatos mitigasse. Quare quod Alciatus Emblem. 180. de illo cecinit, potiori iurę de Virgine nostra fortissima, ac gloriosissima cani potest:

Quid quod lingua illi leuibus traiecta catenis
Queis fissa faciles allicit aure viros?
Anné quod Alcidem lingua, non robore Galli
Prętantem populis iura dedisse ferunt?
Cedunt arma togę, & quamuis durissima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Cedunt enim verè orationi Virginis omnia quantumuis durissima; ipsam ipsumque Dei pectus enormibus mortalium sceleribus induratum quodammodo emollit, & ad sua vota trahit.

Nullæ sunt aduersariorũ vires, cum B. V. pro nobis intercedit.

Vnde Leo Imperator cognomento Philosophus Homel. 6. eius orationis agnoscens exergiam sic eam alloquitur: *Nihil commodorum reperitur, quod te volente non suppetat, & nullę sunt aduersariorum vires, quę te opitulante non propulsentur. Annuit enim in omnibus, & omnia per te largitur ille, qui vt beneficio singulari figmentum suum afficeret, te, vt in hanc vitam nascereris, concessit, ex qua nunc ad sempiternam illam translata es.* Hoc ego crediderim esse vnum ex illis magnis priuilegijs sibi ab vniuersorum Domino præstitis, vt nimirum quidquid petat à Filio impetret: de quibus Virgo gloriabatur: *Fecit mihi magna, qui potens est.* Vnde Diuus Petrus Card. Dam. serm. 1. de Natiu. B.V. eam alloquens: *Fecit*, inquit, *tibi magna, qui potens est, & data tibi est omnis potestas in cęlo, & in terra, & nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis reuelare.*

B. V. omnis potestas data in cælo, & in terra.

150. Videre quis cupit in hac Virginea, animataque Columna lilia? Hæc ego dixerim esse purissimam illibatamque Virginitatem, qua Deipara ante partum Dei Filij, in partu, & post partum, totâ admirante Naturâ floruit. Vnde canebat ille aptissimè:

Lilia Virginei sunt symbola certa pudoris.

B.V. post partum eo longè Virginior euaserit.

Adeo verò hac puritate Virgineâ Virgo nostra post partum floruit, *vt eo longè Virginior*, vt loquitur S. Ildephonsus, *euaserit.* Vnde Vbertinus Cassalius Vir verè Seraphicus libr. 1. Arboris vitæ cap. 11. asserere non dubitauit, *carnem, sanguinem, visceraque ipsius fuisse candidissima lilia, atq; adeò totam candidissimum euasisse lilium, in quo Dei Filius homo factus, in sinu paterno iam deliciari assuetus, pasci inter hæc ipsius Virginitatis lilia non est dedignatus.*

En Virginitatis B. V. lilijs sibi Christus fabricauit corpus.

Vnde exclamat: *O flos de radice Iesse, quantum odorẽ dimisisti in illo thalamo Virginalis vteri, in quo nouem mensibus quiescens, & cubans, Matris Sanctissimæ lilia comedisti, in tuum conuertens corpus, eius Sanctissimos sanguines Spiritu S. plenos, vsque ad augmentum corporis, quantum necesse fuit, vsque ad complementum horæ Natiuitatis; De his lilijs æterne flos IESV fabricasti tui corporis fundamentum, de his constituisti, & refecisti tuæ radicabilitatis humidum. De his nouem mensibus sumpsisti purissimum, mundissimum, dilectissimum, gratiossimum, delectabilissimum nutrimentum.* Hæc Vbertinus.

151. Quæ cùm ita se habeant iure Deipara Virgo Columna Booz fortissima prædicanda, siquidem omnia ipsius ad viuum refert ornamenta. Iure alter quidam Hercules mundum, ad instar columnæ, sustentans nè in interitum prolabatur, dici potest.

Columnæ Virgineę potiori iure quam Herculis: Plus vltra: epigrapha adscribenda.

Quare merito Virgineæ huic, fortissimæque Columnæ epigraphe illa: *Plus vltra*, quæ Herculis Columnis Abylæ, & Calpæ montibus Mauritaniæ, & Hispaniæ incisa fuit, exculpenda esset, siquidem Virgo nostra gloriosissima in antiquo Dracone triumphando, & in perdomandis Tartari, vitiorumque monstris, & in alijs Heroicis facinoribus, Herculem, à prima ætate quàm longissimè post se reliquit; & ante illum magnis pussibus *Plus vltra*, processit.

152. Mirè à tota antiquitate eiusdem huius fortissimi Herois inter reliqua præclarissima facinora celebratur Biuium, Virtutis nimium, & Voluptatis, quod etiam Literam Pythagoricam appellauere; laudant illum vehementer, quod latâ voluptatis viâ contemptâ, arctam Virtutis semitam inierit. Audiamus S. Basilium Hom. 24. de legen-

Herculis biuium, virtutis, & voluptatis.

gendis lib.Gentil. *Hercules*, inquit, *cum quadam die an sequenda esset via voluptatis, an virtutis, ambigeret, adstiterunt ei duæ fœminæ, quarum conditionem statim ex ipso habitu cognouit. Altera formâ conspicua, molliore facie, lasciuis oculis, sermone blando, omnia fausta, faciliaque, & ad vitæ solatia tendentia, per otium pollicendo, Herculem ad se trahere conabatur. Altera verò vultu rigido, squallenti, mæstoque ore, magnam, fiduciam, atque constantiam præferens, nihil iucundum, nihil amœnum ostendebat, laboresque immensos terrâ, marique subeundos ostendebat.* Sic ille.

De Biuio hoc præclarè Virgilius in litera Pythagorę:

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam Via Virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficillemque aditum primum spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed vltima meta
Præcipitat captos, voluitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemque, decusque parabit.
Atqui desidiam, luxumque sequetur inertem
Cum fugit oppositos in causâ mente laboris
Turpis, inopsque simul miserabile transiget æuum.

Scipio Africanus in Herculis biuio cõstitus.

Idem hoc Herculis Biuium pręclarè descripsit Silius Italicus lib. 15. de Bello Punico, dum Scipionem Africanum sub Lauri vmbrâ considentem, velut alterum Herculem, secum disceptantem, an bellum contra Carthaginienses sibi sit suscipiendum, an vero Otium sectandum introducit. Virtutis igitur, Voluptatisque facta prosopopæia illas ita disceptantes inter sese committit. Quam disceptationem quia longe pulcherrima est, hic ad verbum attexere libuit; Sic igitur ille.

Has lauri residens Iuuenis viridante sub vmbra
Aedibus extremis voluebat pectore curas.
Cum subito assistunt dextrâ, læuâque per auras
Allapsæ, haud paulum mortali maior imago;
Hinc Virtus, hinc Virtuti inimica Voluptas,

Voluptatis descriptio.

Altera Achimeniũ spirabat vertice odorẽ,
Ambrosias diffusa comas, & veste refulgẽs,
Ostrum, quam fuluo Tyrium suffuderat auro.
Fronte decor quæsitus acu, lasciuaque crebras
Ancipiti motu incitabant lumine flammas.
Alterius dispar habitus frons hirta, nec vnquam

Virtutis descriptio.

Composita mutata comâ; stans vultus, & ore
Incessuque Viro propior, lætique pudoris
Celsa humeros, niueæ fulgebat stamine pallæ.

Voluptas Suasio.

Occupat inde prior promissis fisa Voluptas:
Quis furor hic non digne Puer, consumere bello
Florem æui? Cannæ ne tibi, grauiorque palude
Mæonius Stygiâ lacus excessere, Padusq;
Quem tandem ad finem bellando fata lacesses?
Tunc etiã tentare paras Athlantica Regna,
Sidoniasque domos? Moneo certare periclis
Desine, & armisonæ caput obiectare procellę.
Ni fugis hos risus, Virtus te sęua iubebit
Per medias volitare acies, mediosque per ignes.
Hęc Patrem, patriumque tuos, hæc prodiga Paulum
Hęc Decios Stygias Herebi destrusit ad vndas
Dum cineri titulum, memorandoque nomina bustis
Prętendit, nec sensurę quid gesserit Vmbrę.
At si me comitere Puer, non limite duro
Iam tibi decurret concessi temporis ętas.
Haud vnquam trepidos abrumpet buccina somnos,
Non glaciem Arctoam, non experiere furentis
Ardorem Caneri, nec mensas sępe cruento
Gramine compositas: aberunt sitis aspera, & haustus
Sub galea puluis, partique timore labores.
Sed current Albusque dies, horęque serenę,
Et molli dabitur victus sperare senectam.
Quantas ipse DEVS lętos generauit in vsus
Res homini, plenâque dedit bona gaudia dextrâ?
Atque idem exemplar lenis mortalibus qui
Imperturbatâ placidus tenet otia mente.
Illa ego sum Anchisę Venerem Simoentis ad vndas
Quę iunxi, generis vobis vnde editus Auctor.
Illa ego sum, verti Superum quę sępe Parentem
Nunc Auis in formam, nunc torua in cornua Tauri.
Huc aduerte aures, currit mortalibus æuum

Nec nasci bis posse datur. fugit hora, rapitque
Tartareus torrens, ac secum ferre sub vmbras
Si qua animo placuere, negat. quis luce suprema
Dimisisse meas sero non ingemit horas?
Postquam conticuit, finisque est addita dictis,
Tum Virtus: Quasnam Iuuenis florentibus, inquit,
Virtutis persuasio.
Pellicis in fraudes annis, vitæque tenebras?
Cui ratio, & magnæ cælestia semina mentis
Munere sunt concessa DEVM, mortalibus alti.
Quantũ Cælicolæ, tantundẽ animalibus istis
Præcellunt cunctis: tribuit namque ipsa minores
Hos terris Natura DEVS; sed fœdere certo,
Degeneres tenebris animas damnauit Auernis.
At queis ætherei seruatur seminis ortus
Cæli Porta patet. Referam quid cuncta domantem
Amphytrioniadem? Quid cui post Seras, & Indos
Captiuos Liber cum signa referret ab Euro,
Caucaseę currum duxere per oppida Tigres?
Quid suspiratos magno in discrimine nautis
Ledæos referam Fratres, vestrumque Quirinum?
Nonnè vides hominum celsos ad Sydera vultus
Sustulerit DEVS, ac sublimia finxerit ora,
Cum pecudes, volucrumque genus, formasque ferarum
Segnem, atque obscœnam passim statuisset in aluum?
Ad laudes genitum, capiat si munera Diuum
Felix ad laudes hominum genus. Huc age Paulum
Aspice, nec longè repetã, modo Roma minãti
Impar Fidenæ, contentaque crescere Asylo
Quo sese extulerit dextris; idem aspice latè
Florentes quondam luxus, quas verterit Vrbes.
Quippe nec ira DEVM tantum, nec tela, nec hostes
Quantum Sola noces animis illapsa Voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te semper volitans Infamia pennis.
Mecum honor, & Laudes, & læto Gloria vultu,
Et decus, & niueis Victoria concoloralis.
Me cinctus lauro perducit ad astra Triumphus.
Casta mihi domus, & celso stant colle penates,
Ardua Saxoso perducit semita cliuo.
Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur Labor ad nitendum intrare volenti.
Nec bona conscendunt, quæ Sors infida dedisset;
Atque eadem rapuisse valet. Mox celsus ab alto
Infra te cernes hominum genus, omnia cõtra
Experienda manent, quam spondet blanda Voluptas.
Stramine proiectus duro patiere sub astris
Iras omnes noctes, frigusq; famem domabis.
Idem iustitiæ cultor quæcunque capesses
Testes factorum stare arbitrabere Diuos.
Tunc quoties patriæ, rerumque pericula poscent
Arma feres primus, primus te in mœnia tolles
Hostica, nec ferro mentem vincere nec auro.
Hinc tibi nõ Tyrio vitiatas murrice vestes.
Nec domum deforme viro flagrãtis amomi,
Sed dabo qui vestrum sæuo nunc Marte fatigat
Imperium, superare manu, laurumque superbam
In gremio Iouis, excisis deponere Pœnis.
Quæ postquam cecinit sacrato pectore Virtus,
Exemplis lætum, vultuque audita probantem
Conuertit Iuuenem. Sed enim indignata Voluptas
Non tenuit voces: Nil vos iam demoror vltra
Exclamat, venient, venient, mea tempora quondam
Cum docilis nostris magno certamine Roma
Seruiet Imperijs, & honor mihi habebitur vni.
Sic quassans caput in nubes se sustulit atras,
At Iuuenis plenus monitis, ingentia corde
Molitur, visæque calet Virtutis amore.

Hæc Silius, quibus sane luculenter expressit, quam longo Virtus ac Voluptas à se inuicem distent interuallo, quantumque à se dissentiant discordentque, & antipathiâ quadam singulari, genijs, moribusque sibi mutuo aduersentur. Quam denique tam Scipionis, quam Herculis laudandus sit inuictus animus, qui in ancipiti illo Biuio constitutus, arctum Virtutis tramitem sibi ineundum putauit.

153. At vero multo maioribus laudum præconijs extollenda est gloriosissima, atque inuictissima Heroina nostra

stra

ſtra, quæ à primis, teneriſque vnguiculis, imò ab ipſo immaculatæ Cōceptionis inſtanti omni peccati originalis labe, fomiteque carens in nullo vnquam Virtutis ac Voluptatis potuit eſſe conſtituta Biuio, ſed conſtantiſſimè ſēper inoffenſo, nūſquāq; euariato pede, virtutis tramitem triuit atque calcauit. Neque enim in Virgine vlla virtutis, voluptatiſque fuit vnquam pugna, quæ in reliquis filijs Adæ eſſe conſueuit, quemadmodum teſtatur deſcribitque D. Ambroſius lib. 1. de Cain cap. 4. ijſdem pene coloribus quibus eas depinxit Silius. *Duæ*, inquiens, *mulieres vnicuique noſtrum cohabitant inimicitijs, ac diſcordijs diſſidentes, velut quibuſdam Zelotypiæ contentionibus noſtræ replentes animæ domum. Vna earum nobis ſuauitati, & amori eſt blandæ conciliatrix gratię, quæ vocatur Voluptas. Hanc nobis opinamur ſociam, ac domeſticam. Illam alteram immitem, aſperam, feram credimus, cui nomen virtus eſt. Illa igitur meretricio procax motu, infracto per del cias inceſſu, nutantibus oculis, & ludentibus iaculans palpebris retia, quibus precioſas iuuenum animas capit. Oculus enim meretricis laqueus eſt peccatoris. Altera repente ſuperuenit ingenio, matronalique inceſſu grauis, vultu ſerena, genuino quodam pudoris colore ſuffuſa, ſimplex moribus, vitæ integra, mente ſemper ſui ſimilis, verbis haud blanda, ſanam mentem veraciter exprimentibus, decora natiuo habitu, moderata geſtu, veſtitu modica, ornata non auro, ſed longè precioſioribus ornamentis. Comites eam ſequebantur, pietas, ſanctitas, veritas;*

Virtus, & voluptas in nobis iuges diſcordias exercet.

Deſcribit inde S. Doctor earum inter ſe diſceptationem, quæ ſanè clarè ob oculos proponit acerbam inter carnem, & Spiritum intra nos reſidentem luctam, vtpotè in quibus peccati fomes minimè extinctus eſt, vti fuit in Sanctiſſima Dei Genitrice; quæ non modo nullum peccati fomitem vnquam habuit, vtpotè, quæ & originalis labis, & obligationis eam contrahendi ſemper expers extitit, ſed potius innatam ad bonum virtutemque inclinationem.

B.V. nullum peccati, ſed potius virtutis fomitem habuit.

Vnde Pater noſter Didacus Celada, vir æquè pius ac doctus in ſua figurata Iudith, illam mouit quæſtionem: *An ſicut Maria nullam vnquam habuit propenſionem ad peccatum; ſic aliquem habuerit fomitem ad virtutem?* Et ſentire videtur eam habuiſſe ſemper generoſum quendam fomitem ad virtutem naturalem, quæ non exceſſerit humanæ naturę metā. *Cuius*, inquit, *veſtigium apparet in eximie proba aliquorum indole, quæ ad multas morales virtutes prona eſt, ex bonitate naturæ.* Idque confirmat B. Cardin. Petri Dam. auctoritate ſer. 1. de Natiu. qui ab ipſa optima Deiparæ natura miſericordiā videtur exigere, dum ait: *Moueat te natura, potentia moneat, quia quanto potentior, tanto miſericordior eſſe debebis.* Vide ibid. §. 2. apud Celadam plura.

154. Hinc Ioannes Gerſon Cancell. Pariſ. ſer. de Concept. B.V. introducit non modo Naturam Parentem optimam, verumetiam virtutes omnes ſeſe Deo vniuerſorum Opifici offerentes ad corpus quam concinniſſimè efformandum eique præclariſſimam quādam indolem ad omnem probitatem naturaliter propenſiſſimam tribuendam, innixus ſapientiſſimo illo dicto Boetij lib. 4. de Conſolat. metro 6. *Viri ſacri corpus virtutes ædificauere.* Sic igitur Sapientiam, DEVM ipſum virtutum omnium, ac præcipuè charitatis nomine alloquentem introducit: *Imperator altiſſime tuam perſpicimus voluntatem eſſe creare ac producere ſummam quandam creaturam, excellentemque Dominam, ſuper omnes alias, quæ vnquam fuerunt, vel erunt. Et breuiter talem, quæ digna ſit eſſe Mater tua, ſoror tua, Sponſa, & Amica tua. Ad te certum, verumque Patrem venimus humiliter laborem noſtrum offerentes diligenter, & ex corde bono. Ad hoc negotium vnaquæque ſecundum poſſe ſuum, & officium, quod nobis accommodaſti ſine præſumptione, adulatione, & iactantia dicimus, nil nos obliuioni tradituras, quin ſit omnino perfecta, tota pulchra, & digna, quæ a te ametur. Sine nobis non dubium eſt, quod vis facere, potes. Sed te rogo non contemnas oblationem hanc, ac ſeruitium, quoniam in honorem noſtrum, nobilitatem, valorem, famamque noſtram maximopere augmentabis. Nos eam innocentiá, & virginitate Abel donabimus. Fide Abrahę; Conſtantiā Ioſue, Sapientia Salomonis. Ipſa pulchra erit, vt Rachel; Fæcunda vt Lia; Sapiens, vt Rebecca; Deuota vt Elias; Nobilis vt Dauid; Excedet Moyſem in clementia, Iob in patientia, &c.* Hac virtutū oblatione facta in corpore Deiparæ efformando, introducit inde vniuerſi totius Opificem Virtutum hanc promptiſſimam approbantem voluntatem, eiſdemque ſic loquentem, decretumque ſolenne ſtatuentem: *Conſentimus, volumus, & iubemus, vt ſecundum quod obtuliſtis vos, concedatis, tribuatis, & apponatis, omnem curam veſtram, poſſe, ac ſtudium, ad Amicam meam totam pulchram*

Virtutes B.V. corpus efformauerūt.

Viri ſancti corpus virtutes ædificant.

Virtutum Proſopopæia.

B V. eximitur à lege vniuerſali contrahendi Originale peccatum.

Duo Cherubini super Arcam eandem, & sese mutuo respicientes Naturam, & gratiam denotant.

componendam, adornandam, ac dotandam. Scitote porrò nos minimè velle, vos habere respectum ad Regulam nostram, legemque generalem impositam propter forefactum primi Parentis, quoniam pro alijs lex illa facta est, non pro ipsa; quemadmodum eam singulariter eligimus, ita singulariter priuilegijs eam dotare volumus. Ex quibus sanè omnibus rectè inferimus Deiparam Virginem ab ipsa optima Parente Natura, optimam inclinationem ad omnem probitatem, virtutemque habuisse, siquidem corpus ipsius non modo ipsa Natura, verumetiam ipsæ virtutes, ita supremo Numine decernente fabricasse visæ sunt.

155. Quare cum Natura, & Gratia siue virtutes omnes vires suas in efformanda Virgine exeruisse videantur, iure merito dicere possumus Naturam, quæ à virtute minimè abhorret, ei propensionem summam ad illam tribuisse, adeo vt, & si ipsa Gratia eam ita ad virtutem ab ipsa Conceptione immaculata inclinatam non efformasset, reperisset nihilominùs in se summam cum virtute à Natura sibi inditam consonantiam; Vnde duo illi Cherubini super Arcam ita collocati, vt simul, & se mutuo, & ipsam Arcam contemplari viderentur, nil denotasse visi sunt aliud sententia Ariæ Montani, quam Gratiam ac Naturam exertis omnibus suis viribus tam eximium, tam singulare suum opus suspexisse. Ex quibus luculenter colligere licet gloriosissimam Virginem longè gloriosiorem fuisse Hercule illo à prima sua adolescentia in biuio constituto, cum nulla vnquam virtutis, ac voluptatis, rationis, ac sensus, in illa extiterit altercatio. Siquidem hoc ipso quod absque labe peccati originarij fuerit concepta, nec vllam obligationem illud incurrendi contraxerit, nullum prorsus peccati fomes in eius corpore animoque locum reperire potuit. Hic enim est qui dissidium inter appetitum rationalem, & sensitiuum in reliquis mortalibus suscitare, & cor ad amorem voluptatis, noxiarumque cupiditatum detorquere consueuit.

156. Quocirca Deipara iure merito viuum quoddam, rationaleque cælum, constellationem Herculis actu Draconem trucidantis repræsentans dicenda est, siquidem omnia penè magni illius Herois cum virtute coniuncta facinora ab ipsis incunabulis perpetrata, ipsiusque robur ac fortitudinem, tam horribilium, variorumque monstrorum victorias triumphosque, & præsertim celeberrimam cum Dracone pugnam, assiduâ suâ cum Tartareo serpente, Hydraque septenis circumuallata capitibus, in hodiernum vsque diem perdurante dimicatione repræsentauit. Quare iure meritissimo Virgini nostræ Heroinæ, tanquam Herculeæ Columnæ fortitudine planè singulari inuictissimæ, non epigraphe illa Herculis; *Non plus vltra*, at potius; *Plus vltra incidenda* est, siquidem à primo suæ Conceptionis immaculatæ instanti in dies magnis passibus *plus vltra* procedēdo, eum quampluribus parasangis, quam longissimè post se reliquit, ita vt ei in nulla prorsus rerum gestarum gloria cōferri posse videatur. Operationes enim omnes Virginis à momento illo aureo Conceptionis etiam minimæ, adeo fuere fœcundæ, vt semper maiorem, intensioremque in momenta singula gradum gratiæ, ac gloriæ mererentur, vt fusè alibi ex P. Suarez comprobrauimus. Vnde sponsus postquam illius oculos columbarum, Capillos gregum caprarum, dentes item gregum tonsarum similes esse pronunciasset, mox addidit; *Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Quæ verba in Virginem pijssimus Cardinalis expendens Halgrinus, sic loquitur: *Hoc ad tria præmia B. Virginis refertur, ad oculos scilicet, capillos, & dentes, qui omnes habent gemellos, geminos siue fructus, siue fœtus. Affectus enim B. Virginis, qui per oculos designantur; & cælestium contemplatio, quæ signatur in capillis; ingenium quoque, ac studiositas, quæ notantur in dentibus, & ipsa B. V. fructum fecerunt per meritum, & in nobis per exemplum: & in illis omnibus, oculis scilicet, & dentibus, nullus actus fuit sterilis, & absque præmio, quia postquam concepit Filium:* (imo, & ante ipsius Conceptionem, visionis nempe beatificæ, qua in instanti suæ Conceptionis, ex piorum aliquorum Theologorum sententia fruita est, beneficio:) *Sic fuit tota charitate condita, vt piè de ipsa credatur, quod omnis motus rationis, in ipsa fuit fructuosus ac meritorius, quod est ipsius priuilegium singulare.* Hæc Halgrinus. Quod si dicamus eam etiam in somnis è Diuinorum contemplatione minimè cessasse, iure dicemus eam etiam dormientem in virtutibus magnis passibus, præsertim in Diuino amore, plus vltra quo-

In momenta singula B.V. in virtutibus proficiebat.

Omnis motus rationis fuit in B.V. fructuosus.

B.V. etiam dormiens in virtutibus proficiebat.

quotidie processisse, ac proinde maiora semper in infinitum virtutum incrementa cumulasse. Quod nobis ipsa Virgo insinuare voluisse visa est, cùm dixit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vnde D. Ambr. *Cum dormiret corpus, vigilabat animus,* de ipsa pronunciare non dubitauit.

157. Cum igitur beatissima Virgo Deipara ab ipso immaculatæ Conceptionis instanti, Virtutem, absque vlla sensum inter, rationemque dimicatione arctissimè fuerit complexa, quod nec summo Herculi contigit, quem cæca gentilitas cælis intulit, vnde Seneca eum iam beatulum ita loquentem introducit in Herc. Oeteo:

Quid me tenentem Regna Syderei poli
Cæloque tandem redditum, planctu iubes
Sentire fatum? Parce, nam Virtus mihi
In astra, & ipsos fecit ad superos iter.
Virtus in astra tendit, in mortem timor.

Cum, inquam, Virgo à primo vitæ suæ exordio virtutem fuerit complexa, iure Iuuentus, quæ à primis adolescentiæ suæ annis in biuio Virtutis, ac Vitij, Voluptatisuè anceps versari consueuit, eam sibi in patronam ac viæ Ductricem debet eligere, vt ipsâ Virtutis monstrante viam, eosque in viam salutis dirigente, tandem æuiternæ Beatitatis, ad quam conditi sumus, finem felicissimè consequantur.

Iuuentus in biuio versans B.V. sibi in patronam vitæ suæ deligat.

Amen.





DISCRVSVS XXIV.

Quod Equus Pegaseus Deiparam Virginem repræsentet.

I.

PEgasus Equus fuit alatus, &,vt volunt aliqui,corniger, æreos habens pedes, quo vecti illi generosissimi Bellerophō,& Perseus Iouis Filij, de monstris plane horribilibus, ille de Chimærâ flammas ore vomente, iste de Ceto, & Gorgonibus gloriosissimam victoriam, triumphumque reportarunt.

De Equo hoc Manil. libr. 1. Astronom. cap. 4. quem ipsum Delphinum celeritate superare censet, sic cecinit:

Quam rapido conatus Equo comprahendere cursu
Festinat, pectus fulgenti Sydere clarus;
Et finitur in Andromeda, quam Perseus armis.
Eripit, & sociat sibi.

Equo huic admirabili iure merito Deipara Virgo potest conferri, quæ alias & à cælesti Sponso Cant. 1. Equo collata fuit. Vbi enim vulgatus legit Interpres:
B. V. Equo candido cōparatur, & quare? *Equitaui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*; Legere 70. Interp. *Equo meo assimilaui te amica mea*. Siue vt legit B. Theodoretus lib. 1. in Cant. *Equæ meæ*. Vnde citans tres Patres Maximum, Nilum, & Nyssenum: *Cum sponsam*, inquit, *amoris stimulo percitam, & ad se currere festinantem cerneret, Equæ æripedi similem esse dixit: Sic enim, inquit Sponsus, tu Virgo hostes profligabis, vt olim equitatus mei instructi, hoc est, Angelici agminis Virtus, Pharaonis copias dissipauit.*

2. Alij vt Blasius Viegas per equū, & equitatum intelligit cum Origene, Apostolos, citantque illud Abac. 3. *Qui ascendis super Equos tuos, & quadrigæ tuæ Saluatio.* Atque ita dum Virgo Equo æripedi confertur, ipsis Apostolis, quorum est Regina, videtur comparari; verum insigniori quadam præeminentiâ. Quemadmodū enim Christus ad Euangelium diuulgandum vsus est Apostolis, velut equis, quibus insidens omnes orbis terrarum terminos peragrauit, sic etiam per suam dilectissimam Matrem, maximè post eius in cælos ascensum, & ipse, & eius Euangelium, per illam mundo innotuit. Quare iure merito Equo illi Apocalyptico candido, quem vidit dilectus Discipulus Apoc. 19. 11. Sanctissima Deipara comparari potest: Eum, illiusque sessorem sic describit: *Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur Fidelis, & Verax, & cum iustitia iudicat, & pugnat. Oculi eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod* Equus candidus non solum Numitatem Christi, sed etiam B. V. denotat. *nemo nouit nisi ipse, etc.* Licet enim Equus hic Albus communiter, vt asserit Viegas Humanitatem purissimam, innocentissimamque Christi vnione hypostaticâ in vtero Virginis copulatam denotet, significare nihilominus potest, & Deiparam, de cuius purissimis sanguinibus operâ Spiritus Sancti illa efformata est. Hanc Verbum Dei, non Iouis, sed æterni Patris Filius, ad Tartareos hostes expugnandos, quemadmodum Bellerophon, ac Perseus ad Chimæras, Gorgonasque, velut Pegasum insedisse visus est, vt humanū genus de horribili illa, & tā diuturna Orci captiuitate liberaret, & spolijs opimis Inferno detractis, gloriosissimè triumpharet. Vnde in capite suo Diademata multa habuisse memoratur, quia de omni tribu, & lingua, natione, & Regno animas in libertatem filiorum Dei asseruit, eamque ob causam tanquam earum, atque adeo totius Vniuersi Regnorum, ac Principatuum verus, legitimusque Rex, ac Dominus multa in capite diademata gesta-

gestare perhibetur. Hinc est, quod in eodem capite Ioannis mox additur: *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

3. Verè Equus quidam albus est Deipara, ob vitæ puritatem, morumque innocentiam, ob Virginalis quoque pudicitiæ candorem, qui Dei Filium vel maximè vt in eius vterum ad liberandum genus humanum de Stygiæ illius Chimæræ faucibus ignem ore vomentibus descenderet, inuitauit. Ob hunc Virginalis puritatis candorem S. Vincentius Ferrerius serm. De Natiu. Domini Deiparam candidissimæ Hostiæ, sub cuius orbe continetur is, quem nec cælorum, terrarumque orbis pene immensus complecti potuit, comparauit. Color enim albus maximè DEVM decet, vt alibi diximus eoque summopere delectatur, quia symbolum felicitatis est ac triumphi. Qua de causa Poetæ Iouis currum æquis albis trahi fabulantur, teste Suetonio in Vita Augusti cap. 9. Quocirca Camillus in curru triumphali equis albis vectus, inuidiam sustinuit, quasi qui Ioui se æquare vellet. Hinc Iulium Cesarem Virgilius deificatum censens, de illo canebat, tanquam de persona Daphnidis:

B. V. ob vitæ puritatem candidissimę Hostiæ comparata.

Albus color Diuinitatis, & fælicitatis symbolum.

Candidus insuetum miratur lumen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes, & sydera Daphnis.

Vbi Seruius interpres: *Candidus, idest DEVS: vt contra mortuos nigros dicimus.* Hinc M. Tullius lib. 2. de leg. *Color albus,* inquit, *præcipuè decorus est Deo, tum in cæteris, tum maximè in textili. Nempe quia virtutes inter se aptæ, & connexæ esse debent, ideo textilia gratiora sunt Deo.* Siue quia castitas, fides, aliæque virtutes, nisi cum charitate iungantur, quæ in auro textili significatur, gratæ non sunt. Ideo candidæ in sacris olim erat, & etiam nunc sunt vestes: Quia Deo color albus, Platone etiam teste, arridet vel maximè. Cum igitur Sanctissima Deipara Diuinitatem Filij eiusque perfectiones in se velut speculo repræsentarit, iure candorem, velut Diuinitatis symbolum eam habuisse dicimus.

4. Candorem hunc puritatis, ac innocentiæ suspiciens dignoque præmio remunerari cupiens Sponsus, eam de Libano iteratâ inuitatione vocabat ad Coronam, tanquam puritate eximiâ planè, ac singulari, coronam promerentem: *Veni de Libano,* inquiens, *Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Cant. 4. Quæ verba trutinans Rich. à S. Laur. lib. 12. ad finem: *Libanus,* inquit, *interpretatur albus, candidus, candor, & candidatio. Quasi in his significatis habitabat Virgo, quando vocabatur ad Coronam. Erat enim alba, & candida per duplicem mentis, & corporis Virginitatem, vel per puritatem, & innocentiam, quæ duo dignantur in candore. Erat etiam ipsa Candor substantiuè, non solum adiectiuè. Erat enim Candor lucis æternæ, & speculum sine macula Sap. 7. Ab isto siquidem candore candescit, quicquid candidum est, quia sicut ait B. Hieron. nihil est speciositatis, nihil gloriæ, & candoris, quod ex ipsa non resplendeat. Erat denique, & est candidatio, quia nigros peccatores, qui Diuinam peccando amiserant similitudinem, impetrando illis à Filio gratiam compunctionis, misericorditer candidat ac dealbat. Quod præuidens Isaias cap. 1. talibus dicebat: Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Sic ille. De hoc quoque Virgineæ innocentiæ candore D. Hieron. serm. de Assumpt. audiamus: *Erat,* inquit, *candida multis meritorum virtutibus, ac dealbata niue candidior, Spiritus Sancti muneribus, & in omnibus columbæ speciem repręsentans; quia quicquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia, & iustitia, quę de cęlo prospexit.*

B.V. Candida per mentis, & corporis Virginitatem vocatur ad Coronã.

B.V. nigros peccatores candidat impetrando eis à Filio gratiam.

5. Equus denique candidus vocitari potest Deipara, quia huius coloris equi cæteris, vt plurimum solent esse celeriores. Atque ita Equus hic Virgineus, atque candidus, quo Dei Filius tanquam Bellerophon, aut Perseus ad Tartarea illa teterrimaque monstra debellanda vsus est, celeris victoriæ, triumphique Symbolum fuisse videtur. Quare Latinus Poeta lib. 12. Aeneid. Turnum celerem victoriam sibi de Aenea spondentem sic describit:

Equi candidi reliquis, vt plurimum sunt velociores.

Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,
Qui candore niues anteirent, cursibus auras.

Et paucis versiculis interpositis:

Bigis it Turnus in albis
Bina manu lato vibrans hastilia ferro.

Denique Claudianus:

Ipse albis veheretur equis, currumque sequutus
Laurigenum, festo fremuisset carmine miles.

6. Virginei huiusce Equi velocitatem non modò candor, sed, & ale, quibus instructus est, nobis ob oculos proponunt.

Hinc

Hinc Catullus de hac Pegasi celeritate:

Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Rhesi niueis, citisque bigis;
Adde huc plumipedas, volatilesque,
Ventorumque simul require cursum.

B.V. celeritas mentis in contemplatione.

Vnde hanc ob causam alibi Deiparæ senas alas, easque Seraphicas ex S. Amadeo attribuimus. Alas hisce præcipuè in mente Virginis circa Diuinorum contemplationem perspicere licet, in quibus volatus sanè celerrimos fecisse visa est. Hos Vbertinus Cassalius lib. 1. Arboris vitæ ca. 11. circa præsepè Christi recens nati mirificè, vt de reliquis breuitatis causâ sileamus, expressit: *Vides*, inquit, *quales saltus facit in mente Virginis iste sponsus saliens in montibus, trasiliens colles? Enumera altas, & varias considerationes mentis Virginalis, quę nunc respicit eum DEVM immensum, nunc ligatum paruulum, nunc gaudium Angelorum, nunc vagientem Infantulum: nunc in medio Patris, & Spiritus sancti: nunc in medio bouis, & asini: nunc aperientem oculos multo lucidiores sole super omne creatum; nunc claudentem ipsos ad modicum somnum; nunc replentem cælum, & terram; nunc inter præsepium coarctatum: nunc panem æternum, cibum Angelorum; nunc gratiosum Puerum lactantem eius pectus; Verbum quod didicit totam Paternam scientiam, infantem tacentem ad Pastorum præsentiam: æternam lætitiam cæli potentatus; temporalem lacrymam nostri incolatus: Ignem replentem cælum calore; paruulum in media hyeme frigescentem. DEVM æterni Patris Filium omnium beatorum Satiatiuum. O Virgo beatissima, misericordissima Mater, quis existimare, intueri, reuereri, & cogitare sufficiat istam tui cordis perfectionem, stabilem fixionē, circumspectam relationem, deuotam considerationem, plenissimam transformationem, qua cor tuum Spiritu S. plenum, & ab ipso agitatum, & motum, miris, & ineffabilibus modis ferebatur ad ista? Solus iste Dilectus tuus Emmanuel Natus tuus, verbum quod dicit omnia, non solum creata, sed & paterna præcordia, hoc nouit*. Hæc Vbertinus.

B.V. ob celeritatem subueniendi suis clientulis Columba.

7. Quid de alijs Virginis nostrę benignissimæ dicemus volatibus, quibus ad subueniendum, patrocinandumque mortalibus vti consueuit? Hanc ob causam crediderim eam varijs volucribus fuisse collatam, & in primis vnicam Columbam appellatam, quod pernicibus instructa pennis ad opitulandum suis clientulis, quauis in necessitate quā citissimè aduolet. Hanc ob causam Mulieri illi Apocalypticæ, quæ, vt sæpius dixi, gloriosissimæ Deiparæ typus extitit datæ alæ Aquilæ grandis fuisse memorantur. Apoc. 12. Ideo fortassis eam sponsus confert Turturi: Genæ tuæ sicut Turturis Cant. 7. Hinc aliqui Deiparam vnicæ Phœnici, vt Ruffinus in Symbol. Apostolorum. Et Ioannes Posoniensis Eremita Paulinus in M.S. ser. de Visit. B.V. anno 1488. ait: Dicunt S. Ambr. & Isidorus, *quod Phœnix sit auis vnica in mundo non habens parem. Vocatur vnica seu singularis, quia præ reliquis auibus est pulchrior habens plumas oculatas; Per hanc Virgo Maria specialiter designatur, quæ fuit tam in terris, quam in cælis præ omnibus singularis in dignitate, nec aliqua mulierum in toto orbe fuit ei similis.* Vnde dicitur Cant. 1. O pulcherrima mulierum. Hinc Virgo ipsa, ob hanc incredibilem velocitatem nobis succurrendi, se rectè Ceruam vocat dum Filium dilectissimum appellat Hinnulum: *Similis est dilectus meæ capreæ hinnuloque ceruorum*. Cant. 3. Ipsa enim verè est Cerua illa amabilissima, de qua longè melius dixisset Salomon. Prou. 9. v. 19. *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, Cerua charissima, & gratissimus hinnulus. Vbera eius inebrient te, in omni tempore, in amore eius delectare iugiter*. Quasi dixisset: quemadmodum Cerua, ac hinnulus mansuefacti ac cicurati in domo aliqua gratissimi, acceptissimique sunt omnibus ob mansuetudinem innatam, quia felle carent; ita multò magis tibi accepta sit Virgo purissima, quæ tibi charissimum hinnulum, Dei Patris peperit Filium, eius vbera te velut adoptiuum Filium ac ipsius IESV fratrem inebriēt quotidie amore Diuino adeo, vt extra te positus, omnibus mundi, carnisque amoribus, illecebrisque moriaris.

B.V. Phœnix singularis.

B.V. Cerua velocissima.

8. Et verè si quis rectæ Deiparæ in opitulando mortalibus plusquam alâtam, plusquam Ceruinam consideret celeritatem, pientissimamque solicitudinem, fieri non posset, quin castissimo eius amore inebrietur, atque extra se quodammodo ponatur, dum tantam in nos, expeditamque contemplatur beneuolentiam. Quis enim capiat illud, quod Diuus obseruauit Anselmus lib. de Excell. Virg. cap. 9. *Velocior est nōnūquam salus inuocato Nomine Mariæ, quam inuocato Nomine Domini IESV vnici Filij sui. Et id quidem non ideo fit, quod ipsa maior, & potentior eo sit; nec enim ipse magnus, & potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo*

Quam velox sit B.V. inopè suis clientulis afferenda

go propitior salus in recordatione eius, quam Filij sui sæpè persicisciturr? Dicam quod sentio: Filius eius Dominus est, & Iudex omnium discernens merita singulorum. Dum igitur à quouis, suo Nomine inuocatus non statim exaudit, profectò id iustè facit. Inuocato autem Nomine Matris, & si merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiatur. Sic Anselmus. Ob hanc hominibus succurrendi velocitatem à Richar. à S. Laur. libr. 9. comparatur Deipara Fluuio illi Paradisi, qui Tigris appellatur, à velocitate, seu sagitta, sic dictus, vel à Tigride animali currendi velocitate celeberrimo.

B.V. Equis solis longe velocior in hominibus adiuuandis.

9. Celebres sunt equidem in Poetarum fabulis à celeritate

Pyrois, Eous, & Aethon
Solis Equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras

Afflantes roseis, mundumque momento temporis Phœbea luce inaurantes. Celebris est apud Silium Italicum Equus ille vocatus Lampon dum de illo ita cecinit:

Callaius Lampon ventos post terga relinquens.

Et alter ille, de quo idem:

Erectus in auras
It Sonipes, rapidaque volans per aperta procella
Tenuia vix summo vestigia puluere signat.

Nec minus celebris est apud Virgilium agilitate corporis insignis adolescens Nisus, de quo Aeneid. 5. ita canit

Primus abit, longèque ante omnia corpora Nisus
Emicat, & ventis, & fulminis ocyor alis.

Famosa denique vt alios quamplurimos velocitate notissimos missos faciã, fuit ea Bellatrix Heroina Volsca de gẽte Camilla, quæ assueta fuerat vt idem canit Poeta Aeneid. lib. 8.

Prælia Virgo
Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
Illam omnis tectis, agrisque effusa iuuentus
Turbaque miratur Matrem, & prospectat euntem
Attonitis inhians animis.

At longè celebrior mirabiliorque est Virginis Heroinæ nostræ Bellatricis acerrimæ in ferenda ope mortalibus assidue contra Tartareos hostes in acie versantibus, & dies noctesque horrificis prælijs, vt quotidiana docet experientia, dimicantibus promptitudo, ac velocitas, ac tunc præsertim cum animæ corpore soluendæ, in vitam alteram sunt emigraturæ. Tunc enim illa, velut pijssima Mater, auxilium allatura ijs vel maximè, qui peculiari aliquo obsequio dum in hac vita degerent vbi eam demereri studuerunt:

B.V. celeritas in suis clientulis iuuandis dum moriuntur.

Illicet igne Iouis, lapsisque citatior astris
Emicat, ac de æterna salute periclitantibus manum porrigit.

10. Testis est Clericus ille, de quo B Petrus Card. Damia. Opusc. 10. cap. 10. *qui, vt ipse loquitur, cum multis peccatis esset obnoxius, & præcipuè carnalis illecebræ fœtoribus inquinatus, tandem languore correptus, ad extrema peruenisset, tremefactis visceribus expauescere, & accusante conscientiâ diuinum cœpit iudicium medullitas formidare; cumque spem in se nullius boni operis inueniret, totum se protinus ad postulandum B. M. semper Virginis auxilium contulit, & sub eius patrocinium importuna cordis anxietate confugit, his fere verbis insistens: Non ignoro, ò Beata mundi Regina, quia te in multis offendi, & castitatis, atque virginitatis cuius tu Mater es, ego in meo corpore signaculum violaui, innumeris etiam peccatorum sordibus inuolutus sum, nec dignus inuenior te totius mundiciæ principem pollutis labijs inuocare. Veruntamen ò Ianua cæli, Fenestra Paradisi, vera Mater Dei, & hominis, tu mihi testis es, quia septies in die laudem dixi tibi, & quamuis peccator, quamuis indignus, omnibus tamen horis Canonicis tuæ laudis obsequium non fraudaui. His dictis, decumbenti mox pijssima Virgo Dei Genitrix adstitit, blandè consolata peccata illi dimissa, ex largitate Diuinæ misericordiæ nunciauit.* Quibus hæc attexit idem Cardinalis, quæ summè nos ad Virgineum officium piè religioseque tantæ tamque expeditæ Auxiliatrici persoluendum, in eamque confidendum tanto in discrimine constitutos exstimulare possunt, ac debent: *Hoc proculdubio nouimus,* inquit ille, *quia quisquis quotidiana prædictis horis officia in eius laudibus frequentare studuerit, adiutricem sibimet ac patrocinaturam ipsius Iudicis Matrem in die necessitatis acquirit.* Tandemque concludit: *Hanc igitur rudem scriptiunculam ac incultam, Dilectissime, sæpius iterando percurre, & non qualiter, sed quid dicatur attende: Imo, vt ita loquar, non verborum culmo, vel folijs, sed medulla*

Clericus libidini deditus ob persolutũ Officium B. V. quotidie, ab ipsa in articulo mortis iuuatur.

Officium B. V. quotidie recitare quã sit vtile.

dulla potius intelligentiæ delectare. Prædictam horarum obedientiam Deo iugiter exhibe, in reliquis etiam te sanctæ conuersationis studijs vigilanter exerce, quatenus si nunc sub leni iugo eius, tanquam seruus, ceruicem cordis attriueris, inter filios postmodum hæreditatis supernæ funiculum cum gloria sortiaris.

Hæc Damia. Quæ sane vnumquemque nostrum in summam spem, fiduciamque de Virginis celeri, expeditoque patrocinio obtinendo in tremendo illo mortis articulo mirificè erigunt, vt feliciter ex hac vita ad meliorem, sub tãtæ Matris tutela, inoffenso pede, trãseamus. Eamdem Virginei auxilij celeritatem in postrema sua infirmitate expertus est B. Ioannes Dei Fundantor Fratrum curantium infirmos, dum enim grauissimis æstuaret febribus B.V. eum inuisere pro materna erga illum pietate non est dedignata, dum eius lectulo adstaret purissimis suis manibus sudorem quem mortis exprimebant angustiæ, ab eius fronte detersit, eumque cõsolata est. Credibile sane videtur eamdem Virginem choro Angelorum stipatam eius animam excepisse. Siquidem eius vitæ Auctor scribit, virum hũc sanctum paulo antequam corporis ergastulo solueretur, sese suis vestibus induisse, ex & flexis genibus Christum de Cruce pendentem complexum mox exspirasse, strepitũque vltro citroq; commeantium mox auditum, quem ille ab Angelis excitum fuisse affirmauit. Quo audito, qui pro foribus erant, cum cubiculum essent ingressi illum exanimem genibus nixum in amplexu Crucifixi repererunt, quo in situ sex horis integris perdurauit facie Angelica, & toto corpore cælestem quamdam fragrantiam exhalante. Ex quibus omnibus nõ modo mirifica atque alata quidam celeritas Virginis in suo adiuuando cliẽtulo, verumetiam alij plurimi eiusdem fauores erga ipsum eluxerunt.

11. Quod si Equam hanc Virgineã, vt imitatricem Humanitatis Filij consideremus, siquidem hoc voluisse omnino visus est sponsus, in sententia Cardin. Halgarini cum legit ex 70. Interpp. *Equo meo assimilaui te amica mea*; mirificam sanè, & ipsius puritatem, & expeditissimam in ope generi humano porrigenda velocitatem in Deipara agnoscamus necesse est. Quantam enim velocitatem in Humanitate illa fuisse necesse est, siquidem illam Regius Psaltes, & soli ipsi, qui velut pernicibus alis orbem quotidie circumuolat ac lustrat, (vnde ei Malachias pennas attribuere,) & Giganti cuidam fortissimo conferre non dubitauit: Cùm enim tam de sole hoc visibili, quam de altero inuisibili atque increato loqueretur: *Exultauit*, inquit, *vt Gigas ad currendam viam à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius.* Eandem humanitatem, vtpotè æterni Verbi, sermoni cuipiam velocissimo alibi comparauit: *Velociter currit sermo eius.* Sponsa quoque ipsa eandem Dei Filij humanitatem capreæ, hinnuloque ceruorum assimilauit. Vnde eius admirata celeritatem, qua in redimendo humano genere, de potestate Diaboli visus est, canebat exultans: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* Cant. 3. — Christus sol velocissimus in nobis redimendis.

12. Eandem celeritatem Humanitatis Christi nobis exprimere voluisse visus est Moyses Deut. 32. cum eam Aquilæ contulit: *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit humeris suis.* Idem ipse Dei Filius, cum se Pelicano apud Regium Prophetam*: *Similis factus sum Pelicano solitudinis*, secundum interpretationem D. August. nobis indicare voluit. — Christus Aquila velocissima. — Christus Pelicanus.

13. Eamdem B.V. celeritatem nobis indicauit sponsus cum Equitatui Salomonis eam comparauit. Equitatus enim ille Angelicos exercitus de curribus Pharaonis triumphantes esse dixit S. Greg. Nyssenus. Simulque ostendit Deiparæ puritatem, & velocitatem, esse beatissimarum illarum mentiũ ab omni materiæ concretione separatarum, quam simillimam. Vnde Ioannes Carmelità locum illum sic explicuit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, hoc est, Angelo, quo tanquam Equo meo vehebar olim dum in sinu Arabico Currus Pharaonis euerterem, te similem feci.* Eadem verba paraphrasticè Origines pro Virginis Angelicâ puritate commendanda sic exposuit: *Si vis intelligere ò sponsa, quomodo scire te debeas, cognosce cui te comparauerim, & tunc videbis talem te esse, quæ turpari non debeas, cùm tuam speciem cognoueris. Assimilata es enim equitatui meo in curribus Pharaonis, siquidem quantum differt equitatus meus ab equis Pharaonis, tanto melior es filiabus omnibus tu amica mea.* — B.V. velocitate, & puritate Angelicis exercitibus similis.

14. Ope

Exercitus Pharaonis Angelico Exercitu debellatus.

14. Ope porrò Angelicorum exercituum, Pharaonis, eiusdemque currus, vniuersumque militiæ robur mari rubro obstructum, demersum, delectumque fuisse in confesso est, idque ostendit Nyssenus: Licet enim de vnico Angelo fiat mentio, qui in columna Nubis, & ignis delitescebat, tamen plurimos alios cum præpotenti Deo, tanquam gloriosissimo Imperatore, de suis hostibus triumphante in comitatu, fuisse credibile est. Hanc enim ob caussam dicebat populo Israelitico Moyses Exo. 14. *Nolite timere, state, & videte magnalia Domini, quę facturus est hodie. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Et scient Aegyptij, quia ego sum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus, atque equitatibus eius*. Subnectitque mox, qua ratione Angelus Israelitas protexerit, atque illuminarit, per columnam nubis, & ignis, nocte illâ quâ hæc victoria contingit: *Tollensque se Angelus Dei qui præcedebat castra Israel abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum, stetit inter castra Aegyptiorum, & castra Israel, & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem, toto noctis tempore accedere non valerent*. Quibus verbis innuitur, Angelum qui in columna nubis, & ignis præcedebat castra Israel, se ad finem castrorum constituisse, vt interponeret se inter Aegyptios, & Israelitas, ita tamen vt eâ parte qua respiceret hostes addensaretur, efficereturque nubes crassa, vt Hebræos nec cernere possent, nec ad eos accedere. Eadem tamen columna eâ parte, qua Hebræos respiciebat, habebat speciem ignis castra eorum illuminantis, vt possent proficisci, & transire mare, rubrum, siquidem eâ nocte assiduè proficiscebatur. Vnde Chaldæus vertit. *Erat nubes, & obscuritas Aegyptijs, Israeli autem erat lux tota nocte*. Denique vt ostendatur clarius Diuinam Maiestatem cum suis Angelis de Pharaone triumphasse, subnectit Moyses: *Iamque venerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum, per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum*. Ait enim Lyranus Columnam nubis quasi se aperuisse, vt Angelus in ea latens, per lumen coruscum se ostenderet, & intueretur castra Aegyptiorum, ac mox in ea eiacularetur, tonitrua, fulmina, lapides, aut ignita tela, quibus rotas, & equites caruibus exussit. Vnde Aegyptij dixerunt: *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Pugnam eandem Domini pro Israele, sic describit Iosephus: *Accesserunt, & imbres de cęlo, & aspera tonitrua, fulguribus simul intermicantibus, fulmina quoque deferebantur, nihilque omnino deerat eorum, quę ab irato Deo hominibus ad perniciem imitti solent. Nox quippè caliginosa nimis, ac tenebrosa eos comprehendit, atque ita totus ille exercitus est deletus, vt ne nuntius quidem cladis domum reuerteretur*. Hæc Iosephus.

In columna nubis quæ præcedebat castra Israelis erat Angelus, qui postea secutus est castra nube tegens Israelitas ne viderentur ab hostibus.

DEVS tanquam Dominibus exercituum pugnauit cū suis Angelis contra Pharaonem.

In pugna Israelis cum Pharaone fulmina, & fulgura cum ingenti imbre mixta fuere.

15. Accessit citissimus, ope Angelorum, per mediam latitudinem maris rubri, isque directus, absque vllo circuitu transitus, qui, Adrichomio teste, est spatij sex Leucarum, & à media nocte, 5. horis minimè, naturæ viribus potuisset confici, nec in aurora ad littus tot millionum hominum, & animalium multitudo euadere. Quare Cornelius censet ab Angelo fuisse roboratos, atque incitatos ad iter accelerandum. Hinc enim dicitur Psal. 104. Non erat in tribubus eorum infirmus, Angelo videlicet firmitatem, vires, roburque corporis subministrante. Quæ sanè omnia nobis clarè ostendunt, comparationem illam Virginis nostræ Sanctissimæ, à cælesti Sponso cum Equitatu Domini de Pharaonis curribus, exercitibusque triumphante, institutam, ad nil aliud tendere, quam ad ostensionem illius candoris, puritatisque, nec non celeritatis Angelicæ, quę in subueniendo hominum necessitatibus, ac miserijs, præsertim in erudiendis de acerbissima Tartarei Pharaonis, peccatique captiuitate mortalibus, opportunè Virgo succurit, inque filiorum Dei libertatem asserit.

B.V. Virga Moysis quæ solo contactu maris rubri Aegyptios submersit.

16. Quod si cum Ruperto Abbate gloriosissimam Deiparam Virgam illam Moysi, qua diuisum, clausumque momento temporis fuit mare rubrum, ad demergendos Aegyptios, & in libertatem asserendos Hebræos pronunciemus, velocissimum sanè in opitulando Virginis auxilium agnoscemus, vtpotè quod tenuissimæ Virginis auxilium agnoscemus, vtpotè quod tenuissimæ Virgulæ contactui, qui vnico temporis fit instanti, simillimum esse videtur. Quamobrem Bernardinus Bustius Virginis manus ob celerem, expeditamque opem, quam humano generi afferre consueuit, torno, cuius ars celerrima

est, elaboratas esse pronunciauit, elogiumque illud Sponsi in Sponsam transtulit: *Manus eius tornatiles aureę, plenę hyacinthis.* Cant. 5. *Ista*, inquit, *manus fuit tornatilis. Vas autem tornatile habet rotunditatem, mobilitatem, atque velocitatem, quę ex ipsa rotunditate causatur. Vas enim quadrum ad mouendum est tardum. Sed res rotunda ad mouendum est apta, & velox. Sic & Manus B. Virginis leui motu ad nobis succurrendum se erigit. Vnde de ipsa dici potest: Preoccupat, qui se concupiscunt, vt eis se prior ostendat* Sap. 8. *De illa etiam dici* Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia. Ipsa quoque Virgo dicere potest illud Isa.* 45. *Antequam clament ego exaudiam, & adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Sic ille Par. 3. Mar. serm. 4.

B.V. manus tornatiles ob celeritatem in adiuuandis hominibus.

17. Idem vocat ob eandem celeritatem Deiparam Manum Dei. *Per istam Manum*, inquiens, *DEVS nobis tribuit bona Paradisi.* Vnde Psal. 74. *Extendit manum suam in retribuendo. Per ipsam etiam electo suo succurrit* Ps. 88. *Manus mea auxiliabitur ei, nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Denique ipsa spero ad Regnum cæleste me perducet* Psal. 135. *Quoniam illuc manus tua deducet me.* Cùm igitur Dei Manus, momento temporis cælum, terram, atque adeo vniuersam, quæ tam vastâ mole continetur, molita sit creaturam; verissimè enim pronunciauit Iob cap. 12. 9. *Quis ignorat, quod omnia hæc Manus Domini fecerit? In cuius manu anima omnis viuentis, & Spiritus vniuersæ carnis hominis.*) Cum, inquam, Dei manus vnico momento omnia condiderit, facile colligimus gloriosissimam Virginem, quæ tam Dei naturam, quàm eius æmulata est attributa, præsetim verò omnipotentiam, orbem perditum renouando, ac reparando, suo illo omnipotēti verbo: Fiat mihi secundū verbum tuū: in suis actionibus omnibus admirabile semper pręsetulisse celeritatem. Vnde hanc ob causam Virginis studiosissimus Ioan. Card. Halgrinus censuit vocatam Virgulam fumi, dicentibus ac mirantibus beatissimis mentibus Cant. 7. *Quæ est ista quæ ascendit sicut Virgula fumi. Ascendit B. V.* inquit ille, *de virtute in virtutem proficiendo in operibus suis exterius. Hæc Virgula fumi dicitur, quia fumus agilis est, & de ignis calore est, & procedit, & ascendens, ab humanis disparet aspectibus. Et benè B. V. per officiositatem agilis fuit, quę ad Elisabeth se transtulit ascendens in montana cum festinatione, vt ei, & Filio nascituro ministraret. Agilis fuit, quia leui cursu, leui saltu transiliuit omnes vitiorum spinas ac foueas. Hęc ardore Spiritus Sancti accensa sic ascendendo profecit in gratia, sic ascendit in gloria, & velut disparens omnem humanam cognitionem excedit.* Hæc Halgrinus. Quis igitur iam dubitet Equum illum Pegaseum æripedem, alatum, & ob candorem, & ob velocitatem pulcherrimum, fuisse typum ac figuram, Deiparam multiplicibus illis stellis in cæli firmamento repræsentantem?

Per B.V. tanquam per Manum nobis dat Deus Paradisi.

B.V. agilis, & officiosa in visitanda Elisabetha.

18. Quod si eundem Equum suâ vngulâ Musarum fontem limpidissimum Hippocrenem, quo Pieridum siue artium liberalium cultores labra proluere, oestroque Sacratiori ad fundendos ingenij partus concitari consueuerunt, elicientem consideremus, genium sane ipsius Deiparæ magis expressum quodammodo intuebimur. Cùm enim illa æternæ Sapientiæ Parens extiterit, omnesque scientiæ, artesque liberales, donum eiusdem sint increatæ Sapientiæ, consequens sanè est per ipsam purissimos, limpidissimosque scientiarum fontes in orbem vniuersum emanasse. Ipsa enim verè est ratione præditus Paradisus, vt eam Diuus appellat Thaumaturgus; ipsa locus voluptatis, ex qua Fluuius ille Diuinus, ac Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis egressus Eccli. 1. sapientiam suam, rerum nimirum Diuinarum, humanarumque scientiam orbi vniuerso communicauit. Licet enim aliqui scientiarum riuuli ante Dei Filij in vterum Virginis aduentum mundi solum, Protoplastorum scelere sterilescens asperserint, nunquam tamen, eâ fœcunditate, ac copiâ orbem irrigarunt, quam postquam ipsa Dei sapientia humanata est: tunc enim ex Vtero Virginis, velut loco voluptatis egrediens, vt loquitur Card. Damia. serm. de Ann. ad instar fluuij diuisi in quatuor capita, vniuersam terræ superficiem, vberrimis suis fluentis irrigauit. Quæ capita licet S. Aug. lib. 13. de Ciu. cap. 21. præclarè dicat esse 4. Euangelia, & S. Greg. Virtutes totidem Cardinales; crediderim tamen etiam dici posse, Theologiam esse scientiam, literas sacras, Philosophiam, ac denique artium liberalium cognitionem, quæ sanè postquam Diuinus ille Fons Paradisum vteri Virginalis fœcundauit, non modo totum orbem amplissimis suis vndis influxerunt, sed multo quam

Equus Pegaseus fluuium Hippocrenes vngula sua elicuit.

Per B.V. tanquam æternę Sapientiæ Matrem fontes scientiæ eruperunt.

Quatuor capita fluuij Paradisi sunt 4 Euangelia, item 4 virtutes Card. ac denique Scia Theologica, Sacræ literæ, Philosophia, & artes liberales.

quam ante, & fœcundæ, & dulces euaſerunt. Videnturque mihi hæ ſcientiæ eum fructum percepiſſe, quem Rupertus Abbas libro 2. de Trin. & operibus eius c.24.& 29. aquas olim hauſiſſe memorat his verbis: *Aquarum natura per ſe ſalſa eſt, nec idonea potui, ſicut in ſeipſa oſtendit, aſcendens autem de abyſſo, quæ eſt Matrix omnium aquarum, in illam quaſi magni corporis terræ mammam, ideſt Paradiſi fontem, quodammodo lacteam aſſumit dulcedinem, & irrigat vniuerſæ terræ ſuperficiem, vt iuxta Pſalmiſtam potent omnes beſtiæ ſyluæ, expectent onagri in ſiti ſua, imo vt dulceſceret omnis terra ad nutricandam herbam virentem, lignumque pomiferum, quod iuſſa erat terra producere, atque hoc potiſſimùm valet in terris orientalibus, non ſolum panis, & vini, ſed etiam precioſorum aromatum, metallorum, ac lapidum fertiliſſimis.*

Omnes aquę à fonte Paradiſi dulcedinem hauſerunt.

Omnis igitur aquæ potabiles, & ſalubres vbicumque fluant, & vndecunque appareant, de fonte Paradiſi per occultos meatus originem trahunt, & ex eius dulcedine hoc habent, vt potabiles, & ſalubres ſint. Et quemadmodum iecur in corpore animalis fons eſt ſanguinis, vt docent Phyſici, cunctis per corpus ſparſis venis ſanguinem diſpenſans, atque hoc miniſterio vitam animalis conſeruans; ſic ille fons vniuerſam terram per occultas venas irrigans, vegetat, & in multos redundat fontes ac flumina. Sed eorum omnium iſta quatuor ſunt capita, ideſt principalia. Fontes igitur Tigris, & Euphratis, ſi libet in Armenia demonſtrentur, & tamen per viam, quam ſolus nouit auctor Fluminum DEVS, de Paradiſo ſecundum veritatem ſcripturæ huius manare credantur. Hæc Rupertus.

19. Quæ quam vera ſint, fides ſit penes auctorem, nobis ſufficiat, quod ex hoc aliqua ratione oſtendamus, Artes liberales, Philoſophiam, reliquaſque ſcientias, à ſempiterno illo omnis ſapientiæ fonte, in Paradiſum vteri virginalis ſeſe infundente, dulcedinem mirificam fœcunditatemque fuiſſe ſortitas, eaſque à Virgine, velut rationali Paradiſo ad inſtar quatuor fluminum in vniuerſum orbem fuiſſe effuſas, atque deriuatas. Vnde ipſa in ſempiternæ Sapientiæ perſona gloriatur. Eccli. 24. *Ego ſapientia effudi flumina*; quaſi quiſpiam Equus Pegaſeus fontes Caſtalios atque Hippocreneos. *Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio, ego quaſi fluuij Dionyx, & ſicut aquæ ductus exiui de Paradiſo. Dixi: Rigabo hortum meum plantationium, & inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus eſt mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.* Atque vt intelligeremus, illam de ſcientijs etiam humanis loqui mox ſubnectit: *Quoniam doctrinam, quaſi antelucanum illuminabo omnibus, & enarrabo illam, vſque ad longinquum;* Oſtendens reuera ſe Auroram amicam Muſis, lumenque quoddam eſſe mentium, vſque ad longinquum, longè, lateque ſeſe diffundens, imo ad terrę abdita, ipſoſque antipodas penetrans. Inde mox ſubtexuit: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Quod ſanè impletum clarè in Indis, Iaponijs, Siniſque, ac toto orbe nouo perſpicimus, in quo non ſolùm Diuinæ ſapientiæ, ſed & humanæ ſcientię, artiumque liberalium lux regiones illas omnes mirificè, beneficio patrociníoque Virginis, eius auſpicijs potiſſimum, vt alibi oſtendimus, ea nauigatio inſtituta fuit, irradiauit, fluentaque eiuſdem Diuinæ Sapientiæ, humanarumque diſciplinarum ſterile illud, incultumque ſolum irrigarunt, effeceruntque, vt pulcherrimæ virtutum plantæ in Eccleſiæ horto ſuccreſcerent.

Per B. V. ſapientiæ ſunt in orbem effuſa flumina.

B. V. eſt quædam Aurora amica Muſis, & lumen mentium.

20. Vt porrò tanto gratiores ſanctiſſimæ noſtræ ſimus Deiparæ, ob ſcietiarum flumina, ab ipſa in orbem effuſa, ſciendum non ſolùm earum perfectionis, ac dulcedinis ipſam, velut alatus ille equus fontis Caſtalij, ſeu Hippocrenes extitiſſe cauſam, verumetiam ipſam, recepto in ſe increatæ ſapientiæ fonte, in ſcientiarum omnium flumen vberrimum, ac limpidiſſimam, vti Arethuſa, mirabili metamorphoſi, quodãmodo transformatam. Hinc B. Albertus Magnus Tractat. ſuper Miſſ. cum ex communi Patrum aſſeueratione dixiſſet, illam eſſe celeberrimam illam Domum Sapientiæ, de qua Salomon Prou. 9. mox addidit, ſeptem illas columnas, quibus tota illa domus falciebatur, ſeptem eſſe artes liberales, quarum cognitionem perfectiſſimam Virginem habuiſſe multis comprobat, & nos in prima Par. Diſcurſ. de Sapientia Virginis ſat diffusè oſtendimus. De hac abſoluta artium liberalium, ſcientiarumque omnium cognitione videndus Religioſiſſimus Pelbartus lib. 7. ſtell. Part. 3. art. 3. vbi ait Virginem eſſe Turrim illam de qua in Cant. 4. *Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura*

B. V. recepto in ſe increatæ ſapiẽtiæ fonte, in limpidiſſima ſciẽtiarum fonte velut quædã Arethuſa, transformata eſt.

B. V. Domus Sapientiæ 7. columnis artium liberalium fulta.

Clypei ex Turri Dauidica dependentes, ſunt Artes liberales, & ſcientia Philoſophica.

tura fortium; Hosce enim clypeos docet artes esse liberales, ac Philosophicas scientias, ad munitionem sacræ scripturæ pertinentes, quas si sancti Doctores apprimè calluerunt, decentissimum à fortiori fuit, vt eas calleret Doctorum omnium illuminatrix Maria. Cuius cùm tandem tantam tamque admirabilem diuinamque sapiētiam omni linguæ ineffabilem considerasset, exclamauit: O' *verè Monstrum cæleste, vt ita dicam cum S. Ignatio, ò admirabilis eius dignitatis, & scientiæ excellentia!*

B.V. Monstrū cæleste, ob variata scientiarum cognitionem.

21. Ob hanc absolutissimam scientiarum omnium peritiam in Deipara contentam, rectè eam Achati gemmæ illi perciosissimæ, quam Pyrrhus ille, qui aduersus Romanos bellum gessit anulo suo gestauit, possumus comparare: Quemadmodum enim in hac teste Plin. lib. 7. cap. 1. *nouem Musæ, & Apollo citharam tenens spectabatur, non arte, sed sponte naturæ, ita discurrentibus maculis*, quemadmodum ait idem Plinius, *vt Musis quoque singulis, sua redderentur insignia*: ita in Virgine nostra sapientissima, increatæ sapientiæ domicilio, tanquam gemmâ Paradisi charissima, omnium Musarum, ipsarumque moderatoris Apollinis artes omnes, ac scientiæ, ceu Ilias Homeri, exiguâ, aureâque in nuce compræhensæ sunt, deque illa, velut vberrimo fonte, in orbem vniuersum emanarunt.

B.V. gemma Achatis in qua nouem Musæ cum Apolline fuerunt expressæ.

22. Hunc artium liberalium fontem Virgineum adumbrauit Fons ille, de quo fit mentio in libro Esther capit. 10. qui clarissimè nostram Figuratam Estherem repræsentabat. Verè enim, vt loquitur sacer textus: *Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit, Esther est, quam Rex accepit vxorem, & voluit esse Reginam*. Verè siquidem postquā Virgo nostra increatæ nupsit Sapiētiæ, postquam æterno Regi per Incarnationem desponsata est, cum esset paruus fons in oculis suis, creuit in sapientiæ, scientiarumque omnium fluuios, & in aquas disciplinarum plurimas redundauit, & in lucem, solemque orbem vniuersum, scientijs ac disciplinis, tam Diuinis, quàm humanis illuminantem conuersa est. Hinc aiebat ipsa: vti iam diximus. *Quoniam doctrinam, quasi antelucanum illuminabo omnibus, & enarrabo illam vsque ad longinquum*. Seu vt legit Græcus: *Nam disciplinam vt diluculum illustro, & ostendo eam, vsque in longinquum*. Seu vt Tigurina: *Quoniam disciplinam illumino, vt diluculum, & in multum tempus illustro eam*. Ex quibus lectionibus P. Cornelius paraphrasin hanc contexuit: *Sicut lux diluculi, siue Auroræ, post noctis tenebras initio modica est, sed sensim crescit, vsque ad meridiem, & lucem clarissimam; ita & ego sapientia siue sapientiæ Parens sensim omnibus illumino, idest lucem meam profero, meque diffundo magis ac magis, donec etiam in lōginquum, idest, in remotissimas gentes me effundam, easque illuminem, vti hoc sæculo factum videmus, ac quotidie fieri in Sina, Iapone, totaque India Orientali, & occidentali*; quibus in regionibus gentes feræ ac barbaræ plusquàm Cimmerijs ignorātiæ tenebris circumuallatæ, Virginis potissimùm, quæ in nouum orbem vti diximus nauigationem feliciter aperuit, beneficio, & diuinæ sapientiæ, & omnium scientiarum lumine clarissimo, breuissimo interuallo temporis, magnâ totius orbis Europei admiratione, irradiatæ sunt.

Per B V. nouus mundus scientijs illuminatus est.

23. Porrò Sanctissimam Virginem Deiparam in Sapientiæ, scientiarumque omnium è Paradiso egredientium transformatam esse flumina quodammodo, luculenter ostendit etiam Rich. à S. Laur. lib. 9. de laud. B.V. his verbis: *Dixit Maria: Ego sapientia effudi flumina, & ex me, quasi flumine oriri feci alia: Ego itaque impleta Sapientiâ, ab illo Rege nato de stirpe Dauid, & Mater æternæ Dei effecta, sapientiæ effudi flumina; siquidem vniuoca debet esse generatio, quia sum Paradisus voluptatis, de quo fluuius exiens diuiditur in quatuor capita. Et non quod Maria signata est per illa quatuor flumina Paradisi terrestris. Phison notat Mariam. Si enim hic Oris mutatio interpretatur; Et Maria os nostrum in laudem Dei immutauit; sicut enim Eua os suum insipientiæ aperuit, cum dubitando, serpenti respondit. Gen. 3. Ne forte moriamur: Maria autem os suum aperuit sapientiæ, dum credendo concepit dicens: Ecce Ancilla Domini. Interpretatur item Caterua, quia fluit cum caterua decem magnorum fluuiorum; & Maria venit in mundum cum multitudine gratiarum, vt de immēsa eius plenitudine omnes reciperent abundanter. Tigris, qui velox, vel sagitta interpretatur designat Mariam, quæ sicut sagitta Domini sua humilitate destruit superbiam. Vnde de ea dicitur 4. Reg. 13. Sagitta salutis Domini contra Syriam. Nisi enim sagitta esset non diceret Sponsus: Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. Tigris denique maximo cum impetu fluit in mare mortuum. Et Maria quotidie infundit gratiam*

B.V. signata est per quatuor illa flumina, quæ exierunt de Parad.

B.V. fluuius Phison.

B V. fluuius Tigris.

B. V. quotidie effundit gratiam peccatoribus desperatis.

tiam peccatoribus desperatis, qui prius erant mare per amaritudinem vitiorum, ac mortui in peccatis. Sic ferè Richardus, apud quē plura si quis volet videat.

24. De hoc porrò flumine Euphrate Virginem denotante congruè aptatur illud quod Eccli. 24. scribit Sapiens: *Qui adimplet quasi Euphrates sensum, siue intelligentiam*. Siue vt legit Tigurina: *In modum Euphratis fœcundat ingenium, & multiplicat quasi Iordanis in tempore messis, suas aquas, videlicet, exundando*. Verè enim Virgo sanctissima non modo velut Euphrates, ac Iordanis, aquis Diuinæ, humanæque sapientiæ copiosissimis redundans, vt diluculum, intellectum illuminat, verumetiam, vt idem Euphrates Iordanisque, vt Tigris, Phison, ac Gehon vberrimis suis, Paradisiacisque fluentis mentem, animumque hominis, bonis operibus fœcundat. In illam siquidem non modo ipse increatæ sapiētiæ, vti sæpè iam diximus, corporaliter sese fons omnium scaturigo infudit, verumetiam omnium Angelorum, hominumque iustorum gratiæ flumina, influxerunt, quæ ipsa nobiscum communicare pro ingenitā sibi pietate non dedignatur. Vnde Seraphicus Bonauentura in spec. cap. 3. illud sapientis ponderans: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*. Eccli. 17. Cum mare quoddam immensum Mariam dixisset, mox subtexuit: *Omnia charismata intrant in Mariam. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam; flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam; flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam. Flumen gratiæ Martyrum, Confessorum, Virginum, Doctorum intrat in Mariam. Omnia denique flumina intrant in Mariam. Sed quid mirum si omnis gratia in Mariam influxit, perquam tanta gratia ad omnes defluxit?* Hæc Bonau.

B.V. velut Euphrates humanum ingenium fœcundat.

In B.V. velut in mare flumina gratiarum Angelorum omniumque sanctorū influxerunt.

M. Mare gratiarum.

25. Cùm igitur in Mariam omnes gratiæ tam gratum facientes, quàm gratis datæ, & Angelorum, & iustorum, quotquot à primis orbis incunabulis extiterunt, in illam velut copiosissima flumina, pleno alueo sint ingressa, quis dubitabit eam, ipsi fluuio ex Edē egrediendi, totumque Ecclesiæ Paradisum fœcundanti; quis dubitabit eam quatuor illis fluminibus inde egredientibus ad orbem irrigandum; quis dubitabit denique eam luci solique diuinæ humanæque sapientiæ radijs hominum mentes illuminanti, comparare? Quare iure merito dicere possumus de hac Virginis nostræ gratiarum gratis datarum copia, quod Sancti Patres, de gratum faciente pronunciarunt, eam nimirum esse immensam, vt affirmauit S. Epiphan. lib. de laud. Virg. Anselmus, & Bonau. Vnde cum audimus ipsam à S. Damasceno orat. 2. de Assumpt. Gratiæ abyssum, ab alijs pelagus, ac mare gratiarum appellari, intelligere verè possumus ac debemus eam Abyssum, mare, ac pelagus gratiarum etiam gratis datarum, & tam humanæ, quam Diuinæ Sapientiæ, omniumque scientiarum Oceanum planè immensum extitisse. Vnde Bernardinus Bustius Par. 3. Marial. serm. 1. cum ex S. Hieronymo dixisset Mariam Illuminatam, ac Illuminatricem nuncupari; mox addidit, eam *esse lucem illam de qua* 2. *Reg.* 24. *Lux Auroræ oriente sole mane, absque nubibus rutilat; & habuisse intellectum magis eleuatum, & illuminatum, quam aliquando vnquam habuerit aliqua pura creatura. Habuit super Neronem, inquit, peritiam omnium artium liberalium, & mechanicharum; Super Aristotelem, qui omnium elementorum rerumque naturalium notitiam habuit, Vnde Regula in natura nuncupatur, de quo commentator Auerr. Creditur, inquit, quod iste homo fuit Regula in natura, quem natura inuenit ad demonstrandam vltimam perfectionem in sciētia totius naturæ. Illuminata etiam super Platonem fuit, qui substantiarum separatarum cognitionem habuit, super Ptolomæum Regem Aegypti, qui astrorum notitiam acquisiuit. Super Moysem, qui creaturarum nouit originem, super Paulum, qui raptus fuit in tertium cælum, &cet. Breuiter concludo: Virgo benedicta habuit omnem scientiam, atque cognitionem, quam vnquam aliquis hominum habuerit, vel habebit. Habuit enim tantam cognitionem creatoris, vt in ipsa cognitione, omnia alia cognosceret, verificatumque est in illa id Psalmistæ dictum: In lumine tuo videbimus lumen. Quid enim est, ait D. Gregor. lib. 4. Dialogorum quod nesciat ille, qui scit scientem omnia. Idque confirmat auctoritate Philosophi lib. 3. de anima, vbi docet potentiam intellectus non esse instar potentiæ sensibilis, quę excellenti percepto obiecto impeditur, postmodum in actu suo circa obiectum minimum, vt patet in his qui postquam viderunt solem, minima videre nequeunt. Intellectus enim modo se habet planè contrario. vbi enim intellexit sublimia, vti DEVM, ac Diuina, facilius intelligit infima, atque ita se habuit intellectus Deiparæ.* Sic ferè Bustius.

M. Illuminata, & Illuminatrix.

B.V. summos quoque in scientiis superauit quā maximè.

Intellectus B.V. Deo intellecto facilius reliqua intellexit.

26. Ex

26. Ex his colligimus Virginem Deiparam esse verè Paradisum voluptatis, quem DEVS, vt loquitur D. Hieron. serm. de Assumpt. omnibus gratiæ diuitijs cumulauit, ac hortus deliciarum, in quo condita sunt omnium florum genera, & omnia ornamenta virtutum. Colligimus quoque eam esse fontem illum, qui ab initio ipsi terræ fuerat pluuiarum instar. *Non enim*, inquit sacer textus Gen. 2. *pluerat Dominus DEVS super terram, sed fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ.* Fons enim hic, Cornelio teste, cum Augustino, Philone, & Nicolao Papa, est abyssus illa primigenia, atque congregatio aquarum post cælum, & terram condita, quam in vnum congregauit locum, vocauitque *Maria*. Hæ aquæ sine dubio per subterraneos meatus hinc inde passim erumpentes terræ vniuersæ superficiem irrigabant. Quæ sanè aquæ Deiparæ genium mirificè repræsentant. Ipsa enim est abyssus illa aquarum profundissima. Ipsa congregatio aquarum, gratiarum scilicet, & scientiam omnium tam Diuinarum, quàm humanarum, quæ vocatur *Maria*, vt obseruauit S. Antoninus, & Albertus, totumque terrarum orbem iucundissimis suis, limpidissimisque riuulis aspergit. Vnde Rich. à S. Laur. lib. 9. Fontem illum ait esse Mariam: *Secundum quosdam*, inquit, *esse Fons iste intelligitur Abyssus, Mater omnium aquarum, ex quo omnes fontes, & flumina oriuntur, & ab illa sanctitate, cuius tota plenitudo descendit in Mariam, omnes Sanctorum Ordines, omnisque Sanctificatio procedit. Et benè Fons ille, qui signat Mariam, dicitur de terra ascendere, quia tota vita Mariæ fuit quidam ascensus, & quædam quasi à terrenis elongatio. Congruè etiam dicitur Fons iste superficiem terræ irrigare. Per terram enim Ecclesia designatur, sicut per eius superficiem, quę terræ ipsius est pulchritudo, Viri sancti, ac iusti, qui de abundantia Mariæ hauserunt, & hauriunt incessanter.* Sed Richar. Hanc terræ superficiem singulariter ego dixerim Religiosos, quos Virgo Sapientiæ suæ, scientiarumque omnium riuulis potissimùm irrigat, vt Ecclesiæ decorem, pulchritudinemque conseruet, vt patet in Alberto Magno velut fluuio, siue sole, in Ruperto Abbate, Hermano contracto, alijsque quamplurimis, qui à Deipara prius illuminati ac irrigati, eximiâ deinde suâ sapientia ac doctrinâ singulare, pulcherrimumque toti Ecclesię addiderunt ornamentum.

B. V. fons ascendens de terra, irrigãs vniuersam superficiem terræ.

Maria Abyssus aquarum profundissima.

Tota vita B. V. fuit quidã de terra ascẽsus, & à terrenis elongatio.

B. V. Religiosos vel maximè varijs inbuit scientijs.

27. Colligimus denique eam Sapientiâ suâ, ac rerum tam Diuinarum, quam humanarum scientiâ instar Paradisiacorum esse Fluminum riuis copiosissimis vniuersum orbem irrigantium, ab eaque omnes velut Hippocreneo, Caballinoque fonte, quicunque in Ecclesia siue humanarum, siue Diuinarum disciplinarum gloriâ, siue denique sacrarum literarum peritiâ, singulari cum laude, in religiosorum præsertim Ordinum Cænobijs hactenùs floruerunt, scientiam omnem deriuasse, eidemque iure merito tanquam inexhausto disciplinarum, scientiarumque omnium profluuio accepta retulisse. Ipsa enim verè est, vt ante dixi, trames increatæ illius, immensæque aquæ de fluuio. Ipsa æterni illius fluuij, inquo sunt omnes Sapientiæ, scientiæque Dei thesauri absconditi Dioryx, siue fossa, in quam Aqua illa Diuina, velut in Aquæ ductum deriuata est, ad ostendendum se Sapientiam vniuersam à Deo participasse eo potissimum tempore, quo fons ille Sapientiæ Verbum Dei in excelsis ad terram sese deprimere, inque purissimum eius Vterum, velut Paradisum influere non est dedignatus.

B. V. Trames aquæ immẽsæ de fluuio.

28. Et licet Virgo Sapientissima fonte hoc Diuinæ Sapientiæ, quæ in vtero ipsius Virginali nouem mensibus conquieuit, omnes Religiosos Ordines, velut totidem, vt ita dicam, Dei Paradisos, pulcherrimaque cælestis Regis Viridaria, eorundemque Viros præcipuos, sanctimonia scientiarumque gloriâ florentes, velut totidem Cedros irrigauerit, crediderim tamen vel maximè, minimam hanc Societatem nostram ab ea fuisse irrigatã; quæ sicut ab ipsius dilectissimo Filio IESV increatâ illâ Sapientiâ, nomen, ita & Diuinarum, humanarumque rerum illam tam exactam scientiam, intercessione, patrocinioque Virginis accepit. Hinc factum vt Viri huiusmodi Deiparam tanquam omnis Sapientię, scientiarumque fontem vberrimum, præcipuo studio coluerint, amantissimèque venerati sint, eamque tenerrimo filialis amoris affectu prosequentes, summis semper in delicijs habuerint, ad illam, tanquam ad veræ Sapientiæ domicilium, in rebus dubijs, ac obscuris confugerint, eiusque lumen, tanquam Illuminatæ, ac Illuminatricis, summa cum pietate, ani-

Societas Ie. su varijs sciẽtiis à B. V. exculta.

Franciscus Suarez in dubij ad B. V. tanquam Illuminatricem recurrit.

animique demissione implorarint, vti constat, missis alijs quamplurimis, fecisse P. Franciscum Suarez clarissimum Sacrosanctæ Theologiæ iubar, & P. Thomam Sanchez, qui vti linguæ balbutientis solutionem, eloquentiamque Virginis beneficio, ita quoque magnum illud scientiæ, ac Sapientiæ in rebus præsertim moralibus donum, tanta cum morum integritate, atque incorruptione, sine dubio sortitus est.

Thomas Sãchez linguæ solutionem à B.V. impetrauit.

29. Vnde Ioannes Sanchez celebris huius nostri sæculi Theologus in Disput. selectis Disp. 33. num. 28. eum *Portentosum in rebus Moralibus* appellare non dubitauit. Disput. vero 43. nu. 16. sic de eodem loquitur: *Cui cedant omnes Scriptores rerum Moralium. Semper enim quoties huius tanti Doctoris curam in perquirendis Auctoribus, tam Theologis, quam Iurisperitis intueor, & rerum examinandarum copiam, in admirationem rapior, & contineri non possum, quin cupiam omnia ossa mea in linguas verti peritas, quibus exactè, si possem, laudes dignas tanto Viro mani festas toti orbi tradere. Mirabilem esse DEVM in Sanctis suis Regius Propheta Psal. 67. est testatus; mirabilem quoque fieri in Doctis suis nullus dubitabit. Mira ergo Dei largitas lucem, & Sapientiam communicantis huic Doctori ostenditur. Modo dilectio excedens erga Sacratā Societatis IESV Religionem elucet, cum tot tantosque filios Sapientiâ, & literis præditos ei præstiterit, & inter illos hunc Thomam Sanchez Gigantem exhibere fuerit dignatus. O maxime dilecta à Deo Religio intende prospere, procede, & Regna.* Sic ille pro pio suo in Societatem affectu.

Thomas Sãchez Portentosus in rebus Moralibus dictus.

Eiusdem Sanchez laus eximia.

30. Non minus illustre Sapientiæ doctrinæque solidissimæ nactus est Franciscus Suarez ab Illustrissimo Alphonso à Castello Branco Episcopo Conimbricensi testimonium 12. Iunij Anni 1613. quem *humanarum rerum religiosum Contemptorem, & vnius pietatis ac Religionis fortissimum defensorem* vocitat: *quem ego propter eximiam Sapientiam,* inquit, *tot monumentis approbatam communem huius ætatis Magistrum, & Augustinum alterum existimo, cui potius credendum admoneo, quam Angliæ Nouatoribus, qui ne se errasse fateantur, obstinatâ in constantiâ erroribus adhærent, & cupiditatum suarum abducti illecebris, circa fidem naufragauerunt, vt Paulus ait.* Hæc ille. Hos ego aliosque omnes Societatis nostræ Doctores, tantam, tamque insignem, cum vniuersi Orbis admiratione, rerum tam humanarum, quam Diuinarum scientiam, imo, & ipsam mansuetionum Musarum siuè litterarum, quâ apprimè pollent, peritiam, à Virgine, velut inexhausto increatæ Sapientiæ Oceano, velut tramite Aquæ immenso de fluuio illo, qui cælestem lætificat Hierusalem, velut Hippocreneo denique, Castalioque fonte, quem ipsa ad instar volantis Pegasi aperuit toti mundo, pleno ore hausisse non dubitauerim.

Laus eximia Francisci Suarez.

Suarez communis huius ætatis Magister.

31. Fontem porrò hunc Scientiarum Virgo obedientiâ humilitateque suâ, ceu Pegasus quadam extremitate pedis, vngulaque toti orbi reserauit, cum dixit: *Ecce Ancilla Domini, &c.* Quare iure merito omnes Musarum cultores illam, vt Castalidum Reginam Calliopem, præcipuo pietatis studio, ac veneratione colere, eiusque obsequijs, quantâ possent assiduitate sese mancipare tenentur, si perfectam, omnibusque numeris absolutam, tam humaniorum literarum, quàm seueriorum cognitionem, scientiamque indipisci concupiscunt. Huic, tanquam Musarum, scientiarùmque omnium Reginæ, in qua DEVS, velut compendio quodam creaturarum rationalium omnem reclusit sapientiam, omnes literis addiscendis dediti, sese dùm præsertim ad studendum accinguntur commendant. Cui sanè potiori iure modulari possunt illud Latini Vatis:

Sapientiæ cultoribus B.V. velut quędam Musarum Regina Calliope inuocanda.

Vos ò Calliope precor aspirate canenti.

32. Ad quod faciendum nos Sapienter hortatur mellifluus Doctor Bernardus, qui de hiscé Virgineis fontibus, velut eius purissimis mammillis, scientiam omnem, Sapientiamque hausisse visus est; vnde propriâ edoctus experientia ser. de Natiu. quem Aquæ ductum inscripsit, quasi Virgo nata Aquam illam immensam, de fluuio Paterni sinus in orbem deduxerit: sic loquitur: *Altius intueamini, quanto deuotionis affectu à nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit delicijs affluens. Hortus planè deliciarum, quam non modo afflauerit veniens, sed & perflauerit superueniens Auster ille Diuinus, vt vndique fluant, & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum.* Vtq; ostendat Vir hic Virginis studiosissimū copiosissimū Flumen, ac lumen pariter orbem irradians, infundensque vt ante pro-

Mariam magno deuotionis affectu à nobis voluit honorari per quam Sapiētiam, & omne bonum ad nos deriuauit.

B.V. fluuius & Sol est quidam Sapientiæ.

bauimus esse Deiparam, mox hæc sub texuit: *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni, ac spatiosi, quid nisi caligo inuolens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui nos totum habere voluit per Mariam*. Vis igitur liberalium Artium cultor habere ac possidere scientiam, ac sapientiam? ad Mariam, tanquam ad solem intellectum illuminantem, ad Mariam tanquam ad fontem illum Caballinum de cælis in terram deriuatum, mentem mirificè rerum omnium notitiâ fœcundantem accede, quia reuera sic est voluntas vniuersorum Domini ac Creatoris, qui sicut gratiam gratum facientem, sic etiam gratias gratis datas scientiarum nos habere voluit per Mariam.

Amen.





DISCRVSVS XXV.

Quod Deipara Deltoton siue Triangulum stellatum, sanctissima sua Anima, eiusdemque potentiarum perfectione repræsentet.

1.

CAeleste Deltoton quod est maiusculum Δ Græcum, siue Triangulus quatuor omnino stellis pulcherrimis ita dispositio componitur, à quibus si lineæ ad se inuicem ducantur lucidissimus conficitur triangulus. In basi siquidem tres visuntur: vna in medio, duæ in singulis basis angulis, quarta denique in summo angulo: De quo Manilius lib. 1. Astron. cap. 4. sic cecinit:

Cui succedit iniquo
Diuisus spatio, qui terna lampade dispar
Conspicitur paribus Deltoton nomine sydus
Ex simili dictum.

Triangulus hic supra Arietis caput, miro fulgore emicat ideo, quia cum Aries ille, pelle exutus aureâ, modicum per se lumen spargat, quaternis illis sideribus dispositis in formam Trianguli, velut facibus lucidissimis mirificè illuminatur. Aries porro ille Phryxi Colchorum Regis filij fuisse perhibetur, quo ipse cum sorore Helle, nouercæ insidias fugiens, cùm ma e fœliciter tranasset, Ioui, pelle aureâ quam in eiusdem Templo consecrauit, exutum, in sacrificium obtulit, quod munus cùm summopere illi arrisisset, illud inter sydera transtulit, idemque 13. stellis exornauit, inter quæ sex omninò visuntur, quæ mediocri luce splendicant.

Aries cæleste signum quale nā sit.

2. Hunc Arietem dixerim ego, Humanitatem Christi, quæ depositis aureis quodammodo Diuinitatis exuuijs, in ara Crucis Deo Patri fuit consecrata, tandemque in cælum translata. Hęc Diuinitati, hypostaticæ vnionis coniuncta vinculo, licet dignitate omnem transcendat, etiam Angelicam creaturam, vt tamen ex vtero Virginis processit, Matremque suam eandem agnoscit, illi sponte se subdit, vt olim cum versaretur in terris, *erat subditus illi*, vt ait S. Luc. 2. 1. eamque supra suum caput quasi extollens, maternam illius in se potestatem reueretur; Vnde venerabilis Rupertus Abbas lib. 1. in Cant. elogium illud à Filio Matri attributum: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra*, attentius expendens: *Ferè in omnibus*, inquit, *Dilectam honore præuenit Dilectus, vtpotè Matrem Filius. Nonnè ille cum DEVS & homo sit, debuerat ab homine modis omnibus honore præueniri? At ille in hac disciplina principatum omnem possidebat. Hinc Apostolus ad Philippenses cum dixisset: Nihil per contentionem, aut inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum, protinus ait: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESV, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, &c. Ille namque sicut in cæteris, ita & in consideratione mei, semetipsum humiliauit, inquit Deipara, quodammodo, non considerans, quod ipse esset DEVS, sed considerans, quod ego essem Mater, & ipse Filius, superiorem me sibi arbitrabatur, vt & Euangelista vult intelligi cum dicit: Et erat subditus illis. Ille veraciter in me veneratur, quod sua Mater, & Virgo: ego in illo adoro, quod sit DEVS, & homo.* Hæc Rupertus, quibus sanè mirificè declarauit, quânam ratione Filius Maternam potesta-

Christus Matri tanquam Filius se sponte subdidit.

Dei Filius Matrem sibi superiorem arbitrabatur.

tem, dignitatemque veneretur in Virgine, eamque quodammodo supra suũ caput attollat, vt stellatus Aries ex sideribus confectum illum Triangulum.

3. Quàm porrò aptè stellatus hic Triangulus Deiparam repræsentet, inde clarè colligimus, si intellexerimus illam Triangulum illum increatum, ac inuisibilem, augustissimam nempe Triadem, tam in anima sua, potentijsque, quàm virtutibus ac perfectionibus mirificè expressisse, ita vt viuum spiransque quoddam eius simulacrum esse videretur, vti prima Parte huius operis diffusius comprobatum est. Quapropter B. Andr. Cretensis Episcopus oratio. 2. de Dormit. B. Virg. introducens Apostolos certatim post obitum Deiparam laudantes, inter cæteras sanè præclarissimas illam attulit: *Hæc est eximia Pulchritudo: à Deo sculpta statua, rectè descripta Diuini Archetypi imago.* Verè enim Virgo, internâ animi ex virtutum ornamentis resultante pulchritudine, eximia quædam ac singularis fuit Pulchritudo, Diuinæ illi quàm simillima. Verè Deipara ipsius Dei summi Opificis manu concinnè delineata fuit Diuinitatis Imago venustissima. Quare S. Bruno Carthusianæ familiæ Patriarcha ser. 1. de laud. B.V. eam *fontem signatum, sigillo Sacrosancto Trinitatis appellauit.* Idem dicere voluisse visus est Guilelmus Abbas apud Delrium in Cant. dum illud sponsi enuclearet elogium: *Hortus conclusus, fons signatus, soror mea sponsa:* Dũ enim ait Virginitatem Deiparæ annulo, seu signaculo habente formam Filij Dei insignitam fuisse, ostendit consecutiuè per affectum charitatis, eandem, & Imagine Patris, & ipsius Spiritus Sancti, ob intimam Diuinarum Personarum in eadem essentia vnionẽ fuisse decoratam. Sed ipsius pientissimi Abbatis verba audiamus: *Fons signatus fuit B.V. sigillo Virginitatis perpetuæ habente imaginem sponsi cælestis ex impressione annuli eius, de quo sancta quædam anima: Annulo suo subarrauit me Dominus meus IESVS Christus. Nempe tunc sigillum Virginitatis, Imagine sponsi insignitur, cum annulo amoris eius imprimitur, & tamdiu sponsi seruat Imaginem, quamdiu Virginitas sponso custoditur. Verum si gloria humana, vel quid aliud præter Sponsam quæratur, in eodem Imago sponsi cælestis illico obliteratur. Sigillum autem quo signatus erat fons ille, de quo nobis, saluo eodem sigillo, salus manauit, tam altè fuit impressum, tam profundè cælestis sponsi Imaginem imbiberat, vt nullo modo Imago posset obliterari, sicut nec ipsum sigillum poterat temerari. Nihilominùs sicut, salua cera potest per eam aqua exsudare, & penetrare; sic ex hoc fonte, saluo sigillo riuus emanauit, de quo Eccli. 24. dicit Sponsus: Ego fluuius Dorix, & quasi aquæ ductus exiui de Paradiso, &c.* Hæc Guilelmus de filij Dei, ac consequenter reliquarum personarum Imagine expressa in Deipara.

B.V. fons signatus sigillo Sanctæ Trinitatis.

B.V. Virginitas Imagine sponsi insignita.

4. Quod vt minus mirum nobis videatur, sciendum, communi Patrum asseueratione, quamlibet animam Sacrosanctæ Triados in se circumferre effigiem. Hoc enim indicare Diuinissimæ illæ Personę nobis voluere cum in creatione hominis inter se consultantes dixere: *Faciamus hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram.* Totum hoc, præter reliquos Patres, aptissimè nobis Diuus explicauit Ambros. lib. de dignitate humanæ conditionis. *Tanta,* inquiẽs, *dignitas humanæ conditionis esse agnoscitur, vt non solo iubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio Sanctæ Trinitatis, & opere Maiestatis Diuinæ creatus sit homo, vt ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum debet suo Conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis priuilegium præstitit ei conditor, vt tanto ardentius amaret Conditorem, quanto mirabilius se ab eo esse conditum intelligeret. Hæc ob hoc solùm, quod consilio Sanctæ Trinitatis sic excellenter a Conditore conditus est, sed etiam quod ad Imaginem, & similitudinem suam ipse Creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit. Quæ imago diligentius ea interioris hominis nobilitate est consideranda. Primo quidem quod sicut DEVS vnus semper vbique totus est omnia viuificans, mouens, & gubernans sicut ait Apostolus, in eo viuimus, mouemur, & sumus. Sic anima in suo corpore vbique tota viget, viuificens illud, mouens, & gubernans. Nec enim in maioribus corporis sui membris maior, & in minoribus minor, sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est Imago vnitatis omnipotentis Dei quam anima habet in se. Quæ quoque quandam Sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primo in eo, quia sicut DEVS est, viuit, & sapit; ita anima secundum suum modum est, viuit, & sapit. Est quoque, & alia Trinitas in ea, qua ad Imaginem sui Conditoris perfectæ, quidem & summæ Trinitatis, quæ ex Patre, & Filio, & Spiritu S. condita est. Et licet vnius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, idest, intellectum, voluntatem, & memoriam. Quod licet alijs*

Homo ad Imaginem, et similitudinẽ SS. Trinitatis conditus.

Quomodo homo in se SS. Trinitatis Imaginem repræsentet?

verbis

verbis in Euangelio designatur, cum dicitur: Diliges Dominum DEUM, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, idest, ex toto intellectu, ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre, Filioque procedit Spiritus S. ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, vt intelligenti constat. Et sicut DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus S. non tamen tres Dij sunt, sed vnus DEUS, tres habens personas: ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates. Atque in his tribus eius Imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere Conditorem, vt in quantum intelligitur diligatur, & quantũ diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore eius voluntas, imò nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis, & diligentis maneat DEUS, vt sicut non potest esse momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate, & misericordia, ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum nõ habeat, in memoria. Et ideo iustè mihi videtur dictum interiorem hominem Imaginem esse Dei; Hæc Ambrosius. Quod si quilibet homo Imago Dei est, totam Sanctissimam Triadem, potentijs intellectualibus repræsentans; multo sanè magis erit Deipara, quæ ob eminentissimam Diuinæ Maternitatis, ad quam destinebatur dignitatem ab ipso summo Opifice peculiariter, ac singulariter condita, ex ore Altissimi se prodijsse fatetur; declarare volens, quod quemadmodum Filius verbum æternum, ex ore Patris prodiens, viua spiransque sit imago Patris, ita ipsa singularis sit, quædam Imago totius Trinitatis, eandem præ reliquis creaturis quàm perfectissimè in se repræsentans.

Sicut nullum est momentũ quo homo Dei bonitate non fruitur, ita nullum debet esse momentum quo illius nõ meminerit.

B.V. est singularis quædam Imago SS. Trinitatis.

5. Hanc ob causam à Doctore Angelico, ac Seraphico Sanctissima Deipara totius Trinitatis nobile Triclinium appellatur. Adeo enim illa, & Diuinæ essentiæ, & augustissimis illis Personis, memoriâ, intellectu, ac voluntate fuit similis, vt si Pater æternus, qui memoriâ, vel Filius, qui intellectu, vel Spiritus S. qui voluntate, maximè oblectatur, extra se demigrare per impossibile vellet, & memoriam aliquam ad extra siue intellectum, siue voluntatem ad suauiter requiescendum, accubandumque, ac deliciandum cum Filijs hominum inquirerent, non aliam sane memoriam, non alium intellectum, ac voluntatem, quam Virginis, vtpotè sibi simillimam deligerent, inque his potentijs, velut lautissimo in triclinio cõquiescerent, ac deliciarentur. Vide Salazar in c. 9. Prou. n. 39. vbi pulchrè rem hanc diffuseque deducit.

B.V. cur dicatur SS. Trinitatis nobile Triclinium.

6. Ex quibus sane mirificam Virgineæ huiuscé Animæ depræhendere licet nobilitatem, ac Deo plane quam simillimam dignitatem. Cum enim suprema illa Natura adeo sit in se perfecta, bonis redundans omnibus, sibique sufficiens, nullius indiga, vt in se, veluti centro, suauissimè conquiescat, vti ab æterno ante mundi huius, ante Angelorum, hominum, reliquarumque creaturam molitionem, conquieuit; dum à se exire quodammodo, & in vtero Virgineo, nouem mensibus, domicilium sibi deligere, in eoque habitare non est dedignata, ostendere profecto voluit in Virgine, sedem, & quasi Naturam se reperisse quam simillimam, in eaque velut in semetipso ab æterno, summa animi sui voluptate lætitiaque conquieuisse. Vnde amore eius, nostrique stimulatus, vt canit Ecclesia: *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit du cælis, & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, & homo factus est.* Amor ergo hominum, ac in primis Virginis, DEUM ex se quodammodo exire, in eamdemque sibi quasi similem venire, mansionemque figere nouem mẽsibus compulit.

In B.V. anima velut in seipso DEUS cõquieuit, & quare?

7. Hinc D. Augustinus Epistol. ad Maximum, cum quæstionem illam mouisset: *Vbinam DEUS antequam mundum conderet moraretur?* Respondit: *In seipso, in sua infinitate, in sua immensitate. Morabatur in sua Diuina essentia tanquam in suo habitaculo;* in illa Diuinus eius intellectus, in illa eiusdem Voluntas morabatur, quiescebatque. Quemadmodum .n. potentiæ nostræ tam corporeæ, quam spirituales sua habent obiecta, tãquam domos, ac mansiones, in quibus quiescunt; sic oculorum domus, mansioque est color pulcher, ac lux. Aurium mansio est suauis harmonia. Intellectus domus est Veritas; voluntatis est bonum. Vnde cum vehementer amat potentia hæc, à seipsa exire, & ad rem amatam transire veluti ad suum domicilium dicitur. Atque ita anima magis vbi amat, quam

DEUS antequam mundum conderet in seipso morabatur.

Potentiæ in suis obiectis morantur, & conquiescũt.

quam vbi animat, communi prouerbio, esse perhibetur. Pari ratione dicimus, quod diuinus ille intellectus Dei essentiam tanquam primam Veritatem contemplans, & Voluntas tanquam summum bonum amans, in eadem Diuinissima illa essentia, veluti in proprio domicilio commorantes, ac quiescentes summa lætitia, voluptateque afficiātur ac beatificentur. Quare cum supremum illud Numen in Vterum Virgineū venisse intelligimus, cogitandum sane nobis est, illud aliquid suæ Diuinissimæ Naturæ vt dixi, simile ibi inuenisse, quod à se quodammodo exire, ibique velut inflorentissimo domicilio commorari compulerit. Inuenerit sine dubio summum aliquod, post supremum illud suæ optimæ, Maximæque Naturæ bonum, quod DEVM, voluntatemque eius extra se rapuit, & in Virgine tanquam mansione propria sibique conuenientissima habitare quam suauissimè coegit. Hinc crediderim à Sapientissimo Idiota hanc summi illius, æternique Boni Parentem dignissimam, omne Bonum vocitatam: *Inuenta Maria inuenitur omne bonum*; vt proinde nil mirum nobis videatur, Diuinam Voluntatem, à se quodammodo abstractam, in Virginem velut mansionem sibi gratissimam, Bonum omnibus numeris absolutum fuisse defixam. Hinc S. Dionys. Areopagita DEVM passum fuisse ecstasim pronunciauit. Sic enim ille cap. 4. de Diuin. Nom. *Amor amantem extra se ponit, & eum quodammodo in rem amatam trāsformat*. Quod Doctor Angelicus 1. Par. 9.20. ar. 2. ad 1. exponens, ait qui *amans sic fiat extra se in amantem translatus, in quantum vult amato bonum, & operatur per suam prouidentiam, sicut & sibi*. Quare addit ibidem idem Dionys. *Audendum est*, inquiens, *pro veritate dicere, quod & ipse Deus omnium causa per abundantiam amatiuæ bonitatis extra se fit ad omnia existentia, maximè vero ad hominem, semetipsum illi personali vinculo copulando*. Hanc ob causam sine dubio B. Laurent. Iustin. serm. de Natiu. Domini, *Dei Sapientiam infatuatam fuisse amore nostri censuit*. Eandem ob causam S. Cathar. Senensis Orat. in Annunc. B. V. Incarnationis mysteriū in vtero purissimo Virginis peractum contemplās exclamauit: *O fatue propter excessiuū amorem, nunquid indiges aliqua creatura tua? indigere videris, siquidem ita eam quæris, ac si sine illa viuere beatus non posses. Tu ipsi appropinquas, ipsa vero te refugit. Quomodo enim propinquior fieri poteras, quam intimè eam tibi personaliter vniendo? Quid vltra dicam? faciam velut balbutiens, clamabo A a a quia nescio quid vltra loquar. lingua enim finita, amorem erga nos infinitum eloqui non potest*. Quæ sane omnia mirificum Creatoris ter Opt. Max. erga animas, ac præsertim. Virginis, Imagine ac similitudine Dei Vnius, Triniqueveult sigillo Triangulari obsignatas, amorem præseferunt, quo extra se rapi, & in illa habitare tanquam in Triangulo sibi simillimo, non est, pro summâ suâ in genus humanum benignitate, dedignatus.

In vterum Virginis Verbū æternum adueniens, & in ipso cōquiescens aliquid sibi simile inuenit.

Amor amantem extra se ponit, & quanam ratione hoc fiat.

DEVs amore nostri quasi infatuatus dum incarnatus est.

8. Hic nimirum potentiarum Animæ nostræ ternarius siue Triangulus est ille, de quo Pythagoras in Symbolis meminit, dum inquit: *Affige Quaternarium, vt remaneat Ternarius*. Insinuare volens mortificandum, rectæque rationi subijciendum hoc ex quatuor elementis compositum corpus, vt animus, tribus potentijs. Trinitatem repræsentans, in sua puritate maneat, ac conseruetur. Quam porrò Virgo sanctissima corpus illud innocentissimum, & ad omnem rationis mihi promptissimum afflixerit, vt ternarius ille in puritate illa plusquam syderea incontaminatus custodiretur, nemo non videt. Hanc enim ob causam ipsa se myrrhæ electæ, qua corporis mortificatio denotatur, comparauit, dum ait: *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris*. Eccli. 24. Hinc Sponsus Cant. 4. Inter emissiones, siue fructus bonorum operum Virginis nostræ, numerat *myrrham & aloes cum omnibus virtutum omnium primis vnguentis*. Hinc idem Spon[illegible]s inuitatus à Sponsa: *Veniat dilectus* [illegible]*us in hortum suū*; cùm illam exaudisset, dixissetque se in hortum suum, vterum nempe Virginis aduenisse; vt ostenderet, quantopere eius voluntaria corporis Sanctissimi afflictatione, alijsque eius virtutibus sese oblectaret, adiecit: *Messui myrrham meam, cum aromatibus meis*. Cant. 5. Sed ipsam Virginem de hac sui afflictatione, quid S. Elisabethæ Sanctimoniali reuelauerit, audiamus ex Bonauentua Tom. 2. opusculorum in Medit. Vitæ Christi cap. 3. *Filia*, inquit Deipara, *tu credis, quod omnem gratiam, quam habui, habuerim sine labore; sed non est ita, imò dico tibi, quod nullam gratiam, donum, vel virtutem habui a Deo sine magno labore, continuā oratione, ardenti desiderio, profundâ deuotione, mul-*

Affigendum corpus, vt animus conferuetur.

B. V. corporis afflictationi dedita.

B. V. fatetur ipsa nullum se donum Dei aut gratiam habuisse absque labore, & oratione, &c.

multis lacrymis, & multa afflictione, dicendo, cogitando semper placit a sibi, sicut sciebam, & poteram, excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in vtero. Et pro firmo scias, quod nulla gratia descendit in animam nisi per operationem, & corporis afflictionem. Sic Virgo. Ex quibus sanè verbis colligimus, quantopere opera danda sit mortificationi ijs omnibus, qui perfectionis studiosi animam suam ad imaginem Sanctissimæ Trinitatis reformare, eandemque pristinæ puritati restituere cupiunt, cum Dei Mater omnis puritatis fons ac speculum, purissimi sui Corporis afflictatione tam eminentem sanctimoniam consecuta sit. Vnde Pater noster Stephanus Tuccius mortificationis aliarumque virtutum laude celeberrimus dicere consueuerat, vt in Annuis Collegij Romani videre est, eum qui absque mortificatione corporis ad perfectionem assequendam contenderet, perinde facere ac si aquam cribro hauriret.

Nulla gratia venit in animam absque corporis afflictatione.

9. Ternarium porro hunc Deipara, varijs & intellectus, voluntatis, ac memoriæ exercitationibus præter iugem corporis macerationem, in dies perficiebat, ita vt ne in somnis quidem à contemplationis Diuinæ, amorisque actibus cessaret, cùm vt censet Suarez, Virgo Beatissima more Angelico, independenter à phantasmate operaretur. Vnde huiusmodi actuum continuatione nec fatigari, ne fatiscere poterat.

10. Hiscè actibus Ternarium hunc suum reformatum ad imaginem augustissimæ Triados, inque sua puritate, ac luce conseruatum cupiebat exemplo Virginis mellifluus Bernardus, dum exclamabat: *O beata Trinitas adclamat mea misera Trinitas! Nihil enim*, vt ipse loquitur in suis Medit. cap. 1. *est tam simile illi summæ Sapientiæ, quàm mens rationalis, quæ per memoriam, intellectum, ac voluntatem, in Trinitate ineffabili consistit. Consistere autem in illa non potest, nisi eius meminerit, eamque intelligat, ac diligat. Meminerit itaque Dei sui, ad cuius imaginem facta est, cumque intelligat, diligat, atque colat, cum quo potest semper esse beata.* Cum igitur Virgo beatissima, vt diximus, præ omnibus creaturis DEVM semper in mente habuerit, eum intellexerit, & velut summum, æternumque Bonum perfectissimè dilexerit, quis dubitare poterit eius animam sanctissimam, Diuinam essentiam; potentias, vero memoriæ, intellectus, ac voluntatis; augustissimas personas repræsentasse, adeoque perfectas euasisse, vt Triangulus cælestis syderea illâ luce coruscans esse videretur? Quid enim ea Stella, quæ est in basi Trianguli, quam animam Virginis? quid verò stellæ ternis ex angulis promicantes, quam potentias, memoriam, intellectum, ac voluntatem eiusdem, Diuinas Personas perfectione suâ quodammodo æmulantes repræsentant?

Nihil Deo tam simile, quam anima rationalis.

Quatuor Stellæ in Triangulo notant Animam B. V. cũ potẽtijs memoriç Intellectus, & Voluntatis.

11. Hanc Trinitatis Imaginem Virgo nostra assiduâ cum eadem vnione semper perficiebat, eique noua lumina indies maiora atque maiora superaddebat. Nouerat enim tanquam Virgo prudentissima in hoc omnis consistere virtutis consummationem. Præclarè enim Beatus pronunciauit Albertus, nomine, & operibus verè Magnus lib. de adhær. Deo cap. 3. *Est hominis in hac vita perfectio, ita Deo vniri, vt tota anima, cum omnibus potentijs suis in DEVM sit collecta, vt fiat vnus Spiritus cum eo, & nihil meminerit nisi DEVM, nil sentiat, vel intelligat, nisi DEVM, & omnes affectiones in amoris gaudio vnitæ, in sola Conditoris fruitione requiescant.* Hoc nimirum Sanctus vehementissimo desiderio expectabat August. libr. 15. de Trin. cap. 28. cum orabat: *Meminerim tui Domine, intelligam te, diligam te, auge in me ista donec me reformes ad integrum.*

Quæ sit hominis in hac vita perfectio.

12. Nouerat quoque Virgo Sapientissima, hanc ob causam ab vniuersorum Creatore hominem ad imaginem, similitudinemque suam conditum, voluisse, vt dum in hac vita degit, Imaginem hanc naturalem, similitudinemque in se, virtutum actibus, atque exercitatione pingat, atque perficiat. Vnde Doctor Angelicus 1. Par. q. 93. art. 4. docet in homine triplicem Dei Imaginem reperiri: *Primam ait esse Imaginem creationis. Alteram recreationis. Tertiam similitudinis.* Primam asserit esse communem etiam cum reprobis. Omnes enim quantumuis sceleribus inquinati, memoriâ, intellectu, ac voluntate sunt instructi. Scelera enim licet animam, eiusque potentias fœdent, non tamen easdem de medio tollunt. Secundam Imaginem recreationis siue renouationis docet in solis iustis reperiri, qui eam cælesti gratiâ, charitate, donis Spiritus Sancti, velut viuis coloribus, assiduâque virtutum exercitatio-

Triplex in hominibus Imago Dei, creationis, recreationis, & Similitudinis.

tione poliunt, ac perficiunt, atque ita, vt loquitur Apostolus fiunt *Noua creatura*. Imago denique tertia, quæ est similitudines, reperitur duntaxat in Beatis cælesti æuiternâque gloriâ in cælis perfruentibus, qui Deo ipsi, beneficio, auxilioque luminis, gloriæ, visionisque beatificæ, sunt quam simillimi. De hac Imagine loquebatur Dilectus Christi Discipulus in prima sua Epist. cap. 3. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Prima illa Imago perficitur à Secunda. Tertia verò vltimam perfectionem manumque tam primæ, quam secundæ imponit. Quæ sanè eo pulchrior ac venustior erit, quo magis Diuinæ gratiæ coloribus in hac vita fuerit illuminata, cum gratia, vt loquuntur Theologi, sit semen luminis gloriæ, ab eaque maior eius splendor, ac pulchritudo dependeat. Quare præclarè Diuus Basilius Hom. 10. in Hexam. *Opifex*, inquit, *tuus quiddam tibi contulit, quiddam reliquit tibi perficiendum, vt id cum ad perfectionem promoueris, pronuncieris non indignus, qui mercedem insumptæ operæ, Deo retribuente recipias*. Idem asserere visus est Diuus Ambrosius lib. 6. Hexam. cap. 8. cum dixit: *Pictus es ergo ò homo, & pictus à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem, non cera expressam sed gratia*. Sic ille.

B.V. quantopere Imaginem creationis quotidie in se excolere curauerit.

13. Iam verò quanam ratione Virgo nostra gloriosissima Imaginem hanc Dei sibi in creatione naturaliter impressam, & maiori quadam, quàm reliquorum mortalium perfectione dotatam, ab ipso Conceptionis instanti poliuerit, varijsque virtutum ornamentis vsque ad extremam vitæ periodum decorauerit, quis enarrare sufficiat? Sanè communi ferè Patrum asseueratione constat, eius gratiam, qua velut colore pulcherrimo animam suam, potentiasque depingebat, vt ad Diuinam Maternitatem prępararetur fuisse immensam, eamque intensioribus, ac intensioribus in dies virtutum actibus vsque ad felicissimum ex hac vita transitum maiora semper, ac maiora accepisse incrementa, adeoque perfectam euasisse, vt dignam effecerit Deiparam, quæ absolutissimam Imaginem illam similitudinis Diuinæ, super omnes creaturas dum adhuc in terris inter mortales degeret, nanciscere-tur. Siquidem, vti sæpius commemoratum est, ex grauissima quorundā Theologorum asseueratione constat Virginem nostram, & in primis immaculatæ Conceptionis suæ instanti, & in Filij Incarnatione, eiusdemque Natiuitate, atque Resurrectione, & aliàs totius vitæ decursu crebrius, in ipso denique mortis articulo Diuinam essentiam fuisse contemplatam, inque Diuinæ illius Maiestatis vnius in essentia, & Trinæ in personis fuisse Imaginem transformatam, eiusdemque similitudinem perfectissimam, quoad mortalium infirmitas patitur, præsetulisse.

B.V. Imaginē similitudinis in terris adepta circa Diuinæ essentiæ visione.

14. Hoc contigisse Virgini in ipsa Verbi sacratissima purissimo eius in vtero peracta Incarnatione insinuare visus est S. Bernardus dum serm. 9. inter Paruos dum docet totam Trinitatem in eam aduenisse, licet sola secundam Persona humanitatem assumpserit. *Hæc igitur sapientia, quæ Dei erat, & DEVS erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificauit sibi domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide, & operibus præparare? Nimirum ternarius ad fidem propter sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores, propter quatuor principales virtutes. Quod autem in B. Maria Sancta Trinitas fuerit: (fuerit dico per præsentiam Maiestatis:) vbi solus Filius erat, per susceptionem humanitatis, testatur nuncius cælestis, qui ei arcana mysteria referans ait: Aue gratia plena, Dominus tecum. Et post pauca: Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum S. Neque enim potest esse aut Pater sine Filio, aut sine Patre Filius, aut sine vtroque procedens ab vtroque Spiritus Sanctus, ipso Filio dicente: Ego in Patre, & Pater in me est. Et iterum, Pater autem in me manens ipse facit opera*. Hæc Bernardus. Ex quibus facile colligi potest mentem Virginis lumine gloriæ fuisse corroboratam atque eleuatam, vt DEVM, quem in se commorantem gestabat, clarè videret.

Diuina sapientia in B. V. ædificauit sibi domum.

15. Eodem Incarnationis Dominicæ aduentu totam Trinitatem habitasse in Virgine, eidemque singularia contulisse dona, similemque sibi per consequens effecisse testatur Ioannes Card. Halgrinus, elogium illud interpretans sponsi: *Hortus conclusus Soror mea sponsa, Hortus conclusus. Cant. 4. Conclusit*, in-

inquiens, *Hortum hunc tota Sacrosancta Trinitas. Potentia Dei Patris muniuit Virginem contra violentiam Diaboli: Sapientia filij contra hostis fraudulentiam: Bonitas Spiritus S. contra eiusdem malitiam. In horto hoc per Incarnationis mysterium conclusus est Saluator, & velut murus positus in Virgine per defensionis ministerium.* Idem verbis illi spõsi: Cant. 1. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, ait à Sanctissima Trinitate Virgini singularia quædam gratiarum dona promitti, quibus diuinæ Maiestati quàm gratissima, quamque simillima possit euadere.

Gratiæ à SS. Trinitate B. Virgini concessæ.

16. Quod si Imago hæc Diuina, ac similitudo in hominum animis impressa in Dominio ac iurisdictione in reliquas creaturas consistit, vt voluit S. Theodoretus q. 20. in Gen. cogitãdum vobis relinquo quam perfecta, omnibusque numeris absoluta hæc fuerit Imago in Deipara, quæ cæli, terræque omniumque creaturarum, quæ ipsis cõtinentur Dominium iure Diuinæ Maternitatis sortita est, atque totius Vniuersi Regina potentissima constituta. Et sanè præclarè Theodoretus hanc hominis cum Deo similitudinem ex creaturarum comprobat Dominio, quod primario post DEVM summæ competit cælorum Reginæ, ac Dei optimi Maximi Parenti dignissimæ. Cùm enim verba illa vniuersorum Conditoris hic S. Doctor expenderet: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* Gen. 1. quæreretque in quo imago hæc, similitudoque consisteret? Respondit cum alijs quos citat, consistere in officio dominandi, idque probat ex verbis, quæ sequuntur: *Et dominetur piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs terræ*: Quasi homo in eo similis Deo videatur, quod sicut DEVS rebus omnibus, ita homo saltem aliquibus dominetur. Idem cõfirmat ex D. Paulo, qui potius hominem quam mulierem Dei Imaginem appellauit 1. Cor. 11. v. 7. quia ad hominem magis, quam ad mulierem, quæ peccati auctor extitit, imperium pertinebat. Cum igitur sacratissima Virgo nostra, vtpotè summi Dei Mater dignissima, summum in cælum, terramque atque adeo in vniuersam creaturam indepta sit Dominium, atque imperium, siquidem *ei Filius stipatus*, vt Diuus loquitur. Ansel. cap. 8. de Excell. V. *mille millibus, imo innumerabilibus Angelorum agminibus, vt pijssimæ Matri suæ, ex hoc mundo migranti*

Imago Dei in honore inde elucescit, quod dominium in omnes creaturas sortitus sit.

In B. V. excellentissime Dei Imago resplendet, quod facta est rerum omniũ Dominum ac Regina.

Homo potius quam Mulier Dei Imago dicendus quia ipsi magis imperium competit.

occurrit, eamque super omnes cælos exaltatam cunctæ secum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ suæ collocauit; consequens sanè est excellentissima, atque perfectissima, ac plusquam Syderea luce coruscanti insignitam fuisse super omnes homines, Angelosque Dei Imagine ac similitudine.

17. Quare iure merito Deiparam gloriosissimam ob tam insignem in se repræsentatam Trinitatis Imaginem, rebus ijs penè omnibus conferre possumus, quibus Sãcti Patres Augustissimam Triadem comparare consueuerunt. D. August. & alij eam confert Soli. Quemadmodum enim Sol, qui vnus est, producit simul radium, & calorem, ita Pater Filium, qui ab Apostolo Hebr. 1. *Splendor Paternæ gloriæ*, & Spiritum S. qui calor increatus, & ignis Diuini amoris dicitur. Et sicut Sol generat radium nõ libere, sed naturaliter purissimè, & sine mixtione vlla; ita Pater Filium. Vnde Pater ad Filium: *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.* Et sicut à Sole, & radio producitur calor, ita à Patre, & Filio procedit Spiritus S. Sanctus quoque Cyrillus eidem Soli Sanctissimam Trinitatem contulit: *Imago Patris*, inquiens, *est sol, radius est Filius, calor Spiritus S. Sol Patrem multa cum proprietate significat. Nam vt sol ab alio sole non gignitur, sic Pater, quem Theologi vocant ingenitum ab alio non emanat, & sicut radius solis ab ipso nascitur sole, atque ipsi coæuus est, ita Filius à Patre non minus quam ille nascitur æternus.* Quinetiam quemadmodum sol à cælo nunquam discedens, suam diffundit lucem, quâ terram calefacit vniuersam, illamque fœcundat: Sic Pater in cælo semper manens, nec vnquam ad nos in corpore descendens, suum misit Filium, qui fuit mundi lux; & ab vtroque Spiritum S. egredientem, qui increatus calor est, quo DEVS ipse animas fouet, atque viuificat. Præterea vt solares radij preciosos vniones, aliasque gemmas, & aurum intra terræ viscera gignendo, & super terram plantas, & animalia producendo virtutem solis indicant, à quo calorem accipiunt: Sic filius, & Spiritus S. mirabilius in hominum genus collatis operibus ad animorum salutem, æterni Patris potentiam, infinitamque virtutem declarant, ac prædicant.

Soli sanctissima Trinitas comperata.

18. Hanc crediderim ob causam cælestis sponsus, seu Filius Matris arca-

Zzz norum

norum probè conscius videns illam ad instar solis Trinitatem æmulantem, & in se velut lucidissimo speculo repræsentantem, eam electam, vt Solem Cât. 6. vocitauit. Quasi diceret: Scio Mater mea amantissima, te à Patre meo, vt Solem electam ad hoc, vt quemadmodum ille vnitatem Diuinæ essentiæ, Personarumque Trinitatem repræsentat, sic tu animâ tuâ sacratissimâ, potentijsque, alijsque proprietatibus eandem exprimeres, vt in te, velut in speculo tantum mysterium, mortalibus contemplari liceret. Tu verè sol es, quemadmodum enim hic radium, absque sui læsione; sic tu me, absque puritatis tuæ corruptione genuisti; quemadmodum hic luce, caloreque suo in sublunaribus mirificos generat effectus, benignissimisque suis influxibus aurum, argentum, lapides preciosos producit, sic tu in tuorum clientulorum cordibus gratiam, charitatem, dona Spiritus, variasque virtutes producis, eosque mirificè muneribus cælestibus locupletas.

B. V. Sol Sanctissima Trinitatem in se repræsentās

19. Eandem Trinitatem aliqui Patrum, speculo effectibusque ab eo productis conferunt. Concilium sanè Senonense Diuinam Essentiam tribus personis communem, speculum voluntarium nuncupauit, quam DEVS Pater contemplans, substantialem, viuam, pulcherrimamque sui Imaginem, vt ait Amos Episcopus, generat; quàm idem amando Pater, vicissimque ab eadem redamatus, producitur mutuus substantialis Amor, qui est Spiritus S. Eadem speculi similitudine ad tantum mysterium declarandum vsus est S. Andr. Cretensis Antistes Orat. de Trinit. Vt enim puella se in speculo contemplans, visam imaginem suã amat, ad instar Narcissi illius, qui se in fonte prospiciens, sui ipsius amore deperijt, sic Pater æternus in purissimo suæ substantię siue speculo, siue fonte semetipsum intuitus perfectissimam, spirantemque sui impressit Imaginem, nempe Filium, qui ideo ab Apostolo Imago Dei inuisibilis vocitatur, cuius summam, æqualemque sibi pulchritudinem agnoscés, summè quoque eam dilexit, quæ dilectio nil aliud est, quàm Spiritus Diuinissimus, ab vtroque procedens. Hæc eadem Trinitas beatissima aliquâ ratione spectatur in Maria, quæ à S. Antonino, Alberto Magno, Bernardino Bustio, alijsq; speculum sine macula Diuinæ Maiestatis, & Imago bonitatis illius, vti & fons signatus, eiusdem Trinitatis signaculo, vocitatur. In illa enim tanquam in viuo animatoque speculo, ac fonte limpidissimo, & omnipotentia Dei Patris, & Sapientia Filij, ac demum Bonitas, amorque Spiritus Diuinissimi cum reliquis penè attributis omnibus visitur, vti diffuse primâ Parte comprobatum est.

Sanctissima Trinitas speculum voluntarium cur dicatur?

In B. V. velut in speculo Trinitas Sanctissima repræsentatur.

20. Similiter Virgo nostra sacratissima cum fonte, fluuio, ac lacu confertur, quæ tria S. Anselmus Epistol. de Incarnatione Verbi, & Cyprianus in Symbolo Apostolorum, Symbolum Trinitatis esse affirmant. Aiunt enim similem esse aquæ perenni, quæ à fonte deriuatur in fluuium, & mox in lacum prolapsa non progreditur longius, quę tamen per continuationem fluxus vna existēs, ob locorum tamen diuersitatem, nominibus, fontis, fluuij, lacusque distinguitur. Verè in Deipara fons virtutum omnium à supremo illo Diuinitatis fonte deriuatus reperitur, vti, & fluuius, qui in mortales omnes, ac pręsertim fidos eius clientulos deriuatur. Est denique lacus atque oceanus quidam diuinarum perfectionum, atque adeò aliarum omniū, quæ in omni tam Angelica, quàm humana creatura reperiri possunt. Ita vt verè dicere possimus, in Dei Genitrice beatissima, duo quodammodo esse Maria in quorum alterum fluuij in primis Diuinarum perfectionum, in alterum Angelicarum simul ac humanarum virtutum riuuli confluxerunt. Adeo vt verè affirmare quis possit cum sapiente: *Omnia flumina intrant in mare.* Quæ duo maria dum reciprocantè æstu mutuo in sese confluunt, Diuina humanis, & humana Diuinis commisceri videntur, suauissimamque reddunt simul vnita, toti orbi harmoniam.

SS. Trinitas per Fontem, fluuium, & lacum repræsentatur.

Qua ratione B. V. fons, fluuius, & lacus dici possit.

In B. V. duo videntur esse Maria, & quanam ratione?

21. Hanc reciprocationem in Diuinis Personis agnouit S. Zenon Martyr Episcopus Veronensis ser. 1. in Gen. To. 2. Bibliot. dum ait: *Pater suo manente integro statu totum se reciprocauit in filium, ne quid sibimet derogaret. Alter in altero exultat, tam Spiritus Sancti plenitudine, vna originali coæternitate renitens. Quemadmodum, si dicere dignum est, duo Maria, quæ in se recumbunt freto, æstus alternos, in vnum conferente, connexa. Quæ licet sui proprietate, locis vocabulisque discreta sint, tamen profundi vaporis vna virtus, vna substantia, vna est fluendi natura, nec potest incomprahensibilis,* com-

Pater æternus, & Filius, duo sūt Maria quodammodo, quæ æstu Spiritus sancti reciprocantur.

communisque vndæ diuidi magnitudo, *& tamen vtrumque commeando, largi flua, vtrisque propria, nulli priuata*, *etenim damnum paterentur vbertatis, & gratiæ, si adimeretur, quod vno, eodemque æstu alterum, ex altero decoratur*. Sic ille. Reciprocationem hanc Diuinissimam imitari visa est Deipara, dum se mare gratiarum omnium, virtutumque cælestium agnoscens, easdem ad primum illum bonorum omnium fontem grata animi significatione refundebat, vt iterum maiori cum vbertate, velut aquæ illæ, quæ fluunt in Sponsam cum impetu de Libano cælesti in illam incoluant. De hac Virginis gratitudine plura Discursu proximo.

22. Vocat item S. Amadeus Episcopus Lausan. Hom. 1. de laud. B. V. Deiparam arborem pulcherrimam, florem, fructumque vberrimum, absque vlla sui læsione producentem: *Ipsa*, inquiens, *Virgo Virginum vernans in floribus, & in fructuum suauitate delicians apparet media, velut Arbor plantata in medio Paradisi, attollit verticem in altitudinem cæli, & de supremo rore concipiens, fructum refert salutarem, fructum gloriæ, fructum vitæ, de quo qui ederit, viuet in æternum*.

B. V. Arbor vernans floribus virtutum, & fructuum suauitate delicias.

Non absimiliter D. Dionysius Areop. cap. 2. de Diu. Nom. de Trinitate, Diuinisque Personis, earundemque processionibus agendo, tanquam de pulcherrima arbore sic loquitur: *Accepimus à sacris eloquijs Patrem quidem esse esse fontanam, vt ita dixerim, Deitatem, Filium verò, Spiritumque fœcundæ Deitatis, si modo ita licet loqui, germina diuinitus pullulentia, & quasi flores, & super substantialia lumina. Sed qua ratione hæc fiant, nec loqui, nec intelligere possumus*. Quemadmodum igitur Pater æternus Arbor illa Diuinissima Filium, ceu florem pulcherrimum absque vlla corruptione generat ab æterno, & cum eodem Filio Spiritum S. ceu suauissimum spirat odorem, simulque eundem, vt fructum dulcissimum producit: Sic Virgo beatissima, licet ob humilitatem profundissimam fuerit Virga de radice Iesse, ob Diuinæ tamen Maternitatis dignitatem est Arbor quædam procera cælos ipsos suo attingens vertice, quæ dum nobis amenissimum illum Florem peperit, qui vel ipsis mortuis odore suo vitam tribuit, super quem requieuit Spiritus Dominus, Sponsus consilij, & fortitudinis, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus scientiæ, & pietatis, quem denique repleuit Spiritus timoris Domini, simul nobis ipsum Filium ac Spiritum Sanctum cum omnibus suis donis ac charismatis communicasse ac spirasse visa est. Vnde S. Bernardinus Senensis Tomo 4. serm. 5. capit. 8. præclare pronunciauit in Virgine reperiri dignitatem Patris, eo quod eundem ipsa generauerit Filium in tempore, quem Pater in æternitate. reperiri quoque dignitatem Filij, eo quod ipsa, vt Filius, etiã producat, & inspiret quodãmodo nobis Spiritum S. siquidem omnia eiusdem Spiritus S. dona quibus vult, quando vult, quomodo, & quantum vult per manus Virginis administrantur. Ab instanti enim Incarnationis Deipara iurisdictionem quandam, vt sic dicam, obtinuit, & auctoritatem in omnem processionem Spiritus S. temporalem. Hinc Ber. Nulla gratia venit de cælo nisi transeat per Manus Mariæ. Hæc S. Pater.

Filij, & Spirito S. à Patre tãquam germina, & flores pullulãt.

23. Arca quoque Testamenti veteris typus illustris Deiparæ, nonnullis Trinitatis figura extitit. Virga enim illa quæ fronduerat, Patris æterni omnipotentiam vbique Dominantem, Legis tabulæ, Sapientiam Filij, Vrna aurea, Manna continens, Bonitatem, dulcedinemque Spiritus S qui est super mel dulcis. Eccli. 24. denotabat.

24. Quid de Arcu cælesti dicam? quem Deiparæ esse symbolum idem D. Bernardinus Senensis, & Halgrinus Cardinalis asseruit: Expendens enim illud Eccli. 43. *Vide Arcum*, *& benedic eum, qui fecit illum, valdè enim speciosus est in splendore suo*; docet eum tam Maternitatem Diuinam, quam Virginitatem planè admirabilem Deiparæ adumbrare. *Resplendet enim*, inquit, *duobus coloribus, quorum vterque est alteri ad decorem. Habet enim virorem aquæ, quæ Mater est multorum animantium, habet, & ruborem ignis, qui Virgo est, quia nullum parit. His duobus coloribus B. V. velut Arcus cæli, speciosa refulget. De hoc dicitur ad Noe: Ponam Arcum meum in nubibus cæli, & recordabor fœderis mei. Ipsa enim in cælestibus assumpta est, vt recordetur Dominus misericordiæ, quam humano generi repromisit*. Addiderim ego, viridem colorem illum in Iride, spem, fiduciamque denotare, quam in nobis pietate sua Deipara consueuit excitare. Hæc Halgrinus.

Arcus Cælestis B. V. Virginitatem, & fœcunditatẽ notat.

25. Idem hic Arcus, qui Christo

Regi pacifico Apoc. 4. in throno residenti, ad instar erat diadematis, mysterium Trinitatis augustissimæ repræsentat. Huius enim arcus Natura nihil est aliud quam solaris lux, Diuinitatis index, nubi, pluuiæ, roscidæque commixta, tribus distinctis expressa coloribus. Colores sunt in luce, & lux in coloribus, imo lux illa nil aliud est, quam colores, & colores sunt illa ipsa lux. Maiestas lucis in tribus illis coloribus symbolum est Naturæ Diuinæ, in tribus personis; varietas colorum in vna luce, Sanctam Trinitatem in vna essentia repræsentat. Atque ita Virgo Beatissima, Iris pulcherrima, Arcus fœderis, homines cũ Deo pacificans, ac reconcilians, coloribus illis suis pulcherrimis non modo Diuinam maternitatem, illibatamque Virginitatem, ac fiduciam, quã de eius pietate concipere debent mortales; verumetiam augustissimam Triadem in se exprimit.

26. Quid de gemmis nonnullis dicam? quæ sicut in se varias non nunquã personas, ita quoque vim, virtutemque Diuinam, ipsamque Trinitatem repræsentant. Talis est Opalus Smaragdis tantùm cedens, cui preciosissimam gloriam compositores gemmarum dedisse testatur Plinius libro 37. cap. 6. In hac gemma est, vt eius verbis vtar, *Carbunculi tenuior ignis; est amethysti fulgens purpura, & smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia.* Quæ sanè in vnica gemma admirabilis tam diuersarum gemmarum vnio, clare nobis augustissimam Triadem in purissima Virginis nostræ anima expressam fuisse indicat. Ipsa enim, sicut à D. Cyrillo preciosissima mundi appellatur margarita, ita quoque Opali gemma vocitari potest. In qua carbunculi ignis, quid aliud quàm DEVM Patrem indicat, quem Moyses Ignem consummentem pronunciauit? Amethysti color purpureus quid aliud quam Filium, qui à spõsa, candidus, & rubicundus, & ab Isaia rubro vestimento decorus cum admiratione perhibetur? *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Viror denique Smaragdi, quid aliud, quam Spiritum Sanctum, qui à Venerabili Ioachino Abbate designatus fuisse dicitur, per Iridem illam, quæ Apoc. 4. sedem Dei circumdans similis erat visioni Smaragdinæ? Qui sanè rectè smaragdi virẽs mare ob gratiarum donorumque suorum omniũ plenitudinem, quam tàm copiosè effudit in Virginem, vt & ipsa Mare quoddam imo Maria, & Congregatio quædam aquarum, cęlestium nempè chrismatum, vocaretur, vt S. Antoninus, & Albertus Magnus attestantur.

Opalus Gemmam SS. Trinitatis, & B. V. Symbolũ.

B. V preciosissima mũdi Margarita

Spiritus S. Iris similis visioni smaragdinæ.

27. Quæ cũ ita se habeant iure, stellatum illum Triangulum in cælis effulgẽtem Beatissimæ Deiparæ nostrę Animam, potentiasque esse dicimus, in quantum Augustissimę Diuinitatis vnitatem, Personarumque Trinitatem nobis, peculiari quadam ratione repręsentat. Verè enim in illa, velut in fonte crystallino, tàm sublime mysterium, quod nec oculis cerni, nec intellectu creato attingi potest, nobis sese visendum exhibuit. Atque ita oratio illa Regij vatis videtur exaudita, quâ DEVM hominum sceleribus offensum rogabat, vt auersum illum suum vultum, ad benignè conspiciendum genus humanum conuerteret, luceque suâ miseros, plusquam Cimmerijs peccatorum tenebris circumuallatos illustraret. Vnde gemens sic concinebat: *DEVS misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri; vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Psal. 66.

28. Et verè creatura nulla ita nobis ad viuum, ac velut in speculo tãtum Mysterium repręsentat, atque anima rationalis ad imaginem similitudinemq; Dei condita. Vnde S. Aug. li. 15. de Trinit. c. 27. præclarè pronunciauit: *quantum vero attinet ad illam summam, ineffabilem, incorporalem, immutabilemque Naturam per intelligentiam vtcumque cernendam, nusquam se melius, regente dumtaxat fidei Regulâ, acies humanæ mentis exercet, quam in eo, quod ipse homo, in sua Natura melius cæteris animalibus, melius etiam ceteris animæ suæ partibus habet, quod est ipsa Mens. Cui quidem rerum inuisibilium tributus est visus, & cui tanquam in loco superiori, atque interiori honorabiliter præsidenti, iudicanda omnia nunciant etiam corporis sensus, & qua non est superior, cui subdita, negenda est, nisi DEVS.* Concludit tandem de augustissima Triade scientiam, ex contemplatione animæ suæ acquisitam, factam sibi fuisse admirabilem, atque ita sublimem, incompræhensibilemque, ad eam perfectè agnoscendam ac compræhendendam, se naturæ suæ viribus attingere, minimè posse fateatur: *Verum,* inquiens, *inter hæc quæ multa iam dixi, & nihil illius summæ Trinitatis ineffabili-*

In homine maximè SS. Trinitatis Imago relucet.

SS. Trinitatis scientia, ex homine mirabilis efficitur.

stabilitate dignum me dixisse audeo profiteri, sed confiteri potius mirificatam scientiam eius ex me, inualuisse, nec posse me ad illam. Sic Aug.

29. Quod si ex Animæ suæ consideratione tantus Doctor tam eximiam, sublimemque notitiam de Sanctissima Trinitate se hausisse confitetur: quid nobis cogitandum est de Virgineæ huiuscé Animæ, syderum, luce illa, quæ in cælesti resplendet Triangulo, longè purioris, de Animæ, inquam, illius, quæ corpori illi sanctissimo, in quo Verbũ caro factum, nouem mensibus habitauit, copulata fuit, cognitione? Hæc sanè anima sicut singulari perfectione, ac sanctimoniâ, vtpotè Dei Matris Anima, fuit dotata, ita singulari quodãmodo Imaginem, similitudinemque vnius, trinique Dei nobis repræsentauit. Quam profectò si attentius identidem contemplemur, mirifica menti nostræ tanti Mysteri affulgescant lumina necesse est. Quo circa si & DEVM noscere, atque vt par est eumdem diligere, atque ita in hac vita miserijs, calamitatibusque obnoxia, æuiternæ illius vitæ, felicitatisque gaudia delibare, nec non exilij huius amaritudinem temperare desideramus, in Virginem hanc Beatissimam, velut in Sydereum quendam Triangulum, gloriam beantis Trinitatis exhibentem, mentis oculos defigamus. Verissimè enim dixit Virginem alloquens B. Petrus Card. Damianus dum illa Cant. 6. verba libraret ser. 1. de Nat. V. *Reuertere reuertere Sulamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te: Summa gloria post DEVM te videre, adhærere tibi, & in tuę protectionis munimine commorari.* Visio enim hæc Deiparæ non modo homines, atque Angelos, verumetiam ipsam Augustissimam exhilarat Trinitatem. Vnde Richar. à S. Laur. libr. 5. de laud. B. V. ait inuitationem illam: *Reuertere Sulamitis,* ipsius esse Sanctissimæ Triadis vocem, quæ eius humilitatem respexit, simulq; adamauit; quia vbi amor, ibi oculus; ait enim illam, *figuratam Estherem esse, quæ erat formosa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur. Est. 2. Gratiosa quoque est Virgo nostra oculis Angelorum, omniumque Beatorum, qui eam sicut Filium desiderant intueri. Non tamen dico: Sicutissimè. Gratiosa denique fuit omnium mortalium oculis creditur enim, quod fere nullus eam intuere potuit, quandiu in mũdo fuit, qui eam statim non adamaret quam castissimè.* Sic Richardus. In hoc denique Sydereo Virgineoque contemplando Triangulo, summam nostram post ipsam primam Virginem Triadem, beatitudinem ac gloriam Seraphicus collocauit Bonauen. in spec. cap. 6. *Ecce,* inquiens, *quam gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium, quod ipsa in gloria gloriosissima est post DEVM. Gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est, quod quicquid post DEVM pulchrius, quicquid dulcius, quicquid iucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. Gloriosum omnino gloriæ Mariæ priuilegium est, quod post DEVM maior nostra gloria, maius nostrum gaudium de Maria est.* Cum igitur in cælis post DEVM summa nostra sit felicitas, summa gloria faciem Deiparæ, cæli delicijs affluentem, omnibusque gratissimam intueri, felicitatem hanc dum hoc in mundo degimus auspicemur, ac delibemus. Non recedat nobis ab oculis, non recedat à corde, quin potius optemus cum Platone in cælum quoddam transformari, totque oculos habere, quot in cælo fulgent sidera, vt eam quam amamus, assidue contemplemur. Hoc si faciamus, conuertet & illa ad nos illos suos misericordes, pijssimosque oculos, de quibus verè dici potest, vt quidam canit Poeta:

O' charissimæ Luces
Nitidissimi soles
Fælicissimæ faces,
Augustissima sydera

Luces inquam Animæ, Soles mentis, faces cordis, intellectus sydera.

O' facies, verè facies dignissima cælo,
O' verè facies magni mihi Nominis instar.

De hac Diuinissima facie longè sapientius de nescio cuius terræ filiæ cecinisset Titus Stroza:

Qui vult humano cælestem in corpore formam
Cernere, de facie cogitet ille tua.

Cogitabo semper, cogitabo ò Virgo, & memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.

Amen.


Ex B. V. anima multo clarior Beatissimæ Trinitatis cognitio hauritur.

Gloriæ Mariæ quam gloriosum sit priuilegium.

Vitio B. V. quantopere homines, Angelos, ipsamque ss. Trinitatem exhilaret.

Oculorum B. V. laudes.

B. V. figurata Esther.



DISCRVSVS XXVI.

Quod cælestis Canicula Deiparæ Virginis gratitudinem videatur repræsentare.

1. Caniculam hanc cælestem fabulantur Poetæ Helenæ illi formæ præstantiâ celeberrimæ, atque famosissimæ fuisse in delicijs, eandemque à Ioue, rogatu Filiæ inter sydera translatam. In huius exortu vapores solis radijs accensi, ardentissimos excitant calores. Vnde Horat. lib. 3. Carm. Caniculam hanc flagrantem vocitauit.

De hac Manil. lib. 1. Astron. cap. 4.

Subsequitur rapido contenta Canicula cursu,
Qua nullum terris violentius aduenit astrum.
Nec grauius cedit, non horrens frigore surgit.

Canicula gratitudinis B.V. est symbolum.

Hanc nos Virginis nostræ sanctissimæ, Mulierumque pulcherrimæ, gratitudinis erga DEVM dicimus esse symbolum. Hæc enim supremi Solis ardore accensa, Diuinoque amore exæstuans adeò, gratitudinis memor, in sui Creatoris laudes sese effundebat, vt & reliquos ad easdem sui exemplo excitaret, atque inflammaret.

Canis gratitudinis symbolum in sacris literis.

2. Gratitudinis porro Canem fuisse Hieroglyphicum testari videntur apertè sacræ litteræ, dum Tobiæ iuniori cum Angelo proficiscenti, adiunctum memorant fuisse canem Tob. 6. v. 1. & cap. 11. v. 9. Hunc enim ideo S. Raphael viæ comitem addere voluit adolescenti, vt ab illo gratitudinem addisceret. Audiendus hic Diuus Ambros. libr. 6. Hex. cap. 4. *Quid de canibus loquar, inquit ille, quibus insitum est, natura quadam referre gratiam, & solicitas excubias pro Dominorum salute prætendere. Vnde ad immemores beneficij ac desides, atque ignauos clamat scriptura: Canes muti nescientes latrare. Isa. 5. 6. Sunt enim canes qui nouerint latrare pro Dominis, nouerint sua tecta defendere. Vnde & tu disce vocem tuam exercere pro Christo, quando ouile Ecclesiæ incursant lupi graues. Disce in ore tuo verbum tenere, ne quasi mutus canis commissam tibi fidei custodiam quodam præuaricationis silentio deseruisse videaris. Talis canis viator, & Comes Angeli, quem Raphael non otiosè sibi, & Tobiæ filio adiungendum putauit, quando perexit, vt Asmodeum fugaret, firmaret copulam coniugalem. Memoris enim affectus gratiâ pellitur Dæmonium, stabilitur coniugium. Mutæ itaque speciæ bestiæ Sanctus Raphael Angelus Tobiæ iuuenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum. Quis enim non erubescat gratiam benè de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ impertitæ alimoniæ seruant memoriam, tu non seruas salutis acceptæ.*

Raphael Angelus per canem itineris comitem ad gratiam referendam erudiuit.

Idem paucis interiectis, eandem canum gratitudinem erga Dominos, varijs, iisque illustribus adductis exemplis confirmans, quibus clarè colligere fas est, animal hoc gratitudinis illustrissimum esse symbolum, hæc addit: *Quis tam tenax potest esse beneficiorum, & memor gratiæ, quandoquidem pro Domino etiam in latrones insilere nouerunt, & extraneorum accessus prohibere nocturnos, & mori pro Dominis, & commori cum Dominis sint parati? Sæpè enim necis illatæ euidentia, canes ad redarguendos reos indicia prodiderunt, vt muto eorum testimonio plerumque sit creditum. Antiochiæ ferunt in remotiore parte vrbis, crepusculo necatum virum, qui canem sibi adiunctum haberet, Miles quidam prædandi studio minister cædis extiterat, tectus idem tenebroso adhuc diei exordio in alias partes concesserat. Iacebat inhumatum cadauer, frequens spectantium vulgus adstabat, canis quæstu lacrymabili Domini deflebat ærumnam. Forte is qui necem intulerat; vt se habet versutia humani ingenij, quo conuersandi in medio, auctoritate præsumpta fidem adsciseret innocentiæ, ad illam circumspectantis populi accessit coronam,*

Canis mortē Domini sui vlciscitur Antiochiæ.

&

& velut miſerans appropinquauit ad funus. Tum canis ſequeſtrato paulisper quæſtu doloris, arma vltionis aſſumpſit, atque apprahenſum tenuit, & velut epilogo quodam miſerabile carmen immurmurans vniuerſos conuertit in lacrymas, fidemque probationi detulit, quod ſolum tenuit ex plurimis, nec dimiſit. Denique perturbatus ille, quod tam manifeſtum rei indicem, neque odij neque inimicitiarum, neque inuidiæ, ac iniuriæ alicuius poterat obiectionem euacuare, crimen diutius nequiuit refellere. Itaque, quod erat difficilius, vltionē perſecutus eſt, quia defenſionem præſtare non potuit. Quid nos dignum noſtro referimus Creatori cuius cibo veſcimur, & diſſimulamus iniurias, & ſæpè inimicis Dei eas, quas à Deo accepimus epulas, exhibemus? Hæc Ambroſ.

Hominis erga DEVM ingratitudo poſt tot accepta beneficia.

3. Quid Plinium memorem? Qui lib. 8. Hiſt. naturalis cap. 40. de Canibus mira commemorat, quibus eorum in Dominos ſummam fidelitatem, gratitudinemque declarat. *Ex animalibus*, inquiens, *quę nobiſcum degunt, multa ſunt cognitu digna, fideliſſimumque ante omnia homini canis eſt. Pugnaſſe aduerſum latrones canem pro Domino accepimus, confectumque plagis à corpore non receſſiſſe, volucres, & feras abigentem. Ab alio in Epiro agnitum in conuentu percuſſorem Domini, laniatu, & latratu coactum fateri ſcelus. Garamantum Regem canes ducenti ab exilio reduxere, prœliati contra reſiſtentes. Propter bella Colophonij, itemque Caſtabalentes cohortes canum habuere; eę prima dimicabant in acie, nunquam detrectantes. Hęc erant fideliſſima auxilia, nec ſtipendiorum indiga. Canes defendere, Cimbris cęſis, domus eorum plauſtris impoſitas. Canis, Iaſone Lycio interfecto, cibum capere noluit. inediaque conſumptus eſt. Is verò cui nomen Hyrcanis reddidit Duris, accenſo, Regis Lyſimachi rogo, iniecit ſe flammæ, ſimiliter Hieronis Regis. Apud nos Volcatiū nobilem Aſturcone è ſuburbano redeuntem, cùm ad veſperauiſſet, canis à graſſatore defendit. Item Cęlium Senatorem ęgrum Placentię ab armatis oppreſſum; nec prius ille vulneratus eſt, quàm cane interempto. Cùm animaduerteretur in T. Sabinum, & ſeruitia eius vnius ex his canis nec à carcere abigi potuit, nec à corpore defuncti abiecto receſſit; cui cū quidā cibum obieciſſet, ad os defuncti detulit. Innatauit idē Canis, cadauere in Tiberim abiecto, ſuſtentare conatus, effuſa multitudine ad ſpectādā animalis fidē. Soli Dñm nouere, etc.* Hac. Plin. de canū verè mirâ æquè gratitudine, ac fidelitate.

Fideliſſimus inter animalia hominis Canis eſt.

Regem Garamentum canes 200. ab exilio reduxerunt.

Canibus vſu in prælio nõnulli.

Canis mortuo Domino cibum capere noluit, vnde inedia cõſumptus eſt.

4. Ex quibus ſanè colligimus ſyderеam illam Caniculam in ſe, velut in ſpeculo, gratum hominis cuiuſque animū, atque adeò, & longè magis ipſius Sacratiſſimæ Virginis, quo in DEVM ob tot beneficia, ab ipſo immaculatæ Conceptionis inſtanti ſibi exhibita, ferebatur, exprimere. Obſeruandum verò duobus ex ſyderibus conſtellationem hanc componi, ad deſignandum duplicem grati animi affectum extitiſſe in Deipara; alterum quo ferebatur in DEVM, alterum quo ferebatur in proximum. Prior ille, ſtellâ lucidiſſimâ primæ magnitudinis, quæ ipſius Caniculæ vno ſplendet in latere: Alter ſtellâ quartæ magnitudinis indicatur. Vt porrò propenſiſſimos hoſcè gratæ voluntatis, tàm in DEVM, quam in homines, ex ardentiſſima charitate procedentes intelligeremus eſſe Virginis affectus, voluit optimus Naturæ Auctor, vt ſolem, dum hanc conſtellationem ingreditur, vehementiſſimos æſtus excitantem experiremur, ſimulque Diuinum Numen omnium bonorum profuſiſſimum fontem, ob tot tamque innumera in nos collata beneficia, ſummâ grati animi ſignificatione, ac inflammatâ prorſus æſtuantique charitate redamandum excitaremur. Quod nobis Mercurius Triſmegiſtus ſapienter inſinuare viſus eſt, dum in Aſclepio cap. 15. colloquium de rebus Diuinis inchoatum terminando, à ſocijs admonitus vt thure addito, & pigmentis precem dicaret Deo, reſpondit commotus: *Melius melius ominare ò Aſclepi. Hoc enim ſacrilegijs ſimile eſt, cum DEVM roges, thus atque cætera incendere. Nihil enim deeſt ei, qui ipſe eſt omnia, aut in eo ſunt omnia; ſed nos agentes gratias adoremus. Hæc enim ſunt ſummæ Incenſiones Dei, cum aguntur gratiæ à mortalibus: Gratias igitur tibi agimus ò ſumme, atque exuperantiſſime, &c.* Sic ille.

Gratitudo exhibenda Deo & proximo.

Canicula duabus ſtellis primę magnitudinis, & quartæ conſtat.

Actio gratiarum magis Deo placet quam thuris oblatio.

5. Iam ad conſiderandam hāc animi Virginei erga Diuinam in primis Maieſtatem gratitudinem, orationem conuertamus, eiuſque Naturam tantiſper conſideremus. *Gratitudo virtus eſt ſpecialis*, ſecundum Doctorem Angelicum 2.2. quæſt. 106. art. *reddens gratiam benefactori*. Hac virtute ſpeciali nimium quātum exornata fuit Virgo Beatiſſima. Cùm enim in primis ardentiſſima in ſuum Creatorem tam munificum, qui eam tot, tā Naturæ, quàm gratiæ exornarat donis, ferretur charitate, & ſingulari prorſus plenitudine gratiæ ab ipſo primo immaculatæ Conceptionis inſtanti, innumeriſque cæli dotibus, lumine

mine gloriæ irradiata, se decoratam in ipso adhuc Matris vtero cognosceret, vniuersam illam plenitudinem gratiæ in DEVM benefactorem, illarumque perennem refudit fontem, vt iterum fluerent. Vnde Canticum illud suum quo Dominum magnificauit, eiusque potentiam, misericordiam, aliaque attributa extulit Deipara, in vtero adhuc Matris commorans meditata fuisse à Theodoreto dicitur. Vnde Pelbartus libr. 10. Stell. Part. 4. art. 2. ait B. Virginem summè illuminatam mente, & in DEVM eleuatam fuisse in vtero adhuc Matris existentem in primo illo suæ immaculatæ Conceptionis momento, quæ postea mira sapientiæ claritas, in obumbratione Spiritus S. quando Dei concepit Filium, adeo adaucta est, vt vix possit exprimi, quam eleuatum, illuminatumque intellectum, super omnes puras creaturas habuerit. Hinc nouis indies gratijs, ob beneficiorũ agnitionem, Diuinumque amorem, à liberalissima Dei manu cumulari meruit.

B.V. Canticũ Magnificat in vtero adhuc Matris meditata est.

Est enim Virgo nostra Mare illud gratiarum planè immensum, in quod licet, vt loquitur Salomon Ecclesf. 1. 7. *omnia intrent flumina, non redundat, nec intumescit*, quia nimirum ad locum, ad datorem ipsum, vnde flumina illa donorum cælestium exiere, reuertuntur, vt iterum fluant. Quæ sapientis verba S. Bonau. in spec. cap. 7. sic mysticè de sacratissima Virgine est interpretatus: *Sicut*, inquiens, *in mari aquarum; ita in Maria sunt congregationes gratiarum*. Vnde S. Thom. in cap. 1. ad Rom. lect. 5. *Reddunt*, inquit, *flumina, idest, beneficia, per gratitudinem ad suum principium, vnde exierunt, puta ad datorem DEVM; itaque iterum fluunt, quia gratitudo de datis, prouocat liberalitatem Dei ad noua danda*: Hinc S. Bern. serm. contra Ingrat. *Locum in nobis facimus gratiæ, gratias scilicet agendo, vt maiora adhuc percipere mereamur*. Hæc gratitudo dona Dei nobis data conseruat. Quàm præclarè D. Chrysostomus Hom. 26. in Matt. *Optima beneficiorum custos est memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confessio*. Idem Hom. 2. ad populum Antioch. *Gratiarum actionem vocat magnum thesaurum, inconsumptum bonum*. Quasi diceret esse perennia fluenta, quæ nunquam exarescunt. Alias enim flumini non reuertẽti exaresceret mare, vt ingratis exarescit DEVS. Verissimè enim dixit S. Bernard. serm. 51. in Cant. *Ingratitudo est ventus vrens, siccans fontem pietatis, roremque misericordiæ, fluenta gratiæ*. Idem serm. de septem misericordijs: *Peremptoria*, inquit, *est res ingratitudo, hostis animæ, inimica salutis. Nihil ita displicet Deo, præsertim in filijs gratiæ, quam ingratitudo, vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, non habet*.

M. Mare gratiarum.

Gratitudo dona nobis à Deo data cõseruat.

Laudes Gratitudinis.

Nihil ita displicet Deo in filijs gratiæ quàm ingratitudo.

6. Quam veritatem sapientissima nostra agnoscens Deipara, flumina ipsa videtur imitata. Quemadmodum enim hæc velocissimo ad mare cursu, atque impetu rem ipsam, atque adeo seipsa reddunt mari, & non sola verba, vt homines consueuere; ita illa quã citissimè voluntate propensissimâ semetipsam totam tanto, tamque insigni immaculatæ Conceptionis, ab illo inexhausto bonorum omnium mari, atque Oceano, accepto beneficio, diuinis mancipauit obsequijs, ipsique Deo tunc corpus, animumque perpetuæ Virginitatis voto, vt aliqui graues attestati sunt Theologi, consecrauit. Ostendens reuera etiam hoc facto se Aaronicam illam prodigiosam esse Virgam amygdalinã, tam maturè germinantẽ, florẽtem, ac fructificantẽ, florem, fructumq; inusitatissimũ illâ tẽpestate, qua probro habebatur Virginitas. Vnde merito secũdum varias lectiones, Virga vigilans, properans, festinans dicta est. Siquidem nulla alia Virga vel Virgo ante hanc Virginum Virginem Sanctissimam, non dicam in vtero Matris, sed ne quidem vnquam de Virginitate Deo per votum dicanda cogitauit cùm, vt dixi, sterilitas obbrobrium illis infelicissimis temporibus reputaretur in Israel.

B.V. gratitudine sua erga DEVM flumina maris ingredientia imitata in celeritate.

B.V. Virga vigilans properans dici potest ob votum Virginitatis in vtero Matris emissum.

7. Videbatur sanè Virgo nostra doctrinam illam sapientissimam intellexisse Spiritus Sancti, quam postea Bernardus serm. 13. in Cant. conscripsit, vbi docet, quã ratione creatura, gratitudinem suo exhibere debeat Creatori, dona omnia, ipsamque animi puritatem in ipsum refundendo, vt vberioribus diuinæ benignitatis fluentis infundatur: *Origo fontium*, inquit ille, *& fluminum omnium mare est, virtutum, & scientiarum Dominus IESVS Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est Rex gloriæ? Sed &, iuxta Annæ canticũ, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solùm autem hec, sed etsi quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientię, inde sapientię sermo.*

A Christum velut fonte bonorũ omnium sciẽtia, ingenium, eloquentia, &c. permanant.

ſermo. Theſauri ſiquidem ſapientiæ, & ſcientiæ ibi omnes abſconditi ſunt. Quid? caſta conſilia, iuſta iudicia, ſancta deſideria, nonnè riuuli fontis illius ſunt? Quodſi copiæ aquarum, ſecretis ſubterraneiſque recurſibus, inceſſanter æquora repetunt, vt inde rurſus ad viſus nſuſque noſtros iugi, & infatigabili erumpant obſequio, cur non etiam Spirituales riui, vt arua mentium rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraude, ſine intermiſſione reddantur? Ad locum vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, & iterum fluant. Remittatur ad ſuum principium cæleſte profluuium, quo vberius terræ refundantur. Qualiter inquis? Qualiter dicit Apoſtolus: In omnibus gratias agentes. Quicquid Sapientiæ, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei Sapientiæ deputa Chriſto. Hæc Bern.

Quidquid Sapientiæ, & virtutis habemus, Dei Virtuti, & Sapientiæ Christo deputandum.

8. Eandem hanc planè gratitudinem erga Diuinam Maieſtatem oſtendit Deipara, poſtquam Dei Filius in eius vterum Humanitatem aſſumens eſt ingreſſus, eamque ad Diuinæ Maternitatis eminentiſſimam dignitatem extulit; Tunc enim dulciſſimum illud carmen, quod antea in ſuæ Conceptionis inſtanti, Matris adhuc vtero recluſa, eſt meditata, mirificas ab Eliſabetha ſuas decantatas audiens laudes, clarâ hilarique voce modulata eſt, omnem laudem, gratiamque ſibi conceſſam in earum refundens auctorem, ac fontem, ardentiſſimo cordis affectu ex ſynceriſſima prorſus charitate, proficiſcente cecinit: *Magnificat anima mea Dominum.* Quę omnia expendens mellifluus Bern. ſerm. de verb. Apoc. *Virginis*, ait, *gloria ſingularis Eliſabethæ, per Spiritum reuelatur. Denique mirabatur perſonam venientis: Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me. Commendabat, & vocem ſalutantis adijciens: Vt facta eſt vox ſalutationis ſuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, beatificatque fidem credentis. Magna quidem præconia, ſed, & deuota humilitas nihil ſibi paſſa eſt retinere, in eum magis vniuerſa refudit, cuius in ſe beneficia laudabantur.* *Tu*, inquit, *magnificas Matrem Domini, ſed magnificat anima mea Dominum. In voce mea perhibes Filium exultaſſe in gaudio, ſed exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo, & ipſe quoque tanquam amicus Sponſi gaudet ad vocem Sponſi. Beatam eſſe dicis, quæ crediderit, ſed credulitatis, & beatitudinis cauſa, reſpectus eſt ſupernæ pietatis, vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia Ancillam humilem, & exiguam reſpexit DEVS.* Hæc Bern. Ex quibus luculenter perſpicimus, qua ratione Virgo Deo gratiſſima vniuerſas laudes, & gratias, in fontem gratiarum omnium, à quibus proceſſerant, refuderit, vt vberius dona cæleſtia, velut de Paradiſi fonte, in eam fluerent, eiuſque animam ad inſtar cæleſtis Viridarij, in quo quieſcebat Sponſus irrigarent.

Gratitudo B. V. poſtquam facta eſt Mater Dei, Canticũ Magnificat decãtando.

In B.V. aſpectus ſupernæ pietatis beatitudinis eſt cauſa.

9. Quare Ioann. Gerſon Pariſinus Cancellar. Tract. 1. in Magnificat Sapienter oſtendit Canticum hoc in gratiarum actionem pro tot, tamque innumeris in ſe collatis beneficijs à Deipara decantatum: *Tu*, inquiens, *Virgo ſacrata non ingrata beneficijs Dei more priſcorum mox canticum edidiſti conſonans eis in exordio, & dicens: Magnificat anima mea Dominum. Taliter olim Maria ſoror Moyſi in medio iuuencularum tympaniſtriarum. Taliter Dauid Rex inclytus, vnde Maria Regali ex progenie exorta refulget. Taliter alij plures ad Dei magnificationem eruperant, vt eſt illud: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt. Et illud: Magnus Dominus, & laudabilis nimis, cum cæteris in arcano cordis Mariæ profundè collocatis. Similiter acceperat nouiſſimè promiſſionem Angelicam de Filio naſciturо; Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur: Denique nouerat quia fecerat ſibi magna qui potens eſt. Magnus Dominus, & magna virtus eius, virtus Altiſſimi, quæ obumbrauit tibi, & Sapientiæ eius non eſt numerus. Quia veritas eſt illa, quę magna eſt, & pręualet teſtimonio omnium per Eſdram prolato.* Explicat deinde Vir hic in Virginem pijſſimus, qua ratione Deipara Deo gratias referendo, eundem magnificauerit, aitque *id factum à creatura non in augmentum, ſui inſe, ſed quia magnus eſſe prędicatur, canitur, & laudatur. Aut certè quia magnificam facit animam, cui magna facit qui potens eſt. Nam quos iuſtificauit, hos, & magnificauit. Nunquid parum tibi videtur magnificata Beatę Marię Virginis anima? Quę operationi ſuprà modum magnificę fuit auſa prębere conſenſum: Fiat*, inquit, *mihi ſecundum verbum tuum: Ideſt, fiam Mater Filij, cuius eſt Pater DEVS. Quid excelſius, quid ſublimius, & magnificentius poterit excogitari? quod & vidit, cum propheticè ſubiunxit: Ecce ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Atque ita Virgo humiliando ſe ad inſtar ancillæ, gratiaſque ſummæ referendo Maieſtati, vberioribus donis, ac planè diuinis, à perenni illo bonorum omnium fonte meruit infundi.

Canticũ B.V. pro innumeris ſibi collatis beneficijs decantatum.

B.V. antiquus Patres in decantando ſuo cantico imitata eſt.

Quantopere magnificata fuerit Incarnatione B.V. anima.

10. Pergit inde idē pius hic Doctor

Canticum Magnificat, & Psalterium Decachordū.

ostendendo Canticum hoc gratiarum actionis, esse Psalterium decachordum, pulcherrimam, suauissimamque reddés harmoniam, ei quàm simillimam, quam vniuersa Natura Angelica in nouem choros distincta, Natura item Humana summam Maiestatem laudando reddere consueuit, Vnde, & vtramque Naturam decem chordarum Psalterium vocitauit: *Quid appropriatius*, inquit, *quidue Diuinius poterimus accipere, quam ipsummet Psalterium Mariæ decachordum, habens decem versus, quasi totidem chordulas sonorissimas, conformiter ad illud vniuersale decachordum totius rationalis Creaturæ, quod connectitur ex nouem ordinibus Angelorum, quasi nouem fidibus argutis, iunctâ ex hominibus decimâ, quam in primis parentibus per peccatum ruptam, summus noster Cytharista reparauit, vt concordaret Psalterium iucundum cum cithara.* Addit deinde hoc Cantico, Virginem tot in se collatorum beneficiorum memorem, præcipua Dei attributa magnificentiæ, omnipotentiæ, Sapientiæ, bonitatis, ac misericordiæ, aliaque insignia Dei opera chordis singulis illius Psalterij celebrasse, DEVMque magnificum in illis ostendisse, vt tanto magis insignem suam in DEVM gratitudinem demonstraret: *Est itaque prima*, inquit ille, *huius nostri Psalterij Mariæ chordula sonans Dei magnificentiam, quia Dominus est, cuius magnificentia eleuata est super cælos, Magnificat, inquit, anima mea Dominum. Non dicit illum vel illum, sed simpliciter, & antonomasticè Dominum. Secundo magnificatur in saluatione, propterea vocat illum salutare, quia Domini est salus. Tertio magnificus est in respectione humilium, & beatificatione, quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit. Quarto magnificus in magnorum operatione, & nominis sui sanctitate; Quia fecit, inquit, mihi magna qui potens est, & sanctum Nomen eius. Consonat Psalmista; Quia magnificasti super omne Nomen sanctum tuum. Quinto magnificus est in misericordia, & miseratione timentibus eum. Sexto magnificus in superborum mente cordis sui deiectione, seu dispersione. Septimo magnificus in humilium exaltatione, potentibus de sede depositis. Octauo magnificus in esurientium impletione, cum diuites dimisit inanes. Nono magnificus in perditorum liberatione: Quia suscepit Israel puerum suum. Decimo magnificus in promissorum suorum completione.*

Nomen chori Angelorū cum Natura humana suauissimam Deo Psalterii Decachordi.

B.V. in suo Cantico præcipua Dei attributa celebrauit.

11. Ex hoc discursu infert varios illos omnium organorum sacræ scripturæ modulos, imo voces omnis generis Musicorum concordare cum hoc Mariæ, gratitudinis plenissimo Psalterio decachordo. *Scito*, inquiens, *quod in auribus suis nostra Psaltes copiosissimè, & distinctissimè resonare faciebat voces omnium Musicorum, dum mentis intuitum, simul cum plectro meditationis, liberrimo discursu, miraque celeritate diffundebat vbique dum quasi simul in omnes, & singulos se diffundebat affectus, quos solet humana mens singillatim canendo variare. Vocat denique Psalterium hoc Virginis Canticum nouum, quod ipsa Domino decantauit, quia mirabilia in Incarnatione perpetrauit. Nempe cantauit, inquit ille, Domino Maria Canticum nouum, quia mirabilia fecit. Mirabilia prorsus misericordiæ, quæ charitas maiora fecit, quam fuerant, si ita dici potest, mirabilia potentiæ. Fecerat apud veteres mirabilia, quæ potentiam, quæ sapientiam, quæ iustitiam, quæ dominationem, & virtutem ostendebant, sed tunc Dominus nouum fecit super terram, quando mulier circumdedit virum, quando scilicet suscepit DEVS per Incarnationem Israel puerum suum, quando recordatus est. Cuius recordatus? Non dixit potentiæ, non sapientiæ, non iustitiæ, sed misericordiæ suæ. Tum memoriam fecit mirabilium, scilicet misericordiarum misericors, & miserator Dominus. Quando in rebus per tempus ortis mirabilius nihil vtique, teste Augustino, quam vt DEVS fieret homo, & homo esset DEVS.* Sic ille.

B.V. Canticū est Canticum nouum.

12. Ex qua Cantici Mariani tum explicatione, tum insigni laude, lucculentè sanè perspicimus Deiparæ Virginis mentem diuino lumine insigniter perfusam, voluntatemque Diuini amoris facibus ardentissimis accensam, innumerabilia in se collata planè singularia cognouisse beneficia, agnitaque eximia charitate, cum excellenti gratitudine sociatâ ad ipsorum fontem refudisse, vt maiori impetu illud cælestiū bonorum flumen, quod lætificat ciuitatem Dei, in illius beatissimam animam, tanquam in puteum aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano, influeret, eamque, & maiori mentis luce, & calore affectus inflammaret. Qua sana gratitudine inflammataque charitate Virgo beatissima omnes nouem choros, excessit, Angelicos, ipsosque eorum Principes Seraphinos, qui ab amoris ardore nomen inuenere; Excessit item omnes Sanctorum Ordines, quorum assidua est in cælis occupatio, gratiarum actio, & vox laudis, ex cordis Diuini amoris incendijs æstuante profi-

proficiſcentes. Quod, vt obſeruauit idem Gerſon, ipſa Virgo decem illis ſui Cantici verſiculis, qui miro quodam compendio Angelorum, & hominum beatorum gratiarum actiones,& laudes Dei exhibitas, continent, indicare dictante Spiritu S. viſum eſt.

13. Vnde Diuus Bernardinus Senenſis decem hos huius Virginei Cantici verſiculos, ab ardenti corde, velut fornace Diuini amoris, profectos totidem flammas vocitare non dubitauit. Ipſa enim poſt Incarnationem, velut Rubus ille Moſaycus, omni peccati ſpinâ carens, cæleſti igne, qui DEVS, qui Verbum eſt, ſuccenſa, quocumque ſe verteret Diuini amoris flammas euibrabat.

14. Has Virginei amoris flammas ita ardentes in Verbi Incarnatione hauſtas compræhendere non valens Sāctus Amadeus Hom. 3. de laud. B.V. petebat lumen, quo mens eius ab ipſa irradiaretur: *Rogamus*, inquit, *te Domina Dei Mater digniſſima non aſperneris petentes cum tremore, quærentes ex pietate, pulſantes cum charitate: rogamus, inquam, quo affectu mouebaris, quo amore tenebaris, quibus ſtimulis agitabaris, cùm hęc fiebant in te, & Verbum carnem ſuſciperet ex te? Vbi erat anima tua, vbi cor, vbi ſenſus, vbi mens, vbi ratio? Ardebas vt Rubus, qui olim oſtenſus eſt Moyſi, & non comburebaris, liqueſiebas, & non conſumebaris; ardebas liquefacta ſupernis ignibus, liquefacta in igne, vires reſumebas ab igne, vt ſemper arderes, & interim liqueſieres. Ignis ille rorem luminis exhibuit, ros luminoſus vnctionem præbuit, & vnctio ſemen ſanctum pręſtitit, in quo repromiſſum eſt Abrahæ, quod in eo benedicentur omnes gentes. Heſiſti enim Virgo pulcherrima ſtrictis amplexibus auctori pulchritudinis, & effecta plus Virgo, imo pluſquam Virgo, quia Mater, & Virgo, hoc ſacroſanctum ſemen Deiſicâ infuſione ſuſcepiſti.* Hactenus Amad.

B.V in Incarnatione Verbi res ineffabiles experta.

B.V. adhæſit ſtrictis amplexibus Auctori Pulchritudinis.

15. Idem Sanctus Deiparæ ſtudioſiſſimus Antiſtes, charitatem effuſiſſimā eiuſdem, à qua velut à fonte illa grati animi in Diuinam Maieſtatem ſignificatio, originem trahebat oſtendere nobis volens, eam totam ignem effectam, & velut Phœnicem diuini amoris concrematam incendio aſſeuerat Hom. 6. *Nati*, inquiens, *gloriam beatiſſimis oculis aſpexiſti, vidiſti, & defeciſti. Defecit caro tua, & cor tuum, liquefacta es, vt vocem dilecti Filij tui tecum loquentis audiuiſti. Factum eſt verbum eius flammigerans in oſſibus tuis. Ergo diuinis ignita colloquijs, tota effecta es, velut ignis, teque holocauſtum Deo ſuauiſſimum obtuliſti. O Phœnix aromatizans gratius Cinnamomo, & balſamo, & nardo ſuauius Regem in aſpectu tuo delectans.* Sic ille.

B.V. Phœnix diuini amoris concremata incendio.

B.V. diuinis ignita colloquijs tota effecta eſt velut ignis, & Holocauſtū Dei.

16. Verè enim Deipara dulciſſimo hoc ſuo Cantico gratiarum actionis, velut ſuauiſſimā nardo, Regem in accubitu vteri ſui Virginalis reſidentem mirificè recreauit. De hoc Cantico Pelbartus lib. 2. ſtell. par. 3. art. 1. & ſequētibus, vbi miras affert eiuſdem Cantici laudes, ac priuilegia 12. quæ ille totidem ſtellas Virginem coronantes eſſe dicit, Inter reliqua porro Canticū hoc conſiderando, hæc ait: *Verba ſunt benedictę Virginis Marię gratias agentis, & laudantis DEVM in hac viſitatione pro beneficio Incarnationis. Canticum hoc ſuo titulo, quod eſt Canticum Mariæ, excellit reliqua Cantica, vt Moyſis, Dauidis Salomonis, &c. Sicut enim Maria excellit omnes Prophetas ſanctitate, dignitate, & gloria, ita eius Canticum ſuperat eorum Cantica. O quis erga hoc Canticum non afficiatur, quod tam dignum, tam dulce Nomen ſortitum eſt, vt dicatur Canticum Marię Dominę noſtræ, Reginę miſericordię, & gratię, miſericordiam illam, gratiamque increatam Dei Filium vtero ſuo puriſſimo geſtantis.* Sic ille.

Priuilegia 12 Cantici B V. ſunt 12. ſtellæ eam coronantes.

Canticum B. V. omnium Prophetarū Cantica ſuperat.

17. Hic ſanè dulciſſimus Filius eam ſuauiſſimâ ſuâ illuminabat luce, dulciſſimâ accendebat charitate ita, vt eū agnoſceret, agnitumque amaret, & amore eius accenſa in amabiliſſimam illam erumperet melodiam, gratiarumque actionem, ne illud infandum ingrati animi crimen, quod illa vehementiſſime auerſabatur, in ea locum vllum reperiret. Nouerat enim hoc turpiſſimū eſſe vitium, Deo, mortalibuſque omnibus prorſus execrabile. Nouerat hoc vitio laboraſſe olim Protoplaſtum, & eius Euam coniugem, atque ideo & ſe, & totam poſteritatem peſſumdediſſe, quod obſeruauit venerabilis Rupertus Abbas, qui primorum Parētum lapſum miſerabilem, obliuioni diuinorum beneficiorum attribuere non dubitauit, lib. 4. in Gen cap. 39. *Animaduertendum*, inquit, *eſt, quàm pertinaciter homo primus à creatoris laude mutus perſtitit, quàm obſtinatis labus, ab omni gratiarum actione abſtinuit, & ingratum Domino Deo ſilentium dediti formante Deo, & inſpirante ſpiraculum vitę, non ſuſpirauit eodem ſpiraculo vitę in Plaſtę ſui faciem, vt adoraret, & glorificaret, vt ei gratias ageret. Item ab eodem Domino Deo* po-

Primorum Parentum lapſus ortus ex ingratitudine.

Adamus acceptis tot à Deo in ſui creatione beneficiis, ingratum Deo ſilentium dedit.

positus in Paradiso voluptatis, nullas ei gratias egit, & taciturna ingratitudine tantum, tamque felicem deliciarum locum, quasi rapinam arbitratus, occupauit.

18. Ex quo amarissimo ingratitudinis fonte duo quasi triuuli virulenti emanarunt. Alter quidem quod post lapsum, culpam suam non agnouit. Nam vt prosequitur Rupertus: *Qui gratiam Dei non cognouit, mirum non est, quod peccatum suum non cognosceret, eodem quippe intuitu, & suum malefactum, & diuinum erga se beneficium cognoscit homo.* Alter deniq; quod DEVM ad sui recordationem non euocauerit, sed potius in sui obliuionem traxerit. Vnde idem Rupertus libr. 3. in Gen. cap. 13. introducens DEVM, quasi è graui sopore euigilantem, & ad auram post meridiem in Paradiso deambulantem, subnectit: *Culpandus, inquit, est DEVS, quia toto meridie dormiuit, & eo dormiente lupus ouem centesimam tulit? Non vtique: Sed tota culpa illius est, qui custodem suum dormire promisit. Nam vt ille non dormiat, in arbitrio hominis est, qui semper illum inquietare debet iuxta illud Isa. 62. v. 7. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Quomodo non dandum est silentium ei? Videlicet toto die, & tota nocte, non tacendo laudare Nomen Domini.* At Adam, *& vxor eius pari pertinacia silentium tenuit, neque vllam gratiarum actionem reddidit, neque vllum piæ confessionis verbum de ore cuiuslibet eorum sonuit, in auribus Dei. Itaque neque eius culpa est, quod dormiuit, sed eius, qui tam ingratum silentium, vt merito obdormire posset, ei præbuit.*

Error Adami duplex quod culpam suam non agnouit, alter quod DEVM ad sui recordationem ei gratias agēdo non euocauerit.

Vt DEVS nō dormiat ad nostri custodiam in arbitrio homini est.

19. Non ita sane egit Deipara nostra sacratissima tota penitus Euæ contraria verum agnoscens se tot benedictionibus dulcedinis præuentam, ab ipsoque immaculatæ suę Conceptionis instanti, animam suam tot, tamque innumeris diuinæ gratiæ à munificentissimo creatore suo decoratam monilibus, & velut Sponsam, Diuinæ Maternitatis ornatam coronâ animaduertens, protinus suauissimum illud diuinarum laudum melos meditata est, totoque vitæ suæ decursu, toto die, & tota nocte non tacuit laudare nomen Domini; Imo velut sancta illa Apocalypsis animalia, quæ requiem non habebant die, ac nocte in Diuinis pangendis laudibus; Sic Virgo nostra mox creata, sese in Creatoris sui effudit encomia, & in posterum dum vixit eius beneficia reminiscendo, ac meditando non tacuit, nec dedit ei silentium. Vnde promeruit vt pro eius anima ornanda assiduè Dilectus vigilauerit. Hinc ipsa, Cor suum ipsum vocitando, pijssimam eius in se solicitudinem prædicauit: *Ego dormio*, inquiens, *& Cor meum vigilat.* Cant. 2.

B. V. tanquā Euæ ingratæ contraria, a primo suo ortu fuit Deo grata.

Filius pro Mariæ anima ornāda semper vigilauit, fuitque solicitus.

20. Neque verò solum Dei Filius tam cordiali amore eam prosequens, de ipsa varijs virtutum gemmis exornanda, atque ad sui Incarnationem disponenda fuit solicitus, verùm ipsa etiam augustissima Trinitas. Vnde sicut in creatione hominis protoplasti, sic in Virgine nostra venustanda omnium creaturarum pulchritudine, cælique diuitijs locupletanda, eo die, quo Gabriel cælestis Paranymphus eam alloqui, consensumque ad Filij Dei Incarnationem elicere debebat, Diuinissimę illæ Personæ consilium iniere verbis illis piâ solicitudine plenissimis. Cant. 8. *Quid faciemus Sorori nostræ in die qua alloquenda est.* Seu, vt legere alij, *Quando verbum fiet in ea?* Animaduerterat nimirum Trinitas Sanctissima, quod quo plura gratiarum flumina in Mare hoc Virgineum intrarent, magis illa ea omnia in summæ Diuinitatis Oceanum grata animi significatione transfunderet; vnde Bonitas illa immensa, quę se à creatura sua superari liberalitate nunquam patitur, noua in dies gratiarum fluenta immittere meditabatur, ac præsertim eo die, quo à Gabriele erat alloquenda, & Salutanda, vt Verbum caro fieret in ea. Quare augustissimæ illæ Personæ admodum solicitæ merito quærunt inter se: *Quid faciemus Sorori nostræ?* Quasi dicerent: Iam Gratiæ, Naturæque donis, quibus eam locupletauimus, Naturam Angelicam simul, & humanam longissimè excedit; Est in illa Angelica puritas omnium Hierarchiarum, est in illa ardentissima claritas Seraphicam, est Sapientia profundissima Cherubicam longè transcendens. Vnde & per se Hierarchiam nobis proximam eam constituere voluimus. In ea velut in mare, omnium Sanctorum hominum, Patriarcharum, Prophetarum, quotquot ab exordio mundi extitere, virtutes ac merita, ceu flumina in vastum mare confluxere, nec tamen eius impleri videtur capacitas, ob profundissimam, qua pollet, humilitatem, atque gratitudinem. Eo igitur die, quo eam

SS. Trinitas in B. V. anima exornanda solicita.

Personarum Diuinarum decretum de Maria ornanda in Incarnatione Verbi.

eam nosteralloquitur Angelus, descendat immensum nostrum Verbum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, in quo plenitudo gratiæ, & veritatis: descendat, inquam, vt impleat omnia, Virginemque in primis inter omnia, vt quicunque eam dilexerit, seseque eius clientelæ commiserit fidelissimæ, dicere, verè ac gloriari valeat: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7.

21. Quo supersubstantiali accepto Dono, bonorumque omnium fonte, cogitandum vobis relinquo, quibus incesserit gaudijs Deipara, quibus Diuini amoris exarserit flammis, quibus laudum præconijs tam munificum, liberalemque prosecuta sit largitorem? Crediderim certè sibi persuasisse Virginem ad se potissimùm spectasse Euangelici Prophetæ Salutare illud monitum Isa. 12. *Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, annunciate hoc in vniuersa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* Ipsa enim verè animata Sion extitit, in qua habitare Sanctus Sanctorum nouem mensibus, cum omnium plenitudine gratiarum non est dedignatus. Ipse eam ad laudem, ad gratiarum actionem eius in Virgine commorans vtero, excitabat.

B V. tamquā animata Sion semper laudabat Dominum.

22. Non enim fuit Virgo ex illorum ingratorum numero, qui cum præsentissima habeant Diuina beneficia, ea tamen non vident, nec æstimant. In quos iure inuehitur D. Basil. Hom. 5. in Martyrem Iulitam, docens ingratos multis diuinis beneficijs abundantes, nec ea, vt par est, recognoscentes, esse tanquam oculos, qui dum obiecta sensibilia proximè admota habent, ea non intuentur, remota tantisper è contra, vident: *Præsentibus bonis perfruentes,* inquit ille, *cum nullam rependamus Largitori gratiarum actionem, vt sensum aliquem percipiamus, ex iactura rei, necesse est vt ea spoliemur. Vt enim oculi, quod iusto propius admotum est, non vident, sed opus habent moderata quadam distantia, itidem animos minus gratos videmus, sensu attingi prærepta gratiæ, dum priuatos se intelligunt prærogatiua bonorum.* Aliter longè sese habuit Deipara. Summum enim illud, æternumque Bonum, quo magis illi propinquum per Incarnationem extitit, intimiusque ipsi per immaculatæ ipsius carnis assumptionem sese vniuit, eo gratior fuit,

Pena qua à Deo puniuntur ingrati.

magisque in illius laudes sese effudit, dulcissimum illud suum, vti supra memoratum est modulando Canticum.

23. Imo reliquo vitæ suæ tempore ita vixit, vt eius vniuersa vita continua quædam Dei laus esse videretur, verissimumque in illa potissimùm euaderet, quod de vniuersis Christi fidelibus prędicauit Apostolus Eph. 2. 10. Ipsius sumus Factura. Vbi Græcus legit: αὐτοῦ ἐσμὲν ποίημα quod verbum vertitur: *Ipsius sumus Pœna*. Quemadmodum enim Pœna ad Heroum præclara facinora celebranda componitur, ita Deipara ad sui Creatoris beneficia, eximiaque laudum præconia composita, & quasi ficta, factaque esse videbatur.

Vita B V. fuit quasi quoddam Pœna Dei laudes decantans.

24. Quod si Clemens Alexandrinus in Exhortat. ad Gent. pronunciauit: *Pulcher Hymnus Dei est homo, qui iustitia ædificatur:* Quanto magis pulcherrimus Dei Hymnus censenda est Deipara, quæ totius Sanctissimæ suæ vitæ decursu in iustitiâ ac sanctitate, reliquarumque virtutum exercitatione in Tēplum Sacrosanctum Diuinę Maiestatis, imo in Cælum ipsum, in quo Gratiarum actiones Deique laudes assiduè concinuntur à cælesti Sapientia ædificabatur, in quo Dei laudum, ceu Sacrificiorum suauissimi odores in conspectu supremi illius Numinis exhalabantur. Vnde B. Andreas Cret. Epis. orat. 2. de Dorm. B. V. *Tu cæli, & cælorum naturam superasti sanctitate. Ex corpore suo odorifero impolluto, & pleno Sanctificationis scatet remissio, manat immortalitas, ex quo est Deificatio, in quo est perfectio. Tu enim vere es, quæ es reuera pulchra, & vnguentis quod minimè exinanitur. Tu es olei vnctionis exultatio. Tu es aromatum intelligibilium suffitus. Tu es flos incorruptionis. Terra quæ fert aromata.*

Homo iustus & Pulcher Dei Hymnus

25. Neque verò Solus homo, Sola Virgo, sed vniuersa etiam insensibilis atque irrationalis creatura vox quædam est altissima suum tacitè deprædicans Creatorem. Vnde S. Basilius in Psal. 28 *Inanimata*, inquit, *elementa vocem habent à Domino, quia vniuersa creatura non clamans, creatorem suum deprædicat.* Non dissentit D. Ambros. libr. 2. Hexam. cap. 4. *Mundi*, inquiens, *opus cum videtur suum laudat Auctorem*. Idem ait D. Nazian. orat. 43. vbi postquam varias creaturas considerasset, addidit: *Omnia DEVM laudant, & vocibus mutis* con-

concelebrant. Et sanè si quis attentius consideret, id facere videtur mundus, quod homo aliquis contemplatiuus, qui rerum Diuinarum, operumque à Deo conditorum, consideratione profundissimâ defixus, eloqui res tantas nequiens solo silentio atque admiratione eas Diuinamque Maiestatem, velut mutus Preco, veneratur.

Creaturæ omnes sacro quædam silentio Deum laudant.

Quod silentium pulcherrimum sanè, gratissimumque est Deo præconium. Vnde vbi vulgatus: *Te decet*, inquit, *Hymnus DEVS in Sion*; legit D. Hierony. *Tibi silentium, ò DEVS, est laus in Sion*. Silentium hoc creaturarum est vox, tubâ quauis, attestante S. Chrysostomo in Psal. 137. longè clarior. *Nulla est*, inquit ille, *pars creaturæ, & supernæ, & Infernæ, quæ non emittat vocem, quauis tubâ clariorem, prædicantem nominis tui magnificentiam*. Quapropter S. August. libr. 11. de Ciuit. cap. 18. *Hanc totius vniuersi machinam, ordinemque sæculorum, carmen pulcherrimum vocitauit*. Quemadmodum enim Carmen, ac Poema ad triumphãtium Heroum præclara facinora in cælum euehenda componi consueuere, sic orbis hic vniuersus, cum vniuersis creaturis est Carmen numerosissimum, est chelys, ac lyra admodum concinna tot chordis quot creaturis constãns ad laudandum supremum earum opificem peridonea.

Silentio & admiratione diuinorum operũ Deus laudatur.

Tertius vniuersi machina, & ordo sæculorum est Carmen pulcherrimum.

26. Quod si mundus hic tam cælestis, quàm sublunaris Carmen quoddã, & lyra quædam est, ad Diuinas laudes decantandas accommodatissima, quãto magis censenda est Virgo gloriosissima, quam nouum quendam Mundum, nouum cælum, nouam Terram, prima Parte esse probauimus, in quam Diuina sapientia creaturarum omnium florem, pulchritudinem, omnimodamque perfectionem congessisse visa est, ita vt nihil ei, ad omnem venustatem, omnibusque numeris absolutissimam cõcinnitatem deesse posse videretur.

27. Neque animato huic, rationalique mundo laudator erat requirendus, qui eum extolleret, quem Propheta quidam, Philone teste, mundo hoc aspectabili iam perfecto à Deo perquisitus, quidnam illi deesset, exoptabat. Cum ipse animus Virginis, vt illud eius Canticum hic taceamus, animus, inquam, ille generosissimus, Deo ob tot beneficia gratissimus, insignis laudator, præclarus diuinarum laudum præco, tubâ quamuis sonantior, Hymnus quidam suauissimus, Carmen, ac Poema magnificentissimam, Heroica summæ illius Maiestatis decantans facinora, esse videretur.

Mundo Virgineo non defuit Laudator, cum B. V. ipsa sufficiens fuerit laudatrix suo Cantico.

28. Nimirum Virgo nostra beatissima, Terra est felicissima, terra illa benedicta, cui Dominus dando Benignitatem, vt canit Dauid, beneuolentiamque suam, qua humanum genus prosequi non est dedignatus, ipsum, inquam, suum dando Virigenam, De quo Apostolus: Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei. Tit. 3. simul dedit fructum suum, dum eundem Dei Filium, benedictum ventris sui fructum mundo saluatorem edidit, & cum eo simul innumeros spirituales filios, qui sunt Christi fideles, Christi fratres, mẽbraque ipsius dilectissima, vno partu generauit. Vnde ex gentibus Ecclesia, vt notauit Rupertus, eam, vt pijssimam Matrem omnium nostrum agnoscens, amantissimè Filium in sinu Virginis velut dulcissimum fratrem alloquebatur: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera Matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Cant. 8. Hinc Lucæ 2. dicitur: *Maria peperisse Filium suum primogenitum*; quam primogenituram sine dubio habere Filius nõ potuit, nisi respectu filiorum spiritualium, quos Mater tunc peperit, & in posterum per totum orbem sæculis omnibus in hodiernum vsque diem prece, patrocinioque suo paritura erat.

Christus est noster Frater, quia Maria est nostra Mater.

29. Terram porro symbolum esse gratitudinis in confesso est, siquidem vno grano tritici illi commisso, etiam centesimum proferre consueuit. Quare sanè nobis pulcherrimè repræsentat Deiparam, quæ granum illud cælestis frumenti, quod totum nutrit orbem in se recipiens, ingentem aceruum tritici, mox produxit; Ob quam causam cælestis sponsus inter reliquas eius illustrissimas laudes, illam reposuit: Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilys*.

Terra est gratitudinis Symbolum.

30. Agnouit terram gratitudinis symbolum Rupertus Abbas venerab. siquidem lib. 1. in Gen. cap. 8. peruestigans causam, ob quam supremi nobilissimique Elementi, nempe Ignis, loco eminentissimo, nempe sub sphæra Lunæ constituto, Moyses nullam mentionem fecit, cum tamen Terræ, quæ infimum omnium elementum est, meminerit

rit

Ignis cur ſit ingratitudinis ſymbolum.

rit ſtatim in initio: *In principio*, inquiēs, *creauit DEVS cælum, & terram?* Reſpondit ideo id fuiſſe diuinitus factum, quia Ignis ſterilis eſt, & infœcundus, nihilque ex ſe gignit; *propterea de hoc*, inquit, *elemento non iniuria ſiletur*. Talis eſt omnino ingratus, multa beneficia deuorat, nihil redonat, ne minimā quidem gratiam pro maxima rependit, dignus proinde, qui ex numero creaturarum, Diuinam Bonitatem aſſiduè prædicantiū expungatur. At contra huiuſmodi genij minimè eſt terra, quæ gratum animum, ac præſertim Virginis noſtræ mirificè repræſentat, ſiquidem pro minimo beneficio in particulari, proque omnibus aſſiduè memor, vitam ſuam, continuum Diuinarum laudum Carmen, Hymnumque effecit.

Animi grati ſunt agri animati.

31. Quod ſi Clemens Alexandrinus *omnes animos gratos animatos appellauit agros;* multo ſanè potiori iure ager fertiliſſimus ac benedictus vocitanda eſt Deipara, ager, inquam, ille cuius Iſaac odorem ſuauiſſimum, qui erat floris dulcis IESV, perſentiſcens exclamauit: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Siquidem illa mox vt hoc Diuinum ſemen ope operaque Spiritus S. eius viſceribus eſt commiſſum, innumeras mox ac deinceps grati animi ſignificatione Diuinæ Bonitatis decantauit laudes, oſtendens reuera ſe Terram fertilem, Diuinarum potiſſimùm laudum ac gratiarum actionum ſemper extitiſſe. Vnde S. Ambroſius libr. 1. offic. cap. 31. cui inſcriptio; de reddendo beneficio, hortans homines ad gratitudinem: *Imitanda*, inquit, *nobis eſt natura terrarum, quæ ſuſceptum ſemen multiplicatiori ſolet numero reddere, quam acceperit. Ideo tibi ſcriptum Prou. 24. iuxta 70. Sicut agricultura eſt homo inſipiens, & tāquam vinea homo egens ſenſu. Si reliqueris eum deſolabitur. Sicut agricultura ergo eſt etiā ſapiens, & tanquam fœnerata ſibi, maiore mēſura, ſemina ſuſcepta reſtituat. Terra ergo aut ſpontaneos fructus geminat, aut creditos, vberiore cumulo refundit ac reddit. Vtrumque debes quodam hæreditario vſu parentis, ne relinquaris ſicut infœcundus ager. Eſto tamen vt aliquis excuſare poſſit, quod non dederit, quomodo excuſare poteſt quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet.* Idem libr. 3. Hex. c. 8. *fœneratum Terra reſtituit quod acceperit, & vſurarum cumulo multiplicatum. Homines ſæpè decipiunt, & ipſá fœneratorem ſuum ſorte defraudant. Terra fidelis manet, & ſi quando non ſoluerit, ſi fortè aduerſata fuerit frigoris inclementia, aut nimia ſiccitas, aut immenſa vis imbrium, alio anno ſuperioris damna compenſat, ita vt nullum diſpendium ſuo inſerat creditori.* Quibus ſanè verbis non tam terræ, quā Deiparæ genium deſcribere quodammodo viſus eſt, quæ nunquam in reponendis creditori Deo Opt. Max. gratijs eum ſuā ſorte fraudauit, quin potius eidem, ſi ita loqui licet, vſurarum cumulo multiplicatū, quoad in ſe fuit, reſtituit.

In gratitudine imitanda nobis eſt natura terrarū, quæ receptū ſemen multiplicat.

Terra ſemen acceptum cū vſuris reddit.

B.V. Altare Thymiamatis ob iugem gratiarum actionem.

32. Eandem Virginis noſtræ gratitudinem Altare illud thymiamatis, de quo Dominus ad Moyſen Leuit. 6. u. 12. *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubijciens ligna mane per ſingulos dies*, pulcherrimè adumbrauit. Vnde S. Bernar. Senen. Altare illud typum fuiſſe cordis Deiparæ aſſeuerauit. Tomo 1. ſerm. 15. art. 1. c. 2. *Quid per ignem*, inquiens, *niſi ardens dilectio Dei intelligitur? Altare verò quaſi Alta res, altitudinem humani cordis ac potiſſimum Virginei demōſtrat.* Nutriebat hunc ignem Virgo Beatiſſima, quia vt idem Pater Seraphicus ait, *Mens Virginis in ardore continuæ dilectionis tenebras*. Ipſa denique fuit Altare ſimul, & Sacerdos, ipſa Thymiama ſuauiſſimum, ex aromatibus precioſiſſimis cōfectum, quod Diuino amore ſuccēſum, gratitudinis odores planè delicatiſſimos ſummæ illi Maieſtati ac gratiſſimas exhibebat; ita vt verè dicere de his gratitudinis Virgineæ odoribus poſſimus; *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis*.

Cor B.V. altare aſſiduo igne Diuini amoris ardens.

33. Iugem porrò illam in altari flammam, typum fuiſſe aſſiduæ gratiarum actionis aſſiduè Deo reddendæ, auctor eſt Philo Hebræus libr. de victimas offerentibus, dum ſic loquitur. *Merito vt equidem arbitror. Nam quia perennes Dei gratiæ nec deficiunt, nec intermittuntur, ſed interdiu, noctuque fruendas ſe præbent nobis hominibus, gratiarum actionem hæc ſacra flamma figurat, ſemper inſtaurandam, ne quando extinguatur.* Quaſi apertius diceret: quam perennis eſt in homines diuinarum gratiarum largitio, atque profuſio, tam perennis ſit in DEVM humanarum gratiarum actio, & redhibitio, & ſicut illa nunquam interquieſcit, ita & hæc nunquam intermittatur. Non intermiſit ſane vllo tempore Virgo noſtra, ſiue Dei laudes, ſiue gratiarum actiones, ſed beneficia à liberaliſſima

Iugis ignis in altari, iugem Dei, & gratiarum actionem notat.

Con-

Conditoris sui dexterâ sibi collata æqua rationis trutinâ, feruoreque insignis charitatis ponderans, in continuis Dei laudibus versabatur. Hinc Rich. à S. Laur. lib. 7. de laud. B.V. eam Zodiaci signo illi, quod Libra vocatur, comparauit. *Signum enim hoc ait, ponderationem gratiarum actionis Virgineæ, ad beneficia expendenda Creatoris significare. Siquidem*, vt inquit ille, *ad singula Dei beneficia singulas reddebat gratiarum actiones, dicendo; Fecit mihi magna, qui potens est, & huius modi. Propterea in libro de eius infantia memoratur, quod sine intermissione DEVM benedicebat. Et ne forte, vel in salutatione sua, à Dei laudibus abstraheretur, si quis eam prius salutasset, illa pro salutatione; Deo gratias, respondebat. Legerat siquidem Psalmistam: Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi. Hinc August. Quid melius animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.*

B.V. est signũ Libræ, quia Dei beneficia, quasi in libra appendebat, & expendebat.

B.V. ad singula Dei beneficia, singulas gratiarum actiones reponebat.

B.V. cum salutabatur, respondebat: Deo gratias.

34. Eodem in Templo Salomonico aliud Virgineæ gratitudinis reperimus symbolum, Candelabrum nempe aureum, quod tam die quam nocte coram Diuina Maiestate lucebat. De hoc Dominus ab Moysen Exo. 25. *Facies candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile eius, & lilia ex ipso procedentia.* Quæ verba ponderans Bernardinus Bustius Par. 9. Marial. ser. 1. *Candelabrum Dei facta est Maria, quæ fuit ductilis per obedientiam, de auro purissimo per charitatem perfectam, cuius hastile fuit, eius recta intentio, lilia verò, verba humilia, quæ ex ipsa procedebant.* Quod si quis scire velit cur Candelabrum illud assiduo, & nunquam interrupto lumine in Templo illo refulgeret, causam dat Philo Hebr. loco citat. *Ne interrumpatur*, inquiens, *gratiarum actio, nocturno tempore maximè idonea.* Et paucis interpositis: *Quoniam non solùm vigilantes, sed etiam dormientes iuuamur diuinâ beneficentia merito lex æquum iudicauit, gratiarum actiones ita distribui, vt sacra fiant pro vigilantibus, pro somno verò, & prouenientibus inde commodis, accendantur sacrata lumina.* Hæc Philo.

B.V. Candelabrum aureum tã die, quam nocte lucens per gratiarum actionem.

Quia etiam noctu Diuinis vtimur beneficiis, ideo etiam noctu gratiæ sunt agendæ.

Atque ita licèt Virginis nostræ *dormiret corpus*, vt loquitur Ambrosius, *vigilabat tamen animus*, crediderim potissimùm in assidua gratiarum actione ad instar aurei illius Candelabri, quod iugi in Dei conspectu radiare lumine consueuit. Si enim eodem Ambrosio teste Epist. 60. ad Anisium *sanctorum somnus est operarius, secundum quod scriptum est Cant. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat;* multo sanè magis somnus Sanctorum omnium sanctissimæ Virginis nostræ Deo gratissimæ, fuerit operarius in persoluendis Deo gratijs.

Sanctorum somnus est operarius.

35. Erat nimirum Deipara gloriosissima de Dauidica stirpe oriunda, Parentisque Dauid sanctissimos æmulata mores, in assidua Dei sese iugiter effundebat laudes. Quid enim aliud est vniuersum Regij illius vatis Psalterium, quam continuata Dei laus? Quid eius clausula, quam eadem Dei laus iterata, siquidem in Alleluia desinit, non sine mysterio, interprete Genebrardo; ad indicandum, neque etiam tunc eum totum Psalterium absolutũ est à Dei laudibus desistendum, sed quasi denuo, iterumque atque iterum ordiendum, atque iterandum, vt omni tempore Deus benedicatur, eiusque laus, gratiarumque actio semper in ore nostro versetur, deque ardentis cordis aurea quapiam vigilantique lampade laus nostra, ceu puri luminis splendor, sine interruptione summæ illius Maiestatis oculis affulgescat.

Totum Dauidis Psalterium est laus Dei assidua, quæ in laude Dei, nempe Allel. desinit.

36. Ob hanc in Diuinis laudibus vigilantiam Deipara Leænæ fortasses Sanctus Epip. comparauit, cum fuerit Mater illius, cui Iacob à Deo illuminatus aiebat: Gen. 49. *Catulus Leonis Iuda, ad prædam Fily mi ascendisti, requiescens accubuisti vt Leo.* Constat autem tam Leonem, quam Leænam symbolum esse vigilantiæ, cum oculis apertis dormiant, vel, vt alij voluere, perpetuâ vigiliâ vtãtur. Atque ita Virgo sacratissima velut Leæna, velut assiduo lumine collucens Candelabrum dies, noctesque in diuinis laudibus, gratijsque supreno Numini persoluendis vigilabat, Parentis sui Dauid sanctissimum morẽ æmulando, qui aiebat Psal. 56. *Exurgam diluculo*, Seu, vt transferunt Rabbini: *Excitabo seu expergefaciam Auroram.* Imo Midras affirmat, adeo vigilantem fuisse Dauidem, vt nunquam eum Aurora inuenerit dormientem, nunquam eum à somno excitarit, sed ipse eam potius præuolarit. Idem sanè ac longè potiori iure dicere poterimus de nostra Virginea Aurora, quæ in diuinis laudibus hanc quotidianã suã vigilantiã præuolare visa est semper, adeo vt eam demiratus Salomon exclamarit: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens.* de qua longè melius cecinisset Ouidius:

B.V Leænæ comparata ob ipsius in Dei laudibus vigilantiam.

Dauid adeo vigilans, vt eum nunquã Aurora inuenerit dormientem.

Ecce

Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena roſarum
Atria.

Non erat Virgo, vt ille neſcio quis de quo M.Tulius lib. 5. Tuſc.QQ. dicebat *dolere ſolitum quoties antelucana fabrorum induſtria vinceretur*. Vigilabat, ad inſtar aurei lucentiſque in Dei Templo Candelabri, ad inſtar veræ Auroræ in gratijs Deo perſoluendis; imo vigilantia ipſam Auroram multis paraſangis ſuperabat. Verè Aurora eſt Deipara non ſolùm ipſa per ſe, ſuâ vigilantiâ, luceque DEVM laudans, verum etiam alios Dei ſeruos præſertim, contemplationi deditos, velut ſonoras auiculas, ad idem faciendum excitans. Quam præclarè S. Ambroſ. lib. 5. Hex. cap. 12. de Aurora, auibuſque in eruditionem noſtram eſt profatus: *Venit in mentem auiũ natura, quæ cùm eunt cubitum quaſi* peracto lætæ munere, æthera cantu mulcere conſueuerunt, quod velut ſolemniter, ſurgente, & occidente die inſtaurare conſueuerunt, vt decurſi, vel adoriendi nocturni iuxta, ac diurni temporis, laudes ſuo referant Creatori.

Aues nos & mane, quam veſpere ad Deum laudandum excitant.

Magnum verè ſunt hæ incentiuum excitandæ in nobis deuotionis. Quis enim ſenſum hominis gerens non erubeſcat, ſine Pſalmorum celebritate diem claudere, cum etiam minutiſſimæ aues ſolemni deuotione, & dulci carmine ortus dierum, ac noctium perſequuntur? Hæc Amb.

37. Quod autem Virgo puriſſima aureo illo Candelabro iugi lumine gratiarum actionis radianti fuerit adumbrata, teſtis eſt Beatus Georgius Nicomed. Archiep. orat. de Præſent. B.V. qui ingreſſum trimulæ Virginis in in Templum deſcribens, ſic ipſum Templum, quo ei debitum honorem deferat, affatus eſt: *Accipe in Spiritu inauratum Candelabrum, cuius extrema illuminat lucerna, per quam accenſa ſunt ſeptem dona Spiritus, & mundum terrenum illuminarunt*, Teſtis eſt Leo Imperator Orienſis Hom. 6. Vbi Virginem ſic alloquitur: Tu tanquam perpetuo lumine colluſtrarum Candelabrum tenebras pellis, liberaſque, & liberaſti à morte peccati totum mundum, & floribus quos producis benè olentem efficis, vtpote quæ ſalutis florem protuliſti. Sic ille. Vide plura Part. 1. Diſc. 16. numer. 101. & ſeq.

38. Hæc denique Deiparæ Gratitudo eſt lucerna illa, quæ in nulla vnquam aduerſitatis nocte extincta eſt, de qua Salomon Prou. 31. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*. Quam ob cauſam Sanctus Cyrillus iure merito Homel. contra Neſtor. *eam Lampadem inextinguibilem* vocitauit. Eandem hanc Lampadem igne charitatis, oleoque gratitudinis pleniſſimam nullæ tribulationum, quibus dùm in hac vita degeret, conflictabatur, aquæ potuerunt extinguere. Vnde aiebat de illa Sponſus Cant. 8. *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinquere charitatem, nec flumina obruent illam*. Hoc nobis idem Candelabrum aureum heptamixon, ſeu ſeptifidum, vt vertit Theodoreti interpres, ſeptem habens Lucernas, indicat. Licet enim hoc perpetuo lumine noctu diuque reluceret, nocte tamen omnes eius Lucernæ vel maximè radiabant, vt teſtatur Ioſephs libr. 3. Antiquit. cap. 12. ſcribens ex ſeptem lucernis, quæ erant in Candelabro, tres tantum per diem, omnes verò per noctem ardere ſolitas, vnde quatuor accendebantur veſpere, totidem manè extinguebantur.

B.V. Lucerna quæ in nocte tribulationũ numquam eſt extincta.

In Candelabro aureo Templi Hieroſolymitani ſeptem lucernæ noctu, tres tantum interdiu lucebant.

39. Quod verò Virgo noſtra in tribulationum, aduerſitatumque nocte: maiorem gratiarum actionis ſplendorem coram Diuina effuderit Maieſtate, clarum ex eius ſingulariſſima euadit patientia, de qua Ignat. Martyr ſcribens ad Ioannem Euangeliſtam: *Et quidem notificauere eandem Matrem Dei omnium gratiarum eſſe abundantem, & omnium virtutum, more Virginis, virtutis, & gratiæ fœcundam: quæ, vt dicunt, in perſecutionibus, & afflictionibus eſt hilaris, in penurijs, & indigentijs non querula, iniuriantibus grata, & modeſta in re læta, miſeris, & afflictis condolet conflicta, & ſubuenire non pigreſcit*.

B.V. patiẽtia in aduerſis.

40. Non fuit Deipara ex eorum numero, de quibus eius Parens canebat Dauid Pſal. 48. v. 19. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*; quæ quidem gratitudo fucatâ, non ſyncera eſſe videtur, vt obſeruauit S. Antiochus Hom. 117. de gratiarum actione: *Hoc*, inquiens, *inſigni argumento internoſcitur, qui nihil fucatè gratus eſt, dum inter medias deprahenſus calamitates, toto pectore gratias agit Domino*. Nouerat nimirum illa vtilius nobis eſſe in aduerſis potius, quam in proſperis Diuino Numini gratias agere. Præclarè enim D. Chryſoſt. in Pſal. 9. *In*

In aduerſis potius, quã in proſperis Deo gratiæ agendæ.

In aduersis gratias agendo, DEVM nobis constituimus debitorem.

bonis gratias agens, reddidisti debitum: in malis verò, DEVS constituisti debitorem. Qui beneficio affectus agit gratias, reddit debitum, qui malè affectus, gloria afficit, debitum acquirit. Sic ille.

41. Denique idem Chrysostomus æquè in prosperis, atque in aduersis, æquali fronte supernum Numen docet esse laudandum, dum in Psal. 148. sic scribit: *DEVS æquè est laudandus, & cùm punit, & cùm à supplicio eximit, vtraque enim sunt curationis, vtraque bonitatis. Oportet ergo eum æquè laudare, & quod posuerit Adam in Paradiso, & quod eum expulerit: & gratias agere non solùm pro Regno, sed etiam pro gehenna. eam enim & fecit, & minatus est, vt è vitio liberaret. Quemadmodum ergo medicum non solùm nutrientem, sed etiam fame excruciantem, non solùm vngentem, sed etiam vrentem, & secantem obseruamus, ita etiam oportet DEVM laudare pro omnibus.* Huiusmodi animum habuit Isaias, dum inter flagella à Diuina manu tunc adhuc ad puniendum illum populum extensa suauiter concinebat: cap 12. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.* Hinc idem aureæ eloquentiæ Vir Sanctissimus Hom. 3. de patientia Iobi surgentis, atque adorantis DEVM, inter tot calamitatum turbines: *Merces*, inquit, *calamitatum adoratio, pulsatus ærumnis benedicit, oppressus gratias agit, Sit Nomen Domini benedictum.*

Tam in prosperis, quam aduersis Deo gratiæ sunt agendæ.

Iob in calamitate constitutus Deū adorat, & benedicit.

42. Quare Virgo beatissima, sublimiori irradiata lumine, miro desiderio festinare semper ad gratias Deo persoluendas, non modo pro beneficijs, atque aduersitatibus iam acceptis, verum etiam pro accipiendis, visa est, dum Cant. 2. v. 6. sic loquitur. *Laua eius*, qua tribulationes aduersitatesque in hoc mundo immittit Sponsus, *sub capite meo, & dextera illius*, qua nimirum solatia in hac vita æternâque gloriam, qua nos ad dexteram statuet inter suas oues *amplexabitur me.* In quæ verba suauissimè commentatus est mellifluus Bern. serm. 51 in Cant. Postquam enim dixisset Sponsam amore sponsi languentem dignam fuisse, quæ eius manibus erigeretur, & vno quidem brachiorum suorum sustentaret caput iacentis, alterum verò ad amplexandum pararet, vt eam sinu foueret, exclamassetque: *Felix anima quæ in Christi recumbit pectore, & inter Verbi brachia requiescit;* hæc addidit: *Non, ait, amplexatur, sed amplexabitur: vt uoueris priori gratiæ adeo non ingratam, vt secundam gratiarum actionem præuenerit, Disce in referenda gratia non esse tardus aut segnis, disce ad singula dona gratias agere. Diligenter, inquit, considera quæ apponuntur tibi, vt nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocra, non pusilla. Denique iubemur colligere fragmenta ne pereant, idest, nec minima beneficia obliuisci. Propter hoc Sponsa mox, vt gratiam de læua sensit, gratias egit, non expectans plenitudinem, quæ in dextera est. Neque enim vbi memorata est læuam iam esse sub capite suo, etiam secuta est à dextera se similiter amplexatam, sed, amplexabitur me, inquit.* Et paucis interpositis, tandem, concludit: *Ergo quia per dexteram, & sinistram aduersa solere, atque prospera designari. Videtur mihi hoc loco intelligi posse læuam Verbi quidem, comminationem supplicij: dexteram verò, Regni promissionem.* Hæc Bern. Quæ omnia in Virginem sacratissimam possunt cadere, excepta comminatione supplicij æterni, cuius timor in illam, vt pote Sanctitatis omnibus numeris absolutissimam, locum inuenire non poterat, *perfecta enim charitas*, inquit Apostolus, *foras mittit timorem.*

B.V. tam in prosperis quam in aduersis gratias Deo agebat.

Ne minima quidem beneficium obliuioni tradenda.

Quid dextra & sinistra sponsi significet?

43. Licet per comminationem supplicij, temporales in hoc mundo pœnæ, atque aduersitates intelligi possint, ad quas perferendas ipsa semper cùm fuerit paratissima, illi perinde erat ijs exerceri, atque læuâ sponsi ad pectus adstringi: Vnde non minùs pro hiscè aduersis iam præsentibus, quam prosperis in posterum aduenturis, hilaris, grates summas agere consueuerat, certo sibi persuadens, gratiam illam, quam suo egisset Creatori, eandem ab ipso pro gratia, sibi facta, acceptari. Hinc Dauid eius Parens hoc agnoscés concinebat Psal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Quæ verba librans S. Basilius Hom. 5. in Iulitam: *Magnificatus, ait, dator, nequaquam dictus est tribuisse, sed retribuisse, ac si is non cæpisset prior in nos gratiam conferro, sed resolueret acceptam his, qui priores eam illi contulissent. Cùm enim pro accepta gratia rependit gratiarum actionem, in numerum refert, & habet beneficij loco.* Quod sanè licet in omnibus iustis ob insignem Diuinę Maiestatis in illos beneuolentiam sit verissimum, longè sanè potiori iure respectu sanctissimę Dei Genitricis verificabitur, quæ cum gratissima semper oculis superni illius Nu-

mi-

DEVS, & Maria gratijs dandis certare videbantur, ne quis superior esse videretur.

minis extiterit, gratias quascunque ei pro beneficijs rependebat, gratias omninò sibi ab illa præstitas, pro egregiâ in illam animi propensione, beneuolentiâque arbitrabatur. Atque ita DEVS, & Maria gratijs vicissim amicissimè certare, ne quis in reponendis gratijs superior esset altero, insigni charitate, videbantur.

44. Quod si demùm cum Epiphanio Deiparam vt Sacerdotem simul, & Altare considerêmus, inueniemus profectò eam cum antiquis Patribus assidua gratiarum actionis ac laudis Deo ter Opt. Max. obtulisse sacrificia. Si enim magnus ille Patriarcha Noe, reliquique Patriarchæ, vt Abrahã, Isaac, & Iacob Virginis nostræ Aui, atatique tam libenter sacrificium laudis, & gratiarum actionis Domino offerebant, quantò magis Virgo Deipara? Noe certè, vt reliquos missos faciam, ingressurus Arcam ex præcepto Domini introduxit secum ex omnibus animantibus septena, & septena, ita vt tria paria singularum specierum mas, & fœmina asseruarentur in Arca, & septimum deseruire posset sacrificio, vt voluit D. Hieron. Epistol. 11. ad Gerontiam de Monogamia, asserens *numerum parem fœtibus, atque coniugio, imparem sacrificio præparatum esse. Et in hoc*, inquit, *Virginitatis atque pudicitiæ palma monstratur.* Idem sensit de hoc impare numero, quo DEVS maximè gaudet; S. Chrysost. Hom. 24. in Genes. Theodoret. q. 50. in eandem Gen. Idem S. Hieron. censuit libr. 1. ad ver. Iouin. *Ingrediuntur*, inquit, *septena, quæ munda sunt, vt haberet Noe post diluuium, quod de impari numero statim Deo posset offerre. Quasi DEVS ad gratias agendas, ita nos velit esse comparatos ac expeditos, vt nullam moram, in victima comparanda abire pati velit.*

Cur Noe in Arcam animalia septena, & septena introduxerit?

Numerus par cóiugio, impar sacrificio præparatus.

45. Et vero Patriarcha ille pijssimus nullam moram interposuit, sed mox post diluuiũ, ædificato altari Domino, magnâ grati animi significatione, ita ei deuotè sacrificauit, vt *odoratus sit Dominus odorem suauitatis.* Gen. 8. Vbi Chrysost. Hom. 27. *Vide*, inquit, *quomodo animus afferentis fumum, & nidorem, & omnem in suauitatem, multa fragrantiá impleuit. Verè oblatio hæc est ea de qua Eccli. 35. Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu Altissimi.* Seu vt legit Clem. Alex. lib. 3. Pæd. c. 12. *Odor suauitatis Deo est cor quod glorificat eum.*

Et subdit ad rem nostram accommodatissimè: *Hæ sunt Coronæ, & sacrificia, & aromata, & flores Dei.* Verè enim sicuti Noe, ita multo magis Virginis Beatissimæ gratiarum actionis sacrificia erant Coronæ, erant aromata, erant flores Dei, quibus summa illa Maiestas coronari, odoreque ac fragrantiâ, velut preciosissimorum, aromatum florumque suauissimorum, oblectari videbatur. Hinc crediderim Virginem Beatissimam totam in Diuinas laudes, gratiarumque actiones ita effusam, Virgulam fumi ex preciosissimis aromatis compositam, ab Angelis, ipsius in DEVM gratitudinis odorem suauissimum sentientibus, fuisse appellatam, dum sese mutuo respicientes, stupore attoniti sciscitabantur Cant. 5. *quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Adeo sacrificium ipsius gratiarũ actionis suaue, adeo gratum acceptumque semper superno Numini extitit.

B.V. sacrificiũ gratiarum actionis erat Coronæ, & aromata, floresque Dei.

46. Quid porrò de vniuerso illo Israelitico dicemus populo, eiusque præcipuè Duce Moyse, qui tantam ouium, armentorumque copiam secum de terra Aegypti eduxerant, vt Exodi 12. dicatur: *Profectique sunt filij Israel, & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, & oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis.* Sola certè tribus Ruben, & Gad, vt de alijs sileamus, confecta iã penè molestissima illa per solitudinem peregrinatione, & propè Iordanem cõsistentes, habebant, vt verbis sacri textus vtar, *pecora multa, & erat illis in iumentis infinita substantia.* Num. 32. Quid ergo subest causę, quod vix de Aegypto egressi ad ollas carnium, quibus in Aegypto fruebantur, anhelarint. Exod. 16. Cur non mactarũt de gregibus, quos secum deducebant, cur carnibus his cupiditatem illam non explerunt? Lyranus id eorum adscripsit auaritiæ, quia magis esurire, quam sua pecora consumere elegerant. At verò S. Aug. quæst. 62. in Exod. in meliorem partem hoc interpretans eorundem adscripsit religioni: *Ne*, inquiens, *forte dicatur pepercisse illos pecoribus, ne omnibus deficientibus, etiam sacrificijs necessaria deessent.* Quasi populus, seu potius illius populi Ductor Moyses ita gratus in DEVM esset, vt mallet mori præ famè, quam victimis ad sacrificia, gratiarumque actionem necessarijs defraudari.

Populus Israeliticus cũ pecoribus abundaret, quare ad ollas Aegypti suspirauit.

47. Eiusdem animi fuisse visus est Dauid, cùm desideratam illam aquam de cisterna Bethleem ab hostibus vndique circumsessam obtinuit, qua tamen ad sitim sedandam vti supersedit, & vt sacræ loquuntur literæ, *Noluit bibere, sed libauit eam Domino* 2. Reg. 23. 16. Scire cupit quispiam huius tam insignis mortificationis causam? Audiat S. Hierony. *Sacrificauit*, inquit, *eam Domino, gratias agens, quia tam fortes viros in Israel dederat*. Idem adstruit Iosephus lib. 7. Antiquit. his verbis: *Deo libauit, gratias agens pro virorum incolumitate*.

Dauid haustam aquã de Cisterna Bethlem libans Dominum sacrificium gratiarum actionis obtulit.

48. Quod si Noe, Moyses cæterique Israelitæ, si ipse Rex Dauid, de cuius stirpe oriundã erat Deipara, tantopere sacrificia laudis, gratiarumque actionis Diuinæ Maiestati offerre cupiebant, quanto magis Virgo nostra religiosissima, quæ vna voluntas, vna caro, vnus Spiritus cum suo dilectissimo erat filio, quem vt DEVM adorans, internis sine dubio mentis spiritusque assiduis sacrificijs, ac præsertim gratiarum actionis, est venerata? Hoc intellexisse visus est B. Arnoldus Carnotensis Abbas Tract. de laud. B.V. cum de eius circa humanum genus ageret apud Patrem æternũ patrocinio: *Diuidunt*, inquiens, *coram Patre inter se Mater, & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inuiolabile testamentum. Mater Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat, Filius impetrat, Pater condonat. Omnino tunc erat vna Christi, & Mariæ voluntas, vnumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis; hic in sanguine carnis*. Cùm igitur sanctissima Virgo nostra adeo in Diuinas laudes, gratiarumque actiones, sacrificiaque fuerit effusa, & totius vitæ suæ decursu insignem in Diuinum Numen contestata fuerit gratitudinem, iure cælestem illam tam claris syderibus radiãtem Caniculam, ipsius in DEVM gratitudinis, symbolum esse prædicamus.

49. Et quoniam Virgo Deipara sicut in reddendis Diuinæ Maiestati gratijs, sicut in reliquis virtutibus omnibus, fuit mortalibus exemplum singulare, crediderim ab illa minimam hanc dilectissimi eius Filij societatem, tanquam amantissimam edoctam fuisse Filiam, vt hac in virtute gratitudinis foret quoque singularis, dum proprio motu, siue potius spiritus sancti instinctu nullius prouocata exemplo, Anno suo sæculari, siue Iubilæo tanta cum solennitate, publicáque lætitiã, magna totius orbis approbatione, ac præsertim summi Christi in terris Vicarij Vrbani VIII. qui mirificè hac nostra deuotione, ac pietate delectatus, cum nonnulli secus quam par erat de hac solemnitate sentirent, ea dixit, quæ alijs, modestiæ memores, commemoranda relinquimus. In communi porrò hac Societatis vniuersæ lætitiã ac celebritate, id potissimùm intendimus, vt Deo ter Opt. Max. gratias quàm amplissimas, pro tã innumeris beneficijs, plenã manu in illam congestis, hiscé cétum exactis annis, pro modulo nostro rependeremus. Obuersatus est nimirum ob oculos maioribus nostris in primis felicissimus totius Societatis status, eiusq; tam exiguo tempore, toto pene orbe terrarum, vsque ad antipodas, ad mundum nouum, non vltimam modo Thulem, sed ad vltimos Iaponum, Sinarumque populos, ad quos nec Christi nec Christianæ fidei nomen post tot sæcula vnquam perlatum est, amplificatio.

Societatis IESV in Anno Iubileo celebrando gratitudo à B.V. mutuata.

Quæ fuerint causæ Societati pro celebrando Iubilæo.

50. Obuersatum est deinde inclytum hoc IESV nomen quo minima hæc familia tot summorum Pontificum auctoritate, atque approbatione fuit decorata, à quo tantã spiritualium bonorum copiã, tam mirificè locupletata est, vt reuera ipsi illud Isa. 33. ex 70. Interpp. versione aptissimè congruat: *Oculi tui videbunt Ierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri potest, nec auferentur claui eius, nec funiculi eius disrumpentur; quia Nomen Domini magnum vobis*. Vnde enim Societas hæc tanta sanctitate, virtutumque omnium copiã, vnde tanta sapientiã rerũque tam humanarum, quam Diuinarũ scientiã opulenta facta est; (absit verbis iactantia, verè enim dicendum nobis est: Non nobis Domine nobis, sed Nomini tuo da gloriam;) vnde creuit in gentem magnam; Vnde ita stabilita, ita firmata, in toto est terrarum orbe, vt impossibile quodãmodo videatur hoc Dei tabernaculum transferri, clauos eius, mutuæ videlicet charitatis, quibus compaginatum est, auferri, funiculos eius, maximè illos votorum triplices opibus arctissimè Deo ipsi, summoque Pontifici colligatur, disrumpi? Vnde illi in tanta tamque florida iuuentute tã domi, quam foris educanda, tanta puritas?

A Nomine IESV omnia dona in Societatem nostram deriuata.

ritas? Vnde in rebus Spiritualibus tractandis tanta dexteritas? Vnde ei cum quocunque genere hominum ſummorum, mediorum, infimorum agendi, ac conuerſandi facilitas? Vnde in perſanandis animarum morbis tanta induſtria? Vnde illi in rebus aduerſis, ac turbulentis in iniurijs tolerandis tanta patientia? in Cruce Chriſti portanda tanta firmitas, atque conſonantia? Vnde in ſanguine proprio, amore Chriſti profundendo, in vitâ, ferro, flammis, grauiſſimiſque ſupplicijs obijcienda tanta hilaritas? Vnde tam inſigne illud cæleſtis doctrinę lumen, quo totus orbis, præ reliquis facile retro ſęculis irradiatus eſt, ita vt omnes pene ſapientes fateri, & dare gloriam Deo cogantur, vix vllum ab orbe condito adeo eruditum extitiſſe ſæculum, atque eſt hoc noſtrum, quo in lucem prodijt Societas, quæ Sapientiæ hoc cælitus demiſſo ſplendore non contenta, eundem in vniuerſam Eccleſiaſticam Hierarchiam (abſit verbis inuidia; dona ſiquidem Dei non nos metipſos prædicamus) eam mirâ ſcientiarum omnium luce decorandit, transfudit?

51. Vnde, inquam, Societati noſtræ hæc omnia tam magna, tam ampla, tamqua illuſtria? Non aliunde ſanè, quam à IESV Nomine. *Quia nomen Domini magnum illi.* Videre cupit quiſpiam magna hæc penitius, quæ fecit magnus ille Dominus, qui potens eſt, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non eſt finis? *Ponderet hoc Nomen Domini magnum, hoc eſt,* vt interpretatur S. Cyrillus, *in tota ſua amplitudine, ac magnitudine nominis ſui, ac tunc magnitudinem donorum cæleſtium Societati à Magno hoc Domino, ſummèque laudabili communicatam perſpiciet,* agnoſcetque etiam in poſterum maxima à Deo beneficia Societati noſtræ ſperanda eſſe, ſiquidem eam ſuprema illa Maieſtas, pro ſua immenſa pietate, Diuiniſſimo illo IESV Filij ſui Nomine ornare non eſt dedignata. Illi enim omnia ſupra commemorata accepta referre maxima grati animi teſtificatione oportet, eique cum Regio Vate animitus, medullituſque concinere Pſal. 23. *Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter Nomen ſuum.* Siue vt tranſtulit Euthymius, & Nicephorus: *Propter hoc, quod Nomine Dei vocor, tot videlicet DEVS in me beneficia congeſſit.* Vnde magnanimi, ac intrepidi proſequi cum eodem

Nomine Ieſu perfecti ſecuri etiam in vmbra mortis ambulamus.

Pſalte Regio poſſumus; *Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es;* imo caſtigationibus tuis, ceu Virga, & baculo tuo, paternè caſtigati conſolationem experiemur, tibique iuxta conſilium Apoſtoli; *In omnibus gratias agite;* laudes infinitas perſoluemus.

Ambulare intrepidus ſibi videbatur Dauid in medio vmbræ mortis, quãdo cum Gigãte illo Philiſteo ad ſingulare deſcẽdens certamẽ, in nomine huiuſcẽ Domini ſperans non infirmatus, ſed multo magis corroboratus eſt, & ita quidem vt magno, fortique animo ſuperbiſſimo illi Goliæ, armis fortiſſimis à capite ad calcem munito ipſe inermis auſus ſit dicere 1. Reg. 17. 45. *Tu venis ad me cũ gladio, & haſta, & clypeo, ego autem ad te venio in Nomine Domini exercituũ:* quaſi diceret; Nomen IESV mihi gladius, mihi haſta, mihi clypeus, mihi denique totius corporis munitiſſima eſt panoplia. Quantum porrò robur Nomen diuiniſſimum illi tribuerit præclarè oſtendit S. Chryſoſt. Hom. de Dauid, & Saul, vbi ita diſſeruit: *Neque enim vulgari more proiecit lapidem; ſed prius dixerat: Tu venis ad me in Dijs tuis; ego autem venio ad te in Nomine Dei Sabbaoth. Atque hæc locutus emiſit lapidem, atque hæc vox lapidem, velut manu, direxit in Goliath. hæc pauorem incuſſit barbaro, hæc hoſtis confidentiam fregit.*

Dauid in Nomine Ieſu de Golia triũphauit.

Munimen nimirum quoddam inexpugnabile nulli penetrabile ferro Nomen hoc Domini agnouit Iſaias dum cap. 64. illo ab initio Iſraelitas contectos prædicat: *Ab initio Nomen tuum ſuper nos.* Addit præclarè Procopius ad rem noſtram. *Noſtri igitur miſerere, quos Nomen tuum exornat. Hæreditas enim tua nuncupamur. Id ergo Nomini tuo largire, vt apud gentes non blaſphemetur.* Licet igitur Societas noſtra ſæpe ſæpius in varijs perſecutionibus, ac tribulationibus, velut in vmbra mortis ambulet, licet caſtra calamitatum aduerſus illam conſiſtant, licet exurgat aduerſus illam Tartareorum hoſtium prælium, in Nomine tamen IESV, quo exornatur ſperando, ad ipſius tutelam tanquam ad Aſylum confugiendo, de omnibus mundi aduerſitatibus, ac tribulationibus euadet ſuperior, deque omnibus denique infernalium poteſtatum exercitibus, ſummâ cum lætitia triumphabit, imo huiuſmodi calamitatum tur-

Munimen Societatis eſt Nomen IESV.

turbinibus exagitata summas grates Diuinæ referet Bonitati.

Exaudiet enim illam Dominus in die tribulationis, & proteget illam Nomen Dei Iacob. Vnde ipsius filij protectionem hanc Diuini Nominis, in seipsis experti sese ad plura pro amore IESV patienda adhortabuntur: *Lætabimur in salutari tuo, & in Nomine Dei nostri magnificabimur*; omne gaudium reputantes cum in varias tribulationes inciderint, plurimisque aduersitatibus fuerint pro amore Christi exercitari. Hoc solidum suum gaudium, hoc puram defæcatáque lætitiam, hoc magnificentiam, honoremque suum summum esse rati, quamplurimas calamitates, ærumnasque pro Christo, eiusque Sancta Ecclesia exantlare. Vnde mundi aduersitatibus huiuscemodi conflictari, in summis lucris reponentes, cum S. Iobo Nomen Domini quo insigniti sumus benedicere, eique gratias agere consueuimus, certo nobis persuadentes vt aiebat B. Franciscus Borgias III. Generalis noster, Societatem nostram ærumnis exagitatam, maiora semper accepturam Spiritus, virtutumque omnium incrementa. Quare dixerim huiusmodi tribulationes cum gratiarum actionibus perferre, rem esse Societati nostræ proprijssimam, sicut & Iobo olim fuisse affirmauit Origenes: Expendens enim illa verba ipsius capit. 1. *Sic faciebat Iob cunctis diebus*; ita loquitur: *In virtutum studijs omnia quæ fecerunt Sancti, fecit etiam Iob, quod autem sustinuit cum gratiarum actionibus, hoc nihilominus nullus alius sustinuit.* Quod quantæ sit perfectionis nemo non videt, cum hac ratione homo Christo similis euadat quodammodo, qui cum gaudio sustinuit Crucem, confusione contemptâ. Hæc nimirum omnia hactenus dicta, aliaque quamplurima Dei dona ac beneficia, è Diuino Nomine tanquam ab inexhausto bonorum omnium fonte promanantia mentibus maiorum nostrorum, oculisque obuersabantur, quæ rectâ rationis trutinâ, pondereque sanctuarij expendentes solennitatem hãc gratiarum Actionis, siue Annum sæcularem, Annum Iubilæum toti Societati indixerunt, in quo non voce solùm, verum multo magis operibus, sanctis, totius nempe vitæ, feruorisque Spiritus innouatione, gratitudinem nostram erga DEVM nos contestari voluerunt, ad

Iob patientiã cum gratiarũ actione, tes iara.

quam tanto accuratius peragendam octo, decemuè dierum spiritualia exercitia siue Meditationes, Generalẽ omnium peccatorum confessionem, variaque pœnitentiarum genera facienda singulis toto terrarum orbe, etiam nouo, ad antipodas vsque dispersis socijs constituere, omnes ad spiritualem lætitiam, ad primigeniam illam sanctimoniam, vitæque integritatem instaurandam, ad glorificandum Nomen IESV tantorum bonorum auctoris, exhortando. Ad quod faciendum, illos sine dubio Regij vatis iam pridem ad lætitiam hanc omnes inuitantis excitauit exemplum, dum ita Psal. 99. modulatus est: *Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia, introite in conspectu eius in exultatione, atria eius in hymnis confitemini illi, laudate nomen eius quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius.* Vnde pręter particulares, ad hanc gratiarum actionem ritè peragendam exhortationes in singulis domicilijs, à superioribus factas, ipse R. P. Præpositus Generalis Mutius Vitellescus, literis encyclicis, magno Spiritu ad grates Diuinæ persoluendas Maiestati, ob tot innumera beneficia gratiarumque munera, effusissimâ liberalitate in vniuersam Societatem congesta, inflammauit. Ex hac Epistola paucula quædam delibare libuit, quo Capitis huiuscé nostri, ac per consequens totius mystici corporis egregia in DEVM voluntas eluescat. Sic igitur ille ad Prouinciales 16. Iulij Ann. 1639. Cùm nobis præ foribus sit annus fundatæ Societatis centesimus, primus eiusdem sæcularis, cuius exordium die 27. proximi Septembris inibimus, ęquum est nos eum aliquo apparatu Ecclesiastico, literarioque celebrare, quo gaudij nostri iuxta, & grati in Deum animi testificationem aliquã orbi præbeamus, obseruatam paternæ benignitate, latèque diffusam hanc manuum suarum molitionem.

B. V. erga homines gratitudo.

52. Neque verò solum Deipara suã erga supremũ Numen gratitudinem, verumetiam circa homines cõtestata est. Singula percensere, quæ in hoc genere præstare consueuit, longum foret. Illud dixisse sufficiat, eam etiam modica minimaque sibi a clientulis suis exhibita obsequia, absque aliqua gratiarum suarum remuneratione, & compẽsatione nunquam abire permisisse. Quod licet nobis quotidianâ constet

expe-

experientiâ, illud tamen comprobat Richardus à S. Laur. lib. 7. de Laud. B. V. vbi eam Luci comparans, eiusdemque proprietatis declarans, ait illam esse nō postremam, quod visibilia faciat ea, quæ prius non apparebāt, ante faciem filij sui misericorditer eos statuens, qui prius longè ab eo distabant, vt patuit in Theophilo. Ipsa enim, vti dicitur apud Iob 12. *Reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.* Ipsa velut lux per angustissimam rimam, vel foramen ingreditur, gratiam infundendo. Vnde dicit cum Filio: *Si quis mihi aperuerit introibo ad illum. Apoc. 3. Et illud Cant. 2. Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Quasi modica rima est,* inquit Richardus, *aliquoties eam deuotè salutare, pro amore eius libenter eleemosynas dare, missam suam, vel de ea sermonem deuotè auscultare blasphemantes eam, vel per eam iurantes acerrimè redarguere, eius magnalia firmiter credere, tutela illius sese commendare, & huiusmodi. Nulla enim creatura Dei, æquè prona est ad benefaciendum ac Deipara, quæ per huiusmodi rimas nobis lumen gratiarum, ac misericordiæ diffundit.* Hæc ille.

B.V. etiam modicus actiones in eius honorē exhibitas Compensat.

B.V. erga S. Nicolaum gratitudo.

53. Testis est Virgineæ huius gratitudinis in multis S Nicolaus miraculorum, virtutumque gloriâ vir illustrissimus. Hic cùm magno pietatis affectu in Dei Matrem à primâ ætate ferretur, nocte quadam vidit iuxta se Saluatorē vna ex parte sibi librum Euangeliorum auro, gemmisque decoratum porrigentem; ex altera Virginem parentem eius gloriosissimam, Pontificale Omophorium, pallium videlicet Archiepiscopale super humeros sibi imponentem. Cùm autem hæc Pontificalia ornamēta post multos annos in Concilio Niceno à Patribus ei fuissent adempta, quod calentiori zelo fidei actus, Arianum quendam in maxillam percussisset, ecce tibi Virgo benignissima gratitudinis memor, dum in ipsius honorem sacris operatur, cunctis videntibus duos submittit Angelos, quorum alter mitram, alter Pallium Nicolao suo fidelissimo seruo restituenda detulerunt, vt scribit Petrus de Natal. in Catal. Sanctorum lib. 1. cap. 33. Licet Ioannes studita Monachus in serm. de sanctis asserat Pontificalia ab ipso Christo, eiusque Matre huic sancto restituta. Quæ tamen conciliari posse videntur si dicamus præsentibus Filio, sanctissimaque eius Matre, ornamenta illa per Angelos decenter delata, & postea à Christo Euangeliorum librum ei traditum; à Deipara verò eius capiti Mitram, humeris pallium fuisse impositum, vt patet ex quadam D. Nicolai Imagine, in qua hæc repræsentātur, addito hoc elogio vt videre est apud Spinellum c. 35. in Throno Deiparæ nu 3.

S.Nicolaus cultui B. V. addictissimus Pontificalibus ornamentis sibi ademptis, eisdem à B. V. restituitur.

S.Nicolaus Dei zelo exardescens Ariano blasphemanti colaphū impiuit, quoniam Patres Concilii Niceni Pontificalibus priuarunt.

Ob colaphum hæretico impactum decora alta Tiaræ
Dempta tibi à Patribus, cælica Virgo refert.

Quanta porrò sanctissimi huius Antistitis fuerit in Deiparā pietas, vel ex eo patet, quod Elsino Abbati Rhemensi in præsentissimo naufragij periculo existenti Beatissima Virgo per S. Nicolaū mirâ claritate fulgentem, suisque Pontificalibus amictum ornamentis reuelare dignata sit, vt immaculatæ eius Cōceptionis diem 8. Decembris in posterum celebrarent, eidem suo demandando fidelissimo Præsuli, vt eos simul à naufragio eriperet. De hac reuelatione videndi Auctores grauissimi Baronius, Petrus de Natalibus, alijsque ibidem à Spinella citati. Plura de hac Deiparæ erga homines gratitudine videnda Discur. de Delphino.

B V. per S. Nicolaum reuelat suam immaculatā Conceptionem publice esse celebrādam.

54. Quid iam de altera illa Canum proprietate dicam qua vulgo Dominis suis fideles esse perhibentur? Hinc illud vulgare: *Inter quadrupedes canis fidelis.* Hæc fidelitas mirum quantum in Virgine Deipara eniteat. Vnde illi canit Ecclesia: Virgo fidelis, ob fidelitatem videlicet in primis Deo, Deique Filio humanato præstitam. Quare cum aliquando B. Metildis Virginem hāc beatissimam sacri Aduentus tempore salutare desideraret, ipseque Christus cor ipsum Virginis, varias ob causas eam salutare iuberet, septimam esse voluit, quia *Cor illius fuit fidelissimum. Nam ob mundi redemptionem contenta fuit, vt eius vnicus, dilectusque Filius Cruci affigeretur.* Lib. 1. Vitæ cap. 3. Et rursus cap. 58. Cum hæc Sācta anima sese sponte accusaret, quod nunquam eius sanctissimam Matrem, vti debebat dilexerit, eidem ita Dominus respondit: *Ob hanc negligentiam tuam lauda Matrem meam, ratione fidelitatis, qua totius eius vitæ decursu in omnibus suis actionibus, anteponendo semper voluntatem meam, suæ, mihi semper fuit fidelissima. Secundo fidelitatem eius exalta, qua mihi in omnibus meis necessitatibus fidelissimè præsto fuit, adeo vt pœnas omnes, quas ego corpore, ipsa mente, animoque tolerauerit. Tertio fidelitatem illā ipsius magni-*

Canes Dominis suis fideles.

Cor B. V. fidelissimum.

B. V. fidelis in Dei volūtate exsequēda.

B V. Christū in omnibus necessitatibus presto fuit.

magnifica, qua mihi iam etiam in cælo est fidelissima mihi conquirendo peccatores vt conuertantur, eorumdemque animæ à supplicijs vindicentur. Quamob causam eius intercessionibus innumeri peccatores ad meliorem frugem sunt conuersi, ac multæ animæ præterea æternis Inferorum pœnis meo iusto iudicio adiudicatæ, eius misericordiâ sunt reuocatæ, & à Purgatorijs ignibus liberatæ.

B.V. etiam iā cælo semper fidelissima conuertendo ad DEVM peccatores.

55. Fidelitatem hanc Virgo nostra à primo immaculatæ Conceptionis suæ instanti dum adhuc visceribus Matris contineretur, Deo præstitit; cum ipsa tunc vsum perfectissimum rationis habuerit, perinde atque cum 60. esset annorum. Si enim Theologi nonnulli docent hominem, cum ad discretionis annos peruenit, teneri ad DEVM sese conuertere actumque amoris Dei elicere, & omnino sese resoluere ad viuendum secundum rectam rationem, omniaque Dei præcepta obseruare; quod si fatiat, fidelis creatori suo censendus est; sin contra, infidelis: quanto magis hoc ipsum fecit Virgo beata, quæ in tot benedictionibus dulcedinis se præuētam, originalique iustitiâ ac sanctitate præditam animaduertens toto mentis, animique sui impetu ad creatorem suum sese conuertit, firmiterque statuit ei in omnibus obsequi, eiusque voluntatem Decalogo expressam quam diligentissime, atque fidelissimè adimplere. Dixerit fortassis cum identidem Dauide Parente suo Creatori semper fidelissimo: *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuę.* Psal. 118. Quæ sane fidelitas in Virgine nostra sacratissima adeo omnibus numeris fuit completa, absolutaque, vt ne quidem minimâ veniali culpâ Creatorem suum offenderit, ac proindè vel ex hoc capite ipsius circa suos clientulos patrocinium censendum est fidelissimum. Potest enim ipsa tanquam munda, impolluta, & segregata à peccatoribus, vti fuit etiam ipse eius Filius, excelsior cælis facta, accedere per semetipsam ad DEVM, & ad thronum gratiæ eius, eius pro nobis preces supplicationesque magnâ cum fiducia tanquam Mater Filio offerre nullamque ob singularem suam puritatem, ac innocentiam numquam labefactatam, pati repulsam. Vnde ipsi, ob hanc incontaminatam eius, ac nunquā interruptam vitæ sanctimoniam absolutè dicimus, *Virgo fidelis ora pro nobis*, cum alijs Cælitibus, qui olim fuere peccatores ad intercedendum pro nobis euocatis Sancti Epithethon attexere consueuerimus; *Sancte Petre, Sancte Paule, ora pro nobis*, indicantes eos iam ab omni peccati labe puros sese excusare non posse, quo minus pro nobis Deo orationes suas offerant, cum eis omnes noxæ condonatæ sint. Quare eis cum S. Augustino dicere possumus: *Securi estis de vobis, solliciti estote pro nobis*. At vero Virgo nostra, quia semper in exequenda Dei voluntate ad amussī fidelissima fuit, numquam vel in minimo fidelitatem hanc suam violando, pro se vt vel ipsa, vel alij intercederent non eguit, eam simpliciter postulamus: Virgo fidelis ora pro nobis; quia nobis certo persuademus ipsam, ob eius puritatem omne scelere liberam, eiusdemque incontaminatam mundiciam in suis ad DEVM pro nobis precibus exaudiendam, nec vllam pati posse repulsam.

B.V. adhuc vtero Matris fidelis.

B.V. in vtero Matris iurasse visa est Deo fidelitatem.

Quia B.V. Deo fidelis fuit in implenda eius voluntate, ideo exaudi tione digna.

56. Neque vero solum Virgo Deipara fidelis suo Creatori in custodiendis eius mandatis, verumetiam in Euangelicis consilijs nimium quantum extitit, ac præsertim in obseruando Virginitatis voto in ipso adhuc vtero Matris emisso, ob quod illa Gabrieli nuncianti sibi se fore Dei Matrem consentire renuit, donec intelligeret, quanam ratione Maternitas cum Virginitate consentiret: Hoc enim sibi volunt verba illa: *Quomodo fiet istud: Quoniam virum non cognosco?* Quibus verbis eminentissimum illum honorem, ac dignitatem Diuinæ Maternitatis, fidelitati obseruandi voti Virginitatis postposuisse visa est. Quæ fidelitas quam grata fuerit Domino, ex voto quodam à S. Gertrude facto, suo cælesti Sponso intelligetur. Scribit Iustus Landspergius lib. 4. eius Vitæ cap. 27. quod cum hæc Sancta Anima ipso Dominicæ Resurrectionis die redi viuum Saluatorem totum gloriosum, floridumque esset contemplata, eius gloriæ propagandæ cupidam ante eum prostrata postulauerit, vt eo die dignaretur omnes electorum suorum animas ergastulis Purgatorij detentas liberare. Quod cum esset factum, ipsa gratitudinis memor, ac vehementiâ amoris concitata, ad Dominum conuersa votum concepit ac dixit: *Ecce vnice Amator mi, ego indignissima ante te Regem Regum, Dominumque Dominantium, maiori quo possum cum affectu consisto, tibi totam meam substantiam tam cor-*

B.V. fidelis in adimplendis Euangelicis consilijs.

B.V. Gertrudis Christo totū corpus, & animam deuouit.

corporis, quam animæ tuo seruitio obsequioque offerendo, quoad vsque mihi vita superestes fuerit idque ad tuæ venerandæ Resurrectionis gloriam. Cui ita respondit Sponsus. *Vtar ego hoc ego tuo bonæ voluntatis dono, eritque mihi ad instar regalis meæ Diuinæ Magnificentiæ sceptri, eoque coram Santissima Trinitate, omnibusque Sanctis perpetuè gloriabor, tamquã de re mihi à mea dilecta amica dono data.* Quibus verbis Gertrudis hæc subintulit: *Siquidem Domine mi tibi hoc meum velle voto consecraui, quod tui solius opus est, vereor nihilominus, fragilitatis humanæ probè conscia, ne illius aliquando obliuiscar.* Ad quam ille: *Et quid hoc tibi molestiæ adferre potest? quandoquidem sceptrum illud quod mihi semel obtulisti, nunquam è mea manu mihi eripietur, imo ego illud æterna mea memoria illud conseruabo, tuique amoris erga me repræsentatione, & quoties hanc tui mihi factã oblationem, hac eadem intentione renouabis, toties idem illud sceptrum mea in manu amœnissimis floribus reflorebit, gemmisque præciosissimis exornabitur.* Quod si dilectæ huius Sponsæ vltronea sui ipsius per votum cum omnibus potentijs, sensibusque tam animi, quam corporis facta oblatio, tantopere summæ illi placuit Maiestati, quanto magis Matris suæ dilectissimæ? in qua sibi tantopere, sicut & in Vnigenito Filio complacuit? quando magis eiusdem voti obseruantia, in eoque adimplendo syncera fidelitas?

57. Eiusdem Virginei Voti Deo facta oblatio, quam grata ipsi extiterit, ex alio quodam Voto S. Matris Teresię nimium quantum admirabili colligi potest. Scribit P. Ribera noster, hanc Deo sacram Virginem, Diuino amore accensam Votum vouisse Deo Iacob, semper id quod erat melius, ac perfectius in vita Spirituali eligendi, quodque maiorem Dei gloriam concerneret. quo in voto continetur virtualiter promissio, nullum vnquam veniale peccatum ex proposito, & deliberatione committendi, ac præterea non solum omnia præcepta, verumetiam consilia in actu secundo adimplendi. Quod Votum cum admodum difficile Viris pijs, ac eruditis visum fuerit, insignibus Theologis magnam erga Sanctam hãc Matrem Sanctitatis opinionem, ac venerationem conciliauit, nec vllus hactenus repertus est, qui illud improbare ausus fuerit. Hoc porro Votum Teresia fideliter semper, & faciliter Diuino Spiritus Sancti aspirante fauonio, ad extremum vsque vitæ halitum seruauit, tantisque Deo seruiendi, eique in omnibus obsequendi exarsit desiderijs, vt digna habita fuerit, cui Seraphinus aureo telo cor feliciter Sauciaret, eique ardorem illum suum fideliter supremo Numini famulandi, & in mãdatis eius, senis quodammodo alis volandi nimis inderet. Quod si, iuxta Diui Bernardi axioma, Epistola 174. ad Canonicos Lugdun. dicamus: *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est posse suspicari tantæ Virgini fuisse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam*: non erit sane hoc tam insigne Sanctitatis, ac fidelitatis in obseruandis Diuinis præceptis, Euangelicisque consilijs, priuilegium, Sanctis hiscè animabus Gertrudi, & Teresiæ cõcessum, omnis Sanctimoniæ iustitiæque Speculo, ac Ideæ ipsi Sacratissimæ Deiparæ, in qua ipsa increata Sanctitas 9. mensibus corporaliter requieuit, denegandum. Imo crediderim eandem Diuinam Matrem votum expressum Diuinam Maiestatem nunquam vel venialiter offendendi, maioremque semper Dei gloriam ardentissimo studio amplificandi emisisse ac proinde sicut Sanctæ istæ Virgines in paruo fuerunt fideles, nullo se vel minimo veniali peccato ex proposito adstringentes, omniaque Euangelica consilia ad vnguem diligentissimè obseruantes; ita quoque, & longè quidem potiori iure de magna Dei Matre sentiendum est, ac dicendum, summum fidelitatis apicem præ ceteris Sanctis omnibus, absque vlla comparatione attigisse. Cum igitur Virgo nostra arctiori se voto, ac perfectiori, maiorem Dei semper in omnibus gloriam inquirendi ac propagandi, præ reliquis adstrinxerit, consequens sane est, tam pro peccatoribus vel maximè intercedere teneri, cum eorum conuersio mirificè Dei gloriam concernat, & tanto quidem maiorem, quanto ipsi peccatores maiores sunt. Cum enim peccata sint peculiaris quędam humani generis miseria, & hæc non tollatur, nisi per Dei immensam illam misericordiam, eiusdem Diuinæ bonitatis communicatione, consequitur profecto quo maiora fuerint peccata, eo maiori indigere Dei misericordiâ, quam ille secundum magnitudinem suam effundendo, Bonitatem-

Votum S. Teresiæ faciẽdi semper id que gratias est Deo, eiusque maiorẽ gloriam concernit.

Priuilegia alicui Sanctorum concessa B.V. nõ sunt negãda.

Peccatores cõuersi quia maiorẽ Deo gloriam adferunt, ideo B.V pro illis orare tenetur ex voto.

que suam communicando, maximam sibi gloriam parit, ac amplificat. Vnde in sacris literis aliquando misericordia ipsa, Dei gloria appellatur. hinc Apostolus ad Rom. 3. 7. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei;* hoc est misericordiâ, ex qua maior in DEVM resultat gloria, dum peccatores ad DEVM conuersi ipsum laudant benedicunt, ac glorificant. Vnde SS. Augustinus, & Hieron. legerunt: *Egent gratia Dei*, ob quam videlicet DEVS glorificatur, dum miseria peccati tollitur, & Nomen Dei passim glorificatur. Quod intelligens Regius Psaltes oppressus grandi adulterij, homicidijque peccato ingemiscens aiebat Ps. 24. *Propter Nomen tuum propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Idem Dauid Ps. 78. de communi totius humani generis miseria, ac calamitate, qua ob Protoplasti peccatum opprimebatur, loquens, illudque liberatum cupiens, Diuini Nominis inde secuturam gloriam allegat ita exorando: *Propter gloriam Nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.* Quapropter Concilium Tridentinum sess. 6. capit. septimo. optimè pronunciauit nostræ iustificationis, ac redemptionis à miseria peccati causam finalem esse Dei, & Christi gloriam. Ideo enim Christus nos precioso suo sanguine de Tartarei hostis captiuitate redemit, vt nomen eius, & nomen Patris eius glorificaretur. Quare Angelicus Doctor 1. 2. Q. 113. art. 9. in corp. docuit inter omnia Dei opera nullum maius esse ac excellentius, quâ impij iustificationem. Postquam enim dixisset, Opus aliquod magnum dupliciter dici posse, *vno modo, ex parte modi agendi, & sic maximum opus est creationis, in quo ex nihilo fit aliquid;* mox attexuit: *Alio modo dici potest opus magnum, propter magnitudinem eius quod fit, & secundū hoc maius opus est iustificatio impij, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Et ideo August. cum dixisset, quod maius est, quod ex impio fiat iustus, quam creare cælum, & terram; subiungit: Cælum enim, & terra transibit, prædestinatorū autem salus ac iustificatio permanebit.* Addit idem S. Doctor ex Aug. Christum Iustificationes impiorum per Apostolos faciendas intellexisse cum dixit: Ioan. 14. *Maiora horum faciet*, eo quod maius opus est, vt ex impio iustus fiat, quam creare cælum, & terram; quia videlicet ille, qui ex peccatore factus est iustus

Causa finalis redemptionis hominis, est Dei gloria.

Iustificatio impij maximum opus Dei.

dū saluatur, in omni æternitate diuinas laudes prædicabit, gloriamque ipsius Diuini Nominis absque vlla intermissione decantabit. Quod longe ante Dominus præuidisse apud Isaiam cap. 43. v. 20. visus est, dum ait: *Glorificabit me bestia agri, Dracones, & Struthiones.* Quibus tam horridis animalibus S. Hieron. peccatores, ac infideles ad fidem Christi conuersos brutis moribus præditos designari docuit. Vnde Plato libr. 3. de Repub. hominem similem equo Troiano, in quo multi sunt armati, sicut in homine plurimæ animalium species varias ipsius passiones repræsentantes. Atque vt intelligeremus homines huiusmodi brutis affectibus exutos, inque nouos homines efformatos ideo fuisse, vt Diuinarum laudum præconia celebrarent, mox versu 21. attexit idem Isaias. *Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Ex quibus omnibus colligimus euidenter summā misericordiæ Matrem voti Religione teneri pro peccatoribus orare. Siquidem voto sese adstrinxit maiorem Dei gloriam quærere, quam re vera peccatores ad DEVM conuersi vel maxime, vti memorauimus, amplificant, vt pote in hunc finem ab vniuersorum creatore efformati. Quod Votum cum Virgo Deipara semper hactenus fidelissimè persoluerit, ac in hodiernum vsque diem pro peccatoribus deprecando persoluat, iure illi meritissimo canit Ecclesia: *Virgo fidelis, ora pro nobis.* Quare illi merito dici potest quod olim seruo prudenti, & fideli dictum fuisse memorāt S. Matthæus, & Lucas: *Fidelis Ancilla, & prudens quam constituit Dominus super familiam suam vt det illis in tempore tritici mensuram, vel cibum in tempore*, vt loquitur Matthæus; cum illa sit fidelissima thesauraria, ac dispensatrix diuinorum munerum, ac gratiarum, quibus velut pane, ac cibo delicatissimo nutrimur. Ipsi nimirum claues cælestium granariorum sunt commissi. Imo ipsius purissimo vtero, velut amplissimo horreo cæleste illud frumentum electorum fuit reconditum. Et ideo inter præclarissima eius encomia illud eximium cælestis prædicauit Sponsus: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Cant. 7. In cuius tritici, aliorumque donorum cælestium dispensatione, quia, & Deo, & nobis semper fidelissima extitit, sine dubio ad cumulum ipsius maioris glo-

Peccatores ad Christum conuersi tanquam cicuratæ bestiæ Deum laudant.

Homo equo Troiano similis.

B. V. Ancilla fidelis, & prudens.

B. V fidelissima thesauraria, & dispensatrix gratiarum Dei.

riæ

riæ etiam nunc illi dicit amoris ſignificatione Dominus: *Euge Ancilla bona, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſupra multa te cõſtituam*, ſuper omnes videlicet Angelorum Hierarchias vt earum ſis Domina ac Regina, *intra in gaudium Domini tui*, proxima illos Maieſtatis throno per ſe conſtituens Hierarchiam illi viciniſſimam, vbi eius liquidiſſimo perfuſa gaudio, quo tanta Maieſtas in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, perfruitur, æuiternum triumphabit.

58. Neque vero fideliſſimæ huic Domini Ancillæ peccatores eius precibus ad DEVM conuerſi immenſum quoddam illi parient gaudium, verum etiam ſtellatam Coronam eius capiti, ob fidelitatem illam ſeruatam, qua maiorem Dei gloriam ſemper querendi voto perpetuo ſeſe adſtrinxit, imponent atque ita dicere poterit longè potiori iure peccatoribus omnibus iam iuſtificatis cum Apoſtolo Philip. 3. *Fratres chariſſimi, & deſideratiſſimi gaudium meum, & corona mea*. Fideles enim ad Chriſtum conuerſi *Corona Domini* etiam à S. Cornelio Papa, & Martyre ſunt appellati. Cum enim S. Pontifex à Voluſiano Præfecto eſſet quæſitus, cur literas à S. Cypriano accepiſſet contra expræſſum Imperatoris ordinem? Reſpondit: *Ego de Corona Domini literas accepi, non contra Rempublicam*. Hæc igitur peccatorum ad DEVM eius præcibus conuerſorum, Corona Dei Mater coronata mulieri illi Apocalypticæ erit perſimilis, quæ Sole amicta, Lunâ calceata, ſtellis illis, quas Draco Tartareus caudâ ſuâ de cælo in terram traxerat, ob fidelitatem ſuam coronabitur.

B.V. cõuerſis peccatoribus tãquam ſtellis coronatur.

59. Ad hanc Coronam illam inuitabat Sponſus Cant. quarto. *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis*. Et quibus tandem coronis? *De capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum*; quibus verbis varia ſceleratorum hominum genera, quæ verè pro diuerſis peccatorum ſpeciebus, quibus fuere obnoxij, cubilia leonum; ſpelunca, ac latibula pardorum, variarumque ferarum appellentur, vti alibi fuſius declaratum. Hos igitur peccatores, varietate ſcelera Pardis immaniores, iræ, odijque furore Leonibus crudeliores dum efficaciſſimis ſuis apud Filium precibus conuertit, quid aliud, quam æuiternæ gloriæ ſtellatam coronam ſuo ſacroſancto vertici imponit, ſiue verius dixerim, à cæleſti Sponſo, eius mirificam erga ſe fidelitatem recognoſcente, ſibi imponi meretur.

60. Virgo fidelis denique dici poteſt Maria, quia omnia ornamenta gratiæ, omnia cæleſtium chariſmatum dona, aliaſque innumeras dotes quibus tam anima illius, benedicta quam corpus eiuſdem Sacroſanctum decorata erant, numquam ſibi ipſi arrogauit, aut proprijs viribus attribuit, ſed totum ad DEVM, tanquam perennem bonorum omnium fontem, Patremque luminum fideliſſimè, maxima demiſſi animi ſignificatione refudit, reipſa faciendo, quod dicebat Apoſtolus 1. Tim. primo. *Soli Deo honor, & gloria, in ſæcula ſæculorum*. Vnde laudes illas cognatæ Eliſabethæ admodum præclaras, atque eximias audiens nil omnino ſibi, ſed vniuerſorum munificentiſſimo Domino totum pro inſigni ſua in eum fidelitate adſcripſit, eumque iucundiſſimo illo ſuo Cantico magnificauit, ſuum Parentem Dauid imitando, qui creatori ſuo fidelis eſſe cupiens, cum ſe varijs & naturę, & gratiæ dotibus, nec non etiam fortunæ bonis, ac honoribus, Regalique ſuper omnes mundi Reges, ac Monarchas conſpicuum animaduerteret, nil communi omnium Domino ſubreptum volens gloriæ, totam ipſius Sacroſancto Nomini adſcripſit, animitus, medullituſque concinendo. *Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam*.

Maria Virgo fidelis, quia gratias omnes quibus fuit decorata non ſuis mẽtis ſed ſoli Deo attribuit.

61. Tandem aliquando ad calcem huius diſcurſus decurramus inque Caniculâ hac ſydereâ, vel ex eo typũ Deiparæ agnoſcamus, quod eius exortu, vt teſtatur Plinius, alijque, canes in rabiẽ verti conſueuerint. Quod quàm aptè Virgini noſtræ conueniat nemo non videt, qui eius potentiam in trifaucem illum, Tartareumque canem, eiuſque aſſeclas conſiderat. Sane vel ſolo eius audito Nomine canes illi Infernales vlulant, eiuſque oppreſſi vi, ac potentiâ, adamantiniſque ab ipſa reuincti catenis, ne clientulis ipſius noceant, in ſæuiſſimam vertuntur rabiem, adeo vt reuera diro vlulatu exclamare identidem cogantur, vt Bernardinus Buſtius affirmat Par. 9. Mar. ſerm. *Heu, heu, quia*

In exortu Caniculæ Canes vertuntur in rabiem.

castra Dei sunt hæc Gen.32. *Væ nobis, væ nobis, quia Arca fœderis Domini venit in castra.* 1. Reg.4. Quod enim mare olim fuit terrimus illis Aegyptijs, hoc sanè Dæmonibus, rabidissimis Orci canibus, est Mariæ vel solùm Nomen augustissimũ; hoc enim velut immenso mari oppressi ad ima Inferni demerguntur, descenduntque in Orci profundum quasi plumbum. Hinc Diuus Bonau. in spec. cap. 3. Postquam Mariani Nominis varias interpretationes laudesque protulisset, tandem hæc addit: *Virgo Maria mare est amarum, Diabolum submergendo, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Agyptijs in ipso submersis. O' quàm amara, & timenda est Maria Dæmonibus! Vnde Bernardus; non sic timent hostes visibiles quamuis castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exẽplum; fluunt, & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicunque inueniunt huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem.* Sic Bonau. Audiamus hic sapientissimum Virginisque studiosissimum Idiotam, qui in Contemplat. B. V. cap.5. Mariani Nominis celebrans encomia, miram eius virtutem ad cælum vsque, in vniuersamque terram sese diffundentem, ipsos Inferos penetrantem hiscé verbis prædicauit: *Tantæ virtutis, & excellentiæ est tuum sanctissimũ Nomen, Beatissima Virgo, quod ad inuocationem ipsius cælum ridet, terra lætatur, Angeli gaudent, Dęmones contremiscunt, & Infernus cõturbatur.* Tandem ipsam Deiparam sui Nominis potentiam aduersus canes Tartareos Sanctæ Brigittę exponentem audiamus lib. 1. Reuel. cap.9. vbi inter reliqua pulcherrima elogia hoc commemorat: *Omnes etiam Dæmones verentur hoc Nomen, & timent: qui audientes hoc Nomen, Maria, statim relinquerũt animam de vnguibus, quibus eam tenebant, &c.*

Nomen Mariæ Dæmonibus execrabile.

Virtus Nominis B. V. quàm efficax.

B. V. Nomen Dæmones timent.

62. Hinc Innocentius Papa III. salutans humiliter Deiparam obsecrabat: *Aue Dei Mater alma, quæ ex dignitate, qua Mater Dei es, imperare potes Angelis, & Dæmonibus. Compesce ergo Dæmones, ne nobis noceant, præcipe Angelis, vt nos custodiant.* Compescit verè Dæmones, eosque in rabiem agit, dum eis omnes vires elidit, potestatemque clientulis suis nocendi infringit; Occurrit enim illis tota formidabilis, ac terribilis, vt quædam castrorum acies ordinata esse videatur. Præclarè enim Venerabilis Guilelmus Abbas apud Delrium in Cant. *Nimirum,* inquit, *quantum Angelis, hominibusque est amabilis, tantum etiam spiritibus malignis est terribilis B. V. Quid in rebus mundanis terribilius castrorum acie ordinata? Per hoc malignis spiritibus vehementer formidabilis pia Mater ostenditur. Et quidem, ex quo Dei Filium peperit, terribilis Dæmonibus fuit. Sed ipso clarificato multo magis.* Sic ille.

Dæmones audito Nomine Mariæ statim animam eorum vnguibus raptam dimittunt.

B.V. quantum Angelis ac hominibus est amabilis, tantum est Dæmonibus terribilis.

63. Et sanè si Aegypti columna illa ignis protectos filios Israel exeuntes de terra Aegypti animaduertentes, clamabant, seu vt rabidi canes latrabant: *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eo;* multo magis Tartarei canes in rabiem acti, animatâ hac igneaque Colũnâ conspectâ, fidelesque clientulos ab ipsa protectos, eorum captiuitatem, tyrannidemque euadere cernentes, cohorrescent, dentibus suis stridebunt, ac contabescent. Ignem enim Diuinę charitatis potissimùm, quâ tota Virgo beatissima assiduè intrinsecus, extrinsecusque adeo exardescebat, vt non aliud quam ardentissima fornax, quam ignita columna, sacrum hunc amoris Diuini ignem toto ore, oculisque spirans esse videretur, pertimescebant. Quare miram consolationem nobis adferre debent verba Deiparæ ad B. Brigittam lib. 1. Reuel. cap.9. prolata, vt testatur Dionſ. Carth. libr.3. de laud. V. cap. 3. *Nullus in hac vita est tam frigidus ab amore Diuino, nisi sit damnatus; quin si Nomen meum inuocauerit hac intentione integro proposito emendationis, quod statim Diabolus ab illo non recedat, & nunquam ad eum amplius reuertatur, nisi voluntatem peccandi mortaliter resumpserit, licet aliquando relinquatur turbare, non tamen possidere, ob maiorem tentati remunerationem.*

64. Expertus est protectionem hâc gloriosissimæ Virginis aduersus Tartareum Cerberum Religiosus ille, de quo Bernar. Bustius Par. 9. Marial. serm. 2. Hunc enim cum Cacodæmon in primis specie ingentis tauri cornibus impetere attentaret, deinde forma canis nimium quantum horribilis, ac tandem leonis immanissimi esset agressus, Deipara benignissima schemate pulcherrimę Puellę diuino lumine radiatis ei apparuit, Dæmonemque Virgâ, quam manu gestabat, castigatum, frementem, in furoremque ac rabiem actum abegit, atque à præsentissimo interitu liberauit.

65. O' quàm benè Virginem alloquens pronunciauit Anselmus libro de Ex-

B.V. dummodo nostrã salutẽ velit, impetrat.

Excell. B.V. cap. 12. *Benignissimus Filius tuus ad concedendum quicquid voles promptissimus erit, & exaudibilis. Tantummodo itaque velis salutem nostram, & reuera nequaquàm salui esse non poterimus*. Si igitur in voluntate, potestateque Virginis salus nostra constitit, dubitare sanè non poterimus, quin misericordiæ Mater beneuolentissima, quæ ipsam nobis Diuinam peperit beneuolentiam, propensissimâ voluntate clientulorum suorum salutem sit prosecutura. Prosequetur sanè, atque ita efficaciter, vt insidiantes Dæmones, velut abiectissimos canes, ferreâ potentiæ suæ Virgâ sit abactura, eosque in furorem rabiemque qua æternum excrucientur ac torqueantur conuersura. Vnde idem Bernardinus Bustius eius à Dauide Parente suo illud cani Psalm. 2. existimauit: *Reges eos in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos*.

66. Hæc Virginis potestas adumbrata fuit Exod. 7. in Virga Aaron, quæ in colubrum transformata, Virgas incantatorum, hoc est, malignorum Spirituum, potestatem deuorauit, ac pessumdedit. Vnde S. Gerardus Episcopus & Martyr citatus à Bustio, ait: *Inuitè quoque Infernus audito Nomine Beatæ Mariæ vlulat, & procacissimi Dæmones clamant*. Iuxta enim interpretationem Papiæ, *Domina, dans minas significat, quia vniuersorum Domina Christi Mater inimicis humani generis Dominans, minas infert*. Hinc Marianum Nomen hoc Inferos venerari, ac contremiscere asseuerauit pijssimus Idiota in Contemplat. B.V. cap. 5. *Dedit tibi*, inquiens, *ò benedicta V. M. tota supersancta Trinitas Nomen, quod post Nomen superbenedicti Filij tui, est super omne Nomen, vt in Nomine tuo genu flectatur, vt manifestè patet, cælestium terrestrium, & Infernorum, & omnis lingua confiteatur huius sanctissimi Nominis gratiam, gloriam, & virtutem. Non enim est in vllo alio Nomine, post Nomen superbenedicti Filij tui tam potens adiutorium, & ex quo tanta salus hominibus refundatur*. Cùm igitur vel solo Mariæ audito sacrosancto Nomine, Tartarei canes ac Cerberi, in tantum vertantur furorem, ac rabiem, adeoque cõtremiscant, ac exhorrescant, iure syderea illa Canicula, quæ suo exortu canes in rabiem vertit, asserimus gloriosissimam Dei Genitricem figurari. Huius Nomine Diuinissimo præsentiaque ad rabidissimos illos Orci canes effugandos nullum auxilium præsentius, atque opportunius in rerum natura potest inueniri.

B. V. Nomen post Nomen Filij est supra omne Nomen.

67. Contestatus est hoc Parthenius ille Nouodomensis, non minùs virtute, quàm genere nobilis Adolescens, qui cùm in articulo mortis versaretur, ad vltimam luctam Christiano more instructus, Cerberum nigerrimum canem, seu potius Cacodæmonem, qui ad eum territandum, in cubiculum irrepserat, scutica abigi iussit, vt Beatissima Virgo cælorum Regina, quæ eius se obtutibus offerebat, accessum haberet liberiorem, quam etiam lecto iam adstãtem, manibus iunctis venerabundus sic alloquebatur: *O Virgo, ò Maria, ò Patrona mea dulcissima, tuum ne desere castimoniæ tibi voto obstrictum clientulum, sed in hora mortis suscipe*. Dixit hæc magno pietatis sensu repetitoque aliquoties gemino illo salutis nomine IESVS, Maria, cum Patrona sua dulcissima, nequicquam Tartareo frementе, furenteque Cerbero, ad superos abijt.

Parthenius Adolescens moriturus Dæmonem in specie canis abigit.

68. Etsi porrò rabiosum frendentemque canem ac Cerberum sese semper stygius ille Tenebrio contra cælorum Reginam ostendat, ostendit tamen tunc vel maximè, cùm meminit se ipsius pedibus veluti vilissimum protritum esse vermiculum, eique omnem ademptam esse potestatem. Occurrit enim illi terribilis illa Dei comminatio, quæ superbissimum eius caput, quod in cælum eleuabat, ad terram depressit: *Ipsa conteret caput tuum*. Vnde factum, vt cum quidam Pictor celeberrimus Deiparam eiusque Filium venustissimè, diuinâ planè formâ, ac elegãtiâ; contra verò Draconem hunc antiquum, velut informe monstrum pedibus suis conculcantem pinxisset, id ægrè ferens Cacodæmon ad instar canis furens, fremensque totus in rabiem versus adeo vehementem mox concitauit ventum, vt pegma illud quod ad pingendam Virginem Pictor construxerat, atque inscenderat, nutaret ac iamiam collabi conuulsis ventorum impetu trocleis videretur, cum illico ad Virginem conuersus Pictor; *Adiuua me pia misericordiæ Mater*, inclamat:

Pictor quidã pingens B. V. conterentem caput serpentis ab eadem aduersus Dæmonem protegitur.

Res mira dictu, mira creditu, manuum
(canit Angelinus Gafeus ex Vincent. Bellua. lib. 7. c. 104.)
Prehendit Icon picta, labantem regit,
Mediaque in aura noxę expertem tenet.

Quibus porrò coloribus pijssimus ille

Pictor

Pictor Virginem, eiusque Natum, & contra quam diuersis Draconem Infernalem pinxerit, peruenusto sanè idē Angelinus carmine descripsit, quod quia rem totam mirè ante oculos ponit hic attexere libuit:

Descriptio B.V. Regali schemate.

Proceritate maior heroâ Parens
Augusta Prolem sustinet lęua, aureum
Moderante sceptrum dextra; capiti peplum
Peplo corona ianthinio supersedet,
Corona gemmis, & Smaragdis, & graui
Adamante diues. Hinc & hinc compti probè
Sidunt in humeris leniter pandis pares
Bysso capilli, tænia vincti herbida,
Et vultus olli lucidus spirat diem
Ipsumque solem porrigit spectantibus
Frons alta, frons honoris, & prudentiæ
Venusta sedes, in supercilij cadit
Decenter arcus: In fenestra oleagina
Oculi renident tam decori, vt nil mage
Hoc vocula dictum, sat est; Nihil magè
Colore viuo purpurascunt genæ
Hinc & labella rosea: mole stat sua
Hinc collumella colli, quam corymbi gemmei
Velant pudicè, coniuges corallijs.
Conchyliata, & stellulis interlita
Vndansque vestis corpus obnubit sacrum:
Virgatus auro limbus hanc obambulat.

Pergit inde describitque quam venustè, artificiosèque Virginis Filium idem Pictor expresserit: *Quid de Puello crispuso, formuloso?*

Refert Parentem Natus. Haud aquę est aquę,
Haud stella, stellæ similior. Genæ rosis
Auro capilli disputant; ostro labra;
Stellis ocelli, lilijs collum præit.
Vuam sinitra gestitat, sed dexteræ
Tribus digitulis visus ad precarier
Zonus bona bonis, atque risu blandulo
Sacra subeuntes limina intuerier.

Tandem cum Pictor ad rabiosum Cerberum furentemque Draconem pedibus substractum Virginis, horrificè horrificis plane efformādum coloribus venisset, sic eum idem Poeta alloquitur:

Bone Pictor alios huc colores aduoca
Tenebricoso, turbidoque non quadrant
Saturi, sereni, floridi, perlucidi,
Alia paranda est harmogę è fuligine
Et felle tauri, de cruore sepię,
Deputri amurca, liquidoque sulphure,
Tristique vomica pestilentis vlceris,
Istis inumbra tergus illæthabile.
Explet Magister artis ingenium, suas
Partes abundè, tincturi desit nihil,
Nec arte, nec labore Pictor vincitur.

Quæ oppositæ cum iuxta se positæ essent picturæ, tantopere inter se discrepantes eluxere, vt sua auernali deformitate, & cælesti contra Diuinaq; planè Virginis cælorum Reginæ visa pulchritudine, confusus Cacodęmon horrendas exarsit in iras, caninamque rabiem, pijssimoque illi in Deiparam Pictori, vti supra memoratū, læthales molitus sit insidias, à quibus Virgo pro ingenita sibi pietate, omnipotenti illa sua extensâ porrectâque dexterâ, eum liberauit. Quod tam præsens Virginis idem Angelinus demiratus auxilium, sic eiusdem Dei Matris supplex pro se opera tandem implorauit:

Pictor Poeta est, & Poeta Pictor est:
Sunt isti & illi penicillus, & color,
Sunt & tabellæ, sunt & Icones suæ.
O' Diua, Pictor si tibi quondam fuit
Tantæ ille curę, quæso te, sit, & tibi
Poeta cordi, qui colore: (fors malo:)
Tua Virgo pinxit ora, conatu bono.

66. Sic Angelinus noster, cuius exēplo eamdem hanc opem protectionemque Deiparæ contra Tartareum Canem illum, tricipitemque Cerberum semper quidem emploremus, & nos, sed maximè cum in hora mortis ad lectulum nostrum tria guttura ad animas nostras deuorandas pandens excubabit. Aderit tunc nobis, mihi credite, hæc misericordiæ Mater ac Regina, benignissimæque faciei suæ luce serenissimâ teterrimas illas tenebras, quas terno illo gutture, ceu immani barathro exhalare, ad mentes nostras obfuscandas, fideique lumen in nobis extinguendum consueuit, illico veluti sol lucidissimus, effugabit. Ipsa tunc pro innata sibi facilitate dexteram suam auxiliatricem, quemadmodum deuoto illi pictori porriget.

B.V. in articulo mortis potissimum inuocanda, vt nos à Canem Tartareo sunt insidiant, protegat.


Ipsa eundem Canem hunc Auernalem Omnipotentiæ suæ sceptro, aureaue Virga contemptim abiget, ac tanquam Syderea illa Canicula in rabiem furoremque spe optatæ prędæ frustratū conuertet, nosque sub amplissimo illo protectionis suæ pallio, quo omne genus hominum circundat, tanquam suos fidos clientulos contutabitur. Si præsertim ipsius purissimæ vitæ, morumque integerrimorum Imaginem viuam, spirātemque in animis nostris, virtutum ipsius clarissimarum imitatione, velut viuis coloribus exprimamus, eiusque præsertim gratitudinem in persoluendis tā Filio, quam sibi, pro tam innumeris beneficijs, quam amplissimis gratijs quam studiosissimè æmulemur.

67. Effi-

67. Efficiet nimirum illa apud Filium vt hæ tam Filio, quam sibi persolutæ gratiæ, ad primum illum gratiarum fontem vnde fluxere, reuersæ, iterum maiori cum vbertate in animos nostros, ceu aquæ illæ, quæ de Libano cælesti cum impetu, in eam velut profundissimæ humilitatis suscum fluxerunt, influant, nobisque cæli bonis omnibus lucupletatis spem certissimam consequendæ æternæ salutis ingerant. Præclarè enim vir pijssimus Marcus Marulus spalati illustre decus de Virgine nostra lib. 2. de Discipuli viuendi c. 2. pronunciauit: *Profectò inter sanctos, sanctasque omnes, vt primum apud DEVM locum obtinet, ita prior inuocari debet Regina cæli, gratia plena, benedicta in mulieribus Maria Virgo simul, & Mater, cuius immaculatus, & intactus venter Spiritu S. repletus edidit Saluatorem. Nihil certius speratur, nihil largius tribuitur, tutius conseruatur, quam quod ipsa pro nobis poposcerit Filium. An quidquam maternis precibus non gratificaturum credimus, quem cum Deo Patre, legem, quæ Matrem honorari iubet, sanxisse scimus?* Sic ille. Hac igitur Virgineæ protectionis ac patrocinij freti fiducia, & hic semper dum viuimus, & in illo extremo discriminis plenissimo vitæ halitu cum Psalmista Seraphico, illi animitus, illi medullitus, & mane cum surgimus, & vesperi cum decubimus, ac quoad fieri potest horis, momentisque singulis Seraphico illo sanctissimi huiusce Viri ardore accensi modulemur. *In te Domine speraui non confundar in æternum, in gratia tua suscipe me. Tu es fortitudo mea, & refugium meum, consolatio, & protectio mea. Educas me de laqueo quem absconderunt mihi, quoniam tu es Adiutrix mea. In manus tuas commendo spiritum meum, totam vitam meam, & diem vltimum meum.*

Nil certius speratur, quã quod B. Virg. pro nobis postulat apud Filium

Amen.





DISCRVSVS XXVII.

Quod Deipara B. Virgo Nilum cælestem repræsentet.

1.

Caelestis ille Fluuius ex 34. syderibus compositus secundum aliquorum opinionem repræsentat Eridanum, in quo temerarius Phaeton demersus est. quem in cęlum Iuppiter transferri voluit, ad refricandam hominibus memoriam, quam sit plenum discriminis, onera humeris imparia, vti sunt honores, & dignitates suscipere. Hyginius verò stellatam illam aquam censet esse Nilum, eo quod primæ magnitudinis stella ipsius primaria, Canopus quæ Insula Nili est, vocitetur. Nilum porrò iure inter sydera translatum à Dijs, vti fabulantur Poetæ, esse censuerim, ob ingentia beneficia, quæ vniuersæ terræ Aegypti ad vitam mortalium tolerandam exhibere consueuit. Ex eius siquidem inundatione terræ Aegypti, in qua vix aliquando pluit, fertilitas oritur. Cùm enim turbidus sit, & pinguis, agros oblimando, & quodammodo stercorando impinguat, & fœcundat. Vnde quò altius & longius exundat Nilus, eo maior Aegypto contigit fertilitas. Hinc ex altitudine inundationis Nili, præsciunt Aegyptij, quanta eo anno, quamque abundans futura sit fertilitas. Quod significauit Plinius cum libr. 8. cap. 9. *In 12. inquit, cubitis famem sentit in 13. etiam nunc esurit; 14. cubita hilaritatem afferunt: 15. securitatem: 16. delicias. Maximum incrementum ad hoc æui fuit cubitorum 18. Claudio Principe, nimirumque quinque Pharsalico bello veluti necem Magni, prodigio quodam, flumine auersante.* Hoc indicare voluit Diuina Prouidentia Pharaoni Gen. 41. cùm vidit per somnum macras boues pasci in ripa Nili, hæ siquidem portendebant exiguam Nili inundationem, ac consequenter exigua fore pascua, eaque ferè tantum in vicinia Nili. E cõtrario vidit Pharao pingues boues pasci in remotis à Nilo paludibus, quia hæ portendebat fertilitatem, inundante fluuio per totam terram Aegypti.

Nilus fluuius inter sydera collocatus ob ingentia beneficia præstita mortalibus.

2. Idem Plinius eodem libro prosequitur, describitque. Nili naturam, proprietates, ac originem, quam deducit ex monte inferioris Mauritaniæ non procul oceano, lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem. *Ex hoc lacu profusus indignatur fluere per arenosa, & squallentia, conditque se aliquot dierum itinere. Mox alio lacu maiore, in Cæsariensis Mauritaniæ gente Massæsylum erumpit, & hominum cœtus, veluti circumspicit, ijsdem animalium argumentis. iterum arenis receptus, conditur rursus 20. dierum desertis ad proximos Aethiopas. Atque vbi rursus senserit hominem, prosilit fonte, quem Nigrin vocauere. Inde Africam ab Aethiopia dispescens, etiamsi non protinus populis, feris tamen, & belluis frequens, syluarumque opifex, medios Aethiopas secat, cognominatus Astapus, quod illarum gentium lingua significat, aquam è tenebris profluentem. Insulas ita innumeras spargit, quasdamque tam vastæ magnitudinis, quamquam rapidâ celeritate, vt tamen dierum V. cursu non breuiore transuolet. Circa clarissimã earum Meroem, Astabores læuo alueo dictus, hoc est, Ramus aquæ venientis è tenebris, dextro verò Astusapes, quod latentis significationem adijcit. Subinde Insulis impactus, totidem incitatus irritamentis, postremo inclusus montibus, nec alibi torrentior, vectus aquis properantibus, ad locum Aethiopum, qui Catadupi vocantur, nouissimo cataractæ inter occursantes scopulos, non fluere immenso fragore creditur sed ruere. Postea lenis, & confractis aquis, domitâque violentiâ aliquid, & spatio fessus, multis quamuis faucibus in Aegyptium mare se euomit. Certis tamen diebus auctu magno*

Nili natura, & proprietates.

per

per totam spatiatus Aegyptum fœcundus innatat terræ. Causas huius incrementi varias prodidere, sed maximè probabiles, Et tesiarum, eo tempore ex aduerso flantium, repercussum, vltro in ora acto mari, aut imbres, Aethiopiæ æstiuos, ijsdem Etesiis nubila illo ferentibus ex reliquo orbe. Hæc Plinius.

Causa proxima incrementi fluminis Nili.

3. Qui quidem præclarè omnia sed huius fluminis incrementi causam adęquatam vix attigisse visus est. Quia, vt docet P. Cornelius in cap. 9. Gen. experientiâ compertum esse augmentum Nili effici, non ex aduerso, sed ex locis superioribus, ex quibus Nilus descendit, in quibus immensæ pluuię, niuesque colliquefactæ, cùm defluunt, Nilum adaugent, vt exundet plus, minusué pro imbrium, riuulorumque in illum influentium copiâ vel raritate. Porro inundatio hæc in Aegypto æstate accidit, quia superiora illa loca, paludes, fontesque, vt nostro hoc sæculo compertum fuisse testatur idem Cornelius, in ea mundi parte sunt, vbi hyems est eo tempore, quo Alexandriæ, & in Aegypto est æstas. Vnde imbribus tunc abundat, concurrente forte ad id etiam alicuius syderis ibi regnantis influentiâ, vt docuit Scaliger Exer. 47. in Cardanum. Atque hæc de Nili natura, ex qua, vt patebit inferius, Deiparæ nostræ benignissimum genium vtcunque licebit depræhendere.

4. Iam ad originem Nili inuestigandam gradum faciamus, quæ potissimùm ad rem nostram facit. Communis est ferme Sanctorum Patrum, ac Doctorum opinio, Nilum esse ipsum illum Paradisi fluuium, qui Gehon appellatur. Hoc sensere S. Epiphanius, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Damascenus, Isidorus, Eucherius, Rupertus, Rabanus, & Iosephus, quos citant ac sequuntur Conimbricenses in Meteora Tract 9. cap. 10. Idem asseuerauit doctissimus Card. Bellarm. de gratia primi Hominis cap. 12. & Ribera in Amos cap. 6. num 44. Atque ita sentiendum, Nilum vnum ex illis capitibus, siue fluuijs esse, qui ab illo fluuio egrediente de loco voluptatis; ex ipsoque Paradiso, habent originem. De quibus sic loquitur scriptura Gen. 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison; Et nomen fluuij secundi Gehon, ipse est, qui circumit vniuersam terram Aethiopiæ.*

Nilus est fluuius Gehon qui ex Paradiso trahit origenē.

5. Hunc igitur fluuium de Paradiso promanantem siue Gehon, siue Nilum vocitemus, symbolum pulcherrimum asserimus fuisse Deiparæ, ob insignes illius proprietates, dignumque sanè, qui inter sydera, tanquam benè de humano genere meritum collocaret antiquitas. Fluminis huiuscé meminit Sapiens Eccli. 24. de increata loquens sapientia: *Qui mittit disciplinam sicut Lucem, & assissens, quasi Gehon in die vindemiæ.* Siue vt legit Tigurina: *Disciplinam profert vt lucem, inundat, siue Gehon in die vindemiæ.* Vbi videmus, quod misceat Sapiens fluminibus Solem, & lucem, quia quod Sol est in cælo, hoc est flumen in terra, scilicet terræ oculus. Sicut enim Sol spargit lucem, quæ terram illuminat, calefacit, & fœcundat, sic & fluuius spargit riuos aquarum, qui terram irrigent, inebrient, & fœcundent. Vnde Hebræi per vnum idemque verbum Nahar, hæc duo exprimunt. Illud enim, & illuminare, & confluere significat. Quæ aptimè quadrant Sanctissimæ Deiparæ nostræ, illa enim est lux illuminans terram, illa fluuius eandem irrigans, & fœcundans. Illa Gehon, siue Nilus nobis est, sua copiâ, siue inundatione aquarum gratiæ cælestis, quibus corda nostra, ad instar terræ aridæ, sterilisque, irrigentur, & fœcundentur, nobis assistens. Vtque clariùs effusissimam Diuæ Virginis in nos liberalitatem in donis cælestibus communicandis intelligeremus, ait illam nobis semper assistere, suâ gratiâ videlicet, veluti Nilum, non quocunque tempore, sed in die vindemiæ hoc enim tempore summopere inundare consueuit, ob copiam imbrium, niuiumque superiorum partiū, in quibus tunc hyems regnat. Quæ sanè inundatio, Aegypto tum ad fertilitatem, tum ad temperandos calores, qui in Maio sub solstitio æstiuali, quo tempore etiam fit vindemia, regnare consueuerunt, vtilissima est.

Nilus Symbolum B.V.

Fluuii cur luci comparati?

B.V. est lux terram illuminans, est fluuius eandem fœcundans.

6. Quare Venerabilis Richard. à S. Laur. lib. 9. de laud. B. V. eam iure merito huic flumini Gehon, siue Nilo contulit. *Gehon*, inquit, *dicitur B. Virgo à Ge, quod est terra, quia incremento suæ inundationis terram Aegypti rigat, vocaturque Nilus à limo quem trahit, & quo terra fœcundatur. Assistens dicitur. Adstitit enim Maria Filio patienti Ioan. 19. quando corpus eius quasi vua præmebatur, in crucis torculari, indeque mustum nostræ redemptionis exprimebat.*

Cur B.V. Nilo comparetur?

bat. Vt porrò ostendat clarius, Nilo Deiparam repræsentari, hæc attexit: *Quando sol per Virginis signum transit, tunc Gehon, siue Nilus omnes exitus suos reuocat, & tandem cum sol Libram fuerit ingressus, tunc Nilus totus intra suas ripas est collectus, nec terram amplius perfundit: Sic B. V. in die Iudicij suo filio assistet, nec amplius inundabit, aut aquis gratiarum arida suorum peccatorum corda perfundet, vt facit modo. Item Gehon hiatus terræ interpretatur, quod misericordiam Mariæ denotat, quæ cum sit Terra, miseris semper hiare, ac patere videtur. Gehon item luctatio interpretatur, quia B. V. contra mundum per paupertatem luctata est, contra carnē per Virginitatem, contra superbum, rebellemque Diabolum, per obedientiam, ac humilitatem, exemploque suo contra suos illos inimicos nos luctari docet, Gehon denique arenam, quæ sterilis est, significat, quo doceamur, vt cum bona omnia fecerimus, dicamus illud Christi. Luc. 17. serui inutiles sumus*. Hæc ferè Richar.

B.V. in die Iudicij pro nobis minimè intercedet.

Gehon hiatus terræ dicitur.

Gehon lucta interpretatur.

Cur B.V. luctatrix dicta?

7. Rectè porrò Gehon, siue Nilus de loco voluptatis, siue de Paradiso emanare dicitur, ad declarandam nobis singularem Virginis eminentissimamque dignitatem, quâ suo dilectissimo filio, qui de sinu Patris, veluti loco voluptatis, siue Paradiso ad orbem vniuersum gratiæ suæ fluentis irrigandum emanauit, assimilata est. Vnde B. Petrus Card. Dami. ser. de Annunc. de fluuio illo è loco voluptatis, siuè Paradiso emanante loquens: *Fluuius*, inquit, *iste est DEVS, meus IESVS, qui à duobus locis voluptatis egreditur, ex vtero Patris, & vtero Virginis. Vnde Isa. 59. Dominus DEVS noster fluuius gloriosus exiliens in terram sitientem. Locum voluptatis Patrem esse censemus. In ipso enim omnem voluptatem esse intelligit, qui legit Apostolum dicentem. Rom. 11. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Dum igitur fluuium hunc, quo Deipara designatur, de loco voluptatis originem suam trahere audimus, intelligimus sane eandem, ad instar æterni Verbi, de ore, siuuè æterni Patris quodammodo processisse. Vnde ipsa Eccli. 24. gloriabatur: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*.

Filius Dei de sinu Patris ad instar fluuii Paradisi de loco voluptatis processit.

B.V. quomodo similis filio in hac ex ore Patris processione.

Quibus sanè verbis ostendit, originem suam se, non quidem omnino, vt æternum illud Verbum ex ore Patris traxisse, vnam eandemque accipiendo substantiam; sed sanctitatem duntaxat, puritatemque si non illi æqualem, at saltem similem, æmulamque, Protoplastorum nostrorum iustitię originali, sanctitate, puritateque longè excellentiorem. Hanc enim ex ore quoque Diuino, originem traxisse attestatur Moyses Gen. 1. *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, hoc est animam iustitiâ, sanctitateque decoratam, ac spiritu halituque Diuino, vt suffitu suauissimo aduersus Dæmonem communitam. Vndę Caldæus legit Paraphrastes: *spiraculum vitarum*, quod non solùm anima illa primi hominis foret rationalis, sensitiua, ac vegetans, sed etiam vitâ gratiæ prædita. Vnde Leontius spiraculum illud vitæ, siue vitarum, vocat *plenitudinem gratiæ*, de qua Ioannes cap. 1. nos omnes accepisse, ait, eandemque plenitudinem Apostolis post resurrectionem communicatam cum insufflauit Christus, dixitq; *Accipite Spiritum S.*

Spiraculum vitæ inspiratum Adamo fuit plenitudo gratiæ.

8. Atque vt clarius perspiciamus sanctitatem huiuscé animi Virginalis, protoplastorum originali innocentiæ fuisse quam simillimam, imo eandem longè transcendisse, sciendum spiraculum illud vitæ vocari, Hebraico idiomate, Nessemha. Quæ vox obsoleta nullibi, nisi in vltimi Psalmi Dauidici fine legitur, quem ille, velut odor morti vicinus, futura præsagiens, modulatus est: *Omnis*, inquiens, *Spiritus laudet Dominum*, Quod Georgius Venetus in Harmon. mundi Cant. 3. To. 8. modulo 11. concentu 7. expendens: *Ideo*, inquit, *nullo sacrarum literarum loco vocem hanc reperiri, eo quod Spiritum hominis sanctum, immaculatumque ab ipso ore Dei procedentem significaret*. Qui cum nulli puræ creaturæ post Adamum, & Virginem gloriosissimam fuerit infusus, nil sanè mirum, si eius nominis in posterum in sacrarum literarum monimentis nulla mentio sit facta. Originalis siquidem peccati luce, protoplastorum scelere contractâ, veluti immani diluuio inundante, omnique carne, viam suam corrumpente, humanum genus purissimo illo Spiritu destitutum est. Atque ita cū Columbinus Dij spiritus vbi pedem figeret, ad gratiam, sanctitatemque suam homini communicandam non inueniret, vox illa quoque Nessemha in sacris literis locum non inuenit, nisi, vti memorauimus in vltimo Psalmo, in quo, à Deo illuminatus vates Regius prędidebat sacratissimam Virginem nostram suâ stirpe oriundam, que & Adami primigeniam, originalemque iustitiam, & om-

Vox Nessemha, quæ significat spiraculum vitæ bis tantum in sacris literis reperit, & quare?

B. V. omnium Angelorum, atque Protoplastorum originariam puritatem in se complexa.

omnium beatorum Spirituum, cuiuscúque tandem etiam Seraphinorum supremæ Hierarchiæ sanctimoniam, cunctarum denique animarum, quæ in quocunque homine, ab exordio mundi delituere puritatem, perfectionemque absolutissimam non modo complexa est, verumetiam eandem multis parasangis superabit, suaque innocentiâ, morumque integritate, vniuersorum Dominũ, suauissimo illo suo Cantico laudabit, magnificabitque. Vnde obsoletum illud antiquatumque vocabulum vsurpare non dubitauit; *Nessemba laudat Dominum*. Quasi dicere voluisset: Scio neminem dignium esse post Adæ peccatum, qui vniuersorum Dominum, Creatoréque pro dignitate, meritis attollat laudibus, verum, quia in Spiritu præuideo venturam, de mea stirpe Virginem, quæ omnium beatorum Spirituum, animarumque virtutes, perfectiones, puritatemque omni labe carentem, velut cópendio in se complexa, suum conditorem laudabit, ideo votis omnibus, vt quàmprimùm adueniat expeto, vt ita verè omnis Spiritus laudet Dominum.

9. Ex quibus facile est colligere Virginem nostram sacratissimam de ore Dei, seu loco voluptatis, deliciosissimoque Paradiso, Spiritum animamque originali iustitiâ, sanctitateque decoratam, omnis labis expertem accipiendo, felicissimam, multisque sæculis incognitam, seu non tam clarè perspectã, veluti Nilum, deduxisse originem. Vnde reuera de Virgineâ hac origine purissimâ id canere possumus, quod olim de Nilo cecinit Claudianus:

Origo Nili incognita.

Fluctibus ignotis nostrum percurrit in orbem
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet, nec contigit vlli
Hoc vidisse caput. fertur sine teste creatus
Flumina profundens alieni conscia cæli.

10. De eodem hoc flumine præclarè etiam Lucanus lib. 10. vbi non modo eius originem, verumetiam per varias orbis partes varios excursus, fluxus, ac refluxus, eorundemque causas, vbertatem, innumeraque commoda, totam denique naturam sub persona Idolorũ sacrificuli Achorei, à Cæsare, vt id faceret rogati, describit elegantissimè: quæ hic adscribere libuit, quo maiorem Nili cognitionem, & in ipsa quodammodo, veluti speculo, Deiparę indolem quodammodo intueamur. Sic igitur Achoreus inter cænandum, ibi Cæsarem alloquitur:

Achoreus Vates Nili originem Cæsari exponit.

Quæ tibi noscendi Nilum, Romane cupido est,
Hęc Pharijs, Persisque fuit, Macedumque Tyrannis,
Nullaque non ætas voluit conferre futuris,
Notitiam; sed vincit adhuc natura latendi.
Summus Alexandet Regum, quem Memphis adorat,
Inuidit Nilo, misitque per vltima terræ
Aethiopum lectos: illos rubicunda perusti
Zona poli tenuit; Nilum videre calentem.
Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus Regum ceruicibus egit.
Ante tamen vestros amnes Rhodanumque Padumque
Quam Nilum de fonte bibit: vesanus in ortus
Cambyses longi populos peruenit ad æui,
Defectusque epulis, & pastus cæde suorum,
Ignoto te, Nile, redit. Non fabula mendax
Ausa loqui de fonte suo est, vbicunque videris,
Quæreris, & nulli contingit gloria genti
Vt Nilo sit læta suo tua flumina prodam
Quæ DEVS vndarum cęlator, Nile, tuarum
Te mihi nosse dedit. medio consurgis ab axe
Ausus in ardentem ripas attollere cancrum.
In Boream is vectus aquis, mediumq; Bootem
Cursus in occasum flexus torquetur, & ortus,
Nunc Arabum populis, Libycis nunc æquus arenis,
Teque vident primi, quęrunt tamen hi quoque feros
Aethiopumque feris alieno gurgite campos,
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
Arcanum Natura caput non prodidit vlli,
Nec licuit populis paruum te Nile videre,
Amonitque sinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quam nosse tuos. Consurgere in ipsis
Ius tibi solstitijs, aliena crescere bruma,
Atque hyemes adferre tuas, solique vagari
Concessum per vtrosq; polos; hic quęritur ortus,
Illic finis aquæ. latè tibi gurgite rupto
Ambitur nigris Meroe fœcunda colonis
Læta comis habeni, quę quamuis arbore multa
Frondeat, æstatem nulla sibi mitigat vmbra.
Linea tam rectum mundi ferit illa leonem.
In plagas Phœbi, damnum non passus aquarum
Proueheris, sterilesquè diu metiris arenas,
Nunc omnes vnum vires collectus in amnem,
Nunc vagus, & spargens facilem tibi cedere ripam.
Rursus multifidas reuocat piger alueus vndas.
Qua dirimunt Arabum populis Aegyptia rura
Regni claustra Phile, mox te deserta secantem,
Qua dirimunt nostrum rubro cõmercia pontum.
Mollis lapsus agit, quis te tam lene fluentem
Moturum totas violenti gurgitis iras
Nile putet? Sed cùm lapsus abrupta viarum

Excepere tuos, & præcipites cataractę;
Ac nusquam vetitis vllas obsistere cautes
Indignaris aquis, spuma tunc astra lacessis:
Cuncta fremunt vndis, ac multo murmure montis
Spumeus inuictis canescit fluctibus amnis.
Prima tibi campos permittit apertaq; Mēphis
Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.

Hæc ille.

11. Quibus sanè egregie naturam huiuscé fluminis nobis ob oculos posuisse visus est; ac præsertim incognitam tam multis sæculis ipsius Originem; quod sane mirificè immaculatæ Virginis nostræ congruit Conceptioni, quæ præcedentibus sæculis quasi incognita, aut saltem sat obscura visa est, donec tam Viri clarissimi huius nostri sæculi ac doctissimi, ac præsertim Pater noster Quirinus Salazar, Paradisiacā Deiparæ originē omni prorsus labe carentem, & primigeniâ tam Angelorum, quam Protoplastorum, imo longè excellentiori decoratam iustitiâ, ac sanctitate, nulli etiam culpam illam contrahendi adstrictam obligationi, acutisssissima mētis suæ indagine ante reliquos omnes felicissimè depræhendit. Adeo vt de præcedentibus sæculis immaculatę huic Virgini circa immaculatam illā ipsius Originem siue Conceptionem cum Lucano concinere possimus:

Arcanum Naturæ caput non prodidit vlli,
Nec licuit populis paruam te Virgo videre,
Amouitque sinus, & gentes malu tortus
Mirari, quam nosse tuos.

Hac de re S. Brigittæ Reuelationes consulendæ, vbi ostenditur causa, cur tardè veritas Virgineæ Conceptionis orbi innotuerit. Iam ad alias nonnullas Nili proprietates Virgini congruentes; nam singulas persequi longum foret, veniamus.

12. Ac in primis illud quod etiam sacræ memorāt literæ: *Ipse est qui circumit omnem terram Aethiopiæ*. Gen. 2. Quo loco id vsurpare possumus longè potiori iure, quod B. Petrus Cardin. Dami. ser. 14. de S. Marco, cum Nilo conferens, pronunciauit: *Inter hos velut Gehon perspicuus, ac purus eructat, & humanas mentes salutiferi madoris inundatione fecundat. Qui iuxta scripturę seriem circumit omnem terram Aethiopiæ, idest, vniuersitatem complectitur Ecclesię peccatis precedentibus denigratæ. De cuius Aethiopię populo, per Prophetam Dominus dixit: Vltra flumina Aethiopię inde supplices mei. Soph. 3. Quæ etiam persecutionibus pressa dicit in Canticis: Nigra sum, sed formosa: Et: Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me sol*. Verè enim, licet Virgo Deipara mortales omnes incredibili suâ benignitate circumeat, ambiendo quodammodo, vt suarum gratiarum riuis animas irriget, easque fœcundet, ambire tamen videtur vel maximè peccatores in sceleribus, ac malā consuetudine obfirmatos, quos Ierem. cap. 13. 23. vocat Aethiopes: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum*. Licet enim prauā peccandi consuetudine scelerum quandam nigredinem animo suo, velut Aethiopes planè naturæ viribus indelebilem induxerint, Virgo tamen pientissima sciens se exundantem illam gratiæ plenitudinem, ipsamque Diuinæ maternitatis dignitatem, ob peccatores potissimùm fuisse consecutam, gratitudinis memor, eos velut Nilus copiosissimis misericordiæ suę aquis vndique circumdat, vt atrocem illum scelerum, quem nulla naturæ vis, nulla artis industria potest abstergere, diuinę gratiæ exergiâ, efficacissimâq; apud dilectissimum suū Filium intercessione eliminet; & lauacro preciosissimi sanguinis eiusdem Filij abluat; quo solo nigredo inueteratorum scelerum, quæ quodammodo assuetudine, in naturam transierunt, eluuntur. Verissimè enim cecinit Pindarus olymp. 11. *Indolem nec rufa vulpes, nec rugientes leones morem commutant*. Verissimè quoque Diogenes cum hominem improbum argueret, quæsitus à quodam quid ageret? Respondit: Aethiopem abluo, vt candidum reddam, innuere volens id esse impossibile. At verò præpotenti cælorum Reginæ Aethiopes lauare, eisque nitorem gratiæ restituere sua, vt dictum est, intercessione non est impossibile. Siquidem, vt ipsa in Domino gloriatur: *Fecit illi magna qui potens est, & Sanctum Nomen eius*; quod est omnipotens, adeo vt nihil eius omnipotentiæ obuiare possit, quod ipsa, facilitate admirabili non superet. Audiendus hic B. Petrus Card. Dam. ferm. 1. de Natiu. qui Deiparam alloquens, eiusque infinitam quandam in huiusmodi Aethiopibus dealbandis, conuertendisque ad bonam frugem peccatoribus omnipotentiam agnoscens: *Fecit*, inquit, *in te magna, qui potens est, & data tibi est omnis potestas in cælo, & in terra. Quid tibi*

S. Marcus Nilo similis.

B. V. instar Nili ambit Aethiopes, idest, peccatores.

Peccatores sunt denigrati peccatis veluti Aethiopes.

Licet Aethiopem lauare sit impossibile, possibile est tamen B. V. peccatores conuertere.

B. V. nihil est impossibile.

tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus reuocare? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denotantem, de luto fæcis, & miseriæ subleuasti. Nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos ad spem beatitudinis releuare. Quomodo enim illa potestas tua potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Hæc Dam.

13. Cùm igitur Dei Filius de carne eius carnem ad redimendos peccatores assumpserit, & ipsa consequenter eorũdē beneficio Mater Dei sit effecta, nil sanè mirũ, quod ad instar Nili eosdem, velut Aethiopes, gratiæ suæ fluentis ablutura, ac dealbatura circũfluat, eisdemque propensissimâ suâ ambire, atque circumplecti videatur beneuolentiâ. Quod Sanctus recogitans Anselmus libro de Excellent. Beat. Virg. capit. primo. sic loquitur.

B.V. magis propter peccatores, quã iustos Dei Mater facta, vnde nobis salutis affulgescit.

Cùm recogito Sanctum Filium eius, ob hoc vt peccatis hominum mederetur factum esse Filium eius, nonnihil spei concipio, sciens illam magis propter peccatores, quam propter iustos esse factam Dei Matrem. Dicit enim ipse bonus Filius eius, se non venisse vocare iustos, sed peccatores. Apostolus quoque testatur quod Christus in hunc venerit mundum peccatores saluos facere. Si igitur ipsa propter peccatores, scilicet propter me, meique similes, facta est Dei Mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere poterit desperare veniam eorum, cùm tam ineffabile bonum sit factum ex ea ob curationem eorum?

Mariæ effusissima pietas, Nili copiosis aquis persimilis.

14. Quare iure merito efficacissimam Virginis nostræ pietatem, ac misericordiam exundantis Nili aquas, quibus teterrimos atque abominabiles eluit, dealbat, Deoque reconciliat peccatores, vocitare possumus ac debemus. Quæ sanè misericordia, mirifica in ea accepit incrementa, postquam increata illa Misericordia nouem mensibus eius in purissimo vtero requiescere non est dedignata; adeoque ipsius pietatis viscera sunt dilata, vt memor tanti boni, quod propter peccatores indepta est, eosdem à suis visceribus excludere nullo modo posse videatur. Quod idem Sanctus recognoscens Anselmus capite vltimo filiali prorsus affectu effusè dilaudat, vt alibi fusius memorauimus.

15. Quare Richar. à S. Laur. lib. 10. de laud. B. V. nos à Ieremia Propheta doceri ait, vt per Matrem Filium oremus, & obsecremus, Verba illius sunt: *Docet nos Ieremias qualiter adiurare orando per Matrem Filium debeamus: Solij gloriæ tuæ recordare, nec irritum facias fœdus tuum nobiscum Ierem. 14. Quasi diceret: Quoties Domine bonitatem tuam exasperat nostra malitia: Memento Salutis auctor, quod nostri quondam corporis ex illibata Virgine nascendo formam sumpseris. De hoc solio Isaias: Et præparabitur in misericordia solium eius.*

Modus orãdi Filium per merita Matris.

16. Quam porrò efficax patrocinium pro peccatoribus sit Virginis apud Filium, intellexit optimè Diuus Bonau. dum cecinit Ps. 35. *Inclina vultum Dei super nos, coge illum peccatoribus misereri: Domina in cælo misericordia tua, & gratia tua diffusa est super terram; Potentia, & virtus in brachio tuo, robur, & fortitudo in dextera tua.* Verè ipsius Virginis gratia à Filio impetrata ad instar Nili super terrenos homines diffunditur, eisque ardentissimum cupiditatum æstum temperat, ac refrigerat, virtutum, bonorumque operum fœcunditatem tribuit, bonisque omnibus eos locupletat, & quo copiosioribus aquis, riuisque gratiarum exundat, eo maiorem pollicetur fertilitatem, ita vt verè omnes clientelæ patrocinioq; huius Virginis addicti felices, ac beati prædicãdi sint, quod eâ solâ propitiâ, rerũ omnium vbertate circumfluant, perinde, atque Nili accolæ, de quibus Claudianus:

B.V. cogit quodammodo Deum vt peccatoribus misereatur.

Felix qui Pharias proscindit vomere terras:
Nubila non sperat tenebris condentia cælum,
Et grauiter flantes pluuiali frigore Coros.
Inuocat, aut arcum variatâ luce rubentem.
Aegyptus sine nube ferax, imbresque serenos
Sola tenet, secura poli. non indiga venti
Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloque redundat;
Qui rapido tractu, medijs elatus ab austris,
Flammiferæ patiens Zonæ, Cancrique calentis
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem.

Terræ Aegypti fælicitas ex Nilo.

17. Quæ sanè Virginearum gratiarum exuberantia, qua mundum velut Nilus irrigat, vniuersum, mira nobis videri non debet, cum B. Petrus Card. Dam. serm. 5. de S. Seuero Episcopo asserat, eius sepulchrum ad instar Nili aquas profundere saluberrimas. Eius verba sunt; *Illud vnum quantis est præconijs dignum, quod sub ipso altari Sacratissimi sui corporis clarissima sensim emanat aqua, diuersis languentium valetudinibus profutura? Nam si fides bibentium exigat, mox vt eam pectora ægrota percipiunt, protinus de infirmitate ad salutem pristinam conualescunt. Et vt mirabilem rem fieri mirabiliter audias, non in autumnalis*

S. Seueri sepulchrum ad instar Nili aquas salubres fundit.

nalis inundantiæ pluuijs, non in imbriferæ algoribus hyemis, quando ex diuersis saxorum molibus solet aqua tenuiter exsudare, sed in ipso feruidæ æstatis ardore eam noueris ex arida calce, & duris lapidibus ebullire. Vt quando videlicet maior incumbit necessitas ægritudinum, tunc potissimum conferat miseratio Diuina remedium, & humanæ infirmitati, quę tunc ex ignei caloris gignitur vitio, medicorum more, vim curationis ex contrario obijciat elemento. Cùm illo conferri miraculum merito potest, quod similiter Nilus Aegypti fluuius, non alio nisi æstiuo tempore sese in cumulum eleuat, planè quæque hinc inde per circuitum irrigat, & terrarum venas, largo suæ inundationis madore fœcundat. Ne igitur humana vecordia diuinæ virtutis opera naturę viribus tribuat, saltem ex ipso, quo fiunt tempore, cui iure deputentur addiscat, & tanto alacrius ad referendas Creatori suo gratias surgat, quanto, & ipsas naturarum vices mutatas suæ vtilitatis gratiâ non ignorat. Ecce enim DEVS antiqua operationis suæ miracula repetit, ecce iterum per alterum Moysen aquam de petra producit. Ecce de beatissimi Confessoris sui Ecclesia alterum nobis quodammodo Paradisum restituit, cuius saluberrimo fonte nostræ fragilitatis terram clementer infundit. Hæc Damianus, quibus, & Templum, & sepulchrum Sanctissimi illius Præsulis Paradiso, & ipsius inde scaturientem aquam Nilo, Aegyptum irriganti, ac fœcundâti comparauit. Quod sanè nos longè potiori iure Deiparæ Virgini attribuimus.

18. Et verò, qui felicissimum Aegypti statum considerat, post quam terrā illam cum filiolo, Herodis persecutionem fugiens, ingressa est Deipara, Nilum quendam eam regionem fœcundātem nobis cernere videbimur. Ad eius enim, Filijque aduentum, præsentiamque protinus Dęmonum simulacra corruerunt, Religio, pietasque Christiana effloruit, adeo vt solitudines Aegypti innumeris Monachorum, atque Anacoretarum examinibus repletæ fuerint, & ad instar hortorum, fertiliumque terrarum vberrimos pietatis, sanctimoniæque fructus protulerint.

Aegyptus postquam B. V. cum Infantulo IESV ad eam profecta est, in Hortum trāsformata.

19. Quapropter præclarè S. Chrysost. Hom. 8. in Matt. ait Aegyptum, adueniente in illam Christo, cum Matre sacratissima in Paradisum ac cęlum, mirabili metamorphosi fuisse transmutatam: *Christus,* inquit, *vbi primum apparuit, in melius cuncta mutauit. Aegyptus illum suscipit ac tuetur insidias fugientem Tyranni, Namque tactu ipso Domini gustum quendam sanctificationis adipiscitur, vt cum illum audierit ab Apostolis prædicari, huius quasi priuilegij honore decoretur, quod Dominum prima suscepit. Et ante solius Palæstinæ hic videbatur primatus, sed postea facta est ista feruētior. Denique si quis nunc ad Aegypti veniat solitudines. Paradiso prorsus omnem istam videbit Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cætus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, ac choros Virginum, & omnem quidem tyrannidem Diaboli dissolutam, Christi Regnum coruscans. Et hæc omnia bona non in vrbibus solùm, sed etiam in desertis florent locis. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cælestium conuersationem in viris micantem, atque hoc non in viris solùm, verumetiam in fœminis splēdore conspicimus. Non ita varijs astrorum choris cælum refulget, vt Aegyptus innumeris Monachorum, Virginumque distinguitur, & illustratur habitaculis. Si quis veterem illam Aegyptum nouit rebellem Deo, adorantem irrationales animantes, porros etiam, cepasque pauitantem, hic optimam Christi potest nosse virtutem, per quem facta est tam admiranda mutatio.* Sic ille.

Aegypti felicitas ex innumeris Monachorū Virginumq; Deo seruientium gregibus.

20. Sanctus quoque August. libr. 8. Confes. cap. 6. huius spiritualis fertilitatis, amœnitatisque terræ Aegypti meminit, dum Potitianus illi mentionem fecisset de Antonio Agyptio Monacho, cuius nomen excellenter clarebat. *Stupebamus,* inquit Augustinus, *audientes tā recenti memoria, & prope nostris temporibus testatissima mirabilia in fide recta, & Catholica Ecclesia. Inde sermo eius deuolutus est ad monasteriorum greges, & mores suaueolentiæ Dei, & vbera deserta Eremi.*

21. Sed quod magis mirandum est ipse Mercurius Trismegistus Aegyptius, infidelitatis demersus tenebris, immēsam hanc Aegypti futuram lucem cęcutiens à longè sibi videre visus est. Sic .n. ille apud S. August. lib. 8. de Ciuit. cap. 23. cum amico suo Asclepio loquens: *An ignoras,* inquit, *ò Asclepi, quod Aegyptus imago sit cæli, aut quod est verius, translatio, aut descensio omnium, quæ gubernantur, atque exercentur in cælo, ac si dicendum est verius, Terra nostra mundi totius est Templum? Et tamen quoniam prescire cuncta prudentem decet, istud vos ignorare fas non est. Futurum tempus est, cum appareat Aegyptios in cassum, pia mente diuinitati sedulam religionem seruasse, & omnis illorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur.* Cui vaticinio addit

Mercurii Trismegisti de Aegypto Vaticinium.

Aegyptus Imago cæli, & totius Mundi Tēplum.

dit hæc S. Doctor: *Deinde multis verbis Hermes hunc locum exequitur, in quo videtur hoc tempus prędicere, quo Christiana religio quanto est veratior, atque sanctior, tanto vehementius atque liberius cuncta fallacia figmenta subuertit, vt gratia verissimi Saluatoris liberet hominem ab ijs Dijs, quos fecit homo, & ei Deo subdat, à quo factus est homo.* Hæc ille. Quod sane Mercurij vaticinium, siue diuinitus haustum, vti illud fuit Balaami, siue apud Isaiam repertum, verificatum est, aduentu Christi, ac Virginis gloriosissimæ. Vere enim dum ibi Christus cum Matre sua sanctissima commoratus est, Aegyptus cæli quandam faciem vitæque Angelicæ, Deique Templi repræsentabat imaginem, cælumque constituerunt, adeo vt omnia cæli exercitia, qualia sunt præcipua, Diuinæ laudes, in Aegyptum descendisse visæ fuerint. Vbi enim DEVS est, vbi Deipara, cælum est, Angelorumque Diuinas laudes concinentem chori. Maximè cum ipsa Virgo per se pulcherrimum esse cælum iudicatur, siquidem illam Ioannes Apostolus Mulierem amictam sole, luna calceatam, stellis denique coronatam contéplatus est. Apoc. 12.

22. An non cælum, an non Dei Templum videbatur Aegyptus temporibus S. Euangelistæ Marci, præsertim verò Alexandria, in qua viri illi Religiosissimi Essei virtutum gloriâ florentes commorabantur, qui postea per vniuersam propemodum Aegypti regionem disseminati, eam Paradisum quendam effecerunt. Quod multo ante vaticinatus est Isaias cap. 19. 18. *In illa die erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes linguâ Chanaan, & iurantes per Dominũ exercituum. Ciuitas solis vocabitur vna.* Quasi dicat: Multæ ciuitates in Aegypto nunc valdè abhorrent à Iudæis, eorumque linguâ, & religione, licet eis contermini sint, sed futurum est, vt ipsi studiosi sint non solùm linguæ Hebraicæ, seu Chananeæ, vel Syriacæ illi affini, verumetiam Religionis. Quę omnia impleta sunt tempore S. Marci; estque illorum verborum sensus hic genuinus, vt testatur S. Cyrillus: *Aegyptus accipiet fidem, & cultum Christi, loqueturque piè ac Christianè, vt loquuntur Apostoli, alijque Iudæi ad Christum conuersi. Inter has ciuitates erit pręcipua Heliopolis, in qua erat Sol, variaque Idolorum monstra colebantur. Hæc sicut primas extitit in superstitione, ita primaria postea fuit in colenda Christi religione. Ad quam contestandam plurima ibi Monachorum fundata fuere monasteria, quorum meminit.* Palladius, & Ruffinus.

Felix status Ecclesiæ Alexandrinæ in Aegypto tempore S. Mar.

23. Vnde S. Augustinus, Ambros. Procopius per illas quinque ciuitates, multas Religiosorum intellexere familias, quæ sua multitudine, ciuitates integras constituere videbantur. Sanè in vna harum ciuitatum, quæ quasi Metropoles fuerunt Aegypti, Oxirincho videlicet, viginti millia Monachorum numerata fuisse perhibentur. Vnus Abbas Or habuit sub se tria millia. Abbas Serapion decem millia. B. Apollonius plusquam quinque millibus Monachis, vno in Monasterio præfuisse memoratur. B. Pachonnius septem millia discipulorum, in domibus, modico interuallo disiunctis instruxit, & in ea, qua degebat domo vltra mille cohabitabãt, quos vt cõmodius gubernaret, in quatuor, & viginti classes secundum Græcarum literarum numerum distribuit. B. Ammon prope Thebas Pater erat trium millium Monachorum, vt testatur Palladius. In monte Hitriæ, qui ab vrbe Alexandrina vnius ferè diei distabat itinere, quingenta visebantur Monasteria penè contigua, quæ omnia ab vno Præside regebantur.

In Aegypto quam multæ Religiosorũ extiterint familię.

In monte Nitriæ quingenta Monasteria ab vno Præside recta.

24. Verè de hiscé desertis, ac solitudinibus cani potest, quod olim cecinit Isaias c. 35. *Lętabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit latabunda, & laudans.* Mox causam aduentum Messiæ, eiusque Matris, qui Iudaici populi decus, & gloria extitere, subiungit: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.* Vultis effectum præsentiæ Saluatoris, eiusque Matris: *In cubilibus in quibus prius habitabant Dracones, Onocentauri, paliurus, Erycius, vlulæ, & Lamię, ortus est viror calami, & iunci, & cet.*

25. In alijs quoque vrbibus Thebaidis plurima Monachorum millia reperiebantur, vt scribit Palladius, ita vt vrbes non tam laicorum essent, quam Religiosorũ habitacula, in quibus orationi, Diuinisque laudibus nec nõ operi manuum intenti, magnâ pietate Diuinæ famulabantur Maiestati; & quinque corporis, alijsque animi sensibus, atque facultatibus toti ferebantur in DEVM, linguâque Chanaanitide seu Iudaica Psalmos modulabantur. In illis denique adimpletum est eiusdẽ Prophe-

In Thebaide Vrbes non tã laicorum, quam Religiosorum erant.

phetæ vaticinium cap. 19. *In illa die erit Altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta terminum eius: Et cognoscetur Dominus ab Aegyptijs, & cognoscent Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Ac si clarius dicere voluisset: Aegyptij, vbi Saluator cum sua Matre Sanctissima eos visitaturus aduenerit; per suas prouincias ac cōfinia erigent Cruces, Tēpla, Altaria, colūnas, ac Statuas cū titulis, ac inscriptionibus in honorem Christi, eiusque Virginis Matris, omnique proculcato Idolorum cultu, eundem laudum hostijs, ac muneribus, ac præsertim, Hostiâ illâ mundâ, sacrificio nempe Missæ, suppliciter colent. Votis denique paupertatis, castitatis, atque obedientiæ, summâ cum religione supremæ illi Maiestati oblatis, ac redditis, eidem sese in sacrificium, holocaustumque gratissimum consecrabunt. En terræ Aegypti admirabilem prorsus fertilitatem, atque vbertatem nunquam ab ipsius creationis exordio auditam.

Quam insignis Dei cultus in Aegypto floruerit post B. V. in illam aduentum.

26. Et quis quæso tantam spiritualium fructuum vbertatem in terram hāc inuexit alius, nisi Deipara Virgo vna cum suo benedicto purissimi vteri fructu? Illa verè terræ Aegypti sterili, ac tenebricosæ Nilus fœcundissimus, illa lux splendidissima extitit. Quod enim est Sol in cælo, vti ante diximus, hoc fluuius ac præsertim Nilus in Aegypto esse videtur. Vnde merito Virginis natiuitas, (: quæ Septembri mense, quo ad instar maris Aegyptum Nilus inundat, vt ait Anastasius Sinaita, mox referendus, contigit:) paruo illi fonti, quem in somnis vidit Mardocheus Est. 10. comparatur, qui mox creuit in fluuium, & in lucem, solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit. Tunc enim ostendit verè Deipara, se verum Gehonem esse, suarumque aquarum, siue gratiarum abundantiâ, in die vindemiæ, quæ vt plurimum Septembri fieri consueuit, Aegypto assistere, instarque exundantis fluminis terram illam irrigare, instar lucis, solisque eius tenebras, à superstitioso Idolorum cultu offusas irradiare. Sed verba ipsius Anastasij Sinaitæ libr. 3. in Hexam. audiamus, ex quibus magna beneficia Nili, siue cum se in alueum suum recondit, intelligemus, quæ omnia Deiparæ quisque pro sua pietate potest adaptare, *Illud est,* inquit, *admirabile in ascensum aquarum in Aegypto, quibus est operta, obscuratione, & infertilitate, & suffocatione ipsius terræ quod non in mense, aut diebus ortus in carne in Bethleem, & apparitionis Christi, sed post dies natales, & apparitionis, ac illuminationis operitur, & obtenebratur aquis, & caligine terræ Aegypti. Quando autem Christus DEVS, lux mundi natus est, & ex præsepi Bethleem in Aegyptum cum sua Matre fugiente ab Herode versatus est, statim terra Aegypti detegitur, deponit tenebras, exuit caliginem erroris, solis iustitiæ lumen induit. Recedit autem, & recurrit Nilus in Aegypto in diebus mensium Decembris, & Ianuarij: incipit fluere mense Iunio, & per eum totum, & post ipsum erescit, nempe Iulio; in Augusto autem, & toto Septembri instar maris inundans Aegyptum facit nauigabilem, quæ erat arabilis. Incipit autem decrescere in in Octobri, & Nouembri, in mense autem Decembris, & toto Ianuario redditur priori alueo. Quando ergo ante Christi ortum eam viderimus tristem, & caliginosam, & infertilem, & in profundo submersam: Deinde post Christi ortum, & eius præsentiam in omni loco Aegypti statim fieri recessum, & terram ornari, gestire regiones, densari paludes, agros germinare, & vicos tanquam ex profundo aquarum detectos, & in altum elatos, & aquas congregatas in suis congregationibus, earumque fossas, & fluuios, plane intelligamus, quando hæc fieri viderimus in Aegypto, quod Verbum Dei incarnatum ipsum erat, quod in principio est architectatum creaturam cæli, & terræ, ipsum in Aegypto versatum esse in carne, & cum eam vidisset tenebrosam, & à maligno suffocatam, clamauit ex potestate tanquam DEVS, sicut aquis mundanis, sic Aegyptijs aquis dicens quotannis vsque ad consummationem post Nili ascensum: Congregetur aqua, quæ est super faciem vniuersæ terræ Aegypti in congregationes suas, rursumque appareat terra, vt qui iam Spiritus erroris increparit, & eos ex Aegypto expulerit, nunc autem in tempore eius aquas fecerit restagnare, vt & ei, & nobis reuocet in memoriam, quod ipse est mundi Conditor, qui eam à tenebris, & errore liberauit.* Hæc Anast.

Natiuitas B. V. facta mēte quo maxime Nilus inundat.

Mense Sebri instar Maris Aegyptum Nilus inundat.

Circa Natiuitatē Christi Aegyptus quam sit Amæna.

27. Ex quibus sanè clare colligimus in primis nascente Christo, & deinde ingrediente Aegyptum cum suo dilectissimo Filio Deiparâ, totam illam regionem, velut ineunte vere, germinasse, frondisse, floruisse, atque hortorum camporumque in morem grato virore aerisque temperie insusitatâ qua-

virore aeriſque tẽperie, inuſitatâ quadam lætitiâ geſtijſſe. Vnde Galatinus libro 8. de Arcan. Cathol. Relig. cap. 4. probat ex veterum Rabbinorum monimentis Chriſtum, & idem dicendum de eius Matre Sanctiſſima Aegypto, ad inſtar vitis vineæque amœniſſimæ atque vbertime extitiſſe. Idque probat Rabbi Moyſes Hadarſan ex Gen. 4. *Videbam coram me vitem. De hac vite. Pſal. 80. Vineam de Aegypto transferes. Quæ vitis eſt Rex Meſſias notatque ex proprietate verbi Hebraici ſignificari vitem non quamcunque, ſed benè diſpoſitam, ordinatam, ac præparatam.*

Chriſtus ei quam vitis ornauit Aegyptum.

Vel etiam Abacum quam præparauit dextera Dei. Quod clarius Rabbenus Heccados expoſuit ſcribens ad Antonium Romanorum Conſulem, à quo rogatus quidnam ſibi vellent verba illa: Vitem de Aegypto transferes, vel remouebis. Reſpondit, hic eſt Meſſias, qui ab Herode quæſitus ad necem, profugit in Aegyptum, ibi aliquandiu moratus in Ieruſalem iuſſu Dei reuertetur, ideo dicitur: Vitem de Aegypto transferes. Propter Matrem verò ſuam ait: Et Abacum quam plantauit dextera tua. Quemadmodum enim Abacus eſt armarium, quod principes conficiunt ad collocanda vaſcula auri, & argenti, vt gloriam ſuam, opeſque omnibus oſtendant: ita Mater Regis Meſſiæ erit Armarium, quod DEVS conſtruxit, vt in eo ſedeat ipſe Meſſias ad oſtẽdendam gloriam Maieſtatis ſuæ cunctis mortalibus. Per id autem, quod ait plantatam eſſe à dextera Dei, oſtendit, eam primam eſſe creaturam Dei in genere humano. Tandem cõcludit Galatinus: *Ex præmiſſis igitur liquido patet, Meſſiam non ſolùm ex Aegypto reuocandum fuiſſe, verumetiam vitem à Deo plãtatam futurum, quod cum dicto eiuſdem Dei Ioann. 5. congruit: Ego ſum vitis vera:* Hæc Galatinus.

B. V. Armarium pulcherrimum vaſorum pretioſorum.

28. Si ergo Saluator de Aegypto vt vitis à Patre translatus eſt, conſequitur illum vitem Vineamque amœniſſimam terræ Aegypti cum Matre extitiſſe, eidemque miram amœnitatem, fructuum que vbertatem attuliſſe, Cum ipſa quoque de ſe dicat: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis.* Eccli. 24. Vineam fortaſſis hanc Hortus ille balſami inter Heliopolim, & Cairum, à paruo fonte, ſed vbere irrigatus figurabat, apud quem fama eſt, teſte Brochardo in deſcriptione terræ Sanctæ par. 2. cap. 4. Deiparã habitaſſe, in eoque riuo Puerum IESVM frequenter lauiſſe, panniculoſque eius mundaſſe. Oſtendens reuera Deipara tam IESVM Filium, quam ſe non modo vineam, ſed Hortum fuiſſe balſami vniuerſis Aegyptijs, imò & fontem, ad ſedandam ipſorum concupiſcentiæ ſitim, ad eorum mentes exhilarandas, ad perſananda denique tabifica peccatorum vulnera. Iure denique verus Iuſtitiæ Sol iuxta Ciuitatem Solis domicilium ſuum fixiſſe memoratur, vt indicaret ſe ſpiritualem Aegypto extitiſſe ſolem, qui eius ignorantiæ ſcelerumque tenebras, ſuarum virtutum, diuinitatis ſplendore diſcuſſit, eamque fœcundauit. In cuius rei memoriam ſcribit Ianſennius libr. 11. Concord. Euang. in Hoſpitiolo illo, perpetuo ardentem lumine lampadem conſeruari.

Hortus balſami in Aegypto à paruo fonte irrigatus quid denotet.

B. V. cũ Puero IESV hortus Balſami fuit Aegyptijs.

In hoſpitiolo in quo Chriſtus in Aegypto cũ Matre commoratus lãpas perpetuo ardet.

29. O quàm præclarè de amœnitate hac Deiparæ S. Amadeus Homel. 7. de laudib. Virg. ſenſit, dum eam lætiſſimum ac formoſiſſimum quoddam eſſe Ver, ac delicioſiſſimum Paradiſum, omnium florum, fructuumque copia refertiſſimum pronunciauit: *Mariæ præſentia,* inquit ille, *gratam veris temperiem exhibebat, & quo fauens ſe verteret, Paradiſus erat. Emiſſiones tuæ, ait Sponſus, Paradiſus malorum Punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fiſtula, & cinnamomum, cum vniuerſis lignis Libani, myrrha, & aloes, cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Habet quippe Glorioſæ Virginis Paradiſus mala Punica in varietate virtutum, fructus pomorum in perfectione operum. Habet, & Cyprum cum nardo illam fertilem vuarum, hanc miri odoris herbam aromaticam, obſobriam ebrietatem ſenſuum, & ſuaueſragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus lætitiæ, fiſtula expoliationis carnis, cinnamomum ſuauitatis, cum vniuerſis lignis Libani, per quæ virtutum vniuerſitas figuratur. Myrrha quoque mortificationis, & aloes incorruptionis, cum omnibus primis vnguentis effuſis in oratione, ab illo vnguento, quod conſiſtens in capite deſcendit in barbam barbam Aaron, non illius veteris, & ſignificantis, ſed noui, & ſignificati. Deſcenditque in oram veſtimenti eius, quod eſt Eccleſia, ipſi vero Aaroni exhibita ſine macula, & ruga. His ergo tot tantiſque bonis exuberans ſponſa ſponſi Mater vnici, ſuauis, & chariſſima in delicijs, vt fons hortorum rationabilium, & puteus aquarum viuentium, & viuificantium, quæ fluunt impetu de Libano à monte Sion, vſque ad circumfuſas quaſque, & ex-*

B. V. præſentia erat gratiſſimum quoddam Ver.

teras nationes pacis flumina, & gratiarum emanationes, cælicâ infusione deriuabat. Sic ille. Quibus profectò ostendere non solùm voluit Diuam Virginem Paradisum quendam amænissimum, florum, fructuumque vbertate coronatum secum deferre, verumetiam Nili naturam varias regiones, gratiarum suarum riuis irrigantem ac fœcundantem æmulari, eamque reuera, vti diximus, paruũ quendam fontem primo suo in hunc mundum exortu fuisse, mox creuisse in fluuium, & in lucem, solemque conuersam, orbem vniuersum, velut Nilus Aegyptum, fluentis gratiarum suarum copiosissimis, infudisse, charitatisque suæ calore, ac luce ad instar solis irradiatum, tepefactumque, fugatis densissimis superstitionis, atque Idololatriæ tenebris, fœcundasse.

30. Quod nobis insinuare visus est Claudianus, dum cecinit non modo Aegyptum, atque Aethiopiam, verum etiam alias quoque innumeras orbis regiones à Nilo fœcundari, eamque ad Garamantas vsque, Indosque penetrare,

Nilus varias regiones vsque ad Garamantus Indosque irrigat.

Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet, non contigit vlli
Hoc vidisse caput, fertur sine teste creatus,
Flumina profundens alieni conscia cæli.
Inde vago lapsu Sibyam dispersus in omnem
Aethiopum mille ruit ingrantia regna,
Et loca continua Solis damnata vapore
Irrorat, populisque Salus sitientibus erat;
Per Meroen Blesasque feros, atramque Sienẽ,
Hinc bibit effrænus Garamas, domitorque ferarum
Cyrreus, qui vasta colit, sub rupibus antra.
Qui ramos hebeni, dentes qui vellit eburnos,
Et gens compositis crinem velata sagittis.

B.V. Nilum varias regiones irrigantem sua benignitate repræsentat.

31. Quâ effusissimâ Nili iam varias orbis partes communicatione, pulchrè Virginis nostræ benignissimos genius, ac propensissima in omnes charitas repræsentatur. O quàm diuinè de ipsa pronunciauit Bern. serm. de verb. Apoc. *Omnibus omnia facta est sapientibus, & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolatiorem, peccator veniam, iustus gratiam, &c.* Additque mox vt ostendat vnde tanta Virginis in omnes charitas traxerit originem, vtque pariter hinc nos eam, & fluuium simul, solemque agnoscamus: *Nimirum ea est quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates, amplissimo quodam misereatur affectu.* Hæc Bernardinus, qui dum generaliter à Virginea misericordia omnes foueri deprædicat, consecutiuè excludit neminem. Vnde de illa Sapiens edixit Idiota: *Longè positos, radijs suis illustrat, propinquos calefacit, nec est, qui se abscondat a calore eius.*

B.V. per Incarnationem solis quandam naturã induit.

32. Et licet omnes orbis regiones lucem, caloremque Virginis, velut solis, gratiarumque vberrima fluenta, velut Nili sint expertæ, experta tamen est vel maximè, vti apparet ex gratijs ipsi communicatis, Dæmonumque ex Simulachris expulsione ipsa Aegyptus vti supra diximus. Quod multo antè Euangelicus Propheta Isaias cap. 19. vaticinatus est, cùm dixit: *Onus Aegypti. Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabescet in medio eius.* Quid enim aliud est nubes illa leuis, super quam ascensurus erat Dominus, quam Virgo Deipara, quæ vt inquit S. Hieron. *nullius concupiscentiæ, aut coniugij onere prægrauata, super omnes res terrenas quasi nubes,* ait Procopius, *eminebat, mundumque, suo peccatorum fænore, & onere alleuiabat.* Idem Hieron. in illud Psal. 77. Deduxit eos in nube diei: *Certè nubem leuem, inquit, debemus Sanctam Mariam accipere; pulchrè dixit, in nube diei, nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Audiendus hic S. Ambrosius in Exhortat. ad Virgines: Qui de Christo loquens sic ait: *Hic est qui venit in nube leui, sicut dixit Propheta. Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Aegyptum, significans, quod in afflictionem istam mundi huius veniret, per Virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia earum gerebat leuem, quia Virgo erat nullis oneribus grauata coniugij. Ipsa est Virga germinans florem, quia pura, & ad Dominum libero corde directa Virginitas, quæ nullis in hoc sæculo curarum anfractibus reflectatur.* Et paucis interpositis, erudiens Virgines, vt in Virginitate perseuerent: *Estote nubes, sed leues, eritis profectò si ableuet Virginitas onera conditionis, & tenebras huius limosæ carnis illuminet. Ideo dicit illa Cant. 1. Nigra sum, sed decora filiæ Hierusalem. Nigra per carnem, decora per Virginitatem. Et serm. 5. in Psal. 118. Illa,* in-

B.V. nubes leuis, in quã velut vehiculum ascẽdit Dominus.

B.V nubes leuis quia nullis oneribus erat grauata coniugij.

Virginibus B.V. tã quam nubes leuis imitanda.

inquit, *columna nubis specie quidem præcedebat filios Israel, myster.o autem significabat Dominum IESVM in nube venturum leui, vt dixit Isaias, hoc est in Virgine Maria, quæ nubes erat secundum hæreditatem Euæ, leuis erat secundum Virginitatis integritatem: leuis erat, quæ non homini quærebat placere, sed Domino: leuis erat, quæ non in iniquitate conceperat, sed cum gratiâ parturiebat*. Hæc Ambros. Audiamus D.Epiph. lib. de laud. B.Virginis. *O' B.Virgo nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum; nubes cælestis, quæ tonitruum Spiritus S. in seipsa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus S. in vniuersam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demisit*. Audiamus & B.Georgium Nicomed. Archiep. orat.de Præsent. B.V. qui Templum, vt virgunculã hanc Deo gratissimam intra se recipiat, sic alloquitur: *Suscipe, quæ per aerem ingreditur, Nubem, in qua sedens, qui ingreditur super nubes cælestes, simulachra, quæ celebrantur ab Aegyptijs, destruxit*. Audiamus demum & Rich. à S. Laur. libr.7. de laud. B.V. *Maria est nubes illa, de qua Isai. Ascendet Dominus super nubem leuem, &c. Nubes siquidem secundum B.Isidorum, ab obnubendo dicitur, & B. V. humanâ carne velauit Vnigenitum Dei, obnubere enim operire est. Et licet ad nos inclinans cælos Dei Filius descenderit, maluit tamen dicere Propheta; Ascendet, tum quia Sessor superior est re quam ascendit, & à qua portatur. Benè ergò dicitur, Ascendet, quia nubes hæc eum portabat, & ipse eam regebat. Tum, quia in Incarnatione Dominus descendens in Virginem, carnem humanam assumpsit, ex ea, in qua mundo visibilis apparuit, vt inquit Baruc 3. Post hæc in terris visus est, cum ante in sua diuinitate esset inuisibilis: Vnde ei dixit Isaias 45. Verè tu es DEVS absconditus & Saluator. Atque ita in cognitionem hominũm ascendit, qui prius de ipso parum, aut nihil sciebant*. Idem Richar. ait nubem hãc leuem atque pulcherrimam, in quam Dei Filius visitaturus mundi huius tenebricosam Agyptum ascendit, visam fuisse à S. Ioan. Apostolo Apoc.14. cum dixit: *Vidi & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream. Candida enim nubes fuit B.V. per innocentiam*, inquit ille, *Virginitatem, benignitatem, corporisque vt piè creditur immortalitatem. Super nubem porrò sedens similis filio hominis est Christus aureâ æternæ sapientiæ coronâ redimitus*. Sic ferè Richar.

B.V. nubes lucida, quæ fulgur lucidissimum Christum ad illuminandũ mundum deduxit.

Nubes ab obnubendo dicta.

B.V. Nubes candida ob innocentiã, & Virginitatem.

33. O'felicem ac ter beatam Aegyptum, quæ digna fuit hac leui candidaque nube ad ex æstuantes concupiscentiæ calores temperandos obtegi, & diuiniori imbre, Christo Saluatore, quem nubes illa leuis, candidaque in se gestabat, fœcũdari! O' verè onus suaue, onus leue Aegypto ingressus hic Virginis Matris cum suo dilectissimo Filio! Siquidem onere, iugoque Cacodæmonis grauissimo, quo tot sæculis miserabiliter præmebatur liberata est. Computruit reuera tunc iugum illud Tartareum, atque onerosissimum à facie olei, ad præsentiam Dei filij, ad præsentiam Diuinæ Matris, quorum nomina sunt verè Oleum toto orbe terrarum diffusum, quod sicut odore suo suauissimo, orbem recreat vniuersum, ita stygios illos tenebriones in fugam conijcit, ac cogit tristem migrare sub Orcum. Vnde subdit Isaias, quod ad præsentiam huius Domini in Virginea illa nube sedentis: *Commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabescet in medio eius*; Siue vt legit Vatablus: *Liquescet*: Adeo .n. commota sunt terræ illius, tenebris ignorantiæ veri Dei sepultæ, Idola, eorumque incolæ Cacodæmones, vt sponte ad præsentiam huius Virgineæ, atque animatæ Arcæ, velut Dagon, in terram confracta corruerint, corque Aegyptiorum carnale, ac infidele contabuerit, ac emarcuerit, vbi nouum, ac spirituale, veroque Numini deuotum, ac fidele, beneficio Virginis recepere. Ea enim vis, ac exergia vel solius Virginei vultus, vt de aspectu filij taceam, extitit, vt in hominibus, secundum carnem viuẽtibus carnalem, sensualem, terrenaque sapientem vitam velut vorax ignis, velut Basiliscus enecaret. Testis est huius rei S. Amad. Hom.7. de laud. B.V. *Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos confoueret, iuuaret proximos, concremaret inimicos. Fertur ab his, qui naturas animantium norunt, quod solo visu & flatu mortifero vicina quæque sibi Regulus venenatus interimat. Sic illa è regione ignis diuini, calore vehementer accensa, & verbi flãmigrantis sparsa incendijs, odorem resuscitantis gratiæ, ijs, qui longè, & ij s qui propè commanebant, exhalabat. Et alijs quidem, id est, aduersæ partis erat odor mortis in mortem; alijs verò, idest, credentibus in Filium suum, odor vitæ in vitam. Sicut enim in Eua omnes moriuntur, ita & in Maria omnes viuificabuntur*.

In Ægypto per nubem candidam nempe B V. æstuantes cupiditatum calores mitigati.

B.V. aspectus carnalem vitam in hominibus enecabat.

B.V aspectus instar Basilisci.

Sicut in Eua omnes moriuntur, sic in Maria omnes viuificantur.

34. Hinc Origenes Homel.3. inter

Iter B. V. & Filij eius in Aegyptum fuit demolitio Dæmonum.

diuersas, rationem reddens, cur Deiparæ ac Iosepho fuerit demandatum, ab Angelo, vt in Aegyptum fugeret, ait: *Fuge propterea, vt destruantur manufacta eorum, & confringantur, & pereant Idola ipsorum, propterea vt Dæmones turbentur, vt adimpleas, quæ dicta sunt ab Isaia: Fuge in Aegyptum, vt fugiant ex Aegypto, qui ibi sunt Dæmones, vt pro multitudine Templorum, atque abominationum, multitudo exuberet Ecclesiarum, pro Idolorum turbis, turbæ fidelium abundent, pro vitijs, & erroribus castitas, sanctitas, ac Virginitas*. Hanc simulacrorum demolitionem, ruinamque Ieremiam Prophetam diu ante vaticinatum asserit S. Dorotheus in Synopsi. *Ieremias*, inquiens, *signum dedit sacerdotibus Aegyptiacis, quod oporteat simulacra eorum concuti, & decidere per seruatorem, Puerum ex Virgine nasciturum, & in præsepio iaciturum, propterea etiam nunc Virginem in lecto, infantem in præsepio collocant, & adorant. Et cum causam olim Ptolomæus Rex percontaretur; Responderunt mysterium esse, ipsis à maioribus traditum, quod illi à S. Propheta acceperint.*

Ieremias sacerdotibus Aegyptiacis vaticinatus est per Puerum ex Virgine nascitur simulachra deijcienda.

Eandem simulacrorum commotionem, ac ruinam in aduentu Deiparæ in Aegyptum factam testatur Eusebius lib. 3. de Demonst. Euangel. cap. 20. *Dæmones*, inquiens, *praui incolentes Aegyptū per multa sæcula in simulacris latitantes, animumque Aegyptiorum, omni superstitionis errori addicentes, cum sensissent nouam quandam, diuinamque virtutem ad se accessisse, illico commoti sunt, conque ipsorum, & vis intelligendi intrinsecus in ipsis conuicta sunt, cessaruntque, ac fugata sunt ab ea virtute, quæ visum effugiens illos compellebat, & ignis instar, ineffabili quadam ratione adurebat*. Sosomenus libr. 5. Hist. cap. 2. refert ingentem arborem, quæ Perses dicitur, appropinquāte Virgine cum Filio Hermopoli oppido Thebaidis ad solum sese inflexisse, Dæmonemque, qui in illa habitabat, conterritū profugisse, eiusque arboris folia vim morbos è fidelium corporibus expellendi fuisse nacta; Aegyptiorum denique statuas concussas in puluerem redactas. Palladius quoque in Historia Lausiaca cap. 52. vidisse se narrat Hermopoli Fanum, in quo, ingressa vrbem Deiparā cum Filiolo, mox simulacra omnia collapsa sunt. In aduentu igitur Deiparæ in Aegyptum non modo terra illa sterilis, & inaquosa, velut Nilo inundante, fœcundata est ita vt quædam vinea amœnissima, ob veram vitem IESVM, eiusque Matrem, imo deliciosissimus quidam Paradisus videretur; verumetiam aerearum potestatum in simulacris delitescentium omne robur labefactauit, miserrimosque illos populos, allia, cępasque, aliaque ferarum, serpentiumque monstra ad instar veri Numinis adorantium, ad veram fidem conuertit, & à perpetuis orbis sannis, ac ludibrijs liberauit: Sic enim cæcos illos populos inter reliquos Satyricus salsè irridebat Iuuenalis:

Dæmones Aegyptum incolentes adueniente Deipara nouam diuinā que virtutē senserunt.

Arbor quædam Hermopoli oppido Thebaidis prætereunte B. V. ad terram vsque sese inclinauit.

Arboris se B. V. inclinātis folia salutifera.

Aegyptii allia, cæpus ac serpentes colebant, ante B. V. ad illos aduentum.

O sanctas gentes quibus hęc nascuntur in hortis Numina.

O quàm præclarè Dei Filius eiusque Mater hospitium quinquè vel sex annis, vt colligit Barradius, exhibitum persoluit Aegyptijs, dum palpabiles illas tenebras, luce quasi palpabili sui corporis, veluti sol dispulit; dum famē veritatis, ac verbi Dei Panis vitæ in clibano vteri Virginalis effectus, tanquam verus Ioseph satiauit. Vnde S. Leo Papa ser. 3. de Epiph. *Aegypto*, inquit, *se Christus intulerat, repente scilicet hebreæ gētis cunabula, & veri Ioseph principatum maiori prouidentia, ac potestate disponens, vt illam diriorem, omni inedia famem, qua Aegyptiorum mentes, veritatis inopia laborant, veniens de cælo panis vitæ, & cibus rationis, auferret*.

35. Neque vero solum Deipara Virgo benignissima Aegyptios, reliquosque peccatores omnes Aethiopibus nigriores, suo fauore, gratiâ, beneuolentiaque ad instar Nili circumit, atque amplectitur, quodammodo, vt Christi Filij eius sanguine dealbati, eidem reconcilientur; verumetiam ipsam terram Aethiopiæ, eiusdemque Regnum, hoc præsertim nostro sæculo circumcumine videtur; vt proculcatâ Idolorum superstitione, impijssimaque infidelitate ad Christum conuertamur. Vnde, vt de reliquis taceam, crediderim primum Aethiopiæ Patriarcham P. Ioannem Nunnez Societatis nostrę Sydus, & pietatis, & doctrinæ splendore illustrissimum, ipsius potissimum Virginis destinatione in Regnum illud variorum errorum tenebris demersum ac circumseptum, vt illud christianæ fidei luce irradiaret, fuisse submissum. De hac Pater noster Antonius Balignhen ex Historiæ Societatis Tom. 1. libr. 4. num. 139. in Kalend. Deip. die 23. Decembris, sic scribit: *Hic Deiparam diligebat vnicè, & creditur à Deo, eius interuentione eximiâ accepisse dona, multaque præ nouisse saluti*

P. Ioannes Nunaz P. Aethiopium Patriarcha à B. V. ad Soc. vocatus, vt in Athiopia proficisceretur.

saluti animorum profutura. Cum de vitæ ratione quam tenere deberet, dubitaret, incertusque esset num actiuæ vitæ genus, aut contemplatiuæ amplecteretur, certum numerum sacrificiorum Deo obtulit, vt id intelligeret. Itaque apertè ei DEVS reuelauit suæ voluntatis esse, Conimbricam se conferret, à P. Petro Fabro, vno è primis S. Ignatij Fundatoris nostri Socijs, viro plane insignibus Dei donis ornato; sibi quod sequendum foret ostensum iri, ipsum ei eodem visu Fabrum, ostendit. Id porro quemadmodum factum sit, sic paucis complector. Videre sibi visus est per quietem Sacerdotē in Sacrosancta Liturgia sacrificantem, se vero ministrantem: cumque ad pacis Osculum, qua de illius Ecclesiæ more sacris operanti porrigitur, ventum esset, Sacerdotem ex dextro porrectam latere, recusasse, innuentem sibi pacem ex læuo porrigi: illum vero ex dextro, vt mos ferebat perseuerasse, vicissimque sinistro Presbyterum; cumque ea de re longior esset altercatio, Ioannem somno solutum ferunt, & intellexisse Sacerdotem sibi requirendum, qui esset ostensus, & ab eo pacem Domini, vt ille interpretabatur sumendam. Hæc vbi statuisset, tamen ad certius explorandum Dei voluntatem, ad Angelorum confugit Reginam, misericordiæ Matrem benignissimam, certo ei Sacrificiorum dicto numero. Audijt vota Numnij Virgo, eique se visendam præbuit, comitibus Petro Fabro, & Francisco Strada; cumque ex eo quæsijsset: Vis seruire Filio meo vsque ad defatigationem? Et ille respondisset: Omnino Domina. Mox subintulit Virgo: Sequere ergo hos viros; simulque monuit iret ad collegium Conimbricense, famulosque illos suos præstolaretur, ex eisdem Dei voluntatem cogniturum. Nec segnis admonitum Dei Matris fuit Numnius, adit mox Collegium, obuiamque illi fiunt ijdem Patres, cum quibus vbi de vocatione sermonem intulisset; respondit illi P. Faber: Vis seruire Christo vsque ad defatigationem? Qua interrogatione perculsus, recordatus est dicti Virginis beatissimæ, & in vocatione confirmatus, cumque Patres illos attentius considerasset, aduertit esse eosdem Comites Virginis, ad quorum pedes cum procidisset, petijt, & admissus est à P. Fabro in Societatem. In qua tanta Sanctimoniæ laude cum omnium admiratione floruit, vt omnibus esset clarissimum virtutis omnis speculum, reque ipsa declararet, se ab immaculato illo Diuinæ Bonitatis Speculo Deipara in Societatem Filij accitum adscitumque; eo etiam animarum Zelo flagrauit, vt eius fructus vberrimos in hodiernum vsque diem Regnum illud amplissimum Aethiopiæ, magna animi sui voluptate experiatur, tantamque ac tam copiosam animarum messem vni post DEVM Virgini gloriosissimæ, & Patriarchę huic pientissimo iure meritissimo referat. Neque vero aliud expectandum ab hoc Religiosissimo fuit Antistite, qui vbicunque fuit suæ virtutis luculentissima reliquit exempla, maximè Goæ, dum traiectionem in Aethiopiam expectaret. In illo enim Collegio, tanquam quiuis è numero vitam degit, imò in rebus omnibus se infimum præbuit. Nihil eximium, & singulare patitur in victu, vestitu, cubiculo. Obedientiæ laude excellit, singulis diebus ægros in Xenodochio solatur (Tātus licet Patriarcha) in vilibus culinę ministerijs, in euertendo suo cubiculo, in resarcienda veste, & similibus, manum, & industriam exercebat. Tales nimirum facit alumnos suos, & cultores Deipara, vt quemadmodū Primus è Soc. adactus erat Infulas gerere ita relinqueret formam, si qua vnquam postea talis necessitas incideret, quales oporteret esse eos, qui ex hac disciplina in lucem honorum Ecclesiasticorum perducerentur. Ex quibus omnibus colligere licet, Deiparam, veluti Nilum, non modo Aegyptum, verum Aethiopiam, missis ad eam viris Apostolicis, irrigasse, atque fecundasse.

B. V. vocat Numnium ad Soc. IESV.

Promittit B. V. Numnius se seruiturū Christo vsque ad defatigationem.

36. Nec illa Nili proprietas in Virgine nostra desiderari posse videtur, quam indicabat Plinius initio citatus, asserens, fluuium hunc loca arenosa, desertaque, ab hominum, ferarum, ac belluarum consortio ipsis arenis sese recondendo, subterfugere, mox vbi populorum, animantiumque est frequentia, ad cunctis benefaciendum, pro egregia ingenita sibi indole emergere. Talis sanè est Deipara, quæ licet omnibus sese beneuolentissimam, hominumque salutis, ac profectus cupidissimam ostendat, nihilominùs tamen erga illos, qui ad instar arenæ steriles, nullum bonorum, vel desideriorum, vel operum, saltem mortalium, fructum ferunt, inque suis sceleribus assiduâ peccandi consuetudine demersi contabuerunt, minùs afficitur, cum videat huiusmodi hominibus patrocinari, nil esse aliud, quàm arenæ mandare semina, vel nil profecturis bobus arare litora. Verissimè enim dixit ille;

B V homines peccatis assuetos, & induratos negligit.

In steriles agros nolunt iuga ferre iuuenci

Pin-

Pingue solum lassat, sed labor ipse iuuat.

B.V. pro quibus vel semel orat obtinet vt nemo pereat.

Hinc Goffridus Cardin. ser. 8. verissimè pronunciauit: *B.M. Mater, Virgo, & sponsa intacta pijssima apud Filium suum pijssimum obtinebit, vt nemo illorum pereat, pro quibus vel semel orauerit. Nec mirum quia vniuersum suis precibus mundum saluare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro vniuerso mūdo paratissima esset ad præcandum, totusque mundus saluaretur, si precibus eius se faceret dignum. Hæc veracissimè apud omnipotentem Filium, vt diximus, orando potest quicquid desiderat, sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat, pro quibus nullus Sanctorum supplicare præsumit.* Sic ille. Hinc Guilelmus Abbas apud Delrium in Cātic: docens quidnam, & qua ratione petendum sit à Virgine Matre nostra piētissima, sic loquitur: *Si pia Mater tantum potest apud Filium, pro his, qui sanguinem eius tam impiè fuderunt, videlicet impijssimis Iudæis, quantum credenda est posse pro his, qui secundum Apostolum in Christo baptizati Christum induerunt? Inde nimirum accidit, vt omnes Christiani suis in necessitatibus tanta fiducia ad eam recurrant, suasque illi petitiones, per eam Filio offerendas commendent. Multi tamen minùs honestè, vel ordinatè petunt, quā oportet, & quam decet. Fœdas autem petitiones Mater Filio non offert, nec suscipit offerendas. Nonnulli honestè quidem, & ea quæ pertinent ad salutem animæ, sed tamen vel fratres non diligunt, vel suos mores non corrigunt. Nec horum petitiones pia Mater dignatur admittere. Itaque non tantùm honestas petitiones, sed etiam petentis exigitur. Nam inhonesta improbantur, inhonestorum vox displicet piæ Matri.* Quare Sanctissima Deipara S. Brigittæ libr. 1. Reuel. cap. 9. de virtute sui sanctissimi Nominis loquens, asserit Nomen quidem hoc suum pellere dæmones, eorumque tentationes, dum homo voluntate peccandi caret, sed mox eosdem aduolare, tanquam à se derelictos, vbi malam illam voluntatem, Dei Maiestatem offendendi resumpserint. Quasi huiusmodi homines steriles quædam arenæ forent, quibus hæc fructuosissima Virginei Nominis planta commissa, nullum producere fructū valeat. Verba eius porrò sunt hæc: *Omnes etiam Dæmones verentur hoc Nomen, & timent, qui audientes hoc Nomen, Maria, statim relinquunt animam de vnguibus, quibus eam tenebant. Sicut enim auis, quæ in prædam vngues, & rostrum habet, si audierit sonum aliquem, relinquit prædam, & cùm nihil operis sequi videt, statim reuertitur ad eandem: Sic Dæmones, meo audito Nomine, statim relinquunt animam, quasi territi, sed iterum aduolant, & reuertuntur ad eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur. Nullus etiam tam frigidus est ab amore Dei, nisi sit damnatus, si inuocauerit hoc Nomen, hac intentione, vt numquam reuerti velit ad opus solitum, quod non statim ab illo Diabolus abscedat, & nunquam amplius ad eam reuertitur, nisi voluntatem peccandi mortaliter resumpserint.* Hæc Deip.

B.V. pro illis qui semper peccare desiderant, nullatenus orat.

si B.V. pro impijssimis Iudæis, qui sanguinem filii profuderunt quanto magis orabit pro Christianis?

Quorū orationes B.V. non dignetur admittere?

Nomen B.V. Dæmones eorumque tentationes pellit quamdiu carent voluntate peccandi, sed mox aduolant cū tam resumunt.

Quanta sit vis Nominis B.V. in pellēdis Dæmonibus.

37. Quid de altera illa Nili proprietate dicam, de qua supra Plinius, quod pro maiori, minoriue inundatione, maiorem, minoremuè Aegypto afferat felicitatem. *Nam in 12. cubitis, inquit, famem sentit; in 13. etiamnum esurit. 14. cubita hilaritatem afferunt: 15. securitatem: 16. delicias.* Quæ sanè tria posteriora Nili incrementa, tres gradus cultui Virginis addictorum clientum incipiētium, videlicet, proficientium, ac perfectorum denotare videntur. His enim Sanctissima Deipara, quo magis gratiarum suarum exuberantiâ ac liberalitate effusissima sese, velut fœcundo solo, communicat, eo copiosiores bonorum operum, sanctimoniæque fructus proferūt, & mirificam quandam etiam inter aduersa, atque turbulenta mundi huius, Spiritus hilaritatem, securitatem, liquidissimas animi voluptates, ac delicias experiuntur, adeo vt gratiarum Virginearum hoc inundante, ac pleno impetu ruente flumine ijs contingat id, quod Aethiopum populis, qui Catadupi vocantur, vt non modo sensu auditus, verumetiam omnibus reliquis, ad percipienda mundi, carnisque voluptatum irritamenta, illecebrarumque sensualium blandimenta, vtpotè amore, gustuque rerum diuinarum absorpti, destitui omnino videantur.

Incipientiū, proficientium, ac perfectorum in seruitio B.V. fœlicitas.

38. Et merito sanè Virginis beneuolentia siue beneficentia ac liberalitas Nilo comparatur. Si enim Vespesianus Augustus, vt scribit Philostratus in vita Apollon. Thyanei lib. 10. cap. 5. cùm recens auctus esset imperio, Aegyptum perlustrando, pro concione dixisse memoratur Aegyptijs: *Haurite à me tanquam à Nilo*: multo sanè potiori iure dicere idem poterit Deipara, quæ, vti demonstrauimus, è Paradiso, veluti Nilus procedit, orbemque vniuersum irrigat, atque fœcundat. De ipsa enim verè pronunciauit Sponsus Cant. 4. *Fons Hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt,*

Vespesianus Imperator Nilo comparatus ob beneficentiam.

fluunt impetu, de Libano; à monte nempe Candoris, à Patre ipso luminum, vt sua plenitudine orbem repleat, atque eumdem bonis suis locupletet. Præclarè .n. Guilelmus Abbas apud Delriũ in Cant. *Maria,* inquit, *est fons hortorum rigando eos, est puteus aquarum viuentium continendo eas. Continet sibi abyssos vitæ, & immortalium gaudiorum, sed non ita continet sibi, vt non effundat, & aliis. Effundit Angelis, & hominibus participationem, pro captu singulorum; Angelis quidem torrentem voluptatis, hominibus in hac peregrinatione riuulos sanctitatis, & sanitatis, donec ipsi ciues effecti inebrientur ab vbertate domus eius, & torrente voluptatis eius potentur. Sic tamen effundit, vt non minùs contineat. Sicut propter Angelos, & homines dicitur fons hortorum; Nam & Angeli sunt horti Dominici, horti cælestes, & deliciarum, referti suauissimis obedientiæ fructibus, quos ad beatè viuẽdum perenniter rigat fons vitæ: & electi homines in terra Domini sunt horti, quos ad viuendum benè, quotidie irrigat fons vitæ ad fructum iustitiæ.* Hæc Guilelmus. Hanc in Virgine effusissimam beneficentiam agnoscens Rupertus eam sic alloquitur: *Sicut ab initio fons ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ, & sicut fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, &c. Sic ex te ò amica, ò terra benedicta fons ille ascendit, qui apud DEVM erat, & vera lux erat, fons, inquam, ille ascendit ex te, non initium, siuè principium habens ex te, sed de corde Patris per occultas vias cum omnibus aquis viuentibus veniens in te, & æternum sapientiæ fontem, siuè puteum faciens in te, atque hoc modo ascendit ex te. Ad quid ascendit? Vtique ad irrigandam superficiem terrę, ad instruendam siue excolendam Ecclesiam per vniuersum orbem terræ.*

B. V. Fons hortorum irrigando eos.

B.V. puteus aquarum viuentium idest gratiarũ continendo eos ita tamẽ vt & Angelis, & hominibus effundat.

B. V. Paradisus ex quo fons ascẽdit ad irrigandã faciẽ terræ.

39. Neque verò Nilus hic noster celestis Dei Ecclesiam duntaxat irrigat, ac fœcunda, sed etiam ignem cupiditatis, præsertim carnalis, prorsus extinguit, videturque mihi esse Virgo fons ille Cysici vocatus fons Cupidinis, ex quo potantes amorem impudicum deponere credit Mutianus. De hoc Causinus noster lib. 1. symbol. 40. Talis nimirum est Virgo nostra. Siquidem quibus illa pietatem instillat, infunditq; mox in illis diuinum cupidinem, amoremq; accendit, venereamque ad instar ignis exardescentem prorsus extinguit. Qua in re etiam Nilum de Igne victoriam portantem se esse ostendit Virgo nostra. Notissimum est olim Chaldæos, vt scribit Ruff. libr. 2. Eccl. Hist. Constantini Magni tempestate totum terrarum orbem lustrasse, vt DEVM suum, quem sub ignis specie colebãt, omnibus dijs prestantiorem, potentioremque ostentarent, factumque vt omnes Deorum statuæ ignis vi absumerentur, dissoluerentur, ac liquescerent. Venere tandem in Aegyptum, & certamen cum Nilo inicere; Sacerdotes Aegyptij ingentem Nili statuam intus concauam, magnæque aquæ copiam in se continentem, ac vndique foraminibus cerâ obturatis plenam, in medium producunt. Chaldæi exultabundi certamen ineunt, igne Nilum circundant, cum ecce reseratis foraminibus maxima vis aquæ profunditur, DEVMque Chaldæorum extinxit, omniumque ludibrio exposuit. Talis omnino est Virgo nostra concupiscẽtiæ ignem, qui nunquam dicit, SVFFICIT extinguit omnino in his, qui eius se patrocinio, atque clientelæ commisere.

Fons Cupidinis Cyzici ex quo portantes amorem impudicum deponunt.

Nilus Aegyptum Deus quomodo Ignem Deũ Chaldæorũ superarit.

40. Quod clarissimum euasit in nostro Patriarcha S. Ignatio, qui cùm sese, auspice Deipara, in Monte Serrato Diuino mancipasset obsequio, votoq; postea emisso, castitatem Domino consecrasset, omnis prorsus in illo libidinis ardor extinctus est: Cuius tam singularis fauoris causa fuit, sine dubio, Virgo Deipara, vt testatur Petrus Ribad. qui lib. 1. eius vitæ c. 3. sic loquitur: *Quoniam carnis suæ imbecillitatem extimescens, sibi ipsi diffidebat, spes suas in beatissimę Virginis patrocinio defigens, castitatis voto sese obstrinxit, eamque perpetuam Christo, & sanctissimę atque purissimę eius Matri feruens Spiritu consecrauit, cuius beneficio eam prorsus integram semper obtinuit, tantum deuotionis ardor, & pium ipsius Virginis patrocinium apud DEVM valet.* Sic ille. Atque hæc de sydereo illo Nilo, dixisse pro modulo nostro sufficiat, quibus abundè ascensum quàm aptè suâ naturâ ac proprietatibus Deiparam sanctissimam Dominam nostram repræsentat.

S. Ignatius B.V. patrocinio donum castitatis obtinuit.

DI-



DISCRVSVS XXVIII.

Quod Argo Nauis cælestis B. V. Deiparam Virginem repræsentet.

1.



Celeberrima ac prima apud Græcos fuisse memoratur Nauis hæc, siue ab Argo eius architecto, siue ab Heroibus Argiuis totius Græciæ viris insignioribus, quos ad rapiēdū vellus aureum Colchos deuexit, ita vocitata. Hanc Mineruæ diuino consilio, imo, & labore tabulis vocalibus, animatisque in sylua Dodonea decisis, compactam fabulati sunt Poetæ. Hinc Valer. Flacus in Argonaut: — Argo nauis vnde dicta?

Ad charum Tritonia deuolat Argum
Moliri hunc puppim iubet, & demittere ferro
Robora.

Hinc Claudianus libr. 4. de Bello Getico, & victoria Stiliconis contra Alaricum:

Licet omnia Vates
In maius celebrata ferant, ipsamque secandis
Argois trabibus iactent sudasse Mineruam,
Nec nemoris tantum vixisse carentia sensu
Robora, sed cæso toto Iouis arbore luco,
Arbore præsagâ tabulas animasse loquaces

De hac eadem Naui Mantuanus:

Velleris fului spolio superbus
Aequor Euxinum, gelidamque Thetim
Thessala primum rate nauigauit
Fortis Iason.

Sed longe omnium pulcherrimè Nauim hanc eiusque Auctricem Palladem omnibus maris Numinibus fuerit admirationi descripsit celebris Vates Catullus, dum ita modulatus est, in Carm. de Argonautis.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas
Phasidos ad fluctus, & fines Aetæos,
Cum læti Iuuenes Argiuæ robora pubis
Auratam optantes Colchis auertere pellem
Ausi sunt vada salsa citâ decurrere puppi,
Cerula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diua quibus retinens in summis Vrbibus arces
Ipsa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniugens inflexæ tenta carinæ.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitritem,
Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor
Totaque remigio spumis incanuit vnda,
Emersere feri, candenti è gurgite vultus,
Aequoreæ monstrum Nercides admirantes,
Illaque, atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculis, nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus extantes, è gurgite cano.

De Naui hac denique admirabili Manilius libr. 1. Astron. cap. 4. vbi eam vectando DEOS, Deam effectam fuisse concinit. — Argo seruando Argonautus velut Deos, Dea etipsa effecta.

Tum nobili Argo
In cælum subducta; mari quod prima cucurrit.
Emeritum magnis mūdum tenet acta procellis
Seruando Dea facta DEOS.

Fertur tandem Nauis hæc, cum Heroas illos saluos incolumesque, peruigili illo Dracone siue sopito, siue trucidato, aureoque aquisito Vellere, in patriam reduxisset, à Iasone tanti beneficij memore, Mineruæ fuisse consecrata, ab eaque demum, quod tot Diuos ab innumeris periculis seruasset inter sydera relata. Constat hæc omnino stellis quinque supra 40. quarum celebriores partim primæ, partim secundæ, tertiæque magnitudinis 18. numerantur.

2. Hoc porrò Vellus aureum ab Argonautis raptum fuisse crediderim, ob Gedeonici illius velleris memoriam cuius auspicijs felicissimis de Madianitis gloriosissimam Victoriam reportauit. Siquidem 60. Annis post Gedeonem, teste Genebr. in Chronico Argonante floruisse dicuntur. Persuaserint sibi fortassis Viri illi fortissimi, quod quemadmodum Gedeon in vellere, cælitus accepto victoriæ signo, de suis hostibus triumphauit, ita se quoque, aureo illo vellere potitos æquè gloriosos victores euasuros. — Raptus veteris aurei factus ob memoriam Velleris Gedeonici. — Quando Argonautæ floruerit?

3. Ad hoc etiam Gedeonis, & Iasonis

ſonis vellus reſpexiſſe viſus eſt magnus ille Philippus, nomine, & re verè Bonus Burgundiæ Dux, Caroli Audacis Pater, cum Anno à partu Virginis 1430. tertio Idus Ianuarij inſtituit ordinem Equitum aurei velleris celeberrimum, conſtantem Heroibus nobiliſſimis, ac fortiſſimis, qui collapſam Chriſtianæ fidei dignitatem erigerent, & Baalis arás, Turcicas nempe Moſqueas, Hæreticorumque ſynagogas, quaſi noui Gedeones diſturbarent: tanquam noui Iaſones, atque Argonautæ, de Tartareo Dracone, opimis animarum ſpolijs, Phryxei velleris auro longè precioſioribus, ipſi detractis, glorioſiſſimum triumphum reportarent. De quibus ſanè Heroibus vaticinatus videtur Virgil. cum Ecloga 4. cecinit:

Philippus Burgundiæ Dux Ordinē Equitum aurei velleris inſtituit.

Virgilij Vaticinium de nouis noſtri ſæculi Argonautis.

Alter erit tunc Typhis, & altera, quæ vehat Argo
Delectos Heroas.

Cum enim totâ Eclogâ Poeta, diuino quodam œſtro percitus, de felicitate illa temporum, aureoque ſæculo, quod futurum erat vbi Dei filius, paludaméto humanitatis noſtræ circumdatus in mundum aduenïſſet, ageret, inter reliqua meminit nouorum Argonautarum, nouæque Argo, quæ ſtygio Draconi ingentem animarum, non rebus corruptibilibus, auro, vel argento, aut gemmis, ſed precioſiſſimo Chriſti ſanguine redemptarum prædam, aureo vellere clariorem eſſet ereptura.

4. Quod ſuperiori ſæculo, & hoc quoque noſtro factum eſſe perſpicimus, cùm tot minimæ huius Societatis noſtræ Heroes, in nouum orbem, in Indias, Iaponiam, Sinas, Molucam, Aethiopiam, Monomotapem, aliaſque innumeras, tàm orientis, quàm occidentis, regiones, magno ſpiritu, ac magnanimitate planè heroicâ, glorioſiſſimæ Virginis cælorum Reginæ potiſſimùm auſpicijs, velut Argo nauis, penetrantes, ad animarum prædam, auro cholchici velleris clariorem, ex vnguibus Infernalis Draconis eripiendam, audimus. Hac naui S. Xauerius Indiarum glorioſiſſimus Apoſtolus, hac Ignatius Aceuedius, hac Andreas Ouiedus; hac Ioannes Nunnius Aethiopiæ Patriarcha, hac Conſaluus Sylueria, Carolus Spinola, Rudolphus Aquauiua, alijque innumeri per immenſos penè Maris, Oceanique tractus, atque anfractus, ad gentes immanitate barbaras, moribus efferatas penetrarunt, eaſque ex ſtygij Draconis faucibus, Chriſtianæ fidei luce irradiatos, eripuere.

Noui noſtri huius ſæculi longe feliciores Argonautæ qui?

5. Quare libet hic P. Franciſci Médozæ Societatis noſtræ viri & pietate, & doctrinâ clariſſimi pulcherrimum ſiue elogium, ſiue parenæſim ad ſocietatem noſtram, tanquam ſpiritualium Argonautarum manipulum, Oceano quodammodo ad animarum capeſſenda lucra dominantem hic attexere. Ait igitur, in primis Apoſtolum Petrum ſemel, atque iterum in mare promptiſſimè deſiliendo, opere ipſo præſignaſſe, & quodammodo præmonſtraſſe ſuos in conuerſione gentium miniſtros, atque adiutores, cum alijs ſæculis inſignes tum maximè præſentibus admirandos fore: ſiquidem natali ſolo renunciantes, & vaſtiſſimo Oceano ſe committētes, neque ventorum ſæuitiâ, neque vndarum inſaniâ, neque latentium ſaxorum inſidijs, neque furentium pyratarum incurſibus, neque tandem innumerabilium Iliade malorum, ac periculorum; *Qualia multa mari nautæ patiuntur & alto, & quę certiſſimam nauigantibus intentant omnia mortem.* Siquidem, inquam, nullis difficultatibus circumventi, à ſuo propoſito deterrentur, quo minus ad Indos, ad Sinas, ad Iaponios, ad extremas mundi plagas, non gemmas quæſituri, ſed animas, feliciter excurrant. His præmiſſis, eleganti ad huiuſmodi Petri aſſeclas ac pręſertim vniuerſam Societatem noſtram, factâ Apoſtrophe tum: *Pergite*, inquit, *bonis auſpicijs Argonautæ, non ad vellus aureum fabuloſi arietis conquirendum, ſed ſacroſanctum Nomen immaculati Agni coram gentibus, & Regibus exportandum. Tuq; præcipuè ò Societas IESV, IESV auſpice, vela fac, & proficiſcere: nulla te pericula frangant, nulla terreant, ſi debacchantes fluctus ingruāt, IESVM aſpice: ſi tumultuantes turbines deſæuiant, IESVM inuoca: ſi procelloſæ ſyllæ, & chargides, & circumlatrantes vndæ fremant, IESVM altius inclama. Memineris olim Apoſtolos in procella vehementer periclitatos, & conturbatos dum abſuit IESVS, vbi primo adfuit, liberatos, & tranquillatos. Nam vt benè D. Cyrillus Alexand. Omnium periculorum Chriſtus ſolutio eſt. Tecum nauigat, quocunque nauiges, IESVS. Non expaueſcas. IESVM in fronte geris, & in corde. In fronte, vt quocunque ieris de tuo Domino cognoſcaris; in corde, vt quodcunque feceris, tuum Dominum imiteris. Perge feliciter, & inſanientes fluctus intrepido veſtigio perlabere. Timeri ſolitum*

Societatis IESV homines quidam noui Argonautæ.

Ad eos inſignis exhortatio.

Chriſtus omnium periculorum eſt ſolutio.

 litum

litum mare, timeat te nihil timentem. Et quid timeas, quæ IESVM in opere præfers, & in Nomine, cuius opus agis, cuius Nomine insigniris? Nec immerito. Optimè enim D. Ambros. ser. 2. Consortiam meretur Nominis, qui consortium meretur & operis. Hoc te Nomen timidam esse non sinit, sed timendam facit. Perge igitur ò Societas inter medias procellas adeo constans, & secura, vt tibi videaris non nauigare inter fluctus, sed ambulare inter flores. Memineris enim illud Eccli. 43. de Domino IESV loquentis: In sermone eius siluit ventus, & cogitatione suâ placauit abyssum, & plantauit in illa Dominus Insulas: Seu vt 70. transtulerunt: Et plantauit illam Dominus IESVS Abyssum, hoc est, Oceanum, interpræte Lyrano, non fluctibus horridum, sed floribus consitum, tanquam hortum genialem tibi plantauit IESVS; ne timeas cum Oceanum intras, pratum intras. Flores tibi videbuntur, non fluctus, qui in mari intumescunt. Campus tibi germinabit nõ solum de profundo nimio, vt olim Israelitis Sap. 19. sed etiam de mari summo. Quocunque aspexeris, non vndas tibi videberis aspicere sed rosas. Scilicet tibi plantauit Oceanum Dominus IESVS. Perge igitur, & bonam erecta in spem circumspice ad orientem: (libet enim te affari illis verbis, quibus Propheta Ierosolymam affatur:) & vide iucunditatem à Deo tuo tibi venientem, sed quam iucunditatem ob oriente tibi affare vaticinatur? Ecce, inquit, veniunt filij tui collecti ab oriente vsque ad occidentem in verbo sancti, gaudentes in honorem Dei. Illi quos ex aqua, & spiritu genuisti, in adoptionem filiorum Dei vocati, in vnitatem fidei collecti, æternæ spei gaudio deliniti, ab oriente in occidentem, hoc est ab Idololatria in Ecclesiam reducti, sacris mysterijs imbuuntur, in diuinam gloriam consecrantur. Quid tibi iucundius accidere poterit? Quid Diuinius? En tuorum laborum fructus; en tuarum nauigationum merces, en tuo oriente, quas requiris gemmas, aromata, odores: Hæc luculentissimè Sanè Mendoza de fructibus à Societate in nouo orbe, post tot tamque longinqua marium, terrarumque emensa spatia, in Dei Ecclesiam importatis. Agnique immaculati, tollentis peccata mundi. siue Arietis semetipsum in ara Crucis summo Patri immolantis aureis exuuijs, tam in oriente, quam occidente acquisitis, quas ego sanè vti iam diuinas animas siue fidelium Ecclesiam, auro Athamantæi velleris longe pretiosiorem esse intelligo.

Societas IESu Consortium meretur nominis, quæ consortium habet operis.

Oceanus est hominibus Societatis Hortus amœnus.

6. Hoc vel inde satis euadit manifestum, quod magnus ille Patriarcha Iacob Ecclesiam, siue singulorum Christianorum animas pallium, siue stolam Christi vocitare non dubitarit, cum inter reliqua venturi Messiæ elogia illud memorauit Gen. 49 *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Quæ verba S. Ambros. lib. de Bened. Patriarch. cap. 4. expendens sic loquitur: *Bona stola est caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores texit. Bona stola, quæ vniuersos induit veste iucunditatis. Lauit hanc stolam in vino, quandò, cùm baptizaretur in Iordane, descendit Spiritus S. sicut columba, & mansit super eum. Lauit ergo IESVS stolam suam, non vt suam, quæ non erat, sed vt nostram, quæ erat, sordem ablueret. Et in sanguine vuæ ambaladium, id est, pallium suum, hoc est, in passione corporis sui diluit gentes suo sanguine. Et benè vuam dixit, quia sicut vua pependit in ligno. Ipse est vitis, ipse est vua. Vitis ligno adhærens: Vua quia lanceâ militis apertum latus emisit aquam, & sanguinem. Aqua ad lauacrum, sanguis ad precium. Aqua nos abluit, sanguis nos redemit.* Hæc Amb.

Animæ fidelium, siue Ecclesia, pallium Christi sunt.

Christus sicut vna pependit in ligno.

7. Hinc vestis illa aspersa sanguine qua Christum Ioannes amictum vidit in Apoc. 19. Humanitatem, ac carnem Christi demonstrabat, vt indicauit Isa. cap. 63. qui videns Christum aiebat: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, &c. Quare ergo rubrum est vestimentum tuum? &c.* Quæ verba ponderans Tertull. lib. 4. cont. Marc. cap. 40. *Spiritus Propheticus velut iam contemplabundus Dominum ad passionem venientem, carne scilicet vestitum, & in ea passum, cruentum habitum carnis, in vestimentorum rubore designat, conculcatæ, & expressæ vi passionis, tanquam de foro torcularis, quia exinde quasi cruentati homines, de vini rubore descendunt, iuxta illud: Lauabit in vino stolam suam.* Sic ille.

Vestis aspersa sanguine est Humanitas Christi, qua ipse indutus est.

8. Eam ob causam à B. Georgio Nicomed. Episcopo B. Virgo Ouis appellatur, quæ nobis Agnum immaculatum peperit, cuius quasi pelle, lanaque vestimur, dum ei per charitatis affectum vnimur. Audiendus hic S. Epiph. lib. 3. cont. 3. libr. 3. cont. hæres. vbi expendens illud Iobi secundum 70. Interpp. *Quis dedit mulieribus texturæ Sapientiam, & variegandi scientiam?* sic loquitur: *Mariæ datum est, vt pepererit nobis Agnum, & ouem, & ex gloria ipsius Agni, & ouis, factum est nobis, velut ex vellere in Sapientiâ, per virtutem ipsius, indumentum incorruptibilitatis.* Ipsa denique ope Spiritus S. pallium hoc Filij Dei, seu potius Spiritus diuinissi-

B. V. Ouis, quæ Agnum nobis peperit.

niſſimus omnium artifex ſapientiſſimus in eius vtero contexuit Humanitatem noſtram, qua, velut paludamẽto regio, Chriſtus fuit circumdatus. Audiendus hic Proclus Epiſ. Cyzicenus ſerm. de Natiuit. Chriſti, vbi de Virgine loquẽs: *Hæc ſola Pons eſt, per quem DEVS ad hominem deſcendit, hæc admirandæ illius Oeconomię tela, ex qua, & in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius vnionis tunica confecta eſt, cuius quidem textor extitit Spiritus S. netrix, virtus ex alto obumbrans; lana vetuſta villoſaque Adami pellis; trama, impolluta Virginis caro, radius textoris immenſa geſtantis gratia: Artifex Verbum per auditum illapſum.* Hæc Proclus.

B.V. lana mundiſſima.

9. Alcuinus lib. de Trinitate, eandem ob cauſam Deiparam lanam mundiſſimam appellauit, qua ex purpura plane Regia Filio Dei humanato contexta eſt, eſſe dixit: *B. Maria,* inquiens, *lana mundiſſima fuit, & Virginitate clariſſima, quæ ſola digna eſſet in ſe Filij Dei recipere dignitatem, ſicut lana conchilij ſanguinem, vt ex ea fieret purpura imperiali maieſtate tantummodo digna, quamque nullus dignus eſſet induere, niſi auguſtá præditus dignitate.* Ita Alcuinus. Si ergo pallium, ſtola, & purpura Chriſti dicitur caro Chriſti de Virgineis viſceribus velut ſericis, aureiſque licijs contexta, iure etiam caro Chriſti appellabitur Eccleſia, velut eius Sponſa, ſiquidem iam pridem dixit Spiritus S. *Erant in carne vna.* Iure eadem, & pellis, & vellus nuncupabitur Chriſti, corpus eius ſacratiſſimum contegens, illudque venuſtiſſimè exornans.

10. Quod ſi Diuus Paſchaſius Pelles cæleſtis Salomonis, quarum pulchritudini Sponſa, formam ſuam contulit Cant. *Formoſa ſum,* inquiens, *ſicut pelles Salomonis;* appellauit Sanctos; quanto magis hæc ſancta, imò ſanctorum omnium ſanctiſſima carò Chriſti pellis veri, non vmbratici Salomonis vocitanda eſt? Sed ipſa Sancti Doctoris huius verba audiamus. libr. 3. in Thren. *Non de Salomone illo ſed de Chriſto, cuius pelles ſunt omnes Sancti, qui ſe mortificauerunt, crucifigendo cum Chriſto carnem ſuam, adinſtar pellium mortuorum, quatenus poſſint in ſe Chriſti portare ſimilitudinẽ paſſionis.* Hæc ille.

Sancti ſunt pelles Salomonis cæleſtis.

11. Sanctus verò Hieronymus in cap. 53. Iſaiæ cenſet vellus lanamque Chriſti Agni immaculati, eſſe eius vitæ ſanctiſſimæ, paſſioniſque merita, quibus velut lanis, ac vellere pluſquam aureo contegimur ac fouemur. *Non ſolùm,* inquiens, *ſanguine ſuo nos redemit, ſed etiam lanis operuit, vt infidelitate algentes, ſuá veſte calefaceret, iuxta illud Galat. 3. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis.* Vnde Viegas noſter ob hoc vellus aureum, ſeu Chriſti immaculati Agni merita adipiſcenda, ait, *plura nos ſubire debere pericula, quam fuerint illa, quibus Iaſon cum ſuis celeberrimis Argonautis adfabuloſum illud vellus aureum quęrendum ſe difficillimę, longiſſimęque nauigationi obiecerunt.* Siue igitur per vellus aureum ipſos fideles, ſiue Chriſti Agni cæleſtis merita, quibus animæ illæ ſunt redemptæ, intelligamus rectè dicimus, Spirituales illos Heroes, magnanimitate præditos ſingulari, patrocinio, fauoreque Deiparæ Virginis, velut ſuauiſſimo commodiſſimoque nauigio, ad inſtar Argonautarum vectos, ac emenſis pene immenſis Oceani ſpatijs, exantlatis innumerabilibus periculis, gentilium animas, meritis, ſanguineque Chriſti redemptas, ex faucibus Draconis antiqui, ac tortuoſi extraxiſſe, effeciſſeque, ne merita precioſiſſima Saluatoris irrita caderent, ac proculcarentur.

Velles & Lana Chriſti ſunt eius vitæ, ac paſſionis merita.

12. Hoc Virginis Deiparæ tutiſſimo patrocinio, veluti quadam Naui vectus Argonautica, Henricus Ioannis primi Luſitaniæ Regis Filius, pietate in Deiparam, & illibatæ Virginitatis flore dum vixit, celeberrimus, cæleſti monitu, noua orientis Maria, & ignotas, ac longinquas terras explorandi cupiditate incitatus, Anno 1410. aliquot inſtructis, & adornatis nauibus aggredi cæpit, cæli Reginam precatus, vti volens ac propitia cæptis tantis ad filij ſui propagandam gloriam, amplificandamque animarum Salutem, adeſſet. Itaque 50. annorum ſpatio, annis ſingulis nouas ſemper regiones detegendo, plurimos infidelium, barbarorumque populos, varijs in Dei, Deiparæque honorem excitatis templis, ad fidem Chriſtianam conuertit. Vtque oſtenderet totam illam conuerſationem gentilium, benignitati optimæ Dei Matris tanquam Argo naui tribuendum, iuxta portũ Olyſipponẽnſem, vnde naues in nouum orbem profecturæ ſoluere conſueuerunt, illi Templum ædificauit, quod poſtea ab Emmanuele Rege mirificè amplificatum eſt, vti teſtatur Pater noſter Maffeus lib. 2. rerum Indic. his verbis: *Patefacta iam India primum omnium Emmanuel toto Regno ſupplicationes indixit,*

Henricus Dux Luſitaniæ auſpicijs B.V. noua orientis maria nauigauit.

B.V. nouæ nauigationis in orientem Præſes.

Ffff 2 dein

dein Mariæ V. eius nauigationis prǽsidi extructam ab Henrico Principe ǽdiculam in ipso aditu portus Olysipponensis miram in amplitudinem extulit auxitque. Ad eius Templi custodiam, & cerimonias, & naualis prǽsertim turbǽ, Ducumque animos ritè expiandos acciti sũt eximia sanctitate Monachi è Hieronimiana familia. Locus est in primis totius Hispaniæ tum structura, tum religione visendus. Sic Maffeus.

B. V. Nauis Institoris de longe portans panem.

13. Quam porrò aptè recteque Deiparam, Nauem vocitemus, docet nos Salomon Prou. 31. Qui siue de Ecclesia, siue de Virgine nostra, quæ membrum nobilissimum, ac principale post Filium eius caput, extitit; verba faciens, inter innumeras eius laudes illam numerauit: *Facta est quasi nauis Institoris de longè portans Panem suum.* Vel vt legit Hebr. *Facit sicut Naues circumeuntis; de longe adducet Panem suum.* Chald. *Facta est sicut Nauis mercatoris cuius elonginquo effertur cibus.* Septuaginta Interpp. *Facta est tanquam nauis mercaturam exercens de longè. congregat autem hæc vitam.* Complutensis, & Regius: *Congregat autem hęc diuitias.* Quibus ex lectionibus colligimus gloriosissimam Deiparam similem esse naui onerariæ industrij cuiuspiã ac vigilantissimi mercatoris, quæ magnam vim panis, ac frumenti in Ecclesiam, toto orbe disseminatam, extremâ fame Spiritus laborantem importauit. Hoc nobis vt cælestis indicaret Sponsus, ipsi aiebat Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Aceruum hunc in Bethleem, quæ domus panis interpretatur, velut orbis totius horreo, siue granario ad mortales omnes nutriendos, suum Vnigenitum pariendo Filium, deposuit, atque ita humano generi, vt 70. loquuntur Interpp. de longè, à summo nempè cælo congregauit vitam, annonam nempe panis illius, qui de se aiebat: *Ego sum panis viuus, qui de cęlo descendi;* ad vitam omnium mortalium abundantissimè sustentandam. Et iure Panis hic viuus dans vitam mundo, dicitur Panis Virgineæ huiuscè nauis, Panis denique Deiparæ, quia in ipsa fuit de purissimis eius sanguinibus, velut dulcissimâ farinulâ confectus, inque eius vtero, ceu clibano, diuiniori Spiritus Sancti igne pistus, extitit. Qui sanè panis non modo nobis vitam, & abundantiorem vitam, verumetiam infinitas, immensasque diuitias, bonorumque omnium copiam congregauit,

Panis huius Nauis Institoria immẽsas diuitias bonorũque omnium copiam continet.

vt legere Complutenses. Siquidem sub illis panis speciebus continetur ille, qui quondam aiebat Moysi: *Ego ostendam tibi omne bonum;* bonum, inquam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, & in quo complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis, virtualiter perfectiones vniuersæ creaturæ complectentis, inhabitare.

14. Atque, vt huius nauis immensum hunc cæli Panem vectantis magnitudo intelligatur, aptè admodum ex originali voce Hebraicâ legitur: *Facta est quasi naues;* vt intelligeremus, Deiparam classem quandam ingentem esse nauim, annonam copiosissimam ad vitam tolerandam, aliasque copiosissimas diuitias, vsibus humanis opportunas vectantem. Simili ratione cum eã Mulierẽ fortem appellamus, ea fortitudine ac robore eam prǽditã, atq; instructã credamus oportet, qua validissimum quempiam, numerosissimum, ac bene ordinatum selectissimorum militum exercitum intelligimus. Vnde eius inuictum agnoscens robur ipse Salomon admirans dicebat: *Quæ est ista, quæ progreditur terribilis vt castrorum acies ordinata?*

B. V. non solum nobis Nauis est sed, & ingẽs classis ad nostrum deficationem.

15. Qua ex consideratione sanè pijssima atque vtilissima quisque fidelis, ac pius Virginis clientulus in magnam sese spem debet erigere, habiturum se in Virginis tutelâ, ac patrocinio constitutum, non modo firmum aduersùs hostes tam visibiles quam inuisibiles munimen, præsidium, Turrim fortitudinis, Ciuitatemque refugij, verumetiam vitæ & spiritualis, ac corporalis copiosissimam sustentationem, opum cælestium, gratiarumque omnium, quæ veræ hominis sunt diuitiæ, amplissima incrementa. Experietur denique Deiparam non solum sibi, sed & vniuersis suis deuotis cultoribus esse omnia in omnibus. Vnde non immerito pronunciauit S. Bern. serm. 3. in Salue Reg. *Ipsa nobis Ciuitas Dei, ipsa cælum, ipsa terra, ipsa sol, ipsa luna, & stella matutina, aurora ipsa, lucerna, fons quoque hortorum, & lilium conuallium. Ipsa terra promissionis lacte, & melle manans, stella maris, Nauis quoque via in mari, sagena, vinea, ager, arca, horreum, apotheca, aula, turris, castra, acies, populus, Regnum Sacerdotium. Ouis est, pascua est, Paradisus est, palma est, rosa est, fluuius est, potus est, columna est, vestis est, margarita est, candelabrum est, mensa est, corona est, sceptrum est, panis est, oleum est, vinum est, arbor est, cedrus*

B. V. suis clientulis est omnia.

drus eſt, cypreſſus eſt, platantes eſt, cinnamomum eſt, balſamum eſt, myrrha eſt, thus eſt, oliua eſt, nardus eſt, crocus eſt, fiſtula eſt, calamus & ſtorax eſt, ſoror & Mater eſt, &c. Ex qua Bernardi ſententia colligimus Virginem ſanctiſſimam nobis nõ modo Nauem eſſe, ſed omnia quæcunque in hac vita poſſumus deſiderare adeo bonis omnibus, mercibus varijs, ingentibuſque diuitijs referta eſt.

16. Et ſanè Nauim hanc omnibus ijſque copioſiſſimis opibus plenam eſſe oportuiſſe, vel inde colligimus, quod nauis Inſtitoris, hoc eſt, mercatoris, non cuiuſcunque, ſed aſſiduè opibus coaceruandis, magnâ ſedulitate ac induſtriâ inſtantis, immenſaque maria, regioneſque longinquas circumeuntis vocitetur. Quemadmodum enim mercator opibus comparandis aſſiduè inſtans, incumbenſque, & in itu, & in reditu merces ſemper diuerſas vehendo, atque reuehendo duplex lucrum reportare, remque ſuam familiarem inſigniter augere, ingentibuſque opibus locupletari conſueuit: Sic Virgo Deipara dum in hac vita degeret, contemplatiuæ ſimul, atque actiuæ vitæ exercitationibus diligentiſſimé inſiſtens, diuitijs ſpiritualibus comparandis, ſupergreſſa eſt vniuerſos. Dum enim in DEVM per altiſſimam contemplationem, vehemétiſſimo charitatis impetu ferebatur, ire quodammodo; dum ad erudiendo, ſolandoſque fideles ſeſe demittebat, redire videbatur, ſicque nouis ſemper meritorum, gratiarumque diuinarum mercibus onuſta, vltro citroque commeãs, ingentibus cæli opibus eam locupletari neceſſe fuit.

B.V. vitæ cõtemplatiuæ, & actiuæ actionibus gentes ſibi diuitias cõparauit.

17. Deiparam porrò vitæ mixtæ exercitationibus totius vitæ curriculo ſemper fuiſſe intentam, nobiſque huiuſcé laudabilis vitæ pulcherrimum, luculentiſſimumque exemplum præbuiſſe diſertè P. Aluarez de Paz de vita ſpirit. lib. 2. Part. 5. cap. 42. declarauit, cuius verba, quia concinnè rem totam explicant apportare libet: *Deiparam V.* inquit ille, *vitam mixtam, & dilexiſſe, & opere præſtitiſſe: non ſolùm ardens amor in Filium, & perfectiſſima eius imitatio, verumetiam ipſius Nomina, quibus ab Eccleſia inſignitur, ipſius opera, quibus tanquam precioſis gemmis eſt eius vita contexta, & ipſius filij, & ſerui magni Doctores Eccleſiæ ſatis teſtatum faciant.*

B. V. Nomina, quibus vitæ Actiuæ, & Contemplatiuæ ſtudioſa fuiſſe oſtenditur.

Nomina enim ei ab Eccleſia, & Patribus attributa, ſi rebus vacua non ſunt, ſicut reuera non ſunt, quædam contemplationis ſublimitatem, quædam actionis perfectionem, & alia vtriuſque operis miſtionem deſignant. Nomina illa actionis perfectionem declarant: Mater, Domina, Regina, Hera, Aduocata, virtutum operatrix, Mater namque pijſſima, filiorum ſuorum, qui omnes peccatores ſumus, ſolicitudinem babet: Domina ſeruis neceſſaria miniſtrat: Regina aulicos ſuos ſubiectos defendit. Hera famulis, ac famulabus iuſta imperat: Aduocata egenorum patrocinium ſuſcipit: & virtutum operatrix, vniuerſarum virtutum exemplum præbet. Hæc verò altitudinem contemplationis oſtendunt. Halma, hoc eſt, Puella abſcondita, & à conſortio, ac conſpectu virorum ſegregata. Virginum Magiſtra, Lumen, Princeps, atque Exemplar, Cælum, Domus, ac Tabernaculum Dei, Templum Deitatis, & Triclinium Trinitatis. Quare enim ab hominum conſpectu ſecluſa degebat, niſi vt Dei oculis tota pulchra, & formoſa appareret? Quare Virgo niſi vt Verbum carnem factum pariens, ei tanquam Mater adhæreret? Quare Cælum, niſi vt cælorum munus, nimirum perpetua laudatio eius cor iugiter occuparet? Quare domus Dei, niſi vt ignitis deſiderijs eius præſentiam affectaret? Quare Templum Deitatis, niſi vt in ſeipſa Deitatem puriſſimè coleret? Quare Triclinium Trinitatis, niſi vt tribus virtutibus fide inconcuſſa, ſpe certa, & charitate illibata, tanquam tribus menſis optimè præparatis ad ſe totam Trinitatem alliceret? Hæc tandem vtriuſque vitæ in vnam copulatæ miſtionem exponunt: Illuminatrix, Stella, Columba, Ianua cælorum, Scala cæli, & totius noſtræ Religionis Magiſtra. Illuminatrix enim prius à Deo illuminata eſt, quàm nos cæcos, & ignaros illuminet. Stella prius à ſole lumen accepit, quam huius mundi mare tranantibus, portum ſalutis demonſtrato Columba, antea comparem ſuum dilectionis adſtringit amplexibus, quam adoptionis filios effundat. Ianua cælorum, ſicut & alijs ingreſſum, & egreſſum pandit, ita & ſibi prior, & diligentior aſſumit. Scala cæli, & aſcenſum ad DEVM, & deſcenſum ad proximos præbet. Et demum Religionis magiſtra prius ſecus pedes Domini didicit, quod alios erat verbo doctura. Opera verò multo clarius aperiunt Mariam fuiſſe vitæ mixtæ cultricem.

Quibus virtutibus B.V. Triclinium ss Trinitatis effecta ſit.

Nomina B. V. quæ vitam mixtam in illa oſtendunt.

Nam ſi eam, vt vitæ contemplatiuæ deditam aſpiciamus, oſtentabit ſe nobis non iam vt cæleſtis tantum creatura, ſed tanquam prima quædam, & perfectiſſima contemplationis idea. Mundi tumultus ipſa conſtantiſſimè fugiebat, ſæculo ac eius curis defuncta viuebat, diebus & noctibus orationi, & precibus incumbebat, Templa, & loca ſacra reſperſa Redemptoris ſanguine amabat in carne, ſed ſic ac ſi eſſet ſine carne,

B.V. Prima & perfectiſſima contemplationis idea.

carne, vitæ suæ annos transigebat. Hoc vnum illi erat institutum, desiderijs, gemitibus, ac suspirijs ad cælestia tendere, cum Angelis, atque omnibus alijs cælestibus conuersari: Scripturarum lectione, & sacris studijs animum pascere: Christi IESV vitam meditari, doctrinam euoluere, Crucem adorare, cruenta vulnera, & acerbam mortem deflere, gloriam eius contemplando exaltare. Vacabat illa, & videbat, quoniam filius est DEVS, videns accendebatur amore, succensa liquefiebat, liquefacta immergebatur, immersa rapiebatur, rapta transformabatur, & transformata non iam vitam humanam, sed plane cælestem, & Deo, vt creaturæ conceditur, quasi simillimam agebat. Si autem vt animarum saluti vacantem contemplemur, apparebit, iam nobis vt omnium Apostolorum, & Apostolicorum virorum exemplar, in medijs populis habitationis sibi locum constituens, vt tanquam Luna plena, & nullum vnquam defectum patiens fidelibus exemplo, & verbo luceret: egentibus & pauperibus assidebat illa, qua cum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia. Prou. 8. vt opum suarum illis partem sine vlla sui imminutione tribueret. Inter Virgines, & viduas habitabat, quo & illis doctrinam puritatis, & istis consolationis affectum daret: feruentissimâ precatione, verbis, scriptis, & Apostolorum ministerio labantes erexit, stantes confirmauit, iacentes sustulit, contritos curauit, desides animauit, ægrotis opem tulit. Quid plura? Vniuersorum fidelium fuit consiliatrix, procerum Ecclesiæ doctrix, mysteriorum Dei explicatrix, ac totius militantis Ecclesiæ columna firmissima. De vita porrò Virginis contemplatiua S. Hildephonsus ser. de Assumpt. ait eam multo melius quā Magdalenam ad pedes Domini consedisse, & verba eius ardentius auscultasse. Guerricus ineffabilem voluptatem percepisse ex consideratione eius mysterij, quod Christus sit DEVS, quem super omnes puras creaturas magis amauit. Dionysius Richelius post glorificationem Filij multo verius sæculum illi viluisse, & cælestibus intentius inhiasse. Rupertus eam super sacrificij adipem, igne amoris liquefactam, quoties Christi mysteria cogitabat. De actiua verò ait Bernardus Mariam melius, quam alios, tanquam magis edoctam Euangelij mysteria reserasse. Eusebius vt ipsa docente, narrante, & annunciante verba Euangelij scriberentur, ea omnia conseruasse, & in corde suo contulisse. Rubertus tenuisse eam tempus tacēdi ante Christi filij sui ascensionem in cælum, & post illam tempus loquendi illi aduenisse. Antoninus demum, & Sapiens Idiota Virginis vt vitam Apostolicam adstruant, eam doctricem Doctorum, & Apostolorum Magistram appellant.

B. V. erga proximos feruens charitas.

B.V. post glorificationem Filij maximè sæculum viluit, & cælestibus magis inhiauit.

B.V. super sacrificij adipē igne amoris liquefacta in contemplatione Mysteriorum Christi.

Optimè ergo & verè B. Virginis vita vocatur mista, quæ ita contemplationem habuit, vt actionem fidelibus vtilem nō omiserit, & ita actionem istam impleuit, vt tamen nunquam à perfectissima contemplatione discesserit. Sic ille. Ex quo pijssimi ac Religiosissimi viri discursu clarè perspicimus Virgineæ huiuscé nauis itinera aliud nihil extitisse, quam iugem in Dei amplexus, & amorem, per contemplationem, & proximi vtilitatem per actionem tendentiam ac perfectionem, quibus ingentes sibi meritorum, gratiarumque thesauros comparauit; eò quod semper intensiores atque intensiores actus virtutū, ad extremum vsque vitæ terminū exercendo, immensam gratiam, vt loquitur Epiphanius, & Bonauentura sibi cumulauerit.

B. V. tota vita mixta ex actione, & contemplatione.

M. Magdalena, & Martha figura vitæ Contēplatiuæ, & Actiuæ B. V.

18. Hinc Pelbartus lib. 10. stel. Par. 4. art. 1. & 2. Martham, & Magdalenam vitæ actiuæ, & contemplatiuæ laude fœminas longè celeberrimas, figuram extitisse asserit Virginis Deiparæ, quas illa multis parasangis superauit. Ostendit deinde iure à Martha figuratam Dei param, cum dicat Euangelista, *quod Mulier Martha nomine excepit eum in domum suam*. Verè enim & Virgo Beata dicitur Mulier, *quasi molliens Herum, vel Heroem*, quia in tantum emolliuit, & placauit DEVM, ac mitigasset, vt nostros defectus in eius sacro vtero susciperet, qui defectum nesciebat, fieretque passibilis, & mortalis, famescens, ac sitiens, atque nostras iniquitates ipse portaret satisfaciendo, & miserendo nostri, qui quondam de minimis peccatis duram vindictam expectabat, vt patuit tempore diluuij. Vnde ipsa significatur per Virginem, quæ ferocissimum Rhinocerotem emollit, inque sinu suo dormire facit, vt capiatur. Verè Virgo nostra est Martha, quę Virgo fuisse perhibetur. Eius Nomen significat secundum Hieronymum, Prouocantem, seu Dominātem, quod Deiparæ congruit mirificè. Ipsa enim prouocauit sua Virginitate, atque humilitate Dei Filium, vt in suum purissimum vterum aduenire dignaretur, per cuius aduentum Domina mundi effecta est, vti ipsa cecinit: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suę, ecce enim ex hoc beatam me dicent, tanquam Dominam mundi omnes generationes*. Hæc denique Martha nostra excepit IESVM in domum vteri sui Virginis. Vnde canit Ecclesia:

B.V. dicitur Mulier quasi molliens Herum vel Heroum, placando Deū.

B. V. ferocissimum Rhinocerotem quomodo emolliuit.

Marthæ nomen quid denotet.

Quomodo B.V. functiones Marthæ obierit.

Domus

Domus pudici pectoris Templum repente fit Dei, intacta nesciens virum verbo concepit Filium. Hæc plusquam Martha, imò præ omnibus excellentissimè, atque incomparabiliter opera actiuæ vitæ Christo exhibuit. Illa enim DEVM pro nobis factum egenum vestiuit carne, à Spiritu S. ex suo purissimo corpore efformata. Ipsa cum in vtero suo habitantem, purissimo suo, Virgineoque sanguine nouem mensibus aluit. Ipsum quasi tenerrimum, & admodum infirmum fouit. Ipsum hospitio Virginali exceptũ, tanquam in gratissimo lectulo, fecit cõquiescere. O' quanta charitate, quanta hilaritate mẽtis quotidie ipsi in vtero manenti gratias egit, quod Dei Filius in ipsius vterum descendere, eiusque Filius fieri dignatus fuerit! Quid tandem de solicitudine Virginis, qua totius vitæ decursu satagebat circa frequens ministerium, Christo vsque ad finem vitæ ministrando? Ipsa filio mox, vt natus est sola ministrauit. Nulla ibi obstetrix, nulla mulierum sedulitas, intercessit, sed ipsa sola Virgo de terra Christum natum leuauit, ipsa nudum pannis inuoluit, ipsa sola famescẽtem lacte Virgineo cibauit, ac potauit, ipsa vlnis portauit, & balneauit. O quam frequenter ipsum, vt filium osculabatur, & vt DEVM amplexando, & adorando venerabatur! Et certè piè creditur, quod quotiescunque eum manibus tangere oportebat, vel contrectare, in vlnas, gremiumvé ipsum excipiendo, primum eundem genuflexo, & inclinato capite adorabat. Ipsa illi, vbi adoleuit, fecit tunicam inconsutilem. Iam quis cogitare poterit quam dulciter 30. annis cum ipso conuersata sit, in vna eademque mensa comedendo, cibum ei apponendo, & dulcissimè mutuò colloquendo, in omnibus necessarijs, vsque ad mortem ministrando?

B.V. crebro quia Paruulo IESV exhibita.

19. Iam quid de eius vita contemplatiua dicemus, qua & Magdalenam sedentem ad pedes Christi, & omnem tam Angelicam, quàm humanam creaturam superauit? Quia ipsa secundum Nomen suum fuit in primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti mirificè illuminata, & deinde in Filij Dei Conceptione, & Spiritus sancti obumbratione lumen hoc mentis, cælestisque sapientiæ, tanta accepit incrementa, vt nulla mortalis mens, aut lingua, imo nec Angelica capere, aut eloqui valeat. Vnde aliqui dicunt, vt & Sanctus Bernardinus de Senis, quod tanto lumine B.V. illustrata fuerit, cum etiam esset in ventre suæ Matris, vt non tantummodo habuerit plenum liberi arbitrij vsum, plenumque rationis lumẽ, verumetiam in sublimiori contemplationis statu, quam vnquam pura aliqua creatura viatrix, ita ætate perfectâ extiterit.

Vita Contẽplatiua B.V. perfectissima.

B.V. in vtero Matris sublimissimam contemplationem præ omnibus viatoribus habuit.

Tam altæ denique contemplationis lumine tunc perfusa fuit, vt perfectius etiam in ventre Matris DEVM quam vlla creatura in matura ætate constituta contemplata sit. Et licet aliquando, sicut, & cæteri, corporaliter dormiret, attamen somnus, qui vsum rationis in nobis sopit, meritumque tollit, in ipsa neutiquam fuit. Vnde dicere poterat: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Cant. 5. Hinc ipsa magis excessit in Dei contemplatione dormiendo, quam aliquis vigilãdo. Nemo vnquam sicut hæc Virgo beatissima *gustauit quam suauis est Dominus, inebriabatur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis suæ potabatur. Nec mirum quoniam apud eam, imò intra eam erat fons vitæ, de quo manabat perfectio vtriusque vitæ*.

B.V. magis excessit in Dei contemplatione dormiendo, quá aliquis vigilando.

20. Quæ sanè vtriusque vitæ perfectio simul iuncta fuit admirabilis, atque singularis. Nam vt scribit pijssimus Vbertinus Casalius in libro Arboris vitæ, occupationes exteriorum sensuum in Deipara circa quæcunque bona opera, ac ministeria exhibita Domino IESV, nunquam impediebant in ea recollectionem mentis, & contemplationis actum, atque experimentalis gratiæ gustum. Sed & ipse contemplationis actus mentem Mariæ plenè in DEVM recolligens, nũquam impediuit virtuosum, & debitum officiũ administratiuæ partis interiorũ sensuũ quin dulcissimè suo Filio tam in infantilibus eius necessitatibus, quàm alijs, decursu vitæ suę opportunis; in instructione demum Apostolorum, aliorumque proximorum. Imò duæ istæ perfectiones, actio, atque contemplatio, in ipsa mutuis se respectibus continuè ad virtutum, gloriæque cumulum intendebant. Hæc Vbertinus. Ex quibus per exercitationes tã actiuæ quã cõtẽplatiuæ vitæ, summâ cum perfectione iteratas, colligimus, Deiparam summa, imo infinita quædã tam gratiæ, quam gloriæ sortitam fuisse incremẽta.

In B.V opera externa exhibita Filio non impediebant recollectionem mentis.

21. Hanc ipsam eandem vitæ mixtæ rationem excellentissimam in Virgine extitisse deprehendimus ex Hebrai-

B.V. similis Naui cuiuspiam diligẽtis mercatoris die noctuque circumeuntis.

braico textu, *qui eam Nauem die, noctuque circumeuntis mercatoris fuisse affirmat*. Quibus ex verbis beneuolentissimam eius indolem agnoscimus, qua ipsa ad Panem suum, ad gratiarum, donorumque suorum merces, à remotissimis cælorū regionibus aduectas, nobis communicandas vtitur, totumque orbem assiduè, perdia, & pernox, nobis dormientibus, quodammodo circumit, vt eas distrahat, vt nos Pane suo nutriat, ac sustentet, vt nos omnibus cæli bonis, virtutum diuitijs, auro, argentoque puritatis, gēmis gratiarum omnium locupletet.

B. V. cū mortalibus commercia.

Circumit quoque mundi regiones vniuersas ideo, vt à nobis merces rursus in cælum asportet, easque filio repræsentet, quales sunt gratiarum actiones, Diuinæ laudes, Angelicæ salutationes, vota, supplicationes, ipsius Templorum visitationes, ardentia Deo, ipsique famulandi desideria, amor sanctæ paupertatis, castitatis, obedientiæ, virtutes denique omnes Christiano homine dignæ, quibus Filio in cælo oblatis, rursus nouas gratiarum merces deuehit, mortalesque omnes ipsius cultui, ac clientelæ addictos ingentibus cæli diuitijs, quasi dormientes implet, exornatque, adeo vt non modo rebus ad vitam vtriusque hominis tolerandam necessarijs verumetiam ad deliciandum abundent. Hinc Bernardinus Bustius Par. 12. Mari. ser. 1. vel ob solam ex Angelicis Salutationibus velut rosulis ipsi contextam coronam, ait eius clientulos quodammodo dormientes locuplatari, Matrisque benedictionem, qua firmatur domus filiorum, acquirere, illudque in illis Psalmistæ verificari: *Campi tui replebuntur vbertate, pinguescent speciosa deserti*. Vbi per campos intelligit sæculares, qui suas longè, lateque sequūtur proferuntque voluptates. *Et his*, inquit, *Coronam facientibus dat B. V. vbertatem fructuum, diuitiarum, honoris, & gloriæ, ita vt etiam dormiendo ditentur; deque illis dici possit. Benedixit eis, & locupletati sunt nimis*. Et illud Prou. 11. *Anima, quæ benedicit, impinguabitur*.

Coronam B. V. recitantes etiam sæculares quasi dormientes locupletantur.

In B. V. fuit semper indefessum proficiendi studium.

22. Ex hac denique Nauis appellatione colligimus in Deipara indefessum, & nunquam interruptum in virtutibus proficiēdi studium. Quemadmodum enim Nauis seduli alicuius institoris, ventis propitijs aspirantibus, nec dies nec noctes, licet reliqui dormiant, vnquam conquiescit, sed immensa oceani emetitur spatia, nouis semper mercibus locupletata: Sic Virgo beatissima die, noctuque, alijs aliud agentibus, maiora semper, ac maiora virtutis, perfectionisque, Spiritus S. iugiter aspirante, velaque implente Fauonio, sulcabat æquora, spatiaque infinita cōficiebat. Atque ita non solum in sanctis laboribus, ac exercitationibus tam contemplatiuæ, quàm actiuæ vitæ erat perdia, sed etiam pernox, & nunquam lascescebat. Dum enim dormiebat corpus, vigilabat animus, vt ait Ambrosius. Quibus assiduis nunquam totius vitæ tempore intermissis itineribus, quantam diuitiarum spiritualium vim, quātos thesauros gratiarum, meritorū que sibi comparauerit, quæ mens capere, quæ lingua eloqui valeat?

Cultores B. V. iter quasi dormiendo conficiunt, simulque in virtute proficiunt.

23. Ex hac consideratione sanè consequitur Virginis pios amatores, ac cultores, qui se eius patrocinio ac obsequio, velut tutissimo commisere nauigio, iter dormiendo quod B. Climachus de obedientibus aiebat, conficere, & immensa Christianæ perfectionis maria, ingentibus turbulenti huius mundi Oceani superatis periculis ac procellis emetiri, deque eius copiosissimis opibus, ac preciosis mercibus participare. Siquidem illas vltro nobis, magna significatione charitatis offerre videtur, dum Eccl 24. inquit: *Venite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini*.

B. V fructus ventris IESVS precior auro, & lapide precioso.

24. Quam verò hæ ipsius generationes suæ genimina preciosa sint Prouer. 8. ostendit, dum ait: *Melior est fructus meus auro, & lapide precioso, & genimina mea argento electo*. Dum enim nobis Virgo nec hæc, atque animata Nauis Panem suū, dilectissimum nempe Filium preciosum fructum ventris sui, genimenque vteri sui nobilissimum, quo non præstantius vllum, nobis affert, affert sine dubio simul aurum, argentum lapides preciosos, immensas denique cum illo cæli diuitias, quibus dum viuimus magnâ animi tranquillitate perfruentes, Charbydis, Scyllæque rabie, alijsque æstuantis mundi maris deuictis monstris, æuiternæ felicitatis portum summâ gestientes lætitiâ diuinarum laudū celeusma concinentes ingredimur. Ipsa enim nobis non modo Nauis, verumetiam lucidissima stella maris est, cuius nominis mētibus nostris affulgescente splendore securi omninò, licet varijs tempestatibus, ven-

B. V. nō modo Nauis est, sed etiam stella maris.

ventorumque turbinibus agitati, nauigamus. Lucem hanc Virginis inter medias tempeſtates, periculaque mundi huius, iter noſtrum irradiantem agnouit S. Amad. Hom. 8. de laud. B. V. *Ex quo cælos, inquiens, cum Filio ſuo regnatura conſcendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit ſe; ad opitulandum naufragãtibus videlicet, mirabiles elationes maris ſolo nutu compeſcitura. Mare quippè præſentis ſæculi nauigantes, ſeque plena fide inuocantes, ab impetu procellæ, & ventorum rabie eruit, eoſque ſecum ouantes ad littus feliciſſimæ patriæ perducit. Dici non poteſt, chariſſimi, quoties hi, aſperrimis ſcopulis naufragaturi offenderẽt, illi in ſyrtes peſſimas non reuerſuri inciderent; quos Scyllæa vorago hiatu horribili mergeret; illos ſirenarum cantus in exitium dulces, detinerent, niſi ſtella maris, perpetua Virgo Maria ope validiſſimâ obſtitiſſet, ſuoſque iam fracto gubernaculo, & rate conquaſſata, omni humano conſilio deſtitutos, cæleſti ducatu ad portum æternę pacis appli ando, eueheret.* Hæc Amad. piè, ac peruenuſtè.

B.V. in maris periculis fideliſſima adiutrix.

25. Quare conſideratis hiſcé Virginis noſtræ profectibus, lucriſque ſpiritualibus, quibus & ſe, & fideles ſuos clientulos locupletat, opimiſque ſpolijs onuſtos in beatitudinis æternæ portum introducit de ea potiori iure dicere poſſumus illud, quod de Eccleſia pronunciauit Venerabilis Beda: *Nauis per mare vadit peregrina, vt illic venditis, quæ attulerat, cariora ad domum reportet: ſic nimirum B.V. ſic anima quæque perfecta virtutum diuitijs gaudet onuſtari, quibus maiora diuinæ gratiæ dona mercetur. Optimum namque eſt commercium cum bona, quæ valemus operantes, primo hanc à Domino mercedem recipiamus, vt ad maiora ſemper agenda proficiamus, deinde vitam percipiamus ſempiternam. Facta eſt ergo Virgo quaſi nauis inſt toris; quæ tranſit deſiderio fluctus ſæculi præſentis, ſolaque ſe in cęlis accipere ſperat ęterna gaudia, & pro his abundantius adipiſcendis, quicquid valet inſtanter agere, quicquid aduerſum occurrit fortiter ſuperare contendit.* Sic Beda.

B.V. ſuæ gratia ſibi à Deo conceſſa maiora cæli dona mercabatur.

27. Securitatem hanc noſtram in hac animata Naui contra omnes maris huius ſæculi turbulentos fluctus, ac procellas nos ſubituros inſinuauit S. Ioan. Damaſcenus Orat. 1. de Dormit. Deip. dum ait: *Hæc eſt, quę gratię abyſſum inuenit, & duplicem Virginitatis nauim incolumen ſeruauerat, animamque non minùs, quàm corpus incolumem cuſtodierat.* Quaſi diceret: Quemadmodum Deipara ſanctiſſima animæ, corporiſque Virginitatem, veluti nauim in hoc tempeſtuoſo mari huius ſæculi, Panem ſuum, imò Dei Filiũ ad mortalis deuehendo, in vtero ſuſcepit, concepit, pepetitque, nullo prorſus vtriuſque Virginitatis facto naufragio, ita quicunque ſe Virgineæ huic animatæque naui commiſerit, ſalua naue, ac vtraque puritate tam animæ quam corporis merciбuſque, incolumis ſempiternæ patriæ portum ingredietur.

Duplex nauis in B.V. mentis nimirum Virginitas, & corporis.

Qui B.V. patrocinio ſeſe committunt Virginitatem animi corporiſque conſeruant.

Hinc Richar. a S. Laur. lib. 11. de laud. B.V. ſapienter obſeruauit verſiculum illum Prouerbiorum: *Facta eſt Nauis Inſtitoris*, ſub Litera HE contineri, & interpretatur, *Eſſe, ſeu viuere; vel ſuſcipiens, & ſuſceptio, quod totam naui huic bene*, inquit ille, *conuenit. Maria ſiquidem per Panem vitę, quam de cęlo ſuſcepit, & in vtero portauit, habuit, quoad ſe, Eſſe, verum in pręſenti vita, & modo habet viuere ſempiternum; ab illo quoque ſuſcepta eſt, in æterna gloria, quem de cęleſtibus venientem vteri ſui glorioſo ſuſcepit hoſpitio. Nos etiam per filium eius, quia ait Ex. 3. Ego ſum qui ſum, habemus verum eſſe, quamdiu ſumus in eo, vt membrum ſanum in corpore, ab illoque habitum iſumus viuere ſempiternum, quia ipſe eſt vita, ſi eius in ſeruitio perſeuerauerimus. Vnde S. Auguſt. Qui ab eo, qui dicit, Ego ſum, recedit, nihil eſt: Litera He denique eſt demonſtratiua, ſignificans iſta, vel ipſa, quo nobis quaſi innuitur: Iſta notabilis perſona, quam debent omnes agnoſcere, & amare, quia prima de cælo ſuſcepit Panem illum, qui eſt eſſe, ac viuere, à quo ſuſcipimur, & quem ſuſcipimus, ipſo mediante facta eſt quaſi Nauis inſtitoris. Ipſa enim de ſupernis accepit Dei filium, qui ſolus verè eſt, et viuit, & à quo omne, quod eſt, & viuit, eſſe, & viuere mutuatur. Ipſa quoque B. Maria noſtra eſt ſuſceptio in mari ſiquidem huius mundi ſubmerguntur omnes illi, quos non ſuſcipit Nauis iſta, & quos a peccatorum naufragio minimè ſubleuat. Vnde Sapiens 14. Tranſeuntes mare per Ratem Mariam videlicet, liberati ſunt. Ideo Naui huic Dominus dixiſſe videtur: Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terrę, & omnem, qui inuocat Nomen meum Iſ. 43. Quare quoties videmus inſurgentes ſuper nos fluctus huius maris, ad Mariam clamandum eſt cum Pſalm. 143. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis & cum Diſcipulis: Domina ſalua nos, perimus. Littus enim optatum non attingit, ſine te fluctuans in hoc mari. Tu enim in fluctibus huius maris ambulans nobiſcum, eos tranquillas, atque componis.* Ita ferè Rich.

A Deo, qui per eſſentiam eſt habemus verum eſſe.

In fluctibus maris huius clamandum ad Mariam vt ſaluet nos.

28. Quod ſi literam hanc Hebream He, vt eſt aſpiratio conſideremus, rectè

B. V. nostra Nauis, & aspiratio, vt velut Fauonio classe cito iter nostrum ad beatam patriam conficiamus.

Virginem nostram, & Nauim, & aspirationem nobis esse indicat; siquidem illis, qui sese ei in tempestuoso huius seculi pelago committat, & securissimam nauigationem, & prosperam Diuini Fauonij, vsque ad beatę vitæ portum, aspirationem pollicetur. Ad hanc Nauim mystico sensu illud Act. 27. applicari potest: *Nisi manserint in naui, vos salui fieri non potestis.* Quare Pierius Valer. libr. 45. Hierogl. ait Veteres, hominem, qui rebus suis tutelam, præsidiumque opportunum sibi præparasset, per Nauim, Anchoramque significare fuisse solitos.

Nauis tutelæ ac præsidij symbolū est.

Nauis salutis indicium, ac Felicitatis.

Hinc, eodem teste, apud Athenienses Nauis extitit salutis indicium, eo quod Theseus, voto facto cum ciuibus Apollini Delio, in patriam se iciter esset reductus. Vnde singulis annis Nauis mittebatur Delon, Apollinij cultum allatura. Idem Pierius Nauem olim asserit Felicitatis Hieroclyphicum apud Romanos extitisse. Hinc in Hadriani nummo Nauis pulcherrimè elaborata, remigio vecta, in puppi, Felicitatis simulacro insignita, cum epigraphe: *Felicitati Augusti*, visebatur; sicut in alio Q. Nasidij nummo Nauim erat videre pāsis velis, in quorum antennâ pulcherrima stella radiabat. Quæ sanè omnia insignia planè sunt Virginis nostrę gloriosissimæ symbola. In ipsa enim tanquam in Naui tutelam, opportunumque in aduersis Fortunæ flatibus præsidium reperimus. In illa rebus desperatis salutem; In illa Felicitatem omnem, cùm ipsa verissima sit Christianorum omnium Felicitas ac Fortuna, vt in Prima parte ostendimus inuenimus. Illa denique tanquam lucidissima nobisque propitia Cynosuræ atque Elices stella in procellosissimi huius maris periculis affulgescit.

B. V. nostra Nauis tutela ex præsidiū, nostra salus ac fælicitas stellaque lucidissima.

29. Quare iure merito Virginea animataque Nauis ista, Argonautarum illi, loquacibus ex tabulis, Dodoneæque syluæ quercubus compactæ anteferenda. & longè loco digniori inter sydera statuenda est, siquidem Panem vitæ nobis attulit, diuitias immortales congregauit, non 53. Argonautas, sed innumeros mortales, per turbulentissimum huius sæculi mare transuexit, inque beatæ patriæ portum securissimè transmisit, inque hodiernum vsque diē infinitas hominum myriades, virtutum, gratiarumque mercibus preciosissimis onustas ac locupletatas transmittit.

Nauis Virginea Naui Argonautarum cur antepo nenda?

30. Et verò si ipsas Virgineæ huius Nauis, ex quibus consistit, considerare velimus causas, eam longè præstantiorem Argo in omni genere causę reperiemus. Illam, vt fabulantur Poetæ, sapiētiâ sua, ipsa Pallas fabricasse memoratur. Hinc Ouid. lib. 3. de Trist.

Nam rate, quæ cura pugnacis facta Mineruæ
Per non tentatas prima cucurrit aquas.

Hāc vero tota Trinitas, vt testatur Bernardinus Bustius Part. 9. Mari. ser. 2. fecit, ac fabricauit. DEVS enim Pater in ea suam potentiam demonstrauit, ac quodammodo collocauit, quatenùs potentiam, Diuinitatis receptiuam illi contulit: Filius sapientiam, quatenus Virginitatis sigillum integrum, atque incolume, vt ait Damascenus, conseruauit. Spiritus S. demum suam gratiam ei communicauit, qui eandem gratiæ suæ plenitudine dotauit; Vnde de qualibet Persona Diuina, inquit Bustius, dici potest illud 1. Paral. 20. *Particeps fuit vt faceret nauim, quæ iret in Tharsis*, ad aurum, gemmasque nimirum, ingentesque spirituales diuitias mortalibus deuehendas. Eundem hunc huiuscé Nauis artificem Trinitatem augustissimam fuisse, asseruit paulò ante memoratus Richardus: *Commendatur*, inquiens, *Nauis hæc primo ab artifice. Vnde dicitur facta est, supple; à Deo, trino, & vno. Eius enim artifex & Conditor DEVS, ait Apostolus Hebr. 11. vt & illius Ciuitatis habentis fundamenta, in montibus nempe sanctis, quæ ipso Virgo est. Nauis huius Artifex est quoque ipsa Dei sapientia velut, altera ex cerebro Iouis generata Pallas, quæ sicut ædificauit sibi domum in Virgine ad habitandum in terris, conuersandumque cum hominibus, sic etiam construxit in eadem sibi Nauim, qua à longinquis cælorum regionibus ad mortales inuisendos deueheretur. Artifex denique animatæ huius Nauis est ipse Spiritus Sanctus, de quo Sap. 7. dicitur: Omnium est Artifex, virtutem omnem habens, omnia prospiciens, & qui capiat omnes Spiritus.* Hæc fere Richar.

Nauim Virginam non Pallas, sed tota Trinitas fabricauit.

31. Quod si causam materialem Nauis huius consideremus eam eminentiorem, ipsa Argo deprehendemus. Hæc enim fabulosis, ac vocalibus Dodonææ syluæ quercubus fuisse cōpacta: perhibetur illa verò ex odorifera in primis, Deoque gratissima Virginitatis animi, corporisque cedro incorrupta; ex charitatis cypresso onerum, temporumque patientissima, ipsi morti cedere nescia, siquidem eius: *Fortis fuit, vt mors*

Ex quibus arboribus Nauis Virginea fuit cōpacta?

mors dilectio, dura ſicut Inf rnus æmulatio. Hinc Plinius lib. 10. c. 4. *Cariem, vetuſtatemque non ſentiunt cupreſſus, & cedrus; additque cupreſſi nitorem eſſe æternum*. Ex oliuâ ſemper virentis pietatis, quæ nullo vnquam tempore, neque in vere iuuentutis, nec autumno ſenectutis, nec hyeme tribulationis, nec æſtate æſtuantium cupiditatem vlli vnquam defuit. Ex Palma diuturnæ vitæ, ac viroris immarceſcibilis, qua Virginis æuiterna gloria, glorioſiſſimaque de Tartareis hoſtibus victoria, in quocunque mundi huius diſcrimine, nobis inuitur. Virginea denique hæc, atque animata Nauis ex Platano humilitatis compoſita eſt, quæ virtus Virginem paruulam in oculis ſuis, ad inſtar nardi, adeò proceram, amplamque reddidit, vt eum Virginei vteri anguſtijs caperet, quem vniuerſa capere nequit creatura. Virgo enim hęc, etſi, vt inquit Bernardus; Virginitate Deo placuit, humilitate tamen concepit, eumque quem cæli cælorum comprehendere non poſſunt, puriſſimi vteri breuitate cōſtrinxit. Quod vel Claudianus Gentilis conſiderans, tantæ rei nouitate perculſus, admiranſque ita modulatus eſt:

Cupreſſus & Cedrus cariem ac vetuſtatem non ſentit.

Claudiani Poetæ Ethnici de partu B. V. pius ſenſus.

Virginei tumuere ſinus, innuptaque Mater
Arcano ſtupuit compleri viſcera partu
Auctorem paritura ſuum mortalia corda
Artificem texere poli; mundique repertor
Pars fuit humani generis, latuitque ſub vno
Pectore, qui totum latè complectitur orbem.
Et qui non ſpatijs terræ, non æquoris vndâ,
Nec capitur cælo, paruos confluxit in artus.

32. Qua ſanè ex vteri Virginalis virtuali latitudine, ſub qua, velut amœniſſima Platano, Dei Filius homo factus ſuauiſſimè conquieuit, vt ipſamet Virgo conteſtata eſt: *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; clarè colligimus quanta, quam ampla demum ſit hæc nauis, quæ panem illum immēſum, quo & Angelica, & humana, imò & totius vniuerſi nutritur creatura, comprehendit: Panis enim hic eſt ille, cui canebat Dauid: *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Colligimus denique ex hiſcé precioſis, quibus Nauis hæc, ſuperni Opificis artificio, compaginata eſt, lignis, eius perpetuitatem, & contra inſurgentes aduerſitatum, tribulationumque quarumcunque fluctus ſecuritatem. Et ne quis fortaſſe nos, dum Nauim hanc lignis hiſcé, quemadmodum Argo Dodonæis quercubus, loquacibuſque tabulis conſtare aſſerimus, fabulatos eſſe arbitretur; Audiat vel ipſam rationalem hanc Nauim de ſeipſa loquētem, materiamque, qua quodammodo conſtat clarè indicantem Eccliſiaſ. 24. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut Cypreſſus in monte Sion, quaſi palma exaltata ſum in cades; quaſi oliua ſpecioſa in campis, & quaſi Platanus exaltata ſum iuxta aquas in plateis*. Quibus profecto arboribus ſingulares planè virtutes inſigniaque tam animi, quam corporis ornamenta glorioſiſſimæ Deiparæ, vti iam inſinuauimus, denotantur.

Nauis Virgineæ ſecuritas ob lignorum ex quibus compacta eſt ſoliditatem.

33. Hinc Rich. loco citato Nauim hanc comparans, cum Arca Noe, ait laudandam à virtutum omnium compage, *quia cum ſit*, inquit, *ſpecialiſſimum opus Dei, compaginata eſt virtutum omnium firmitate. Ipſa enim velut Arca Noe, velut Arca teſtamenti ad præceptum Dei de lignis Setin facta eſt, quæ fortia erant, atque imputribilia. Ideo fortè dixerit Iſa. 40. Forte lignum, & imputribile elegit ſibi artifex ſapiens, Chriſtus videlicet ſapientia Patris, qui Mariam ſibi in domum & nauim ædificauit. Dici etiam poſſunt membra Virginis tam animi, quodammodo, quam corporis, huius Nauis materia, quæ ab omni humore noxio, calore Spiritus S. quoad corpus deſiccata, imo præſeruata fuerūt, dolata etiam prudentiâ ſummi artificis, & quaſi complanata, vt eſſent ſine peccati mortalis pondere. Ligna enim Setin leuia ſunt, & ſine ſcrupulo venialis. Ideo dictum eſt Noe Gen. 6. Fac tibi Arcam de lignis leuigatis. Ligna ergo hæc dici poſſunt; Cor humile, Spiritus manſuetus, mens tranquilla, verecunda frons, demiſſa ſupercilia, oculi columbini, auditus obediens, diſcretus olfactus, os taciturnum, dentes abſconditi, labia ſine riſu, lingua veridica, guſtus moderatus, & abſtinens, tactus promptus ab bona opera, modeſtus inceſſus, lumbi accincti fortitudine, pedes ab omni via mala prohibiti. Senſualitas denique ex toto rationi ſubiecta. Siquidem in Arca Noe omnia animalia fuere pacifica, quibus motus ipſius ſenſualitatis congrue figuratur. Membra etiam ſpiritualia B. Virginis, hoc eſt virtutum omnium congeries, quaſi materia Nauis huius extitere. Ipſa enim eſt veri Salomonis Ferculum, quod de lignis Libani, id eſt, de puris virtutibus compoſitum eſt* Cant. 3. Sic Richar.

B. V. nauis compaginata virtutum omnium firmitate.

34. Quid iam de cauſa formali animatæ huius Nauis pronunciabimus? Forma Nauis initio & fine anguſtior, in medio latior, ſupernè aperta, infernè

Forma Virgineæ Nauis.

nè clausa esse consueuit. Talis nimirū fuit Virgo beatissima. In superiori parte, nempe mente, aperta ad cælestium amorem, inferiori verò, ad terrenorum affectum clausa. Initio quoque est stricta, ob angustias persecutionis Herodianæ, vitæ dilectissimi eius Filij, per sūmum nefas, insidiantis, qua mirū quantum cor Virginis mœrore, doloreque contractum fuit. In fine quoque nauis hæc angusta extitit quando Filio suo in angustissimo Crucis lectulo distento, interque acerbissimos dolores animam exhalanti, adstitit. Quas filij tam animi, quam corporis, amantissimique illius cordis cruciatus, atque angustias, ipsa suo corde velut speculo ad viuum repræsentabat, adeo, vt dixerit B. Lauren. Iustin. de Agone Christi. *Cor Virginis factum fuit Dominicæ passionis speculum*. Atque ita ipsa quoque in arctissimo illo Crucis lectulo cum filio iacens, eique commoriens incredilibus cruciata doloribus constringebatur. Nauis demùm hæc in medio lata extitit, quia dum cæli Panem illum ingentem, in se accepit, adeo charitatis amplissimę spatijs dilatata est, vt totius Trinitatis se creantis nobilissimū Triclinium fieri meruerit.

Cor B.V. fuit Dominicæ Passionis speculum atque Imago.

35. Richardus verò huius nauis formam, puppi, prorâ, lateribus, carinâque constantem, quatuor virtutes cardinales ait denotare, quæ in Virgine adeo mirificè reluxere, vt ex his quodammodo composita esse videretur.

B. V. virtutibus Cardinalibus quasi composita.

Igitur B.V. inquit ille, *fuit quasi Nauis ex quatuor his virtutibus, quæ dicuntur cardinales, velut ex quatuor partibus principalibus composita, & compacta; quas illa sui nominis interpretationibus manifestissimè indicat. Maria enim illuminata vel illuminatrix, Mare amarum, Domina, stella denique maris interpretatur. Illuminata itaque a Deo, illuminat animas prudentiâ, ad præcauendas inimicorum insidias, futuraque mala, bonaque præuidenda. Mare amarum est Virgo sua temperantia, dum dulces voluptatum illecebras non admittit, quæ sanè quantum corpori, quod habet gustum porcinum, dulcescunt, tantum animæ amarescunt. Quam igitur temperans fuit Virgo nostra, quæ nec aquis fœtentibus, vel marinis huiusmodi voluptatum, vel vnicam guttulam vnquam gustare voluit, cum compactam carinam adeo habuerit, vt omni rima ad admittendas huiusmodi voluptates caruerit*. Vt Domina, insignem fortitudinē præsetulit. Fuit enim mulier illa fortis inter prospera, & aduersa, Tartareis hostibus ad instar ca-

Mare amarū est B.V. quare.

strorum benè ordinatorum formidabilis. Vt stella, iustitiæ splendore nos irradiat, quem sibi in hoc mundo impij, iusto Dei iudicio, minimè illuxisse miserrimè conquerentur Sap. 5. *Errauimus à via veritatis, & lumen iustitiæ, quod est Maria, non illuxit nobis*. Ità ferè Rich.

36. Scire cupimus Virgineæ huius animatæque Nauis finalem causam, quæ supremum omnium pellexit artificem, eiusque voluntatem ad eam fabricandam inflexit? Hæc sanè eodem Richardo teste, alia non fuit, quam vt per Nauim hanc panis ad homines deferretur, vt ipsum degustando fierent Angeli. Per Mariam enim verè Panem Angelorum manducauit homo Psalm. 77. Per eandem quoque DEVS Pater cæli cibaria misit hominibus in abundâtia. Eum denique in finem Nauis hæc Virginea constructa est, vt suos amatores deducat in portum voluntatis eorum, quem omnes appetunt, nempè æuiternam beatitudinem, desideriorum omnium complementum. De longè porrò Panem hunc Angelicum Nauis hęc nobis aduehere perhibetur, non modò, quia de cælo remotissimo, verumetiam à distantia meritorum longissima ad nos deuenit. Nulla enim merita, ne ipsius quidem Deiparæ de condigno, vti loquuntur Theologi, vt DEVS ad homines homo factus, hac naui in mundū venire, digna extitere.

Finalis causa Virgineæ Nauis, quæ fuerit.

Per Mariam Panem Angelorum manducauit homo.

37. Quod si distantiam statuum hominis hic intelligamus, nullus sanè status, vt Panis hic cælestis ad nos deueheretur est promeritus. Non primus innocentiæ originalis, absque vllo peccato qui est distantissimus, quia licet Protoplasti, ab omni labe essent purissimi, nullo tamen modo de condigno, vti diximus gratiam vnionis hypostaticæ promereri potuerunt, cum sit summa gratiarum omnium, DEVM ipsum includens gratia. Et multo minus tres reliqui status hominis in peccato, in gratia & in gloria, Licet reuera dicere possimus de omnibus quatuor hiscé statibus aliquid accepisse Deiparam. De primo iustitiam originalem, illâ Protoplastorum longè excellentissimam. De altero participasse pœnalitatem, & humanarum miseriarum, citra peccatum, tolerantiam; De tertio singularissimam planè diuinæ gratiæ, super omnes puras creaturas, plenitudinem. De postremo denique, gloriosam visionis beatificæ fun-

functionem, quem à primo conceptionis instanti anima illa sanctissima est promerita.

38. Dicitur denique Nauis hæc portare Panem suum. Quia illam ipsa fecit, ipsa pinsuit. Hæc est enim, vt testatur Albertus Magnus Trac. super Missus, *Mulier illa Euangelica, quæ Matt. 13. tria sata farinæ miscuit, nimirum corpus, animam, diuinitatem in Christo, virtute Spiritus Sancti eius vterum obumbrante, vniuit.* Vnde ipsa, corde amantissimo, effusissimaque pietate nos ad panem hunc manducandum inuitat: *Venite comedite Panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Prou. 9. Verè vinum nobis Virgo miscuisse visa est, cum aquam humanitatis nostræ, vino Diuinitatis incratere aureo vteri Virginalis vniuit. Verè vinum sanguinis miscuisse visa est; cum corde, igne amoris calente, oculis stillauit vbertim lacrymas, nosque ad hunc Diuinum Panem, quem de cælo aduexit, manducandum amantissimè inuitauit. Accurramus igitur quantocius ad Nauim hanc eius Pane vescamur. De ipsius diuitijs, quas secum de cælis, defert participemus.

Corpus Christi quomodo dicatur Panis B. Virginis.

B. V. nos ad communionē corporis sui Filij inuitat.

39. Præclarè enim Richardus: *Onerata est*, inquit, *mercimonijs humanæ salutis in gratiarum plenitudine, quam acquisiuit in Spiritus Sancti superuentione, in Filij Dei, qui est omne bonum & à quo est sufficientia nostra, admirabili Conceptione. Ipse enim Nauim istam, omnibus mercibus preciosis, omniumque donorum charismatis, quibus copiosissimè pauperiem ditauit humanam, onerauit, quando diuitias totius veri boni nobis conferre voluit per Mariam.* Harum porrò mercium loco, reuexit rem preciosissimam, quæ in cælo non reperiebatur, paupertatem. Hinc Bern. *In cælo bonorum omnium copia suppetebat, sed paupertas ibi non inueniebatur; porrò in terra abundabat hæc species, sed nesciebat homo precium eius, hanc autem venit quærere Filius Dei, vt suâ æstimatione eam nobis redderet preciosam. Ante hoc etenim nunquam intrauerat paupertas in cælum, sed modo nisi per eam in cælum non intratur. Vnde Matt. 5. Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Loco huius à nobis acceptæ paupertatis, vendit nobis aurum charitatis, ac Sapientiæ cælestis, Diuinus huius Nauis Institor Christus: Suadeo, inquiens, tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vestimentis nouis induaris. Apoc. 3. Iurè igitur Maria dicitur facta quasi nauis institoris, qui est Christus de cęlo per eam veniens in mundum ad negotiandum, vendendum, & emendum. Sicut enim Institor de patria sua transit ad alienam, spe lucri, ac desiderio acquirendi: Sic Christus venit in sua Incarnatione de cælo in terram ad emendum, & redimendum animas nostras. Vnde illa est ipsius vox Ierem. 12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam, quæ preciosissima quædam moneta extitit, qua in mundo negotiatus est.* Hæc ferè Richar. Accedamus igitur ad Nauim hanc tam preciosis mercibus, cælique diuitijs oneratam, si verè diuites, ac locupletes, si salui, incolumesque in æternæ patriæ portum ingredi desideramus, certo nobis persuadentes fieri nullo modo posse, vt periculosissimum huius sæculi, procellosissimumque, absque naui hac transfretemus Oceanum. Hæc enim est via illa maris securissima de qua Salomon Sap. 14. ad Dominum loquebatur: *Dedisti in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam.* Vnde Bernardinus Bustius serio pronunciauit: *Pro conclusione huius Partis dico, quod tot tantaque sint mundi huius pericula, venti, ac procellæ quod nisi Nauis hæc tutissima haberetur, vix vnus de mille saluaretur. Hanc igitur Nauim omnes debent ascendere, qui ad æternæ salutis portum prosperè feliciterque desiderant peruenire.* Hæc ille.

Diuitias totius veri boni nobis Deus contulit per Mariā.

Paupertas in terris abundabat, cuius homines cū prætium nescirent Dei Filius eam reddidit preciosam.

Vix vnus de mille Saluaretur, nisi B. V. nos iuuaret.

40. Hæc denique Nauis est Arca illa à cælesti Noe, Dei nempe Filio fabricata. Sicut enim illius beneficio in vniuersali illo, quo mundus vniuersus submersus est, catachlysmo, genus humanum, reliquorumque animantium species ab interitu vindicatæ sunt: Sic Virginis nostræ clementissimæ patrocinio, in formidando illo die Iudicij, quod fiet in Valle Iosaphat, in qua illa sepeliri voluit, non octo dumtaxat animæ; verum quam plurimi ipsius cultores ac clientuli, à sempiterna morte liberabuntur. Huius pulcherrimam Ideam hisce coloribus, & quasi lineamentis supremus Artifex, cum Noè loquens, ad immensam sanè, infinitamque Virginis huius pietatem, creaturas omnes, amplissimo charitatis sinu complectentis adumbrandum descripsit. Gen. 6. *Fac tibi Arcam de lignis leuigatis; mansiunculas in ea facias, & bitumine linies intrinsecus, & sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longuitudo Arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & 30. cubitorum altitudo illius: ostium autem Arcæ pones in latere deorsum. Cænacula, & tristega facies in ea.* Huius Arcæ mysteria elegantissimè descripsit Bernar. ferm. de B. V. *Arca Noe*, inquiens,

Per B. V. sicut per Arcam Noe homines saluātur.

B.V. similis Arcæ Noe quæ mūdus saluatus est:

quiens, *significauit Arcam gratiæ, excellentiam scilicet Mariæ: sicut enim per illam omnes euaserunt diluuium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, vt diluuium euaderet, fabricauit; istam Christus, qui est pax, & requies, vt humanum genus redimeret, sibi præparauit. Per illam octo animæ tantum saluantur, per istam omnes ad æternam vitam, quæ per octonarium numerum significata est, vocantur. Per illam pacuorum facta est liberatio, per istam humani generis saluatio. Illa centum annorum fabricata est spatio; in ista omnium virtutum est perfectio. Illa facta est de lignis leuigatis; ista de virtutibus consummatis, ædificata est; illa superferebatur aquis diluuij, ista non sensit naufragia vllius vitij.* Hæc Bern.

41. Eadem hæc Arcæ Noeticæ mysteria præclarè sane ob oculos proposuit Angelus S. Brigittæ in suo ser. cap. 2. Ostenditque pulcherrimam fuisse figuram Deiparæ, Diuinamque Maiestatem mirificè in hoc opere pulcherrimo, atque vtilissimo, per quod humanum genus, cæteræque mundi creaturæ ipsi deseruituræ, erant conseruandæ, sibi cōplacuisse; sic enim loquitur: *Tu quoque ò Maria creaturarum omnium dignissima ab initio sic eras coram Deo, antequam te creauit, sicut Arca Noe coram ipso Noe, postquam de eius fabricatione sibi innotuit. Gaudebat Noe de Arca sua antequam fabricaretur, gaudebat summè de te, ò Virgo, ipse DEVS antequam te crearet. Gaudebat Noe, quia Arca sua tam firmiter consolidanda erat, quod nullis procellorum dissolueretur impulsibus: gaudebat DEVS, quia corpus tuum tam virtuosum, ac forte fieri debebat, quod ex nullius malitiæ duritia, quæ in Infernum futura erat ad peccatum aliquod flecteretur. Lætabatur Noe, quod Arca sua interius, & exterius ita bituminanda erat, vt sentina nequiret perstillare: Lætabatur DEVS eo quod voluntatem tuam præsciebat tam bonam, ex sua bonitate futuram, vt actione Spiritus S. intus, & foris ita perfundi mereris, vt rerum temporalium in mundo creandarum ambitioni in tuo corde nequaquam pateret introitus. Ita .n. odiosa est Deo, mundana cupido in homine, sicut Noe in Arca sua, sentina. Lætabatur Noe de Arcæ suæ spatiosa latitudine; lætabatur Deus de tua amplissima, & misericordissima pietate, qua omnes perfectissimè amatura eras; præsertim verò, quia benignissima illa tua pietas, in tantum dilatari debebat, quod ille immensus Deus, cuius magnitudo incomprehensibilis est, in tuo benedicto vtero iacere, & versari dignaretur. Lætabatur Noe, quod Arca ipsius facienda, futura erat satis lucida: Lætabatur DEVS, quia Virginitas tua vsque ad mortem ita clara seruanda erat, vt nullius peccati contagium eā valeret obfuscare. Lætabatur Noe, quod omnia corpori suo necessaria in sua Arca subiturus erat; Lætabatur quoque DEVS, quod totum suum corpus de tuo solo corpore, sine aliquo defectu erat accepturus. Magis quoque DEVS de te ò, castissima virginum, quam Noe de Arca sua gratulabatur. Præsciuit enim Noe se cum eodem corpore, quo in ipsam intraret de Arca sua egressurum: Præsciebat etiam DEVS se in Arca tui honestissimi corporis, sine corpore ingressurum, atque de eadem cum corpore ex tua mundissima carne purissimoque sanguine assumpto, egressurum. Nouerat Noe se vacuam suam Arcam relicturum, quando ex ipsa descenderet, & ad eam deinceps minimè reuersurum: Nouit etiam DEVS ante sæcula, quod quando de te cum humanitate nasceretur, tu virgo, & Mulier gloriosa nō vacua, vt Arca Noe, sed omnibus Spiritus S. donis plenissima remaneres. Et quamuis corpus eius, a tuo corpore in Natiuitate separaretur, præsciuit tamen nihilominus te secum inseparabiliter sine fine permansuram.* Hæc Angelus. Hanc eādem Diuæ Virginis cum Arca comparationem eleganter prosecutus est Hesychius Presbyter Hierosolimit. serm. 2. de Deipar. vbi inter varia ipsius laudis encomia illud memorauit celeberrimū. *Alius vocat eam Nauim mercibus onustam nullo gubernatore egentem. Alius dicit Arcā, Arca Noe latiorem, altiorem, longiorem. Illa erat animalium Arca; hæc Arca vitæ. Illa corruptibilium animalium, ista vitæ incorruptibilis. Illa ipsum Noe; hæc ipsius Noe factorem portauit. Illa duas, & tres contignationes habebat, & mansiones: Hæc autem vniuersum Trinitatis complementum, quandoquidem, & Spiritus S. aduenicbat, & hospitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius vltro gestatus, inhabitabat.* Quo elogio, quid quæso illustrius excogitari potest? De hac nos in prima Parte Discur. vltimo sat prolixè.

Angelus B. V. Arcæ Noeticæ comparauit.

42. Richardus etiam à S. Laur. libr. 11. Deiparam Arcæ Noeticæ pluribus de causis comparauit: *Commendatur autem B. V.* inquiens, *sub typo huius Arcæ in primis quo ad dignitatem suæ natiuitatis; Et dignitas quidem ortus eius ostenditur, quantum ad auctorem. Vnde dicit Pater Filio: Fac tibi. Sibi enim fecit eam Christus principaliter, idest, ad honorem suum, nec solum sibi, sed & hominibus, & Angelis, & toti Trinitati. Quia S. Bernardo teste, omnibus omnia facta est. Ostenditur etiam ortus eius dignitas quantum ad sanctificationem ex parte mentis, cum dicitur, Arca, in qua videlicet reconditi sunt thesauri sapientiæ cælestis, thesauri desiderabiles, virtutum,*

Latitudo Arcæ capacissima notat amplissimū B.V. charitatem.

tum charismata. Decebat enim, vt ait B. Anselmus, vt ea Virgo puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi, quam DEVS Pater filio suo eligebat in Matrem. Denique ortus eius dignitas quoad progenitorum sanctitatem ostenditur, cum dicitur; De lignis leuigatis, id est, politis. Vel bituminatis, secundum aliam literam, siue quadratis, secundum aliam. Parentes enim eius, de quibus orta est, politi fuerunt per honestatem conuersationis, quia nihil in eis erat quod oculos intuentium offenderet. Conuersabantur enim in medio nationis prauæ, atque peruersæ sine querela. Erant denique sicut lilium inter spinas. bituminati per charitatis feruorem. quadrati temperantia, prudentia, fortitudine, & iustitia. Denique in Arca commendatur virtutum decor cùm dicitur: Trecentorum cubitorum erit longitudo, & cet. Fuit enim in ea fides, quæ longitudo dicitur, quia ei succedit longitudo dierum, claritas videlicet diuinæ visionis: Logitudo dierum in dextera eius. Fuit in ea latitudo charitatis, quæ extendebatur vsque ad inimicos, latitudo hæc erat quingentorum cubitorum, qui est numerus remissionis, quo insinuatur charitatem Virginis adeo amplam esse, vt etiam ipsis suis, Deique inimicis peccatorum remissionem impetret. Altitudo denique spei, quæ vsque ad interiora velaminis pertingebat Hæc Rich.

Quales fuerint parentes B. V. & quibus virtutibus prediti.

43. Sanctus denique Bernardinus Senensis To. 3. ser. 11. cap. 1. artic. 1 per hanc eandem Arcam Noe, Deiparam fuisse adumbratam comprobat, ijs maximè scripturæ verbis Gen. 7. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in sublime à terra.* Verè enim Virgo nostra multiplicatis diuinarum gratiarum aquis, à terra super omnes mortales, immo, & super omnes Angelorum Hierarchias, adeo exaltata est, vt Ioanne Gersone teste Tract. 4. in Magnif per se Hierarchiam, augustissimæ Trinitati proximã constituat. Sed ipsius Patris Seraphici verba, si lubet, audiamus: *Multiplicatio aquarum in Arca, denotat gratiarum plenitudinem in Maria, quæ eleuauerunt Arcam, in qua saluatum est vniuersum semen generationis electæ, in sublime à terra, id est ab omni terrenitate, amoreque infecto. Dixit autem; in sublime. Quia ad puritatem hanc ac munditiam, nulla pura ascendit creatura, nec Angeli, nec Virgines. Angeli enim habent munditiem tantum in mente, virgines mente, & carne, sed gloriosa V. Maria cum quadam vtriusque perfectione super omnem creaturam est eleuata in sublime.* Hæc ille.

B.V. multiplicatis aquis gratiarum à terra velut Arca eleuata est.

Nulla pura creatura ad puritatem B. V. ascendit.

44. Et sanè sublimitas hæc huic Virgineæ, animatæque Arcæ, magnis illis, supra iam memoratis dimensionibus constanti, omninò debebatur, vtpote, quæ ingentem quandam habuit capacitatem, cubitorum nimirum quadringentorum 50. millium, vt obseruauit, computauitque Cornelius noster in 6. cap. Gen. Capacitas denique Virgineæ huius Arcæ, relictis Arithmeticorum calculis eiusmodi fuit, quæ immensum illum Altissimi filium, cum vniuerso genere humano, hominibus, ac iumentis caperet, eosque saluaret. Arcæ huius immensam penè capacitatem agnouit S. Gregorius Nicomed. Archiepis orat. de Præsent. B.V. dum Templũ in quo præsentata fuit Deipara, sic alloquitur: *Dilata atria ad excipiendam te latiorem, quæ sub aspectum cadere, & non cadere conspecta est, creatam naturam; in qua cõprehensus, qui comprehendi non potest, vitij latitudinem redegit in angustissimũ.* Hæc Geor. Hinc iure meritissimo B. Andr. Cretensis serm. de Annunc. *eam Arcam vitæ vocitauit.* Vitam enim omnium animalium speciebus, belluis etiam efferatis conseruauit. Hinc idem Nicom. Antistes ibidem vocat. *Arcam sanctificationis, quæ à diluuio peccati seruauit nostram naturam, & per partum liberauit ab interitu orbem terræ.* Quo nobis indicabatur, adeo lata, adeo ampla Virgineæ pietatis esse viscera, vt omnes etiam immanes, desperatosque peccatores complectantur.

Mira Virgineæ Arcæ capacitas.

B. V. pietatis viscera etiam maximos peccatores amplectũtur.

45. Vnde censent aliqui etiam illa, quæ partim in mari partim in terra nutriantur vt vituli marini, & similia in Arca illa fuisse conseruata. Quod si quæramus quanam ratione tot animalia contineri potuerint, Respondebit suo more per interrogationem S. Augustinus lib 1. de Mirab. script. cap. 5. *An etiam in Arcæ tecto foris requies his esse aliqua valebat, quod latum, & stabile spatium faciebat, vt quod intus manentes, sine periculo conseruaret, etiam per profundi periculum nauigãtibus refugium foret?* Quibus sanè verbis S. Doctor clarè insinuauit vnicam illã Arcam, nullum animal à sua protectione remouisse, sed & inclusis, & exclusis, & in periculo, & extra periculum versantibus patrocinatam. Verum Capaciorem tu longè ô Virgo benignissima tuæ misericordiæ sinum referas ad eos omnes, qui ad te confugiunt colligendos, siue in portu Religionis conquiescant, siue mundi huius turbulenti procellis iactentur, dummodo te implorent, te proculdubio fautricem, atque auxi-

auxiliatricem experientur.

46. Neque solum in maximo, ac periculosissimo ingruentium tribulationum diluuio, sed in alijs etiam vitæ huius necessitatibus morbisque animi ac Corporis. Siquidem de Arca illa Noetica Euseb. libr. 9. de præparat. Euang. capit. 4. sic loquitur: *Nauis adhuc reperitur in Armenia, cuius ligna remedium hominibus aduersus multos mirabiliter morbos afferunt.* Atque ita sperandum nobis est, ò Virgo benignissima nunquam tuæ benignitatis in nos claudenda viscera, sed te nobis semper, quibuscunque tandem in necessitatibus ac miserijs præsto fore. Sicut enim soli, vbique, & quocunque tempore proprium est illuminare, & calefacere, sic tibi humano generi benefacere, adeo vt reuera nemo sit, qui à calore tuæ pietatis se possit abscondere. Absconde nos igitur velut Arca Noetica, à diluuio aquarum multarum, turpissimorum nimirum scelerum colluuione, quibus non quadraginta diebus, sed à principio post Protoplastorum lapsum, vsque ad sui consummationem mundus hic immundus, exundat, infinitasque hominum myriades absorbet, inque profundissimam Inferni abyssum æternis supplicijs mactandos demergit. Esto nobis Nauis, esto stella in hoc procelloso, turbidoque mari huius sæculi, esto denique Anchora, nosque in æternæ patriæ portum saluos incolumesque dilectissimo tuo Filio ac tibi lætum celeusma concinentes tandem introducito. Interea totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, vti loquitur Bernardus, Mariam veneremur, eiusque sacratissimo Nomini medullitus afficiamur. In hoc naufragoso huius sæculi pelago, inter frementes vndas, ac procellas, sit nobis Nomen hoc tuum sydus, tetram peccatorum noctem irradians, iterque dirigens; sit Nauis tutè nos in cælestem patriam prouehens; sit Anchora inter horrisonas tempestates, ne ventorum rabie, ac turbine in syrtes abripiamur, nos firmans; sit denique panoplia, sit inexpugnabilis militia, nos contra piratarum insultus obarmans, atque defendens.

Nomen B. V. in mari huius sæculi nauigantibus est Sydus, nauis, & Anchora.

47. Huius Nominis admirabilem dignitatem, varia auxilia, præsidiaque considerans deuotissimus Pelbartus lib. 6. Stell. Par. art. 3. ad fin. iure exclamauit: *O' quàm dignitosum, ò quam excellens, & sublime est hoc Nomen gloriosissimum Maria; ò quam vtile omnibus inuocantibus ipsum: Per hoc enim Nomen sanctissimum lapsus sublenatur, peccator liberatur, gratia infunditur, cor dulcoratur, Dæmon effugatur, tentatio refrenatur, pericula euitantur, pestes, & infirmitates repelluntur, orationes exaudiuntur. O' felicissimum Nomen, per quod homo in morte assicuratur, in Purgatorio refrigeratur, & in cælo ex præsentia tantæ Dominæ iucundatur! O anima fidelis vtinam saperes, & intelligeres dulcedinem, ac fructum eius Nominis, & ipsum semper in corde, semper in ore haberes. Hoc te moneo, hoc exhortor, vt descriptum habeas in domo vel ostio, quo frequentius viso, ipsius recorderis. Felix certè illa domus vbi semper memoria retinetur Mariæ. O Christiane Nomen tuæ Matris Virginis benedictæ recognosce! Hæc sola est spes, & refugium, animæ tuæ; vita, spes, ac dulcis consolatio cordis tui, ipsum inuoca, ipsum flexis genibus inclama, ipsum hoc Nomen adora, atque exora, vt Maria sit tibi Maria, Maris videlicet stella, in huius sæculi procella, qua dirigaris ad cælestia Regna. Verè maris stella est nobis in hac vitæ huius nauigatione Maria. Sicut enim per illam in mari nauigantes ad portum optatum perducuntur; ita mediante Dei Matre genus humanum per mare huius sæculi ad portum salutis æternæ, exemplo, suffragio, & merito reuocatur, deducitur, atque perducitur.* Sic ille.

Vtilitates ex inuocatione Nominis B. V.

Nomen B. V. in morte inuocatum homo in afficuratur, in Purgatorio refrigeratur, &c.

Nomen B. V. in ostio domus ponendum.

Per Mariam quasi per maris stellam homo in portum salutis introducitur.

48. Optat quis igitur sub clientela Virginis constitutus, feliciter mare periculosum huius mundi, veluti tutissimâ Naui transmittere, & ad portum beatæ patriæ feliciter introire, ipsius exemplo, ipsius sanctissimis, purissimisque moribus, eius puritatem, humilitatemque potissimùm æmulando se conformet, ipsius precum potentissima apud Filium exposcat suffragia, eamque roget, vt per vitæ ipsius tam sanctè in hoc mundo transactæ immensa illa merita, quæ sibi assiduâ virtutum exercitatione, feruentiores, intensioresque semper actus eliciendo, comparauit, ab omnibus periculis in hoc tempestuoso mundi huius pelago liberet, ac tueatur.

49. Expertus est Deiparam in maris periculis adiutricem ille, de quo Discipulus à Pelbarto citatus qui cum nauigaret Hierosolymam cum aliquot alijs in mare demersus est; horum animæ visæ sunt ab Episcopo, qui cum illis vehebatur specie columbæ in

cælos

cælos euolare, hic verò cùm ad littus nauis appuliſſet cum Epiſcopo, coram omnibus, nautis ſtupore defixis in litore comparuit. Quæſituſque quâ ratione tantum diſcrimen euaſiſſet? Reſpondit ille: *Beatę Dei Genitricis Nomen cùm in mare deciderem inclamaui, atque ita ipſius Sanctiſſimi Nominis ſemper memor ad ima pelagi deueni. Mox ipſa miſericordię Mater, quæ ſuorum immemor eſſe non poteſt, mihi ſub vndis adſtitit, pallioque ſuo me contexit, ac coopertum vndis, ac fluctibus ad hoc littus deduxit.*

Quidam inuocando Nomen B.V. à ſubmerſione liberatur.

O' admirandam Deiparæ noſtræ pietatem, ac potentiam, qua ad ſolam Nominis ſui verè omnipotentis inuocationem, à præſentiſſimo vitæ periculo, in medijs ſæuientis maris procellis clientulum ſuum eripuit. Crediderim certè illi aliquando dixiſſe Deiparam Filio: *Noli timere, meus es tu, cùm tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te.* Iſa. 43. Vnde hac ſpe in Dei parentem fretus eius nomen pientiſſimè ac confidentiſſimè inuocauit. Hinc Venerabilis Richar. à S. Laur. libr. 2. de laud. part. 1. B. V. de protectione Deiparæ varijs in periculis loquens: *In aqua*, inquit, *protegit, quia ipſa dicit: Cùm pertranſieris aquas tecum ero. Ipſa enim, & Nauis, quę amicos ſuos ſuſcipit naufragantes in huius maris fluctibus. Vnde ipſa Eccli. 24. loquitur: In fluctibus maris ambulaui cum familiaribus meis, vt tanquam Nauis videlicet, ipſos à naufragio peccatorum eriperem, & ereptos in portum deducerem. Ambulat denique in fluctibus maris Maria mæſtos conſolando. ac proinde rectè dici poteſt de ipſius tutiſſima protectione: Qui habitat in adiutorio altiſſimæ Domina, in protectione Dei cæli commorabitur.* Sic Rich. Hanc protectionem Diuæ Virginis in naufragoſo mundi pelago ſperans Baptiſta Mantuanus ita ipſi modulatus eſt:

Ad ſuperos clamo ſupplex, & Numina planctu
Sollicita; Diuos in mea vota voco.
Sed te præcipue Diuorum maxima Virgo
Mitis in humanam quæ genus eſſe Soles.
In nos magna tui ſunt, experimenta fauoris,
Et pietas, omni iam tua nota loco eſt.
Erue nos igitur cunctis Regina periclis.
Et laceræ ſparſas collige nauis opes.

48. Cùm igitur Virgo noſtra glorioſiſſima ſit Nauis illa cæleſtis, quæ quod inſignes illos Heroas, tanquam DEOS, ſiue Semideos vectarit, facta quoque, & ipſa Dea eſt, ac inter cæli Sydera collocata, ipſi animas, corporaque noſtra tanquam ſecuriſſimo Nauigio, cum omnibus meritorum, virtutumque mercibus, ſemper quidem, dum immundi Mundi huius ſulcamus æquor, alacres fiduciaque pleni committamus, ſed tūc vel maximè cum inter Scyllam, ac Charybdim, mortis nimirum diſcriminis pleniſſimas illas anguſtias nobis tranſeundum eſt. Tunc tunc maximè, Virgo benigniſſima nobis obſecranda eſt, vt nos ſaluos, incolumeſque in æuiternæ illius patriæ portum, tanquam de mundo, de carne, deque Tartareo Dracone triumphantes Heroas, ac Dei adoptiuos filios, velut viuis, animatiſque tabulis compaginata Argo, introducat. Reuocandum tunc illi nimirum in memoriam, quod ob ſaluandos, ac deificandos peccatores, Dei Mater, & quædam quodammodo Dea effecta ſit, ac inter Sydera, imo ſuper omnia Sydera, ſuper omnes Sanctorum Choros, atque ordines, ſuper omnes Angelorum Hierarchias, ſuper ipſos denique Deo proximos Seraphinos ſit euecta. Hoc ſi faciamus, etiamſi Maleæ formidandum illud ſpumantis in auras, vt loquitur Statius Thob. 2. naufragijs infame promontorium tranſeamus: Si Scyllæ, ac Charybdis voraces vndæ, horriſonique fluctus nos vndique circumtonent; Si ęſtuantis Euripi anfractuoſi inſtabileſque vndarum vertices nos perplectant, atque inuoluent; Si Stygij latrunculi, pyratæque Tartarei, prædæ animarum noſtrarum inhiantes dies, nocteſque nobis moliantur inſidias, lætos hilareſque nos terram viuentium, Diuinarum laudum celeuſma modulantes, tenere faciet. An non huiuſmodi iucundum celeuſma Virgini ceciniſſe viſus eſt Pſalmiſta Seraphicus, ac Virgineus', cum omnes hortabatur:

In mortis articulo B. V. tanquā Naui animę noſtrę committendæ, vt cæli portum attingamus.

Cantemus Dominę glorioſæ Virgini Mariæ, in hymnis, & confeſſionibus benedicamus eam. Domina noſtra, & omnipotens poſt DEVM Nomen eius currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare. Dextera tua Domina magnificata eſt in fortitudine, quia in multitudine miſericordiæ tuæ ſtrauiſti ad verſarios meos. O' vtinam Virgo benigniſſima, & ego Superatis infernalium pyratarum inſidijs, æternæ felicitatis attingens portum, huiuſmodi celeuſmate laudum tuarum, velut perſoluto naulo, præconia tibi de-

Hhhh præ-

prædicem. Deprædicabo vtique ô Virgo dummodo velis. Præclarè enim tuus deuotissimus pronunciauit Anselmus de Excellen. Versicul. capit. 13. *Tantummodo velis Salutem nostram, & verè nequaquam salui esse non poterimus.* Quæ porro causa reperiri poterit, quæ te cum beneuolentissima sis, ad denegandum peccatoribus tuum fauorem circa illorum salutem, possit impellere? Sane nulla; quin potius memoria illa, quod per peccatores Diuinam Maternitatem sis electa, te ad exhibenda nobis tuæ pietatis viscera exstimulabit. Miserere, miserere igitur nobis Mater misericordiæ pijssima, miserere in turbulento hoc ac procelloso mundi solo periculosè semper fluctuantibus, & velut Stella maris gratiæ tuæ splendoribus, in tenebricosa illa præsertim mortis hora, technas Stygiorum tenebrionum detegendo, affulgesce.

Amen.



D I-



DISCVRSVS XXVIIII.

Quod B. V. Deipara Ara cæleſtis diuino igne accenſa.

I.



FAbulantur Poetæ ab Ignipotente Deo, Iouis imperio Aram quandam fuiſſe fabrefactam, ad quam Dij omnes, ſolemni iuramento ſeſe obſtrinxerunt, exterminaturos ſe impijſſimos Iouis ipſius capitaliſſimos hoſtes Titanes, ſiue Gigantes de terra, perpetuiſque Tartari ergaſtulis mancipaturos. quod & factum aiunt. Vt porrò rei huius geſtæ æuiternum extaret in cælis monimentum, Aram hanc inter ſydera ſeptem omnino ſtellis inſignitam inter reliquas conſtellationes collocarunt, cuius vnica ſtella dumtaxat in primo Altaris gradu, noſtro Orizonti videnda exhibetur.

De tota hac re præclarè Manilius lib. 1. Aſtron. cap 4.

Ipſius hinc mundo Templum eſt, victrixque ſolutis
Ara nitet ſacris, vaſtos cum terra Gigantes
In cælum furibunda tulit, tumidi quoq; magnos
Quæſiuere Deos: dubitauit Iuppiter ipſe
Quod poterat non poſſe timens; cum ſurgere terram
Cerneret, & verti naturam crederet omnem,
Montibus, atque alios aggeſtos creſcere mõtes,
Et tam vicinos fugientia Sydera colles
Arma importantes, & rupta Matre creatos
Diſcordes vultu, permixtaque corpora partus.
Hoſtiferum necdum ſibi quemquam Numina norant.
Si qua forent maiora ſuis; tum Iuppiter Aræ
Sydera conſtituit, quæ nunc quoque maxima fulgent.

B.V. Altare Holocauſtorum.

Aram hanc ſtellantem nos ſymbolum præclariſſimum eſſe Deiparæ cenſemus, quemadmodum & Altare illud holocauſtorum Templi Hieroſolymitani celeberrimum. Hinc Bernardinus Buſtius Par. 5. Marial. cap 6. eam Altare holocauſtorum appellare non dubitauit.

B.V. Ara cæli.

2. Eamdem Virginem Aram cæli vocitare poſſumus. In eius ſiquidem vlnis velut viua, animataque Cruce Dei filius mox vt eſt natus ſeſe æterno Patri ſacrificium obtulit. Aram hanc vt teſtatur Oroſius, & Eutropius, Sibylla, Octauiano Auguſto ſolis circulo circũdatam, oſtendit, in quo Virgo ſpecioſiſſima Aræ inſiſtens, Infantemque vlnis portans ſeſe viſendum exhibuit. Virgo enim verè ſol ille luciſſimus extitit, de quo vaticinatus eſt Dauid: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſpõſus producens de thalamo ſuo*. Pſal. 44.

B.V Altare in quo ignis Diuini Amoris ſemper ardebat.

3 Hoc eſt Altare de quo Dominus Leuit. 6. *In altari meo ignis ſemper ardebit*. quod Altare alibi ex S. Bernardino Senenſi ſignificare Virginem ſacratiſſimã retulimus, eo quod aſſiduo charitatis igne, tam erga DEVM quam erga proximum exarſerit, idemque nouis ſemper incrementis auctus fuerint. Hinc S. Methodius Martyr Deiparam *Altare animatum* appellauit. Hoc demum eſt Altare illud thymiamatis, ad quod faciẽdum Dominus Moyſi Ideam illam præſcripſit Exo. 30. *Facies Altare ad adolendum thymiama de lignis Setin quadrangulum; cornua ex ipſo procedent, habens duos cubitos in altitudinem, veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam eius, quam parietes per circuitum & cornua. Facies ei coronam Aureolam, per gyrum, & duos annulos aureos ſub Corona, per ſingula latera*. Qua deſcriptione Virgo noſtra ſacratiſſima pulcherrimis quaſi coloribus velut in Imagine quadam expreſſa nobis ob oculos proponitur. Ipſa enim verè Altare quoddam extitit: Si enim ab Altare, Altare denominetur vt ait S. Bernardinus; quis altior extitit, ſublimiorque Virgine Deipara, quæ ſolo Deo excepto maior ſublimiorque omnibus fuit creaturis, vt ait ſapiens Idiota. Altitudinem hanc B. Petrus Card. Damia. ſerm. 1. de Natiu. B.V. ſuſpexiſſe viſus eſt, dum in Throno

B.V Altare Thymiamatis.

illo Salomonis grandi simul, ac sublimi, Virginem adumbratam significauit: *Quid grandius*, inquiens, *Virgine Maria, quę magnitudinem summę Diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quicquid maius est, minus Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi*.

Beati lapides dicti à Pythagora ex quibus Aræ Dijs cõstruebantur.

4. Quod si Pythagoras atque Aristoteles Philosophorum Sapientissimi beatos lapides, ex quibus Dijs Altaria construi consueuerunt, prædicabant; quàm felicem, quàm beatam arbitrabimur Virginem sacratissimam, quæ tota quanta Altare quoddam animatum extitit, in quo variarum virtutum aromata suauissimum Diuinæ Maiestati odorem exhalantia assiduè cremabantur? Verè Altare fuit Deipara. Si enim Venerabili Bedâ teste; Altare hoc, vt inquit ille, significat *perfectorum vitam, qui quasi in vicinia oraculi sunt positi, qui desertis infimis delectationibus, de solo Regni cęlestis ingressu curam omnem impendunt. Vnde benè in hoc Altari non carnes animalium, sed sola incendebantur thymiamata, quia tales non adhuc peccata carnis, & illecebras cogitationum, in se mactare opus habent, sed tantùm ferè orationum spiritualium, & cęlestium desideriorum odoramenta, per ignem interni amoris in conspectu sui Conditoris offerunt?* Quanto magis Altare illud exprimet sacratissimam Dei Matrem, cuius vita omnibus virtutibus, perfectionibusque fuit absolutissima, totaque ad contemplanda cæléstia intenta, ita vt potiori iure dicere potuerit, quam Apostolus: *Nostra conuersatio in cælis est*.

5. Habuit in se quoque Virgo nostra concauitatem illam Altaris, de qua Vrbanus IV. Pont. Max. in Psalm. 50. explicans verba illa: *Tunc imponent super altare, tuum vitulos. Hæc est Ara*, inquit, *templi sancti tui, quod sum ego. Hæc est Altare concauum, & inane à cunctis scilicet terrenis affectibus vacuatum, quod tibi fieri mandauisti, ad reponendum cineres memoriæ nostræ mortis*. Quis enim illâ magis ab omnibus terrenarum rerum cupiditatibus, illecebrisque vacuus extitit, quæ in suum Creatorem, filiumque vniuersos suos affectus transfuderat, eumque toto corde, tota mente, animaque dilexit? Vnde Richar. de S. Victore libro 2. de Emman cap. 29 præclarè dixit, tantum ignem charitatis in ea fuisse, vt non solùm omnia peccata, sed & excusationes peccatorum, quæ per scuta significantur, combusserit: *Quis illud*, inquit ille, *primum & maximum mandatum sic vnquam impleuit? quis sic vnquam implere potuit: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua?* Ex hac vtique exæstuantis amoris flamma, exusta sunt scuta illa, nempe excusationes in peccatis, quæ cum non habuerit, non habuit vtique illorum excusationes, proinde benè dicitur: *Scuta comburet igni*, ita vt nil eorum penitus super sit.

Quam vehemens diuini amoris ignis in B.V. exarserit.

6. Habuit hæc Ara Virginea cineres in se quodammodo, dum iugem Passionis filij memoriam in animo suo fouit. Cuius licet caro nullam vnquam vidit aut cinerem, aut corruptionem, ipsius tamen Filij amarissima acerbissimorum cruciatuum, ante, & post illorum perpessionem recordatio, intra cor eius, velut in altari cineres illi, conseruabatur, ita vt verè dicere potuerit cum sponsa Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*. Hinc S. Hieron. serm. de Assumpt. eius mentis exercitationibus post Ascensionem Filij describens: *Quamuis*, inquit, *iam in Spiritu esset, tamen dum in carne vixit, carnalibus mouebatur sensibus, & ideo, quàm sæpè locorum recreabatur visitationibus, & quem genuerat, mentis complectabatur amplexibus? Fortassis ergo præ nimio amore in loco, quo sepultus Christus dicitur, interdum habitasse eam credimus, quatenùs pijs pasceretur internus amor obtutibus: hic namque locus medius est hinc inde constitutus, vt adire posset Ascensionis eius vestigia, & locum sepulturæ ac resurrectionis, ac omnia, in quibus passus est loca inuisere, non quod iam viuentem quæreret cum mortuis, sed vt suis consolaretur aspectibus*. De eisdē pijs Virginis nostræ exercitationibus S. Ildephonsus Tolet. Antistes ser. 5. de Assumpt. *Si scire volumus, quid Dei Genitrix post resurrectionem Domini, antequam ipsa cælos ascenderet, agebat, sine dubio loca Dominicæ Natiuitatis, Passionis, sepulturæ, & resurrectionis frequenter circumiens inuisere cupiebat, in eisdem etiam locis lacrymas fundebat, & sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deinde ad ratum sibi refugium, Apostolicum videlicet cõtubernium, post Dominicorum locorum intuitum cum gaudio remeabat*. Hæc Ildephonsus.

In B.V. inijs Passionis Christi memoria.

B.V. in loco vbi sepultus fuit Christus interdum habitasse creditur.

B.V. post Christi in cælos ascensionem loca passionis inuisere solita.

7. Audiamus denique, quid Pelbartus de Temisuar, de pijssimis hiscé circa vitæ, mortisque filij mysteria exercitationibus Deiparæ senserit lib. 10. Par. 4. ar. 2. cap. 2. *Nota*, inquit ille, *quod sicut*

Mater

Mater cum habet filium mortuum, cum fletibus sæpè respicit vestes Filij: sic B. V. Maria visitabat loca, in quibus filius eius fecerat aliquod opus mirabile, illa sacra mysteria contemplando. Aliquando ibat in Nazareth ad locum vbi fuit conceptus Christus, ibi immensam Dei charitatem contemplando, qua vnigenitum suum misit in mundum. Aliquando ibat in Bethleem, vbi natus est Christus, summam eius humilitatem meditando. Aliquando in Ierusalem, vbi prædicauerat in Templo, recolendo eius suauissimam doctrinam ac sapientiam. Aliquando ad montem Caluariæ, vbi Crucifixus est, atque ita tota resoluebatur in lacrymas, ex Diuini amoris ibi ostensi dulcedine. Hęc tamen peregrinatio B. Virginis ad loca sancta secundum B. Ambrosium intelligenda est magis secundum Spiritum, quam secundum loci decursum, quia scilicet domi manens contemplabatur, quæ filius in illo, vel illo loco fecerat, & sic tota conuersa fuit, & intendens ad hoc vnum scilicet Diuinæ charitatis vinculum, per totam suam vitam. Tandemque discursum suum totum hâc pia concludit parenæsi: *O' ergo Christifideles animę; ò precioso Domini IESV redemptæ sanguine, omnes vos hortor, vt ad eius Matrem confugiatis, eique supplicetis, vt nobis impetret gratiam, per quam nobis sicut illi sapiat IESVS Crucifixus, & cum ipsa in Christi vulneribus moremur, eius sanguinem semper mente aspiciamus, in ipso viuamus, in ipso moriamur, & cum prædulcissimo ipso IESV, & piissima eius Matre Maria æternum corregnemus.* Hæc ille. Quibus ostendit, qua ratione mens Virginis Altare quoddam, cinerem mortis passionisque Christi continens, assidue ipsius reuoluendo cruciatus, extiterit.

B.V. variæ ad loca Sancta peregrinationis.

Ad B. V. recurrendum vt nobis impetret gratiã qua sicut ipsi sapiat nobis IESVS Crucifixus.

8. Quod si Materiam huius Altaris consideremus, ea fuit nobilissima, erant enim ligna Setim, quæ Auctore S. Hieronym. in Isa. 41. & in Ioel c. 3. in Arabiæ desertis enascuntur pulcherrima, fortissima, imputribilia, leuia, candidaque. Addit idem S. Doctor in cap. 41. Ezech. ligna hæc altaris adeo *fuisse incorruptibilia, vt nec igne lædi possent: Quod altare*, inquit ille, *habebat cornua, & tam bases, quã parietes eius, hoc est, latera erant lignea. In quo scripturæ sanctę mysteria humanus sermo non potest explicare, quomodo altare, in quo ignis succedendus erat, mensa videlicet thymiamatis, nihil ab igne patiabatur, sed vt ita dicam, igne purius fiat. Sicut enim sanctorum opera, de quibus scribit Apostolus: Vniuscuiusq; opus, quale sit, ignis probabit, non pereunt, sed per ignem puriora monstrantur; ita, & altaris ligna, quæ de lignis Paradisi sunt, non cremantur igni vicino, sed puriora redduntur. Nec mirum hoc de sanctuario, & interioribus Templi, & altari thymiamatis hoc credere, cum etiã amiantum quod ligni genus est, vel lini habens similitudinem, quanto plus arserit, tanto mundius inueniatur.* Hæc ille.

Ligna Altaris Thymiamatis erant ex Paradiso.

Amiantum non comburitur ab igne.

9. Quæ profectò omnia in figura admirabilem Virginis, & à peccato originali, & à quauis minimâ sceleris, etiã venialis, labecula nobis demonstrant incorruptionem. Quam sanè Diuinum Verbum, quod ignis consumens vocatur, dum in vtero eius nouem mensibus inhabitauit, ei liberalissimę contulit, primamque illam incorruptionem, quã à primo immaculatæ Conceptionis instanti habere, eaque fieri proxima Deo meruit, infinitis quodammodo incrementis auxit, ac multiplicauit. Verè enim Virgo ex lignis Paradisi, Protoplastorum videlicet iustitiâ, sanctitateque illa primigeniâ, imò & Angelorum longè eminentiori puritate, atque incorruptionę tota composita videbatur, dum omni peccati fomite, omnique concupiscentiâ, quæ velut ignis in nobis exardescit, caruit. Ex quo non modo incorruptibilitas Spiritus, verumetiam corporis in Virgine originem traxit. Qua in re planè Virgo singularis, & vnica Phœnix inter omnes puros homines de Adæ stirpe descendentes, extitit, adeo vt hanc ob causam ei encomium illud attribui possit: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, Adæ* videlicet. Cant 2. Quæ verba B. Dionys. Carthusianus ponderans art. 8. in Cant. sic loquitur: *Quamuis fuerint multæ Virgines sanctæ, tamen respectu Virginis beatissimæ, quasi spinæ fuisse videntur, in quantum aliquid culpæ habebant: & quamuis in se fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorsus extinctus. Fuerunt, & alijs spinæ, quia ex earum intuitu, concupiscentiâ pungebantur. Porrò Deipara Virgo ab omni prorsus culpâ fuit immunis, fuit in ea fomes plane extinctus, & tam intensa castitate erat repleta, quod intuentium corda sic penetrauit sua inæstimabili castitate Virginea, quod à nullo potuit concupisci, imò potius extinxit, ad horam illorum libidinem.* Sic ille. Plura hac de re alibi. Supremus ergo ille Diuini amoris ignis, qui in hoc Virgineo Altari semper ardebat, inferiorem ignem prorsus extinxit, siue potius ei omnem aditum præclusit. Adeo diuinus ille totum Virginis cor, totamque mentem occupauerat. Virginea .n. Ara hęc, Altari Thymiamatis sicut in omnibus,

Puritas B. V. in Concept. creuit successu temporis quasi in infinitum.

B. V. à nullo potuit concupisci, imò potius extinxit concupiscentiã suo aspectu.

bus, ita quoque hac in parte erat longè excellentior. In illo enim mane, ac vespere duntaxat Thymiama in igne cremabatur; in hoc autem iugi amoris diuini igne cor Virginis accensum iuges gratiososque supernæ Maiestati aspirabat ardores odoresque. In ea enim velut in Altari quodam animato Spiritus Sanctus, qui olim super Apostolos in ignis specie venit, cum suis septem donis, ac charismatis adueniens sibi sedem fixerat. Quæ dona per septem illa sydera, ex quibus ista Deorum Ara cõposita effulgescit, denotata mihi fuisse videntur.

B. V. cor iugi amoris Diuini igne cremabatur.

10. Quam præclarè de hoc amoris igne idem S. Hieron. serm. de Assumpt. *Amor,* inquit, *Christi Mariæ desiderium pariebat, desiderium verò gliscens quasi nouis reparabatur ardoribus, in tantum, vt credam, quod nonnunquam omnia etiam, & semetipsum transcenderet, quia omnino amor impatiens, quod amat non potest non videre. Cogitate attentius, & perpendite diligentius, quibus afficiebatur Beata, & intemerata Virgo Maria doloribus post Christi ad cælos ascensum, expletis omnibus, quæ de illo ab Angelis prædicata, & per Prophetas multifariè multisque modis præsignata, diuinis declarata oraculis, virtutibus exhibita, & quæ humanitatis sunt ostensa præsagijt. Quæso, si quæ sunt in vobis viscera pietatis, considerate, quo cruciabatur amore, quoue desiderio æstuabat hæc Virgo, dum reuolueret animo cuncta, quæ audierat, quæ viderat, quæ cognouerat. Puto quod quicquid cordis est, quicquid mentis, quicquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficit, vt cogitare valeas, quanto indesinenter cremabatur ardore pij amoris, quantis mouebatur, repleta Spiritu S. cælestium secretorum incitamentis; quia etsi diligebat Christum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute, nouis tamen quotidie inflammabatur præsentiâ absentis desideriorum affectibus. Tanto siquidem validius, quanto Diuinis illustrabatur intus visitationibus, quam totam repleuerat Spiritus S. gratia; quam totam induerat Diuinus amor, ita vt in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfecti amoris. nam & Christus ab omnibus est amandus ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus, maximè tamen ab ea ardentius, cuius, & Dominus erat, & Filius.* Hæc Hieron.

B. V. erga Filium quam ardẽs amor.

11. S. Amadeus Homil. 6. ob hæc amoris Diuini incendia in corde Virgineo, velut aureo Altari iugiter ardentia, Deiparam Phœnici sese, posteritatemque suam in igneâ pura renouanti contulit: *Tu,* inquiens, *ò Gloriosa tota effecta es velut ignis, teque holocaustum Deo suauissimum obtulisse! O Phœnix aromatizãs gratius cinnamomo, & balsamo, & nardo suauius Regem in aspectu tuo delectans! Phœnix congregans omnes species, & igne circumfusa superessentiali, vt cælum cælorum, & cæli potestates Angelicas mirifico repleas suauitatis incenso. Hoc incensum est, hoc thymiama bene compositum, quod procedit de Thuribulo cordis Mariæ, & vniuersa suauiter redolentia excedit. Porrò Thuribulum sequens incensum, & eleuatum manu Domini ascendit vsque ad thronum Præsidentis. Ascendit stipatum prosecutione Angelicorum Spirituum, clamantium in excelsis: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut Virgula fumi, &c.* Sic ille.

B. V. igne diuini amoris velut Phœnix ardebat.

12. De miris Virginei huius Ignis effectibus Bernardinus Bustius 4. Part. Mar. serm. 2. *Sicut,* inquit, *ignis domum illuminat, visum delectat, membra calefacit, ligna inflammat, altissimas trabes in cineres redigit, & metalla liquefacit: Sic iste charitatis ignis mentem Virginis gloriosæ illuminauit, lætificauit, confortauit, inflammauit, & per Sanctam humilitatem quasi in cinerem redegit, & in amorem Altissimi totaliter liquefecit, ita vt huius virtutis merito, quæ forma omnium aliarum est principaliter Mater Dei fieri meruerit. Vnde Hugo de S. Vict. Concept. V. M. de Spiritu S. non quia de Spiritus Sancti substantia semen partus acceperit, sed quia per amorem, & operationem Spiritus S. ex carne Virginis Diuino partui substantiam ministrauit. Nam quia amor singulariter in eius corde ardebat; ideò in carne eius mirabilia faciebat: Cuius dilectio, quia in corde non suscepit socium, operatio in carne illius non habebat exemplum.* Hæc ille.

Virginei amoris effectus admirabiles.

13. Iugem hunc amoris ignem in Virgine intellexit sapiens Idiota, qui cap. 3. contempl. B. V. verba illa Num. 9. *Operiebat tabernaculum quasi species ignis;* insinuans Virginem animatum fuisse Diuinæ Maiestatis tabernaculum ignéque hunc Diuinum, & pulchritudinem, & splendorem, ardoremque mirificum Virgini indidisse: *Species ignis;* inquit, *consistit in ardore, & splendore: in te autem ò Beatissima V. Maria fuit ignis charitatis ardẽs, & splendens ante DEVM, & nos miseros peccatores protegens: & sicut tu Regina Virginum nominaris, sic charitas illa tua, Regina virtutum appellatur, quia virtus nomen amittit, quę charitati non famulatur.*

B. V. animatũ Tabernaculum fœderis opertũ igne diuini amoris.

14. Tantus denique tamque ardens, ac vehemens hic amor extitit in Vir-

Amor B. V. adeo vehemens vt ei induceret languorem, ac mortem.

Virgine, vt ei languorem, & tandem induceret mortem. Vnde B. Albertus Magnus Tract. super Miss. sapienter pronunciauit: *Credimus quod mortua est præ amore sine dolore. Tam vehemens namque amoris effectus illius in DEVM extitit, vt eius vi corporis qualitatibus, ac dispositionibus distemperatis, liber animus à terreæ molis nexu in cælum euolarit.* De hoc eius amoris languore sic illam cum Angelis, eius debilitatem admirantibus loquentem introducit Guerricus Abbas serm. 2. de Assumpt. *Vt minus miremini languorem meum, amore langueo. Langueo plus impatienti â amoris, quam passione doloris. plus vulnerata charitate, quam grauata infirmitate. Heu, inquiunt illi, quam frequentes imo continuæ causæ languoris? Bone IESV quomodo hæc Mater tua, postquam te genuit, nunquam ferè nisi in languore fuit? Primo languit timore, postea dolore, nunc amore. Timore, â natiuitate vsque ad Passionem, cum semper vitam Filij insidijs appeti videret: dolore, toto tempore Passionis, donec rediuiuum reciperet: nunc amore, & desiderio. felicius, sed miserabilius cruciatur, quia sedentem in cælo non tenet.* Hæc Guerr.

Ex quibus sane facile colligere licet quam ardens ignis amoris in altari cordis B. V. exarserit.

15. Quid iam aurum illud, quo Altare hoc erat contectum, ac vestitum significabat aliud, quam Diuinam Sapientiam eius in Virginali vtero incarnatam, quam sicut illa carne texit, ita ab eadem illa Diuinitate vicissim quasi contegi, ac conuestiri meruit. Quod nobis luculenter ostendisse visus est B Petrus Card. Dam. serm. 1 de Natiu. vbi ornamenta Throni Salomonici, ac præsertim illud; *Vestiuit illud auro fuluo nimis;* exponens, sic loquitur: *Aurum omnibus metallis preciosius, intellige Diuinitatem Dei, omni præeminentem mundo, omnia gubernantem. Hoc vestita est imo superuestita Mater Altissimi, totamque Virginem tota illa indiuisibilis Natura largiori gratiâ superfudit.*

Aurum omnibus metallis præstantius Diuinitatis Symbolum.

16. Auream hanc Diuinitatis vestem, quâ vestita fuit Deipara, dilectus Christi Discipulus nobis ostendit, cum Mulierem sole amictam vidit Apoc. 12. Vnde Bern. serm. de Verb. Apoc. *Nimirum ea est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur; sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.* Quibus verbis insinuat argutè Doctor mellifluus ob præclaram in mortales omnes beneficentiam, Virginem, speciem quandam Diuinitatis induisse DEVMque imitatam.

17. Hinc Seneca Epist. 95. *Primus, inquit, Dei cultus, DEVM credere, deinde reddere ei Maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla Maiestas est.* Quasi vellet dicere, Diuinam Maiestatem, Numenque vix absque bonitate, quæ suaptè naturâ diffusiua est, posse intelligi. Hinc M. Tullius orat. pro Domo sua: *Te Capitoline Iuppiter propter beneficia populus Romanus Optimum, propter vim, Maximum nominauit:* Idem quoque libr. 2. de Natura Deorum: Iuppiter, inquit; idest, iuuans Pater, à Patris Diuum hominumque dicitur. A maioribus autem nostris Optimus Maximus, & quidem ante Optimus, id est beneficentissimus, quam Maximus, quia maius est certè, gratiusque prodesse omnibus, quam opes magnas habere. Plinius denique idem confirmare volens, ait Vespesianum sui æui Imperatorem ob beneficentiam, beneque de alijs merendi studium, Deorum collegio fuisse adscriptum. Eius verba sunt libr. 2. de Nat. Hist. cap. 7. *DEVS est, inquit, mortales iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani; hac nunc cælesti passu cum liberis suis vadit Maximus omnis æui Rector Vespesianus Augustus, fessis rebus subueniens. Hic est vetustissimus referendi benemerentibus gratiam mos, vt tales Numinibus adscribantur. Quippe, & omnium aliorum nomina Deorum, quæ supra retuli syderum, ex hominum nata sunt meritis. Iouem quidem aut Mercurium aliterue alios inter se vocari, & esse cælestem nomenclaturam, quis non interpretationem naturę fateatur?* Hæc ille.

Diuinum Numen atque Maiestas vix absque bonitate ac beneficentia intelligi potest.

Iuppiter Capitolinus quare optimus Max. vocatus.

Imperator Vespesianus ob beneficētia inter Deos relatus.

18. Quæ aptissimè in optimam Deiparam nostram retorqueri possunt, quæ reuera Mariæ pulcherrimam, aptissimamque, eamque ad Diuinitatem quandam ostendendam quadriliteram, ob innumera in mortales omnes beneficia collata, sortita est nomenclaturam. Quid enim diuinius, quam stellam maris, quam Illuminatricem, & illuminatam, quam sublimem, & excelsam, quam totius vniuersi creaturarumque tam cæli quam terræ Dominam, quam Matrem denique Dei Altissimi appellari? Hæc omnia Virgo nostra præclarissimis suis de genere humano, imo de Deo ipso benè merendi studijs, atque adeo venustissimam illam iustitiæ solis Diui-

B. V. ob beneficentiam Nomē quoddam Diuinū indepta.

Diuinitatisque cycladem, amictumque plusquam aureum consecuta est. Vnde idem mellifluus Doctor tandem sic concludit, ostenditque familiari cum filio suo amantissimoque consortio, Diuinitatis præfulgidam illam indeptam fuisse vestem: *Mulier, inquit, amicta sole. Planè amicta lumine, tanquam vestimento. Non percipit fortè carnalis, nimirum spirituale, stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo, qui dicebat: Induimini Dominum Iesum Christum. Quàm familiaris ei facta est Domina, quàm proxima, imo quam intima fieri meruisti, quantam inuenisti gratiam apud DEVM? In te manet, & tu in eo, & vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eum substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ Maiestatis. Vestis solem nube, & sole ipsa vestiris. Nouum enim fecit Dominus super terram, vt Mulier circumdaret Virum, nec alium, quam Christum, cuius Vir oriens nomen est. Nouum quoque fecit in cælo, vt Mulier sole appareret amicta. Denique, & coronauit eum, & vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua.* Cant. 3. sic Bern.

B. V. ob beneficia paruulo D. Filio exhibita quadam Diuinitatis veste amicta.

19. Ob eadem illa, quæ Dei Filio Virgo nostra exhibere, dum in terris esset, visa est beneficia Guerricus Abbas serm. 2. de Assumpt. auream illam, qua conuestita est Diuinitatis vestem fuisse indeptam testatur, dum Filium eam ad cælum inuitantem hunc in modum introducit: *Ascendi, & præparaui tibi locum, thronum gloriæ, vt à dextris Regis Regina coronata consideas in vestitu deaurato, circumdata varietate. Neque hoc dico, vt quod in parte tibi thronus collocetur, quin potius ipsa eris thronus meus. Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum. Nullus plus mihi ministrauit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi præter alia, quod homo sum, communicabo tibi, quod DEVS sum: nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu glorificaberis.* Hactenus Guerricus. Ex quibus sanè clarè colligimus Deiparam, velut altare thymiamatis, auro Diuinitatis à Filio in maternæ pietatis, sibi exhibitæ dignissimum præmium fuisse conuestitam.

Figura quadrata stabilitatem ac constentiam notat.

20. Quid iam de huius Altaris dicemus quadratura? qua quid aliud, obsecro, quam virtutum eius stabilitas, ac constantia, designatur? Quadrata enim figura, teste Viegas, Alchazar, & Cornelio à Lapide, mentis denotat stabilitatem. Hinc ipsa Arca Noe, viua Virginis nostræ figura, lignis quadratis constitisse dicitur. Vbi enim Vulgatus legit Interpres: *Fac tibi Arcam de lignis leuigatis*: Legere 70. *De lignis quadratis.* Hinc Arcades, ad suorum Numinum stabilitatem, perpetuitatemque demõstrandam, vt testatur Pausanias, eorum simulacra quadrantalia faciebant. Constantiam hanc, mentisque stabilitatem inter prospera, aduersaque, eadem facie omnia susque, deque ferendo, totius vitæ decursu semper præsetulit Deipara.

Arcades Statuas suorum Deorum cur quadratas efformarint?

21. Videte illam in tempesta nocte cum puero, sponsoque suo Tyrannidem nefandi Herodis fugientem, & in Aegyptum ad barbaram illam gentem abominandis Idolorum sordibus pollutam, proficiscentem, ibique septennio, & amplius, vt ait S. Anselmus in cap. 2. Matt. summâ animi æquitate commorantem. Ob hanc incredibilem Virginis patientiam, mentisque constantiam crediderim promeruisse fortassis, vt Aegypti nutarent Idola, eorundemque mox subsequeretur euersio atque ita hoc ipso Deiparæ Diuinitatem quandam, eiusque Filij casu suo contestarent. De quo S. Athan. lib. 1. de Incarn. Verbi. *Quis iustorum, aut Regum in Aegyptum descendit, cuius descensu Aegyptiorum Idola manufacta corruerint? Abraham nempe illuc descendit, sed tamen ad ingressum eius Idolorum minimè cultura quieuit. Moyses illic natus est, nec tamen feruere impietas, cultusque sacrilegus destitit numquam alias Aegyptiorum quieuit impietas, nisi cum Dominus omnium, corpore illuc descendit in nube deuectus,* (: quæ B. Virgo extitit:) *profligatoque errore Idolorum omnes ad se, & per se ad Patrem transtulit.* Atque ita optime congrueque asserit Isaias, quod ad ascensum Domini super nubem leuem, & ingressum eius in Aegyptum commouebuntur simulacra Aegypti cap. 16. Quasi Virginis, Filijque fortitudine ac constantiâ, robur, viresque omnes illorum fuerunt labefactatæ, ingensque inde felicitas Aegypti fuerit consecuta. Vnde Procopius Gazæus in cap. 19. Isa. *Sunt, inquit, qui per leuem Nubem sacrosanctam Virginem, à qua in Aegyptum vlnis est delatus, intelligi arbitrentur. Prosperè autem ideo feliciterque Aegyptijs hic cedit aduentus, quod illorum Idola, quo tempore tota regione propagari Ecclesias contigit, commoueri necessarium fuit. Nec malè præterea cum Puer in Aegypto versatus est, ineffabili quadam præstantiâ*

Vnde in Aegypto Idolorum euersio secuta fuit?

sentiâ virtutis eius, Dæmones ipsos, erepta sibi potestate, superatos fuisse credamus.

22. Et licet Virgo nostra gloriosissima in hac Herodiana persecutione,& alias totius vitæ decursu incredibilem mentis, animique fortitudinem atque constantiam, præsetulerit, præsetulit tamen vel maximè in passione,& morte Filij. Hinc Simeon Metaphrastes in orat. de vita & dormit. Deip. sic loquitur: *Cum tempus iam adesset passionis, & ille seipsum traderet, staretque in medio eorum, qui in eum cædem spirabant, & iam abduceretur ad Pilatum,& ante Caipham sisteretur,& ad Herodem mitteretur examinandus, tandemque in eum ferretur sententia, ac cruce condemnaretur, Mater, sicut in alijs superabat mulierem, ita hic quoque videtur plusquam mulier, quia ab illo minimè recedit, sed propius sequebatur, nihil timens, quod esset formidabile: non quod tantum maternis vinceretur visceribus, quam quod potius diuino induceretur iudicio, adeo, vt alias quoque duas mulieres, duas, inquam, Marias, vt docet Euangelium ad hoc adhortata sit, & vt secum versarentur persuaserit, vt quæ essent forti, & generoso animo, & vellent adhærere huic sponso, qui non videtur, & tamen cum non cernitur, appropinquat.* Hæc Metaphrastes.

In Passione B.V. maximã animi stabilitatem ac constantiam ostendit.

23. In morte verò Filij animi eius firmitatem atque constantiam verba illa dilecti Discipuli satis declararunt. Ioan 19. *Stabat iuxta Crucem IESV Mater eius;* quibus firmus, erectus, atque incõcussus Virginis declaratur animus. Vnde S. Anselmus ser. super illa verba: *Stabat*, inquit, *Maria, in fide IESV constantissima, & patientissima. Nam discipulis fugientibus, cunctisque viris recedentibus in gloriam totius fœminei sexus inter tot pressuras Filij sui, constanter ipsa sola stabat in fide firma, & pulchrè stabat, vt decet pudicitiam Virginalem; non se laniabat, in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium à Deo petebat, sed stabat disciplinata verecunda Virgo, patientissima, lacrymis plena, doloribus immersa.*

B.V. stans iuxta Crucẽ filij mentis suæ constantiam testata.

24. Hanc porrò ad Crucem approximationem Virginis causabat amor, quo illa, velut à magnete ferrum, trahebatur ad filium. Quare Euthymius aptè pronunciauit: *Verisimile est autem tunc Dei Matrem propinquius Cruci adstitisse, quam cęteras mulieres, idque viscerum inflammatione, Iudæorum vincente timorem. Amor hic oculos, sensusque pene omnes Virginis in filij conuertebat vulnera, efficiebatque, vt cor eius, viuum foret IESV crucifixi speculum.* Simeon denique Metaphrastes ibid. de hac Virginis fortitudine, atque constantia: *Dicunt*, inquit, *qui de his rebus tractarunt eam ab initio vsque in finem se fortiter ac constanter gessisse. Honestè quidem, & non indecorè vtentem motu animi, factis tamen ostendentem se esse Matrem, sed omnino Matrem illius, qui amico mortuo, & ostendit amorem, & motum animi certis finibus continuit.*

25. Iam quid de quatuor illis huius Altaris dicemus cornibus, quę iussit Spiritus Sanctus ex illo procedere? quid hęc aliud quam Heroicam Virginis fortitudinem, Regnumque, ac Dominium in omnes Tartareos hostes, qui immani sua tyrannide quatuor orbis partes premunt, ac pene opprimunt, nobis indicant? His potentiæ, dominationisque suæ cornibus, ad instar Rhinocerotis, dilectissimum imitando filium, aereas potestates, teterrimosque tenebrarum Rectores ventilauit, inque hodiernum vsque diem ventilat, vsque ad fines terræ, dum eos in Orcum profligat, dum eis prædas opimas diripit, perpetuisque Inferni carceribus pœnisque addicit.

B.V. potẽtia ac Dominiũ in Dæmones.

26. Ob hanc tam eximiam Virginis nostræ in tenebrarum Principibus perdomandis fortitudinem, robur, atque vbique diffusam omnipotentiam, iure merito prodigiose illi Apollinis Delij Aræ, inter orbis miracula olim celebratæ ab ipsoque Phœbo de cornibus dextris animalium, teste Plutarcho, absque vllo glutino, aut vinculo coagmentatæ ac compositæ aliquomodo cõferre possumus. Hanc ipse κερατῶνα βωμὸν appellatam fuisse ait. De hac Martialis libro 1. Epig. 1. ad rem nostram appositissimè.

Aram admirabilem Apollo ex dextris cornibus absque vllo glutino construxit.

Dissimuletque DEVM cornibus Ara frequens.

Quasi diceret; Ara cornigera, seu Cornea in Delo suum cesset deprædicare auctorem Apollinem; dissimulet iam DEVM, quasi non Dei opus sit illius Aræ constructio cum animata hæc Virgineaque Ara, in qua construenda non modo potentiam, verum etiam sapientiam, Bonitate, aliaque attributa summus Opifex ostentare visus est, dissimulet, inquam, quia Ara hæc est longe pręstantior, vtpotè veri Numinis manu, cõtra omne potestatem, roburque Tartareorum hostium in humani generis defensionem concinnata. De eadem illa Ara Ouidius in Heroidum Epistolis Cidippe ad Acontium ita scribit:

Miror, & innumeris structam de cornibus Aram.

Callimachus denique, & Aræ huius Corneæ Originem, & Apollinem eius Conditorem peruenuste descripsit hisce versibus:

Cornea quadrimus posuit fundamina Phœbus
Orthygiæ in celebri prope curuæ stagna paludis,
Cum venata soror portauit densa caprarum
Cornua Cynthiadum, Phœbusque altare locauit,
Et sedem è cornu statuit; de cornibus Aram
Fixit, & è duro construxit mœnia cornu.

27. Quod si Cornea hæc Ara inter Mirabilia mundi à Poetis, recensita est; quãto magis nobis mira hæc Virginea, animataque Ara debet accidere, quæ tota quanta est, ex innumeris Miraculis, ac prodigijs composita est, adeò vt eam; D. Ioannes Damasc. Orat. 1. de Natiu. B. V. *Miraculorum officinam*, appellare non dubitarit? Et sanè, quod maius Miraculum accidere vnquam potuit, quam vt vna puella maternis adhuc vlnis baiulata, toti Inferno esset horribilis ac formidabilis? Videbant illam nimirum totam cornibus Diuinæ virtutis fortitudinis, atque omnipotentiæ quasi compositam cornibus, inquam Diuinissimi illius Rhinocerotis, qui in eius sinu mansuefactus, in eodem cornua tam formidanda reliquisse quodammodo ad Cacodæmones ventilãdos perdomandosque visus est. Vnde idem S. Damascenus ibidem Virginem hanc adhuc paruulam, & nihilominus sua fortitudine tenebrarum potestates perdomantem contemplans, magno pietatis in illam affectu exclamauit: *O sanctissima Ioachim & Annæ Filia, quæ Principatus, & Potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti. O sanctissima Filia in maternis vlnis conspicua, rebellibusque Angelis formidabilis. O sanctissima Filia, quæ maternis Vberis lactaleris, & ab Angelis vndique cingeris.* Qui sane boni Angeli nouũ robur, nouam fortitudinem, & quædam quasi cornua potentiæ illi super addere eiusdemque, & in se, & in vniuersas reliquas creaturas Dominium, ac Principatum suo ministerio, obsequioque contestari visi sunt.

B. V. ex cornibus diuino fortis ad ventilandos Dæmones composita.

B. V rebellibus Angelis formidabilis.

28. Quare iure Virginem nostram Cornu nostræ salutis, siue Cornu salutiferum, vti S. Zacharias ipsius Dilectissimum appellauit Filium, vocitare possumus, eique concinere: *Erexit Cornu salutis nobis*. Quid enim Cornua, quæ excelsiorem in capitibus animalium, vt ceruorum, taurorum, &c. locum obtinent significant aliud, quam robur, potentiam, validamque fortitudinem? Animalium enim horum fortitudo, in cornibus excelsis sita est, illis enim pugnant, seque, & alios subinde protegũt, atque defendunt. Quapropter quod ipsius filio cecinit Dauid. Psalm. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus;* paucis immutatis Deiparæ aptare possumus. Ipsa enim post filium reuera est fortitudo nostra, firmamẽtum nostrum; refugium nostrum, liberatrix nostra. adiutrix nostra, spes nostra, Protectio nostra, Cornu salutis nostræ, ac denique animarum nostrarum, in articulo mortis præsertim, susceptrix benignissima, adeo vt illi confidenter dicere possimus cum eodem Psalte Regio Psalm. 43. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Nimirum per hãc in populo Christiano adimpletum videtur Vaticinium illud Ezechielis c. 29. *In illo die pullulabit Cornu Domui Israel.* Quod enim aliud est Cornu hoc, quam Christus, quam eius Mater? quæ verè sũt Christianis Cornua salutis, dum robur, dum fortitudinem illis non modo ad consequendam æuiternam salutem, verumetiam ad expugnandos Inferni hostes suâ protectione, subministrant. qua in re Virgo Deipara, præsertim erga suos clientulos est prorsus eximia, quæ sicut Diuina quędam Ara cornibus fortitudinis, diuinæque omnipotentiæ est quodammodo compaginata; ita eisdem contra Auernales belluas, immanissimaque illa Orci monstra depugnãs nos fidelissimè protegit, atque defendit; ostenditque reuera se non modo cæli ac terræ totiusque Vniuersi, verũ etiam Inferorum Dominatricem esse potentissimam.

Quomodo B. V Cornu nostræ salutis dici possit.

29. Dominium hoc tam in Cacodæmones quam omnem creaturam indicabat Corona illa Aureola, quæ Dei ipsius imperio, per gyrum Altare Thymiamatis coronabat. Verè enim hæc Ara Virginea, postquam Diuinum illũ ignem, æternum nempe Verbum in se suscepit, Regnum, dominiumque in testa mundum, in ipsam etiam Angelicam creaturam consecuta est, vt testatur

Corona Aureola Altare Thymiamatis cingens notat B. V. dominium in vniuersam creaturã.

tur S. Bernard. Senensis. *Adeo vt in Nomine etiam ipsius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & Infernorum.* Quemadmodum enim Humanitas Christi, ob vnionem hypostaticam cum Verbo, quæ Gratia, gratiarum omnium maxima est, atque adeo omnium cælestium donorum compendium, dignitasque infinita, qua maior excogitari nequit, regimen ac dominium etiam temporale in totum orbem consecuta est, ita quoque Virgo sacratissima, ob eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem, qua Deo carnem, sanguinemque purissimum ad corpus, ope, operaque Spiritus S. organizandum communicauit, Regiam Coronam, dominiumque in orbem vniuersum indepta est. Vnde præclarè D. Anselmus c. 2. de Excellentia B.V. ex pronuntiauit: *Hoc solum de S. Virgine prædicari, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post DEVM dici, vel cogitari potest.* Quid igitur mirum si Ara hæc Virginea in tā sublimem, Deoque vicinissimam altitudinem euecta, Aurea Corona per gyrū decoretur? siquidem eum statim consecuta est ad gloriā, quo maior sub Deo nequit intelligi. Quod fusius 1. par. Disc. de Dom. B.V. ostensum.

Humanitas Christi ob vnionem Hypostaticā dominium, & temporale in totum mundum cōsecuta.

Diuinæ Maternitatis dignitas, quam sublimis.

30. Quid denique Annulli illi Aurei bini in singulis lateribus nobis indicant aliud, quam mirificam Deiparæ promptitudinem, qua facile à Spiritu S. motoque expeditius, quam mystica illa Ezechielis animantia, quæ vbicunque erat impetus Spiritus illuc gradiebantur, mouebatur? ostendens reuera se genuinam esse Dei Filiā, præ cæteris Filij Dei, de quibus Apostolus Rom. 8. *qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, ad omne eius imperium, nutumque, omnem in partem expeditam. Iidem illi Annuli promptitudinem nobis indicant Virginis gloriosissimæ, qua ad nos iuuandos, protegendos, ac pro summâ suâ in omne humanum genus benignitate, ad nos igne Diuini Amoris, quo ipsa tantopere flagrabat, velut Altare Thymiamatis, assiduè incendendos, omnem in partem maternâ prorsus solicitudine conuertitur: eo quod ipsi, hoc ipso quod Mater est Christi Fratris nostri, à Deo cura de omnibus nobis, velut filijs demandata sit; Quemadmodum enim reliquis sanctis alicuius tantum ciuitatis, aut Regni, aut prouinciæ cura, patrociniumque commissum est; ita Virgini totius orbis protectio, vt sicut omnium est Regina, sic sit omnium patrona, & Aduocata, vt ait Idiota ca. 1. contempl. B.V. Hinc S. Thom. Aquinas Opusc. 8. de Salut. Angelica: *Magnum est in quolibet Sancto, inquit, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorū; sed quando habet tantū, quod sufficeret ad salutē omniū hominum, de mundo, hoc est maximū, & hoc est in Christo, & B.M. quia in omni periculo potes habere salutem per Mariam, & in omni opere virtutis adiutorium.* Cum igitur in tantis salutis nostræ passim discriminibus versemur, & in miserijs, calamitatibusque nostris, quæ nos vndique impetunt fidissimum habeamus patrocinium, atque adiutorium, accedamus ad eam, magnâ cum fiducia; Certissimè nobis persuadentes nos à Matre misericordiæ ac pietatis benignissimè vbicunque tandem locorum fuerimus, quacumque gente oriundi exaudiendos ac protegendos.

B.V. cura de omnibus Christianis protegendis à filio demādata.

B.V. habet gratiā à Deo vt iuuet salutem omnium.

In omni periculo possumus habere salutem per Mariam.

31. Nam si à suis pijssimis non exclusit visceribus perfidos Iudæos, qui tot tantisque, tamque opprobriosis dilectissimum eius Filium mactarunt supplicijs, sed pro his calentissimas ad DEVM profudit preces, quanto magis pro fidelibus, Christoque amicissimis Christianis? Audiendus hic S. Amadeus Hom. 5. de laud. B.V. *Quis explicet, inquit Sanctus Antistes, quo dolore arctabatur B.V. quibusvé premebatur angustijs, cum Propheticis oculis cerneret stirpis suæ magna quadam ex parte condemnationem, gentis attritionem, casum populi, ruinam patriæ, & ipsius olim Ciuitatis Sanctæ Hierusalem euersionem? Prophetæ certè futurorum præscij excidium Iudæorum prædixerunt, suorumque interitum multo fletu prosecuti sunt. Ipse Dominus mouit lacrymas super Hierusalem; Et ipsi Apostoli multo tempore patriæ suæ perfidiam defleuerunt. Paulus plenus pietate optauit anathema esse à Christo, pro fratribus, vt eos ad salutem prouocaret: quanto magis Mater pietatis cuncta faceret, omnia libens sustineret? quibuslibet se pœnis, & mortibus obijceret, vt imminentem interitum, & cladem à gente sua submoueret. Neque verò quisquam opponat Iudæos Dei Genitrici exosos, eo quod Filium eius dilectissimum morte turpissimâ condemnarunt. Quos enim morti æternæ appropiare videbat, nequaquam odio suo dignos existimauit, & suggillatione, sed affectu plurimo, sed lacrymis multis, & magna miseratione. Vnde particeps tam charitatis, quam Crucis IESV, assumpsit orationem pro eis, corde perfecto aures pa-*

B.V. charitas mira erga Iudæos etiam.

ternæ charitatis compulsans: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Hæc vox eius, desiderium eius fuit, quo melius aureis pulsantur incircumscripti Spiritus replentis omnia, & vbique audientis omnia. Cæterum quicumque diligitis Matrem Domini aduertite, & totis affectuum visceribus considerate, quantum & inimicos Vnigeniti planxerit morientis. Hæc ille. Ex quibus inferimus, quod si tanto amore, tamque ardenti capitalissimos dilectissimi sui filij hostes dignata est prosequi, quo tandem animo in Christi cultores, in suos fidissimos clientulos, qui ei medullitus placere cupiunt, qui sese totos eius obsequijs manciparunt, esse oportebit? Hos illa certè velut Ara igne diuini amoris inflammata vel maximè incendet, & in sese quodammodo transformabit.

32. Accedant ergo ad eam vniuersi; accedat Oriens, & Occidens; accedat Meridies, & Septentrio, en Virgo ad omnes partes conuersa, velut illa cælestis Hierusalem in quadro posita, portis, ijsque ternis quaqua versus, in omnes quatuor mundi partes patentibus, ad auxiliandum prompta, nos inuitat. En annulos aureos, vt eam ad nos trahamus, nosque ipsi castissimè desponsemur, nobis porrigit. O si cum Sapiente eam ita amaremus, vt verè medullitus, animitusque dicere possemus! *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui eam mihi sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius* Sap. 7. Huiusmodi annulo Sponsam hanc castissimam ad se traxit Edmundus ab ipsa Natiuitate, quod ab omni sorde mundus exisset in mundum, sic à Matre sua appellatus, Adolescens plane Virgineus, dum Venerabilis eius Iconis digito annulum cum inscriptione *Aue Maria* inseruit; aliumque huic, cum eadem Angelica Salutatione simillimum vicissim ab ipsa accepit.

B.V. velut Hierusalem cælestis ad omnes orbis partes est patens ad omnes recipiendos.

S. Edmundus sic dictus quod omni sorde mū[n]dus esset natus.

S. Edmundus annulo à B. V. accepto desponsatur.

33. Vno ex hiscé suis annulis Virgo sacratissima Ermgardem vtero suo Robertum gestantem olim sibi desponsandum donauit: *O Ermgardis*, inquiens, *volo Filium quem gestas in vtero, hoc annulo mihi desponsari.* Vtque voluntatem hanc suam in puerum confirmaret, Virgo benignissima rursus eidem apparuit promissionemque stabiliuit.

Robertus adhuc in vtero Matris à B.V. porrecto annulo desponsatur.

34. Vno similiter ex hiscé aureis annulis Arca hæc animata, atque Virginea, sibi ac Filio desponsare visa est Virginem illam Senensem Catharinam de qua eius Confessarius Beatus Raymundus memoriæ proditum reliquit, *quod cum cælesti Sponso inuiolabili fidelitate esset deuincta, ad perfectissimæ fidei gradum aspirauerit frequenter orando: Domine adauge mihi fidem, eamque in me ita perfice, vt nullâ vi vnquam possit deficere. illique benignissimum Dominum respondisse: Desponsabo te mihi in fide.* Tandem in Hilarium diebus, quibus Baccho cæci, insanique mortales sacrificare consueuerunt, à turbis sæculi remota in cellulâ sese occlusit, ne respiceret ad vanitates, & insanias falsas. Dum ita rerum diuinarum contemplationi est intenta, adfuit mox Christus, cum Matre sacratissima, & aliquibus sanctis, eique dixit: *Quia spreuisti vanitates mundi, amplexans crucem, & pœnitentiam, quærens summum, & æternum bonum, his diebus, quibus mundani vacant gulæ, & luxuriæ, ideo ego te desponsabo.* Ritum autem hunc sic refert Raymundus. *Accipiens Maria dexteram Catharinæ, digitumque annularem, petebat à Filio hanc desponsationem. Matri annuens Christus, annulum Sponsalitium digito eius imposuit: Ego Creator,* inquiens, *& Saluator tuus, e mihi desponso in fide, quæ perdurabit ex hac hora immutabilis, donec nuptijs æternis, & me facie ad faciem perfruaris: Superest vt viriliter decertes, & in robore fidei, quam tuo infixi cordi, superes omnes illecebras, & angustias mundi, omnes stimulos carnis, & insidias inimici.* Hæc ferè Raymundus.

S. Catharina Senensis à B. V. Christo desponsatur.

35. Quid de desponsatione ipsius Virginis purissimæ cum Iosepho Virgineo eius Sponso, quod ante commemorandum erat, dicam? Constat S. Iosephum ipsi annulum in desponsatione donasse, ex onyche lapide qui in Palæstina satis vilis erat. Hic porrò maxima cum veneratione seruatur Perusij capsellâ reclusus aureâ sub vndecim clauium firma custodiâ, quæ à totidem siue viris siue communitatibus asseruatur, plurimisque in hodiernum vsque diem claret miraculis. Quod si castissimus Sponsus Ioseph annulo huiusmodi Deiparam Virginem donauit, admodum sane probabile est, eundem ab illa & alio, vt fieri consueuit, fuisse donatum, atque ita ostendisse Aureum se Thymiamatis annulis vndique circumdatum Altare esse, quibus homines ad sui purissimum amorem pertrahit. Kalend. Deip. 22. Ioan.

Anulus quo B. V. S. Iosepho desponsata fuit perusij asseruatur.

36. Quid de Alano de Rupe Ordinis D. Dominici insigni Religioso, Virginisque studiosissimo, dicam? Scribit de hoc Michael Insulanus in Quodlibeto

libeto de Rosario, apparuisse ipsi aliquando gloriosissimam Deiparam præsente Christo, plurimisque sanctis, detractumque ex digito annulum, ex proprijs crinibus contextum, in eius digitum inseruisse, in signum Spiritualis cum ipsa desponsationis; insuper rosarium eius in collo iniecit, hortans vt ipsius vsum passim neglectum, suis concionibus in pristinũ florem reuocaret. Hic adeo Deiparæ acceptus extitit, vt Diuina aliquando contemplanti Virgineum suum lacinos eius instillauit. Nec ipse tantis beneficijs Virgini ingratus extitit. Quicquid enim gratum ipsi futurum nouerat, diligentissimè exequebatur, concionibus eius rosarium, cultumque item eius sodalicia propagando. Semper in ore, eius salutationem habere videbatur, eandem ambulando, sedendo, loquendo, prædicando, & quoties aliquid pronunciare aut dictare volebat priusquam inchoaret, genibus flexis vsurpabat.

Alanus de Rupe B.V. desponsatus.

B.V. Alano lac suum in eius os instillauit.

Eius in Salutatione Angelicâ pietas.

37. Rem non dissimilem Vincentius Belluacensis in spec. Hist. lib. 8. cap. 83. narrat de adolescente quodam, qui ab amasia annulo donatus erat; Hic cum cuiusdam Imaginis Deiparæ in Templo quodam pulchritudinem admiratus esset eamque attentius contẽplatus: *Verè*, inquit *quæ me carnaliter diligit, tibi non est comparanda, quanquam multis naturæ donis excellat, quare eius amori nuntium remitto, teque in posterum amare, tibique seruire statuo.* Quibus dictis, annulo digitum eius, quem extentum habebat, induit; Quod dum faceret, Imago, quasi approbante Deipara, quod fecerat ille, eius digitum stringit. Ille timore correptus exclamat, illicoque accurrunt, qui in Templo erant, quibus sigillatim enarrat quæ acciderant, deque voto Virgini nuncupato. Qui mox ei suadet, vt sæculum deserat, neque in posterum nuptias cum illa contrahat. Quod cùm aliquandiu seruasset; tandem mundi, carnisque victus illecebris, voti Deiparę nuncupati per summum nefas immemor, infelix ducit vxorem. At non id tulit impune. Nam prima nuptiarum nocte apparet ei Virgo, annulum quo ab ea erat donata, tanquam voti pignus in digito gerens, eumque perfidiæ accusat. Ille è somno excitus putat esse phantasma, visumque hoc totum cõtemnit. Itaque secundo ei misericordiæ Mater humanæ salutis cupidissima, visendam sese exhibet, grauibusque verbis, ob votum infractum, asperrima cõminatur supplicia. Quo viso tandem ille exterritus è lecto se proripit, eademque ipsa nocte in Eremum se confert, vitamque monasticam profitetur, totoque residuo vitæ suæ tempore Diuinis, Virgineisque se totum mancipat obsequijs.

Adolescens quidam amorem carnalis sponsæ amori B.V. postponit.

38. Quid de Catherina Raconisia Virguncula innocentissima dicã? Huic quinquenni ipso aduentus Spiritus sancti super Apostolos die, candidâ amicta veste Virgo apparet Deipara, cuius in fronte instar solis radians pyropus emicabat, eamque dilectissimo suo mox desponsauit filio, qui similiter forma quinquennis amabilissimi pueri sese ostendit. Desponsationis porrò istius ritus hic extitit. Deipara annulum digito suo eductum filio tradidit, quo in nouæ sponsæ digitum annularem inserto, Virgineque eadem, vtriusque manũ tenente: *Ego*, inquit, *Christus, te mihi sponsam assumo in fide, spe, & charitate.* Eadem Catharina postea natu grandior facta, Deo, eiusque Matri conceptis verbis Virginitatis suę florem dedicauit. Quod vtrique quam gratum acciderit, morte subsequente, à S. Catharina Senensi, quæ ei apparuerat, didicit.

Catharina Raconisia à B.V. Christo desponsatur.

39. Quid de Stephana Soncinate Ordinis D. Dominici dicam? Huic, postquam Deo Virginitatem vouisset, Christus cũ Matre dilectissima sese ei visendum præbuit, qui eam, dato annulo sibi desponsauit. Annuli huius tanta erat pulchritudo, atque opulentia, vt nihil neque ditius, neque speciosius cerni posset. De Annuli huiusce Virginei siue pulchritudine, siue precio potiori iure cani posset illud elogium, quod Stroza de illo, à nescio qua terræ filia sibi donato modulatus est lib. 1. Erot. Dicat igitur Beata Stephana immortali vere Corona Virgo dignissima, dicat de hac Annulo sibi ab increata sapientia donato:

Stephana Soncinas Christo per B.V. desponsatur.

Annulo dulce mihi dilectæ munus Amicæ,
Annule delicias inter habende meas.
Tu licet excellas auro precioso, & aptè
Gemma sit artifici clausa magisterio.
Est aliquid mihi quo meruisti gratior esse;
Scilicet in niuea te tulit illa manu.
Illo etiam dono cum te mihi tradere vellet,
In primis monuit, quod sibi charus eras.
Mecum igitur semper noctesque diesq; manebis,
Mille tibi amplexus, oscula mille feram.
Inque sinu ponere, manus dum nostra lauetur,

Annuli cuiusdam elogium.

In-

Inuida ne nitidum se mihi lędat aquam:
Tu modo læua caue commissum perdere pignus,
Si qua hoc mandantis gratia tangit Heræ.

Osanna Virgo à Christo, & B.V. legere ac scribere edocta.

Quid dicam de Osanna Virgine Mantuana eiusdem Ordinis Diui Dominici? Hæc postquam à Christo Domino, eiusque Matre dum adhuc paruula esset legere ac scribere didicisset; postquam nocte illa felicitatis plenissima Natiuitatis Saluatoris rapta fuisset ad clarè perspicienda quæcumque eo tempore contingererunt: postquam audiuisset Angelicos concentus, vidisset Christum paruulum eiusque Matrem eum sinu fouentem, postquam sumptâ die Virgineæ Purificationis Eucharistia Spiritu rapta fuisset Hierosolymam in Templum, ibique datum ei esset clarè videre Virginē Paruulum vlnis complectentem, eumque Simeoni offerentem, essetque ab eodem blandis oculis, ac Serena fronte ad se complectendum inuitata, & ad id faciendum à Deipara esset compulsa, tandem cum certa quædam suis pijssimis precibus impetrasset, ad cumulum gratiarum omnium, præsente Propheta Regio Diuini epithalamij Psalte à cælesti hoc Sponso, porrecto inque eius digitum inserto annulo desponsata est, summisque cæli perfusa delicijs, ab eodem hoc paruulo cui deliciæ sunt esse cum filijs hominum. Kalend. Deip. 18. Iun.

40. Quid de Hermano Puero moribus plane Angelicis prædito, & à prima pueritia Virginis obsequijs mancipato dicam? Huic cum Virgo Deipara duobus Angelis stipata, Regali Schemate in Templo aliquando apparuisset alter ex his beatis comitibus, sic eum allocutus memoratur: *Oportet Iam tibi Puellam illustrissimam desponderé, simulque dexteram eius apprehendens manum manu sue Sacratissimæ Virginis copulans, his è verbis eam ipsi castissimè despondit: Hanc ego Virginem tibi trado sponsam, sicut olim fuit desponsata Ioseph, vt nomen Sponsi pariter cum sponsa accipias, atque in posterum Ioseph vociteris.*

Hermanus ab Angelis disponsatur B.V. & Ioseph vocatur.

Atque ne nomen vacuum absque Iosephi ministerijs, quæ Infantulo IESV olim exhibuerat, accepisse videretur, Virginea hæc Sponsa aliâ vice Infantulum IESVM in vlnis gestans sese ei visendam exhibuit, inque eius sinum, amplexusque Iesulum tradidit: *Porta*, inquiens, *Filium meum, sicut à Sponso meo Ioseph portatus est in Aegyptum, vt sicut idem onus, ita quoque consimilem eius nominis honorem obtineas.* Ex his alijsque quam plurimis exemplis colligitur Sacratissimam Virginem annullatam illam, igne diuini amoris accensam Aram, Regio diademate coronam filios hominum ad amorem suum purissimum pertrahentem esse. Nec illi omnino deesse videntur duo illi Cherubini, qui lib. 1. Paral. 28. Altare Thymiamatis ita stipasse memorantur vt expansis, vinctisque super per ipsum alis solium Maiestati illi, quæ sedet super cherubin, ad suaues Virginearum virtutum odores percipiendos præparasse viderentur. Siquidem duobus Angelis Cælorum Regina vti diximus Sociata, ad Hermannum eum desponsatura accessit.

41. Nec vacat mysterio quod Altare hoc altum duobus cubitis fuisse perhibeatur, quia non solùm mente, sed etiam corpore in cælestia Virgo hęc Sacratissima, etiam dum in terris degeret, assiduè eleuabatur. Ita vt verè dicere posset: *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro meo.* Psal. 1. & Ps. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in DEVM viuum.* Hinc S. Damascenus Orat. 1. de Nat. B.V. eam totam, tam animo quam corpore in Diuinum Spiritum, celestiaque eleuatam, atque suspensam, absorptamque contemplans, ei dicebat. *Tota Spiritus Thalamus es, gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua, animo videlicet, & corpore.* Et ne modica quædam humique repens Altaris huius altitudo videretur, addidit; altitudinem Cherubinorum, Seraphinorumque transcendisse: *Ipsa namque Cherubinos*, inquiens, *& super Seraphinos euecta, propinqua Deo extitit. O' miraculum, miraculorum omnium maximè nouum!* De hoc Altari vide plura apud Viegas in c. 8. Apoc sect. 5.

B. V. animo, & corpore semper in DEVM eleuata.

42. Iam quid tandem de ipso Altaris huius Thymiamate, eiusque compositione dicemus? Hoc quatuor aromaticis speciebus constat ex ipsius Domini imperio sic Moysem alloquentis Exo. 30. 34. *Sume tibi aromata stacten, & onycha. Galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia, faciesque Thymiama compositum, opere vnguentarij mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum. Cumque in tenuissimum pulverem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo tibi. Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama.* Quæ sanè compositio, Virginei corporis Deiparę nostræ, nobis ob oculos ponere

Aromata ex quibus Thymiama componebatur.

nere videtur compoſitionem, ita vt ſicut Virginem dicimus Altare eſſe thymiamatis, ita quoque verè dicere poſſimus eandem ipſiſſimum eſſe Thymiama: Siquidem S. Baſilius in cap. 1. Iſaiæ: *Thymiama, inquit, hoc eſt corporis Sanctimonia per temperantiam, & frænum rationis in corpus, quod quatuor elementis conſtat. Stacte ad aquam refertur: thus ad aerem; onyx ad terram ob arriditatem; Galbanum ad ignem, ob calorem præferuidum. Hæc ergo inter ſe moderatur, & contemperat ſanctimonia, quaſi thymiama ſanctum*. Atque ita Corpus hoc Virgineum quatuor hiſcé ſpeciebus aromaticis, velut quatuor elementis conſtare videtur; quod anima illa beatiſſima, ac perfectiſſima vegetatum, igneque Diuini amoris accenſum adeo ſuauem in conſpectu Diuinæ Maieſtatis odorem exhalabat, vt beatæ illæ, ab omni materiæ concretione ſegregatæ mentes in ſummam raptæ admirationem exclamarint: Cant. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut Virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Vbi duarum ſpecierum aromaticarum, nominatim myrrhæ, ſeu Stactis, ac thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij audimus fieri mentionem, vt ſub vniuerſo illo puluere onyx, ac Galbanum comprehendantur, & clarè intelligamus Virgulam hanc fumi Angelis admirandam, ipſum eſſe Thymiama, ſupremæ illi Maieſtati pulcherrimarum ſuarum virtutum exhalatione iucundiſſimâ, longè gratiſſimum.

Thymiama corporis B. V. eſt ſymbolum.

43. Hæc nimirum Virgo mihi Nymphæ illi pulcherrimæ non abſimilis videtur quam Sol eius amore captus, in Thuream Virgulam, diuino prius eandem tinctam nectare, mirabilique metamorphoſi transformatam, in terra plantauit. effecitque, vt cacumine cælos attingeret, quo dijs, hominibuſque ſuauiſſimum aſpiraret odorem, vti cecinit Heſiodus. De hac eleganter Ouid. lib. 4. Metamorphoſ.

B.V. Thurea Virga.

Nectare odorato ſparſit corpuſque locumque,
Multaque conqueſtus; tanges tamen æthera dixit:
Protinus imbutum cæleſti nectare corpus
Delicuit, terramque ſuo madefecit odore,
Virgaque per glebas ſenſim radicibus actis
Thurea ſurrexit, tumulumque cacumine rupit.

44. Et ſi porrò Virginea hæc Virgula, diuinumque hoc Sanctificatione digniſſimum, & Sanctum Sanctorum Thymiama, vt Spiritus S. loquitur, non tantùm mane, & veſpere, vt ante memoraui, ſed ſemper dum inter mortales degeret, ſuauiſſimum Deo, ſuis virtutibus, pluſquam Angelicis aſpirarit odorem, certis tamen temporibus, ex Sanctorum Patrum dictis colligo, illam maiorem, ac maiorem exhalaſſe. Atque in primis in primo immaculatæ eius Conceptionis inſtanti mihi certò perſuadeo Virgulam hanc ſingularem odorem ſpiraſſe, cùm vt aliqui voluere Theologi, ac in primis Suarez in vtero Matris adhuc exiſtens, vti ſæpius dictum, mox vt fuit concepta, votum Virginitatis, inaudito ad illa vſque tempora exemplo emiſit.

In Concept. ſua B. V. ſuauium virtutũ ſuauem odorem fudit cũ votum Virginitatis emiſit.

43. Agnouit hoc Guilelmus Abbas, cùm Virgineam hanc Virgulam odorum exhalatione gratiſſimam, contemplans, pronunciauit; *Nihil aptius per quã virginitas deſertũ figuratur quid. n. illis diebus tã neglectum atque deſertũ, quã Virginitas? Da mihi vel vnum, vel vnam illius temporis, qui titulo Virginitatis effulſerit. Et quidem nullo Sanctarum fœminarum legitur Virginitatem amplexa, dum ratio temporis officium propagationis expoſceret; Porrò aliqui Sanctorum Virorum, pauciſſimi tamen Virginitatem eo tempore ſeruaſſe creduntur, ſed iuſtam magis, quam ſponte oblatam, Denique Hieremias de ſeruanda Virginitate præceptum Domini habuit* cap. 16. v. 2. *Non accipies tibi vxorem, & non erunt tibi filij, & filiæ in loco iſto. Atque hinc præſumitur, quod ſi qui alij eo tempore Virginitatem ſeruauerunt præceptum Domini ſuper hoc ſimiliter habuerunt. Vnde nec in ea tam excellentes, tam inſignes eſſe potuerunt. Nullus enim Prophetarum tunc dicebat, quod nunc dicit Apoſtolus: De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, Non ergo tunc Virginitas quaſi res conſilij excellebat, nec eam per votum aliquis Deo offerre audebat, Propter illud: Maledictus qui non fecerit Semen in Iſrael. Non ergo tunc ſolùm non erat Virginitas res conſolij, ſed maledicta exoſa, & abominabilis, & deſerta res fuit, & ideo per deſertum hoc loco ſignificatur: Maria Princeps per hoc deſertum aſcendit, quia ad ſingularem inter fœminas excellentiam excreuit, quæ prima hominum omnipotenti Deo immaculati corporis, & cordis ſacrificium ſtuduit offerre (*: en ſuauiſſimum illud Thymiama ex quatuor aromaticis ſpeciebus, ceu elementis compoſitum: *) dando illi, ſaluâ Virginitate Semen in Iſrael, & benedictionem ampliſſimam: benedictionem omnium gentium dedit illi, quando ſingulari miraculo fecit Matrem Dei:*

Deſertum Virginitatis ſymbolum.

In veteri lege quam rara Virginitas.

Hieremias Propheta à Deo iuſſus Virginitatem ſeruauit.

Amore

Amore incorruptionis parata erat, à sua gente elogium maledictionis incurrere, & ecce saluâ incorruptionis gloria, totus ei mundus proclamat: Benedicta tu in mulieribus. Sic ergo ascẽdit ex deserto. Sed nunquid virginalis fœcunditas destituta fuit aliarum virtutum comitatu? Non potuit esse sterilis virtutum Mater Domini virtutum. Audis hic virgulam fumi, ex aromatibus, &c. Fuit Dei Genitrix recta per actionem; fragrans, per bonam existimationis famã; sursum erecta per mentis synceram intentionem: quid prodest rectitudo actionis cum fragantia boni nominis, si tibi facias à homo, non Deo, si tibi fragres, non Deo, idest, propriam gloriam quæras, non Dei? Iunge tertium vt ascendas similis Mariæ. Denique quia nihil deesse potuit spiritualium aromatum, vt quæ genuit fontem charismatum, sequitur: Vniuersi pulueris pigmentarij. Pigmentarius iste, est ipse DEVS. Vnde Iacobus Apostolus; Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Q.D omne spirituale pigmentum à summo illo pigmentario est. Et alibi: Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Q.D. Siquis illo, vel alio spirituali pigmento opus habet, postulet à summo illo Pigmentario, qui sibi non minuit, dum alijs tribuit, Magnus iste pigmentarius pigmenta, quæ largitur plerumque contundit in pulueres, ad maiorem vsum, & fragrantiam suauiorem. Pressuris namque tribulationum virtutes suorum exercet, vt nec in semetipsis deficiant, & bonum Christi odorem latius spargant. In Deipara omnium virtutum aromata pilo tribulationis, ad præclaram redolentiam in puluerem erant contusa, quia cunctis Filij perpessionibus, materno affectu filio communicabat. Horum aromatum duo præcipuè nominantur, Myrrha sacri odoris, & thus pij amoris. Quantum amabat, tantum in filij passione dolebat, atque ita thus, & myrrha æquali expirabat. Hæc Gulielmus, quibus clarè ostendit Virginem, dum immaculatum suum corpus, facto voto virginitatis Domino consecrauit, Thuream Virgam per desertum huiusmodi exemplis destitutum ascendentem extitisse sicut, & simul Thymiama gratissimum ex myrrhâ, thure, onyche, Galbanoque imò vniuerso puluere pigmentario compositum, suo Creatori obtulisse & ad instar gracillimę aromaticæ virgulæ cælos attingentis suauissimum odorem summæ illi Maiestati expirasse.

B. V. Virgula fumi quare dicatur?

B.V. quanto amplius Filium amabat, tanto magis in eius passione dolebat.

46. Eiusdem corporis sui sacratissimi Thymiama igne diuini amoris accensum obtulisse visa est Deipara, quãdo adhuc trimula in Templo Diuinæ Maiestatis aspectibus, ex parentum pientissimorum voto est præsentata, atque cõsecrata. Crediderim sanè, quod Beatæ mentes eam diuino amore flagrantem, absque vllius adminiculo, gradus illos 15. Templi, admirabili celeritate conscendentem, contemplantes hæserint quodammodo attonitæ, atque exclamarint: *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris?* Huius Thmiamatis suauissimum exquisitissimarum virtutum odorem persentiscens B. Georgius Archiep Nicomed. orat. de Præsen. B. V. sic Templum ipsum, vt Virginem honorificentissimè excipiat, adhortatur. *Accipe aureum Thuribulum: (imò, & Altare Thymiamatis:) in quo verbum, quod carnem assumpsit bono odore impleuit orbem terrarum, in quo combusta fuerunt crimina inobedientiæ, per quod liberatur aer à molestia inquinamentorum, per quod bonus odor Spiritus spirauit in homines.*

In sua Præsentatione B.V. fuit quodam Thymiama.

B.V. Aureum thuribulum odore suauissimo plenum.

47. Iure porrò Virginẽ nostrã gloriosissimam, non modo Altare Thymiamatis, verumetiam aureum Thuribulum, quod in Sancta Sanctorum, teste Apostolo Hebr. 9. vna cum Arca testamenti erat repositum, vocitamus. Verè enim ipsa sicut animata quædam Arca fœderis extitit, ita & thuribulum aureum, quo summus Sacerdos, ob summam reuerentiam, quæ ei debebatur, semel in anno ad propitiandum Numen, accenso in illo Thymiamate vtebatur. Verè enim nullum efficacius medium, ad DEVM placandum in venire possumus, Mediatrice Dei, & hominum ipsâ Deiparâ, quæ suauissimo virtutum suarum odore mirificè summo illi arridet Numini, eoque amplius, quod non semel in anno, sed in dies singulos, hos ex se odores gratissimos exhalat, vt nobis à Deo misericordiam impetret.

B.V Thuribulum quo vtimur ad iratum nobis DEVM placandum.

48. Quod si situm Altaris Thymiamatis, quod collocatum erat ante Sancta Sanctorum; consideremus, longè præstantius Virgineum hoc Altare inuenienius, siquidem intra illa sacratiora adyta, ad ipsius longè eminentiorem nobis declarandam sanctimoniam, à Zacharia summo sacerdote introductum fuit, vt diuinæ illi super alas Cherubin in propitiatorio sedenti Maiestati multo Diuiniorem ardentissimæ charitatis, mortificationis, orationis, reliquarumque virtutum, ad Numẽ, mortalium sceleribus grauissimis offensum pro-

B.V Sanctior Altari Thymiamatis, quia hoc ante Sanctuarium, illa vero in Sancta Sanctorum fuerat collocata.

propitiandum, placandumque ad instar virgulæ aromaticæ, myrrhâ, thure, onyche, Galbano, reliquisque pigmentarijs pulueribus compositæ, odorem exhalaret. Cùm enim parentum suorum pientissimorum voto Domino esset, antequam adhuc conciperetur, consecrata, eiusque internam Pontifex, altiori collustratus lumine contemplatus esset sanctitatem, dignam omnino, diuino instinctu censuit, quæ singulari priuilegio intra sacratius Templi oraculum reciperetur. Qua de re Nicephorus Callixtus libr. 1. Eccl. Histor. cap. 7. *Sacerdotes eam, inquit, tanquam vt sanctius quoddam donarium suscepere, & puellam in sacrario fouendam esse duxere, ad antiqui illius Samuelis similitudinem. Itaque illa vt res intacta, & sacrosancta in Templi sanctiori loco, & adytis ipsis viuebat.* Idem asserit B. Germanus Patriar. Constantinop. orat. de Præsent. B.V. *vbi non sepè, sed semel solùm in Anno sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos; illuc Mater Domini, vt ibi perpetuo maneret à suis adducitur parentibus, non Regi terræ, sed Deo offerenda, & consecranda, vt esset in sacris adytis gratiæ. Quis vidit, aut quis audiuit fœminam quæ adduceretur in intima Sācta Sanctorum, ad quæ vix patet adytus hominibus, vt in his habitet, & versetur? Intueamur quemadmodum Propheta Zacharias, eam sua manu accipit, & adducit in adyta, non dicens eius parentibus,. Non faciam rem hunc maximè nouam, neque puellam introducam in Sancta Sanctorum, vt in eis habitet assiduè, in quæ semel in anno iussus sum intrare. Nihil tale dixit Propheta Zacharias, sed vt qui præsciuisset, quid futurum, quoniam erat Propheta, eam expectans excepit, prompto, & alacri animo.* Sic ille.

B V Sanctius quoddam Dei Donarium.

49. Pari dicendi venustate supra memoratus B. Georgius Archiep. Nicomed. de hac Virginis nostræ, immortali Numini à parentibus factâ consecratione, loquitur, munusque hoc tam preciosum miris extollit laudibus, factâque ad Templum Hierosolymitanum apostrophe, eam tam rebus, quæ in sancta, quam ijs, quæ in Sancta Sanctorum asseruabantur, comparat: *Pande portas tuas, inquiens, & introduc Portam intellectualem, per quam cum solum transijsset Dei Verbum, obsignatam conseruauit, sicut nouit. Sustine velum, vt intra id ingrediatur Verbi velum animatum, quod in se velauit Diuinitatem, & eius igne non fuit combusta, essentia materialis. Accipe, quod fuit in Spiritu inauratum candelabrum, lucerna cuius fines illuminat, per quam accenderunt septem dona Spiritus, & mundum illuminarunt. Accipe Mensam, quæ portat vitam, in qua vitæ nostræ panis propositus, ambrosia pauit eos, qui illius fuerunt participes. Orna Sācta Sanctorum & sanctissimum excipe tabernaculum, quod est capax essentiæ immaterialis, quodque nostrum, quod ceciderat, excitauit tabernaculum. Accipe aureum Thuribulum. Introduc Arcam sanctificationis, quæ intus accepit eum, qui dedit legem, quæ portauit Manna cæleste. Noui testamenti thesaurum, vrnam inclytam, ac gloriosam.*

B.V. Velum animatum, quod intra se velauit Diuinitatem.

B.V. Mensa panis propositionis.

50. Tum ad laudandas eius virtutes, odorem suauissimum superis ad instar Thymiamatis, aut aromaticæ Virgulæ superis exhalantes, conuersus, sic loquitur: *Hæc est, quæ à dextris Dei assistit Regina, quæ prope est pulchritudine, ac splendore, quę est speciosa natura, & nullam suscipit maculam. Quę ascendit de Libano Virginitatis, & mundum perfundit vnguento, ex qua dulcedo diffluens, veterem amatorem ligni dulcem reddidit, cuius super mel labra extiterunt dulcia, & è lingua eius, tanquam ex fonte manauit lætitia. Cuius vestes vnguento delibutæ, bonum odorem super omnia terræ aromata emiserunt. Hanc introduc tanquam sponsam, cuius pulchritudo est incomparabilis, & gloria ineffabilis, cuius lux oculorum solis superauit radios. Hortum conclusum, quem peccati cogitationes intrare non possunt, in quo diuina Planta, quæ citra agricolæ culturam germinauit; ligni maledictum, quod prius in vita mirandum in modum crescebat, exsiccatur radicitus, eiusque loco effecit, vt floreret benedictio.* Vt ostendat tandem omnia, quæ in Tēplo visebantur, vt Arca, Thuribulum, Altare Thymiamatis, &c. fuisse vmbras huiusce Virginis, quæ se ad instar Thymiamatis Deo in charitatis igne consecrauit, sic concludit: *Hucusque siste signa, fac vt cessent consueta ęnigmata. Quousque ad vmbram attendis, quousque in littera gloriaris? Ecce gratiæ radij illuxerunt, ecce signa litteræ, in spiritum transmutata sunt. Et defessum figuris inseruiens, ecce accedit, quę noua faciet omnia. Cur sacrificiorum sanguine aspergeris, eorumque nidore suffumigaris, cum qui ea iussit, non admittat?* Sacrificium enim: (ait Verbum Patri, & idem ipsa eius dicere videtur Mater:) *& oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi.* Quod illa videlicet, vna cum anima, velut gratissimum, iugeque Thymiama supremæ adoleuit Maiestati. Tādem laudes Virginis sic concludit; *Hanc cum gaudio excipe, prompto, & alacri animo accurre, adora*

B.V. veterem ligni amatorem dulcem reddidit.

B.V. Vestes vnguento delibutæ bonum odorem super omnia terræ aromata emiserunt.

B.V. adoranda quia superior omni visibili, ac inuisibili creatura.

illam, vtpotè, quæ omni superior est visibili atque inuisibili creatura. Amplectere purissimũ Habitaculum, immaculatum introduc Tabernaculum, ac cęde inquinatum, educ Iudæorum cętum. Hæc Georgius.

51. Neque verò solum dum Virgo in sancta Sanctorum vsque ad nubiles annos habitauit ad instar Thymiamatis, Virgulæque aromaticæ, virtutum sacrum spargebat odorem, sed etiam post quam castissimo suo nupsit sponso, cuius odore adeo delectatus Dei filius est, in paterni sinus residens accubitu, vt eã ardentissimè adamare, in Matremque eligere non sit dedignatus. Et licet virtutum omnium odor ei vehementer arriserit, arrisit tamen vel maximè puluis ille pigmentarius, ac fumus ipsius humilitatis, qua Virgo in oculis suis se puluerem, cineremque ac fumum reputans, cæteris mulieribus meruit anteferri, & ad eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem exaltari. Audiamus hic Rupertum Abbatem, qui Angelicum illud elogium: *Quæ est ista, quæ ascendit sicut Virgula fumi;* attentius expendens, profundissimamque Deiparæ admirans humilitatem, sic eam alloquitur? *Odor tuus, odor humilitatis tuæ præcipuus ascendit ad Deum, vt verè sacrificium contribulati Spiritus.* *Quid enim sumus, & quid puluis, nisi Spiritus lacrymosus, & conscientia valdè humilis? Et sua quidem æstimatione vera humilitas, est fumus innoxius, quasi cremij, siue torris obusti, & puluis terræ sine aqua, & sitientis, iuxta illud Psalm. 101. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt. Et sicut Abraham dixit Gen. 18. Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis. Sed non ita æstimatione Dei. Aliter & melius ille te discernit. Tu dicis puluis sum terræ, qualem ventus dispergit, aura tollit, & ille dicit non, sed puluis pigmentarij, puluis myrrhæ, & thuris, qualem pigmentarius Spiritus S. conficit, ex optimo thure, quod est suauitas mentis, & myrrha probatissima, quod est mortificatio, siue incorruptio carnis. Tu dicis; fumus ego sum teter coram Diuinis oculis, qualis de camino, siue de fumario deficiens ascendit, ascendens deficit.* *Et ille dicit: Non, sed fumus ex aromatibus, myrrhæ, & thuris, qualem decet ascendere de aureo thuribulo, ante altare aureum vsque ad oculos, & olfactum Dei. Talis fumi Virgula tu ò B. V. Maria suauem odorem Spirasti Altissimo, celestibus disciplinis erudita, atque extenuata. Talis ascendisti per desertum, id est, animum habens valdè solitarium. Si enim vera cuiusque animæ humilitas etiam inter turbas potest esse solitaria, ita videlicet, vt in nullo alio præterquam in Deo spem habeat, quemadmodum Esther cum esset Regina veraciter tum dicebat: Esth. 14. Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus auxiliator est alius; quanto magis tu vera solitaria, & quasi in deserto eras, quæ virum non cognoscebas, nec cognoscere cupiebas, & ab illo cui desponsata fueras, penè fuisti deserta.* Hæc de insigni humilitate Virginis, qua se despiciens arbitrabatur, se cinerem, tetrumque puluerem, cum tamen virtus eius odores Thymiamate longè suauiores exhalaret, quibus Dei filius pellectus in eius vterum descendit.

Humilitas B.V. placuit cælesti sponso vel maximè.

52. Richardus autem à S. Laur. lib. 1. de laud. B.V. cap. 5. humilitatem Virginis, non modo vt aromaticam virgulam ex myrrhâ, & thuræ, vniuersoque puluere pigmentario compositam esse censuit, verumetiam, vt nardum, gratissimum odorem supremo Regi exhalasse, cuius suauitate illectus, eius in vtero velut areolâ aromatum conquiescere, in eoque cum filijs hominum deliciari non est dedignatus. Præclarè .n. Iustus Episcopus in Cantica: *Areolam,* inquit, *aromatis, ipsam S. Mariam Virginem intelligendam accipimus, ex ea quippè odor iustitiæ ortus est Dominus IESVS Christus.* Sed ipsa verba Richardi, audiamus, qui illud Sponsæ Cant. 1. ponderans: *Dum esset Rex in accubitu suo Nardus mea dedit odorem suum,* sic loquitur: *Verba sunt B. Marię de sua humilitate, quæ deuotionem effudit suam, vsque ad cęlos ascendentem, & Dei filium vsque ad terram inclinantem, qui in altis habitat, & humilia respicit. Odore autem huius nardi suauissimo, Dei filium illexit, & totum rapuit, qui ille illectus, & totus raptus de sinu Patris saly t in vterum Matris, & a summo cęlo egressio eius. Nec solùm in ventre eius odorem virginitatis, sed & in mente humilitatis reperiens, & his odoribus odorem suæ Diuinitatis admiscens, de Ancilla fecit sponsam, & de Creatura, Dei Genitricem. Sic nimirum humilitas Marię Regem cæli attraxit ad terram, & velut Aquilam odore prædæ concupitæ illectã carni immaculatissimę copulauit, ascendente fumo aromatum, virtutum videlicet eius, in conspectu glorię magni Dei, inuenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus, qui circumstabant: Quę est ista, quę ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus, &c. Statimque Rex egrediens de loco Sancto suo, & de excelso cęlorum habitaculo prosiliens exultauit vt Gigas, ad currendam viam, & nimio peruolans desiderio pręuenit nuncium suum ad Virginem,* quam

B.V. Areola aromatum dicta. quia odor iustitiæ ortus est ex ipsa, Christus.

Vis humilitatis B. Virg.

Humilitas B. V. Regem cęli traxit ad terram.

quam elegerat, quam amauerat, cuius decorem concupierat. Idem libr. 10. hanc ob causam Thalamum redolentem, ac fragrãtem, Virginem appellauit: *Quia*, inquit, *omnes aromaticas species, vniuersa prima vnguenta, & vniuersum puluerem pigmentarij, velut Spiritus Sancti specialissima Apotheca continebat. Redolentia fragrantiaque huius Thalami ad se vnigenitum Dei attraxit, qui & in vtero eius odorem virginitatis, & in mẽte odorem humilitatis reperiens, hisque odoribus odorem suę Diuinitatis admiscens, thalamum hunc ineffabiliter pigmentauit.*

B.V. Spiritus Sancti specialissima Apotheca.

Vnde ipsamet Virgo ratione tantę fragrantiæ comparat se arboribus aromaticis, Cedro, cypresso, cinnamomo, balsamo, myrrhæ electæ, Storaci, Galbano. Eccli. 24. & in Cant. c. 4. *Cypro, nardo, croco, & huiusmodi. Denique* 3. *Reg.* 7. *Domui saltus Libani, cuius pars inferior dicebatur pigmentaria, quia Regia pigmenta continebat, comparatur.* Sic ferè Richar.

53. Quid de reliquo vitæ eius decursu dicam? O' quanta Virgineum hoc Thymiama, assiduis virtutum quotidie factis incrementis, piæ conuersationis suæ fragantiâ cælum, terram, omnesque longè lateque creaturas recreauit! Hinc B. Petrus Card. Dam. serm. de Assumpt. beatas mentes interrogatione illa, admiratione plenissima: Quæ est ista &c. eius conuersationis ascensum fuisse demiratas asseruit: *In huius sæculi vanitates, omnes vel descendere vel cadere cognoscuntur,* inquit ille, *rarusque est qui non vel descendat, vel cadat in huius turbulentissimæ profunditatis Oceanum, sola illa Mater, & Filia Creatoris nec descendit, nec cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est. Qualiter autem ascendit? Sicut Virgula, inquit, fumi. Virgula fumi recta est, subtilis, odorifera, & quanto magis in aera extenditur, tanto amplius dilatatur. Sic & Angelorum Regina recta est in sublimitate conuersationis, quia Virga directionis Virga Regni Domini. Subtilis in Deitatis contẽplatione, quia ipsa est, quæ conseruabat omnia verba conferens in corde suo. Odorifera in virtutum opinione, quia currimus in odorem vnguentorum suorum. Angusta in temporalibus, quia non erat ei locus in diuersorio. In spiritualibus dilatata, quia adstitit Regina à dextris Domini. Hæc est Virga illa quâ retunduntur impetus aduersantium Dæmoniorum, Virga Aaron per quam fiunt signa, & mirabilia. In Virgine Virga, & baculo Cruce miserorum spes, & consolatio continetur, vt Propheta Psal. 22. clarâ voce declarat: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virgula hæc ex aromatibus myrrhæ, & thuris confecta est. Myrrha corpora dissoluta consolidat, & cadauer exanime sibi vendicat, ne putrescat. Thus autem Deo in oratione accenditur. In Myrrha continentiam, in thure deuotionem intellige. Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas, in candorem lucis æternæ conuersa est. Porrò quis eius deuotionem laudibus æquare poterit, si rememoret ad eam missum Angelum, superuenisse Spiritum, Filium Dei conceptum, DEVM ex ea natum, stellam nouam, Magorum gloriam, munerum gratiam, & super hæc omnia, testimonium conscientiæ suæ? Hæ sunt duo, quæ Virginalem substantiam tota circumdedere virtute, continentia videlicet, & deuotio, quorum alterum carnem, alterum mentem ita possedit, vt caro mundissima, mens purissima Genitricem Domini singularius consecraret.*

B.V. semper de virtute in virtutem progressa.

B.V. recta fuit in sublimitate contẽplationis.

B.V. deuotio ineffabilis.

Denique vt ostendat miram patientiæ virtutem, velut preciosissimam speciem aromaticam huic Virgulæ compositioni fuisse admixtam, subtexit: *Ne putares his duabus solis virentibus insignitam Dominam orbis, & Reginam cælorum, additur: Et vniuersi pulueris pigmentarij. Hic expressum est quicquid exprimi potuit. Species quidem odorem reddunt, sed non tantum quantum confractę. Crebris enim tunsionibus supertritę, remotiorem etiam locum, odorifera respersione refundunt. Sic & virtutes in pace quidem fortiter redolent, sed fortius in tribulatione, quia virtus in pace, acquiritur, in persecutione probatur, approbatur in victoria. Vniuersus ergo puluis pigmentarius in Virgine coniectus est, quia in ea virtutum omnium conuentus reuerẽdum sibi thalamum consecrauit. Et si cęteris per partes Spiritus affluit, Marię tamen tota plenitudo gratię superuenit; Nec integrę fuerũt in ea species, sed in subtilissimum comminutę puluerem, quia ipse est, quę tribulationum malleis superpressa, vidit Filium affligi Cruci, militari lancea vulnerari, & inter duos latrones positum expirare.* Hæc Damianus quibus clarè ostendit Virgulam hanc tam preciosis virtutum, mortificationis, deuotionis, incorruptionis, patiẽtię alijsque innumeris aromatibus constãtem, suauissimum extitisse Thymiama, suaque amabilissima conuersatione bonũ vbique sanctimoniæ suę odorem diffudisse, & non modo mortales, sed & ipsos cælites summam in admirationem rapuisse.

In B.V. virtutum omnium conuentus extitit.

B.V. tribulationum malleis superpressa vidit cruci affixum Filium.

54. Idem in Virginem pientissimus Card. serm. de Epiphania docet Deiparam tanquam stellam, Magorum exemplo obtulisse thus deuotionis, & myr-

rham incorruptionis dilectissimo Filio, velut soli nato ad mundum hunc illuminandum. *Virgo stella maris*, inquiens, *obtulit soli nato suo in persona sua aurum Regiæ dignitatis, quia fuit ipsa de Regia tribu. Obtulit etiam thus, & myrrham. Vnde in Cantico amoris hæc duo in ipsa iunguntur: Quæ est ista, & cet. Myrrha arcet vermes à corporibus mortuorum, & ipsa corpora conseruat à corruptione, propterea Nicodemus attulit mixturam myrrhæ, & aloes, vt condiret corpus IESV. Ioan. 19. Per myrrham ergo carnis integritas designatur; thus verò mentis exprimit deuotionem. Benè ergo hæ duæ species in stella, & virga nostra iunguntur, quia in Virgine Maria carnis integritas, & mentis deuotio semper indiuise manserunt. Et merito additur: Vniuersi pulueris pigmentarij, quia ipsa adeò fuit donis Spiritus S. referta, vt audire meruerit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, &c.*

B.V. cum magis obtulit thus deuotionis, & myrrham incorruptionis Filio suo.

In B.V. carnis integritas & mentis deuotio.

55. Quid iam de sanctissima eius cum Infante IESV filio suo dilectissimo, quem plus longe oculis, vitaque sua diligebat, dicemus conuersatione? Hic verè si vnquam ante se Virgulam aromaticam, Thymiama suauissimum diuini amoris igne succensum variarum virtutum gratissimum odorem exhalās demonstrauit. Conuersationem hanc deliciosissimam, charitatem plenissimam, descripsit B. Amad. Hom. 4. de laud. B.V. Vbi DEVM Patrem in primis Virgini hisce verbis filium suum commendantem introducit; *Videt*, inquiens, *Filium mox sibi commendatum, & mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, & in se loquentem Dominum DEVM: Ecce elegi te ex omni carne, & inter omnes Mulieres benedixi. Ecce commendaui tibi Filium meum, commisi tibi vnicum meum. Noli timere lactare, quem peperisti, agnosce non solùm DEVM, sed & filium, filius meus est, filius tuus est. Filius meus ex diuinitate, Filius tuus ex assumpta humanitate.* Tū idem vir pientissimus pia Virginis in filium obsequia recensere pergit, quæ mirum huius Thymiamatis ardorem fragrantiamque nobis ob oculos ponunt; *Quo itaque affectu*, inquit ille, *& studio, quâ humilitate, & reuerentia, qua dilectione, & deuotione id expleuerit, hominibus incognitum est, & Deo cognitū, qui renum, & cordium est scrutator. Deo cognitum, qui spirituum ponderator est. Sæpe, vt credimus, oblita esus, ac potus, spretaque carnali necessitate, noctes insomnes agebat, vt Christum mente cogitaret, Christum carne videret, cuius ardebat desiderio, cuius flagrabat obsequio. Sæpè etiam agebat, quod in Canticis Cant. 5. scriptum est: Ego dormio, & cor meum vigilat. Carne quippe dormiens, animo vigilabat; nocturna quiete somnians, quæ per singulos dies cogitabat, & vigilans in eisdem se inueniebat, & artus sopori concedens, in pace in idipsum dormiens quiescebat. Vbi erat thesaurus eius, ibi & cor eius, vbi gloria, ibi & conscientia. Diligebat DEVM, ac filium suum ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus suis. Ex toto corde, quia toto affectu, ex tota mente, quia toto intellectu, ex omnibus viribus, quia omni cordis intentione, & mandatorum omnium exsecutione. Videbat oculis, & manibus tractabat verbum vitæ. Felix cui præstitum fouere eum, qui fouet, & nutrit omnia, portare portantem vniuersa, lactare Filiū, qui lac ipsis vberibus infudit, pascere cuncta pascentem, & escam auibus administrantem. Pendebat de collo eius Patris sapiētia, & virtus mouens omnia in humeris eius residebat. Stabat in sinu materno Paruulus IESVS, & in gremio quiescebat Virgineo sanctarum requies animarum. Aliquando subnixo capite, læua dextraque tenentem, vultu placidissimo Genitricem aspiciebat, quam desiderant Angeli videre, blandoque murmure vocabat Genitricem, quam omnis Spiritus appellat in necessitatibus. At illa repleta Spiritu S. sanctum pectus pueri, suo pectori copulabat, & faciem illius, faciei suæ applicabat. Nonnunquam osculabatur manus, & brachia, maternaque cōfisa licentia, ab eius ore sacratissimo dulcia carpebat oscula. Non satiabatur visu, nec implebatur auditu, quia illum videbat, & audiebat; quem multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt, & audire, & non audiuerunt. Proficiebat igitur magis, ac magis in amore, & animus inardescens, mente peruigili, diuinis obtutibus inhærebat. Non labores, non dolores, non discrimina, non penurias, aut necessitates, non formidines, aut mortes, non Regis impiissimi furorem, & fugam, reditumuè in Aegyptum, & ex Aegypto pro nati charitate formidabat. Erat gratissima in opere, lætissima in actione, promptissima in obsequio, deuotissima in ministerio, & humillima in famulatu, in cunctis prospere agebat, cuncta strenuè sapienterque administrabat. Vniuersa humanitatis officia sereno vultu, & mente tranquilla percurrit. Nam sicut in Theorica nulli similis extitit; sic in actiua vita similem non inuenit.* Hæc ille luculenter, & venustè. Ex quibus facilè perspicimus, quam suauem deuotionis odorem instar Thymiamatis sanctissima illa ac deliciosissima ipsius cum filio dulcissimo conuersatio, exhalarit.

B.V. cum Puero IESV, & S. Iosepho cōuersatione suauissimum odorem effundebat.

B.V. noctes insomnes agebat vt de filio meditaretur.

B.V. singularis fælicitas in Dei Filio enutriendo.

B.V. profectus in amore Diuino ex conuersatione Patri IESV.

56. Quæ

56. Quæ ſane etiam in hodiernum vſque diem, toto terrarum orbe ſummâ Chriſtianitatis ædificatione ac conſolatione diffunditur. Vnde paſſim in Italia pia Sodalicia in honorem Sanctę huius Conuerſationis Virginis Deiparæ cum Puero IESV, ac S. Ioſeph magno animarum bono, inſtituta ſunt. Ad honorandam porro hanc Sanctam conuerſationem, ſolent quotidie pij iſti Sodales recitare, vt minimum, ſemel Salutationem Angelicam. Qualibet hebdomadâ ſacrum audiunt,& tribus, vt minimum, vicibus per annum communicant, eo fine, vt omnibus huius Congregationis Sodalibus auxilium gratiæ efficax, ad remiſſionem peccatorum impetrandam, ad Sanctam item inſtituendam conuerſationem, nec non ad bonam fælicemque obeundam mortem, ac denique ad expeditam à pœnis Purgatorij liberationem obtinendam concedatur. Quibus pietatis exercitationibus in honorem pientiſſimæ ac Diuiniſſimæ huius Conuerſationis inſtitutis fieri nequit, vt non ſummopere Cælites ipſi oblectentur; ſicut, & olim eamdem hanc Conuerſationem contemplantes afficiebantur.

57. Vnde merito ſupra memoratus Rich. lib. 12. ait beatas mentes, præ odoris hac ſuauitate, atque admiratione ex conuerſatione Virg. Sanctiſ. emanâte exclamaſſe: *Quę eſt iſta? Quā, inquit ille, admirabilis, quā dilecta, quam præcellens omnes creaturas, quantis præconijs attollenda, quantâ admiratione digniſſima, quæ non modo mundum, ſed & totum cælum circumquaque ſuauitatis inæſtimabilis odore perfudit?* Addit deinde quatuor in ea admiratos eſſe Angelos. *In primis innocentiæ puritatem, quam tantam habuit, vt nec concupiſcentiam ſenſerit, quod eſt ſupra conſuetudinem. Deinde ſuperabundantem gratiam, quam tantam habuit, vt & ſibi, & toti mundo copioſè ſuffecerit. hinc dicta gratiā plenam, & hoc ſupra meritum. Mirati ſunt etiam ventris eius benedictum fructum, quia natura mirante ſanctum ſuum genuit Genitorem, quod fuit ſupra naturam. Denique aſcendentis mirati ſunt gloriā, quę fuit omni rationi creatæ incompræhenſibilis. Quis enim capere potuit delicias aſcendentis innixę ſuper dilectum ſuum, quas nec oculus vidiuit, nec auris audiuit, &c.* Tandem eius conuerſationem, qua ad DEVM aſcendebat opponit Euæ, quæ in primis per culpam inobedientiæ deſcendit, magis ſerpenti, quam Deo obediendo, tum per maledictionem, Vnde dictum ei fuit: Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios; ac demum per ſubiectionem, quia dicitur: ſub viri poteſtate eris: Maria autem aſcendit contra maledictionem per fructus benedictionem; contra ſeruitutem per integerrimam libertatem, Regina omnium Angelorum effecta. Sic fere Richardus. Ex quibus colligimus quam ingratam Euæ conuerſatio odorem Deo afflauit, tam gratum Virginis è contra exhalaſſe, & ad inſtar ſuauiſſimi Thymiamatis extitiſſe.

58. Non abſimiliter oſtendit Cardinalis Halgrinus piâ laudabilique ſuâ in mundo conuerſatione, virtutumque profectu extitiſſe Virginem Virgulam quandam aromaticam ſiue gratiſſimum Thymiama. Sic enim verba illa ſiue Angelorum, ſiue adoleſcentularum interpretatur: *Aſcendit B. V. de virtute in virtutem, in operibus ſuis externis proficiendo. Aſcendit per deſertum, mundum videlicet, quem pro deſerto habuit. contemnens enim mundum, eius concupiſcentiaq; ſpiritualibus adhæſit delicijs. Aſcendit autem ſicut Virgula ob rectitudinem intentionis, & operis, gratiāq; humilitatis, perſeuerantiæ ſoliditatem, carniſque extenuationem. Virgula enim recta eſt, ſolida, gracilis, & humilis. Hęc Virgula fumi dicitur, quia fumus agilis eſt, & de ignis calore eſt, & procedit, aſcendenſque, ab humanis diſparet aſpectibus. Et benè B. V. per officioſitatem Agilis fuit, quæ ad Eliſabeth ſe tranſtulit aſcendens in Montana, vt ei Filioque naſcituro miniſtraret. Agilis fuit, quia leui curſu, leui ſaltu tranſiliuit omnes vitiorum ſpinas ac foueas. Hæc ardore Spiritus S. accenſa ſic aſcendendo profecit in gratia, ſic aſcendit in gloria, vt velut diſparens, omnem cogitationem humanam excedat. Et quia ad laudem huius Virginis iam dicta commendatio ſufficere non videtur, de ipſius odore ſubdit: Ex aromatibus myrrhæ, &c. B. V. namque omnium virtutum odore perfudit Eccleſiam. Ipſa enim habuit aromata virtutum, cum ipſa, vti diximus, Arula fuerit aromatum ſuauiſſimorum.* Sic ferè Halgrinus. Alanus Virgulam fumi ideo ait dictam fuiſſe Deiparam, *quia gracilis, & delicata, quia diuinis extenuata diſciplinis, & concremata intus in holocauſtum incendio pij amoris, & deſiderio charitatis.*

B. V. Areola aromatum ſuauiſſimorum.

B. V Virgula fumi dicitur quia concremata in holocauſtū incendio pij amoris.

59. Odore porrò ſanctæ, piæque conuerſationis ſemper fragraſſe Virginem, velut nardum ſuauiſſimam in Dei conſpe-

conspectu, ac tunc præsertim vel maximè cum illum purissimo suo gestabat vtero, pulchrè ostendit Guilelmus Abbas, dum Regis supremi accubitum ait esse vterum Virginis; & in eo nouem mensium commorationem, Regis eiusdem quietem; Nardum verò, Matris fragrantissimum amorem; Odorem denique Virgineam deuotionem. *Hoc ergo vult dicere Virgo*, inquit Gulielmus, *dum ait: Dum esset Rex in accubitu suo, &c. Toto tempore quo Rex erat in accubitu suo, in magnis agebam delicijs deuotionis meæ, & confitebatur iugiter cogitatio mea, & reliquiæ cogitationis meæ, diem festum agebant illi. Porrò de accubitu suo egresso, nardus mea non desiit dare odorem suum, quia conceptus eo tempore deuotionis calor, nullo deinceps tempore tepuit in pectore meo, & concepta tunc suauitas, nunquam postea defuit Spiritui meo. Suum accubitum vocat singulariter Regi dicatum. Nemo enim ante illum, & nemo post illum, in illo Sacratissimo Virginalis vteri thalamo accumbere potuit. Vocat odorem suum hoc est singularem, & eximium, nunquam enim vlla fœmina huius odi suauitatem fuit experta.* Addit pijssimus Abbas, Nardum hanc Virginis, siue vnguentum, pigmentumuè calidæ naturæ charitatem, denotantem suauiter fragrasse toti Trinitati; Patri mittenti, Filio incarnato, Spiritui S. obumbranti, Angelis assistentibus ipsimet Virgini. Nam illa inenarrabilis deuotio, qua mens cum ardebat, vterus tumebat, dulcis, & suauis erat, super omnes suauites, ac dulcedines vitæ mortalis. Sic ille.

Quantis delicijs B. V. perfruita, dũ Filium vtero gestabat.

In B.V. ardor deuotionis in Incarnatione Verbi conceptus, nunquam tepuit.

Nardus indicat B. V. charitatem.

60. Tam vehemens simul, ac suauis Virginei huius Thymiamatis odor extitit, vt in ipsa eius vestimenta redundaret adeo vt eum persentiscens Sponsus diceret Cant. 4. *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris, adeo efficax, vt fugaret Dæmones, lacrymas compunctionis hominibus eliceret.* Audiamus hic amantissimum Dei Deiparæque B Amadeum Hom. 2. de laud. B. V. *Asserunt odore thuris Dæmones effugari, lacrymas excitari, DEVM mediantibus lacrymis placari. Ego verò libenter dixerim odore virtutum S. Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & valido quodam turbine huc, illucque raptari, vt in eis impleatur: Fiant tanquam puluis ante faciem venti. Odor iste mortuos in peccatis excitat, debiles mente roborat, bonos incitat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor, qui Regem in accubitu suo per Virginem prouocauit, vt ad nos veniens nostra reciperet, sua daret, constituens vobis cum suas amicitias lege immobili, & pace sempiternâ.* Hæc Amad. sanè eleganter.

Odore Thuris Dæmones fugantur.

Odor virtutũ B V Dæmones fugat.

Odor virtutum B. V. quam efficax.

61. Rupertus verò odorem Virginearum virtutum, quæ in ipsius conuersatione enituerunt in pauperculos illos filij panniculos, quibus mox, vt in lucẽ est editus, ardentissimâ charitate ab ea fuit inuolutus, ac in præsepio reclinatus, redundasse, eisque Diuinum quendam honorem detulisse asserit: Vnde sic filium Matrem alloquentem gratiosè introducit: *Quid de pannis dicam, quibus me inuoluisti, & in præsepio reclinasti? nimirum id quod verum est, quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Omnium namque vestimentorum, scilicet bonorum operum tuorum, quæ in me materna, etiam plusquam maternâ charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta, quæ tunc in me, vel tunc propter me operata es, de magno, & valido charitatis igne, cum suauitate humilitatis vexerunt, rectè dixerim; odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Sicut enim in omnibus famulata es mihi tanquam Deo, cui soli debetur odor thuris in sacrificio suo.* Hinc idem filius Can. 4. virtutum gratiarumque eius preciosissima vnguenta, quæ ipsum tam mirifice recrearunt, omniũ sanctorum aromatis siue charismatis, donisque cælestibus anteponit: *Odor vnguentorum tuorum*, inquiens, *super omnia aromata, quia de horum vnguentorum plenitudine participauimus vniuersi.*

Panniculi quibus B. V. Filium inuoluit, quam preciosi ac Diuini.

63. Vnde Hugo de S. Victo ser. vltimo causam reddens cur odores hi tam præstantes ac copiosi, reliquorum sanctorum charismata longe excedant, sic affatur Virginem: *Quia omnem gratiam vincit tua sublimitas, omnem perfectionem superat tua dignitas. Tu singulariter electa, tu ineffabiliter sublimata, nulla tibi in gratia similis esse potuit, per quam gratia venit, super omnes filios hominum, cùm gratia plena extiteris. Ergo super omne meritum excellentia tua, eminentior cunctis, sanctior vniuersis. Nemo vt tu gratia plenus fuit, quę sola sine exemplo Mater Virgo genuisti, castitatisque lilium cum fructu fœcunditatis seruasti. Tu ad iucunditatem vnguenta accepisti, vnguenta ad speciem, vnguenta ad odorem. Alij vnguntur ad curationem, alij ad stabilitatem, omnes vnguẽta ad necessitatem accipimus. Tu Filia delicata, & omni gratia plena charissima in delicijs tuis, vncta es ad gloriam decoris tui, & in signum dilectionis. Vnctum paritura, & tu quoque vncta es; vt ipsum in te vnguentum prius excellenter effunderet, quod postmodum in vtero tuo singulariter acciperet. Ipse etiam supra* te

B.V. gratia superat omnium Sanctorum gratias.

Nulla anima B. V. similis in gratia esse potuit, quia per illam gratiam venit in mundum.

te præ cunctis participibus suis accepit plenitudinem, tu post ipsum, præ cunctis suauitatem. Hæc Hugo.

64. His Virgo diuinarum gratiarum charismatumque tam copiosè vnguentis delibata, dicere potiori iure poterat cum Apostolo: *Christi bonus odor sumus.* Præclarissimis enim suarum virtutum exemplis, velut preciosissimum illud Thymiamatis vnguentum, longè, lateq; bonæ ædificationis odorem diffundebat, ita vt animæ piæ, ac sanctæ his tam delicatis odoribus recreatæ cupientes post eam in Heroicarum virtutum stadio decurrere, trahi post illam, quam ob imbecillitatem virium assequi non poterant, ardentissimis desiderijs exoptarint. Ea communis est singularum vox: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum Nomen tuum. Ideo adolescentulę dilexerunt te, Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1.

Odor virtutum B.V. trahebant animas post se.

65. Diffudit tandem Virgo gloriosissima velut Virgula fumi, velut Thymiama longè excellentissimum suarum virtutum odorem, quando beata illa eius anima corpori illi sanctissimo ad sepulchrum sociata, igneque ardentissimo perfectissimæ charitatis, tot annorum decursu mirificis adaucta incremẽtis, succensa, innixa super dilectum, delicijs affluens, innumerisque Angelorum comitata choris in cælos euolauit. Tunc enim vel maximè beatæ illæ mentes sacratissimi illius corporis, quod Diuinis planè aromatis, ceu elementis compositam videbatur cælestem, ac Paradisiacum odorem persensere. Vnde admirabundæ sese mutuo aspicientes dicebat: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi, &c.* Hic audiendus ipse Deiparæ gloriosus ille Capellanus Ildephonsus Toletanus Antistes ser. 3. de Assumpt. qui interrogationem hanc factam ipso Assumptionis Virgineæ in cælos die à Sanctis Angelis asseuerat. *Hodie*, inquiens, *interrogauerunt quidam sanctorum eminus prospicientes illud de Canticis: Quæ est ista:* Moxque subtexit rationem: *Quoniam in ascensu eius multa fragrabant ornamenta virtutum, incendio diuini concremata amoris. Quæ ideo quasi Virgula fumi, quia ipsa est Virga illa de radice Iesse, quæ hodie ascendit. Gracilis quidem, & delicata ex aromatibus vniuersi pigmentarij pulueris, sed conflagrata incendio charitatis. Et ideo benè in modum fumi Virgulæ ex aromatibus, quia facta est tota in holocaustum, quæ odoramentum virtutum spargebat de se, vsque ad cælos, & non qualiacunque sed vniuersi pulueris pigmentarij. Vnde fratres admiratio illa Angelica non de virginitate sola, quæ singularis in Maria, sed de immensitate gratiæ venit, quia vniuersæ virtutes in ea ex incendio diuini amoris, suauitatem odoris respergebant, ita vt in ea esset forma non solum Virginũ, verumetiam omnium Ecclesiarum Dei.* Quibus ex verbis, maximè postremis, colligimus, Deiparam virtutum suarum longè, lateq; per orbem diffuso odore, formam, Ideam, animatumque quoddam speculum iustitiæ, ac sanctitatis vniuersæ Ecclesiæ Christi sponsæ euasisse, ac proinde toti Christiano orbi Thymiamatis instar suauissimum odorem suarum virtutum aspirasse.

In assumptione B.V. virtutũ suarum vel maximè odorẽ fudit.

B.V. Virga de radice Iesse.

In B.V forma fuit non solum Virginum verumetiam omniũ Ecclesiarum.

66. Et verò si aromaticas illas, ex quibus, iussu Dei Thymiama illud componebatur, expendamus species, fieri non potest quin illis recreati, ad earundem virtutum imitationem accendamur. Species enim illæ mortificationẽ, orandi studium, fidem, quæ per dilectionem operatur, misericordiam, charitatemque Virginis, aliaque animæ ipsius ornamenta repræsentant. Quid enim stacte? quod est myrrhæ quædam lacryma, eiusdemque flos, quid inquã, aliud, quam perfectissimam mortificationem hominis tam exterioris cum omnibus eius sensibus, quam interioris cum omnibus eius potentijs, absolutissimam quoque incorruptionem tam animi, quam corporis? qua maior sub Deo nequit intelligi in Virgine nostra nobis repræsentat incorruptionem.

Species aromaticę Thymiamatis notant varias virtutes B.V.

Myrrhæ mortificationem notat.

67. Quid thus lucidissimum, nisi eiusdem Deiparæ assiduum DEVM cõtemplandi, menteque orandi studium, quod thus lucidissimum iure dicitur, quod in eo, veluti clarissimo speculo, Diuinam Maiestatem cũ omnibus eius perfectionibus, atque attributis, idque interdum absque vllis ænigmatis Deum clarè intuendo facie ad faciem contemplatur. Crediderim certè Virginem nostram cum suo Parente Dauide sæpius iterare fuisse solitam: *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Psal. Vnde non erat opus omninò vt fumus Thymiamatis huiuscè, Artificum Alexandrinorum industriâ, ita dirigeretur in cælum, vt Palmæ speciem quandã repræsentaret, vt Rabbi Chimchi attestatur. Rerum enim cælestium amor,

Thus orationem notat.

amor, terrenorum obliuio, ac pura in DEVM intentio, qua Virgo nostra semper cogitationes omnes, verba, atque operationes in DEVM direxit, erat omni ex parte sufficientissima, vt in superna ad instar pulcherrimæ palmę dirigeretur. Vnde B. Odilo Abbas præclarè pronunciauit apud S. Antoninum 4. p. Tit. 15. cap. 44. §. 8. *Vnum pro certo scimus, quia omnis Mariæ actio, & intentio, semper fuit in DEVM intenta.*

68. Quid onyx repræsentabat nobis aliud, quam fidem Virginis, quę per charitatem operatur, vt exponit Origenes? Cum species hæc concha sit odorifera, vnguem humanum repræsentans, à quo, & denominatur, pisciculum in se continens, qui vt scribit Dioscorides nardo nutritur, à qua concha etiā odorem suauem participat. Vnde cum concha hæc scuti speciem quandam exprimat, aptè fidem nobis denotat, siquidem Apostolus Paulus Ephes. ait: *In omnibus assumētes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea nequissimi extinguere.*

Onyx fidem significat.

Onyx quid nam sit?

69. Quid Galbanus denique boni odoris, quam misericordiam, charitatemque Virgineam in pauperes, egenesque nobis ob oculos ponit? Cū Galbanus auctore Dioscoride lib. 3. cap. 8. aliud non sit quam lacryma aut succus ferulæ cuiusdam odoratæ, quæ in Syria nascitur, qua vice baculi ad corpus sustentandum ne in terram prolabantur, vti consueuerunt. Vnde iunioris Tobiæ Mater eum fulcrum, solatiumque totius domus agnoscens, *senectutis suæ Baculum vocitauit.* Iob quoque de operibus misericordiæ, à se pauperibus exhibitis loquens: *Oculus, fui cæco, pes claudo.* Paucis pietatem hanc Virgineam in miseros indicauit S. Ignatius Martyr ad Magistrum suum Ioannem scribens: *In persecutionibus, & afflictionibus est hilaris. in penurijs, & indigentijs non querula, iniuriantibus grata, & modesta in re læta: miseris, & afflictis condolet conflicta, & subuenire non pigrescit.*

Galbanus boni odoris misericordiā & charitatē notat.

B.V. miseris, & afflictis compatiebatur.

70. Ex his igitur quatuor speciebus aromaticis velut elementis cum Virgo nostra quodammodo coaluerit, quid mirum illam suauissimum virtutum suarum toto orbe diffudisse odorem, omnesque fideles ad currendum post se excitasse? Curramus igitur, & nos & tota contentione curramus, eiusque virtutū vestigijs non pressis leuiter ad exigui prædicationem temporis, sed fixis ad memoriam eius Nominis sempiternā, diligentissimè insistamus. Ad hoc faciēdum eundem sanctissimum Antistitem Ildephonsum nos cohortantem audiamus. *Quoniā Virginitas, & vita Beatæ Mariæ speculum, & species fuit totius castitatis, & integritas virtutum, decus pudicitię, & magisterium valdè eximium probitatis. In qua rogo videant virgines, quid vitare, quid corrigere, quid tenere debeant probitatis, quia primus discendi ardor, vt ita fatear, nobilitas est Magistri. Habetis ergo virgines egregij magisterij formā, habetis exemplar in ea perfectæ Virginitatis. Ecce via qua pergere debetis. Ecce beatitudo, & gloria, ad quam peruenire vultis. Illuc indesinenter votis, ac desiderio anhelare oportet, vt ad eam quandoque feliciter perueniatis.* Hæc ille.

B.V. fuit speculum, & species totius Castitatis, &c.

71. Ad hanc sui imitationem ipsa Virgo nos hortari videtur, dū de suarū virtutum odoribus longè, latéque toto orbe diffusis ita gloriatur. Eccli. 24. *Sicut Cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatē odoris, & quasi storax, & Galbanus, & vngula, & gutta, & quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam, & quasi balsamum non mixtū odor meus.* Ad quid enim odores suos sic liberaliter profudisset, nisi vt nos ad suarum virtutum imitationē, quàm suauissimè pelliceret, earundemque amore inflammaret, vt & in conuersatione, deuotione, mortificatione, actione, ac contemplatione illi essemus quam simillimi? Vnde Seraphicus Bon. in spec. c. 7. *Odor Mariæ fuit sicut cinnamomum in cortice conuersationis, sicut balsamum interius in vnctione, deuotionis, sicut myrrha in amaricatione castigationis. Fuit quoque odor Mariæ, sicut cinnamomum in actione, sicut balsamum in contemplatione, sicut myrrha in passione. O verè diues quæ tam fuit plena odorifero Spiritus S. balsamo.*

B.V. nos ad virtutū suarum imitationem excitat.

72. Cupit igitur quispiam sanctæ conuersationis ac deuotionis gratiam? Cupit sensuum totiusque hominis tam interioris, quam exterioris perfectam mortificationem? Cupit deniq; actiuæ ac contemplatiuæ vitę charitatisq; tam Dei, quàm proximi adipisci, viâ cōpendiosissimâ perfectionem? Ad Aram hāc animatam ac Virgineam, assiduo Diuinæ charitatis igne flagrantem, iugi, eoq; suauissimo Thymiamatis odore redolentem, ac fragrantem, accedat, ac præsertim ij qui tutelâ patrocinioque Deiparæ gloriantur. Eius enim cælesti ardore accensi, gratissimoque virtutum odo-

Sodalibus Conuersatio B. V. imitanda vel maximè.

odore recreati, sanctissimam ipsius in hoc mundo conuersationem, morumq; integritatem, deuotionem, mortificationem, patientiam, vitæ denique actiuæ, atque contemplatiuæ operationes in se expriment, & lucidissimum quoddam speculum cælestis, diuiniorisque vitæ euadent. In hac denique Ara Virginea quisque cor suum velut thymiama, igne diuini amoris succensum, pro sua pietate Diuinæ consecret Maiestati, & ij præsertim, qui se Deiparæ arctiori obligatione in Parthenijs Sodalitijs, ipsius obsequijs manciparunt.

Congregatio Bisuntina Cor argẽteum B. V. obtulit.

73. Ponant sibi ob oculos Congregationis Bisuntinæ memoriâ sempiterna in Virginem dignissimum facinus ac pietatem, quæ vt in litteris Annuis Societatis nostræ Ann. 1609. habetur in peruigilio Annunciatę ijt supplicatum, ad sacratissimam Deiparam sichimiensem, ibique vota sua cum ingenti pietatis significatione nuncupauit: atque in amoris pignus cum funalibus candidis, votiuaque tabula Cor argenteum, precio, & opere visendum deposuit, cum hac epigraphe: *Congregatio Annunciatæ Virginis hanc, puro ex corde, puram cordis effigiem, purioris obseruandæ puritatis ergo, purissimæ Virgini, cuius ex Montis acuti quercu, in Collegio Societatis IESV Vesontionensi colitur Imago mirabilis, vouet, Dicat, Dedicat.* Huius postea Anno 1647. exemplum secuta Italica Congregatio immaculatæ Conceptionis Domus Professæ Vienẽsis vti supra memorauimus, Cor similiter argenteum liberalitate Comitis Guilelmi Slauatæ eidem Deiparæ dedicauit, seseque ad defendendam eius immaculatam Conceptionem, voto publico, obstrinxit; idemque Votum cum Nominibus Sodalium eodem cordę ad perpetuam rei memoriam reclusit, & pro Cęsaris Ferdinandi III. totius Domus Austriacæ incolumitate obtulit.

Congregatio immaculatæ Conceptionis Domus Professę Cor item argenteum B.V. obtulit.

Ad horum Sodaliciorum exemplum nos quoque. Cor nostrum in hac Ara Virginea animitus, medullitusque deuoueamus, ac consecremus, dicemus, & addicamus; dedicemus denique atque in holocaustum sempiternum, promptissimâ ardentissimaque voluntate offeramus, vt holocaustum nostrum hac propensissima in Virginem pietate, ac deuotione pingue fiat. simulque cum Seraphico ipsius Psalmista deuotissimè illi concinnamus: *Vre ipsius Domina cor meum igne amoris tui, & cingulo castitatis restringe renes meos.* Psal. 25.





DISCVRSVS XXX.

Quod B.V. Corona Australis Stellata Virginem Deiparam repræsentet.

1.

Erunt Poetæ Liberum Patrem ab Amorum Parente, Corona 13, contextam stellis donatum, quam ille, ad memoriam eius nominis sempiternam in cælos transtulit. Coronam hanc sydeream, si sacra profanis miscere licet, dixerim Virginem esse nostram gloriosissimam, quæ de suę carnis substantia ministrando corpus Dei Filio, eiusdem corona extitit in tempore, sicut Pater æternus, in æternitate. Quod nobis tanto facilius persuadebimus, si intellexerimus, olim Diadema primum Regalium capitum insigne, nil fuisse aliud, quam fasciam albam, ac tenuem caput cingentem: *διαδεῖν* enim est circumligare, & *διάδημα* significat obligaculum, seu redimiculum. Hinc Coelius Rhodiginus lib. 24. capite sexto. *Diadema*, inquit, *erat fascia candida, quæ Regum capitibus obligabatur*. Hoc insigne Regium, auctore Plinio, primus Liber Pater inuenit, cuius loco Venus, vti dixi, stellatum Diadema ei contexuit, quod ipse postea in cęlos transtulit.

Corona Sy-derea est B. V.

Diadema quidnam sit?

2. Cùm igitur Virgo Sacratissima Dei Filium vtero suo purissimo suscepit, eumque Humanitate nostra vestiuit, quid aliud egisse, quam candidissimâ, tenuissimâ, ac delicatissimâ fasciâ, summum illud caput, quod est aurum optimum, Diuinitatem videlicet, circumligasse, atque coronasse visa est? Cuius Diadematis diuinam beatæ illę mentes contemplantes pulchritudinem, mortales omnes ad eam intuendam inuitarunt Cant. 3. 11. *Egredimini, & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua in die desponsationis, & lætitiæ cordis sui*. Vnanimi penè consensu Sancti Patres, per Matrem, Deiparam Virginem; per Diadema, humanitatem nostram, per Coronationem, ipsam Verbi in vtero Virgineo factam Incarnationem intellexere.

B. V. Dei Filio carnem communicando, eum Diademate quodam coronauit.

B.V. in Incarnatione Dei Filium carnis Diademate coronauit.

Hinc S. Ambros. de Institut. Virg. cap. 16. *Beatus*, inquit, *Mariæ vterus, tantum Dominum coronauit, quando formauit, eum, quando generauit; quia etsi eum sine aliqua operatione sui formauerit, quia Spiritus S. superuenit in Virginem. Vnde, & ipse in Psalmo ait: Inoperfectum meum viderunt oculi tui Ps. 138. tamen hoc ipso, quod ad omnium salutem eum concepit, & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis imposuit, vt per fidem credentium fieret omnis viri caput Christus*: Hæc Ambros. vbi expendenda verba illa: *Coronam æternæ pietatis capiti eius imposuit*. Verè enim cum Virgo Vnigenito suo carnem suam communicauit, pietatis, ac misericordiæ Coronâ eum redimire visa est, siquidem summo, effusissimoque illo in nos pietatis, amorisque quo dum adhuc inter mortales degeret, ferebatur affectu, matrizare, pientissimamque benignissimæ Parentis indolem imitari videbatur.

B.V. Dei Filio per incarnationem æternæ pietatis capiti eius coronâ imposuit.

Christus Matrizare visus dum piam Matris indolem in nos ostendit

3. Hinc idem Ambros. agnoscens quod summâ accensus in humanum genus charitate Dei Filius mortalitatem nostram, velut sponsam, sibi sociauit, & ipsam Virginem eâdem accensam charitate, carnem, purissimumque sanguinem Amori illi increato, Spiritui nempe Diuinissimo, summo artifici, ad efformandam Humanitatem nostram subministrauit, Diadema hoc, quo eum optima Mater coronauit, *charitatem* esse dixit lib. de Isaac cap. 5. & Matrem quoque ipsissimam charitatem esse censuit: *Angeli*, inquit ille, *canunt Epythalamium, perducti à sponsa vsque ad sponsi requiem nuptialem. & vocant cæteras cælestes potestates, vel animas, vt videant charitatem, quam circa filias Hierusalem habet Christus. Vnde & meruit coronari à Matre Filius charitatis, iuxta Apo-*

Dei Filius amore nostri accensus Humanitatem nostram assumpsit.

Diadema Humanitatis nostræ quia à Spiritus S. efformatum, appellatur ipsa Christus.

Apoſtolum: DEUS nos eripuit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit nos in Regnum filij charitatis ſuæ. Charitatis itaque filius, & ipſa charitas eſt, non ex accidentibus habens charitatem, ſed habens ſemper ſuá ſubſtantia, ſicut, & Regnum, de quo dicit: Ego in hoc natus ſum. Ideoque dicunt: Egredimini, ideſt, exite de ſolicitudinibus, & cogitationibus ſæculi, exite de anguſtijs corporalibus, de vanitatibus mundi, & videte quam Rex pacificus in dies ſponſalium ſuorum habet charitatem, quam glorioſus ſit, quia corporibus reſurrectionem dedit, & animas ſibi iunxit: Hæc magni eſt corona certaminis. Hoc præclarum munus ſponſalium Chriſti ſanguis eius, & paſſio eius. Quis enim plus potuit dare, qui ſibi etiam non pepercit? Hinc denique S. Gregorius Nyſſenus Hom.7. in Cantica: *Carneum hoc Humanitatis noſtræ Diadema, coronamque à Dilectione contextam fuiſſe aſſeuerauit.*

Diadema carneum noſtræ Humanitatis à Dilectione fuit contextum.

4. Audiendus hic quoque S. Gregorius Papa: *Mater Chriſti beata Maria eſse creditur, quæ coronauit eum Diademate, quia humanitatem noſtram ex ea ipſe aſſumpſit, & hoc die deſponſationis eius, & in die lætitiæ cordis eius factum eſſe dicitur, Quia quando Vnigenitus filius Dei Diuinitatem ſuam humanitati noſtræ copulare voluit, quando per bonam voluntatem ſuam tempore opportuno Eccleſiam ſponſam ſuam ſibi aſſumere placuit, tunc cum charitatis exultatione carnem noſtram ex Matre Virgine ſuſcipere voluit: in qua cum doloribus pro tempore viuens, de redemptione noſtra vehementer exultauit:* Obijcit ſibi deinde idem S.Pontifex, qua ratione hoc Diadema regalem gloriam denotet, cum factus homo, ſemetipſum Dei Filius à gloria ſua quaſi exinanierit? Et reſpondit: *Ipſa eius Incarnatio gloria vere noſtra fuit, quia membra eius ſumus, propter communionem corporis, Diadema mẽbrorum bene etiam capitis ſcriptura fuiſſe prædixit. Hic itaque, quia à ſponſa laudatur, & ipſe viciſſim ſponſam laudare dignatur, eiuſque laudem, ac gloriam reputat omnino ſuam. Vnde ipſe apud Iſaiam in perſona Eccleſiæ ſponſę ſuæ, & ipſa Eccleſia in perſona ſponſi, vt vult S. Auguſt. in Pſal.30. alacriter canebat. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Iſa.61. 10.

Incarnatio Chriſti eſt gloria, & Corona noſtra.

5. Nec paſſus eſt Dei filius à Matre liberalitate tam eximia ſuperari, ſiquidem pro pulcherrima hac Humanitatis, mortalitatiſque noſtræ Corona, Coronam illam immortalitatis 12.ſtellis, imo 13.contextam, ſi priuilegia Apoſtolorum beatorumque omnium, Angelicæque naturæ prærogatiuas addideris, ei impertiri liberaliſſimè non eſt dedignatus. Et hanc fortaſſis glorioſiſſimæ cælorum Reginæ Coronam, Corona illa Auſtralis 13. ſyderibus compoſita nobis repræſentat. Hinc S. Amadeus Hom.8. ait in die Iudicij Apoſtolos, reliquoſque beatos cum Angelis gloriam, & honorem allaturos Virgini, quod ab illa, velut à ſole ſtellæ, fuerint illuminati, gauiſuros inſuper de Diademate immortalitatis, quo eam coronauit filius, olim ab eadem mortalitate noſtrâ coronatus; *Tunc,* inquit, *obſequẽtibus Angelis, Archangelis, omnique exercitu militiæ cæleſtis Rex cælorum aderit cum piiſſima Genitrice orbem iudicaturus, in iuſtitia, & populos in æquitate. Tunc illa fulgebit luce ſplendidiſſima, cuius per vterum intactum, & clauſam Ianuam Rex gloriæ mundum irradiauit. Tunc patebit veritas Patriarcharum, & Prophetarum, qui Virginis partui Deifico olim atteſtati ſunt. Apoſtoli quoque filij eius, virtutum illius imitatores, & teſtes afferent ei gloriam, & honorem, quia eius doctrina irradiati, & Spiritu ſapientiæ illapſo cælitus confirmati, veri ſolis ſplendoribus Eccleſiam repleuerunt. Gaudebunt Martyres, Confeſſores, Virgines, & omnes ſancti videntes Glorioſam, quam in terris poſiti dilexerunt, & vita comite, laude celeberrima merita eius proſecuti ſunt. Gaudebunt, inquam, intuentes illud ſingulare Diadema, quod in die ſolemnitatis, & lætitiæ, in die Aſſumptionis, & gloriæ dilectiſſimæ Genitrici Chriſtus impreſſit, memorans illud Diadema, quo eum illa in die deſponſationis coronauerat.*

Chriſtus pro Corona Humanitatis Matri coronã 12. ſtellarum rependit.

B.V. Stellis 13. coronata, additis meritis Angelorum, ac Iuſtorum.

B.V. aderit cum Filio in Vniuerſali iudicio.

6. Non diſſimiliter loquitur Richardus à S. Laur. libr.3. de laud. B.V. *Iuſtiſſimum erat, vt quia Mater Filium coronauerat in exilio, ab eodem coronaretur in Regno. De hac coronatione,* inquit ille, *dicitur* Cant.3. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in Diademate, quo coronauit eum Mater ſua, Beata Maria videlicet. Aliæ ſiquidem Matres vinculo originalis ſeruitutis filios ſuos alligant, iſta autem magno decore originalis puritatis, & innocentiæ iſtum filium coronauit, hoc eſt coronatum concepit, & peperit. Coronauit eum Diademate ex auro puriſſimo, carne nempe ſua Virginali, auro quouis puriori, cuius opifex fuit Spiritus S. Lapides precioſi huius diadematis fuere virtutes creatæ. Congruè porrò Humanitas Saluatoris vocatur Diadema, quaſi duo demens, prin-*

B.V. quia Filium coronauit in exilio, ab eodẽ coronata fuit in Regno.

Humanitas Chriſti dicitur diadema, quaſi duo demẽs, principium, & finem.

cipium scilicet, & finem, idest, originale, quod est omnis mali principium; & pœnam æternam, quæ est finis, ad quem omne mortale tendit peccatum. Ratione huius coronationis ait Salomon de Maria Prou. 12. Mulier diligens corona est viro suo. De hac Corona Christus gloriabatur. Isa. 51. Quasi sponsum decorauit me corona. Seu vt legunt alij. Alligauit mihi Mitram. Caput hoc mitratum Verbum est Incarnatum. Dies autem desponsationis, est dies Conceptionis, seu Natiuitatis eius secundum carnem. In vtero Virginali nupsit ei humana Natura velut in thalamo, de quo Psalm 18. Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Illa etiam dies, fuit dies lætitiæ cordis sui, tum ipsius sponsi, quam sponsæ Beatæ Virginis. Quis enim dubitet de tam dilecta humana Natura, tam desiderata salute, ipsi sponso secundum hominem, ex ipsa eius vnionis copula, in qua erat certissima eiusdem salutis securitas, ex isto suauissimo osculo, inenarrabilem lætitiã euenisse? Quis autem dignè exprimere verbis sufficiat ipsius sacratissimæ Virginis gaudium, quæ Matrem Dei se factam ipso die, & nouit, & sensit, quæ nostræ redemptionis thesaurum, Angelorum gloriam, & totius humani generis singulare gaudium, verbo, DEVM, & Dei filium vtero se habere cognouit? Hęc Richar. de hoc Diademate Humanitatis nostrę quo Dei filium in Incarnatione, summa animi sui voluptate, ac gaudio Maria Virgo coronauit.

Caput Mitratum est Verbum incarnatum.

7. Diadema hoc tantæ extitit pulchritudinis, vt Mellifluus Doctor Bernar. ser. 2. de Epiph. ad illud contemplandum non modo mortales omnes, verumetiam Angelorum choros de cælo euocarit: postquam enim inuitationem illam: Egredimini, pronunciasset, mox annexuit: *Egredimini virtutes Angelicæ, incolæ Ciuitatis supernæ, ecce Rex vester, sed in Corona nostra, in diademate, quo coronauit eum Mater sua. Sed his delicijs vsque modo caruistis, hanc hactenus dulcedinẽ nõ gustastis. Habetis sublimitatẽ eius, sed humilitatem eius non vidistis. Egredimini igitur, & videte. Verũ tamen nõ est opus illis nostra exhortatione, quoniam ipsi sunt, qui desiderant in illum prospicere. Illis enim quanto sublimitas notior, tanto humilitas preciosior, & amabilior est. Vobis ergo dicimus filiæ Sion, animæ sæculares, debiles delicatæ filiæ, non filij, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi. Egredimini de sensu carnis, ad intellectum mentis, de seruitute carnalis concupiscentiæ, ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra vestra, & de cognatione vestra & de domo Patris vestri, & videte Regem Salomonem, alioquin non erit tutum vobis videre eum Ecclesiastem in iudicio, nec Idida, idest Dilectum Domini in Regno.* Hactenus Bern.

Angeli ipsi inuitantur ad contemplãdam pulchritudinem Humanitatis Christi.

8. Ad pulcherrimum hoc carnis nostræ Diadema non modo Angeli, verumetiam ipsa Virgo nos inuitat. Eius enim Rupertus Abbas in Cantica illam censet esse inuitationem, tunc præsertim factam cum eum reclinauit in præsepio, totique mundo videndum, fruẽdumque, exposuit: *Quid est,* inquit ille, *Diadema istud? Charissima Propheticæ veritatis auctoritas, cuius quot sunt preconia, tot gemmarum est Christi Diadema. In die desponsationis illius, quo de vtero Marię, tanquam sponsus processit de thalamo suo; & in die lętitię cordis eius, quo spineã coronatus Corona laborem consumauit, & subsequenti lętificatus resurrectionis triũpho. Et in die lętitię illius, & in die desponsationis in illo diademate videndus, & ex illo Diademate quantus sit agnoscendus.*

B.V. die Natiuitatis Christi inuitauit omnes ad contemplãdam eius Humanitatẽ.

9. Guilelmus Abbas denique apud Delrio in Cant. duplicem in filio Dei coronam agnoscit, alteram Diuinitatis, varijs attributis ac perfectionibus, ceu radijs refulgentem, quâ illum Pater in æternitate ante Luciferum, purissimâ generatione coronauit. Alteram Humanitatis, qua eum in tempore Mater Virgo castissimè mundo edidit: vultque vocari Adolescentulas recens conuersas ad magnum istud pietatis sacramentum, quod in carne manifestatum, crebrâ consideratione aspiciendum, & quasi ruminandum. *Vocari filias, quia non dum ad virile robur animi adoleuerunt, & ideo moneri egredi, & videre Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua. Nam si filij forent, potius monerentur ingredi, & videre Regem pacificum in diademate, quo coronauit eum Pater suus. Melius est ingredi ad Regem Salomonem, sed hoc infirmis adhuc difficile. Qui minus idonei sunt cogitare Verbum apud Patrem, cogitent saltem Verbũ carnem factum. Hoc egredi, illud ingredi est, His potissimùm dicitur: Egredimini, &c. Quid vultis ingredi? filiorum est, vos filiæ adhuc estis, fortium est, vos adhuc molles estis, spiritualium est, vos adhuc animales. Estote modo contenti sorte vestra, cum in virum perfectum euaseritis, cum Paulo dicetis: Nunc Christum secundum carnem non nouimus. Filiorum potissimùm est ingredi, filiarum potissimum egredi, & harum tamen est ingredi aliquatenus, & egredi. Nam Pastor bonus de cunctis ouibus suis dixit: Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Planè ingrediuntur cogitando Verbum apud Patrem; egrediuntur verò*

In Christo duplex Corona, Diuinitatis qua eum Pater, & Humanitatis qua Mater coronauit.

Quæ differentia, inter filios, & filias Sion?

rò piè meditando, quo coronauit eum Pater, ante omnia tempora, nempe gloriam Diuinitatis, qua coronatus eo quod DEVS à Deo genitus. Hinc vident Diadema, quo in tempore Mater eum coronauit, nempe Regiam nobilitatem assumptæ humanitatis, qua eum coronauit, eo quod illum de sanguine suo Regio secundum carnem concepit. Vnde Gabriel Paranymphus: Ecce concipies in vtero, &c. hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius, &c. Cum ait: Filius Altissimi, indicat Diadema Paternum, propter quod habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Cum ait: Sedem Dauid Patris eius, indicat Diadema Maternum, cuius ratione Titulus supra Crucem positus est: IESVS N. R. I. In diademate Materno videbitur à cunctis in iudicio. Nam & impij videbunt, qui eum pupugerunt. In diademate Paterno, in claritate Diuinitatis suæ tantum à mundis corde videbitur. Hanc enim illis visionem ipse à Patre postulauit Ioan. 17. Pater volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, quos dedisti mihi, vt videant claritatem, quam dedisti mihi in diademate, quo me coronasti, quia dilexisti me ante mundi constitutionem. Sed interim dum nondum videre possumus illum per speciem, ingrediamur saltem, & videamus eum in ænigmate. Pater coronauit eum in die desponsationis suæ, quando ille sibi despondit Ecclesiam, quando Verbum caro factum est, vt Verbum, & Ecclesia essent duo in carne vna. Desponsationis est dies Incarnationis eius: Hoc die coronauit eum Mater, sed & ipse coronauit semetipsum, Regiam sibi, de Regali Virgine carnem assumendo: Coronauit eum Mater, eandem illi carnem prompta fide, hilarique obedientia largiendo. Hic etiam fuit dies lætitiæ eius. quia vt Gigas ad currendam viam mortalitatis nostræ, & percurrendam vsque ad mortem, mortem autem Crucis exultauit. Hæc Guilelmus piè sanè, ac eruditè.

In Diademate Materno videbitur Christus à cunctis in Iudicio sed in Paterno non nisi à mundis corde.

Desponsationis Christi dies, & Incarnationis.

Christus Gigas ad currendam viã mortalitatis nostrę vsque ad mortem.

10. Ex quibus colligimus Dei Filium hominem factum duplici diademate, redimitum, in orbem hunc ingressum, Diuinitatis simul, atque Humanitatis, suaque pulchritudine orbem vniuersum in sui admirationem rapuisse. Mysterium hoc admirabili symbolo adumbratum memoratur Rex Salomon gestasse in annulo, vt refert Aristeas Secretarius Ptolomæi Philadelphi apud Christophorum Fonsecam ord. D. Augusti in Euangelia. In huius siquidem annuli gemma preciosissima, mirabili arte duæ Coronæ simul vnitæ visebantur. Altera aurea, stellis exornata: altera spinea aculeis pungentibus instructa, cum hac epigraphe: *Victoria amoris*: Coronas hascè, tres Circuli cingebant, in singulis hæ sex Latinæ literæ erant incisæ. *A. C. F. R. I. C.* Et licet multi Israelitæ, ex Regis præsertim aulâ, cupidi essent mysterium illud tam Coronarum, quam inscriptionum intelligere; nunquam tamen vlli nisi Reginæ Sabæ Rex reuelauit. Et quia in gemma tria visebantur, duæ nempe Coronæ; Aurea, atque Spinea, earundemque Vnio; literas illas senas, tribus modis explicuit, simulque tria illa arcana in lucem produxit: Et Coronæ quidem aureæ in hunc modum:

Salomon Incarnationis mysterium in annulo visus est.

Corona aurea Spineæ Sociata vnionem Diuinitatis cum Humanitate notat.

Aurea Corona; Fortissimus Regnat in Cælis.

Coronæ verò Spineæ:

Aspera Corona; Filius Redemptor Inferiora Calcauit.

Vnionis denique Coronæ vtriusque secretum, sic retexit:

Amoris Cognita Fortitudo; Regalium Insigniorum Copulatio.

Quasi dicere voluisset Regum Sapientissimus; In hoc victoriæ, ac triumphi Diuini Amoris, quos de Deo reportabit, maximè elucescent, quod Dei Filium impellet, vt Diuinam suam Naturam, Coronam verè auream, ac preciosissimam, Diuinis perfectionibus, ceu stellis radiantem, Humanitati nostræ, ceu Spineæ Coronæ, miseriarum variarum aculeis circumdatæ, Vnione hypostaticâ sibi societ, atque ita fortissimus ille cælorum Rex, cuius fortitudo est, vt ait Moyses, sicut Rhinocerotis Num. & Deut. 35. Cornua Rhinocerotis cornua illius; in vtero Virginis mansuefactus in similitudinem hominum humanitatem induet, & Maiestas illa immensa, sub cuius pedibus visum est opus, quasi lapidis Sapphyrini, & cælum cum serenum est, inferiora terræ nostræ calcabit, implebiturque illud Baruc. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

11. Spinea hæc humanæ Naturæ Corona, Aureæ illi Diuinitatis associata, nobis in cælis ob oculos subinde spectanda proponitur, dum solem post calentes Austri flatus, silentibus auris coronâ quadam, exhalationibus terreis, eisque subtilissimis composita, vt vult Alber. Magnus libr. 3. Meteorum Tract. 4. circumdatum conspicimus, quę sanè ipsi pulchritudinem non vulgarem supperaddere videtur: Terra hæc Virginea

Corona ex vaporibus terreis, qua Sol circundatur notat Humanitatem Christi.

nea nimirum post benignos afflatus Diuinissimi illius Austri, quem ipsa inuocabat; *Veni Auster persla Hortum meum.* Cant. 4. vaporem illum suauissimum exhalare visa est, dum purissimam suam carnem, sanguinemque ad efformandũ corpus illud illibatum suppeditauit. Quare iure merito Corpus hoc Christi sacrosanctum, ope, operaque Austri Diuinissimi, Spiritus Sancti videlicet in vtero Virginis, de eius substantia tam mirabiliter efformatum, Coronam Australem 12. Apostolorum, aliorumque Sanctorum priuilegijs, Angelicęque naturæ perfectionibus ceu 13. syderibus exornatam possumus vocitare: ita vt cum hanc Coronam in cælo radiantem conspicamur, cogitare possimus, ea nobis, non solum Virginem Deiparam, sed & ipsum Christum Dei filium, qui, qua homo, est pars Matris, & idem cum Matre repræsentari.

12. Hinc ipse Filius suæ dilectissimæ Matri Coronam pulcherrimam se fuisse asserit apud S. Brigittam libro 3. Reuel. c. 4. dum eius in vtero purissimo nouem mensibus commoratus est: *Venter tuus,* inquiens, *fuit mundissimus, sicut ebur, & sicut locus ex virtutis lapidibus splendidissimus, quia conscientiæ, fideique tuæ constantia nunquam tepuit. nec in tribulatione vitiari potuit. Ventris huius, idest, fidei tuæ parietes fuerunt quasi aurum fulgentissimum, in quibus fortitudo tuarum virtutum denotatur cum prudentia, iustitia, & temperantia, cum perfecta perseuerentia, quia omnes tuæ virtutes, diuinâ charitate fuerunt perfectæ. Locus igitur hic ventris tui purissimus tam spiritualis, quam corporalis, tantum mihi erat desiderabilis, tantumque anima tua mihi placita, vt à summo cælo descendere ad te, & in te morari non abhorruerim, imò suauissimè delectatus sim. Ideo Mater clarissima Corona illa, quæ custodiebatur in me, quæ quidem Corona sum ego DEVS, qui incarnari debebam, nulli nisi tibi imponi debuit, quia verè es Mater & Virgo, omniumque Reginarum Imperatrix.*

Dei Filius incarnatus suæ Matri Corona extitit.

Vteri Virginalis laus à Dei Filio celebrata.

B.V. à Filio Dei incarnato Corona Diuinitatis circumdata.

Hæc Filius ad Matrem, quibus sanè luculentissimè ostendit, ipsam ob eximias, singularesque virtutes puritatemque tam corporis quam animi plusquã Angelicam, Diuinitatis Diademate coronari promeruisse.

13. Hoc Diademate Filij, licet virgo nostra semper dum in hac vita nobiscum degeret, fuerit coronata, maximo tamen quodam inusitatoque splendore in eius capite resplendere visum est, cum filius è sepulchro rediuiuus surrexit eamque visitauit. Quam coronam pulcherrimam S. Amadeus Lausanensis Episc. Hom. 5. nobis ob oculos proposuit, dũ gaudia Matris, quibus in resurgente filio coronata est peruenustè describit: *Surrexit Christus,* inquiens, *& erexit animũ Matris suæ. Iacebat illa, velut in arctissimo quodã mæroris tumulo, donec Dñs iacuit in sepulchro. Illo namque resurgente reuixit Spiritus eius, & quasi de graui somno euigilans, solem iustitiæ, & radios resurgentis in luce matutina respexit. Intuitus est ortum surgentis Auroræ, & præcedentem in Filio futuram carnis resurrectionem. Pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis. & mente cernebat gloriam Diuinitatis, vt intus, & foris egrediens, & ingrediens frueretur pascuis veræ, sempiternæque felicitatis. Facta igitur extra se, suique oblita præ gaudio adhæsit, corde lætissimo, Patri Spirituum, & conglutinata Deo, in illum tota efferebatur, in cuius amoris immensitate tota refundebatur: Domine in virtute tua lætata est valdè, & super salutare tuum exultauit vehementer, desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eam.*

Cum Filio resurgente, ipsa etiam Mater resurgere visa.

Corona capitis eius Christus est, dicente sapientissimo, quod filius sapiens Corona sit Matris suæ Prou. 13. Et quis sapientior illo qui Patris est sapientia? Benè autem corona de lapide esse dicitur, quia in nouo, & veteri testamento nomine lapidis Christus significatur: Dictus est lapis propter potentiam, preciosus propter gloriam. Vtrumque Psalmista complexus est: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ, quia Dominus virtutum, ideo lapis, quia Rex gloriæ, preciosus. Nihil verò lapide fortius, nihil gloria preciosius est. Habes ergo ò beata gaudium tuum, impletum est desiderium tuum, & Christus Corona capitis tui attulit tibi cæli principatum per gratiam, regnum mundi per misericordiam, Inferni subiugationem per vindictam.

Corona de lapide precioso contexta B.V. fuit ipse Christus.

Pergit inde magnifica, fortiaque triumphantis Saluatoris enarrare facinora, quæ in ipsam Matrem, vtpotè tam glorioso filio, ceu aureâ preciosissimis virtutum variarum lapillis distinctâ Coronâ, circumdatam, redundabant: & quasi totidem Coronis cingebant. *Ille,* inquiens, *ab Inferis victor ascendit, ille portas æreas contriuit, & vectes ferreos confregit; Inferni munitiones obtinuit, & capita Draconis allisit. Dedit hostium tuorum strages innumeras, & principem lethi religauit: occidit mortem, & mortis auctorem coniecit in vincula, catenis igneis auctor ille mortis religatus est.* Hæc Amadeus, quibus luculẽter nobis significatur Matrem non modo à

resur-

reſurgente filio, ceu fulgentiſſimo diademate coronatam, verumetiam eiuſdem gloriæ, eiuſdem triumphantes prę clariſſimorum facinorum effectam participem, dignamque redditã cuius Corona, inter reliquos cæli Aſteriſmos ſplendidiori luce coruſcaret.

Sodalicia B. V. Corona Auſtrali deſignata.

14. Et quia non modo Mater filio, & filius Matri Corona viciſſim extitit, verumetiam ſancti omnes, ac præſertim Deiparæ obſequijs mancipati clientes, ita vt illis verè dicere poſſit ipſa cum Apoſtolo Philip.4. *Gaudium meum, & Corona mea;* iure Auſtrali illâ Coronâ etiam Sodalitia Nomine Mariano varijs titulis, ceu ſtellis inſignita nobis repræſentari, cenſenda ſunt. Verè cætus huiuſmodi Parthenij, Coronæ quædam Auſtrales ſunt, pijſſimis adoleſcentulis, ceu ſtellis coalitæ, quas ſub tantæ Virginis patrocinio ſperamus, velut ligna, arboreſque fructiferas ad Auſtrum diuinæ gratiæ, felici tandem morte caſuras, animoſque eorum, nuptiali veſte charitatis, ceu Regio paludamento amictos, ad cæleſtes nuptias, & immarceſcibilem, immortalemque ſempiternæ gloriæ Coronam capeſcendam, duce Deiparâ, euolaturos.

15. Et ſanè iure meritiſſimo Congregationes huiuſmodi, Coronas Virginem Deiparam glorioſè circumdantes appellamus: Sic enim Apoſtolus Paulus fideles Philippenſes, quos ad omnẽ pietatem religionemque efformauerat, Coronam, & gaudium, vti paulo ante meminimus, in hac vitâ, & in futura vocitabat. Et ſimiliter Theſſalonicenſes. 1.Theſſ.2.19. *Quæ*, inquiens, *eſt enim noſtra ſpes, & gaudium, aut corona gloriæ? Nonnè vos ante Dominum noſtrum IESVM Chriſtum eſtis in aduentu eius? Vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium*. Quod ſi Apoſtolus ſpirituales ſuos filios, quos Chriſto per Euangelium genuerat, Coronam ſuam vocitat; multò magis Virgo beatiſſima dilectiſſimos ſuos clientulos, quos vtero quaſi, ſinuque protectionis ſuæ nutrit, ac fouet, cùm ij mirificam illi gloriam, & in hac vita, & in futura pariant, ſuam pulcherrimam Coronam eſſe dicet. Sic enim Prou.7. ait Salamon: Corona ſenum filij eorum. Sic Gręcus Phalaris Epiſ.2. Paurolam filium alloquẽs, à quo auream Coronam acceperat: *Vtinam*, inquit, *tu & decentior nobis, & glorioſior Coronas fias, cum parentum votis, vt te decet ſatisfeceris*. Hinc Diuus Ambroſius:

B. Virgini Sodales Parthenij ſunt Corona.

Manifeſtum, inquit, eſt, quia perfectio diſcipulorum gaudium, & Corona Magiſtri eſt. hi enim ſunt, qui labores fructuum ſuorum edituri ſunt. fructus enim Magiſtri, diſcipulus eſt obediens, cuius cum bona conuerſatio proficit, magiſtro fructus ſui edit laborem. labor enim Diſcipuli in opere bono coronam dat Magiſtro, Iudice Chriſto.

Perfectio Diſcipulorum gaudium, & Corona Magiſtri eſt.

16. Atque ita hi Virginis diſcipuli, ac clientuli dum in operibus bonis laborant, dum ſeſe aſſiduè in virtutibus ipſius, vitæque ſanctiſſimæ imitatione exercent, dum ipſius ſaluberrimis conſilijs obediunt, magniſque paſſibus in via Diuini obſequij progrediuntur, vitæque puritatem, ſanctimoniæque perfectionem acquirunt, gaudium, & Corona ſunt Virgini, tanquam virtutũ omnium, ſanctitatiſque Magiſtræ. De his Virginis ſpiritualibus filijs Dominus aptè admodum illi dicere poterat, quod olim conſolans Eccleſiam pronunciauit; *Viuo ego dicit Dominus, quia his omnibus, velut ornamento veſtieris*. Iſa.49. Quibus verbis innuitur Virginem hiſcè ſuis clientulis non modo vt diademate, verumetiam vt cyclade aureâ circumdari. Quare Gilbertus Abbas ſer.20. in Cant. ex illo teſtimonio Iſaiæ, atque Apoſtoli infert, & veſtem & Coronam fideles eſſe Chriſto, addiderim ego ſanctiſſimæ quoque eius Matri: *Aduertiſtis*, inquit ille, *quomodo credentium agmina ornamẽtum eſſe Chriſti in Eccleſia definiat? Quare non & Corona ſunt? Sed Corona habet quandam inſignem, & illuſtrem præ cęteris ornamentis dignitatem, quia cętera cum ſint corporis, iſta eſt capitis.* Tum ad fratres conuerſus ſui ordinis, Deiparæ dilectiſſimi, ſic eos alloquitur: *Iam veſtrum, in Coronæ pręrogatiua intelligitis priuilegium, qui purioris eſtis vitę, & profeſſionis adſtricti, & exercitio inſtructi, & indefeſſo ſtudio, & otio feſtiui. Iure Diadematis cenſentur nomine, quos iam non tam pugna ſolicitat, quam triumphus lętificat, quibus non eſt colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, qui ſerpentis iam caput non obſeruant, ſed Chriſti exornant. Vos eſtis Corona Chriſti, & gaudium, & ideo ſicut cępiſtis, ſic ſtate chariſſimi, ſic ſtate in Domino, imo ſic capite Dominũ. Sublimis locus eſt, nihil illuc vilioris afferte materiæ. Videte vocationem veſtram, videte quem eſtis in vſum aſſumpti. Nihil fœni, nihil ligni, nihil ſtipularum in Domini velitis diademate contexere, nihil denique, quod ignem mereatur, vel vereatur*. Quibus ex Gilberti verbis facilè intelligimus, quali perfectione virtutum debeant refulgere, ij, qui

Pij Sodales B.V. ſunt illius Corona.

Pij fideles ſunt veſtis, & Corona Chriſto, & B.Virgini.

Ciſtercienſes ob vitæ puritatem Corona ſunt Chriſti.

qui Christi, ac consequenter Deiparæ Diadema esse cupiunt, ea nimirum puritate nitere debent, cui nil palearum, humanarum videlicet imperfectionum sit admixtum.

17. Viros perfectos Coronam Christo, eiusque Matri futuros vaticinati visus est Zachar. 6. 13. *Ipse extruet Templum Domino, & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo. Et coronæ erunt Helen, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem Filio Sophoniæ, memoriale in Templo Domini*. Quæ verba ait D. Hieronymus dici de ijs, *qui exonerati iugo captiuitatis Babylonicæ reuersi in Ierusalem, ad pristinam libertatem restituti sunt: Quia nobis proficientibus, & reuersis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imò nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Saluator in singulis coronam accipit*. Sic ille. Beatus denique Amadeus clarè docet, à Sanctis Deiparam, velut liliatâ Corona circumdari. Ponderans enim elogium illud Cant. 7 *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs: Possunt*, inquit, *per lilia Sanctorum animæ designari, candentes per vitæ meritum, fragrantes per virtutum exemplum*. Vallata igitur animatis ac ratione præditis lilijs Redemptoris Mater, aptissimè, hunc illis congruentem poterit proferre sermonem: *Gaudium meum, & Corona mea omnes vos estis, acquisiti sanguine meo, & carne sumpta de carne mea* Sic ille.

Per singulas virtutes piorum fideliũ Dominus coronatur.

Sodales Parthenii sũt illiata Corona B.V.

18. Felices ergo ac ter beati Parthenij sunt Sodales, qui sub patrocinio Virginis degentes, eam non modò velut liliatæ Coronæ suauissimum puritatis odorem exspirantes, verumetiam vt sydereæ pietatis, sapientiæque cælestis splendore coruscantes, circundant. Felices, inquam, quod tanto in precio haberi sint promeriti à Virgine, vt eos supra verticem sui capitis ad singulare suum decus, ornamentumque collocare non dedignetur. Hi sanè mihi non modo pulcherrimæ stellæ, verumetiam preciosissimi lapilli in Diademate videntur Virginis. De his crediderim lapidibus vaticinatum fortassis Zachariam c. 9. *Lapides Sancti eleuabuntur super terram eius;* Siue vt legit Hebræus: *Lapides Diadematis eleuabuntur super terram*. Quos ergo Virginei huiuscè Diadematis preciosos lapides eleuari tunc à terra arbitror, cùm Sacramentorum frequentatione, vitæ morumque nanciscuntur integritatem, atque sanctimoniam, quibus velut alis columbę, vnicam suam Columbam ęmulantes, sese in alta cælorum attollunt, & terrena fastidientes, in amplexus cælestis sponsi, amoreque subuehuntur. Quod nobis indicare visus est D. Hieronymus, qui verba illa in cap. 28. Ezech. expendens, sic loquitur: *Lapides sancti voluuntur super terram, instar rotarum, paulumum tangentes humum, & volubilitate sua, ad cælestia festinantes*. Ita sanè faciendum ijs, qui preciosi lapides, qui stellæ in Corona Virginis esse desiderant. Terram puncto quodammodo tangant, necessarijs corporis duntaxat, ad vitam tolerandam vtendo, ad cælestia assiduè anhelando, necesse est; Sic enim puritatis & sanctimoniæ, scientiæ, ac Sapientiæ splendore, ad instar preciosissimorũ lapidũ, ad instar firmamenti radiabunt, & postquam suę pietatis exemplo, doctrinâque ad iustitiam erudierint multos, fulgebunt quasi stellæ, Virgineo capiti impositæ, in perpetuas æternitates. Cùm igitur huiusmodi Filij Virginis tredecim sint stellæ, totidemque lapides preciosissimi, qui velut Apostoli, & ipsa Natura Angelica, virtutum suarum splendore Deiparam coronant, tantorum virorum perfectionem, Angelicæque Naturæ puritatem iure meritissimo illos imitari oportebit, vt tandem postquam hic harum virtutum splendore enituerint, in cælos Virgineum verticem æternum coronaturi, transferantur. Quoties igitur sublatis in cælum oculis, vt viri pij facere consueuerunt siue Australem siue Aquilonarem Coronam fuerint conspicati, meminerint tali Sanctimoniæ nitore, eis etiam, dum hic viuunt sub protectione Virginis, esse effulgescendum, si tandem in cælis eam coronare, ab eademque coronari concupiscunt.

Sodales Parthenii sunt preciosi lapilli in Diademate B.V.

Pii Sodales instar rotarũ debent esse, paululum in puncto tangentes terrã.

19. Ita egisse credenda est S. Margareta Regis Pannoniæ Filia, Virgo, in Deiparam Virginem, pietate celeberrima. Huic enim sub mortis tempus adfuit Dei Mater magno tam sanctorum, quam Angelorum stipata cætu, eiusque capiti auream, varijs gemmis radiantem imposuit Coronam. Vidit tunc quoque scalam à terra, ad cælum vsque pertingentem, per quam Deiparam in cælum reuertentem ipsa Sereno lætoque vultu, quod se diademate gloriæ redimitam cerneret, subsecuta est. Et verò eximius Margaretæ in Virginem amor, tam eximiâ excellentique gloriâ dignus

B. V. S. Margaritæ sub mortẽ Coronam gemmis radiantem B.V. donauit.

gnus

gnus fuit. Siquidem cum lacte nutricis, ipsius pietatem imbibisse visa est: vix quartum ætatis annum attigerat, cum officium B. V. recitare cæpit, quod ex solo religiosarum Virginum cantu in choro didicerat. Nullam eius Iconem præteribat antequam non se prosterneret, & Salutatione Angelicâ veneraretur. Nomina IESV, & Mariæ in eius ore æternabat, eiusque ori super mel, & fauum dulciora reddebantur. Quod si solemniore Virgini sacri dies celebrarentur, illam eandem salutationem proximis octo diebus millies recitabat, in ipsaque recitatione simul se humi prosternebat. In peruigilijs dierum festorum Deiparæ, solo pane, & aquâ contenta, ab omni alio cibo, potuque se continebat. Lubentissimis auribus, animoque lætissimo voces concionatorum de Virginis præconijs potissimum tractantium excipiebat, cuius sacrosancto audito Nomine, vel etiam ab ipsa pronunciato, profundè sese inclinabat honoris ergo. Eam non alio quam Dei Matris Nomine, Speique suæ Beatissimę appellare consueuerat. In illam enim post DEVM spem suam vniuersam collocarat, eamque ob causam in Aduocatam, patronamque suam apud DEVM delegerat. Denique vt ipsius perenne in Deiparam Virginem extaret pietatis monumentum, rogauit Regem parentem suum, vt in Insula quadam Danubij, Templum ac Monasterium in honorem Dei Matris ædificaret, in quo ipsa Virginitatem, aliaque Religionis Diui Dominici, vota Deo nuncupando, ęternumque se Dei, eiusque Matris obsequijs mancipando, viuum holocaustum in odorem suauitatis sese Diuinę Maiestati consecrauit. Atque ita egregia hac sua pietate totque Angelicis Salutationibus, veluti rosulis stellulisque, Coronam Virgini contexendo, ab eadem vicissim æuiternâ gloriæ coronâ redimiri promerita est.

S Margarita quadriennis officium B. V. recitare cæpit.

Ante quam libet B. V. Imaginē sese prosternebat dicendo Aue Maria.

In festis B V. per dies octies millies Angelicam Salut. recitabat.

B. V. Audito Nomine S. Margarita profundè se inclinabat, eamque spē suam beatissimam vocabat.

20. Vnde iure merito nos tam Australem hanc, quam illam Septentrionalem ex stellulis contextam Coronam dicere possumus Rosarij Coronam nobis repræsentare; Verè enim dum in hac vita degentes Salutationibus Angelicis Virgini gratissimis, ceu rosulis, sertum illud contexímus, & gloriosissimam cælorum Reginam, & nos simul sydereo Diademate coronamus. Vnde, vt hoc alacrius, dum hic peregrinamur à Domino, factitaremus, hiscè Coronis Optimus Maximus Naturæ Auctor DEVS cęlum insignire voluisse visus est, vt mortales stellatas hascé Coronas cōtemplantes, ad rosea hæc serta tantæ Reginæ iugiter contexenda, spe sydearum illarum Corollarum olim indipiscendarum illecti, animarentur.

Corona Australis & Septētrionalis Symbola sunt Rosarii B. Virginis.

21. Et licet Australis hæc Corona 13. ex syderibus composita, sicut, & alia illa Septentrionalis, Rosarij corollam 63. Salutationibus Angelicis constantem nobis indicent, vt infra ostendemus. Crediderim tamen Australem hanc corollam, illam paruam duodecim priuilegiorum nobis ob oculos ponere. Sicut enim illa 13. stellis, ita hæc 12. Salutationibus Angelicis, & oratione Dominica ter in honorem augustissimæ Trinitatis Virginem coronantis repetita constat. Coronam hanc esse censuerim illam, quam Aquila volans Ioannes, acutissimo suæ mentis intuitu in Vertice Virgineo stellarum duodecim radiantem conspexit, quibus virtutes vti ante dixi 12. Apostolorum, atque adeo omnium Sanctorum gratiæ, superaddita Angelicæ naturæ, pro sydere illo 13. perfectione, significabantur.

Corona Australis Symbola est Coronæ 12. Priuilegiorum B. Virginis.

22. Hæc porro 13. priuilegia dixerim esse, illa quæ sequuntur. Primum, prædestinatio qua ab æterno in mente Diuina in Matrem Dei fuit electa. Secundum. Liberatio seu præseruatio, à debito peccati originalis contrahendi. Tertium, ipsa immaculata Conceptio. Quartum primigeniæ gratiæ plenitudo, Iustitiâ illâ originariâ, Euæ in prima creatione ipsi communicatâ longè excellentior. Quintum. Natiuitas admirabilis, qua velut clarissima lux sanctimoniæ singularis gloriâ mundo affulsit. Sextum Nominis plane Diuini è thesauro Diuinitatis euoluti impositio. Septimum. de Verbo in purissimo ipsius vtero incarnando, per Angelum facta Annunciatio. Octauum. partus Dei Filij, absque vllo dolore, eiusdemque lactatio, atque educatio. Nonum Virginitas ante partum, in partu, & post partum, quo, vt loquitur S. Amadeus, Virginior, Virginumque omnium Princeps, ac Primiceria reddita est. Decimum. Martyrium cordis ex præuisione passionis Filij imminentis, assiduâ recordatione. Vndecimum. singularis planè atque Heroica fortitudo, qua morienti Filio, iuxta Crucem, dum vltimum Spi-

Priuilegia B. Virginis.

ritum in manus Patris exhalaret constantissimè adstitit, vbi cor eius factum est Dominicæ passionis speculum, vt loquitur B. Laurent. Iustinianus. Duodecimum. Gaudia, quæ exsuperant omnem sensum, in Resurrectione, & in cælos Ascensione sui dilectissimi filij, nec non in Aduentu Spiritus S. percepta. Decimumtertium, gloriosissima in cælos, cum anima, & corpore assumptio, filij cum vniuersâ cælesti curiâ eidem facta obuiatio; atque throni ipsius ad dexteram suam collocatio, ac demum super omnes Angelorum Hierarchias exaltatio, qua prima post DEVM Hierarchizans, vt loquitur Ioan. Gerson, Diuinæ Maternitatis merito, constituta est.

23. Quam verò huius Corollæ, cum attentâ horum Priuilegiorum meditatione, recitatio grata Virgini accidere consueuerit, illustri quodam facto euétuque memorabili contestata est, vt habetur in speculi Exemplorum Appendice, vbi scribitur tres viros peregrinationem quandam aggressos. Ex his duos à via inter syluas aberrantes in latrones incidisse, à quibus mox spoliati, dirè trucidati sunt. Sequebatur tertius rerum omnium, quæ actæ fuerant ignarus, & Corollam hanc, vti quotidie, magno animi sensu ac reuerentia consueuerat, percurrebat. Hunc cum Tenebriones illi conspexissent, mox eũ hostiliter adoriuntur rogat, obsecratque per sacra omnia liceret sibi corollam, quam inchoarat, Diuæ Virgini percurrere, annuere furciferi ostendentes adhuc aliquem pietatis igniculum in cordibus eorum esse residuum. Mira res, derepente Virgo, sui clientis non immemor, inter illos nebulones ad instar solis refulgens in throno aureo gloriosissimæ cuiuspiam Reginæ specie residens, Virginibus Catharina, & Luciâ stipata, quas pius ille Vir vnicè diligebat, adstitit. Dum igitur pensum illud Corollæ Dei Matri summâ cum pietate persoluit, ad singulas orationes Dominicas Rubicunda, ad singulas salutationes Angelicas, Candida Rosa eius ex ore prodire visa est, quas iussu Virginis legens Catharina, Luciæ Comiti tradebat, quæ eas aureo Circulo, filo argenteo colligans inserebat. Absoluta oratione, Deipara Corollam rosis illis Paradisiaco odore fragrantibus distinctam sibi dari iubet, eáque pij clientuli sui caput decorat, ac coronat, moxque in cælos abscedit. Hæc omnia prædonibus illis summa cum eorum admiratione videre licuit; mox ex homine sciscitantur, quænam illæ tantâ luce radiantes fuissent mulieres? Respondet is, neminem se vidisse, sed consuetum se suæ corollæ pensum exsoluisse Deiparæ. Pergunt narrare illi, quæ viderant, coronamque eius capiti impositam admirantur. Intellexit tandem vir pius Virginis tam singulare beneficium, coronamque de capite reuerenter excipiens, incredibili perfusus gaudio admiratur, nequeuntque expleri corda tuendo, gratijsque Virgini actis quam maximis, Religiosum ordinem ingressus, totum se Dei, eiusque Matris obsequijs mancipauit. Latrones vero, tantâ Virginis, in suum illum clientulum pietate perspectâ, non modo à cædibus in posterum desistere, verumetiã in viros optimos, cultuique Deiparæ addictissimos euasere.

B. V. recitantem Coronã suam ab hostibus protegit.

24. Quidnam de Rasario integro, quod Virginis Psalterium 150. Angelicis Salutationibus, velut Rosulis constans, appellare consueuimus; vel etiam de alterâ illâ 63. salutationum in honorem totidem annorum vitæ à Deipara in hoc mũdo exactæ Corona dicam? Has ego sanè eisdem duabus illis stellatis, Australi nimirum, ac Septentrionali Coronis pulcherrimis, atque lucidissimis figuratas fuisse dixerim, vt mortales omnes cultui Virginis, hisque Coronis recitandis admixtâ sanctissimâ illâ Diuinorum vitæ Christi, eiusq; Matris mysteriorum contemplatione, addicti intelligerent, quænam tandem in cælis præmia, quæ æuiternæ gloriæ Coronæ illos manet. Mira sanè sunt, quæ de Coronis hiscé Virgineis apud varios leguntur Auctores, quæ omnia prosequi longum foret, & à nostro instituto alienum, aliqua hic duntaxat paucula delibasse sufficiat. Ac in primis sciendum Anno 431. tempore Cælestini Sũmi Pontif. post nefandum in Concilio Ephesino damnatum, prostratumque Nestorium, qui Virginem Theotocon, i. Dei Matrem, minimè appellandam impijssimè blaterabat, Angelicæ Salutationi verba illa velut auream Coronidem addita fuisse: Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, & cet. atque ita redditam Salutationem illam omnibus laudum numeris tam Angelicis, quam

Rosarium, & Corona B. V. Australi & Septentrionali Coronam figurata.

In Concilio Ephesino post damnatum Nestorium Salutatio Angelica aucta.

quam humanis absolutissimam.

Salutatio Angelica B. V. gratissima quia à SS. Trinitate Gabrieli dictata.

25. Quam grata porrò salutatio hæc Virgini accidat vel inde colligere licebit, quod à tota Sanctissima Trinitate Archangelo Gabriel dictata fuerit, quodq; per eam Dei Mater effecta, plenitudinem gratiarum omnium, charismatumque Spiritus S. abundantiam cũ amplissimo cæli, terræque atque adeo vniuersæ creaturæ Dominio sit indepta. Quare cum eam huiusmodi salutatione prosequimur, ipsi eximia illa gaudia, cælique quibus perfruita est, delicias ac fauores in memoriam reuocamus, quibus sane nil iucundius, illi accidere vnquam potest. Salutanda ergo nobis erit quam sæpissimè, ac pientissimè. Ad quod faciẽdum verbis Apostoli Pauli admoneri, atque excitari videmur, quæ cap. vltimo ad Romanos scripsit: *Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis.* Si enim Christianam ille mulierem nomine Mariam, quod plurimum cum Apostolo in Romanis Ethnicis, ad fidem Christi reducendis ad laborauit salutatione dignissimam censuit; & quibus salutationibus tandem Maria Virgo Altissimi Dei Mater erit prosequenda, quæ Incarnato Verbo, purissimum suum sanguinem ad efformandum, ope, operâque Spiritus S. corpus, quod pro salute, ac redemptione nostra in mortem traditum est, subministrauit, deque eo præsentissimum peccatorum nostrorum remedium confectum est? Quis Mariæ huius Virginis prorsus singularis animarũ zelum, quis labores pro eis exantlatos mente comprehendat, linguâ explicet?

M. Virgo frequenter salutãda, quod multum laborauerit in animabus saluandis.

B. V. labores pro nobis exantlati, in filij educatione.

26. Quam prǽclarè Religiosissimus Pelbartus libr. 1. Stell. Part. 4. de Virgineis hiscé laboribus pronunciauit: *Verè Beatissima Virgo Maria multum in nobis laborauit, cum Christum DEVM nostrum aluit, fouit, balneauit, in Aegyptum portauit, & reportauit. Multum laborauit, cum in tota Christi IESV vita seipsam ad omnia eius seruitia debita, humilem Ancillam exhibuit. Multum laborauit, cum in hora eius passionis gladium doloris, qui eius animam pertransiuit, pro nostra salute patientissimè, ac libentissimè tam quoad Filium, quam quoad se, pertulit. Multum denique laborauit, & laborare non cessat in hodiernum vsque diem pro nobis apud Deum tanquam fidelissima Aduocata intercedendo. Quanto igitur honore salutanda est, quæ tanta salutis beneficia nobis exhibet?* Idcirco Nicolaus Gorra: *Si, inquit, illa Maria salutanda erat, quam Apostolus salutandam admonebat, quia multum laborauerat, quanto magis benedicta Virgo Maria, quę super omnes viros, & mulieres pro nostra salute laborauit? Dicat ergo Apostolus omnibus Christicolis, dicam, & ego Prędicator omnibus auditoribus: Salutate, salutate Mariam Dei Matrem, quæ multum pro omnium nostrum salute laborauit.*

27. Gratissimam quoque gloriosissimæ Virgini Salutationem hanc Angelicam, ac consecutiue Coronam ex eisdem contentam accidere, ex varijs reuelationibus, ac visionibus, diuersis deuotis animabus ostensis comprobatur. Inter has merito numeranda est B. Metildis, de qua Iustus Landspurgius Carthusianus libr. 1. spiritualis gratiæ c. 16. scribit, quod cum die quodam Sabbati Missæ Sacrificio de B. V. assistens audiret: *Salue Sancta Parens*, adeo miro desiderio gloriosissimam Deiparam salutãdi exarsit desiderio, vt in illa verba prorumperet: *O Regina cælorum si ea Salutatione dulcissima ego te venerari possem quam vnquam humanum cor excogitare valeret, id ego vero per quam libenter in tui gratiam prǽstare.* Hæc meditanti illicet ei B. V. adstitit Salutationem Angelicam aureis literis in pectore exaratam gestans, eiq; dixit: *Mortalium nemo hactenus ad huius salutationis perfectionem attigit, nec vllus vnquam me dulcius salutare poterit, quam ille, qui me salutat ea reuerentia, qua me DEVS Pater eo verbo; Aue, salutauit; sua omnipotentia confirmãdo me, vt omni pœna culpa ex toto forem libera. Dei quoque Filius sapientia sua me ita perfectè illustrauit, vt stella splendidissima euaserim, qua cælum, & terra illustrata sunt, quod Mariæ nomine designatum est, quod stellam maris sonat Sanctus similiter Spiritus, sua diuinâ dulcedine me totam penetrando, me ita gratiosam reddidit, vt quicunque per me gratiam quęrit, inueniat, quod hiscé verbis indicatur: Gratia plena. In hiscé quoque verbis; Dominus tecum, mihi in memoriam ineffabilis illa vnio, atque operatio reuocata est, quam in me tota Sanctissima Trinitas perfecit, quando meæ carnis substantiam cum Diuina Natura hypostaticè copulauit fecitque, vt DEVS homo, & homo DEVS euaderet.* Cum denique B. Metildis Virginem Deiparam obsecraret, vt ei præsens in hora mortis adesse dignaretur, id omnino se facturam pollicita est, dummodo illa quoque ter Salutationem Angelicam illi quotidie recitaret, peteretque per omnipotentiam Dei Patris, vt ab illa omnes tentationes Diaboli in ea hora, omnemq; con-

B. Metildis affectus salutandi B. V.

Nulla Salutatio aliquà Angelica B. V. gratior.

Ter Angelica Salutatio recitanda quotidie pro felici morte.

trariè potestatem effugaret; per instrutabilem Sapientiā filij, qua eam in Domum Sapientiæ ædificauit, vt eam eadē Diuina Sapientia, ac fide illustraret, quo omnes fraudes technasque Cacodæmonis, & periculosissima illa mortis periodo deprehenderet. Ad tertiam denique Salutationem Angelicam suasit, postularet, à Spiritu S. per ardentissimam eius charitatem, vt eam ita inflāmaret, quo in tremenda illa mortis hora euaderet Dæmonibus terribilis, omnemque in illa mortis amaritudinem, vi amoris in dulcedinem conuerteret. Idem Auctor eodem libro cap. 57. refert eamdem Deo sacratam Virginem cum alia vice Missæ interfuisset, audissetque: *Salue Sancta Parens*, vehementissimè salutare Deiparam desiderasse, cui Dominus: *Meam Matrem cum vniuersa creatura salutabis*. Cum illa porro secū ipsa identidem cogitaret, quanam ratione id fieri posset, ecce tibi à parte Australi videt Seraphinos accensis luminibus ad se properantes. Tunc cognouit illa eos ad se in suum obsequium, auxiliumque aduolare, quo eam in salutanda Virgine adiuuarent, vt cum ipsis salutaret B. Virginem eo amore, quo ipsa DEVM dilexit in mundo super omnes creaturas. Seraphinos consequebantur Cherubini, lucidissima gestantes specula vnde cognouit, quod illis vnita salutare deberet Virginem cognitione altissima, ac luculentissimâ, qua ipsa super omnem creaturam, dum in terra versabatur, est perfruita, & modo in cælo perfruitur. Cherubinos reliquæ Angelicæ sequebantur Hierarchiæ, tum Patriarchæ, ac Prophetæ, Apostoli, reliquique Beatorum ordines, qui omnes magno pietatis affectu Dei Matrem cōsalutaturi aduenerant, exhibentes se in illius tam sancti ipsius ministerij auxilium, vt dignè cum illis dulcissimam Virginem Dei Matrem salutaret. Idem Auctor cap. 58. refert B. Metildem aliquando fuisse anxiam, quod Deiparæ omnibus vitæ suæ diebus minus deuotè quam oportebat seruierit, eāque salutauerit. Quare benignus Dominus eam complexus suauiter, eius os cordi suo Diuinissimo applicuit, eique dixit. *Hinc hauries totum, quod meæ Matri offerre desideras*. Vix Diuinissimo illi cordi os Metildis applicuerat, cum ecce sensit intus in anima ad istar roris sibi instillari hoscé versiculos nūquam hactenus visos, aut auditos; quibus salutare Dei Matrem à cælesti sponso docebatur, & sunt huiusmodi memoriâ æternâ dignissimi: *Aue ò Virgo excellentissima in dulcissimo illo stillicidio, quod in te ex corde Sanctissimæ Trinitatis ab æterno in felicissima tua prædestinatione defluxit, Aue Virgo Sanctissima in dulcissimo stillicidio, quod ab æterno ex corde Beatissimæ Trinitatis in te decurrit, ex felicissima ipsius tecum conuersatione. Aue Virgo nobilissima in dulcissimo stillicidio, quod à Beatissima Trinitate in te transfusum est, ob dulcissimam tui filij doctrinam, atque prædicationem. Aue Virgo amantissima in stillicidio dulcissimo quod à Beatissima Trinitate decurrit in te, ob passionem, amarissimamque tui filij mortem. Aue Virgo dignissima in stillicidio dulcissimo. quod à Beatissima Trinitate deriuatum est in te, per vniuersam gloriam, ac iucunditatem, qua modo gaudes, æternumque præ omnibus cæli, terræque creaturis, ante mundi creationem præ electa, gaudebis*. Quo sanè deuotissimo excorde ipsius Christi hausto Deiparam salutandi modo, quisque deuotus eius clientulus vel in dies singulos cum se ad quietem componit, vel ipso die Sabbati, vti poterit in satisfactionem negligentiarum quas in eius obsequio, totius hebdomadæ decursu commisit. Alium eadem Metildis ab eadem Deipara illum deuotè salutandi modum est edocta. Cum enim in nocte Assumptionis eiusdem Virginis: Salue Regina caneretur, tanto B. V. salutandi exarsit desiderio vt diceret: *O' vtinam in mea potestate corda omnium creaturarum forent, vt omnium affectibus, ac viribus te dulcissimam Virginem salutare*. Cui mox illa respondit: *Inclinare supra dilectissimi Filij mei Cor, quod in se ipso omnem complectitur creaturam, eodemque illius corde memet dignissimè salutabis*. Ostensum quoque fuit S. Gertrudi, vt scribit Landspersius libr. 4. vitæ ipsius cap. 49. quam illi grata accidat hæc Salutatio Angelica. Cum enim illa in Assumptionis Deiparæ peruigilio ob ægritudinem lectulo esset affixa, nec vti optabat recitare posset in honorem eius tot Angelicas Salutationes, quot annis ipsa in terra vixisset, sed harum loco tria hæc elogia commemoraret: *Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum*, aliasque postulationes à diuersis personis sibi commissas, sanctissimæ Virgini offerret, ecce tibi eadem Virgo benignissima ei se visendā ex viridi pallio gratioso circumamicta exhibuit, quod mirificè quibusdam aureis floribus

B. V. salutanda cum omnibus creaturis.

Salutio B. V. ex corde Christi à B. Metilde hausta.

Vt satisfaciendum negligentijs in obsequio B. V. commissis.

Angelica salutatio velut flos aureus B. V. pallium exornat.

bus in similitudinem trifolij decoratū resplendebat. Flores porro illos aureos instar trifolij, Gertrudi indicauit Deipara, esse illa tria Salutationis Angelicę pulcherrima elogia, quæ ipsa in honorem eius recitabat. Eadem Sancta anima die Annunciationi Virginis sacro dum ad preces matutinas caneretur Aue Maria intellexit quãtum gaudium salutatio illa cordi Virgineo pepererit. Tunc enim sibi videri visa est tres riuulos scaturire in cælis vnum à Patre, alterum à filio, tertium à Spiritu s. qui magno cum impetu cor Virginis Matris penetrabant, & rursus vehementi cum motu, & impetu à corde Virgineo redeuntes illuc vnde habuerunt originem reuerterentur. Vnde intellexit Gertrudis, influxum illum à ss. Trinitate Beatæ V. eam ob causam fuisse communicatum, quod ipsa post Patrem æternum erat potentissima, post filium, sapientissima, & post Spiritum S. benignissima.

De Angelica salutatione ss. Trinitas, & B.V. gaudet.

Agnouit præterea, quod quoties ea salutatio deuotè à fidelibus recitatur in terris, riuuli illi efficaci, celerrimoque cum impetu rursus ad B.V. cor dulciter recurrēt, & inde mirifica cum voluptate ad primum illum fontem reuertendo ex quo traxerant originem suâ redundantiâ lætitiam, spirituales delicias, æternamque salutem sanctorum animabus, Angelisque atque insuper fursonis illis, qui in terris eamdem Salutationem recolunt, iterantque aspergerent; in omnibus ac singulis eximia illa beneficia, quæ mediante filij Dei Incarnatione, tamquam efficacissima nostræ salutis causâ consecuti sumus, innouando. Videre quoque sibi videbatur S. Gabrielem Archangelum, quoties huius Salutationis, Virgineæque Annunciationis ab eo factæ memoria recoleretur, nouo, diuinoque lumine irradiari. Et quia hæc sancta Anima mirificè salutatione illa Angelicâ oblectabatur, Virgo Deipara illi, ad communionem Sacramenta sese præparanti, splendidissimum quoddam Monile heptagonum, supra pectus gestandum donauit, in cuius angulis, preciosissimę 7. gemmæ visebantur, quibus variæ virtutes, ob quas Gertrudis sponso suo placuit, designabantur. Prima gemma notabat Puritatem Deo gratissimam. Secunda Humilitatem fructuosissimam. Tertia cælestium feruens desiderium. Quarta clarissimam Diuinorum cognitionem. Quinta Amorem Dei proximiq; inextinguibilem. Sexta maximam de Deo, & in Deo oblectationem, ac fruitionem. Septima pacem, quæ exsuperat omnem sensum, summamque animi tranquillitatem. Denique vt Virgo Beatissima ostenderet, quantopere Salutatione Angelica, gaudioque illo in Annunciatione Incarnandi Verbi percepto oblectaretur, eidem Gertrudi benignè dixit: *Quicunque deuotè conabitur illud gaudium mihi in memoriam reuocare, ego quoque verè illi præstabo id quod in Hymno hodiernæ diei, nempe; Monstra te esse Matrem; exhibendo me in viuis effectibus Matrem Regis gloriæ, & simul hominis supplicantis; exhibebo, inquam me Matrem Regis, quo ad potentiam, quia in eo adiuuando prompta ero; Matrem etiam hominis supplicantis me exhibebo quia per misericordiæ meæ viscera, ei salutem impetrabo*. Quæ omnia in primis Angelicæ Salutationis præstantiam, tum ipsius sacratissimæ Deiparæ in illam affectum, ac complacenti an singularem nobis indicant.

Salutatio Angelica Angelis. & sanctis in cęlo, & terra hominibus lætitiam parit.

Gabriel noua luce profunditur quoties salut. Angelica dicitur.

B.V.S. Gertrudi Monile 7. gemmis insignitum donauit.

B.V. promittit se ei futurum Matrem qui ipsi gaudium Annunciationis recoluerit.

28. Neque vero solum Salutationes Angelicæ vti diximus Diuæ Virgini gratæ accidunt, eiusque Regium paludamentum exornant, verumetiam ipsæ ex iisdem salutationibus contextæ corollæ. quod ipsa B. Metildi indicauit, vt in eius Vitæ libr. 1. cap. 55. refert Landspergius, cum se ei Missam *Salue Sancta Parens* audiendi videndam obtulit. In cuius capite visebatur Corolla floribus contexta; qui omnes ad terrã erant inclinati. Erat Virgo rubēti pallio, aureis coronis ad terram inclinatis, distincto, circumdata; & inter vtramque coronã nomen coronæ scriptum visebatur. Corona capitis eius, cum Deo vnionē designabat, qua ipsa præ ceteris omnibus fruebatur. Corona, quæ humerum contegebat habebat huiusmodi epigraphē: *Mater De, & hominis*. Corona vero, quæ circa eius pectus visebatur: *Regina Angelorum*. Quarta Corona dicebatur: *Gaudium omnium sanctorum*, Quinta, *omnium miserabilium consolatio*. Sexta, *omnium pauperum refugium*. Septima, inscriptionem habebat huiusmodi: *Consolatrix viuorum, ac mortuorum*. Earum porro Coronarum ad terram inclinatio indicabat, quod ipsa in omnibus donis, ac gratijs sibi à Deo concertis inclinata erat, ad easdem filijs hominum communicandas. Cum deinde eadem B. Metildis Deiparæ Virgini pro nonnullis, qui se specia-

Salutationes Angelicæ sunt aureæ coronæ quibus pallium B.V decoratur.

Omnes gratiæ B.V. concessæ cur ad terram inclinatæ?

cialiter eius orationibus commendatant deprecaretur, misericordiæ Mater ei ita respondit : *Si vino terreno quispiam ebrius erit magis largus, ac prodigus, quã sit sobrius : quanto magis ero liberalior, quæ copiosè omnibus horis, purissimum, dulcissimum, dulcissimumque vinum diuinitatis, è summa illa Diuini cordis dulcedine haurio*. Ex hactenus dictis clarè intelligimus Coronas, ex Angelicis Salutationibus, ceu rosulis, stellisque contextas ipsi Virgini esse quam gratissimas, vt pote quæ Regium ipsius Paludamentum eiusdemque mira laudum encomia, ac præcipuè Virgineam fœcunditatem fæcundamque Virginitatem, eiusque in omnes cæli terræque creaturas Regnum amplissimum deprædicant. Ob quas, aliasque innumeras dignitates, Virgo gloriosissima omnem venerationem est promerita.

Quam sit B. V. in nos liberalis.

Salutanda B. V. quia est nostra Amica.

29. Et sanè Virgo multis alijs nominibus, & Salutatione, & omni honore est dignissima inter quæ illud in postremis numerandum non est, quod nobis in primis est amicissima. Amicitia autem, teste Aristotele 9. Eth. bonis colloquijs, bonorumque impensis fouetur, atque augetur. Cum ergo Virgo amet nos, vt loquitur B. Petrus Card. Damiani, amore inuincibili, & ipsa fateatur: *Ego Mater pulchræ dilectionis*. i. *quę pulchrè diligo, & ideo pulchrè amari à vobis volo*. Quare de Amicâ hac castissimâ, atque dilectissimâ medullitus cum Salomone dicendum: *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui eam mihi in Sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius*. Sap. 7. Quis igitur amicam tam dilectam, nostrique tantopere amantem, non salutet animitus quam creberrime.

Salutanda B. V. ob beneficia tam animi quã corporis nobis collata.

30. Quod si eximia illius in nos pensemus beneficia, multo adhuc maiori, ac crebriori Salutatione dignam, nisi ingrati viuere turpiter velimus, inueniemus. Hæc ipsius in humanum genus dona considerans auus ipsius Salomon, nomine nostrum omnium, vt ait Richardus à S.Laur. Sapientissimè pronunciauit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius*. Sap. 7. Quibus verbis tam bona animi, quæ sunt honestas, siue bonum honestum, ac virtutes, quam bona corporis aliaque bona extrinseca ipsius beneficio se accepisse fatetur. Vnde S. Bernardus serm. de Natiu. B.V. cupiens à nobis maximopere honorari ac Salutari quam frequentissimè ac deuotissimè Matrem Dei, sic loquitur: *Altius ergo intueamini quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui nos totum habere voluit per Mariam*.

Deus magno deuotionis affectu vult à nobis B. V. honorari.

B.V. ob primatum in creaturas omnis honor & Salutatio debetur.

31. Quod si eius inter omnes mundi creaturas consideremus primatum, adhuc multo magis eam omni honore, Salutationeque dignissimam existimabimus. Multa passim de hoc eius primatu, ac Dominio à nobis dicta, quæ vltro, breuitatis amore prætermittimus. Ipsam Virginem de hoc loquentem audiamus Eccli. 24. *In omni populo, & in omni gente primatum habui, & superborum, & sublimium colla propria virtute calcaui*. Quibus verbis primatum, Dominiumque tam in cælo, quam in terra, atque in ipso Inferno superbissimorum Spirituum colla, capitaque calcando, atque conterendo, se habere confitetur. Iam si maioribus ac primoribus debetur honor, vt 8. Ethi. docet Aristoteles; qui tandẽ honor, quæ reuerentia, DEVS immortalis, debebitur Virgini totius Vniuersi Reginæ potentissimæ, Matrique Dei dignissimæ?

Si Maioribus, & Primoribus debetur honor, multo magis B. Virgini.

32. Quod si Philosophus libro 8. Ethic. *Dijs, parentibus, Magistris non posse reddi æquiualens pronunciauit*; non poterimus sanè etiam condignum honorem, ac venerationem rependere ipsi Virgini, quæ Dei Mater cum sit, Diuinitatem quandam, modo excellentissimo, super creaturas omnes participauit, adeo vt S. Augustinus *eam Formam Dei*; S. Antoninus, *DEAM, deiformitate actuum*, B. Petrus Card. Damian. *Identitate carnis idem esse cum Incarnato Verbo asseuerarit*. Non possumus quoque Virgini rependere æquiualens vt est Parens nostra Spiritualis amantissima. Nulla siquidem Mater tanto amore complectitur Filium, quem genuit, atque nos diligit. Maria agnoscit enim nos esse membra Christi, quem peperit, agnoscit nos esse eius Spirituales fratres, cum ipsa se genuisse primogenitum nouerit, eumque primogenitum in multis fratribus vocatum fuisse ab Apostolo. Denique illa, Matrem se esse nostram fatetur, dum di-

B. V. Forma Dei, & Dea deiformitate actuũ dicta.

Non possumus reddere æquiualens B. V. tanquã Matri nostræ Spirituali, qui cũ Christi nos genuit.

dicit ad Filium Cant.7. *Ibi dabo tibi vbera mea;* Quæ verba ponderans Guilelmus Abbas, sic Virginem loquentem introducit: *In Ecclesia gentium dabo tibi, quæ in Ecclesia Iudæorum olim tibi dedi vbera mea. Verè apud Iudæos dedi tibi vbera corporalia ad pascendum te; porrò in Ecclesia gentium dabo tibi vbera mea spiritualia, ad pascendos tuos. Spiritualiter enim pascam paruulos tuos, lacte maternæ pietatis, quæ te olim paui lacte corporali, pro veritate carnis. Denique pro eo quod tibi sim Mater corporalis, ero tuis Mater spiritualis, materna charitate quasi proprios parturiens filios, donec plenius formeris in eis materia ibidem curâ nutriens eos, donec vsque in virum perfectè grandescas in eis. Totum autem hoc faciam, eos tibi assiduè commendando, & augmenta gratiarum eis pijs apud te precibus impetrando.* Sic ille. Cum igitur Virgo, Mater nostra spiritualis sit, tanto excellentiori honore eam venerari, quanto Spiritus corpore est excellentior, nos addecet. Non possumus eidem quoque Virgini æquiualens reddere vt Magistræ. Ipsa enim est Magistra Magistrorum. i. Apostolorum, vt ait sapiens Idiota; ipsa Magistra Christianæ Religionis, vt eam vocat Rupertus; ipsa Prophetissa, ipsa est Euangelista, vt eam appellat S. Hildephonsus serm. 2. de Assumpt. Ipsa est denique Magistra gentium, vt eam vocitauit Augustinus.

B.V. tanquã Mater nutrit nos assiduè nos filio commendando.

Non possumus B.V. reddere æquiualens vt Magistræ, cũ sit Magistra Magistrorũ Apostolorũ scilicet.

33. Cum igitur his, alijsque innumeris de causis honos omnis, cultus, ac veneratio Virgini debeatur, & Angelicam illam salutationem ipsi adeo gratam esse nouerimus, eam sane quam sæpissimè nos vsurpare oportebit, certo nobis persuadentes nos mirificos cæli fauores ex assidua ipsius frequentatione percepturos. Hoc agnoscentes plurimæ sanctæ animæ, perfectionis ac sanctimoniæ acquirendæ studiosæ, sese assiduè Virgineis hiscé salutationibus persoluendis impenderunt; vnde factum, vt ingentes gratiarum, virtutumque thesauros indipiscerentur. D. Thomas Doctor Angelicus quantopere salutandæ Virginis studio olim deditus esset futurus, à primâ ostendit pueritiâ, cũ chartulam in qua salutatio hæc fuerat exarata in os ingestam, velut alter Ezechiel, aut Ioãnes de volumen siue librum, vorrauit, hoc facto ostendens orationem illam sibi olim ad instar suauissimi, sapidique cibi futuram, sibique incredibilia incrementa Spiritus præbituram, vt tota ipsius plane Angelica vita contestatur. Vnde vt toti mundo de suo affectu salutandæ Virginis constaret, peruenustum opusculum illud in Salutationem Angelicam æterna memoriâ dignissimum composuit, atque in lucem edidit. Ab hoc salutandæ Virginis studio, veluti perenni fonte, illa mentis eius lumina, illa ingenij flumina, quæ in ipsius lucubrationibus reperire est, promanasse crediderim. Nempe Virgo Illuminata, & Illuminatrix appellatur, eosque qui crebrâ illam salute dignantur, ipsa quoque secundum generosam illam suam indolem, qua se liberalitate, ab vllo vinci non patitur, cæli luminibus, scientiâ, sapientiâ, atque ante omnia, eximia sanctitate illustrare non dedignatur.

S.Thom Angelicam Salutationem deglutiuit in chartula enarratam.

S. Thomas Aquinas Opusculum de Angelica salutatione cõposuit.

34. Mira de S. Catharina Virgine Senensi in hoc genere scribit S. Raymũdus eius Confessarius, eam nimirum quinto ætatis anno cæpisse salutare Deiparam, & domi ad singulos scalarum gradus, flexis genibus, Angelicam Salutationem iterasse. Vnde credibile est illam intercessione Virginis, eam gratiam obtinuisse, vt septennis adhuc Virginitatis voto cælesti Sponso sese adstringeret, quod quam gratum tam ipsi Christo, quam sanctissimæ eius parenti acciderit, reipsa contestari non sunt dedignati, cum ipso Hilarionum die, quo totus pene mundus insanit desponsationi huic castissimæ, comitantibus Angelis plurimisque sanctis adesse voluerunt.

S. Catharina Senensis ad singulos scalarum gradus Angelicam salut recitare solita s ætatis anno.

S. Catharina septennis Christo desponsa ur præsente B.V.

35. Quid de B. Maria Oegniacensi dicam? Hæc vt scribit Iacobus Cardinalis de Vitriaco per diem & noctem millies, & centies flectens genua Virginem salutabat, admirandumque hoc, atque inauditum salutandi genus, officiumque ad 40. dies continuabat. Primo autem in spiritu vehementi sine intermissione sexcenties flectebat genua; deinde integrum Psalterium stans legebat, ad singulos Psalmos Deiparæ flexis genibus Salutationem Angelicam offerens. Tertio Diuini Spiritus flante Austro vehementius, tercentis vicibus ad singulas genuflexiones, virgâ se percutiens, Deo, & Beatissimæ Virgini prolixo Martyrio seipsam immolabat. Postremis tandem tribus ictibus, tanquam ad aliorum condimentum, copiosum è suo corpore eliciebat sanguinem. Concludebat deuotionem hanc suam, quinquagies flexis simpliciter genibus, atq;

B.M. Oegniacensis per diem noctẽ millies, & centies flexis genibus B.V. salutabat.

In B. M. Oegniacensi mirus cultus Deiparæ.

ita

ita hoc Virgineatum laudum sacrificiũ consumabat. Ob hæc tam insignia Deiparæ ab hac sancta, Salutationis Angelicæ delata obsequia, crediderim illam tam insignibus Dei donis ac charismatis fuisse exornatam, vt tota eius vita prodigiosa planè contexatur. Nimirum hæ salutationes flores sunt, lilia sunt, rosæ sunt, quibus Virgines maximè oblectari consueuerunt.

Nomen B.V. Rosis inscriptum.

36. De B. Iosciono Monacho Ordin. D. Benedicti Historia est notissima. Hic cum Nomini Deiparæ quinis Psalmis, totidemq; salutationibus Angelicis celebrando esset addictissimus, dum viueret, post mortem ex eius capite totidem rosæ pulcherrimæ pullularũt, vna ex ore Nomine Virgineo aureis literis exarata insignita: binæ ex oculis, totidemque ex auribus prodibant, magna Prælatorum, & summorũ, mediorum, infimorumque, qui ad plurium dierum hoc spectaculum confluxerat, admiratione.

Nomen B.V. liliis inscriptum.

37. Non minus Operis domestici adiutor Monachus ille Cisterciensis apud Cæsarium, aliosque est celebris, qui cum ob mentis hebetudinem nil aliud retinere posset, quam paucula hęc verba; *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum*; eaque quam frequentissimè magno pietatis sensu, in honorem Virginis, quoad vixit, vsurparet, post mortem ex eius tumbâ pulcherrimum lilium Salutatione hac Angelica insignatum germinauit. O' quam potiori iure de Nomine hoc sacratissimo, quam de illo nescio cuius terræ filij Harini à Vere nomen clasuram deriuantis ceciniisset Martialis:

Nomen cum violis rosisque natum
Quo pars optima computatur anni,
Nomen nobile, molle, delicatum.

Nomen B.V. lapidis preciosis inscriptum.

38. Lapillis etiam quibusdam preciosis naturaliter inscriptam hanc fuisse salutationem scribit Nider. lib. 4 capit. 6. ait enim se ex filio Regis Lusitaniæ, dum Viennam cum exercitu in terram sanctam transiret, audisse, suo tempore in terra Saracenorum circa Septã Vrbem Africæ, in fonte quodam repertos lapillos varios, in quorum nonnullis, verba hæc; *Aue Maria*, in alijs atque alijs; *gratia plena*, *Dominus tecum naturaliter*, descripta visebantur. Hic rursus longè aptius, quam de illius eiusdem homuncionis idem ceciniisset Martialis:

Nomen Acidaliâ meruit, quod arundine pingi
Quod Cythereia suâ scribere gaudet acu.
Nomen Erythræis quod littera facta lapillis,
Gemma quod Heliadũ pollice scripta notat.
Quod penna scribente, grues ad sydera tollunt.

39. Iam quid de vberrimis salutationis huius fructibus tam in animam, quam in corpus redundantibus dicam? Sanè Doctor Martinus Nauarrus Diuini humanique Iuris consultissimus in suis Miscellaneis scribit de Coronis hisce Virgineis, de Psalterio nimirum, ac Rosario, insignes laudes, aitq; modum hunc orandi nunquam satis laudatum, eiusque varios modos recitãdi præscribit. In quibus vnum maximè sat fusè prosequitur, quem, inquit, post septuagesimum suæ peregrinationis annum; præ alijs, quos ante expertus est sibi maximè arrisisse, & quo etiam nonagesimum agens annum vtebatur, eodem vsurus dum in vita superstes extiterit. Tum varia sibi à Deipara sæpius piè salutata collata recenset beneficia. Inter alia fatetur se ad quoddam Monasterium Carthusiæ S. Mariæ pene emortuum, fuisse delatum, & in tertium diem meritis Virginis pristinæ sanitati restitutum. Alias fatebatur se pluribus Nominibus Deiparæ esse obligatissimum. Ac inprimis quod in Ecclesia S. Mariæ fuerim, inquit, baptizatus; quod in beatissimam Matrem oculos defixos habuerim, cum in fluuium lapsus, pro suffocato habitus, suauissimè extractus sim. Quod die festo S. Mariæ sacri ordinis susceperim habitum, eodemque pro fessionem emiserim. Quod eodem die sacrificij mei primitias Domino obtulerim; quod me denique ab vbere pendentem Mater mea nomine Maria, Mariæ Matri Dei dedicauerit.

Rosarii laudes à Martino Nauarra celebratæ.

B. V. beneficia varia Martino Nauarro contulit.

40. Fructũ Coronæ Rosarij experta est Ada Matrona illustris vxor Theodorici Asuensis, qui cum grauissima quędam facinora perpetrasset, ac inter reliqua duo Monasteria sacrarum Virginum concremasset, vidit Eremita quidam circa meridiem Deiparam in cælo Reginæ schemate, excelso throno residentem, & sanctas Vualdetrudem, & Aldegundem monasteriorum illorum patronas Virgineis pedibus aduolutas; vltionem tantorum scelerum postulantes. Quibus Virgo: *Parcite quæso*, inquit, *mihique nolite esse molestæ, quia nolo ad præsens eum punire. Vxor enim eius Ada gratum quoddam mihi seruitium exhibet, quo me sibi* adeo

B. V. cuidam homini scelerato parcit, eo quod eius vxor Coronam deuotè recitabat.

adeo familiariter adſtringit, vt nec ipſi,nec marito eius pati poſſim aliquid grauaminis inferri. Cumque ſanctæ illæ ex Virgine ſciſcitari non vererentur confidenter: *Ecquodnam tandem eſſet illud ſeruitium?* Subintulit Virgo: *Eſt Angelica Salutatio, quæ in terris principium mihi lætitiæ extitit. Hanc illa diebus ſingulis ſexagies mihi replicat; & vicies quidem proſtrata, vicies genibus flexis, vicies rurſus ſtando, aut in Eccleſia, aut in cubiculo, alioue loco ſecreto.* Cùm porrò Virgines illæ importunè adhuc à Dei Matre vltionem expoſcerent, tandem illis ita reſpondit: *Rogo vt mihi ad præſens de hac vltione detis inducias, & ego promitto vobis venturum tempus quo iuſtè vltionem de Theodorico ſumam, & contra Adam eius Coniugem non delinquam.* Et verò ſuis ſtetiſſe promiſſis Virginem fidelem, paulo poſt cōprobauit euentus. Cum enim ſe ab vxoris thoro, certis de cauſis Theodoricus ſeparaſſet, vix anni dimidium erat elapſum, cum ecce, dum in venatione verſatur, ab Iſaac de Barlemonte inſidijs circumuentus, immaniter trucidatur. Atque ita agnouere omnes eum, pietate coniugis, qua in Virginem ferebatur, eidem Roſarij Coronam quotidie pertexendo, in vita immunem, à periculis fuiſſe præſeruatum. Quod vbi ſucceſſor eius Goſceguinus auunculus intellexiſſet, non modo ipſe quoad vixit ſalutationes illas deuotè iterabat, verumetiam ſuis militibus iterandas, ſummá cum pietate demandabat: Vnde licet multis ſceleribus ſe adſtrinxerit, Religionem tamen tandem ingreſſus extremum ſuæ vitæ diem felici cataſtrophe, Angelicæ Salutationis digniſſimū præmium reportans, terminauit. Ex Chron.M.S.S.Martini Fornacenſis.

41. Alius Coronæ Roſarij fructus eſt quod quemadmodū ipſa Virgo terror eſt Dæmonum, ita quoque eius ſalutatio. Hinc S. Bernardus à Pelbarto citatus lib.1. ſtell. Par.4. art.3. cap. 2. *Cælum*, inquit, *ridet, Angelus gaudet, mundus exultat, infernus contremiſcit, Dæmones fugiunt cum dico; Aue Maria.* Experta eſt fugam hanc Cacodæmonis Euphemia Virgo illa, de qua Cæſarius lib.5.ca. 44. Hæc ad Religioſæ vitæ ſtatum cum aſpiraret, varijs Dæmonum tentationibus fuit exagitata, quibus cum fortiter ſæpius reſtitiſſet, eoſque confudiſſet, tandem vnus eorum furorem ſuum in illam volens effundere, eam arripuit, ſimulque è feneſtrâ præcipitare attentauit.

Dæmones fugiunt cum dicimus: Aue Maria.

Euphemia Virgo per ſalutationē Angelicam præcipitio liberatur.

Verum cum illa Salutationem Angelicam recitaſſet, Cacodæmon ſpecie canis in fugam actus exclamauit: *Si hora hac mulierem illam non inuocaſſes, occidiſſem te.* Rurſus cum eadem hæc Virgo Monaſterium iam eſſet ingreſſa, nocte quadā vidit plures teterrimos Orci tenebriones lectulum ſuum ambientes, quorum vnus voce truci irrugiens: *Quid ſtatis*, inquit, *tollite illam totaliter vti iacet, & venite. Non poſſumus, conclamarunt illi, inuocauit enim mulierem illam, nempe Virginem, cuius ore polluto Nomen integritatis, & gloriæ,* vt loquitur Cæſarius, *non ſunt, auſi nominare.*

Dæmones Nomen Mariæ ne quidē nominare audent.

42. Expertus quoque Coronæ Roſarij vim eſt admirabilem temporibus D.Dominici Hæreticus ille Albigenſis, in quem, quod impuro ore in Deiparæ Roſarium blaſphemaſſet 15. Dæmonū millia erāt ingreſſa, vt ſcribit Bzouius. Hunc cum S.Dominicus adiuraſſet exquirendo: cur tot eum hominem eſſent ingreſſi. Reſpondere ſunt coacti: *Ob 15. decades Sanctiſſimi Roſarij, contra quas male ſanus blaterabat.* Tandem vir Sanctus infelicitatem hominis miſeratus ſingulos de populo eſt hortatus, vt altè Roſariū in honorem Virginis, eam piè ſalutando recitarent. Præibat ipſe, & ecce rem admirandam, ad ſingulas Salutationes Angelicas ingens Cacodæmonum, ſpecie carbonum ardentium, è corpore infeliciſſimi illius erumpebat multitudo. Porrò ſanctiſſimus hic Patriarcha Salutatione Angelica adeo delectabatur, vt pene ſemper, totius puriſſimæ ſuæ vitæ decurſu eam in ore haberet, ad quod faciendum alios etiam adhortabatur. Ipſe denique Coronam hanc Roſarij 150. ſalutationibus velut roſulis, ſiue ſyderibus cōſtantem, cum 15. Dominicis orationibus inſtituit, ſuiſque, ſuorumque concionibus iam inde à primis ſui Ordinis incunabulis, toto orbe, eius recitationem propagauit. Quæ ſane Corona clariſſima ſua luce vniuerſum quodammodo ambiens, non modo Albigēſium errores, ceu Auernales tenebras, verumetiam corruptiſſimorum morum caliginem abſterſit, mundumque quodammodo primigeniæ integritatis luce, irradiauit.

15. milliam Dæmonum Hæreticum Roſarium B. V. blaſphemātem ſunt ingreſſa.

S Dominici in ſalutationem Angelicam affectus.

43. Ad Miranda ſunt, quæ Autores paſſim de Prodigijs Coronæ buiuſcè Roſarij, Angelicaque ſalutatione poſteritati commendarunt; miſſis alijs aliqua hoc noſtro ſæculo paucula, quæ cō-

Nnnn tige-

tigere, commemorare libet. Ann. 1567. B. Saluator Ordinis Minorum, tanto in Virginem Deiparam; cum qua ei crebra collocutio, eiusque salutationem ferebatur affectu, vt mundi Saluatorē quodammodo æmulatus salutem mentis corporisque velut præsentissimo pharmaco eadē Angelicā Salutatione mortalibus restitueret. Constat cum mutis, surdisque præcepisse, vt eam recitarent; & mox surdos auditum, mutos loquelā recuperasse. Nimirum Virgo hęc, quę ita salutatur, Mater est illius, qui linguas infantium facit esse disertas, & aperit ora mutorum. Hic idem Vir pijssimus Puellam quandam, diutinā quartanā laborantem, imposito super eius caput Rosario, quo ipse assiduè vtebatur, salutatâque piè, vti consueuerat, Deiparâ, pristinæ restituit sanitati.

B. Saluatoris Ordinis Minorum pietas erga B. Virginem eiusque Rosarium.

44. Pater noster Antonius Balinghen in Kalen. Deip. 24. Febr. refert obitum Fratris nostri Ioānis Ximerij operis Domestici adiutoris, viri cultui Deiparæ, eiusque piè salutādæ deditissimi. Ait hunc aliquādo coram Virginis Icone die quadam studiosè orasse, vt se securum de salute sua redderet, & hāc vocem audijsse: *Ximeni perge porrò in via, quā inijsti obedientiæ cęcæ, ea secura est, atque infallibilis.* Audito hoc Diuino quasi Oraculo, sensit se mirificè adiutum, in eaq; virtute valdè proficere. Vnde cum suæ cōscientiæ rationem superioribus redderet, & interrogaretur, an se ad perfectionem consequendam sentiret, excitatum, respondebat: *Ab ea nocte, qua me B. V. M. est allocuta, ita bene, vt nesciam, quid amplius desiderem.* Neque vero Ximenius Virgini pro hoc, alijsque beneficijs ingratus extitit. Nam inter reliqua, quæ illi deferre consueuerat obsequia, illud fuit non vulgare, quod Salutationem Angelicam summâ cum pietate illi persoluere consueuerat, adeo vt dum signū ad salutandam Virginem, more, institutoque Ecclesiæ ter in die daretur, licet valdè esset occupatus, aut oneratus, statim dimittebat omnia, genuaque flectebat, vt oraret. Quod quam gratum Deo eiusque Matri fuerit, grandi quodam miraculo, ac vix non prodigio ostensum est. Nam cum Templum nostrum Cæsaraugustanum ædificaretur, & Ximenius, eum quodam alio fratre ingens saxum quadratum per erectos præcipites pontes sursum vertentes impellerent, cum illud prope finem iam esset non super partem planam iacens, sed super angularem hærens, signo ad Aue Maria audito Ximenius statim saxum dimisit, vt oraret, quod idem fecit, & socius, eius exemplo, licet existimaret saxum per pontem adeo decliuem præceps ruiturum. Sed licet adeo id esset graue, vt vix vterque illud vertendo sursum promouere posset, hæsit tamen immobile super suum angulum. Oratione autem finita, ad illud accedentes, vno impetu ad locum suum impulerunt, non sine eorundem magno stupore, qui auxiliatricem illam, ac vix non omnipotentem manum Virginis, tam in sustentando lapide ne deuolueretur, quam in propellendo, experti, nouam laudum, salutationumque eius segetem se reperisse gauisi sunt.

Ioanni Ximenio cæca Obedientia à B. V. commendatur.

Ximenij pius in Salutationem Angelicā affectus.

Salutationis Angelicæ miraculosus effectus.

45. Vt porrò Salutatio hæc Angelica eo gratior Deiparæ accidat, obseruandum, vt docet ibidem Pelbartus, vt purè, Angelicā nimirum, & ab omni labe peccati defæcatā puritate recitetur; vt fideliter, non solum ore, verum multo magis ardenti corde, ac denique missis alijs, profundissimā cum humilitate tanquam Dei Matri, cui maxima post DEVM debetur reuerentia pronuncietur. Rem miram idem Pelbartus in hoc genere narrat in Hungaria contigisse. Scribit enim à quodam Patre sui Ordinis fide dignissimo sibi narratum esse, fuisse Religiosum quendam, qui alias, summâ cum pietate ad salutationem Angelicam dato signo mox curuabat genua, eamque attentè persoluebat. Contigit manè quodam, vt somno, torporeque oppressus assurgere neglexerit, & ecce tibi in sui confusionem vidit Turrim Ecclesiæ sese profundissimè inclinantem, & cruce, quæ in vertice eius emicabat, terram ad singula campanæ signa attingentem, quasi illum tacitè admonere voluisset, inquit idem Pelbartus: *Ecce miser, creatura insensibilis sese profundè incuruat, suaque quodammodo genua flectit; tu vero cum ratione præditus sis ad salutationem Angelicam curuare genua negligis?* concludit tandem hoc miraculo mirè fuisse compunctum, & in posterum quoad vixit summâ cum reuerentiâ salutasse Virginem, & à Deo, eiusque benedicta Matre speciales gratias accipere promeruisse.

Salutatio Angelica magna cordis puritate ac reuerētia dicenda.

Turris campanaria ad Salutationē Angelicam inclinata.

46. Ad reuerentiam hanc humillimam Virgini dum salutatur exhibendam

dam nos facto ipſo edocuit Archangelus Gabriel, qui cum ſalutationem hanc à SS.Trinitate de cælis attulit, eam flexis genibus ſummâ cum humilitate peregit, agnoſcens Virginem non modo omnium Angelorum Reginam, verumetiam Altiſſimi Dei ſui Parẽtem digniſſimam. Vnde toto legationis tempore ſub ea formâ venerantem perſtitiſſe ferunt. Tempus autem hoc, monumenta Congregationis S.Georgij in Alga Regni Luſitaniæ tradunt, nouem integras horas fuiſſe, quod Cõgregationis illius Auctores, ipſa Deiparâ reuelante didiciſſe memorantur. Angelus enim incredibilem Virginis modeſtiam, maieſtatemque humana quacunque maiorem, Diuini Verbi, carnis noſtrę paludamento contecti pręſentiam contemplans, in admirationem raptus abſcedere, indeque quodammodo non poſſe diuelli videbatur.

Gabriel ſalutans B.V. 9. horis coram illa flexis genibus conſtitit.

47. Neque verò ſolum Archangelus Gabriel venerationem hanc in Angelicæ Salutationis recitatione nos edocet, verumetiam ipſe Dei, Virginiſque Filius. Cũ enim aliquando pia quędam mulier Virginis cultui addictiſſima, vt lib.cit.art.3.c.1. ſcribit Pelbartus, pluribus annis eam rogaſſet, vt benedictum ventris ſuæ fructum ſibi oſtendere ne dedignaretur. Tandem preces eius Virgo exaudijt, aduenitque cum dilectiſſimo ſuo filiolo qui ab illa, vt eius vlnis exciperetur, poſtulauit. Excepit illa Diuiniſſimum hunc theſaurum, in quo omnes ſcientiæ ſapientiæque Dei theſauri ſunt abſconditi; excepit, inquam, miris delibuta cæli delicijs, ac cupedijs, inque illa, quodammodo extra ſe poſita, prorupit verba: *Quid tibi ò pijſſimè Domino IESV retribuam? Quid tibi ò glorioſa Dei mei Genitrix gratiarum reponam?* Ad quam paruulus: *Dic*, inquit, *Pater noſter*; qua oratione perſolutâ, intulit idem Paruulus: *Dic iam Angelicam Salutationem?* Cumq; illa Aue Maria inchoaſſet, mox Ieſus conuerſus ad Matrem inclinato capite *Aue Maria* repetijt vti, & reliqua orationis huius verba ſingula. Tandem cum ad verba illa perueniſſet: *Et benedictus fructus ventris tui*, addidit dulciſſimus Paruulus: *Ego ſum*. Atque ita dulciter deuotam illam complexans animã, miraque lætitia, ac ſuauitate perfundẽs, cum Matre abſceſſit. Concludit tandem Pelbartus: *Ex qua viſione daret, quod Chriſto ſummopere Angelica Salutatio placeat, ſiquidem ipſe ad honorem ſuæ Matris dilectiſſimę, inclinato capite, eam ad noſtrum exemplum, vt idem & nos faciamus, recitare non dedignatur.*

Chriſtus Infans inclinato capite Angelicam; Salutationem recitauit Matri.

48. Atque vt vniuerſim cognoſcamus quãtopere Chriſtus Dominus ſanctiſſimam ſuam Matrem honoret ac reuereatur, ſciendum, quod cum vice quadam S.Gertrudis Dominum rogaret, vt pro ſe apud Matrem ſuam dilectiſſimã intercederet his verbis: *Siquidem fili mi hac de cauſa factus es homo, ac meus frater, vt ſuppleres pro omnibus humanis defectibus, rogo te vt ſupplere ac ſatisfacere velis pro me, ac intercedere apud tuam Matrem beatiſſimam, ſi forte quapiam in re in eius laudibus defeciſſem.* Quibus dictis Dei filius reuerenter aſſurgens ſe ante ſuam Matrem ſtitit, & vti decebat flectendo genua, & inclinãdo caput eam ſalutauit, eique illarum laudum B.Gertrudis obſequium obtulit, & pro eius imperfectionibus abundè ſatisfecit.

49. Quæ cùm ita ſe habeãt iure merito Corona hæc Roſarij, ſumma qua poſſumus reuerentia, & deuotionis, humilitatiſque affectu nobisquotidie perſoluenda eſt, certo nobis perſuadentes ſalutationes ſingulas, roſulas eſſe, imò ſtellulas quibus Virgineum, ſimul ac noſtrum, & in hac, & in futura vita coronamus verticẽ. Quare Sodalibus Parthenijs, qui ſeſe totos obſequijs Deiparę manciparunt, licet leges omnes Sodalicij tanquã præcepta Virginis, ſumma cum diligentiâ obſeruanda ſint, lex tamen illa de recitanda Corona Roſarij, vel maximè. Hoc enim ſuadere videtur ipſe Spiritus ſanctus eiuſdem amantiſſimus Sponſus, cum ait Prou.1.8. *Audi fili mi, & ne dimittas legem Matris tuæ, vt addatur Gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Siue vt legere 70. Interp. *Coronam enim gratiarum ſuſcipies tuo vertici.* Verè .n. Virgo huiuſmodi ſuis ſedulis clientibus coronam quandam charitam, & hic dum viuunt, cæleſtibus donis, chariſmatiſq; eos ornando, & in æterna illa beatitudine eos glorificando, eorum capitibus imponet, atque ita ſtellantem quãdam Coronam in eorum vigilantiæ, ſedulitatiſque præmium, vt quondam Romanorum Imperator ille, conſequentur, vereque agnoſcent Coronam hanc Roſarij, ſydeream ſempiternæ gloriæ Coronam illis peperiſſe.

Recitantes Coronam B.V. gratia in hac vita, & in altera gloriã exornat.



DISCVRSVS XXXI.

Quod B. V. Galaxia, seu Via lactea Deiparam Virginem repræsentet.

1.



Alaxiam Iunonis Deorum omnium Reginæ lacte, quo nutritus est Puer Hercules effoematâ fuisse Poetæ fabulati sunt; insinuare volentes, lac tantæ Deæ, quo tantus Heros, tot olim, tantorumque monstruorum domitor, alitus est, dignissimum esse quod inter sydera transferetur. Ouidius lib. 1. Metam. vocat Viam Deorum, qua ad summum Iouem proficiscuntur:

Via lacta dicta Via Deorum.

Est via sublimis cælo manifesta sereno.
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.
Hac iter est superis, ad magni tecta Tonantis,
Regalemque Domum.

De eadem Via lactea præclarè cecinit Manilius lib. 1. Astronomic. eiusque varias causas assignat:

Nec mihi celanda est famæ vulgata vetustas,
Mollior è niueo lactis fluxisse liquorem
Pectore Reginæ Diuum, cælumque colore
Infecisse suo, qua propter lacteus orbis
Dicitur, & nomen causâ descendit ab ipsa.

Viæ lacteæ origo.

Idem huiuscé viæ aliam apportat caussam, nempe Phaetontis currus, illac exercasse, magnique illius incendij vestigia reliquisse:

An melius manet illa fides per sæcula prisca
Illac solis equos, diuersis curribus isse,
Atque aliam triuisse viam, longumque per æuum
Exustas sedes, incoctaque sidera flammis
Cæruleum verso speciem mutasse colore.
Fama etiam antiquis ad nos descendit ab annis
Phæthontem, patrio curru per signa volentem
Dum noua miratur propius spectacula mundi
Et puer in cælo ludit, curruque superbus
Luxuriat, mundo cupit, & maiora Parente
Monstratas liquisse vias, orbemque regentem
Imposuisse polo: nec signa insueta tulisse
Erranti nutu flammas, currumque solutum
Deflexum solito cursu, curuisque quadrigis
Quod querimur, flammas totum sæuisse per orbem,
Terrarumque rogum cunctas arsisse per vrbes
Cum vaga dispersi fluitarunt lumina currus,
Et cælum exustum est; luit ipse incendia mundus
Et noua vicinis flagrarunt sydera flammis,
Nunc quoque præteriti faciem seruantia casus.

Via lactea est minutissimorum Sydrũ collectio.

Rectius sensere Philosophi Viam lacteam esse minutorum syderum candidissimam illam lucem profundentium, collectionem. Quod sensit etiam hic idem Manilius ibidem.

An maior densa stellarum turba coronâ
Contexit flammas, & crasso lumine candet
Et fulgore nitet collato clarior orbis.

Via lactea Circulus est cũdidissimus per quẽ Heroes ad æternitatem ingrediuntur.

2. Marcus Tullius in somnio Scipionis censet Viam lacteam esse Circulum candidissimum, per quem Viri de patriâ potissimùm benè meriti, æternitatem ingrediuntur, in eoque felicissimè conquiescunt. Ita enim Africanum loquentem Scipioni introducit: *Sic Scipio, vt auus hic tuus, vt ego qui te genui, iustitiam cole pietatemque, quæ cùm sit magna in parentibus, & propinquis, tum in patriam maxima est; & ea vita, Via est in cælum, & in hunc cætum eorum, qui iam vixerunt, & corpore laxati sunt, illum incolunt locum, quem vides (: erat autem is splendidissimo candore inter flammas Circulus elucens:) quem vos, vt à Græcis accepistis. Orbem lacteum nuncupatis. Ex quo omnia mihi contemplanti, præclara cætera, & mirabilia videbãtur.* Idem sensit Manilius, qui locum illum variorum Heroum tam Latinorum, quam Græcorum, qui rebus tam domi, quam militiæ præclarè gestis nomen sibi immortale peperere domicilium esse arbitratus est. Vnde sic canit:

In Circulum lacteum fortium Virorũ Animæ migrant.

An fortes Animæ, dignataque nomina cælo
Corporibus resoluta suis, terræque remissa,
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia cælum,
Aethereos viuunt annos, mundoque fruuntur.
Atque hic Aeacidas, hic & veneramur Atridas.

Tydi-

Tydidemque ferum, terræque marisque triumphis
Naturæ Victorem Ithacum, Pyliumque Senectâ
Insignẽ triplici, Danaumque ad Pergama Reges
Castra ducam, & cæli, victamque sub Hectore Troiam.
Auroræque nigrum partum, stirpemque Tonantis.
Rectorem Lyciæ, nec te Mauortia Virgo
Prætercam, Regesque alios, quos Græcia misit.
Atque Asiæ gentes, & magno maxima bella.
Quique animi vires, & strictas pondere mentis
Prudentes habuere viri, quibus omnis in ipsis
Census erat, iustusque Solon, fortisque Lycurgus,
Aethereusque Platon, & qui fabricauerat illum
Damnatusque, suas melius damnauit Athenas.
Perridis, & Victor, strarat, qui classibus æquor;
Romanique viri, quorum iam maxima turba est.
Tarquiniosque minis Reges, & Horatia proles;
Tota acies pontis nec non & Scæuola trunco
Nobilior, maiorque viris, & Clælia Virgo:
Et Romana ferens quæ texit mœnia Cocles
Et cum mil tia volueris Coruinus adeptus
Et spolia, & nomen, qui gestat in alite Phœben,
Et Ioue, qui meruit cælum, Romamque Camillus
Seruando posuit, Brutusque à Rege recepta
Conditor, vt Pyrrhi per bella Papyrius vltor.
Et Cato fortunæ victor, matrisque sub armis
Miles Agrippa suæ, Venerisque ab origine proles
Iulia descendit cælo, cælumque repleuit.
Quod regit Augustus Socio per signa Tonante
Cernit, & in cætu Diuum, magnumque Quirinum
Altius ætherei qua candet circulus orbis.
Illa DEVM sedes, hæc illis proxima Diuum
Qui virtute sua similes vestigia tangunt.

Hæc Manilius elegantissimè, quibus ostendit Orbem illum lacteum Virorum fortium, imo Diuinorum, qui virtutis arctum callem ingressi, egregijsque perpetratis facinoribus Diuinos quodammodo honores sunt promeriti, esse domicilium.

3. Verum nos Viam hanc lacteam dixerimus iure merito repræsentare Deiparam; Ipsa enim nobis reuera est rectissima ad æternam beatitatem Via cãdidissima, cuius sanctissimæ vitæ exẽplis, velut vestigijs insistentes, tanquam quidam Dij, & filij Excelsi ad beatam Patriam peruenimus. Vnde Pontanus eam rectissimam ad superos viam agnoscens, illam quam primum in hanc lucem prodire optabat, ita intercalari carmine modulando. (*Via lactea est Deipara.*) (*B.V. est nobis rectissima ad beatam Patriam Via.*)

Ibitur ad superos, iter hac monstrante Puella,
Nascere spes hominum, decus Aetheris, horror Auerni

Hoc agnoscens in se Deipara aiebat Eccli. 24. *In me gratia omnis vitę, & veritatis, in me spes vitę, & virtutis, transite ad me*, quia nimirum vtero mea complexa sum illum, qui de se dixit Ioan. 14. *Ego sum via, & veritas, & vita*; Illum qui est Dominus virtutum. Illum denique in quo complacuit omnem Diuinitatis, vt ait Apostolus, gratiarumque omnium plenitudinem inhabitare. Hinc Pater æternus Isa 43. aiebat. *Dedi in deserto Viam. Quid enim hoc Desertum est, nisi V. Maria*, teste Richar. à S. Laur. lib. 8. *quę ab omnibus huius vitæ carnalis voluptatibus, ac delicijs deserta fuit?* Hæc est Terra illa, de quâ canebat Dauid: *In terra deserta, & inuia, & inaquosa. Terra inuia vocatur Maria, quia licet Viam illam veræ vitæ Christum in se habuerit, omni tamen alij viro inuia fuit, & vir non transiuit per eam. Vnde ipsi canit Ecclesia: Via viris inuia.* (*B.V. est nobis in deserto Via.*) (*B.V. dicitur desertũ, quia omnibus delicijs deserta fuit.*) (*In hoc deserto Virg. n. o est nobis via ipse Christus.*)

4. In hoc ergo Deserto Virgineo DEVS Pater dedit viam, quæ ad vitam nos deduceret æternam, cum Dei Filius in vtero Mariæ incarnatus est. Hoc desertum vbi vera illa vitæ Via in illud aduenit, ad instar horti floruit ac germinauit, adeo vt caneret Isa. 35. *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans.* Isa. 75. Vnde illos, qui per hanc tam florentis deserti viam in cælos proficiscuntur lætantes, & exultantes ire absque vllo impedimento, timore, aut periculo, tam benignæ Patronæ, ac Matris protectos auxilio necesse est. Hinc idem de hoc deserto Virgineo subdit Isaias: *Et erit ibi semita, & via, & Via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus, & erit vobis directa Via, ita vt stulti non errent per eam. Non erit ibi Leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenientur ibi.* Verè Deipara est directa nobis ad cælum via, quam ingredientes, & nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, ad beatam patriam facillimè peruenimus. Verè Deipara est nobis via Sancta; Si enim Sanctitas S. Dionysio Areop. teste cap. 4. de Diu. Nom. est *Puritas ab omni scelere libera, itemque incontaminata munditia*, vti sæpius diximus; viam sanè hanc puram, (*B. V. recta ad cælum Via Sancta.*)

ab

ab omni peccati labe defæcatam, eumque qui eam ingreditur omni scelerum fœditate liberum esse necesse est. Vnde ait Isaias: *Non transibit per eam pollutus.* tales enim Virgo, cane peius, & angue detestatur, vt testatur S. Ioannes Damasc. Orat. 2. de Dormit. de Deipara: *Lutum,* inquiens, *omne fugit, ac cænosas affectiones auersatur. Ingluuiem execratur, fœdissimæ fornicationes vitijs in festa est. Huius impuras, & scelestas cogitationes, non secus ac Viperarũ fœtus fugit. Sermones fœdos, ac scurriles propellit, cantusque, & meretricia vnguenta submouet. Vitium denique tanquam lethale venenum execrationi habet.* Quibus sanè ostendit Damascenus, eum, qui sanctissimam hanc, purissimamque, & ad cælum directam. Viam ingredi desiderat, omni criminium labe depuratum esse oportere.

Vitia quæ B. V. auersatur.

5. Hæc denique Regia est, ad cælestem Patriam, beatamque Hierusalem Via, à qua Protoplastorum scelere in exilium pulsi sumus. Ad hanc ingrediendam nos serio hortatur Spiritus S. vt testatur Isa. cap. 30. *Et aures tuæ,* inquiens, *audient verbum post tergum monentis: Hæc via ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* O' si vocem hanc in hodiernum vsque diem clamantis Spiritus diuinissimi audiremus, nec obduraremus corda nostra; quantis, DEVS bone, cæli donis, gratijs, ac charismatis, meritorumque thesauris locupletaremur, quam firmam, certamque spem, arrhamque sempiternæ felicitatis adipiscendæ consequeremur? Quam facili negotio, veluti suauissimo vehiculo (: ita enim B. Georgius Nicomediæ Archiepiscopus Virginem appellat:) ad beatam vitam perueniremus.

B. V. Suauissimum est ad cælos Vehiculum.

6. Dicebat olim Seneca Tragicus.

Non est ad astra mollis è terra via.

Ita quidem si aliam, quam hanc Virgineam ingrediaris. At verò si in hac per ipsius Sanctissimæ vitæ imitationem figas vestigia, eiusque purissimis, integerrimisque moribus te conformare studueris, mollissimam sane ad beatitatem Viam inuenies, imo in ipsa Via viator existens, beatæ Patriæ comprehensor euades quodammodo, dum eius gaudia, voluptates, ac delicias in hoc adhuc exilio prælibabis.

Mollis est ad cælos per B. V. Via.

7. Quod si hactenus ab hac Via recta, Regia, ac Sancta liberioris vitæ licentiâ aberrasti, absque morâ ad eius patrocinium tanquam ad Asylum recurrito, obsecra, vt velut stella maris huius tempestuosi, tibi rectam ad cælum Semitam ostendat, teque in viam salutis reducat, & certissimam, præsentissimamque eius opem, auxiliumque experieris. Hinc Richar. à S. Laur. libr. 10. contulit benignissimam Deiparam V. Elephanto, cuius inter reliquas pulcherrimas proprietates, ait vnam esse, *quod inueniens hominem errantem reducat in viam. Talis est B. V.* inquit, *quæ errantes per errorum auia, deuiaque sæpissimè ad viam fidei reducit, & Viam quæ ducit ad vitam ostendit, ait enim illa quoque cum Filio: Ego sum via, veritas, & vita. Errantes etiam per deuia vitiorum suis orationibus, meritis, & exemplis reducit quantum in se est ad virtutes oppositas, per quas venitur ad cælum. Vnde ipsa de se loquitur. In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis.* Sic Rich.

B. V. velut Elephas hominem à via aberrantem reducit.

B. V. errantes per deuia vitiorum suis orationibus in viam reducit.

8. Vbi obseruandum Tigurinam versionem legere pro; Virtutis; *Præsidij*. Alios; *Vigoris, roboris, fortitudinis;* quibus verbis ostenditur Virginem, nobis non solum esse Regiam, facilem, expeditamque ad cælos viam; verumetiam nobis contra Tartareos hostes esse Præsidium, Murum adamantinum, Turrim fortissimam, de qua mille clypei pendent vt tutissimus à facie inimici. Vigorem denique, robur, fortitudinemque tam animi quàm corporis. Illius enim adiuti gratiâ in viâ diuini obsequij ad instar ceruorum currimus, ad instar Aquilarum volamus. atque ita secundum vaticinium Isaiæ. cap. 40. *Ipsa est,* vt ait Richar. lib. 2. par. 1. *quæ precibus suis, meritis & exemplis dat lasso virtutem, & his qui non sunt, in oculis videlicet suis, id est, humilibus fortitudinem, & robur multiplicat. Idcirco de ipsa potest intelligi illud Sap. 10. Certamen forte dedit illi, vt sciret quoniam omnium potentior est sapientia, id est, Maria, quę emphaticè dicitur Sapientię, vtpote ęternę Sapientię parens.* Verè alij quicunque de se præsidentes, eiusque patrocinium, ac clientelam deserentes *deficient, veluti pueri,* vt prosequitur Isaias, *& laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in hac Domina mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilę, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Tantus nimirum est Vigor, robur, ac fortitudo, quam Virgo suis sequacibus suppeditare consueuit.

B. V. suis precibus dat lasso virtutẽ, ad proficiendũ, & alas aquilarum.

9. Imo ipsa, suauitate facilitateque admirabili in hac viâ vitæ ipsius, morumque

rumque sectatrice in cælum proficiscẽtibus, sese vultu hilari, ac benignissimo spectandam exhibet, quo eos hilaritate sua ad ambulandum magnis passibus expeditiores reddat. Hanc eius facilitatem amabilissimam pulchrè nobis depinxit Sapiens Sap. 6. *Clara est*, inquiens, *sapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam: Et inuenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Quoniam dignos se ipsa circumit quærens, & in vijs ostendit se hilariter, & omni prouidentia occurrit illis.* Quæ postrema verba ponderans iam sæpius memoratus Richardus, eleganti reddidit paraphrasi lib. 2. par. 1. *Maria*, inquit, *dignos seipsá, mundos videlicet, & humiles, circumit, idest, vndique ambit, ac munit, ne aliqua ex parte hosti accessus pateat, & in vijs suis, quibus imitantur illam ostendit se illis hilariter. Viæ illius sunt pietas, humilitas, charitas, veritas, aliæque huiusmodi, de quibus ipsa Prou. 8. loquitur cum sapientia: Beati, qui custodiunt vias meas.* Quales porrò, quamque amœnæ, iucundæ, ac faciles sint hæ ipsius viæ docet Salomon Prou. 3. *Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificę. De hiscè denique suis vijs loquitur ipsa: In me gratia omnis viæ, scilicet, quæ ducit ad vitam, ad Filium meum, qui est vita.*

B.V. inuenitur ab illis, qui quærũt illam, & circumit se dignos .i. humiles, & mundos corde.

B.V. vię proficiendi in virtutibus sunt vię pulchræ.

10. Idem Richard. libr. 6. de hiscé vijs *triplex est*, inquit, *via ad salutem. Virginalis, coniugalis, & vidualis. In prima est integritas corporis cum sterilitate. In secunda fœcunditas cum corruptione. In tertia pietas cum solicitudine terrenorum. Vt ostendat virgo gratiam omnem, harum sine defectibus se habere, ait: In me omnis gratia vię. In hac enim Virgine fuit gratia omnis viæ, quę ducit ad salutem, quia fuit Virgo, absque sterilitate, fœcũda sine corruptione, pia sine terrenorum solicitudine. Custodientibus igitur, & ambulantibus per has vias ostendit Maria seipsam hilariter exeuntibus ex hoc mundo, & in omni prouidentia, qua ipsa tuetur, ac conseruat animam ne pereat, occurret illis quasi adiutrix fidelissima.* Concludit tandem vir pijssimus libro 2. part. 1. ad fin. postquam de eiusdem Virgineis hiscé vijs esset locutus: *Roganda est igitur*, inquiens, *assiduè, vt doceat nos vias suas, vt ait Isa. 2. doceatque ambulare in semitis suis, quas, qui in pręsenti tenuerit, Reginam in decore videbunt oculi eius Isa. 33. Et qui imitabuntur eam, erunt ex parte illius Sap. 2. à dextris videlicet Filij velut Agni ab hędis separati. Ipsa tunc dicet Filio, sicut filius olim Patri Ioann. 12. Volo fili, vt vbi ego sum, ibi sit, & minister meus. Obsecrãda porrò est Maria, vt velit, quia si vult, necesse est fieri, ait Augustinus de Domino.* Sic Richard. Quod optimè ad consolationem nostram deuotissimus confirmat Anselmus, dum spe plenus ita eam exorat lib. de Excell. B.V. ca. 12. *Ne sis quęsumus exoratu difficilis ò Domina! Quia proculdubio idem benignissimus filius tuus Dominus noster erit ad concedendum quicquid voles promptissimus, & exaudibilis. Tandummodo itaque velis salutem nostram, & verè nequaquam salui esse nõ poterimus. Quid igitur stringet larga misericordię tuę viscera, vt nobis saluare nos?* In eandem spem salutis æternæ consequendæ adductus est S. Ephreẽ Syrus ser. de B.V. dum eam ita salutat, & non modo viam, sed & portam, imo & clauim cælorum appellat: *Virgo vniuersi terrarum orbis Conciliatrix. Aue Porta cęlorum, ascensus omnium. Aue referamentum portarum Paradisi. Aue clauis cęlorum, & Regni Christi. Aue portus optimè ac tutissimè in hac vita nauigantium. Aue animę meę spes bona, & firma. Aue Christianorum omnium firma salus.*

In B.V. via vitæ Virginalis, Coniugalis, & vidualis.

B V. exeuntibus de hoc mundo ostẽdit se hilariter.

B.V. de suis clientulis in iudicio quidnam dictura sit Filio?

B V. via ad cælum, porta, & clauis.

11. Verùm quid nos sanctorum Patrum conquirimus testimonia ad ostendendum Deiparam viam in cælos hominibus esse tutissimam, & patentissimam ad cælos Ianuam? Audiamus ipsam sanctorum omnium sanctissimã, veritatem hanc S. Brigittæ reuelantem lib. 6. Reuel. cap. 10. *Ego sum*, inquit, *Virgo benignissima, Regina celi, ego Mater misericordię, ego iustorum gaudium, & aditus peccatorum ad DEVM.* Vtque ostendat etiam è Purgatorio igne se esse ad cælos rectissimam viam, nostramque à grauioribus Dæmonis in hac via impugnationibus præseruatricem ac protectricem, addit: *Nulla etiam pœna est in Purgatorij igne, quę propter me non fiat remissior, & lenior adferendum. Nullus est adeo maledictus, qui quam diu viuit, careat misericordia mea, quia propter me leuius tentatur, quam aliàs tentaretur. Nullus est ita alienatus à Deo, nisi omninò fuerit maledictus, qui si me inuocauerit, non reuertatur ad DEVM, & habeat misericordiam.* Hæc Dei Mater pijssima, quibus reuera ostendit se non solum viam, aditumq; ad cælorum Regnum esse, verumetiam in hoc arduo difficili, varijsque periculis plenissimo itinere nostram aduersus Tartareos prædones propugnatricem.

B.V. est aditus peccatorum ad Deũ.

Pœnæ Purgatorij remissiones fient per intercessionem B.V.

Ob intercessionem, & patrocinium B V. leuius à Dæmone hęredes tentãtur.

12. Vt intelligeremus denique illam facillimum aditum, Ianuamque cęlestis Patriæ esse potentissimam, Angelus

lus

lus eam D. Ioanni dilecto eius filio, sub typo cælestis Hierusalem 12. portis ad omnes 4. orbis partes patentibus instructam ostendit, insinuare nobis volens hoc symbolo, benignissimam Deiparæ indolem, quâ cupit cum filio omnes saluos fieri, & agnitionem veritatis peruenire, omnes, inquam tam in oriēte, & occidente, quàm in Meridie, & septentrione degentes, & hanc ob caussam ad quamlibet orbis partem, non vnam tantum portam sese nobis exhibet, sed omnino ad perfectissimum salutis nostræ demonstrandum desideriū triplicem, eamque dies noctesque patentem. Vnde B. Albertus Magnus tractat. super Missus loquens de Virgine hac; *Hec*, inquit, *Porta omnibus intrare volentibus est per via. Vnde ipsa est* 12. *Portę cęlestis Hierusalem. Quia ipsa ex omniparte mundi tria hominum genera Viduas, Coniugatas, & Virgines in cęlum apportat, & importat. Neque verò solùm est porta B.V. importando homines in supernam Hierusalem, sed & fenestra est, per quam lux in hunc mundum venit illuminans cęlum, & mundum vniuersum.* Hæc Albertus. Ingrediamur ergo vias imitationis eius, vias pulchras, & semitas pacificas, quæ reuera sunt via lactea, in qua miris nos suæ deuotionis lactat oblectamentis ac delicijs, vt per illam tandem tanquam per viam, tāquam per portam ad beatam Hierusalem, velut inuicti Heroes confectis quamplurimis vitiorum monstris ingrediamur.

B. V. Ianua cælestis Ierusalem ad omnes 4. mundi partes semper patens.

13. Ostendit reuera rectam se esse ad veram vitam æternamque salutem Viam Deipara, miserabili illi homini de quo in Annuis 1611. Coll. Granatēsis, qui publicâ omnium offensione in perditionis sempiternæ viâ versabatur. Hic enim cum aliquando domum ab aquarijs molis reuerteretur, antequam ad Crucem quandam in triuio erectam perueniret, quæ satis longo interuallo distabat ab oppido, videre sibi visus est homuncionem deformen, atrum, sordidum, qui deducto de via in angustam semitam iumento, apprehensum brachio adeo torsit, vt biduo illud vsui non esset. Cumque porro vltra duceretur, ingens ob oculos spectrum sese illi repræsentat, taurus nimirum nigro colore, toruoque aspectu; quo monstro homo perterrefactus, Mariæ Virginis opē implorat; quæ adesse præsens mox visa, hominem benignè compellans. *Regredere*, inquit, *in viam, noli Ducem hunc, qui Dęmon est, sequi*. Paruit ille tam benigno imperio, viamque ac domum repetiuit, sed tanto mentis stupore, vt extra se toto pene sequenti die fuerit. Vbi tamen in se redijt, & virus peccatorum euomuit, & rem omnem vulgauit, vt alieno malo docti fateri omnes cogerentur hominem, & neglectæ tandiu gratiæ pœnas dedisse diuinitus, & pietatis in Beatissimam Dei Genitricem, quæ vera à via salutis aberrantium est semita, tutissimusq; callis ad immortalem vitam, fructum non amisisse.

14. Neque verò solùm nobis est Virgo gloriosissima, Via lactea, ac facillima ad æuiternam beatitatem, verumetiam omnibus saluandis Christi fidelibus beatissimum domicilium, itaut verè de hac habitatione beatorum dicere possimum cum supra memorato Manilio:

Huc fortes animæ, dignataque Nomina cælo
Corporibus resoluta suis, terręque remissa
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia cęlū
Aethereos viuunt annos, mundoque fruuntur.

Quid enim aliud minuta illa sydera, ex quibus composita censetur à Philosophis Galaxia, quid, inquam, aliud denotant, quam sanctos, ac beatos, qui ad instar stellarum, pro cuiusque merito in cælo empyreo radiaturi sunt? sicut enim stella differt à stella, sic & resurrectio mortuorum, ait Apostolus. Et Propheta Daniel: *Fulgebunt iusti quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudierint multos, quasi stellæ in perpetuas ęternitates*, cap. 10. Ipsa itaque Virgo benignissima Beatis omnibus erit beata requies ipsa cælum, ipsa felicissimum domicilium, ita vt omnes ei tunc medullitus concinere possint cum Dauide; *Sicut lętantium omnium nostrum habitatio est in te, ò sancta Dei Genitrix*. Ipsa enim est Ciuitas Dei, de qua gloriosa encomia dicta sunt, vt docet B. Alber. Mag. super Mis. cap. 264. *Dicitur*, inquiens, *Beatissima Virgo Ciuitas plena hominibus lętantibus. Ipsa enim continet, saluat, & ambit, intra se esse quoddam lętitię, omniumque hominum affectū trahit ad se, omniumque desideria quietat in se. Vnde ipsa est lętantium quoddam speciale Regnum cælorum. Est autem beatissima Virgo ita plena, quemadmodum locus vel Hortus aliquis dicitur plenus fructibus, & floribus. Vnde verè dici potest plena sicut ager ille plenus suauissimum odorem exhalans, cui benedixit Dominus Gen. 24. Quam florum, herbarum, fructuūque plenitudinem, virginearum virtutum, morum,*

B.V. est quoddam speciale lætantium Regnum cęlorum.

rum, & operationum diuersarum perfectionem significantem, *explicare cupiens Ecclesiasticus deficiebat*, *dum in ipsius Virginis persona ait: Sicut cinnamomum*, *& balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris*. Sic Albertus.

15. Agnouit ipse cælestis sponsus, ipsa increata Sapientia iucundissimam Beatorum habitationem esse Deiparam cum ei suauiter dicebat Cant. 5. *Pulchra es amica mea suauis*, *& decora sicut Hierusalem*. Interna siquidem animi, virtutumque omnium in ea collectarũ pulchritudine, ac decore, morũq; suauitate, ac facilitate omniũ Angelorum choros, beatorumque reliquorum in Domino delicantium cætus repræsentabat, ita vt in illa perfectiones omnes tam beatarum mentium, quam reliquorum cæli ciuium, veluti in speculo enitescere, & densa quædam illarum minutiorum stellarum Corona, quæ in Via lactea conspicitur, eam circumdare videretur. Vnde has omnes tam Angelorum, quam reliquorum ciuium beatorum gratias, ac perfectiones in Deipara instar syderum collectas contemplans Pelbartus libr. 7. Stell. Part. 3. merito exclamauit: *O' verè maxima gratia Mariæ*, *quæ tantam gratiam habuit, vt maiorem pura creatura, non vnita Verbo, habere nequiuerit*: *Magna verè gratia quod sit Mater Dei Filij Creatoris*, *& Saluatoris omnium*, *& eo ipso Domina omnium Angelorum*, *atque hominum totiusque creaturæ*. *O' verissimè plena gratia Maria, quæ ipsam increatam gratiam in se totam continuit*. *Vnde rectè ei Angelus dixit*: *Aue gratia plena*. Hinc S. Hieron. serm. de Assumpt. *Verè gratia plena, quia cæteris per partes*, *Mariæ verò se totam infudit gratiæ plenitudo. O' quam multiplex gratia in Maria*, *qua omnes gratias tam generales, quam speciales omnium Angelorum*, *& reliquorum Sanctorum in summo habuit*. *Quoniam eodem Hieron. teste*: *Totius gratiæ plenitudo*, *quæ est in Christo*, *venit in Mariam*, *quamuis aliter*, *quia in Christo sicut in capite influente*, *in Maria sicut in collo*, *siue medio transfundente toti Ecclesiæ corpori*, *in Christo sicut in homine personaliter deificato*, *in Maria sicut in Templo ipsi Verbo singulariter dedicato*. *Dicat ergo merito Maria*: *In me gratia omnis vitæ*, *& veritatis*, *in me omnis spes vitæ*, *& virtutis*; *vt per hoc gloriosum eius verbum mentes nostras ad se confugiendum pro gratię impetratione alliciat*. Hæc Pelbartus; quibus ostendit sat luculenter omnes creaturę rationalis perfectiones in Deipara velut stellulas in Galaxia esse congregatas, earumque pulcherrimam nobis Hierusalem cælestem esse, cætum, inquam, ex Angelorum, Sanctorumque multitudine coalitum, lætitiaque plenissimam.

Pulchritudine interiori B.V. ciues cęlestis Hierusalem repræsentabat in Sanctitate.

B.V. plena gratia quæ ipsã increatam gratiam in se continuit.

B.V. noua quædam est Galax a quia omnes cæli[illegible]tum gratias velut stellulas in se continet.

16. Cælestem hanc Ierusalem contemplatus est in Spiritu Diuus Ioannes Apostolus Apoc. 21. cum dixit: *Vidi ciuitatem S. Hierusalem nouam descendentem de cęlo à Deo*, *paratam sicut Sponsam ornatam viro suo*. Hic ad reliqua huius ciuitatis videnda ornamenta, quæ mirificè Virgini congruunt, audiendus Richar. à S. Laur. lib. 11 de laud. B.V. *Maria*, inquit, *dicitur ciuitas Ierusalem*: *nam hęc interprętatur pacifica*, *& visio pacis*, *quod conuenit Marię*, *quia genuit nobis Christum, qui est pax nostra*, *faciens vtraque vnum* Eph. 2. *Vniuit enim DEVM homini*, *& hominem Deo*, *in vnitate personę*, *vniens cælum terrę*, *ima summis*.

B.V. noua Hierusalem, i visio pacis quia nobis peperit Christum qui est Pax nostra.

17. *Ipsa etiam est pacifica nostra*, *Filio reconcilians peccatores*, *per columbam illam Noeticam designata*, *quę ei oliuę ramum, dum esset in Arca, detulit, ad demonstrandum Deum humano generi reconciliatum*. *Quo porrò ratione pacificet nos, ac reconciliet Deo Virgo nostra*, *ostendit eadem Columba*, *quę ore pacis symbolum attulit*. *Ore enim nimirum atque orationum suarum virtute id facit. Vnde ei supplicamus. Recordare Virgo Mater in conspectu Dei, vt loquaris pro bonis bonum*.

B.V. Noetica Columba designata.

18. Verè Ciuitas hæc Sancta est Maria, in qua Sancti omnes velut clarissimi Heroes, rebus in hoc mundo præclare gestis, vitiorumque monstris superatis, hostibus Tartareis debellatis, ac triumphatis, tanquam in lacteo Circulo omnibus affluentes delicijs conquiescunt. Ciuitas, inquam, Sancta est Virgo nostra. Audiamus hic rursus eundem Richar. lib. 4. *De sanctitate Marię dicit B. Bernard. Hęc est Hierusalem Ciuitas sancta*, *quę prerogatiua meritorum omnem transcendit creaturam*, *ad euacuandam omnem inimici potestatem*, *quę sola in vniuersa humanę generationis linea dicere potest post Filium*. *Princeps mundi huius in me non habet quidquam. Et Ioelis 5. Erit Hierusalem sancta*, *& alieni non transibunt per eam*. *Quare sicut Anna de Domino cecinit*: *Non est Sanctus*, *vt est DEVS noster*. 1. *Reg. 2. sic dici potest Dominę nostrę verissimè*: *Non est Domina sancta*, *vt est Domina nostra*. *Si enim Sanctum esse idem est*, *quod esse mundum*, *ipsa certè mundissima creaturarum omnium extitit*. Quod si sanctus idem est, quod Sancitus, ipsa quoque fuit ita Sancta, dum sancita, firma,

B.V. sola in tota humanę generationis linea dicere potest post Filium: Princeps mundi huius in me non habet quidquam.

Non est Domina Sancta vt est Domina nostra S. Maria.

& in bono confirmata fuit. Si Sanctus Græcè alios vocatur, quasi sine terra. Quid Virgine sanctius cuius conuersatio, à terrenis remotissima, tota fuit cælestis? Si denique sanctus idem est quod Domino dicatus; & appropriatus, vt omne masculinum dicitur sanctū Domino Luc. 2. Quid illâ sanctius, quæ fuit tota Dei & nullius alterius nisi Dei? Hinc illa Cant. 2. ait: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Hinc dicitur descendere à Deo, tanquam ipsius proprijs manibus extructa Ciuitas tota Diuina, pro sua, omniumque Sanctorum dignissima sede, atque habitatione fabricata. Atque vt reliqua huius ciuitatis elogia alibi iam exposita omittam; Ipsa verè est pulcherrima, decoreque plenissima, tanquam sponsa ornato Viro suo. Inter omnia enim huius Virginis sponsæ castissimæ ornamenta nullum pulchrius, nullum gratiosius, quam eius sponsus, quam eius filius; hic illi eximiam venustatem, hic illi insigne decus, & diuinissimum planè contulit ornamentum. Itaut potior. iure dicere potuerit, quam pudicissima illa Phocionis vxor mulieri cuidam valdè nobili suos torques, mundumque muliebrem ostentanti, *At verò meum ornamentum, meusque mundus muliebris est Phocion*; Verè denique Deiparæ sponsus, ac vir castissimus est Dei filius, ex cuius vnione arctissima, carnisque cum eo communicatione, nescio quid diuinum, & supra humanæ naturæ captum sortita est, vt eius in se priuilegia pene omnia repræsentet.

B.V. conuersatio à terrenis remotissima tota fuit cælestis.

B.V. singulare ornamentum fuit Dei Filius.

B.V. ex carnis vnione ac communicatione cū Filio aliquid Diuinum sortita.

19. Hinc Petrus Blesens. serm. 2. de Assumpt. probare volens Deiparæ corpus in cælum anima assumptum, ostendit id fieri omnino debuisse vt sponso conformaretur. Vir, inquiens, *& vxor duo sunt in carne vna. Expressius autem Mater, & Filius sunt vna caro. Sanè Patres, qui Spiritu S. dictante decreta promulgant, ius in coniugibus sanxerunt, vt si alter deserens sæculum, adhæreat Deo, alter non remaneat in sæculo. Vnius enim carnis partes, tam violenter distrahi ius non esse, visum est eis: sic & indecens videri debet, si altera pars carnis virgineæ sit in cælo, & pars altera reddatur solo, parti alteri datum sit non videre corruptionem, & altera soluatur in cinerem.* Cùm igitur spōsa hæc purissima vnum quid ob carnis identitatem sit cum sponso, diuinitatem, quodammodo ac reliqua decora gloriamque vniuersam cum ipso participet necesse est. Vnde patet quantam gloriam consecuturi sunt ij, qui vestigijs, exemplisque Virginis, velut lacteæ illi viæ insistentes ad beatitudinē, imò ad ipsam, tanquam beatorum domicilium, perueniunt. In ipsa siquidem velut habitatione iucundissima, ac Diuinissima, summâ animi voluptate degentes, simul suauissimo dulcissimi eius filij perfruentur aspectu, atque ita inebriabuntur ab vbertate huius domus, & torrente voluptatis eius potabuntur; Vnde felicitatem hanc gloriamq; agnoscens B. Petrus Card. Dam. serm. 1. de Nati. B.V. ad eam conuersus exclamat; *Summa gloria post DEVM te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine commorari.*

B.V. in cælū cum corpore assumpta vt filio conformaretur.

Cur B.V. cū corpore assumpta sit in cælum.

20. O' verè felices, ac terque quaterque beati, qui habitant in hac domo tua Domine, & eius protectione in hac vita commorātur, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc nimirum est illa beata Hierusalem, de qua Tobias mentis, corporisque oculis illuminatus, concinebat: cap. 13. *Luce splendida fulgebis Hierusalem, portę tuę ex sapphyro, & smaragdo, ędificabuntur, & ex lapide precioso omnis circuitus murorum eius: ex lapide candido, & mūdo omnes plateę eius sternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur.* Verè de hac pulcherrima, splendidissima, Virgineaque Ciuitate omnium Sanctorum iucundissimâ habitatione longe potiori iure concinere possimus encomium illud Romæ septem illis suis montibus famosissimæ, quod celebrauit laud. libr. 3. de laud. Stiliconis.

Cælestis Hierusalem laudes merito attribuitæ B.V.

Septem circumspice montes,
Qui solis radios auri fulgore lacessunt.
Hac nihil in terris complectitur altius ęther,
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit, quæ luce metalli
Aemula vicinis fastigia conserit astris.
Quę septem scopulis zonas imitatur olympi,
Hęc veluti Regina potens extendit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula iuris,
Hęc est exiguis, quę finibus orta, tetendit
In geminos axes, paruaque à sede profecta
Dispersit cum sole manus; hæc obuia fatis,
Innumeras vno gereret cum tempore pugnas
Nunquam succubuit damnis, & territa nullo
Eoste fuit, ceu palma stetit, tot amicta trophæis
Hæc stetit Oceano, remisque ingressa profundū
Hæc est in gremium victos, quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fouit
Matris, non Dominę ritu, ciuesque vocauit
Quis domuit, nexuque pio longinqua reuinxit
Huius pacificis debemus moribus omnes.

Encomium Romæ.

Ha-

Hactenus Claudianus, quo ſanè elogio ad feliciſſimæ huius, Virgineæque vrbis ſummam gloriam, decus immortale, æuiternaſque delicias, quibus in illa, veluti lacteo Circulo, beatiſſimi illi victores mundi, carnis, Sathanæque inclyti atque inuicti, Heroes perfruuntur, explicandas nil aptius poteſt concini.

21. Neque verò orbem Circulumque lacteum vocitandam cẽſemus Deiparam, quod in ea omnium gentium Heroes, vt canebat Manilius inhabitẽt, verumetiam, quia immenſum illum DEVM inter omnia fortiſſimum, Herculem ipſum virium, roboriſque tam animi, quam corporis, præſtantiâ longè, & abſque vlla comparatione ſuperantem lactauit, nobiſque Regiã quandam ad immortalitatem, æternitatemque viam ſtrauit dum nobis in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, veluti noſtræ peregrinationis viatico, lac, ſanguinemque ſuum puriſſimum ſubminiſtrat, Diuinæ que Naturæ conſortes efficit, adeo vt hic, adhuc in hac mortalitate degentes æternæ beatitudinis, lacteique illius Circuli felicitatem, quã cæli incolæ, corpore iam laxati perfruũtur, delibare videamur. Caro enim, & ſanguis Chriſti ſacratiſſimus, quem in Altaris ſacramento participamus, eſt caro, ſanguiſque, imo lac Virginis puriſſimæ, quod à ſanguine, ſolo candore differt, vt fuſius, cum de ſpica Virginis agemus interius, oſtendetur. Quod ſanè longè potiori iure quam Iunonis inter ſydera transferri digniſſimum eſt, ſiquidem vti pignus eſt æternæ beatitatis, ſic ad eam nos quaſi manu ducit, imò eandem nobis, dum in hac laborioſã peregrinatione verſamur, pro modulo noſtro communicat, vires animi ad iter hoc in cælos admodum arduum conficiendum ſuppeditando, Diuinâ cognitione nos irradiando, amore creatoris noſtri inflammando, quibus veriſſima hominis beatitas continetur.

B.V. per Euchariſtiæ Sacramentum Regiam nobis ad cælũ viam ſtrauit, & quomodo?

Caro Chriſti in Euchariſtia, eſt etiã caro B.V.

Lac B.V. potiori iure quam Iunonis inter ſydera collocandum.

22. Quare dicere verè poſſumus Deiparam ſuis deuotis clientibus, qui eius lac in Euchariſtia, velut filij, aſſiduâ ſacramẽtorum frequentatione ſugunt, in Circulo quodam lacteo etiam in hac vita habitare, Circulique ſeu accubitus illius feliciſſimi delicias, quibus filius in ſinu Patris, perfruitur, deguſtare. Vbi enim vulgatus legis interpres: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*; legunt alij: *Dum eſſet Rex in Circulo ſuo*, quem Circulum quemadmodum, & accubitum Patris æterni, delicioſiſſimum ſinum, Sancti Patres eſſe voluerunt.

23. Ad haſce diuiniſſimas planè delicias, quibus ipſe Dei filius in ſinu Patris iucundiſſimè perfruitur, deguſtãdas nos ipſe in perſona ſponſi, vt nobiſcum ſuas delicias communicaret, inuitabat Cant. 5. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Cùm enim venit in vterum Virginis,* vt ait Cardinalis Halgrinus, *venit in Hortum ſuum, vt ibi, poſt labores, quos illi peccatores pepererunt, meritis, & virtutibus Beatæ Virginis iucundaretur. Ibi myrrham carnis, mortalitatiſque noſtræ cum varijs Humanitatis noſtræ virtutum aromatibus meſſuit. Ibi comedit fauum cum melle ſuo, dum in duplici vita B.Virginis, contemplatiua, & actiua mirificè ſibi complacuit. Mel enim eliquatum puræ contemplationis deſignat dulcedinem: fauus verò, qui rudem ceram demonſtrat exterius, inque ſuis cellulis mel occultat, Actiuam vitam deſignat, quæ licet in operibus rudis, quodammodo appareat, per ſingulas tamen operum cellulas premiorum dulcedinem continet.* Bibit denique vinum ſuum cum lacte ſuo, dum in vltima cæna auguſtiſſimum illud inſtituens myſterium, ſeipſum, ſuo corpore, ſanguineque, quæ de Matris Virginis puriſſimis, amore noſtri, traxit viſceribus, refecit. Tunc enim reuera cum vino ſuo, hoc eſt, ſanguine, lac Matris miſcuiſſe viſus eſt, dũ corpus eius ex illibatis ſanguinibus coalitum, eiuſdemq; lacte nutritum ſumpſit, ſanguinemque, qui idem eſt cum ſanguine Matris, bibit, reliquiſque Apoſtolis ſumenda præcepit; *Accipite, & bibite ex eo omnes.* Quod antiquæ illi inuitationi ſponſi æquipollet; *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.*

Inuitatio Chriſti ad Sanctiſſimũ Sacramentũ.

Sanguis Chriſti idem cum ſanguine Matris.

24. Hoc lacte Virgineo, ceu vino Dei filius inebriatus, antiquæ Protoplaſtorum oblitus culpæ pientiſſimam Matris indolem, moreſque in actionibus ſuis omnibus prætulit, nobiſque infinitæ ſuæ miſericordiæ viſcera reſerauit. Vnde verba illa: *Bibi vinum meum cum lacte meo*; accuratè ponderans Halgrinus Cardinalis: *Ille,* inquit, *qui propter iniquitates hominum ſic erat tactus dolore cordis intrinſecus, vt æterni ſupplicij mundo dilicium præpararet, poſtquam lac bibit de Virgine, quaſi vino potus, & lætificatus corde, velut obli-*

B.V. lacte ceu vino Chriſtus inebriatus oblitus noſtrorum ſcelerũ piiſſimam Matris indolem imbibit.

oblitus tristitiæ, quam induxerant mundi malitiæ, à supplicijs ad misericordiæ beneficia se conuertit. Idem pientissimus in Virginem nostram Cardinalis rursus illud Virgineorum vberum librans elogium Cant. 1. *Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis;* lactis huiuscé Virginei, quo nutriuit mundi Saluatorem virtutem mirificam ac planè Diuinam celebrauit: *Meliora*, inquiens, *hoc est, potentioris, & vberioris efficaciæ sunt Vbera B. V. quam vinum.*

Christus cũ lacte Matris misericordiæ dulcedinem imbibit.

Nam vinum inebriare potest, vt præteritarum immemor sit offensarum, & sit facilis ad condonandum, & largus ad donandum: Vbera vero Virginis DEVM quasi inebriare potuerunt. Nam postquam de Matris vberibus lac bibit, ac si cum lactis dulcedine, dulcedinem bibisset misericordiæ, proiecit post tergum ab oculis suis peccata nostra, factus est largus ad dandam peccatorum veniam, largus ad dandam gratiam, & operum iustitiam. Hæc Halgrinus.

Galaxia velut Arcus fœderis summ. nobis suam erga nos misericordiam indicat.

25. Quare cum oculos identidem in cælum attollimus viamque illam lacteam conspicamur, in mentem reuocare possumus summam Dei Filij pietatem, ac misericordiam, quam cum lacte ex castissimis Matris vberibus suxit, eamque toti orbi manifestauit, vt mortales effusissimæ misericordiæ viscerum, in quibus nos visitauit oriens ex alto, memores, in spem erigantur, venturum aliquando post hanc peregrinationem tempus, quo ex hoc corporis ergastulo euolemus in cælum, perque illam viam lacteam, nobis iter ad æternitatem sternamus. Atque ita via hæc nobis ad instar Iridis, seu Arcus cælestis esse debet, vt eâ inspectâ pietatem admirabilem, benignitatemque Dei nostri in memoriam reuocemus, nosque ad ipsum redamandum accendamus.

Lac B. V. Deũ ad misericordiam hominibus impẽdendam incitat.

26. Eandem viam illam pulcherrimam Diuinis oculis expositam eosdem crediderim effectus in Dei pectore producere quos ille Arcus cælestis, de quo ipsemet vniuersorum Dominus, nominumque amator Zelantissimus aiebat Gen. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cælum, videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter DEVM, & omnem animam viuentem, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuersam carnem.* Qua enim ratione fieri potest, vt Dei Filius memor lactis illius Virginei, quo tot mensibus nutritus est, & quo pientissimam illam Matris imbibit indolem, qui, inquam, fieri potest, vt fœderis illius, pacisque, quam inter nos, Patremque, Mediator factus inijt, inque Dei filios adoptauit, non recordetur, vltricemque manum contrahat, quam nostra scelera toties, vt extendatur ad flagellorum, pœnarumque variarum diluuium in orbem inducendum, prouocant?

27. Viam hanc lacteam intueri visus est Filius, cum vt est apud S. Antonin. 4. Part. Tit. 15. cap. tribus sagittis, ceu fulminibus orbem ob enormissima eius flagitia pessumdare meditabatur, nisi misericordiæ Mater sese, velut Mediatrix clementissima interposuisset, vberaque sua purissima, summæ sanè pietatis monimenta ostendisset. Quibus conspectis Filius maternæ, sibi ingenitæ memor pietatis, iustissimum illum furorem temperauit. O' Vbera, ad DEVM placandum, Iride longè potentiora! O' Vbera quæ Dei Filium lactando, Deiparam longè preciosioribus coronis quam Martyres exornatis, amplioribusque longè meritis eandem cumulastis! Quod supra memoratus Cardinalis Halgrinus, dum elogium illud Sponsi ad Virginem directum exponebat Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris:* probè intellexit: *Vbera*, inquiens, *botris assimilata sunt, quo mirabilis prærogatiua merendi demonstratur in Virgine, quæ non minùs meruit præbendo lac de vberibus suis ad nutrimentum Filij, quam Martyres, qui per botros figurantur, meruerunt sanguinem suum in Martyrio profundendo. Omnium enim operum merces secundum radicem charitatis pensatur.* Sic ille.

B. V. ostensis suis vberibus placat iram Filij.

B. V. lactando Filium non minus promerita quam Martyres qui per Christũ sanguinem fuderunt.

28. Quod si reliquarum Virginum, ac Martyrum aliorumque Sanctorum, ac patrocinia Diuinam possunt placare Maiestatem, quanto magis ipsius Sanctorum Sanctissimæ Virginis omnium Virginum, ac Martyrum Reginæ, pijssima illi Vbera, quæ pietatem quodammodo Dei Filio instillarunt, eumque tantis gaudijs, ac delicijs perfuderunt? Hinc mox attexit Filius: Dixi; *Ascendam in Palmam, & apprehendam fructus eius.* Quod eleganti ad propositum nostrum paraphrasi exponit Halgrinus: *Quasi diceret*, inquiens: *Ego dixi ab æterno ac disposui, quod ascendam in Palmam, Arborem scilicet Crucis triumphalem, & apprehendam fructus eius, fructus victoriæ, resurrectionis, ascensionis, fidei Apostolorum. Et tunc inter mortis angustias, recordabor quod de te carnem*

B. V. merita super omnes Sanctos placant irã Dei.

nem assumpserim, quod lac de tuis vberibus suxerim: recordabor mysterij Incarnationis meæ, & ista recordatio tanquam viri potus præsentis indignationis me obliuisci faciet ne ad vindictam festinem. Et odor oris tui, hoc est, orationum precumque tuarum, erit mihi delectabilis, sicut odor malorum. Et guttur tuum, idest preces ex gutture procedentes, erunt sicut vinum optimum, quod malè affectorum dolores consolari, & releuare consueuit.

Orationes B.V. sunt Christo delectabiles, sicut odor malorum.

29. Idem Halgrinus merita illa, quæ ob filij lactationem præ omnibus sanctis maxima consecuta est, ait vberibus eius, Diuinam quandam fragrantiam indidisse, cuius odore allectæ animæ sanctæ post eam currunt, eiusque virtutes imitantur: *Ideoque Beatam Virginem diligunt Adolescentulæ,* inquit ille, *quia eius vbera fragrantiora sunt vnguentis optimis, sanctorum videlicet virtutibus.* Redditque mox rationem: *Nam in eius vberibus fragrat odor ipsius filij sugentis vbera, qui delibutus vnguentis optimis cum plenitudine charismatum, ac medicinalium gratiarum venit ad animam peccatricem, vt eam ab omni leprâ sanaret. Ideoque ab Adolescentulis B. Virgo merito diligitur, quia oleum effusum est Nomen suum. Nam sicut oleum reliquum liquorem supernatat, sic Nomen eius, & inuocatio Nominis eius omnium sanctorum Nomina, ac inuocationes super excellit, superatque in efficacia subuentionis, obtentu Diuinę gratiæ, Dæmonũque fuga:* Hæc Halgrinus. Hanc ob causam S. Brigittæ orat. 4. Vberibus Virgineis magno pietatis affectu benedixit: *O' Domina mea, & illuminatio mea,* inquiẽs, *benedicta vbera tua sacratissima, super omnes dulcissimos fontes aquarum. Quia sicut aqua ipsorum scaturiens prębet solamen, & sitientibus refectionem: sic tua sacra vbera filium Dei lactando, nobis indigentibus medicinam, & consolationem prębuere.*

Vberibus B.V. diuina quædam indita fragrantia.

B.V. Nomen Oleum effusum cur vocitetur.

Vbera B.V. benedicta super omnes fontes aquarum.

30. Quid iam de eorundem Virgineorum vberum respectu ipsius Dei dicam efficacia? Hæc sanè tanta est, vt purissima hæc Virginis vbera à viris pijs vulneri lateris filij comparari consueuerint. Hinc B. Arnoldus Abbas Carnot. lib. de laud. B. V. *Securum accessum iam habet homo ad DEVM, vbi mediatorem causæ suę filium habet ante Patrem, & ante filium Matrem: Christus nudato latere Patri ostendit latus, & vulnera: Maria Christo pectus, & vbera.* Idem lib. de 7. verbis: *Filius,* inquit, *ad pectus Matris, & vbera, Pater ad filij Crucem, & vulnera respiciebat; & quid hæc tanta pignora non mouerent?* Hinc Richar. à S. Laur. lib. 10. cùm præmisisset Deiparam Arcæ aureo illo propitiatorio fuisse denotatam, addit: *Per hoc autem Propitiatorium signatur Maria, cui datum est a tota Trinitate, vt sit nostra propitiatrix ad filium offensum, pro peccatis nostris, ipsum pro nobis orando, & ei ventrem in quo eũ portauit, & vbera, quæ suxit repręsentando.* Idem lib. 2. partic. 5. *Beatus,* inquit, *venter, & beata vbera, quia ex eorum repręsentatione Christo in precibus, impetrat nobis Beata hęc Mater absolutionem à culpa, & benedictionem in gratia, & glorificationem in patria.* Hæc Rich.

Vbera B.V. vulneri lateris Christi comparata.

B.V. per Propitiatorium signata.

B.V. Filio suo ostendit ventrem, & vbera, vt eũ placet.

31. Hanc ab causam filius inter sua vulnera optabat Matris aspectum, preces, atque adeo vbera sibi repræsentari, cùm dicebat: *Veni columba mea in foraminibus Petrę, in cauerna macerię. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Vbi Cardin. Halgrinus sic loquitur: *Foramina Petrę, vulnera sunt manuum, & pedum Christi. Petra autem erat Christus, inquit Apostolus. Cauerna maceriæ, est vulnus in latere. Ostende mihi faciem tuam in foraminibus Petræ. Q.D. Cum vulneribus meis, & inter vulnera mea ad interpellandum pro peccatoribus tuam faciem representa. Et quia cum decore meritorum iuuat ipsa Virgo dulcedine precum, addit: Sonet vox tua in auribus meis, quæ magnam habet virtutem. Vox enim tua dulcis est mihi in precibus, & ideo dulcis, quia facies tua decora est. In facie enim tua decor virtutum mirabilis innotescit.* Sic Halgrinus. Quod si faciei, & vocis Virginis adeo grata est venustas, quanto maior erit ipsius vberum, quibus lactatus est DEVS ipse? Quæ quæso gratiæ illis adhæsisse censendæ sunt? Crediderim sanè in geminos gratiarum fontes hac Dei stupendâ lactatione fuisse conuersa, decoremque prorsus Diuinum, & energiam, quid libet apud illum impetrandi, sortita. Adeo vt de purissima Virgine nostra faciem, vberaque filio cum fusis pro nobis precibus repræsentante potiori iure dicere possimus, paucis inmutatis, quod Lucanus lib. 10. de Cleopatra cecinit:
Vultus adest verbis, facies formosa perorat.

Orationis B.V. efficacia.

32. Hinc Virgineorum vberum pulchritudinem hanc, vimque mirificam admiratus filius, summâ animi sui voluptate concinebat. Cant. 4. 11. *Quam pulchrè sunt mammæ tuæ soror mea sponsa; pulchriora sunt vbera tua vino.* Seu vt legere 70. Interpp. *Quam pulchra facta sunt vbera tua sponsa, quam pulchra facta sunt vbera tua, à vino.* Quibus verbis clarè ostendere

Vberum B.V. naturalis & supernaturalis est Pulchritudo.

voluit

voluit filius, vberum Virgineorum pulchritudinem non modo naturalem, verumetiam supernaturalem esse, siquidem sui lactatione, nouam quandam, Diuinamque venustatem sibi compararunt. Vnde pulchra facta, à Dei filio nimirum, vbera eius prædicantur, quia illis, & apud Patrem, & apud se quidquid voluerit, libuerituè, impetrandi gratiam, energiamque planè singularem contulit. Quod si pulchritudinis nomen secundum Græcum idiotissimum accipiamus, illud nobis bonitatem etiã sonabit. Atque ita non modo pulchra verumetiam bona Virginis vbera nobis fuisse intelligemus. Et verò bona, optimaque illa fuisse oportuit, quæ summũ illud Bonum, omne Bonum, fontemque bonorum omnium lactauerunt, ac proindè consequens erat, vt in nos quoque vbera illa velut vberrimi fontes bonorum omnium copiam deriuarent.

33. Cùm igitur Vbera Mariæ, & Virginea, & ipsius Dei Matris DEVM ipsum lactantis, ferentisque in vbere nectar, quo Dij potantur, extiterint, cumque prætereà vel conspecta solummodo Virgines germinauerint, vt alibi diximus, odoremque suauissimum deuotionis veluti preciosissimi vnguenti supernæ Maiestati, totique mundo afflauerint, mortalibus denique innumerabilium bonorum causa extiterint, quid mirum ea apud Patrem, & Filium, quidlibet impetrandi cum eorum conspectibus exhibentur vi eximiâ pollere? Quam obrem cum B. Arnoldus supra citatus Vbera Virginis, cum vulnere lateris dilectissimi eius filij cõfert, insinuare nobis voluit eminentissimam eorum dignitatem atque exergiam. Quemadmodum enim vulnus lateris, & minima eius sanguinis stilla promeretur de condigno, vt filius apud Patrem impetret, quodcunque desiderat, & exaudiatur, vt loquitur Apostolus, pro suâ reuerentiâ; ita sanè ob eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem, ac Dei lactationem, à filio exaudiri Mater quam cũque rem postulauerit, promerebitur. Hoc enim filialis ipsius in illam obseruantia, hoc carnis commucatio, atque identitas videtur exposcere.

B. V. meretur exaudiri à filio, eo quod ipsum peperit, & lactauerit.

34. Quod si eadem purissima, atque sacrosancta vbera considerentur, vt tot spiritualium filiorum, qui eius fidelissimo sese patrocinio deuouerunt nutritiua, ob excellentem sanè tantæ Matris charitatem, pietatemque Diuinis conspectibus euadunt adhuc: longè gratissima. Ipsa enim sicut effusissimâ sua charitate nos velut vtero suo complectitur, ac fouet, sic quoque spiritualibus suis vberibus nutrit, atque sustentat. Quam pietatem prorsus maternam, filius eius sugendo vbera; ei communicauit Vnde Richard. à S. Vict. cap. 32. in Cant. ipsam alloquens piè edixit: *Carnalia in te Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent. Cùm enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ vbera accepisti. Cum materiale lac ex te DEVS suxit, spirituale pariter per te filijs Dei fluere cæpit. Ex eo miserorum Mater facta es, & miseros alere misericordiæ lacte cæpisti, & cùm misericordia Dei sit ab æterno, amplior esse cæpit ex tempore. Et cùm ex te cæpit initium, eius quoque largitas per te sumpsit augmentum. In te ergo concreuit lac Diuinæ misericordiæ. Ipsa prius repleta es, & ex te nobis profluxit.*

Vbera B. V. Diuino conspectui gratissima, quæ tot filios spirituales lactent.

B. V. lactãdo Filium Dei ab eodem misericordiæ vbera accepit.

35. Eandem charitatem, ad clientes, suâ protectione, velut vtero, fouendos ipsi Dei filius communicauit, dum ipsius in vtero, factus primogenitus in multis fratribus, nouem mensibus requieuit. Ipse enim cùm velut granum illud frumenti in Virgineam hanc terrã cadens extiterit, adeo fructificauit, vt ingentem aceruum, puritatis animi, corporisque vallatum lilijs, germinarit, Matrisque protectioni subiecerit. Quod sine dubio sanctissima illa femina Marcella præuidendo, exclamauit: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Vbi Sapienter annotauit Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud. B. V. quod non dixerit: *Beata Mater, quæ te portauit; sed beatus venter, ad innuendam compassionem, & charitatem Virginis, qua omnes miseros in vẽtre suo portat per compassionem, & quantum in se est sua omnibus communicat per charitatem. Vnde venter eius dicitur Can. 7. Aceruus tritici. Et de hac portatione in vtero suo spirituali, qua suam designat pietatem, dicit ipsa cum filio: Ego portabo, & Saluabo.* Isa. 46. Sic Richard.

B. V. sua protectione velut vtero suos clientes fouet.

36. Vbera porrò hæc Virginis nostræ sacrosancta, quibus eius pietas, & misericordia denotatur, adhuc magis grata, acceptaque Diuinæ redduntur Maiestati, ob promptitudinem illam admirabilem qua in mortalibus, à suis miserijs subleuandis, vtitur. Hinc sponsus illam Hinnulis contulit Cant. 4. 5. *Duo vbera tua sicut duo Hinnuli capreæ gemelli.*

B. V. celerrima ad subleuandas à miserijs suos clientes.

melli. Quæ verba ponderans supra memoratus Rich. à S. Vict. loco S. cit. sic loquitur: *Et quidem Virginis Vbera gemina, dilectionis lac fundunt, quia reis impetrat veniam, iustis gratiam. Merito etiam misericordia Virginis cuisui hinnulorum comparatur, cum per mundum currat, velocius occurat, quam inuocetur, & causas miserorum anticipet. Adeo pietate replentur vbera tua, vt alicuius miseriæ notitiâ tacta lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subuenire*. Et quid mirum si misericordiâ affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Hæc Rich.

B. V. causas miserorum anticipat.

B.V. non potest nostras miserias scire, & non subuenire.

37. Quod si per gemina Virginis Vbera contemplationem, & actionem intelligamus, vt vult Guilelmus Abbas, adhuc superno Numini gratiora, acceptioraque euadant necesse est, siquidem se totam quodammodo quanta est, in hominum salutem, pro qua Filium Vnigenitum emori voluit, innatâ sibi pietate stimulante, sese impendit, maternumque affectum omnibus Christi membris exhibuit.

Audiendus hic rursus Guilelmus, qui ob affectum hunc in Spirituales Filios suos, eam Capreæ vtriusque sexus hinnulos lactanti comparauit: *Ipsa quidem*, inquit, *quia, & acutè videbat, intentione contemplationis, & velociter currebat, alacritate sanctæ actionis, per capream rectè figuratur. Erat autem huic capreæ hinnulus vnus mediator Dei, & hominum Christus IESVS, qui corporalibus piæ Matris vnus vberibus pascebatur. Sicut enim non decebat Matrem Verbi etiam alios parere: ita nec Matrem Verbi alijs sacra illa Vbera admouere. Proinde sicut Materna viscera sibi sanctificarat, quibus vnicus portaretur: Sic etiam materna sibi sanctificauit Vbera, quibus vnicus aleretur, ideo dictum ei est: Beatus venter, &c. Porrò eo ipso quod magnum illum hinnulum, id est, Verbum Incarnatum corporaliter genuit, duos sibi hinnulos, hoc est, teneriora eius membra, in vtroque sexu spiritualiter adoptauit. Siquidem per hoc quod facta est Incarnati Verbi Mater corporalis, facta est membrorum eius Mater spiritualis: per hoc quod caput nostrum secundum carnem concepit, membra eius lacte pietatis alenda suscepit. Habet ergo vnicum, quem pro tempore lacte corporeo nutriuit, habet, & gemmellos, id est, ex vtroque sexu adoptatos, quos lacte pietatis nutrire non desinit. Illi corporalia Matris vbera erant fons proprius, cui communicare non poterat alius. His duo spiritualia eiusdem Matris Vbera erant fons itidem proprius, cui non communicat alienus. Item quot Vbera, totidem Hinnuli. Plenum est Vberibus Maternum illud pectus intus, & foris. Foris quidem habet duo Vbera, quibus pro tempore aluit pia Mater Filium Dei. Intus item duo Vbera habet ad alenda membra eius, vnum compassionis, alterum congratulationis. Vt enim eorum infirmitatibus materna compatitur, sic eorum profectibus maternè congratulatur. non quod nostris tribulationibus, perpetuas eius, quibus fruitur delicias, minuamus; vel bonis nostris, quibus vtique non eget, beatitudini eius addere valcamus: sed ipsam nobis compati, est, in pressuris quas patimur, gratiam nobis consolationis à Filio impetrare; & nobis congratulari, est profectibus nostris perseuerantiam, augmentumque à Filio postulare. Cùm ergo infirmitates nostras, pijs precibus subleuat, lactat nos vbere compassionis: & cùm profectus nostros iuuat, lactat nos Vbere congratulationis. Sic duo eius Vbera sunt, sicut duo hinnuli capreæ gemelli*.

B. V. caprea acutè videns per contemplationem, & velociter currens per actionem.

B V. est Caprea cuius vnicus Hinnulus est Christus.

B.V. præter Vnicum Hinnulum habet gemellos, fideles scilicet vtriusque sexus quos spiritualiter suis visceribus nutrit.

B.V habet duo Vbera quibus suos spirituales filios pascit vnum compassionis, alterum congratulantis.

B. V. nostris infirmitatibus maternè compatitur, & profectibus congratulatur.

38. Quantam porro hi Spirituales Deiparæ Virginis filij ex hac lactatione puritatem consequuntur, subtexit idem pijssimus Abbas: *Qui pascuntur, in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Sed quomodo*, inquiens, *pascuntur in lilijs? Planè qui pascuntur vberibus piæ Matris, pascuntur etiã in lilijs; per quorum candorem munditia conuersationis, per odorem vero suaueolentia odoris significatur. Qui contentus munditiâ vitæ suæ, negligit famam suam, candorem habet sine odore: qui appetens famæ, non curat de munditia vitæ, odorem habet sine candore. Neuter de lilijs, quare nec de vberibus Mariæ pascitur: multo minus; qui, & operibus fœdi, & opinione fœtidi inueniuntur. Vt ergo pascaris in lilijs, candorem habeas necesse est in conuersatione, & odorem in opinione. In tua quidem manu non est, quid alij de te dicant, & sentiant; per infamiam, & bonam famam sanctis ad Regnum cælorum tendendum: Sed curandum tibi, vt quod potes, sic viuas, vt non nisi per calumniam, & inuidentiam de te malè sentire, vel loqui queant. Alioqui quid tibi, & Vberibus piæ Matris? Non enim fœdos, vel fœtidos sui lactis dulcedine censet alendos. Oportet autem eos, qui pascuntur in lilijs, meminisse Verbi illius Dominici: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Ideo solicitè oportet munditiam conuersationis cum odoris suauiolentiâ retinere; donec expleta huius tenebrosæ vitæ nocte, aspiret dies, & inclinentur vmbræ; dies, inquam, oriatur de qua Propheta Ps. 83. Melior est dies vna in atrijs tuis super millia; donec ab huius vitæ pœnalibus tenebris,* ad

Qui pascuntur Vberibus B.V. pascuntur in lilijs puritatis.

Lilia candorem suo mũditiem conuersationis; adore sua ueolentiam bonæ famæ denotant.

B.V. lactis sui dulcedine nec fœdos, nec fœtidos alit.

Solicitè munditia conuersationis cum suaueolentia bonæ famæ vsque ad mortem retinenda.

ad æternæ lucis delicias assumuntur, piæ Matris suffragantibus precibus, & meritis, qua cum suo Hinnulo super montes Bethel iugiter deliciatur. Hactenus Guilel.

39. Idem illud Virgineorum Vberum elogium expendens Richard. à S. Laur. lib. 4. de laud. B. V. censet Vbera illa significare misericordiam, & pietatem qua vti ad miseris mortalibus in eorum necessitatibus subueniendum consueuit. *De misericordia*, inquit, *& pietate Mariæ dicit ei filius ipsam commendans: Duo Vbera tua, &c. Duo vbera B. M. Virg. de quibus velut lac piæ subuentionis, & dulcedo sugitur, sunt affectus pietatis, & misericordiæ, qui velut capreæ acuto lumine considerāt, quis, & quanta indigeat ope, & per talem considerationem accurrunt velociter, vt hinnuli, ob varios subuentionum modos pulchrâ varietate distincti. Hinnuli hi dicuntur gemelli, sociales nimirum, ac consimiles, quia pietatis, & misericordiæ opera valdè sibi sunt consimilia, & quasi ex vno fonte promanantia. Dicuntur denique pasci in lilijs. Quia misericordiæ, & charitatis beneficia, quæ in ingratis moriuntur, & deficiunt, in illis contra nutriuntur, ac proficiunt, qui ob candorem castitatis, odoremque bonorum operum lilijs assimilantur. Hæc porrò B. V. Mariæ Vbera lac suum propinare non cessant, totâ istâ præsenti vita, donec videlicet aspiret dies, idest, donec veniat dies illa, quæ ad corpora de puluere reformata, spirabit spiritum vitæ, & vitam gloriæ, & donec inclinentur, deficiantque vmbræ præsentis miseriæ.* Hæc Richar.

40. Cùm igitur Virgo sanctissima suos clientulos, velut amantissimos filios, & pietatis lacte nutriat, & misericordiâ suâ ad eorum miserias inspiciēdas, amoliendasque velut caprea, hinnulusque quàm celerrimè accurrat, omnesque velut Mater amantissima amplissimo charitatis sinu foueat, atque amplectatur, gratissimum sanè spectaculum eius Virgineum pectus, purissimæque vbera summæ pietatis monimēta, augustissimæ Trinitati exhibeant, eandemque ad sua vota intercessione se que inclinent facillimè, necesse est. Quare videmus Virginem gloriosissimam, pietate, ac misericordiâ suâ infinitâ veluti ostensis supremæ illi Maiestati vberibus, suis clientulis mirifica gratiarum munera impetrasse, eosque suæ pietatis lacte nutriendo, ijsdem ad omne bonum propensam indolem, moresque probos cōmunicasse. Siquidem præclarè B. Saluianus libr. 5. de Prouidentia: *Nutrices*, inquit, *mores suos, vel bonos, vel malos, in pueros, quos alunt, cum lacte transmittunt.* Vnde S. Bonauentura in Psalt. *Mariam vocauit Nutricem sanctitatis, cuius lacte omnes, qui vnquam fuerunt, eruntque iusti, & sancti, aluntur,*

B. V. pectus & vbera gratissimum spectaculum SS. Trinitati

B. V. tanquā Nutrix optima benignissima mores suos in nos transmittit.

B. V. est Nutrix sanctitat

43. Sanctitatem hanc puritatemq; S. Bernardo velut dilectissimo spirituali filio Mater pientissima, vel maximè instillauit, cum eum non semel purissimis suis vberibus lactare non est dedignata. Vnde in M. scriptis Cistercientis Ordinis monimentis, vt testatur Nouarinus hæc reperiuntur: *Diuus Bernardus lactatur à B. Virgine* 13. Maij. De Virgineo hoc in Bernardum fauore cecinit Philotheus Cisterciensis Monachus:

Sæpè suum Virgo famulum venerata, solebat
Visere, & ambrosias sæpe deferre dapes.

insinuare volens ipsum cibo cælesti nutritum, siquidem lacte Virginis, quo ipse Dei filius pascebatur, deliciatus est. Ambrosiam enim Deorum esse cibum veteres censuere. Vnde Martialis canebat:

Iuppiter ambrosia satur est, & nectaris haustu.

Et Ouid. lib. 1. de Ponto.

Nectar, & Ambrosia latices epulasq; Deorum.

Hinc denique viros præclarissimos, viros æterna memoriâ, vitaque dignissimos, Ambrosia nutriendos M. Tullius, alijque dictitabant. In quem tam singularem Virginis fauorem eleganter lusit Bidermannus noster lib. 2. Epigr. 10.

B. V. S. Bernardum lacte suo pascendo, mores ei suos communicauit.

Viri præclari Ambrosia nutriendi.

Virgineo stabat signum venerabile Templo
Indita, cui magnæ forma Parentis erat.
Hic solitam Bernardus opem, dū sedulas optat
Tergeminumque leui murmure dicit Aue.
Ter vocat æthereæ Portam blandissimus aulæ
Ter stellam æquoreæ, cernuus orat aquæ.
Denique Mater, ait, magni fœcunda Tonantis
Incipe te Matrem Virgo probare meam.
Sic ait, & tacitè respexit ad vbera signi,
Vbereque ex niueo, lacteus imber it.
Cùm medium flexo postquam aera transiit arcu
Arida Bernardi fluxit in ora liquor.
Ille diu dubius dum dulcibus imminet vndis
Credidit Hyblæo mella pluisse mero.
Victa sed Hybla fuit. Nectar quoque credidit; illa
Nectare sed dulci, dulcior vnda fuit.
Hæc tandem, hæc inquit, Materni est gratia lactis,
Claude tuum iam sunt pectora pota sinum.
Imo age pande sinum, da pluribus vbera Mater
Nos quoq; lactentes, paruula turma sumus.

Fauorem hunc Virginis plerisque in Templo Spirensi Bernardo contigisse cen-

censent. Illo enim in Ecclesiam ingrediēte, cum in Salutationem illam Deiparæ: Salue Regina, (quam etiam aliquot sermonibus illustrauit) Spirenses Canonici propensissimum intellexissent, eam decantarunt, ipsomet Bernardo ter positis genibus succinente: O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria; quibus dictis ante Altare B. Virginis purissimo eius lacte refici meruit. In cuius rei memoriam hæc ipsa verba tribus æneis incisa laminis, ijsdem locis humi positis, etiamnum spiræ visuntur.

S. Bernardus in Templo Spirensi a B. V. lacte nutritur.

42. Sanctitatem suam quoque Diuus Augustinus ab hiscé Dei Matris vberibus hausisse visus est, siquidem inter Christum de Cruce pedentem, & virginem Deiparam constitutus, aiebat: *Positus in medio quo me vertam nescio: Hinc lactor ab vbere, hinc pascor à vulnere.* Quem sanè pijssimum sanctissimi huius Patris sensum pulcherrimo reddidit Epigrāmate Pater Franc. Mendoza in Virid. Pro. 2. lib. 2. dum ita cecinit:

S. Augustinus lactatus ab Vbere B. V. & postus à Christi Vulnere.

Vbera me Matris, Nati me vulnera pascunt,
Scilicet hæc animi sunt medicina mei.
Nam mihi dum lacrymas amor elicit, vbera sugo,
Rideat vt dulci mistus amore dolor.
At me pertentant dum gaudia, vulnera lambo,
Vt me læta pio mista dolore iuuent.
Vulnera sic Nati, sic vbera sugo Parentis,
Securæ vt variæ sint mihi sorte vices.
Quis sine lacte precor, vel quis sine sanguine viuat?
Lacte tuo Genitrix, sanguine Nate tuo?
Sit lac pro ambrosia, suaui pro nectare sanguis
Sic me perpetuum, vulnus & vber alet.

43. Quid quod lac Virgineum non modo suis clientulis pietatis ac sanctitatis incrementa contulit, verumetiam subinde præsentissimum varijs in morbis antidotum ac medicinam? Testis est Clericus ille Niuernensis de quo B. Petrus Card. Damia. libr. 6. Ep. 29. sic loquitur: *Cùm velut egressus in eius pectore Spiritus anxiè palpitaret, ecce gloriosa Mater Dei sibi visibiliter adstitit, & sacri vberis papilla lac exprimens eius labijs instillauit, & diuinæ virtutis antidoto protinus ille resumptis viribus ex infirmitate conualuit, & mox Clericalibus ornamentis indutus Ecclesiam adijt, seseque choro psallentium lætus interserens, mirum videntibus spectaculum præbuit. Dicitur etiam, quod adhuc tunc in labijs eius quædam lactis videbantur vestigia.*

B. V. suo purissimo lacte varijs in morbis dedit medicinam.

Clericus lacte B. V. sanatus.

44. Testis est Fulbertus Episcopus Carnotensis, quem Baronius Tom. 12. Anno 1028. & Annales Ecclesiæ Carnotensis ferunt mirè deuotum erga Deiparam extitisse, ab eaque cum eius lingua igne sacro esset ita correpta, vt totus arderet, persanatum. Nocte enim quadam cum eo igne præter morē cruciaretur, obtulit se ei visendum Matrona nobilis à qua monebatur vt os aperiret, quod cum fecisset, mox ex sacris suis vberibus lac expressit in os eius, quo ita lingua refrigerata est, vt ardorem omnem extinxerit, eumque perfectæ sanitati restituerit. Ne autem illusio, aut phātasma esse putaretur, in Fulberti gena remanserunt guttæ aliquot, quas ipse diligenter sudario exceptas collegit, hodieque in thesauro Ecclesiæ Carnotensis, summa cum veneratione asseruantur. O mirificum gloriosissimę ac benignissimę Virginis Deiparæ amorem, ac pietatem, quæ lacte suo purissimo non solum nobis viam ad perennē beatæ Patriæ vitam, verūetiam ad temporalem sternit.

Fulbertus Episcopus lacte B. V. à sacro igne liberatur.

45. Quæ cum ita se habeant, quis iam dubitet purissimum Virginis nostræ sacratissimæ lac, ac nutrimentum, eius nempè protectionem ac patrocinium quo in dies fruimur, viam quandam ad æternitatem, beatitatemque immortalem nobis esse, Galaxiamque suis clientulis constituere, in qua velut stellulæ in perpetuas luceant æternitates? Siquidem hic dum viuimus, illa sanctitatem, puritatemque in nobis nutrit, atque alit, nos pietatis suæ gremio, sinuque fouet, vberumque sacratissimorum interpositione, à iustissimâ sempiterni Iudicis irâ, furoreque defendit, ab Infernalium denique hostium incursionibus velut murus aheneus atque adamantinus, velut Turris fortissima nos protegit, adeo vt ipsa gloriari non vereatur: *Ego murus, & vbera mea sicut Turris*: Cant. 8. Quæ verba Guilelmus Abbas attentius considerans, per prosopopœiam in ipsam Virginem pientissimam loquentem introducit: *Ego munus ad protegendum, murus inexpugnabilis circumcingens eos, qui ad me confugiunt. Plane qui hoc muro circumdatur, tutus est ab ijs, qui in circuitu ambulant impij, & à capite eorum, qui tanquam Leo rugiens circumit quærens quem deuoret. Ego murus simul, & Mater. Murus ad protegendum, Mater ad nutriendum: Murus infirmis, Mater paruulis. Propter insufficientiam virium campum times? Murus sum, intra me abscondere à facie inimici. De paruitate tua confu-*

B. V. suis clientibus est Murus, & Turris eos protegendo.

confunderis, & crescere vis? Mater sum, meo lacte nutrire. Murus sum per fortitudinem, Mater per pietatem, Ego murus inexpugnabilis, & excelsa habens propugnacula: Ego Mater amabilis, & grandia habens Vbera. Quam grandia? Sicut Turris. Vbera mea non tantum sunt Vbera, sed etiam Turris, non tantum nutriendi, sed & protegendi vim habent. Nullus me putet habere quo nutriam, & non habere quo muniam. Materna pietas mea quos nutrit, etiam munit; Quos nutrit vt discant, atque grandescant, munit à facie inimici, donec iam grandes effecti, contra eum in campum fiducialiter exeant.

Vbera B.V. non totum nutriendi sed & protegendi habēt vim.

Sic Guilelmus.

46. Quid mirum igitur si fideles Deiparæ clientes ac præsertim ij qui in Parthenijs Sodalicijs ei peculiaribus obsequijs se deuouerunt, ipsius pietatis lacte nutriti, robur, viresque inexpugnabiles, ad Tartareos hostes debellandos acquirant, eisque reddantur formidabiles? siquidem dum Virgineo lacte in hac vita nutriuntur atque educantur, simul eiusdem protectione, velut muro adamantino, velut turri fortissimâ circumdantur; tandemque ab omnibus mundi, carnis, Sathanæque insidijs sinu quodammodo tantæ Matris defensi, in cælestem patriam transmigrant. Vbi nouam quandam Galaxiam, lacteumque Circulum videntur constituere, isto aspectabili longè lucidiorem, siquidem non Iunonis fabulosæ cælorum Reginę, sed Virginis verissimæ Dei Matris, vniuersorumque Dominæ lacte spirituali nutriti, Diuinam quandam complexionem sunt indepti, & in lucidissimas stellulas illis viæ lacteę longe splendidiores transmutati.

Sodales Parthenij B.V. lacte nutriūtur, eiusque protectione velut Turri defenduntur.

47. Quare iure merito Parthenios sodales Virgineæ pietatis lacte alitos, etiam in hac vita stellulas; Sodalitia, Viam lacteam, in qua ij qui Virgini Deiparæ deseruiunt, velut minuta quędam virtutum splendore refulgent sydera, appellare possumus, ac liberè pronunciare, eos in cælesti tandem regione, si in hiscè Congregationibus, in deuotionis exercitijs, Sacramentorumque frequentatione cum feruore Spiritus perseuerent, nouam quandam Galaxiam, lacteumque Circulum, pulcherrimum cæli ornamentum constituturos. Sic enim Sacer Cisterciensium ordo totus Virginis obsequijs mancipatus, quod Bernardum Virum Sanctissimum Vbere Virgineo lactatum habere meruit, Via lactea in cælis, nominari dignus fuit; Vt antiquum Cisterciensium Missale testatur, in quo hæc habentur:

Ordo Cisterciensium Via lactea vocatus.

Splendicat ante alias Cæli Via lactea partes:
Cisterçij ante alios hic nitet ordo Sacer
Hausit enim Bernardus opem, & cum lacte nitorem
A Genitrice Dei, quo suas ordo micat.

Idque sanè iure merito. Quemadmodum enim apud Lacædæmones, vt auctor est Plato in Alcibiade, reperiuntur pulchræ, latæ, ac fertiles Prouinciæ, quarum aliquas incolæ, Vxoris Regiæ Zonam; alias Calyptram, alias, ab alijs Reginæ ornamentis, quod ad eiusdem solius cultum, ornatumque duntaxat spectant denominare consueuerunt. Ita profecto tam inclyta Ordinis Cisterciensis familia, quam alia Deiparæ Virgini consecrata Contubernia, quæ illam ad instar Regiæ, aurataque cycladis, vario virtutum, ceu fimbriarum decore exornata circumdant, Circuli, Zonæque lacteæ vocitari possunt.

48. Quamobrem Partheniorum huiusmodi cætuum Alumni quoties in obscura tribulationum, seu tentationum versantur nocte, oculos, ac præsertim mentis in cælum attollant, Viam illam lacteam ceu speculum considerent, & intelligentes eam non modo Deiparam, ex varijs, ijsque pulcherrimus virtutibus, ceu stellulis, Diuinoque splendore, qui toto eius ore, oculisque promicabat compositam esse Galaxiam, verumetiam ipsa Mariana Sodalitia repræsentari; ad perfectionem morum in corruptionem, puritatemque eius tam animi, quam corporis æmulandam inflammentur. Meminerint insuper, lacteo illo cæli splendore Vbera illa Virginea, quæ solem iustitiæ, splendoremque Paternæ gloriæ lactauerunt, sibi ob oculos proponi, quæ quoties aliqua mentis obtenebratio, aut caligo ingruit. Filio eius, æterno, veroque lumini proponenda sunt, vt ijs conspectis nobis propitietur, suæ gratiæ luce mentis tenebras irradiet, inque cęlestium amorem voluntatem accendat: Virginea enim illa Vbera, omni linguâ etiam disertissimâ, apud Tribunal Filij, quantumuis nostris innumeris sceleribus offensi ad causas nostras perorandas eloquentiora sunt, adeo vt vel Virgine tacente, eum mox ad pietatem, clementiamque, quam ex ipsis cum lacte suxit,

B V videtur esse quædam ex virtutum Stellulis cōposita Galaxia.

faci-

facillimè inclinent. Hoc enim illi debet Filius ratione patriæ poteſtatis, naturaliſque ſubiectionis, qua Natus Matri iure naturæ ſubijcitur. Vnde Sanctus Methodius Martyr ait, DEVM debitorem eſſe Virgini. Siquidem ille, qui Parentes honore proſequendos nobis demandauit, ipſe mandatum impleuit, honoremque Matri debitum detulit. *Euge euge*, inquit ille orat. in Hyp. *Mater Dei, & Ancilla, euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo namque vniuerſi debemus, tibi verò etiam ille debet.*

49. De hac Virginearum denique precum apud filium efficacia Pa. Franciſcus Suarez Tom. 2. in 3. part. Diſpu. 23. ſect. 2. præclariſſimè pronunciauit: *Itaque ſi cogitatione fingamus B. Virginem aliquid poſtulare, totamque cæleſtem Curiam illi reſiſtere, ſicut apud Danielem vnus Angelus alteri reſiſtebat, potentior eſſet maioriſque efficaciæ, & valoris apud DEVM Virginis, quam reliquorum omnium ſanctorum, quod dignitati Matris maximè eſt conſentaneum, & perfectiſſimæ gratiæ, & charitati B. Virginis quodammodo debitum. Et ideò Eccleſia, & frequentius, & altiori quodam modo orat ad Virginem, quam ad reliquos ſanctos.* Sic ille.

B.V. potentior oratio apud filium, quam omniũ reliquorum ſanctorum.

50. Quare ad finem Cantici illius amatori, cæleſtis ſponſus, vt oſtendat quantopere grata ſibi ſit ipſius pro genere humano, quamque accepta interceſſio, eam ipſe ad preces pro mortalibus fundendas vltro inuitat: *Quæ habitas in hortis*, inquiens, *amici auſcultant, fac me audire vocem tuam*. Super quibus verbis Halgrinus præclarè edixit: *Ad finem totius operis Chriſtus aſſignat officium Matri ſuæ, quod gerat in patriâ. Q. D. O'tu dilecta mea, quæ in hortis gratiarum, ac virtutum habitas, fac me audire vocem tuam in precibus. Sonet vox tua in auribus meis, quia amici, ſcilicet Angeli auſcultant te, vt quod à me petieris ſtatim officioſo peragant miniſterio.* Vt porrò oſtendat Virgo quam ipſa ad interpellandum pro nobis prompta ſit, ac expedita, mox ſubtexuit: *Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum*: Vbi idem Cardinalis præclarè more ſuo; *Beata Virgo libenter obſecundans filio, & tanquam gaudens de iniuncto tali officio, ſtatim aſſurgit ad preces: Fuge dilecte mi, & cæt. Loquitur Prophetice. Q. D. ſcio dilecte mi, quod tu fugis aliquando abſcondendo notitiam tuam, ſubtrahendo, vel non apponendo gratiam. Verum tamen hoc rogo, hoc ſupplico, vt qui es aſſiduus ſuper montes aromatum, ideſt, ijs qui aromaticis montibus ſunt comparabiles, aſſimileris capreæ, hinnuloque ceruorum, qui de montibus ad conualles deſcendere conſueuit, vt videlicet ad illos miſericorditer reuiſendas recurras, qui ſunt in vallibus, & fæcibus peccatorum.* Hæc Halgrinus; ex quibus ſollicitam pientiſſimæ Virginis ſolicitudinem erga ſuos ſpirituales filios, quos pietatis ſuæ lacte enutrit, perſpicimus.

Chriſtus Matri officiũ intercedendi pro ſuis aſſignat.

Viri Sancti Montes ſunt aromatum.

51. Cùm igitur Virgo ſit via quædã lactea, qua tẽditur ad immortalitatem illam beatam, æuiternamque felicitatem, hæc dum hic viuimus omnino nobis tenenda eſt, niſi à vitæ via oberrare velimus. Ipſa enim immaculatæ, puriſſimæque vitæ ſuæ exemplo, veluti candidiſſimâ quadam ſtellantique viâ nos ad perennem veramque vitam perducit. Quot enim in illa virtutes, tot nos ſtellas cernere exiſtimemus, quæ ſplendore ſuo, quaſi prælatâ face, viam immortalitatis oſtendunt. Totam igitur ipſius immaculatæ vitæ ſeriem operationeſque tàm contemplatiuas quàm actiuas, veluti luci diſſimum ſpeculum nobis ob oculos proponamus: ad eamque morum ipſius integritatem, totam vitam noſtrã conformemus. Audiamus S. Hildephonſum Archiep. Tolet. ſerm. 3. de Aſſumpt. ad hanc eius imitationem Virgines exhortantem: *Habetis ergo Virgines egregij magiſterij, formam, habetis exemplar in ea perfectæ Virginitatis. Ecce via qua pergere debetis, ecce beatitudo, & gloria, ad quam peruenire vultis. Illuc indeſinenter votis, & deſiderio anhelare oportet, vt ad ea quandoque feliciter perueniatis.* Sic ille. Properemus poſt eã alacriter. Præceſſit illa nos magnis paſſibus quaſi generoſiſſima Heroina, antiquorum Patrum exemplis, velut calceamẽtis induta. Cuius heroicos greſſus admirans ſponſus admirabũdus canebat: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis!* Cant. 7. eamdem magno, generoſoque animo hilares ſubſequamur. Et quia poſt Heroinam hanc quæ Gigantem illum immenſum, nempe Dei filium peperit, de quo canebat Dauid; *Exultauit vt Gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius; currimus.* Dicat vnuſquiſque noſtrum ſuæ debilitatis, ignauieque conſcius cum imperfectis illis adoleſcentulis: *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Exhortatio ad imitationem virtutũ B. Virginis.

52. Et ne præ laſſitudine deliquium aliquod animi patiamur, eius Nomine


velut odorato balsamo, oleouè aromatico ad vires roborandas vtamur, dicamusque cum eisdem: *Oleum effusum Nomẽ tuum.* O' quam præclarè Alanus de hoc Nomine Virgineo. *Eleganter,* inquit, *fama, & gloria Nominis eius oleo effuso comparatur. Oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit. Sic & in laude Virginis reficimur, exemplo eius ad virtutem medicamina, aduersitatibus fessi eius patientiâ recreamur, vitæ eius forma illustramur. Nominis fama diffunditur, & non solum oleo, sed & oleo effuso Nomen eius comparatur. Quia sicut oleum effusum magis redolet; sic quanto magis Nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur.*

Encomium Nominis B. V.M.

53. De hoc augustissimo Virginis Deiparæ Nomine, quod nos in via Diuini obsequij proficiscentes, ac desudãtes, lassosque recreat, ac refocillat, præclarè quoque disseruit sapientissimus Idiota in Contempl. de B.V. cap. 5. *Non est,* inquiens, *in vllo alio Nomine post Nomen superbenedicti filij tui tam potens adiutorium, nec est vllum aliud Nomen datum sub cælo hominibus post dulce Nomen IESV, ex quo tanta salus hominibus refundatur. Quia super omnia sanctorum Nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, iugumque extrudit, excutitque Diaboli.* Vim, ac exergiam roborantem ac recreatam huius Nominis expertus in huius peregrinationis via Bernardus in sua ad B.V. orat. exclamauit: *O' magna, ò pia, ò multum amabilis Maria, tu nec nominari potes quin accendas, nec cogitari quin recrees, affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine tibi insita memoriæ postas ingredieris. Et nunc sequimur te: (vtpote viæ nostræ Ducem:) ex totis præcordijs vociferantes ad te: Aufer imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum.* Sic igitur nobis dulcissimum hoc, Virgineumq; Nomen in hac salebrosa, difficillimaque via ad immortalitatem, beatitatemque sempiternam, velut myrothecium, cuius odore vitales, animalesque Spiritus restaurentur, sit mel, ac lac, quo exhaustæ vires recreentur. Sit nobis stella, quæ luce suâ viam nostram in cælum dirigat. Hanc enim ob causam appellatur Illuminatrix, vt tenebricosas huius vitę vias suæ gratiæ splendore irradiet. Audi B. Alber. Mag. super Missus; *Maria interpratatur, Illuminatrix, si ergo circumdatus es tenebris, & absconditа est tibi via, respice ad Illuminatricem, voca Mariam. Hæc est enim mulier, quam vidit in cælo Ioannes, amictam Sole, Luna calceatam, duodecim stellis coronatam.* Quis quæso in tanta luce cæcutiat, cuius oculus caliget, atque obfuscetur? In Nomen hoc ergo tanquam in lucidissimam stellam ò viator ad cælestem patriam defige obtutus. *Hanc sequens,* vt loquitur Bern. ser. 2. super Missus, *non deuias, ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis.* Atque ita verè intelliges viam hanc ad cælum quantumuis arduam, quantumuis salebrosam, ac difficilem viam esse patrocinio, auxilioque Deiparæ, quæ Terra lacte, & melle manans à S. Augu. appellatur, viam, in quam, lacteam, melleamque ad æternam illam beatissimorum Heroum de mundo, carne, Sathanaque triumphantium requiem, quæ post DEVM ipsa est Virgo, deducentem. Quemadmodum enim illa Dei filij requies, à B. Hesychio sic & omnium sanctorum iure merito appellanda est; in qua vt tandem aliquando post exantlatos huius vitæ labores, ac ærumnas æternum conquiescamus, nobis omnibus viribus connitendum est.

Nomẽ B.V. super omnia sanctorum Nomina reficit lassos.

B.V. est nobis in hac vitæ via Myrothecium.



DISCVRSVS XXXII.

Quod B. Virgo Deipara Zodiaci Circulum repræsentet.

I.



VEnerabilis Richardus à S. Laurentio libr. 7. de laud. B.V. cum varijs argumentis comprobasset Cælum quoddam animatum esse Deiparam, ostendit tandem illam quoque pulcherrimum eiusdem cæli esse Circulum 12. signis insignitum, quem vocamus Zodiacum. Idque sane iure merito. Quemadmodum enim Circulus hic est solius solis domicilium, intra quod exspatians inferioribus lumen, vitamque communicat: Sic Virgo nostra sempiterni solis iustitiæ pulcherrima quædam est Regia, vt eam B. Andreas Cretensis appellauit, quam Dei Filius, per Humanitatis nostræ assumptionem inhabitando, mentium nostrarum tenebras irradiauit, vitamque mortalium, scelere protoplastorum deperditam reparauit. Vnde Circulus ille Zodiacus à ζωή, id est, vitâ, teste Ioanne de sacro Bosco appellatus est, eo quod secundum motum Planetarum, vt inquit ipse, sub illo est omnis vita, in rebus inferioribus. Quare iure merito Deiparam Circulum vitalem, lucem, calorem, vitâq; presertim spiritualem mortalibus egris communicante vocitare possumus. Ipsa enim longè potiori iure, quam Eua Mater viuentium, siquidem vitam gratiæ nobis peperit, appellanda est. Quod intelligens Damasc. orat. 2. de Dormit. Deip. sic Protoplastos Virginem alloquẽtes introducit: *Tu sanguis noster ô beata Filia, nostrum soluisti nefas: Tu fragile ex nobis corpus immortalitatis sortita, immortale nobis peperisti medicamentum. Tu ex nostris lumbis Esse accipiens, benè Esse retulisti. Mortis leges, dolorum variorum series euertisti. Otium, pacemque nobis pristinam restituisti. Nos cæli Ianuas clausimus, tu reserasti. Per nos, & ex nobis luctuosa mundo sunt orta. Per te verò ex luctuosis aurea sęcula redierunt.*

B.V. Circulus vitalis vitam omnibus communicans.

Vitalem Circulum, à quo ceu fonte vita promanat, agnouit Deiparam B. Andreas Cretensis orat. 2. de Dormit. eam nobis quasi intento digito demonstrãs: *Ecce fons immortalitatis, qui non potest exinaniri, venite qui morte affecti estis, haurite. Ecce vitæ fluuij perennes, adeste omnes, efficiamini immortales.*

Per B. V. ex luctuosis sæculis aurea redierunt.

B.V. fons immortalitatis, qui exinamiri nõ potest.

2. Solis Vitalem Circulum agnouit esse Deiparam Ord. Seraphici Ioannes Hondemius Anglus, dum ita de tribus Regibus ad Christum Solem iustitiæ in sinu Virginis degentem aduenientibus, modulatus est:

Sol sublimis in Sphæræ gremio
Ad se Reges conducit radio
Trinitatis, & in mysterio
Trini doni datur oblatio.
Solis huius Sphæram conspexeris,
Virginalem Matrem si videris,
Digna Sphæra prædigni syderis
Hora nobis aspira funeris.

Vitam porrò hanc per Virginem Deiparam, habitante in ea sole illo sempiterno, mortalibus restituendum, non modo Protoplasti, verumetiam plurimi illius primi sęculi Patres agnouere. Rem mirabilem narrat Ioannes Genebrardus de Adami Filio Seth, libr. 31. Chronic. Belgij cap. 26. An. 1374. quam ego totidem ipsius verbis referam. *Cum Latroni, Saraceni, & Christiani iussu Sybyllæ Reginæ Hungariæ, de licentia Soldani Babyloniæ foderent in valle Iosaphat, inuenerunt tumulum de lateribus compositum, & aperientes inuenerunt cadauer miræ magnitudinis integrum, cum barba prolixa, & capillis maximis, in pellibus ouinis, & integris sepultum: & super capite eius inuenerunt tabulam, in qua literis concauatis ad modum sigilli Hebraicè inscriptum fuit sic: Ego Seth tertiogenitus filius. Adæ credo in IESVM Christum Filium Dei, & in Mariam Virginem Matrem eius, de lumbis meis venturam.* Sic ille. Iste nimirum est Seth ille, qui genuit Enos velut bona arbor bonum

Seth & alij veteres Patres per Christum & B. V. vitam hominibus restituendam agnouerunt.

num fructum. De illo enim legitur Gen. 4. 26. *Iste cœpit inuocare Nomen Domini, IESV*, videlicet mundi vitæ, ac Saluatoris, quem per parentis vtique reuelationem mundo, vitam, salutemque daturum olim intellexerat.

B.V. est lux viuifica.

2. Vitalis hic, Virgineusque Circulus non modo vitam, sed & lucem, caloremque hisce sublunaribus communicat: Ipsa enim vt ait S. Vicentius, est lux illa in primis mundi incunabulis à Deo condita, cum dixit: *Fiat lux, & facta est lux;* moxque vniuersum terrarum orbē, terrâ caligine coopertum detexit, atque illustrauit. Lucem hanc Deipara vel ipso suo Nomine suauissimo præfefert. Quid enim Mariam significat aliud quam stellam maris, quam Illuminatā, & Illuminatricem? Tanta tamque eximia lux est huiusce Virginis, vt ex illa Moyses splendorem illum suum, quo facies eius radiabat mutuare visus sit. Vnde B. Ephreem Syrus illam serm. de B.V. alloquens præclarissimis illis laudibus extollit: *Decus Aaron, splendor Moysis, omnium Sanctorum, ac Virginum Corona.* Mirum sanè est hoc elogium: *Splendor Moysis.* Cum splendor ille vt habetur Exo. 34. 29. originem traxerit: *Ex consortio sermonis Domini.* Verum quia potissimùm sermo ille circa Deiparam, eiusque dilectissimum versabatur Filium, ideo mirificis illis splendoribus perfundi meruit. Hoc sibi voluisse visus est S. Methodius Olympi, & Tyri Episcopus orat. in Hypap. cum ad Virginem conuersus sic eam est allocutus: *Nonnè Moyses ille magnus propter figuras intellectu difficiles, quæ te Virgo tangebant, diutius in monte commoratus est, vt ignota de te, ò Castissima, sacramenta edoceretur?* Quibus ex verbis colligimus sanctissimum illum Legislatorem, dum ex consortio Dominici sermonis sublimia mysteria Deiparæ perdiscit, tanto tamqua diuino splendore fuisse irradiatum, vt toto ore oculisque lux illa promicaret; ac proinde eximium illud lumen post DEVM ipsi Virgini acceptum referre debuisse.

Moyses cum Deo colloquens potissimum de B. V sermonem miscuisse creditur, vnde & fuit tā mirè illuminatus.

Moyses diutius in Monte cum Deo versatus vt ignota de B. V. Mysteria perdisceret.

4. Quam ob causam crediderim illam à B. Andrea Episcopo Cretensi orat. 2 de Dormit. *Fontem inexhaustum diuinarum illuminationum nuncupatam.* Quare præclarè S. Greg. Thaumat. serm. de Annunc. ipsam salutando dixit: *Aue gratia plena, fons lucis, quæ cunctos in ipsam credentes illuminat. Aue gratia plena intelligibilis solis oriens.* Hinc idem S. Methodius eam mundi Diem clarissimam appellauit: *Te*, inquiens, *Sanctissima Virgo tanquam die clarissima mundo affulgescentem, iustitiæque solem illum producente, odiosus tenebrarum horror depulsus est, vniuersusque terrarum orbis, veritatis purissimæ est luce perfusus.* Hinc Sapiens Idiota in Contempl. B.V. cap. 5. inter Nominis Mariani encomia illud reposuit non vulgare: *Nomen tuum super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, illuminat cæcos.* Quod sanè adumbrasse visa est Deipara in fauore illo exhibito Sponso suo Edmundo adolescenti castissimo, qui vt refert Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 68. dum ad lumen studeret, eidemque soporato ventus lumen extinxisset, mox vt à Somno fuit excitatus, Nomine B. Virginis inuocato statim lucerna accensa est. Dicere sanè poterat Adolescens hic dilectissimæ huic Sponsæ. *Quoniam illuminas lucernam meam Domina, Domina illumina tenebras meas.*

B.V. Fons inexhaustus Diuinarum Illuminationum.

B.V. Fons lucis, & Solis iustitiæ Oriens.

B.V. Mundi Dies est.

S. Edmundus dū ad lumen studeret, eique ventus Lucernam extinxisset, mox inuocato B. V. Nomine, accensa est.

5. Idem mentis lumen, caloremque quo mortales vegetantur, & in vita cōseruantur, à Deipara veluti Zodiaci Circulo diffudi luculenter testatur iam memoratus Sapientissimus Idiota in Prol. Contemplat. B.V. *Beatissima*, inquiens, *Virgo Maria sicut est omnium Regina, sic & omnium patrona, & Aduocata, & cura est illi de omnibus. Longè enim positos illuminat, radijs misericordiæ suæ: sibi propinquos, per specialem deuotionem, consolationis suauitate; præsentes sibi in patria excellentia gloriæ. Et sic non est qui se abscondat à calore eius, idest à charitate, & dilectione ipsius.* Agnouit Deiparam vitali luce, caloreque circumfusam vndique Angelus Politianus dum Hymno 1. ad B. V. sic in eius excurrit elogia:

Nemo se à luce, & calore B V. abscondere potest.

Tu stellis comam cingeris,
Tu lunam premis pedibus,
Te sole amictam candido,
Chori stupent Angelici.
Tu stella maris diceris,
Quæ nobis inter scopulos,
Inter obscuros turbines
Portam salutis indicas.
Repelle mentis tenebras,
Disrumpe cordis glatiem,
Nos sub tuum præsidium
Confugientes protege.

6. Et licet Deipara ex se tota vitalem hanc lucem, caloremque in res omnes sublunares, omnesque inferiores terræ diffundat partes, diffundere tamen potissimùm videtur, benignissimis illis,

illis, & pietate misericordiaque plenissimis suis oculis ceu geminis mundi luminaribus, de quibus potiori iure quam de Stiliconis possemus concinere cum Claud. lib. 3. de laud. Stil.

B. V. suo aspectu lucem mundo subministrat.

Non sic Virginibus flores, non frugibus imbres,
Prospera non fessis optantur flumina nautis,
Vt tuus aspectus populo.

Hinc Iacobus Bidermannus noster lib. I. Epig. 44. ait pro nostra cura solicitè excubante Virgine mundum gemino sole exornari; Vnde licet filius somno consopitus suos oculos, ceu soles abscondat, ipsa tamen vigilante, diem mundo deesse non posse, Sic enim ille:

Sedula quid motu cunabula Virgo fatigas,
Dum cadit in Pueri lumina bina sopor?
Parce suos orbi, Mater bona, tollere soles
Nullum aliunde potest orbis habere diem.
Imo potest. Pueri Virgo duo sydera claude;
Orbis habet soles te vigilante duos.

7. Aspectum hunc iucundissimum tantæ virtutis, ac exergiæ in illa agnoscens sponsus, rogabat, vt illos vitales ocellos, à se auerteret, & ad filios suos, quos illius tutelæ in hoc mundo commiserat, conuerteret, eaque pietatis opera, atque ad vitam sustendam necessaria ministeria, quæ olim sibi in hoc mundo degenti impenderat, in filiolos suos orphanos transferret: *Auerte*, inquiens, *oculos tuos a me quia ipsi me auolare fecerūt.* Cant. 6. 4. id est propter ipsos à te auolaui, vt auertas oculos tuos maternos à me, & eos ad meos filios cōuertas, materna eos teneritudine aspiciendo, & diligendo.

Christus Matrem rogat vt suos pios oculos ad miseros homines cōuertat.

8. O incredibilem Dei, Virginisque filij in nos benignitatem, ò immensam Diuini amoris in mortales flammam! O felices & ter beatos, qui in Parthenijs Sodalicijs sese Virginis obsequijs dedicarunt quos ipse supremus cælorum Rex Regum, Dominus, Dominantium dilectissimæ suæ Matri, tanto charitatis affectu commendare, eamq; rogare, vt eisdem pietatis officijs, vitæque sustentandæ adminiculis, quibus olim se, foueat, eosdemque benignitate plenissimis luminibus intueatur. Felices, inquam, huiusmodi cætus Parthenios, qui velut Zodiaci Circulo, tantæ Matris protectione pijssimâ, amplissimâque charitate ambiuntur, eisque virgineis oculis illis clementissimis, ea pietatis ministeria, quæ olim Dei filio in terris degenti, cumque hominibus conuersanti etiam ad vitam hanc corporalem tolerandam, exhibentur.

Sodaliū Parthenicorum quanta felicitas.

Sodales Parthenij protectione B. V. velut Circulo Zodiaci ambiuntur.

9. Hinc vbi legit vulgatus Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs*, legit alius. *Venter tuus sicut Zodiacus:* Quasi dicere voluisset: Tui ò Virgo spirituales filij, quos ad instar mundissimi tritici velut benedicta, fœcundaque terra, vno partu, germinādo saluatorem, protulisti, non solum eos vtero, sinuque protectionis tuæ foues, sed etiam velut Zodiaci Circulus, Sole iustitiæ irradiatus, ambis, benignissimisque tuis, vitalibusque influxibus, miros gratiæ ac virtutum effectus producis, efficisque reuera, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Licet enim Mater verissima cunctorum sis viuentium, peculiari tamen ratione Mater es pijssima eorum, qui in hiscé tibi Sodalicijs deseruientes suis sese totos, magnâ cum pietate mâciparunt obsequijs. Hos tu, velut vitæ Circulus, toto eorum vitæ decursu, ambis, protectioneque tuâ circumdas. Quare nil mirum in his Virgini sacratis contubernijs, velut Terris fructuosissimis Hortis amœnissimis, ac Paradisiacis, tot benignis, Virginei huius Circuli, influxibus vitalibus visitatis, pulcherrimos virtutum variarum flores, & vberrimos bonorum operum fructus, ingentem quoque auri, argentique lapidumque preciosissimorum vim, quam ego plurimorum meritorum, apud DEVM dixerim abundantiam, generari.

Sodalicia Parthenia sunt velut terræ vberes, ac fructuosę, quæ bonorū operum fructus producunt.

10. Hęc nimirum omnia sunt emissiones illæ sponsæ tantopere à cælesti sponso Cant. 4. celebratæ: *Emissiones tuæ Paradisus malorum Punicorum cum pomorū fructibus, cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloe, cum omnibus primis vnguentis.* Verè enim Congregationes hæ Parthenię, sunt ipsius Deiparæ emissiones, quas illa impetrando à filio gratiam, eamque in adolescentulos teneros, atque innocentes emittendo ex eis, & in eis plantat sibi Paradisum in terra, in quo & ipsa, & filius cum ipsa, mirificè tam suaui virtutum ceu florum odore, tantâ bonorum operum, ceu fructuum dulcissimorum vbertate, delectiātur. Hinc B. Theodoretus li. 3. in Cant. per Paradisum malorum punicorū non modo ipsius Virginis charitatem, sed & varios in Ecclesia ordines fraternâ charitate inter se coalitas significari censuit, quos verè emissiones Virginis esse dicimus, quia non modo Parthenia

Sodalicia Parthenia sunt B. Virginis emissiones.

Religiosi ordines sunt B. V. Emissiones.

eius

eius sodalitia, verum etiam omnes reliqui Religiosorum ordines; inter quos minima hæc nostra Societas Emissionẽ Virginis se esse syncerè fatetur, gloriaturque ab illa Ignatium Patriarcham sanctissimum in Spiritu eruditum, & ad omnem sanctitatem efformatum.

6. Ignatius à B.V. in Spiritum eruditus, & ad eã sanctitatem efformatus.

11. Et quia in his sacris cætibus, ceu hortis amœnissimis, variæ virtutes ceu flores, atque arbores salutiferæ reperiuntur, eas idem Theodoretus emissiones esse Virginis asseuerat. *Ideo*, inquiens, *Sponsę emissiones comparat sponsus Paradiso malorum Punicorũ, quia primo charitatis eius fructum admiratur, tum alijs quoque virtutum generibus ornatam dicit cum fructibus nucum:* Tum singillatim hos fructus specificat: *Cypri cum nardo. Cyprus est genus arboris, ex qua calidum conficitur oleũ. Nardus est aromatis genus odoratum, vnde oleum fit eiusdem nominis, idem quoque est calidum, corporisque curationibus accommodatum. Crocus etiam hoc Paradiso continetur. Egemus enim non solum calefacientibus nos, charitatẽque in nobis erga DEVM inflammantibus, sed refrigerantibus etiam, cupiditatesque immoderatas comprimentibus. Crocus enim refrigerãdi vim habet.* Hęc Theodoretus. Reliquarum arborum significata videri possunt apud Gilbertum ser. 36. in Cant. vbi eas emissiones, sponsæ virtutes esse ostẽdit.

Emissiones B.V. sunt variæ ipsius virtutes.

12. Guilelmus Abbas verò inter emissiones Virginis Deiparæ præcipuã, filij partum numerat, eoque innumeros filios spirituales editos memorat, quos ego non solum Religiosos sed et sodales Parthenios esse intelligo tanquam Virginei ventris fructus dulcissimos, atque charissimos: *Emissiones*, inquit ille, *fructus ex ea sunt emissi. Vnicus eius fructus est, qui ab efficacitate salutis dictus est IESVS. Sed in vno illo fructu multiplex est fructus. In vno saluatore omnium IESV, plurimos Maria peperit ad salutem. Pariendo vitam, multos peperit ad vitam. Eo ipso quod Mater est capitis, multorum membrorum Mater est. Mater Christi, Mater est membrorum Christi, quia caput, et corpus vnus est Christus. Corporaliter Caput pariendo, spiritualiter membra peperit. Vnde etiam Mater ab omnibus appellatur, & ab omnibus cultu debito vt Mater honoratur.* Hæc ille.

Vnicus fructus B.V. est IESVS ab efficacitate salutis sic dictus.

B.V. pariẽdo Christũ corporaliter velut caput nostrum, nos velut mẽbra spiritualiter generauit.

13. Ex quibus colligimus Deiparã Circulum esse Zodiacum, ac verè vitalem, siquidem tam multos in sibi consecratis Parthenijs cætibus ad vitã immortalem cum suo Vnigenito filios in lucem edidit. In quibus dum plurimas easque præclaras quotidie edit operationes, nouas rursus operatur Emissiones. Siquidem B. Alcuinus per emissiones significari ait *Virginis bonas operationes, quæ sunt Paradisus, idest, delectabiles, quia apud Hebræos Eden, Hortum deliciarum significat. Et quidem Paradisus Malorum Punicorum dicitur; Quia sicut Malum Punicum, exterius rubrum est, & in vno cortice multitudinẽ habet granorum: sic in Virgine multitudo bonarum operationum intra fidem Dominicæ passionis tenetur inclusa. Cum pomorum fructibus, hoc est, honestis, et pudicis eius locutionibus, ex quibus in mentes fidelium fructus informationis processit. Nempe Cyprus, significans virginitatem. Nardus veram charitatem. Crocus Diuinam sapientiam. Fistula, humilitatem, & patientiam. Cinnamomum internę contemplationis dulcedinem. Vniuersa ligna Libani, omnes alias virtutes, quę aliquod robur habent, & mẽtem spiritualiter dealbant. Myrrha significat carnis mortificationem: aloe, bonam operationem; Prima vnguenta, Spiritus S. dona.* Sic Alcuinus. Quę sane omnia cæli munera, licet fidelibus omnibus Virgo semper parata sit emittere, emittit tamen præcipuè suis clientulis in hiscè sodalitijs sibi deuotè seruientibus, eiusque veluti Zodiaci Circulus, vti diximus, vitam spiritualem, prę cæteris abundantius influit atque communicat.

Emissiones B.V. sunt bonæ ipsius operationes.

B.V. plurimas gratias præcipuè sodalibus Partheniis communicat.

14. Testis est huius vitalis influxus Deiparæ sacratissimæ Adolescens ille Parthenius, vt habetur ex Annuis Prouinciæ Peruanæ Coll. Guamangensis Ann. 1611. Hic cum annis 12. Diuam Matrem singulari in honore, & cultu habuisset, singulisque noctibus Sacellũ Virginis ingrederetur, inibiq; ad lucernam, magno pietatis sensu eidem preces persolueret, adfuit illi pijssima Dei Mater, iuuenisque pium hoc obsequiũ sine fructu abire non est passa. nam sese ipsi venusto, placidoque vultu visendam suauiter exhibens, vtpotè, quæ pulchra est amica, suauis, & decora, sicut Hierusalem, blandeque eundem alloquẽs ad vitam feliciorem inuitauit, vt quam hic in eius obsequijs viuens delibarat, abũdantius in cælesti patria haberet, eamdemque æuiternum perfrueretur.

Adolescenti Parthenio singulis noctibus Sacellum B.V. ingredienti, & oranti, apparet, eumque ad cęlum inuitat.

15. Expertus fuerat vitalem hunc gratiarum influxum P. Ioãnes à Campis Societatis nostræ, qui dum viueret, B.V. coroliam manibus gestabat assiduè, eãdemque magnâ pietate sæpius Virginẽ coronabat. Nullum diem Sabbathi abire vacuum sinebat, quin aliquã de Matre

tre misericordiæ historiam, aut exemplum, miro in eandem affectu, narraret. Vnde factum, vt sub mortem ab illa mirificè fuerit recreatus, diceretq; ad quédam ex adstantibus fuerit compulsus: *O si nosceres mi Pater quantum in morte afferat animo solatium, Deiparam singulari studio coluisse.*

16. Expertus est Pater Petrus de Anasco noster, eundem vitalem Deiparæ influxum, qui cum è lethali morbo esset depositus, recurrit ad Virgineum vitæ fontem Mariam, mox illa Infantem DEVM, sinu gestans, sese illi visendam exhibet, pristinamque valetudiné restituit. Nec contenta vitam restituisse corpori, vitam spiritualem siue restituere, siue conseruare cupiens animæ, monuit præcepitque, vt Societatem IESV ingrederetur. Ingressus est, & opitulante Deiparâ, magnas in religiosæ vitæ obseruantiâ, cultuque Virginis fecit profectus. Singulis diebus Sabbathi, quibus in honorem Patronæ suæ ieiunare consueuerat, semper singulare aliquod à Diuina Bonitate precibus Virginis impetrauit beneficium. Dicere consueuerat, tanti accepti memor beneficij. *Hæc Virgo me ad societatem adduxit, in eadem conseruauit.* Visam porro illam Infantuli IESV, eiusque Matris semel Imaginem, adeo altè menti impresserat, vt illi semper etiã morienti ob oculos versaretur, eorumque vitæ beatę influxus in morte expertus, ad eos clarè in cælis contemplãdos fuerit euocatus.

17. Expertus est Virginei huiuscè Zodiaci vitales influxus S. Aibertus qui centies quotidie in genua procubens Salutationem Angelicam concinebat Deiparæ. Quod pietatis officium quam gratum Dei parenti beneuolentissimæ acciderit, ipsa memorabili hoc facto comprobauit. Famebat aliquando Aibertus cum ecce tibi Virgo gloriosissima Virgineis choris comitata illi adfuit, panisque buccellam sacratissimis manibus in os dedit, adeoque saturum bolo illo vnico reddidit, vt 20. post annis nihil potus, duobus verò & 20. annis nihil cibi admiserit, vitamque vniuersam, cilicio à summo capitis, vsque ad imum pedis cõtectus, in magna carnis maceratione, transegerit. Tandem post tam diutinam, asperamq; quadragesimam ipso die Paschatis felicissimè ad felicissimam, immortalemque onustus meritis, vitam summâ animi voluptate transiuit. Atque ita re ipsa experiri meruit Deiparam Circulum esse vitalem, vitam in corpus, animamque influens, eandemque ad æternitatis, vitæque beatissimæ nunquam terminãdum Circulum perducens.

S. Aibertus centies quotidie in genua prouolutus Angelicam Salutatione B.V. dicebat.

B.V. Aiberto famescenti buccellã panis in os dat, qua accepta 22. Annis nil sibi potusq; sumpsit.

18. Quod si Zodiacum à Zodion, quod est animal deriuetur, rectè Zodiaci Circulum appellabimus Deiparam, eo quod quemadmodum ille 12. asterismis, varias animalium figuras, varias in hæc sublunaria effectus producentia in se circumfert: ita Virgo Deipara non modo illorum animalium, laude dignas proprietates, virtutesque atque influxus, verumetiam omnium creaturarum, etiam Angelicarum, & aliarum, quæ cęli, terræque ambitu continentur perfectiones complectitur, adeo vt quidam paruus Mundus, & epitome totius vniuersi esse videatur, vt ostendimus Prima Parte.

Zodiacus dictus ab animalibus, quæ in se repræsentat.

19. Has porro Animalium figuras ita repræsentat Zodiacus, vt si lineæ ad stellas, ex quibus animalia ipsa constãt, ducantur, aliqua ratione expressa videantur. Non enim tota ex puris stellis, vti nec reliqui Asterismi, sunt composita. Nam cum stellæ ex veterum nonnullorum Philosophorum opinione ignitæ sint naturæ, si totæ constellationes illæ, ex stellis coalescerent, rursus cęlum, velut Phaetonteo incendio conflagraturum arbitrabantur. Qua de re audiẽdus Manilius libr. 1. Astron. cap. 4. ad finem, vbi sic concinit:

Hæc igitur magno diuisas ęthere sedes
Signa tenent mundi, totum deducta per orbem.
Tu modo corporeis similes ne quęre figuras
Omniaque ęquali fulgentia membra colore.
Deficiat nihil, & vacuum qua lumine cesset
Non poterit mundus sufferre incendia tanta,
Omnia si plenis ardebunt sydera membris.
Quicquid subduxit flammis Natura, pepercit.
Succubitura oneri: formas distinguere tantum
Contenta, & stellis ostendere sydera certis.
Linea designat species, atque ignibus ignes
Respondent, media extremis, atque vltima summis.
Creduntur satis est, si se non omnia celant,
Præcipue medio cum Luna implebitur orbe,
Certa nitent mundo: cum Luna conditur omne
Stellarum vulgus fugiunt sine nomine signa,
Plura licet vacuo tunc cernere sydera cælo.

20. Quæ licet veterum opinio de ardore stellarum, vt & animalium Zodiaci, reliquarumque constellationum fabulosa sit; quatenus tamen Deiparam te-


repræsentant, metaphoricè veritatem ipsam nobis indicant. Cum enim pleraque hæc signa ardentissimam Virginis tam in DEVM, quam in proximum charitatem, aliasque virtutes tum Theologicas, tum Cardinales, ac Morales, eadem charitate formatas nobis ob oculos proponant, iure ignitis stellis constare ea signa asseuerare poterimus: cum S. Amadeus Lausan. Episcopus Hom. 2. de laud. B. V. de ea pronunciarit: *Rubet vt sphera ignea, vt Regis purpura, vt coccus bis tinctus, præferens claritatem Dei, & proximi*. Ob eundem hunc charitatis ardorem S. Hidelphonsus Archiep. Tolet. ser. 1. de Assumpt. ardenti illi Rubo Mosayco eandem comparauit: *quo nimirum Rubo*, inquiens, *incombusto manente, virginitatem B. Mariæ conseruatam credimus corde, confitemur ore; quoniam Spiritus S. quia DEVS ignis consumens est, totam inflammauit & incanduit, ita vt Mater fieret Christi, & Templum Diuinæ Maiestatis; cuius ignis præclarissimum est Symbolum*. Eodem sermone exhortans Virgines ad Matris Dei imitationem, sic loquitur: *Vnde quæso vos imitamini signaculum fidei vestræ Mariam beatam, quam velut ignis ferrum, Spiritus S. totam decoxit, incanduit, & igniuit, ita vt in ea Spiritus S. flamma videatur, nec sentiatur nisi tantum ignis amoris Dei, & hominum?* Sic Hildeph. Signa itaque non modo Zodiaci, verumetiam reliquæ cæli constellationes, vt ardentissimam Virginis in DEVM proximumque charitatem, aliasque ipsius virtutes, velut in imagine nobis exprimunt, merito eas ignitis stellis coaluisse pronunciare possumus, siquidem Virgo beatissima tantis, tamque mirificis semper diuini amoris incendijs æstuauit. Iam hæc Zodiaci signa quanam ratione Virginem repræsentent, videamus. De his Richar. à S. Laurentio lib. 7. de laud. B.V. scribit, ostenditque singillatim illa Deiparæ esse figuras, ac symbola. Nos quædam insigniora, omissis breuitatis amore, reliquis, persequemur.

B.V. tota Dei & proximi charitate ignita.

B.V. Rubebat charitate vt sphæra ignea.

B.V. Rubus incombustus per charitatem.





DISCVRSVS XXXIII.

Quod B. Virgo Deipara Signum Virginis repræsentet.

1.



Virgo illa in Circulo Zodiaci inter Leonem, Libramque constituta, à Poetis Astrea Iouis, Themidisque vocatur filia, quæ aureo cælitus in hasce terras demissa sæculo, cum mortalibus suauissimè conuixit, donec tandem ferreo adueniente, flagitijs, enormibusque mortalium sceleribus offensa, ad cælos redijt; quam postea Iuppiter, ob ipsius præclara merita inter sydera collocauit. Rem gestã describit Ouid. lib. 1. Metam. vbi de ferrea illa ætate, infelicique agens sæculo sic canit:

Astrea Iouis & Themidis Filia.

Sæculum ferreum quale?

De duro est vltima ferro.
Protinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas; fugere pudor, verumque, fidesque
In quorum subiere locum, fraudesque, doliqueque,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi.
Vela dabant ventis, nec adhuc benè nouerat illas
Nauita, quoque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultauere carinæ.
Communemque prius, ceu lumina solis, & auræ
Cautus humum, longo signauit limite mensor.
Nec tantùm segetes, alimentaque debita diues
Poscebatur humus; seditum est in viscera terræ.
Quasque recondiderat, stygijsque admouerat vmbris
Effodiuntur opes irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum quod pugnat vtroque,
Sanguineâque manu crepitantia cõcutit arma.
Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Nec Socer, à genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir coniugis; illa mariti,
Lurida terribiles miscent acomita nouercæ;
Filius ante diem patrios inquirit in annos:
Victa iacet pietas, & Virgo cæde madentes
Vltima cælestum terras Astræa reliquit.

2. Alij denique, vt Virgilius libr. 2. Georg. cælestem illam Virginem Erigonem vocauere, quæ deorum miseratione inter sydera translata fuit. Eius nomen interpratans Goropius Becanus ait significare Matrem matutini temporis. Quod nomen nemini sanè melius, quam Diuæ Virgini Deiparæ conuenit. Illa enim pariendo lucem illam veram, quæ fugatis obscurissimis peccatorum tenebris diem lucidissimum nobis gratiæ aduexit, omnemque hominem venientem in hunc mundum illuminauit, reuera Mater matutini temporis euasit, quam etiam pulchrè Filia illa Iobi Dies appellata, figurauit. Eadem hæc Astræa dicta fuit Iustitia, quæ virtus, ipsâ in terris regnante, in flore extitit, recedente verò penitus extincta fuit. Vnde Francus.

Erigone interpretatur Mater Matutini tẽporis.

B. V. per Filiã Iobi, quæ Dies vocabatur Significata.

Pro Superi extinctam, rediuiuam reddite primùm
Astræam, terrisque resuscitate sepultam.

3. Virgo hæc Pietas à Papinio Statio libr. 3. syluarum, quod illâ in terris degente sceptrumque moderante virtus hæc summopere floruerit vocitata est. Sic enim illam alloquitur:

Summa DEVM Pietas viuis gratissima cælo
Rara profanatas inspectant Numina terras
Huc vittata comam, niueoque insignis amictu
Qualis adhuc præsens; nullaque expulsa nocentum
Fraude, rudes populos, atque aurea regna tenebat.

De eadem Seneca in Octauia:

Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum, & cruentâ cæde pollutas manus
Astræa Virgo syderum magnum decus.

Astræam hanc Carolus Stephanus in suo Dictionario Historipolitico scribit ideo in cælum assumptam fuisse, & in Zodiaco inter Leonem, & Libram locatam, quod Dijs fauisset, aduersus Patrẽ.

4. Verum inter omnes de Astrea Virgine tractauit elegantissimè Lactantius Firmianus libro 5. de Iustitia ad Constantinum Imperatorem Magnum, vbi ita loquitur: Iustitia est ipsa Summa virtus, quam non modo Philosophi quæsierunt, sed Poetæ quoque, qui, & priores multo fuerunt, & ante natum Philosophiæ nomen pro Sapientibus habebantur. Hi plane intellexerunt abesse hanc à rebus humanis, eamque finxerunt offensam vitijs hominum, cessisse terrâ, in cælumque migrasse. Atque, vt doceant quid sit rectè viuere (solent enim præcepta per ambages dare, à Saturni temporibus, quæ illi vocant aurea) repetunt exempla iustitiæ, narrantque in quo statu fuerit humana vita, dum illa in terra moraretur. Quod quidem non pro Poetica fictione, sed pro vero habendum est. Saturno enim regnante, nondum Deorum cultibus institutis, nec adhuc vllâ gente ad Diuinitatis opinionem consecrata, DEVS vtique colebatur. Et ideo non erant neque dissensiones, neque inimicitiæ, neque bella: Nondum vesanos rabies nudauerat enses, vt Germanicus Cæsar in Arateo loquitur Carmine. Nec consanguineis fuerat discordia nota. Imo nec alienigenis quidem, sed neque vlli omnino gladij, qui nudarentur fuerunt, aut de pernicie alterius cogitaret, cum nemo quidquam concupisceret? Malebant tenui contenti viuere cultu, vt Cicero in suo narrat, quod est proprium nostræ Religionis. Nec signare quidem aut partiri limite campum fas, erat: in medium quærebant. Quippe cum DEVS communem omnibus terram dedisset, vt communem degerent vitam; non vt rabida, & furens auaritia sibi omnia vindicaret, nec vlli deesset quod omnibus nasceretur. Quod Poetæ dictum sic accipi oportet, non vt existimemus nihil omnino tunc fuisse priuati, sed more Poetico figuratum, vt intelligamus tam liberales fuisse homines, vt natas sibi fruges non includerent, nec soli absconditis incubarent, sed pauperes ad communionem proprij laboris admitterent: Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant. Nec mirum cum promptuaria iustorum benignè pateret omnibus; nec auaritia intercipiens Diuina beneficia famem, sitimque vulgo faceret; sed omnes æqualiter abundarent; cum habentes mox habentibus largè copioseque donarent. Sed postquam Saturnus à Filio pulsus, in Latiũque delatus est Arma Iouis fugiens, & Regnis exul ademptis. Cum iam populus, vel noui Regis metu, vel sua sponte deprauatus, DEVM colere desijsset, Regemque pro Deo cæpisset, cum ipse propemodum parricida exemplo ceteris fuisset ad violandam pietatem. Deseruit propere terras Iustitia Virgo. Sed non vt ait Cicero: Et Iouis in Regno, cælique in parte resedit. Quomodo enim poterat in eius. Regno residere, aut commorari, qui Patrem Regno pepulit, bello persecutus est, exulem toto orbe iactauit? Qui plura de Astrea volet, eundem Lactantium consulat. Sed ad lineam.

Laurentij Firmiani de Astrea opinio.

5. Nos Astream hanc siue Pietatem rectè dixerimus Virginem esse Deiparam, quæ vbi primùm in hanc lucẽ fuit edita, ferrea quæ tunc erant sæcula, prorsus in aurea commutauit, & velut noua lux, mortalium atrocissima scelera, quibus, ceu tenebris Cimmenijs orbis obuolutus iacebat, profligauit. Hæc illam non tam ad fugam, ex hoc orbe, quam ad suum maturandum ad nos aduentũ; non ad indignationẽ, sed potius ad commiserationem permouerunt. Vnde, vt de reliquis, ipsius aduentu mundo collatis beneficijs taceam, altissimè pace, bonorum omnium nutrice, quandiu nobiscum vixit, orbis vniuersus est perfruitus, vt benè Sanctus obseruauit Amadæus Hom. 7. de laud. B. V. *Tot*, inquiens, *tantisque bonis exuberans Sponsa, Sponsi Mater vnici, suauis, & charissima in delicijs, vt fons hortorum rationabilium, & puteus aquarum viuentium, & viuificantium, quæ fluunt impetu de Libano, à monte Sion, vsque ad circumfusas quasque, & exteras nationes, pacis flumina, & gratiarum emanationes cælita infusione deriuabat. Vnde Beatus Dauid cum de Filio eius Domino nostro loqueretur: Erit, inquiens, in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, aptè de illa mox intulit: Donec auferatur Luna. Luna ipsa est, quæ cælo, terrisque irradians, astris Sanctorum longè superior coruscat. Donec, inquit, auferatur Luna, quæ eleuato Sole iustitiæ, stetit in ordine suo, dum primæ primitiuorum infulsit Ecclesiæ. Tradit fides maiorum iuxta veritatem historiæ abortu Saluatoris, vsque ad transitum Gloriosæ, terrarum accolas, sopitâ armorum rabie, continua, ac tranquillâ pace quieuisse*. Sic ille de pace aurei sæculi, fructu planè præcipuo, quem Virgo suâ præsentiâ peperit, at-

B. V. vera est Astrea & vera Pietas.

Dum B. V. vixit in terris mundus pace altissima fruebatur.

Luna est B. V. in vitæ tenebris præ ceteris Sanctis nos illuminans.

que

que enutriuit, adeo vt verè de eius sæculo dicere possimus, quod de Aureo cecinit Ouid. 1 Metam.

Tunc non præcipites cingebant oppida fossæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi
Non galeæ, non ensis erat, sine militis vsu
Mollia securæ peragebant otia gentes.

6. Atque ita, vti diximus, aureum verè sæculum Virgo nostra vbi primum in lucem est edita, reduxisse, aureos Diuinæ gratiæ imbres, fælicius quam Minerua, velut alter Ioue genitus liber Pater, vt fabulantur Poetæ, de cælo orbi euocasse visa est; Miraculum hoc cecinit Claud. lib. 3. de laud. Stilic. quod sanè ad Virginem, eiusque in donis cælestibus profundendis, admirabilem liberalitatem paucis immutatis, aptari potest.

Nata B. V. aureus gratiarum imber pluit.

Minerua, & Bacchio nascente pluit imber aureus.

Auratos Rhodijs imbres, nascente Minerua
Indulsisse Iouem perhibent: Bacchoque paternũ
Iam pulsante femur mutatus palluit Hermus
In precium, votique famem passurus auari.
Ditabat rutilo quicquid Mida tangeret auro.
Fabula, seu verum canitur. tua copia vincit
Fontem Hermi, tactumque Midæ, pluuiasque Tonantis.
Obscurat veteres obscurabitque futuros
Par donis tua Virgo Manus.

B. V. est ipsa pietas, quia Pietatem, & Misericordiam increatam edidit.

7. Eadem Virgo nostra, Iustitia iure meritissimo, quemadmodum, & Astræa, appellanda est, siue pro virtute particulari, siue pro virtutum omnium collectione eam accipiamus vt Theologi consueuere. Licet enim Deipara sit verè ac vocetur Mater misericordiæ, quia filium visceribus pietatis, misericordiæque plenissimum, ipsamque Misericordiam nobis peperit, est tamen simul iustissima, quia eundem filium orbi edidit, qui, vt ait Apostolus, *factus est nobis Iustitia, & sanctificatio, & Redemptio*, euasitque Mater illius sempiterni Iudicis, qui de se ait; *Mihi vindictam, & ego retribuam*. Vnde Ioel cap. 3. de hac seuera Deiparæ contra peccatores iustitiã in extremo iudicij die vaticinatus est: *Sol, & Luna obtenebrati sunt, in Iudicio videlicet*. Hinc Haymo: *Sol Christus, & Luna B. V, stellæ sancti, lucem, idest serenitatem, & fauorem vultus sui retrahent à reprobis*.

B. V. in iudicio serenitatem vultus & fauorem à reprobis retrahet.

8. Virgo similiter nostra beatissima, Iustitiæ est, vt virtus hæc Generalis est, & reliquas omnes complectitur. In illa enim virtutes omnes tam Angelicæ Hierarchiæ, quam quorumcunque tandem Sanctorum, qui ab exordio sæculorum extitere, suum sibi fixere domicilium, adeo vt eam B. Chrysologus serm. 146. collegium sanctitatis vocitare nõ dubitauerit. Eusebius Emissenus ser de Ann. ait Deiparam in aduentu Angeli non fuisse solam, sed magno virtutum exercitu circumseptam. Guilelmus etiã Abbas Anglicanus elogium illud sponsi Cant. 1. Oculi tui columbarum considerans, sic loquitur: *Non ait, Columbæ, sed columbarum, multam scilicet simplicitatẽ, humilitatemque eius significans, vt in ea multorum virtus quasi aggregata videatur*. Hinc Richar. à S. Laur. lib. 10. de laud. B. V. illud Lunæ Eccli. 43. lib. ans elog um: *Vas castrorum in excelsis*, de Virgine sic exponit; *Maria*, inquit, *quæ pulchra dicitur, vt Luna, vas est vniuersale vniuersaliter habens, ac perfectè quicquid boni alij sancti habent particulariter. Vnde ei dicitur: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*. Prou. 31. Hinc B. Petrus Card. Damiani serm. 3. de Nat. B. V. *Quid mirum*, inquit, *si hæc ineffabilis Virgo, in suis laudibus modum humanæ vocis exsuperat, cùm & ipsam generis humani naturam excellẽtiam meritorum dignitate transcendat? Non excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non Iudex Apostolorum Senatus, Non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam Patrum huic Beatissimæ Virgini poterit comparari? Quid enim Sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius Diuinæ gratiæ charismate plena fuit? Sicut namque ab Angelo dum salutaretur audiuit: Aue gratia plena, Dominus tecum. Quid rogo vitium in eius mẽte, vel corpore vindicare sibi potuit locum, quæ ad instar cæli, plenitudini totius Diuinitatis meruit esse sacrariũ? In Christo enim vt ait Apostolus Col. 3 habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Nec mirum si cunctorum merita transcendat mortalium, quæ & ipsam super excedit celsitudinem Angelorum. Per hanc enim Beatissimam Virginem non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelicæ sublimitatis augetur Quia dum homo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat reparatur*. Hæc ille, simul radicem tantæ gratiæ virtutumque quasi intento digiti nobis indicans, verbi nimirum in suo purissimo vtero Incarnationem, Diuinissimique illius Spiritus virtutum omnium vberrimi fontis obumbrationem. Quod ipsum Diuus intelligens Athanasius ser. de Deip. *Ita Spiritus S inquit, descendit in Virginem, cum omnibus suis essentialibus virtuti-*

B. V. Iustitia ipsa est vt virtutes omnes continens.

B. V. Collegium est sãctitatis.

B. V. in aduẽtu Angeli nõ fuit sola sed exercitu quodam virtutũ circumseptã.

Nullus sanctorum B. V. in virtutibus & sanctitate cõferendus.

B. V. Plenitudinis totius Diuinitatis meruit esse sacrarium.

Per B. V. amissa olim vita hominibus redditur.

tutibus, quę illi per rationem principatus Diuini adsunt, imbuens eam in gratiâ, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus S. omnibus gratijs abundaret. Sanctus quoque Hieron. ser. de Assumpt. tanta virtute sanctitatisque gloriâ præditam fuisse Deiparam asserit, vt nil penitus in ea desiderari posse videretur: *Beatam Dei Genitricem,* inquit ille, *si diligentius inspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris glorięque, quod ex ea non splendeat, & ideo bene circumdant eam flores rosarum, & lilia conuallium, vt virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur.*

In B.V. resplendent omnes gratiæ, ac virtutes.

De eadem virtutum plenitudine S. Ambr. lib. 2. de Virgin. *Maria sic implebat omnium virtutum officia, vt non tam disceret, quam doceret. Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium esset disciplina; Quantę in vna Virgine species virtutum emicant?* &cet.

Mariæ vita omnium est disciplina.

Sanctus denique Damascenus lib. 4. de fide Orthod. cap. 15. Deiparam in sancta sanctorum commorantem mirificos in sanctitate, virtutumque omnium collectione fecisse progressus asseuerat: *Maria*, inquiens, *ad Templum adducitur, atque deinde in domo Dei plantata, atque per spiritum saginata, instar oliuę fructiferę, virtutum omnium domicilium efficitur, vt quę videlicet, ab omni huiusce vitę, & carnis concupiscentia mentem abstraxisset.* Ad hunc igitur modum sanctitatem cōsectata, sanctumque, & admirabile, ac summo Deo dignum Templum extitit.

B. V. in Templo Dei virtutum omnium domicilium effecta.

9. Ex his facile perspicimus, Iustitiæ quoque, hoc est, virtutum omnium collegij nomen Virgini nostræ conuenire, ac proinde veram esse cælestem illam Virginem Astræam, imo illa longè excellentiorem. Siquidem dum sol Virgineum illud signum ingreditur, terra nullos producit fructus, cum Virgo per se sit sterilis. At verò Virgo nostra licet ab ineunte ætate, virtutibus omnibus fuerit fœcundissima, posteaquam tamē sempiternus ille iustitiæ sol in eam est ingressus, abundantioribus diuinissimi Spiritus perfusa charismatis, & in se lōgè gratijs fœcundior extitit, virtutesq; illæ absolutissimam sortitæ sunt perfectionem, ac demum de plenitudine eius virtutum, ceu vberrimorum fructuum totus orbis communicauit. Hanc virtutum fœcunditatem B. Petrus Card. Damian. serm. de Assumpt. agnoscens, postquam dixit Deiparam Virgulam esse fumi compositam, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, mox hæc attexuit: *Vniuersus ergo puluis pigmentarius in Virgine coniectus est, quia in ea virtutum conuentus, reuerendum sibi thalamum consecrauit, etsi cæteris per partes Spiritus affuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratię superuenit.* De hac gratiarum omnium donorumque cælestium, ceu fluminum in Virgineum hoc Mare confluxu præclarè lusit Bernardus Bahusius noster lib. 1. Epigram.

Sol iustitiæ in Virginem nostram ingressus terram omnibus gratiæ fructibus abundantem reddidit.

In B V. virtutum omnium est cōuentus.

Est locus in terris, liquor in quem puppifer omnis
Confluit, & laticum quicquid vbique natat.
Est in quam virtus, & Gratia confluit omnis
Et ditę dotes: hęc Maria, hę MARIA.

10. De eius porrò gratiarum cum alijs effusissima communicatione præclarè S. Bernardus ser. de Verb. Apocalyps. *Omnibus*, inquit, *misericordię sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, filij persona carnis substantiam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius. Putasné ipsa est sole amicta mulier?* Sic Bernar. Imo verò dixerim ego, illâ, eiusque carne, ceu tenui, roscida, ac fœcunda nubeculâ æternum illum solem fuisse circumdatum, nobisque aurea sæcula, veris temperiem quandam assiduam, cum omnium spiritualium fructuum vbertate, reuexisse, itaut de fœlicissimo illo, quo Beata Virgo nostra exorta est sęculo canere iure possimus, quod de Aureo illo antiquo modulatus est Ouid. 1. Metam.

B. V. sua carne velut roscida nubecula solem iustitiæ circumdedit.

Ver erat ęternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores,
Non etiam fruges tellus inarata ferebat;
Nec renouatus ager, grauidis carebat aristis,
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaque de viridi stillabant Ilice mella.

11. Sic etiam de Stiliconis felicissimo consulatu canens Claudianus, vt ostenderet quanta prosperitas, rerumque omnium abundantia, eo Rempublicā administrante, esset futura, ait solem speluncam adijsse Temporis, atque Aeternitatis, simulque rogasse, vt Consulatus Principis illius fortissimi, temporibus faustissimis, Aurea reducerentur sæcula, verque placidissimum cum omnium fructuum abundantia regnaret; Qui cæli fauor cum insigni elegantia descriptus sit à Poeta, longeque aptius transferri possit in ætatem illam, qua

B.V. nascēte aurea sæcula & amœnissima tempora sunt renouata.

qua in lucem edita est Deipara, hic eũ totidem verbis adscribere libuit. Sic igitur Stiliconem alloquitur:

Sol ipse quadrigis
Vere coronatis dignum tibi præparat annum.
Est ignota procul, nostræque imperuia menti
Vix adeunda DEIS, annorum squallida Mater
Immensi spelunca æui, quæ tempora vasto
Suppeditat, reuocatque sinu: complectitur antrum
Omnia, qui placido consumit Numine serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat; tacito relegens exordia lapsu.
Vestibuli custos vultu longæua decoro
Ante fores Natura sedet, cunctisque volentes
Dependent membris animæ. Mansura verendus
Scribit iura Senex, numeros, qui diuidit astris,
Et cursus, stabilesque moras, quibus omnia viuunt,
Ac pereunt; fixis cum legibus ille recenset,
Incertum quid Martis iter, certumq; Tonantis,
Proficiat mundo, quid velox semita Lunæ
Pigraque Saturni, quantum Cytherea Sereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius erret,
Illius vt Titan ad limen constitit antri
Occurrit Natura potens, seniorque superbis
Canitiem inclinat radijs, tunc sponte reclusos
Laxauit postes Adamas. Penetrale profundum
Panditur, & sedes æuique arcana patescunt.
Hic habitant vario facies distincta metallo
Sæcula certa locis. Illic glomerantur ahena;
Hic ferrata rigent. Illic argentea candent
Eximiâ regione domus. Contingere terris
Difficilis, stabat rutili grex aureus anni.
Quorum præcipuum precioso corpore Titan
Signandum Stiliconi legit, tunc imperat omnes
Pone sequi, dictisque simul compellat euntes:
En cui distulimus melioris sæcla metalli,
Consul adest. Ite optati mortalibus anni:
Diuite virtutes hominum; flores citer rursus
Ingenijs, hilares Baccho, frugumque feraces,
Non inter geminos anguis glaciale Triones
Sibilet, immodica nec frigore sæuiat vrsa:
Non toruo fremat igne leo; nec brachia Cancri
Vrat atrox æstas, madidæ nec prodigus vrnæ
Semina prærupto dissoluat Aquarius imbre.
Phryxæus roseo producat fertile Cornu
Per Aries; pingues nec grandine tundat oliuas
Scorpius, Autumni maturet germina Virgo.
Lenior, & grauidis allatret Syrius vuis.
Sic fatus, croceis rorantes ignibus hortos
Ingreditur, vallemque suam, quam flammeus ambit
Natiuitas B. V. quam fœlix. *Riuus, & irriguis largum iubar ingerit herbis,*
Queis solis pascuntur equi: flagrantibus inde
Cæsariem sertis, & lactea lora, iubasque
Subligat Alipedum. gelidas hinc Lucifer ornat,
Hinc Aurora comas, iuxtaque arridet habenis
Aureus, & nomen prætendit Consulis Annus.

Quæ sanè omnia obsequia, felicissimo Natali Virginis nostræ die detulisse solem asseuerare possumus, siquidem adeo placida, ac fausta, atque opulenta tam in eius exortu, quam totius vitæ decursu orbi vniuerso fluxisse sæcula memorantur.

12. Virgo igitur nostra beatissima, licet sub sterili, & infœcundo Asterismo Virginis nata, Ver tamen lætissimũ bonorumque spiritualium copiâ fœcũdissimum, atque adeo vernum solem, florum suauitate, vbertate fructuum abundantem, Aureaque sæcula ex Aeternitatis, Temporisque antris extracta, reuehente, in orbem induxit; ostendens reuera se Astræam esse verissimam, eaque longè excellentiorem, siquidem Virgo permanens benedictum illũ ventris sui fructum edidit, in quo benedictæ sunt omnes generationes, innumerique spirituales filij cum ipsius Primogenito sunt precati. Hanc rerum tam disparium, & à sese quam longissimè dissitarum admirabilem contemplans combinationem, atque vnionem B. Card. Dam. serm. 3. de Nati. B.V. in illud prorupit epiphonema: O[a] *mirabiliter fœcunda Virginitas, quæ nouo, & inaudito miraculo, & Mater dici possit, & Virgo. Qui toto mundo non capitur, puellæ innuptæ membris infunditur. Sentiebat quidem pondera ventris, quæ pudorem non amiserat castitatis. Mirabatur partus insignia, quæ nulla viri nouerat contagia. Immensum concepit, æternum genuit, genitum antè sæcula parturiuit; qui sibi, & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus Virginitatis non abstulit natus. Qui antequam nasceretur talem creauit eam, vt ipse dignè nasci posset ex ea, de qua Dauid: Mater Sion dicet homo, & homo factus est ex eâ, & ipse fundauit eam Altissimus. Creatus est ex ea, quam creauit, portatus est manibus, quas formauit, suxit vbera, quæ repleuit; Puellæ confouebatur in gremio, quem vastissima cæli non recipit latitudo; puerilibus fascijs cingebatur, qui immensitatem orbis terræ pugillo complectitur. Matris parebat arbitrio; qui omnium rerum iura suo gubernat imperio, vagiebat in cunabulis; qui Angelorum gaudium erat in cælis, vilibus tegebatur crepundijs, qui electos suos stola induit immortalitatis, imperabat illi Puella, cui cuncta obtemperant, & obediunt elementa. Merito igitur B. M. dicitur Parens parentis, Oriens orientis, fons fontis viui, origo principij, quia ille ex ea prodijt, per materiam carnis, qui* caput

B.V. non sterilis est, sed fœcunda, quæ benedictum illum ventris sui fructum edens. plurimos spirituales filios generauit.

Virginitas B. V. quam admirabilis, & incomprehensibilis.

Christi Infantis immẽsitas.

Christus paruulus, qui omnia suo re...it impe... rio Mariæ parebat arbitrio.

caput est, & initium omnium rerum per essentiam Deitatis. Hæc est denique porta illa Ezechielis cap.44. semper clausa, & quidem ter clausa: Verè semper clausa, quia semper incorrupta. Incorrupta ante partum, incorrupta in partu, & post partum, concipiens virum, nesciens virum. Hæc est illa Mulier de qua Hier. 31. Fecit Dominus nouum super terram: Mulier circumdabit virum. Hæc Cardin. ex quibus, & nobilitas Virginis eiusque admirabilis incorruptio, & inaudita, ex tam Diuino fructu fœcunditas comprehenditur, Vnde iure merito illam, Astræa sterili, atque infœcunda, multis parasangis eminentiorem prædicamus.

Mirabilis in B.V.Virginitatis, & fœcunditatis Vnio.

13. Quam singularem eminentiam Virginitatisq; cum fœcunditate vnionē in Matre suscipiens filius aiebat: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra*, Cant.1. In quæ verba pulchrè sanè B.Rupertus Abbas: *Pulchra decore Virgineo, pulchra vnigenito filio. Taliter geminata nullius vnquam fuit, nullius vnquam erit pulchritudo.* Similiter Guilelmus Abbas Virginitatem, ac fœcunditatem, geminam Deiparæ à filio laudatam pulchritudinem esse dixit. Habet, inquiens, B.V. *pulchritudinem Virginitatis habet, & pulchritudinem fœcunditatis. Sola pulchra est, & flore simul, & fructu. Sola florem Virginitatis habet inter Matres, sola fructum fœcunditatis inter Virgines. Deflorantur aliæ vt fœcundentur, & in eis necessario flos virginitatis præmoritur ad fructum fœcunditatis. In sola verò Maria propter fructum non est præmortuus, sed miro, & excellenti modo factus est fructuosus, & sanctificatus est ex fructu ad perpetuitatem, & creuit ad venustatem. Et in alijs quidem fœminis pulchrior est flos, quam fructus. At in Matre Redemptoris, quæ sola habet fructum cum flore, multo speciosior laudabiliorque videtur esse fœcunditas, quam Virginitas, nisi forte quis dicat, quod pares sint, nec melior pulchriorue esse possit in ea virginalis fœcunditas, quam fœcunda virginitas: Ecce Virgo, ecce Mater, ecce ais pulchra.* Sic Guilelmus.

B.V. sola pulchra est flore simul, & fructu.

B.V. Flos virginitatis solus factus est mirabiliter fructuosus.

B.V. bis pulchra quia Virgo est, & Mater.

14. Quare iure merito S. Basilius Seleuciæ Archiep. orat. 39. excellentiā tantæ Virginis, Matrisque simul admiratus exclamauit: *O' Virginitas, per quam Angeli humanam gentem pridem auersati iure meritoque gestiunt ad hominum seruitium destinari, & exhilaratur Gabriel Diuini cōceptus nuntio sibi credito. Quare à gaudio, ac gratia salutationem auspicatur.* Sancta etiam Brigitta Virginitatem hanc admirabilem cum fœcunditate Diuinā sociatam in Virgine nostra contemplans, magno in eam pietatis ardens affectu, in illa prorupit verba, amore plenissima orat. 4. O' *Domina mea fœcundissima, & Virginissima V. Maria, benedictus sit venter tuus beatissimus, super omnes agros fructiferè germinantes. Quia sicut semen, quod cecidit in terram bonam, de se fructum affert possessori centesimum: Sic venter tuus ò Virgo fœcundissimus, benedictum fructum Deo Patri attulit plusquam millesimum. Et sicut ex fertili fructuum abundantiā agri Dominus gloriatur, auiculæque, & animalia delectanter pascuntur, sic ex benedicto fructu fertilis agri ventris tui, DEVS summè in cælo honoratur, Angeli gratulantur, homines que in terra largisluè viuunt, & sustentantur.*

Per fœcunditatem Virgineam Mariæ Angeli, qui prius hominem auersabantur gestiunt ad eiusdem seruitium.

M. fœcundissima, & Virginissima.

Vterus B.V velut ager fertilissimus Deo Patri attulit fructum plusquam millesimum.

15. Ad hanc Virginis nostræ mirificam ostendendam fœcunditatem crediderim, diuinā planè prouidentiā factum, atque ordinatum, vt Autumnali tempore, quo fructus omnes ac præsertim Botri vinearum maturuerunt, in lucem ederetur; cum illa terra sit promissionis, lacte ac melle manans, quæ ingentem illum, dulcissimumque Botrum protulit, de quo sponsa Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Audiendus de hoc argumento B.Petrus Card. Dam. serm.3. de Nat. B.V. vbi de felicissimo hoc Deiparæ toti terrarum orbi auspicatissimo loquens Genthliaco, sic ait: *Inter cuncta huius venerandæ solennitatis insignia, illud etiam non sine profundi causa mysterij contigisse creditur, vt Mater Domini sub ipso pene vindemiarum tempore nasceretur. Nunc quippe vinearum palmites prouentu onusti fructuum ab ima defluunt, nunc vuarum botri grauida maturitate turgescunt; nunc agricolarum spes, quę toto anni circulo suspensa fuerat, vberes transacti laboris se carpere fructus exultat; nunc arbores saporiferæ fructuū suauitate redolent, & poma, quæ acerbitate sua hominum gustus exasperauerant, grata maturitate demulcent. Sed per hæc exterius, quæ cernimus reflectere oculos ad interiora debemus. Vinea quippe Synogoga erat, quę legis, & Prophetarum dicta quasi plantaria ad proferendos fructus acceperat. Vnde per Prophetam dicitur Isa. 5. Vinea autem Domini Sabaoth domus Israel est. Et Psal.79. Vineam de Aegypto transtulit: Sicut autem vinearum fructus, toto anno expectatur, in solo vero Autumno colligitur, sic nimirum Redemptor noster, quem lex presignauerat, quem Prophetæ predixerant, quem sancti omnes ab Adam, vsque ad transactam quintam ætatem summo desiderio expectauerant, in solo Mariæ tempore venit, & tunc quasi vinum ex spiritualibus*

Cur B.V. Autumnali tempore sit nata.

Autumni descriptio.

Vinea est Synagoga.

vsus

vſus expreſſit. O' quanti hanc vindemiam aridis mentium faucibus ſitiebant ! ô quanti ad muſtum Euangelicæ gratiæ anhelabant ! Vnde Diſcipulis Veritas ait Luc. 10. Multi Prophetæ, Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, &c. De hac Vinea Sponſus Cant. 7. Mane ſurgamus ad Vineam, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica, &c. Ex quibus colligimus Virginem noſtram glorioſiſſimam ſimulque fœcundiſſimam longè præſtantiorem eſſe cæleſti illâ Virgine, qua nullum ex ſe fructum parere conſueuit.

16. Teſtatur hoc Olchor libro de Imaginibus cap. 7. M. S. citatus à Nouar. in Vmbra Virg. Excur. 147. vbi. Et Eroici Aſtrologi rem hanc confirmat teſtimonio. *Narrat*, inquiens, *Albumaſar*, libro 6. Introd. de Conſtell. Virginis, *ſcilicet quod Virgo ſit ſignum luminoſorum corporum, & talis figura attribuitur ei. Puella decora facie, Virgo honeſta, & munda, prolixos habens capillos, in manu habens ſpicas, & nutrit puerum, dans ei ad comendendum. Per quod deſcribitur Virgo Mater Chriſti, quæ eſt Mater immaculata, & omni pulchritudine decorata. Ipſa tenet ſpicas cæleſtium ſeminum, gratiarum ſcilicet, & virtutum ſuis dilectoribus tribuenda.* Idem hoc Albumazaris teſtimonium citat Rutilius Benzonius in Pſal. 86. cap. 31. dum probat ad Ethnicos, atque infideles Virgineæ gratiæ lumina ſeſe extendere, Aſtrologumque hunc repetente Theologum ex magna Virginis miſericordiâ euaſiſſe.

Deſcriptio Aſteriſmi Virginis.

Albumazaris teſtimoniũ de B.V.

17. Teſtatur idem Zeno Veronenſis Epiſcopus, & Martyr ſerm. 5. Aſtriſmum illum Virginis Virginem Dei Matrem adumbraſſe. *Leo noſter*, inquiens, *ſicut Geneſis proteſtatur, Leonis eſt catulus, qui ab hoc recumbans obdormiuit, vt vinceret mortem, ad hoc euigilauit, vt Beatæ reſurrectionis ſuæ in nos munus immortalitatis conferret; quem competenter ſequitur Virgo prænuncians Libram, vt noſceremus per Filium, qui incarnatus proceſſit ex Virgine, æquitatem iuſtitiamque illatam, quam qui conſtanter tenuerit, non dicam ſcorpionem, ſed ſicut Dominus ait, omnes ſerpentes illæſa planta calcabit.* Sic Zeno.

S. Zeno Epiſ. Veron. docet Aſteriſmum Virginis notare B.V. Mariam.

18. Eandem Virginem illam Aſtræam, pulcherrimam figuram typumque extitiſſe beatiſſimæ Virginis noſtræ Deiparæ, teſtatur etiam S. Antoninus Archiep. Florent. Par. 4. Tit. 15. cap. 21. ad finem; *Sol*, inquiens, *per Zodiacum diſcurrens, in ſigno Leonis eſt ardentiſſimus, & animalium corpora, nimio calore languida reddit. Sed ingrediens ſignum Virginis mitigatur: ita Sol iuſtitiæ DEVS noſter in veteri teſtamento erat vt Leo rugiens, Deus vltionũ, peccatores terribiliter puniens, vt patet exemplis in ſacris litteris, ſed feruentiſſimo amoris calore in Vterum Virginis intrans, factus eſt totus benignus, ſuauis, & humanus.* Sic ferè Antoninus.

Idem docet S. Antonin.

Poſtquam Sol iuſtitiæ ingreſſus eſt in Virginem, Leonis naturam exuit, & humanitatẽ induit.

19. Idem hoc teſtatur Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſ. Tract. 9. in in Magnificat: *Si Aſtrologia*, inquit, *potuit inueſtigare vmbraliter, & imperfectè Virginem beatam geſtare in gremio Puerum cælitus in ſigno Virginis, quem aliqui IESVM vocant, ſicut teſtis eſt Albumaſar, non abnegemus partum noſtræ Virginis, quia talis decet partus DEVM;*

20. Teſtatur denique Richar. à S. Laur. lib. 7. de Laud. B.V. qui poſtquam præmiſiſſet Zodiaci ſigna repræſentare Deiparam, tandem audit: *Signum Virginis, eſt bona ſterilitas, de qua dicitur Sap. 3. Felix ſterilis, & incoinquinata, &c. Sub hoc ſigno exorta eſt glorioſa Virgo noſtra, quæ prima nouit Virginitatem, & repudiauit virilis coitus fœcunditatem. Vnde dixit: Quoniam virum non cognoſco.*

Zodiaci ſigna repræſentant B. V.

21. Nec vacat myſterio, quod Aſteriſmus Virginis inter Leonem, & Libram collocatus ſit. Hic enim ſitus nobis clarè indicat Virginem Dei Matrem Mediatricem eſſe inter nos, & Leonem illum terribilem, de tribu Iuda tunc vel maximè, cùm in formidabili illo, extremoque iudicij die mortalium ſcelera æquiſſimâ iuſtitię ſuæ rigidiſſimę lance libraturus eſt. Tunc enim Virgo velut pientiſſima noſtra Mediatrix, velut fideliſſima Aduocata ſeſe ad interpellandum pro nobis, iuſtiſſimam ipſius indignationem, furoremue placatura interponet, noſque ante eiuſdem Tribunal ſiſtet, efficietque vt ad eius dexteram collocemur vt teſtatur hoc ſupra memoratus S. Baſilius Seleuciæ Archiep. orat. 39. vbi preces huiuſmodi ad Virginem effundendas hortatur. *Vinculo charitatis nobis inuicem colligati, tales ante Deiparam voces profundamus: O' Virgo Sanctiſſima; de qua qui cum laude grauiterque dixerit, non ille quidem à veritate aberrabit, ſed pro merito haud ſatisfecerit; ſupernè nos reſpice, eſto propitia, nunc quidem in pace nos rege: at ad Thronum Iudicis ſine pudore adductos, in ea ſtationes nos colloca, quæ eſt ad Filij tui dexteram, vt in ſublime rapiamur, & pari cum An-*

Cur ſignum Virginis ſit inter Leonẽ, & Libram collocatum?

In Iudicio B. V. apud Filiũ pro ſuis intercedit.

Roganda B. V. vt nos ſine pudore ad Thronum Filij adducat, & ad eius dexteram collocat.

gelis hymno, improcreabilem, eiusdemque Naturæ Trinitatem personemus, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto cognoscitur, & laudatur.

22. Quam porrò Virginis huius apud supernum Iudicem potens sit interpellatio, præ reliquis Sanctis, ostendit S. Antoninus Archiep. Flor. 4. Part. Tit. 15. cap. 17. §. 4. *Oratio*, inquiens, *Sanctorum non innititur alicui rei, ex parte sui, sed tantum misericordię, ex parte Dei. Oratio autem Virginis gratiæ Dei immititur iure naturali, & iustitiæ Euangelij. Nam Filius non tantum tenetur audire Matrem, sed, & obedire, iuxta illud Apostoli: Filij obedite parentibus vestris, quod est de iure naturæ.* Et paucis interpositis: *Oratio Deiparę erat nobilissimus orandi modus, tum quia impossibile erat eam non exaudiri, iuxta illud, quod in figura dixit Salomon Matri suæ 3. Reg. 1. cum aliquid petere vellet: Pete Mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem meam.* Quare Sapienter Hugo de S. Victore suadet omnibus: *Si pertimescis supplicaturus ad DEVM accedere, respice ad Mariam, non illic inuenis, quod timeas, genus tuum vides.* Hinc Guilelmus Episc. Parisiensis in sua Rhetor. docens qua ratione ad Deiparam instituenda sit oratio, sic eam alloquitur: *An frustra, & inaniter vocat te omnis Ecclesia Sanctorum, Aduocatam suam, & miserorum refugium? Absit à Matre Dei, quę fontem pietatis toti mundo peperit, vt cuiquam miserorum suę misericordiæ subuentionem vnquam deneget. Nulla creatura tot, & tanta, & talia impetrare posset apud benedictum Filium tuum miseris, quantum tu, apud ipsum impetras eisdem. In quo procul dubio non tanquam Ancillam, sed tanquam Matrem verissimam se honorat.*

Lux naturæ Christus obedire tenetur Matri Sanctissimæ.

Si timemus iram Iudicis, accedamus ad eius Matrem.

Non frustra vocat Ecclesia B. V. suam Aduocatam, & miserorũ refugium.

22. Quam verò gratum sit Virgini efficaxque nomen Aduocatę ad illam in vota nostra pertrahendam, ostensum fuit S. Gertrudi lib. 4. Reuel. cap. 53. Cùm enim die Natiuitati eius sacro caneretur: *Salue Regina*, & S. illa Virgo verbis illis: *Eia ergo. Aduocata nostra illos tuos, &c.* illam tanquam benignissimam Matrem in suum auxilium inuocaret, videbatur ipsa Mater inclyta velut funibus quibusdam validis tracta ad illam inclinari, ex quo intellexit, quod quoties aliquis ipsam suam Aduocatam cum deuotione nominando inuocat, per hoc nomen, Materna eius pietas in tantum commouentur, vt nullatenus se cohibere valeat, quin benignè precibus illius acclinetur. Vidit quoque eadem Sancta ad illa Verba: *Illos tuos misericordes oculos;* Beatissimam Virginem mentum Filij blandè tangentem, eumque terram versus ad nos inclinantem, simulque dicentem: *Isti sunt misericordissimi oculi mei, ad quos omnes me inuocantes salubriter possum inclinare, vnde & vberrimum fructum salutis ęternę consequentur.* Qua ex visione edocta est Gertrudis, vt saltem semel quotidie Matrem suam benignissimam verbis illis; *Eia ergo Aduocata;* inuocaret, certoque sibi persuaderet se in hora mortis non mediocre solatium obtenturã.

Nomen Aduocatæ, quã gratum sit B. V. ostensũ visione quãdã S. Gertrudi.

Qui B. V. tanquam suam Aduocatã dũ viuunt, inuocant, experientur in morte Solatium.

24. Expertus est hoc solatium benignissimæ Aduocatæ nostræ in præsentissimo salutis discrimine Adolescens ille Guilelmus Vidius; qui cum in Academia Cantabrigensi in Anglia dissolutius viueret, & cultui nihilominus Deiparæ addictus esset, tanto quadam nocte tremore, horroreque correptus, gelidoque sudore perfusus fuit, tantumque excitauit strepitum, vt socius quo cum dormiebat, miraretur, & conaretur, sed frustra, eum excitare. Adolescens tandem ad se reuersus, ait se ante summi Iudicis tribunal raptum, moxque petitam totius vitæ rationem. In qua reddenda, cum se miser expedire, præ angustijs animi minimè posset, ab ijs criminibus præsertim, quæ ei Dæmones opponebant, accuratèque scripta habebant; Tandem sententiâ latâ Iudicis, ad æternas Inferni pœnas abreptus est. Hic ille circumspiciens, vidit Virginem Deiparam cuius opem cum implorasset, eiusdem velut fidelissimæ Mediatricis, atque Aduocatę intercessione dimittitur. Nec vanum visum hoc fuisse patuit. Cum enim euigilasset, reperit in manu chartam, quæ grauiora vitæ suæ crimina continebat. Quare proximâ luce statim ea confessione expiauit, ac in posterum tam austerè vixit, vt omnes in stuporem adduceret. Ex M. S. Vaticano Anton. Balingen. in Kalend. B. V. 26. Febr.

Guilelmus Vidius ab æterna damnat. patrocinio B. V. liberatur.

25. Expertus est etiam hac nostra tempestate Virginem apud Filium Aduocatam quidam, vt habetur in Ann. 1610. Coll. Cordubensis, qui cum à spe nescio cuius boni deiectus esset, cum eadem etiam spem vitæ suæ decreuit abijcere. Itaque mœstus cum in Suburbano agro facimus meditaretur, in ea verba prorupit: *Vsque adeo ego miser, ab omnibus rebus destituor, vt ne Diabolus aliquis pręsto sit, qui laqueum ministret interituro,*

Viro

Homo desperatus à laqueo quem Dæmon illi ministrauit, ope B.V. liberatur.

Viro ille hæc absoluit, & iam collo in laqueum inserto in suspendium, imo ad supremi Iudicis tribunal trahitur, nemine vspiam parente. Sed ille cum rem serio iam agi sentiret, tum primum dirorum verborum cæpit pœnitere, & fidem Beatissimæ Virginis,toto mentis affectu inclamare. Nec frustra fuit. Nam constringentis laquei nodus illico laxatus, liberum eum permisit abire. Qui rectà ad Nostrum se contulit; rem omnem cum peccatis detexit, ac ne delirantis somnium putaret, laqueum ipsum ostendit. O' miram benignissimæ Virginis Aduocatæ nostræ apud supremum Iudicem vim, atque potentiam, quæ iam perditos, & laqueis, catenisque Tartareorum lictorum adstrictos, ab æterna morte nouit liberare!

26. Agnouit Gottfridus Cardinalis hanc Deiparæ vim apud districtum Iudicem illum, Leonemque plane terribilem de tribu Iuda tanquam Aduocatæ, ac Mediatricis, dum serm.8. laudes ipsius extollendo sic loquitur: *Hæ est c[illegible]i Angeli seruiunt, Archangeli famulantur, omnis etiam militia cælestis exercitus hanc Virginem laudat ac veneratur. Hæc sola post Deũ super omnes creaturas obtinet principatum. O' quam venerabilis, quam sublimis hæc beatissima Mater, cuius filius quamuis omnipotens DEVS sit, ei tamẽ nihil vnquam negare potuerit! Hæc Virgo tam sancta, tam gloriosa, tam honorata, à Deo tam sublimata, ita est humilis, ita compatiens, ita misericors, & pia, vt propter animam peccatricem, & iam pœnis deputatam æternis, seueritati districti Iudicis se opposuerit.* Idque probat exẽplo Theophili illius Alexandrini, qui abnegato Deo,datoque proprio chirographo sese Cacodæmoni,per summum nefas, liberâ voluntate mancipauerat, quem Virgo tamen pro singulari illâ sibi innatâ pietate, suis patrocinijs, precibusque apud filium, liberauit. Quare iure merito idem pijssimus in Virginẽ hanc Cardin. subtexuit: *Hæc post Filium suum est præcipuum refugium peccatoribus, quo lapsum fugiant, consilium vt pœniteant, auxilium, vt conuertantur, ne pereant. Nulla tam grauis est peccati vel criminis plaga, cuius non sit, si ipsa voluerit, medicina. Confessionem, & pœnitentiam in hominibus desiderat peccatorum, vt pro illis occasionem habeat deprecandi.* Huic igitur excellentissimę & pijssimæ Matri Domini semper Virgini Mariæ humiliter supplicantes, quod malè fecimus cõfiteri nullâ occasione differamus, vt per supplices illius preces nos, omnesque nostros actus Domino commendemus. Vtque nos ad patrocinium tantæ Virginis requirendum tãto efficacius hortetur, de vi, atq; exergia ipsius intercessionis, hæc adiungit:

B.V. ita pia & misericors est, vt propter animam peccatricem, & iam damnatum, æterno Iudici se opponat.

B.V. Confessione, & Pœnitentiam in hominibus desiderat, vt pro illis deprecandi habeat occasionem.

Beata Maria, Mater Virgo, & sponsa intacta pijssima, apud pijssimum filium suum obtinebit, vt nemo illorum pereat, pro quibus vel semel orauerit. Nec mirum, quia vniuersum suis precibus mundum saluare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro vniuerso mundo ad precandum esset paratissima, totusque mundus saluaretur, si precibus eius se faceret dignum. Hæc veracissimè apud omnipotentem filium, vt diximus orando potest quicquid desiderat; sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat. Pro quibus nullus Sanctus supplicare præsumit. Et cęteri quidem sancti Dominum DEVM orant, & orando impetrant. Sed honorabilis V. Maria, si illam ex eo, quod DEVS, & Dominus est, exorare merito creditur; ex eo tamen quod homo est, & natus ex ea, quasi quodam Matris imperio apud ipsam impetrare quæ qu[illegible]oluerit piâ fide non dubitatur.

B.V. apud filium obtinet, vt nemo illorum pereat, pro quibus vel semel orauerit.

B.V. pro illis qui semper peccare desiderant, nullatenus orat.

27. Quam porrò Virgo nostra clementissima preces supplicationesque nostras ad se delatas libenti acceptet animo, nosque contra Tartareos hostes tueatur, ne nos ad Inferos abripiant, cęlestis nobis insinuauit sponsus, dum Natum illius, Turri Libani respicienti contra Damascum comparauit. Cant. 7.4. Cuius comparationis causam dedit optimam Guilelmus Abbas: *Clemẽtia pię Matris*, inquiens, *quæ se propitiam petentibus exhibet insigniter hic commendatur. Naso quippe hauriuntur odores, quid autem preces piorum, nisi odores quosdam suauissimos dixerim? Vnde Ioann. Apoc. 5. cùm dixisset 24. seniores habere phialas aureas plenas odoramentorum, consequenter odoramenta exposuit, quæ sunt, inquit, preces sanctorum. Nasus itaque piæ Matris, præclara illa, cunctisque notissima est eius clementia, qua nimirum odores bonos attrahere, id est, pias ad se clamantium preces hilariter solet admittere, atque effectui mancipandos filio præsentare. Per Libanum qui candor, siue candidatio interpretatur, Ecclesia in sanguine Agni sponsi proprij candidata signatur. Quippe ad hoc Agnus occidi dignatus est, vt sanguine suo exhiberet sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam. Porro quia Diabolus tanquam Leo rugiens circumit quęrens, quem deuoret, candidatis suis fabricauit Turrim fortitudinis à facie inimici, turrim fiduciæ contra faciem Damasci, id est proprię Matris clementiam, il-*

Cur Natus B.V. Turri Libani respicienti contra Damascum comparetur.

Preces piorũ sunt odores quos B.V. sua clementia velut Naso excipit.

Libanus significat Ecclesiam sanguine Christi candidatam.

lis ad magnum certumque munimen attribuit. Hęc est ergo Turris Libani fortis, munitio candidatorum, ne quando dicat inimicus praualui aduersus eos, & denigraui nitorem eorum. Et turris ista non respicit Damascum, sed respicit contra Damascum. Respicit enim piè, quos respicit muniendos. Porrò pro his, quos piè respicit, toruo, & terribili oculo respicit contra Damascum, vt arceatur ab his quos illa tuendos suscepit. Sanè Damascus interpretatur sanguinis potus, vel sanguinis osculum. Vtrumque autem Diabolo conuenit. Ipse ergo est Damascus, contra quem pręclara illa Turris Libani respicit. Vtraque, inquam, huius nominis interpretatio Diabolo congruit, quia & sanguinem potat, & sanguinem osculatur, nempè ipse est sanguisuga, de qua Salomon Prou. 30. Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes affer, affer, sanguinem iugiter sitit, sanguinem insatiabiliter sugit, & nonnisi sanguine pascitur, qui solis hominum mortibus delectatur; mortes hominum summas delicias reputat, atque ideo perniciem hominibus machinari non cessat; ad aliud non vacat, ad aliud non intendit, totas in hoc artium suarum vires expendit; duabus maximè filiabus suis sibi iugiter cooperantibus, superbia, atque luxuriâ quarum vtraque dicit affer, affer. Nam vt superbia semper vult instaurari honores, quibus inaniter glorietur, & luxuria non vult interpolari voluptates, quibus turpiter delectatur. Iam multum quotidie sanguinis potat sanguisuga hæc, sed non satiatur, atque ideò sanguinem assiduè osculatur. Denique cum morte hominum fœdus iugiter innouat, dicens perditioni humanæ: Soror mea es, & perniciem hominum vocans amicam suam. Hæc Guilelmus ex quibus ferocissimos Leonis infernalis in miseros homines impetus, rabiemque inexplebilem, Virginisque clementiam in nobis contra eius furorem protegẽdis perspicimus. Quare per Leonem illum inter quem, & libram sese Virgo interponit, iure etiam Tartareum hostem intelligere possumus, quem Virgo animarum prædæ allidue, immaniterque inhiantem comprimit, eiusque omnes vires, roburque elidit.

B.V. tãquam turris arcet à nobis Diabolum.

Diabolus humanum sanguinem sitit, & sugit insatiabiliter.

Diabolus est sanguisuga insatiabilis.

Diaboli ferias.

28. Expertus est hoc patrocinium Deiparæ Miles ille, qui quod grandem cereum honori illius consecrasset rictũ Tartarei huius Leonis euasit. Rem totam recenset Ioãnes Herolt. in Mirac. B.V cap.49 Fuit hic Iuuenis varijs mũdi illecebris irretitus, pro quo Vxor cultui cæli Reginæ cæli addictissima crebras ad Patronam suam magnâ cum pietate fundebat preces, vt eum ad bonam frugem, viamq; rectam reuocaret. Nec irritæ deuotæ Coniugis apud B.V. cecidere preces. Nocte enim quadam sibi ante superni Iudicis Tribunal consistere sibi visus, coram quo ab Orci satellitibus de suis sceleribus conuictus, mox erat damnandus. Cum ecce Iudex, tota cælesti audiente curia, ob vxoris Matrem suam piè colentis merita, ad pietatem flexus: Estnè, inquit, hic aliquis sanctorum quem aliquo honore prosecutus est? Ad quem Misericordiæ Mater: Domine fili memini hũc in mei Nominis reuerentiam prægrandem obtulisse cereum, quapropter obsecro te vt coram oculis tuis inueniat misericordiam. Cui Filius: *Ob tuas, Mater mea, mihi gratissimas preces, omnia illi peccata indulgeo dummodo condignam agat pœnitentiam. Interim contra suos aduersarios eodem cereo velut lancea, & clypeo sese tueatur.* Quod & factum est. Cùm enim teterrimi illi Inferni Tenebriones eũ rapere, & ad Tartara deturbare conniterentur, apprehenso Miles sacro illo Virgini beatissimæ dedicato Cereo, sese aduersus furentium impetus viriliter, accerrimèq; defendit, ita vt largo sudore lectulus maderet, & in voces horribiles erumperet. Quibus excita Coniux ac consternata, causam tanti clamoris sudorisque sciscitata est. Cui cum Maritus totius rei seriem recensuisset, & illa vota, precesque suas ad Deiparam pro eius salute fusas edixisset, vnanimi consensu, opem præsentissimam Magnæ Dominæ experti, facultates vniuersas, Hospitali in honorem eiusdem Virginis pientissimæ ædificando impenderunt, in eoque degentes, sese totos Dei, eiusdemque Matris obsequijs, mira morum totiusque vitæ metamorphosi deuouerunt.

Cereus oblatus B.V. à quodam milite contra Dæmones eodem defenditur.

En vt Miles hic, patrocinante seseque interponente Virgine inter Leonem Tartareum, Libramq; ac stateram sempiterni Iudicis, modico erga Virginem cerei illius obsequio feralẽ eius rictum euadere meruit.

29. Hæc Virginis nostrę pientissimę apud supremum Iudicem, ad stygium illum compescendum Leonem, odoratis acceptatisque nostris precibus, velut suauissimis aromatis quam consueuerit esse potentia. B.Petrus Card. Damian. serm. 1. de Nat. B.V. ostendit, cùm eam velut potentissimam verbis i lis in suũ, omniumque nostrum auxilium aduocauit. *Reuertere reuertere Sulamitis, reuertere,*

tere, reuertere vt intueamur te. Cant.6. Reuertere, inquiens, *per potentiam. Fecit in te magna qui potens est, & data tibi est omnis potestas in cælo, & in terra. Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus reuocare? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto fæcis, & miseriæ subleuasti. Nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis releuare. Quomodo enim illa potestas tua potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua, carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud Aureum humanæ reconciliationis Altare, non solùm rogans, sed imperans, Domina non Ancilla. Moueat te natura, potentia moueat, quia quanto potentior, tanto misericordior esse debebis. Potestati enim cedit ad gloriam, iniurias vlcisci nolle cum possit. Reuertere per amorem. Scio Domina, quia benignissima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te filius tuus, & DEVS tuus summa dilectione dilexit. Quis scit, quoties refrigeras iram Iudicis, cum iustitiæ virtus à præsentia Deitatis egreditur? Reuertere denique per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, & sola electa es, cui gratia tanta conceditur. Absit vt cesset manus tua, cum occasionem quæras saluandi miseros, & misericordiam effundendi. Neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cùm pœnitentes adveniam, iustificati ad gloriam assumuntur.* Hæc Dam. quæ sanè Virginis nostræ, & singularem apud supremum Iudicem potestatem, & incredibilem in nos amorem, commiserationemque, intercessionis denique efficaciam ostendunt.

B.V. data est omnis potestas in cælo, & in terra.

B.V. Filius nil denegare potest.

Nihil est B. V. impossibile.

B V. benignissima est & amat nos inuincibili.

B.V. refrigerat iram Iudicis.

30. Audiamus hic sapientissimum, Virginisque addictissimum Idiotam in Prol. contempl. B.V. de hoc ipsius apud supremum Iudicem interpellationis officio atque potentia. *Ipsa est Aduocata nostra apud filium, sicut filius apud Patrem, imò apud Patrem, & filium procurat negotia, & petitiones nostras. Cæteri sancti iure quodam patrocinij pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in curia cælesti, quam pro alienis. Beatissima autem Virgo, sicut est omnium Regina, sic & omnium est patrona, & Aduocata, & cura illi est de omnibus.*

B.V. apud Patrem, & filiũ procurat negocia, & petitiones nostras.

31. Hinc B. Andr. Cretens. orat. 2. de Dormit. B.V. eam in cælos proficiscentem his vocibus, velut Aduocatam, prosecutus est: *Abi ergo, abi in pace; Placa Dominum pro communi figmento. Nam quandiu quidem versabaris in terra, te habuit parua terræ portio; Ex quo autem translata es è terra, te vniuersus orbis continet commune propitiatorium.*

B.V. cõmune est orbis propitiatorium.

32. Agnouit S. Bernardinus Senensis Tom.3. ser. 9. art.3. cap.2. Virginem nostram Mediatricem, atque Aduocatam clementissimam apud filium, adhuc dum in hac mortali vita peregrinaretur extitisse, cùm in Nuptijs Canæ pro pauperibus illis sponsis filium interpellauit: *Vinum*, inquiens, *non habent. Interpellans Virgo Mater locuta est*, inquit ille, *ac si ad eam cura omnium pertineret, & omnium hominum Aduocatam se sentiens, quæ pro omnibus creaturis cunctorum fuerat facta Mater, officium aduocationis, & piæ auxiliatricis assumpsit, cum videret inopiam. Ac si opus non sit eam precibus excitare, quæ omnem oculum suę pietatis in nos direxit, ac præsciens indigentiam nostram, & se cunctorum hominum Matrem pietatis agnoscens, solicita pro filijs, irrequisita etiam ad Dei filium intercessit. Si hoc fecit viatrix existens, quid iam cũ regnat in patria? Si hoc apud filium temporali morti subiectum, quid cum mortem superauit, carnemque immortalem reuocauit à tumulo, collocauit in cęlo, & paternā sedet ad dexteram, tenens imperium vniuersorum?*

In Nuptiis Canæ B V. filium interpellauit, ac si ad eum cura omnium pertineret.

B.V. omnem oculum suæ pietatis in nos dirigit.

33. Agnouit Mediatricem Aduocatamque nostram esse Virginem benignissimam apud iratum Iudicem S. Antoninus P.4. Tit. 15. cap. 14. §.7. Vbi Mariani Nominis literas mysteriaque ijs contenta ponderans, in vltima litera, nempe A. Aduocatam peccatorum constituit, cui proinde dicimus: *Eia ergo Aduocata nostra, & cet. Vt enim dicit Anselmus; Impossibile est quod illi, à quibus Virg. M. oculos misericordię suæ auertit, saluentur, ita necessarium, quod hi, ad quos conuertit oculos suos, pro eis aduocans, iustificentur, & glorificentur. Aduocatum habemus apud Patrem IESVM Christum iustum 1. Ioan. 2. qui etiam interpellat pro nobis ait Apostolus Rom. 8. sed quia non solum Aduocatus, sed & Iudex est cõstitutus viuorum, & mortuorum, cuncta vtique discussurus, ita vt nil inultum sit remansurum; Poterat fortè humana fragilitas, & præcipuè peccator, cum vix iustus, apud eum sit securus, ad eam accedere, tanquam Aduocatum, & pertimere. Et ideo piissimus DEVS prouidit nobis de Aduocata, quę tota mitis, & suauis est; Nihil in ea inuenitur asperum, nunquā ex ea processit verbum durum. Hęc est figurata illa Themitis mulier prudentissima, quæ ita sapienter apud Regem Dauid aduocauit, in causa Absolonis quam superbi, & fratricidæ exulis facti propter tantum scelus à Hierusalem, vt Patrem ad misericordiam erga filium permoue-*

Sicut impossibile est vt is, a quo auertit oculos B. V. saluetur, ita necessariũ vt is ad quem conuertit oculos suos, saluetur.

B.V. figurata Thecuitis pro nobis tāquam filiis prædictis interpellans.

mouerit, illumque ab exilio reuocandum induxerit. Sic Maria Virgo, pro mundo ipsi Deo rebellanti, & fratris sui, animi videlicet occisore propter quod exul à superna Hierusalem constituitur, ita aduocat, & interpellat, vt DEVM Patrem placet, & conuersum ad pœnitentiam ad gloriam introducat. Ad Thronum igitur eius, Virginem scilicet Mariam, in qua resedit, accedamus cum fiducia, vt misericordiam, & gratiam consequamur in tempore opportuno. In illa enim non solùm reperiuntur Dei perfectiones, vt omnipotentia, clementia, fortitudo, misericordia, & longanimitas, ac prouidentia, sed virtutes omnes reliquorum sanctorum, quibus Deo placuerunt. Hæc Anton.

B.V. Rhetoricæ, & Iuris ciuilis perita.

34. Quanta porrò sit huius Aduocatæ nostræ peritia, præclarè explicat idem S. Antoninus, cum Alberto Magno ca. 19. §. 2. vbi docet Deiparam artibus liberalibus, & præsertim Rhetoricâ fuisse instructissimam. Iura etiam Ciuilia, & Canonica, quæ scientia spectat ad Aduocatos, & Iudices, quam optimè calluit, vt patet per effectum Sapientia enim Aduocati atque eloquentia ex tribus manifestatur, si obtineat scilicet causam apud iustum, & sapientem Iudicem, contra aduersarium astutum, atque sagacem, ac demum in causa desperata. Sed Virgo Maria Aduocata nostra causam obtinuit apud sapientissimum, & iustissimum Iudicem DEVM, contra astutissimum aduersarium Diabolum. Euicit denique causam desperatissimam inter DEVM, & hominem, in qua nullus hominum loqui audebat, nec Moyses, qui dedit legem, nec ipse mortalium sapientissimus Salomon.

Sapientia aduocati, in quo cõsistat?

Quanta sit B.V. Aduocatæ nostræ potentia.

35. Qua in re Virgo nostra nõ modo admirabilem suam toti mundo ostendit sapientiam, verumetiam diuinam quandam potentiam. Quis enim ex his sæculi huius Aduocatis reum quempiam coniectum sceleris, mortisque reum, à supplicio, iam Iudicis sententiâ, virgæque fractione, constituto, liberare vnquam potuit? At verò liberat Aduocata nostra clementissima pro ea, qua apud filium suum pollet auctoritate. Est enim Virgo aurea illa Assueri Regis Virga, quam ad ostendẽdam clementiam solitus erat extendere, vt patet Esth. 15. itaut Mediatrix inter Regem, & reum esse videretur. Audiendus hic Seraphicus Bonau. cap. 10. in spec. *Virga aurea, Virga Regia, est illa aurea, illa Regia Virgo Maria. Aurea quidem charitate, Regia verò nobilitate. Aurea per munditiam, Regia per Iustitiam. Aurea per incorruptionem, & integritatem virginalem, Regia verò per dominationem, & potestatem Regalem. Quam eius Diuinissimam penè potestatem, Dominationemque super omnia idem sanctus Pater agnoscens, exclamauit. O' Maria Virga aurea hominibus, virga ferrea, & dura Dæmonibus, arceas Dæmones à nobis. Hoc Domina petimus, & deuotè petimus, cum Innocentio te ita compellante: Aue Dei Mater alma, quæ ex dignitate, qua Dei Mater es, imperare potes Dæmonibus, compesce Dæmones, ne nobis noceant, præcipe Angelis, vt nos custodiant.*

B.V. est Virga Aurea Regis Assueri constituta Media inter Regem Iudicem, & reum hominem.

B.V. virga aurea hominibus, Virga ferrea, & dura Dæmonibus.

B.V. est nebula contra solis iustitiæ spicula nos muniens.

36. Est denique Virgo Mediatrix nostra velut nebula contra Solis iustitiæ spicula nos protegens. Ita enim ipsa apud Eccli 24. gloriatur: *Et sicut nebula texi omnem carnem.* Quæ verba considerans Richar. à S. Laur. libr. 2. de laud. B.V. part. c. 1. vbi agens de causis, ob quas ad seruiendum tenemur Deiparæ 21. hanc ponit: *Quia sæpè quos filij iustitia damnat, Matris misericordia liberat. Ipsa enim dicit: Sicut nebula texi omnem carnem, ab ira scilicet Dei, quasi ab ardore Solis. Ideo dicit de Filio: Tenui eum, ne scilicet percuteret peccatores; nec dimittam, sed continuâ precum instantia furorem ipsius retinebo. Ipsa est Abigail cuius prudentia continuit Dauidis furorem, ne se de stulto Nabal vindicaret 1. Reg. 25.* Idem pientissimus in Deiparam Richardus libr. 7. hanc Virginis à solis iustitiæ potentissimo calore, miserrimorum mortalium defensionem ostensurus, vocauit illam columnam nubis, & Ignis, nobis in hoc mundi deserto summâ pietate, vt olim Israelitis, deseruientem. Expendens enim summam illam Dei benignitatem de qua Psal. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum, & Ignem vt luceret eis*, sic loquitur: *Ecce duo officia, ad quæ nobis data est Maria scilicet vt nos protegat à feruore solis iustitiæ, tanquam nubes; & ideo quasi suspensa est inter terram, & solem, vt nos illuminet suis orationibus, & exemplis tanquam ignis. quoniam ipsa est lux, lucem virtutum ostendens, protegens nos quasi murus igneus contra vitia, ac peccata, & contra ipsum Diabolum. Vnde ipsa dicit cum Filio Zach. 2. Ero murus ignis in circuitu eius. Et benè dicitur; In circuitu, contra circuitum Diaboli, qui tanquam Leo rugiens circumit quærens quem deuoret.* Hæc ferè Rich. de potentissimo Virginis nostræ apud Supremum Iudicem patrocinio, atque defensione, qua sanè cunctorum mundi huius Aduocatorum quantumuis peritissimorum,

Sæpè quos Christi iustitia damnat, Matris misericordia liberat.

B.V. tenet Iudicem ne percutiat peccatores.

B.V. Abigail figurata, quæ Dauidis furorem continuit, ne vindictam de stulto Nabal sumeret.

B.V. Colũna nubis, & Ignis in nostram protectionem.

B.V. nobis est murus ignis in circuitus cõtra circuitum Diaboli.

rum,

rum, longè in genere humano protegendo omnem exceſſit induſtriam, atque facultatem.

37. Agnouit S. Bernardus ſerm. de Verb. Apoc. Virginem noſtram apud formidandum illud tribunal Filij Dei, cui Pater omne, vt ipſe fatetur dedit iudicium, iudiciariamque poteſtatem, potentiſſimam Mediatricem, dum illam Euæ perditionis noſtræ, ruinæque Auctrici opponit noſtramque fideliſſimam conſtituit propugnatricem. *Vehementer quidem*, inquiens, *nobis Vir vnus, & mulier vna nocuere, ſed gratias Deo, per vnum nihilominus Virum, & Mulierem vnam omnium reſtaurantur, nec ſine magno fœnore gratiarum; Neque enim ſicut delictum, ita & donum, ſed excedit damni æſtimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentiſſimus, & clementiſſimus Artifex, quod quaſſatum fuerat non confregit, ſed vtilius omnino refecit, vt videlicet nouum nobis formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam; Et quidem ſufficere poterat Chriſtus, ſiquidem, & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt, ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum; congruum magis, vt adeſſet noſtræ reperationi ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet. Fidelis planè, & potens Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus IESVS, ſed Diuinam in eo reuerenter homines maieſtatem. Abſorpta videtur in Deitatem humanitas. Non ſola illi cantatur miſericordia, cãtatur pariter, & iudicium, quia etſi didicit, ex his paſſus eſt compaſſionem, vt miſericors fieret, habet tamen, & iudiciariam poteſtatem. Denique DEVS noſter ignis conſumens eſt. Deuter. 4. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei? Iam itaque ne ipſa Mulier benedicta in mulieribus videatur otioſa, inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus eſt enim Mediatore, ad Mediatorem iſtum, nec alter nobis vtilior, quam Maria. Crudelis nimium Eua, per quam ſerpens antiquus peſtiferum etiam ipſi viro virus infudit. Sed fidelis Maria, quæ ſalutis antidotum, & viris, & mulieribus propinauit. Illa enim miniſtra ſeductionis, ſed hæc propitiationis; illa ſuggeſſit præuaricationem, hæc iniecit redemptionẽ.* Tandẽ idem Sanctus Doctor cupidus, vt omnes magnâ confidentiâ ad Virginem tanquam miſericordiæ Matrem, pientiſſimamque apud tam terribilem Iudicem Mediatricem, recurrant, hæc attexit: *Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? Nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt, omnibus offerens lac, & lanam.* Quibus oſtendit Virginem manſuetiſſimã eſſe Ouiculam lacte ſuæ pietatis nos, velut filios, nutrientem, lanâ virtutum ſuarum ab ambiente mundi tentationum frigore defendentem, nuditatemque noſtram, ne Dei oculos offendamus, operientem. Tandem vt eius nobis magis declararet in mortales omnes pietatem, ac manſuetudinem ſic concludit: *Reuolue diligentius Euangelicæ Hiſtoriæ ſeriem vniuerſam, & ſi quid forte increpatorium, ſi quid durum, ſi quod ſignum denique vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero ſuſpectam habeas, & accedere verearis. Quod ſi, vt verè ſunt, plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena manſuetudinis, & miſericordiæ, quæ ad eam pertinent, inueneris, age gratias ei, qui talem tibi Mediatricem, benigniſſimâ miſeratione prouidit, in qua nihil poſſet eſſe ſuſpectum.* Hactenus Bernar. Hanc Virginis apud ſupremum Iudicem interceſſionem pulchrè expreſſit Rich. à S. Laur. libro 5. figurâ illa Abiſag ſunamiticis, Regem Dauid ſenio frigeſcentem calefacientis: *Maria*, inquit, *eſt Abiſag, quæ pedes, id eſt, affectus veri Dauid frigeſcentes, calefacit, ad amorem noſtrum.* 3. Reg. 1.

Euam Deus transfudit in Mariam.

Maria ſalutis antidotum omnibus propinauit.

B.V. tanquã manſuetiſſima Ouicula omnibus lac, & lanam offert.

In Maria nil durum & increpatoriũ reperitur, ſed omnia plena pietatis &c.

B.V. eſt figurata Abiſag Sulamitis.

38. Agnouit Seraphicus Doctor Bonauen. cap. 9. ſpec. Virginem clementiſſimam eſſe inter nos, ſupremumque Iudicem Mediatricem, dum eam Auroræ comparans, eiuſdemque proprietates explicans, ſic loquitur: *Conſiderandum eſt, quod lucidiſſima V. Maria, non ſolum propter ſe, ſed etiam propter nos benè comparatur Auroræ. Nam ipſa nobis eſt ad DEVM Mediatrix, ad Dæmones defenſatrix, ad nos ipſos illuminatrix. Primo Aurora noſtra Maria nobis eſt ad DEVM Mediatrix; Quemadmodum enim Aurora mediat inter noctem, & Solem: Sic B. V. inter peccatorem, & ſolem iuſtitię, qui illuminat electos, & vrit reprobos. Grauiter quandoque vrit in mundo, grauius autem in iudicio, grauiſſimè in Inferno. De hac triplici vſtione Eccli. 43 Tripliciter ſol excurrens montes, ideſt, ſuperbos peccatores, propter hoc benè refrigeratrice, ac Mediatrice inter nos, & ſolem iuſtum indigemus. Et ideo benè Pſal. Tua eſt nox, tu fabricatus es Auroram, & ſolem, Auroram ponit mediam, quę etiam ordine naturali media eſt. Aurora itaque eſt Beatiſſima V. M. quę inter noctem, & ſolem, inter hominem, & DEVM, inter hominem iniuſtum, & DEVM iuſtum eſt optima Mediatrix, optima irę Dei refrigeratrix, vt teſtatur Bernardus: Securum iam habet homo acceſſum ad DEVM, vbi Mediatorem cauſę ſuę*

B. V. Mediatrix inter nos & Deũ, ſicut Aurora inter noctem & Solem.

suæ filium habet ante Patrem, & ante filium Matrem: Filius nudato corpore Patri ostendit latus, & vulnera. Maria filio pectus, & vbera. Nec potest vllo modo fieri repulsa, vbi concurrunt, & perorant tantæ charitatis insignia.

39. Ostendit tandem Pater Seraphicus Virginem velut Aurorã esse Mediatricem inter peccatores, & Tartareũ illum Leonem rugientem ac circumeuntem, quærentemque quem deuoret, nos ab illo protegendo: *Attendite*, inquit, *quod Aurora nostra Maria nobis est cõtra Dæmones defensatrix, sicut Iob cap. 24. signatum est: Vbi de homicida, de fure, & de adultero dicitur: Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignorauerunt lucem: Si subitò apparuerit Aurora, arbitrantur vmbram mortis. Homicida est Diabolus, fur Diabolus, adulter Diabolus. Homicida, inquam, est, quia genus humanum occidit. Fur, quia quæcunque potest, nobis bona subtrahit. Adulter, quia sponsam Dei animam corrumpit. Heu quanta nobis mala huiusmodi malefici, quanta nobis mala spiritus maligni faciunt! Perfodiunt namque in tenebris ignorantiæ, in tenebris obscuritatis interioris mentium nostrarum domos. Perfodiunt certè tentationibus perforatiuis domos illas, in quibus libenter habitat ille, qui ait: In domo tua oportet me manere. Perfossis autem domibus, perforatisque vsque ad infelicem peccati consensum mẽtibus, heu quanta mala huiusmodi malefici occidendo, furando, adulterando in animabus committunt? Ad euadenda ergo tanta pericula, vtinam nobis Aurora appareat, vtinam nobis Maria succurrat. Si enim subitò apparuerit Aurora, si cito nobis aduenerit, & superuenerit Mariæ gratia, & misericordia, arbitrantur vmbram mortis, idest sic timent Dæmones, sic trepidant, sic fugiunt, sicut homines timent, & fugiunt vmbram mortis. Vnde B. Bernar. bene ait: Non sic timent hostes visibiles, quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, & exemplum. Fluunt, ac pereunt sicut cera à facie ignis, vbicunque inuenerint crebram huius Nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem.* Hæc Bonauentura pro suo in Dei Matrẽ affectu sanè pijssimè, ex quibus clarè colligimus Deiparam Virginem nostram non modo inter supernum Iudicem & hominem, veram etiam respectu, Cacodæmonum pientissimam nobis esse Mediatricem, atque protectricem, ita vt quoties Virginem in Zodiaco Leoni interpositam videmus, in mentem nobis reuocare debeamus, cam pro nobis sese non modo contra supremum Iudicem, vti dixi, ceu Leonem de tribu Iuda, verumetiã contra Tartareum illum rugientemq; Leonem sese interponere, ne eius præda, victimaque Orci euadamus. Quam charitatis Deiparæ nostræ plenissimam cõtra infensissimum humani generis hostem pro nobis interpositionem idem considerans Bonauentura, iure exclamauit: *O' qualis Bellatrix est Maria cum sancta zeli sui Lanceà!* de illa Bernardus: *Tu bellatrix egregia, primo eum, qui primus Euam supplantauit, expugnare viriliter aggressa es.*

Diabolus est Homicida, fur, & adulter quomodo?

Quam sit B. V. terribilis Dæmonibus.

B. v. bellatrix insignis cum zeli sui lancea.

40. Quare idem Doctor mellifluus seueritatem iudiciorum Dei agnoscẽs, eosque ceu terribilissimi Leonis de tribu Iuda horribilis rugitus pertimescens, docet peccatores, quanam ratione inuenire possint gratiam, & misericordiam, proponitque in primis Christum Mediatorem Dei, & hominum, vt ipse pro nobis intercedat. Verum, quia & ipse ob Maiestatem Diuinitatis est formidandus, docet postea recurrendum ad pientissimam misericordiæ Matrem, eamque summo studio venerandam, quæ nullo modo apud Filium dilectissimũ pati potest repulsam. Sed ipsa planè lactea, melleaque tanti Doctoris verba serm. de Aquæ ductu, audiamus: *Altius intueamini, quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit delicijs affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modo afflauerit veniens, sed, & perflauerit superueniens Auster ille Diuinus, vt vndique fluant, & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc inquam voluntas est, sed pro nobis. In omnibus siquidem, & per omnia prouidens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas? IESVM dedit tibi Mediatorem. Quid non apud talem Patrem filius talis obtineat? Exaudietur vtique pro reuerentia sua. Pater enim diligit Filium. An verò trepidas, & ad ipsum? Frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, vt misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsan in ipso Maiestatem vereare*

Omnis nostra spes ac salus redundat à Maria.

B. V. est Horto deliciarũ ab Austro Spiritus sancti perflatus.

M. totis medullis cordium, totis præcordiorũ affectibus veneranda.

re

re Diuinam, quodlicet factus sit homo, manserit tamen Deus? Aduocatum habere vis, & apud ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura, singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur, & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet vtique Matrem filius, & exaudiet filium Pater. Tum quasi in Asterismum Virginis intento digito nobis ostendens ad illam velut ad Asylum monet confugiendum: *Filioli*, inquiens, *hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potestné filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri filius potest? Neutrum planè. Inuenisti, ait Angelus, gratiam apud DEVM Feliciter. Semper hæc inuenit gratiam, & sola est gratia, qua egemus. Prudens Virgo, non sapientiam vt Salomon, nón diuitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua saluamur. Quid nos alia concupiscimus? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit inuenit, & frustrari non potest.* Sic Bernardus.

M. cum pro nobis intercedit exauditur pro sua reuerentia.

Quærenda nobis est gratia per Mariam.

41. Vt autem melius appræhendamus quantopere gratia patrociniumque nobis Virginis apud supremum illud Tribunal, à quo non datur appellatio, necessarium sit, rigor æterni Iudicis attentius nobis considerandus est. Hunc horribili schemate, toto ore imò membris omnibus flammas iustissimæ indignationis spirantem Prophetæ describunt. Audiamus in primis Ezechielem cap. 1. qui postquam descripsisset currum horribilem, multumque admirabilem, Cherubinis formæ terribilis stipatum, quo vniuersorum Dominus ad populi Israelitici vlciscenda scelera vehebatur, tandem ipsum Iudicem, eiusque thronum hiscé coloribus depingit: *Super firmamentum quod erat imminens capiti animalium, quasi aspectus lapidis Sapphyri similitudo throni, & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum, à lumbis eius, & desuper, & à lumbis eius vsque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. Velut aspectum Arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat aspectus splendoris per gyrum.* Quibus sanè verbis nobis in primis ab oculos proponit Iudicem totum formidabilem, specie quidem humanâ præditum, & per se ad humanitatem, pietatemque propensum, at verò ob horribilia hominum flagitia ad instar electri, igne iustissimi furoris accensi obduratum, ita vt totus à capite ad calcem flammas vomere videretur. Deinde Virginem misericordiæ Matrē totum eius Tribunal per gyrum vndequaque ad instar Iridis pulchro, insigniq; meritorum suorum splendore coruscantis, ambientem. Iridem enim typum esse Virginis inter DEVM, hominesque pacem conciliantis, alibi ostendemus. Hinc B. Ioannes Geometra Hymno 2. eam velut Iridem cælestem variarum virtutum coloribus Angelos, hominesque in admirationem rapientem sic consalutauit:

Iudex æternus quā terribilis?

Iudex æternus ira velut igne candens electrum.

B.V. est Iris Thronum Diuini Iudicis ambiens.

Salue verisicolor cælum, Iridis instar amœnas
Virtutum formas, florigerasque ferens.

42. Audiamus Danielem cap. 7. qui Iudicem hunc terribilem se alio quodam schemate vidisse scribit: *Aspiciebam donec Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda. Thronus eius flamanæ ignis, rotæ eius ignis accensus. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei; Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Vbi obseruandum, nomine fluuij illius ignei, rapidique à facie, oreque Dei egrediētis, horribilem illam finalemque condemnationis sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* quam sempiternus Iudex vbi consederit cum senatoribus suis, viris Apostolicis cunctisque suis Angelis, prius apertis, lectisque libris, quibus peccata, virtutes, meritaque mortalium omnium à sanctis, reprobisque Angelis conscripta continentur, fulminabit. Qua profectò sententiâ, velut flammiuomo torrente homines scelerati, ac impij inuoluentur, & ad ignis illius Infernalis, nullo fine terminandas flammas, æuiternis mactandi incendijs abripientur.

Sempiterni Iudicis descriptio per Danielem facta.

Fluuius igneus ex ore Iudicis procedens est damnationis sententia.

43. Sub eodem pene schemate Diuus Euangelista Ioannes Apoc. 1. Diuinum hunc Iudicem se vidisse testatur: *Vidi*, inquiens, *in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zonâ aurea, caput autem eius, & capilli eius candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tanquam aquarum multarum, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut sol lucet in virtute sua.*

Sempiterni Iudicis descriptio à S. Ioan. Euangelista facta.

Ssss Qua

Ioannes viso Iudice terribili, pene exanimatus.

Qua horribili visâ specie fatetur, se adeo fuisse consternatum, vt pene mortuus ad terram conciderit. *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus*. Idem Sanctus Apostolus Apoc. 4. alio Schemate non minus formidando DEVM Iudicem se aspexisse scribit: *Ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens, & qui sedebat similis erat aspectui iaspidis, & sardinis, & Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*. Vbi per rubentem ignei coloris sardium Diuinæ iustitiæ seueritas, per Iaspidem verò speciei viridis, eius misericordia, quæ in omnibus Dei operibus elucet, adumbratur. Lapides denique hi ex quibus Supernus Iudex quasi compositus cernetur, ostendunt eum ad instar lapidis contra impios obdurandum in iudicio. Iris hæc denique amœnissimi coloris, irridiantis instar relucens smaragdi rursus Virginem designat, quæ vel solo suo aspectu sibi deuotos clientulos in horribili illo iudicij die, cum scrutabitur Hierusalem, id est, virorum etiam sanctissimorum vitam, in lucernis, quando etiam de verbo otioso ratio strictissima superno erit reddenda Iudici, causam eorum agendo, mirificè recreabit.

Iudex æternus similis Iaspidi, & Sardio quare?

Ex quibus omnibus tam horrificis æterni Iudicis descriptionibus colligimus nimium quantum illo die futurum horrendum incidere in manus Dei viuentis, ignem flammasque oculis, totoque ore vomentis ad sceleratos homines deuorandos ac perimendos. Ignis enim ille, qui ad instar fluuij rapidissimi ex ore Iudicis erumpebat, est gladius ille vtraque parte acutus, quem ex eiusdem ore exeuntem vidit Ioannes. Et hic aliud nil nobis repræsentat, quam finalem illam supra memoratam sententiam, qua velut gladio igneo fulmineoque, impij perimentur. De hoc enim gladio Moyses Deuter. 32. *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius deuorabit carnes*, carnales nempe homines, qui non rationis præscriptum, sed carnis cupiditates appetitumque constituti sunt. De hoc quoque gladio Regius Psaltes Ps. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis*.

Finalis damnationis sententia est gladius fulgureus vtraque parte acutus.

44. Dum ergo Diuina iustitia gladium suum exacuit, dum vibrat, vt percutiat, dum Arcum indignationis suæ tendit, vt sagittas acutissimas vindictæ in peccatores iaculetur, dum libros aperit, quibus orbis scelera conscripta continentur, eaque in bilancem appendit, quis nisi Virgo nostra pro nobis Mediatrix interuenit, quis gladio illi tam formidando sese obiicit, quis ad lancem manus apponit? Ipsa nimirum Arcui illi, velut cælestis Arcus reconciliationis inter DEVM, hominesque interponit, ipsa velut castrorum acies virtutibus pulcherrimis, Deoque gratissimis ordinata sese pro nobis ferienti illi gladio opponit. Ipsa denique suis meritis lancem demeritorum nostrorum eleuat, ne sempiternæ perditionis romphæâ percutiamur. O quam benè pietatem hanc Virginis nostræ clementissimæ penetrauit Beatus Alcuinus serm. de Natiu. *Ecce coram tremendo Iudice assistimus peccatores, cuius manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos, & quis auertet eum? Nemo sanè Domina tam idoneus est, vt gladio Domini manum pro nobis obiiciat, vt tu Dei amantissima, per quam primum in terris suscepimus iustitiam, & misericordiam. Te enim brachium, & manum extendente pro nobis, diuinæ vltionis gladius eleuatur, & contrahitur*.

Cum iudex gladium suæ iustitiæ vibrat B.V. sese interponit.

45. Ostendit Virgo benignitatem hanc suam luculentissimè tum aliàs sæpè, tum verò tunc, cum sempiternus Iudex tribus telis scelestissimos mortales libidini, superbiæ, auaritiæque deditos pessundare voluit; cui iustissimo furori Virgo sese opponens manusque suas extendens, sagittas illas, ab vniuerso orbe, datis Vadibus sanctissimis illis Viris, orbis iam iam labantis verè fulcris, ac columnis Dominico, ac Francisco, admirabili sapientiâ dexteritateque amolita est. Qua de re eruditè lusit Bidermanus noster Epigram. libro I. Epigr. 6.

Numen vbi celso despexit ab æthere; vidit
Et terram studijs, & Freta plena tribus,
Inde supercilijs in cedere grandibus: inde
Mortalem vetitis Gentem inhiare lucris.
Ignibus inde alios ardere Cupidinis. Et mox
Trina meum plectet crimina fulmen, ait;
Acceptoque manus impleuit fulmine, quale
Sparserat in clades ante Gomorrha, tuas.
Iamque statas vindex in pœnas dextra, ruebat,
Accidit ad Dominos cum bona Virgo pedes.
Et quo spectat, ait, iustæ nouus impetus iræ,
Quem vè suis ferient tela trisulca minis?
Cerro quidem terræ funesta piacula, cerno
Et dudum votis execror illa meis.

Iudex æternus tres lanceas contra superbos, auaros, & luxuriosos vibrauit, & B. V. mediatrice placatus est.

Si tamen irritant iſti tua fulmina mores,
Quando tuo intactus fulmine mundus erit?
Parce piâ ſæuire manu. Iam ſupplicat orbis
Ipſe tibi, & geminos Terra dat ecce vades.
Dixit; & intento terram indice monſtrat. Ibi vmbri
Alter; ibi Heſperij nominis alter erat.
Promptus vterque vadem ſe tradere; & auſus vterque
Tendere luctantes obuia in aſtra manus.
Tum lapſæ cecidere minæ. precibuſq; repente
Exarmata feri fulminis ira fuit.

46. En quanta extenſarum Virginis Aduocatæ noſtræ manuum ad ſupernum Iudicem eſt poteſtas? En vt manus eius Virgineas, quæ immenſum illum æterni Patris geſtauere filium, DEVS ipſe reueretur, nihilque ipſius denegat ſupplicationi, eaſque magis quodammodo, quam ipſum reueretur filium, qui à Propheta Iſaia *Brachium Domini*, c. 53. appellatus eſt. Quem tamen in paſſione acerbiſſimè percuſſit; ipſo Patre atteſtante: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*. Manus verò Virginis è contra adeo ſupremum illud Numen reſpicit, ac reueretur, vt illis expanſis, manum ſuam gladium iuſtitiæ vibrantem, mox contrahat, ac miteſcat. Audiendus hic Leo Orientis Imperator cognomento Philoſophus Hom. 6. de Aſſumpt. Deipar. vbi illam affando ſic loquitur: *Nunc etiam non tantum illis, qui viam Diuinorum mandatorum inſiſtunt facilis ades, ſed & illis, qui contrariâ viâ incedunt, ac proinde pœnis ſe obnoxios reddunt, refugium es, & præſidium, eoſque à meritis eripis ſupplicijs. Reueretur enim DEVS ſuam ſacratiſſimam Arcam, benignumque ſe exhibet ijs, qui benignitate ſunt indigni, pœnaſque ſoluit, vt iuſtitiæ lancem declinet, alioque vertit, prout tuam dignitatem, quaſi perſonarum acceptor factus, extenſionem manuum tuarum reueritus, quæ tanquam vehiculum DEVM geſtarunt. Neque enim fieri poteſt, vt manus illas expanſas non aſpiciat. Inflectitur nimirum ad miſericordiam, & debita clementer remittit, eoſque quos ſupplicijs mactare par erat, beneuolentia ſua dignatur.* Hactenus pijſſimus Imperator.

B. V. manus extenſas pro nobis æternus Iudex reueretur.

Manus B.V. inſtar vehiculi DEVM geſtarunt.

47. Quod ſi tantopere Virgineas illas manus quibus DEVM Infantem baiulauit, pro nobis in oratione extenſas coram ſe ipſe filius veneratur, quis horribilibus diuinæ vltionis territus minis, peccatorum exagitatus ſtimulis, velut Inferni furijs, ad illam confidentiſſimè in omni anguſtia ac tribulatione conſolationem accepturus non recurrat? Ioſias Rex Iſrael quondam DEVM iratum ad pietatem inflexurus miſit ad Holdam Prophetiſſam 4. Reg. 22. prætermiſſis multis, quos præ manibus habere poterat Prophetis, eamque velut Oraculum conſulere tantus Rex non eſt dedignatus. Quid ſibi quæſo hoc vult? Audiamus Nicolaum Lyranum: *Ioſias habere voluit à Deo reſponſum miſericordiæ, & quia mulieres ſunt clementiores viris, miſit ad conſulendum per mulierem.* Optamus in anguſtijs, in tribulationibus, in miſerijs noſtris omnibus reſpõſum habere à Deo miſericordiæ, effuſiſſimæque in nos pietatis. Ad Mariam veram Prophetidem, ad quam Iſaias quondam, teſte S. Baſilio in cap. 8. Iſa. eius diuina ſecreta cogniturus in ſpiritu acceſſerat, accurramus. Dabit illa nobis velut fœminarum pijſſima, in cuius ore lex eſt clementiæ, reſponſum nõ mortis, ſed vitæ, ſed ſalutis, reſponſum planè gaudij, & exaltationis, itaut illo audito identidem poſſimus ingeminare illud ſponſi: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.*

Ioſias Rex curr. ad Holda Prophetidē, & non ad aliquem Prophetam recurrit.

Si quis optat à Deo in ſuis anguſtijs reſponſum habere miſericordiæ ad B. V recurrat tanquam ad Holdam.

48. Ob hæc effuſiſſima miſericordiæ ipſius in nos viſcera vidit eam Ioã. Apoc. 12. amictam ſole, qui tam pietatis, quam munificentiæ etiam apud Aegyptios ſymbolum extitit. Vnde S. Bonau. in ſpec. *Quis eſt ſuper quem ſol non luceat? Quis eſt ſuper quem Mariæ miſericordia non reſplendeat?* E contra amictus miſericordiæ ſuperni Iudicis; qui decor à Pſal miſta vocitatur: Dominus regnauit, decorem indutus eſt. (quid enim pietate pulchrius, quid amabilius?) iuſtitiâ ab Iſai. c. 11. præcingi dicitur: *Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius.* vt nobis indicetur pietatis ſuauitatem, rigore iuſtitiæ in hoc ſupremo Iudice temperatam. Quemadmodum enim cingulum vndãtem chlamydem colligit, adſtrinxitque ne in terram defluat, ſic iuſtitia, viſcera illa miſericordiæ Chriſti Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto, cohibere videtur, ne tantopere, vti eorum fert natura, in nos effundantur. Et ſicut Ioab: *Poſuit*, inquit, ſcriptura, *cruorem in balteo ſuo, qui erat circa lumbos eius.* 3. Reg. 2. ita Chriſtus rubrum fecit indumentum ſuum, hoſtilique infecit ſanguine: *Aſperſus eſt*, inquit ipſe, *ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui*; quo, eo cruore, vulneribuſque viſis, ad impiorum vindictam accenderetur. Vnde mox addit: *Dies enim*

Sol pietatis, & munificētiæ ſymbolū apud Aegyptios.

B.V ſole miſericordiæ veſtita.

In Chriſto miſericordia eſt iuſtitia temperata.

enim vltionis in corde meo: Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. Et paucis interpositis: *Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum*.

Iam quis huic equissimæ indignationi, quis huic iustissimo furori seuerissimi Iudicis sese opponere audebit, quam ipsa hæc misericordiæ Mater ac Regina? Quare B.Laurent. Iustin. Patriarc. Venet. ser. de Assumpt. egregiè docuit nobis in hac lacrymarum valle exulantibus, piâ deuotione clamandum esse ad Virginem gloriosissimam, *vt agnoscat Mater filios, libera captiuos, delicijs cælestibus impinguata, famelicos, conuertat misericordes obtutus suos ad miseros, deprecetur veniam, & offensi filij iustitiam flectat ad gratiam, donec filius, Matre pro nobis interpellante, iustitiâ, spei præstet fiduciam, spontaneæ seruitutis amorem conferat, & pium prærogет syncerae charitatis affectum*.

Quomodo in hac vita dũ degimus B.V. sit exoranda.

49. Ipsa enim verè est illa, quæ pro nobis, vt ait Salomon Prouer. 8.3. *Iuxta portas ciuitatis, in ipsis foribus loquitur*. Siquidem in portis vrbium erant subsellia Iudicum, ac tribunalia, ex quibus iura dicebantur. Quo modò loquendi apertè satis indicatur Virginem nostram, fidelissimam mortalium omnium esse apud supremum Iudicem Aduocatam, eamque sua dicendi, agendique gratiâ, ad misericordiam in portis cælestis Hierusalem, in quibus Dei iudicantis Tribunal, ad supremas hominum causas dirimendas constitutum est, inflectere. Quare omnino fælix ac ter beatus censendus est ille, qui dum hic vixit, magna cum fiduciâ sese Virginis huius tãquam fidelissimæ. Aduocatæ subiecit, patrocinio. Huic enim omnino sperandum, quod vbi supremi illius Iudicis adstiterit tribunali, tam in particulari quam in generali iudicio, omnia optimè cessura. De hoc enim videtur omnino loquutus Regius Vates: *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta*; sed illi omnino eueniet, quod de Ecclesia vaticinatus est Salomon: *Ridebit in die nouissimo*. Prou. 31.

Iudicia fiebãt olim in portis Ciuitatũ.

50. Ad hoc faciendum ipse Filius eam inuitare videbatur, dum Cant. 2. v. 14. illi dicebat: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*. Vt enim Michael Ghislerius sapienter obseruauit, his verbis filius Matrem ad secum decertandum pro peccatoribus inuitat. Siquidem phrasi Italica ostendere alicui faciem, significatur alicui certamen indicere. Dum ergo filius mandat Matri, vt sibi faciem ostendat, perinde est ac si diceret: pugna mecum pro peccatoribus, tuâ interpellatione atque patrocinio, fac vt audiã preces tuas apud Tribunal meum pro illis. Adeo enim vox, & interpellatio tua, vtpotè Matris, apud me est efficax, vt ea de me triumphet ita vt eam nullo modo repellere valeam, sed cogar omnino tuis æquissimis postulationibus acquiescere.

Ostendere faciem alicui, est certamen indicere.

Filius mãdat Matri vt pugnat secũ per peccatorib.

B.V. certat cũ filio ne vindictã sumat de peccatoribus.

51. Vim hanc sibi à Matre fieri, crediderim insinuare voluisse Dominum, cùm dixit Ioann. 5.26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*. Quasi diceret; Ego iudiciariam potestatẽ homines iudicandi in anima, & corpore habeo, non solum, quia Dei Patris, sed & quia Virginis Matris sum filius; nouerint proindè homines, quanam ratione me ad misericordiam flectant, adeundo nempè Matrem meam pientissimam cuius cum lacte misericordiã, pietatemque suxi, cuius mores tãquam filius imitari, & quasi matrizare mitiusque cum hominibus agere cogor. Nouerint insuper à Matre mea peccatores, propter quos ad Diuinæ Maternitatis dignitatem est euecta, nimium quantum amari, eorumque causas multa cũ charitate, ac benignitate pertractari; quare mihi penè impossibile est tam dilectæ Matris, à qua humanitatem accepi, preces in humanè negligere: Sic ferè locum hunc interpretatus est D. Augustinus Tract. 29. In Ioan. his verbis: *Quia filius hominis est. Iste enim Christus, & filius Dei, & filius hominis. In principio erat Verbum, & verbum erat apud DEVM. Ecce quomodo dedit ei vitam habere in semetipso. Sed quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, ex Virgine Maria homo factus, filius hominis est*.

Mater vim filio inferre videtur, vt parcat peccatoribus.

Ipse Christus docet homines vt ad Matrẽ accedant, quo in iudicio eius iram euadãt

52. In quoquidem iudicio Virgo nostra clementissima id agere videbitur, quod olim Rachel, abscõdens Idola Labani, quæ à Iacob subducta sibi fuisse arbitrabatur. Proinde, quisque nostrum securus cum Iacob dicere poterit in vltimo illo ex hac vita decessu ad Cacodæmonem: *Apud quemcumque inueneris Deos tuos necetur coram fratribus suis. Scrutare quicquid tuorum apud me inueneris, & aufer*. Gen. 31. 32. Quæ verba ponderans S. Ambr. lib. de Iacob cap. 5.

Rachel abscondens Idola est figura B.V. abscõdentis nostra peccata.

Quam

Quam beatus Vir in quo inimicus nihil inuenit, quod suum possit dicere, in quo Diabolus nihil offendit, quod suum agnosceret. Impossibile videbatur istud in homine, sed typum gerebat eius, qui dicebat. Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Impossibile erit quoque nobis in mortis tremendo articulo sic confidenter loqui, sed si pallio misericordiæ suæ vera, ac figurata Rachel Maria Idola, idest, peccata decedentium, à facie Iudicis abscondat, erit possibile. Roganda igitur erit nobis assiduè vt morientibus adsit. *Ista enim est,* vt loquitur idem Ambr. *Beata Rachel, quæ abscondit errores, cultusque Gentilium, imo & alia quæcunque peccata mortalium ad ipsam cum fiducia recurrentium.*

Roganda B. V. vt nobis morientibus adsit, & peccata nostra à facie Iudicis abscondat.

B.V. tanquã Rachel abscondit errores cultusque Gentilium, et alia peccata mortalium ad ipsam recurrentium.

53. Quare hanc Virginis pietatem beneuolentissimamque suorum, coram supremo Iudice protectionem intelligens Salomon, monet mortales omnes, vt hic dum viuunt, tantæ Matris disciplinam eiusque inculpatæ vitæ mores acceptent, atque imitentur: (quidem vt rectè D. Ambros. lib. 2. de Virgin. *Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium esset disciplina:*) quo horrificæ illius romphææ ictum euadant. Nam vbi legit vulgatus Prou. 8. 33. *Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eam*; legit hæc postrema verba Hebræus: *Ne feriamini*, siue vt legunt 70. Interpp. Complutenses, & Regia: *Ne obturemini*; quod eodē recidit. Qui enim sensus suos obturat, ne Virginis vocem atque inspirationes accipiat, similis humano euadit corpori, cui omnes pori, aditus, ac meatus abstruuntur, ne noxios humores exsudare, ne cibum sanguinemque per membra distribuere, ne denique sanctas inspirationes, gratiamque ipsius Virginis aliaque Spiritus S. dona, quæ per illam nos habere DEVS voluit, recipere valeat. Oppilatis enim obstructisque huiusmodi meatibus animæ, mors, æternusque interitus ad horribilis illius ictum romphææ, illi contingat necesse est.

Vita nostra B.V. vitæ cōformanda si eam Aduocatam in iudicio desideramus.

Qui sensus suos ad B. V. vocem obturat, ad interitum properat.

54. Quod porrò Virgo nostra sese pro nobis intercedendo supremo Iudici opponere, vti supra memoraui, ac quasi luctari videatur, hoc etiam testatur pijssimus Card. Halgrinus eadem illa verba Cant. 5. *Tenui eum, nec dimittam*, attentius contemplans: *Ostendit*, inquit ille, *B. Virgo, quod indignatus erat Dominus contra vineam suam, plebem videlicet Iudaicam, quæ conuersa erat in amaritudinem, & fecerat labruscas, cum facere debuisset vuas. Ait ergo: Tenui eum, ne vineam suam dissiparet omnino. Et subdit: Nec dimittam, sed continuâ precum instantiâ furorem ipsius retinebo. Quod enim Dominus sanctorum precibus retineatur, ostendit Moysi: Cerno, inquiens, quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me, vt irascatur furor meus contra eum. Non dimittam ergo eum, sed semper tenebo, & instabo precibus, donec introducam ad Matrem, siue Genitricem meam, plebem hanc Iudaicam, & per fidem habitet ibi tanquam in domo vel cubiculo.* Hæc Halgrinus. Hoc idem confirmat S. Bonau. in Spec. cap. 7. *Maria detinet Filium ne peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit, qui sic Dominum detinere auderet teste Isa. 64. Non est qui inuocet nomen tuum, & qui consurgat, & teneat te. Non fuit verè ante Deiparam qui Dominum peccatis mortalium offensum, detineret, non Angeli, non Archangeli, non Cherubini, non Seraphini, non vlli Sanctorum ordines. Plus enim Virgo, vt pote Dei Mater in Curia cælesti valet auctoritate apud Filium, quam omnis Angelica, humanaque Natura.*

B.V. tenet filium ne vlciscatur contra peccatores.

Plus valet auctoritate B.V. in cælesti Curia quā omni Angelica, atque Humana Natura.

53. Vnde Rich. de S. Vict. cap. 35. in Cant. 4. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli; His,* inquit, *hinnulis Beatæ M. Vbera comparantur, quia cum tam Angeli, quam Sancti pro peccatoribus soliciti sint, & eis tam meritis, quam intercessione subueniant, credendum est B. V. tantum in hoc posse; quantum vtraque simul creatura, imo vtraque potentior iudicatur, quia vtraque per hanc reparatur, & Angelorum ruina per hanc restaurata, & humana natura reconciliata.* Hæc ille, de potentia Virginis apud Filium. Et sanè nisi Virgo sempiterni Iudicis manibus, Arcum, Gladiumque Diuinæ iustitiæ vibrantibus, suas opponeret, mundus iam pridem, vt supra diximus, foret pessundatus. Audiendus hic Venerabilis Beda, qui sic loquitur: *S. Maria Dei Genitrix translata est in cælum de mundo, vt pro nobis oret Filium, quia mundus delectus esset, nisi per preces S. Mariæ sustentaretur. Postquam enim cælos ascendit, stat coram Deo assiduè orationem pro peccatis nostris effundens. Iustos retinet, ne cadant, peccatores confortat ne pereant.* Hæc Beda.

B.V plus est solicita pro peccatoribus quam Angeli, & sancti omnes.

Nisi B V. pro nobis intercederet Mūdus iam pridem corruisset.

54. Quare præclarè Petrus Galatinus libro 7. de Arcanis cap. 2. ait quod Rabbi Agadol ex glossa Chaldaica illud Gen. 1. *In principio DEVS creauit cælum & terram;* sic fuerit interpretatus: *Propter Sapientiam creauit DEVS cælum, & terram, hoc est; amore Intemeratæ Virginis, quæ est*

est mundi Sapientia, creauit DEVS cælum, & terram. Non solum autem totus mundus amore Beatissimæ Virginis conditus est, sed etiam sustentatur. Mundus enim ipse ob nostras prauas actiones, nullo pacto consistere posset, nisi ipsa gloriosa Virgo eum sua misericordia, & clementia pro nobis orando sustineret. Idem etiam Galat. cap. 4. docet à priscis Hebræis *Matrem Messiæ Petram primariam, primam creaturarum, ac primum hominem appellatã*; additque Rabbinorum, præsertim Rabbi Simeonis fuisse traditionem, quod quando DEVS Sanctus, & benedictus adiudicandum orbem in die Iudicij veniet, totus mundus expauescet, timebitque diem illum terribilem, accedentque ad Dauidem, ad Mosem, ad Iacob, Isaac, & Abraham, vt pro ipso intercedant apud Iudicem. Verum singulos, suis antiquis peccatis suam insufficientiam excusaturos; accesuros tandem ad primum Hominem, & primam creaturam Deiparam, dicturosque: *Eamus ad primum hominem, vt oret pro nobis, qui est absque peccato, & macula, sicque obsecraturos: O' homo prime cum nos omnes emanemus à te, qui es à peccato immunis, ora DEVM pro nobis, quia nos non sufficimus. Tunc, ait Traditio, veniet Primus homo, & rogabit DEVM pro eis. DEVS autem iudicabit bonos, & iustos ob eorum bonas operationes, ac propter preces Primi hominis omni labe peccati carentis, vt pote cui dictum sit Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; eos æternæ vitæ adiudicabit.* Sic ferè Galat. intelligens Primum illum hominem esse Deiparam omniũ potẽtissimã.

B.V. precibus mundus sustentatur.

Rabbinorum traditio de B. V. intercessura pro peccatoribus in iudicio.

B.V. dicitur Primus Homo.

57. Et verò quod Virgo Deipara, præ omnibus Angelis ac Sanctis orare; & detinere possit vniuersorum Iudicem, ne indignationis suæ formidabili illo gladio percutiat peccatores, ipse sponsus eius labiorum dulcissimorum deprecationem commendans, satis illo ostendit elogio: *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Quod exponens Halgrinus sic loquitur: *Labia Matris IESV Christi in precibus suis distillant magnitudinem Filij, qui exauditus est pro sua reuerentia, vt in fauorem tanti Filij ipsa digna sit exaudiri. Vt autem potentior ostendatur oratio Virginis, quacunque cuiuscunque tandem siue Angelicæ, siue humanæ creaturę oratione, subditur: Mel, & lac sub lingua tua: Mel siquidem, quod de cęlo trahit originem, Angelicam Naturam demonstrat. Lac verò quod de carne nascitur in sanctis hominibus mundanę vitę candorem designat. Atque ita hi omnes tam Angeli, quam Viri sancti inferiores sunt in precibus lingua Matris Christi. Ad harum verò precum efficacem potentiam, accedit odor vestimentorum, hoc est odor meritorum, quibus Virgo ornata refulget. Qui odor est, sicut odor thuris, idest, sicut odor orationis flagrantis ac fragrantis. Ipsa enim pro peccatoribus non minus meritis, quam precibus intercedit.* Hæc Halgr.

B. V. oratio dulcis ad instar faui.

Oratio B.V. potentior omni Angelorum Sanctorumque oratione.

B.V. apud Filium, & precibus, & meritis intercedit.

58. Hanc Virginis pro nobis apud iratum Iudicem intercedendi potentiam agnoscens B. Hugo Carthusianæ familiæ Sydus illustrissimum, sic eam affectu pijssimo deprecabatur;

Oratio piissima B. Hugonis vt pro nobis in Iudicio apud Filium intercedat.

In tremendo Dei iudicio.
Quando fiet stricta discussio,
Tunc etiam supplica Filio
Vt sit nobis cum sanctis portio.
Dies illa dies terribilis,
Dies mali intolerabilis,
Sed tu Mater semper amabilis
Fac, sit nobis Iudex placabilis.
Illa die tantus seruabitur
Rigor, quod vix iustus saluabitur,
Nemo reus iustificabitur,
Sed singulis ius suum dabitur.
Nos timemus diem iudicij
Quia male de nobis conscij,
Sed tu Mater summi consilij
Para nobis locum refugij.
Dum iratus Iudex adueniet,
Singulorum causas discutiet,
Personamque nullam accipiet,
Sed ius suum cuique tribuet.
Summi Regis Mater, & Filia,
Cui nullus par est in gloria,
Tua Mater dulcis clementia
Sit nunc, & tunc nobis propitia.
Pia Virgo, quæ cunctos respicis
Omnes amas, & nullos despicis,
Erue nos de manu Iudicis,
Et iunge nos choris Angelicis.
Horrendum est illud iudicium,
Quando nullum erit suffragium,
Sed quilibet pœnam, aut præmium
Recipiet, hoc non est dubium.
Iustus Iudex dando sententiam
Non faciet iustis iniuriam,
Nec iniustis faciet gratiam,
Sed tenebit strictam iustitiam.
Et ideo nunc coram Iudice,
Pro famulis te ipsam obijce,
Ac exorando illum effice
Vt nobiscum agat pacificè.
Nunc igitur Mater accelera,
Pietatis ostende viscera,
Nato pectus offer, & vbera,
Et pro nobis veniam impetra.

59. Ean-

O' Maria.

59. Eandem Virginea in precibus, atque intercessionibus pro nobis apud iratum Iudicem potentiam, qua planè cum illo videtur depugnare, indicauit S. Germanus Constant. Patriar. Orat. de Zona B. V. dum confidentissimè ita eam alloquitur: *Tu autem ò castissima, & optima ac summè misericors Domina, Christianorum solatium, eorum, qui affliguntur potentissima recreatio, paratissimum peccatorum refugium, ne nos orbos tua defensione relinquas! Nam si tu nos deserueris, quonam cõfugiemus? nos inquam, qui diuinorum operum, morumque sumus egeni, qui propter multitudinem peccatorum a Deo eiecti eramus, per te DEVM quæsiuimus, & cum inuenissemus salui facti sumus. Potens ergo ad salutem est tuum auxilium ò Deipara, & non indiget aliquo alio ad DEVM intercessore. Hoc nos certo scientes, vt qui etiam cum sæpè petierimus, experientiâ didicimus, te esse vehementissimam nostram defensionem, affatim postulandi sumimus occasionem, & in præsentia ad te confugimus tuus populus, tua hæreditas, tuus grex, qui tui filij appellatione exornatur, & gloriatur. Non est reuera finis tuæ magnitudinis, non est vlla satietas tuę defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus enim est qui saluus fiat nisi per te ò sanctissima. Nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te ò purissima. Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te ò honestissima. Quis post filium tuum, ita generis humani curam gerit sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam citò preueniens nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quæ corrigi non possunt, adeò repugnando excusat? Tu enim cum habeas maternam apud filium tuum fiduciam, ac potentiam, nos qui sumus condemnati, & cęli non audemus altitudinem intueri, tuis interpellationibus, ac intercessionibus ei efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio. Quamobrem is, qui affligitur ad te confugiat; qui iniuria afficitur, ad te recurrat. Qui rebus asperis aduersisque est implicatus, tuum inuocet auxilium. Omnia tua sunt admirabilia, ò Deipara, omnia supra naturam. Omnia ingentia, & aliorum vires superantia. Propterea, & patrocinium tuum maius est, quam vt intelligentia compræhendi possit. Homines enim ipsos olim reiectos, expulsos, expugnatosque tuo partu reconciliasti domesticos filios, & hæredes effecisti. Tu quotidie hominibus peccatorum pelago fluctuantibus, adiutricem manum extendens, à fluctuatione eripis. Tu nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones sola Nominis tui inuocatione sanctissima repellens, tutos atque incolumes seruas. Tu implorantes te homines, ab omni necessitate ex omni generis tentationibus opportunè liberas:* Sic ille.

B.V. optima, ac summam misericors Domina Christianorũ solatium, & afflictorum recreatio.

S. Germanus experientia didicit B.V. vehementissimam esse nostram Defensionem.

Nullus saluus fit nisi per Sanctiss. Virg. M.

B.V. nos defendit in nostris afflictionibus, & præseruat à tentationibus.

Patrocinium B.V. maius, quam vt intellectu comprehendi possit.

Dæmonis inuasiones B.V sola sui nominis inuocatione repellit.

60. Quid de S. Georgio Nicomed. Archiep. dicam? qui orat. de præsent. Deiparæ, eius potentissimum apud supremum Iudicem patrocinium agnoscens sic eam affatur: *O' pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum, ò pulchrorum omnium summum ornamentum. Tu casum veteris nostrę nobilitatis erexisti partu tuo, qui super rationem est. Tu primæ Imaginis obscuratam speciem in suam pulchritudinem restituisti. Per te paradisum purè sumus consecuti. Per te recessit romphœa versatilis. Per nostrę resurrectionis certa signa tenemus. Per te nos Regnum cælorum assecuturos speramus. Te nostræ salutis habemus adiutricem. Te nostri auxilij habemus defensionem. Te proponimus, cuius ore nostra dicatur excusatio. Te nostræ fiduciæ circumferimus gloriationem. Te Christianorum multitudo murum habet firmissimum; Tu ò Dei Genitrix, preces eorum, qui à te semper petunt, ne despicias. Præbe manum laborantibus. Da petitioni conuenientem, potes enim, euentum. Habes vt Mater in Filium, quæ recusari non potest, fiduciam: Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile. Ne quæso immensam clementiam peccatorum multitudo superet. Ne absurda facta nostra tuam ineffabilem retardent misericordiam. Nam quæcumque fuerit multitudo eorum, quæ ignorantur, ea facilem, si tu volueris, accipient solutionem. Nihil tuæ resistit potentiæ; Nihil tuis repugnat viribus, omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ deseruiunt potestati. Te omnibus suis operationibus reddidit excelsiorem, qui est ex te natus, & per ea, quæ in te facit admirabiliter, & præter opinionem; ita esse confirmauit. Ea citra laborem potes consequi. De illis absque vllo intercessore creatorem compella. Delectatur tua petitione, gaudet se rogari, non resistit, quo minus impleantur. Tuam enim gloriam existimat esse propriam, & tanquam filius in ea exultans, quasi debitum exoluens, tuas petitiones adimplet.* Hæc Georgius.

B. Georgij Episc. oratio ad B.V. deuotissima.

B.V. Pulcherrima Pulchritudo omniũ Pulchritudinum.

B.V. potentię nihil resistit, sed omnia cedunt eius iussui.

Christus Matris petitione delectatur.

61. Ex quibus sanè peccatores omnes, quantumuis in scelerum omnium colluuie sepulti, & iam altero pede in cymba Charontis Infernalis prolapsi, in spem erigi debent, futurum omnino, si ad Virginem recurrant, vt eius patrocinij vmbrâ protecti sempiterni Iudicis gladium effugiant, & ab horribili illa damnationis sententiâ liberentur.

B.V. gloriam Christus suã reputat.

Verè

Verè enim Virgo noſtra erit nobis in die illo formidabili, quo, vt quidam Sāctus ex antiquis illis Patribus aiebat, *ſi poſſibile eſſet animas interire, id fieret in aduentu Iudicis tam terribilis*, *erit nobis*, *inquam*, *animatum hoc Dei Tabernaculum*, *in vmbraculum*, vt inquit Iſaias cap. 4 *dici ab æſtu*, *& in ſecuritatem*, *& in abſconſionem a turbine*, *& pluuiá*. *Cùm enim formidanda illa ſempiterni Iudicis Maieſtas*, *cuius oculi ſunt tāquam flamma ignis*, *cuius facies lucet*, *ſicut ſol in virtute ſua*, quando nempe ſignum furibundi Leonis ingreditur, orbi vniuerſo in caliginoſâ nube ſeſe manifeſtauerit, eritque vt ait Dauid Pſal. 17. tenebroſa aqua in nubibus aeris, & præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſibunt, grando, & carbones ignis. Cum intonuerit de cælo Dominus, & Altiſſimus dederit vocem ſuam, & miſerit ſagittas ad diſſipandum peccatores, fulgura multiplicauerit ad eoſdem conturbandos; ipſa tunc Virgo ipſa, inquam, tanquam vmbraculum quoddam ſub protectionis ſuæ pallio ab illis ardentiſſimis ſolis iuſtitiæ ſpiculis, ardoribuſque nos obumbrabit, atque defendet. Audiamus hic in Deiparam pientiſſimum Richard. à S. Laur. lib. 10. de laud. B.V. *Erit glorioſa Virgo ſeruientibus*, *& amatoribus ſuis in die Iudicij in vmbraculum ab æſtu*, *& contra æſtum*, *de quo ait Apoſtolus 2. Pet. vltimo cap. elementa calore ſoluentur*.

B V in Iudicio erit nobis Vmbraculum protectionis ab ęſtu Diuinæ iuſtitiæ.

62. Idem lib. 2. varias afferens cauſas, ob quas homines Diuæ huic Virgini ſeruire tenentur, 25. ponit: *Quia in Maria inueniunt refugium*, *qui timentes Dei iuſtitiam ad ipſum accedere reformidant*. Eandem vocat petram illam, quam ait Dauid. Pſal. 103. *refugium eſſe herinaceis*, *peccatoribus videlicet ſcelerum ſpinis vndique circumuallatis*. Sex quoque ciuitates illas refugij homicidis deſtinatas ait fuiſſe ipſius typum Num. 35. *Cuius rei dat rationem*: *Quia ſex modis interficiunt ſe generaliter peccatores*, *per vitia nempe cordis*, *& ſex ſenſuum corruptionem*. *Harum tres citra Iordanem*, *tres vltra Iordanem extitiſſe feruntur*. *Iordanis porrò Baptiſmum ſignificat*. *Citra Iordanem tres*, *quia ad ipſam refugere debent*, *qui à tribus concupiſcentiis tentantur*, *vt ipſos tueatur*, *& in bono faciat proficere*. *Vltra Iordanem tres*, *quia per ipſam ſæpè redeunt ad veniam*, *& adipiſcuntur gratiam*, *& gloriam*, *qui tranſierunt Iordanem*, *id eſt*, *qui triplici concupiſcentiá ſeducti*, *baptiſmalem innocentiā amiſerunt*. *Notandum verò*, *quod Ciuitates illæ ſeparatæ erant illis in refugium*, *qui nolentes homicidium perpetraſſent*; *Sed nunc miſericordia Dei dilatata eſt*; *& in Maria voluntarijs etiam*, *refugium prouidit homicidis*; *Ipſa enim*, *& Domus refugij*, *vt ſaluos nos faciat quemadmodum cecinit*. Pſal. 30. Sic ille.

In M inueniunt refugium ij, qui timentes Dei iuſtitiam ad ipſum accedere formidant.

B.V. Ciuitas Refugij.

B.V. Domus Refugij ad ſaluandum.

63. In tremendo ergo illo Iudicij die voluntarij animarum ſuarum homicidæ ſcelerati peccatores, qui tamen ex hac vita in gratia deceſſere nullum præſentius Aſylum nullam ſecuriorem Ciuitatem refugij ab irâ, furoreque iuſtiſſimi, terribiliſſimique illius Iudicis reperturi ſunt quam Deiparam. Iudicis enim facies erit tam horribilis impijs, ac ſceleratis mortalibus, at acerbiſſima quæque ſupplicia æquiori animo tolerare mallent, quam eius aſpectum ſuſtinere. De his loquens Guerricus Ignotienſis Abbas ſer. 4. de S. Bened. *Et à facie tua Domine*, *quo fugiant*, *niſi in tenebras exteriores*, *in illud chaos*, *& abyſſum ignis*, *& caliginis*? *Tunc dicent montibus*, *cadite ſuper nos*, *& collibus operite nos*, *leuius æſtimantes abſorberi imagine Inferni*, *quam ſuſtinere faciem Dei irati*. Tunc igitur in tantis miſer homo conſtitutus anguſtijs, quo tādem confugiturus eſt, niſi ad pientiſſimæ huius Matris ſinum, ad vmbram alarum protectionis eius?

Facies ęterni Iudicis quam terribilis.

Damnati mallent ſuſtinere Infernum, quam faciem Iudicis irati.

64. Virgo enim, dilectiſſimum ſuū imitata filium, eſt Gallina pullos ſuos ſiue clientulos alis ſuis contegens, vt Bernardinns Buſtius aſſerit Part. 7. Marial. ſer. 3. *Nulla*, inquiens, *res eſt tam difficilis*, *quam maternus amor perficere ſe non poſſe arbitretur*. *Quod videmus in gallina*, *quę cum ſit animal infirmum*, *ac debile*, *pullorum tamen liberatione*, *ſe fortiora aggreditur*, *vt canem imò*, *& hominem*, *non pertimeſcat*. *Pro educatione quoque filiorum ſolicitè laborat*, *quod facit*, *& B. V. Peccator enim in hac vita omnium conſilio*, *& auxilio deſtitutus*, *niſi Virginis Matris*, *quæ ſingulari prærogatiua Mater*, *& aduocata peccatorum dicitur*, *adiuuetur interuentu*, *pereat neceſſe eſt*. *Hæc enim omni ſolicitudine ſe pro filijs ſuis*, *etiam contra fortiorem ſe*, *ſe interponit*. *Cùm enim peccator per culpam mortem mereatur*, *ipſa totis viribus DEVM inuadit*, *precibus*, *ac ſuffragijs*, *& pro ipſo intercedit*. *Imò ſi quis eius acquieſcat conſilio*, *vt Iacob Matris Rebecca*, *de filio perditionis euadet hæres æternæ gloriæ*. Sic ille.

B.V. eſt Gallina ſuos clientes velut pullos contegens alis ſuis.

Maternus Amor quam potens!

Si quis B.V. aquieſcat cōſiliis de filio perditionis euadit hæres æternæ gloriæ.

Quis igitur ſub tantæ Matris protectionis vmbra formidabit? quis ſummam non concipiat ſalutis fiduciam, die illo tam formidabili, die calamitatis miſeriæque pleniſſimo? Cùm hæc ſit anima-

ta

ta illa Arca pietatis, charitatisque plenissima, quæ, vt testatur S. Ioan. Apoc. 11. in cælo ad solatium quidem omnium, sed præsertim perfidorum Hebræorum, comparebit. Qua de re S. Epiphan. in vita Ierem. Proph. *In resurrectione primum Arca resurget, & prodibit de saxo, & in sina monte locabitur, & omnes sancti ad eam confluent, vt illic suscipiant Dominum, & fugiant inimicum, qui perdere illos affectabat.*

B.V. velut Arca comparabit in iudicio.

65. Ad Arcam hanc tanquam ad Asylum confugerat S. Athanas. cum ser. de sanctissima Deip. sic illam est allocutus: *Audi filia Dauidis, & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia, & de Domo Patris tui. Parentes enim tui sumus secundum generis prosapiæque rationem, nostraque filia es, quia ex nobis genita es. Decet enim te Matrem regeneratricem Dominam, ac heram cognominari, eo quod ex te prodijt Rex Dominus, ac DEVS noster, assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemque gratiam largienti. Qua de causa factum, vt gratia plena appellata sis, vtpotè, quæ omni gratia abundares. Ideòque vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis, & spiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus, recordare ergo nostri sanctissima. Intercede pro nobis Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei, quoniam ex nobis tu oriunda es, & is, qui editus est ex te carnigenus, DEVS noster est.* Hæc Athanas.

S. Athanasij pia ad B.V. oratio.

B.V. Domina ac Regina, eo quod ex illa Rex prodiit.

66. Ad Virginem hanc Arcam confugerat Seraphicus Bonauentura cum Psal. 5. pientissimè illam obsecrabat; *Domina ne in furore Dei sinas corripi me, neque in ira eius iudicari. Propter honorem Nominis tui Domina, propitietur nobis fructus gloriosi ventris tui. De porta Inferi, & de ventre mortis, tuis sanctis precibus libera nos. Aperiantur nobis Ianuæ sempiternę, vt enarremus in æternum mirabilia tua. Quia non mortui, neque, qui in Inferno sunt, laudabunt te Domina, sed qui tua gratia vitam æternam obtinebunt.*

S. Bonau. ad B.V. Oratio.

67. Confugerat Hieron. Vida Albæ Episcopus, tanquam ad sacram quandam Anchoram, ad Virginem nostram pientissimam dum illam Hymno de B. V. sic obsecrabat:

Hieronymi Vidæ Episc. ad B.V. Oratio.

Nunc ô stella maris nostri, nos aspice præsens,
Eripe tot pelagi pene haustos fluctibus acris.
Nunc lucem, lucisque tuæ iubar exere, & orbi
Exorere, ac radijs nigrantem discute nubem.
Ne quæso ne nos inopes hic desere; si quid
Dulce tibi fuit in terris, & amabile quicquam,
Per te, per charum oramus tua pignora Natū;
Perque sinus illos, quibus hęrens vagijt infans,
Brachiaque implicuit collo, innexusq; pependit
Dulce onus interdum, perque vbera quæ tener hausit;
Per pueri dulces risus, perque oscula blanda,
Per teneros lusus, per quicquid denique in illo
Dulce fuit tibi, curarum, gratumque leuamen,
Ipsum illum Patris ad soliū complexa precando
Da Genitrix facilem, & si forte piacula nostra
Auersum terris faciunt, tu sedula nobis
Concilia, vt iustas Patris in nos leniat iras.
Et quęcunque suis merito miscctué paratue
Diluat ille sui, pręsenti rore cruoris.
Mille procul nobis instare pericula cerno
Mille neces, rebus prope versis, mille ruinas.

68. Neque verò solum Diua Virgo nostra terribilem illum Leonem, de tribu Iuda contra sceleratos peccatores rugiētem mitigat, verumetiam manum suam, vt supra dixi Diuinæ iustitiæ lanci inijcit, ne demerita nostra, animas ad fundum Inferni deprimant. Quod Bernardinus Bustius Part. 2. Marial. ser. 2. insigni comprobauit exemplo. Postquam enim docuisset Deiparam esse librum, idest, corticem illum subtilem, qui medius est inter corticem extimum & arborem, quo olim antiqui ad scribendum vtebantur, dixissetque eo cortice Mariam designari, quæ facta est mediatrix inter DEVM, & homines, Vnde canit Ecclesia: Mediatrix hominnm, ablutrix scelerum, peccatorum venia, pôstquam, inquam, hæc aliaque plura præmisisset, magni cuiusdam peccatoris pertractat exemplum, qui in Spiritu ad supremi Iudicis tribunal perductus, multis Tartarei hostis allegationibus, æternæ mortis reus, Orcique victima comprobabatur. Contra quem, B. Virgine officium Aduocatæ suscipiente sapientissimèque respondēte, omnia eius argumenta dissoluebantur. Tandem cū Cacodæmon instaret, plura ipsius esse demerita, quam merita, eaque mandato Iudicis in bilancem appenderentur, lance sinistræ partis, in qua collocata erant demerita præponderante, subito Virgo gloriosissima, ac benignissima manum illam suam, per quam omne bonum vniuersorum Dominus nos habere voluit, in lancem dexteram, in qua paucissima quædam bona opera erant, appensa, mirâ facilitate iniecit, eamque vsque ad terram traxit, effecitque, vt alteri longè amplius præponderaret, nequicquam nequissimo humani generis hoste dentibus infrendente, ac tabescē-

B.V. Diuinæ iustitiæ lanci manum inijcit ne peccatores suorum peccatorum pondere ad Infernum deprimātur.

Quidam peccator ad supremi Iudicis tribunal adductus per B.V. à damnatione liberatur.

te, sicque patrocinante Virgine nostra apud Filium quam fidelissime, enormis peccator ille; immanes Orci faues euasit.

69. Idem patrocinium Virgo benignissima impendit cuidam Religioso, quod diebus singulis Salutationem Angelicam recitasset, vt scribit Ioannes Herolt Ord. Prædicat. in Mir. B.V. c. 56. Hic disciplinę Religiosę immemor cum dissolutius vixisset, affixus tandem lectulo ad extrema cum deuenisset, raptus est in estasin, viditque Sempiternum Iudicem pro tribunali sedentem, & Dæmones acerrimè accusantes, omniaq; eius scelera nimiũ quantum exaggerantes; In his angustijs infelix constitutus, Deiparæ quam toties salutauerat expertus fuit. Cum enim Dæmones ingentes codices in quibus eius peccata fuerant enarrata in medium produxissent; & contra Misericordiæ Mater innumeras scedulas Angelicis Salutationibus conscriptas ostendisset, mox Christus in bilancem illa omnia conijci iussit; cumque Virgo pientissima peccata præponderare, sua grauitate animaduerteret, in genua prouoluta ita supplicauit ad Filium: *Recordare dilecte Fili, quod de mea substantia visibilem hanc carnis substantiam acceperis, & ideo rogo vt vel vnicam guttam Sanguinis tui præciosissimi, quem in Passione pro peccatoribus effudisti, mihi concedas.* Ad quam Filius: *Impossibile est à me tibi aliquid ò Mater, denegari. Verumtamen scito quod hæc vnica sanguinis mei gutta, omnibus totius mundi peccatis longè præponderet. Accipe igitur quod petisti.* Quam vbi Virgo accepisset, inque stateram collocasset, omnibus illis Religiosi peccatis, perinde ac si fauilla extitissent, præponderauit. Quibus visis, Cacodæmones vlulantes confusi recessere conclamando: *Nimis hæc misericors est Christianis vnde semper prædam amittimus quoties sese in causas nostras immittit.* Ex quibus clarè perspicimus nõ solum Sanguinem præciosissimum Christi, quem de purissimis suæ Matris visceribus hausit, verumetiã Angelicas Salutatione, manibus Virginis in stateram Sempiterni Iudicis appensas innumeris mortalium sceleribus præponderare.

B.V. Angelicas Salutationes in bilancem Iudicis, & Sanguinis Christi guttam conijcit.

70. Tantam vim, ac exergiam vniuersorum Dominus, ac Iudex Virgineis illis, purissimisque suæ dilectissimę Matris manibus, vices illi pro assumptâ, ex ipsâ humanitate nostrâ, rependsurus, indidit. Agnoscit enim se illi nimium quantum pro pulcherrimo illo aureoque carnis paludamento, ab ipsa sola, ope, operaque Spiritus Sancti contexto debere; Vnde arctiori obligatione quam reliqui Filij, qui & Patri, & Matri generationem suam acceptam referre debent, sese adstrictum esse, pro summâ Sapientiâ sciens, libens, volensque vel solis ipsius annuit nutibus, voluntatemque eius magnâ animi sui voluptate exequitur.

Manus B. V. apud Filiũ quam sit potentes, & quare?

Christus plus debet B. Virgini, quam alii Filii Matribus suis.

Audiendus hic Theophilus Alexandrinus lib. de Incarnat. *Gaudet Filius, orante Matre, quia omnia, quæ nobis precibus suæ Genitricis euictus donat, ipsi Matri se donare putat, & acceptæ ab illa, sine Patre, humanitatis vices reddere.* Sic ille. Quapropter cùm ei duplicem quoddammodo honorem vtpotè Matri simul, & Patri exhibere teneatur tanquam Filius, omnibus eius petitionibus, magnâ grati animi significatione acquiescit. Vnde B. Bernar. serm. 1. de Assum. excitare volens nos ad habendam in Virginem ad cælos assumptam fiduciam, eodem vtitur argumento: *Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Mater misericorditer, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Ascendens in altum dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est. Denique Mater est Vnigeniti Filij Dei; nihil enim potest sic potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare, nisi forte aut non creditur Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest in affectum charitatis transiisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit.* Sic ille.

B.V. est plena charitate, siquidem increata Charitas in illius vtero 9 mẽsibus requieuit.

71. Et sane si filij hominum, è terra, lutoque compositi, solo naturali ducti lumine, bonisque præditi moribus, progenitores suos honore prosequi, eisque magnâ promptitudine obsecundare, filiali pietate consueuerunt: quid facturum speramus Dei Filium, à quo, velut fonte, lumẽ omne tam naturale, quam supernaturale, pietasque, ac virtutes morales reliquæ promanant? Rem miram narrat Dionysius Halicarnasseus de fortissimo illo Romanorum Consule C. Marito Coriolano bellatore vere Martio ac inuictissimo. Hic cum ob suspicionem affectatæ Tyrannidis à Tribunis plebis grauissimè esset accusatus, & cãdẽ ob causam in exiliũ pulsus, varijs-

C. Martii Coriolanæ insignis in Matrem suam pietas, atque obseruantia.

varijsque iniurijs à Romanis fuisset lacessitus, & ad Volscos Reipublicæ infestissimos hostes, apud quos etiam summo imperio erat postea positus, tantam vlturus ignominiam profugisset, à Veturia Matre, Matronis ex præcipuâ nobilitate, ac ipsa Volumnia Martij coniuge comitata, admirabili dexteritate, adeo sibi infestæ Vrbi reconciliatus est. Hæc enim cum ad Volscos venisset, publicumque auditorium postulasset, Maritoque thronus tanquam Imperatri, editiori loco fuisset extructus, iussissetque Sellam in pauimentum transferre, indignum ratus, è sublimi loco, & pro potestate cum Matre agere, sibi eam assidere voluit. Tum Mater inter varia, quæ prolocuta, vberrimis perfusa lacrymis memoratur, hæc fuere: Marce Fili ego te oro, ne bellum inferas patriæ, & obsisto tuæ violentiæ. Aut igitur me priorem obsistentem tibi Matrem tua manu furibundus interfice, & tunc bellum infer patriæ, aut Matricidium exhorrescens ei cede, & vltro hâc Fili dona Matri tuæ. Quod si repuleris Matrem tuam, & inhonaratam dimiseris, quid tibi propterea mali venturum sit, non possum dicere, auguror tamen nihil euenturum prosperi. Illud sat scio etiãsi cetera omnia tibi feliciter succedant, certè vindex dolor, qui meo, mearumque calamitatum nomine te comitabitur, nec animum tuum vnquam relinquet, nec sinet te vllius boni fructum in hac vita percipere. Nam si Veturia coram tot testibus contumeliosam patiatur repulsam, non sustinebit vel minimũ temporis spatium superuiuere, sed in conspectu omnium vestrum meipsam interficiam, dirasque, & furias tibi per me vindices, atque vltrices relinquam. Hæc elocuta humi se abijcit, & ambabus manibus Martij pedes amplexa deosculabatur, simul vim intolerabilem Martio pectori afferens. Accessit quasi ex composito ingens, & longus vniuersarum illarum Matronarum eiulatus.

Veturiæ Matris ad Coriolanum Filiũ efficax Oratio.

Volsci vero qui assidebant, nouitatem eius spectaculi non ferentes, auerterunt oculos. Tandem ipse Martius Maternâ pietate superatus, prosiliens è Sella, correptam Matrem semianimem erexit, eâque complexus, post multas lacrymas exclamauit: *Vicisti Mater, quod nec tibi bene vertet, nec mihi. Non patriam quidem seruasti, pium vero, & indulgentem Filium perdidisti.* His dictis omnem cogitationem vlciscendæ, atque exterminandæ Romanę Reipublicæ deposuit. Quod si Ethnicus hoc fecit, & se vinci pietate à Matre tantopere passus est, vt diceret: *Vicisti Mater vicisti;* quanto magis Christus à sua dilectissima Matre Virgine se vinci precibus, pro humano genere profusis, patietur, à qua sine Patre totum esse hominis accepit? Dicet illi sine dubio in quacunque pro nobis apud se facta interpellatione, licet summo furore ad perdendum peccatores esset obarmatus, dicet mihi credite: *Vicisti Mater vicisti, nihil tibi petenti negare possum, tui minimi nutus, mihi sunt imperia.* Ita nimirum victum se fuisse fatebatur cum dicebat Cant. 4. *Vulnerasti cor meum, soror mea spõsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Vbi vnico ipsius oculi nutu expugnatum se confiteri visus est.

72. Hanc singularissimam in peccatores pietatem misericordiamque Deiparæ Virginis quâ orbi iratum Filium placare consueuit expendens Franciscus Mendoza noster, pulcherrimũ illud in suo Viridario lib. 2. Prob. 2. Problema proposuit. *Vtrum nobis vtilius sit IESV Nomen Sanctissimũ implorare, an Nomen Mariæ?* Et respondet quod licet sit maior Christi, quam B. Virginis apud æternum Patrem gratia, maior auctoritas, tamen nonnunquam facilius nostris precibus moueri Deiparam, quam Christum, ac proinde præsentius nobis esse aliquando Matris, quam Filij patrocinium. Docet hoc nos Virginis beatissimæ studiosissimus Anselmus aureo illo de Excell. B.V. libro cap. 6. circam finem. Vbi cum præmisisset: *Nihil vtilius post DEVM memoria Matris eius, nil salutarius meditatione pij amoris, quo feruebat in memoria, & contemplatione Filij sui, nihil iucundius sapore pertractati gaudij eius, quo multipliciter pascebatur in eodem, & per eundem Filium. Sæpe quippe vidimus, & audiuimus plurimos hominum, in suis periculis, horum recordari, omnisque periculi malum illico euasisse.* Vbi, inquam, hæc præmisisset, mox attexuit: *Sæpe quippe vidimus, & audiuimus plurimos hominum in suis periculis hominem recordari, & omnis periculi malum illico euasisse. Velociorque est nonnunquam salus memorato Nomine eius, quam inuocato Nomine Domini IESV vnici Filij sui. Et id quidem non ideo fit, quod ipsa maior, & potentior eo sit; nec enim ipse magnus & potens est, per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo propitior salus in recordatione eius, quam in filij sui sæpè percipitur? Dicam quod*

Facilius aliquando nostris precibus, mouetur B. V quam Christus.

sentio. Filius eius Dominus est, & Iudex omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur ipse à quovis suo Nomine inuocatus, non statim exaudit, profectò id iustè facit. Inuocato autem Nomine Matris, etsi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiatur. Hoc denique vsus humanus quotidie probat, cum quis proposito Dominico Nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod simpliciter sua prece nequaquam impetrare potest. Itaque si tam vtilis aliquando in subueniendo memoria Nominis Matris Dei existit, non mirum si magnæ salutis afferat fructum frequens meditatio amoris eius, &c.

Merita B.V. efficiunt, vt Christus nos inuocato Matris nomine citius exaudiat.

73. Hanc Diui Anselmi rationem præclarè illustrauit Seraphicus Firmanus Canonicus Lateranensis Probl. 54. *Quia*, inquiens, *a filio in Virginem deriuatur Diuina pietas, absque vllo iustitiæ terrore. At in filio licet attrahat pietas, terret tamen, quod scriptum est, Iudicem eum esse adeo seuerum, vt rationem sit exacturus, de vnoquoque verbo otioso. Quid autem mirum, si magis præsidat reus in sola pietate, quam in ea iustitiæ coniuncta, quando eadem est Diuina pietas, in vtroque, & filij, & Matris tribunali? Et hoc fortasse aiebat Dominus: Qui credit in me, maiora horum opera faciet; quod non est aliud dicere quam, maiora per fideles meos operor, quam per me ipsum. Quare vmbra Petri sanabat infirmos, quod non legitur de Christo.* Ex quibus luculenter perspicimus nil mirum esse quod iniectâ in diuinæ iustitiæ stateram Marianâ dexterâ nimium quantum lanci illa præponderarit, cum vel ad solum eius Nomen Filius materna in se contemplans merita, salutem accelerare consueuerit; Et si denique vmbra Petri tantum potuit, quanto magis intercessio Matris?

A Filio in B. V. deriuatur Diuina Pietas, absque vllo iustitiæ terrore.

Hanc Virginei auxilij velocitatem ad succurrendum pientissimo cum affectu mortalibus, ipse Virginis asterismus nobis indicat, dum illam elatam repræsentat. Alas illas Aquilinas esse crediderim. Sic enim illam in Magno illo signo, quod apparuit in cælo Ioannes cõtemplatus est: *Datæ sunt*, inquit, *Mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret.* Apoc. 12. Ad eandem celerrimam Virginis in humanum genus declarandam prouidentiam, in capite eiusdem cælestis Virginis quatuor visuntur stellæ, duæ in facie, totidem in occipite, quibus velut lucidissimis, amplissimisque oculis ad instar Argi miserias nostras introspiciens, mox ad eas à nobis quam citissimè amoliendas aduolat, seseque illicet ante supremi Iudicis tribunal sistit, causasque nostras materna cum potestate apud Filium agitat, miraque velocitate expedit, in illisque mirificè triũphat. Hoc agnoscens B. Laurent. Iustinianus Patriarcha Venet. eam rogabat vt causam suam ad illud Diuinum ac formidabile agitaret tribunal, eam ita compellans: *Non te repellet ò Virgo, qui nasci voluit ex te, honorauit te, requieuit in te, teque collocauit apud se, qui fecit te IESVS Christus Dominus noster.* Hinc Dionys. Carthus. Virginem hanc nostram vocat *singulare peccatorum refugium, miserorum spem, Aduocatam omnium iniquorum ad se confugientium, adeoque mundi Saluatricem quodammodo* Idem ait Virginem eandem pro nobis iugiter orare, nosque inuocantes clementer suscipere, & exaudire, nobisque insuper gratiam procurare, & contra hostiles impetus assistere, nec deesse morientibus. Denique ipse Dionysius de se fatetur, quod certo experimento didicerit Mariæ salutationem, atque inuocationem ex corde profectam, cum afflictis omnibus, tum formidolosis, qui nocturnis spectris, ac Diabolicis terroribus commouentur, maiorem in modum opitulari. Hinc Honorius Anacoreta: *Nomen S. Mariæ plenum omni dulcedine, ac suauitate Diuina, dignum æterna memoria, omni ore simul, & corde celebrandum, inuocandum, & glorificandum.* De hac denique gloriosissimæ Virginis nostræ apud supremum Iudicem siue potestate, siue Omnipotentia præclarè Nicephorus Callistus lib. 15. Hist. Eccles. ca. 25. *Nihil est prorsus quod V. matri aduersetur, quod non continuo eius potestati cedat, etiamsi Dæmon sit, aut morbus immedicabilis, nihil non illa faciet, dummodo rectè pièque sit petitum.*

Signum Virginis alatæ, quid significet?

Stellæ duæ in facie Virginis, totidem que in eius accipite quid denotant.

B V. velut Argus oculata ad nostras videdas miserias; alata ad illa, citius amoliẽdus.

74. Quam ob causam Dauid contemplans potentiam hanc virtutemque Virginis apud supremum illud Tribunal hortabatur omnes Psalm. 47. *Ponite corda vestra in virtute eius.* Q. D. In nulla re huiusmodi spes vestras, desideriaque defigite, si tuti in tremendo Iudicij die esse cupitis, nisi in sola Virgine, eiusdẽque virtute, potentiâque infinitâ qua pollet apud æternum Iudicem cor, spem que vestram collocate. Hinc Ecclesia ipsam spem nostram salutauit: Vita, dulcedo, & spes nostra salue. Hinc Sibylla Libyca carmen illud, cum in honorem Virginis proferret:

Sibylla Libyca de B.V. loquens caput viridi Corona cingebat, vt se viuam spem in illã hærede ostẽderet.

Regi-

Reginę mundi sanctus per sæcula viuas.
viridi corona caput suum cingebat, vt affirmat Fereolus Loerius. Quod ideo fuisse crediderim, vt se viridem, semperque vernãtem in Dei Genitricem spem habere ostenderet, aliosque tali facto ad ponendum corda in Virginea virtute, infinitaque eiusdem potentiã hortaretur, nobisque persuaderet spes nostras post DEVM vniuersas in illam reponẽdas, cuius vel solis nutibus, vt ante diximus summa illa Maiestas obtemperare videtur.

Spes nostræ vniuersæ post DEVM in B. V. defigendæ.

74. Quod Virgo vnica post Deum spes nostra sit, intellexit B. Ephreem cũ in Lament. B. V. sic exclamauit: *O' Sacrosanctissima desperantium spes, & damnatorum Patrocinatrix!* Agnouit, & Theoleptus dum eam sacram Anchoram vocitat: *Ad opem tuam, ceu ad Petram, tutamque Anchoram immaculata Virgo confugio, ne me repelle, sed toties in peccata lapsum eripe.* Agnouit, & Leo verè Magnus orientis Imperator, qui Hom. 6. sic eam alloquitur: *O' tegumentum, ò perfugium, & Anchora, quæ totum mundum contines, & seruas!* Agnouit D. Matthæus Philadelphiensis Ephesiorum Archiepiscopus dum in or. ad B.V. eam sic alloquitur: *Tu sacra naufragantium Anchora.* Quam porro tuta sit hæc nostra spes reposita in Virgine, idem Ephreem docuit, dum illam alloquendo pronunciauit: *Tu noster es Portus Virgo intemerata.* Et S. Epiphan. lib. de laud. B.V. *Maria*, inquiens, *myrrha maris interpretatur. Mare autem dicit vniuersum mundum. cui Virgo serenitatem, & tranquillitatem contulit, dum Portum peperit Christum.* Sic Epiph. Non est spes ista quam habemus de Virgine, vt illa, à Platone somnium vigilantium appellata, qualis spes rerum mundanarum ac futilium ad instar fumi euanescentium, esse consueuit. Sed spes vere felix, verè beata ac vnica nostra post DEVM, quam S. Hieronymus, solatium laborum, & quasi salsamentum quo omnes vitæ huius molestiæ ac miseriæ condiuntur; quam S. Ambrosius furem timoris, dum in nobis vanum omnem timorem expellit, & quasi suffuratur; quam S. Augustinus vitam vitæ: Vita enim sine spe, mors potius dicenda est quam vita; quam denique Apostolus Hebr. 6. vocitat Anchoram in hoc procelloso mari huius sæculi fluctuantibus: Confugiamus igitur vt idem hortatur ad hanc Virgineam à Deo nobis propositam spem, quam sicut Anchorã habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis donec tandem reuelata facie gloriam Domini in cælis contemplemur.

B.V. sacrosancta desperantium spes, & damnatorum Patrocinatrix.

B V. tuta Anchora.

B. V. sacra naufragantium Anchora.

B. V. Mundo serenitatem, & tranquillitatem attulit, dum illi Portum peperit Christum.

75. Quod porro Deiparę vnicę spei nostræ vel solis nutibus, cordisque eius desiderijs suprema illa Maiestas obtemperare videatur, hoc nobis ipsa Virgo insinuare visa est cùm dixit Cant. 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Hac enim tam casto, amãtique complexu quid aliud indicare voluit, quam sponsum non præstolari vt sponsa dilectissima aperiat os suum, suaque illi desideria, siue pro se, siue pro hominum salute proponat, siquidem manum suam dexteram cordi ipsius applicat, vt eius voluntatem intelligat, omniaque quæcunque voluerit, omnipotenti suâ dexterâ, exequatur. Neque verò solum ea, quæ Virgo desiderat, verumetiam ex quæ cogitat, executioni mandat, dum læuam capiti, ad cogitationes eius percipiendas supponit. Quas quia videt, & menti, & cordi suo conformes, cum planè tota secundum cor Dei, ad instar Parentis sui Dauid fuerit conformata, mox eas executioni mandat. Vnde S. Anselmus libr. de Excell. B.V. cap. 12. hac in Virginem fretus fiducia illi dicebat: *Ne sis quæsumus exoratu difficilis, quia proculdubio benignissimus filius tuus Dominus noster IESVS Christus erit ad concedendum quidquid voles promptissimus, & exaudibilis. Tantummodo igitur velis salutem nostram, & verè nequaquam salui esse non poterimus.* Et Bernar. serm. de Natiu. *Frustrari nequit, quod postulat Maria.* S. Germanus denique Archiep. Constãt. orat. de Zona: *Potens est eius auxilium ad salutem, & non indiget aliquo alio intercessore.*

Christus ipsas Matris suæ cogitationes, ab qi alia postulatione exequitur.

76. Idcirco B. Georgius Nicomed. orat. de Præsent. B.V. eam vocauit Omnipotentem. Et S. Petrus Chrysologus, Deam: *Per orationem*, inquiens, *fit Moyses Pharaonis DEVS, & ad triumphos suos, militare sibi omnia mandat elementa: & per orationem Virgo fit vniuersæ, tanquam Dea creaturæ.* Hinc denique Guerricus Abbas introducit filium ante assumptionem eius in cælum sic ipsi loquentem ser. 2. de Assum. *Veni electa mea, & ponam in te Thronum meum. In te quandam mihi regni sedem constituam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministrauit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti* mihi

B.V. per orationem B.V. fit vniuersæ tanquã Dea creaturæ.

mihi præter alia, quod homo sum, comunicabo tibi, quod DEVS sum. Quapropter hanc ipsius apud se potentiam pene Diuinam, suamque imitantem sponsus agnoscẽs, inuitabat illam ad cælum, vt velut Astræa Virgo sese inter libram, Leonemque pro peccatoribus interponeret: *Veni,* inquiens, *de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.* Illa enim præpositio De, communiter accipi solet pro; Propter, vti accepit Tullius orat. 3. in Verrem: *Flebat vterque non de suo supplicio, sed Pater de filij morte:* Cùm igitur spõsus inuitat: Veni de capite Amana, intelligendum eam inuitari ad celeste Regnum, propter caput Amana, propter verticem Sanir, & Hermon, propter cubilia Leonum, propter montes Pardorum, propter superbos, inquam, obduratosque peccatores, qui velut montes scopulosi ac duri in cælum quodammodo suâ proteruiâ fastuque minitantur, quales sunt de facto Iudæi, per Amana, Sanir, & Hermon Palestinæ montes designati. Propter denique Gentilitatem quam rectè dixeris fuisse cubile Leonũ, montemque Pardorum ob efferatã morum barbariem, ac crudelitatem, variorumque vitiorum monstra, quæ eorum pectoribus, ceu latibulis tecta delitescebant. Inuitat ergo sponsus Matrem dilectissimam, vt de Libano sanctitatis, candoreque puritatis quam tot annorum decursu, assiduis virtutum incremẽtis sibi comparauit ad beatam patriam tot laborum, meritorumque præmium perceptura conscendat, vt tam pro gente suâ, quam pro gentilitate, atque adeo pro vniuerso orbe apud se, ne ob sua scelera pessundetur, intercedat; atque ita pro illis intercedendo, nouis meritis coronisque variorum regnorum in cælo augeatur ac decoretur. Regna enim mundi, caput illud Amana, verticem Sanir, & Hermon Rupertus interpretatur: *Regina mundi huius, inquiens, quædam capita, vel quidam vertices rectè dicuntur, nocturna auis, quod interpretatur Amana; dẽtes vigiliarum, quod Sanir; & Hermon, quod anathema, Regna, inquam, vera anathematizati Diaboli à Deo separati, qui cum sit Princeps tenebrarum, & tanquam Leo rugiens circumeat quærens, quem deuoret, rectè, & nocturna auis, & dens dicitur vigiliarum.* Sic Rupertus.

Christus inuitat B. V. ad cælum inter reliquas causas, ad intercedendum pro peccatoribus, Hebreis, Gentilibus, &c.

Gentilitas Cubile Leonum, & Mõs Pardorum.

B. V. ad cæleste Regnum à filio euocatur, pro mũdi Regnis apud ipsum intercessura.

77. Quod si cum Gilberto Abbate serm. 29. in Cant. loco; de capite Amana; legamus; *De capite Sarmana; quod populus vanus, & coangustans; & de vertice Sanir, de vertice Seir, quod hispidus interpretatur;* adhuc efficacius atque vniuersalius Deiparæ Virginis apud filium, absque vllo personarum discrimine, patrocinium intelligimus. Quis enim populus ille vanus atque coangustans est alius, quam gentilis, qui vana, & nihili adorans Idolorum simulacra, & ipse vanus, sesesque inter creaturas, relicto creatore, coangustans, factus est? Quid enim vanius, inquit, Gilbertus, illo populo, quorum ipsi doctores *euanuerunt in cogitationibus suis, & dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt? Quid angustius illis, qui desperantes semetipsos tradiderunt immunditiæ? Angustum enim est cor, quod finem votorum intra temporalis iucunditatis metas contrahit, nesciens, spem ad æterna dilatare. Quis populus ille peccatorum aculeis hispidus, ad instar herinacij est alius, quam populus Iudaicus, imo mortalium genus vniuersorum, quod non tam spinarum, quam peccatorum suorum mucronibus Saluatoris caput compunxerat?* Pro his omnibus, vt quantocyus incælestem patriam euolet, intercessura apud Filium, ab æterno Patre euocatur, vt de illorum salute, æternaque gloria auream, immortalemque glorię Coronam cum alijs Aureolis, consequatur. Vnde idem Gilbertus sic Patrem æternũ Virginem alloquentem introducit: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes mundi istius montes tibi sunt in Libanum conuertendi. Molestum planè gentis tuæ detrimenta, & desolationem videre, sed molestiam hanc tam lucrosa commutatio compensat, vt vnius damna redimat prouentus vberior. Noli ergo moram nectere, sed veni, vt de gentium fide, & conuersione coroneris.* Concludit tandem per montes illos non modò Iudæam, & Gentilitatem, verumetiam vniuersam Ecclesiam intelligi, pro qua, vt intercedat apud filium ad cæleste Regnum, coronanda, inuitatur.

B. V. pro Gẽtilibus apud filium intercessura ad cælum euocatur.

Iudaicus populus peccatorum aculeis hispidus instar Herinacij.

B. V. vt pro vniuersa Ecclesia apud filium intercedat ad cælum inuitatur.

78. Quo sanè Aduocatæ officio Virgo nostra benignissima modo longè, ab huius mundi Aduocatis diuerso perfungitur, siquidem nullo habito pauperum, diuitumque discrimine, absque vlla personarum acceptione, clausis quasi oculis, causas, singulorumque negotia, mirâ prorsus pietate acceptat, agitatque, & cura illi est, vt loquitur S. Bernardus, de omnibus. Quod nobis ipsa Virgo insinuare visa est cum dixit:

Ego

Ego dormio, & cor meum vigilat. Cant. 5. Quibus verbis indicare voluit singularem suam solicitudinem, vigilantiamque, quam pro vniuersali Christi gerit Ecclesia, vt cardinalis affirmauit Halgrinus. *Nam licet in seipsa,* inquit ille, *dormiat, & quiescat, pro nobis tamen est piè solicita in precibus ad Filium, & in defensionibus contra inimicum.* Sic ille.

B.V. pia solicitudo pro vniuersa Christi Ecclesia.

79. Quæ sane solicitudo Virginis, somno clausis, sopitisque oculis videtur planè admirabilis. Siquidem Regis vigilantiam Aegyptij, alijque populi, sceptro cuius in vertice insopitus radiabat oculus, exprimebant. Voluit nimirum Deipara pientissima eo loquendi modo nobis significare, se quidem pro Iudæis, & Gentilibus adeoque pro vniuersa Ecclesia pia assiduâque solicitudine in precibus apud Filium vigilare, sed tamen clausis oculis, absque vlla videlicet personarum acceptione, neminem in faciem, an ater, albus vè sit, intuendo, cum Mater misericordiæ vniuersalis, pro toto mundo à Deo constituta sit. Ad quod faciendum ea singularis in mortales omnes amor exstimulat, cùm ipsa Amor, ipsissimaque charitas esse videatur, adeo, vt eius pijssimi affectus probè conscius Filius, eam, ipsam Charitatem vocitare non dubitauerit Cant. 7. 6. Vbi enim legit vulgatus: *Quam pulchra es, & decora charissima in delicijs!* Legere 70. Interpp. *Quam pulchra, & quam suauis facta es Charitas in delicijs!* Cùm igitur Virgo nostra ipse sit amor, & tota charitas, velatis quodammodo oculis nobiscum procedat, absque vllo personarum discrimine, necesse est. Licet enim Amor profanus cæcus pingi sit solitus, quod hominem excæcet, deque mentis statu deturbet, adeo vt benè cecinerit de illo Alciatus Embl. 113.

B. V. est Mater vniuersalis, absque personarum acceptione.

B.V. ob suam singularem in nos Charitatem ipsa Charitas vocatur.

Tela alasque ferens, lumina nulla tenet.

Et Propertius Eleg. 2.

Scilicet insano nemo in amore videt.

Et Ouid. in Epist.

Quid decet non videt vllus amor.

Amor profanus cæcus, at vero Amor Deiparæ erga nos est multi oculus.

Virginea tamen hæc charitas, Amor hic in humanum genus Deiparæ nostræ amantissimæ cæcus hac ratione non est, cum S. Epiphanius eam appellet *Multioculam*, & S. Ephreem Cherubinis *oculatiorem*; sed cæcus duntaxat, quatenus illi claudit oculos, vt absque personarum vllo discrimine causas nostras memorialiaque supremo Iudici deferenda suscipiat, omnibusque indiscriminatim misericordiæ suæ viscera patefaciat. Hinc ipsa dicebat, se pro impijssimis etiam, atque ingratissimis, apud filium memorem futuram: *Memor ero Raab, & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ Tyrus, & populus Aethiopum hi fuerunt illic.* Vbi per Raab secundum textum Hebrêū superbi intelliguntur, vt vult Rabbi Abraham, & Rabbi Dauid. Et quoniam Aegyptij superbiâ suâ Dei iracundiam ad infligenda formidabiles illas plagas prouocauerunt, Chaldæus Paraphrastes per Raab intellexit Aegyptios, qui aliquam Virginis cognitionem tum ex Ieremiæ Prophetæ apud illos habitâ prædicatione, tum ex illa ipsius in eorum terra per quinquennium cum filio commoratione, habuere. Atque ita Virgo nostra ex innatâ sibi benignitate, nullo personarum habito respectu, albinè an atri, Aegyptij, an Europei, Aethiopes, an Arabes, Tyrij, an Sidonij, Garamantes, an Indi, domestici, an alienigenæ sint, pollicetur se omnium in cœlesti curiâ apud Filium memorem futuram, omniumque miserias, amplissimo miseraturam affectu.

B.V. Amor in nos causa dici potest, quatenus omnes absq. personarum accept. nos diligit.

80. Vniuersalem hanc denique in omnes Virginis nostræ absque vllâ differentiâ personarum admiratus beneuolentiam merito exclamauit Sponsus: *Quæ est ista quę progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Cant. 6. Verè enim Deipara benignissima, velut Aurora, orbem vniuersum, loca omnia etiam remotissima, vbi non reperit obstaculum, luce pietatis suæ perfudit. Verè velut Luna candidissima atque pulcherrima noctem infidelitatis, aliorumque scelerum vbique, remoto obstaculo, detersit caliginem. Verè denique, velut lucidissimus syderum Princeps Sol, roseâ suâ, radiantique facie, luce potentissimâ, caloreque vitali orbem vniuersum illustrauit. Vnde illa totam Sole amictam Ioannes Apostolus Apoc. 12. conspexit. Ad Virgineum hunc Solem etiam Saluatorem, oculum direxisse fortasse censuerim, dum eam, absque personarum differentiâ patrocinaturā intelligeret, cùm dixit: *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos,* Matt. 5. Ad quæ Verba eleganter Seraphicus Bonauen. *Quis est, super quem Sol iste non luceat? Quis est, super quem misericordia Mariæ non resplendeat?* Quare præclarè S. Bernardus affectum hunc misericordiæ in omnes

B.V velut Aurora, Luna, & Sol omnia indiscriminatim illumina:, si obex absit.

nes vniuersalem expressit serm. de verb. Apoc. *Omnibus omnia facta est. Sapientibus, & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi.*

B.V. omnib. omnia facta sapientibus, & insipientibus.

81. Guilelmus Abbas denique in Virginem pientissimus ob indifferentem hunc eius in mortales omnes pietatis affectum Craterem appellauit tornatilem nunquam indigentem poculis. Cant.7.2. *Nempe vmbilicus ille Virgineus*, inquiens, *Dei filio carnis substantiam, in qua pro hominibus moreretur, per calorem Spiritus Sancti ministrauit, atque eo ipso quasi Crater tornatilis vitam mundo propinauit. Crater, idest, Scyphus magnus vere, sine angulo, & ruga, quia laudabili æquitate, idest, sine acceptione personarum, quantum in se est omnibus salutem propinat. Non enim despectis piscatoribus, vitam propinat Imperatoribus, quod vtique si faceret Crater quidem, sed vtique Tornatilis non esset. Crater hic nunquam indiget poculis. Quotlibet inde hauriant, & quantumlibet hauriant, nequit exhauriri. Nam, etsi inde bibunt omnes peccatores terræ, nihilominus abundat, & redundat. Quotidie toti mundo de illo Cratere magno propinatur, & non deficit. Quod inde per plenitudinem causæ manauit, cum Verbum caro factum est, per effectum nobis quotidie explicatur, & non aliunde, quam de vmbilico Virgineo propinatur salus, quia non nisi in Filio Virginis salus.* Vnde Propheta nos prohibet confidere in filijs hominum, in quibus non est salus. Hæc ille.

B.V. Crater tornatilis cur dicatur.

B.V. despectis piscatoribus, non propinat vitam Imperatoribus.

82. Idem deuotissimus Abbas Virginis oculos, quibus pientissimâ solicitudine miserias omnes mortalium circumspectat, vt illis mox prouideri possit, piscinis illis latè patentibus Hesebonis comparauit Can.7. *Piscinis Hesebon*, inquit, *assimilantur oculi piæ Matris; nam plena erat oculis, & vtique multo plenior, quam quodlibet illorum quatuor animalium, de quibus scriptum est, quod in circuitu, & intus plena sint oculis. Plena, inquam, erat oculis prouidentiæ sine intermissione prouidendo bona, non tantum coram Deo, sed coram omnibus hominibus.* Vt ostendat porrò quam vacua fuerit omnibus animi passionibus, atque perturbationibus, vt iræ, vt inuidiæ, quæ pietati contrariè esse consueuere, addidit: *Plane hos oculos eius nullus vnquam vel tenuis carnalis illecebræ puluis fuscauit; nullus vel modicus æmulationis, siue iracundiæ motus turbauit, sed ad instar aquæ viuæ puri semper, atque perlucidi fuere. Quia nihil in se turbulentum, siue puluerulentum habebant, sed quandam aquæ viuæ, idest cælestis gratiæ similitudinem exprimebant.* Sic ille.

B.V. Oculi cur piscinis Hesebon comparentur.

B.V. plena oculis ad instar mysticorum Animalium ob prouidentiam suam.

B.V. absque omni passionum perturbatione extit.

83. His illa misericordiæ plenissimis oculis omnium populorum gentiumque, Iudæorum, atque gentilium, reliquorumque infidelium errores sceleraque, velut Mediatrix, de cælo circumspectans, ad Filium conuersa pro illis, ac maximè pro Gentilibus intercedit, affectu materno filium ad eorum conuersionem inuitando, Veni, inquiens, Dilecti mi, egrediamur in agrũ, commoremur in villis. Cant.7. vers.11. Quam inuitationem librans idem pijssimus in Virginem Guilelmus: *Ipsa pia Mater ad Filium iam assumpta, vberrimis meritis Apostolicum laborem addiuat, & primitias ex circumcisione, per eos acquisitas Filio iugiter commendat. Vbi ergo Iudæi in verbi salubris ministros apertè sæuire cæperunt, & lapidando Stephanum, occidendo Iacobum, vinciendo Petrum, arbitrati sunt obsequium se præstare Deo, super tanta ingratitudine, & cæcitate eorum, pia Mater indignata, & conuersa ad filium:* Veni, inquit, *Dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in Villis. Parum est te esse in Iudæa notum, & in solo Israel magnum esse Nomen tuum. Vt ergo vsque in Idumeam extendas calceamentum tuum, & salues populos gentium, veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Denique populus Israeliticus repulit à se Verbum Dei, indignum se iudicauit vitæ æternæ. Vt ergo delictum eorum diuitiæ sint mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, eamus in mundum vniuersum, & prædicetur Euangelium omni creaturæ. Egrediamur de illa Ierusalem, quæ melius Babylon dicitur, pro eo quod non nouit tempus visitationis suæ, & adhuc, scandalum patitur in Cruce Saluatoris sui. Egrediamur hinc, & commoremur in villulis gentium, vsque ad vesperum sæculi. nam iuxta Prophetiam Dauid Psalm.58. Conuertentur ad vesperam, de quibus* ait Isaias 10. cap. *Si fuerit Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eis. Non sine me egredieris, aut sine me alicubi commoraberis, quia ego semper tecum, & præ omnibus te sequor ò Agne quocunque ieris, tecum manebo, vbicunque moram feceris, nam grata mihi erit Gentium salus, nec assumam laudem, vel orationem pro domo Israel vsque ad tempus.*

B.V. inuitat filium ad cõuersionem animarum, & maximè Gentium.

B.V. pollicetur se Christo in conuersione animarum sociam futurã.

O'admirandam Deiparæ nostræ, amplissimamque pietatem mortales omnes absque vllo discrimine complectentem! O'charitatem misericordiamque Vir-

Virginis, gentium omnium linguis, literarumque monimentis longe, lateque prædicandam! Vnde iure Bernardus mellifluus, ad illam factâ apostrophe ferm.4. de Assumpt. pronunciauit: *Sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui inuocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus Virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur, charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus. Hęc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Constat enim pro vniuerso genere humano fuisse solicitam, cui dictum est: Ne timeas Maria, inuenisti gratiam, vtique quam quærebas apud DEVM.* Tu conuersus ad Virginem, amplitudinemque quandam eius misericordiæ immensam vniuersum orbem amplectentem contemplans, & præter trinam illam quantitatis dimensionem Aristotelicam, quartam, nempe altitudinis infinitę, cælos penetrantis super addit, exclamatque: *Quis ergo misericordiæ tuæ, ô Benedicta, longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? Nam longitudo eius vsque ad diem nouissimum inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum eius, sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, Infernus euacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data; Sic potentissima, & pijssima Charitas, & affectu compatiendi, & subueniendi abundat affectu, æquè locuples in vtroque.* Quare hortatur omnes vt ad hanc tam immensæ pietatis Virginem, tanquam ad Mediatricem, & tanquam pijssimam Aduocatam, tanquam amplissimum vberrimumque misericordiæ fontem recurrant, vt coram superno Iudice gratiam inuenire valeant. *Ad hunc igitur fontem*, inquit, *sitibunda properet anima, nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum tota solicitudine miseria nostra recurrat.* Vniuersalem hanc in omnes pietatem, misericordiamque Virginis absque vllo

Misericordia B.V. longa, lata, sublimis, & profunda.

Ad B.V. tanquam ad fontem misericordiæ sitibunda properare debet anima.

personarum delectu descripsit Pater Ioannes Herolt alius Discipulus Ordinis Diui Dominici ferm.34. de Natiu. B. Virg. vbi postquam dixisset ex Bernardo datam B. Virgini potestatem; in cælo, & in terra, vt omnia quęcunque voluerit valeat impetrare; hęc attexit: Ex quibus patet, quod eius potestas est tanta, quod omnibus hominibus nobilibus, & ignobilibus, ciuibus, rusticis, viris, mulieribus, filijs, & filiabus; famulis, & famulabus potest subuenire cum eam deuotè implorant. Etiam omnibus temporibus, in hyeme, in æstate, de sero, mane, in meridie in media nocte potest succurrere eam inuocantibus; Etiam in omni loco, in campis, in aquis, in domo, in foro, in mensa, in lecto potest subuenire. Etiam in omnibus causis in paupertate, in tristitia, in persecutione, in infirmitate, in tentationibus varijs, & in omnibus necessitatibus, ac pręsertim in æternæ damnationis periculo. Qua de re plurima libro de Miracul. B. Virg. affert exempla. Vnicum de quodam Rustico memorasse sufficiat, quo etiam huiusmodi viles, abiectosque homines minimè à misericordiæ Parente despici intelligamus. Erat hic varijs peccatis implicitus, & alienis inhians, alienam terram metas transgrediendo furtim vsurpabat. Illud laude dignum in hoc agricola reperiebatur, quod Deiparæ Virginis pietatem, velut bonorum omnium radicem, cordi suo altissimè insitam gereret. Vnde factum, vt cum animam iam esset exhalaturus adfuerint Angeli, & Cacodęmones. Et hi quidem ipsius peccata, furtaque commemorando, reum ęterna damnatione clamitabant: Angeli autem, cum dixissent, eum de peccatis illis iam egisse pœnitentiam, semperque cultui Dei Matris, eam quotidie, magnâ deuotione salutando, fuisse addictissimum, teterrimos illos Orci Tenebriones in fugam egerunt; sicque anima illa, inquit idem Heroldus, erepta ab aduersariorum potestate, perpetuam damnationem euasit, largiente Deo per merita suæ Genitricis. Claudamus discursum hunc eiusdem Sancti Doctoris oratiuncula illa ad Virginem breuissi-

ma, rogemusque vt miserias nostras suâ bonitate suppleat, vt in Iudicio tam particulari quam vniuersali sese velut illa Virgo cælestis inter Leonem illum terribilem de tribu Iuda nempe Filium, & Libram, ipsius videlicet rigidissimam iustitiam, ac iudicium, interponat, nobisque sua pietate patrocinetur; *Sit pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipsam, quam apud DEVM gratiam inuenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem, sanctis tuis precibus obtinendo. Fac denique vt dulcissimum Mariæ nomen cum laude inuocantibus seruulis, per te Regina clemens gratiæ suæ munera largiatur IESVS Christus Filius tuus.*

Amen.





DISCVRSVS XXXIV.

Quod B. Virgo Spica Virginis, Christum in Eucharistia, beneficio Deiparæ contentum denotet.

1. INter reliquas Virginei Asterismi stellas, vna est pre reliquis, vtpote primæ magnitudinis, in manu sinistra Virginis lucidissima, quam Astronomi Spicam Virginis appellarunt, tantæque tamque ingentis est vastitatis, vt secundum Astronomorum sententiam, omnino 115. terræ globos complectatur. Hanc nos iure meritissimo, ob incompræhensibilem hanc pene magnitudinem, Dei ipsius filium Christum Matris sinu, manibusque gestatum dicimus. Hic enim reuera pijssimæ magnitudinis est stella fulgentissima, vti ipse de se testatur Apoc. 1. *Ego sum stella splendida, & matutina;* Hic est summus ille vniuersorum Dominus, de quo canebat Dauid Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*. Et Psal. 146. *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & Sapientiæ eius non est numerus*. Hic est ille de quo Gabriel Archangelus ad Virginem: *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*. Immensam denique huius magnitudinem exprimere volens Iob cap. 11. dixit: *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior Inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari.* Magnitudinem hanc quoque eiusdem immensam contemplatus Vates Regius canebat. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælo, tu illic es, si descendero in Infernum ades! Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc Manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ps. 138.

Stella in Spica Virginis est primæ magnitudinis centum & 15. terræ globos continens.

Spica Virginis est Christus stella immẽsæ magnitudinis.

2. Et rectè dicitur stella hæc esse primæ, & principalis imagitudinis, quia *ipse est Princeps Regum terræ, Rex Regum, & Dominus dominantium, primogenitus ante omnem creaturam*. Agnouit hanc Dei primam magnitudinem immensam ipse Seneca Philosophus lib. 4. de benef. c. 8. *Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi, nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet.* Et Epist. 41. ad Lucilium, vt ostẽdat DEVM præsentiâ suâ omnem implere creaturam: *Prope*, inquit, *est à te DEVS, tecum est, intus est. Ita dico Lucili sacer intra nos ipse tractat. Bonus Vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra Fortunam nisi ab illo adiutus exsurgere? Ille dat consilia magnifica, & erecta. In vnoquoque Virorum habitat DEVS*.

Quocunque nos flexerimus occurrit nobis Deus.

Bonus Vir sine Deo nemo est.

3. S. Hilarius immensam hanc Dei magnitudinem omnia ambientem, ac continentem contemplans, piè admodum nos in ipso Dei sinu degere pronunciauit: *Credamus*, inquiens, *nos in Diuinitatis sinu agere, neque DEVM abesse cum irascimur, cùm cædimus, cùm contemnimus, cum maledicimus, cùm inebriamur, cùm Diuina, & humana negligimus, maiore contumelia eius*, intra quem hæc agimus peccantes. Hæc Hilarius. Amplissimum hunc magni Dei sinum creaturas omnes amplectentis agnouisse visa est spõsa, cùm de hoc magno humanatoque Deo veluti amantissimo loquens sponso dixit Cant. 7. *Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Verè enim illa eius Sanctissima vlnis cum, veluti spicam, stellamque primæ magnitudinis gestans, atque complectens, ab illo immensâ eius charitate, quæ cum eius infinita Diuinitate idem est, vicissim circumdabatur, eiusdemque suauissimo fouebatur amplexu.

Homini persuasum esse debet nos in Diuinitatis sinu viuere, nobisque semper siue bene, siue male agamus assistere.

B.V. Christũ gestans in vlnis similis Virgini Spicam manu sinistra gestanti.

Hinc Venantius Fortunatus Pictauiensis Episcopus etiam B. Virginem granum hoc Diuinum complectens Spicam appellauit, ita canens:

Gaudia quanta sinus hilaris tuus ille vehebat;

Cum tua membra premens plus releuabat onus?

Auxilium de flore gerens, de fruge leuamen,

Spem, & cæli Panem Spica nouella gerens.

4. Nec vacat mysterio, quod Asterismus ille Virginis, Spicam hanc stellamque primę magnitudinis, manu sinistrâ gestatam repræsentet. Virgo enim nostra beatissima, quia animitus, medullitusque, intimisque præcordijs Filium amantissimum diligebat, manu cordis, quæ sinistra est eum gestabat, pectorique suauissimè apprimebat, vt amoris Diuini flammæ, quibus cor eius purissimum æstuabat, maiora in dies acciperent incrementa, promptissimamque se ad donandum vltro, ac nobiscũ tam dulcem communicandum Filium demonstraret. De cordiali hoc Virginis in natum suum amore præclarè S. Amadeus Hom. 4. de laud. B. V. *Vbi erat thesaurus,* inquiens, *Mariæ, ibi, & cor, vbi gloria, ibi, & conscientia. Diligebat DEVM, at Filium suum ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus suis. Ex toto corde, quia toto intellectu, ex omnibus viribus, quia omni cordis intentione, mandatorum omnium executione. Videbat oculis, & manibus tractabat Verbum vitæ. Felix cui præsertim est fouere illum, qui fouet, & nutrit omnia; portare portantem vniuersa; lactare Filium, qui lac ipsis infudit vberibus, pascere cuncta pascentem, & escam auibus administrantem. Tendebat in collo eius Patris Sapientia, & in humeris eius Virtus mouens cuncta residebat: Stabat in sinu materno paruulus IESVS, & in gremio Virgineo Sanctarum requies animarum quiescebat. Aliquando subnixo capite, leuâ, dextráque tenentem Genitricem vultu placidissimo, quem desiderant Angeli videre, aspiciebat, blandoque murmure Genitricem vocabat, quam omnis Spiritus appellat in necessitatibus. At illa replecta Spiritu S. Sanctum pectus pueri suo pectori copulabat, & faciem illius faciei suæ applicabat. Nonnunquam osculabatur manus, & brachia, & materna confisa licentia ab eius ore sacratissimo dulcia oscula carpebat. Non satiebatur visu, nec implebatur auditu, quia illum videbat, & audiebat, quem multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & audire, & non audierunt. Proficiebat igitur magis ac magis in amore, & animus inardescens mente peruigili diuinis obtutibus inhærebat, &c.* Hæc Amadeus de cordiali Virginis in Filium suum dilectissimum amore.

B. V. Christũ obcordialem amorem quo eum diligebat in brachio sinistro gestabat.

B. V. quantus amor in Filium.

Quam tenet B. V. amor in Filium.

5. In manu porro Virginis hæc Spica visitur, vt promptitudinem Deiparæ in benedicto ventris sui Fructu nobiscum communicando agnoscamus. Vnde præclarè Richardus à S. Laur. libro 2. de laud. B. V. vbi de causis, ob quas Deiparę seruiendum sit agens, sic loquitur: *Seruiendum Virgini, quia glorioso Fructu ventris sui remunerabit seruos suos. Vnde pingitur in suis Imaginibus Filium tenens, quasi ad dandum illum seruitoribus suis prompta, cum ipsa sit propagatrix operariorum. Vnde Psalm. 126. Filij merces, fructus ventris tui. Quem fructum ipsa commendans, vt pro ipso habendo ei deseruiatur auidius, ait Prou. 8. Melior est fructus meus auro, & lapide precioso, & genimina mea argento electo.* Verè Spirituales Diuæ Virginis filij, pro suorum operum mercede, mediante ipsâ, Fructum dulcissimum, ac preciosissimum ventris eius etiam in hac vita degustabunt, eoque velut spicâ, & pane cælesti insatiabilem animæ suæ famem explebunt. *Ipsa enim est*, vt idem loquitur Rich. *quæ pastum subministrat famelicis, & potum sitientibus. Vnde de illa dici potest sicut de Filio: Iacta cogitatum tuum in Domina, & ipsa te enutriet Psal. 54. Ipsa enim esurientes implet bonis, & dat escam esurientibus dicens cum Filio Ier. 31. Inebriaui animam lassam, & omnem esurientem saturaui. Ipsi etiam dicere possumus, sicut dicimus Filio Psal. 113. Omnes à te expectant vt des illis cibum in tempore. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Auertēte autem te faciē, turbabuntur. Item illud Psal. 144. Oculi omnium in te sperant ò Maria, & tu das escam illis in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Ipsa nimirum est, quæ dat iumentis suis, illis nempe, qui suorum deferunt onera mandatorum, escam ipsorum, carnem videlicet Filij sui, quando per fauorem Matris sacra communione se dignos reddunt. Hinc Filium natum posuit in præsepio, quasi boui, asinoque animalibus laboriosis ac oneriferis dixisset: Manducate ecce refectio vestra. Ipsa etiam dat escam pullis coruorum imitatoribus pœnitentiam, qui designantur per coruos, fideliter inuocantibus eam. Ipsa denique est fortis illa mulier, quæ de nocte surrexit, deditque cibaria ancillis suis. De nocte surgere est in præsentis vitæ caligine auxilium impendere. Domestici sunt, qui eius obsequijs se totos impendunt.* Sic ille.

B. V. seruiendum quia glorioso Fructu ventris sui nos remunerabitur in cælis.

Cur B. V. Filium in vlnis gestet?

B. V. nos pane cælesti pauit.

Cur B. V. Filium reposuit in præsepio.

Domestici B. V. sunt qui se totos eius obsequijs impendunt.

6 Neque verò mirandum est, quod Virgo illa cælestis manu sinistra spicam triticeam præferens Virginem Nostram Filium, paruulum in manibus gestantẽ nobis representet. Ipse enim est Granum illud frumenti, quod in terram Virgineam, nulli obnoxiam maledi-

Christus Granum frumẽti, quod creuit in Spicã, & aceruum tritici produxit, scilicet omnes electos.

cto

cto cadens, in rationalem, vt eam vocat S. Baſilius Seleutiæ Archiep. fertiliſſimamque ſpicam adoleuit, imo in tritici aceruum excreuit, vt præclarè S. Ambr. lib. de Inſtitut. Virginis: *Vnum, inquit, granum frumenti fuit in vtero Virginis Chriſtus Dominus, & tamen aceruus tritici dicitur, quia granum hoc virtute continet omnes electos, vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus.* Audiendus hic B. Andreas Cretenſis Epiſc. ſer. de Annunciat. vbi Virginem ſic alloquitur: *Verè tu benedicta, cuius venter aceruus quidem ave, quoniam fructum benedictionis, ſpicam immortalitatis, Chriſtum, inquam, ſine ſeminantis, ac coloni operâ perfectiſſimè produxiſti, & meſſem copioſam, infinita millia congratulantium, de ſalutis noſtræ operario adduxiſti.* Hæc ille, & verè. Audiendus S. Greg. Nyſſenus in vita Moyſis. *Huius corporis panem, non aratio, non ſatio, non agricolarum opus effecit, ſed terra intacta permanſit, & tamen Pane plena fuit, quo fameſcentes myſterium Virg. perdocti facile ſaturantur.* Hanc ob cauſam idem B. Andr. Cretēſis orat. I. de Dorm. B.V. vocat eā *Menſam, in qua nobis IESVS Panis cæleſtis, & epulæ ſpirituales exhibentur. Oſtendit,* inquiens, *nobis ſuam ſanctiſſimam Menſam Deipara, vtpotè, quæ ipſum totum viuificum Panem Dominum IESVM, qui eſt vita æterna, creatam continens naturam, ex fermento Adamicæ conſperſionis panem factum in vtero œconomicè geſtauit, qui ſanctè eum reducit ad vitam recentiorem, redditque in Deo perfectos. Atque ita eos expurgat immortales, qui participatione nouæ illius, pulchræque communionis ipſius ei coniunguntur, fiuntque familiares.*

Chriſtus eſt ſpica immortalitatis.

B. V. Menſa in qua nobis Panis cœleſtis, & epulę ſpirituales exhibentur.

7. Audiendus denique Guilelmus Abbas, qui elogium illud attentius vteri Virginalis ponderans; *venter tuus, ſicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Cant. 7. ſic Virginem alloquitur: *Venter ille tuus de quo mihi mundus iam clamat: Beatus venter, qui te portauit, ſicut aceruus tritici eſt, quia prole diſtentus, & tumidus; ſed tamen vallatus lilijs, quia perpetuę Virginitatis inanitate, ſed veritatis plenitudine tumidus. Benè igitur venter ille Virgineus, qui non phantaſtico, & ſimulato, vt mentitur Manichęus, ſed verò, ſolidoque fœtu intumuit, ad confutationem eiuſdem erroris, aceruo tritici comparatur. Item in aceruo tritici rationalium animalium alimonia eſt. Nam triticum propriè cibus eſt hominum, ſicut hordeum cibus eſt iumentorum. Quia ergo cibo vitæ, cibo Angelorum homines vitaliter paſcuntur, & eo venter Virgineus tumebat, aptè etiam propterea aceruo tritici comparatur. Planè ex hoc aceruo tritici ad vitam paſcuntur æternam animalia rationalia, id eſt, homines, qui non deſipiendo comparati ſunt iumentis inſipientibus, & ſimiles facti ſunt illis. Ex hoc aceruo tritici viuunt animalia puſilla, cum magnis, quia benedictio effuſa eſt omnibus, qui timent Dominum puſillis cum maioribus. Ex hoc aceruo tritici impletur omne animal benedictione, cui manum ſuam aperit DEVS. Non aliundè viuunt animalia rationalia, quam ex hoc aceruo tritici, quia non eſt vita hominibus, niſi in fructu ventris Virginei, de quo dictum eſt Virgini: Benedicta tu in mulieribus, & Benedictus fructus ventris tui. Non eſt inquam aliud Nomen ſub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat ſaluos fieri. Itaque non aliunde, quam ex aceruo illo Virgineo vitalis ad nos manauit refectio, quam qui non percipit, iuxta Apoſtoli vocem, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Aceruum iſtum tritici vallauit Dominus lilijs, id eſt, candore circumdedit perpetuæ virginitatis. Perpetuâ enim Virginitate illam decorari oportuit, de qua panis ciuium, vt etiam peregrinos aleret corporaliter naſci voluit. Non dicitur vallatus lilio, ſed lilijs, propter duo lilia Virginitatis, vnum intus in animi propoſito, alterum foris, in corpore incorrupto. Sine lilio exteriori, lilium interius non eſt, quia carnis incorruptione non extante, nullum in animo Virginitatis propoſitum eſt; Porrò ſine lilio interiori, lilium exterius nihil eſt, quoniam ſine propoſito animi, carnis incorruptio inanis eſt. Quippe carnis integritas ad meritum nihil eſt, quę per animi propoſitum Deo dicata non eſt.* Hactenus Guilel. doctiſſimè.

Vterus B.V. aceruus tritici vallatus lilijs quomodo fuerit.

Triticum cibus eſt rationalium animaliū, ſicut hordeum iumentorum.

Ex aceruo tritici animalia rationalia paſcuntur ad vitam æternam.

Ex aceruo Virgineæ vitalis ad nos manauit refectio.

Vterus B.V. duobus lilijs vallatus nēpe animi propoſito intus, & foris corpore incorrupto.

8. Et rectè vterus Virginis beatiſſimæ, primogenitum ſuum in lucem velut ſpicam edens, aceruus appellatur, quia eadem multos ſimul ſpirituales filios, velut grana triticea eaque lilijs circumuallata, ſimul ſpiritualiter germinauit. Quia dum intacta ante partum, in partu, & poſt partum Virginitate, ceu puriſſimo flore Dei Vnigenam, eandemque ſuum primogenitum generauit, innumeros ſibi deuotos filios, ac clientulos, Angelicâ puritate conſpicuos, in lucem edidit, totidem lilijs hic vterus obuallatus extitit, vti alibi fuſius oſtēſum eſt. Intellexit præclarè myſterium hoc S. Amadeus Hom. 6. *Solus,* inquiens, *fuit in tranſitu ad Inferos Dominus IESVS, ſicut in eius perſona cecinit Dauid. Pſalm. 140. Singulariter ſum ego donec tranſeam. Solus in ingreſſu, ſed in egreſſu minimè ſolus, qui innumera ſanctorum millia ſecum reduxit.* Cecidit

B. V. pariēdo Dei filium ſimul cum, eo plures ſpirituales filios peperit.

dit in terram, & mortuus est, vt fructum multum afferret. Depositus in sementem, vt humanum genus colligeret in segete. Felix aluus Mariæ, in qua seges ista coaluit. Felix cui dictum est: Venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus lilijs. An non vt aceruus tritici venter eius, qui grano illo intumuit, quo omnis renatorum seges excreuit? In fonte quippe baptismatis peccatis, & nobis ipsi mortui, per lauacrum regenerationis Christo renascimur, vt ei viuamus, qui pro nobis mortuus est. Ergo ex vno grano multæ segetes, & ex aluo Virginis granum illud. Ideo aceruus nominatur, vi seminis, non numerositate; virtute, non pluralitate filiorum naturalium, quia vnicus talis extitit, licet spirituales innumeri ad instar granorum in aceruo tritici.

Felix B. V. Vterus ob spiritualium filiorum generationem.

9. S. Gregor. Thaum. hoc mysteriũ percepit dum eam ita salutat serm. 1. de Annunciat. *Aue gratia plena, ager, qui non exaratus, fructus profert pulcherrimos, dum enim pulcherrimum illum, atque vnicum benedictum ventris sui fructum protulit, plures alios, qui eius velut capitis, membra sunt, generauit.* Hanc ob causam Richard. à S. Laurent. libr. 1. cap. 6. ait dictam fuisse *benedictam in mulieribus; quia non tantùm sola, sine concupiscentia concepit, & sine dolore peperit, sed quia præ omnibus in prole multiplicata est. Etsi enim carnaliter vnicum genuit filium, in eo tamen spiritualis Mater effecta est, magnæ multitudinis filiorum, quorum Christus primogenitus est. Vnde vocatur ab Apostolo Christus: Primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8. Quod denique Dei, Virginisque filius spica quædam sit vberrima, de Terra benedicta eius vteri Virginalis germinans testatur Leo magnus Imperator Hom. 6. Vbi Virginem alloquens: *Laudibus te efferunt ò beata, qui ad exortum tuæ spicæ sine semine progeneratæ, esurierunt, post eius verò exortum abundè omnium bonorum copia recreati sunt.*

B. V. cum benedicto ventris sui vnico illo fructu plures alios velut tanti capitis mẽbra protulit.

B. V. benedicta in mulieribus dicitur, quia præ omnibus prole multiplicata est.

Ad exortum spicæ. i. Christi homines, qui antea esurierunt bonorũ omnium copia recreati sunt.

10. Hinc facile est colligere, quantopere huic Virgini obstringamur, quæ hoc cæleste triticum, ex quo sacrosanctum illud Eucharistiæ ad animarũ nostrarum nutritionem, sustentationemque conficitur ferculum, mirâ charitate protulit, castissimis suis vberibus aluit, totique mundo dulcissimam refectionem præparauit. Quæ omnia Beatus Petrus Cardin. Dam. serm. 2. de Natiu. B. V. attentius expendens, mirificèque, & se vniuersumque orbem pro tãtis beneficijs Virgini obligatum agnoscens exclamauit: *O beata vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum, & hominum pascunt. Exiguum exprimunt liquorem, & mundi reficiunt Creatorem. Qui suæ virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram innumeris vbique fontibus irrigat, raras de Virgineo pectore guttas lactis expectat. Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris. Hic dilectissimi mei, hic rogo perpendite quam debitores simus huic beatissimæ Dei Genitrici, quantasque illi post DEVM de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidem Corpus Christi, quod Beatissima V. genuit, quod in gremio fouit, quod fascijs cinxit, quod materna curâ nutriuit, illud, inquam, absque vlla dubietate, non aliud nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in sacramentum nostræ redemptionis haurimus, Hoc Catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet.* Infert deinde Cardinalis religiosissimus, Deiparam ob tam eximium orbi collatum beneficium omnia humanæ linguæ quam longissimè excedere præconia, nec vllum mortalium eius extollendis laudibus parem reperiri: *Nullus ergo*, inquit ille, *humanus sermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua mediator Dei, & hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum, illum videlicet, qui de semetipso perhibet Ioa. 6. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit, ex hoc pane viuet in æternum. Per cibum namque à Paradisi sumus amœnitate deiecti, per cibum quoque ad Paradisi gaudia reparati. Cibum comedit Eua, per quem nos æterni ieiunij fame mulctauit: Cibum Maria edidit, qui nobis cælestis conuiuij aditum patefecit.* Hæc Damianus.

Homines B. V. obligati ob Eucharistiæ Sacramentum.

Vterum B. V. encomium.

Lac B. V. in carnem vertitur Christi.

B. V. post Deũ sumus maximè debitores ob nostram Redemptionem.

Laudes B. V. ineffabiles, quod per illã corpus Christi in Eucharistia habeamus.

Per cibum sumus è Paradiso eiecti, per cibum etiam Eucharisticum ad cælestem Paradisum reuecti.

11. Agnouit S. Augustinus huius cælestis cibi auctricem, atque altricem Deiparam cum serm. 1. de Natiu. Domini, ita eam summâ animi sui voluptate alloquitur: *Lacta mater Cibum nostrum, lacta Panem de cælo venientem, & in præsepe positum, velut piorum cibaria iumentorum. Lacta eum, qui talem te fecit, vt ipse fieret in te, qui tibi, & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus Virginitatis, non abstulit natus.* Similia habet S. Hildephonsus ser. 1. de Assumpt. *Lacta Maria Creatorem, lacta precium mundi.* Hinc Arabes, atque Chaldæi spicam illam Virginis, *Alacel, Assimech*, id est, *signum cibi sustentantis* appellauere, eo quod nobis illum cibum repræsentet, qui de seipso loquitur; *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.*

B. V. lactauit Cibum nostrum, & panem de cælo venientem.

12. Ne-

12. Neque verò solùm Virgo sacratissima Panem hunc cælestem, atque immortalem nobis produxit, atque aluit, sed & pinsuit. Vnde à S. Epiphanio libr. de laud. B. V. *Clibanus intellectualis, quæ ignem, & vitæ panem habebat*, appellatur. Venerabilis quoque Petrus Abbas Cellensis lib. de Panibus cap. 21. *Compendiosè*, inquit, *dicendum est, quod Clibanus; Vterus est Virginalis, ignis, gratia Spiritus Sancti. Panis, Incarnatio Filij Dei. Virgo Verbo incarnando vteri, & cordis locum parat. Spiritus S. mansionem; Ipse Filius nuptialia fœdera Verbi, & carnis, legitimâ copulatione conciliat. A nobis Virgo est, à Summa Trinitate Spiritus Sancti obumbratio. Ab vtraque partium tam Patris scilicet, quam Virginis, Filij generatio; Nam Verbum de Patre, caro de Virgine.* Et paucis interpositis, Regium Deiparæ stemma extollens: *Oportuit, nempe hunc Clibanum*, ait, *non vili stemmate, neque more consuetudinario fabricari, quatenus in plenitudine temporis panis, qui dat vitam mundo, de cælo descendens, pro dignitate suâ congruum inueniret locum, vbi posset opportunè carnem assumendo decoqui.* Tādem concludit: *Virgo hæc non solum Clibanus est Spiritum suscipiendo, sed & Thalamus DEVM concipiendo, Templum quoque castè viuendo. Clibanus ad Panem præparandum, Thalamus ad sponsum excipiendum; Templum ad Pontificem intromittendum. Clibanum hunc inflammat Spiritus S. Thalamum fœcundat, Templum consecrat.* Sic ille.

Origo & stemma B. V. nobilissimum.

B. V. est clibanus, Thalamus, & Templum à Spiritu S. cōsecratum.

13. S. Bernardus denique serm. 2. de Natiu. Domini postquam dixisset in vtero Virginis Verbum Diuinum, animam, & carnem nostram, mediante eiusdem fide, assensuque simul vnitâ; addidit: *Hæc sunt Euangelica illa sata farinæ, quæ pariter fermentantur, vt sit Panis Angelorum quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus, superueniente igne Sancti Spiritus coctus est Panis iste; Felix inquam mulier, quæ in hæc tria sata immisit Fidei suæ fermentum.* Hinc Gabriel Biel ferm. 2. de Annunc. censuit cum nonnullis alijs, eodem die Incarnatum Diuinum Verbum, quo Melchisedech Panem, & vinum obtulit, vt figura responderet figurato. *Hodie*, inquit ille, *in figura longe post instituēdæ Eucharistiæ à Melchisedech panis, & vinum offertur.*

Eodem die Verbum æternum est incarnatū quo Melchisedech Panem, & Vinum Deo obtulit.

14. Has aliasque ob causas Virgo SS. Panē hūc vocat Panem suū. Illius .n. sunt verba illa Prou. 9. *Si quis est paruulus veniat ad me, & insipientibus; in oculis mundi* videlicet; *locuta est: Venite comedite Panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* In quæ verba sic Richar. à S. Laur. lib. 1. cap. 4. *Christus ipse Panis est viuus, qui de cęlo descendit Ioan. 6. ad quem nos inuitat Virgo; Venite comedite, &c. DEVS enim Trinitas aquam humanitatis cum vino Diuinitatis miscuit, quando humanam naturam vniuit Diuinæ; & B. V. miscuit, quando vnionem credidit, eique consensit. Panem istum similiter ipsa nobis confecit. ipsa est enim Sara, quæ miscuit tria sata farinæ. Gen. 18. Diuinitatem, animam, & carnem. Fermentum in hac confectione fuit fides Virginis, qui scilicet panis pistus fuit in Incarnatione, decoctus in clibano vteri Virginalis, igne Spiritus Sancti, vel charitatis Mariæ.* Audiamus iam hac de re multo luculentius disserentem S. Chrysologum serm. 99. *Maria huius fermenti implet typum dum de supernis suscipit fermentum Verbi, & humanam carnem in aluo Virginis cęlestem totam conspergit in massam.* Idem Richar. lib. 11. docet in dies singulos, Panem hunc cælestem petendum à Virgine: *Quia*, inquit, *totus fuit suus proprius, non communis sibi, & viro, quia ipse, & de se sola factus est, scilicet de purissima carnis suę substantia. Panis hic Panis est Virginis; quia ipsa dignius, saporosius, & ineffabilius eo in pręsenti, omni creatura fruebatur. Panis hic denique est Panis Virginis, quia totus fuit suus, de quo ipsa ait: Comedite Panem meum. Et quoniam non possumus eum habere, nisi ab ea, & per eam, tota deuotione, mentisque desiderio dicendum est ei, sicut dicimus Deo Patri: Mater nostra, quę es in cęlis, Panem nostrum supersubstantialem, vel quotidianum da nobis hodie.* Hactenus Richar. Rursus Panem hunc, vti & Vinum Eucharisticum, Carnem, Sanguinemque suum esse Virgo quoque ostendit Eccli. 24. cum in sempiternæ Sapientiæ, dilectissimi sui nempe Filij, persona ita loquitur: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt adhuc sitient.* Hæc enim verba esse ipsius etiam Deiparę idem ostendit Rich. libro 2. partic. 1. dum enim interpretatur verba illa Prou. 31. *Dedit cibaria Ancillis suis*; inter reliqua ait esse cibaria hoc augustissimum mysterium: *Cibaria sunt, Caro Virginalis, quam sumimus in Sacramento Filij. Quia Caro Christi, & caro Mariæ vna caro.* Vnde 1. Cor. 6. *Erunt duo in carne vna, idest Christus, & Maria in vna carne Virginali. Ipsa enim est cibus, & potus imitantibus se, ideo dicit: Qui edunt me adhuc esurient, &c.* Sic ille. Clarius, ac luculentius totam hanc rem exposuit P. Corn. à lapide dum verba illa Ecclesiastici ponderaret.

B. V. Panem Eucharisticū vocat Panem suum.

B. V. est Sara quæ miscuit tria sata farinæ, &c.

Panis Eucharisticus dicitur Panis B. V. quia factus est de purissima eius substantia.

derarci. *Qui edũt me adhuc esurient: Ad literã verum est de Christo, quẽ edimus in Eucharistia,* inquit, *& tamen eundem esurimus, iterumq; edere gestimus. Sic idem pariter ad literam verè dici potest de B. V. Mirum hoc, sed verum. Quoties enim comedimus carnem Christi in Eucharistia, toties in eadem, comedimus realiter carnem B. Virginis. Quia caro Christi, est caro B. Virginis, imo ipsissima caro Christi, antequam in Incarnatione à B. Virginis carne decideretur, & daretur Christo, fuit propria caro B. Virginis, eiusque anima informabatur, & animabatur. Sicut ergo quotidie esurimus carnem Christi in Eucharistia; sic, & esurimus in eadem carnẽ B. V. vt virgineas eius dotes, & mores imbibamus, nobisque incorporemus. Idque faciunt non soli Sacerdotes, & Religiosi, sed omnes Christiani, omnes enim sua, æquè ac Christi carne pascit B. V. in Eucharistia. Atque hinc ille virginitatis, & Angelicæ puritatis amor indignè communicantibus. Sanè fideles omnes hac de causa vti Christum, sic B. Virginem assiduè corde, ore, & opere gestare deberent; imo in B. Virginem quasi transire, & transmutari, sicut ferrum igne candens transit in ignem, & sicut panis fermento conditus in fermentum quasi immigrat, & transit. Vnde Christus se, suaque comparat fermento Matt. 13. Atque hac de causa Christus suam carnem reliquit in Eucharistia, optante, forte, & orante id B. V. vt se intimè fideli cuique per omnia temporum sæcula vniret, & incorporaret. Vide hic eximiam charitatem Christi, & B. Virginis in nos vicissim in eum cor totum defigamus, imo in eum quasi transeamus ac dicamus cum S. Paulo: Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum quia nec mors, neque vita.* Ita Cornelius.

15. Panem hunc cælestem, Panem esse Virginis insinuare visus est Ezech. 44. dum de Porta illa clausa orientali, per quam totius Vniuersitatis Princeps homo factus, pertransiuit, verba faciens dixit: *Princeps ipse, sedebit in ea, vt comedat Panem coram Domino.* Quæ verba dum ponderaret Guer. Abbas serm. 3. de Annunc. ait vniuersorum Dominum esse Principem, ac Panem in vtero Virginis factum, eumque & seipso veluti Pane, & Virgine veluti loco omnibus delicijs refertissimo perfruitum, animam denique ipsius, Verbo hypostaticè vnitam, Dei visione assiduâ, veluti pane dulcissimo fuisse deliciatam. Sed ipsa tam Venerabilis Viri verba mellisflua audiamus: *Sedebit in ea, quia requiescet in ea, de qua & ipse loquitur: Hæc requies mea. Sedebit in ea tanquam in throno grandi, quem Salomon Rex sibi de ebore fecit: Si attendas angustias vteri, locus prorsus angustus est, si latitudinem cordis, thronus grandis est, propter quem etiam Vterus tantæ Maiestatis capax factus est. In ea ergo Princeps sedit, & Panem comedit, quia si quis, inquit, aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cænabo cum eo, & ipse mecum. Non est hec cęna sine Pane, quando, & ipse qui cænat Panis est vitæ: panis qui hodie descendit de cęlo, & dat vitam mundo. Sed res mira, si idem est, qui cęnat, & qui cęnatur, & qui comedit ipse est Panis, qui ab eo comeditur. Reuera res mira, sed res vera, quia Christus non alio pane, quam seipso pascitur. Ipse namque totus est Panis, Verbum propter se, caro propter vnionem Verbi. Alioqui caro non prodest quidquam, cum Spiritus sit qui viuificat, nec in solo Pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Omne verbũ quod procedit de ore Dei, vnũ & Vnigenitum est Verbũ Patris, quod cum simplex sit, in se tamen continet rationem, & formã omnis Verbi Diuini. Verbum itaque pascitur de Verbo, Filius viuit de seipso, quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & Filio, vitam habere, in semetipso. Alia tamen ratione, sed tamen ineffabili beatitudine Verbo pascebatur anima illa, Verbo ipsi in Personam coniuncta, & incomparabili felicitate Princeps ille sedens in Porta Virginalis vteri, Panem Verbi coram Domino comedebat.* Hæc Guerr. *Latitudo cordis B. V. est Thronus grandis.*

16. Est etiam Panis hic Panis Virginis, quia ex ipsius purissimis visceribus & sanguinibus, ope Spiritus Sancti est efformatus, & antequam propriâ animâ esset informatus, animatus quodammodo fuit animâ ipsius Virginis, tandemque in lucem editus eius Virgineo nutritus lacte, quod cum aliud non sit, quam sanguis in colore alteratus, qui postea in substantiam aliti conuersus vnum, idemque corpus cum Filij corpore effectus est. Vnde Diuus Aug. libro Assumpt. B. V. Tomo 9. præclarè: Caro, inquit, *IESV caro est Mariæ, & multo specialius, quam Iosephi, Iudæ, cæterorumque fratrum eius quibus dicebat. Frater enim, & caro nostra est. Caro enim Christi quãuis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, & potẽter super omnes cælos ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit, manetque natura, quæ suscepta est de Maria.* Sic ille. Idem S. Doctor in Psal. 98. librans verba illa Prophetæ Regij: *Adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est,* ait scabellum hoc, Terram Virgineam esse, de qua, assumptâ carne, increata illa veritas orta est: *Quomodo adorabimus terram,* inquit ille, *cum dicat apertè scriptum: Dominum,* *Caro Christi est caro Mariæ.*

num tuum adorabis? & hic dicit: Adorate scabellum pedum eius? Exponens autem mihi quid sit scabellum pedum eius dicit: Terra scabellum pedum meorum. Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum, & terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psal. mihi dicit: Adorate scabellum pedum eius. Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & inuenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsa carnem nobis manducandam ad salutem dedit. nemo autem illam carnem manducat nisi prius adorauerit; inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, vt non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Hæc August. quem locum citans P.Scherlogus noster Tom.3. in Cant. vestig. 37. num. 19. sic loquitur: *Viscerum Mariæ Virginis fructus est Eucharistiæ munus illud super cæleste, non tantum, quia ab eius prodijt vtero quem manducamus in diuino pabulo, sed præcipuè quoniam illa substantia carnis, quam Christus assumpsit, nunquam fuit omnino dimissa, sed eius pars saltem perenniter conseruata, modo quoque in cęlis, & in Eucharistia Verbo vnita est, quemadmodum Suarius existimat Tom. 2. in 3. Par. Deipar. 1. sext. 2. Adoratur itaq; in Eucharistia verbo coniuncta caro Deiparæ.* Hact. Scherl. Quam ob causam Philosophorum Princeps lib. 5. Eth. cap. 4. sapienter asseruit. *Filius est pars ipsius Patris, vel Matris.* Libr. item 8. Ethicorum, inquit, *Filij à parentibus sunt velut alteri ipsi inseparati.* Docet insuper inter filium Patremque iustitiam intercedere non posse, siquidem hæc, duo saltem inter se diuersa exigit. Pater autem adeo vnitus est cum filio, vt *Filium Patris indiuisum membrum appellet.* Et libr. 1. Moral. 34. *Membrum ipsius parentis est filius, imo idem cum ipso.* Hinc Tullius orat. 3. in Verr. *Cum filijs vini bona nostra partimur, quia pro eadem persona habentur.* Ob hanc vnitatem in causis agendis, vt habetur L. finali C. impub. Eadem filij, & Patris vox, vnum corpus, & vna caro est. Hinc B.Petrus Cardin. Dam. ser. 1. de Nat. B. V. Identitatem carnis inter DEVM humanatum, & Virginem intercessisse dixit: Cum enim præmisisset tribus modis DEVM inesse creaturis, addidit: *Quarto modo inesse vni creaturę, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem est quod illa secundum carnem videlicet. Hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis, & dignationis immensitatem.* Quamobrem præclarè pientissimus in Virginem Richard. pronunciauit lib. 1. cap. 5. Quando Verbum caro factum est fuerunt. *B.V. & diuina sapientia vnus Spiritus, & vna caro. Si enim Eua dicta est esse vna caro cum Adamo, quia de costa eius formata, ab eo tantum educta, & in nullo ab eo nutrita: multo melius dicetur caro Christi esse vna cum carne B. Virginis, quia non de costa, sed de intimis visceribus, imo de purissimis sanguinibus Virginis educta, vt ait Damascenus, & non extra, sed intra eius gloriosa viscera nouem mensibus educata.* Ideo id quod dicitur. Gen. 2. *Erunt duo in carne vna, optimè accipitur de Christo, & Maria. Propter hanc conuenientiam, atque vnionem inter Mariam, Diuinamque Sapientiam ferè omnia, quæ de hac dicuntur, exponi possunt de Maria, illisque eadem attribuuntur, & forte ideo dictum est ei: Dominus tecum.*

Christus, & B.V sunt duo in carne.

Ob intimam Christi cum Matre vnionem elogia attributa increatæ sapientiæ attribuitur etiam Christo.

17. Quæ sanè pijssima cogitatio, quod caro Christi in Eucharistia sit caro Virginis, magnum in animo nostri Sancti Patriarchæ Ignatij ad pietatem, affectusque teneritudinem habuit momentum; vnde considerationem hanc, quod quicumque dignè corpore ac sanguine Christi reficitur, non modo in carnem Christi quodãmodo verumetiã ipsius Deiparæ transformetur; inter pręcipua mentis suę lumina ex contemplatione percepta, adnotauit. Ex quo pronum est colligere eum, qui ad hoc pura mente ac corde accedit sacramentum, ciboque tam cælesti vescitur, Virgineã quandam purissimamque nãcisci complexionem, licet enim reliqui cibi in substantiam aliti conuertantur, hic tamen Diuinitate suâ manducantem in se conuertit, eique suas diuinissimas communicat qualitates. Atque ita homo carnem Christi eiusque Matris sacratissimæ in hoc Sacramento participans, simul præclarissimarum virtutum, ipsorum, puritatis, humilitatis, obedientię, patientiæ, aliarumque innumerabilium que particeps efficitur, in illorumque sanctissimum viuendi modum, mirabili ratione transformatur: Quod nobis saluator verbis illis insinuauit: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Io. 6. Q.D. Sicut ego naturali generatione procedens à Patre, non alia vitâ viuo, ob essentiæ vnitatem, quam Patris vitâ, sic etiam, qui se mihi per

Quod in Eucharistia carne Christi, & Mariæ vescamur mirificè S P. noster Ignatius afficiebatur.

Per Eucharistiam virtutibus Christi eiusque Matris communicamus.

Per Eucharistiã viuimus vita quadam diuina ipsius Christi, sicut ipse viuit vita Patris.

vnionem charitatis, corpus meum participando coniungit, mea vita, meoque viuet spiritu, ac consequenter Matris meæ dilectissimæ, cuius caro, est ipsa mea caro. Transformationem hanc diuinissimam pulchrè expressit S. Cyrillus Epis. Alexand. libr. 4. in Ioan. cap. 17. *Sicut*, inquiens, *si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est, sic qui carnem, sanguinemque Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur.*

Per Eucharistiam in Christum transformamur.

18. Hinc Suarez Tom. 2. in 3. Part. Disp. 1. sect. 2. hanc Maternæ carnis cũ filij carne intelligens identitatem, sapienter pronunciauit: *Facile credi potest illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, nunquam fuisse continua caloris naturalis actione resolutam, sed eamdem omnino fuisse semper conseruatam, & verbo Dei vnitam.* Quod doctrinæ D. Augustini sup. citati, siue auctoris illius cuiuscunque, qui librum illum conscripsit: omnino videtur consonum, aliorumque Patrũ, vt Eusebij Emisseni qui Homil. 1. de Natiu. Domini sic loquitur: *Christus de carne Mariæ coagulatus, de eius formatus visceribus, de eius substantia consumatus, sanguinem, quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.* Carnis hanc identitatem inter Matrem, & filium luculenter expressit B. Arnoldus Carnot. Abb. Tract. de laud. B. V. *Vna est Mariæ, & Christi caro, vnus Spiritus, ex quo dictum est ei; Dominus tecum. vna charitatis; Vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes, & licet ex duobus factum sit vnum; illud tamen vltra scindi non potest, atque adeo filij gloriam cum Matre, non tam communem iudico quam eandem.* Ex his alijsque P. Didacus de celada noster in sua figurata Iudith colligit, cum quodam Moderno Christum Dominum particulam illam carnis quam assumpsit ex vtero Virginis nunquam dimisisse, ac proinde velut reliquias Virginis Diuinitati Verbi vnitas, in Eucharistia iure esse adorandas. Plura videnda de hac filij cum Matre Vnione 1. Par. Discursu 2.

19. Hæc est denique Mulier illa, cui præcepit Dominus vt Eliam, & in eo mortales omnes pasceret 4. Reg. 17. *Præcepi*, inquit, *Dominus, Mulieri vt pascat te.* Quæ verba Antonius Rampegolus Eremita Augustinianus Ianuensis expédens. *Deus*, ait, *optimus paterfamilias volens hominibus peregrinis nimio labore lassatis quærere refectionem, voluit B. Virginem sponsam suam esse, cuius sollicitudine filijs venientibus ad diuinum Conuiuium abundanter prouideretur. Hæc est illa Sara cui dicitur: Accelera tria sata similæ, & fac pulmentum refecitus tres illos viros, siue Angelos, id est tres animæ rationalis vires, quibus humana Natura Deo, Angelisque assimilatur, S. memoriam, intellectum, & voluntatem. Siue homines, qui in triplici statu, nempe in lege naturæ, Moyses & gratiæ extiterunt. Panis hic porro est Incarnatum Verbum, quo multi mortales, a mundi exordio per fidem refecti sunt; & iam reipsa carnem Diuinam in Eucharistia participando reficiuntur.* Quare Pelbartus ib. 2. Stell. Part. 3. art. 2. cap. 10. hanc fidelium Sacrosanctã Eucharistiã, factam refectionem vocat vnam, è stellis illis 12. Virgineum verticem coronantibus, aitque B. Virginem ideo Domino cecinisse: *Esurientes impleuit bonis, &c.* Cum enim sibimet obiecisset: *Quid hoc pertinet ad B. V. gloriari, tanquam si in ipsa hoc factum sit, quod DEVS esurientes impleuit bonis*, Respondit: *quod ideo hoc pertinet ad ipsam, quia Deus ex ipsa sumpsit carnem, & sanguinem, quam fidelibus præstitit in cibum, & potum salutis æternæ. Et per huius sumptionem replet DEVS omnes esurientes vitam æternam, bonis cælestibus, ipso Christo attestante Ioan. 6. qui manducat meã carnẽ, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Iccirco B. Virg. de hoc gloriatur, quia ex ipsa sumpsit Christus, quod donauit in Eucharistia.* Sic ille. Ex quo sane pijssimo doctissimi huius viri discursu colligimus merito Panem Eucharisticum ab ipsa Deipara Panem suum appellari.

20. Quod si consideremus Deiparam cum æterni Patris, ac filij voluntate, in admirabilis huius sacramenti, quo velut pane vita nostra spiritualis sustentatur, concurrisse institutione, Panem Virginis hac etiam de causa iure merito vocitabimus, credibile enim est, cum filius ex voluntate Patris se totum nobis in cibum mediante hoc Eucharistiæ Sacramento liberalissimè donare cogitabat, Deiparam pro Materna in filium, qua homo est potestate ad huiusmodi decretum, suum assensum præbuisse; sicut etiam præbuit post, cum Patris voluntatem esse intelligeret, vt in Crucis Altari Hostia factus, pro nobis moreretur. Quare Doctor Angelicus opusculo de Alt. Sacr. præclarè pronũciauit: *Hoc sacramentum est Diuinæ donationis complementum. Siquidem illud, quod nobis*

Eucharistia est Diuinæ Donationis complementum.

nobis Pater, & filius vnà cum Matre in sacratissimo Incarnationis mysterio donare cæperunt absolutissimè perfecere, cum nullus omnino modus alius sese perfectissimè omnibus communicandi repeririposſit. Vnde Cardinalis Caietanus *Sacramentum hoc, Incarnationis extensionem vocitauit: Quemadmodum enim Verbum in Incarnatione Humanitati nostræ, vnione hypostaticâ, sc coniunxit, eamque deificauit: ita quoque singulorum hominum animabus sese, hoc mediante sacramento, communicans eos diuinæ consortes efficit naturæ, eiusque dona sua, bonaque omnia impertitur.*

Eucharistia est Incarnationis extensio.

21. Ob hanc voluntariam à Deipara Virgine factâ filij in Eucharistiâ Oblationem S. Epiphan lib. de laud. B. V. eam sacerdotem simul, & altare appellauit: *O' Virginem stupendum Ecclesiæ Thesaurum, qui adeptus est ingens mysterium: Virginem appello velut sacerdotem pariter, & Altare; quæ quidem, Mensam, ferēs dedit nobis cælestem Panem Christum in remissionem peccatorum*. Agnouit eandem Deiparam Sacerdotem simul, & altare extitisse in hac filij, ad Eucharistiam instituendam, oblatione Ioannes Gerson Cancell. Paris. Tract. 9. in Magnif. dum docuit: *Maria vespere Iouis sancto, etsi non fuit insignita charectere sacerdotalis officij, dum Iudas illum susciperet, nihilominus nunc, & antea, & postmodum fuit in Regale sacerdotium, præ consortibus suis inuncta, non quidem ad consecrandum, sed ad offerendum hanc Hostiam puram, plenam, & perfectām in altari cordis sui, in quo ignis ardebat Holocausti. Fuit enim rubus ardens incombustus*. Quantopere autem hæc Virginis oblatio Diuinæ placuerit Maiestati, mox subtexuit: *Maria plus cōplacuit Deo, plus humano generi profuit post Christum benedictum fructum, siue filium suum, offerendo ipsum spontaneà in holocaustum in ara cordis sui feruentissima charitate succensi*. Sic ille.

B.V Sacerdos & Altare cur vocata.

B.V. sacerdos dicta, quia obtulit filiū in altari cordis sui Deo Patri.

B.V. maximè post Christū placuit Deo Patri, cum filium suum illi obtulit.

22. Quod si dicamus, vt aliqui voluere, Sacramentum hoc in Virginis nostræ potissimùm institutum fuisse gratiam, vt in hac perigrinatione dolorem, ex filij absentiâ, causatum, tam delectabilis cibi delicijs, in dies singulos frequentatis temperaret, merito illud Panem Virginis, speciali quadam ratione prædicabimus. Atque hanc crediderim ob causam censuere aliqui, Deiparam vocatam à filio, vltimæ cænæ, quā celebrauit valedicturus Apostolis, interfuisse, vt ei sese potissimum, in hoc sacramento præ cæteris omnibus communicaret. Hoc censuisse visus est idem Gerson loco citat. vbi cùm in persona Discipuli quæsijsset: *Dic in primis si Beata nostra isto fuerit vsa sacramentali cibo dum viueret, maximè in illo cænacu'o grandi Montis Sion, vbi primitus exhibita est institutio huius sacramenti, quod ante fuit prædicatum, dicentibus multis, & retro abeuntibus: Durus est hic sermo. Cui prædicationi probabile est interfuisse Mariam;* Respondet in persona Magistri: *Probabile, quia sequebatur filium tunc vnicum custodem suum, sicut loquimur, pede, post pedem. Probabilia insuper sunt plurima de hac Beata Beatorum, quæ potius sunt accipienda de pietate deuotionis, quam de fidei necessitate, vel temeritate assertionis, vbi non suppetit auctoritas scripturæ cogens, aut ratio conuincens.* Pietatem porrò fidei sic definit: *Pietas fidei est probabilis, seu verisimilis opinio super aliquibus, quæ deuotionem ædificare possunt, quæ ex scripturis autenticis nec clarè sequuntur, nec repugnant.* Atque ita pietate hac fidei facile nobis persuademus Deiparam, & extremæ illi cœnæ, cum Apostolis interfuisse, & corpus illud sacratissimum primum, post filium percepisse, & deinceps in dies singulos hoc spirituali amuleto eiusdem nati flagrantissimum desiderium mitigasse, sicque *animam suam esurientem*, vt ipsa cecinit, *bonis omnibus repleuisse*, dilationemque beatificæ visionis, ad quam iugiter anhelabat æquiori animo tulisse. Crediderim enim in gratiam potissimùm sacratissimæ Matris, illum iam profecturum in cælos pronunciasse: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Matt. vlt.

Eucharistia in gratiam B. V. potissimū instituta.

B.V. vltimæ Cœnæ Christi interfuit, vt de corpore filij communicaret.

B.V. in vita sequebatur filium vbiq; pede post pedem.

Plurima circa B.V. acciptēda de pietate deuotionis, quā de fidei necessitate.

Quid sit pietas fidei.

23. Matrem porrò vltimæ illi interfuisse cœnæ testis etiam est Marcus Viguerius in suo Decachordo chorda 6. vbi sic loquitur: *Persuasum habeamus Sanctam Mariam Matrem Domini in vltima cæna pro legis obseruantia cum filio suo cænauisse. Hoc nempe Exodi scriptura confirmat, vbi Agnus per familias manducari iubetur Paschate: Si verò minor sit animarum numerus, vt ad esum Agni sufficere non possit, vicinus ad cænam inuitari iubetur. Virgo Mater familias, quem ad esum Agni sumere debuit potius, quam filium suum dilectissimum, Agnum sine macula, Agnum mundi peccata tollentem? Et quoniam ad esum Agni numerus animarū, Mater scilicet, & filius temperantissimi ambo, erat exiguus, additi sunt Apostoli continuâ familiaritate vicini. Solicita igitur hæc iustissima Mater de legalis Agni apparatu, forte Discipulos commonuit interrogare, vbi filius eius eorumque Magister, & Dominus libentius Pa-*

B.V. tanquā Materfamilias ad esum Agni inuitauit filium.

schaperageret? At IESVS pientissimus filius inopem Matrem, studio parandæ cęnæ leuare volens, Discipulos ad amicum, qui pararet cœnam destinauit, non vt Matrem ab hac cœna excluderet, in qua secundum legem primam discumbere oportebat, sed vt onere parandæ cænę illam releuaret. Hactenus Viguerius. Si ergo sanctissima Deipara cum filio Apostolisque Agnum Paschalem comedit, consequens sanè est, corpus quoque eius cum reliquis Discipulis, summâ animi pietate ac deuotione, vti diximus, percepisse.

Christus vt Matrem pauperculá onere parandæ cænæ releuaret, apud amicum quæ dû eam parari iussit.

24. Vnde idem Gerson ad piam hanc opinionem comprobandam aliquot producit, pro gloria amplificanda Virginis, pulcherrima Theoremata, quibus ostendit illam, & spiritualiter ante institutionem, & sacramentaliter post institutionem illo Sacramēto fruitam: *Maria vespere cœnæ dicenda fuit frui corpore, & sanguine filij sui, plus appropriatè, quam ipse Christus dicitur se cibasse eodem pane, & vino mysticè consecratis. Quia non in fide, sed in clarâ visione, nec in augmentum charitatis se ipso fruitus est. Maria dum celebratur Phase, siue Pascha Iudæorum, celebrat, & ipsius anima cum exultatione Spiritus Pascha nostrum, quod immolatus est Christus, quem epulabatur in azimis synceritatis, & veritatis fermento veteri reiecto cum fermento malitiæ, & nequitiæ. Maria sicut præ cæteris in via esuriit iustitiam, sic præ cæteris puris viatoribus impleta fuit bonis ex illo, in illo, & per illum, qui est omne bonum, dicens ex sententia animæ suæ magnificanti DEVM: Benedic anima mea Dominum, qui replet in bonis desiderium tuum. Maria sicut præ cæteris in via cognouit, credidit, & intellexit figuras legis, & Naturę, Christi sacerdotium præsignantes, sic in illis, aut per illas manducauit fruitiuè benedictum fructum ventris sui, & spiritualiter eius sacramentum. Vnde exultauit Spiritus eius in Deo salutari suo. Maria dum legebat Dauid Patrem suum dicentem de Christo filio suo: Tu es Sacerdos in ęternum secundum ordinem Melchisedech, qui scilicet panem, & vinum obtulit, ex tunc intelligebat, & manducabat hoc sacramentum benedictum spiritualiter, vt cecinit: Magnificat anima mea Dominum. Maria psallens illud Dauidicum: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se; Memor erit in sæculum testamenti sui; credebat, & intelligebat hanc escam sacramentalem figurari, & in figura comedebat eam, testamentumque sperabat hereditatis æternę. Maria non minus refecta est, & impleta bonis huius sacramenti quam Patres antiqui, de quibus loquitur Apostolus, quod eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt. Biberunt autem de spirituali consequente eos Petra, Petra autem erat Christus, qui est verè Panis, qui de cælo descendit. Maria dum stans, vel orans in Templo aspiciebat, credebat, & intelligebat omnes oblationes, victimas, & holocausta, sacrificia insuper matutina, & vespertina manducans, implebatur donis huius benedicti sacramenti, etiam ante conceptum benedicti fructus ventris sui.* Hæc Gerson; ex quibus sanè colligimus, & peculiari ratione Panem hūc Eucharisticum Panem esse Virginis, & illo sæpissimè ante institutionem spiritualiter, & post sacramentaliter, summo suo cum fructu, ac emolumento, lętitiaque suæ animæ fuisse refectam.

B.V. in vltima cæna sumpsit Eucharistiam.

B.V. sicut præ cæteris esuriit iustitiam, sic præ cæteris puris viatoribus impleta est bonis ab illo quę commune est Dominum.

B.V. legendo scripturas de ss. Eucharis. manducabat spiritualiter corpus Christi.

B.V. videndo in Templo sacrificia, quę offerebantur manducabat spiritualiter Eucharistiā.

25. Qualia porrò dona illa, ac gratiæ Virgini, beneficio huius sacramenti communicatę, extiterint, prosequitur aliquot pijssimis Theorematis, ad IESVM facta apostrophe idem Cancellarius: *IESV tua fruitio esurientes replens bonis, virtuosius affecit Mariæ spiritum, quam corporalis, contrectatio, & lactatio suauissima tui ipsius, qui es benedictus fructus ventris sui. Ratio est; quia cum maiori merito. Vnde exultauit Spiritus suus in Deo salutari suo. IESV tua fruitio seu manducatio esurientes replens bonis, mirabilior fuit, & virtuosior suo modo in Maria, simul, & Virginali sponso suo Ioseph, quam sola contrectatio, vel visio corporalis, dum natus es in Bethleem, dum reclinatus super fœnum iacuisti, in medio duorum animalium in præsepio, quasi pabulum iumentorum insipientium, quibus comparatus est homo. IESV tua fruitio gustabatur à Maria, & Apostolis credentibus, dum prædicasti hoc sacramentum, & dum abeuntibus alijs quæsiuisti à remanentibus: Nunquid, & vos vultis abire? Respondit Petrus illuminatus à Patre fortassis, & Matre tua adstante, nutibus, & signis admonitus: Domine ad quem ibimus? verba vitę ęternę habes. IESV tua refectio, dum Maria recepit Eucharistię Sacramentum etiam sacramentaliter, maximè post aduentum Spiritus Sancti, quando cæpit hoc sacramentum frequentari, fuit admirabilior suo modo, quam maternalis generatio Verbi Dei. Hæc enim fruitio sacramentalis ponit generationem Verbi Dei, & aliud insuper multum vltra, in admirationem, & vtilitatem omnium, à progenie in progenies timentibus eum.*

Quibus bonis B.V. fuerit perfruita sumēdo Eucharistiam.

In B.V. & S. Ioseph fuit fructuosior Eucharistiæ sumptio quā sola contrectatio, & visio corporalis Christi.

B.V. sumēdo Eucharistiā post aduentū Spiritus S. fuit admirabilior, quam mater naturalis Diuini Verbi generatio.

26. Addit deinde, quibus ministris vsa fuerit in hoc sacratissimo percipiendo mysterio Diua Virgo, censetque non modo

modo fuisse S. Ioannem, & Apostolorum Principem, verumetiam septem Diaconos, & quemlibet alium Sacerdotem, prout opportunitas locorum, temporumque requirebat. Concludit denique Deiparam præclarissimum extitisse exemplar ad sanctissimam Eucharistiam accedentium, eamque antequam ex hac vita discenderet hoc viatico ab ipso Christo fuisse donatam: *IESV*, inquiens, *tua fruitio sacramentalis, qua Maria impleta est bonis exemplar erat, & est omnibus fidelibus, vt esuriant hoc Sacramentum, & repleantur bonis eius cum fidei certissimæ firmitate, quæ spem, & dilectionem operatur; vt denique non inuanum, vel omissionem, & contemptum gratiam hanc, id est Eucharistiam, suscipiant. IESV tua fruitio Sacramentalis impleuit Mariam prius bonis, quam abiret, id est, obuiam tibi Christo iret, & assumeretur in cælum. Nec abhorret à pietate fidei, quod tu benedictus fructus ventris sui, totus festiuus adueniens dederis illi, sicut postea Dionisio in carcere, mysterium hoc corporis dicens: Accipe hoc caro mea, quod mox complebo tibi in Regno meo, vna cum Patre meo. IESV tua refectio nunc est Matri tuæ in patria regnanti copiosior, & auidior quasi impletio, & toto ore dilatato, sed suo modo videtur mirabilior fuisse in via. Ratio est, quia difficilior, & in augmentum meriti*, propter ænigma fidei, maior. Hæc Gerson. Ex his sat perspicuè inferimus Panem Eucharisticum iure dici Panem Virginis, siquidem in eius institutione de eo prima post Filium participauit, & à primis annis totiusque vitæ decursu, & spiritualiter, & sacramentaliter quam sæpissimè, imo quotidie maximis virtutum gratiarumque omnium factis incremētis, eo perfruita est. Vnde B. Albertus Tract. super Missus: *De Sacramento altaris*, inquit, *percepit Dominicæ passionis rememorationem, deuotionis actualis exercitationem, contra corporalem filij absentiam, consolationem*.

S. Ioannes, S. Petrus, & septem Diaconi pro opportunitate ministrabant B.V. Eucharistiam.

B.V. antequã ex hac vita discederet tanquã Viatico Eucharistia refecta, ab ipso Christo.

B.V. exemplũ fuit omnibus fidelibus cõmunicandi cum fructu.

B.V. percipiendo Eucharistiam refricabat memoriam passionis filij, &c.

27. Quæ sanè consolatio summa esse debuit, eo quod Virgo beatissima, intellectu suo perspicatissimo assiduè tanti sacramenti contemplabatur dignitatem, ex cuius contemplatione beatitudinem illam æuiternam, quæ in actu intellectus, vt Angelicus docet Doctor consistit, prægustabat. Contemplationem hanc sui sacratissimi corporis in Virgine commendauit: Cant. 6. 5. *Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non eis in eis*. Vbi Guilelmus Abbas; *Per dentes*, inquit, *intellectus non incongruè figuratur; Panis enim noster quotidianus, qui à Patre cælesti petitur, atque accipitur, pio intellectu, quasi dentibus quibusdam teritur, vt mensus quodammodo, atque glutitus animæ nostræ substantiam fulciat. Cui autem tam affatim datus est Panis ille quotidianus, & supersubstantialis, quo animæ nostræ aluntur, vt viuant, & non moriantur, quam illi, quæ genuit Panem viuum qui de cælo descendit, Panem Angelorum, quem manducat homo? Hunc sibi assiduè Panem, quibusdam dentibus pij intellectus terebat, eoque salubriter, suauiterque viuebat. Quia verò idem piæ Matris intellectus simplex, & mundus erat, nullo animali sensu adulteratus, nulla illecebra carnali fœdatus, dentes eius rectè conferuntur ouibus lotis. ouibus, propter simplicitatem, lotis propter puritatem. Et quoniam intellectus eius prçterea fœcundus erat, non tantum integritate, & puritate in semetipso contentus, sed & ad informandos vtiliter foras extentus, idcirco dentes eius ouibus fœtis comparantur*. Sic Guilelmus de assidua Virginis in contemplando Pane illo Eucharistico adhuc in hac vita dum degeret percepta beatitudine, ac felicitate.

Beatitudo in actione intellectus cõsistit.

Panis Eucharisticus, pio intellectu quasi dentibus mãdendus.

B.V. quæ genuit Panem viuum, qui de cælo descendit, dentibus pij intellectus cũ assiduè terebat.

B.V. intellectus quo cõsiderabat filium in Eucharistia fuit simplex, & purus.

B.V. intellectus fçcũdus ad informãdos vtiliter alios de mysterio Eucharistiæ.

28. Et quoniam dilectissimus eius Filius summam, tam in eius vteri Virginalis per Incarnationem habitatione, quam per Eucharistiam ipsius animæ visitatione, ob præclarissimarũ Virtutum, gratiarumque veluti florum suauissimorum amœnitatem atque fragrantiam, expertus est voluptatem, atque delicias, crediderim sane eâdem pene animi voluptate, ac gaudio benignissimum Dominum etiam modo in animas eorum ingredi, qui absque peccati maculâ, cum vero Diuinæ Maiestati placendi desiderio, tantum sacramentum percipiunt. Hæc enim digna perceptio tam Incarnationis Verbi, quam Eucharistiæ à Virgine toties celebratæ frequentationis, imago quædam ac repræsentatio illi esse videtur, cum Sacramentum hoc, vti diximus ex mente Caietani, Incarnationis sit extensio.

Digna perceptio Eucharistiæ, quę fit à fidelibus Christo gratissima, eo quod B. V. communionis videatur imago.

29. Quæri iure posset hic an Diua Virgo ad digniorem tamen sacramenti perceptionem exomologesi, seu Pœnitentiæ sacramento vsa fuerit? Variæ sunt Theologorum opiniones. B. Albertus Magnus eodem Tract. affirmat: *De Sacramento*, inquiens, *Pænitentiæ recepit gratiam in excellenti æquipollentia. Pro contritione, innocentiæ conuersationem; pro satisfactione, super erogationem*. Ostendit inde

Albert. Magnus affirmat B V accepisse Sacram. Pœnitentiæ.

dequænam fuerit materia huius Virgineæ confessionis: *Hęc fuit propriè confessio beatissimæ Virginis, qua confitebatur Deo, quod tantam gratiam susceperit, quod nunquam de condigno meruit, vel quam omnis creatura mereri potuit, licet ipsa de congruo meruerit. Hęc & similia confessa fuit B. V. Ioanni Euangelistæ suo proprio confessori.* Sic ille.

S. Ioannes Euangelista proprius B. V. Confessarius.

30. Alij verò Doctores negant in Deipara actum propriè dictæ Pęnitentiæ extitisse. Quia cum hæc, in rigore loquendo, significet retractationem, vel detestationem alicuius actionis propriæ, vt est ostensa Dei, & hæc nullo modo, nec vllo vnquam tempore in illam ceciderit, cum à primo immaculatæ conceptionis instanti, adeo pura, & Sancta extiterit, vt ei applaudere dignatus sit sponsus Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quod elogium pulcherrima ad illibatam Virginis asserendam puritatem reddidit paraphrasi, in primis Sapientissimus Idiota in Contempl. B. V. capit. 3. *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, & macula non est in te. Tota pulchra es in tua conceptione ad hoc solum effecta, vt Templum esses Dei altissimi. Tota igitur pulchra es Virgo gloriosissima non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit.* Deinde Richardus de S. Victore in Cant. cap. 26. *Tota ergo, inquit, fuit pulchra, quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum. Tota ergo pulchra facie fuit, & pulchra mente fuit. Nemo enim tam Sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum præter ipsam.*

In B. V. non fuit actus Pœnit. propriè dictæ, quia supponit peccati detestationē.

B. V. tota pulchra, quia omni macula & originalis, & mortalis, & venialis libera.

B. V. tota pulchra, & facie & mente.

31. Sed quid nos de hoc argumento hic plura differimus? Ipsum Mahometum in suo Alcorano, quod ipsius asseclæ ad instar Euangelij venerantur, libertatem Virginis ab omnis peccati subiectione asserentem audiamus. *Maria Filia Ioachim nihil malitiæ aut prauitatis, cum viueret vnquam operata est, sed in bonitate perseuerauit.* Et rursus: *Nullus,* inquit, *nascitur de Filijs Adam, quem non tangat Satan, quando nascitur; & ideo plorat vociferans ex tactu Satan, præter Mariam, & eius Filium. Clamor enim infantis cum cadit de Ventre Matris, propter percussionem Sathan contingit:* Idem quoque Mahomet de perfectione, & Sanctitate Virginis absolutissimâ pronunciauit: *Multi perfecti fuerunt ex viris, nulla verò perfecta fuit vnquam ex mulieribus, nisi Maria Mater Iesu.* Quare Petrus Galat. lib. 7. de Arcan. c. 5. elogium illud sponsi, ex opinione etiā antiquorum Rabbinorum Matri Messię conuenire scribit, eosque censuisse affirmat ob omni originalis peccati, aliorumque actualium maculâ immunem futuram; confirmatque altero illo spōsi elogio: *Pulchrę sunt genę tuę sicut Turturis:* inquit, *Matrem Messię eam ob rem turturi comparat, vt ostendat, quod quemadmodum turtur felle caret, & à principio sine illo creata est, ita Matri Messię nec originale, nec actuale, nec etiam mentale peccatum attribuendum erat.* Eandem ob causam ait, Columbæ, quæ similiter felle caret, fuisse comparatam passim in Canticis. Vide ibidem plura de iustitia sanctitateque originali Virginis totiusque ipsius vitæ perfectione. Denique Sanctus Bern. ser. 2. de Assumpt. loquens de Marthæ ac Mariæ domo, Virginem repræsentante, luculenter ostendit nil vnquam retractatione, ac per consequens, nec pœnitentia dignum cecidisse in Deiparam: *Virginalem,* inquiens, *domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongruè Pœnitentiam, quæ malum vtique comitatur; absit enim vt propriè quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.* Hæc Bernardus.

Mahometi testimonium de Puritate B. V.

Mahometi de Perfectione B. V. testimonium.

B. V. ob suam puritatem Turturi felle carenti comparata.

B. V. Colūbæ collata quod felle omnis peccati caruerit.

Marthæ, & Mariæ Domus in qua Christus diuersatus figura fuit B. V.

Pęnitent. est Scopa Lazari.

32. Et licet hæc reuera ita se habeant, nihilominus dici tamen potest cum Suarez Tom. 2. in 3. Part. Disput. 4. serm. 2. Deiparam Pœnitentiæ habitu, siue idem sit quod Religio, siue charitas, siue virtus quæpiam à reliquis distincta, præditam extitisse. Cum ei virtutes omnes morales, quarum capax esse poterat, cum reliquis omnibus gratijs, ac Spiritus S. charismatis fuerint infusæ. Capacem porro pœnitentiæ fuisse Virginem, hoc ipso quod pura extiterit creatura, in confesso est; cùm nisi à diuina benignitate, peculiari priuilegio fuisset præseruata (non enim naturâ suâ extitit impeccabilis) in peccatum prolabi potuisset. Habitus ergo hic Pœnitentiæ in Virgine fuit principium eliciens honestam detestationem peccati, ex motiuo illo, quod ius Diuinum quomodocunque violatum, sit compensandum. Quia B. V. imo, & Christus Dominus eius Filius peccata omnia, vbicunque tandem erant, summè execrebantur, vt diuinum ius illæsum seruarentur. Ita sapienter docuere Theologi Alexander de Ales, Marsilius, Argentina, quos citat, sequiturque Pater noster Franciscus Mendoza in doctissimo

B. V. capax fuit Pęnitēt. hoc ipso quod pura fuerit creatura.

B. V. capax Pœnit. quia natura sua non fuit impeccabilis.

mo suo Viridario libro 2. Problemat. 4. ad finem.

33. Ex his manifestum euadit, Deiparam nostram sanctissimam, à primo Conceptionis immaculatę instanti, Spiritus Diuinissimi sacrarium, gratiarum, virtutumque omnium domicilium, Sacramentali confessione, cuius materia sola sunt peccata siue mortalia, siue venialia, minimè vsam fuisse, nec huiusmodi præuiâ dispositione ad Eucharistiam percipiendam eguisse, cum ipsa per se omni momento fuerit semper paratissima, vtpotè, quæ toties ad breue aliquod saltem tempus, beatificâ Diuinæ essentiæ Visione, in Conceptione, in Natiuitate, Verbi Incarnatione, in eiusdem partu, ac resurrectione, vt varij docuere Theologi, vt videre est apud Salazar, & Mendozam in Virid. fuerit perfruita, eaque ipsa, vt huiusmodi tam deificantis visionis fert natura, ab omni peccati labe adeo præseruata, vt Beat. Georgius Nicomed. Archiepis. orat. de Præsent. B.V. tantam vitæ puritatem, sanctimoniamque demiratus exclamarit: *O' Sancta, & Sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime Thesaure.*

B.V. licet capax esset pęnitentiæ, illa tamen non indiguit tanquam dispositione ad Eucharistiã, quia semper paratissima.

B.V. purissima semper fuit etiam ex illo capite, quod sæpius Dei Essentiã viderit.

34. Cum igitur Virgo beatissima adeo fuerit semper pura, & ab omni peccati labe incontaminata, vt absque vlla alia præuia dispositione digna fuerit hoc Pane cælesti perfrui, roganda omnino est, ab omnibus suis clientulis vt de sua hac puritate plusquam Angelica nobiscum communicet, quo & nos de fructibus huius Panis Angelici participemus. Cùm denique augustissimum Eucharistiæ Sacramentum Spica sit fertilissima Virginis nostræ gloriosissimæ stellâ illâ primæ magnitudinis repræsentata, vt merito peculiari ratione dici possit panis Deiparę, qui in eius vtero velut terrâ fertilissimâ sucreuit, in eadẽ velut Clibano igne Spiritus S. succenso pistus, ab illa denique alitus, & nobis liberalissimè donatus; ad illum accipiẽdum, magnâ animi puritate, Virgineæ illius æmula, sanctaque cum simplicitate, qualem habere censueuerunt paruuli, quam sæpissimè, summo deuotionis ardore nobis aduolandum est, cum ipsa benignissimè, magnaque cum charitate nos ad hanc mensam Angelicam inuitet; Prou. 9. *Si quis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus*: (in oculis mundi videlicet, quales sunt iusti, & amici Dei, *locuta est*: *Venite, comedite Panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

In accedẽdo ad Sacrã Eucharistiam puritas B.V. nobis imitãda est.

35. Quam sanè inuitationem quoties attentius considero, non possum sufficienter pientissimam Virginis erga nos curam, ac plusquam maternam solicitudinem, charitatemque demirari: Experta nimirum fuerat illa in anima sua mirificos huius augustissimi sui Panis, velut signi vitæ preciosissimos, a ssiduâ ipsius perceptione, frequentationeque acceptos à se fructus, nouerat quantis, quamq; magnis passibus in via Diuini obsequij, incredibilibus virtutũ, omniũ ac præsertim ardentissimæ charitatis, ac puritatis, factis incrementis, fuerit progressa, ideo nostræ perfectionis, puritatisque cupida, nos tam sedulo ad ipsius frequentationem exhortatur.

B.V. conscia fructuum à se in Eucharistia pręceptorum nos ad illius frequentationẽ inuitat.

36. Et verò nullo alio efficaciori medio, Dei charitatem, quam vinculum perfectionis appellat Apostolus, consequimur, quam dum quam sæpissimè ad cælestem hunc, Virgineumque panem manducandum accedimus. Hoc enim Sacramentum ex illis, Diuinissimâ illâ, supremi Artificis mente excogitatis adinuentionibus, censuerim esse præcipuam, qua nos ad suum amorem suauissimè pelliceret. Vnde Diuinam hanc erga nos charitatem contẽplans Isaias ca. 12. mortales omnes ad Dei tam insignium, tamque sapientum adinuentionũ Auctoris de prædicandas laudes inuitat: *Confitemini Domino, & inuocate Nomen eius, notas facite in populis ad inuentiones eius, mementote quoniam excelsum est Nomen eius. Cantate Domino quoniam magnificè fecit, annunciate hoc in vniuersa terra.* Verè in spica hac Virginis, verè in Pane hoc Deiparæ omnes sui ingeniosissimi amoris adinuentiones recondidit; verè in hoc augustissimo Mysterio magnificè fecit, dignusque est hic sapientissimus inuentor, atque artifex vt omnium gentium, populorumque linguis, æternisque monumentis celebretur.

Eucharistia præcipua Dei adinuentio qua nos ad suum amorẽ alliceret.

In Eucharis. instituenda Christus magnificentiam suam ostẽdit.

37. Si enim magnificentia, teste Philosopho 1. Rhetor. est *virtus magnitudinis sumptuum effectiua*. Vel certè M. Tullio ad Herennium: *Magnificentia est rerum magnarum, atque excelsarum, cum animi quadam ampla, & splendida propositione cogitatio, atque administratio*. Vel denique secundum Doctorem Angelicum 22. qu. 134. art. 1. *Et virtus factiua magnorum, quæ pertinet ad virtutem Diuinam;* Deus immortalis,

Quid sit Magnificentia.

talis, vbi quæso summus ille totius orbis Monarcha, adeo magnos, adeo profusos cælestium diuitiarum sumptus, vbi ingentes suæ inscrutabilis sapientiæ, infinitæ omnipotentiæ, immensæ bonitatis, reliquorumque attributorum perfectionumque effudit thesauros? Vbi quæso res maiores, ac grandiores, suaque diuina Maiestate digniores molitus est, quam in huius admirabilis Sacramenti institutione, in qua reuera suam diuinissimam virtutem toti orbi res tam extremè inter se distantes vniendo, patefecit? Verum quidem est quod in huius Vniuersi fabrica cælum, terramque cum omnibus quæ ijs continentur pulcherrimis ornamentis condendo vniuersorum Dominus mirificè Sapientiam, potentiam, bonitatem, magnificentiamque suam ostentauit, dum illius mortales omnes participes voluit esse: *Aequaliter enim*, inquit Cyprianus, *dies illuminat, Sol radiat, imber rigat, ventus aspirat, stellarum splendor, ac Luna communis est*. Manifestauit quoque insigniter eandem magnificentiam Naturam; tam Angelicam quam humanam ad imaginem similitudinemque suam, memoria, intellectu, ac voluntate præditam, iustitiâ sanctitateque originali, innumerisque Spiritus S. donis ac charismatis exornatam creando. Ostendit denique magnificentiam suam, aliaque præcipua attributa summa illa Maiestas, in Incarnatione Verbi, eo quod res magnas, res omnino grandes, quas nec mens Angelica capere, nec lingua effari valet, perpetrarit. In illo enim mysterio DEVS fit homo, & homo DEVS, absque vlla cōmixtione, aut diuisione, cælum vnitur terræ, ima summis, copulantur. Denique in hoc mysterio, vt loquitur S. Augustinus; *Dei gratia ac magnificentia nobis granditer, & euidenter commendatur*. Quam ob causam tanta Verbi incarnati visâ erga nos magnificentiâ Ecclesia Sancta in eius die Natali modulatur: *Rex pacificus magnificatus est super omnes Reges, cuius vultum desiderat vniuersa terra*: Verum in hoc Sacratissimo mysterio multo excellentius Regiam suam ostētauit magnificentiam; In hoc enim thesauros omnes suarum gratiarum, ac charismatum profudit, donumque nobis opulentissimum, suaque Maiestate dignissimum exhibuit, siquidem modico illo orbe, gyroque panis, omnipotentiâ suâ infinitâ comprehendit res quas cælorum machina nequit comprehendere. Ibi concluditur, nobisque donatur Diuinitas humanitati nostræ hypostaticæ sociata: & in cibum, Diuinum corpus; in potum Diuinus sanguis exhibetur, vnâ cum anima beatissima omni gratiâ, donisque Spiritus S. plenissima. Atque ita Diuinæ consortes efficimur naturæ, inque Deos quodammodo, admirabili quadam metamorphosi, quotquot dignè, absque lethalis noxæ conscientiâ ad hanc mensam cælestem accumbimus, transformamur, quod sanè in Incarnatione minimè factum est; In illa siquidem vnico Humanitatis nostræ indiuiduo in vtero Virginali, ope, operaque Spiritus S. efformatæ, sese communicauit. Vnde magnificentissimus hic Dominus specie panis contectus aiebat D. Augustino in libris confess. & in eo mortalibus omnibus: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me*. Vnde cum hoc tale, tantumque donum Diuinâ planè magnificentiâ dignissimum omnibus omnino, nullo personarum, cuiuscumque cōditionis habito discrimine fuerit exhibitum, quid mirum ab Euangelico Propheta vniuersaliter omnes ad Dei laudes, magnificentiamque hanc deprædicandam inuitari? *Cantate Domino quoniam magnificè fecit, annunciate hoc in vniuersa terra*, siquidem omnes eius habitatores ad magnificentissimã hanc mensam aduocantur. Quid mirum Regium Prophetam, huius mensæ plusquam Regiam magnificentiã, sumptusque profusissimos contemplantem, admiratione attonitum exclamasse: *Domine Dominus noster quam admirabile est Nomen tuum in vniuersa terra! quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos*. In quorum creatione licet tam vasti, ac penè immensi sint, licet tam speciosis lucis, stellarum, Lunæ, solisque ornamentis decorati, vnici illius verbuli *fiat* expensa facta est. At vero in mysterio hoc admirabili diuitiæ omnes, ac thesauri Diuinæ sapientiæ, bonitatisque sunt effusi, ideoque iure magnificentiam hanc non humi repentem, sed exaltatam super cælos Rex ille, qui magnificentiam probè callebat, eamque in præparandis tam magnificis sumptibus, ad Templum Domini ædificandum reipsa demonstrauit, tantis laudibus extulit.

38. In huius Diuinæ magnificentiæ con-

Magnificētia Dei ostēsa in mundi fabrica.

Maior Dei magnificētia ostensa in Eucharistia qua in creanda Natura Angelica, & Humana.

In Eucharist. maiorē Christus Magnificentiam, quã in Incarnatione ostendit.

Maior Dei magnificētia in Eucharis. instituenda, quam in creãdo cęlo.

templatione crediderim Deiparam Virginem, mirificè Diuino amore succensam, semetipsam totam sæpius cū omnibus tam animæ, quam corporis potētijs in holocaustum Diuinæ obtulisse Maiestati, seque ipsam in eius laudes effudisse, identidemque ardētissimo cordis affectu magnificentiam hanc, maximâ, cum grati animi significatione, gratiarumque profusione ad cælos vsque extulisse, consuetum illud suum concinendo melos: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo*. Maximè cum contemplaretur attentius summam hanc, pulcherrimā, atque ingeniosissimam à Diuina sapiētia excogitatam ad homines amore sui inflammandos, adinuentionem. Cum enim homines beneficijs, velut funiculis Adam, velut vinculis charitatis ad amandum pertrahantur, excogitauit mens illa Diuinissima, pro nobis semper sollicita gratiosam hanc adinuentionem, in qua velut compendio quædam nobis omnia cæli, terræque bona, imò fontem bonorum omnium, Diuinitatem nempe suam, communicaret. Hic enim verè continetur ille, qui quondam Moysi petenti Exod. 33. *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi gloriam tuam, ostende mihi faciem tuam*; Respondit, *Ego ostendam tibi omne bonum; faciem autem meam videre non poteris*. Verè enim nobis hic non modo ostenditur ad viuā fide cernendum summum illud, æternumque bonum, à quo bona cuncta procedunt, verum etiam fruendum exhibetur, ita, vt illius in hac vitâ, dignâ perceptione, æternæ felicitatis gaudia, quæ in summi illius boni visione, ac fruitione consistunt, dū hic adhuc versamur, prægustemus, licet eius faciē velatā accidentibus panis intuitiué videre non possimus. Quod quidem velum ei summus in nos induxit amor cum enim nouisset Diuinitatis eius splendorem, maiestatemque mortalem oculum ferre non posse; (verissimè enim ipsissima dixit de se veritas: *Non videbit me homo, & viuet*,) accidentibus illis panis, ac vini gloriam suam, vt nobiscum vsque ad consumationem sæculi, ineffabili in nos amore stimulante, degeret, velare non est dedignatus.

B. V. magnificentiam Dei in Eucharist. ostensam sæpius cantico suo magnificauit.

In Eucharist. continetur omne Bonū.

Christus accidentibus panis in Eucharist. velatur, ad Diuinitatis splendorem temperandum.

39. Hic nimirum est Dominus ille, quem Isaias cap. 6. vidit super solium excelsum, & eleuatum, cui duo Seraphin alis suis faciem, pedesque obuelabant. Quos sanè ego Seraphinos dixerim geminos fuisse Amores. Alterum in suum æternum Patrem: alterum in humanum genus vniuersum. Hi Amores volarunt ei faciem, velarunt ei pedes. Amorem hunc in Patrem nobis ostendit cùm dixit: *Si diligeritis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem*. Ioan. 14. Amor enim erga Patrem ardentissimus eum solicitabat, vt quantocius ad illum remearet. Amorem in nos, verbis illis amantissimis ac planè paternis indicauit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Matth. vlt. Quibus in verbis Saluianus Massiliensium Episcopus magna charitatis in nos reperit signa lib. 2. de Prouidentia. *Nemo enim*, inquit ille, *puto vel in toto humano genere tā malus est, qui ideo cum illo hominum velit esse, quia non amet, & adhoc tantum vti præsentiā suā cupiat, vt maiori odio possit despicere præsentem. Ipsa vel doceat nos humana Natura, vel vincat, si non ideo cum quocumque homine esse cupimus, quia eum, cum quo esse cupimus, diligimus*. Et quia vtique diligimus, prodesse ei præsentiam nostram cupimus, quem amamus. Hæc ille; quibus luculenter ostendit Dei filium nostri amore nobiscum, panis contectum accidentibus, vt omnibus prodesset, vsque ad cōsummationem sęculi permanere voluisse. Atque ita gemellis hiscè Amoribus, in Sacramento hoc nobiscum habitando, abundè satisfecit; Paterno quidem, præsentiā suā naturali in cælos proficiscendo; Amori verò illi in homines, præsentiam sacramentalem ad diem vsque Iudicij, pro communi omnium sustentatione, ac solatio exhibendo.

Duo Amores Christum in Eucharistia velarunt.

Amor Christi in Patrem, & in genus Humanum, cum in Eucharistiam velut duo Seraphini velarunt.

Christus in Eucharistia nobiscum esse voluit, quia nos dilexit, & nobis prodesse cupiuit.

40. Aptissimè porrò affirmat Propheta duos illos Seraphinos siue Amores caput depesque velasse Saluatoris vniuersorum Domini. Licet enim in augustissimo Incarnationis mysterio caput duntaxat Humanitatis nostræ velamine, operiri visum sit; *Caput siquidem Christi DEVS* 1. Cor. 11. teste Apostolo; in hoc nihilominus Arcano pedes quoque velati fuere sacratissimæ humanitatis nostræ, quam assumpserat, de qua concinebat Dauid Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*. Quod diuinissimorū pedum scabellū S. Augustinus, Ambrosius, & Hugo Cardinalis aiunt Humanitatem esse Christi vnione hypostaticâ verbo consociatam. Alij dicunt diuinorum pedum scabellum illud, esse B. Virginem, in qua factus

Caput Christi est Diuinitas quam humanitate nostra obuelauit.

Scabellum pedum Christi est humanitas.

Yyyy homo

Scabellū pedum Christi est B. Virgo.

homo humanitatis suæ pedes posuisse visus est. Rupertus Abbas denique: *Facies*, inquit, *Christi est Diuinitas, pedes sunt eius Humanitas, eiusdemque mysteria, vti Natiuitas, passio, Crux, Resurrectio, Ascensio, &c.* quæ ideo velare perhibentur Seraphini, quia secreta tam profunda, tam Diuinitatis, quam humanitatis, mente sua quantumuis acutissima rimari nequeūt; videnturque id præstare, quod olim Timantes Pictor famosissimus, qui cum in funere Iphigemiæ, Parentis Agamemnonis vultus mœrorem penicillo exprimere non posset, velo quodam, mirâ arte ei caput obnubit. Cum igitur Seraphini velarint caput, pedesque Domini, qua ratione quæso affirmat Isaias, se Dominum vidisse, sedentem, cum eius nec caput, nec pedes, nec Diuinitatem, nec humanitatem, nec altitudinem, nec humilitatem viderit? Vidit nimirum Dominum ea ratione, qua dicere consueuimus nos vidisse amicum quempiā laruatum, licet tunc eius faciem, vtpotè laruâ contectam minimè viderimus.

Facies Christi est Diuinitas, pedes vero Humanitas.

41. Verum crediderim aliquod maius mysterium vidisse Isaiam cùm dixit: *Vidi Dominum*: Vidit nimirum huius benignissimi Domini nostri pectus ardentissimum, vidit cor flammis amoris plenissimum, siquidem Seraphini illi medias alas in volantis speciem extenderant. Atque ita spatium relinquebant, quo videri posset illius nostri amantissimi Domini pectus, quod miras amoris euibrans flammas, ipsos ita vicissim accendebat, vt ab amoris huius tam vehementis ardore nomen sint sortiti, ideòque alis quodammodo ardorem hunc beatissimum, quo felicissimè concremabantur, ventilando, temperare visi sunt.

Seraphini suis alis amore ardens Dei pectus ventilare visi sunt.

42. Et verò si in aliquo Incarnati Verbi opere amantissimum eius cor mortalibus videre licuit, vna cum ipsius eximiâ illa magnificentiâ, in hoc sanè mysterio vel maximè. Hinc Regius Propheta Psalm. 80. In quo de beneficio singulari, amoreque inexplicabili mortalibus, in institutione huius sacramenti declarato pertractans, omnesque ad DEVM ornandum laudibus, summâ cum lætitia inuitans verbis illis: *Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob, Sumite psalmum, & date tympanum psalterium iucundum cum cithara. Quia cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos;* Psalmo inquam huic iucundissimo, ac deliciosissimo titulum hunc mysterijs plenissimum præfixit: *In finem pro torcularibus*; ad insinuandum, in gloriā Christi Saluatoris, qui finis est noster optatissimus, finis quoque Legis, ac Prophetarum, Psalmum hunc esse compositum. Præterea Psalmum eundem esse ad instar torcularis ad Vinum diuini amoris è cordibus nostris exprimendum perìdoneum. Vnde videre est duos alios huiusmodi Psalmos, octauum nempe, & 83. gaudere hoc titulo, qui sanè diuini amoris affectibus sunt refertissimi.

In Eucharis. maximè Dei Amor cum insigni eius Magnificentia ostensus.

Eucharis. est velut torcular aptum ad vinum Diuini amoris è cordibus nostris exprimendum.

43. Hinc non contentus Propheta excitare homines ad Dei effusissimam illam cælestium diuitiarum profusionē laudandam, vt huius diuinæ charitatis vinum, de cordibus hominum exprimat, excitat quoque nos ad Inuentiones, à Diuina Sapientiâ excogitatas, quibus ad amorem sui nos pellicit deprædicandas. *Confitemini*, inquiens, *Domino, & inuocate Nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius.* Inuentio sanè mirabilis atque amore plenissima æternæ huius sapientiæ extitit, cum in totius vniuersi creatione reliquas creaturas immediatè, solo suo imperio, dicendo: *Fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria in firmamento*; vel certè reliquis præcipiendo creaturis vt alias atq; alias producerent, vt cum dixit: *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum. Producant aqua reptile animæ viuentis, & volatile super terram. Producat terra animam viuentem, iumenta, & reptilia, & bestias terræ.* Gen. 1. Cum autem ad creandum hominem sapientissimus opifex accessit, nullam creaturam in partem tam eximij operis venire voluit. Ipse suis manibus totum hominem, eiusque partes, animam, corpusque efformauit, nec limum terræ manibus illis digitisque, quibus cælum, Lunam, stellasque fundauit, contrectare dedignatus est, dicente ac gloriante Iobo: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Ipse eius animæ Diuinissimam sui impressit Imaginem, quemadmodū Phidias in eburneæ illius Mineruæ clypeo, suam. Vnde augustissima Trias, inito de creatione hominis consilio, pronunciauit; *Faciamus hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram.* Vt ostenderet denique animam diuinæ illius esse particulam auræ, eam quasi ex imo cordis sui, visceribusque quodammodo protraxit, siquidem ait Moyses. Gen. 2.

Mira inuentio Dei in creando homine, dum nullius creaturæ adminiculo vsus est.

Homo totus à Deo efformatus, vt totum suum amorem in eum collocaret.

For-

Formauit Dominus DEVS hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, siuè, *vitarum*, vt legunt alij ad ostẽdendum non rationalem solum animã, sed & sentientem, ac vegetantem cum idem sint, simul inspirasse; *& factus est, homo* ait scriptura *in animã viuentem*, vt nimirum ipsi soli viuit, siuè, vt Chaldæus legit paraphrastes, *in animam loquentem*, ad tantum tamque benignum conditorem, nimirum pro tam eximijs donis, beneficijsque, pro dignitate prædicandum, suaque vota, ac desideria eidem depromenda. Et hæc quidem omnia eum in finem benignissimus Dominus direxit, vt homo conscius se totum quantus est, à Deo conditum, vniuersum in ipsum amorem transfunderet, nec sibi vlla creatura partem aliquam ipsius amoris vendicaret.

Homo creatus à Deo in animam viuentem, vt illi soli viuat. item in animam loquẽtem vt illum laudet.

44. Post miserandum deinde Protoplastorum lapsum, cum genus humanum in Sathanicam, eamque acerbissimam abductum est captiuitatem, cum Dei Filius illud, per Angelum quempiam supremæ Hierarchiæ præstantissimũ eripere posset, vel quempiam sibi, adsciscere in huiuscè redẽptionis humanæ adiutoriũ, recusauit omnino, ne homo amorem suum diuidẽdi, inque creaturã quampiam deriuandi inueniret occasionem, sed vniuersum potius in tam benignum, amantemque Redemptorem transfunderet. Vnde ipse dicebat Isa. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est Vir mecum*. Hunc singularem in nos affectum, multis passim exaggerat S. Bern. inculcatque hominibus maximè Tract. de Pass. cap. 46. *Si quæritur*, inquit, *quare DEVS potius per se, quam per aliam aliquam creaturam hominem voluerit liberare, possumus hoc quidem charitati eius imputare, quam vt nobis commendaret, non solum incarnatus, sed etiam mortuus est pro nobis. Tradidit nihilominus per hoc formam charitatis, vt parati simus, cum necessitas exegerit, pro fratribus nostris animas ponere, cum Regem nostrum pro nobis animam posuisse videmus. Est & adhuc alia rationabilis causa, quare per Dominum redempti sumus, scilicet, quia nequaquam decuit nos per alium reformari, quam per eum, per quem ab initio formati eramus. Plus enim excitat nos ad charitatem reformatio, quam formatio. Si ergo per alium, quam per ipsum, per quem sumus formati, reformati essemus, plus reformatori nostro, quam formatori deberemus, & sic plus diligeremus creaturam, quam creatorem, quod esset inconueniens.*

Quare Deus hominem per Angelũ aliquem redimere noluit?

Deus pro homine nõ voluit, vt parati simus, & nos per eodem mori.

Homo ab illo à quo creatus est recreari debuit.

Vt ergo inuitaret nos ad diligendum ipsum, ex toto corde, ex tota anima, & totis viribus nostris, impendit nobis, quicquid debuit creando, & recreando nos optimus DEVS, cuius beneficijs non communicat alienus. Hæc Bern. quæ sanè nobis mirificam amoris Diuini indicant inuentionem, qua ad eundem redamandum compellimur, & quodammodo necessitamur.

45. Cum denique ad nos redimendos schemate Angelico vestitus venire potuisset, vti sæpius in veteri lege Patres illos visitare, ac solari consueuerat, nihilominus detrectauit, voluitque Humanitatem nostram assumere, sciens similitudinem, amoris esse conciliatricem. Hinc mellifluus Doctor: *Vt familiarius ab homine diligeretur DEVS, DEVS in similitudinem hominum homo factus est*. Et serm. 20. in Cant. *Ego hanc*, inquit, *arbitror præcipuam inuisibili Deo fuisse causam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus homo conuersari, vt carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem*. O' inuentiones verè sapientissimas, ò inuentiones verè amore plenissimas, eminentissimã illa Diuinæ sapientiæ mente dignissimas.

Deus incarnatus ideo vt hominum sensus in amorem sui raperet.

46. Hinc idem S. Bern. cit. serm. 20. inter omnia diuini amoris illicia, nullum fortius esse censuit quam hominum redemptionem. Quare de hac locuturus contra ingratos tantis Saluatoris beneficijs, horribile illud cum Apostolo 1. Cor. 6. contorquet fulmen. *Qui non amat Dominum IESVM Christum anathema sit*. Tum amoris huius annectit causam: *Valdè*, inquiens, *omnino mihi amandus est, per quem sum, viuo, & sapio. Si ingratus sum, & indignus. Dignus planè est morte, qui tibi Domine Iesu recusat viuere, & mortuus est, et qui tibi nõ sapit, desipit, & qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est; Propter temetipsum DEVS fecisti omnia, & qui esse vult sibi, & non tibi nihil esse incipit inter omnia*. Tum vt ostẽdat quantã vim habeat Passio Christi ad hominũ corda Diuino amore sibi deuincienda, hęc sui texit. *Sed est quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit: Super omnia, inquã, reddit amabilem te mihi, IESV bone, Calix quem bibisti opus nostræ Redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi, hoc, inquam, est, quod nostram deuotionem, & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. Multum quippe in eo laborauit Saluator, nec in omni*

Contra ingratos anathema fulminat Apostolus.

Passio Christi vel maximè illum fidelibus reddit amabilẽ.

Quam difficile fuerit Christum opus nostræ Redemptionis.

ni mundi fabrica tantum fatigationis Auctor assumpsit. Illa denique dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. At verò in hoc, & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. Adde quod hanc ipsam dilectionem non reddidit, sed addidit. Nam quis prior dedit, & retribuetur ei? Sed vt S. Ioannes ait: Non quia nos dilexerimus DEVM, sed quia ipse prior dilexit nos. Denique dilexit etiam non existentes. Sed adiecit, & resistentes diligere, iuxta Apostolum: Quoniam cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Alioqui si non dilexisset inimicos, nondum possedisset amicos; sicut necdum, quos diligeret, essent, si non dilexisset, qui nondum essent: Itaque quos in carne quæsiuit, *dilexit in Spiritu, redemit in Virtute. Plenum prorsus omni suauitatis dulcedine, videre hominem, hominis Conditorem. Huic securè me credo qui saluare me velit, nouerit, possit. Quem quæsiuit, hunc & vocauit, per gratiam suam, nunquid venientem eijciet foras? Sed nec vim, nec fraudem metuo profectò vllam, quod me videlicet de manu eius possit eruere, qui & vincentem omnia, vicit Mortem, & seductorem vniuersitatis serpentem arte vtique sanctiore delusit, isto prudentior, illa potentior.*

Securè nos concredimus Christo quia nos saluare vult, nouit, potest.

Christus serpente prudētior, Morte potentior.

47. Idem pientissimus Abbas serm. 11. in Cant. eamdem hanc Diuini amoris mirificam rursus exaggerat inuentionem, quam eo fine excogitatam asserit, vt ex hominum animis DEVS turpissimum ingratitudinis vitium expelleret: *Non modica*, inquit, *aut simplex illa Dei exinanitio fuit, sed semetipsum exinaniuit vsque ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis dignè penset quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum Maiestatis carne indui, mulctari morte, turpari Cruce? Sed dicet aliquis: Non valuit opus suum reparare, Creator, absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum iniuria sua, ne pessimum, atque odiosissimum vitium ingratitudinis occasionem vltra reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis, difficultas redemptionis, quem minus esse deuotum fecerat conditionis felicitas. Quid enim dicebat homo creatus, & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo Auctoris grauamine vel labore. Siquidem dixit, & factus sum, quemadmodum, & vniuersa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaueris? Sic beneficium creationis attenueans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, vnde amoris causam habere debuerat,*

Christus mortem crucis pati voluit pro nobis, vt vitiū ingratitudinis excelleret.

idque ad excusandas excusationes in peccatis. Sed obstructum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantum modo dispendium fecit. De Domino, seruus; de Diuite, pauper, caro, de Verbo; & de Dei Filio, hominis filius fieri non despexit: Memento iam te, etsi ex nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per totos 30. annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O' quantum laborauit sustinens! Carnis necessitates, hostis tentationes, nonnè sibi Crucis aggrauauit ignominia, mortis cumulauit horrorem? Necessariè quidem. Sic sic homines, & iumenta saluasti Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuā Deus? Hæc meditamini, in his versamini. Hæc Bernardus, quibus sane summum Dei Amorem in homines, cui nil addi posse videtur, expressit, vt hac tam mirifica diuini amoris inuentione hominem totum sibi vindicaret.

Deus in creādo mundo, sex diebus laborauit; in redimendo homine totos 30. Annos.

48. Huic tamen alia non minor eximij amoris Conciliatrix inuentio accessit, cum cruci amore nostri suffixus, latus suum lanceâ transuerberari voluit, vt per vulnus illud extrinsecus corpori insflictum, velut per fenestellam illam Arcæ cristallinam, vulnus cordis, quod ipsi nostri insflixit amor, introspicere valeremus, vti ipse S. Catharinæ Senensi in libro Dialogorum reuelauit. Quod etiam S. Bernardus confirmat Tract. de Pass. cap. 3. vbi ponderans verba illa Sponsi Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum: Vulnerat*, inquit, *cor tuum Domine IESV sponsa tua, amicatus, soror tua; Quid necessarium fuit illud ab inimicis vltra vulnerari? Quid agitis ô inimici? Si vulneratum est, imo quia vulneratum est cor dulcis IESV, quid secundum vulnus apposuistis? An ignoratis quod vno vulnere tactum cor emoritur, & fit insensibile?* Duplicis huiuscè tandem vulneris reddit causam: *Propterea*, inquiens, *vulneratum est cor Domini IESV, vt per vulnus visibile, vulnus amoris inuisibile videamus. Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit, & hoc innuit Sponsus, cum bis se vulneratum asserit. Vtriusque enim vulneris ipsa soror, & sponsa causa est, ac si Sponsus apertè diceret: Quia zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum. Quis enim cor suum palo vulnerari permitteret, prius amoris illius vulnus percæpisset?*

Quare Christus post mortem sibi lancea aperiri voluit?

49. Atque hæ quidem omnes stupendæ sunt plane diuinæ Sapientiæ adinuentiones, quibus nos semper à primis sæculorum exordijs ad sui amorem pel-

pellicere contendit,quibus comprehendendis, ac enunciandis omnis Angelica mens, linguaque deficit, ac fatiscit. Verum in augustissimi huius sacramenti Eucharistiæ institutione longè excellentiores, atque admirabiliores excogitatæ sunt à Diuina Sapientia inuentiones, quibus, ceu aureis Gallicani illius Herculis catenis, ad DEVM animitus, medullitusque redamandum pertraheremur. In hoc enim adeo arctè vnire, accommiscere, sese nobis, in cibum, potumque exhibendo, voluit, vt ipsi concorporei, ac consanguinei, in ipsumque penitus trãsformati per amoris, intimæque vnionis affectum omnes, quicunque dignè ad cælestem hanc mẽsam accedimus, videamur. Quam transformationem ipsa veritas nobis verbis illis indicauit Ioan. 6. *Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Hinc S. Chrysost. Hom. 45. in Ioan. *Vnum*, inquit, *corpus sumus, & membra ex carne, & ossibus eius. Vt autem non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis cap. 31. à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præseferentes dicebant: Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate adstringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suę infigi, desiderioque sui omnes impleri. Parentes sępenumero liberos suos alijs alendos dederunt, ego autem meâ carne alo, me vobis exhibeo, omnibus faueo, omnibus optimam de futuris spem præbeo. qui in hac vita ita me vobis exhibeo multo magis in futura. Vester ego frater esse volui, & communicaui carnem propter vos, & sanguinem, & per quã coniunctus sum, ea rursus vobis exhibui; Hic sanguis facit, vt Imago in vobis Regia floreat, bic sanguis pulchritudinem, atque nobilitatem animæ, quam semper irrigat, & nutrit, languescere non sinit. Sanguis enim à cibo non fit repente, sed prius aliud quiddam, hic verò quam primum irrigat animam, eamque vi quadam magna imbuit.* Sic ille.

Inuentio maxime admirabilis Diuini amoris est institutio Eucharistiæ.

Per Eucharistia in Christum transformamur.

Christus per carnem suam se nobis vnit, vt maiori nos sibi charitate adstringat.

Christus hoc Sacramento nos velut lacte dulcissimo alit, vt Maternum nobis affectũ ostendat.

50. Audiamus de eisdem effectibus S. Leonem summum Pontif. *Non aliud agit participatio corporis, & sanguinis Christi, quam vt in id quod sumimus, transeamus*. Similia apud D. Cyrillum Episc. Hierosolymitanum catechef. Myst. 4. legimus. *In specie panis dat nobis corpus, & sanguinem Christi, factus eiusdem corporis, & sanguinis particeps. sic enim efficimur Christiferi, hoc est Christum in corporibus nostris ferentes, cum corpus eius, & sanguinem in membra nostra recipimus. sic secundum B. Petrum Diuinæ naturæ consortes reddimur*. O' infinitum Saluatoris in hoc sacramento delitescentis omnipotentiam, ò vim atque exergiam planè diuinissimam, quæ hominẽ vilem vermiculum, puluerem, cineremque deificat! *Quis hic loquetur potentias Domini auditas faciet omnes laudes eius?*

Non mihi si lingua centum sint oraque centum
Ferrea vox.

Per Eucharistiam homines efficiuntur Christiferi, & Diuinæ consortes naturæ.

51. Verùm quid nos huius sacramenti tantam vim admiramur atque exergiam, cùm in illo *Dominus virtutum, cui Dominus omnipotens.* Nomen eius, contineatur? Quod si charitas à Deo animabus infusa, eam fortiri consueuit exergiam, vt hominem extra se ponat, eumque in amatum transformet, inque eo habitare faciat; (magis enim anima est vbi amat, quam vbi animat) quantò magis increata hæc, substantialisque charitas, DEVS hic amoris, qui huius sacramenti speciebus velatus delitescit idem efficiet. Hinc S. Dion. Areopag. cap. 4. de Diuin. Nomin. *Hoc amoris verbum*, inquit, *vim habet faciendi vnum, & colligandi, præstantique modo res inter se miscẽdi. Dimouet enim de statu mentis Diuinus amor.* Idque exemplo comprobat Apostoli dicentis: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus*; quibus verbis hæc attexit Dionysius: *Verus amator, & à statu mentis dimotus in Deo degit, non suam vitam, sed amãtis valdè diligendo*. Quibus sanè summa amoris violentia ac fortitudo demonstratur, quæ hominem à seipso separat, atque in amante habitare compellit.

Diuini amoris vis quam potens.

52. Quod minime sanè mirum nobis videri debet cum Amoris hanc violentiam perpeti suprema illa visa est Maiestas, dum carnem, humanitatemque nostram adeo dilexit, vt hypostaticã vnione eam sibi consociare, ac in nobis habitare, cùm denique mediante hoc sacramento in animas nostras introire, inque eis sibi domicilium eligere, ad deliciandum cum filijs hominum non est dedignata. Violentiam hanc Diuini amoris agnoscens Doctor mellifluus, quasi extra se positus, factoque amore ebrius ser. 64. in Cant. exclamauit:

Deus magna amoris violentiam in Incarnatione, & Eucharistia instituenda passus est.

mauit: *O' suauitatem, ò gratiam, ò amoris vim! Itané summus omnium vnus factus est omnium? quis hoc facit? Amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam violentum? Amor est. Quæ est ista vis quæso tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinaniuit, vt scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, altitudo adæquata est, quod singulariter associata est. Cum quonam tibi ò admirande sponse tam familiare consortium? Tu quis es Aethiopissæ huius tam deuotus, tam ambitiosus amator?* Hæc Bernardus de mirifica Humanati Verbi in genus humanum amoris vi, atque exergia, dum homo fieri pro nobis non est dedignatus.

Amor ità violentus vt de ipso Deo triumphet.

53. Et licet amoris hac potentiâ ac violentiâ superatus vniuersorum Dominus, licet in creatione, & in redemptione, in Cruce, vti supra meminibus miras amoris semper inuentiones mūdo ostenderit, in hoc tamen Sacramento ostendit vel maximè, dum accidentibus illis suarum creaturarum, panis, ac vini velari se passus est, vt noster cibus, potusque fieret, vt in nobis habitaret, vt cordi illi suo, charitate nostri sauciato, & ad instar fornacis ardentissimæ æstuanti, cor nostrum applicaret, nosque eiusdem amoris potentiâ liquefactos in seipsum transmutaret, nosque bonorum suorum, tam gratiæ, quam gloriæ participes efficeret, imo thesauros omnes donorum, charismatumque suorum, pro immensâ illa sua magnificentiâ, atque liberalitate transfunderet. Quare tam stupendos diuinę huius charitatis in hoc mysterio nobis patefactas considerans adinuentiones, idem sæpius memoratus Bernardus serm. in Cæna Domini præclarè enunciauit: *Amor amorum est Altaris sacramentum*. Et verè. Si enim Amor in bonorum suorum cum amante communicatione cernitur; vbi quæso magis creaturis omnibus mensæ huic, corde puro; accedentibus sese benignissimus hic, amantissimusque Dominus, cum omnium donorum suorum plenitudine quam in hoc Arcano, communicat? Adeo vt tempus illud aureum, quo Sacramentum hoc Saluator instituit; *Plenitudinem temporum*. Aetatemque Auream appellare liceat, in quam gratiæ omnes, quas omnibus retro sæculis Auctor gratiæ, à primis mundi incunabulis creaturis suis distribuit, confluxisse visæ sunt. Qua de re scitè B. Guerricus Ignatiensis Abbas ser. 4. de Nat. Domini verba illa expēdens Apostoli ad Galat. 4. *Ecce iam venit plenitudo temporis: Omnium*, inquit, *plenitudo bonorum Christus Dominus est, quippe, qui omnibus thesauris sapientiæ, & scientiæ Dei, totiusque gratiæ plenus est, imo in quo omnis plenitudo Diuinitatis habitat corporaliter. Nolo tamen hanc plenitudinem temporis requiras in copia bonorum temporalium, sed æternorum, non in prouentu agrorum, sed cælorum; Feliciora tempora ne quæsieris, quando, & regnum Dei nil aliud est, quam iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu S. quod de illis procedit. Nam, & nostrorum temporum ille status iudicatur optimus, atque pulcherrimus, cum & iustitia moribus imponit disciplinam, & abundantia cum pace quietem vitæ præstat, & lætitiam. Denique si misericordia Domini plena est terra, & benedixit Dominus Coronæ anni benignitatis suæ, ac cāpi eius repleti sunt vbertate totius gratiæ spiritualis, quis nisi ingratus plenitudinem neget temporis? Quæ vnquam aurea Aetas simile aliquid habuit huius plenitudini temporis, quando panis Angelorum omnem habens saporem suauitatis, & omne delectamentum apponitur etiam iumentis, &c.*

Amor Amorum est Altaris Sacramētum.

Amor in bonorum suorū cum amante communicatione cernitur.

Tempus in quo Christus Euchar. instituit, Aetas aurea dici potest.

Christus omnium plenitudo bonorū est.

Aurea ętas est hæc in qua panis Angelorum proponitur etiam iumētis.

54. Idem Abbas ser. 2. de Natiu. librans verba illa Isaiæ cap. 9. *Filius datus est nobis*, docet cum Christo nobis omnium bonorum ineffabilem abundantiam, aduenisse, & quandam quasi donorum cælestium Cornucopiam super mortales effusam fuisse; *Nunquid*, inquit, *potest enarrari, quæ & quanta donata sunt nobis, cum iste Filius datus est nobis? Nonné omne datum optimum, & omne donum perfectum ab ipso, & cum ipso pariter ad nos descendit? Nonné vniuersas opes cæli, omnes thesauros Dei, secum nobis aduexit? qui licet adhuc in illo contineantur absconditi, multa tamen iam, & magna, & quasi donatiuum pugnaturis erogauit, sed nihil omnia, ad ea, quæ victoribus reseruauit. Quis enumeret tot munera charismatum, tot genera virtutum? Si miraris, inquit Ecclesia, vnde repente mihi paupercula hæc multitudo diuitiarum, & magnitudo gloriæ, inde nimirum, quia Filius Dei datus est nobis, DEVS gratiæ, Dominus virtutū, & Rex gloriæ? Imo magis mirum esset, si non sequerentur Dominum bona sua, cum etiam ipse sit omnia bona: Inquirentes, inquit, Dominum non minuentur omni bono, quanto magis suscipientes? Si enim miraris ista nobis per Filium data, ego, vt plus mireris, adijciam omnia omnino nobis, cum illo esse donata. Cum enim Filium, per quem, & in quo omnia subsistunt, Pater nobis donauit, quomodo non omnia*

Cum Christi ineffabilis bonorū omnium Cornucopia nobis donata est.

Pater donando suum nobis filium, omnia cum ipso donauit.

nobis cum illo donauit? Omnia nostra sunt ait Apostolus 1. *Cor.* 3. *quia noster est Auctor omnium, & Dominus, vt etsi videamur tanquam nihil habentes, inueniamur tamen omnia possidentes. Vides igitur quantum, & quale datum sit Filius, quamque verum sit, quod de Sapientia, quæ ipse est, legitur: Venerunt mihi omnia bona cum illo, & innumerabilis honestas per manus illius. Quare autem hæc inculco? Quare? nisi vt discatis gloriari, quia Filius datus est nobis, & quidquid mundus potest dare, aut promittere vobis non modo vile, & indignum ad illum, sed etiam detrimentum propter illum deputetis? Non quomodo mundus dat, ille dat vobis, tantum grati estote, quia datus est vobis, & satagite, vt amplius, & perfectius detur vobis. Qui enim semel datus est mundo in forma carnis, & certis diebus, aut horis datur fidelibus in specie panis, scilicet in esu sacramenti sui, sæpius, & in certis, horis datur, deuotis in gustu Spiritus sui. Primum ad redemptionem, secundum ad sanctificationem, tertium etiam ad consolationem.* Hæc Guerr. Ex quibus facile colligimus, quod quemadmodum tanta, tamque incompræhensibilia bona Dei filius in plenitudine temporum datus Incarnationem, nobis elargiri nō est dedignatus, ita quoque eadem, ac multo maiora sese in hoc sacratissimo mysterio nobis exhibendo, seque animabus fidelium dignè ipsum recipientibus vniendo, augustissimâ suâ præsentiâ, impertiatur.

Magnū Bonū est filius Dei à Patre nobis donatus.

Discamus gloriari, quia Dei filius datus est nobis cum quo venerunt nobis omnia bona.

Datur nobis filii Dei in Eucharistia ad sanctificationem, & consolationē

55. Nec in hiscé terminis adhuc Diuinus hic conquieuit Amor. Verum vt ad se corda omnium, animosque traheret, raperetque cumque nullâ creaturarum affectum nostrum partiremur, nouam excogitauit adinuentionem. Nouerat increata Sapientia paruulos aliquando teneriori affectu nutricibus, quam Matribus adhærere, ideo schema Nutricis assumere quodāmodò in hoc sacramento visa est. Non fuit contenta quod nos proprijs manibus ad Imaginem suam efformarit, spiraculum vitę in faciem nostram inhalarit, sanguine suo, morteque redemerit, voluit nos sāguine suo velut purissimo lacte nutrire, vt diuinam quandam complexionem nacti, omnem nobis cum aliqua creatura amorem nostrum partiendi tolleret occasionem. Vnde ipse de Materno hoc in nos affectu sibi probè conscius aiebat apud Oseam cap. 8. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in vlnis meis.* De eodem hoc Dei pientissimo in nos affectu Isaias 66. cap. *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Nunc Dei pientissimum in nos affectum intelligens Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 6. postquam dixisset: *In Christo regenerati sumus; qui nos regenerauit, proprio lacte nutrit, quicquid enim generauit, ei quod generatur protinus alimentū præbet;* mox Christum Patris æterni Mammillam appellauit; *Et beati sunt*, inquit ille, *qui hanc lactant mammillam.* Idem Christum in hoc Sacramento vocat: *Lac rationabile, quia est lac, & alimentum paruulorum, & humilium.* Hinc S. August. Tractat. 3. in 1. Epis. Ioan. ait: *Lac nostrum est Christus humilis.* Hinc Richard. de S. Vict. lib. 2. de Emman. cap. 21. dixit: *Christum omnium fidelium lac, mel, vinum, & omnes cordis nostri esse delicias.*

Christus Nutrix nostra in Eucharistia.

Christus regeneratos proprio lacte nos nutrit in Eucharistia.

Christus est Mammilla Patris, & nostrum lac rationabile.

Christus est omnium fidelium lac, mel, vinū, & omnes nostri cordis deliciæ.

56. Ad lac istud amantissimæ huiuscé Nutricis sugendum nos hortabatur D. Petrus 1. Pet. 2. *Quasi modo geniti infantes rationabile sine Dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Verè Saluator in hoc Sacramento non modo Nutrix, verum etiam lac rationabile est; qui ipse est summa illa sapientia, quę cogitationes nostras ad rectæ rationis normam dirigit, efficitque, vt semper rationabilia meditantes, quæ illi sunt placita, & dictis exequamur, & factis; Est enim hic Panis ille in cuius fractione Discipulorum euntium in Emaus intellectus oculi illuminati sunt, vt Saluatorem agnoscerent. Hic nimirum est Panis vitæ, & intellectus, hæc aqua Sapientiæ, qua iusti in hac vita potantur. De hiscé nutrimentis diuinissimis, præclarè Eccl. 15. *Cibauit eum Pane vitæ, & intellectus, & Aqua sapientiæ potauit eum.* Agnouit S. Chrysost. Hom. 83. in Matt. Christum nostrā Nutricem, & simul lac dulcissimum ac Rationale nobis esse, cùm pronunciauit: *Vnicuique fidelium Christus semetipsum per mysteria commiscet, & quos genuit per semetipsum enutrit, nec alteri tradit, per hoc tibi rursus persuadens, quod carnem tuam assumpsit. Quis Pastor oues proprio pascit cruore? Et quid dico Pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Concludit tandem, nosque ad hæc vbera diuinissima magno, ardentissimoque desiderio sugenda inuitat; *Ne torpeamus*, inquiens, *tanti digni charitate, & honore putati. Nonne videmus quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quan-*

Christus est lac rationabile.

Nullus Pastor suo proprio sanguine suas oues pauit vti Christus suos fideles.

quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, & ad vbera poculi spiritualis, quin imò cum longè maiori trahamus tanquam infantes lactantes Spiritus gratiam, & vnus sit nobis dolor hac mensa priuari. Hactenus aureâ suâ eloquentiâ Chrys.

Quanta cum alacritate ad Eucharistiã accedẽdum.

57. Cùm igitur tot, tantaque dona, & beneficia summa illa atque inexhausta Bonitas nobis in hoc sacramento communicauerit, personarum Pastoris, Matris, Nutricis schemata assumendo, totque amoris plenissimas adinuentiones, quibus nos ad mutuam ipsi rependendam dilectionem compelleret, excogitarit, quis quæso mortalium in referendis condignè gratijs par vnquam poterit reperiri? Has certè creatura nulla pro dignitate, licet supremæ Hierarchiæ conspirent Seraphini ac Cherubini, qui in cognoscendis Dei donis perspicacissimi, & in Deo eorũdem largitare amando, ardentissimi sunt, referre præsumet. Quemadmodum enim immẽsa infinitaque sunt hæc, per Christum nobis in hoc sacramento communicata bona, ita & infinitam quandam, iure suo, gratiarum deposcunt actionẽ. Nihilominus vt pro modulo nostro par pari rependisse, turpissimamque, ac teterrimam ingratudinis notam effugisse aliquo modo videamur, consilium Sapientissimi Salomonis sequi, etsi non passibus æquis, conabimur.

Gratitudo pro Eucharistiæ Sacram. Deo rependenda vel maximè.

58. Sic igitur ille Prou. 23. *Quando sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende; quę apposita sunt ante faciem tuã, & statue cultrum in gutture tuo.* Siue vt legere 70. Interpp. *si sederis cænare ad mensam Potentis, vel Dynastæ, magna attentione considera cuiusmodi fercula tibi sint apposita. Inijce manum tuam in illa, sciens quod oporteat te alia præparare.* Ac si apertè diceret: Quando tempus illud optatissimum, atque acceptissimum imo plenitudo illa temporis aduenerit, in qua Dei Filius totius Vniuersi Princeps, Rex Regum, Dominus Dominantium de throno gloriæ suæ ad nos, nobiscum habitaturus descenderit, probe noui magisterio Spiritus S. edoctus, eum pro innatâ sibi facilitate, beneuolentiâ, ac magnificentiâ lautissimum, ac deliciosissimum conuiuium apparaturum, in quo non vulgares, terrenosque cibos, sed suum sacratissimũ, diuinissimumque corpus cum anima, ac Diuinitate hypostaticè vnita; in potum verò sanguinem suum preciosissimum, eadem personali vnione Diuinitati itẽ sociatum, totum denique semetipsum cum omnibus suis donis, ac gratijs hominibus se manducandum exhibebit. Noui etiam ad cælestem hanc mensam mortales omnes inuitandos, quare vnumquẽque serio admonendum, instituendumque censui, qua honestate, morum compositione, ac decore ad hanc tam Diuinam, tanti tamque Potentis Principis mensam accumbendum sit. In primis igitur, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam; præmitte, ò homo, attentissimam, diligentissimamque tanti beneficij contemplationem, considera Maiestatem Dei, in te venientis; considera vilitatem hominis tantum hospitem recipientis. Vnde vertere 70. Interpp. sapienter intellige. textus verò Hebræus: *Considerando considerabis*, quasi diceret; omnem intellectus tui scientiam, sapientiamque exeres, intueberisque donum hoc, velut omnium Donorum complementum, vti illud Angelicus appellauit Doctor, exeres omnes intellectus, tui vires, considerabis ad instar Argi centum intellectus tui oculis, tanti mysterij dignitatem, vt percipias quid tibi in hac cælesti mensa à supremo hoc omnium Regum Rege, terræque Principe apponatur; Hic enim tibi vnum omne, quod vnquam alicui aliquando communicauit creaturæ, proponitur, nihilque restat nobis post hanc vitam aliud, quam beatifica, claraque Dei visio, donum excellentissimum, vt pote ad quod, velut ad vltimum finem, omnia cæli munera à Deo sunt directa. Quod tamen nihilominus hoc augustissimo Diuinissimoque munere longè censetur inferius. Hoc enim homo, Deo non intentionaliter, sed verè, substantialiter vnitur, atque incorporatur, euaditque Christi Dei Filij, sublimiori quadam ratione concorporeus, ac consanguineus, dum in corpus ipsius sanguinemque transit, atque transformatur. Quare scito, ò homo, quoniam oportet te tanto hospiti talia præparare, quantum tua humana fragilitas, atque imbecillitas patietur.

Salomonis de Cælesti Conuiuio insigne Vaticinium.

Ante conuiuium cælestis Principis præmittenda diligens rei propositæ meditatio.

Donata nobis à Christo Eucharistia, nullum maius donum nobis restat post hanc vitam, etiam Dei visio, quæ tamen respectu Eucharistiæ est inferior, & quare.

Beatifica visio est inferior Eucharistia, quare?

59. Quod porro hæc Mensa huius Potentis, siue Principis, Mensa sit augustissimæ Eucharistiæ, quæ inter reliquos fines, etiam ad reddendas Deo pro beneficijs acceptis gratias, vt eius declarat Ethymon, instituta est, testatur S. August. Tract. 47. & 48. in Ioan. *Quæ inquiens,*

quiens, *Mensa est potentis, nisi vnde sumitur corpus, & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est considerare, & intelligere, quæ apponuntur tibi, nisi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid est sic mittere manum, vt scias, quia talia te oportet præparare, nisi quod sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere? sic enim ait etiam Apostolus Petrus; Christus pro nobis passus est, nobis relinquēs exemplum vt sequamur vestigia eius. Hoc est talia præparare. Hoc beati Martyres, ardenti dilectione fecerunt, quorum si non inaniter memorias celebramus, atque conuiuio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet, vt quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. Neque hoc ita dictum est, quasi propterea pares Christo Domino esse possimus, si pro illo vsquè ad sanguinem martyrium duxerimus. Ille se nobis palmitibus præbuit vitem, nos habere præter illum non possumus vitam. Imitari, quis potuit morientem, non autem potuit redimentem.* Sic August.

Quid Christo rependere dum ad Eucharistiã accedimus debeamus.

Sicut Christus pro nobis animam posuit, ita nos ad Eucharistiam accedentes debemus pro Fratribus animas ponere.

60. Ex qua doctissima tanti Patris explicatione intelligimus, quod ex consideratione diligentissima tanti Sacramenti, debere mortales omnes ad illud accedentes, ita Diuino amore succendi, vt in grati animi significationem, se totos in holocaustum Christo consecrent, animarumque saluti sese impendant, eiusque heroicas actiones imitari pro virili contendant. Et verò nullum inter omnia Dei opera maius, excellentiusque opus reperiri potest, quod nos ad amandum tantum benefactorem, eique ad condignas gratias agendas extimulat, quam hoc admirabile mysteriũ. Quod Parens Salomonis longè ante intelligens, cupidus, pro tantis in se collatis beneficijs gratitudinem suam orbi contestatum facere, nosque eiusdẽ gratitudinis exhibendæ modum edocere. Psalm. 115. ita modulatus est: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & Nomen Domini inuocabo.* Quasi dicat inuenio me varijs beneficijs vndique velut Diuini amoris ignibus, atque incendijs circum septum. Quid faciam, ne ingratus moriar? Calicem Saluatoris mei IESV, Eucharistiam, hanc bonam gratiam, puro corde, menteque accipiam, memoriam que acerbissimæ eius passionis, amore mei exantlatæ recolam, & inuocando Nomen Domini mei, pro me sese Patri offerentis, eundem illum ego Patri offeram, atque ita infinitum donum hoc pro tot innumerabilibus, eius in me collatis beneficijs offerendo, par pari reddam.

Dauid ad reddendas Deo gratias pro beneficijs docet Eucharistiam offerendam.

61. Quod sanè nobis etiam omnino faciendum est, summâ nostrâ indignitate, vndequaque consideratâ, quæ aliud Deo offerre nescit, nisi peccata; cum illis nimirum nati, atque enutriti sumus, ita vt aliud quam mala, pro bonis Deo benefactori tanto retribuere nesciamus. Quod ipsum intellexit idẽ Propheta Regius, Augustino teste in illum Psalmi versiculum. Quid retribuam Domino? *Non ait: pro omnibus, quæ tribuit mihi*, inquit S. Doctor, sed: *pro omnibus, quæ retribuit mihi. Quæ igitur peaccesserunt hominis, vt omnium donorum Dei non attributio vocari possit? Quæ præcesserunt hominis, nisi peccata? Retribuit ergo Dominus bona pro malis, cui homines retribuũt mala pro bonis.* Vt porrò ostendat Pater sanctissimus, nos ad hanc Diuinissimam mensam vocatos, in qua memoria Dominicæ passionis recolitur acerbissima, in gratiarum actionem paratos esse debere vitam nostram profundere, quemadmodum, & Christus vitam profudit suam; mox hæc attexuit: *Sed quærit iste quid retribuat Domino, & non inuenit, nisi ex eis, quę ipse Dominus retribuit: Calicem*, inquit, *Salutaris accipiam. O' homo, quis tibi dedit calicem salutaris, quem accipiens, & inuocans Nomen Domini, retribues ei pro omnibus, quæ retribuit tibi? Quis nisi ille qui ait: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Quis tibi dedit imitari passiones suas, nisi, qui propter te passus est prior? Ideoque preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Emit enim eam sanguine suo, quam prior fudit pro salute seruorum, ne pro Nomine Domini, serui fundere dubitarent, quod tamen eorum, non Domini vtilitati proficeret. Confiteatur itaque conditionẽ suam mancipium tanto precio comparatum, & dicat:* O Domine ego seruus tuus, ego seruus tuus, &c.

Magna ingratitudo hominis, quę Deo pro beneficijs peccata repẽdit.

62. Intellexit Iacobus de Valentia Episcopus in Psal. 115. talia fercula pręparare voluisse, verbis illis gratitudine plenissimis suo huic cælesti Principi, Dauidem, ad illam cælestem Cęnam inuitatum, eumdemque mortem pro ipso, summâ animi alacritate oppetere desiderasse, dum eumdem ita loquentem introducit. *Quid retribuam*, inquit, *Domino, & quam satisfactionem faciam pro his omnibus quæ retribuit mihi? Quia primo me de nihilo crea-*

Zzzz

creauit, & in tanto honore me in Paradiso præfecit, & post lapsum me proprio sanguine redemit, & demum per gratiam, & fidem vocauit, & elegit; Iudæisque manentibus cæcis, in Ecclesia sua congregauit, veramque, & sanam doctrinam docuit, nec non fidem inspirauit, per quam cum audacia, & prædicaui, & locutus sum. Non sum ergo pro tantis beneficijs sufficiens satisfacere, sed scio quid faciam. Nam cum bona temporalia non sufficiant, dabo ipsi, quod preciosius habeo, scilicet meipsum, & vitam meam. Nam sicut ipse obtulit se pro me, in ara Crucis ad mortem, & bibit pro me calicem passionis, ita ego offeram meipsum, & exponam me ad mortem pro ipso, & defensione sui nominis, legisque Euangelicæ. Et sic calicem salutaris, scilicet passionis, & Martyrij accipiam. Nam quia video quod nil preciosius apud DEVM, & in conspectu Domini, quam mors sanctorum eius per Martyrium, ideo vota mea reddam Domino, scilicet meipsum offeram, & ad mortem, & Martyrium libenter exponam. Et Nomen IESV Christi confitebor non abscondite; sed coram omni populo eius, sicut ipse confessus est in Cruce, corā hominibus, & mortuus, & passus est; ita ego volo pro eo mori, quia scio, quod preciosa, & magni precij sit in conspectu Domini mors sanctorum eius. Cùm igitur ad Mensam hanc admirabilem supremi Principis accumbimus, immensâ illa eius charitate, qua se pro nobis tam acerbæ morti exposuit, consideratâ, statuendum firmiter, similem illi animum nostrum præparandum, atque offerendum, velut dulcissimum ferculum, animum, inquam, acerbissima quæque, atque extrema, amore eius tolerandi sanguinemque vniuersum cum vita profundendi. Atque hoc demum erit animi gratitudinem ipsi pro tot innumeris beneficijs exhibere.

Dauid accipiendo calicem salutaris promptū se ad Martyrium ostendebat.

Accedendo ad Eucharistiam animū promptum ad extrema patienda Christo offeramus.

63. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Retribuam magna rursus attentione considerando vt monent 70. quid nobis hanc in Mensam apponatur? Considerabo, inquam, *quanam ratione hic Summus Princeps, vniuersorum Dominus, Maiestatem suam velet, absconditque, speciebus illis panis, ac vini, discamque meas bonas operationes, velo sanctæ humilitatis, Christianæque modestiæ abscondere, atque ita pro humilitate, humilitatem apponere.* Hinc Propheta Isaias cap. 45. *DEVM absconditum vocat. Verè tu es DEVS absconditus, & Saluator.* Siue, vt legunt alij; *DEVS absconsionum.* Quia vt docet Doctor Angelicus Opusc. de Altaris Sacrament. cap. 8. *abscondit in hac Mensa Personam, opus, ac Modum.* Personam, inquam, abscondit, quia oculus noster nil videt aliud, quam species panis, ac vini. Abscondit opus. quis enim adductionem illam admirabilem corporis Christi sub speciebus illis, sensu aliquo potest penetrare? Abscondit denique Modum. quis enim cogitatione sufficienter comprehendere valeat, qua nam ratione Saluator, cum immortali impassibilique suo corpore, sanguine, anima, ac Diuinitate vnitā simul hypostaticè totus sit in tota illa Hostia, & totus in qualibet parte, ac puncto eiusdem indiuisibiliter, absque vlla contractione? Et quæ denique sunt illam talia, quæ huic mensæ accumbentes, si non ad æqualitatem, ad similitudinem saltem, nos oportet præparare? Quid huic Domino retribuere? Retribuamus humilitatem. Idem enim S. Doctor: *Tria*, inquit, *in nobis virtuosè abscondi, in primis personam nostram, opera nostra bona, bonorumque operum intentionem. Hoc cum præstamus, talia, quæ nobis in hac Mensa apponuntur similitudine quadam præparamus.*

Bona opera velo Sanctæ humilitatis velanda, vti Christus accidentibus panis corpus suum contegit.

In Eucharist. Christus abscondit Personam, Opus, & Modum.

Humilitas in Eucharistia Christo retribuenda.

54. Quod in hac mensa prætereà apponitur ante faciem nostram, est stupenda illa transubstantiatio panis, ac vini, in corpus, sanguinemque Saluatoris, breuissimis illis (ò rem incompræhensibilem atque ineffabilem. *Hoc est corpus meum:*) peractam verbis. Ad hoc igitur diligenter attendendum, & considerando considerandum identidem, quoniam talia oportet nos quoq; huic maximo Principi præparare. Erubescere sanè, ac confundi debemus, considerata ipsius vniuersorum Conditoris, & ipsarum creaturarum panis, & vini promptissimâ obedientiâ, qua ad verbum illud hominis, velut olim ad vocem Iosue, sempiternus ille iustitiæ sol non sistitur, quod videtur facilius, sed cælo in terram demigrat, & mox substantia panis, ac vini eidem cedit locū, vt sub eius speciebus, velut nube tectus delitescat, nobisque se ad illuminandas, accēdendasque animas amantissimè exhibeat. Quis obsecro creatoris, ipsiusque creaturarum inauditam hanc obedientiam non obstupescat hominumque peccantium duritiem non detestetur, & quod auditis tot prædicationibus, in nouam creaturam non transmutetur? Audiendus hic idem Doctor Angelicus cap. 32. *Cum irrationalis*, inquit, *creatura scilicet panis per verbū Dei conuertetur in corpus Christi,* quan-

In Eucharist. Christi eiusque creaturarum panis, ac vini consideranda Obedienda.

quanta erit peccatoris duricia, vel Iusti frigiditas, qui multis verbis, & Spiritus S. operationibus ad conuersionem non perducitur?

65. S. Ambrosius libro 4. de Sacrament. cap. 4. verbum Christi ore Sacerdotis pronunciatum, quo peragitur consecratio, comparare Dei verbo, quo in primis mundi incunabulis creata sunt omnia, eique omnis creatura obediuit, conferre non dubitauit: *Vbi venit*, inquit ille, *vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramẽtum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cælum, iussit Dominus, & facta est terra iussit Dominus, & facta sunt maria; iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini IESV, vt inciperet esse id quod nõ erat, quanto magis operatorius est, vt sint, quæ erant, & in aliud commutentur? Cęlum non erat, terra non erat, mare non erat, sed audi dicentem. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Ergo tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod iam est corpus Christi. Ipse dixit, & factum est, ipse mandauit, & creatum est.*

Sermo Christi est operatorius, quia illo cęlum, & terra formata sunt, &c.

Sicut ergo ad verbum Christi panis, ac vinum in carnem, sanguinemque transubstantiatur, & Christus velatus speciebus nobis in hac mensa proponitur, ita decet nos, dum illi accumbimus talia præparare, inque gratiarum condignam actionem, nos in nouam creaturam, deposito veteri homine interiori, ita transmutari, vt species duntaxat exterioris appareat. Hinc S. Thom. citat. Opusc. de Altar. Sacr. cap. 20. *Corpus Christi verè manducans in ipsum spiritualiter conuertitur. Nam manducantem te Dominus sui corporis membrum facit.* Idem in 4. sent. Q. 2. ait *proprium huiuscè Diuini Sacramenti esse transformare hominem in DEVM, illique simillimum reddere.* Hinc S. Dionys. Areop. lib. de Eccl. Hier. cap. 1. vocat mensam hanc, *Conuiuium, quod mentem alit, & DEVM efficit.* Fiat igitur homo in hoc conuiuio summi illius, cælestisque Dynastæ, ex carnali, Spiritualis, ex superbo, humilis, ex guloso temperans, ex luxurioso pudicus, & castus, ex inuido, & iracundo, benignus, & mansuetus, itaque in nouam creaturam transubstantietur, &, quemadmodum loquitur Apostolus Eph. 4. *Induat nouum hominem qui secundum DEVM creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis;* itaque in Christum eiusque virtutes transubstantietur, & dicere valeat cum Apostolo Gal. 2. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* Atque ita hac demum ratione verissimus quisque nostrũ euadet Christianus, verumque profitebitur Christianismum, qui ex Sententia S. Gregor. Nysseni Tract. de Nomine Christiani; nihil est aliud, *quam imitatio Diuinæ naturæ, ad cuius Imaginem similitudinemque in prima sui creatione factus est homo.* Hinc citatus Areopagita asseruit, Eucharistiam, Diuinam morum similitudinem in nobis efficere, ob diuinitatem Mensæ, de qua participamus. Hinc denique S. Paulinus Sacerdos effectus, diuinam hãc in se agnoscens dignitatem gloriamque Epist. 6. scriptum reliquit: *Video me maiora meritis, & sensibus opera tractare, iamque arcanis, & penetralibus Dei summi receptum, & insertum communicare cælestia, & Deo proprius admotum, in Spiritu ipso Christi, & corpore, & splendore versari.* Sic Paulinus.

In frequentanda Eucharistia, Obedientia prompta Christo à nobis offerenda.

Accedentem ad Eucharistiã Christus sui corporis membrum efficit.

Eucharist. est Conuiuium, quod mentẽ alit, & Deum efficit.

Christianismus est imitatio Diuinæ Naturæ.

Eucharist. Diuinam in nobis morum similitudinẽ efficit.

66. Quid retribuã Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Video, ac cõsidero attentè, quod in hac mensa mihi propanatur corpus Christi Virgineum, spirituale, incorruptibile, retribuam ego illi tale quoq; pro posse meo; corpus inquam illi purum in gratiarum actionem præparabo. Hoc enim summus iste Princeps accidentibus panis ac vini cõtentus summopere desiderat. Hinc Sancti Patres aiunt Dei Filium ad renouãda in mundo hoc immundo corpora pudica, casta, atque planè cælestia, Angelicæ puritati quam simillima, sese nostra carne, omni cupiditate, fomite, maculâque peccati carente vestijsse, vt protoplastorum corpora, è terra Virgine efformata, & puritate, sanctitate, originalique iustitiâ conuestita innouaret. Quam gratiam S. Ireneus lib. 3. cap. 31. ponderans sapienter pronũciauit, *Christum in se antiquam Plasmationem recapitulasse;* indicare volens primam illam corporum perfectionem omni inordinato motu, cupiditate, labeque peccati carentem in prima creatione à Deo hominibus communicatam, per Incarnationem, eiusdemque, quæ per Eucharistiæ Sacramentum fit extensionem, fuisse instauratam. Dum enim Mensæ huic Diuinissimę accumbimus primam illam animi, corporisque puritatem, nulli obnoxiam sceleri, & animabus, & corpo-

Corpus castũ ac incorruptum Christo in Eucharistię sumẽda pro gratiarum actione offerendũ.

Christus antiquã Plasmationem Adami, & Euæ in se recapitulauit.

ribus nostris, communicat, nosque totos puros, sanctos, ac pudicos efficit, inque suam sanctimoniam, quantum hæc exulum vita patitur, nos transformat.

67. Intellexit gratiam hanc singularem datam beneficio Eucharistiæ sibi à cælesti sponso S. Agnes, ac proinde humiliter in Domino gloriabatur. *Amo Christum, in cuius thalamum introibo, quem cùm amauero, casta sum, cùm tetigero munda sum, cùm accepero Virgo sum. Iam corpus meum corpori eius sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas, cuius Mater Virgo est, cuius Pater fœminam nescit, ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem Sol, & Luna miratur.* O' gratias, ò fauores planè singulares! O' munera, ò charismata Diuinissima! O' metamorphoses à primis mundi incunabulis nusquam auditus! Ecce terra carnis nostræ, mille peccati maledictionibus obnoxia vertitur in cælum; en lutum corporis nostri, Corpori Virgineo Dei filij, in hoc Sacramento veluti purissimo thalamo sociatur, inque illud ratione, mentibus etiam Angelicis incomprehẽsibili trãsmutatur. S. Cyrillus Episcopus Hierosol. Dei in creando homine contemplendo omnipotentiam, quâ ex luto viuum animatumque tam eximiæ pulchritudinis efformauit simulachrum, vehementer admirabatur. Verum cum attentius consideraret idem illud lutum vilissimum, in oculum, partem nostri huiuscé corporis nobilissimam, quæ in hoc hominis Microcosmo parui est ad instar solis, fuisse transformatam, totus hæsit attonitus, infinitamque Dei omnipotentiam extulit, vsque ad sidera & merito. Si enim solis efformatio, ex primigeniâ illâ luce facta, fuit mirabilis, plurimumque laudabilis, multo sanè magis erit ipsius oculi lucidissimi non ex luce, sed ex luto formatio.

S. Agneti sacra communione, quæ Christus beneficia contulerit.

Creatio hominis admirabilis, quod de limo terræ viuum efformatum sit simulachrum.

Mirabilior est oculi efformatio, quòd ex luto facta sit.

68. Verum maiorem admirandi occasionem inueniet idem Sanctus Antistes, vbi considerauerit, carnem hanc nostram, puluere, cinereque compaginatam, huiuscé purissimæ Mensæ beneficio in crystallinam quandam puritatem conuerti. Hinc Regius Psaltes Eucharistiam Buccellam crystallinam appellat: *Qui mittit crystallum suam sicut buccellam*, siue vt legit Hilarius, & Castiodorus: *Mittit crystallum sicut frusta panis.* Verè enim in hoc cælestis panis frustulo, siue buccellam purissimi huius crystalli, immensa recluditur lux, ac splendor diuinissimus, euibratus videlicet, ab illo, ibi contento candore lucis æternæ, ac splẽdore paternæ gloriæ, quem ipse quoque omnibus dignè communicãtibus communicare consueuit, eosque admirabili pudicitiæ, incorruptionisque facit iubare radiare. Audiendus hic S. Ireneus lib. 4. cap. 37. *In carne Christi occurrit paterna lux, & a carnè eius rutilâ venit in nos, & sic homo deuenit in incorruptelam.* Idem dicere voluisse visus est Clem. Alexand. libr. 2. Pædag. cap. 2. *Bibere IESV sanguinem est participem incorruptionis Domini fieri.* Hinc S. Bernardus serm. 32. in Cant. absolutissimam illam, quæ in Deipara relucebat Puritatem carni Christi, cui quotidie, miro pietatis communicabat affectu, veluti limpidissimo fonti, à quo dimanauit, attribuit: *Est*, inquiens, *verè virtus in carne Christi, quæ Virgini obumbrauit, vt quod possibile erat mortali fœminæ, obiectu tamen inuolucri viuifici corporis, ferret præsentiam Maiestatis, Virtus, & vmbras, fugans Dæmones, tutans homines.*

Eucharist. est buccella crystallina.

Bibere IESV sanguinẽ est participem incorruptionis Domini fieri.

Puritas B. V. perfectissima à corpore Christi originẽ traxit.

69. Verè Virtus Christi corporis, quæ puritatem vberiorem contulit Virgini, eadem simul ab ea fugauit Dæmones, tutata est homines, vt Virgo Deipara Tartareis hostibus euaserit Terribilis, vt Castrorum acies ordinata. Hoc idem intellexisse visus est D. Chrysost. Hom. 45. In Ioan. vbi postquam dixisset homines, vi sacramenti huius admirabilis, in Christi corpus transmutari, docuit nos similiter, ita deificatos puritate tantâ, effici Dæmonibus formidabiles: *Ab illa igitur mensa*, inquit, *tanquam Leones ignem spirantes surgamus, Diabolo facti terribiles, & caput nostrum Christum intelligamus, & quam in nos præsetulit charitatem. Hic mysticus sanguis Dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit. Dæmones enim cum Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt.* Vt porrò ostendat nos sanguine hoc puritatem mentis, corporisque indipisci ita prosequitur: *Hic sanguis effusus vniuersum abluit orbem terrarum. Hic sanguis olim in figura peccata purgabat.* Exo. 12. *in quasi tantam habuit vim, si vmbram ita mors horruit, quantopere quæso ipsam formidabit veritatem? Hic nostrarum animarum salus est; hoc lauatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur, hic igne clariorem mentem nostram reddit, auroque splendidiorem; Huius sanguinis effusio cælum peruium reddidit.* Sic Chrysost.

Eucharist. homines fortes reddit ad instar Leonum ignem spirantium.

Sanguis Christi Dæmones procul pellit.

Sanguinis Christi effusio cælum peruium reddidit.

70. Vt porrò Paradisiacam illam Protoplastorum innocentiam, puritatemque tam animi, quam corporis, virtute huiuscé Diuinissimæ mensæ nobis quodammodo restitui ostendat, comparat Sacramentum hoc Fluuio illi, qui promanabat ex Paradiso ad irrigãdam faciem vniuersæ terræ; quo terra, & arbores, & fructus vberrimos, pulcherrimosque proferret. *Ex Paradiso*, inquit ille, *fons scaturijt, à quo sensibiles fluuij emanarunt. A' mensa hac prodijt fons, qui fluuios Spirituales diffundit. iuxta hunc fontem non steriles salices germinant, sed arbores cælum ipsum attingentes*(: vt pote cælicam, Angelicamque tam corpore, quam anima puritatem incorruptionemque æmulantes:) *quæ fructus tempestiuos, & solidos semper producunt. Si quis æstuat, carnis videlicet cupiditatibus, ad hunc fontem se conferat, & recreabitur. Mundat squalorem, & sordes, æstus mitigat, non solares, sed quos ignitæ sagittæ imprimunt. Etenim ortum suum supernè habet, inde radicem, vnde, & irrigatur. Multi huius fontis riui, quos Paraclętus diffundit, & filius arbiter est. Hic fons lucis est, fons diffundens radios veritatis. Huic supernæ affluunt virtutes, fructuum eius pulchritudinem inspicientes. Nam illæ manifestius quam nos huius fontis virtutem, fulgoremque indecessibilem intuentur.*

Eucharistia Fluuius Paradisi irrigãs vniuersam terram.

Eucharistia æstus concupiscentię mitigat.

Eucharistia fons lucis est diffundens radios veritatis.

71. Idem S. Pater, hoc ad eximiam declarandam puritatem, quam nostris mentibus, corporibusque Sacramẽtum hoc communicat, aureo, igneoque flumini, cui quicquid immergitur aureum, ignitumque efficitur, comparare non dubitauit: *Quemadmodum*, inquiens, *si quis liquefacto auro manum, vel linguam injiciat, quamprimum inauratur; ita fons hic animam auream reddit. Assurgit enim vehementius igne fluuius hic, neque comburit, sed abluit tantum quicquid comprehendit. Hic sanguis orbis terrarum decus est, hic est quo nos, Christus, emit, quo vniuersam ornauit Ecclesiã. Vt enim homo seruos auro emit, & ornat, ita nos sanguine suo Christus. Qui huius sanguinis sunt participes, cum Angelis, & Archangelis supernisque virtutibus commorantur:*(ob inditam illis videlicet, ab hoc Sacramẽto Angelicam puritatem:) *ipsam Regiam Christi stolam induti, ac spiritualibus armis muniti, quę omnia corpus denotant Saluatoris. Sed nihil dixi: Imò ipsum induti sunt Regem.* Quia nimirum, ad mensam hanc dignè accedentes in ipsum, ipsiusque Diuinissimã, tam animi, quam corporis puritatem, transformantur.

Eucharistia Aureus, igneusque fluuius omnia igniens atque inaurans, quæ attingit.

72. Addo ego, quod maius est, beneficio huiuscè augustissimi mysterij in postrema illa Corporum anastasi, corpus gloriosum, dotibus illis pulcherrimis, immortalitatis, claritatis, Agilitatis, ac subtilitatis exornatum adipiscemur. Hoc enim est illud, quod promittebat Saluator Ioan. 6.15. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*, ad gloriam videlicet, corpus eius glorificando, gloriosisque dotibus decorando, vt interpretatur S. August. Incorruptionem igitur illam corporum gloriosam, quam in vniuersali Iudicio omnes iusti cum reliquis illis pulcherrimis dotibus habituri sunt, eam modò, beneficio huius Sacramenti experiri incipiunt, dum illis noxium concupiscentiæ calorem vel temperat, vel penitus extinguit, Incorruptionemque tam mẽtis, quam corporis, eos à peccatis præseruando, impertitur.

Beneficio Eucharistiæ in postrema resurrectione corpora iustorum glo riosa relucent.

73. Ad quod indicandum, Manna illud, Mensæ huius cælestis figura pulcherrima, vt testatur Moyses *cadebat è cęlo ad instar roris, in similitudinem pruinæ super terram*. Verè enim corpus Christi sacratissimum, quod ex vtero Virginis, velut roscida pulcherrimaq; Aurora prodijt, ardorem cordis, quem prauæ excitant inflammantque cupiditates, ceu frigidus ros, gelidaque pruina, refrigerat, imò assidua huius Diuinæ Mensæ, Angelicique panis frequentatio prorsus extinguit, animamque Angelicâ puritate renitentem, & ad instar pruinæ candidam reddit. Quos admirandos Angelicus Doctor Opusc. 48. cap. 6. expendens effectus præclarè pronunciauit: *Panis cælestis in similitudinem pruinæ, rorisque apparebat, quia Corpus Domini à feruore prauæ concupiscentiæ refrigerat*. Et 3. Part. q. 79. ar. 6. ad 3. Sacramentum hoc ait minuere concupiscentiæ fomitem, ob augmentum charitatis, animique in bono confirmationem. Hinc Dionys. de Eccl. Hierar. cap. 3. ait *Pane hoc Angelico, nos in Diuini status puritatem adduci*. Ideoque communionem: *synaxim, siue collectionem vocari, quia, scilicet nostras vitas*, inquit, *in plura diuisas, in vnicum illum statum, quo Deo iungimur, colligit, diuiduorumque nostrorum Diuina collectione, nobis, ad id, quod verè vnum est, societatem, vnitatemque largitur, vt videlicet vni Deo summo æternoque bono associati vnitique simus*. Ibid. part. 3. illius c. *Eucharistia*, inquit, *ad se accedentibus tribuit*, vt

Manna quod instar roris ac pruinę de cælo cadebat figura Eucharistiæ æstum concupiscẽtis extinguentis.

Eucharistia cõcupiscẽtię fomitem minuit ab augmentum charitatis animique in bono confirmationem.

Eucharist. nos in Diuini status puritatẽ adducit.

Eucharist. cur synaxis dictum.

vt ex communione Diuina ad similitudinem, & consortium Diuinitatis transeant, de eiusdem puritate participando. Quemadmodum enim Diuina Bonitas, prosequitur Dionysius, se omnibus communicat, & tamen in se ipsa manet indiuisa, ita similiter facit in hoc sacramento, eosque qui illud participant, se cum vnum efficit, qui ad illud purgatiori intelligentiâ subuehuntur.

Per Eucharist. homines ad similitudinẽ, & consortiũ Diuinitatis transeunt.

74. Quocirca Suadet S. Pater vt si Diuinæ hujus puritatis, atque incorruptionis participes esse desideramus, summum quoad fieri potest conscientiæ nitorem, minimarum etiam macularum abstersione, exemplo Sacerdotis, extremitatem digitorum in hoc sacrificio abluentis procuremus. Cùm enim quæsijsset rationem, cur Sacerdos id sacrificaturus faceret? Respondit; *Facit hoc iuxta Saluatoris eloquium, vt is qui lotus est ostendat se nulla alia, nisi tantum summitatum, extremitatumuè suarum lotione indigere; quam quidem supremam mundiciam hoc consequitur, vt castissimo in habitu ante diuinum conspectum constitutus, illi quoddammodo similis efficiatur, vinculis omnium mortalium affectionum liber, ac expeditus.* Hanc denique crediderim ob causam Mysterium hoc, ab eodem Dionysio, ex ipsius Præceptoris Pauli sententia, *Consummationem Sacramentorum appellari*, quod gratiam, puritatem, arctissimamque illam cum Deo vnionem, quam reliqua Sacramenta in nobis inchoant, hoc tandem in nobis consumat, atque perficiat. Omnia enim Sacramenta, cum gratiam conferant, fomitem concupiscentiæ consequenter mitigant; hoc autem velut ros quidam, aut gelidissima pruina, assidua frequentatione, sæpissimè, ceu gelidæ affusione, prorsus extinguit. Vnde S. Bern. serm. 1. de Bapt. in cæna Domini habito: *Duo*, inquit, *illud sacramentum operatur in nobis, vt videlicet, & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, &c. gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo.* Audiendus hic de insignibus hiscé Eucharistiæ in nobis effectibus, cupiditatumque temperamento S. Cyrillus libro 4. in Ioan. cap. 17. *Eucharistia sedat*, inquit ille, *cùm in nobis maneat Christus sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus peccatis sumus considerat, sed ægros curat, collisos redintegrat, & sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ouibus posuit, ab omni nos erigit casu.*

Lotio extremorum digitorum quam Sacerdos in Missa facit, vt supremam mundiciem indicat.

Eucharist. dicitur Consummatio Sacramentorũ, & quare?

Eucharist. sensum minuit in minimis, & in grauioribus peccatis tollit omnino consensum.

Eucharistiæ effectus mirabiles.

75. Et verò cum homines plerumque terrenarum ac corporearum cupiditatum illecebris dulcedineque deliniti ab illo inexhausto omnium bonorum fonte recedant, corpora suâ contumelia afficiant, sordibusque libidinum polluant, & in varia peccata à Deo auersi, & ad creaturas conuersi prolabantur. Si ad Diuinam hanc Mensam, omnibus Paradisi delicijs, liquidissimisque voluptatibus refertissimam accesserint, in qua vbertas domus Dei, torrens copiosissimus sempiternæ voluptatis, summum denique indeficiensque bonum, quo ceu pelago omne continetur bonum, proponitur, omnis lasciui Amoris corporearumque illecebrarum sapor desipiat, atque amarescat, necesse est. Quod nobis Salomon in typo roscidæ pruinosæque illius Mannæ indicare voluit Sap. 16. cum dixit: *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum Panem de cælo præstitisti eis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporem suauitatis.*

In Eucharist. reperiuntur omnes Paradisi deliciæ, & omnium saporum suauitas.

76. Agnouit in Mensa hac omnes cæli cupidias, ac voluptates verissimas, & simul terrenarum, carnaliumque præsentissimum interitum, contineri S. Cyprianus Tract. de Cæna Domini: *Hic panis omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium exsuperat dulcedinem voluptatum. Vide quomodo ÿs qui Christi commemorant passionem intra sacra officia, quasi per quosdam canales, de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur; quantam suauitatem animæ inquirenti, vbi sit DEVS suus suspiria contemplationis eliciant. Vnde sequitur vt deinceps peccatorum pocula horreat, & omnis super delectamentorum carnalium, sit ei quasi rancidum, radensque palatum, acutæ mordacitatis acetum. Inde sequitur mentis iubilus, & ebrietas, vt Christum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & omni tempore habitatori suo dicta, & iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent: Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum. Cùm sopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur.* Sic ille.

Eucharist. superat omniũ carnalium saporum irritamenta.

Varii deuotionis affectus ex Eucharistiam prouenientes.

77. Hinc factum vt quidam Viri pij Sacramenti huiuscè colendi studiosissimi, in eo omne delectamentum, omnemque saporis suauitatem repererint,

ita vt non modo carnis belluinæ voluptates, verumetiam quicunque cibus qaantumuis delicatissimus eis desiperet, eamque nausearent. Expertus est huius cælestis Mensæ delicias Daniel ille ludi moderator Virginis amantissimus, de quo Cæsarius lib. 7. cap. 32. Hic cùm ante Diuæ Virginis Aram hymnum illum: *Aue præclara Maris stella, in lucem gentium Maria;* magno pietatis sensu in honorem Deiparę modulari consueuisset, & veniam de suis peccatis postulando ad versiculum illum peruenisset: *Ora Virgo nos illo pane cæli dignos effici*, benignissima Dei, misericordiæque verè Mater volens ostendere Panem illum cæli verè esse Panem suum, vti supra ostendimus, eandemque esse spicam Virginis, stellâ illâ primæ magnitudinis longè maiorem, ac splendidiorem; quem illa, velut Virgo purissima simulque Mater fœcundissima, vtero suo, ceu Clibano, igne Spiritus S. accenso gestauit, pinsuit, & excoxit, orbique vniuerso, tanquam intellectualis Mensa, manducandum exposuit; clientulo illi suo Danieli super altare sese visendam exhibuit, & Panem paruulum, niue candidiorem manu tenens, vt os aperiret præcepit, *quem cum ori eius immisisset tantam ex eo sensit dulcedinem, vt omne mel, fauumque superaret*, inquit Cæsarius.

Daniel ludi moderator à B. V. pane cęlesti ante ipsius aram reficitur.

78. Expertus est Mensæ huius Diuinissimæ delicias S. Aibertus, de quo supra, qui cum centies quotidie in genua procumbens Deiparam pientissimam, Salutatione Angelicâ auere iuberet, adfuit illi famenti Virgo benignissima, Virginum plurimarum stipata choro, eique buccellam manibus illis sacratissimis, omnique acceptione dignissimis porrexit, adeoque vnico illo bolo saturum reddidit, vt viginti post annis nihil potus, duobus verò & 20. nihil cibi admiserit, licet cilicio, quod totum corpus à capite ad calcem contegebat, membra maceraret. Quo facto ostendere voluit Virgo beatissima spicam suam omnibus bonis, ac delicijs in corpus etiam hominis redundantibus refertissimam, adeo vt eâ habitâ, nil de corporeo cibo sint soliciti, eisque mundi carnisque voluptatum summam inducat obliuionem. Similibus Sanctissimæ Eucharistiæ delicijs pascebatur Beata illa Virgo Benuenuta Foroiuliensis ex Ciuidali de Austria oriunda, quæ quinquennio integro, nullo alio cibo, quam Pane Eucharistico, Angelicis manibus porrecto victitauit; quo ita suauiter deliciari consueuerat, vt ei quodcumque aliud edulium nauseam prouocaret.

S. Aibertus cultor B. V. eximii ab illa cibatur ita vt viginti amplius annis nil cibi admiserit.

S. Benuenuta s. animi viuit sola Eucharistia.

76. His similia. Scribit quoque Palladius in Hist. Lausiaca cap. 46. *Noui*, inquit, *hominem in solicitudine, qui decem annos cibi terreni nihil gustauit, sed & Angelus tertio quoque die cælestem cibum ad eum afferebat, isque erat ei instar cibi, & potus*. Idem cap. 16. de Ioanne Anachoreta meminit: *Ioannes*, inquiens, *primum stans tres annos sub quadam rupe, orans perpetuo, non sedens omnino, non dormiens, nisi quantum somni stans suffurabatur, & Dominicam solum sumens Eucharistiam nihil aliud comedebat*. Cap. verò 58. Abbatem Anuph de se ita loquetem morti proximum introducit: *Ex quo seruatoris Nomen professus sum, humani cibi nihil sumpsi, alente me quotidie Angelo, nullius alterius cupiditas in cor meum ascendit, præterquam Dei, nihil ex rebus terrenis occultauit mihi DEVS, omnem petitionem à Deo accepi. Vidi sæpè assistentes Deo Angelorum myriades, vidi choros iustorum. Vidi Martyrum congeriem DEVM laudantium, vidi iustos lætantes in æternum*. En quanta Vir hic Sanctissimus, beneficio huius sacramēti mentis sortitus est lumina, en vt nullâ terrenorum cupiditas, nullus carnalis Amor ipsius vnquam titillauit effectum. Nempe vt supra memorauit Bernardus; *Amor Amorum omnium triumphator est Altaris Sacramentum*.

Quidam in solitudine decem annis nil gustauit, sed ab Angelo tertio quoque die reficiebatur.

Ioannes Anachoreta Eucharistia victitauit.

Abbas Anuph ab Angelo Eucharist. alitus, omni cupiditate absolutus fuit.

80. Verum quid mirum Mysterio hoc augustissimo ardorem concupiscētiæ cordibus, medullisque nostris insitum extingui, lasciuumque Amorem superari? siquidem increatum illum, purissimumque Amorem, DEVM ipsum, qui, Ioanne teste, ipsa est charitas, in se complectitur. Atque ita omnino necesse est clauum clauo, ignem igne, Cupedinem Cupedine, Amorem Amore expelli. Verissimè enim cecinit; Ouid. lib. 2. de Remed. Amor.

Alterius vires subtrahit alter Amor.

Hinc Helladis Sapientes dixere, duos Amores reperiri, quorum alter Eros, alter Anteros vocaretur. Eros Amor est impudicus, siue Cupido: Anteros, est Amor virtutis, Cupidini, vt ait Seruius, contrarius, omnes impuros amores triūphans. Hunc Alciatus Embl. 109. schemate Iuuenis pulcherrimi floridâ coronâ redimiti, tres alias coronas manu gestantis expressit. Corona capitis, prudentiam siue sapientiam, in parte totius

Duo Amores Eros, & Anteros, ille impudicus, iste pudicus.

Anteros Iuuenis pulcherrimus pulcherrima Corona redimitus tres Coronas manu gestat.

tius corporis nobilissima sitam, rerumque cælestium contemplationem designat, reliquæ tres Iustitiam, fortitudinem, temperantiam in actione maximè positas, à quibus omnis virtutis, honestatisque vis proficiscitur. Denique Anteros hic nos rerum cælestium, Deique ipsius omnisque honestatis, virtutumq; amore inflammat. Quare cum ex illo sciscitatus esset Alciatus:

Dic vbi sunt incurui Arcus? Vbi tela Cupido?
Mollia quæis Iuuenum figere corda soles?
Fax vbi tristis? vbi pennæ? tres vnde corollas
Fert manus? vnde aliam tempora cincta gerunt?

Vbi inquam hæc sciscitatus esset; sic eũdem respondentem geniumque suum explicantem introducit:

Haud mihi vulgari est hospes cum Cypride quidquam
Vlla voluptatis, nos neque forma tulit.
Sed panis hominum succendo mentibus ignes
Disciplinæ, animos astraque ad alta traho.
Quatuor eque ipsa texo virtute corollas
Quarum, quę sophię est tempora prima tegit.

Anteros à Nemesi datus vt Cupidinem ferocientem domet.

Idem Alciatus Embl. 110. canit Anterotem à Nemesi scelerum vltrice Dea datum vt Cupidinem ferocientem domet, vincat, eiusque omnes neruos elidat, Arcus infingat, ignitaque tela penitus extinguat.

81. Amorum hanc contrarietatẽ, ac pugnam Iamblicus Philosophus, miro quadam Magiæ prodigio patefecit. Hic enim, vti scribit, Eunapius, in prato quodam amœnissimo plurimorum Discipulorum corona cinctus cum esset, ibidemque duo limpidissimi fontes reperirẽtur, quorum alter Eroti, alter Anteroti erant consecrati, ad quos vbi cõstitisset Iamblicus: *Licet Deorum*, inquit, *nutu prohibear, ne huiusmodi secreta vobis aperiam, in vestri nihilominus gratiam ea pandere non verebor.* Atque ita vbi tacitus nescio quid inclinatus ad fontem immurmurasset, manuque aquas contigisset, exilijt protinus formosissimus Puellus flauo, aureoque capillo, malis ad instar rosarum rubicundis, oculis mirificè nitidis, ac resplendentibus, facie denique tota venustissima, aitque hunc Puellum Erotem appellari. Mox ad alterum illum accedens fontem, eisdemque ceremonijs adhibitis alterum Adolescentulum pari formæ venustate euocauit, dixitque; *Hic Anteros est.*

Fontes duo alter Eroti, alter Anteroti consecratus.

82. Hanc duorum Amorum luctam ad eruditionem Iuuentutis, morumque correctionem Elei populi in suis Gymnasijs, subtili, miroque artificio expressere. Videre enim erat Cupidinem manu palmam gestantem, atque triumphantem, quam Anticupido, siue Anteros ipsi eripere summis viribus, contentioneque nitebatur. Qua inuentione sane ingeniosissima sapienter indicauere, esse in nobis duos Amores inter sese assiduè colluctantes, sibique mutuo palmam infringere contendentes: *Caro enim concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem*, inquit, Apostolus, *quam tamen luctam contentionemque hic Diuinus, increatusque Amor, hoc sacramento velatus, Amor inquam, Amorum omnium triumphator dirimit, Cupidini palmam generosè infringit, eundem domat, ac ligat, triumphatumque pedibus velut vilissimum mancipium proterit, hominesque mysterium hoc augustissimum frequentantes reddit noxiarum cupiditatum, ac præsertim carnis victores, dum vitam carnalem, virtute huiusce Sanctissimi Sacramenti, velut cultro iugulat, nobisque pristinam illam, primigeniamque vitam pene Angelicam, quæ olim Protoplasti in Paradiso, omni illecebrarum corporis expertem titillatione fruebantur, restituit.*

Elei populi in suis Gymnasijs pugnã Erotis, atque Anterotis depingebãt.

Diuinus Amor profanum vincit, ac proterit in Sanctiss. Sacramento.

83. Operatur nimirum in nobis hic Diuinissimi Amoris ignis quod ille, de quo Poeta Grecus canebat; τίς πυρὶ πῦρ ἐδάμασε. Quis ignem igne domuit? Nõ sanè alius, quam hic increati amoris ignis. Hic lasciui amoris ignem edomat, his prorsus extinguit; idéque operari videtur, quod ignis ossibus Leonis contentus, quæ, vt scribunt Naturales historici, simul collisa, ad instar silicis eliciunt ignem eum elementari admirandam habentem antipathiam. Talis est Ignis hic sempiterni Amoris, imo Leonis illius de tribu Iuda, speciebus panis ceu cineribus contectus; summa illi cum carnalis Amoris igne anthipathia, vnde ad eius præsentiam extinguatur penitus necesse est.

Ignis Diuini Amoris ignẽ carnalem edomat in Sacramento.

Ossa Leonis simul collisa ad instar silicis ignemeliciunt, qui cũ elementari mirã habet antipathiam.

84. Hanc eandem ob causam S. Ambrosius Sanctissimum Christi corpus, vti supra Chrysostomus, fonti illi Paradisiaco vniuersam faciem terræ, hoc est, corpus humanum irriganti, ac refrigeranti comparauit in Psalm. 45. *Fons*, inquiens, *ibi est, vbi Christus est, fons est, vt aquę superefluant requirentibus, quo vniuersa carnis, vel flagitia diluuntur, vel restinguuntur incendia.* Hic est Fons ille, qui Cyfici reperiebatur, dicebaturque Fons Cupidinis, de quo potantes amorem deponere,

Eucharistia fons quo vniuersa carnis flagitia diluũtur, vel restinguũtur incendia.

Mu-

Fons Cupidinis de quo potantes amorem deponebant.

Mutianus credebat, ait Plin. lib. 31. c. 2. Hic est selemnus amnis ille insigne planè lasciui amoris remedium; eo enim qui lauabantur siue viri, siue fœminæ omnis cupiditatis, libidinisque obliuiscebantur, vt ait Pausanius in Atticis. Hic est ille: *Riuus Herculaneus, quem refugiens, nomen Virginis obtinuit*, inquit Plinius lib. 31. ca. 3. *Fons hic modo etiam Romæ aqua Virgo nuncupatur, quæ quasi Virgo omnem aliam aquam refugit, apud veteres celebris æquè, atque nunc in precio*. Hic est Canathus fons ille apud Argiuos, cuius aquis lotam Iunonem, nouâ quotannis Virginitatis gloria repubescere ac reflorescere narrat Pausanias in Corinthiacis.

Selemno amne, qui lauabätur omnis cupiditatis ac libidinis obliuiscebätur.

Eucharistia similis Canatho fonti quo loti virginitatis gloria reflorescimus.

85. Aquis huiuscè fontis cum se luxuriæ, adulterijque sordibus Dauid inquinatum, libidinis ardore accensum consideraret, ad instar leprosi expiari, emundarique cupiebat, dum ingemiscens dixit: *Asperges me Domine Hysopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor*. Lepr orsus enim vt videre est in Leui. 14. sanguine, ac hyssopo emundabatur. Quod porrò lepra delectationem, Amoremque carnalem designet testatur non semel S. Bernardus. Quod hysopus sit castitatis symbolum, Aegyptiorum nos edocent Sacerdotes, qui ad conseruandam castitatem eam redigebant in puluerem, panique admiscebant. In hysopo magna quoque reperitur anthipathia cum raphano, quo Democritus appetitum sensitiuum ad impuros amores excitari censebat, contra quem Medicinæ periti præscripsere hysopum teste Plinio. Considerans igitur Rex Dauid se impudicitiæ leprâ à capite ad calcem contaminatum, ac fœdatum, desideransque ad instar leprosi emundari, optat Virgineam hysopum, immaculati Agni tollentis mundi peccata tinctam sanguine, eaque aspergi anhelat, certo sibi persuadens abluendum se hac ratione, ac super niuem dealbandum. Nouerat nimirum Rex iste illuminatus diuinitus, sacratissimum hunc Sanguinem, qui purissimi corporis Christi vénis continetur non modo ad omnes peccatorum quorumcunque grauissimorum eluendas maculas, sed ad ignem rogis etiam Inferorum grauiorem, ardentioremque restringuendum sufficientissimum.

Eucharis. lepram luxuriæ sanat.

Hysopus castitatis symbolum.

Aegyptij Sacerdotes hysopi puluerë pani commiscebant pro castitate seruanda.

Rephanus libidinem excitat.

Sanguis Christi ignem carnalem imo, & Infernalë extinguere sufficiens.

86. Et sane id iure merito sibi Rex sapientissimus persuadebat. Si enim Hierophantæ Atheniensium Sacerdotes cùm ad castè pudicèque viuendum legibus seuerissimis adstringerentur, ad libidinis ardorem in se se temperandū potu cicutæ vtebantur, eumque extinguebant: Quanto magis preciosissimi sanguinis Agni cælestis, atque immaculati occisi ab origine mundi liquor, ac potus omnia: impudici Amoris Aethnę caminis grauiora incendia obruet, atque superabit?

Hierophantę vt castitatem seruarēt potu cicutæ vtebantur.

87. Si Aegyptij, vt scribit Epiphanius, superstitiosè pecudes, arboresque minio, hyemali tempore tingebant, certo sibi persuadentes colore illo rubeo, sanguinisque nescio qua similitudine euasuros se commune illud, postremūque ignis incendium, quo totus orbis conflagrabit; quanto magis in animum inducere debemus, nos preciosissimo hoc, purissimoque sanguine Christi IESV per frequentationem tanti mysterij, tinctos à nefandi amoris incendijs, licet fornacis Babylonicæ vehemētiora forent, liberandos, Angelicaque puritate candoreque mentis, corporisque donandos? Licet enim sanguis hic rubicundus sit habet nihilominus vim, ac exergiam animas quas attingit dealbandi, roseumque diuinæ charitatis ruborem eis admiscendi, quo gratissimæ cælestis illius spósi oculis euadant. Vnde Apostolus Apoc. 7. de iustis qui in hac vita Mensam hanc frequentarunt loquens, aiebat: *Hi sunt, qui lauerunt stolas suas, & dealbarunt eas in sanguine Agni*. Hinc Isa. 1. ait Dominus: *Si peccata vestra fuerint rubra sint vermiculus, velut lana alba erunt*. Quid sibi vult admirabilis hic loquendi modus? Qua quæso ratione peccata esse possunt rubicunda ad instar purpuræ, aut conchylij, cum nigra alias, ac fuliginosa ad instar camini Infernalis perhibeantur? Dicere volebat nimirum Isaias, animas, corporaque peccatorum, per stolas à Ioanne significata, si hoc Christi sanguine ad instar purpuræ, aut muricis rubricante tincta fuerint, velut lanam, niuemque dealbanda. Vnde Tertull. libro de Scorpiaco: *Maculæ*, inquit, *animæ, roseo, & vermiculo, id est, sanguine Christi candidantur; iuxta illud Apocal. hi sunt qui lauerunt, &c.* Totum hoc mysterium nobis declarauit Iacob Patriarcha, cum vicimus morti de venturo Messia varia vaticinaretur, interquæ illud fuit sane memorabile Gen. 49. *Lauabit*

Sanguine Christi asperſi ab incēdio impudici amoris liberamur.

Sanguis Christi animas dealbat.

Animæ peccatorum si murice sanguinis Christi tingūtur, ad instar lanæ ac niuis dealbantur.

bit in vino stolam suam , & in sanguine vuæ pallium suum . Quæ enim est hæc stola Christi, ac pallium, nisi Ecclesia, & vnusquisque nostrum , qui eiusdem sumus membra, teste Ambrosio ? Quod ænigma clarè nobis enodauit Ioannes Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo* .

Bonum, & Pulchrum continetur in Eucharistia.

88. Sanguis hic denique est Vinum illud candidissimę Virginitatis, Angelicæque puritatis germinans lilia, de quo vaticinatus est Zach. 9. 17. *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi Frumentum electorum, & Vinum germinans Virgines?* Et verè nil melius , nil pulchrius DEVS Pater nobis dare potuit, quam dilectissimum suum Filium, his speciebus frumenti electorum, Vinique germinantis Virgines contectum . Ipse enim, cum sit verus eius Filius consubstantialis, vtpote lumen de lumine , verus DEVS , de Deo vero, summum bonum, summumque Pulchrum sub hac spicâ frumenti sit necesse est ; De quo ipso Plato in Timeo : *Semper est, nec mutatione afficitur, nec vt pars pulchri ... est, nec vt id, cui pulchritudo inest, sed ipsa per se pulchritudo, vnde manat cæterorum pulchritudo.* Pulchritudinem hanc in hoc augustissimo Sacramento contentam omnia pulchrificantem, variasque gratias mortalibus conferentem variæ illius sacri textus lectiones nobis indicant. 70. Interp. legunt. *Quia si quod pulchrum illius , & si quod bonum eius , hoc vtique est frumentum . Iuuenibus , & Vinum boni odoris ad Virgines*. Pagninus, & Vatablus : *Quanta enim Bonitas, & quanta Pulchritudo eius? Frumentum Iuuenes , & Vinum Virgines succulentas, & vegetas reddet*. Syrus. *Quam bonum , & quam pulchrum est triticum adolescentibus , & vinum delectat Virgines* . Arabicus Antiochenus : *Quam bona , & quam vtilis est iuuenibus, & vinum iucundat Virgines* , Arabicus denique Alexandrinus : *De loco bonorum optimorum frumentum Puerorum , & Vinum in Vnguentum Virginum* .

Deus Pulchrum est per se, & non per accidens.

89. Quæ sanè lectiones omnes in vnum redactæ, atque combinatæ, mirificos planè & literali quidem sensu, Venerabilis huiusce sacramenti effectus nobis manifestant . Verè enim bonum nostrum omne, replens in bonis desiderium nostrum, omnis nostra pulchritudo venustans animas in hoc sacramēto continentur Ipse enim Christus seipsū quantus quantus est totam videlicet Diuinitatem , totam humanitatem, Deo hypostaticè copulatam nobis cōmunicat, & in escam donat dulcissimā , ita vt totum in nos quasi Deitatis ærarium hic expromat , fontemque bonorum omnium exhauriat. Hic quoque, & suæ Diuinitatis , & sacratissimæ Humanitatis amabilissimam Pulchritudinem nobis osculandam exhibet , vnde cum Mensæ huic Diuinissimæ accumbimus iure sponso huic castissimo ac pulcherrimo, specioso formâ præ filijs hominū dicere possumus cum Sponsa : *Osculetur me osculo oris sui : Quia meliora sunt vbera tua vino*, carnalium nempe voluptatūm quo est luxuria ; tuum verò vinum imo Sanguis, quod nobis sub speciebus vini, ceu vberibus propinas est ad instar lactis candidissimum , quod lilia Virginum candicantia germinat, atque producit . Quare meritò Iuuenes ac Virgines sæpius exhortandi sunt ad Eucharistiæ frequentationem vt Virginalem pudicitiam primigeniamque , ac baptismalem innocentiam amore illius Diuinæ Pulchritudinis capti , illibatam conseruet .

In Eucharistia vera spiritualis Pulchritudo venustans animas continetur.

In communione sacra Christum osculamur.

90. Sacramentum hoc est verè Vinum boni odoris ad Virgines , cùm enim ad illud accedimus præclarissimarum Virtutum Christi nobis bonus odor inhalatur , quo suauiter attracti adolescentuli præsertim, ac Virgunculæ post sponsum currunt dulciter modulantes: *Trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum* . Cum enim eo contineatur ille qui de se ipso aiebat : *Ego flos campi , & lilium conuallium* Cant. 2. Et sapientia item illa increata , quæ inter varia sui ipsius elogia , illud celebrauit pulcherrimum Eccli. 24. *Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris , & quasi storax, & galbanus , & vngula, & gutta , & quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam, & quasi balsamum non mixtum odor meus*; cum inquam hac Sacratissima Eucharistiâ adeo suaue fragrans Diuina Sapientia contegatur , nonnè nobis eam suauissimum cælestium virtutum odorem inhalare necesse est ?

91. Verè Sacramentum hoc non modo germinat Virgines, sed eas succulentas, ac vegetas, vigorem diuinæ gratiæ in illis, inuentamque floridam vi vi- damque quotidianis virtutum incrementis conseruando, reddit. Hoc nimirum est Lignum illud vitæ , quod in Paradiso vteri Virginalis Diuinâ manu plan-

plantatum lætificat, ac renouat, vt aquilæ iuuentutem nostram, adeo vt cælestium virtutum vigore, quotidie in Spiritu, magis, ac magis iuuenescere, atque efflorescere videamur, dum de Diuinissimæ huiuscé, vitalisque Arboris fructibus crebro participamus. Verè Vinum hoc adeo delectat, suis delicijs capit irretitque Virgines, vt amore Diuinæ ebriæ, omniumque carnis illecebrarum oblitæ solius huius castissimi sponsi cupedijs oblectentur. Hic nimirum est calix ille præclarissimus de quo canebat Dauid. Psal. 22. *Et calix meus inebrians quam præclarus est?* Quæ verba ponderans S. Cypr. libr. 2. Epist. 3. ad Cæcilium: *Sicut*, ait, *ebrietas hominem à se, & à mente alienat, facitque planè alium: Sic Eucharistia fidelem à se alienat, & ex terrestri facit cælestem.*

Eucharistia Calix est inebrians.

Eucharistia animam fidelem à se alienat, & ex terrestri facit cælestem.

92. Verè Eucharistia *iucundat Virgines*, atque exhilarat, seu vt vertit Pagninus, *cantare facit Virgines*. Dum enim vinum hoc germinans Virgines, ad hanc cælestem Mensam bibunt, Agnum Diuinissimum simul sequi, eiusdemque vestigijs insistere videntur, iucunditatemque illam prælibare, quæ olim cantantes canticum nouum, ante sedem Agni perfruituræ sunt. Apoc. 14. Dum enim implentur hoc vino, *implentur simul Spiritu Sancto, ac loquuntur sibi metipsis in psalmis, & hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus suis Domino*, vt loquitur Apostolus Eph. 5. Vnde S. Monica D. Augustini Mater sumptâ Eucharistiâ, quasi hoc cælesti vino ebria canere consueuerat. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in DEVM viuum*. Et subinde; *Volemus in cælum, volemus in cælum*. O' quam præclarè D. Hierony. *Christus est*, inquit, *Frumentum electorum siue Iuuenum; ipse est & vinum, quod lætificat cor hominis, & bibitur ab his Virginibus, quæ sunt sanctæ corpore, & Spiritu, vt inebriatæ, atque gaudẽtes sequantur Ecclesiam, & dicatur de eis. Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione. Quomodo enim lætitiam non habebunt, quæ inebriantur poculo saluatoris, generantur in Virgines, & audent dicere: Introducite me in cællulam vini, confortate me in vnguentis*. Vt porrò ostendat loqui se de adolescentibus; mox addit: *Hoc vino inebriati sunt, qui sequuntur Agnum Dei, quocumque vadit, vestitque candidis vestibus, quia se cum mulieribus non coinquinauerant: virgines enim permanserunt*. S. etiam Cypr. libr. 2. Eph. 3. *Calicem Domini inebriantem peroptimum, siue præclarum sanguinis eius, ait sic bibentes inebriare, vt sobrios faciat, vt mentem ad spiritualem sapientiam redigat, vt à sapore isto sæculari ad intellectum Dei vnusquisque assurgat, & quemadmodum vino isto communi mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ita epoto sanguine Domini, & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuersationis pristinæ sæcularis, & mæstum pectus, ac triste, quod prius peccatis augentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia resoluatur.*

Eucharis. iucundat Virgines.

S. Monica post Eucharistiam mirè exhilarata.

Sumpto Calice Eucharistico sancta ebrietas subsequitur.

94. Verè denique vinum hoc Diuinissimum est in vnguentum Virginum, vt vertit Arabicus Interpres: Cum enim Sacramento hoc contineatur ille, cui canebat sponsa: *Oleum effusum Nomen tuum*, seu vt vertere alij; *Vnguentum effusum*; fit reuera, vt eo veluti preciosissimo vnguento, vngantur, ac roborentur virgines, ad luctandum cum Dæmone in suis tentationibus, in quibus rara solet esse victoria, eiusque bono suauissimoq; odore, inter fęculentas huius mundi latrinas, ac cloacas ambulantes recreentur. Sacramentum hoc denique est Virginibus odoratissimus myrrhæ Fasciculus, non inter vbera, sed in ipsius cordis meditullio, in imis ipsis visceribus reponendus, vt dicere possint, cũ sponsa: *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*. Sacramenti denique huius delicias, ac voluptates omnes paucis complecti visus est Poeta Christianus, dum cecinit:

Eucharis. est Vnguentum Virginũ quo vnguntur ad luctandum cũ Dæmone.

Sanctum, augustum, almum, cæli admirabile munus:
Per te melliflui rorant dulcedine montes;
Per te mellifluæ complentur nectare valles.
Ipse amor, ipsa amius nostris innexa voluptas.

Eucharistia cæli admirabile munus deliciis plenissimum.

94. Quare si Eucharistia summus est hominum amor, ac voluptas, summum hominum bonum, summa animarum nostrarum pulchritudo, qui fieri quæso potest, vt optimum pulcherrimumque Dominum, ea contentum intra viscera nostra accipientes in eius bonitatem, pulchritudinemque spiritualem non transformemur? Caro enim Virginea, ac purissima, quæ nos in hoc sacramento alit, ac nutrit, sui similes efficit, Virgines nimirum, æternâ illa ac nunquam marcescente pulchritudine florentes, nunquam corrugata fronte senescentes, verum æuiterna quadam iuuentute, imo immortalitate vernantes: perinde ac videmus alimenta phlegmatica, vt pisces,

Virginea Christi caro in Eucharis. sumpta Virgines incorruptosque reddit.

comedentes facere phlegmaticos; cholerica, vt oua, piper, mel, &c. facere cholericos; sanguinea, sanguineos; melancholica, melancholicos. Alimentum. n. in substantiam hominis conuertitur, ac proinde ei suas qualitates aspergit, ac communicat. Vnde quid mirum si homo vescens hoc electorum frumento, hac spica Virginis, potansque vinum hoc germinans Virgines, candidissimaque puritatis lilia producens, in idem electorum frumentum, spicamque Virginis, vinumque germinans Virgines transmutetur, euadatque in virum electum à Deo, purissimamque illam, nulli corruptioni obnoxiam complexionem sortiatur? O' quam diuersum est hoc vinum Christi, imo contrarium vino vitis, ac Bacchi? Hoc enim ab Aristophane apud Atheneum lib. 10. vocatur; *Lac Veneris*; & à Pontiano; *Malorum omnium metropolis*. Nam, vt ait S. Hieron. lib. 2. cōtra Iouinin. *Potus vini, ventrisque saturitas seminarium libidinis est*. Quare miraculum ingens est quod vinum hoc cæleste Eucharistiacum germinet Virgines, & Virginum sit lac, vt proindè merito sponso, sub ipsius speciebus contento dicāt: *Meliora sunt vbera tua vino*; sicut mirum quoque est quod ab eodem decorem, venustatemque spiritualem cælesti Sapientia ac gratia constantem participent: cum vulgare hoc, ac terrestre, in quo est luxuria, apostatare faciat sapiētes, animæque, imo & corpori immodicè potatum omnem vigorem, ac pulchritudinem adimat.

Vinum vitis dicitur Lac Veneris, & malorū omnium Metropolis.

Vinum ventrisque saturitas semi narium libidinis.

Miraculū est quod vinum Eucharistiæ germinet Virgines, cū alias vinum terrestre separet luxuriam.

95. Quare præclarè enunciauit S. Paschasius lib. de corpore Christi cap. 2. *Pulchrum est Christi corpus, ex quo iam speciosa anima per lauacrum amplius pulchrescit, vt candore lilij, & rubore sanguinis, in hoc mysterio decoratur*. De pulchritudine hac, Eucharistiæ beneficio acquisita gloriabatur S. Agnes: *Sanguis eius*, inquiens, *ornauit genas meas*. Eandem Christi venustatem, in quam per sacramentum hoc transformamur, nobis insigniter depinxit S. Augustinus in Psalm. 44. *Ecce*, inquiens, *ipse sponsus procedit nobis, amemus illum, aut si inuenerimus in eo aliquid fœdi non amemus. Ecce ipse inuenit multa in nobis fœda, & amauit nos. Si nos aliquid fœdi inuenerimus in eo non amemus. Quia & hoc ipsum, quod carnem indutus est, vt de illo etiam diceretur: Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem; si consideres misericordiam, qua factus est, & ibi pulcher est. Nobis ergo credentibus vbique sponsus pulcher occurrat, Pulcher DEVS, Verbum apud DEVM; pulcher in vtero Virginis, vbi non amisit Diuinitatem, & assumpsit Humanitatem. Pulcher natus infans Verbum, quia, & cum esset Infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, cæli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt. Pulcher ergo in cælo, pulcher in terra, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher sepulcro; Ne ergo oculos vestros à splendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. Summa, & vera pulchritudo iustitia est. Vbi illum non videbis pulchrum, vbi depræhendes iniustum. Si vbique iustus, vbique decorus?* Sic August.

Anima per Eucharistiā candore lilii & rubore sāguinis Christi decoratur.

Christus sēper, et vbiq; nobis Pulcher est & in passione.

Christus Pulcher in cælo, & terra.

Christus vbique decorus, quia vbique iustus.

96. In pulchritudinem hanc Virgineam cælestis Sponsi, assiduâ Vini Eucharistici Virgines germinantis, frequentatione, transformata erat S. Virgo Catharina Senensis. Vnde vt ostenderet Christus Sponsus eius dilectissimus, eam vnam carnem, vnum Spiritum, per amoris affectum, vi, ac exergiâ huiuscè Sacramenti effectam, eam in sponsam sibi castissimo suo amore, præsente Matre suâ sanctissimâ, Diuo Paulo, alijsque sanctis, Angelisque, annulo in eius digitum inserto sociauit, tantaque cum illa familiaritate versabatur, vt horas canonicas cum ipsa persolueret. Amor hic sponsi, in quem erat transformata, omnem rerum terrenarum gustum atque adeo cibi corporalis saporem ei ademerat, ita vt si eum sumeret, videretur sibi moritura, eumque reddere, compellente nauseâ cogeretur. Solo corpore Eucharistico sponsi fruebatur, illoque iucundissimè, victitabat, mirasque delicias cæli, cupediasque omnem humanum, Angelicumque captum excedentes experiebatur. Vnde in lectionibus Breuiarij Romani illud legere de illa est plane admirabile: A die Cinerū vsque ad Ascensionem Domini ieiuniū perduxit, solâ Eucharistiæ communione contenta. Et quia tota penitus, & corpore, & Spiritu in dilectum transmutari anhelabat, postulabat vehementissimè cor sibi, voluntatemque propriam auferri, ingeminando identidem illud Dauidicum: *Cor mundum crea in me DEVS, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Da ergo mihi Domine cor nouum, da cor tuum*. Et verè sponsus, iustissimis eius, ardentissimisque postulationibus die quadam, perceptâ Eucharistiâ benini-

S. Catharina in Christum sponsum oro Eucharistiæ frequentationem trāsformata.

S. Catharina Sen. sola Eucharistia aliquo tempore victitauit.

S. Catharinæ Senensi Christus cor suū donauit.

nignissimè annuit; aperto enim ipsius latere exemit ei cor, ita vt aliquot dies sine corde viueret, ac post triduum post communionem, aliud ei cor inseruit: *Accipe*, inquiens, *filia cor meum, vt deinceps non tibi, sed mihi viuas:* Vnde illa deinceps ita orabat: *Domine commendo tibi cor tuum, non meum*. Post hanc cordis commendationem tota Angelificata, imo Deificata sibi, alijsque videbatur. Vnde B. Raymundo suo confessario fateri cogebatur: *Ego non sum illa quæ fui, tota sum alia; nam cor meum ita ardet charitate, vt ignis corporalis, præ illo ardore mihi non ardere, sed frigere videatur; ac tanto gaudio in mente perfundor, vt me non capiam, imo mirer quomodo gaudio non disrumpar, & emoriar. Insuper tantum in me sentio amorem erga proximos, tantumque zelum animarum, vt omnes labores, omnia tormenta, ipsam mortem, pro qualibet subire optem, vt eam saluem.*

S. Catharina accepto Christi corde, quàto amore Dei, & proximi exarserit.

Si igitur Vino Eucharistico Virgines germinante adeo Virgo hæc fuit inebriata, vt cor ipsi exciderit, & tota in sponsum eiusque cor fuerit transformata, quid mirum eam tantis amoris Diuini flammis exarsisse? quid mirum eius intellectum, tantâ rerum diuinarum notitiâ radiasse, & secretissima quæque, abditissimaque, ac prorsus ineffabilia, absque vllius humanæ scientiæ adminiculo penetrasse? Vnde cum ad ea explicanda se imparem agnosceret, dicere suo Confessario erat solita: Verba nostra nimis demissa sunt, tantumque significant res terrenas; quare impossibile est mihi verbis nostris tam sublimia, tam augusta exprimere; ineffabiles enim sunt, & incompræhensibiles; vnde nec eas ego humanâ voce eloqui, nec si ego eloquerer, vos ea capere, & compræhendere possetis. Vt porrò sponsus eam in se quam perfectissimè transformaret, ei sacratissima sua infixit stigmata, vt verè dicere posset cum Apostolo: *Christo confixa sum Cruci. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*. Ait denique S. Raymundus, ex amore sponsi fissum ei fuisse cor itaque amoris vehementiâ emortuam, Deiparæ rarissimo gauisa priuilegio, in cælos euolasse.

Ineffabiles sunt fauores quos S. Catharina experta est corde Christi accepto.

S. Catharinæ præ amore sponsi cor discissum.

97. Vt verò hanc ipsius in Christum Sponsum transformationem, beneficio Eucharistiæ effectum intelligamus, libet hic ex ipsius Dialogis verba Dei Patris de illa transformatione hæc loquentis annectere: *Vt plenius intelligas quam ardenti desiderio cupiam esse vobiscum, vtque magis accendaris ad subigendam mihi copulandamque meæ, voluntatem tuam, vide, & alta mente considera voluisse me, vt Vnigenitus meus incarnaretur, &c. Parasse insuper mensam maximi, & parum agniti Sacramenti corporis ipsius, & sanguinis, vt in cibum hunc sumentes transformemini, & mutemini in me; ac sicut panis, & vinum, quibus vescimini in substantiam transeunt corporalem, ita & vos manducantes ipsum, qui mecum est sub speciebus panis, & vini, in substantiam spiritualem, & in me ipsum conuertamini. Et hoc est illud quod Augustino seruo meo dixi: Cibus sum grandium cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.*

Deus Pater S. Catharinę loquitur datum Christi hominibus in Eucharistia in ipsum transformetur.

98. Mutatus fuerat in Vinum hoc germinans Virgines S. Casimirus Princeps, Regis Poloniæ Filius, qui summo in Eucharistiam ferebatur affectu, adeo vt Missę sacrificio assistens in ecstasin raperetur. Hæc illi tātū Virginitatis indiderat amorem, vt cum graui esset correptus ægritudine, eum Medici, non nisi coniugij vsu curari posse dicerent, & proinde parentes eum ad coniugum impellerent, & tantum non cogerent, ipse obfirmato animo potius emori, quam Virginitatis decus, floremque amittere constantissimè elegit. atque ita Virginitatis Martyr, & Virgo martyrij gloriosè, beneficio Vini huius Eucharistici, Virgines Martyresque germinantis, occubuit, preciosissimamque suam mortem in conspectu Domini effecit, incorruptâque Virginitate suâ æuiternam immortalitatem est indeptus; quemadmodum enim Virgo immortalitatis symbolum est, ita & sui amatorem effecit immortalem. Verissimè enim Hieronymus Prado noster in cap. 15. In Ezech. *Virginem viuido, roseoque colore florescentem, iuuentæ nunquam senescentis, vitæque immortalis symbolum esse affirmauit*. Quæ omnia nobis augustissimum hoc Sacramentum, velut Lignum vitæ in Medio totius Ecclesiæ ob sui eminétiam, tanquam omnium Sacramentorum Princeps, velut Sol, Planetarum cor, collocatum impertitur. Cum enim ipsius beneficio, gloriosam corporum anastasim vt supra ostensum est, mortales in extremo iudicio consequantur, consequens sane est, eodem nos immortalitatem, reliquasque illas pulcherrimas corporis gloriosi dotes indipisci. Quam ob causam S. Ignatius Martyr. Epist. ad Ephesios Mysterium hoc, *pharmacum immortalitatis, mortis antidotum,*

S. Casimirus Virginitatis amātissimus vtpote qui mori maluit, quam eam amittere.

Virgo immortalitatis est Symbolū.

Eucharistia Pharmacum immortalitatis, mortis antidotū &c.

vitam

vitam in Deo reconcilians per IESVM Christum, medicamentum purgans vitia, omniaque pellens mala appellauit. Quare cum nobis præclara in hoc sacramento proponantur munera, corpus nempe Christi immortale, incorruptibile, gloriosum, tot dotibus exornatum, conueniens sanè est nos, ipsi in gratiarum actionem Talia preparare, eique corpus animamque nostram purissimam, omni lethalis saltem peccati carentem maculâ exhibere, quo illius immortalitatis, incorruptionisque compotes in suprema illa anastasi fieri mereamur.

Cum Christus nobis suum Corpus purissimum in Eucharistia proponat, talia nos quoque conuenit præparare.

99. Sed ad id, vnde pridem digressi sumus, reuertamur. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Non sufficiat nobis liberalissimo huic, munificentissimoque Domino retribuisse nouum, castum, Virgineum, incorruptumque corpus. Retribuamus nos totos; corpus, cum omnibus membris ac sensibus, animam cum potentijs, memoriæ, intellectus, voluntatis, omnes sensus interiores, ac exteriores, cogitationes, operationes omnes. Decet enim nos ad hanc cælestem supremi Principis huiuscé mensam accumbentes talia præparare, qualia & ipse nobis apponit. Apponit enim nobis non modo corpus suum sacratissimum, sanguinem suum purissimum totum indiuisibiliter, verumetiam per concomitantiam animam illum suam dilectam, cum tota sua sanctitate, cum visione, & amore beatifico, cum omnibus suis ornamentis naturalibus, ac supernaturalibus; apponit nobis vnionem hypostaticam, ipsamque Verbi hypostasim, cum tota sua Deitate, omnibusque suæ essentiæ attributis, ac perfectionibus Diuinis. Dicamus igitur tantorum beneficiorum exhibitorum memores, ne ingrati moriamur, dicamus cum S. Patre nostro Ignatio, qui cum tam ingenti innumerabilium beneficiorum mole se quasi obrutum, diuinique amoris flammis se vndique circumdatum animaduerteret, vehementi charitatis quasi concitatus oestro, in ignita illa prorupit verba: *Suscipe Domine vniuersam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum ac voluntatem omnem. Quicquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tantum mihi dones, & diues sum satis, nec aliud quicquam vltra posco.* Concinamus benignissimo huic Principi ac Domino cum Regio Citharœdo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur vt aquilæ, iuuentus tua.* Psal. 102. Vere enim cum benignissimus Saluator in animas nostras ingreditur, propitiatur omnibus iniquitatibus nostris tamquam Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis. Vere tanquam peritissimus Medicus omnes animæ nostræ morbos, ægritudines, ac languores persanat. Verè præseruando nos à peccatis eorumque occasionibus ab æternæ mortis nos redimit interitu, omnesque nostras animæ miserias sua bonitate supplendo nos misericordiâ suâ, ac miserationibus, ceu Regiâ coronâ circundat. Vnde iure merito augustissimum hoc Sacramentum misericordiarum Domini pulcherrimam Coronam animas fidelium coronantem vocitare possumus. Nullum enim aliud Sacramentum ita miserias nostras Diuinæ bonitatis communicatione propulsat, atque hoc, in quo fons ipse bonorum omnium continentur. Hinc inexplebilem illam bonorum habendorũ sitim solus ipse, vtpote verum, summũq; bonum explere valet, nosque ita à senio, vetustateque Spiritus præseruare, vigoremque ac iuuentutem suam vtpote Aquila illa prouocans aduolandum pullos suos tribuere, vt volemus ac nunquam deficiamus.

In Eucharistia omnia nostra Christo sunt offerẽda, corpus, anima, sensus interiores, & exteriores, quia omnia sua nobis in Eucharistia donauit.

In sumenda Eucharistia offerenda Christo omnia exemplo S. Ignatij nostri.

100. Intellexit obligationem hanc totum se Domino huic offerendi, absque vlla diuisione Seraphicus Doctor Bonauentura, cùm dixit: *Dominus indiuisum, & integrum corpus suum obtulit, malè ergo diuidor, & vel minima mei parte illum defraudo. Qui cùm vxore est solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est; ait Apostolus 1. Cor. 7. At in Eucharistia docetur, & roboratur homo vt indiuisum integrumque se præstet in rebus tam diuinis, quam humanis, tam in coniugio, quam in Religione.* Ita enim in oratione tota mens communicantis intendit Deo, vt familiæ non obliuiscatur, sed gratiam à Deo poscat illam ritè administrandi; ita viciſsim tota intendit familiæ, vt non nisi propter DEVM, & ad Dei gloriam illam

Sicut Christus indiuisũ & integram suum corpus nobis dat in Eucharistia, ita te nos totos illi tradere debemus.

S. Nonna Eucharistia sumens tota erat in domesticis, & tota in Diuinis.

illam gubernet. Sic agebat Nonna Sancti Gregorij Nazianzeni Mater, quæ, vt ipse in eius laudibus loquitur, crebro sacram synaxim sumens, tota erat in domesticis, & tota in Diuinis. Ita omninò agere decet; præsertim Sacerdotes, qui toti in actionem ob amoré proximorum, toti in contemplationem sese debent impendere, vt toti actiui, & toti contemplatiui esse videantur; Hoc cupiebat S. Gregor. Par. 2. Pastor. cap. 7. *Sit Rector*, inquiens, *internorum curam in exteriorum occupatione minuens; exteriorum prouidentiam in internorum occupatione non reliquens*.

Omnia Christum integra, absque vlla diuisione offerenda, exemplo Turturis, & Columbæ ab Abraham oblatæ.

101. Hanc Mentis nostræ integritatem absque vlla diuisione Christo in hoc Sacramento à nobis offerẽdam facto quodam admirabili olim nobis ostendit Abraham Gen. 15. de quo dicitur, quod diuisit corpora vitulæ, capræ, & arietis, aues autem, vt turturem, & columbam non diuisit. Addit deinde: *Descenderuntque volucres super cadauera.* Quod factum plenissimũ mysterijs contemplans S. Ambrosius lib. de Abraham cap 8. *Volucres cæli, spiritualium nequitiæ, in eos, qui mundanâ solicitudine, curáque diuisi sunt, graui motu incessunt, & velut cadauera mortuorum dilacerant dente aspero. De his dictum est: Relinque mortuos sepelire mortuos suos. Matth 8. quia sunt de regno Diaboli, qui in se diuisus est. Qui autem sunt Dei, quibus dicit IESVS: Regnum Dei intra vos est. Luc. 17. hi non sunt diuisi, quia adhærent Deo, & fiunt cum illo vnus Spiritus. Denique super columbam, & Turturem non descenderunt, quia diuisæ istæ non fuerunt. Non sunt enim diuisi iusti, quibus dicitur, vt sint simplices sicut columbæ. Mens igitur Abrahæ directa ad Christi gratiam videbat hunc mundum plenum esse iniquitatis, quæ velut à summo cæli volaret, & opprimeret infirmos terræ, pudicitiam autem, fidem, synceritatem, nullis esse obnoxias passionibus. Auaritiam autem, & solicitudines seculi, quibus suffocantur, qui habent voluptates diuitiarum, dilacerari, ac diuidi. Vnde, & diuitiæ quasi diuisę dictę sunt, quod mentem diuidant, atque in diuersum scindant, & in partes trahant, nec sinant incorruptam esse, & integram.* Vt ergo nos totos maximo huic vniuersorum Principi, qui se totum nobis, absque vlla diuisione in hac admirabili, delitijsque cælestibus refertilissima mensa apposuit, à sumente non cõcisus, non confractus, non diuisus, sed integer accipitur, vt canit Ecclesia, offeramus, simus columbæ, turturesque absque felle peccati pudicissimæ, ac castissimæ, atq; ita talia illi pręparabimus quæ ille nobis apponere dignatus est.

Turtur, & Colũba oblata in Sacrificiũ cur non fuerit diuisa.

Diuitiæ à diuidendo dictæ, eo quod mentem à Deo diuidãt.

In Eucharistia Christus sensus offerẽdi sunt mortificati.

102. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Retribuamus ei sensus nostros mortificatos, siquidem ipse suos tales in hoc Sacramento nobis apponit. Nam vt docet Angelicus Doctor 3. Part. qu. 76. art. 6. *Christus in hoc mysterio speciebus panis, & vini contectus per definitiuam præsentiam, nullum sensuum suorum vsum habet; quia nec oculi ipsius vident, nec aures audiunt, nec odoratus odorat, &c. quia Christus loco non coextenditur, sed quasi in puncto loci est contractus, vnde naturaliter non potest sentire, audire, videre adstantes, imo nec seipsum, quia visiuę species cæteręque sensibiles requirunt extensionem ad locum, vt & potentia visiua, vt operari, videreque possit.* Diximus naturaliter. Quia virtute supernaturali, vi Spiritus Diuini id fieri potest. DEVS enim vtrumque defectum supplere potest, vel per se indendo oculo Christi species visiuas, obiectorum, vel eleuando illas, vt in Christi oculum, licet in puncto loci positum agant, & influant. Denique visiones rerum quas habet in cælo Christus omnino videntur eidem communicari in Eucharistia. Sicut enim substantia Christi eadem est in Eucharistia, quæ est in cælo; sic & eadem habet vtrobique accidentia, qualia sunt visiones, & sensiones. Cùm igitur supremus hic Princeps mortificatos quodammodo nobis in hoc sacramento apponat sensus, Talia omnino in gratiarum actionem nos oportet præparare, eique mortificatos sensus omnes offerre, nec illis abuti, sed potius curare, vt toti suo creatori, eiusque gloriæ, ac laudi deseruiant, siquidem in sensus ipsius Christi sunt transformati, ac proinde simplices, pudicos, ac castos illos esse oportet; ac proinde hiscé nostris oculis nullam vnquã creaturam in ordinato affectu deberemus intueri. Ruborem sane nobis merito incutiat oportet, id quod Magister Ioannes Auila vir nostro hoc sæculo cęlesti præsertim sapientia, ac spiritualium rerum vsu clarissimus de Mauris Mohometanis scribit, illos nempe cum Mecamad infame, nefandumque Mahometi sepulchrum, accadauer inuisendum religionis gratia proficiscuntur, vbi domum redierint sibi oculos eruere, indignos se arbitrantes, qui res alias quascunque aspicerent, vtpotè rei tam diui-

Oculi & aures Christi in Eucharistia nec vident, nec audiunt.

Cũ Christus in Eucharistia suos mortificatos quodãmodo nobis exhibeat sensus, tales & nos illi decet præparare.

diuinæ visione sanctificatos.

103. Hanc oculorum imo omnium sensuum, atque adeo totius corporis mortificationem exigere visus est Salomon, cum monuit, vt ad hanc Mensam Diuinissimam quis accumbens, *Statuat cultrum in gutture suo*. Sic enim Hugo verba hæc interpretatur: *Statue cultrum in gutture tuo, vt iuguletur scilicet vetus homo in te, ac nouus, id est Christus viuat*. De hac sui ipsius mortificatione exemplo Christi in hoc conuiuio facienda, præclarè S. Bernard. ser. 2. de Cœna Domini: *Tu*, inquit, *qui sedes ad mensam Diuitis, ferculis, quæ præmisimus appositis, te ipsum subijciens, & humilians Incarnationis Dominicæ Sacramento non negligenter, sed diligenter attende, quæ apponuntur tibi, quoniam talia te oportet præparare, compatiendo, commoriendo, & consepeliendo teipsum. Dignum est enim, & tibi multum expedit, compati, commori, consepeliri passo, mortuo, & sepulto. Ad hoc enim facta sunt huiusmodi, vt his omnibus configuretur, & conformetur vita Christiani. qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Nam propter Crucem eius dictum est: Qui sunt Christi IESV, carnem suam crucifixerunt, cum vitijs, & concupiscentijs. Et propter sepulturam dictum est: Consepulti sumus cum Christo, &cet*. Sic Bernardus. *Neque vero existimandum est*, inquit doctissimus noster Salazar, *hanc hominis in Christum conuersionem, quam fideles sacra libantes æmulari debent, internam, prorsus esse, atque in animo dumtaxat perfici; nam corpori etiam propria quædam conuersio respondet, per quam dignè communicantium corpora in corpus Christi migrare, & in vram carnem misceri dicuntur; de qua corporali vnitate Chrysostomus, Cyrillus, Nyssenus, & alij Patres. Bene ergo Salomon: Statue, inquit, cultrum in gutture tuo, vt scilicet tuum ipsius corpus hoc vulnere cadat, & Christi deinceps corpus induas, sicque præceptum illud ad amussim expleas: Sciens quod talia oportet te præparare. Nam quemadmodum in conuersione sacramentali substantia panis interit, & loco illius corpus Christi Domini subit; ita etiam in hac corporali sua conuersione, corpus tuum de mortuum, vt ita dicam, æstima, ac pro illo Christi corpus hoc nostrum, dum Mensæ huic accumbimus gratiæ virtute mortificatur, verum etiam quodammodo cultro iugulatur, atque prosternitur, vt nouo quodam Christi corpore vestiamur.*

Accedens ad Eucharistia veterem hominem debet occidere, & Christo cōmori, & consepeliri.

Etiam communicantiū corpora in corpus Christi quodammodo migrant.

104. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Retribuit mihi Princeps hic cælestis in hac mensa Diuinissima suum corpus impassibile adeo, vt à nullo agente extrinseco vllā pati possit iniuriam, esto species panis gladio transfigatur, conculcetur, comburatur, vt sæpius ab impijssimis nefandisque Caluinistis, ac Lutheranis per summum nefas factum fuisse intelleximus. Hinc S. Cypr. ser. de Cœna Domini. *Distributus, non dimembratur, incorporatus non iniuriatur, cum infirmis habitans, non infirmatur, nec pauperum ministerio indignatur*. Scito igitur, ò homo quoniā Mensæ huic accumbēti Talia te oportet præparare. In tribulationibus, in angustijs, calamitatibus, ac persecutionibus hoc sacramento munitus, oportet vt te quodammodo insensibilem, etsi non impassibilem, saltem patientem ostendas. Audi Doctorem Angelicum Opusc. de impassibilitate. *Christus à nullo externo agente pati potest, non ab igne, non ab aqua, non à gladio, &c. Tu ergo cum non passis esse impassibilis, esto tamen cum quadam impassibilitate patiens.*

In Eucharistia Christi corpus est impassibile.

Sumens Eucharistia si nō potest esse impassibilis, saltem sit patiens.

105. Hæc nimirum est Mensa illa, quæ aduersus omnes tribulationes mundi huius, aduersus hostes, bellorumque impetus nos armat, redditque quodammodo impassibiles atque inexpugnabiles. Vnde Regius Vates in spiritu Mirificos huius Mensæ effectus præuidens, imo eosdem in varijs prælijs ac conflictibus ex præsentia ipsius figuræ, Arcæ nimirum, qua Manna cæleste Vrnâ aureâ reconditum seruabatur expertus, concinebat Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*. Testis est Otto Imperator, qui prælium commissurus cum Hungaris, prius se, suosque Eucharistiâ communiuit, vt verè dicere posset: *Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt*. Sic enim Virtute hac Eucharisticâ armatus ingentem hostium numerum trucidauit, illustremque victoriam Anno 955. vt scribit Baronius, reportauit.

Eucharistia reddit hominem in tribulationibus quasi impassibilem.

Otto Imper. munitus cum suo exercitu S. Eucharist. Hungares profligauit.

106. Testis est Catalacus Præfectus Michaelis Imperatoris, qui militibus cibo hoc Diuinæ Mensæ confortatis, ac roboratis ante aciem, magnas Saracenorum copias Messanam inuadentes profligauit Ann. 1040. vt refert Cedrenus, & Curopalata. Sic facere erat solitus S. Henricus Imper. hic hortatus est Imperator Constantinus suos milites, ante

Catalacus milites Eucharistia armato contra hostes Messanam inuadentes, & victoriam reportat.

ante certamen cum Maxentio, vt sese cælestibus hiscé armis muniret. Sic egisse memorantur Christiani in bello sacro, cum Hierosolymam obsiderent, scribit Guilelmus Tyrius.

Alphonsus VIII. Rex Castellæ virtute Eucharistiæ cecidit multa Saracenorum millia.

107. Expertus est Diuinam quandam impassibilitatem Alphonsus VIII. Rex Castellæ cum suo exercitu, beneficio huius Sacramenti Anno 1212. 16. Iulij. Cum enim Rex pientissimus cum omni suo exercitu, sacrâ confessione, ac communione se communissent, atque obarmassent ante initum prælium, & Rodericus Archiepiscopus Toletanus Crucis vexillum, in barbaros intulisset, cæsa sunt ducenta Saracenorum millia, Rege cum exercitu Christiano Diuinam quandam impassibilitatem præferente, cum non amplius quam 25. è nostris desiderati sint. Quocirca annuam tanti miraculi memoriam celebrant Hispani festo peculiari, quod triumphum S. Crucis 16. Iulij appellant de quo Ribad. in vitis Sanct. die 16. Iulij.

Triumphus S. Crucis apud Hispanos.

Rex Hispaniarũ Ramirus Eucharistia armatus fudit Saracenorum septuaginta millia.

108. Expertus est cælestem hanc impassibilitatem, eâdem armaturâ munitus Rex Hispaniarum Ramirus Ann. 834. Cum enim hic priori prælio à Saracenis cæsus fuisset, ac profligatus, essetque ab illis, per summum nefas, pro tributo centum puellas Virgines illis offerre coactus. quotãnis. Rei indignitate motus, zeloque diuini honoris animarumque salutis accensus, ad Dei opẽ implorandam se conuertit. Inter præcandum apparet ipsi S. Iacobus, mandatque, vt milites omnes sacrâ confessione expiaret, & ex superiori pręlio lassos pane cælesti, atque Angelico, qui Panis fortium appellatur, reficeret, itaque hostes, Nomen Dei, & S. Iacobi inclamans, inuaderet; se enim equo vectum candido ad futurum; alterâ manu vexillum candidum, alterâ gladium acutissimum gestantem, castra præiturum, hostemque dispersurum. Quod & factum; ceciderunt enim eo in conflictu septuaginta Maurorum millia, captaque est atque direpta Calagora principalis ciuitas, vexillaque Regis Catholici in omnibus pene Maurorum fortalicijs, ac propugnaculis erecta, impassibili quodammodo nostro, virtute huius Sacramenti remanente exercitu.

S. Iacobus Apostolus equo candido vectus Regi Ramiro opem tulit.

Eucharistia hominẽ reddit quasi impassibilem, quia memoriam nobis mortis, & passionis Christi repræsentat.

109. Et vero impassibilem, & insẽsibilem quodammodo hominem percipientem hoc sacramentum fieri oportet, cùm in eo assiduè mortem, passionemque Domini acerbissimam, amore nostri exantlatam recolamus. Quod nobis insinuare voluisse visus est S. Cypr. serm. de Cæna Domini cùm suasit; *Semper passio sit in memoria, non terrebunt Crucifixi hæredes mortis supplicia. Inebriati enim non habentes sensum huius mundi Cruci hæremus, sanguinem sugimus, & inter ipsa Redemptoris nostri vulnera fugimus linguam:* Hinc Christus cum suis ad passionẽ iturus prius Eucharistiam instituit, sumpsit, & suis distribuit, vt nos idem in omni tribulatione, ac tentatione facere doceret. Hinc Christiani sæuiente persecutione gentilium, Eucharistiam secum domum deferebant, eamque ituri ad tribunalia sumebant, atque ita ad eculeos, catastas, candentes laminas, ignes, facesque amore Christi tolerandas roborabantur, vt idem scribit S. Cypr. libr. 1. Epi. 2. ad Cornel. *Dum enim Christi sanguine*, inquit idem, *pro nobis fusum suscipimus, robaramur, & excitamur, vti & nostrum sanguinem pro ipso generosè, & libenter profundamus, quia fortis est, vt mors dilectio;* additque *in hoc prælio non posse fortiter pugnare, qui his armis induti non sunt*. Quam ob causam S. Anacletus Papa IV. Anno Domini 112. incrudescẽte Traiani persecutione sanxit, vt omnes Christiani sacrificio Missę præsentes, eo peracto communicarent, atque ita se ad Martyrij agonem roborarent.

Christiani persecutionis tempore Eucharistia sese præmuniebant.

110. In hac Mensa nimirum cælestis Principis splendide epulatus, vinoq; Eucharistico inebriatus, impassibilis fieri visus est Paulus Apostolus Rom. 9. cũ aduersitates omnes, cruces, supplicia, tormẽtaque omnia in impassibilitatem quodammodo Christi transformatus, prouocabat: *Si DEVS pro nobis*, inquiens, *quis contra nos? Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius, sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occasionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.*

Apostolus Paulus Sanguine Christi inebriatus audacter tribulationes omnes prouocabat.

111. In hac mẽsa Saginatus, ac inebriatus: (verissimè enim dixit Tertull. lib. de Resurrect. carnis c. 8. *Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo*

saginetur:) in hac, inquam, mensa saginatus ac inebriatus fuit S. Ignatius verè ignitus Martyr Christi, desiderauitque talia ipsi præparare, cum impassibilitatem, insensibilitatemque quandam animi nactus Principi huic in Panem Angelicum conuerso, se quoque Panem ipsius gustui dulcissimum, rudâ cruciatuũ contritum facere desiderabat: Cùm .n. iam damnatus esset ad bestias, & rugientes audiret Leones, ardore patiendi dixit: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis purus inueniar.* Vnde patiendi auidus, redditusque quodammodo impassibilis, scribebat ad Romanos: *Vt.nam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ, quas, & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum Martyrum non audeant corpus attingere: Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse Discipulus, nihil de his, quæ videntur, desiderans, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum, diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantùm Christo fruar.* O miram gloriosissimi Martyris impassibilitatem, atque insensibilitatem, ex amoris vehementiâ profectã! nimirum tota eius anima in amatum Christum, virtute huius sacramenti transierat. *Hic erat eius Amor, cor, & anima, proinde vt testis est* Dionys. Areopag cap.4. de Diu. *Nominibus, dicere consueuerat: Amor meus Crucifixus est.*

S Ignatij Martyris mira magnanimitas ad patiendum, per virtutem sũptæ Eucharistiæ.

S. Ignatii Amor vnicus erat Christus Crucifixus.

112. Quid retribuam Domino &c. Retribuamus cor amplũ, charitate magnâ dilatatum, considerando attentè, quod tale nobis ad hanc Mensam suam apponat. Quæ etiam, DEVS immortalis maior latitudo cordis excogitari potest, quam hæc huius supremi Principis, qui potestatem consecrandi, ac conficiendi Eucharistiam non vni, non decem, non centum, sed pluribus hominũ myriadibus, adeoque omnibus Sacerdotibus etiam impuris, adulteris, homicidis, blasphemis, schismaticis, ac sceleratis concessit, nec ob vllam scelerum immanitatem, eam adimere voluit, decreuitque hac, in nostrum commodum pati indignitatem, ne vnquam tãto bono vllibi locorum frustrarentur Accedit quod omnes totius orbis fideles Christianos vbique terrarum dispersos ad antipodas, ad nouum vsque mundum penetrando, omnes sibi, tãquam capiti, vnit, incorporat, suumque illis spiritũ, quo omnes, circa mysteria fidei præsertim, idem velint, idem nolint, seseque mutuo diligant, impertitur. Et sicut ante per vnionem hypostaticam humanitatis nostræ vnicum indiuiduum, in vtero Virginis Matris sibi arctissimè sociauit, ita modo omnes fideles mediante hoc Sacramento sibi associat, in vnam veluti personam, eos sibi velut membra incorporando, ac spiritu suo viuificando, vt Diuinę consortes naturæ efficiantur nullo personarum habito discrimine pauper, aut diues quis sit, barbarus, aut Scytha, Europeus aut Asiaticus. Hoc nimirum est, quod aiebat Apostolus 1. Cor.10. 17. *Vnus panis, vnum corpus, multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.*

Christo in Eucharistia sumenda cor amplum, & charitate dilatatum ad complectendum omnes offerendum.

Christus in Eucharistia omnibus etiam peccatoribus se cõmunicat.

113. Tale nimirum cor gratum, ac liberale diuinâ charitate dilatatum decet nos quoque ad mensam hanc in grati animi significatione præparare. Christi ergo amore omnes omnino, etiam inimicos, amplo charitatis sinu, nullo proborum, vel improborum discrimine amplectere, imitando Apostolũ qui aiebat: *Os nostrum ad vos patet, ò Corinthij, cor nostrum dilatatum est.* De hoc S. Chrysost. *Cor Pauli dilatauit charitas, totum mundum complexa est.*

114. Quod si cælesti huic Principi adeo gratos, pro tam Diuina nobis apparatâ mensâ nos exhibere debemus, eique talia pro captu nostro retribuere, quæ ipse nobis proposuit; profecto nos æquè propemodum gratos ostẽdere debemus eius quoque Matri sacratissimæ, quæ velut illa prudens fœmina commiscuit tria sata farinæ, animam videlicet, corpus, ac Diuinitatem Christi, Panemque hunc Angelicum cõfecit, velut vrna aurea portauit, velut intellectualis Clibanus pinsuit, velut aurea Mensa panis propositionis, nobis eũdem proposuit. Ipsa est terra illa Virginalis, ac benedicta quæ nobis triticeam hanc spicã; stellam, inquam, splendidam, ac Matutinam primæ, tantæque magnitudinis, quæ nõ modo 115. terræ globos, verumetiã totum Vniuersum, imo si mille forent, sua immensitate comprehendit, ac produxit. *Ipsa est terra illa promissionis lacte & melle manans, quæ nobis Frumentum hoc electorũ, & vinum germinans Virgines, ingentem illum Botrum, de quo sponsa.* Cant.1. *gloriabatur: Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi, proferendo cum ingenti fidelium messe generauit.* Vnde Guerricus Abbas serm. 4. de

In Eucharistia sumẽda nos gratos etiã B.V. exhibere debemus.

B V. Vrna aurea, Clibanus intellectualis, & Mensa panis propositionis.

B.V. Terra benedicta, quæ spicam Eucharistiæ nobis produxit.

B V. Terra, quæ frumentum electorũ & Botrum Cypri Christũ protulit.

de Natiu. *laudando DEVM, benignitatem quoque laudauit Deipara. Benedixisti Domine terram tuam, dedisti benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum, videlicet de vno grano frumenti, quod germinauit aluus Virginis, vbique terrarum pullulante copiosa messe fidelium.* Quare quoties oculos in cælum attollimus, & asterismum Virginis Spicam manu sinistrâ gestantem cõtemplamur, meminerimus Deiparæ potissimùm beneficio, mortales, pane hoc vitali, hoc immortalitatis pharmaco, ad vitam spiritualem sustentandam; hac stellâ splendidâ ac matutinâ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum gaudere. Idem enim ille Panis Angelicus, qui nobis spica est Virginis, seu frumentum electorum, est mentium quoque nostrarum lux, qua irradiati, eum vt creatorem, vt Redemptorem, bonorumque omnium in hoc Sacramento largitorem, agnoscimus, eundemque ad medullitus redamandum compellimur. Meminerimus denique, diligentissimèque consideremus, quæ nobis Virgo in hac sua Spica fulgentissima apponat: apponit nimirum dilectum cordis sui, quem & ideo manu cordis gestat, dilectum votorum suorum, electum ex millibus, totum desiderabilem, in quo sibi mirè semper complacuit; in quo suas sibi adinuenit cupedias, super quem innixa, cælicis semper affluxit delicijs. Atque hæc identidem considerantes, sciamus quoniam talia

Quid cogitandũ nobis sit cum signũ Virginis spicam gestantis videmus?

Eucharistia est mentium nostrarum stella splendida, & matutina.

Considerandum quid nobis B.V. in Eucharistia offerat, vt illi gratissimus.

oporteat nos quoque præparare. Atque ita cùm ad Diuinam hanc mensam accedimus, non modo dilectissimo eius filio, qui in cibum nobis proponitur, verumetiam amantissimę eius Matri, cuius simul carne: (ob identitatem videlicet naturæ:) vescimur, nos totos, cor totum, totam animam, memoriam, intellectum voluntatem, corpus, cum membris omnibus, & quicquid charissimum in vita habemus, iisdem animitus, medullitusque offeramus. Sic enim futurum est, vt Virginem hanc gloriosissimam, ac benignissimam, pro innata sibi pietate liberaliorem quoque in dies in nos, totius vitæ decursu, experiamur. (*Solet enim*, vt inquit, B. Andreas Cretensis Episcopos, *sanctissima, vt quæ sit munificentissima, maxima reddere pro minimis.*) Et tandem, absoluto hoc calamitosæ vitæ curriculo, gloriam æuiternam, spicæ huius Virgineæ Pane sustentati, ac roborati, consequamur. Aptissimè siquidem hic vsurpare possumus id quod S. Irenæus lib. 4. ca. 34. posteritati mandauit: *Non indiget quidem Dominus nostro munere, sed is qui offert, glorificatur ipse in eo, quod offert, si acceptetur munus eius.* Verissimè. Non indiget Domina nostra nostro munere, cum vnita bonorum omnium fonti delicijs affluat, possideatque omnia, nos illa reuera, dum cor, animosque nostros in munus acceptat, glorificat, & in hac vita, & in futura.

B. V. vtpotè munificẽtissima maxima reddit pro minimis.

B. V. dũ cor animumque nostrum acceptat, nos glorificat.





DISCRVSVS XXXV.

Quæ de Capicorno Zodiaci Signo canunt fabulę, hæc verius in B.V. reperiuntur.

I.

Variæ fuere apud Poetas opiniones de summi Iouis nutrice. Mæro Græcus Vates censuit fuisse colūbas, quæ ipsi Ambrosiam; & Aquilam, quæ nectar ministrarunt. Ita enim cecinit.

Iuppiter à Columbis Ambrosia, ab Aquila nectare nutritus.

Iuppiter in Creta nutritur, eumque Deorum
Nouerat haud vllus; crescunt cum corpore membra,
Hunc in speluncâ sacrâ pauere Columbæ,
Fluctibus Oceani Ambrosiamque tulere volantes;
Ast Aquila huic nectar, de petra dulce quod hausit;
Mox rostro sublime volans afferre solebat.
Hanc Patri Altitonans mox Regno victor adempto:
Esse immortalem voluit, cæloque locauit.
Nec nullo timidas decorauit honore columbas
Agrestes, gens hæc hyemis sit nuntia, & æstus.

Iouis Nutrix Capra fuisse dicitur.

Alij verò, vt Aratus, Iouis nutricem Capram fuisse consuere, quam ipse gratitudinis memor, inter sydera transtulit, pellemque eius ad sempiternam rei memoriam suo scuto quod Aegis vocabatur, circumdedit, αἴξ enim Capram significat. Vnde Virgilius libro 8. Aeneid.

Iuppiter capræ pelle scutum suū circūdedit.

Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iouem, cum sæpe nigrantem
Aegida concuteret dextra, nimbosque cieret.

De capra hac inter cæli Asterismos collocata sic cecinit Aratus:

Illa putatur
Nutrix esse Iouis, si verè Iuppiter Infans
Vbera Cretea mulsit fidissima Capræ,
Sydere quæ claro gratum testatur Alumnum.

Idem in Phænomenis:

Sacra Ioui Capra est, quod præbuit Vbera paruo.

De eadem quoque sic cecinit Manilius lib. I. Astronomicorum:

Subit mundi nutrito Rege capella,
Cuius ab vberibus magnum ille ascendit olympum,
Lacte fero crescens ad fulmina, vimque tonandi.
Hanc ergo æternis merito sacrauit in astris
Iuppiter, & cæli cælum mercede rependit.

De hoc denique Asterismo Ouid. lib. 2. Fastorum:

Oleniæ surget sydus pluuiale Capellæ:
Quæ fuit in cunis officiosa Iouis.

2. Alij denique vt Lactantius Firmianus apud Piccolomineum in sphæra, Iouis Nutricem Nympham Amalthæam Melissi Regis filiam fuisse dixerunt, quæ cum pulcherrimam haberet Capellam ipsius lacte Iouem enutrisset, quam ipse postea, memor beneficij inter sydera euexit, eiusdemque Capræ nutricis Cornu omnium bonorum refertum copiâ, quod Cornucopia vocitari consueuit, liberalissimè donauit. Nympha hæc Amalthæa cum sua Cornucopia, vti & Columbæ, & Aquilæ aptissimè Virginem Dei Genitricem, summi æternique Numinis veram Nutricem designat; Ipsa enim est Columba illa, cui sponsus accinebat: *Vna est Columba mea, perfecta mea*, cui videlicet nihil in omni virtutum genere vnquam defuit, *vna est Matri suæ, electa Genitrici suæ* Cant. 6. Ipsa est Aquila illa grandis magnarum alarum, quæ Dei Filium hominem factum lacte suo purissimo, veluti nectare, ambrosiâque pauit, cui proinde effusissima illa Superni Numinis Bonitas, quæ nunquam se liberalitate, à suis creaturis vinci patitur, quasi quandam Cornucopiam impertiri visa est, cum eam bonis omnibus cęli, ac terræ locupletauit, cum eam, velut Pandoram quandam, Diuinis perfectionibus, omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, ac misericordiæ, &c. exornauit; cùm ei cęlestium Hierarchiarum, Angelicorumque Spiritum, nec non Sanctorum omnium

Iouis Nutrix fuit Nympha Amalthæa Mellissi Regis filia.

B.V. per Nympham Amalthæam cum cornucopia per Aquilā & Columbā figurata.

B.V. quandā Cornucopiā Deus tribuit, cū eam bonis omnibus cæli, & terræ creaturarumq. in ea contentarum profectionibus locupletauit.

nium

nium virtutes contulit, cùm in eam denique pulchritudinem omnem, tam mundi cælestis, quam sublunaris congessit, eamque pulcherrimum quendam, nonuumque mundum. creaturarum omnium venustate, ac flore decoratum effecit, adeoque venustauit, vt B. Arnoldus Carnotensis Abbas lib. de laud. B. V. scitè pronunciauit: *Maria creaturis constat omnibus, quicquid enim Creator iustus distributor singulis contulit, Matri adornandæ congessit*. Mundum quendam pulcherrimum agnouit fuisse Deiparam S. Cyprianus: *Lego*, inquit, *& intelligo, quod Virgo Maria quidam Mundus intelligibilis, & admirādus sit; cuius terra soliditas humilitatis; cuius mare, latitudo charitatis, cuius cælū, altitudo contēplationis; cuius sol, splendor intelligentiæ, cuius Luna, decor munditiæ, cuius Lucifer, fulgor sanctitatis; cuius Arcturus, gratia septiformis; cuius sydera, cæterarum ornamenta Virtutum pulcherrima*. Quam noui huius mundi Diuinam quandam venustatem demirans B. Georgius Nicomed. Archiep. orat. de præsent. B. V. mente attonitus quodammodo, iure exclamauit: *O pulcherrima rerum omnium pulchritudo, ò Dei Mater pulchrorum omnium summum ornamētum*.

M. nouus mūdus creaturis cōstans omnibus.

B. V. Mūdus quidam intelligibilis.

3. Hæc est nimirum illa gratiosissima, ac pulcherrima Iobi Filia, quæ licet omnium trium filiarum, & Diei, & Cassiæ, & Cornustibij decorem in se, veluti compendio, eminentiâ prorsus singulari concluserit, Cornustibij tamen perfectiones, pulchritudinisque splendorem in se peculiari ratione repræsentauit. Si enim Cornustibij filia illa Iobi ideo vocata est, quod aureum quoddam scriniolum cerussæ, purpurissi, ac stibij esse videretur, de quo mulieres reliquæ participantes, seque fucis illis illinientes pulchriores euadere potuissent; potiori sane iure Virgo nostra Deipara, quam sponsus *Mulierum pulcherrimam* appellat, Cornu stibij, seu scriniolum quoddam aureum, quo tota, vt loquitur Damascenus, *humanæ naturæ venustas, omniumque mulierum continetur ornamentum*, vocitanda erit; Licet enim de tribus illis Iobi Filiabus sacræ ita loquantur litteræ; Iob. 42. 15. *Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob in vniuersa terra;* nihilominus tamen, illarum nulla re ipsa Cornustibij, seu vas pulchritudinis ac decoris, sese alijs mulieribus communicantis, easque decorantis esse potuit; Sola Virgo nostra gloriosissima, ita formosa in se, gratiaque omni plena extitit, vt eam, cum alijs communicarit.

Cornustibij filiæ Iobi virtutes B. V. repræsentauit.

Filia Iobi cur Cornustibij vocata.

Filiæ Iobi inter mulieres speciosissimæ.

B. V. vas pulchritudinis eam aliis mulieribus communicans.

4. Pulchritudo tam filiarum Iobi, quam aliarum mundi huius, est lilium inter spinas, cor hominis, impuro amore, velut aculeo saucians: at verò pulchritudinis Virginis nostræ lilium puritatis nobis, mirificum afflat odorem, ipsumque Virginitatis candorem veluti stibium, cerussamque simul communicat. Vnde Virgo sacratissima, solo suo aspectu, solâ præsentiâ donum castitatis aliasque gratias mortalibus conferre consueuerat. Audiendus hic D. Ambros. libr. de Instit. Virginis cap. 7. vbi de fortitudine, magnanimitate, ac puritate loquens Deiparæ hæc habet: *Cuius tanta erat gratia, vt non solum in se Virginitatis gratiam reseruaret, sed etiam his, quos viseret, integritatis insigne conferret. Visitauit Ioannem Bapt. & in vtero Matris priusquam nasceretur exultauit. Ad vocem Mariæ exultauit Infantulus, obsecutus antequam genitus. Nec immerito mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis vnguento Domini Mater exercuit. Eademque postea est tradita Ioanni Euangelistæ coniugium nescienti. vnde non miror, præ cæteris loquutum fuisse mysteria Diuina, cui præsto erat Aula cælestium Sacramentorum*. Ex qua tanti Doctoris sententiâ colligimus, Deiparam non modo promptuarium quoddam copiosissimum puritatis, ac castimoniæ, verum etiam cælestis Sapientiæ largissimè sese clientulis suis communicans, extitisse.

Mulieres pulchrę mūdi huius sūt lilia inter spinas cor hominum pungentia.

Pulchritudo aliarum mūdi huius mulierum est spina cor saucians.

B. V. sua pręsentia donū puritatis conferebat.

S. Io. Euang. præ cæteris locutus mysteria Diuina quia illi præsto erat Aula cælestium Sacramentorum B. V.

5. Hinc Guerricus Abbas serm. 4. de S. Ioan. Bapt. totam ipsius sanctimoniam, Spiritus S. charismata, vitęque eiusdem admirabilem illam puritatem attribuit visitationi, præsentiæque Deiparæ: *Planè*, inquiens, *incomparabilis gratia, inæstimabilis Diuinę virtutis potentia. Vox Marię dum auribus Elisabeth insonat, ad cor Ioannis penetrat, qui abstrusus intra materna latebat viscera, spiritum eius animat, gaudioque salutari vegetat, & cui virtus naturę vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Marię pleniorem infudit Prophetiam, adeo vt etiam de plenitudine filij, copiosè videatur in Matrem refundi. Verè gratia plena Maria, manifestè DEVS totius gratię in ea erat, de cuius munificentia, tam copiosè, tam magnificè, principaliter in Matrem, de Matre in Ioannem, de Ioanne in parentes gratię largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Marię fluebant aquę viuę, & fons vitę, & gratię oriebatur de medio Paradisi, ad irriganda ligna Paradisi. Proxima*

xima erat fonti Cedrus ista nobilis, Ioannem loquor, consobrinum, & amicum sponsi, ideoque nimirum vberius irrigata, in tantum excreuit, vt inter natos mulierum, nihil illa sublimius posset inueniri, &c.

Oculi B.V. quam efficaces?

6. Et licet Virgo beatissima solâ suâ præsentiâ sanctimoniam, vitæque puritatem secum versantibus impertiretur, impertiri tamen potissimum benignissimo illo suorum oculorum aspectu videbatur, quem ideo sponsus à se auerti, & ad Ecclesiam, fidelesque suos conuerti peroptabat, cùm dicebat: Cant. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt;* sciens benignum ipsius ad mortales aspectum, causam efficacissimam plurimorum bonorum ipsis fore. Vnde Guilelmus Abbas sic Filium iam gloriosum in cælis Matrem alloquentem præmissis, commemoratisque obsequijs, quæ sibi inter mortales degenti, totâ vitâ, vsque ad mortem in Cruce exhibuit introducit: *Quia ergo vetera transierunt, & nouitas iucunda illuxit, noli me aspicere, ò pia Mater, vt olim, vt Mater: auerte à me maternos oculos. Sed aspice me velut amica, & sponsa. Iam ascendi ad Patrem, habeant materni illi oculi vacationem; sed à me: porrò ad membra mea vacare illos nolo. Auerte à me, ad fratres, & filios meos. Ne claudas illos, sed auerte à me. transfer maternam pietatem à me, in meos. A me, quia iam assumptus ad Patrem, à Matre non debeo amplius tenere diligi. in meos autem conuerte, quos oportet, me ab illius assumpto, maternæ tuæ pietatis teneritudine confoueri: Non ergo tepescat materna pietas tua, non extinguatur, nec minuatur; sed à me in meos integrè transferatur. Illos iam tenerè, vt Mater dilige; me iam intuere vt sponsa, & Dilecta. In Cruce pro salute hominum agonizans, vnum tibi adoptaui Ioannem dicens: Mulier ecce filius tuus. Porrò cum triumpho resurrectionis ascendens ad Patrem, multos tibi, vice mei adoptaui, & reliqui filios: Mulier ecce filij tui, quos diligas, & piè confoueas. Sic auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt, hoc est, propter ipsos auolaui à te, vt auertas oculos illos tuos maternos à me, in meos transferres teneritudinem maternæ pietatis.* Paruit sine dubio dilectissimo suo filio, & in hodiernum vsque diem paret Virgo benignissima, illosque suos misericordes oculos à filio glorioso, nec eius ope, obsequioque amplius indigo, auertit quodammodo, & ad nos, materno prorsus affectu conuertit, eisque cor hoc nostrum sensuale ac carnale saucians emori facit, nouumque spirituale, ac purum impertitur, euenitque nobis quod papilioni, qui lumen lucernæ circumuolitans, seseque illius aspectu oblectans côburitur, in cineresque tandem, ad instar Phœnicis, vt nouus renascatur, redigitur. Vnde quisque nostrum sancta cum modestia dicere quoque potest Virgini: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Seu vt legit Rabbi Abenesra: *Quia ipsi abstulerunt mihi robur, & dominium meum.* Seu vt legit Nyssenus: *Ipsi mihi alas addiderunt.* Licet enim cor nostrum hoc carnale, ad instar papilionis potentissimo Dei Matris aspectu consumatur, nouum tamen ad instar Phœnicis excitabitur, eique nouas addet alas, quibus à terrenis, ad cœlestia subuehatur, vitaque quadam cælesti, ac beata, dum adhuc in hac mortalitate versatur, viuat, gaudiaque illa æuiternæ felicitatis degustet.

Christi pia solicitudo erga suos fideles, eos Matri commendando.

Christus Maternam erga se pietatē ad suos fideles trasferre cupit.

B.V. suis oculis pauriffimis cor nostrum sēsuale faucians, facit emori, & nouum spirituale impertitur.

B.V. aspectus cordi, nostro alas addit, vt ad cælestia subuehatur.

7. Quare Diuinissimis hiscé Deiparę oculis, vitam beatam cordibus nostris impertientibus inscriptionem illam, quam ingeniosus quispiam struthioni, aspectu suo pullos excludenti apposuit, longè potiori iure adaptare possemus: *Diuersa ab alijs virtute valemus.* Vel: *oculis vitam.* Verè enim Virgo nostra, pijssimis suis oculis, & vitam, & nouum cor, & omne bonum in animabus nostris parturit, adeo, vt & ipsa dicere possit potentiori cum affectu, quam Apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Verè dicere possunt ij, qui digni hoc Virgineorum luminum sunt aspectu, cum sponso: *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa.* Seu vt legere 70. Interpp. *Cor abstulisti nobis, seu; Ex cordiasti nos soror mea sponsa.* Quibus verbis filiæ Hierusalem fatentur se præ admiratione Diuinæ ipsius pulchritudinis tam interioris animæ, quam exterioris corporis, adeo obstupefactas, vt sibi corde, Spirituque vitali destitutæ, adeo immutatas, vt cor nouum, totumque spirituale accepisse viderentur. Vnde S. Gregor. Nyssenus legit Hom. 8. in Cant. *Cor indidisti nobis, seu cordificasti nos.* Quasi dicerent: dum nos vel vnico tuo conspicis oculo, cor nostrum carnale, ac sensuale ita saucias, ò Virgo purissima, vt illico emoriatur, nosque statim nouo corde donas, quo DEVM, diuinaque ardentissimè amamus, atque complectimur. Videturque Virgo hæc ita faciendo dicere nobis cum filio: *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, & faciā*

B.V oculi vitam impertiuntur.

B.V suo aspectu nobis cor nouum, & spirituale indit.

vt

vt in præceptis meis ambuletis. Ezech. 11. Atque ita oculus Virginis aufert à nobis cor terreum, ac inquinatum, sicque excordat nos quodammodo; donat vero nobis cor cęleste atque Diuinum, itaque nos cordificat; cũ corruptio vnius, generatio alterius esse consueuerit. Quod si hanc Nysseni lectionem sequamur: *Cor indidisti nobis*; dicere verè possumus; Virginem oculis suis nobis quoddam amore suo, ceu aureo charactere, ac minuto obsignatum indere. Scribit Anacreon de profanis Amantibus:

E qui solent inustum
Costis habere signum,
Parthique de tiaris
Plerumque noscitantur.
At intuentur amantes
Mox noscitantur à me.
Nam nescio quod omnes
Signum solent minutum
Inustum habere cordi.

Minutum hoc signum cordi quoq; nostro feliciter inuri à Deipara dixerim, cum pium, ardentemque in se affectum deuotionis nobis communico.

8. Quis igitur hiscé Virgineis oculis corde toto sauciari non expetat, atque exoptet? Quis in illam assiduè suos oculos intentos habere non desideret? Dicebat olim Iobus de huius mundi immundi Virginibus: *Pepigi fœdus cum oculis meis, & ne cogitarem quidem de Virgine; quam enim partem haberet in me DEVS desuper?* At verò de hac nostra aliter nos loqui oporteret, ac dicere: *Pepigi fœdus cum oculis meis vt tantum cogitem de Virgine, eamque assiduè intueare. Sic enim omnem partem habebit in me DEVS, meque vt partem hæreditatemque suam possidebit; aspectu enim huiusce Virginis in nouum, diuinumque hominem transformabor*. O' si affectum illum in nobis experiremur, quem olim ille habuisse memoratur, qui vt vultum, oculosque Virginis intueretur, suorum luminum dispendium incurrere non dubitauit. In huius pientissimum affectum pręclarè lusit noster Bidermannus lib. 1. Epig. 104.

Paciscendũ cum oculis nostris, vt semper de B. V. cogitent.

Pius affectus cuiusdam videndi pulchritudinem B. V.

Partheniam Iuuenis sic olim orasse Parentem
Dicitur, effusis ora rigatus aquis.
O' liceat Regina tuos mihi cernere vultus
Oraque cælitibus visa videre mihi!
Audijt illa; oculo, sed quo mea videris ora,
Ora dehinc hominum nulla videbis, ait.
Nam nitidæ conspectu semel miracula formæ,
Luminis amissi perpete nocte lues.
Ille simul noctem metuendam arcere, simulque
Pascere se visu Virginis ore volens.
Dextra tegatur ait, pateat fax læua. Videnti
Dextera si superest, læua punire potes.
Mox vbi partitos oculos in Virgine fixit,
Omnia sunt vno sydera visa loco.
Lunaque se Lunam, solem sol esse negauit
Virginis os, oculo, Lunaque, solque fuit.
Sed nequijt radios oculus perferre, diemque
Dum talem aspexit, perdidit ipse diem.
Nec tamen amissum doluit. Nam Virgine visa
Quod cuperet porrò cernere non habuit.

9. Non habuit, inquam, amplius, quod in hoc mundo pulchri, aut concupiscibilis intueretur, cum Virginem, omnis post DEVM pulchritudinis cõpendium, animatumque Diuinæ formæ speculum omnia mirificè venustantem ipsi licuit intueri. Virginea enim hæc pulchritudo, Diuinę quandam proprietatem habere videtur, vt nempe uisa, in videntem illam transfundat. Quod nobis insinuare visus est Apostolus cum de Diuinæ faciei visione, contemplationeque loquens beatificâ, pronunciauit: *Nos autem gloriam Dei speculantes in eãdem transformamur*. Quam ob causam quicũque spiritualis animæ suæ pulchritudinis est cupidus, Diuinam hanc Deiparæ Pulchritudinem assiduè ferat in oculis, eamque omni studio contempletur. Votorum mihi credat suorũ compos euadet. Mirum sanè est quod de Matrona quadam nobili scribit Christoph. Fonseca Tract. de Amore Dei cap. 41. Hæc Olysippone deformitatis erat tã enormis, vt eam omnes aspicientes detestarentur. ex quo in assidua viuebat amaritudine, ac tristitia. Hæc tandem S. Vincentio Ferrerio, cui erat addictissima sese commendans, adeo formosa euasit, vt pulchritudinis exquisitissimæ, in illa vrbe speculum extiterit. Vnde in hodiernum vsque diem mulieres in toto illo Regno huius sancti cultui, ac venerationi sunt addictissimæ. Quod si si sanctus hic pulchritudinem hanc corpoream ad instar flosculi marcescentẽ, sibi deuotis impertiri consueuit, quanto magis Sancta Sanctorum omnium sanctissima pulchritudinem suam, præsertim spiritualem æuiternum duraturam suis clientulis, plusquam illa speciosissima Iobi filia cõmunicabit? Quare iure merito Virgo nostra, vti pulcherrima illa Iobi filia, Cornustibij, seu arcula aurea omnis pulchritudinis, vel ipsam dumtaxat contemplantes venustatis, potest appellari.

B.V. Pulchritudo habet aliquid Diuinum, qui nempe intuentes pulchros faciat.

S. Vincentius fœminę cuidam deformissimæ impetrauit formam.

Molto magis B.V. impetrabit nobis formam spiritualem.

10. Quod

Nympha Amalthea B.V. adumbrata.

10. Quod si iuxta 70. Interpp. versionem nomen *Cornustibij* legamus: Cornu Amaltheæ, intelligimus Deiparam alteram profectò quandam esse Nympham Amaltheam, non fabulosum illum, turpissimumque Iouem, verum Altitonantem Dei Filium in splendoribus Sanctorum ante sæcula, ex fœcunda memoria æterni Patris genitum, lacte suo purissimo nutrientem. Cuius Vbera Virginea, purissimo lacte, nectare, ambrosiaque longè preciosiori turgentia idem Dei, ipsiusque admiratus Filius in illud prorupit elogium Cant. 4. v. 10. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ. Soror mea Sponsa! pulchriora sunt vbera tua vino.* Seu vt legere 70. *Quam pulchra facta sunt vbera tua Sponsa, quam pulchra facta sunt vbera tua à vino*. Vbi aptè dicitur, *facta sunt pulchra*, quia licet etiam naturâ suâ, vtpote mulierum pulcherrimæ, pulcherrima extiterint, lactatâ tamen increatâ illâ Pulchritudine per essentiam, ipso decore, ac pulchritudine Dei nostri, ipso IESV Dei Filio, pulchriora longè euaserunt. Et quid ni euasissent? Siquidem speciosum præ filijs hominum, candidum, & rubicundum, electum ex millibus, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, nutrire meruerunt? Pulchritudinem hanc, infinitâque cælestium gratiarum, bonorumque copiam Virgini ob nutritionem hanc Dei filij diuinitus veluti quandam Cornucopiam communicatam admiratus Guilelmus Abbas dum illud attentius trutinaret elogium, pronunciauit: *Non simpliciter pulchræ sunt ait, sed quasi cum admiratione: Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, id est, quam gratæ sunt oculis Patris, quæ Filium vnicum pauerunt! Quam pulchræ sunt, quæ lacte singulariter candido tumuerunt? Nam lac illud singulariter candidum, quia Virgineum. Quid negas, ô stulta mundi sapientia partum Virgineum? DEVS nascebatur. Et quid item negas lac Virgineum? DEVS pascebatur. Non voluit DEVS in Salutem hominum corporaliter nasci, nisi partu Virgineo, nec decuit eum pasci, nisi lacte Virgineo. Nec minùs habet miraculi pectus Virginis lactescens, quam venter partu grandescens. Propter hoc Filio Virginis non tantum dictum est: Beatus venter qui te portauit, sed & adiunctum est: Et vbera quæ suxisti. Et quidem pulchræ sunt mammæ Virginum, quia Virgineæ, sed dum Virgineæ, sunt, latescere nesciunt. Ideo simpliciter pulchræ sunt, sed illis dici non potest: Quam pulchræ sunt, quia miraculosa non est earum pulchritudo, vti Virginis nostræ, sed merè naturalis. At B. Mariæ Mammæ non tantùm Virgineæ fuerunt, sed etiam ad singulare miraculum lacte Virgineo tumuerunt, ideo cum admiratione gratulatoria vult dici: Quam pulchræ sunt mammæ tuæ! Plane specie, & pulchritudine sua sanctos Angelos oblectabant, cum ab eis penderet speciosus forma, præ filijs hominum, Dominus Angelorum, minoratus paulo minus ab Angelis, propter similitudinem carnis peccati. Tunc erant eius vbera pulchriora vino; Vino, inquam, illo quod germinat Virgines, ipsamque Virginitatem, vtique propter meracissimam puritatem; quid enim Virginali puritate meracius? Hoc Vino Vbera Mariæ priusquam Mater esset, plena erant, sed vbi salua Virginitate Mater facta est, non plena tantum vino, sed etiam pulchriora vino eius vbera facta sunt. Quia non tantum Virginea, sed etiam lacte Virgineo tumida extiterunt. Vbera habere Virginea, cum multis illi Virginibus est, & fuit commune. Sed singulare illi est, & erit Virginea Vbera lacte Virgineo post partum tumentia habere, sicut & illud quod sequitur. Et odor vnguentorum eius super omnia aromata. Nempe vnguentorum quibus fragrabant Vbera eius. Vt Vbera sic vnguenta hæc duo fuerunt. Vnum vnguentum diuinæ dignitatis, quo Filius Dei Vbera Matris vngebat; alterum verò Maternæ deuotionis, quo pia Mater vbera sua liniebat. His vnguentis quid sanctius, quid fragrantius? Norunt ea optima esse, qui experti quam suauia sint, Filio dicunt: Beatus venter qui te portauit, & Vbera quæ suxisti. Quotquot in Ecclesia sunt hoc dicunt, quia tota domus Ecclesiæ impleta ex odore vnguentorum horum, de quorum effusione in Vbera piæ Matris nemo murmurat, vt de effusione nardi in caput, & pedes Saluatoris; potius omnes catholici eo nomine gloriantur, & piæ Matri congratulantur.* Hæc pijssimus Virginis cultor Guilelmus, ex quibus sanè colligimus, quantâ, quamque ingenti Deipara nostra bonorum omnium spiritualium, virtutumque refertissima à Deo donata fuerit Cornucopiâ, quod Dei Filium suis vberibus purissimis lactare digna habita fuerit; ex qua lactatione mirifica, tanta interioris hominis, dotata fuit pulchritudine, vt etiam in exteriorem, adeoque in ipsa Vbera redundaret, quibus infinita illa per essentiam Pulchritudo alita, ea sugendo, deque venustate, decoreque suo Diuino, illis communicãdo, extremum, absolutissimumque pulchritudinis omnis Matri suæ addidit ornamentum. Vnde quid mirũ ea tãta, tãque cælesti exuberasse fragrantia, vt omniũ cælitũ aromata perfectiones videlicet, superarit?

B.V. vberibus pulchra ob lactatum Dei filium.

Vbera B.V. lactatam increata illa Pulchritudinu quid mirum si pulchra facta sint.

B.V ob lactatum Dei filium Cornucopia bonorum omniũ donata.

Admiranda sunt Vbera B.V.

B.V. mamillæ non tantũ Virgineæ sunt, sed etiã lacte Virgineo turgentes.

B.V. Mamillæ Angelos oblectabant, cum ab eis pendebat Dominus Angelorum.

B.V. Vbera cur pulchriora vino germinante Virgines dicantur.

Vnguenta Vberum B.V. quam fragrantia?

11. Videamus modo singillatim hanc bonorum virtutumque copiam, quâ hoc Amaltheæ cælitus demissum cornu redundauit. In primis certum est, Theologicis virtutibus fide, spe; ac charitate exuberasse Deiparam. Et quia licet subinde clara Dei visione ad tempus in corpore hoc mortali frueretur, fuit tamen viatrix, & per fidem, quæ est omnis sanctitatis fundamentum, ambulauit, rectè docent Theologi cum Franc. Suarez Tom.2. in 3. Par. Disput. 19. serm. 1. eam perfectissima prædictam fuisse fide, è primo suæ Conceptionis, sanctificationisque instanti, & longè perfectiori, quam vel Angeli, vel Adam in sua primâ sanctificatione habuerint, eâque omnes Apostolos, ac Theologos omnes, qui in Dei Ecclesia fuerunt, superasse, non solum ex parte subiecti, in quo fuit valdè intensa, & prorsus certa, omnem motum etiam primo primum dubitationis excludens, verumetiam ex parte obiecti, quia per illam distinctissimè credidit Mysteria illa eminentissima sacrosanctæ Triados, Incarnationis, reliquaque omnia, quæ ad Diuinitatẽ, & humanitatem Christi pertinent. Vnde Abulensis Parad. 1. ca. 31. ait ob hãc fidei perfectionem vocari Virginem à SS. Augustino, & Bernardo, *Matrem credentium*. Hinc B. Albertus Magnus Trac. super Missus loquens de Virgine: *Fidem*, inquit, *habuit, in excellentissimo gradu, quæ tam immensæ rei sibi promissæ fidem adhibuit, quę etiam discipulis dubitantibus non dubitauit, quæ omnia possibilia esse credenti certissima fuit; De primo horum dicitur Luc. 1. Beata, quæ credidisti, perficienter in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. De secundo dicitur Iob 19. Pelli meæ, consumptis carnibus adhæsit os meum; consumptis enim carnibus, id est, mollibus discipulorum cordibus per dubitationem, adhæsit os, solidum cor Virginis gloriosæ, pelli extensæ in Cruce per fidem.* Sic ille. Fide hæc Virginis in hyeme passionis Dominicę in suo semper virore, vigoreque perstitit. Vnde Sapiens Idiota eam oliuæ semper vernanti contulit in Contempl. de B. V. cap. 3. *Sicut viror pacificæ oliuæ delectat oculum corporis, sic fides tua, quæ pacem inter DEVM, & hominem reperit, delectat oculum mentis.* Fidem hanc Virginis adeo sublimem ac eminentem iure S. Bernar. ser. 2. de Natiu. Domini, cælo comparauit: *Neque indignum videtur si cælorum Regnum fidei Mariæ comparetur, qua & reparatur; consentiente enim Virgine, ac credente Gabrieli Archangelo Incarnationem Dei filij annuncianti, Angelorum ruinæ in cælis reparatæ sunt.* Quam ob causam merito S. Hildephonsus ser. 3. de Assumpt. eam signaculum fidei vocitauit: *Quæso vos*, inquiens, *filij imitamini signaculum fidei vestrę M. Beatam, quam velut ignis ferrum Spiritus S. totam decoxit, incanduit, & igniuit.* Proclus orat. 6. *Ipsa*, inquit, *est orthodoxæ fidei expressa Imago.* S. Cyrillus Alex. Hom. cõtra Nestorium in Concilio Florentino habita Reginam fidei agnoscit, Dum eam sceptrum Orthodoxæ fidei appellat.

Virtutes Theologicæ B.V. abunde communicatæ.

Fides B. V. quam perfecta.

B.V. ob excellentem fidem dicitur Mater credentium.

B.V. Fides longè excellentior quã Discipulorũ Christi.

Fides B.V. cælorum Regno comparatur.

Fide B. V. quam præstitit Angelorũ cælorũ ruinę reparatę sũt.

B.V. signaculum fidei nostræ.

B.V. Orthodoxæ fidei expressa Imago, & Regina.

12. Et verò hanc Sanctæ fidei eminentiam, ac perfectionem excellentissimam habere Deiparam omnino necessarium fuit. Tum quia habuit omne donum, omnemque perfectionem sanctificantis gratiæ, quæ Angelis, vel hominibus communicata est, imo longè excellentiori etiam modo; tota autem hæc perfectio fidei ad dona gratiæ sanctificantis pertinet. Tum quia in eadem Virgine, in omni genere virtutis fuit eximia sanctitas. cum ergo fides fundamentum huius sit sanctitatis, infundi certè debuit in tantæ sanctitatis debitâ proportione, ac proinde illam perfectissimam esse oportuit. Tum quia cum nullus inordinatus motus in aliqua virginis potentiâ extiterit, nullum sanè dubitationis impulsum, motumué eam pati oportuit, sed perfectissimè mysteria omnia fidei nostræ præ cæteris Apostolis, sanctisque omnibus, qui ab initio Ecclesiæ extitere, penetrasse. Vnde S. Anselm. lib. de Excell. B.V. c. 7. *Licet*, inquit, *ipsi Apostoli per reuelationem Spiritus S. edocti fuerint in omnẽ veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in se non solum simplici scientiâ, sed ipso effectu, ipso experimẽto didicerat.* Vnde Rupertus Abb. eam *Apostolorum Magistram*; Idiota, *Magistram Magistrorum*. S. Martyr Ignat. Ep. 1. *nostrę Religionis Magistram*. S. Bern. serm. 4. super Missus iuxta sui Nominis Ethymologiam, *Illuminatricem Euangelistarum*. Sanctus deniq; Ambrosius de Inst. Virg. cap. 7. *Aulam cælestium sacramentorum appellat*. Hanc denique ob causam in eius laudem canitur ab Ecclesia, iubeturque gaudere, quod in vniuerso mundo hæreses omnes interemerit. Quia videlicet tanquam Auroram veram lucem, so-

In B. V. fuit eximia fides, quia fuit in eadẽ eximia sanctitas, cũ fides illius sit fundamentum.

B.V. Illuminatrix Euangelistarum.

lemque iustitiæ illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum generauit, errorumque omnium caliginem fugauit, & peculiari modo cunctis fidei propugnatoribus assistit, eisque opitulatur. Sapientiâ suâ illos illuminando, charitate accendendo, vt sese fortiter hæreticorum infidelium que conatibus opponant, eorumque sceleratissimos impetus, etiam cum proprij sanguinis, vitæque profusione, summâ fortitudine, animique constantiâ euertant.

B. V. fidei propugnatoribus assistit, eosque contra infideles roborat.

13. Fidem hanc Deiparæ perfectissimam ostendit in passione filij, dum iuxta eius Crucem staret intrepida. Vnde S. Antoninus Par. 4. Tit. 15. cap. 41. §. 1. *Stabat*, inquit, *B. V. Maria iuxta Crucem sanctitate, fide eleuata, quam de Christi diuinitate fixam retinuit, expectans indubiè tertia die illius Resurrectionem. Vnde dicitur maris stella à stando, & lumen fidei mundo naufrago retinendo. In eius fidei signum in triduano Hebdomadæ Sanctæ officio, candela illa reliquis extinctis, remanet accensa. Hanc etiam ob causam S. Mater Ecclesia agnoscens in sola Virgine fidem die Sabbatho à passione proximo remansisse inconcussam, idem Sabbathum eius honori consecrauit, vt testatur Abulensis, & alij, quos ipse citat quæst. 14. Præf. in Matt.* Qua de re præclarè S. Bernard. Tractat. de Pass. Domini cap. 2. *Passionis tempore omnes relicto eo fugerunt, sola, quæ benedicta est in mulieribus, per illud triste Sabbathum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola. Propter quod aptissimè S. Ecclesia in laudem, & gloriam eiusdem Virginis diem Sabbathi per totius Anni curriculum celebrare consueuit;* Idem asserit S. Bonaue. in 3. dist. 3. art. 2. q. 3 ad 2. reddens rationem cur Sabbathum Virgini fuerit dedicatum: *Quoniam*, inquit, *discipulis dubitantibus, in Virgine ea die remansit fides Ecclesiæ solida, & inconcussa.*

B. V. dicitur stella à stando, quod in morte Christi firma in fide Christi constiterit.

Cur candela in triduo Hebdomadæ S. reliquis extinctis non extinguatur.

Sabbatum B. V. Sacrum, quia in fide firma perstitit.

14. Quod si Virgo gloriam hanc, perfectissimâ suâ fide, ac inconcussa, illo die se natâ promeruit, quid quæso sentiendum de illo actu fidei, quo Angelo filij Dei Conceptionem, eius in vtero peragendam nuncianti credidit, eaque sese disposuit, vt ad eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem eueheretur? Sane S. Bern. Senensis To. 2. serm 51 art. 3. cap 20. asserit Virginem actu illo fidei, quo sese disposuit, ac de congruo meruit, vt esse Mater Dei plus meruisse quam promeriti sunt omnes Angeli, & sancti in omnibus suis actibus, quia vt explicat Suar. Tomo 2. in 3. Par. Disput. 12. serm. 4. eo actu meruit saltem de congruo eam dignitatem, cui tanquam præuia dispositio, excellentior gratia imò infinita quodammodo debebatur. *Quia*, vt inquit, idem Pater Seraph. To. 1. ser. 61. art. 1. cap. 12. *Oportuit fœminam eleuari ad quandam æqualitatem Diuinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum.* Sed ipsius Sancti Patris verba priori loco citati, de Virgineæ huius fidei merito infinito quodammodo, audiamus: *Si quis considerat ad tantum mysterium finalem Virginei consensus terminum; clarè intelliget, quod omnis dignitas, & perfectio inclusa in hoc quod est esse Matrem Dei, tam mente, quam carne comprehendatur in eo, quod quidem transcendit in merito in infinitum, quicquid aliud sub Deo homine cogitari, vel dici potest. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus, oportet, quod meritoria perfectio huius consensu fuerit perfectioni sui termini pariter proportionata. Ex his igitur colligi potest, Virginem Beatam in Conceptionis filij Dei consensus plus meruisse, quam omnes creaturas tam Angelos, quam homines, in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus suis. Nempe omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varias status, & gradus gloriam sempiternam. Hæc autem Virgo in illo admirando consensu meruit totalem fomitis extinctionem, Dominium, & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum Spiritus, cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, Spiritus Prophetiæ, discretiones Spirituum, operationes virtutum. Meruit fœcunditatem in Virginitate, Maternitatem Filij Dei, Meruit, quod stella maris, Porta cœli, & super omnia quod Regina misericordiæ nuncupetur, ac talis nominis consequatur effectum, Vnde merito Prou. 31. de ipsa Salomon ait: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas* Hæc Bern. ex quibus sanè colligimus gloriosissimam Virginem nostram, ob tantam bonorum cælestium abundantiam, ac copiam, quam præclarissimæ suæ fidei merito consecuta est, iure aureum quoddam Amaltheæ Cornu, ipsamque Cornucopiam posse appellari.

Per actum fidei consentiendo in Incarnationem B. V. de congruo meruit Diuinam Maternitatē.

B. V. consensu in Incarnationem quanta præmerita fuerit.

B. V. consensu suo in Incarnationem meruit vt Regina misericordiæ appelletur.

15. De hoc fidei suæ premio, donisque ineffabilibus sibi Diuinitus largissimè communicatis visa est gloriari Deipara cum dixit: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Cant. 6. Quæ verba expendens

dens Guilelmus Abbas, sic Virginem loquentem, fideique suæ merita, quæ in assensu Angeli consequuta est, extollētem introducit: *Dilectus meus à solio Patris diuina dignatione declinauit in Hortum suum, vterum meum. Nulli hoc Sacramentum æquè innotuit, vt mihi, nulli tantum contulit, quantum mihi. Ego dilecto meo ex carne mea dedi carnis substantiam, & dilectus meus mihi refudit singularem inter homines gloriam. Nēpe ad cumulum gloriæ mihi quod sibi non tantum de me, sed & à me carnem sumere dignatus est. Sumpsit enim de Adam vnde formauit Euam, sed non ab Adam. Non enim Adam de se dedit, quod illi nescienti, & dormienti detractum est. Porrò de me nesciente, & non consentiente carnem sumere noluit, sed quod sumeret de me per fidelem, hilaremque consensum dare voluit. Atque ideo Angelum, qui me ad fidem mulceret dignanter prouideque præmisit. Denique hilariter dedi, quod de me dignanter sumeret, ipsa vtique dignatione sua fidei meæ deuotionem amplè remunerans. Quid enim insignius, præclariusque conferre mihi potuit, quam vt Mater Verbi fierem, & hoc tam excellenter, vt non tantum de me, sed & à me in vsum redemptionis humanæ, carnem sumere dignaretur? Et hoc ipsum ad quantam gloriam mihi suo tempore reuelandam? Itaque ego dilecto meo ex me dedi corpus humilitatis, & Dilectus meus mihi tribuit culmen excellētissimæ dignitatis. eadem mensura, qua ego mensa sum Dilecto meo, Dilectus meus remensus est mihi, quia diuina sua dignatione Fidei meę, desiderioque respondit, & adiecit plurimum, quia dignanter accipiens mea carnalia, copiosè mihi refudit sua spiritualia. Plane mensuram bonam, & coagitatam, & confertam, & supereffluentem honoris, & gratię dedit, dabitque in sinum meum, pro eo quod illi incarnando, prompta, hilarique fide, aperui vterum meum. Sic ego Dilecto meo, & dilectus meus mihi, ille qui pascitur inter lilia mea. Inter lilia, inquam, vitam, videlicet, ipsius virtutibus, velut lilijs ornatam, munditiaque carnis, ac Spiritus renitentem Filius pascebatur.* Hæc Guilelmus, quibus insignis sane fides Deiparæ demonstratur, quę tot præmijs cælitus affici promerita fuit.

B.V. quod Christo cōmunicauerit ex carne sua substantiam, ipse ei refudit singularem inter homines gloriam.

Quantopere Christus fidem B.V. remuneratus fuerit?

B.V. Christus mensura bonam, & supereffluētem honoris, & gratiæ dedit quod hilari fide in Incarnationem consenserit.

16. Pari ratione asserendum est Dei Matrem spei virtute omnibus numeris absolutissimâ fuisse præditam. Cùm enim illa in primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti sanctificata fuerit, vt viatrix, non modo fidem, verumetiam spem perfectissimam perfectissimę illi sanctitati proportionatam, ipsorumque Angelorum, & Protoplastorum quam longissimè excedentem illam habere oportuit. Imo idem Franc. Suar. Tom. 2. in 3. Part. Disp. 4. sect. 8. docet Deiparam per propriam dispositionem elicitorum actuum fidei, spei, & charitatis fuisse sanctificatam, habitūque gratiæ, ac charitatis meruisse. Cum enim in instāti Conceptionis acceleratus ei fuerit rationis vsus, DEVM sine dubio cognouit, in eum credidit, in eum spem suam defixit, in eum denique, vt summum, æternumque bonum vehementissimo voluntatis affectu impulsa, velut sagitta electa tetendit, eumque amplexa est, vnde ad instar dilectissimæ sponsæ Diuinæ gratiæ, donorumque Spiritus Sancti monilibus decorari meruit.

Spes B.V. perfectissima.

B.V. per proprium actū fidei, spei, & charitatis sanctificata.

17. Et hæc sane dispositio ad Diuinæ gratiæ, charitatisque habitum recipiendum decebat Virginem in Dei Matrem iam electam. Siquidem Doctor Angelicus 3. Part. Q. 34. art. 3. affirmat Sanctificari per proprium actum esse modum perfectiorem, qui sane Virgini denegandus non est. Cum nemo sanctificari, absque libero consensu nisi per accidens ob impotentiam vtendi ratione, vt contingit in Infantibus, consueuerit; sentiendum igitur omnino Virginem actibus fidei, spei, charitatisque diuinâ gratiâ actuali eam præueniente, sese ad amicitiam ineundam cum cælesti sponso disposuisse, vt sic in hoc matrimonio spirituali ex vtraque parte liber consensus interueniret. Vnde his rationibus persuasi Theologi tā Angelos, quam Protoplastos per propriam dispositionem sanctificatos, imo & Præcursorem ipsum asseruerunt. Hoc enim ipsius illud gaudium, hoc exultatio, quæ actus amoris, ac complacentiæ de præsentiâ Creatoris fuit, indicabat. Quam sine dubio spes illum videndi, eiusque conspectu, amplexuque fruendi excitauit. Idem potiori iure omnino sentiendum de Virgine. Quicquid enim alicui Sanctorum cælitus donatum est, id Virgini nullo modo denegari oportuit. Cum ille sanctificationis modus, vti loquitur Suarez, magis sit accommodatus Viatoribus ratione vtentibus, & omnibus pensatis, ad maiorem perfectionem pertineat. Nam qui se ad gratiam disponit, quodammodo se sanctificat, & cum Diuino auxilio, est sibi aliquo modo causa gratiæ, quod maioris perfectionis est, quam ex habitu infuso primum actum elicere, vel solum ex auxilio.

Sanctificari per propriū actum est modus perfectior, qui B.V. conueniebat.

B.V. proprijs actibus fidei, spei, & charitatis ad amicitiam cum Deo ineundam se disposuit.

Angeli, & Protoplasti, & Ioannes Bapt. per proprium actū se disposuerunt ad sanctitatem.

xilio. Et sane cum Virgo Deipara Diuinam Naturam, vti prima Parte abundè comprobatum, in omnibus propemodum suis actibus, prout assequi humanâ imbecillitate poterat, æmulata sit; credibile quoque est in hac semetipsam Sanctificandi actione eandem imitari, aliquo modo voluisse.

Charitas B. V. perfectissima.

18. Quid iam de ardentissima Virginis nostræ in DEVM dicemus charitate? De hac sane loquitur Sponsus Cant. 8. *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio. Lampades eius lampades ignis, atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Tanto enim Virgo in Dei Filium, summque ferebatur, amore, vt is ad instar mortis eam ab omni mundi, rerumque caducarum separaret affectu, cogeretque vniuersum, in suum transferre creatorem; Idem eius amor siue æmulatio, Zelusque diuini honoris, ac gloriæ tantus extitit, vt ad instar Inferni nunquam expleretur, sed maiores in dies conatus viresque ad diuinam amplificandam gloriam exereret. Eiusdem dilectionis lampades, facesque erant, ad instar ignis semper ad superna tendentis, atque euolãtis, vnde legere alij: *Alæ eius, alæ ignis.* Quare vehementissimum hunc Diuinæ charitatis ignem multæ tribulationum ac præsertim Iudaicarum persecutionum, quas totius vitæ decursu tolerauit, aquæ, nunquam extinguere, neque dolorum in Passione Filij exãtlatorum flumina eam obruere potuerũt. Sed quasi per antiperistasim in grandiores flammarum globos vorticesque candem conuerterunt. Hinc D. Bern. serm. de verb. Apoc. dixit Virginem Martyrem, ac plusquam Martyrem extitisse per ardentissimæ charitatis, compassionisque affectum, dolorisque gladio iuxta Simeonis Prophetiam fuisse transuerberatam: Lanceamque illam, qua latus IESV confossum fuit, cor Virginis sauciasse. *Et quidem postea quã emisit Spiritum tuus ille IESVS*, inquit ille, *ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (: nec mortuo parcens, cui nocere non posset:) aperuit latus, sed tuam vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plusquam Martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excessit compassionis affectus.* Et paucis interpositis; *Si enim ille mori corpore potuit, Maria commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit; fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.*

[Margin: B V. Amor in Deũ fortis vt mors quia ipsum ab omni mundi affectu separabat.]

[Margin: Zelus Diuini honoris in B V. velut Infernus qui nunquam expletur.]

[Margin: Flumina dolorũ in passione Filij B. V. charitatis ignẽ extinguere non potuerunt.]

[Margin: B.V. Christo per charitatem corde fuit commortua.]

19. Ob hunc vehementissimæ, ardentissimæque charitatis affectum quo cor eius æstuabat præclarè pronunciauit B. Iustinianus: *Cor Virginis factum est Dominicæ passionis speculum.* Et S. Bonauẽtura eam sẽsit cum Crucifixo Filio crucifixam, cum mortuo mortuam, omniaque vulnera in corpore illo Sanctissimo Filij dispersa, in Matris collecta. Sãctus denique Bernard. Senensis tantum dolorem ex morte filij expertam ait, vt si in creaturas sensus capaces dolori se esset dispertitus, omnes omnino fuissent interituræ. Quam ob rem idem iam memoratus Bernardus, vt Virgineæ huius charitatis, qua moriente filio fuit compassa, effectaque plusquam Martyr, eminentiam præstantiamque indicaret, eam stellam inter illas 12. in Diademate Virgineo refulgentes, vocitauit.

[Margin: B.V. dolor ex Passione filij fuit tantus vt si in creaturas fuisset partitus, mox fuissent morituræ.]

20. Et verò si charitatem hanc Virginis in dilectissimum filium siue naturalem, siue supernaturalem consideremus, omnium profecto creaturarum est longè excellentissima. De illa præclarè idem S. Bern. Senensis Tom. 3. serm. 1. de Nom. Mar. art. 1. cap. 2. *Similitudo*, inquit, *& propinquitas est causa naturalis amoris.* Vnde Eccl. 13. *Omne animal diligit sibi simile; profecto inter Filium, & quamcunque aliam Matrem tanta propinquitas, & similitudo non fuit, quia Christus totus fuit de sola substantia Matris, igitur inter nullos tanta dilectio.* De supernaturali verò amore idẽ Pater Seraphicus ser. 2. de Nom. Mar. ar. 1. cap. 3. sic loquitur: *In Christo fuerunt omnes conditiones, propter quas Mater amat Filium, & habuit eas in summo. Erat quippe Dominus IESVS, præ cæteris omnibus potentior, sapientior, generosior, formosior, atque melior, quæ omnia sacris ibidem comprobata literis videre licet.*

[Margin: Similitudo, & propinquitas est causa amoris.]

[Margin: Christus totus fuit ex sola substantia Matris efformatus.]

[Margin: In Christo fuerunt omnes conditiones, ob quas Mater diligit filiũ, &c.]

21. Et quia eodem supernaturalis charitatis actu diligimus DEVM, & proximum, vt docet S. Thom. 22. qu. 25. art 1. eodem amore in filium ferebatur Virgo, qua homo erat sibi proximus de ipsius substantia, sanctissimam assumẽdo humanitatem, quo ferebatur in DEVM, eoque ardentius eum diligebat, quod nosceret Humanitatẽ illam, Diuino supposito, ac Personalitate subsistẽtem, cui perinde ac ipsi Deo, omnis cultus

[Margin: B.V. eodem amore Christum diligebat qua DEVS, & qua homo erat.]

cultus latriæ, amorque summus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, viribusque omnibus debebatur. Quare præclarè S. pronunciauit Anselmus lib. de Excell. B.V. cap. 4. *Superat ergo omnes omnium rerum creaturum amores, & dulcedines, magnitudo amoris ipsius Virginis in Filiũ suum, & dulcedinis immensitas, qua exultabat, & liquefiebat anima eius in eundem Dominum DEVM suum*. Et paucis interiectis: *Quo, vel quali gaudio replebatur tota substantia eius, quando eum, quem tantopere diligebat, quem Creatorem, & Dominatorem rerum omnium esse sciebat, secum agentem, secum edentem, se quæcumque nosse volebat dulci affatu docentem haberet, quis caperet?* Sic Anselmus.

Amor B V. in Filium omnium Matrũ amores superauit.

22. Et quoniam Virgo benignissima fideles omnes nobilissima filij dilectissimi velut capitis membra esse nouerat, eodem amoris propensissimo in ipsos ferebatur affectu, eorumque salutẽ, profectumque in virtutibus, zelans atque exoptans, eos velut filios nutrire, atque educare pietatis lacte cupiebat: Ipsius nimirum sunt verba illa zelo animarum, charitateque plenissima Cant. 7. v. 22. *Mane surgamus ad vineas. Videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala Punica, ibi dabo tibi vbera mea*. Quam inuitationem pietate plenissimam attentius libratam à Guilelmo Abbate vide aqud Delrium in Cantica, cuius etiam nos alibi meminimus. Ex his profecto, amorem planè Maternum, eumque ardentissimum Virginis tam erga filium, quam in proximos omnes cuiuscumque tandem gentis depræhendimus, quo, ve uti quodam Amalthea cornu, sicut & reliquis virtutibus Theologicis fuit refertissima.

B V. fideles vt mẽbra filii eodem amoris actu diligebat.

23. Quid iam de virtutibus dicemus Cardinalibus quibus similiter supremum Numen animum eius, vt illud idem Amaltheæ cornu summâ cum perfectione locupletauit? Harum virtutum in ipsa demirans pulchritudinem, atque præstantiam sponsus, insigne illud de ipsa celebrauit elogium. Cant. versic. 3. *Pulchra es amica mea suauis, & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata*. Quibus in verbis non modo eius insignem charitatem, qua amica Dei constituitur, spiritualemque pulchritudinem, verumetiam iustitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, quâ veluti Cornucopia referta fuit, idem cõmendatam reperit pijssimus in Virginem Guilelmus. Vnde ea accuratius expendens: *Vox, inquit, est Dilecti alloquentis dilectam. Vox inquam pij IESV blandè alloquentis, leniterque mulcentis piam Matrem. Quippe nec assumptus in cælum, sedensque ad dextram Patri dulcissimus eam filius deserebat, sed ei iugiter à dextris, & à sinistris assistens, diuino quodam secretoque susurrio intus cum materna conscientia disserebat. Et quidem ipsa circa nouam eius plebem pia solicitudine satagens, nunc cum sodalibus eius, idest, cum nouitijs fidei sacra, & ædificatoria foris miscebat colloquia. Interea illi intus à filio dicebatur verbum absconditum, & quasi furtiuè suscipiebat, aure interiori venas susurri eius, & gaudebat propter vocem sponsi dicentis: Pulchra es amica mea. Amicam appellat, more solito familiariter blandiens, atque eximiam dilectionem, quam in eum illa flagrabat præclarè commẽdans. Pulchrum dicit, & suauem, & decoram, & terribilem; quatuor sane cardinalibus virtutibus, quibus benè viuitur, illam excellenter pollere insinuans. Pulchram dicit propter iustitiam; suauem propter prudentiam; decoram propter temperantiam, terribilem propter fortitudinem. Pulchra, inquam, dicitur propter virtutem Iustitiæ, quæ nimirum animę pulchritudo est, ea namque pulcher, & gratus est animus oculis Maiestatis, sicut propter iniustitiam deformis, & fœdus. Suauis dicitur propter virtutem Prudentię, quæ nimirum non tãtum sapienter, sed & suauiter, & tanto suauius, quanto sapientius operatur. Vnde sapientiæ specialis, & præcipua laus est, quod disponat omnia suauiter. Decora dicitur propter virtutem Temperantiæ, quæ castigat animę simul, & carnis motus indecores, quantum per illam est anima decora, idest, immunis à dedecore carnalium voluptatum, tantum sine illa est indecora, & plena dedecore, & turpiter diffluens.*

Terribilis dicitur propter virtutem fortitudinis, quæ dum hostiles impetus constanter tolerat, hostilem audaciam potenter frenat, iuxta illud Iacobi 4. Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. Et ne quis virtutes hasce Cardinales in Virgine extitisse, sicut olim in sapientibus, Heroibus, atque Heroinis huius sæculi, addit virtutes has esse similes ijs, quæ sunt in Ciuibus cælestis Hierusalem, charitate Diuina formatis atque perfectis. Dicitur porrò, inquit, non simpliciter, sed sicut Ierusalem pulchra, suauis, & decora, & nihilominus terribilis, vt castrorum, & cet. ad illam distinctionem animarum, quæ pulchræ, suaues, & decoræ sunt, sicut Babylon, quæ dicitur quoque vt Hierusalem pulchra, suauis, & decora.

Nam sicut ista Ciuitas Dei, ita & illa Ciuitas sæculi habet prudentiam suam, fortitudinem suam, temperantiam, & iustitiam suam; & à Ciui-

In B.V. virtutes Cardinales summa cum perfectione.

Christus ascendens in cælum, & ad dexterã Patris sedens Matrem non deseruit, sed ei à dextris, & sinistris semper adstitit.

Pulchra B V. dicitur ob Iustitiã, suauis ob prudentiam, decora, ob tẽperantiam, terribilis ob fortitudinẽ.

In B.V. virtutes Cardinales non sunt sicut in huius sæculi Heroibus, sed sicut in cęli Ciuibus.

Ciuibus Babylonis naturalis plerumque æquitas custoditur, & ab ipsa naturali æquitate ductis legibus viuitur; siue metu ipsarum legum pœnas transgressoribus intentantium, siue appetitu gloriæ popularis; siue respectu cuiusdam non ad suum finem, idest, Christum relatæ, & ob hoc falsæ honestatis. Sed quia tam naturalis, quam datæ legis finis ad iustitiam Christus est, constat quod hæc Babylonica iustitia vera iustitia dici non debeat. Plerumq; etiã, iuxta sententiam Veritatis, filij huius sæculi prudentiores inueniuntur filijs lucis in generatione sua Luc. 16. Id est Filij Babylonis, filijs Ierusalem. Habent & illi quandam prudentiam suam, habẽt etiam quandam temperantiam suam, nam & huiusmodi plerumque inueniuntur temperanter viuentes, & quodammodo crucifigentes carnem cum vitijs, & concupiscentijs, siue ob popularem fauorem, siue etiam contemplatione falsæ cuiusdam, & vt ita dicam, inhonestæ honestatis. Ecce huiusmodi animæ pulchræ, suaues, & decoræ sunt, sed sicut Babylon, & ob hoc veraciter tales non sunt. Qui illæ ipsæ virtutes Babylonicæ eo ipso virtutes veræ non sunt, qui Babylonicę sunt, idest, non ad suum finem relatæ. Nam virtutes Babylonis, & virtutes Ierusalem, non officijs, sed finibus distinguuntur. Vtrisque eadem fiunt, sed propter aliud, & aliud fiunt. Vt ergo Dilectus demonstraret piam Matrem, non Babylonicè, sed verè iustam, prudentem, & temperantem esse, dixit eam esse pulchram, suauem & decoram, sicut Ierusalem, & vt ostenderet illam veraciter fortem, dixit esse terribilem, vt castrorum aciem ordinatam. Qui fortiter agit, sed non propter DEVM, is tali fortitudine non fit hosti terribilis, sed potius amabilis, cui concordat peregrino fine actionis, quamuis ipsa actione ei resistere videatur, sicque resistendo non victum, territumque compellit in fugam, sed potius ita se illi turpiter subiicit. Veram enim fortitudinem, qua fugat hostem, animamque illi facit terribilem, comparat aciei castrorum ordinatæ, qua in rebus humanis nihil est terribilius. Talem Propheta in sua oratione insinuans; *Fortitudinem*, inquit, *meam ad te custodiam. Quasi dicat, tu dator es fortitudinis, & idcirco ad te, tanquam ad debitum finem fortitudinem meam alligabo, propter te scilicet, & non propter aliud fortiter agens, atque ita resistens Diabolo, vt victus à me fugiat*.

Quid sit Babylonica iustitia?

Virtutes, quę non sunt relatæ ad finem suũ, qui est Christus, Babylonicæ vocantur.

Christus vt ostenderet piam Matrẽ non Babylonicè, sed verè iustã, prudentem, temperantẽ esse, dixit esse pulchram sicut Ierusalem.

Qui fortiter agit, & non propter Deum, is nõ est hosti terribilis sicut fuit B.V.

Fortitudo ad Deum custodienda.

24. Vt porro ostendat Sponsus vnde Virgo Mater tantam fortitudinem deriuarit, vt Tartareis hostibus totique Inferno reddita sit, ad instar Angelicarum legionum formidabilis, mox subtenectit: *Porrò cùm Mater mensis, cum genueris terribilem, & eum qui aufert Spiritum Principum, ipsa quoque terribilis es Principibus tenebrarum, vt castrorum acies ordinata. Sane Angeli per Ierusalem, quæ Visio pacis interpretatur, aptè signantur, quoniam verò foras mittuntur, propter eos qui hereditatem capiunt salutis, per castrorum aciem ordinatam figurantur. Sibi sunt Ierusalem, nobis autem castrorum acies ordinata. Vnde Iacob obuiam habens Angelos in eius adiutorium mittebantur: Castra, inquit, Dei sunt hęc: Gen. 32. 2. Nobis Sancti Angeli sunt castrorum acies ordinata, id est, ad spirituale prælium contra aereas potestates pro defensione hominum præparata. Nam, vt ait Apostolus Eph. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates, aduersus Principes tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia. Quomodo autem nos caro, & sanguis possemus contra illos, nisi nostram infirmitatem castra Dei circumdarent? Vnde Eliseus ad conspectum hostium puero trepidanti: Noli, ait, timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis 4. Reg. 6. 16. cumque orante Elisæo aperuisset Dominus oculos pueri, vidit montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi. Nimirum hęc erant castra Dei, Angelicus ille exercitus ordinatus contrarijs potestatibus, pro defensione hominum semper oppositus. Tam terribilia sunt hęc castra Dei, castris aduersariorum, vt nulla ex parte irrumpere audeant, nisi quantum occultę rationis dispensatione sinuntur. Dilectus igitur, vt piam Matrem demonstret cunctis malignis spiritibus vehementer terribilem, dixit eam terribilem vt castrorum aciem ordinatam. Q. D. Quia te sciunt aereę Potestates esse Matrem meam, Matrem triumphatoris, & spoliatoris sui, cuius est signum in frontibus piorum depictum, verentur te Matrem terribilis, & eius qui aufert Spiritum Principum, id est, destruit superbiam malignorum Spirituum, tu quoque illis terribilis facta es, & non mediocriter, sed sicut est illis terribilis Angelicus exercitus ad coercendos eos, ne supra modum homines infestent diuinitus ordinatus.* Hæc Guil. de Virtutibus Cardinalibus earundemque absolutissima perfectione, Angelicam longè multis parasangis superante, quibus illa velut gemmis, monilibusque preciosissimis exornata gratissima Spõso, velut celerrimis quadrigis inuecta, in cælos euolauit. Præclarè enim D. Hieron. Epist. ad Nepotianum: Vis scire quales Dominus quæratornatus? *Habete prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem, his cęli plagis includere; hęc te quadriga velut aurigam Christo ad metam concita ferat; nihil hoc Monili preciosius, nihil hac*

Angeli per castrorum aciem bene ordinatam figurantur.

Homo sine adiutorio Angelorum aereis Potestatibus non potest resistere.

Angeli sunt castra Dei.

Quia aereę Potestates sciunt B. V. Matrem esse triumphatoris Inferni, ideo est illis terribilis.

Virtutes Cardinales sunt quadrigæ, quibus in cælum vehimur.

Virtutes sũt nobis ornamento, & tutamini.

hac gemmarum varietate distinctius. Ex omni parte decoraris, cingeris, atque protegeris, & ornamento tibi sunt, & tutamini, gemmę vertuntur in Scuta. Sic Hieron.

B. V. virtutibus Moralibus exornata.

B.V. pulchra facta etiam virtutũ moralium ornamento.

25. Quid iam de Deiparæ nostræ Virtutibus dicemus Moralibus, quibus illa veluti Cornucopia quædam aurea fuit refertissima? Certè idem Guilel. ait eisdem exornatam, à sponso eodem illo decorari promeritam encomio: *Amplius pulchra es, inquit ille, per conuersationis munditiam, suauis per animi clementiam, decora per castitatis singulare decus sicut Ierusalem illa cælestis, quæ est in Angelis. quippe inter homines viuis Angelicè, & in carne adhuc moribunda, cælesti præluces castitate.* Hinc eam S. Damasc. libr. 4. de fid. Orth. cap. 18. Virtutum omnium domicilium effectam, vel cum in Templo tremula Domino deseruiret, pronunciauit. Videtur sane Virgini huic dixisse Spiritus S. illud Baruc 5. v. 2. *Circumdabit te Dominus diploide iustitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni. DEVS enim ostendet splendorem suum in te omni, qui sub cælo est.* Verè enim vniuersorum Creator à primo Conceptionis immaculatę huius Virginis momento animam illam sanctissimam diploide, duplici videlicet cyclade iustitiæ, seu collectione virtutum, tam hominum sanctorum, qui ab initio mundi fuerunt, eruntque vsque ad eiusdem cõsummationem, quam omnium cælestiũ Hierarchiarum circumdedit, eiusdemque sacrosancti vertici mitram honoris æterni imposuit, dum illam Diuina Maternitate, ceu aureo Diademate variarum virtutum pyropis, siue stellis decorato circumdedit. Verè enim Diuæ Maternitatis eminentissimam dignitatem, Coronam stellarum 13. quam in Capite Virginis Aquila illa Euangelica contemplata est, appellare possumus.

B. V. diploide iustitię in Concept sua circumdata, virtutibus nempe elum Angelorum, hominumq; Sanctorum.

Diuina Maternitas est Corona 13. stellarum in capite B.V.

Quemadmodum enim illa ex radiantibus cęli syderibus conflata, supremam in corpore Virgineo sedem occupat, ita Diuina Maternitas virtutes cælitum omnes complectens, præ cæteris priuilegijs, atque prærogatiuis locum in Virgine sibi vindicat principalem, eminentiorique splendore relucescit. Diuina enim Maternitas cum Dei filium in se recludat, & ille, vt canit Synesius, suâ pulchritudine Patrem coronet, sequitur Matrem quoque ipsam eadem Coronâ coronari, eamque Diuinâ planè luce radiare, esse denique Virgineo eius vertici verissimam Mitrã honoris æterni. Hinc S. Amadeus Episcopus Hom. 6. *Corona,* inquit, *Capitis eius Christus est, dicente sapientissimo Prou. 13. 12. quod filius sapiens corona sit Matri suæ. Et quis sapientior illo, qui Patris est sapientia?* Idem Hom. 7. stellas hasce tam Theologicarum, quam Moralium virtutum in Virgine Matre, velut in Coronâ quadam pulcherrimâ totâ eius facie promicantes considerãs sic loquitur: *Denique Virgo Mater omnium in se charismatum commercia deferebat. Prima namque visione scintillans sacri amoris ignibus proximorum pectora suauiter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, honestatem venustabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem virginitatis, serenabat nouale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, & præferens indicium veritatis.* De ipsius porrò zelo diuini honoris, charitatisque in proximos ardore, quo assiduè æstuabat, hæc attexit: *Splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardescẽs à facie eius. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos confoueret, iuuaret proximos, concremaret inimicos.* Hæc Amad. Verè denique virtutibus hisce tam diuinis ostẽdit Dominus vt ait Baruc virtutum splendorem suum mortalibus, qui sub cælo sũt: in illa eius anima, veluti purissimo speculo splendore inquam attributorum, perfectionumque suarum, virtutum deniq; omnium viuam spirantemque imaginem repræsentauit.

Diuina Maternitas omnium Cælitũ virtutes cõprehendit.

Sicut filius Dei sua pulchritudine Patrem coronat, ita coronat etiam Matrem.

Filius Dei est Matri Mitra honoris æterni.

In B.V. omnia charismata replendebant.

Ignis exardescens à facie B.V. prodibat, imo fluuius igneus ad vrendos hostes, & amicos confouendos.

26. Hæc nimirum est Regina illa potentissima, de qua canebat Dauid. Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate;* vbi per vestitum deauratum charitas inter virtutes eminentissima nobis indicatur, sicut per varietatem, omnigena multiplexque virtus designatur. Vnde S. Cyrill. lib. 1. de ad orat. in Spiritu: *In deaurato quidem vestitu virtutis honor, atque nobilitas, in varietatis autem nomine, multipacitas optimè significatur.* Atque ista tot tãque varijs virtutibus exornata Virgo nostra, quodam quasi Regio, aureoque virtutum ceu pulcherrimorum florum varietate contexto paludamento, videbatur amicta, ita vt non solum supremo Regi, verumetiam omnibus cælestis Curiæ ciuibus gratiosa, & amabilis appareret, earumque in se prouocaret aspectus, tantarumque virtutum præstãtiam mirarentur. De harum virtutum perfectione Angelus in suo ser. 14. sic loquitur S. Brigittæ: *Et quia voluntas Virginis in nulla*

Vestitus deauratus B. V. est ipsius Charitas.

In B. V. mira virtutum varietas, qua velut pulcherrimo paludamento circundata.

B.V. Deus ad omnium virtutum culmen exaltauit.

nulla bonitate vnquam defecit, idcirco DEVS, à qua bona cuncta procedunt in omnium virtutum culmine ipsam sublimissimè exaltauit, omniumque virtutum nitore, ipsum splendidissimè rutilare fecit. Hinc Richardus à S. Laur. libr. 10. de laud. B.V. Ornatum Tabernaculi fœderis conferens cum Deiparæ virtutum ornamentis: *Gloriosa virgo fuit*, inquit, *ornata, & distincta omnium pulchritudine virtutum. Vnde de ea dicitur: Circumamicta varietatibus.*

In B. V. cum gratijs, & virtutibus ipsa ss. Trinitas habitauit.

27. Hanc porrò gratiarum, virtutumque omnium plenitudinem, ac cornucopiam concessam Virgini, vt melius intelligamus recolenda est communis Theologorum sententia grauissimè asserentium, quod cum infusis habitibus gratiæ, charitatis, donis Spiritus Sancti, alijsque virtutibus, quæ iustificatis à Deo ter Opt. Max. manu largissimâ communicantur, cum eisdem etiam ipsa Diuinitas, ipsa substantialis Sanctitas atque adeo ipsa bonorum omnium plenitudo, augustissima Trinitas, domicilium suum figat in homine, ita vt homo ex puluere, lutoque compositus, & quasi casa lutea ac fœnea, Templum tantæ Maiestatis efficiatur. Ita docet S. Bonauent. in primam Sent. Dist. 14. art. 2. Q. 1. qua tota ostendit Spiritum S. non tantum in effectu, sed etiam in propria persona quasi donum increatum iustis dari, vt sit eorum perfecta possessio. Idem sensit Magister sententiarum lib. 1. Dist. 14. & 15. idque probat ex S. Augustino, & alijs. Hunc sequuntur Doctor Subtilis, Gabriel, Marsilius. Hinc Doctor Angelicus 1. P. Q. 43. art. 3. & 6. & Q. 38. art. 8. ostendit Spiritus S. Nomen esse Donū, quia ipse donatur omnibus Iustis; dum nimirum nobis sua dona impertiens semetipsum quoque tanquam substantiale ac personale Donum, nobis liberalissimè donat. Eisdem sanctissimi Doctoris vestigijs insistunt ipsius Discipuli, doctissimique nostri Theologi Vasquez, Valenzia, ac in primis Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 5. num. 11. 12. qui inde infert quod Spiritus S. nouo modo secundum substantiam suam incipiat præsens esse in anima iusti, quo ante non erat: Sententiamque hanc adeo luculentam censet, ac certam, vt contrarium dicere cum eodem D. Thoma arbitretur errorem. *Quia*, inquit, *dona gratiæ vi sua, & iure quodam connaturali postulant, realem, ac personalem præsentiam Dei in anima per talia dona sanctificata, quia si per impossibile fingamus, Spiritum S. non esse alias realiter præsentem intra animam, eo ipso quod anima talibus donis afficeretur, ipsemet Spiritus S. veniret ad eam per præsentiam personalem, & maneret quandiu gratia illa duraret eo modo*, inquit, *quo Verbum præsens est humanitati Christi, vt si per impossibile ante non fuisset illi præsens, iam per Vnionem hypostaticam illi fieret personaliter, & intimè præsens.*

Spiritus sanctus non solum in effectu, sed etiā in persona datur iustis.

Spiritus S. & donum, quia ipse donatur omnibus tāquam Donū personale.

Spiritus S in anima iusti nouo modo esse incipit cum gratiā suam largitur.

S. Thomas censet eos, qui dicunt Spiritum S. cum suis donis nō aduenire in anima iusti committere errorem.

Accedit quod cum per gratiam fiat perfectissima inter DEVM, hominemque amicitia, quę postulat præsentiam amici, puta Spiritus S. & Diuinitatis, sequitur animę summa cum eo eleuatio, & quędam quasi deificatio, ac consequenter adopsio perfectissima, ac Diuinissima, scilicet non tantum per gratiam, sed & per substantiam Diuinam; Quod agnoscens S. Basil. Hom. de Spiritu S. ait Sanctos propter inhabitantem Spiritum S. esse DEVS, dictum enim illis est à Deo. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes;* indeque probat Spiritum S. esse DEVM: *Necesse est enim*, inquiens, *Diuinum esse Spiritum, & ex Deo esse, qui Dijs Diuinitatis est causa.* Atque ita sicut prioris adoptionis, quæ fit per gratiam, causa formalis est ipsa gratia, ita huius secundæ adoptionis, quæ fit per communicationem ipsius Spiritus S. causa formalis est ipse Spiritus S. animam Iusti inhabitans: Medium verò, dispositio, ac vinculum est ipsa gratia. Sicut Vnio personalis est medium, ac vinculum, quo humanitas vnitur Verbo; illo duntaxat cum discrimine, quod Vnio hypostatica in Christo non sit qualitas, sed Modus substantialis. Sine verò in adoptione nostra, sit qualitas supernaturalis, ac perfectissima, gratia nempe, & charitas, quæ naturâ suâ poscit hanc personalem Spiritus S. ac consequenter reliquarum duarum Personarum, ob vnitatem essentiæ augustissimam præsentiam. Quæ sanè homini summam felicitatem, cumulumque bonorum omnium afferat necesse est; cum DEVM fontem inexhaustum, Oceanum immēsum omnis bonitatis, virtutis, ac perfectionis possideat.

Spiritus S. est Deus, quia eos quos inhabitat facit Deos.

Duplex in Iusto adoptio, altera per gratiam, altera per cōmunicationē ipsius Spiritus S.

Gratia, & charitas natura sua poscit personalem præsentiam Spiritus S. & totius Trinitatis.

28. Quod si hæc Diuinitatis, atque ipsius Diuinissimi Spiritus, reliquarumque Personarum in anima hominis Sācti, & iusti, gratiâ sanctificante, charitate, reliquisque donis cælestibus exornata, inhabitatio, adeo *in bonis replet desiderium eius, eamque coronat in misericordia, & miserationibus*, vt hic nil terreni amplius,

plius, præter DEVM concupiscat, & dicere cum Dauide possit: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, cor meum, DEVS cordis mei, & pars mea DEVS in æternum*: quanta, DEVS immortalis, Animam illam Virginis innocentissimam, ac Sanctissimam, speculũ omnis puritatis nitidissimum, gratiarum omnium copiâ redundasse censendum, quę gratiam illi primigeniam aliaque Spiritus S. charismata, à primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti, in dies, in horas, in momenta singula feruentioris charitatis intensioribus semper elicitis actibus, maioribus semper augere studuit incrementis? quæ Diuinum illud Verbum bonorum compendium in vtero suo nouem mensibus gestauit, eique carnem suam purissimam, sanguinem, visceraque ita communicauit, vt B. Petrus Card. Dam. serm. 1. De Natiu. B. V. postquam dixisset tribus modis DEVM inesse creaturis, mox attexuerit: *quarto modo inest vni creaturę, videlicet Matri Virgini identitate, quia idem est quod illa*; nempe identitate carnis; cum Filius, teste Aristotele, sit pars Matris, & idem cum Matre, vt sæpius supra diximus.

B V. ab instanti Concept. suæ plena gratia, eãdẽ intensioribus charitatis actibus auxit.

Deus in B. V. inest identitate, quia idẽ est cum illa identitate carnis.

29. Diuinitati porrò adeo vnitam fuisse dixit idem Dam. vt eâ circumamicta videretur. Vnde cum eam solio illi grandis Regis Salomonis aureo, atque eburneo contulisset, quod *ipse vestiuit auro fuluo nimis*; hæc subintulit: Aurum omnibus metallis preciosius, intellige Diuinitatem Dei omni præeminẽtem mundo, omnia gubernantem. Hac vestita est, ac superuestita Mater Altissimi, totamque Virginem, tota illa indiuisibilis Natura, largiori gratiâ superfudit. Quam admirabilem Verbi Diuinissimi vnionem cum Virgine, & vt DEVS, & vt homo est, vbi considerasset attentius, admiratione perculsus: tantorumque bonorum, gratiarum, donorumque cælestium copiam eidem Virgini communicatam eloqui non valẽs, & sibi, & alijs indicere, digito ad os admoto, silentium non dubitauit: *Hic taceat*, inquiens, *& contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis, ac dignationis immensitatem*. Taceamus igitur & nos, & tantam bonorum omnium, gratiarum, ac charismatum plenitudinem, in Virginem gloriosissimam, velut immensum quẽdam Oceanum effusam, descriptamque ab alijs Sanctis Patribus attentè consideremus; & reuera Deiparæ donorum cælestium à Deo ter Opt. Max. tanquam Dilectissimæ Matri, ac Nutrici, Cornucopiam longè abundantiorem ac copiosiorem, quam Amaltheæ absque vlla comparatione impertitam fuisse animaduertemus.

B.V. vnita Diuinitati.

Ineffabiles gratiæ B. V. communicatæ sunt.

30. Hic in primis Sanctus est audiendus Antoninus Florentinorum Archiepiscopus, qui Part. 4. Tit. 15. cap. 14. §. 7. sic loquitur: *In V. Maria non solum reperiuntur Dei perfectiones, omnipotentia, clementia, Fortitudo, longanimitas, misericordia, prouidentia, sed etiam hominum Sanctorũ. Abel deuotio, Enoch contemplatio, Noe credulitas, Abrahæ fidelitas, Isaac patientia, Iacob prudentia, Ioseph castitas, Moysis charitas, & reliquæ virtutes omnes Sanctorum, tam Veteris, quam noui testamenti*, quas fusè idem Sanctus sequitur. Quam ob causam crediderim eam etiam castrorum aciei ordinatæ comparatam, quod tam illustrium, multorumque Heroum virtutes complexa, eorum omnium personas repræsentare, Tartareisque phalangibus adeo formidabilis videretur.

In B V. omnes sanctorũ virtutes tam veteris, quã noui Testamenti.

31. Has tam eximias virtutes sanctorum omnium in Virgine summa cum perfectione comprehensas agnoscens Seraphicus Doctor S. Bonau. ser. 1. de B.V. *Domina nostra*, inquit, *omnibus gratijs fuit plena, in nullo dono, alicui Sancto concesso penitus diminuta, quia non solum fuit plena, sed & superplena*. Quid hac Cornucopia plenius, quid abundantius? Hinc B. Petrus Card. Dam. serm. 3. de Natiu. nullum prorsus Sanctorum ordinem huic potentissimæ cælorum Reginæ sinebat comparari. Cum enim ineffabiles eius prædicasset esse laudes, mox attexuit: *Et quid mirum si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exsuperat, cum & ipsam generis humani naturam, excellentiam meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarũ numerus, non Iudex Apostolorum Senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum, huic Beatissimæ Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitię, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratię charismate plena fuit? Sic namque ab Angelo cum salutaretur, audiuit: Aue gratia plena Dominus tecum. Quod rogo vitium in eius mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum, quę ad instar cęli plenitudinis totius Diuinitatis meruit*

Nullus Sanctorum Ordo B. V. conferendus in sanctitate, & gratia.

B.V. ad instar cæli plenitudinis totius Diuinitatis fuit sacrariũ.

esse Sacrarium. In Christo enim sicut, inquit Apostolus Col. 3. habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Nec mirum si cunctorum merita transcendat mortalium, quę & ipsam super excedit celsitudinem Angelorum. Hactenus Damianus.

B.V. ipsam excedit celsitudinē Angelorum.

32. Quis quæso ex hiscè, alijsque quam plurimis Sanctorum Patrum sententijs non intelligat Deiparam Virginem sacratissimam, aureum Amaltheæ Cornu, ipsumque Cornucopiam esse virtutibus meritisque Angelorum, Sanctorumque omnium velut dulcissimis vberrimisque fructibus refertissimam? Agnouit idem S. Antoninus, & B. Albertus Magnus, S. Bonauentura, & alij Deiparam esse gratiarum omnium ac Virtutum cunctorum Cælitum Cornu Amaltheæ cum eam Mare quoddam immensam, in quod flumina cælestiū charismatum influxere, vocitauit: Hinc verba illa Moysis: *Congregationes aquarum appellauit Maria.* Gen. 2. Virgini applicuere: Vnde S. Antoninus 4. Part. Tit. 15. cap. 4. §. 2. *Congregatis igitur omnibus gratijs Sanctorum in vnum locum, scilicet in animam Virginis, appellauit eam Mariam quasi mare gratiarum. Omnia enim flumina in mare intrant ait Eccles. 1. hoc est, omnes gratiæ in Mariam, & mare non redundat in aliquam scilicet superbiam. Vnde, & ipsam Aridam ab omni videlicet concupiscentia, vocauit terram, ob summam eius humilitatem.*

B.V. est mare quoddam gratiarum.

Audiendus hic quoque Doctor Seraph. in spec. c. 3. *Maria,* inquit, *est Mare, per affluentem Spiritus S. repletionem, & affluentiam, copiamque gratiarum. de illa scriptum est: Omnia flumina intrant in mare. Flumina sunt charismata Spiritus Sancti. Vnde Ioan. 7. Qui credit, inquit, in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in Mariam. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam. & flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam. Et flumen gratię Apostolorum intrat in Mariam. Flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam. Flumen gratiæ Confessorum intrat in Mariam. Flumē denique gratiæ Virginum intrat in Mariam. Omnia flumina intrant in mare, idest, omnes gratiæ intrant in Mariam. Vnde optimè ipsa dicere potest: In me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Quid ergo mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? Ait enim B. Augustinus: Gratia es plena Maria, quam apud Dominum inuenisti, & hanc per totum mundum effundere meruisti.* Sic ille.

M. est Mare per affluentē Spiritus S. repletionē.

Flumina gratiarum omnium Angelorum, ac sāctorum ingressa in B. V.

Gratia plena fuit B.V. & hanc per totum mundū effundere merita est.

33. Idem cap. 7. in eodem specul. Agnouit Virginem, omnibus virtutibus Sanctorum refectissimam quandam esse Cornucopiam, dum nos ad eius perfectiones contemplandas hiscé verbis inuitat: *Consideremus quomodo Maria fuit plena perfectione vniuersalis Ecclesiæ. Diuersas, & mirificas perfectiones, & gratias, in diuersis sanctis suis habuit, & habet Ecclesia, in quorum plenitudine videtur detenta fuisse Maria, vt verè possit dicere: In plenitudine Sanctorum detentio mea. Eccl. 24. Reuera in plenitudine Sanctorum Mariæ detentio fuit, dum in mirificâ perfectione suâ, plenitudo perfectionis sanctorum sibi non defuit, vti B. Bernardus declarat: Merito, inquiens, in plenitudine sanctorum detentio eius, cui nec defuit fides Patriarcharum, Spiritus Prophetarum, Zelus Apostolorum, constantia Martyrum, Sobrietas, Confessorum, Castitas Virginum, fœcunditas coniugatorum, imò nec puritas Angelorum. Apud eos denique, qui pleni sunt sanctitate, non autem apud eos, qui pleni sunt iniquitate Maria libenter est.*

B V. plena perfectione vniuersalis Ecclesiæ.

Plenitudo perfectionis sanctorum B. V. non defuit.

Apud eos, qui pleni sūt sanctitate M. libenter est.

34. De hac Virginali gratiarum plenitudine, deque eius perfectione idem S. Doctor ser. 3. de B. V. *Plenitudo gratiæ est plenitudo supereminentiæ, qua aliquid dicitur cæteris supereminere. Et hæc plenitudo, fuit in beatissima Dei Matre, quæ omnia dona, quæ alij Sancti acceperunt in parte, ipsa omnino habuit in plenitudine. Nam sicut in capite sunt omnes sensus, sed in alijs partibus corporis tantum est sensus tactus: sic Domina nostra omnia habuit Dei dona, quæ in sanctis alijs sunt diuisa. Vnde dicit: In plenitudine sanctorum detentio mea. Et est sensus: totum teneo in plenitudine, quod alij sancti tenent in parte.*

In M. sunt omnes gratiæ, sicut in capite omnes sensus.

35. Agnouerunt, & hi gloriosissimam Deiparam virtutum, meritorumque omnium refertissimam Cornucopiam, qui encomium illud Salomonis; *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Prou 31. ipsi attribuere non dubitarunt. Vnde S. Bernardinus Senen. To. 2. ser. 3. de B. Virgine ostendere volens, eam præ cæteris sanctis fuisse Sapientissimam, rerumque diuinarum peritissimam, sic loquitur: *Maria Virgo Sanctissima, quæ Saluatorem genuit, peperit, & aluit, quæ iugiter eius adhæsit lateri, quę comes indiuidua nullo fere abfuit itinere, quę intenta præ cæteris inuigilauit verbo, & operi eius, sola Saluatoris actuum insignia opera, magnifica prędicationis genera, inaudita*

B V. in diuinis Spiritualibus supergressa sāctos vniuersos.

B. V præ cæteris sanctis longè sapiētissima.

contra

contra mundum, & peccatum, & Tartareum Zabulum diuinæ seueritatis acerrima eloquia, quod eis diu interfuit, specialius vidit, secretius audiuit, citius agnouit, propensius retinuit, & Apostolis alijsque discipulis locupletius edidit, diligentius retulit, melius indidit, fidelius tradidit. Hinc est, quod de ea legitur in Euangelio: Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Hinc in eius laudibus legitur: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Licet enim in parabolis loqueretur ad turbas, licet Apostolis omnia nota faceret, vt amicis, quædam tamen credendum est præ cæteris Matrem suam, quemadmodum dilexisse, ita etiam propensius erudisse, quędam ei secretius intimasse; frequenter eam ad montem myrrhæ, & collem thuris sublimasse, in cellam vinariam occultasse, sui prout nouit & voluit, gloriam deificam, & super cælestem reuelasse notitiam. Vnde Ioann. Apoc. 4. de Throno, ait, procedebant fulgura, voces, & tonitrua, quia Mater filij IESV Christi parabolas, ęnigmata legalia, & mirifica gesta, dicta, opera auidius ebibit, fidelius credidit, syncerius luculentiusque alijs edidit. Hactenus Bern.

Christus præ cæteris Apostolis Matrē in mysterijs cælestibus erudiuit.

B. V. Thronus Christi.

36. Agnouit supra memoratus S. Bonau. in spec. ca. 2. Deiparam Cornu fuisse Amaltheæ virtutibus refertissimū, eisdemque tam Angelos, quam sanctos omnes, supergressam, dum doceret illam à Væ multitudinis Infernalium liberam fuisse tormentorum, refertamque omnium cælestium copia bonorū: *O' quam longè*, inquiens, *ab isto Væ multitudinis tormētorum fuit in Maria multitudo meritorum, ac præmiorum, cui contra multa damnatorum mala in Inferna, iam DEVS præparauit multa bona in cælo, ita vt nullus Angelus, nullus sanctorum ei æquari possit in multitudine, & congregatione bonorum cælestium, iuxta illud: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Si filias istas intelligamus sanctas animas, vel intelligentias Angelicas, nunquid non supergressa est diuitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum, & Angelorum? Cum ipsa sit primitiua Virginum, speculum Confessorum, Rosa Martyrum, Registrū Apostolorum, Oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, Regina Angelorum? Quid enim illi de diuitijs horum omnium defuit? Siquidem ait Hieronymus: Mariam si diligentius aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris, & glorię, quod in ea non resplendeat.* Idem S. Doctor eodem in spec. cap. 8. dum probaret Dominum illum esse cum Virgine, cuius omnia sunt propria cælum, terra, omnia corporalia, & spiritualia, omnis natura, & omnis gratia, omnis cælestis gloria, Dominum in quam illum, de quo Apostolus: *Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocāt illum;* mox docuit ditissimam quoque cū tam locupleti Domino euasisse Virginem, omniumque bonorum copiâ abūdantem: *Ecce*, inquiens, *Maria quantus Dominus est, quam opulentissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus opulentissimus opulentissimè est tecum, ideo tu opulentissima & ditissima secum es. Ita vt verè illud tibi dici possit: Multę filię congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Filia Agnes, Filia Lucia, Filia Cęcilia, Filia Agatha, Filia Catharina, & multæ alię Filię, multę alię virgines sanctę, multę animę iustę congregauerunt diuitias virtutum, & gratiarum, diuitias meritorum, & præmiorum, sed Maria vniuersis diuitijs supergressa es excellentissimè vniuersas. O' quam diues est Maria in gloria, quam diues fuit in miseria! O' quam diues est in cælo, quam diues fuit in mundo! O' quam diues est in anima sua, quę tam diues fuit in carne sua, vt B. Bernardus exclamans dicat: O' diues in omnes, & super omnes Maria, de cuius substantia modica pars assumpta, totius mundi suffecit soluere delicta.* Dominus ergo tecum ô Maria opulentissima.

M. multitudine meritorum, ac præmiorum in cælo omnes Angelos, ac Sanctos superat.

B. V. Rosa Martyrum.

B. V. ditissima in virtutibus ac bonis omnibus, quia opulētissimus Dominus, cum ipsa fuit.

M. vniuersas Virgines sanctas diuitijs supergressa.

37. Agnouit Richardus à S. Laur. lib. 4. de laud. B. V. Deiparam abundantiâ virtutum velut Cornucopiam extitisse. Dum enim verba illa Salomonis expenderet, sic loquitur; *Per hoc quod Salomon ponit tempus pręteritum; Congregauerunt, videtur intellexisse sanctas mulieres veteris testamenti, quibus ipsa figuratur, quæ diuersis virtutibus claruerunt. Commendatur enim Sara, à fidelitate; Hebr. 11. Fide, & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit. Sed Maria est fidelior Sarâ, quę de promisso dubitauit; ipsa verò minimè, cui dicitur. Luc. 1. Beata, quæ credidisti; nunquam enim Maria de promissione Angeli hæsitauit. Commendatur Rebecca à formę elegantia ac speciositate; vocatur enim. Gen. 24. Virgo pulcherrima. Sed Maria est speciosior longè, cūm sit speciosior sole. Sap. 7. Rachel ab amabilitate: Gen. 29. Quam dilexit Iacob. Sed Maria est longè amabilior, in qua consummatus est amor ille, per quem antiqua odia reuocata sunt. Propter hoc in Canticis tam sæpè vocatur Dilecta. Lia à fœcunditate. Sed Maria longè fœcundior, quia etsi non nisi vnum genuit, tamen in illo vno, salutem omnium generauit. Ipse saluum fecit populum à peccatis eorum. Debora à Sapientia. Vnde erat Prophetis, & populum iudicabat*

B. V. vniuersas mulieres veteris testamenti virtutibus superauit.

Rebecca, & Rachele B. V. pulchrior, & amabilior.

B. V. Lia fœcūdior, quia licet vnicum generauerit, cum illo tamen salutem multorum peperit.

B. V. Debora sapientior.

Iud. 4. Sed Maria Sapientior, quæ in domum ipsius Sapientiæ ædificata est. Prou. 9. Esther ab humilitate, & mundanæ gloriæ detestatione. Vnde dicebat Domino Est. 14. Tu scis quod abominer signum superbiæ. Sed Maria multo humilior, cuius humilitatem respexit DEVS, & per eam veterem Diaboli superbiam deiecit.

B. V. Iuditha fortior, quæ caput serpẽtis contriuit.

Iudith commendatur à fortitudine, qua occidit Holofernem. Sed Maria est longe fortior, quia caput antiqui serpentis contriuit: Ipsa conteret caput tuum. Gen. 3. Propter hæc omnia, aliaque quam plurima ei dicitur: Benedicta tu inter mulieres, id est super omnes mulieres, vt glossat Hieronymus. De suarum diuitiarum multitudine ipsa gloriatur Prou. 8. Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia. Quasi dicat, se diligere, sibique deseruire contemnentibus; Si amor meus non monet vos, ad quærendum, & diligendum me, saltem moueat vos cupiditas, quia mecum sunt diuitiæ, & gloria, id est, diuitiæ gloriosæ, quæ scilicet faciunt possessores suos gloriosos. Denique multæ filiæ, idest Virtutes Angelicæ, & animæ sanctæ congregauerunt diuersarum virtutum diuitias, operum bonorum, meritorum, ac præmiorum, tu discretiuè supergressa es vniuersas, excellentia humilitatis, & Virginitate fœcunditatis, & fœcunditate Virginitatis. Virginitas enim non exclusit in te fœcunditatem, nec fœcunditas Virginitatem violauit. Verè enim tibi dixit Sponsus; Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Siquidem licet Spina flores suos proferat, lilio tamen non est comparabilis. Omnis autem homo Spina, cui terra corporis sui, & ipsa conscientia spinas germinat, & tribulos, exceptâ Virgine gloriosâ. Dicitur denique Maria vniuersas Filias supergressa, quia vt dicit B. Hieron. Cæteris per partes data est gratia, Mariæ verò se totam effudit gratiæ plenitudo. Quod si reliquæ filiæ fuere bonis operibus plenæ, pauperibus multa impendendo, atque erogando de externa substantia. At Maria non solùm pauperibus, sed ipsi Dei Filio, de quo illud specialiter exponitur: Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem Ps. 40 omnia misericordiæ opera de substantia impendebat implens illud Prou. 3 Honora Dominum de tua substantia, & ideo est super omnes benedicta, bonisque operibus omnes filias Sion est supergressa. Sic Richar.

Si quis ad seruiendum B. V. amore, nõ mouetur, moueatur cupiditate, quia cũ illa sunt diuitiæ, & gloria, etc.

B. V. ipsi Dei Filio opera misericordiæ corporalia impendit.

38. Agnouit denique Pelbartus lib. 6. Stellarij 1. art. 1. art. 3. Deiparam gloriosissimam auream quandam esse Cornucopiam, gratiarum omnium bonis refertissimam, quæ ille ad 12. capita reuocat, ex eisque, veluti stellis, pulcherrimam Coronam ei contexit; nobis quatuor duntaxat hic, breuitatis amore memoraſſe sufficiat. De hac igitur gratiarum copia sic ille loquitur: *Decreuit DEVS ab æterno sublimare Beatam suam Genitricem, præcipuè 12. admirandis gratijs, vel bonis supernaturalibus ad numerum 12. stellarum in Corona eius capitis fulgentium, quibus eam ab ortu, vsque ad finem vitæ suæ incipiendo, mirabiliter perfecit, ac sublimauit. Harum gratiarum primus quaternarius respicit eius gratiæ sublimitatem. Præcipua itaque stella, seu bonum gratiæ admirabilis benedictæ Virginis est, quod DEVS omnibus donis Spiritus S. eam repleuit, Sapientia scilicet, intellectu, consilio, fortitudine, scientia, pietate, & timore Domini secundum vaticinium Isa. cap. 11. quæ dona siquidem super florem Christum requieuerunt, requieuerunt, quoque super hanc Virgam Virginem, de quo suauissimus ille flos, mortales omnes recreans, pullulauit. Altera stella, quod omnes virtutes, & gratias Sanctorum generales, ac speciales DEVS illi, summa cum excellentia infudit, vt verè dicere possset: In plenitudine Sanctorum detentio mea Eccl. 24 Taceat ergo Esther de sua nobilitate; Susanna de sua castitate: Ruth de iustitia; Debora de sua prudentia; Rachel de sua pulchritudine; Iudith de sua fortitudine, quia Maria supergressa est vniuersas. Tertia stella Virgineum verticem coronans, quod summam illam gratiam DEVS Mariæ præstitit, à qua omnis creatura vacua fuit, & qua maiorem pura creatura capere non potuit, esse scilicet Matrem Dei, quæ est singularis, & summa gratia, quæ puræ creaturæ communicari potuit. Hinc Ansel. de Conceptu Virg. cap. 18. Quid excellentius Mariæ DEVS dare valeret, quam quod in perpetua Virginitate manens, DEVM de sua carne carnem factum generaret? Quanta denique Stella Virginẽ mirificè illustrans est, quod illi DEVS summum puritatis, donum contulit. Vnde idem Anselmus: Decuit vt conceptio illius hominis ex Matre fieret purissima, quæ tanta puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi, cui DEVS Pater suum Vnigenitum, quem de corde suo genuit æqualem sibi ita dare disponebat, vt esset vnus idemque Dei Virginis Filius, & quam ipse Filius sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus S. operatus erat, vt ex ipsa conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat.* Hæc Pelbartus. Ex quibus profectò facile est intelligere ingenti Deiparam bonorum cælestium cumulatam fuiſſe copiâ lõgè exuberãtius quã illud Amaltheæ Cornu mirificeque omnes ipsius gratias, velut stellas in lucidissimas, ob eminentissimã Diuinæ Maternitatis dignitatem, diuinamque quandam, quæ in ipsa refulgebat puritatem, inter omnes Sanctorum vir-

B. V. omnibus donis Spiritus S. repleta quibus & eius Filius.

B. V. DEVS cõmunicauit omnes Sanctorum gratias generales, & speciales.

Diuina Maternitas sũma, & singularis gratia quæ puræ creaturæ dari potuit.

B. V. DEVS summum munus puritatis contulit vt digna foret parere Dei filium.

virtutes emicuisse. Hæc enim tam diuina dignitas, velut Sol reliquis cæli luminibus, copiosissimum Virgineis gratijs splendorem communicauit.

Capricornus Fælicitatem designat.

39. Et quoniam Capricornus non solum bonorum omnium copiam, verumetiam Fælicitatem designat, mirè nobis adumbrat in hoc etiam Deiparã, quæ summa nostra, beatæque est post DEVM Fælicitas. Omnia enim, quæ de Asterismo hoc Capricorni tradidere sapientes, mirè Virgini nostræ Sanctissimæ congruunt. Atque in primis tradunt Astronomi eos fore fæliciſſimos, ac fortunatiſſimos, qui sub hoc signo lucem hanc nascentes aspiciunt vti Par. 1. Disc. 19. num. 57. ostensum. Vnde in Varijs nummismatis Augusti Cæsaris inter Imperatores feliciſſimi, tum ob altiſſimam pacem, quã eo regnante mundus fruebatur, tum ob faustiſſimum toti orbi Saluatoris, eius temporibus, Genethliacum, Capricorni signum expressum cernebatur. Quod quam verum sit declarauit Sanctiſſimus Præcursor Ioannes, qui hoc feliciſſimo in sua Natiuitate sibi affulgente sydere, omnibus gratijs, cælique donis locupletari meruit, vt alibi ex B. Card. Damiano, & Guerrico Abbate pluribus comprobauimus. Declarauit quoque Sanctus Bernardinus Senensis, qui quadam in concione publicè Senis habitâ suam à Deo sibi concessam fælicitatem omnibus notam facere cupiens contestatus est, se sub hoc auspicatiſſimo, Virgineoque sydere natum, plurimis Dei donis fuisse exornatum: *Ego*, aiebat ille, *Frater Bernardinus semper fui deuotus B. Virgini. In die enim Natiuitatis eius natus sum, eodem die baptizatus sum, illo ipso die Monasticum habitum indui, itemque professus sum Monachum, & primum sacrificium feci, eodem die cupio exire ex hac vita.* Declarauit idem B. Robertus Ordinis Cisterciensis fundator, cui adhuc in vtero Matris existẽti, hoc propitio sydere affulgescente, per Matrem eius Engardem exhibito illi à Deipara annulo, eidem, ò rem admirandam! desponsari meruit.

Felices qui sub Capricorno nascũtur.

Cęsar Augustus in suis nummismatis Capricornum excudi iussit.

S. Bernardn. Sen. in festo Natiuitatis B. V. natus, plurimos eiusdem fauores expertus.

Robertus Cister. Ord. fundator à B. V. in vtero Matris desponsa tur.

40. Declararunt innumeri alij, quos omnes prosequi longum foret; suffecerit B. Aloysium Gonzagam Societatis nostrę illustre sydus commemorasse, qui sub hoc Virgineo feliciſſimoque sydere natus, quam felix, quam fortunatus, quantis benigniſſimi huius syderis influxibus beari meruerit, ipsius innocentiſſimæ vitæ decursus ostendit. Narrat enim vitæ Auctor Virgilius Ceparius lib. 1. cap. 2. *Matrem eius commemorare solitam, appropinquante partu, tantis se repente doloribus oppressam fuisse, vt nulla spe fœtus enitendi in extremum adducta vitæ discrimen visa fuerit. Quare in tanta opis humanæ desperatione, ad DEVM, eiusque Matrem Virginem confugit, vouitque si hoc discrimine defuncta fuerit, sacram se Lauretanam Ædem vna cum prole, modo, & illi vita contingat, adituram. Voto suscepto periculum omne tam Matris, quam prolis depellitur. Verum cùm parentes infantulum diu viuere posse diffiderent, vt animę incolumitati consulerent, monent obstetricem, vt vbi primum partum eo loci esse videri, vt sacri laticis capax esse poſſit, eum mox tingat, antequam totus ederetur. Quod & factũ est. Qua in re singularem Diuinæ gratię infans hic ab hoc Virgineo sydere suscepit influxũ. Sic .n. singulari Dei, Deiparęq; fauore factũ est, vt ab ipsis Matris visceribus quasi mancipio, & nexu sibi proprium esse voluerũt.* Qua in re S. hic Puellus S. Metildi Virgini par fuit, cui declarare dignatus est Dominus, sibi nimium quantum placuisse, vt in simili periculo vitæ versanti, eius baptismus acceleraretur, quo animus eius quantocyus in Templum suæ Diuinæ Maiestati gratiſſimum consecraretur, essetque prius sanctificata, quam nata, vt ita aliquo modo ipsam Deiparam Virginem ortu suo imitaretur. Nonne Adolescens hic ita natus prospero, faustoque sydere editus censendus est, siquidem auspicijs Lauretanæ Virginis, eiusque propitijs, benigniſſimisque influxibus afflatus, radijsque illustratus hanc lucem aspexit? Nonnè ex hac eius pueritiæ adeò clarescente aurorâ, facile coniectari potuit, quid de totius diei vitę eius decursu futurum esset? Veriſſimè enim pronunciauit Salomon: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Verè enim B. huius Adolescentis tota viuendi ratio aliud nil fuit, quam aſſiduus quidam processus, atque in luce sanctitatis incrementum. Quod enim de omnibus iustis asseruit S. Greg. Papa Hom. 5. in Ezech. quadrat aptiſſimè in hunc nostrum, Virgineo lumine, ab ipso ortu feliciſſimè irradiatum Aloysium: *In iustorum animis*, inquit S. Doctor, *bonum desiderium atque intellectus lucis intimę, iam pars diei est: sed cùm vsque ad finem vitę in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad cęlestia Regna perducti, in*

B. V. Aloysius noster sub B. V. sydere natus, multis fauoribus locupletitus, &c.

B. Aloysius Gonzaga sub auspicijs Lauretanæ Virginis in lucem fæliciter editus.

B Aloysij assiduus in virtutibus profectus.

ea

ea luce, quam desiderant, iam minus aliquid nō habebunt. Verè de hoc Beato Adolescente exclamare possumus cum latio Poeta.

O sydere dextro
Edite, magna tibi superum indulgentia fauit!

Signum Capricorni Deorū Porta à Platonicis dicitur.

41. Quod si cum Platonicis Capricornum Deorum Portam nuncupemus, eo quod per Asterismum illum animæ vinculis corporis absolutæ in cælos ascendant, vt Diuinæ participes Naturæ efficiantur, intelligemus planè signo hoc Zodiaci felicissimo, eandem Deiparam figurari, quæ velut cæli Ianua mortalibus in formidando illo, ex hac vita exitu constitutis affulgescere consueuit: Verè enim Virgo nostra Porta Deorum, hoc est iustorum, qui beneficio gratiæ, diuinæ consortes effecti naturæ, imo Dij, vti testatur Psalmista, dū canit: *Ego dixi, Dii estis, & filij excelsi omnes*; per illam, tanquam per cælorum Portam ad æternam Beatitudinem felicissimè ingrediuntur. Quare iure merito illi concinit Ecclesia: *Felix cæli porta*: Et, *Tu Regis alti Ianua, & porta lucis fulgida*, per quam nimirum in Cimmerijs illis, ac plusquam Aegyptiacis, quas Tartarei effundere solent Cacodemones, in tremenda illa mortis hora tenebris, cælestis gratiæ splendor miserorum hominum mentibus affulgescere solet, ne eorum fides obfuscetur. Quare Pelbartus lib. 15. stell. par. 1. c. 10. reddens rationem ex Alberto Magno, cur cæli Porta vocitetur Deipara. *Quia*, inquit, *per Virginem exiuit in mundum quicquid vnquam gratiæ creatum, vel increatum venit, vel venturum est; Ipsa enim omnium bonorum Mater est, ipsa Mater gratiæ, mater misericordiæ; Ideo etiam Porta cæli denominata est, quia per ipsam intrauit, quicquid de terris in cælis ascendit, & è conuerso. Proprietates enim Portæ sunt importare, & exportare*. Vnde idem vir in Virginem pijssimus Pelbartus libro 12. stell. par 2. art 1. docuit præclarissimè, quod cultus honoris, & seruitium deuotè exhibitum B. Mariæ quamuis securum hominem de salute, inuariabili necessitate & absolutâ cognitione reddere minimè possit; spem tamen certam, maximamque de consequenda æternâ beatitudine affert fiduciam, vt varijs exemplis, quotidianâque pene experiētia manifestum euadit. Hinc illa Prou. 8. Beatitudinem hanc sibi piè famulantibus, atque obsequentibus eodem Pelbarto interprete, polliceri dignatur: *Beatus homo, qui audit me, in Prædicatore videlicet cultum meum docente, vel in paupere vociferante, & in nomine meo petente; Beatus denique, qui audit me, mihique obedit, vigilatque ad fores meas quotidie, peculiare aliquod cultus, ac venerationis officium mihi deferendo, & obseruat ad postes ostij mei, Ecclesiam nomini meo dicatam frequentando, atque deprecando. Qui me inuenerit, adiutricem scilicet, per debita obsequia, inueniet vitam gratiæ, & gloriæ, & hauriet salutem à Domino. Qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt diligunt mortem.* Illius quoque asserit esse verba illa Eccl. 24. *Qui audit me non confudetur, in die videlicet Iudicij, cùm loquetur iratus Iudex inimicis suis in porta; quia pro illo adstabo coram filio, atque ita me patrocinante non erubescet.* Tigurina idem hoc sat expressit, cū vertit: *Qui audit me non cadet, vel in peccatum mortale videlicet, vel in æternæ perditionis Barathrum, & omnia opera eius corruptelam nō patientur.* Prosequitur Virgo: *Qui operantur in me, siue propter me, siue ad exemplū mei, mores meos purissimos imitando, non peccabunt.* Siue vt interpretatur Iansenius: *Qui sua per me obeunt negotia, non peccabunt in eis, sed sua omnia vti prudenter, ita & feliciter peragent.* Concludit tandem Dei Mater suā promissionem amabilissimam: *Et qui elucidant me; lucidam, puramque ab omni peccato etiam originario reddunt, credendo, ac colendo me, vitam æternam habebunt.*

B. V. Porta Deorum per quā iusti ad cælum ingrediuntur.

B. V. cur cæli fæ x porta dicatur.

Portæ proprietas quænam sint?

Spes maxima de cō equēda beatitudine affulgescit illi qui B. V. piè colit.

Beatus qui Ecclesias B. V. dicat as frequentat.

Cultor B. V. non confundetur in die Iudicij, quia per illo intercedet apud Filiū.

Qui B. V. Cōceptionē immaculatam elucidāt, vitam æternam habebunt.

42. Quæ verba doctissimus simul ac pijssimus B. Cornelius à Lapide expendens præclarum dat documentum ijs, qui se, siue verbis, siue nonnullis in speciem pietatis operibus Deiparæ deuotos esse iactitant, & tamen in peccatorum sordes vltro quodammodo sese immergunt: *B. Virgo*, inquit, *inprimis fælicitatem promittit, deinde bonam operationē. Vtrumque enim sui cultoribus, sibique deuotis præstat, vti ex omni sæculorum omnium historia liquet. Quare si quis à peccato, & à pudore immunis viuere velit, si quis gratiam, & salutem sibi assicurare, si quis magnum perseuerantiæ donum nancisci cupiat, illud identidem à Deo per intercessionem B. V. efflagitet; Perire enim, & damnari nequit, qui tantam apud Deū Patronam habet; nisi quis vltro se in scelera, & Gehennam præcipitet, vti faciunt nonnulli stolidi, qui impune in suas cupiditates ruunt, præsumptuosè præfisi, de ope B. Virginis, cui se deuotos dicunt, eo quod in eius honorem Sabbatho ieiunent, Rosarium recitent, vel simi lem ei cultum exhibent. Qui sane in B. Virginem iniurij sunt, tum quia de eius misericordiâ impiè præsumunt, tum quod cultum eius tot criminibus*

Siquis perseuerantiæ donum nancisci cupit, per B. V illud petat.

bus

bus inquinant dedecorent, & infament; ideoque duplici, hoc est maiori damnatione digni sunt. Quibus ex verbis colligimus eos solos patrocinio Virginis dignos, qui Deum verentur offendere, & ex fragilitate in peccata incidunt. Pro talibus nimirũ, vt ait Pelbartus, ipsa in articulo illo tremendo mortis: *Loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, ac sibi deuotos famulos, & in eos, qui per pœnitentiam cõuertuntur ad cor. Ipsa in fraude circumuenientium, Dæmonum videlicet, illis aderit, & custodiet eos ab inimicis, & à seductoribus tutabit illos, dabitque illis claritatem æternam*, Sap. 10. Quare rursus monet per Eccl. c. 6. Spiritus S. *In omni animo tuo accede ad illam, Mariam videlicet, colendam, & in omni virtute tua conserua vias eius. In nouissimis enim, hoc est tempore mortis, inuenies requiem in ea.*

Illi qui Deũ verentur offendere & ex fragilitate peccant digni sunt patrocinio B.V.

Cultores B. V. in articulo mortis inueniẽt requiẽ in ea.

43. Inuenit hanc requiem in nouissimis Pater noster Ioannes Cardin. Lusitanus, qui cum totius vitæ decursu B. V. fuerit addictissimus, circa vltimam vitæ suæ periodum fuit vel maximè: quare institutis cũ ea Cœlitibusq; pijssimis, tenerrimisque colloquijs, admoto sibi ad osculum Christi seruatoris Cruci affixi signo suauiter exspirauit. Quod beneficium sine dubio B. V. sua intercessione ipsi impetrauit, & simul etiam alterum addidisse visa est, quod præsentibus prodigio per visum fuit. Nam supremum Diuina vulnera suauianti, ipsum Christi Domini signum, refixis manibus ac pedibus, ita se illi vltro iniecit, vt famulum amplecti suũ, eiusque colligere velle inter postremos anhelitus animam videretur. Admirabilitatem intendit, quod immotis in ipsa Cruce clauiculis vix ægrè quiuerit, ijs rursus inseri sacrum simulachrum. Ita in eius vita Phil. Aleg.

44. Inuenit requiem hanc felicissimam in Virgine, Angelicis moribus præditus adolescens ille Iacobus Mlochi, de quo Annuæ Soc. Collegij Rigensis 1611. qui in vita præcipuã quadam veneratione Deiparam prosequebatur, officium, ac Rosarium ei indies velut ordinariam pensum persoluẽdo. Vnde factum vt ipsa benignissima Patrona, velut sydus propitium, solatio suo eum fuerit dignata, extremumque ei mortis diem apertè prædixerit. Nam decem circiter diebus ante obitũ (: erat is Virgini purificatæ sacer:) cùm Sacerdos quidam è nostris re diuina peracta è templo rediens ægrum reuiseret, sciscitatus est, num & in Templo B.V. adfuisset, affirmante Patre, subiungit Iacobus: *Reuera, & hic mecum duabus alijs comitata Virginibus fulgenti admodum forma, & decore fuit, significans me breui hinc ad cœlestem societatem migraturum, modicum interim adhuc ferendum.* Sed & biduo ante obitum, nocte intempesta, eum excitatum, qui aderat fratrem rogaret, candelam accẽderet, atque ille in opere iam esset: *Omitte*, ait, *Frater mi:* Et mox subiungit: *Magnos hic habuimus hospites, exhilarante me præsentia sua Beatissima Virgine, & iam mihi abeundum erat, nisi dilatio exigui temporis fuisset concessa, te quidem vt socium itineris haberem, rogaui, sed responsum laborandum tibi in annum vsque trigesimum, quo anno circa bascé Beatissimæ Virginis ferias me sequere.* Frater gaudio simul, metuque perculsus dum se proripit, monetur à Iacobo, cautè ageret, quod Currus B. Virginis, quo animas in cælum auehere soleat, in medio consisteret; Postridie socius rogat, num nocte dictorum, gestorumuè meminisset? Cui ille. *Optimè Pacatum quidem animum habui, sed non dormiui, si libet crede, paratus sis interim moneo in tempus designatum.* Porrò in ipso agone circumfusis fratribus, & animam Deo commendãtibus, oculos in Crucem, & digitum in B. Virginem simul, quæ eius animam abductura erat, intendens, expirauit. Quam sine dubio Deipara in Curru illo suo verè aureo, verè triumphali in cælum auexit, ostenditque reuera se vehiculum suauissimum animarum, Portamque simul cælorum, per quã cælesti gratiã deificati, diuinæque naturæ consortes effecti mortales, in æternam Beatitudinem ingrediuntur.

Iacobus Mlochi B.V. deuotus piè moritur.

B.V. morienti cum Curru, quo animas in cælũ vehere solet, adfuit.

B.V. suauissimum animarum vehiculum in cælũ tendentium.

45. Agnouit Syluester Pont. Maximus Deiparam cælorum, Deorumque portam, ac per consequens à Porta inferi liberatricem, cùm ei, vt testatur P. Antonius Balinghen in Kal. Deipar. 31. Decembris in foro Romano, vbi olim fanum Iouis statoris visebatur, Templum cognominatum: *Libera nos à pœnis Inferni;* erexit, & merito. Siquidem eodem loco ingens terræ hiatus, ac vorago ostensa est, in quam Curtius Eques Romanus conscenso equo semetipsum præcipitem egit, cuiusdam responsionis superstitione adductus, quo viuens aliquis ad eam complendam deposcebatur; Quo sanè pulcherrimo Templi titulo Sanctissimus Pontifex indicare voluit,

S. Syluester Pont. B. V. Templum dictum, Libera nos a pœnis Inferni ædificauit.

luit, Deiparam, & cælorum, Deorumque esse Portam, & suorum clientulorum à portis Inferorum, æternæque mortis supplicijs fidelissimam liberatricem.

46. Vnde doctissimus Abulensis q. 1. in libros Regum, cum quæsijsset: cur *Philisthęi Arcam tangentes morte non damnarentur, sicut Bethsamitę, aliique populi?* Scitè, aptissimèque ad rem nostram respondit: *Quia erant nimis deuoti circa venerationem Arcæ; impenderunt enim illi maximum honorem, quem impendere poterant, ponendo eam, arbitratu suo, in loco sacratissimo totius terrę suę, scilicet in Templo Dei illorum Magni Dagouis.* Sic ille vbi P. Franciscus Mendoza noster sapienter annotat, quod sicut Philisthęi ob Arcæ deuotionem, quæ typus extitit Deiparæ, vt S. Ambrosius, alijsque passim voluere Patres, temporali morte damnari minimè potuerunt, ita neminem, qui erga B. V. deuotus fuerit, æterna morte, quæ est secunda mors, damnandum. Tanta enim est potentia optimæ Dei Parentis, vt ei omnis Tartareorum hostium, ipsiusque inferni potestas, ac Tyrannis, imo ipsa quodammodo Diuini Numinis omnipotentia cedere videatur.

Sicut Philisthęi ob Arcæ deuotionem temporali morte damnari non potuerunt, ita deuoti B. V. æterna morte non peribunt.

Vnde veteres, vt scribit Natalis Comes lib. 4. Mythol cap. 5. finxere Iouem vni Mineruæ, quę Virginem nostram adumbrabat, suas vires impertiuisse. Hinc illam Eua, Virago, quasi virum agens cognominata, figurabat. Quare quod de Minerua in suis Hymnis olim cecinit Orpheus:

Iuppiter soli Mineruæ suas vires impertiuit.

Fœmina, masque eadem es,

Minerua Fæmina, & Mas eadem est.

multò aptius Virgini nostræ Tartareis phalangibus, totique Orco ad instar castrorum aciei ordinatæ longè formidabilioris poterit applicari. Ipsa enim in horrendo illo mortis instanti Mulierem, ac Virginem verè fortem, ac masculam, contra stygios satellites, tenebrarumque Principes pro animabus depugnando; sese ostendit, eosque in æternæ noctis profundissimum chaos profligando, animas, preciosissimo filij sui sanguine redemptas, gratiæ suæ vehiculo ad æternam beatitatem prouehit.

47. Neque verò solùm Deipara animas ex hac vita decedentes ad cælos vehiculo sui fauoris, ac gratiæ prouehit, verumetiam aliquando Orco destinatas, & ad Infernum detrusas, ope Virginis fuisse liberatas clarum est, vt alibi etiam fusè ostensum. Vnde Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus Deiparæ studiosissimus in Psalm. 86. capit. 32. cùm quæsijsset, an interdum nõnullis existentibus in inferno aliquod leuamen à B.V. exhibeatur? Sapienter respondit in primis, *quantitatem pęnę damnatorum ex Dei misericordiâ, & B. Virginis intercessionibus citra condignum taxantur*, vt docet S. Thom. 1. Part quæst. 21. artic. 4. ad 1. vbi ait, in damnatione reproborum apparere misericordiam, non quidem totaliter relaxantem, sed aliqualiter alleuiantem, dum punit DEVS citra condignum. Cum misericordia Dei sit super omnia opera eius. Licet semel taxata per finalem sententiam sempiterni Iudicis pœna, in nullo damnato quamuis Christianus decesserit, & cum fide, ac pijs operibus misericordiæ nunquam mitigabitur, & multo minus tolletur, siquidem ex inferno, post finale damnationis decretum, nulla est redēptio. Docet deinde fatendum esse per intercessionem Deiparæ nonnullos à pœnis Inferni ante finalem sententiam ad vitam iterum reuocatos, & mediante pœnitentiâ fuisse liberatos; ait enim, Virginem, vti & Christum habere claues Mortis, & Inferni; *Potestatem nimirum in mortem, & Infernum*, vt interpretatur Rupertus, Richar. de S. Vict. Primasius, Ambrosius, Ansbertus, Cælius Pãnonius. Siue enim Mors accipiatur pro dissolutione animæ à corpore, siue pro peccato, quod est spiritualis animæ mors, quod est, vt ait Poeta:

Pœnæ damnatorum Dei misericordia & B. V intercessione citra condignum taxantur.

B. V. habet claues Mortis, & Inferni.

Immortale malum, nulla delebile culpa.

cuius respectu, mors corporalis vmbra ipsius quædam esse videtur. Siue pro ipso Cacodæmone de quo S. Greg. 4. Mor. cap. 17. *Ipse*, inquit, *qui mortem intulit, Mors vocatur*. Vnde Ioan. Apoc. 6. *Nomen illi Mors.* Siue denique Mors pro morte sempiternâ, ac secundâ accipiatur, sanctissima cælorum ac vniuersæ creaturæ Regina Deipara habet in omnia hæc mortis genera à filio participatam potestatem. Et primo quidem, in mortem corporis, quia sicut Christus vitam potest dare, & eripere: *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem.* Sap. 16. ita B. V. vt alibi diximus morbos sanat, & vulnera, membra abscissa restituit; morborum, ac vulnerum vi iam iam morituros ab ipso interitus limine reuocat, ijs, qui veneno hausto periclitantur, succurrit, ac veneficia dissoluit, à latronibus liberat, itinerumque periculis,

Dæmon aliquando Mors vocatur.

B. V. varia in genus humanum beneficia.

culis; à belluis eripit, ab incendio seruat incolumes: è carcere, ac seruitute in libertatem vindicat, è supplicio capitali liberat, ac denique in præcipitio præsto est, depressisque succurrit, nec non cæcitati medetur, & oculis; imo fami, & inopiæ prouidet, atque huius vitæ bona suppeditat. Quæ omnia pulcherrimis exemplis, quæ enumerare longum foret, comprobat Ioan. Bonifacius lib. 3. de Hist. B. V. & nos non pauca attulimus, cum probauimus Deiparam orbis totius esse Aesculapium.

48. Hic breuiter commemorasse sufficiat ingens miraculum commemoratum à P. Andrea Goldenouschij Ord. S. Pauli primi Eremitæ in Diua Virgine Claromontana cap. 16. quo luculenter ostendit, Deiparam Matrem viuentium esse claues, potestatemque habentem Mortis. Scribit itaque in silesiæ oppido Lubliniec vocitato, lanionem fuisse cui erant duo filij, bimus alter, alter quadrimus. Hic cum obseruasset parentem cultro iugulantem pecora, eodem in cunis iugulauit & fratrem, timensque verbera, in fornacem sese proripuit. Redit Mater extemplo ignem fornaci subijcit, & omnium ignara antequam puero succurrere possit, fumo præfocatur. Mox ad cunas accedens alterum filium in sanguine natantem reperit, & dolore nimio fit quodammodo extra se. Non ita multo post reuertitur domum maritus, ratusque vxorem furijs agitatam in natos sæuijsse, tam atrociter eam tundit ac verberat, donec animam exhalauit. Ad se reuersus, Diuæ Claromontanæ Virgini votum concipit, curruique impositis cadaueribus ad illam properat, eique sub vesperis velut Reginæ misericordiæ, mortis claues, Infernique habenti, mortuam Matrem cum filijs, fiduciâ plenus repræsentat. Et ecce tibi dum Virgineum decantatur canticum, vbi ad verba illa est deuentum: *Fecit mihi magna qui potens est; & Sanctum Nomen eius;* Mater cum filijs rediuiua surgit, reipsa comprobans, quam magna fecerit, magnique æstimarit potentissimus Dei Filius Matrem, ad ciuus intercessionem simul ac semel tres mortuos ad vitam reuocauit.

B. V. Claromõtana tres mortuos simul ac semel suscitat.

49. Eandem clauium potestatem cum Filio habet Deipara in morte animæ, quia potest quando, & vbi vult, quemcunque vult à peccato liberare, à dilectissimo suo Filio impetrando gratiam præuenientem, illuminando intellectum; inflammando affectum ad detestationem sceleris; concomitantem, dum liberum nostrum consensum concomitatur, dum nobis ad præstandum id, ad quod nos præueniens gratia excitat, opitulatur. Subsequentem denique gratiam à Filio nobis Virgo impetrat, boni operis perficiendi, voluntati nimirum nostræ proponendo opportunitatem, quod illa exequi desiderabat, minuendo, vel complanando, seu tollendo omnino difficultates, ac tentationes, quæ nos ab inchoato Sancto opere deterrere possent, corroborando denique voluntatem, vt in Dei, ipsiusque Virginis obsequio vsque in finem quis perseueret.

B. V. liberat nos à morte animæ gratiam excitãtem, concomitantem ac subsequentẽ impetrando.

50. Quid iam de clauium dicam potestate, qua vtitur Deipara cum Filio in Cacodæmonem omnis mortis auctorem? Hunc illa eiusque virulentum caput, velut triumphatrix egregia pedibus suis proterit, ac conculcat, huic ad tentandum, vexandumque suos clientulos habenas contrahit, extraordinarijs sceleribus contaminatos, Tartareoque iugo subactos, captiuatos, atque oppressos mirâ facilitate liberat, atque obsoluit, quamplurimosque, anticipato suarum gratiarum remedio, à pœnis secundæ mortis eripit sempiternis. Ad hoc faciendum non solum potestatem, sed etiam imperium ad coercendum stygium illum tenebrionem sibi diuinitus in prima mundi origine sub Euæ figura habet demandatum. Dum enim ipsi vniuersorum Conditor prædixit: *Ipsa conteret caput tuum*, simul & imperium figuratæ Euæ caput eius superbissimum, pede humilitatis suæ profundissimæ, conterendi dedisse visus est. Ipsi denique etiam dictum est: *Super aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem* Psalm. 9. Denique vt ait idem Rutilius: *Omnis potestas Dæmonis in manu Deiparæ est. Ipsa enim semper fuit, est, & erit illius victrix, & triumphatrix eiusque auctoritatem pro sua voluntate laxat, ac contrahit, prout humano generi expediens esse cognoscit?*

Quam ingentem potestatem habet Virgo in Dæmonem.

Omnis potestas Dæmonis in manu Deiparæ est.

51. Quid denique de Virginis gloriosissimæ in mortem secundam, atque

Mulier B. V. deuota, ob occultatum peccatum dũ post mortẽ ad Dæmonibus raperetur, à B.V. liberatur.

æternam dicam potestate? Hæc sanè mirum quantum efficax in eripiendis ab illa miseris mortalibus, ne eos horrifico rictu depascatur, esse consueuit. Testis est mulier illa, de qua speculum Exemplorum D. 3. capit. 46. facit mentionem. Hæc licet alias religiosè viueret, in eo tamen defecerat, quod facinus quoddam in iuuentute commissum, nunquam in specie, ob verecundiam, sed tantum in communi ac generaliter sacerdoti, in exomologesi aperuerit, ac proindè postquam è vita decessisset, & à Dæmonibus ad inferni flammas concremanda raperetur, illico Beata Virgo IESVM filium enixè exorauit, vt ab illis æternis inferorum pœnis eam liberam esse vellet, eo quod dum viueret, quotidie coram eius imagine illam piè exorasset, ne ob tale peccatum damnationi addiceretur sempiternæ. Annuit filius, & mulier vitæ restituta occultum illud nunquamque confessario reuelatum peccatum integrè, cum alijs legitimè confessa est iterumque moriens Virginis precibus in gratiam recepta, *in nouissimis suis*, vt aiebat sapiens, *inuenit requiem*.

Proles à Matre Diabolo mancipata, ab eodem reperitur.

51. Admirabilis quoque est Virginis nostræ ab hac eadem sempiterna morte adolescentis illius ereptio. de quo Vincentius in speculo Histor. Tom. quarto lib. 7. cap. 155. Hic cum in Vigilia Paschatis renuente, ac multum obluctante matre fuisset conceptus, præmisissetque multas in virum increpationes ac maledicta, tandem in hæc horribilia prorupit verba: *Quicquid hac nocte à nobis fuerit operatum, sic maledictum ac Diabolo mancipatum*. Concepit tandem mulier, peperitque infantem visu mirabilem, ac decore spectabilem, qui cum duodecimum attigisset annum, Diabolus puerum à Matre petijt, tanquam sibi oblatum, atque promissum. Cumque consilio Hierosolymitani Antistis, ad quem remedij causâ Mater cum filio accesserat, quendam sanctissimum Eremitam ibi vicinum adijsset, perlectis Episcopi literis ad se missis, adolescentem sic affatus est; *Attende frater pietatis Diuinæ consilium, & Genitricis eius auxilium. Habet enim Virgo Maria dominium super omnes Spiritus malignos, potestque inferni seras aperire, & frangere interiores aditus; obnixè ergo eam deprecemur, vt tibi subueniat*. Itaque Dominicæ Resurrectionis ipso die, Vir ille sanctus pro iuuenis liberatione cum lacrymis, & cordis contritione, sacrificium, vti quotidie consueuerat, Diuinæ obtulit Maiestati. Timens porrò Cacodæmonis insidias, puerum inter se, & altare constituit; quem tamen Tartareus Prædo de loco illo, paulo ante datam pacem surripuit, secumque ad infernum deportauit. Animaduertit Sacerdos iuuenem sibi à stygio prædone sublatum, & ingemiscens, fiduciaque plenus ad Virginem Deiparam recurrit, quæ pro ingenita sibi pietate illi subuenire non distulit, sed corpus, animamque Pueri de inferno inferiori liberauit, pristinoque loco inter Sacerdotem, & altare restituit. Tandemque cum celebrans; *Pax tecum* diceret, respondissetque Adolescens liberatus: *Et cum Spiritu tuo*: accepissetque de eiusdem celebrantis manu sacram communionem, narrauit omnia, quæ Virginis ope, in sua liberatione sibi contigissent, & quam multa animarum millia in inferno horribilibus suppliciis cruciatas, æternùmque cruciandas reliquisset. Ex quo sanè effusissima Deiparæ nostræ pietate satis exploratum euadit, illam reuera suum dilectissimum æmulando Filium, habere claues Mortis, & inferni, dum animas Dæmonis Tyrannide crudelissima captiuatas, ex Orci faucibus eripit.

Dæmõ Adolescentem rapit ad Inferos, sed Sacerdotis M. sacram celebrãtis precibus ad B V tutus liberatur.

52. Quod nemini sane mirum, ac insolitum debet accidere. Si enim Apostolis, alijsque viris sanctis, ex priuilegio singulari concessum fuit, vt nonnullos Ethnicos, qui ad infernum iam descenderant, resuscitarent; vti Traianum, Sancto Gregorio Papæ, de quo alibi diximus: quo sic ad vitam reuocati peractâ pœnitentiâ, iterum mortui, salui fierent, vt scribit Aegesippus libro 3. cap. 2. & S. Thom. in 4 Part. 45. quæst. 2. art. 2. Si denique sacris B. Stephani Lipsanis ea virtus impertita fuit, vt puerulum ante Baptismum mortuum ad vitam reuocarent; quantò magis summæ Dei Parenti Sanctorum omnium sanctissimæ, singularissimo Filij priuilegio indultum erit, vt adamanteas portas mortis, & inferni effringere, & quos voluerit vitæ isti iterum restituere valeat, quo peracta pœnitentiâ, digneque receptis Ecclesiæ Sacramentis tandem in cæleste domicilium, ex hoc mortalitate, ipsius patrocinio, velut per Deorum Portam trans-

Traianus Imperator à S. Gregorio resuscitatur & ab inferno liberatur.

Puer ante Baptismum mortuus, reliquijs S. Stephani ad vitã reuocatur.

transferantur. Qui quidem homines licet in inferno secundum præsentem eorum iniustitiam ad tempus breue puniti fuerint, prædestinati tamen fuerunt absolutè ad æternam salutem, per huiusmodi medium miraculosum supra legem ordinariam, ex Dei benignitate, & gloriosissimæ Virginis Deiparæ habentis claues mortis, & Inferni patrocinio, atque intercessione.

Atque ita ratio prædistinationis, vel reprobationis nullo modo variatur, sed firma, immobilisque perpetuo perseuerat; cum huiusmodi homines, à sempiterno Iudice infernalibus incendijs, ac supplicijs æternùm cruciandi minimè fuerint deputati. Quæ cum ita se habeant, quis iam dubitabit signo illo, quod à Platonicis Deorum Porta, ab alijs sydus felicissimum vocitatur, sub quo qui nascuntur felices, ac beati tam in hac vita, quam in futura prædicantur, quis inquam dubitabit, Virginem beatissimam illo Asterismo designari, siquidem ipsa, vti diximus, est felix cæli porta, per quam, ex hac vita eius clientes tuti, ac securi à Dæmonum insidijs egrediuntur, eiusque fidelissimâ tutelâ quasi vehiculo in cælestem patriam subuehuntur? Per quam gratia donaque cælestia miseris mortalibus, ne in peccata corruant, æternæque damnationis rei efficiantur, exportantur. Porta denique est Virgo nostra, per quam iidem nonnunquam, ex carceribus inferni educti in perennem illam, nunquamque terminandum beatitatem importantur.

Cur B. V. felix cæli Porta dicta sit.

54. Cum igitur gloriosissima Virgo Deipara tantâ bonorum omnium, cælestium donorum, charismatum, gratiarumque, quæ in omnibus Angelis, sanctisque quotquot ab exordio sæculorum extiterunt, redundarit, Copiâ; ita vt verè gratiarum diuinarum Cornucopia, seu aureum Amaltheæ Cornu dici, ac nominari possit: merito inopia nostra qua in hac vita opprimimur, ad ipsam velut ad donorum cælestium gazophilatium debet recurrere, vt egestas nostra tantis eius opibus subleuetur, & felicem ex vita mortali transitum, perfectissimamque beatitatem nanciscamur. Accedamus ergo ad ipsam, velut Matrem amantissimam, ac liberalissimam de profusissima ipsius liberalitate, ac bonitate confidentes; communicabit illa cum suis filiolis ac clientulis suas cælestes opes, nostramque inopiam adeo copiosè locupletabit, vt reipsa eam verissimam bonorum cælestium Cornucopiam, Portamque felicitatis, vitæque æternæ experiamur; Clamemus igitur magno pietatis affectu cum pijssimo Pelbarto ad Virginem hanc benignissimam, tantorum bonorum humano generi Auctricem: *O' verè admirabilis gratię, & excellentię Virgo! ò verè Vas admirabile, Opus excelsi! Quis vnquam à sęculo vidit talia, vt vna Puella, vna Virgo Regia tam excellenter sit creata, tam nobili pulchritudine decorata, tamque ineffabilibus gratiarum donis sublimata? O' dignissima Virgo, ò pręcellentissima Domina, ò gloriosissima Regina, verè te Sol, & Luna, cęlum, & terra mirantur! verè te omnis creatura dignè veneratur. O' dulcissima Mater nostra Maria, vnica spes, & refugium animę nostrę, ad te nos filij Euę, nos miseri, & peccatis pleni, nos damnatione digni, merito clamamus, suspiramus, & flexibili voce supplicando accedimus; Te inuocamus nostram Dominam, nostram Aduocatam, nostram Reginam gloriosam, Matrem dulcissimam Domini IESV, Matrem pijssimam gratię, & misericordiæ. Te, inquam, solatium cordis nostri, Matrem nostram adoptatam; tuam imploramus clementiam dulcis spes, & vita nostra, quatenus digneris recordari, quia pro nobis peccatoribus es electa, pro nobis ad tantam dignitatem prouecta, & idcirco nos tuo Filio recommenda, dulci IESV Deo nostro nos reconcilia, & ea nobis ipso in cælesti tandem patria perfrui. Amen.*

O' vera Deorum, gratiarumque Porta, per quam omnia cæli dona in mundum importantur (nihil enim nos DEVS habere voluit, nisi per Mariam, vt tuus inquit Bernardus) te obsecramus quam humillime per Virgineum partum tuum, per lactationem illam admirandam, qua Dei Filium vbere de cælo pleno nutristi, eiusque Mater, ac Nutrix dignissima esse, omniumque bonorum, gratiarumque donari cornupiâ meruisti, te inquam obsecramus, vt nobiscum pro solita tua benignitate, atque charitate, de illa tam exuberanti cælestium bonorum tuo-

rum copia communicare non dedigneris; quo Dij quidam, gratiâ tui Vnigeniti, ac tua, impetratione Diuinæ consortes effecti naturæ fælices, ac beati adhuc in hac vita degentes, euadamus; & de temporali hac fælicitate, ad æuiternam illam Beatitudinem, quæ status est omnium bonorum aggregatione perfectus, & à te mirificè, dum bonorum omnium refertissima fieri meruisti Cornucopia, repræsentatus, pro effusissima, illâ tuâ, quâ prædita es misericordiâ, nos Diuina gratiâ per te à Christo impetrata præueniendo, comitando ac subsequendo, tanquam Mater optima manu ducas, ac fælicissimè tandem introducas.

Amen.



D L



DISCRVSVS XXXVI.

Quod Deipara Virgo septem Planetarum Virtutes in communi consideratas repræsentet.

1.



Qvemadmodum Virgo nostra sacratissima reliquorum orbium cælestium proprietates in se, velut in speculo; sic quoque septē Planetarum perfectiones repræsentauit. Vnde S. Epiphanius lib. de laudib. B.V. vel purissimum eius vterum, quo immensum cælorum omnium, totiusque creaturæ molitorem, ac Dominum complexa est, cælis reliquisque Planetarum orbibus conferre non dubitauit: *O' vterum,* inquiens, *impollutum, habentem circulum cælorum, qui DEVM incomprehensum, in vtero comprehensum portasti. O' vterum cælo ampliorem, qui DEVM in te non coarctasti! O' vterum, qui cælum es septem circulis cōstans, & capatior illis exiſtis! O' vterum septem cælis sublimiorem, atque latiorem! O' vterum habentem inextinguibile lumen lucentis gratiæ, id est, septem dona Spiritus Sancti, qui septem Planetis respondent!* Quare Bernardinus Bustius Par. 11. Mar. ser. 2. introducit Planetas omnes Deiparam in cælum proficiscentem inuitātes, vt ob eorum virtutes, in ipsa expressas apud illos aliquantisper morari non dedignetur.

Vterus B. V. Planetarum orbibus cōparatus.

Planetæ omnes virtutes suas in B. V. expressas videntes, rogabant eam in cælos ascendentē apud se morari.

2. De his singulorum Planetarum virtutibus, eorumque Natura breuiter cecinit: Luca lib. 10.

Syderibus diuersa potentia, prima
Mundi lege data est. Sol tempora diuidit æui.
Luna suis vicibus Thetyn, terrenaque miscet.
Frigida Saturno glacies, & zona niualis
Cessit: habet ventos, incertaq; fulmina Mauors.
Sub Ioue temperies, & nunquam turbidus aer.
At fœcunda venus cunctarum semina rerum
Possidet, immensæ Cyllenius arbiter vndę est.

Eorundem Planetarum ordinem disposuit Manil. lib. 1. postquam enim de fixis syderibus cecinisset, hæc de errantibus, quæ ille inter cælum, ac terram volitantia appellat, attexuit:

Sunt alia aduerso pugnantia sydera mundo,
Quæ cælum terramque inter volitantia pendēt,
Saturni, Iouis, ac Martis, solisque sub illis
Mercurius, Venerem, inter agit, Lunamque locatus.

De his igitur Planetarum proprietatibus in genere agendum hoc Discursu, videndumque, quanam ratione Deipara illorum naturam repræsentarit. Cum Planetæ hi, Virginis eiusdemque perfectionum, atque virtutum pulcherrima quædam figura videantur.

3. Inter cæteras porrò Planetarum proprietates, illa in postremis numerāda non est, quod, iuxta veterum opinionem, concentum quendam suauissimum continuo suo motu reddere perhibeantur. Hinc Musicam triplicem ijsdem, Vocalem nimirum, instrumentariam, & metaphoricam tribuere. Primam Plato in libris de Republica illis indidit, dum singulis orbibus, singulas Sirenes præsidere, suauissimos vocum concentus, quibus Deorum aures demulceantur modulantes affirmauit. Alteram assignauit Pythagoras, qui asserebat cælestia corpora, dum se inuicem magnâ celeritate mouendo defricant, & collidunt, condititissimos cantus excitare, ita nimirum, vt quo quis orbis celeriori cursu fertur eo sonitum edat acutiorem, vnde fieri necesse est, vt orbis Lunaris, qui infimus est, & tardissimus, si de motu diurno sermo sit, tenuissimum excitet concentum, adeo vt eius non tam sonus, quam silentium à Virgilio Aene. 2. quemadmodum interpretatur Seruius, celebretur:

Veteres quid de Planetarū Musica senserint.

Triplex Musica in Planetis.

Plato singulis Planetis Sirenes singulas apposuit.

Tacite per amica silentia Lunæ.

Hinc Tertullianus lib. de Pallio cap. 2. *Luna,* inquit, *modulationibus mēstruis variat.* Quasi dicat: Luna certa mensura, quasi nume-

numerorum ratione, & dulci chordarũ concentu mensem efficit. Sanctus etiam Ambrosius Præfat. in Psalmos Musicam hanc globis cælestibus attribuit, Boetius lib. 1. de Musica cap. 2. Isidorus lib. 3. Ethym. cap. 16. S. Anselmus libr. 1. de Imag. mundi. Hinc Philo Iudæus lib. de sonis, cælum vocauit, Archetypum Musicæ instrumentum, cuius concentus ad aures nostras non peruenit, quia si perueniret, mortales cibi, somnique obliti, quodam mentis excessu raperentur, & nil amplius molirentur. Plinius libr. 2. Hist. naturalis cap. 3. & 22. ponit huius Musicæ proportiones varias, Planetarum nẽpè à se distantias, ex quibus conficitur: *Pythagoras*, inquiens, *interdum ex Musica ratione appellat tonum, quantum absit à terra Luna. Ab ea ad Mercurium, spatij eius dimidium; & ab ea ad venerem ferè tantundem. A qua ad solem sesquiplum. A sole, ad Martem, tonum, id est, quantum ad Lunam à terra. Ab eo ad Iouem dimidium, & ab eo ad Saturnum dimidium, & inde sesquiplum, ad signiferum. Ita septem tonos effici, quam harmoniam diapason vocant, hoc est, vniuersitatem concentus. In ea Saturnum Dorio moueri, Mercurium phthango, Iouem phrygio, & in reliquis similia, iucunda magis, quam necessaria subtilitate.* Marcus etiam Tullius in somnio Scipionis, ipsum Scipionem cũ Africano iam mortuo de hoc cælorum concentu sic loquentem introducit: *Quis hic*, inquam, *quis est, qui complet aures meas, tantus, & tam dulcis somnus. Hic est*, inquit ille, *qui interuallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu, & motu ipsorum orbium efficitur, & acuta cum grauibus temperans, varios æqualiter concentus efficit: nec enim silentio tãti motus incitari possunt: & natura fert vt extrema, ex altera parte grauiter ex altera autem acutè sonent. Quam ob causam summus ille, quidem stelliferi cæli cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto, & excitato mouetur sono, grauissimo autem hic Lunaris atque infimus. Nam terra nona immobilis manens, ima sede semper hæret complexa medium locum. Ille autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, Mercurij videlicet, & Veneris, qui Planetę similem prorsus concentum edunt; septem efficiunt distinctos interuallis sonos, qui numerus rerum omnium ferè nodus est. Quod docti homines neruis imitati atque cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum: sicut alij, qui præstantibus ingeniis in vita humana, diuina studio coluerunt, hoc sonitu completæ aures obsurducrunt. (nec vllus est hebetior sensus in vobis:) sicut vbi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus; ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic verò tantus est totius mundi, incitatissimâ conuersione, sonitus, vt eum aures hominum capere non possint; sicut intueri solem nequitis aduersum, eiusque radiis acies vestra, sensusque vincitur.* Hæc ille. Vbi obseruandum veteres in cythara hanc Planetarum harmoniam fuissę æmulatos, vt notauit noster Franc. Mẽdoza in Viridario, in qua licet octo fides annecterent, extremę tamen in concinendo adeo concordes erant, vt vnus tantum vtriusque sonus videretur. Vnde Virgilius de Orphei cythara Aenei. 6. *Obloquitur numeris septem discrimina vocum.* Vbi Turnebus septem tantum fidibus Orpheus vtebatur, vt septem Planetarum concentum imitaretur. Quamuis alij quatuor tantum neruos in cythara annecterent, vt anni quadripartitam varietatem indicarent: alij autem nouem, vt nouem Musarum chorum exhiberent; alij decem vt totidem Diuinæ legis dogmata in decachordo instrumẽto complecterentur. Cæterum septem fidium testudo suauior erat, & sonantior, quæ Pindaro dicitur ἑπτάφωνος, idest, septem vocum. Hinc Horatius:
Tuque testudo resonare septem callida neruis.
Hac testudine septem chordarum vsus esse dicitur Amphion in Thebarum extructione, inque eius rei memoriam septem portas eam Vrbem celeberrimam habere voluit, vt meminit Philostratus, quia totidem in eius cythara chordæ intentæ erant, quibus ille saxa, proprijs sedibus conuulsit, inque Thebanos muros transportauit. Vnde Seneca:
Mouit Amphion lapides canendo.
Eundem cælorum, Planetarumque concentum sacræ quoque literæ affirmare visæ sunt, dum Psal. 18. de illis canit Dauid: *In omnem terram exiuit sonus eorum*; seu vt transfertur ex Hebr. *Exiuit linea eorum, vel amussis eorum*; quo significatur cælorum musicam ad lineam, & amussim fuisse concinnatam. Hinc Iob 38. *Quis enarrabit cęlorum rationem, & concentum cęli, quis dormire faciet?*

4. Postrema cælis indita Musica ex sententia Aristotelis est metaphorica, quæ in rerum ordine consensu, proportione consistit, qualis in concordi Republica reperitur. De qua Cicero libr. 2. de Repub. *Vt in fidibus*, inquit, *ex dissimillimarum vocum moderatione concors, & con-*

[Margin notes: Cælum Archeptũ Musicæ instrumẽtum quare dictum. — Scipio quid de cælorum concentu senserit. — Orpheus septem fidibus vsus ad imitationem septem Planetarum. — Amphion cythara septem chordarum in Thebarum constructione vsus. — In cælis Musica Metaphorica, & qualis?]

congruens efficitur concentus, ita in Republica ex summis medijs, infimisq; ordinibus aptissima harmonia existit. Quantà porrò in cælesti mundo consensio, æquabilitasque seruetur, idem testatur Cicero li. 2. de Nat. Deorum: *In cælo*, inquiens, *nec fortunam, nec temeritatem inesse, sed ordinem, & constantiam dominari*. Quare sapienter Sapientum Princeps Plato in Timeo docuit ad cælestium orbium stabilitatem hominum mores conformandos. De hac Musica præclarè Mercurius Trismegistus in Asclepio cap. 6. dum definit quidnam sit callere Musicam: *Musicè vero nosse*, inquit ille, *nihil est aliud nisi cunctarum rerum ordinem scire, quæque sit diuina ratio sortita. Ordo enim rerum singularum in vnum omnium, artifici ratione collatus, concentum quendam melo diuino dulcisonum, verissimumque conficiet*.

5. Hanc porro cælestium Planetarum harmoniam in se repræsentare visa est Virgo Deipara, in qua potentiæ omnes tam appræhensiuæ, quam appetitiuæ, tam materiales, quam spirituales, ipsum denique corpus, cum omnibus membris animæ ita concinebant, vt cælestem quendam sonum reddere viderentur. Quare Pelbartus libr. 5. Part. 3. ob hanc præclarissimam tam animi, quã corporis, reliquarumque omnium facultatum tam spiritualium, quam materialium admirandam concinnitatem, eam iure meritissimo; *Vas admirabile opus excelsi*, quod nimirum solius Dei altissimi potentiâ, solius sapientiâ fabricatum fuit. Additque art. 1. *Dignum consideratione est, quanta celsitudine perfectionis, quam admirabili excellentiâ, & dignitate, quam stupenda diuinæ potentiæ, & sapientiæ ac prouidentiæ Maiestate Virgo benedicta, secundum animam fuerit condita. Quod quidem quamuis mens humana ad plenum capere non sufficiat, tamen pro aliqua cognitione, qua ad aliquantulam saltem deuotionem, ac reuerentiam erga benedictam V. inducamur, vnicam conclusionem, alta mente reponendam, hic ponere censui, quæ talis est: DEVS maiori potentia, & sapientia, præcelsiori, & digniori excellentia, creauit ac condidit benedictam V. M. secundum eius præcellentissimam animam, quam creauerit omnes Angelos, & totam mundi machinam.* Sic ille. Cùm igitur, & beatæ illæ mentes, & orbis vniuersus, ac in primis Planetarum Sphæræ, tantam concinnitatem, sint sortitæ, vt pulcherrimam mortalibus suauissimamque suo ordine, dispositione, ac motu reddere videantur harmoniam; quid sentiendum erit de Virgine sacratissima, in qua summus ille vniuersi Architectus, omnes, & omnipotentiæ, & Sapientiæ, bonitatisque vires exercuisse visus est? Siquidem ad finẽ hunc ordinabatur, vt dignissimum nempè ipsius supremæ Maiestatis fieret domicilium, & ad eminentissimam Diuinę Maternitatis eueheretur dignitatem, pro qua indipiscenda, infinita quædam gratiæ, donorumque Spiritus Sancti, ac charismatum dispositio requirebatur. Accedit, quod Deipara inter omnes creaturas summè propinqua suo debebat euadere Creatori, ac proindè maiorem in ipsa condenda elucere oportuit omnipotentiam, sapientiamque Conditoris. Licet enim omnia, vnâ eademque condita sint Dei virtute, ac sapientiâ, quia tamen Angelus, homo, ac cælum maiorem propinquitatem habẽt ad DEVM, quam cetera, maior in his diuinorum attributorum, quam in illis emicare debuit exergia, & consecutiuè pulchrior cõcinnitas atque harmonia. Quare merito S. Anselmus apud eũdem Pelbartum, pulcherrimam hanc animæ potentiarumque in Deipara contemplans melodiam, pronunciauit: *Nihil tibi Domina est æquale, nil comparabile, omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te est. Quod supra te est, solus DEVS est; quod infra te est, omne quod DEVS non est*. Ac proinde nec Angeli, nec homines Planetarum orbes in morum Virgineorum concinnitate comparandi sunt.

6. Quod si pulcherrimum etiã corpus Deiparæ, tam nobilis, præstantisque animæ consideremus domicilium, inueniemus in illo suauissimam quoque melodiam. Cùm enim corporalis pulchritudo sit apta membrorum symmetria, atque cõsonantia cum coloris quadam suauitate, & corpus illud Virgineũ tam pulchræ, tam eximiæ sociari debebat animæ, & vtrumque tandẽ ipsi Deo, de cuius Pulchritudine, licet inter infidelitatis tenebras cæcutiens, in Timeo præclarè sanè edixit Plato: *semper est, nec mutatione afficitur, nec vt pars pulchrum est, nec vt id cui pulchritudo inest, sed ipse per se pulchritudo, vnde manat cæterorum pulchritudo*; summam profectò in vtrumque decuit emanasse venustatem, proportionem, ac concinnitatem, cùm maximè inter filium, Matremque maximam similitudinem intercedere oporteat. Si ergo filius à Regio Psalte prædicatur specio-

B.V. Planetarum harmoniam in se repræsentare visa est.

B.V. Vas admirabile opus Excelsi.

Deus maiori potentia, & Sapientia B. V. condidit quam omnes Angelos, & totam mũdi Machinam.

B.V. ad hoc ordinata fuit vt fieret Diuinæ Maiestatis domicilium.

In B.V. cõdẽda maior Dei potentia ac sapientia, quam in alijs creaturis emicuit.

Quid sit corporea Pulchritudo.

Deus per se pulcher est, omnem in alios pulchritudinem deriuans.

speciosus formâ, præ filijs hominum, & Virgo Mater quoque pulcherrima dicetur mulierum, vt iam pridem illam celebrauit sponsus, qui Diuinam eius venustatem, cunctis Angelis, omnibusque cęlestis Ierusalem ciuibus conferre non dubitauit Cant. 7. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem*. Eximiam sanè eius pulchritudinem S. Augustinus, *Formam Dei appellare* non dubitauit. Et S. Andreas Cretensis orat. de Dormit. eam contemplans, quasi extra se positus stupefactis sensibus hærens, exclamauit: *O pulcherrima rerum omnium pulchritudo, ò Dei Mater pulchrorum omnium summum ornamentum*. Verè de illa dici potest, quod de sanctæ illius Heroinæ membrorum symmetria, ac venustate, mirantes sapientiam eius dixere Chaldæi. Iudit. 11. cap. *Non est talis mulier super terram, in aspectu, ac pulchritudine, ac sensu verborum*. Hinc Galat. lib. 7. de Arcan. cap. 6. cum chlamyde iustitiæ originalis totum corpus animamque Virginis circumdatam dixisset, ex Isaia, miram omnium membrorum concinnitatem, ac præsertim oculorum, totiusque modestiam, velut suauissimam harmoniam celebrauit. *Dicit beata Virgo, chlamyde iustitiæ circumdedit me*, inquit ille, *quia omnia ipsius Virginis membra à vertice capitis, ad vngues vsque pedum, omnesque sensus, & cogitationes, animæ imperio, absque vlla repugnantia obtemperabant, vsque adeo quidem, vt eius oculi nihil inhonesti, nihil illiciti vnquam aspexerint, imo vt nūquam vel oculos eleuauerit, sicut cęteri homines facere solent, sed semper humi defixos tenuerit, nisi dum DEVM oraret. A quo inter cęteras perfectiones, eo Spiritu Prophetię donata est, vt si aliquod illicitum vel auditura, vel visura esset, illico eius aures, & oculi clauderentur, ita vt non nisi voluntati Diuinę seruire viderentur. Idcirco ait chlamyde iustitiæ circumdedit me, id est, vndique, & ex omni parte vallauit me, vt ita sanctitas illa Virginalis in omnibus eius membris elucescere, harmoniamque pulcherrimam reddere videretur*. Quis ergo dubitabit Deiparam sanctissimā, tam animo quam corpore, omnibusque suis potentijs cælestiū Planetarum in se repræsentasse metaphoricam illam harmoniam?

B.V. mēbra à vertice capitis ad pedes, omnes sensus, ac cogitationes animæ imperio parebant.

B.V. chlamyde iustitiæ ex omni parte vallata.

7. Iam quid de vocali atque instrumentaria illa proloquemur? Sanè cum Diuinissimum illud Canticum Virginis, quo Dominum magnificauit, eiusque præcipua omnipotentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, misericordiæ ac iustitiæ deprædicauit attributa, considero, musicam in illo simul Vocalem, simul instrumentariam reperio. Quid enim est Canticum illud decem Versiculis constans, quam Psalterium illud decachordum Dauidis eius Parentis? Quid est, nisi Canticum illud nouum quod ipse se modulaturum eidem Domino promittebat Psalm. 143. *DEVS canticum nouum cantabo tibi, in Psalterio decachordo psallam tibi*. Hinc S. Bernardinus Senensis, & Iacobus de Valent. Episcopus Christopol, & alij Melos hoc Diuæ Virginis dulcissimum, Psalterium decem chordarum appellarunt. Hanc canendi peritiam in vtroque Musices genere agnouit in Virgine S. August. cum serm. 2. de Annunc. sic eam ad ludendum organis, canendumque vocibus inuitat: *Plaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent, concinant lætantes chori, & alternātibus modulis dulcisona carmina misceantur. Audiamus audiamus piæ mentis affectu quemadmodum tympanistriarum doctrinis concrepet B.V.M. Audiamus, & huic harmoniæ moribus respondeamus, hæc enim Domino decantauit cantica laudis, dicens: Magnificat, &c. Verè Euæ planctum, Mariæ cantus exclusit*. Hæc Aug. ex quibus colligimus Virginem, & Psaltriam instrumentis musicis ludentem, & voce simul modulantem extitisse.

Canticum B. V. Psalterium decachordū dicitur.

Euæ planctū Marię cantus exclusit.

8. Porrò insigne illud ipsius Diuinarum laudum quasi instrumentum, censendum est esse omnino nobilissimum, ob ipsius Auctoris, nempe Virginis, nobilitatem, atque præstantiam. Vnde Pelbartus lib. 2. Stell. Par. 3 art. 1. *Sicut Maria excellit omnes Prophetas sanctitate, dignitate, & gloria, ita eius Canticum excellit eorum Cantica. O' quis huic Cantico non afficiatur, quod tam dignum, tam dulce Nomen sortitum est, vt dicatur Canticum Mariæ Dominæ nostræ Reginæ misericordiæ & gratiæ, quæ illud tunc cecinit, cum iam Dei Filius eius purissimum incolens vterum, intellectum, & voluntatem, linguam cum reliquis membris, velut animatam quandam cytharam optimè concinnatam, ad instar Diuini cuiuspiam Apollinis moderabatur?*

Canticum Mariæ quam nobile, ac præstans.

9. Celeberrima quidem fuere Cantica antiquorum Prophetarum, aliorumque seruorum Dei, ab illis Domino diuersis temporibus, decantata, quæ Iacobus de Valentia decem enumerat. Verum Canticum hoc longè illa omnia interuallo superauit. *Illa enim pro beneficijs*

Canticum B. V. Cantica omnia Prophetarum longè superauit.

cijs temporalibus; inquit ille, *prout præfigurabant, promittebant, & prophetabant futura in nouo testamento nostræ redemptionis beneficia decantarunt*. Et ideo Virgo Maria videns quod omnia, quæ erant scripta in lege, & Prophetis, omniaque quæ antiqui cantauerant futura in supra dictis canticis Moysis, Mariæ, Deboræ, Annæ, Matris Samuelis, Regij Psaltis, Salomonis, Isaiæ, Ezechiæ, in Cantico Denique trium puerorum, fornace Babylonicâ reclusorum, erant partim completa in ea per Incarnationem Filij sui, & cætera erant breui complenda, ideo in laudem Dei prorumpens, iam illa vetera non decantat Cantica, sed exultans in Spiritu, agensque gratias omnia illa esse completa, cantat Canticum Euangelicum, ac nouum Magnificat: Et ideo Virgo Maria posuit decem versus in hoc cantico, iuxta numerum decem illorum veteris testamenti canticorum quasi in hoc omnia illa breui compendio fuissent reclusa. Et ex hoc dicitur Psalterium decachordum Euangelicum, figuratum per Psalterium materiale, & Propheticum veteris testamenti. Ex his euadit manifestum Virginem in primis nouum hoc modulatam fuisse cãticum in primis ob beneficia, quæ ipsa specialiter à Deo receperat. Deinde ob totius generis humani, iam proximè faciendam redemptionem. Quia denique Christus tam in lege, & Prophetis, quam supra dictis decem canticis toti Israeli promissus, iam erat in eius vtero conceptus, & pro toto Israele receptus.

B. V. pro beneficijs à se acceptis, & generi humano datis suo Cantico gratias egit.

10. Duas alias rationes addit Pelbartus iam citatus. Postquam enim ita conclusisset: *Congruentissimum erat vt benedicta Virgo Maria pro beneficio Diuinæ Incarnationis nouo cantico DEVM laudaret*: Mox addidit rationem: *Quia nouo, & summo dono, noua, & summa ipsi Deo debetur gratiarum actio, ne vitium ingratitudinis incurratur, quod est tanquam ventus vrens, exsiccans fontem gratiæ, vt ait Bernardus. Vnde Seneca lib. de Benef. Nil grato animo honestius: turpissimum autem est beneficijs gratias non referre*. Quare Virgo memor gratitudinis, quod pro genere humano redimendo in vteri sui diuersorio nouum diuinumque, ex se carnis paludamentum assumentem excepisset hospitem, merito illi carmen nouum in persona totius humani generis modulata est. Accedit quod quemadmodum homo per blasphemiã in suum Creatorem lapsus est, ita per Diuinam laudem congruum fuit vt repararetur, cum contraria contrarijs curentur. Cum enim Euam Tartareus hostis in Paradiso esset illis verbis aggressus Gen. 3. *Nequaquam moriemini, scit enim DEVS, quod quacunque hora comederitis, eritis sicut Dij scientes bonum, & malum*; quid aliud, quam blasphemiam in DEVM protulit, dum eum inuidum, ac tenacem ostendit? cui Eua, consentiens, & ipsa cum callidissimo illo veteratore blasphemare pariter visa est. Ergo sicut à blasphemia originem nostra perditio trahere visa est, ita decens fuit, vt à Diuinæ Maiestatis laude humani generis reparatio inchoaret. Quemadmodum .n. Maria illa Prophetissa Soror Moysis postquam Israel mare rubrum Saluus incolumisque transmisit, postquam Aegyptij cum Pharaone illorum Rege descenderũt in profundum quasi lapis, sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres, post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat, dicens: *Cantemus Domino gloriosè enim magnificatus est*. Exo. 15. sic sanè Maria Mater Dei, dum nostra redemptio, Dei filio in eius vtero incarnato, inchoat, sumit suum decem chordarum Psalterium, voceque iucundissima Diuinæ Maiestatis laudum encomia tam suauiter modulata est, vt cælestis sponsi delicatissimus, perfectissimusque auditus, voce Matris tamamænâ delinitus, identidem audire idem Canticum desiderarit. Dixerit fortassis: *Fac me audire vocem tuam; vox enim tua dulcis; Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua*. Quo argumento inductus Magnus censuit Albertus, Deiparam Musicæ peritam in summo extitisse. *Quia mirum*, vt inquit ille, *quicquid perfectissimo auditui ad audiendum fuit delectabilius, illud maximè harmonicum fuit. Sed auditui Filij Dei nobilissimus auditus, fuit Vox Matris sibi ad audiendum delectabilissima, igitur summè harmonicam illa fuisse erat necesse*.

Congruum erat, vt B.V. pro benefic. Incarnationis suo Cantico Deo gratias ageret.

Nil est grato animo honestius.

B.V. in persona totius humani generis Incarnato Verbo in suo vtero hospitanti nouũ Carmen cecinit.

Sicut à blasphemia nostra perditio originem traxit, sic reparatio à laude B. V. inchoauit.

M. Soror Moysis carmen Deo victori decantans figura B.V.

B.V. Musicæ in summo perita ob Canticum quod cecinit.

Experta fuit suauissimam hanc Virginis nostræ beatissimæ harmoniam B. Metildis, cuius Monasterium cum aliquando ob magnam vim pecuniæ fuisset sacris interdictum, & ipso die Assumptionis B.V. sacro Religiosum Virginũ illarum sacrarum Collegium Sacrificio Missæ carere deberet, essetque admodũ Sancta illa Abbatissa mœsta visa sibi est videre Christum ab oculis abstergẽtem

 lacry-

lacrymas, eiusque apprehensâ manu sibi dicentem: *Hodie visura es res admirabiles. Quod, & factum est. Comparuit enim cum sua beatissima Matre Saluator cum Angelorum Sanctorumque choris innumeris, qui, Saluatore celebrante sacrum, iucundissimè accinebant; & maximè Virgo Deipara; de qua ita B. Metildis. Inter omnes, & super omnes Beatissima Virgo dulcissimum reddebat sonum, ob quem supra omnes reliquas Sanctorum voces, eius vox singulariter agnoscebatur.* B. Metildis lib. 1. spiritualis Gratiæ c. 43.

11. Quod si suauior harmonia illa vt plurimum existimari consueuit, quæ suauius mouet auditum, membraque ad saliendum, choreasque ducendas facilius impellit, harmoniam sanè Virginis, suo Psalterio modulatam mellifluâ planè, omnibusque cæli cupedijs refertissimam esse oportuit, quæ Ioannem infantem adhuc in vtero Matris gaudio exilire, ibique choreas quasdam ducere impulit, saltibusque Diuinum Verbum, eiusque Matrem præsentem salutare. Hæc enim Elisabethæ Matris verba ad Virginem pronunciata indicant: *Ecce, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Quæ verba Iacobus de Valent Præsul pijssimus in Cant. B. V. expendens miros Virgineæ vocis effectus enumerat: *Illa vox salutationis fuit quoddam instrumentum, ac vehiculum, per quod Christus ex vtero Virginis, emisit Spiritum sanctificationis, in Ioannem Bapt. qua quidem sanctificatio mũdauit eum, ab originali, & confirmauit ipsum in gratia, accelerauitque in eo vsum liberi arbitrij, vt Dominum suum agnosceret; Et ideo, audita illico tali voce, exultauit Infans in vtero Elisabeth. Quæ quidem exultatio, vt dicunt aliqui, fuit talis. Quia cum naturaliter fœtus habeat faciem versus dorsum Matris, tamen tunc Infans conuertit faciem versus pectus Matris, & versus Virginem Mariam ipsam Elisabetham plectentem, vt ex vtero posset adorare Christum existentem in vtero Virginis. Et ideo fecit magnum motum in vtero Matris, qui quidem motus non fuit cum dolore, & molestia Matris, sed gaudio, quod gaudium ab infante in Matrem redundauit, etiamsi gaudium illud per Matrem ad filium transierit. Nam sicut radij solares prius transeunt per aerem ad terram, tamen prius generant calorem in terra quam in aere, eo quod terminantur in terram, ideoque ibi causant calorem vehementem, sed postea reflexi causant calorem, lucemque in aere; ita pariter factum est ibi.* Sic Iacobus. Hinc S. August. Ioannem monti contulit. Tract. 2. in Ioan. primos solis radios excipienti: *Ad hoc erectus est*, inquiens, *Mons Ioannes, vt prior radios excipiat, & oculis suis nunciet.*

B. V. suauis melodia fuit, quæ Ioannẽ Bapt. in vtero saltare fecit.

Vox B. V salutantis Elisabethã fuit vehiculum sanctificationis Ioannis Baptistæ.

Situs S. Ioãnis Bapt. in vtero Matris.

S. Ioan Bapt. Mõs primos solis iustitiæ radios excipiens.

12. Ob hanc cantandi peritiam, qua Virgo exultare, atque exilire fecit in vtero Ioannem P. Sebastianus Parad. lib. 7. Concord. cap. 14 aptè Deiparam Philomelæ comparauit: Quemadmodũ Philomela cauea inclusa alterius Philomelæ cantu excitatur ad cantum: Sic Ioannes ventris materni inclusus cauea, Deiparæ Virginis velut Philomelæ suauissimã voce excitatus Verbum Diuinum sonuit, & Matri indicauit. Gaudium porrò hoc Infantis, corporali motui atque exultationi fuisse sociatam testatur B. Petrus Card. Dam. ser. 1. de S. Ioan. qui inter honores ac dignitates, tertiam hãc ipsius numerat exultationem: *A sæculo*, inquiens, *non est auditum, quod exultauerit, quis in vtero Matris, cum hic in gaudio exultasse legatur. Prorsus obstupenda dignatio, puerum vix conceptum, in motum exultationis erumpere, eique gratanter occurrere seruitio dulciore. Beata anima, quę in via peccatorum non stetit, sed secretiore semita de cœlestibus officinis egrediens, inauditæ gratulationis est sortita dulcedinem.* Testatur, & Ioannes Raulinus Parisiẽsis Doctor ser. 1. de Visit. B. V. *Ioannes ad resalutandam Virginem, vel Christum, totum se in vtero Matris excussit. Dicunt enim aliqui, quod in illa salutatione faciem, quæ, secundum Philosophum lib. 9. de animalibus, semper stat conuersa ad Matris dorsum, Ioannes vertit ad Christum in vtero clausum.* Sic ille. Testatur denique corpoream hãc totis membris factam exultationem Dionys. Carth. ser. 3. de Bap. *Præ abundantia gaudij mentis, facta est redundantia lætitiæ in corpus ipsius, sic quando Ioannes in ventre Matris etiam corporali quadam motione, & inclinatione reuerentiam Regi altissimo Christo exhibuit.* Hæc ille. Quod sanè Prodigium miram, solidamque pueri huius olim futuram felicitatem portendit. Si enim Saloninus filius Pollionis, quod mox ac natus est risisset, prosperæ fortunæ sortitus fuisse perhibebatur augurium: Et quam tandem beatitatem nactum esse censebimus Ioannem, quod ad suauissimum Virgineæ vocis concentum non modo lætitijs incedere, sed toto corpore tam inusitato gaudio exilire fuerit promeritus? Dicamus igitur huic bene fortunato Pusioni, longe potiori iure quam Salonino in ordine ad Virginem Matrem:

B. V. Philomela Cantico suo Elisabetham ad cantandas Dei laudes excitans.

A sæculo nõ est auditum aliquem in vtero exultasse vt exultauit Ioãnes Bapt.

Saloninus mox natus risisse fertur.

Inci-

Incipe parue Puer risu cognoscere Matrem.

13. Verum quid pluribus de suauitate Virgineæ Musicæ hic disserimus? sufficiat dixisse illam totam quanta est, cytharam esse mire concinnam, ac canoram, vti ante quoque in Discursu de cælesti Lyra disseruimus? Præclarè siquidem paulò ante memoratus P. Sebastianus Baradius. *Vt cæli, ita omnes Virginis sensus, animique facultates admirabilem tenuere ordinem, admirabilemque concentum. Concentum cæli, quis dormire faciet? Iob 38. inquit. Nemo sanè cæli, nemo Virginis suauissimum ex summo omnium cogitationum, & actionum ordine profectum concentum impedire vnquam valuit; Si dulcis est sonus castimoniæ, vt ait Ambr. in Psalm. 42. dulcis sonus fidei, dulcis sonus timentium DEVM, quam dulcis fuit, summæ Virginitatis, humilitatis, charitatis, fortitudinis, cæterarumque virtutum omnium, quę in Virgine Deipara sonabant, perpetua, admirabilique harmonia. Nulla cythara est, quæ vnius anni spatio suaue chordarum têperamentum conseruare possit. At Virginis illa suauisonans cythara, Animam dico, sexaginta tribus, quibus in mortali carne permansit annis, omnium fidium, omnium sensuum, facultatumque suauissimum temperamentum, stupendo modo conseruauit.*

B.V. tota quanta fuit, Cythara ad modum cõcinna extitit

Quã suauis vir tutũ concentus in B. Virgine.

14 Neque verò solum in anima sua Virgo ad instar cytharæ concinnitatem perpetuam, verumetiam vocis suauitatem retinuit. Siquidem ab omni peccato tam originali, quam mortali, ac veniali, imò ab omni peccati fomite semper libera extitit, atque ita vocem semper canoram, prorsusque Virgineam, purissimumque Spiritum ad concinendas Deo laudes aptissimum habuit. Verissimè enim Orig. Hom. 6. in lib Iud. peccatum raucedinem animæ esse censuit: *Quæ*, inquiens, *putas ita canora vocis est, & ita Spiritus purę mentis, qui syncerè canat, vt cantilena eius diuinum possit delectare auditum? Ille, qui nullum habet raucum peccati sonum.* Quare Rutilius Benzonius in Psalm. 86. censuisse visus est Deiparam cantando carmen illum suum Virgineũ modulatam nouum Canticum: *quoniam*, inquit, *tempus Incarnationis est tempus noui Cantici, tempus musices, dies modulationum, & nouorum carminum, vt chorus Angelorum.* Idipsum confirmat D. Prosper de Promiss. & prædictio. par. 3. promiss. 33. *Imò ipsa Incarnatio Verbi est Musica quædam Diuina, canticum nouum, & cæleste carmen, è cælo in terras euectatum*, vt asserit Clem. Alex. lib. Exhort. ad gent. *Igitur congruum fuit Deiparam, quæ canticum Incarnationis proferebat, carmine illud cantasse, vt tempori, ac nouo Cantico responderet. Cantare enim canticum nouum est Christi Incarnationem annunciare*, secundum Arnobium, Chrysost. Basil. Augu. & Hilarium. Etsi concentus cæli neminem dormire facit, quando nempe cælum præ fragore ruit, vehemẽtiusque pluuijs totum defluit, ac strepentibus ventis, tumultuantibusque elementis, quanam ratione Deipara, dum cælum in terram inclinatur, ipsamque cõtingit, dum non elementorum, sed diuinorum attributorum harmonia in terris auditur, atque dignoscitur, dum denique diuinæ potentiæ, & misericordiæ organa, personant carmen nõ assumet? nec exultabit in carminibus? Et cum receperit in pectore suo Canticum nouũ, quomodo linguâ, & ore non reddet carmen Deo nostro?

B.V. vocis suauitas perpetua absq; raucedine peccati.

Incarnatio Verbi est Musica quædam Diuina, & Canticum nouum.

Cantare Canticum nouũ est Christi Incarnationẽ annunciare.

15. Concludit tandem Beatissimã Virginem ad filij similitudinem, & imitationem egregiam Psalteriam ac sapientissimam incantatricem appellandam esse, adeo vt suâ iucundissimâ voce, non solum incantationes Aegyptiorum, idest Philosophorum, & hæreticorum deceptiones, & fallacias destruat sed etiam suo validissimo carmine Idololatriam, ipsosque Dæmones dispergat, ac fuget. Sunt hæc Diuinæ Incantatricis carmina etiam medicamentum, ac medela, qua omnis nostra ægritudo tollitur, & sanatur. Quod autem Saluator fuerit Cantor, Psalterium, & cythara ostendimus disc. de Lyra cælesti, addendum hic Cantorem se ostendisse, quãdo post cænam Hymnum cum Apostolis modulatus est. Hoc enim verbum Græcum ὑμνήσαντες, tantum significat. Nam Augus. teste, in Tit. Psal. 72. de ratione Hymni non solum carmen, sed & cantus est, adeo vt nisi cantetur, Hymnus dici non possit. Hinc S. Ambr. lib. 4. Hexam. cap. 8. Cantorem ac Incantatorem sapientem Christum agnoscens sic loquitur: *Multi tentant Ecclesiam, sed sagæ artis ei carmina nocere non possunt, nihil incantatores valent, vbi Christi canticum quotidie decantatur. Habet Incantatorem suum Dominum IESVM, per Magorum incantantium carmina, & serpentum venena euacuauit, & ipse sicut serpens exaltatus deuorat colubros Aegyptiorum, ferale licet carmen immurmuret, hebetatur in Christi nomine.* Hinc Clemens Alex. in Pędag. de Christo Domino loquens; *Est*, inquit, *Dei concinnum, &*

B.V. egregia Psalteria, & Incantatrix.

Cantorem se Christus ostendit, cum post cænam Hymnum dixit.

Hymnus non solum carmẽ, sed & Cantus est.

Ecclesia habet Incantatorem suũ Dominum IESVM.

Verbum Incarnatum cõcinnum est, & aptum Instrumentum.

aptum instrumentum sapientiæ super mundana, Verbum cæleste. Hinc S. Cyrillus Alex. lib. 15. de Adorat. vocat Turturem Saluatorem. *Turturi,* inquiens, *aptissimè conferri potest Dominus noster IESVS Christus, oblectauit enim orbem terrarum Euangelica prædicatione Turtur ille supremus, & cælestis,* cum suaue quodammodo carmen modularetur, vt Dei Patris nobis voluntatem declararet. De huius Turturis voce Cant. 2. *Vox Turturis audita est in terra nostra.* Hinc Arnobius denique appellat Saluatorem *Incantatorem sapientissimum* dum illud Ps. 57. explicat; Incantantis sapienter; *prædicando enim,* inquit, *animas conuertebat, & ipsa prædicatio, rectè incantatio dicitur.*

Turtur cælestis Christus Euangelica prædicatione orbem oblectans.

Christus Incantator Sapientissimus, quia sua prędicatione animas conuertit.

16. Imitata denique est Virgo Deipara in suo decantando Carmine illo suauissimo, nō solum filium, verumetiam Angelos, stellas cæli, tam fixas, quam errantes vti diximus, atque adeo creaturas omnes, quæ vbi cōditam pulcherrimam hanc cælorum, terræque molem, tantâ potentiâ, sapientiâ, bonitate, atque magnificentiâ contemplatæ sunt, concetumque eius mirificum harmoniamque demiratæ, in amplissimas conditoris laudes, effusissimâ lætitiâ, ac jubilo, proruperunt. Ad hasce allusit laudes ipse vniuersorum Dominus cum Iobum cap. 38. interrogauit: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terrę? quis demisit lapidem angularem eius, cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Quæ enim hæc castra sunt matutina Dei omnipotentiam laudantia, nisi sydera tam fixa, quam errantia, quę primo suæ creationis mane, vnà cum beatissimis illis Spiritibus, cælorum Sphæras, tam immensas, vastissimamque terræ molem, absque fundamentis in vllis medio Vniuersi sitam, tanto artificio, partiumque omnium, atque elementorum concentu ædificatam intuētes mirificis laudum præconijs eius infinitam Maiestatem, perfectionesque extulerunt. Quemadmodum igitur creaturæ omnes, & insensibiles, & rationales DEVM in orbis totius creatione laudibus celebrarunt, ita quoque in eiusdem Vniuersi reparatione per Incarnationem facta, Virgo Deipara eundem vniuersorum Dominum, venustissimo, eoque mellifluo plane carmine nomine creaturarum omnium euexit, atque magnificauit. Quod si vt docet S. Chrysostomus Angeli ipso orbis aspectu obstupuerunt, cum multitudinem, pulchritudinem, dispositionem, vtilitatem, varietatem, ornatum, splendorem, concentum, cæteraque omnia, quæ multo melius illi, quam nos vident, ac intuentur: Quanto magis Deipara eundem Conditorem in purissimo suo vtero Humanam naturam, quæ creaturarū omnium nodus, ac compendium quoddam, imo paruus mundus est, assumentem, eumque sibi arctissimo hypostaticę vnionis vinculo sociantem, simulque eam reparantem, atque ad pristinum nitorem, formamque reducentem intueretur, animitus, medullitusque, summis laudū titulis exornare debuit? Si enim Angeli die quarta, vt ait Anastasius Synaita libro 4. Hexam. non solum ob creationem astrorum, sed præcipuè ob sacrosanctæ Incarnationis mysterium, quod in illis ac præsertim in sole repræsentabatur, DEVM laudarunt, multo sane potiori iure ad hoc faciendum ab ipso cytharędo, ęterno videlicet Verbo, eius vtero dilitescente excitari debuit Virgo Deipara. Sed ipsa verba Anastasij audiamus: *Hymnis DEVM celebrarunt. Quamobrem? Quoniam facta sunt astra? Non certè propterea, sed cùm vidissent solem è terra reccurrentem, in mysterio didicerunt Christi Incarnationem, & è terra assumptionem, & ideo cùm vidissent eum ex sancta Virgine tanquam ex abysso exortum, statim exclamarunt dicentes: Gloria in excelsis Deo.* Sic Anast.

B. V. in suo decantando Cantico non solum Filiū, sed & Angelos, & cælos imitata.

In creatione mundi sydera omnesque creaturæ cū Angelis Deū laudauerunt.

Sicut in creatione mundi omnes creaturæ DEVM glorificauerunt, ita B. V. in eiusdem reparatione magnificauit DEVM.

B. V. ab ipso Cytharædo æterno idest Christo excitata ad cātandam Incarnationē.

Sol iustitiæ ex B. V. tanquam ex Abysso exortus ad laudes Angelos mouit.

17. Ex quibus omnibus hactenus dictis colligimus sanctissimam Virginē Deiparam tam vocali, & instrumentario, quam etiam metaphorico concentu, in omnibus quidem actionibus, sed maximè in sui Cantici modulatione harmoniam Planetarum, imo omnium 10. orbium cælestium denis illis eiusdem Carminis versiculis fuisse æmulatam. Quos sanè versiculos non modo decem Psalterij illius Dauidici chordas, verumetiam totidem Sirenes Platonicas, cælestibus globis insidentes, concentibusque dulcissimis Diuos recreantes appellare possumus. Colligimus insuper Cāticum hoc Deo ipsique Virgini Deiparę esse gratissimū, cum ab eius clientulis piè, vt par est, magnoque in DEVM amoris affectu, quēadmodum illa modulata est, decantatur. Hoc ostendere ipsa, in Ioscione Monacho nō est dedignata; Cùm enim hic in eius honorem Carmen hoc cum qua-

Versiculi 10. Cantici B. V. sunt decem chordæ Psalterii Dauidici, vel 10. Sirenes cælestibus globis insidentes.

Canticum B. V. ipsi gratissimum esse, in Iosciono Monacho ostensum.

quatuor alijs Psalmis, quorum singuli initialibus suis literis augustissimum Mariæ Nomen conficiunt, totidem Angelicis Salutationibus pręmissis, diebus singulis recitaret, post mortem rosæ omnino quinæ, eæque pulcherrimæ ex oculis, auribus, atque ex ipso ore suauissimi odoris pullularunt, ex quibus illa, quæ Canticum Virginis denotabat, Mariæ nomine insignita, ex ore procedebat præ cæteris Diuinum aspirabat odorem; adeo vt verè dicere possimus quod Carmen hoc Virgini æquè gratum accidat, atque flos rosarum in diebus veris. De hoc Vide Vincent. Belluacens. lib. 7. Speculi c. 117.

18. Aliud non minus insigne Virgineæ pietatis, in eos qui singulari deuotione Carmen hoc iterarunt, refert testimonium Pelbartus lib. 2. Stell. Par. 3. art. 3. Cum enim in quodam Monasterio Religiosi, magno affectu in choro Canticum illud modularentur, Virgo benignissima, ex altari descendere visa est ad illos, eisque Filiolum quem vlnis gestabat, amplexandum, osculandumque exhibere. Ex quibus beneuolentiæ IESV, & Mariæ signis, mira suauitate delibuti sunt. O' verè amplexus, ò oscula quæ vincunt mellis pocula! De alio quodam religioso refert idem Pater religiosissimus, quod cum sacrum illud feruentiori affectu recitaret melos, in singulis non modo versiculis, sed & verbulis mente defixus hærebat. Adeo porrò hęc pij huius seruuli attentio placuit Dei Matri, vt eum læthali morbo lectulo affixum inuisere, eique diem mortis prædicere, eumque amplecti, atque purissimè osculari, prolixâ admodum charitate dedignata minimè fuerit. Tandem cum morti indictus dies aduenisset, ipsa misericordiæ Parens, innumeris Angelorum stipata myriadibus ei adfuit, atque ita fœlicissimè, ad felicitatem illam, nullo vnquam fine terminandam euolauit.

Cantātibus Magnificat B.V. filiolum suum amplexandū dedit.

Deuotè recitans Magnificat à B.V. inuisitur, cique dies mortis prædicitur, &c.

19. Neque verò solum Deipara Virgo Planetarum, reliquorumque cælestium orbium æmulata est melodiam, verum etiam ipsorum mundo repugnantem motum; quemadmodum enim Planetarum orbes versantur retro, contrario motu, atque mundus, vt inquit M. Tull. in som. scip. & reliqui Astrologiæ periti cum Plinio libr. 2. cap. 8. Sic Virgo Deipara in omnibus suæ vitæ motibus, siue actionibus dilectissimum suum imitando filium, mundo contraria extitit viasq; omnino illi cōtrarias ingressa est. Cùm enim, vt reliquos mundi huius immundi motus sileam, motus eius præcipui, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, ac superbia vitæ, vt ait Apostolus esse consueuerint, motibus his planè viâ contrariâ Virginem sua castitate, paupertate, ac humilitate semper processit dū in hac mortalitate nobiscum vixit, cùm â primo immaculatæ Conceptionis instanti, vt censet Suar. votum Virginitatis emiserit, & Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum semper inuiolata, semper illibata permanserit, omnemque etiam Angelicam puritatem multis parasangis superarit, nonnè opposita via carnis concupiscentiæ incessit? Quod porrò homines, imo etiam Angelos Virgineâ sua puritate transcenderit, Deipara, testatur B. Albertus Tract. super Missus: *In omnibus*, inquit, *viatoribus puris hominibus castitas est cum pugna contra fomitem, & cum casu, ad minus in primum motum venialem, & cum possibilitate cadendi, in culpam mortalem exceptis in vtero sanctificatis, Apostolisque Spiritus S. repletis. In beatissima autem Virgine cum fuerit castitas sine pugna fomitis, sine casu mortali, sine possibilitate cadendi, etiam casu veniali, per consequens omni homini improportionabilis extitit. Item Castitas Beatissimæ Mariæ V. castitatem Angelorum quinque gradibus excellit. Est enim multiplicior, nobilior, vtilior, gloriosior, laudabilior. Est inprimis multiplicior; Angeli enim habent castitatem tantum in Spiritu, hæc autem in carne, & Spiritu. Nobilior est, quia illa naturalis, hæc gratuita. Vtilior, illa enim naturalis est, & non meritoria; hæc meritoria. Gloriosior, quia illa sine victoria, hæc autem cum victoria. Est denique laudabilior, quia Angelorum est necessaria, hęc verò voluntaria. Patet ergo quod omnem creaturam excellit castitate*. Castitas denique Virginis eminentissima fuit, eo quod per eam Diuinæ consors fieri Naturæ, promerita est, dum puritate eius plusquam Angelica oblectatus Dei Filius, eius in vtero 9. mensibus conquiescere, eius purissimam carnem assumendo non est dedignatus. Vnde S. Hieron. lib. 1. cont. Iouin. de Virginitatis loquens gloria. *Grandia*, inquit, *nobis, & preciosa Virginitatis promissa donauit, vt per hæc efficiamur Diuinæ consortes naturæ, fugientes eam, quę in mundo est, concupiscentiæ corruptionem, si-*

B.V. velut Planetæ mūdo contrario, ac repugnāti motu processit.

Mundi motus præcipui tres, quibus B.V. fuit semper contraria.

B.V. in primo Concep. suæ instanti votum Virginitatis emisit.

In B.V. fuit Castitas sine pugna fomitis, & possibilitate cadendi.

quidem incorruptio, hęc facit proximum Deo. Quis vero Virgine magis incorruptus, quis ea vicinior imò intimior Deo extitit?

20. Quid de eiusdem Virginis miro dicam paupertatis amore, quo dum in hoc mundo esset, omnes conculcando, atque aspernando diuitias, aurumque à Magis, magna in copia acceptum egenis liberaliter distribuendo, tenebatur? Nonnè opposito concupiscentiæ oculorum, mundique inexplebili auaritiæ motu cieri, paupertatisque perfectionem in se, veluti speculo repręsentare visa est? Perfectissimam hanc Deiparæ paupertatem explicuit sanè præclarissimè B. Alb. Magnus Tract. super Missus: Postquam enim sex gradus, siue perfectiones huius sanctæ virtutis exposuisset, dixissetque omnes in Virgine repertas esse, addit: *Septimus gradus est, omnia, & semetipsum dare, vt pascat proximum, pane spirituali: Octauus gradus est omnia, & seipsum relinquere, & de substantia sui corporis partem accipere, ad refectionemque animarum proximis dare. Et in isto gradu fuit Beatissima Virgo, quæ de purissimis carnibus, & sanguinibus suis viaticum nobis fecit, confecitque panem viuum, qui de cælo descendit, qui est verè vita, quem qui gustauerit non sentiet mortem in æternum. Hunc autem mendico toti mundo dedit beatissima hęc mulier, quæ commiscuit tria sata donec fermentaretur totum.*

Paupertatis perfectæ est, omnia, & semetipsum dare, vt pascat proximū pane spirituali.

In B.V. perfectissima Paupertas dum omnia, & seipsam reliquit, & de substantia sui corporis partem dedit ad refectionem nostram in Sacramento Eucharistiæ.

Tria hæc sata sunt, Deitas, corpus, & anima. Fermentum autem fides Virginis, vt ait Bern. quæ DEVM humanæ naturæ coniunxit, hominique refectionem exhibuit; de qua Saluator: Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Inueniet inquam, vt ait Aug. Intus in Diuinitate Creatoris, foris in carne Saluatoris. Sic Alb.

B.V. Mulier quæ commiscuit tria sata farinæ, scil. Diuinitatem, corpus, & animā, Christi fidei suæ fermento.

21. Quid denique de humilitate eius dicam, qua semper in oculis suis fuit paruula, adeo vt stilla maris, iuxta nominis sui ethymologiam, sibi esse videretur; Quæ eius humilitas ad instar suauissimæ nardi dans odorem suum adeo grata fuit vt Dei filium ex sinu illo Paterno, infinitæ immensitatis, omnibus delicijs affluentissimo, in sinum vterumque arctissimum, dum ancillam se nominat euocarit? nonnè quæso tūc, & semper alias motibus contrarijs huic mundo, eiusque filiæ superbissimæ Euæ moueri visa est? Iure profundissimam hanc humilitatem, qua velut motu contrario Euæ turgidissimæ mundi filiæ virgo ciebatur contemplans August. ser. 2. de Annunc. exclamauit: *O' verè beata humilitas, quæ DEVM hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit? O' inquam verè Mariæ gloriosa humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cæli constituitur. Facta est certè humilitas Mariæ scala cælestis, per quam descendit DEVS ad terras, sicut superbia Euę in infernum descensus.* Verè enim in actionibus omnibus, moribusque Virgo nostra Iustitiæ, virtutumque omnium speculum, Euæ contradixit.

Humilitas B.V. Dei filium, ex sinu Patris euocauit.

B.V. Humilitas facta Scala cælestis, per quam Deus in terrā descendit.

23. Motum hunc eundem Planetarum Mundo contrarium agnouit Magnus Albertus in Deipara: dum Euæ mundi filiæ vanissimæ eam opponit, ostenditque contrarijs plane motibus incessisse Tract. super missus, vbi docens non debuisse Virginem Euæ nomine indigitari, eo quod in omnibus penitus illi fuerit opposita, sic loquitur: *Nomine autem Euæ Maria vocari non debuit, cum in re & effectu contraria illi fuerit, per omnia. Illa enim damnauit, ista saluauit. Vnde, & ipsa nomen Eug mutauit, non voce quidem sed re. Illa quidem omnes generauit, in mundum; ista in cęlos. Illa mater carnalis; Ista spiritualis. Illa mater miseriæ, Ista Mater misericordiæ. Illa principium mortalitatis; Ista principium regenerationis. Illa gratiam perdidit, Ista gratiam inuenit. Illa transiuit, & nos transire fecit, de gratia inculpam, Ista surrexit,* (non admitto, quia nūquam in vllum, ne originale quidem prolapsa:) *& nos surgere secum fecit, de culpa in gratiam: Illa de latere viri dormientis facta est, Ista de corde Dei vigilantis. Illa viro suo occasio perditionis: hęc viro adiutorium redemptionis. Illa desponsatur Mater, & origo corruptarum: hęc desponsatur mansitra Virgo Mater, & Virgo Virginum. Illa prima virginitatem perdidit, hęc prima Virginitatem Deo consecrauit. Illa à Diabolo decepta: hęc ab Angelo edocta. Illam Diabolus vicit per superbiam: hęc Diabolum vicit per humilitatem.* Hæc Alb.

B.V. Euæ mundi filiæ in omnibus contraria.

Eua Mater miseriæ, Maria Mater misericordiæ.

23. De eisdem nostræ Virginis, Eug mundi filiæ contrarijs motibus præclarè etiam S. Amad. Hom. 7. de laud. B.V. *Sicut*, inquit, *in Eua omnes moriuntur, ita in Maria omnes viuificabuntur. Sicut Euæ scelere fit mundi damnatio, ita fide Marię facta est orbis reparatio. Illa infecta est veneno lethali, quod transiuit ad posteros: hęc infusa vitali antidoto fidelis transmisit ad vniuersas. Corruit illa male credula serpenti, surrexit ista, & iuxta verbum quod dixerat DEVS Gen. 1. contriuit caput serpentis.*

Sicut in Eua omnes moriuntur: ita in Maria omnes viuificabuntur.

24. Audiamus denique de eisdem mo-

motibus Virginei huiusce Planetæ, Euæ mundi filiæ oppositis S. Aug. serm. 2. de Annunc. qui postquam de huius Mariani cæli altitudine dixisset: *Altior cęlo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur*; mox attexuit: *Hæc primæ Matris damna resoluit, hęc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit; ista sanauit. Hæc enim, mirabili modo, omnium rerum, & suum peperit Saluatorem.*

B.V. Altior cælo. abysso profundior.

25. Adeo denique contrarijs huic mundo motibus acta est Deipara, vt verè dicere potuerit cum filio: *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quid quam*: Vnde pijssimus Rich. à S. Laur. lib. 4. de laud. B.V. de Mariæ sanctitate disserens sic loquitur: *De Marię sanctitate dicit B. Bernardus: Hęc est Hierusalem ciuitas sancta, quę prærogatiuâ meritorum, omnem transcendit creaturam, ad euacuãdam omnem potestatem inimici, quæ sola in vniuersa humanę generationis linea, dicere potest post filium: Princeps huius mundi in me non habet quicquã. Ioan. 14. Item illud Ioelis 3. Erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam. Adeò denique est sancta Virgo nostr..., vt quemadmodum dixit Anna; Non est sanctus vt est Dominus; ita de illa: Non est sancta, vt est Domina nostra.* Atque hæc de Planetarum motibus mundo contrarijs quos B.V. imitari visa est, dixisse sufficiat.

In Maria Princeps mũdi huius non habet quid quam.

26. Quid de reliquis Planetarum dicam proprietatibus? Illa aptissimè Deiparæ nostræ quadrare videtur quam initio expressit Manilius, dum hæc septem Astra inter cælum, & terram volitantia pendere cecinit. Quæ sanè Virgo Deipara præclarè imitatur, dum in humani generis emolumentum se mira celeritate ac volitu quodam imperceptibili impendit, dum varijs gratiarum suarum influentijs, miros in suorum clientulorum animis, omnes naturę vires excedentes producit effectus.

M. stella volitans ad nostrum auxilium expedita.

Agnouit S. Amadeus Episcopus Lausan. Hom. 8. de B.V. eam stellam in cælo fixam, dum vultui Conditoris sui contẽplando assistentem vidit, munera cælestia ad instar lucis hisce inferioribus communicantem; agnouit eandem stellam esse volitantem, dum eam mirâ solicitudine, charitate Dei, proximique plenissimâ, ad opem suis deuotis, imò, & peccatoribus ferendam discurrẽtem contemplatur: Quæ omnia vir in Virginem pientissimus, illis verbis nobis declarauit: *Notandum verò, ac solerter intuendum quanto affectu, quantaue benignitate cognatos sibi puritate animi complectitur, ac diligit, quę homines nequam, & sceleratos suo interuentu à morte peccati, ęternisque doloribus incessanter absoluit. Geminâ quippe dilectione rutilans, & insignis, hinc in DEVM ardentissimè figitur, cui adhærens vnus Spiritus est: hinc electorum corda blandè consolatur, & attrahit, eisque Nati largitate, optima dona partitur: Motu ergo celerrimo senas Seraphin alas excedens nunc in fonte vitę fruitur amore Deitatis; nunc terras signis, & virtutibus illustrãs vbique suis, vt Mater iucundissima; & mirificentissima occurrit quosdam pręsentia sua, subactis vitijs, reddit victores, quosdam magnarum virtutum pio interuentu facit compotes, quibusdam intima contemplationis pandit sinum, alijs in exitu vitæ iter prębet securum, vt nulla deterreat virtus aduersarij, quibus ducatum pręstat ad Christum Mater Vnigeniti Dei. Extant harum assertionum exempla plurima, quę vt notissima, & per vulgata compendiosè pręterimus. Sciendum verò certissimè quod creberrima miracula, innumera beneficia, spirituales visiones, cælestes reuelationes, sublimes cõsolationes almę Parentes Domini, orbi terrarum assiduè constabunt, donec finem mundus iste senescens inueniat, inclarescente Regno, cuius non est finis.* Hæc Amad. ex quibus mirificas gratiarum Virginis nostræ, velut stellæ in Diuinitatis cælo defixæ, velut stellæ ad suorum fidelium clientulorum volitantes, auxilium, influentias licet perspicere.

B.V. homines etiam nequam, & sceleratos suo interuentu à morte peccati liberat.

B.V ad instar Seraphini motu celerrimo ad nos iuuandos aduolat.

B.V. præsentia sua subactis vitijs clientes suos reddit victores.

27. Quare saluberrimum cõsilium est, ac longè pientissimum Patris nostri Salazar, vt diebus singulis hebdomadæ, qui septẽ Planetarum nominibus indigitantur, gratiæ peculiaris influxus à Deipara, quæ virtutes septem horum syderum in se eminenter complexa est, postulentur. Hoc enim ipsa Virgo suadere nobis visa est, dum Prou. 8. 34. sic loquitur: *Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, hoc est, diebus singulis. Tradunt enim Astrologi septem Planetas qui septem hebdomadę diebus nomen indiderũt, ita singulis præsidere, vt in die Lunę Luna præses sit in cælo; in die Martis, regnet Mars; Mercurij, Mercurius vires suas exerat, influxusque cælestes moderetur, par esto de reliquis Planetis iudicium. Vnde si quis accuratius id obseruet, inquit Salazar, facile inueniet se, affectus quosdam singulis experiri diebus Planetæ illi respondentes, qui tunc imperat.* Imò ad haurien-

Singulis Hebdomadæ diebus, qui septem Planetarum nomine insigniũtur, aliquid à B.V. petendum.

riendos alicuius Planetæ influxus, quos aliquis sibi imprimis exoptet, docet Georgius Venetus, in Harmonia mundi Cantico 3. Tom 2. (Quamquam id nescio quid superstitionis mihi reddere videatur) optimum esse crebrius versus eam cæli partem aspicere, in qua Planeta versatur, sed tunc maximè cum primo mane oritur. Nam exploratum est eum Planetam in cælo præesse, qui eo die cum sole proximè nascitur. Cum igitur Virgo gloriosissima cælum quoddam animatum sit, septem Planetarum orbes, eorundemque virtutem, influxusque complectens, ad illam, diebus singulis mentem, animumque quilibet eius fidelis cliens, ac filius, peculiari pietatis affectu deberet attollere, certus se mirificos in dies singulos gratiarum influxus, bonorumque omnium affluētiam à Virgine, velut à cælestibus Planetarum orbibus percepturum, beatitatēque quandam adhuc dum in hac vita moratur degustaturum. Vnde Hebræus transtulit: *Beatitudinis homines sunt audientes me, & vigilantes iuxta fores meas singulis diebus.* Quasi dicat Virgo gloriosissima: A beatitudine quadam possidebuntur homines, bonisque omnibus tam animi quam corporis in hac vita redundabūt, qui me suis obsequijs sibi deuinciunt, mihique primæ ætatis annos consecrāt. Quod intelligens Sapiens Idiota præclarè pronunciauit: *Inuenta Maria inuenitur omne bonum, ac proinde beatitudo*, quæ Seuerino Boëtio teste, *est status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Quare quod de Planetarum Orbibus Mercurius Trismegitus in Asclepio c. 8. docuit: *Septem Sphæræ*, inquiens, *quæ vocantur erraticæ habent vsiarchas. Id est suos Principes, quam Fortunam dicunt, quibus immutantur omnia, lege naturæ stabilitate firmissima, & sempiterna agitatione variata*; dicere poterimus non longè sanius de Virgine nostra Deipara. Ipsa enim ijs, qui se eius, veluti Planetarum Orbibus, tutelæ, ac patrocinijs, ceu benignis influxibus subdidere, tanquam prosperâ, ac beatâ Fortunâ, & quasi Fatum principatur. Cum enim ipsa prospera sit Christianorum Fortuna, vt in Prima Parte ostendimus, Disc. 19. eos qui à teneris annis maximè sese Virgineis eius obsequijs manciparunt, adeo felices ac Fortunatos efficit, vt nescio qua fatali necessitate, si ita fari licet, fortunati, ac beati esse debeant. Ipsa namque cum bonorum omnium affluentiam, æuiternam Beatitatem æmuletur, necessitatem hāc felicitatis suis cultoribus quasi importare videtur, ita vt ipsi seruientes, ipsam amantes non fortunati, ac beati quodammodo esse non possint. Vnde Cardin. Damiani eam summam post DEVM beatitatem ac bonum nostrum esse cognoscens ait: *Summa gloria post DEVM, te videre, te perfrui, & in protectionis tuæ munimine commorari.*

28. Et verò si Helena Paridi, quod Palladem, quæ illi virtutem, Iunonem vero Regnum eidem promittebat contempsisset, ausa est dicere:

Ergo ego sum Virtus, ego sum tibi nobile Regnum;

multo sanè magis Deipara summi boni Mater ad se recurrentibus, ipsiusque opem quotidie implorantibus erit omnia, in eorumque animos bonorum, virtutumque omnium copiam influet, eosque fortunatos ac beatos reddet. Quare sapienter idem Pater Salazar pronūciauit: *Profectò ratio ipsa postulat, vt nullus omnino abeat dies, in quo speciali aliquo officio, ac obsequio Virginem non colamus, in quo preces aliquas ad ipsam non fundamus. Quanta verò sit vis quotidianæ orationis, quantumlibet breuioris ad Virginem habitæ quotidianis exemplis compertum est.* Sic ille. Sane oratiunculæ illius quam deuotissimus ille Sancto Patri nostro Ignatio Syncronus Ioannes Auila præscribebat ijs, qui fœdis cogitationibus, carnisque titillationibus diuexabantur, mirifica vis in quāplurimis enituit. Plerique enim vbi primum purissimam Dei Matrem, per immaculatam eius Conceptionem obsecrarunt, vt huiusmodi fœditatibus liberarentur, liberati sunt, reque ipsâ benignos ipsius gratiæ, influxus sunt experti. Quam porro gratæ acceptæque Virgini Deiparæ huiusmodi sint precantiunculæ, ostendit ipsa Alphonso Rodriquez Societatis nostræ Religioso, cum ei aliquando, magnâ cum familiaritate sese spectandam exhibuisset, iussissetque ipsum Catalogam precum suarum quotidianarum conscribere, quo & alios in posterum suæ pietatis æmulos, atque imitatores haberet. Paruit mox Alphōsus, atque hæc quatuor pietatis in Virginem ipsi acceptissima memoriæ prodidit exercitia:

Officium immaculatæ Conceptionis.
Corona B. Mariæ Virginis.
Litaniæ Lauretanæ Virginis pro felici morte.

B.V. post Deum est nobis omnia.

Nullus dies abire permittendus, in quæ speciali aliquo obsequio B. V. non colimus.

12. Sal-

12. Salue Regina, & 12. Aue Maria, quæ ille ad singulas diei, noctisque horas referebat, in eiusdem purissimæ ab omni labe Conceptionis honorem; vt horis omnibus ita Virgo immaculatè concepta laudaretur, & ipse ob eiusdem merita ab omni culpa seruaretur immunis. Longum foret persequi illos, qui Salutatione Angelicâ peculiari religione ac pietate quotidie recitatâ, vel Gaudiorum eius, aut dolorum commemoratione, vel alio quopiam deuotionis exercitio felicissimum ex hac vita exitum, imo & ab æterna damnatione liberationem, aliosque cæli fauores, Virginis ope, atque precibus, velut benignissimo Planetarum influxu impetrarunt. Aliqua de multis delibasse sufficiat.

Clericus dissolutis muneribus ab hostibus occiditur, & Ecclesiæ sepultura interceditur, quam tamen B. V. in loco sacro sepeliri voluit.

29. Religiosissimus sanè scribit Pelbartus lib. 1. Stell. Part. 4. art. 1. cap. 4. Carnuti in Gallia Clericum extitisse, qui licet leuis admodum, dissolutisque esset moribus, carnis quoque desiderijs implicitus, Deiparam nihilominus crebrius memoriâ, eiusque virtutes recolebat, eamque Angelicâ Salutatione quotidie venerabatur. Hic cum in hostium manus incidisset, ac miserãdum in modum esset trucidatus, illius loci Clerus Ecclesiasticâ sepulturâ eidem interdixit, iussitque eum in loco profano sepeliri. Non fuit sui clientuli etiam demortui, eiusque corporis immemor Virgo Beata. Postquam enim diebus 30. ad Dei, Virginisque virtutem magis mundo declarandam iacuisset, visendam se cuidam ex illis Clericis præbuit Virgo Deipara, eumque seueré admodum increpuit, quod extra locum sacrum, suũ, vt illa aiebat, Cancellarium sepelissent, iussit proinde illico eum exhumani inque atrium Templi transferri. Parent mox illi Dei Matris imperio, defossum in terram corpus eruunt, & ecce retectâ facie, pulcherrimus flos ex viuido eius ore promicat, inque eiusdem incorruptâ, & quasi ad DEVM laudandum expeditâ lingua Salutatio Angelica floridè descripta visitur. Quo conspecto prodigio, facile intellexere omnes, qui aderant, eum huiusmodi gratijs, honoreque dignatum, quod Deiparam, Virginem ore, linguâque suâ frequenter consalutarit, eiusdemque ope, ac patrocinio in horâ mortis peccata, corde contrito detestari, & feliciter ex hac vita ad beatam illam, perennemque emigrare fuerit promeritus.

In ore Clerici demortui flos visus, in lingua vero Salut. Angelica descripta erat.

Clericus quidam B. V. cultor in pũcto lethali moritur, & à B.V. ad agendum pœnitentiam ad vitam reuocatur.

30. Quid de altero quodam dicam, de quo idem Pelbar. art. 3. ex Anselmo? Hic cum pensum Horarium Virgini quotidie recitaret, eandemque Salutatione Angelica frequentius veneraretur, & ex hac vita, lethali scelere adstrictus emigrasset, alteri cantibus inuicem Angelis lucis, ac tenebrarum, ac discẽtãtibus cuiusnam tandẽ anima illa futura esset, sempiternus Iudex precibus sanctissimæ Matris placatus, animam illam ad corpus redire, & pœnitentiam pro admissis peccatis agere iussit. O' Virginem, ò Planetam planè benigni, vitalisque influxus! Ad Planetam hunc benignissimi aspectus conuerterat se Virgo illa, de qua Alanus de Rupe. libr. 6. Rosarij. Huic familiare erat quotidie corollam ex Salutationibus Angelicis Diuæ Virgini contexere. Hæc dum die quadam, vna cum Socia ad visitandum peregrè amicos itaret, in eas duo lupi famelici insiliunt. Et altera quidem miserarundum in modum ipsos pauit. Hæc autem Deiparam obtestari cœpit, ac obsecrare, quo tandem confessioni, & communioni detur locus. Cernere iam erat euulsa vbera, vẽtrem lacerum, ilia deuorata. Non defuit saluti eius spirituali Deipara. nam absque morâ ab accurrentibus vltimum iam agens spiritum, fugatis lupis, defenditur. Triduo superuixit, confessa est, Sacratissima Eucharistia refecta, Dei Matre etiã apparente, quæ animam exciperet, cæloque inferret.

Mulier B.V. deuota à lupis deuorãda per eandem liberatur.

31. Iam quid de mirificis cælestis gratiæ influxibus à Virgine communicatis dicam ijs, qui septem ipsius gaudia pia deuotione recoluerunt? Sanè B. Bernardinus Senensis solitus erat dicere, se gratiam omnem, quam habebat, ipsumque ad populum verba faciendi donum acquisiuisse potissimùm, quotidiana gaudiorum Deiparæ meditatione. Quam grata porrò hæc gaudiorum recordatio ipsi accidat Deiparæ, quantosque gratiarum influxus, ad instar propitij Planetæ suis clientulis, piè eadem recolentibus communicet, testatur S. Anselmus lib. mirac cap. 22. citatus à Pelbarto. Ibi enim refert fuisse Clericum, qui cùm assiduè dolores Deiparæ, ex quinis filij vulneribus perceptos, ipsius gaudiorum commemoratione verbis illis mulceret: *Gaude Dei Genitrix Virgo immaculata. Gaude, quæ ab*

S. Bernardinus Sen fatetur se omnẽ gratiam, & donum, & concionandi à B. V. impetrasse meditatione gaudiorum eiusdẽ.

Ggggg Ange-

Angelo gaudium suscepisti. Gaude, quæ genuisti æterni luminis claritatem. Gaude Mater. Gaude Sancta Dei Genitrix, & Virgo. Tu sola Mater innupta. Te laudat omnis creatura. Genitrix lucis sis pro nobis quæsumus perpetua interuentrix ad Dominum IESVM Christum; cùm inquam ita dolores Deiparæ dum viueret sæpius mulceret, in extrema vitæ periodo eandem meruit habere consolatricem. Cùm enim metu anxius, horroreque mortis esset pene consternatus, adfuit illi mox misericordię Mater, eundemque verbis illis consolata est: *Cur tanto timore trepidas, qui toties mihi gaudium annunciasti? ne paueas, quia nil mali patieris, sed gaudiorum meorum, quæ mihi sæpius annunciabas particeps efficieris.* His auditis cùm se gaudio, lætitiaque gestiens erigere vellet, anima illius in cælum feliciter euolauit.

Clericus gaudia B. V. sæpius commemorans in hora mortis trepidus per eandem consolatur.

32. In hiscè Virginis gaudijs commemorandis quotidie, nimium quantum addictus fuit S. Thomas Cantuariensis Antistes, & postmodum Martyr Christi gloriosissimo, vt testatur Bern. Bustius, & alij. Cum igitur die quadam maiori pietatis sensu ea recoleret, & de more iterata septies Angelica Salutatione singula illa gaudia, quibus cum filio in terris fuit delibuta, veneraretur, Virgo Mater se illi spectandam obtulit: *Gratum,* inquiens, *omnino Thoma mihi obsequium tuum est: Sed quid tantum meministi eorum gaudiorum, quibus afficiebar, in terris? Recole etiam ea, in posterum, quibus nunc fruor in cælis. Nam omnem, tam hæc, quam illa venerantem, in hora exitus ex hac vita solabor, exhilarabo, filioque meo dilectissimo sistam.* Miro perfusus gaudio Sanctus Antistes respondit Virgini: *Et quanam ratione Domina suauissima hæc præstare possum, cum quænam ea sint penitus ignorem? Septenâ subintulit Deipara, Salutatione Angelica hæc etiam Gaudia honorabis. Sunt porrò hæc, quibus in æternum fruor. Primo Gaudeo, quia secundum SS. Trinitatem super omnem puram creaturam primos honores obtineo. Quia intemeratæ Virginitatis laureola omnes Angelorum, Sanctorumque ordines longè antecello. Quia ingens lumen glorię meę, ad instar solis curiam cæli illustrat vniuersam. Quia omnes cęli indigenę me vt Deiparentem venerãtur, ac colũt. Quia à filio nacta sum facultatem quidlibet impetrandi. Quia olim in terris immensa mihi collata fuit gratia, meisque clientibus iam in cęlo ingens gloria a filio pręparata est. Gaudeo denique, quia gloria mea nouis surget incremẽtis ad diem vsque extremum, & inde perennabit in omnem ęternitatem.* Hęc noua Deiparæ in cælis gaudia vbi S. Thomas audiuit, ea in Rythmos redegit, & sunt hi, quos descripsit Pelbartus lib. 10. part. 4. art. 3. Hos ego in gratiam B. Virginis cultorum piè quotidie recitandas hic attexo.

S. Thomas 7. salut. Angelicis 7. gaudia B. V. venerando dignus habitus, qui ab ea inuiseretur.

Suadet B. V. S. Thomæ vt recolat etiam sua gaudia quibus perfruitur in cęlis.

Septem Salutationibus Angelicis gaudia B. V. veneranda.

Gaude flore Virginali,
Quę honore speciali
Transcendis splendiferum
Angelorum principatum,
Et sanctorum decoratum
Dignitate numerum.
Gaude sponsa chara Dei,
Nam vt clara lux diei
Solis datur lumine;
Sic tu facis orbem verè
Tuę pacis resplendere
Lucis plenitudine.
Gaude splendens vas virtutum
Cuius pendens est ad nutum
Tota cęli curia.
Te benignam & felicem
IESV dignam Genitricem
Venerans in gloria.
Gaude nexu voluntatis
Et amplexu charitatis
Quod vincta sis altissimo;
Vt ad votum consequaris
Quidquid Virgo postularis,
A IESV dulcissimo.
Gaude Virgo Mater Christi
Tu quę sola meruisti
O Virgo piissima
Esse tantę dignitatis,
Vt sis Sanctę Trinitati
Sessione proxima.
Gaude Mater miserorum,
Quia Pater sęculorum
Dabit te colentibus
Congruentem hic mercedem
Et felicis poli sedem
Regnis in cęlestibus.
Gaude Virgo Mater pura
Certa manens, & secura
Quia tua gaudia
Non cessabunt, nec decrescent.
Sed durabunt, & florescent
Per ęterna sæcula. Amen.

Eadem 7. gaudia sibi acceptissima esse B. V. S. Metildi reuelauit libro primo Spiritualis gratiæ cap. 6. Cum enim aliquando eidem se visendam exhibuisset, ob rogauit humiliter, quonam honore illam eo die prosequi, qui ei gratus accideret, posset? Cui illa memoriam illorum 7. gaudiorum mirificè commendauit, eademq; singillatim recensuit.

33. Con-

33. Consueuerunt Virginis deuoti, post singula hæc etiam gaudia, Salutationem Angelicam addere, quo Virgini tanto gratior huiusmodi gaudij cōtingat recordatio. Quàm porrò Virgo fidelis in suis promissis extiterit, testatur huius Sancti Antistis gloriosissimus ex hac vita ad immortalem per Martyriū transitus. Credibile enim est Virginem, quæ terribilis, ac inexpugnabilis est, vt castrorum acies ordinata, ei tunc adfuisse, eundemque ad Martyrium animasse. Vnde fortassis hac castrorū Virgineâ benè ordinatâ acie se circumuallatum animaduertens intrepidè, Clericis templi aditus præcludere conantibus, accurrit, ostiumque aperuit: *Non est*, inquiens, *Dei Ecclesia custodienda more castrorum, & ego pro Ecclesia Dei libenter moriar*. Tandem quasi Deiparam sibi adstantem cerneret, vti factum sine dubio, illi Ecclesiam, & se flexis genibus commendans sacrum caput mira constantia, impio ferro præcidendum obtulit.

B.V.S.Thom. Cantuariensi morienti adfuit.

34. Hiscé septem Virginis gaudijs pro fælici impetrando ex hac vita decessu, consultissimam est, alia quinque eiusdem Deiparæ gaudia piè recolere; quorum memoria nimium quantum ei grata esse consueuit, vti ipsa B. Metildi lib. 1. Spirit. gratiæ cap. 41. reuelare dignata est. Cum enim illa pro quadam persona Virginis cultui addictissima, quæ eius gaudia sæpius felicissimâ memoriâ repetebat, Dominum exoraret, vidit illam coram B.V. quæ illi torquē quinque vnionum ordinibus distinctum porrigebat, simulque Metildi dixit: Cum illa meorum gaudiorum meminit, his hæc quinque annectat, vt me illo ineffabili salutet gaudio, quo fruita sum cōtemplando inaccessibile illud gaudium Beatissimę Trinitatis. Primum gaudium fuit, quando ego Diuinissimum contēplando lumē, velut in lucidissimo agnoui speculo æuiternum illum amorem, quo me prælegis atque supra omnem adamauit creaturam. præterea quanto cum amore me super omnes elegit, vt eius Mater ac sponsa existerem; agnoui etiam ipsius complacentiam, qua ipse summopere in me, omnique meo obsequio, quod illi mūdo exhibui, sibi complacuit. Secundo salutet me, in illius gaudij plenitudine, quam aures meæ perceperunt ex mei amantissimi Filij, Patris, ac sponsi dulcissima salutatione, quando me amantissimè excepit, secundum suæ Omnipotentiæ magnitudinem, sapientiæ suæ artificium, ac demum delicati sui amoris in me immensitatem, concinando in auribus meis suauissimum sui amoris, iucundissima sua voce Canticum. Tertio salutet me in illius gaudij plenitudine, quod anima mea percepit in dulcissimo illo osculo, quod mihi impressit Diuinitas, quo tam abundè in me saponem diuinæ suæ dulcedinis transfudit, vt ex mei gaudij redundantia mellifluí facti sint cæli, adeo vt ne quidem in terra reperiri vllus adeo miser aut malus potuerit, quē ego dummodo desideret, participem facere nequeam meæ plenitudinis. Quarto salutet me in ineffabili illo gaudio quo perfruita sum, cum anima mea tota igne Diuini amoris inflammata fuit, meumque cor dulcedine Diuini cordis liquefactum extitit; quando ipse in me totam plenitudinem sui diuini amoris transfudit, meoque ardore sanctorum multitudo sese in feruorem Diuini amoris accendit. Quinto salutent me in ineffabili illo gaudio, quod habui, quando Diuinitatis splendor tam claro lumine mea omnia penetrauit membra, vt cælum à mea gloria nouâ luce resplenduerit, omniumque sanctorum gaudium ex mea præsentiâ maius acceperit incrementum. Hæc Virgo Deipara; quæ sane si quis piè in dies singulos recoluerit, eodem variarum gratiarum, ceu vnionum preciosissimorum torque ornari in hac vitâ, & postea feliciori mortis catastrophe peregrinatione hanc claudere promerebitur. Quare Sapienter pientissimus hortatur omnes Pelbartus. *Hoc admoneo, hoc adhortor, vt omnes ad B. Virginem eiusque gaudiorum recordationem deuotè ac piè afficiamur, omnes ad eam confugiamus, eique pio affectu deseruire studeamus, certo nobis persuadentes, quia ipsa Mater pietatis adest, & præsto est ad auxilium impendendum omnibus inuocantibus eam in veritate. Hoc est quod deuotissimus ait Bernardus: Sileat misericordiam tuam ò felicissima Domina, quicumque in suis necessitatibus te meminit inuocatam, auxilium sibi defuisse.* Sic ille.

Exhortatio Pelbarti ad gaudia B.V. recolenda.

35. Quid tandem de benignioribus Virginei huius Planetæ cælestium fauorum influxibus ijs communicatis, qui dolores Virginis mente, animoque recoluerunt, dicam? Hos Sancto Ioanni Euangelistæ reuelauit Deipara, vt autor est P. Antonius Balinghen in suo

S. Ioannes Euangelista post B. V. in cælos Assumpt. cupiuit eandem videre.

Kalend. 27. Decembris, vbi ait quod sanctissimum illũ Apostolum post Virginis in cælos profectionem, ingens incesserit cupido videndæ gloriosæ Deiparæ. Igitur alienatum a sensibus asserit spectasse cum Filio Matrem, & audijsse æquè filium de suis tormentis in Cruce toleratis, atque Matrem de ingenti erga filium commiseratione mutuo differentes. Apud Filium tandem supplicasse Matrem, vt cæleste quoddam munus idque non vulgare omnibus communicaret, qui piè dolores illos mente, animoque recoluissent, moxque Filium quatuor hęc dona se largiturum spopondisse. Primum erat, vt quisquis Virginem per eius dolores precaretur, is ante obitum verũm de peccatis dolorem impetraret. Alterum, vt ipsius Virginis tum semper, tum maximè instante morte præsidio muniretur. Tertium ex promissis erat, se eius cordi suos, Virginisque dolores inscripturum, eaque de causa mercedem magnam aliquando præstiturum. Promisit denique se Matri ius omne daturum, ac facultatem pro tali quidlibet impetrandi. Quis hisce tam benignis, tam amplis, fidelissimisque æternæ Veritatis pollicitationibus, ad mentis oculos quotidie conuertendos in dolores filij, ac Matris, velut benignissimos Planetas, à quibus tot gratiarum, donorumque cælestium influxus ad mortales deriuãtur, non accédatur, atque animetur? Siquidẽ huiusmodi pietatis officia adeo grata, adeo iucunda accidere Dei Matri comprobantur.

Præmium iis promissum à B. V qui eius dolores recoluerint.

36. Quocirca supra memoratus P. Salazar: *Sanè haud iniucundum*, inquit, *Virgini officium ille persolueret, qui ita preces suas ad Virginem funderet, vt considerans Virginem omnium Planetarum vires, ac potestatem in se cohibere per singulos hebdomadæ dies, eam, ab illa virtutem postularet, quæ illius diei Planeta respondet. Docent Astrologi Lunã frigore suo ad castitatem disponere. Ergo in die Lunæ à Virgine veluti luna quadã Archetypa, & supra mundana, castitatem ac pudicitiã deprecari æquũ erit. Mars fortitudinem instillat. Decebit igitur in die Martis à Virgine, ceu quodam mystico Martis sydere fortitudinem expetere. Mercurius eloquentiam, & moderandæ linguæ gratiam impendit. Neque incongruum erit in die Mercurij eam regendæ linguæ gratiam à Virgine tanquã à quadam spirituali Mercurij stella postulare. Iuppiter magnanimitatem, & sublimes quosdã impetus ad gloriam spirat. Licebit ergo in die Iouis animi magnitudinem, ac sublimitatem, preclarosque quosdam, despectis caducis ac terrenis rebus, impetus ad cęlestia à Virgine, velut à quodam Iouis arcano sydere exorare. Lucifer aut stella Veneris amore effundit quapropter in die Veneris ardentior erga DEVM proximumque charitas à Virgine, veluti à supra cęlesti Lucifero expetenda est. Saturnus prudentiam terris afflat. Igitur in Saturni die prudentiam à Virgine, ceu à quodam candidissimo Saturni sydere deprecari addecet Denique à Sole Sapientia, clariorque rerum omnium cognitio deriuatur. A Virgine autem in die Solis, idest, Dominica, veram Sapientiam diuinorumque cognitionem expetere oportebit. Et quidem hac ratione omnes Marię influxus percipiemus, & per singulos dies eam cęlo quotidie presidentem inuocabimus.* Sic ille.

Quid singulis hebdomadæ diebus à B V. postulandum sit.

Die Lunæ à B V. postulãda Castitas.

Die Martis fortitudo.

Die Mercurii eloquentia, et moderandæ linguę gratia.

Die Iouis postulãda à B. V. magnanimitas ad terrena contemnenda.

Die Veneris postulanda charitas in Deum ac proximum.

Die Sabbati siue Saturni petenda à B. V. prudentia.

Die solis siue Dominico postulanda à B. V. sapiẽtia & clarior diuinorum cognitio.

37. Parem quoque iucunditatem afferre poterit Deiparæ ille, qui eãdem esse Virginem illam, de radice Iesse agnoscens, super cuius florem requieuit Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, Spiritus demum timoris Domini, ad eam in dies singulos velut ad propitij Planetæ sydus oculos mentis, animique conuerteret, ab eaque hæc Septena Spiritus Diuinissimi munera, ac charismata totius hebdomadæ decursu, singula diebus singulis desiderando, postularet. Experiretur enim Virginis benignissimę mirificam liberalitatẽ in horum donorum communicatione, experiretur animam suam velut germinantem Virgulam illarum virtutum flore decoratam, gratissimum odorem superis, ac terrigenis exhalantem.

Gratum obsequium offert B. V. is qui eam Virgam de radice Iesse considerãs super quam 7. dona spiritus S. requieuerũt, postulat in singulos dies vnum. Spirit. S. donum.

38. Quod si eandem Virginem velut Domum æternæ Sapientiæ donis illis Spiritus Sanctissimi, velut septem columnis innitentem per singulos hebdomadæ dies consideret, conuersoque contemplationis ad Virginem intuitu postulet, vt mens animusque eius domicilium increatæ euadat Sapientiæ, donaque sacrosancti illis Spiritus mẽtem eius, ceu solidissimæ columnæ suffulciant, mirificum mentis robur, ac soliditatem experietur, agnoscetque reipsa Deiparam Planetarum sydus esse propitium, diebusque singulis nouo vigore Spiritus, velut columnã, animum suum solidari, ac stabiliri animaduertet, ita, vt dicere cũ sancta illa anima possit: *Mens mea in Christo fundata est; Et quis me separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, ac persecutio, an gladius?* Ro. 8.

B. V. vt Domus Sapientiæ 7. Columnis innixa cõsideranda, & donum aliquod Spiritus S. diebus singulis petendum.

39. Verè

B V est nostra columna cui omnes spes nostræ innituntur.

39. Verè tota quanta quanta est Deipara Virgo, tota in nostrum subsidium præsidiumque columna est, cui tota fabrica nostri spiritualis ædificij, omnesque spes nostræ, dum in hac peregrinatione dubij de salute, inter spem, & metum versamur, innituntur; In vanum laborat ille, qui domum in corde, animaque sua Diuinissimæ illi ædificat Maiestati, nisi totum eius ædificium Virgineâ hac columnâ longe solidiori, quam illa Brooz Templi Salomonici fulciatur; Fælices habiti sunt Israelitæ quondam, quod Angelo duce, in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem delitescente, per desertum inter tot hostium ferocissimorum discrimina profecti sunt: At verò multò nos feliciores Virginis clientuli censendi sumus, qui in hoc exilio semper tam inter prospera, quam inter aduersa mundi huius vacillantes ac labantes, domumque Spiritualem Domino ædificantes auxilio, patrocinioque Deiparæ, veluti firmissimâ columnâ fulcimur. Hac suffultus columnâ Richardus à S. Laur. securus dicebat: *Pone me iuxta te ò Maria, & cuiusuis manus pugnet contra me*, Et rursus: *Si Maria pro nobis, quis contra nos?* Agnouit ædificij nostri Spiritualis firmissimum columen, columnamque esse Virginem Sanctus Bonauentura Psalm. 115. cecinit: *Nisi Domimina ædificauerit domum cordis nostri, non permanebit ædificium eius, Aedifica nos ò Domina gratiâ, & virtute tua, vt maneamus firmi in perpetuum*.

B. V. nostra est Columna nubis, & Ignis in hac peregrinatione.

Si M. pro nobis quis contra nos.

Mane ac vesperi quisque B.V deuotus se illi commendet, ad eamque mentem eleuet.

40. Quamobrem quisquis quotidiano in virtutibus animæ suæ gaudet profectu, anhelatque magnis passibus in via Diuini Marianique obsequij progredi, quotidie mentis oculum, ac mane præsertim vbi euigilat, ad Deiparam tanquam ad Planetam propitium conuertat, faciatque quod fecisse memoratur Angelicus ille adolescens noster Ioannes Berchnam qui vesperi decumbens, & mane surgens imo, & prandens, & cœnans Angelicâ salutatione ipsius immaculatam Conceptionem venerabatur. Huiusmodi sane Virginis cultor, nil dubitet quin benignissimum illius aspectum influxûque gratiæ fit experturus: agnoscet hic reipsa verissimum esse illud quod ipsa de se prædicabat Prou. 8. *Quando præparabat cælos aderam*, vt nimirum in me supernus artifex non modo cæli empyrei, Primi mobilis, firmamenti seu cæli stellati, verumetiam reliquorum cælestium orbium, ac Planetarum virtutes, ac perfectiones conferret, quo benigno meorum patrociniorum, intercessionumque influxu mortales omnes fauerem, eisque vitam, vigorem, aliaque dona gratiæ communicare possem. Vigilet ergo quotidie quisque Marianus cliens ad fores Virginei obsequij quam diligentissimè, & velut ad Planetæ sydus irretortum mentis oculum, ad eam dirigat, omnem post DEVM spem in ipsam collocet, influet mox illa in huiusmodi clientulum benè de se sperantem copiosissimam gratiam, donaque cælestia, tantoque magis bonis omnibus, ac præsertim spiritualibus abundabit, quanto maiorem in Virginem nostram benignissimam collocabit fiduciam.

In B V omnis spes nostra post Deū collocanda.

41. Et verò ingentem de illa nos habere conuenit fiduciam ob varias rationes, & præsertim illas 12. quas enumerat Pelbartus libro 12. stellarij Part. 2. artic. 3. vbi ait illas esse quasi stellas duodecim spem hanc nostram, fiduciamque erga Virginem coronantes. Atque vt reliquas breuitatis causa, omittam, tres illæ considerationes, veluti firmissimæ columnæ, spem nostram in illam stabilire possunt mirificè; Prima est, quod amore peccatorum in Dei Matrem est electa. *Igitur*, infert Vir pijssimus, *B. Maria tenetur quodammodo in tanti beneficij à Deo accepti recompensationem nobis in nostris necessitatibus subuenire*. Hinc Anselmus: *Multum*, inquit, *Maria hominibus tenetur, propter quos ipsa Dei Mater est electa; & homines multum ei tenentur, quia per eam sunt Deo reconciliati*.

Ob quas causas in B.V. habenda nobis est fiducia.

B.V. amore peccatorum in Dei Matrem electa, ideo bene nobis de illa sperandum.

42. Altera spei nostræ ratio est, quia Virgo summæ proprietatem Diuinæ misericordiæ præ alijs creaturis, tanquam Deo proxima, atque ante alios coniunctissima participauit. Sicut ergo attestante Psalmista: *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*, eiusdemque Dei proprium est misereri semper, & parcere; ita Matris Dei est proprium, vt sit Regina misericordiæ, & pietatis, in qua Pater miseri-

B.V. propriū est vt sit Mater, & Regina misericordiæ.

cordia-

cordiarum, & DEVS totius consolationis, ac fons pietatis infinitæ requieuit, & ipsi Virgini suæ Diuinæ bonitatis pietatem communicauit. De illa siquidem Isa 26. extat vaticinium: *Præparabitur in misericordia solium Dei*, *hoc est ipsa Beata Mater*, vt quemadmodum in illa misericordia totaliter requieuit, ita ex solio misericordiæ eius, effluat misericordia, & pietas in omnes. Vnde Bernard. Quid mirum si pietatem exhibent viscera Mariæ? nonnè, qui pomum in manu sua tenuerit dimidiâ die, reliqua diei parte pomi seruabit odorem? Quantum ergo viscera illius Virginis virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit? Securè ergò charissimè accedere potes ad ipsam, quæ Regina est & Mater misericordiæ.

B V. solium Dei in misericordia præparatus, quia in illa ipsa misericordia requieuit 9. mensibus.

42. Postrema ratio Pelbarti est. Quia Virgo nostra plena est gratiâ, ac consequenter plena misericordia, & pietate. pietas enim est effectus gratiæ, & donum Spiritus Sancti. Vnde Origenes: *Scio*, inquit, *quod si Beata V. pulsata fuerit precibus, necessitati nunquam deerit, misericor enim est, & plena gratia, ideo continere se non poterit, quin inuocanti misereatur*. Hinc Bernard. *Vas liquore plenum si quo modo moueatur, facile effundit liquorem: sic Beata V. si quomodo moueatur precibus, effundit gratiam ac misericordiam*. Idem inquit: *Maria ante conceptionem plena gratiâ ab Angelo nunciatur, vt sibi plena, tandem etiam nobis fieret plena*. Et quia *Plenum*, secundum Philosophum 4. Physicorum dicitur, *cuius nulla pars est vacua*, igitur securè accurrere possumus, vt de plenitudine eius misericordiam, & gratiam hauriamus peccatores.

In B.V. sperandum quia plena est gratia, & misericordia quam illa nobiscum communicare cupit.

Plenum dicitur cuius nulla pars est vacua.

44. Ad Virginem igitur tanquam ad sydus per vniuersum orbem circumuolitans, luce sapientiæ, reliquarumque gratiarum, diuinæque charitatis calore redundans, in omni nostra necessitate, summa cum fiduciâ accurramus inque illam irretortum mentis oculum habeamus, influxus, mihi credite, eosque copiosissimos diebus singulis in animis nostris experiemur. Est enim illa Mater nostra amabilissima tenerrimè nos diligens, salutemque nostram efficaciter exoptans. Vnde amorem hunc Virgineum in se agnoscens S. Martyr Ignatius à Pelbarto citatus sic ad illam scripsit. *Nunc claude me in gremio maternæ pietatis, tu Mater summæ Deitatis, vera Mater Saluatoris, Mater adoptata peccatoris*. Illa quoque nostræ salutis, profectusque spiritualis percupida, nos materna prorsus charitate ad se inuitat. Eccli. 24. *Ego*, inquit, *Mater pulchræ dilectionis, timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini*. Securè ergo, inquit idem Pelbartus, ad eam accedamus, quæ infallibiliter nobis suum suffragium pollicetur. Naturaliter enim quælibet res illuc inclinatur, vbi maiorem influentiam pietatis, & auxilij se habituram sperat. Sic videmus flores quosdam vt solsequia, tulipos, & his similes, sese ad solem obuertere, quia ipsius influxus maximè in se persentiscunt. Pueri quoque naturâ duce semper ad sinum Matris Patrisque recurrunt. Vnde quæsitus aliquando Salomon, vt refert M. Ioannes Grithsch Minorita apud eundem Pelbartum. Quisnam locus homini foret securior? Respondisse fertur sapientissime: *Gremium Matris*. Hinc Ioannes Bercanum noster quæsitus à quoddam quodnam in ariditate mentis, aijsque tentationibus haberet refugium? Respondit inter reliqua: Sinum Virginis Matris. Verè enim locus securissimus, locus delicijs cælestibus plenissimus est gremium, sinusque Matris Virginis. Ipsa enim est nobis turris fortitudinis à facie inimici, vt inquit Richardus à S. Laurent. Ipsa est locus ille voluptatis, teste B. Petro Cardinali Damiano de quo fluuius ille immensus, qui ab æterno de sinu Patris exiuit, & ad irrigandum Ecclesiæ Paradisum emanauit. Verè enim non est, vt idem Cardinalis sapientissimè pronunciauit, *locus voluptatis nisi vterus Virginis*. Ad hanc ergo tanquam locum nostrum connaturalem, tanquam ad centrum, tanquam ad propitium Planetarum sydus assiduè, inque dies singulos, nouo ardore, nouo in virtutibus omnibus proficiendi, eique placendi, obsequendique desiderio nos conuertamus, miros profectò ipsius gratiæ, quam apud Dominum inuenit influxus in animis nostris sentiemus. Recurramus ad Virginem, velut ad benignissimi aspectus Planetam cum S. Bonauentura, & pientissimo

Exhortatio ad confugiendum ad B. V. tanquam ad sydus propitium.

Oratio S. Ignatii Martyris ad B. V.

Quæsitus aliquando Salomon quisnam locus homini esset securior? Respondet gremiũ Matris.

B. V. Turris fortitudinis à facie inimici.

B. V locus voluptatis.

mo Lauretano Præsule Benzonio, dicamus illi animitus, medullitusque: O Domina Illuminatio mea, & salus mea, quam timebo? sit splendor faciei tuæ, & serenitas gratiæ refulgeat menti meę. Ne auertas faciem tuam à me, quia speciem, & decorem tuum à iuuentute mea concupiui. Te amaui, & exquisiui Regina cælorum, misericordiam tuam, & gratiam tuam ne subtrahas à seruo tuo. Formositatem, & pulchritudinem induisti, amicta es Domina fulgenti vestimento; De te procedit peccatorum medela, pacis disciplina, ac feruor charitatis, lumenque veritatis. Imple nos seruos tuos virtutibus sanctis, & ira Dei non appropinquet nobis. Iucunditatem æternam da seruitoribus tuis, & noli eos obliuisci in certamine mortis. Benedicti sunt oculi tui splendidissimi, quos digneris misericorditer conuertere super nos peccatores. Benedictum sit lumen, & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultus tui. Inclina vultum Dei super nos, coge illum peccatoribus misereri. Domina in cælo misericordia tua, & gratia tua diffusa est super terram. Non dormitet, nec dormiat pupilla oculi tui super nos, vt tuâ semper custodia protegamur.

Amen.



D I-



DISCVRSVS XXXVII.

Quæ in Planeta Saturni à pluribus celebrantur, fælicius in Virgine Deipara reperiuntur.

I.

Marullus Tarchaniota Constantinopolitanus Poeta libr. 2. Hymnorum miras celebrat Saturni laudes, vt quod ipso Regnante Aurea sæcula regnarint: quod ipse consilio ac ingenio pollentes efficiat, graues item, ac moderatos, aliaque permulta, quæ recensere longum foret. Sic igitur ille:

Saturno regnante aurea reuecta sæcula.

Saturnus cõsilio, ac ingenio pollentes, graues, ac moderatos efficit.

Iuuat dicere sæcula
Fortunata Dei, ac sua
Crescentem Cererem sponte, nec annuæ
Curæ debita semina,
Et lactis niuei flumina, flumina
Larga nectaris Attici
Cum Pax, & Fides casta per oppida
Visebant hominum domos,
Nec possessa diu Imperia, hospiti
Pigebat dare strenuo
Nam quid maius habeat Cælicolæ, Patre
Saturno Iouis optimi?
Eodem magnanimo Patre Iouis.
Quis æquè est alius potens
Idem cuncta dare, atque idem alere omnia,
Idem cuilibet omnia
Parcarum memori lege resoluere?
Quis fœcundior ingenij
Largitor? Solidæ quis retinentiæ?
Hic seu casta magis iuuant,
Felix cast[...] seu taciturnitas
Et tenax animus sui
Obseruare bonus tuta silentia
His [...]pendere fertili
Solers vomere agros: hic sua semina
Doctus fertilibus dare
Terris, & veteres chaonias dapes
Blandis vertere frugibus. Hæc ille.

2. Quorum pleraque multo aptius Deiparæ quadrarent Virgini. Verè enim ipsa nascente, nata, reuectaque sunt nobis Aurea illa sæcula, & Saturnia Regna, de quibus Virgil. Eclo. 4. dum carmē Genethliacum Asinio Pollioni Germanici exercitus ductori post captam Salonam Dalmatiæ ciuitatem primo meruisset lauream, post etiam consulatum adeptus fuisset, modulatus est. Huic Filius, à capta Salona, Saloninus dictus, qui mox, vbi lucem aspexit, vti alibi diximus risisse perhibetur, quod futuræ felicitatis indicium censebatur. Et licet huius laudes, Parentisque celebrare videatur, censent tamen viri eruditi, diuiniori afflatum Spiritu Vatem hunc, Dei filij recens nati de Virgine, aurea sæcula orbi vniuerso, felicissimo suo partu reuehente celebrasse, felicitatemque illam temporum, quam suo carmine Sibylla Cumea modulata est, ad Mariæ Virginis, Christique Natiuitatem toti vniuerso faustissimam applicuisse dum cecinit:

B. V. nascēte aurea reuecta sæcula.

Saloninus Asinij Pollionis filius capta Salona sic dictus.

Quæ de Salonino scripsit Virgilius deque eius Natiuitate, magis Christo ac B. V. conueniunt.

Vltima Cumei venit iam carminis ætas
Magnus ab integro sæculorum nascitur ordo
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna
Iam noua progenies cælo demittitur alto
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo
Casta faue Lucina tuus, iam regnat Apollo.
Incipe parue Puer risu cognoscere Matrem.

3. Christus enim de purissimo Virginis Matris vtero, vti Sponsus de thalamo ad instar fulgentissimi solis prodiens risisse, risumque ac lætitiam orbi peperisse visus est vniuerso. Illum enim Isaac, qui Risus interpretatur, magni illius Patriarchæ, multarumque gentium Patris, figurabat. De quo præclarè, eius lætissimam natiuitatem commemorans pronunciauit Ambrosius: *Verus Isaac natus est nobis, qui vniuersorum lætitia, & omnibus factus est remissio peccatorum.* Ipse enim verus est mundi Apollo, siue iustitiæ Sol, scelerum densissimas tenebras di-

Christus nascens risum toti orbi peperit.

Christus per Isaac qui risus interpretatur designatus.

dispellens, ille decus æui, ille fecit ferrea desinere sæcula, aureaque inchoare, imo toto mundo auream Christianorum gentem, scelerum omnium scoriâ labeque expurgatam à morte ab Inferno consurgere. Verè enim Christo.

Gens aurea dicuntur à Vigilio Christiani.

Hoc Duce si qua manent sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua soluent formidine terras.

Verè Christus, quia eandem vitam, essentiamque habet cum Deo Patre, Spirituque Diuinissimo, suâque gratiâ mortales Diuinæ facit consortes naturæ, eisque pacem, quæ exsuperat omnem sensum, impertitur:

Ille DEVM vitam accipiet, Diuisque videbit
Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.

Pergit inde idem Poeta Aetatis illius aureæ, prorsusque felicissimę, in qua Diuinus ille Infans de Virgine nasci non est dedignatus, innumera commoda recensere, quæ mirificè cum Saturni Regno congruunt.

Aureæ ætatis descriptio.

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta Leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.
Incultisque rubens pendebit sentibus vua,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella,
Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam Croceo mutabit vellera luto
Sponte sua Sandyx pascentes vestiet agnos.
Talia sęcla suis dixerunt; Currite; fusis
Concordes stabili fatorum Numine Parcę.

Tandem ad potentissimum filium hunc Virginis aurea hęc sæcula, felicissimamque illam ætatem reuehentem facta apostrophe, vitam ad illa vsque faustissima tempora sibi superstitem dari cupit, quo eum dignè, vt par est laudare possit, sicque concludit:

Aggredere ò magnos, aderit iam tempus, honores
Chara DEVM Soboles, magnus Iouis incrementum.
Aspice conuexo nutantem pondere mundum
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.
Aspice venturo lętentur vt omnia sæclo.
O mihi tam longę maneat pars vltima vitę,
Spiritus, & quantum sat erit, tua dicere facta.
Non me carminibus vincet, nec Thraceus Orpheus.

4. Ouidius quoque 1. Met. describit eadem illa Saturni tempora faustissima, in quibus omnium rerum erat copia: summa Pax, plenaque tranquillitas, fides iustitiaque, ac summa libertas, vigebat: non amorum furor sæuiebat, non auaritia hominum vitam maris fluctibus, periculisque committebat, terra ab aratris intacta fruges vberrimas grauidasque promebat, otiosa, securaque, ac omnibus ærumnis vacua erat vita mortalibus, denique sine vicissitudine temporum, continua veris temperie orbis fruebatur: Quæ omnia hiscé versibus peruenustè nobis idem Vates ob oculos proponit:

Aureæ ętatis ab Ouidio facta descriptio.

Aurea prima sata est Aetas, quæ vindice nullo,
Sponte sua, sine lege fidem, rectumque colebat.
Pœna, metusque aberant, nec vincla minacia collo
Aere ligabantur, nec supplex ora timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine Iudice tuti.
Nondum cęsa suis, peregrinum vt viseret orbem
Montibus, in liquidas pinus descenderat vndas,
Nullaque mortales, præter sua litora norant.
Nondum pręcipites cingebant oppida fossæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat, sine militis vsu
Mollia secura peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec vllis,
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus,
Contentique cibis, nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Corneaque, & in duris hærentia mora rubetis.
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores,
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renouatus ager grauidis canebat aristis;
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant
Flauaque de viridi stillabant ilice mella.

5. Natalis Comes denique libro 2. Mythol. cap. 1. Aetatem illam auream sic describit: *Quid enim est*, inquiens, *aliud Aetas aurea, quam communis omnium libertas in Ciuitate benè legibus instituta? cùm feræ cum domesticis animalibus; cum canibus, lepores; Agni cum lupis, & cætera huiusmodi impune versantur*. Quæ descriptio cum ea conuenire videtur, quam Euangelicus vates Isaias, felicissima illa tempora nascituri de Virgine Messiæ sub typo Virgæ de radice Iesse egredientis, florisque nunquam marcescentis, super quem Spiritus Domini cum omnibus suis donis requieuit, nobis ob oculos proponens, descripsit, dum cecinit cap. 11. 6.

Natalis Comitis Aetatis aureæ descriptio.

Hhhhh Ha-

Habitabit lupus cum Agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & quis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos, Vitulus, & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas, Et delectabitur Infans ab vbere super foramine aspidis; & in cauerna Reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet, &cet. Et rursus idem Isa. cap. 65. 25. *Lupus, & Agnus pascentur, simul leo, & bos comedent paleas, & serpenti puluis panis erit. Non nocebunt, neque occident in omni loco sancto meo dicit Dominus.* Quæ omnia metaphoricè intellecta miras ab Incarnato in vtero Virginis Dei filio ex hominibus factas in hoc mundo metamorphoses nobis repræsentant, veréque sæculum illum aureum extitisse attestantur. Per leonem enim, lupum, aspidem, quosuis homines fortes, potentes, rapaces, & noxios; vti per pardum irretitos varijs erroribus, ac vitijs, ceu maculis. Per agnum, verò, vitulum, bouem, infirmos, pauperes, mansuetos, ac laboriosos Propheta intellexit, ac si diceret: Veniet tempus quando beneficio gratiæ Incarnati Verbi, eiusque Matris Virginis, mortales mansuefacti quietè, magnaque cum pace simul versabuntur iusti, & peccatores; mites, & feroces; patientes, & cholerici; pauperes, & diuites; infirmi, ac potentes. Veniet inquam tempus quando gentes feræ, ac barbaræ, brutâ illâ, depositâ feritate, ac ferociâ mansuescent, & cum humilibus ac simplicibus Christianis, velut cum hædis, & agnis, in vnitatem fidei, Christianæque religionis conspirabunt, & sub vno Pastore Christo in vberrimis pascentur pascuis, & in vno, eodemque ouili commorabuntur, vt videre fuit in Paulo, qui cùm ante leo, lupusque Christiani sanguinis sitientissimus extitisset, Christi gratiâ eiusque Matris Virginis deprecatione præuentus, vt alibi diximus, cum Apostolis, reliquisque Christianis veluti cum Agnis versatus est.

Aureæ ætatis ab Isaia facta descriptio.

Variæ metamorphoses hominum virtute Incarnati Verbi, eiusque Matris factæ.

6. Hoc nimirum fore olim insinuabat per Oseam Dominus cap. 2. 18. quãdo cum peccatoribus, in brutis animalibus expressis, se pacem initurum pollicebatur. *Et percutiam cum illis fœdus in die illa cum bestia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ.* Hoc idem prædixit Isaias cap. 43. cum hoc sæculum aureum gratiæ, sub nomine Nouorum atque admirabilium nunciauit: *Ne memineritis,* inquit, *priorum, & antiqua ne intueamini: Ecce ego facio noua.* Quæ enim alia sunt hæc noua, quam illud nouorum omniũ admirabile compendium, & vnum sub sole nouum, de quo Hierem. 31. *Creauit Dominus Nouum super terram: Fœmina circumdabit virum.* Quæ enim est hæc fœmina tam ingens, vt virum circumdet? Quis vir iste, vt à fœminei vteri angustijs circumdetur, ac coarctetur? Audi S. Ber. Hom. 2. super Missus: *Nunquia non facile est fœminam agnoscere virum circumdantem, cùm Mariam videas virum approbatum à Deo virtutibus, & prodigijs IESVM suo vtero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse IESVM, nõ solùm iam cum diceretur vir Propheta potens in opere, & sermone, sed etiam cũ tenera Infantis membra Dei Mater blando vel foueret in gremio, vel gestaret in vtero. Vir erat IESVS nec dum etiam natus, sed sapientiâ non ætate, animi vigore non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentiâ membrorum.*

Tempore Euãgelii Deus cum peccatoribus velut bestijs fœdus inijt.

Inter noua, quæ fecit Dominus est Verbi Incarnatio in vtero B. V.

7. Et quæ tandem sunt alia noua, quæ cum hac tam mira Nouitate oritura prædicit Isaias? *Ponam,* inquit, Dominus, *in deserto viã, & in inuio fluminã.* Scire quis cupit, quæ sit hæc in deserto via? Hæc est illa, quæ de se dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Filius nempe Virginis nobis est in hoc mundi deserto ab omnibus virtutibus, gratijsque cælestibus deserto ac in inuio via: ille in hoc arenti deserto fons aquæ vitæ salientis in vitam æternam, de illius vulneribus, ceu fontibus, gratiarum omnium erumpũt flumina. Hæ ipsius gratiæ miras in hominibus efficiunt transmutationes, dum ex bestijs, Draconibus ac struthionibus format animalia ratione prædita Deum laudantia. Vnde mox subnectit: *Glorificabit me bestia agri, Dracones, & Struthiones, quia dedi in deserto aquas, vt darem potum populo meo, electo meo.* Quid enim per tam immanes belluas, vt sunt Dracones, quam Gentiles, barbarieque efferati, indomitique populi intelliguntur? S. Gregorius lib. 31. Mor. cap. 5 intelligit etiã humi repentes, lasciuos turpibus voluptatibus carnis indulgentes, & manifestè improbos; per Struthiones verò hypocritas. Struthio enim habet pennas quasi volaturus, nec tamen volat, quales fuere in Iaponia Bonzij, qui religiosò habitu, nonnullisque externis cerimonijs famam sanctitatis aucupabantur, licet forent moribus fœdissimi, corruptissimi, atque abominabiles. Hi nihilominus reliquique gratiâ Christi mirifi-

Christus in huius mundi deserto, ac inuio, est nobis via.

Conuersi Gentiles, qui erant Dracones, ac Struthiones laudant Dominum.

Dracones significant lasciuos humi repentes, terrenis perditos.

rificè in viros sanctos trãsformati, Deũ Creatorem glorificarunt. Quod si loco Draconũ cum Septuag. Interp. legamus. *Sirenes, quales videlicet Vlyssis socios fascinarunt, & in mare demersos deuorarunt, intelligemus gratia Christi, eiusque Matris Sanctissimæ infames amasias, meretriculas, ac lenas ad sanctioris vitæ institutum conuersas Diuinis laudibus pangendis sese impendisse. Verè enim homines vitijs, sceleribusque dediti bestiæ agri, Dracones, & Struthiones aliaque immanium belluarum monstra vocitari possunt.* Hinc Aeschylus aiebat non esse in Rep. alendum leonem, hoc est hominem immanem, superbum, ac Tyrannum. Hinc Aristoteles in Politicis *hominem à lege, & iustitia alienum, ait esse omnium animalium pessimum.* Hinc Plato libr. 3. de Republ. scripsit, in homine, velut in equo Troiano, esse omnia animalia: In doloso .n. est vulpes, in crudeli leo; in libidinoso, amica lutosus, in torpido, asinus, in suspicaci, odora canum vis; in guloso, lupus; in compto ac superbo, Pauo; in garrulo, Pica, &cet. Et hoc voluisse Pythagoram cùm dixit improborum animas degenerare, & migrare in corpora belluina, seque induere in leones, canes, lupos, &c. Hinc denique D. Chrysostomus præclarè ad rem nostram pronunciauit: *Qualibet bestia vnum habet, & proprium malum, homo autem omnia.*

Meretrices sunt Sirenes.

In Repub. alendus non est leo .i. homo sæuus ac crudelis.

Homo à lege & iustitia alienus, omnium animaliũ pessimus.

In homine velut Equo Troiano sunt omnia animalia.

8. Qua porrò ratione sæculo isto aureo, quod gloriosissima nobis suo felici, castissimoque partu reuexit Virgo, huiusmodi belluini homines in sancta, rationeque prædita animalia, imo in Angelos quodammodo, ipsius precibus, patrocinioque transformentur, plurimis comprobare possemus exemplis, quæ breuitatis amore prætermittimus. Duo commemorasse sufficiat. Scribit Pelbartus libr. 12. Stell. Part. vlt. ca. 9. Iudæum quendam Longobardum fuisse à latronibus captum, & plagis multis affectum, ac vinctum in obscurissimum carcerem detrusum. Dum hic nil aliud, quam mortem præstolatur, venit in mentem vt ad patrocinium, præsidiumque Virginis, de qua plurimum Christiani confidere consueuerunt, recurrat. Id quod cogitarat exequitur, abortisque lacrymis, sic illam alloquitur: *O' Domina cæli, & terræ verifica in hoc cane, quod de te prædicatur: Dicitur à Christianis, quod per te mundus saluatur, captiuati à Dæmone liberantur, carceribus detenti eripiuntur, adiuua igitur, & me miserum.* Adest mox per quietem Deipara, binis comitata Virginibus, adstrictumque vinculis absoluit. Vbi euigilat, videt pulcherrimâ luce radiantem Virginem, fulgoreque suo illustrantem omnia. Ad quam ille miser conuersus: *Dic mihi*, inquit, *ò Domina, quę es, quę tam benignum affectum mihi misero ostendisti?* Subintulit Virgo: *Ego sum Maria, quam tu cum gemitibus aduocasti, & licet tu, maioresque tui me, filiumque meum mundi Redemptorem ab negaueritis, tamen ego pro malis vestris reddam bona, teque ab erroribus in viam veritatis reducam; quam vt clarius agnoscas me subsequere.* Sequitur mox ille Deiparam, Angelorumque ductu in altissimam rupem deducitur, ex qua vallem profundissimã, obscurissimamque erat cernere, tetrum, intolerabilemque fœtorem, flammasque sulphureas euomentem, in qua plurimæ animarum myriades vltricibus illis ignibus, alijsque incredibilibus supplicijs mactabantur. Cùm Hebræus cõterritus in terram corruisset, ad illum conuersa Virgo: *Hi cruciatus*, inquit, *perfidis Iudæis, qui me, filiumque meum negant, atque aspernantur, sunt parati.* Tandem iussu Virginis eorundem Angelorum ministerio, in amœnissimum, altissimumque montem deducitur, in quo splendidissimæ mansiones domiciliaque, & in eis beati cæli Ciues diuinâ luce radiantes, laudesque dulcissimas, summâ animi gestientis lætitiâ, suo Creatori modulantes, visebantur. Ad quem tandem Virgo: *Hęc*, inquit, *est animarum sanguine preciosissimo filij mei redemptarum hęreditas, quam & tu si verè credas, possidere poteris. Elige igitur ex hisce duobus locis, quos tibi ex mea gratia videre licuit, quem libuerit.* His auditis, visisque verus Abrahæ filius, Mariam verè, iuxta ipsius Nominis ethymologiam Illuminatricem expertus; scelera pristina, perfidiamque vehemẽter detestatus in DEVM, Virginemque credidit, & salutari lauacro fœdissimas animi sordes, maculasque eluens, ex immundo cane, vti semetipsum mitio vocitauerat, in mundum, sanctumque ratione præditum animal, admirabili metamorphosi conuertitur, & quoad vixit tanti memor beneficij Virginis Deiparæ pientissimæ Illuminatricis suæ obsequijs sese mancipans, miros in Christianis virtutibus progressus fecit.

Iudæo incarcerato B. V. in auxilium vocata succurrit, & è carcere liberatum ad fidem conuertit.

9. Alterum exemplum ex annalibus Lauretanis refert Rutilius Benzonius in Psalm. 86. cap. 31. vbi scribit fuisse se-

xagenarium quendam Hebræum Deiparæ conterraneum, qui ob graue quoddam perpetratum scelus, à Turcis compræhensus, perpetuis fuit addictus vinculis, & tandem ærumnis confectum, corporis salute desperata ad animæ suę salutem procurandam omnem cogitationem conuertisse, veniamque suorum peccatorum à Deo suppliciter postulatã IESVM Christianorum Messiam, & Matrem eius Mariã religiosissimè adorare cœpisse: cumq; nocte quãdam spei, fiduciæque plenus decubuisset, ei per quietem Christus apparuit, quem cum ex specie qua à Christianis coli solet, eum agnouisset, verum DEVM ac Messiam professus, etiam supplex in somnis adorauit. Mox illi etiam Virgo eiusdem Christi Mater eximiâ pulchritudine, maiestateque conspicua præsto fuit, quæ Luciæ Virgini eius comiti demandauit, vt miserum catenis, quibus erat oneratus, exsolueret, reseratisque carceris foribus ad portum deduceret, admonens illum, vt Oppidum Laureti in Piceno Italiæ Regione situm statim adiret, ibique Christiana sacra, sacro latice tinctus susciperet. Paruit hiscé Diuinis monitis Hebræus, & mox, vt euigilauit Christi, eiusque Matris gratiã illuminatus, atque accensus, nauiculam clementissimâ Virgine hortante conscendit, illaque ceu stella maris propitia, per maria sua sponte incredibili celeritate delata, non sine diuino ductu, atque impulsu, Anconam biduo ex Nazareth appulit, illicoque Lauretum pergens fidei nostræ mysterijs imbutus ingenti suo, aliorumque gaudio sacro fonte ablutus, impietatem Iudaicam eiurans, nouum hominem Christũ IESVM induens ex lupo in ouem transmutatus est, & cum Agnis, ouibusque Christi in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ouili, iuxta Isaiæ vaticinium, commoratus est. Ecce Aurei felicissimique sæculi in quo Virgo nostra cum filio regnabat, admirandas, quas diuini prædixere vates, metamorphoses.

B. V. Hebræũ suum côterraneum carceribus vinculisque liberat, & ad fidem conuertit.

10. O quam præclare de benignissimo hoc, amantissimoque Virginis in gentem etiam suam perfidissimam genio Rich. de S. Victore cap. 26. in Cantica pronunciauit: *Talis fuit in virtutibus, tantaque fuit eius charitas, vt non solum ad eius gentem, Iudæos scilicet extenderetur, sed ad ignotos, & natos, ad omnes denique homines dilatata fuerit; pro his indesinenter orauit, pro his solicita fuit, pro his orando exaudita fuit. Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit, imo & salus omnium per ipsam facta est. Vnde, & mundi salus dicta est.* O quam benè quoque sensit de amãtissimo hoc, omnes omnino nationes, nullius habito discrimine, complectente Virginis genio, sapientissimus Idiota, qui eam soli comparans, à cuius calore nemo est, qui se possit abscondere: *Longè*, inquit, *positos radijs suæ misericordiæ illuminat, sibi propinquos per specialem deuotionem accendit, & sic non est qui se abscondat à calore eius.*

B. V. in Iudæos charitas.

11. An non denique habitauit lupus cum Agno, atque oue, aureaque sæcula renouari visa sunt, cum miles ille de quo S. Ambros. lib. 2. de Virgin. *vides Virginem pro fide Christi ad lupanar damnatam, vt à stupro eam eriperet, commutauit cum ea vestes, seque pro ea substituit, ideoque ad mortem damnatus, accurrente Virgine, cum eoque de martyrio concertante simul martyrij lauream adepti sunt?* Ex his facile constat tam Virgilium, quàm alios Poetas hascé metamorphoses combinationesque animalium penè impossibiles ad suorum Regum Imperatorumque tempora adulatoriè ad ipsorum aucupandam gratiam transferentes, ab Isaiæ vaticinijs fuisse mutuatos, postquam Biblia sacra in Græcam linguam ab interpretibus conuersa, Gentibus cœperunt esse communia; aut certè eadem illa à Sibylla Erythræa accepisse, vt cẽsuit Lactantius libr. 7. cap. 24. quæ hæc de Christi aureis temporibus cecinit:

Virginis, & Militis cu iusdam Martyrii cupiditas.

Nec lupi cum Agnis in montibus dimicabunt,
Herbamque Lynces pariter cum hædis pascentur:
Vrsi cum vitulis simul, omnibusque animalibus
Carniuoris leo comedet paleas ad præsepia.

Ad quæ rursus idem Virgilius allusisse visus est Eclo. 5. dum de Iulio Cęsare sub persona Daphnidis blandiens Augusto cecinit:

Nec lupus insidias pecoris, nec retia ceruis
Vlla dolos meditantur.

Rursus Ecloga 8 impossibilia recẽsens, cum Isaia ea, quæ futura erant aureo Christi sæculo, prædicebat:

Iungentur iam Gyphes equis, æuoque sequenti
Cum canibus timidæ venient ad pocula damę.

Quare rectè Virgo nostra Saturni qualitates nonnullas in se exprimere perhibetur, dum aurea nobis Saturni olim feliciter regnantis sæcula, gratiæque reuexit abundantiam, cum Dei filiũ bonis omni-

B. V. Saturnia & Aurea sæcula nobis reuehere visa est.

omnibus abundantem de cælo ad nos descendentem vteri Virginalis hospitio excepit. Tunc enim maiori quam vnquam gratiarum cælestiũ copiâ exuberans, benigno suo influxu ad instar propitij planetæ gratiam in nos quoque deriuauit, qua immanium belluarum, ferarumque mores in hodiernum vsque diem exuimus, & in sancta ac ratione prædita animalia transformamur. De aureo hoc sæculo plura videre licebit Discursu de signo Virginis.

Nati sub Saturni Sydere ingenio, doctrina, consilio, ac sapientia pollent.

12. Altera Saturnini syderis bona proprietas est, quod qui sub eo nascitur ingenio, doctrinâ, consilio, senilique sapientiâ polleat, audaxque in adeundis Periculis euadat, vt scribit Natalis Comes lib. 2. Mythol. cap. 2. Addit Bernardinus Bustius ex lib. de proprietatibus rerum, natos sub hoc sydere diuites etiam, ac locupletes euadere consueuisse. Quæ omnia quam bellè Virgini nostræ gloriosissimæ conueniant, nemo non videt. Verè enim cui à primis incunabulis sydus hoc Virgineum affulgescit, eique benignis suæ gratię influxibus sese communicat, ingenio, ac doctrina, vt plurimum pollet. Hæc enim est Christianorum, de cerebro Iouis, si ita licet loqui, progenerata Pallas, ac Sapientia, ingeniorum Antistes, ac Præses. Hæc est increatæ Sapientiæ Domus quædam animata, ab ipsa eadem Sapientia septem columnis, totidem videlicet Spiritus Diuinissimi donis; Spiritu Sapientiæ, & intellectus, Spiritu consilij & fortitudinis, Spiritu scientiæ, pietatis, Spiritu denique timoris Domini suffulta. Hæc est illa Sapientia, cui ob miram cum sempiterna illa Sapientia, quæ in vtero eius purissimo nouem mẽsibus commorata est, similitudinem, Ecclesia sancta, cum Sanctis Patribus, omnia ipsius pene attribuit elogia. Postquam enim in illam Dei filius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, ingressus est, factus homo, consequenter omnia sua dona, ac charismata, quorum pura creatura capax esse potest ipsi copiosissimè communicauit, adeò vt pręclarè Sanctus Anselmus Hom. Intrauit IESVS in quoddam castellum, sic argumentando pronunciauit: *Christus, vt dicit Apostolus est Dei Virtus, & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientię Dei. At Christus est in Maria. Ergo omnes thesauri Sapientię, & scientiæ Dei sunt in Maria.*

Sub Saturni sidere nati diuites euadunt.

B.V. omnia Increatæ sapientiæ attributa sunt elogia.

Postquam in B.V. æterna Sapientia est ingressa, ingressi sunt etiam omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.

Sapientia B. V stella lucidissima in ipsius Corona stellarum 12.

13. Hæc Virginis sapientia siue rerum humanarum, Diuinarumque scientia ipsi in Verbi Incarnatione infusa, adeo eximia, atque clara extitit, vt eam Religiosissimus Pelbartus libr. 11. stell, Part. 1. cap. 7. lucidissimam stellam in vertice Deiparæ inter illas 12. Coronã eius conficientes numerauerit; *dixeritque DEVM mentali hac illustratione fecisse illi magna, dum ipsius animę potentias, miro Diuinæ sapientiæ lumine, per omnia illustrauit.* Quas porrò veritates particulariter Virgo tunc cognouerit ex Ambrosio Taruisino sacri Ordinis Carmelitani ad longum recitat, quas nos breuitatis amore præmittimus.

In immaculata sua Cõcept. B.V. infusa est rerũ humanarum ac Diuinarũ scientia, cum Dei essentiã clarè vidit.

14. Neque verò Virgini Deiparæ hæc humanarum, Diuinarumque rerum scientia infusa fuit in Incarnatione Verbi duntaxat, verùmetiam in ipso immaculatæ Conceptionis instanti, cũ Diuinam essentiam clarè contemplata est, qua non solùm eius intellectus, miro Diuinæ Sapientiæ lumine irradiatus est, verumetiam affectus ardentissima in Diuinum Numen exarsit charitate. Verissimè enim de Beatis cecinit B. Damianus:

Qui scientem cuncta sciunt
Quid se scire nesciant?

Vnde S. Bernardinus Senensis citatus à Suario Tom. 2. in 3. Part. sect. 3. *In prima sanctificatione*, inquit, *quantum ad rationem, & intellectum, tanta ei Sapientię claritas à Deo super infusa est, quod perfectè intelligebat creaturas, & creatorem, & Spiritus, & omnia bona amplectenda, mala verò fugienda.* Hinc Dionysius Carthusianus in cap. 5. Cant. ait *ab initio habuisse Deiparam splendidissimam, & exuberantissimam Sapientiam sibi infusam.* Quod admodum probabile censet Suarez, cùm huiusmodi rerum supernaturalium infusa scientia donati, in sua prima creatione fuerint Angeli, quorum cum fuerit constituta Regina ab illis hac etiam in parte ob Diuinę Maternitatis dignitatem superari minimè conueniens esse videbatur. Plura de hac sapientissimæ Virginis nostrę scientia Prima Par. Discur. de Sapientia B.V. disceptata sunt.

Si Angelis rerũ supernaturaliũ sciẽtia in prima eorum creatione infusa, quanto magis eorum Reginę?

15. Hic illud vnicum dixisse sufficiat, quod cum hæc à D. Thoma, ac Seraphico Bonauentura, *Nobile totius Sacrosanctæ Trinitatis Triclinium vocitetur*, in cuius anima, potentijsque mirè summa illa Maiestas deliciabatur, tantâ mentem, intellectumque eius decoratum fuis-

B.V. nobile totius Trinitatis Triclinium, qui Trinitas in eius potẽtijs mirificè deliciabatur.

fuisse sapientiâ, vt si Dei filius increata Patris Sapientia, à suo ipsius intellectu, vt ait P. Salazar in cap. 9. Prou. versic. 1. numer. 42. ad alium extra se positum sese recipere vellet, nullus illi iucundior, nullus illi conformior, & ad conquiescendum in ipso aptior esse posset, quam Mariæ. Nam cum filius intellectu in primis gaudeat, nullusque post Diuinum, diuiniores, ac sacratiores res fuerit assecutus quam intellectus Deiparæ, consequens sanè est in illo sibi potissimùm complacuisse. Quemadmodum enim intellectus filij totus ad Patrem spectat, eius figuram, & Imaginem in semetipso exprimit, tanquam Verbum, & expressa Imago illius: Sic etiam Mariæ intellectus totus æterno Patri velut addictus erat, totus ab illo pendebat rerumque Imagines ab ipso excipiebat, illique consequenter conformis mirificè euadebat. Quod nobis D. Atha. in ser. de Deip. insinuauit verba illa expendēs: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, *adumbrabit*: *Quasi dicat, Pater æternus, atque Altissimus, in tua mēte formam describet, imaginemque depinget huius mysterij, quod in te perficere aggreditur. Itaque Pater qui informat intellectum Filij, imaginemque sui in illo imprimit, is etiam intellectum Mariæ informare dicitur.* Hinc S. Bonauentura scitè pronunciauit: *Non solùm ventrem, sed etiam mentem Mariæ Diuina Sapientia cœpit, vt integram domum tātus Dominus obtineret.* Ideo dictum est ad illam: *Dominus tecum. Tecum in mente, tecum in ventre, nihil tui vacat, omne conclaue impleuit.*

Intellectus B. V. conformis intellectui filij.

Quomodo virtus Altissimi obumbrasse B. V. dicta sit?

16. Quam porrò pensionem siue mercedem, pro hac vteri Virginalis, ac intellectus, ceu dignissimi castissimique hospitij Dei filio factam elocationem, Virgo acceperit præclarè nobis aureo suæ eloquentiæ flumine exposuit Chrysologus serm. 141. *Quantus sit DEVS satis ignorat, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur. Pauet cœlum, tremunt Angeli, natura non sufficit, & vna Puella sic DEVM in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, vt illud Prophetæ impleatur. Ecce hæreditas Domini, Filij merces fructus ventris.* Hoc est vt idem interpretatur Salazar: Merces, & pensio filij, vētre, ac mente à Virgine suscepti, est hæreditas Domini, quā homines eiusdem Virginis beneficio adire iam liceat.

Merces pro hospitio vteri ... B. V. a Deo impensa.

17. Cùm igitur sacratissima Deipara tam copiosam pensionem, mercedemque donorum cœlestium, ac præsertim eminentissimæ Sapientiæ pro hospitio tam ventris, quam mentis Dei filio exhibito acceperit, eiusque intellectus tanta sapientia, rerumque tam Diuinarum, quam humanarum notitia fuerit illustratus, iure ad illam omnibus cœlestis sapientiæ studiosis accurrendū est, ab eaque; velut propitio Saturni sydere copiosi influxus exposcendi, si & ingeniosi, & sapientes, doctique esse, magnosque progressus in omni scientiarum, literarumque genere facere desiderant. Intueantur Apostolos, qui ad illam, tanquam ad Spiritus S. oraculum, tanquam ad *Magistram nostræ Religionis*, vt eam vocat S. Martyr Ignatius, in omnibus quæ circa fidem occurrere poterant dubij, accurrebant, vt contigisse fatetur Rupertus Abbas in primo illo sub Principe Apostolorum Hierosolymis celebrato concilio, in quo illa, vt ait idem Rupertus lib. 5. in Cant. *velut totius illius consilij Princeps omnem soluit quæstionem.* Intueantur Ioannem Euangelistam Aquilam illa volantem, qui alas illas, quibus tam arcana penetrauit mysteria, ab hac Aquila grandi magnarum alarum, à muliere, inquam, hac Sapientiæ amicta sole, aquilinisque alis instructa, mutuatus fuisse videtur. Vnde l. 1. de Inst. Virg. cap. 7. ait mirum non esse præ cæteris fuisse locutum mysteria, *cum ei præsto esset Aula cœlestium sacramentorum.* Intueantur S. Lucam Euangelistam Sacratiss. Virginis nostræ secretarium, cui siue dubio mysteria omnia Infantiæ reuelauit Saluatoris. Vnde Sapiens Idiota in Contempl. B. V. cap. 3. *O' beatissima Virgo Maria species tua consistit in humilitate, pulchritudine sanctorum cogitatuum, & doctrinæ veritate, quæ in collo intelligitur, qui doctrix fuisti, Doctorum, & Magistra Apostolorum. Vnde & B. Lucas, cui inter cæteros Euangelistas Dominicæ Incarnationis descriptio attribuitur, Euangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur.* Hinc in antiquissimis quibusdam inscriptionibus Sanctissimus hic Euangelista Scriptor, siue scriba B. V. appellatur in fundamentis sane Ecclesia S. Lucæ Tersatti repertum est plūbeum Scriniolum in quo charta pergamena continebatur cum huiusmodi inscriptione Illyrica: Ego Stephanus antiquæ Ragusæ Episcopus Modrusiensis Sanctæ Coronæ Hungariæ Cōsiliarius, hanc

Ad B. V. tanquam sapiētiæ Matrem omnibus recurrendum qui docti esse cupiunt.

A B. V. Apostoli ad sapientiā eruditi.

B. V. Præfuit Cōcilio primo Hierosolymis habitus sub S. Petro.

S. Ioannes Euangelistæ, & Lucas à B. V. illuminati.

S. Lucas B. V. Secretarius.

hanc Ecclesiam in honorem S. Lucæ scriptoris Beatæ Mariæ consecraui Anno 1288.

18. Hinc Eusebius Emisenus serm. 2. de Nat. Domini Virginem Euangelistarum Illuminatricem agnoscens, exclamauit: *O Mater sapientissima, ô sola tali Filio dignissima, quæ omnia verba eius in corde suo ideo conferebat, nobisque conseruabat, memoriæque commendabat, vt postea ipsa docente, ipsa narrante, & nunciante scriberentur, & in vniuerso mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nunciarentur. Quis igitur Euangelijs non credat? Quis eis contradicere præsumat, quæ aut Matris, aut Filij autoritate muniuntur? Quædam enim Apostoli, & Euangelistæ à Matre Domini audierunt, quemadmodum ista, & cætera, quæ de Saluatoris nostri Infantia scripta sunt.* Quare S. Anselm. libro de Excell. B.V. cap. 7. fatetur post Ascensionem Domini in cælum relictam fuisse Deiparam in terris non modo ad Apostolorum solatium, verum etiam ad Magisterium: *Erat prætereà hic vtilis, & necessaria*, inquit ille, *fidei nostræ conuersatio ipsius post Ascensionem Domini inter Apostolos, quia licet ipsi per reuelationem Spiritus S. edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, & manifestius, ipsa per eum spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis, per hanc reuelabantur, quæ non solùm in se simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysterijs eiusdem Domini nostri IESV Christi.* Hinc denique Zacharias Chrysopolitanus in Monotestore; *Omnia, quæ de Domino*, inquit, *vel à Domino dicta vel facta cognouit, siue intellecta, siue non intellecta, in memoriam recondebat, vt tempore suo vniuersa prout gesta erant, intelligeret, & quærentibus explicaret.* Hæc ille.

B. V. post Ascensionem Christi relicta in Apostolorum solatium, & Magisteriũ.

19. Ex quibus omnibus intelligimus, quanta, quamque Diuina Sapientia fuerit in Virgine Deipara, à qua, veluti animato quopiam Paradiso, Euangeliorum dulcissima profluxere flumina, quibus tota Ecclesia tanquam amœnissimus hortus irrigata, suum vigorem, viroremque virtutum nec non sapientiæ nitorem conseruat. Intelligimus denique vberrimum quendam sapientiæ Diuinæ fontem esse Deiparam, omnibus sapientiæ cupidis patentem: Ipsa enim verè est, vt illam concelebrat Sponsus Cant. 4. *Fons Hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano, Fons*, inquam, *Hortorum*, vt ait Guilelmus Abbas *rigando eos; Puteus aquarum viuentium continendo eos. Continet sibi abyssos vitæ, & immortalium gaudiorum; addiderim ego aquas copiosissimas cælestis sapientiæ; sed non ita continet sibi, vt nõ effundat & alijs. Effundit Angelis, & hominibus participationem, pro captu singulorum; Angelis quidem torrentem voluptatis, hominibus in hac peregrinatione riuulos sanctitatis, sanitatis, ac sapientiæ, donec & ipsi ciues effecti inebrientur, ab vbertate domus eius, & torrente voluptatis eius potentur.* Vt porrò intelligamus, quales sint huius sapiẽtiæ cælestis aquæ, vnde originem trahant, & quam copiosè, liberaliterque eas suis Virgo communicet, subnectitur. *Quæ fluunt impetu de Libano, hoc est*, eodem interprete Guilelmo, *de monte candoris, nempe à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, cum impetu, ac copiosè sine personarum acceptione, aut delectu. Tantus est enim impetus fluentis gratiæ ac sapientiæ, vt sine ratione fluere videatur, dum præ piscatoribus, non attenditur ad Imperatores, & Philosophis reprobatis, idiotæ assumuntur.* Hæc ille.

B.V. vberrimus Diuæ sapientiæ fons.

B.V. puteus aquarum cælestis sapientiæ quas effundit etiam in alias.

B.V. sapientiæ fontes in omnes absque personarum acceptione effundit.

20. Quæ certè de vberrimo sapientiæ fonte sacratissimæ Deiparæ iure dicuntur. Quia reuera, absque vllo personarum discrimine aquas suas omnibus communicat, estque verè fons ille, qualem se aiebat concionando futurum Chrysostomus, fontem, inquam, assiduè fluentem, licet nemo hauriat. Quamuis Virgo nostra gratiâ suâ à filio impetratâ, præueniendo mortales dulciter allicere, atque trahere ad hos cælestis sapientiæ degustandos latices, videatur. Ipsius nimirum est amabilissima illa inuitatio: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt adhuc sitient.* Accurrant igitur ad hunc perennem Diuinæ sapientiæ fontem omnes bonarum artium, scientiarumque studiosi, accurrant filiali in pientissimam hanc Matrem fiduciâ, animique alacritate, putentque sibi dictum ab Apostolo Iaco. 1. *Si quis vestrum indiget sapientiâ, postulat à Deo, eiusq; Matre.* Addit Richar. à S. Laur. lib. 6. *Ipsa enim dat omnibus affluenter, & non improperat.* Imitetur sapientem illum Idiotam, qui Virginalis huius sapientiæ cupidus in sua Contempl. de B.V. cap. 1. eam supplex rogabat: *Trahe me ignorantem, vt me reddas scientem, vt curram in odorem vnguentorum tuorũ, idest, fragrantiam sanctarum virtutum tuarum.* Confidamus, benignissimam hanc Virginem

Sapientia à Deo, eiusque Matre postulanda.

ginem affatim huius cælestis sapientiæ aquas omnibus propinaturam. De illa enim sapiens, eius liberalitatis probè conscius pronunciauit. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, et aqua Sapientiæ potabit illum*. Audiuit enim Salomonis sui Parentis sapientissimi consilium illud sapientissimũ Prou. 5. v. 16. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*. Ad hoc enim fons æternæ sapientiæ Verbũ Dei in excelsis de loco voluptatis, vterum nimirum Dei Patris, in alium locum voluptatis, vterum nimirum illius Virgineum vt ait B. Dam. serm. de Annunc. per Incarnationem ingressus est, vt tam sapientiam, quam reliqua sua dona cælestia, atque charismata per Virginem nobis copiosissimè communicaret.

Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis ideo de sinu Patris, in sinũ Matris descendit, vt aquas sapientiæ, &c. nobis communicaret.

21. Expertus est liberalissimam hanc Sapientiæ Virgineæ communicationem S. Præcursor Domini Ioannes, qui in vtero adhuc Matris delitescens ad vocem Deiparæ accelerato rationis vsu, tanta cælitus infundi Sapientiâ meruit, vt Dei filium visceribus Virgineis absconditum agnouerit, lætitiâ spirituali exilierit, eum veluti suum Regem, vniuersorumque Dominum adorauerit. Hinc S. Gregorius Thaumat. serm. 2. de Annunc. æterni Verbi in vterum Virginis humillimum illum descensum bonorum omnium principium humano generi extitisse pronunciauit: *Cunctorum nobis bonorum principium Annunciatio Mariæ extitit. Hinc nobis sapientiæ, & immortalitatis scaturiunt fontes, qui limpidos, ac puros pietatis riuos effundunt. Hinc nobis Diuinæ cognitionis resplendent thesauri*. Sic Thaum. Si quis igitur sapientiam cum pietate, vti hominem decet Christianum sociare desiderat, recurrat ad Virginem, in ea sapientiæ vberrimos fontes, in ea reconditos Diuinę cognitiones thesauros tot myriadibus annorum occultatos reperiet.

S. Ioan. Bapt. à B. V. illuminatus, Christum in vtero matris latentem agnouit.

Incarnatio Domini cunctorum bonorum est principium, ab illa enim sapientiæ, & immortalitatis scaturiunt fontes.

22. Ponat sibi ob oculos S. Edmundum Cantuariensem Episcopum Virginis nostræ dilectissimum Sponsum. Ponat Seraphicum Bonauenturam admirabilem planè Virginearum laudum, sonorumque præconem. Ponat Albertum Magnum, Rupertum Abbatem Tuitiensem, Hermanum cognomento Contractum. Ponat Beatum Theclauaretum Indum, Martyrem gloriosissimũ, Ordinis D. Dominici illustre sydus, qui omnes quanta sapientiæ, scientiarumque omnium luce benignissimi huius, Virgineique syderis influxu fuerint perfusi copiosè Prima Part. Discursu de Virginis sapientia narratum est.

Exempla variorum, qui à B. V. tanquã fonte sapientiam hauserunt.

23. Ad alia veniamus. Expertus est Henricus de Calstus Ordinis D. Dominici Angelicus adolescens, Deiparam, ingenij, scientiæ, sapientiæque omnis largitricem; cum ei vice quadam clarâ luce circumfusâ apparens contulit gratiam lumenque intelligendi in sacris literis quicquid ad salutem pertineret. Cum hoc Virgo mirè deliciari erat solita. Cum enim aliquando studij, vel orationis gratiâ lumen apud se haberet, illudque extinctum esset, statim cum magna lux circumfulsit, è qua quasi muliebris quædam vox mire suauis prodire videbatur. Qui stupefactus: *DEVS meus*, inquit, *quæ est vox, quam audio?* Mox audijt: *Ego sum Maria Mater Christi*. Cui ille: *O' Domina ostẽde mihi faciem tuam gratiosam!* Respondit Virgo: *Adhuc puer es, cresce, & videbis me*. O' quam verè Virgo nostra Maris stella lucidissima, quam verè Illuminata, atque Illuminatrix nuncupatur, siquidem lucis clarissimæ specie se visendam huic suo dilectissimo clientulo, ac filio exhibens, eum tanta rerum diuinarum scientia, velut luce clarissima repleuit. Neque verò eius duntaxat Illuminatrix, verumetiam protectrix Virgo nostra extitit. Nam cum aliquando ob dolorem cordis factus esset velut mortuus, statim ei permulti adfuere Cacodæmones dirè vociferantes: *Noster es, nobiscum ibis. Hi tamen eum ne quidem contingere ausi sunt*. Tandem post altercationes plurimas, lux magna rursus apparuit ad cuius exortum Dęmones omnes in fugam acti sunt; moxque B. Virginem loquentem audiuit: *Ego sum, ne timeas*. Cui ille: *ò Mater misericordiæ, quare hoc Filius tuus permisit?* Respondit mox benignè Virgo: *Per hæc, quæ passus es, purgatum est quidquid in te erat criminosum. Et scias quando te homines non oppugnabunt, Dæmones te oppugnare non cessabunt. At cito finis erit: Sustine patienter*. Cuidam sciscitanti, dum grauiter ægrotaret, num absque purgatorio transiret ad gloriam, respondit confidenter: *Beatissima Virgo Maria in exitu animam meam suscipiet, & plusquã trecentum animas mecum ex Purgatorio abducam*. Hæc Hyacinthus Choquetius in SS. Belgij.

Henricus de Calstus à B. V. cælesti sapientia donatus.

B. V. in lucis specie Henrico se visenda exhibuit, eiusque scripturæ sacræ cognitionẽ contulit.

B. V. Henricũ à Dæmonum insultis liberat.

Cum amici Christi non oppugnantur ab hominibus, à Dæmonibus tẽtantur.

24. Bertrandus quoque de Valentia Ordinis item Prædicatorum Virginem

nem Deiparam cælestis esse Sapientiæ Antistitem agnouit, cùm aiebat Fratribus laicis sui ordinis in sancta simplicitate viuentibus, regulasque suas obseruantibus, Coronam Deiparæ esse vice librorum, ex qua Diuinam, sanctorũq; scientiam discerent, rectamque ad salutem viam. In hoc solidæ pietatis instrumentum, miro Vir Virginis studiosissimus ferebatur affectu; quotidie illud ad collum appendebat. Hoc ille in Indijs ægros sanabat, mortuos suscitabat, peccatores conuertebat. Vix vnquam concionabatur quin vel historiam, vel miraculum, vel quidpiam aliud de Virginis insereret corollâ: Et quia ab incunabulis præcipua pietate Deiparam coluit, eam ad vitæ finem sibi adstantem habere meruit, cum qua suauissima miscebat colloquia. Kalend. Deip. 19. Oct.

Bertrandus de Valentia mirè erga Rosarium B. V. afficitur, qui ei erat, instar librorum.

Bertrandus Rosario ægros sanabat, mortuos suscitabat, &c.

Bertrandus ad finẽ vitæ Deiparã sibi adstantem habere meruit.

25. Quid iam P. nostrum Sebastianum Barradium (: domestica enim exempla non desunt:) concionatorem eximium, Deique Spiritu plenum commemorem, de quo verè dici potest illud D. Gregorij: *Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat*: Vix hic æquè in DEVM, Virginemque pijentissimus, ac doctissimus eiusdem patrocinio tantam dicendi facultatem, tam mirificam rerum Diuinarum, humanarumque, quæ in illius lucubrationibus elucet, scientiam consecutus est, quantum orbis admiratur vniuersus. In hanc porrò quanto pietatis, amorisque fereretur affectu, Tomus ille primus eruditissimus in concordiam Euangelicam testatur. Hæc Virgo à primis adolescentiæ ipsius annis, velut planta cælestis, velut vitalis Arbor Paradisi in cor huius sui electi, ac dilecti clientuli amoris castissimi misit radices. Quare etiam apud externos inualuerat opinio adolescentem hunc, dum 17. ætatis ageret annum, à Deipara, quæ à Scala denominatur, cui semper extitit addictissimus, ad Deo famulandum vocatum, eique societatem nostram ab eadem singillatim fuisse designatam. Cuius ille beneficij totius vitæ curriculo haud immemor, medullitus fuit in Virginem propensus; quod publici, priuatique eius sermones fatebantur, in quibus semper illius adeo dulciter meminerat, vt quod ait Damascenus, *memoria ipsius Deiparæ esse promptuarium*, adeo feruenter eandem diligebat, vt sensibus humanis excidere, tantam denique animi gestientis lætitiam præseferebat, vt toto ipsius ore, oculisque emicare videretur. Vnde ipsius gloriæ vbique amplificandę percupidus dicere consueuerat; *B. Virginis accitu Religionem adiri, patrocinio ad extremam perseuerantiæ coronam retineri*. Aiebat denique se, cæterosque peccatores à Deo ter optimo, maximoque intuitu B. Virginis Matris in hac vita tolerari. Ergo plãtatus in domo Domini, in hac societate nostra; in atrijs, atque illius Tyrocinio; & ibi; vti in illum Psalmum ait Theodoretus; *agricolam habẽs DEVM*, addiderim ego; & Virginem, quæ se à Sanctissima Triade in Vineis custodem positam esse prædicat Cant. 1. Viridarium verò, Diuinum Templum, vt palma floruit, staturamque illi assimilem est consecutus; quod teste Ambrosio ille solus obtinet, qui seruat, viriditatem pueritiæ, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio recepit. In qua permanens, & in tempestiuam perfectionem, rerumque diuinarum cognitionẽ excrescens Sebastianus, palmariam de sua virtute, sapientiâque peperit apud omnes existimationem, ob quam digito monstrabatur, & plurimi ex alijs Lycęis ad illius tunc etiam in Societate Tyrunculi Gymnasium admirabundi ventitabant, vt mutuo eius tanquam emeriti in sanctitate magistri aspectu, ad modestiam virtutisque amorem erudirentur. Circinatus enim ad huiusmodi viri formam Religiosus (: quemadmodum de Philosopho dixit Tertullianus:) *dum videtur, auditur; quia nimirum exemplo loquitur*. Et licet Vir hic patrocinio sacratissimæ Deiparæ, & in Sapientiæ cælestis, scientijsque omnibus, & in virtutibus Religioso homine dignis mirificos profectus fecerit, in humilitate tamen, virtute Christi ipsius, Virginisque Matris propriâ, vel maximè. Ostendit luculentum eius in se splendorem semper quidem, sed tunc vel maximè cum Ioannes Cautinius postea Episcopus Alagabriensis Academię Conimbricensis Rector ab ipso petijt, vt ad Academicorum institutionem, atque exemplũ in Regio ipsorum sacello verba faceret; respondit: *En asellum*, inquit, se ostendens; *en qui agat*, *Rectorem præsentem indicans; iubeat ille, vel ad defectionem vociferabor*. Quod responsum lacrymas nonnullis vberes excussit. Quantum denique huius virtutis studio teneretur, ostendit

Sebastianus Barradius rerum Diuinarum scientiam, &c. ope B.V. consecutus.

Barradij in B.V. pietas.

Barradius à B. V. ad Societatem vocatus.

B.V. auitu Religiosę aditur, eiusdẽ patrocinio in eadem vsque ad mortem perseueratur.

Peccatores propter B.V. in hac vita tolerantur.

Barradii insignis Humilitas.

in postrema vitæ suæ periodo. Cum enim ad supremam luctam sacræ vnctionis oleo fuisset auctoratus, & Collegij Rector deprecaretur, vt sententiam aliquam ad circumstantium filiorum solatium, spiritualemque ædificationẽ atque eruditionem proferret, siquidem S. Augustino teste; *pro magno haberi solent verba nouissima parentis ituri ad sepulchrum*; recollectis viribus, cum ad illud vsque tempus obtusa lingua, & voce intermortua, vix hisceret, ad obedientiæ nutum, incalescente Spiritu, & voce non minus contenta, & æquabili quam cum olim viribus integris concionaretur, pronũciauit: *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore tribulationis. Nihil aliud superest consilij. Simus omnes impensè humiles, Christum Dominum, DEVMque nostrum imitati, qui tota vita vnam à se disci voluit humilitatem, & moriens inclinato capite emisit spiritum.* Nec plura effatus, in sinistrum brachium, obnixè collum deflectens, vt magistrum suum plenè referret, interclusa voce substitit, quousque felicissimam egit animam, eadem horâ qua Christus, nona scilicet, & in eadem hebdomada, quæ Maior erat: Et quoniam, vt ait S. Ambrosius: *Dignum est vt ibi requiescat sacerdos, vbi offerre consueuit*, Vir hic in Virginem pientissimus, prope aram Deiparæ à Niuibus nuncupatam, ad quam sæpius in eius honorem litare consuerat, sepultus est. *Atque ita illum Magna Mater, quę ad societatem pertraxerat, eumque omni sapientia, ac sententia erudierat, veluti sinu quodã*, vt loquitur in re simili Cyprianus, *gremij amplectantis inclusit.*

Pro magno habentur à filiis verba nouissima parentis eũtis ad sepulchrum.

Barradius circa vitæ finem de Humilitate documentum.

Barradius in Templo B. V. a Niuibus sepelitur.

26. Quid referam P. Gasparũ Sanchez virum doctissimum, linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, literarumque humaniorum peritissimum, dicendi facultate florentissimum, scientiarum omnium, cælestisque sapientiæ, ac demum sanctimoniæ laude celeberrimum? Quis quæso in componendis decem illis voluminibus, omni eruditione refertissimis, quibus sacras literas interpretatus est, eum adiuuit, nisi Virgo hæc sanctissima increatæ sapiẽtiæ Parens? Qui enim fieri potuit, vt argumenta tam sublimia, atque arcana, ex primo eius calamo, absque vlla litura, aut lineolâ aliqua emendata, atque cor ecta educerentur, imo mirâ facilitate effluerent quodammodo & periodus quælibet in tot, tantisque lucubrationibus pietatem mirificam redoleret, absque sapiẽtissimæ huius Virginis Dei Matris auxilio? Adfuisse illi vel maximè visa est, in Commentarijs Canticorum. In quorum expositione, & ingeniosè admodum, & eruditè excogitauit specialem rationem verè solidam, ac benè fundatam explicandi difficillima quædam mysteria loquendique modos, eo in libro contentos. Quâ eius admissâ doctrinâ, nihil nõ castum, nihil quod castas audientium, vel legentium aures offendere possit, occurrit, quoad corpora sponsi, & sponsæ. In hiscé cõmentarijs mirificè eius puritas Virginalis, beneficio Deiparæ ab ineunte ætate cõsecrata; vti & in commentarijs cap. 6. Isaiæ, & plurimis in locis Ezechielis Prophetæ enitescit. Quantopere porrò Vir hic Angelicâ puritate conspicuus in amoribus Virgini Matri, eiusque dilectissimo filio extiterit, inde potissimum elucescit, quod dum graui morbo, acerbissimisque doloribus conflictaretur sese albis vestibus, splendoris immensi cõspicui illi visendos exhibuerint, quibus ille summâ animi demissione gratias agẽs, pro cælesti illa suauitate, quâ fruebatur, & in suimet indignitatem oculos conijciens, nec vultus ad illos intuendum ausus est attollere. Circa idem tempus sanctissimos Patres Ignatium, & Xauerium contuitus est: varia insuper, admirabiliaque lumina, quæ ipsius cubiculum illustrabant, in quibus sibi videre videbatur Sanctorum Prophetarum effigies, quos singulari pietate, ac deuotionis affectu, coluerat per 20. annos, quibus se in eorum vaticinijs enodandis impenderat. Hoc eodem tempore miram de Diuina Natura, deque eius attributis, ac perfectionibus, alijsque fidei nostræ mysterijs, cum feruentissimis animi ad superna anhelantis affectibus, lacrymis, ac suspirijs, cælestibusque solatijs, quibus cor eius in cęlum rapiebatur adeptus est cognitionem. Inter hæc cæli lumina illud non postremum fuit, quod ei tunc à Christo Domino, eiusque Matre Virgine reuelatum sit, eum ad æternam felicitatem prædestinatum. Quod cum rescisset Pater, qui tunc erat eius Rector, post duos circiter annos, pridie quam ex hac vitâ migraret, apud ipsum institit; *Itané verè se res habet, vt omnino certa facta sit Reuerentia vestra de æterna felicitate?* Cui Pater Gaspar tribus repetendo vicibus: *Ita, ita, ita, hoc ipsum est.* Atque his delicijs cæli delibu-

P. Gasparus Sanchez doctrinam suã beneficio B. V. acquisiuit.

In Canticis exponendis præcipuè fauor B. V. illis adesse visus est.

B. V. beneficio puritatẽ Virginalem conseruat.

A Christo eiusque Matre reuelatur ipsi eum esse Prædestinatum.

libutus, terrena fastidiens, ad cælestia anhelans, cupiensque dissolui, & esse cum Christo, tranquillitateque animi spiritum suo creatori in sinum ipsius Virginis Matris, cui semper totius vitæ decursu extitit deuotissimus, reddidit:

Martinus Delrio B.V. sui ingenij monimenta dedicabat.

27. Agnouit Vir doctissimus simul ac pijssimus Pater noster Martinus Delrio, se & ingenium, & vniuersam scientiam Dei Matris fuisse sortitum munere, cum præstantiora ingenij sui monimenta ipsi, tanquam Palladi ingeniorū tutrici, studiosorum Mecænati, ac Præsidi dedicauit ac consecrauit. Hinc Floridis suis Marianis, verè floridi, amœnique ingenij ipsius monimentis, epigraphen illam cedro, æreque perenni dignissimam præfixit:

D. Matri S.
Dei Genitrici semper Virgini
Misericordię Matri
Cælorum, terrę, maris Reginę,
Catholicę Ecclesię Protectrici,
Hęresum Expugnatrici,
Virtutum cunctarum speculo,
Optimę Max. Patronę.
Hoc de corollis multicoloribus
Sertum pancarpium
Vouit, panxit, soluit
Seruulus Martinus Delrius
Aetatis 45. salutis humanæ
Anno 1596.

Hinc aliquot post annis Opus Marianum, non exiguum sane volumen, omni scientiâ, doctrinâque refertum nulli mortalium, præterquam Magnæ Dei Matri dedicauit, peculiarique Epistolâ ad eam velut, sacrâ symgraphâ præmissâ, illud illibatè ei iussit esse mancipatum. Cuius operis vel ipsi tutuli, quibus auctoratum prodijt, miram in Virginem castissimamque amoris flammam præseferunt.

Speculum Marianum
Speculum patientię, & charitatis
IESVS MARIAE
Polenica Mariana.

Idem Delrio Commentaria sua in Cantica B.V. dedicauit.

Hinc denique Canticorum Cantica cælestis sponsi sponsæque Epithalamium illud pulcherrimum enodaturus in propyleo totius Operis illam inscriptionē apposuit, qua velut peculium quoddam Diuæ Virgini illud vindicauit, affectumque calentissimum pietatis, in eandem contestatus est. Quæ sic se habet.

Eructauit cor meum verbum bonum
de castis Nuptijs,
Vbi sponsus Agnus est, Sponsa Virgo permanet.
Thalamus templum, Thronus ara;
Paranymphus Archangelus
Vbi Partus non deintegrat.
Vbi Virginitatis lilium, fœcunditatis Rosa purpurat.
Hoc tibi quicquid est verbi
Tibi DEVS Verbum,
A me minimum, sed à te maximum
Mihi creditum, fide bona restituo
Tibi tuum do, dico, consecro.
Te quoque Virgo Mater
Compellans oro, obsecro.
Tu sponsa sponsarū, hoc Nuptiale munus aspice.
Tu serpentis annosi Calcatrix
Tu geniminum eius perpetua Triumphatrix
Hoc tuere; & me tuum protege;
Prophanos hinc procul pelle,
Pelle impuros,
Pelle perfidos.
Amen.

28. Agnouit, & pientissimus in Virginem Adolescens Ioannes Berchmās, eam fuisse non solum suæ perfectionis Religiosæ, ac sanctitatis, verumetiam scientiæ, ac doctrinæ adipiscendæ præsidem, firmissimumque præsidium. Quare extrema vitæ suæ vespera cuidam suo Commilitoni forte interroganti, quibus præsidijs ea Dei dona obtinuisset, respondit conuersus ad Deiparam: *Patrona sanctitatis, sanitatis, & studiorum tu es mea Mater Virgo Maria.* Hinc ipsum vocationis ad societatem nostram beneficium illi referebat acceptum. Vnde bono hoc concepto Spiritu, vocationem suam voto sanciuit, vt tanto magis sese Diuinæ obstringeret Maiestati. Quantum porrò ad Diuæ Virginis cultum fuerit affectus, quam ad instar Matris semper amabat ac venerabatur, constat varijs ex ipsius dictis, factisque planè insignibus. Hoc ostendit in placitis quibusdam moralibus, quæ sibi vltimo anno vitæ suæ conscripserat pius adolescens. In his sic habet: *Non sum securus nisi habeam verum, & filialem affectum erga B. Virginem. Si vis esse filius B. Virginis, & societatis, zelator esto suæ castitatis.* Item: *Dabo me totum cultui B. Virginis.* Et verò semetipsum dediderat, adeò vt nil cogitare, quam de dilectissimâ suâ Matre Virgine videretur. Hinc si forte relaxationis tempore in aliquem Virginis amantiorem incidisset, mirè hoc lusus certamine delectabatur, vter pluribus, decentioribusque titulis Deiparam compellasset, ipse, an alter. Ipse sanè pulcherrimos congerebat, cæterisque

Ioannes Berchmans fatetur se Patronam in suis studijs B. V. habuisse.

Qui vult esse filius B V. & Societatis IESV, zelator sit suæ castitatis.

Ioannes in Autumnalibus ferijs cultui B.V. sese vel maximè debebat.

que præ inopia silentibus facunda celeritate nouos copiosissimè multiplicabat, vt hora priusquam copia eum defectura videretur. Et si verò sēper ac quotidie sese cultui Virginis peculiariter impendebat, impendebat tamen vel maximè in Autumnalibus ferijs, quibus in ipsius planè cultu triumphabat; quod tempus longiusculum, totum ille religioni suæ in Virginem explicandæ, explendæque consecrasse videbatur. Dicebat identidem: *Si amauero Mariam, securus sum salutis, ac perseuerantiæ in arrepto religionis statu, impetrabo quidquid libuerit à Domino, adeoque omnipotens ero*. Addebat necessarium cuilibet esse certum aliquē perfugij locum, quo velut ad asylum se reciperet subitis, aduersisque rebus, nullum autem tutiorem esse sinu, Plagisque sanctissimis Christi, & Pallio Reginæ cælorum. Addamus his omnibus aureæ Coronidis loco testimonium publicum P. Cornelij à lapide, quibus ipsius in Virginem Deiparam contestatus est pietatem: In Ioanne Berchmans mores, & actus Angelici potius videbantur, quam humani. Eximius fuit cultor B. V. cuius se filium vocabat. In morte, licet canendi imperitus, bellè cecinit; *Monstrate esse Matrem, &c.* Vni è nostris Concionatoribus petenti monitum salutis, hoc, me audiente dedit: *Reuerentia vestra semper tueatur immaculatam Conceptionem B. Virginis, vsque ad mortem*; Inuenta est eius sanguine subscripta schedula, in qua illam se semper defensurum iure iurando confirmabat, &c. Quibus porrò medijs in literarum studijs profecerit, ipse in suis manu propria annotatis fatetur: *Expertus sum dare medium diem cum liberalitate rebus spiritualibus in die communionis, & alijs festis vnam horam, nihil detrahere studijs*. Si quid inter studendum ex dictatis perplexius, intellectuque difficilius occurrebat, quod explicare ipse non valebat, animum instar præparati soli, explicabat Deo, ad Diuinę sapientiæ satus excipiendos, orabatque genibus flexis, coram Imagine B.V. Infantulum IESVM brachio complectentis: *Domine tu scis hanc me rem, absque opera tua, per tenuitatem meam assequi non posse. Obsecro adesto mihi hallucinanti. Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, vt mecum sit, & mecum laboret, aperi mihi huius rei intelligentiam*. Asserebatque se multum lucis, hac prece impetrare. In qua crediderim sine dubio oculum

Qui amat B. V. securus est suę salutis, & perseuerātiæ in Religione.

Ioannes se filium B.V. vocabat.

Suadet Concionatori vt semper immaculatam B.V. conceptionem defendat, vsque ad mortem

Ioannes iurauit subscribendo proprio sanguine, se immaculatam B.V. Conceptionem defensurum.

Auxilium à Deo in suis studijs postulat.

habuisse, ad ipsam quoque Increatæ sapientiæ Matrem cælestis sapientiæ Magistram, Christianorum Palladem; à cuius influxu, veluti propitio Saturni sydere, & ingenij lucidiora lumina, & vberiora doctrinæ incrementa se sortiturum confidebat. Si enim ad examen ex vniuersa Philosophia accessurus, ipso die S. Iosepho sponso Deiparæ sacro, tam ipsi quam sponsæ sacratissimæ sese commendauit: Quid censendum fecisse illum toto studiorum suorum decursu? Præparationem porrò hāc suam hiscé verbis literis consignauit: *Præses examinis huius esto S. Iosephus: Deprecatrix Beatissima Virgo. Primo vt feliciter eueniat, semel flagello è funiculis texto meipsum accipiam; pœnam aliquam publicè in triclinio obibo. Rosariam coronam vnam recitabo. Si fortunatè verterit, tria S. Iosepho Rosaria adnumerabo, &c.* Quæ obsecro, his Patronis, Adolescentem hunc pientissimum mentis lumina, quos sapientiæ influxus consecutum fuisse arbitramur?

Ante examē se B V. & S. Iosepho cōmendat.

29. Verè enim dicere possumus mentem animumque Iuuenis huius sanctissimi Deiparam possedisse, eiusque eruditis, dum studeret interfuisse cogitationibus, vt ipsa loquitur Sap. 8. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Præclarè enim P. Salazar in hæc verba disseruit more suo: *Virgo si quem sui studiosum*, inquiens, *nanciscitur, in illius mente, animoque per studium, atque deuotionem habitare merito dicitur, quia illam semper cogitat. Vbi verò animum, & rationem incolit, statim illud addere potest; & eruditis intersum cogitationibus; id est præsum. Virgo enim eorum, quorum animos tenet, cogitationes moderatur. Nam illud; doctissimorum virorum experimento compertum est, maximas scientiarum difficultates, & nodos, inuocata Deipara superari, ob quam vnam causam, merito eruditis cogitationibus præesse dicitur; adeo vt pro falsa illa scientiarum Præside Minerua, à doctis omnibus colendam, & appellandam doceat Isidorus.* Sic ille sane præclarissimè.

B.V. eruditis interest cogitationibus studiosorum.

30. Expertus fuit etiam magnum illud Theologorum sydus Frācifcus Suarez noster, Deiparam eruditis interesse cogitationibus, cui peruſitatum erat, vt Theologiæ difficultates à quibus se non facile expediebat, Deiparæ, factâ prece, commendaret, nec sine optato euentu. Visus est enim sæpè palam per domum coram eius Imagine genua flectere, eique gratias agere, de diuinitus accepto lumine. Memor gratitudinis

Suarez B. V. sua studia ac difficultates occurrentes commendabat.

in

in eius honorem diebus Sabbati arctissimè ieiunabat. Diebus festis eius honori consecratis ante rem diuinam duas cum ea horas pijssimè colloquebatur, seque ita ad missæ sacrificium maiori cum deuotione celebrandum disponebat.

31. Agnouit denique Iustus Lipsius vir hoc nostro sæculo doctrinâ clarissimus, scientiam illam omnem, qua insigniter pollebat se ex Virginei huius syderis influxu deriuasse, cum pennam argenteam in Templo Virginis Hallensis ante eiusdem Aram è tholo hiscé adscriptis versibus ad memoriam suæ in Deiparam pietatis sempiternam suspendit:

Iustus Lipsius Calamū argenteum B.V. tāquam suorum studiorum præsidi dicauit.

Hanc Diua Pennam interpretem mentis meæ
Per alta spatia, quę volauit ætheris,
Per ima quæ volauit, & terræ, & maris
Scientiæ, prudentiæ, sapientię.
Operata semper Ausa, quæ constantiam
Describere, & vulgare, quæ ciuilia,
Quæ militaria, atque poliorcetica,
Quę Roma, magnitudinem adstruxit tuam,
Variaque luce scripta prisci sæculi
Affecit, & perfudit: hanc Pennam tibi
Nunc Diua merito consecraui Lipsius.
Nam Numine isthæc inchoata sunt tuo,
Porrò ò benignitatis aura perpetim
Hæc spiret, & famæ fugacis in vicem
Quam Penna peperit, tu perenne gaudium
Vitamque, Diua, Lipsio pares tuo.

32. Quanta porro charitate, ac veneratione ab ipsa adolescentia vir hic sapientissimus ferretur in Virginem, ipse suo stylo nitidissimo contestatum reliquit. Ita enim ipse in Virgine Hallensi: *A prima adolescentia D. Virginis amorem, & cultum indui, eamque patronam mihi, & ducem in periculis, in molestijs, in omni vitæ cursu elegi, etiam in studijs. Et si quid accuratius pangendum, aut dicendum publicè esset, vbi famę, vel memorię res agebatur, precibus & votis ad eam iuisse me fateor, & felici fere successu: Itaque vt primum licuit in sodalitium eius nomen etiam dedi, & in hęc item vrbe Louanij frequens honestumque est, cui Patres Societatis IESV pręsident, diriguntque.* Et paucis intercalatis hæc mox attexit: *Cum Hallas Diuę Virginis Templum adij, ac preces fudi, sensi trepido quodam gaudio, & mixta veneratione, corpus, animumque percelli, & palam in loco Numen esse, quod vel ignaris mentibus sese superfundat.* Tandem cum ad tabulas, ac diuinæ potentiæ monimenta oculos circumferret Lipsius, inter tot miracula, *subijt,* inquit, *illud mirari, nondum fuisse, qui ea scripto complecteretur, & Dei ac Virginis glorię diuulgaret. Incidit mihi cupido fateor cupido, quam voto etiam adstrinxi.* Tandem postremo capite huius libri, quo Historiam, ac miracula Diuæ Virginis Hallensis posteritati commendauit, ita illam compellat: *Tu illa Regina cęli, terrę, maris, supra quam nil nisi DEVS est. Luna ab ipso sole proxima, quam precibus imploro, atque inuoco publicè, ac priuatim tuere nos, & respice. Vides publicè nos iactari quadraginta iam ferè annis fluctibus bellorum ciuilium. Placa illud mare ò Maria, & auulsos à nobis, in veterem Societatem, amorem, fidem, compelle; priuatim etiam nos ipsos vitijs, aut delicijs fractos, emenda, erige, & ad virtutem, ac robur illud traductos, te dignos clientes, cęlo dignos incolas effice. Quę omnia per te vis, ò Bona, per filium autem potes, ò Magna, ò Admiranda in ęternum! Peregi; Ipsum tamen me, & hoc quidquid ingenij, ac styli est iterum tibi do, dico, consecro.* Nec hoc libro stitit Viri huius pijssimi æquè, ac eruditissimi in Virginem amoris affectus, aggressus pari pietate est alterum de Virgine Sichimiensi, in quo varijs in locis testatur, quam eam ardenter adamarit, & quam lubens in eius laudes excurrerit, quantaque animi fiduciâ se ei commendarit, afflictamque totius Belgij patriam; quod tribus primis capitibus, vt vltimo comprobauit, in quo versiculis sapphicis, ijsque pijssimis pro calamitosâ patriâ preces fudit: Ex quibus exemplis omnibus apertè colligimus Virginem Deiparam, veluti Saturni benignum sydus, in homines ipsius cultui addictos bonitatem ingenij, ac felicitatem, variamque doctrinam, Sapientiamque influere.

Lipsius quā fuerit B.V. à addictus ipse testatur.

B.V. in omni vitæ cursu, & in studijs ducem elegit.

Lipsius Sodalicia B.V. frequētauit.

Iusti Lipsii oratio ad B.V. pro Belgio patria sua afflictissima.

33. Quid iam de consilio, similique eorundem prudentiâ, quicunque eius patrocinio sese deuouerūt, dicam? Hos illa tanquam illius Parens, cuius Nomē inter alia innumera est, Consiliarius, & Magni consilij Angelus sapientissimis consilijs, cælestique quadam, minimèque politicâ prudentiâ quātumuis adolescentes alias inexperti sunt, instruit, vt maturitate, morumque grauitate grādæui quidam senes videantur. Nempe Virgo septem illa Spiritus S. dona, quæ tam super illam, vti Virgam, quam filiū, vti florem, & Virgam germinantem requieuerunt, inter quos est Spiritus cōsilij, super omnes, vt ait Albertus Magnus Tract. super Missus, excellētissimè habuit. *Sicut enim,* inquit ille, *se habet virtus*

B.V. consilio ac prudentia pollentes efficit.

tus ad virtutem, ita se habet donum ad donum. Cum igitur virtutes in Virgine beatissima omnes viatorum virtutes excedant, consequenter eius etiam, à Spiritu Sancto collata dona excessisse reliquorum omnium viatorum, necessarium fuit.

Omnes virtutes ac dona B.V. omnium viatorum longè excesserunt.

Quæ dona Virgo nostra, tantâ cum abundantiâ sibi infusa, vti & reliquas suas virtutes omnes cum suis clientulis copiosissimè communicare consueuit. Vnde gloriabatur ipsa Prou. 8. 14. *Meum est consilium, & æquitas; mea est prudentia.* Seu vt legere 70. Interpp. *Meum est consilium, & securitas*, vel vt Hebr. *Essentia, aut substantia, aut constantia*; seu vt alij: *Mea est Fortuna.* Ipsa enim dilectissimis sibi filijs non modo vt consilio, prudentiâque senili præditi sint, efficit, verumetiam prudentissima, saluberrimaque capessendæ perfectionis, salutisque consilia suggerit: ipsa dat securitatem, substantiam, ac constantiam, vt in cæptis iam consilijs viriliter progrediantur. Ipsa denique, cum sit ipsa bona, prosperaque Christianorum Fortuna, tribuit fælicissimos, fortunatosque huiusmodi consiliorum successus. Si enim consilium nil aliud est, *quam vis animi, quæ suadet, ne quid temerè, & extemplo, sed præmissâ exactâ deliberatione, ac consideratione aggrediamur*, intelligimus profectò Deiparæ studiosos ita dextrè ab ipsa dirigi, vt omnia maturè, summaque cum prudentia aggrediantur, intentumque finem feliciter consequantur.

B. V. salubria Consilia suis suggerit.

B.V. fortunatos consiliorum suorum successus tribuit.

Quid sit Cōsilium?

34. Expertus est Simon Bucerus noster Operis domestici administer Deiparam optimam consiliorum directricem. Cum enim die Martis Hebdomadæ Sanctæ animaduerteret se, in rebus nonnullis dubium, atque perplexum, an nimirum in illis Dei voluntatem expleuerit, idque in oratione Deo commendaret, gloriosissima Virgo Mater sese ei visendam exhibuit, quæ ad instar stellæ lucidissimæ, suis radijs coruscantibus obscuras ipsius tribulati animi tenebras, suaque diuina amabilissimaque facie ipsius afflictum cor omni mœrore leuauit, tribulationis præsentis curam omnem in se acceptando. Addidit insuper non debere illum in posterum huiusmodi dubijs ac tribulationibus affligi. Præcepit denique illi tanquam Nouitiorum manuductori, vt suæ curæ commissos illos iuuenes ad singularem quandam erga se confidentiā, fiduciam, ac deuotionem, nec non in B. Stanislaum KotsKā adhortaretur. Horum enim consolationem ipso die Assumptionis B.V. expertus est dum ipsam Deiparam, & beatum illum adolescentem ad se venientem, seseque inuisentē benignissimè contemplatus est. Credibile est tunc Deiparam bonum Simonem varijs ijsque sanctissimis consilijs erudijsse.

B.V. Simonē Bucerum in dubijs illuminat.

35. Celebris quoque â consilijs sapientissimis dandis fuit Pater noster Bernardinus Realinus, quam ille peritiem magisterio Virginis, cui semper ab ineunte ætate fuit addictissimus didicisse visus est, ita vt quemadmodum ipsius vitæ Auctor cap. 16. scripsit, cum suo Patrono Bernardino Senensi dicere potuerit: *Hanc amicā mihi exquisiui ab adolescentia mea.* De eius porro prudentissimis, optimisque consilijs ita idem Auctor cap. 14. *Quibuscunque ille innotuerat, ij fere omnes in suis controuersijs, ad P. Bernardinum confugiebant, vt ab eo tanquam ab oraculo quodam dirigerentur, suisque in negotijs ipsius consilijs ad felicem ducerentur portum. Tametsi hic satis esset dicere, præcipuos fere omnes Dynastas, quicunque Dominia sua circa illas partes habebant, Ciuitatis, vicinorumque locorum gubernatores, Cameræ Regiæ Præsides, ac Prouinciæ Prætores, vna cum animarum curatoribus, Episcopis, alijsque hominibus illustribus, nihil vnquam grauioris momenti, sine illius adhibito iudicio conclusisse. Ad maiorem nihilominus horum omnium assertionem, quidam singulares euentus minimè prætermittendi sunt. Inter alios viros eminentes, qui P. Bernardinum consilij causa sæpius adierūt, fuit Cardinalis Bellarminus, sua probitate ac doctrina orbi notissimus, maximè tum temporis cum in Cardinalem eligendus, ac Archiepis. Capuanus creandus esset. Idem oraculum ad maiorem suam securitatem non semel consuluit P. Claud. Aquauiua noster Generalis, ac P. Petrus Spinellus sæpius varijs in locis Prouincialis. Lucius etiam Fornarus Vriensis Episcopus frequenter Lupias, vt cum illo sua communicaret sese conferebat: Mattheus Talemorigi Comas vir prudentissimus, cum summa tamen familiarium suorum admiratione, nihil pene absque illius consilio peragebat.* Vnde ibidem plures viros illustres, qui consilijs tanti Patris vsi, præclarè res suas egerunt, felicesque in suis negotijs euentus sortiti sunt. Quæ consilia Illuminatrici Virgini, à qua ipse ea hauserat, adscribenda.

Bernardinus Realinus edoctus à B. V. præclarus in consilijs.

36. Quare Richardus à S. Laur. lib. 2. de laud. B.V. part. 2. expendens verba illa supra citata Virginis: *Nota*, inquit,

quit, *quod multa sint consilia Mariæ, quibus consulit nobis animarum salutem; Vnde dicit ipsa. Meum est consilium. Ipsa enim est Rebecca, quæ dixit filio suo Iacob. Gen.27. Fili mi acquiesce consilijs meis. Et nota quod Rebecca Iacobum, qui luctator, & supplantator, interpretatur, appellauit filium suum, non autem Esau. Quia soli luctatores, & supplantatores vitiorum filij sunt Mariæ, digni hæreditate ipsius, & soli tales vocare possunt Mariam Matrem suam. Porrò consilia Mariæ sunt, vt in primis agamus pœnitentiam, quæ in illorum hædorum præparatione, quos sibi Rebecca, à filio iussit afferri, præparatione significatur, quibus ille consilijs Matris obtemperando, benedictionem Patris acquisiuit. Alterum est, vt Diabolum nos occidere volentem ad instar Esau fugiamus. Fugiamus quoque strepitum mundi, & diligamus solitudinem, sicut ipsa Virgo in cella orabat, quando Angelus ingressus est ad eã, vt inquit B. Bernardus. Consulit insuper suo exẽplo, vt quisque in statu suę professionis perseueret, sicut ipsa post votum Virginitatis constanter respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Consulit denique eodem suo exemplo, vt quisque voluntatem suam diuinę conformare studeat, cum ipsa Angelo respondit: Ecce Ancilla, cuius est velle, quod Dominus eius vult.* Concludit tandem Richardus: *Debemus ergo obedire consilijs Virginis Matris, & accedere aduocantem nos. Videte ne recusetis loquentem, inprimis ob eius reuerentiam, quia Regina est. Deinde ob periculum nostrum, quia inter Dæmones, homines-que malos versamur, & viuimus in peccatis. Quilibet enim iustus debet ad illam confugere, ac dicere: Sub vmbra illius, quam desideraueram, sedi. Cant. 2. vt impleatur illud Michea cap.4. sedebit vir subter vineam suam, id est, securus erit per auxilium Virginis. Qui verò peccator est, debet ad eam confugere, tanquam ad ciuitatem refugij.* Alioquin ei obedire detrectantibus dictura est aliquando: *Despexistis omne consilium meum, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Sic ferè Richardus.

B.V est velut Rebecca, quę salubria suis filiis consilia suggerit.

Soli supplãtatores vitiorum sunt B.V. filii.

B.V. Consilia quænã sint?

B.V. consiliis aquiescendũ.

Vinea, & Vitis nostra est B.V.

Quid B.V. dictura sit illis in nouissimo, qui ipsius consilia despexerunt.

37. Hanc ob causam B. Albertus Magnus quod perfectam omnium Diuinorum secretorum cognitionem habuerit, aliosque docuerit, Deipara, eam vniuersalem Cousiliatricem vocitauit. Verissimè enim cecinit Ouidius libr. 2. de Tristibus:

B.V. Consiliatrix vniuersalis.

Quodque parum notum nemo nocere potest.

Vniuersalem porro cognitionem Diuinorum in Virgine inde idem probat Albertus ex 1. Ioan. 2. *Vnctio eius docet vos de omnibus.* Cum igitur Virgo omnibus alijs improportionabiliter plus habuerit vnctionis, donum quoque consilij improportionabiliter excellentius, sanctis omnibus illam habuisse necessarium fuit. Quare Bernardinus Bustius, Par.4. Mar. ser.6. ait Angelos adhuc nascenti Virgini illud Prou.2. dicere potuisse: *Consilium custodiet te, & prudentia seruabit te.* Cum igitur sacratissima Deipara donum consilij, tantâ cum perfectione atque eminentiâ à Spiritu S. veluti purissimo sponso, ad instar dotis opulentissimæ acceperit, quid mirum si illud cliẽtulis copiosius impertita fuerit?

38. Etsi vero Virgo nostra variorum saluberrimorum consiliorum varijs auctrix extiterit, extitit tamen vel maximè ac sæpissimè Religionis, & specialiter Societatis nostræ ingredienda. Testis est Ioannes Nunnius qui cum diu anxius de eligendo vitæ statu fluctuaret, tandem per quietem admonitus à Dei Matre, vt in Societate nostra filio vsque ad defatigationem deseruiret, Religionem nostram ingressus est. Testis est B. Aloysius Gonzaga, & Stanislaus Kostcha ad olescẽtes planè Angelici, quibus Deipara de religione aliqua suscipienda secum consilia agitantibus, conceptis verbis consilium dedit: *Ingredere in Societatem IESV.* Testis est paulò ante memoratus Barradius, & Berchmam; Testis Cornelius à lapide, & Paulus Iosephus de Arriaga Hispanus, qui cum studeret Madridij in agro deambulans à B.V. ad Societatem IESV vocatus est. De hoc Philippus Alegambe in sua Bibliotheca hæc addit: Vir fuit tãtis, tamque illustribus à Deo donis cumulatus vt P. Iacobus Aluarez de Paz, rerum ipsius omnium conscius, dicere soleret, fore, vt si illi esset superstes, in admirationem decorum illius vocaret orbem terrarum, quæ ille animi decora patrocinio potissimum B. V. sibi comparauit. Testis est Iacobus Ledesma, qui cum anceps esset an in Societate perseueraturus, & an continens esse posset, Christus in primis sese ei visendum, tum etiam ipsius Virgo Mater, cum Magdalena, & sanctis Catharina martyre, ac Senensi exhibuit eumque ad societatem ingrediendam animauere, virtutesque continentiæ, & constantiæ in vocatione promisere. Promisit insuper benignissima misericordiæ Mater ad cumulum beneficiorum omnium, se illi animam agenti præsto fore, & omnia hæc, quæ polliceretur vera compertu-

B. V. consilia ingrediendo Religionis variis suggerit.

B. Aloysio, Berchmano, Cornelio à Lapide, Iosepho de Artiaga.

Iacobo Ledesmæ fluctuanti suadet B.V. vt in Societatem ingrediatur.

B. V. promittit Ledesmæ animam agēti præsto futuram.

turum. Audiuit inde Comites illas Deiparæ Sanctas Virgines alternis suauissimè accinentes:

Diuina res est Castitas,
Maiora sed sunt præmia,
Quæ continenti dat DEVS.

Quibus ille visis, promissisque permotus diuinitus, Societati nomen dedit, in eaque summâ cum laude vixit, ac tandem meritis, virtutibusque conspicuus in eadem felicissimè diem clausit extremum, agnouitque reipsâ consilia sibi à Dei Matre communicata saluberrima extitisse, eamque suam securitatem, seu substantiam, siue constantiam, imò, & prosperam felicissimamque Fortunam extitisse.

Cornelii Vischauei ad societatē vocatio ope B. V. declarata.

39. Testis est Cornelius Vischaueus, qui etiam Deiparæ interuentu ac ductu Societatem hanc nostram est ingressus. Res porro ita se habuit. Petrus Faber vnus è primis Patriarchæ nostri Socij cum Francisco Strada Louanium petebat cui literas P. Canisius ad Cornelium, Louanij in patria sua degentem perferendas tradidit, quibus illum in hæc verba compellabat: *Corneli amice habes hic Virum optimum Petrum Fabrum cujus Religionem amplectere. Sic enim quam cupis animę salutem consequere.* Sed cum Frāciscus Strada redditis literis Cornelio, extemplo recessisset, lectâ ipse Canisij Epistolâ, requirebat tabellarium, nec vsquam reperto, ædem S. Dominici adit vbi supplex ad Imaginem Deiparæ sic precatus memoratur: *Sancta Optimi Max. Dei Genitrix, literas accepi, quibus mihi mandatur, vt cum quadam de rebus ad salutem meam spectantibus agam; at nescio vbi hominem hunc inueniam. Index ergo esto Sancta Domina, & quęrenti quem desidero, ostende.* Accepit mox cælestem vocem Cornelius, & secundum cænobium S. Dominici, iubetur dextrum viæ latus ingredi, tertiæque inde domus ad sinistram fores pulsare. Paruit Ductrici Virgini Cornelius, & quem quærebat magno suo gaudio reperit atque illico in societatem tot votis expetitam admittitur, vti fusius in vita P. Canisij videre est.

40. Quid de alijs Religiosorum ordinibus quos ante honoris causa commemorare debueram, dicam? Certe B. Consaluum Amaranthum, amarentheâ immarcescibilique gloriæ corollâ dignissimum Deipara iussit Sacrum D. Dominici Ordinem, *qui Dei*, inquit, *laudes, à Salutatione Angelica inchoaret*, *ingrederetur*. Hic à primis incunabulis miro pietatis affectu in Virginem ferri cępit. Infans enim cum ploraret, nulla alia re quam sacra Dei Matris Icone placari poterat. Moribundus tandem ob tot fidelissima totius vitę decursu Virgini exhibita obsequia, eam Angelis stipatam se ad cælos inuitantem vidit, & audiuit.

Consaluus Amaranthus Ord Prędicatorum suasu B.V. ingreditur.

Moriens B. V. se ad cælū inuitantem audit.

41. Taxere dum quoque inter Federici Imperatoris Palatinos non postremum, eadem Deipara iam memoratum Sacrum Ordinem, cum de deligendo vitæ statu consultaret, atque eam vt se in viam salutis dirigeret deprecaretur, per quietem ei apparens ingredi iubet: *Ad meam*, inquiens, *familiam cito accede*. Ille expergefactus, cum seriē somni minimè intelligeret, & rursus cæli Reginam, vt clarius suam voluntatem sibi indicaret, obsecrasset; duo Viri Prędicatorum habitu in somnis illi apparuerę, quorum senior: *Desideras*, inquit, *à Deipara in viam salutis dirigi? Ad nostros declinar, & saluti tuę consulueris*. Expergefactus Consaluus cum ad rem sacram audiendam, negotiumque suæ salutis Deo commendandum proficiscitur, obuius illi fit Cænobij Bononiensis Prior senioris illius in somnis sibi apparentis speciem præseferens, quo viso, de Dei, Deiparæque voluntate certior factus ac confirmatus, proculcatâ nobilitate generis, mundique vanitate, sacro illi Religiosorum cætui adscriptus est, optimamque Consiliatricem Virginem experiri meruit. Kal. B. V. 9. Decemb.

Tancredus suasu B.V. Ordinē Prædicatorum ingreditur.

42. Eamdem Virginis nostræ benignitatem in dando saluberrimo Religionis consilio experta est S. Rosa Virgo Viterbiensis, quæ è grauissimo morbo decumbens, & iam iam esset moritura, cum de altera vita ea dixisset, quæ illuminata Diuinitus tunc oculis intuebatur, testesque suorum dictorum sorores iam pridem defunctas nomine vnāquamque compellasset, benignissima Virgo Dei Mater interuenit, eamque viuere iussit, & in sanctimonialium Diui Francisci Ordinem ingredi. Cui iussioni cum è morbo recreata Rosa mox paruisset; denuo tam solitâ sua facilitate magna Dei Mater visitauit, eique filiū suum dilectissimum cruciatibus omnibus olim excarnificatum spinis compunctum, clauis terebratum ostendit. Ad quod spectaculum Rosam nostram verè spinæ circumuallasse tantorum dolorum

S. Rosa iubetur à B.V. ordinem ingredi S. Frācisci.

B V. ostendit S. Rosæ filiū cruciatibus excrucitum.

lorum

lorum acerbitate, visæ sunt; Innuebat ei nimirum tacitè Virgo Mater, eo in Ordine, quem ipsa illi designarat, vitam similem suo filio, multis pœnis exercitam ipsi in posterum esse ducendam. Ex festis Marianis die 4. Sept.

B.V. velut Saturni sydus benignum in suos influit prudentiam.

43. Quid iam de prudentia, quam Virgineum hoc sydus in cultores suos, veluti Saturni Planeta influere consueuit, dicam? Influxit verè semper, & in hodiernum vsque diem suis clientulis virtutem hanc preciosissimam, sine qua nulla virtus suam nanciscitur perfectionem, cum teste Philosopho libr. 1. Magno. Moral. capit. 81. sit virtutum Architectrix, sine qua homo vix nomine hominis dignus est, cum vt ab eodem dicitur libro secundo, de Anima ob eandem homo prudentissimus animalium vocitetur. Et libro 6. Eth. dicat quod is, qui ea præditus est impossibile esse, vt bonus non sit. Quam porrò perfecta hæc virtus, omnibusque numeris absoluta in ea fuerit, doctè ostendit B. Albertus, qui in ea prudentiam fuisse asserit excellentiorem, quam in vllo vnquam viatore extiterit; ideoque illi canere Ecclesiam: *Virgo prudentissima, quo progrederis sicut Aurora valdè rutilans*. Docet insuper illam omnes prudentiæ partes habuisse, quæ sunt secundum Senecam lib. 4. de virtutibus: *Præterita recogitare, præsentia ordinare, & futura prouidere*. Virgo enim præterita continuo recogitauit, adeo, vt dicere potuerit cum Psalmista: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. Psalm. 76. Præsentia sapienter ordinauit, cum, vt ait Beda, prudenter Diabolo Virginitatem suam occultauit: dum Herodis persecutionem mortem filio machinantis, in Aegyptum de nocte transmigrando effugit. Dum denique omnia ea, quæ de filio dicebantur conferens in corde suo conseruabat, secumque identidem reuoluebat. Futura etiam sapienter vt pote Prophetissa præuidit, dum pro eximia illa sua humilitate se ab omnibus generationibus beatificandam, ac magnificandam prænunciauit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Luc. 7.

Sine Prudētia nulla virtus suam nanciscitur perfectionem.

Absque prudētia homo, vix nomine hominis dignus.

Ob prudētiā homo prudentissimus animalium vocatur.

In B. V. prudentia excellentior quā in vllo vnquam Viatore fuerit.

Quænam sint Prudentiæ partes.

44. Quod si in sententia M. Tulij 1. Rhetor. Prudentia est mentis virtus, qua de bonis, ac malis, quæ ad fælicitatem pertinent, benè consulere possumus. Et lib. 2. *est rerum bonarum malarumque scientia*; si demum secundum Aristotelem 6. Eth. *Prudentia, nihil est aliud quam recta agibilium ratio*; in quo, DEVS bone, tam clarum hoc, quam in Virgine rationis lumen, quod illo beatifico sæpius, adhuc dū viueret corroborari meruit, emicare potuit? Quis de bonis malisuè, quæ ab æterna felicitate nos remouere, vel ad illam promouere possunt melius consulere valuit, quam Virgo, quæ magnum illum Magni consilij Angelum nouem mensibus vtero suo purissimo gestare meruit. Tunc enim Incarnatum, omnipotensque illud Verbum, vt inquit Salomon Prou. 3. Virgineam hanc terram sapientia fundauit, & cælos, ipsius nimirum sensus internos, ac intellectum prudentia; adeo, vt ob harum virtutum eminentissimam perfectionem illi dicere potuerit Dominus Prou. 7. *Dic Sapientiæ Soror mea es, & Prudentiam voca amicam meam*. Quare iure merito Virgo tam præclara virtute tam insigniter conspicuam, ornatamque peculiariter, præ omnibus puris creaturis, etiam Angelicis circumspiciens gloriabatur in Domino: *Mea est prudentia*. Prou. 8.

Prudentia est rerum bonarum, malarūque scientia.

B V. optimè cōsulere valuit, qui magnum cōsilij Angelū nouem mensibus in vtero gestauit.

45. Verè enim illa non solùm vna ex numero illarum Virginum prudentium extitit, verùmetiam earundem, aliarumque omnium, quæcunque ab exordio mundi hac virtute enituere, gloriosissima Regina. Quare S. Ildephōsus Toletanus Antistes Virginei honoris, ac maximè pudicitiæ Zelantissimus, inter innumeras, easque pulcherrimas ipsius laudes, quarum catalogum sat prolixum contexit sermone quarta de Assumpt. Beata V. in harum medio ponit hanc, quæ velut gemma in medio annuli clarius emicat: *Virgo sancta*, inquiens, *Virgo prudens, & vna ex numero prudentium Virginum: Virgo pulcherrima, Virgo pudica, corpore decora, animo fulgida, fide perspicua, mente præclara, amore Virginitatis deuota, ad obediendum parata, &c.* Hāc Virginalis prudentiæ præstantiam agnouit S. Bernardus, eo quod pedibus suis Lunam substratam viderit Ioannes. Vnde serm. de verb. Apoc. dixit: *Insipientia verò omnis longè sub pedibus est, vt penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, & Collegio Virginum fatuarum*.

B. V. omniū Virginum Prudentum Regina.

Insipientia omnis lōgè sub pedibus est B.V. & ab est à Collegio Virginū fatuarum.

46. Tantam tanque eximiam in Deipara Prudentiam Rich. à S. Laur. lib. 4. suspexit, vt non modo quinque illarum sapientum Virginum prudentiam excessisse, verumetiam quina prudentiæ quædam genera habuisse censeat: *Prudentia*, inquiens, *est mundum, & omnia quæ in eo sunt, diuinorum contemplatione despicere, omnemque animi cogitationem in sola diuina dirigere. In Euangelio Matt. 25. de quinque* pru-

B.V. in quinque rebus maximè prudens.

prudentibus Virginibus legitur, per quas quinque prudentiæ designantur, quas omnes reperire est in Maria, quæ fuit Virgo prudentissima per per tres illas mulieres à prudentia commendatas figurata. Prima fuit Abigail, quæ erat prudentissima, & speciosa 1. Regum. 25. & hæc per prudentiam malum imminens contra Nabal stultum, suorum verborum subtilitate placauit. Rectè porro Abigail Patris mei exultatio interpretatur, quia de ea Pater, & Filius, & Spiritus S. exultant, & ipsa orando impetrat à vero Dauid, ne stultum, pessimumque Nabal, genus videlicet humanum interficiat. Altera fuit mulier Thecuitis, quæ vt habetur 2. Regum 14. sicut Absolonem fratricidam Dauid patri suo reconciliauit, ab eoque malum iam præparatum auertit; sic Maria verbis prudentibus Christo reconciliauit homicidas, animarum suarum interfectores, ab eisque iustissimam Filij sui supremi Iudicis iram amolita est. Postrema Mulier, prudentia sua Virginem adumbrans, est Heroina illa Sapiens in ciuitate Abela, quæ videns mox exscindendam à Ioab ciuitatem, nisi de medio tolleretur, is qui manum contra Regem Dauid leuauerat, auctor fuit, loquendo ad omnem populum sapienter, vt interficeretur. atque ita proiecto seditiosi illius Sebæ capite ad Ioab, ciuitatem saluauit 2. Reg. 20. Verum longè sapientior, prudentior, fortiorque fuit Heroina nostra, cum Sathanam sese assiduè contra supremum Regem fastus suo erigentem, totiusque humani generis excidij perditionisque causam sub pedibus suis conculcauit, eiusque caput, ab originali peccato præseruata generosissimè contriuit. Denique gloriosa Virgo est Virginum prudentissima habens lampadem integerrimæ Virginitatis, oleumque misericordiæ in omnibus vasis suis idest, in vase cordis per affectum misericordiæ, in vase manuum per effectum, & in vase oris, per benignitatem orationis. Hæc ferè Richardus.

B.V. prudens Abigail

Abigail Patris mei exultatio interpretatur.

B.V. prudens Mulier Thecuitis.

B.V. Virginũ prudẽtissima habens a. dem integerrimæ Virginitatis oleumque misericordiæ.

47. Et verò si consideremus attentius effusissimam in omne genus hominum Virginis nostræ prudentissimę pietatem, nil nobis videbimur in illa videre aliud, quam aureani quandam oleo misericordiæ plenissimam toti orbi lucentem, miseriarumque nostrarum tenebras effugantem lampadem. Quemadmodum enim lampas, aut lucerna sui consumptione alienæ seruit vtilitati, ac commodis, ita Virgo benignissima miserijs, quibus in hac vita assiduo confli ctamur compatiendo præ teneritudine affectus viscerumque commotione quasi consumitur, vt nos misericordiæ suis radijs illustret; Hinc Dauid pietatem misericordiamque venturi agnoscens Messiæ eius Regnum Lucernæ, quæ lucendo alijs ipsa sine consumptione tamen sui quodammodo absumi videbatur, comparauit. *Parani Lucernam Christo meo.* Psalm. 131. Hæc enim Virgo est vna ex Lucernis illis, quas Zach. cap. 12. super candelabrum Ecclesiæ vidit, habentem suum infusorium, vt nunquam in ipsa misericordiæ oleum desideraretur. Hæc nimirum est Lucerna illa, de qua Dominus ad Moysem 27. 20. Ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij. quod Ecclesiam denotabat. Agnouit Lucernam esse ardentem, ac lucentem Deiparam Sapientissimus Idiota cap. 6. Contempl. de B. V. vbi in laudes ipsius Nominis deuotissimè excurrens: *Tanta*, inquit, *est virtus tui sanctissimi Nominis, ò semper benedicta V. M. quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiem cordis humani. Ideo scribitur: Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta mentis Prou. 20. Sic etiam dicere tibi possumus: Lucerna Dominæ, idest Mariæ, quæ doctrix, & Magistra maris interpretaris spiraculum hominis, quia peccator, per te respirat in spem veniæ, & gratiæ, quæ inuestigat, idest inuestigare facit omnia secreta mentis, idest abscondita cordis.* Sic ille.

B.V. Lucerna cur appelletur.

Regnũ Messiæ quare Lucernæ comparatur?

B.V. Lucerna Domini

48. Tanta nimirum est luminis huius cælestis Lucernæ vis, vt non modo mentes nostras cælestis sapientiæ luce irradiet, miseriarum humanarum caliginem abstergat, verum etiam vitalem quandam, diuiniorémque auram nobis afflet, vt ab onere grauissimo, æstuque peccatorum nos assiduè coquente suauissimè respiremus. Vnde hoc agnoscens Germanus Constantin. Antistes orat. de Zona sic eam amantissimè alloquitur: *Tu autem ò castissima, ò optima, & summè misericors Domina, Christianorum solatium, eorum qui affliguntur potentissima recreatio, paratissimum refugium peccatorum, ne nos orbos, tua defensione relinquas. Nam si nos tu deserueris, quonam confugiemus? Quidnam autem de nobis fiet, ò sanctissima Deipara Spiritus, & vita Christianorum? Quomodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita etiam sanctissimum Nomen tuum, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij, non solum est signum, sed ea etiam procurat, & conciliat.* Hæc ille sane peruenustè.

B.V. Christianorum solatium, & afflictorum recreatio.

B.V Nomen est nobis instar respirationis.

49. Agnouit Lucernam oleo misericordiæ plenissimam totum orbem irradiantem esse Deiparam Bernardinus Bustius Part. 9. serm. 4. vbi de Lucerna illa Tabernaculi testimonij loquens:

Hæc,

B.V. Lucerna Tabernaculi testimonii.

Hæc, inquit, Lucerna fuit B. V. quæ semper permansit accensa coram Diuino altari, & nunquam fuit extincta, sed seruauit diuinæ gratiæ lumen exhibendum viatoribus, vt viam salutis videre possint. Nec aliquis est tam cæcus, cui lumen istud visum restituere non possit. Ideo ipsius deuoti illi dicunt: In lumine tuo videbimus lumen. Igitur ò Domine qui accendisti hanc Lucernam, & non abscondisti eam sub modio, sed posuisti super candelabrum, vt luceat omnibus, non me permittas ex illis esse, qui caligantibus oculis Lucernam hanc fulgentissimam minimè vident, vti fuit Elij de quo dicitur 1. Reg. 3. Non poterat videre Lucernam Domini. Ipsa namque Virgo à suæ formationis principio à te illuminata nunquam luce priuata fuit. Vnde de illa canebat Propheta Psalm. 17. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, DEVS meus illumina tenebras meas. Q. D. Sicut tu illuminasti Matrem tuam, quam creasti, omniumque fidelium Lucernam, ita fac, vt mediante hac Lucerna lucidissima tenebræ peccatorum meorum illuminentur. Hæc est enim Lucerna super candelabrum sanctum splendens vt ait Eccli. 26. ad cuius lumen quicunque suos bene direxerit gressus cum ad supernam peruenerit patriam dicere cum Iobo poterit cap. 29. Splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Hactenus ille.

50. Virgineæ huius Lucernæ virtutum splendorem sequi, atque imitari optabat omnes S. Bonau. in spec. cap. 3. cùm ipsius nominis ethymologiam interpretans dixit: *Considera charissimè quod Maria est illuminatrix plurimorum per lucidissimæ vitæ suæ exempla. Ipsa est cuius vita gloriosa lucem dedit sęculo, ipsa est cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Ipsa enim est Lucerna Ecclesię, ad hoc illuminata à Deo, vt per ipsam contra mundi tenebras illuminaretur Ecclesia. Oret ergo Ecclesia, oret fidelis anima, dicatque: Quoniam tu illuminas Lucernam meam &c. Hanc verè Lucernam illuminauit Dominus plenissimè, & per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat, & fugauit. Hoc benè sentiens Bernardus ait: O' Maria tu virtutum tibi inditarum magnificis exēplis ad imitationem tui nos prouocas, sicque noctem nostram illuminas. qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ. Maria quoque illuminatrix est per beneficia lucidissimę misericordię suę, per quam multi in nocte huius sęculi spiritualiter illuminati sunt, sicut filij Israel per columnam ignis illuminati fuerunt corporaliter. Maria enim est Columna ignis illuminans nos, imo illuminans mundum, multis misericordię suę beneficijs. Quid nos miseri, nos obtenebrati, quid in nocte huius sęculi, faceremus, si tam lucidam Lucernam, si tam luminosam columnam non haberemus?* Sic ille.

B.V. Illuminatrix plurimorum per vitæ suæ exempla.

B.V. virtutū suarū exemplis ad sui imitationem nos prouocat.

51. Neque verò Virgo nostra prudentissima totum hunc ob rem sublunarem, velut lucerna oleo misericordiæ plenissima, illuminat, verumetiam ipsum orbem cælestem. Sane splendorem eius vel ipse humanatus Dei filius, ò rem admirandam, experiri visus est. Quare præclarè D. Ber. ser. 4. de Assump. *Marię pręsentia totus illustratur orbis, & ipsa iam cęlestis patria clarius rutilat Virgineę lampadis irradiata fulgore.* An non misericordiæ Virgineæ lucem sensit ipse filius, cū septem illa misericordiæ opera erga se à Matre pijssima exerceri expertus est? de quibus alibi fusè dictum. Hic vnicum breuitatis causa cōmemorasse sufficiat, quod cæterorum videtur princeps; cum nimirum mox natum, nudumque ex purissimo suo vtero exortum filium, vilibus quidem, sed in oculis Dei preciosissimis pannis vestiuit, esurientemque lacte Virgineo pauit. De quibus misericordiæ operibus Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. Et S. Ildephonsus præclarè disserentes vix ad illarum commemorationem non obstupescūt. Et Rupertus quidem ad panniculos hos applicans verba illa Sponsi: *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Cant. 4. Sic ipsum paruulum sponsum Matri loquentem introducit: *Quid de pannis dicam, quibus me incoluisti, & in presepio reclinasti? Nimirum id verum est, quia odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Omnium namque vestimentorum, scilicet bonorum operum tuorum, quæ in me maternâ, & plusquam maternâ charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta, quæ tunc in me, vel tunc propter me operata es de magno, & valido charitatis igne cum suauitate humilitatis venerunt, rectè dictum: Quia odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. sic enim in omnibus famulata es mihi Mater, & Virgo fidelis tanquam Deo, cui soli debetur odor thuris in sacrificio, quamuis ego essem paruulus homo tuus.* Hæc Rupertus. Iam S. Hildephonsum ser. 4. de Assump. audiamus: *Quem,* inquit, *mundus totus non capit, in suo sacrato aluo hæc Virgo inclusit.* En Virginis hospitalitas benignissima, qua hospitem in terris Dei filium hospitio sui vteri humanissimè excepit; tum prosequitur: *Qui mundum pugillo continet, eum beatissima Virgo pannis inuoluit, & qui pręsentia Maiestatis suæ in cælis Angelos pascit, Virgo hunc sacra, sacrato vbere Matris lacte aluit. Et insuper ad cuius arbitrium totus orbis terrarum regitur, huius gloriosæ Virginis vberibus Conditor orbis Infans nutritur.* Hæc Hil-

Cęlestis patria à B.V velut lampade illustratur.

B.V. Christū opera misericordiæ impendit.

Panni quibus Christo inuoluit B. V. quam preciosi?

B.V. Hospitio vteri Virginalis Dei Filiū in hunc mundum venientem excepit.

KKKKK 2 de-

dephonsus, quibus sanè pijssimè oleum misericordiæ Virginalis dilaudauit.

52. Quod si per oleum Virgineæ huius Lucernæ, diuinam gratiam, virtutes infusas, dona, ac charismata Spiritus S. intelligamus, vt ostendit P. Salazar in cap. 8. Prou. v. 14. mirificam erga ipsam concipere debemus fiduciam, quod non modo miserationum suarum luce nos, & in vita, & in morte perfusura sit, verum etiam vberrimos nobis suarũ gratiarum, donorumque influxus velut propitium Saturni sydus communicatura. *Per manus enim*, vt inquit, S. Bonauent. in spec. c. 3. *huius Dominæ habemus, quicquid boni possidemus, testante Bern. Nihil nos DEVS habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.*

Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret.

53. Cùm igitur Deipara gloriosissima, Virgo prudentissima decem illarum sapientum Virginum fuerit Regina, ac tota quædam Lampas oleo misericordiæ plenissima, de cuius misericordiæ splendoribus non modo totus terrarum orbis, verum etiam cælum ipsum, cælorumque incolæ, ipse quoque Dei filius, vt homo, participauit, quis dubitare poterit, quin tantam gratiarum, & donorum cælestium virtutumque plenitudinem, ac præsertim prudentiæ, qua à Deo eximiè decorata fuit, in suos cliẽtulos, atque amicos, pro innata sibi benignitate distributura sit? neque ipsa ostensura, se benignum Saturni sydus esse, quod sub eius horoscopo quemadmodum hunc confingunt Astrologi Iudiciani, natis senilem prudentiam, morumque maturitatem, ac grauitatem instillat. Instillauit hãc Virgo nostra prudentissima sanctissimo illi adolescenti Bernardino Senensi amico suo singulari ac spõso, qui licet puerulus esset, erat nihilominus adeo moribus grauis, ac compositus, vt senex prudentissimus videretur, eumque æquales pertimescerẽt. Mox enim, vt illum conspexissent, digito labellum compescentes, aiebant: *Tacete, Bernardinus adest.* Vnde cum viro cuidam iam grandæuo, quod obscæna, impuro ore vomeret, colaphum infregisset, eius senili quodammodo consternatus grauitate, ne mutire quidem ausus est.

S. Bernardin. Senensis senili prudẽtia in sua pueritia.

54. Instillauit hanc senilem prudẽtiam, morumque grauitatem Deipara Hermanno illi suo, cui Iosephi sponsi sui nomen indidit. Hunc enim à teneis, quod aiunt vnguiculis, docuit mũdum, eiusque voluptatum illecebras, æqualium lusus, iocosque contemnere, ad cælestia aspirare, secumque, & Puerulo IESV purissimè, columbinâ quadã simplicitate deliciari, modestiam singularem toto ore, oculis, totiusque corporis compositione, virilemque maturitatem honore dignissimam præseferre. Vnde ipsius vitæ Auctor apud Sur. 7. Apr. iure merito Hermanni nomine ornatũ dixit, quod Teutonico Idiomate *Virum bonoris, seu honoratum significat.* A prima siquidem pueritia virilem quandam morum grauitatem prætetulit, dignusque est habitus, *quem Dominus tanquam diademate gloriæ, & honoris, tam in gratuitis, quam in naturalibus coronaret*, vt idem Auctor loquitur.

Hermanni sponsi B.V. senilis quædam prudentia.

55. Instillauit etiam Edmundo, qui pueriles lusus sociorum fugiens, Puerum IESVM in schola socium, & alias viæ Comitem, ac vitæ feliciter terminandæ Magistrum habere meruit, cum frontem suam, illa Epigraphe, *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum*, insignitam ei visendam exhibuit, docuitque contra subitaneam improuisamque mortem, crucem fronti impressam, suoque illo associatam Nomine, præsentissimum esse amuletum. Plura huiusmodi commemorari possunt exempla, quæ cuilibet in Paradiso Puerorum videre licet. Iam ad domestica veniamus.

Edmundus pueriles lusus fugiebat, & IESVM in schola sociũ habuit.

Contra subitaneam mortem remedium.

56. Instillauit quoque Virgo prudentissima senilem hanc morum grauitatem B. Adolescenti Aloysio Gonzagæ, velut dilectissimo filio, vt de illo Virgilius Ceparius lib. 2. eius vitæ c. 11. hæc posteritati mandauit: *Inter eundum redeũdumque finitis scholis, tam erat modestis compositisque moribus, vt externos etiam studiosos literarum, in implunio gymnasii, ad sui affectum restantes studio pietatis inflammaret. Præcipuè verò Abbas quidam externus, in ea Academia Theologici studij cursu perfunctus, eius modestiæ amore illectus, non alia, quam eius videndi gratia, ludum frequentabat, neque inter scholas vsquam de illo oculos deiiciebat. Minimè verò id mirum videri debet, siquidem Præpositus Prouincialis Societatis, qui est in Venetis, sic pro Tribunali Patriarchæ ibidem testatus est, in B. Aloysium vidisse cadaue, quod D. Ambrosius scripsit in illum Psalmi locum: Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: Preciosum est, inquit, videre virum iustum, plerisque enim Iusti aspectus, admonitio correctionis est, perfectioribus verò lætitia. Nimirum hæc talis efficiebat in animis inuentium huius fortunati Adolescentis aspectus. Itaque quadrabat in illum etiam, quæ sequuntur: Iusti fanat aspectus, & ipsi oculorum radii virtutem quandam videntur infundere iis, qui fideliter eum videre desiderant. Quæ omnia noster hic specie ipsa, &* habitu

B. Aloysii nostri morũ grauitas, & compositio.

B. Aloysius omnes suo aspectu modestiaque ædificabat.

Viri Iusti aspectus admonitio est correctionis.

habitu corporis decentissimo, atque ad hominum mentes pietatis, & salutaris sensu doloris permouendas appositissimo, consequebatur. Adde, quod solus eius conspectus non alienos modo homines, & Religiosos adolescentes sodales eius, verumetiam grauissimos Sacerdotes admonebat officij. Itaque coram illo grauitatem quandam videbantur assumere, neque temerè cuiquam, illo arbitro, vllum verbum licentius excidebat, nedum leuiter facere auderet. Hæc ille.

57. Quantam porrò Sanctissimus hic Adolescens in verbis, in moribus, in actionibus omnibus tam internis, quam externis præsetulerit prudentiam, tota ipsius planè Angelica vita testatur. Reliquis amore breuitatis omissis; videamus quam altos, quam prudentes de Dei seruitio, de acquirenda perfectione, de sancta humilitate sensus habuerit, Magistra vtique virtutis huius singulari, atque Illuminatrice Deipara Virgine, quæ hac virtute potissimum gloriabatur, vtpotè, quæ velut suauissima nardus in cordis eius hortulo pullulans, dansque odorem suauitatis, Dei filium de excelso glorię suæ Throno in mundum attraxit. Sic igitur sapientissima hæc prudentissimi Iuuenis Placita idem Auctor lib. 2. cap. 16. recenset: Primum Pronunciatum esto, tui, qui Dei causa procreatus sis, officij esse, quando te creando, ab interitu vindicando, atque in sacram sibi familiam adscribendo, ita de te meritus est, ad DEVM te conferre; vnde conficies non modo tibi, ab omni prauo facinore, verumetiam indifferente, aut inutili abstinendum esse. Quin potius, quo propius semper ad DEVM accedas, in id, omni studio incumbas, vt nullum factum, nullum consilium tuum non à virtute dimanet. Deinde quo rectam ad DEVM viam insistas, hæc alia tria pronunciata altè in pectus demittes. Primum est, cum cæteris omnibus de Societate IESV, tum verò tibi cõprimis Christi ipsius, Diuorumque, qui sub illo olim meruerunt, ipsius vocatu, necessario signa sequenda esse. Quapropter sic statues, vt quodque munus, officium, negotium, cum Christi Domini, Diuorumq; exemplo consentiat, ita rationibus tuis accommodatum, tibique amplectendũ, aut fugiendum esse. Huius gratiâ studio tibi erit vitam, præclarèque facta, Christi quidem per otium cum animo sæpè cogitare; Diuorum verò attento animo perlegere, & subinde ad informationem tuam accommodare. Ita fiet, vt bene viuendi exemplis abundes. Alterum quo affectus tuos dirigas, hoc esto; eo te Religiosiorem, magisque pium futurum; quo tuam vitam diligentius secundum rationes æternas, minus verò secundum temporales gubernaris, sic vt nihil ames, nihil desideres, nihil læteris, nihil oderis, aut auersere, nisi pietatis causâ, tibique persuadeas hoc demum esse, Religionem, pietatemque profiteri. Tertium pronunciatum esto, vt quando Dæmon crebrius te, obiectâ cupiditate vanæ gloriæ, & magnificâ de teipso opinione adoritur, quod hæc minimè munita sit mentis tuæ pars, idcirco maius, vel potius continuum eo studium conferas, vt humilitate, tuique despicientia, non in speciem modo, sed interiore etiam animi sensu cum illo dimices. Igitur quasdam tibi leges veluti priuatim ad tuum munus accõmodatas, præscribe à Christo Domino traditas, vsuque confirmatas, quibus seruandis in studio huius virtutis emgiles. Primum consilium esto, vt cogitemus hanc quidem virtutem hominibus præcipuè propter eorum humilitatem, vilitatemque conuenire. Nihilominus quia non oritur in terra nostra, necessario poscendam esse ab eo, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Quamobrem etsi superbus es, enitere tamen quam potes demississimè DEVM Opt. Max. per infimam illam IESV Christi humilitatem obsecrare, qui cum in forma Dei esset exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, vt ne eiusdem te virtutis esse prorsus expertem velit. Alterum consilium est, vt ad cælestium, qui vnquam hac virtute claruerunt, opem confugias. Primo enim sic tecum cogita, si cum humi versarentur, tãtum apud DEVM gratia valuerunt, vt tam excelsum huius virtutis gradum contingerent, nunc cum in cælo apud eum longè gratiosiores sint, plus etiam eorum preces momenti, & dignitatis habituras; quandoquidẽ verò summum felicitatis fastigium sunt assecuti, nulla sanè ipsi sui submissione indigent, ora vt idem tibi beneficium impetrent. Deinde verò illud etiam reputa quemadmodum in terris, ita sunt omnes à natura comparati, vt ijs maximè cupiant, qui in eadem, qua ipsi arte, viuendique genere elaborant. Dux exercitus, exempli gratia, quispiam qui apud Principem plurimum possit, eos potissimùm in eius gratia ponere, & militari dignitate, ornare nititur, qui se militiæ dediderint. Vir eruditionis titulis insignis, eos qui animum ad literas adiunxerint. Architectus, aut Mathematicus eos, qui Archite-

Placita B. Aloysii miram prudentiam præseferẽtia.

Humilitas assiduè à Deo postulanda per humilitatem Christi.

Ad humilitatem impetrandum auxilium sanctorum qui ex floruerũt implorandũ.

Vita Christi, Sanctorumque imitãda.

Nihil amandum, nil auersandum nisi pietatis causa.

chitecturæ, aut Mathematicarum disciplinarum scientia sese cæteris præstare student. Haud aliter cælites, qui vnius alicuius virtutis gloriâ præcipuè excelluerunt, ad eandem acquirendam ijs comprimis operam suam nauare, qui plura eius amore moliuntur, eorumque commendatione adiuuari desiderant.

Ad B.V. pro humilitate postulanda confugiēdū.

Ne igitur pœniteat singulari contentione in Beatissimæ Virginis Matris Dei, quæ quantum nulla mens creata, quæ quidem Diuinitatis sit expers, huius virtutis decus obtinuit, fidem te conferre. Secundum hanc ex Apostolis D. Petrum tibi conciliabis, qui de se dicebat: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Deinde D. Paulum, qui postquam in tertium cælum diuinitus sublatus est, tamē adeo de se modicè sentiebat, vt diceret: *Venit IESVS saluos facere peccatores, quorum ego primus sum.*

SS. Petrus & Paulus pro humilitate impetranda implorandi.

Harum cogitationum altera cognitionem tibi dabit quantum illorū commendatio ad hanc virtutem comparandam apud DEVM pōdus habeat; altera quam ad id præstandum prompti sint etiam ac parati. Hæc Aloysius Adolescens humillimus, quæ, quanta, quamque Diuina prudentiâ sapientiâque à Virgineo vtique hoc sydere deriuatâ, plena sint, nemo non videt. Innumera alia pia documenta, eaque prudentissima manu eius conscripta post eius obitum reperta sunt, inter quæ illud vnicū, quod inter pios affectus numerauit, memorasse sufficiat; *Desideria quæ concipis, non ita tibi Deo commendanda sunt, quemadmodum in tuo, sed, vti in Christi pectore sunt. Quoniam enim bona sunt, in IESV prius, quam in te sint necesse est, longeque ab eo quam abs te, propensiori affectu, Patri æterno exponentur.*

Quomodo desideria sua B. Aloysius Deo commēdauerit?

58. Quid de senili prudentia singularique morum compositione purissimi Adolescentis nostri Stanislai Kosthæ ipsi à B V instillata, dicam? fuit nimirum hæc, pijssimi, ac filialis ipsius in eam affectus insigne præmium. Tanto enim amore prosequebatur Deiparam, vt interroganti P. Emmanueli Sa, num Sanctissimam Virginem diligeret? humili quodam gestu, atque ore blandissimo responderit: *Quid quæris Pater? Est mea Mater;* quæ vox Patri illi nequaquam hominis visa est, vt ipse postmodum P. Generali retulit.

B. Stanislaus Kotscha B V. Matrem suā appellabat.

Ad hæc cum frequentissimè de augustissima hac mortalium, immortaliumque Regina loqueretur, noua semper, & magnificentissima, quibus appellaret, excogitabat encomia, nomina, gradusque in quibus collocaret altissimos, apparebatque graue illi esse, quod adæquare sui iudicij præstantiam nequiret verbis, nec celsius quiddam, vbi illam reponeret, inueniret. De hac ipsius Virginali modestia, senilique morum grauitate sic Franciscus Sachinus in eius vita: *Eius*, inquit, *modestia vultus, oculorum, incessus, motuum omnium, parsimonia loquendi, verborum moderatio erat summa. In cælesti illa morum specie ita color emicabat, candidissimæ mentis, ac purissimæ lumen fulgebat integritatis, vt intuentibus virtutum omnium, ac præsertim pudicitiæ amorem quasi afflaret.*

B. Stanislaus intuentibus amorem pudicitiæ afflabat.

Nunquam tristem vidisses, aut tetricum, sed alacrem, suauemque permodesto atque amabili vultu. Nempe ætatem ei floridam non tam adolescentia faciebat, quam animus gaudens, delicijsque, beatæque vitæ saginatus, totius boni fontem non per interualla degustans, sed, quātum mortalitas patiebatur, assiduè portans.

Stanislaus nunquam tetricus sed hilaris per modesto, & amabili vultu.

Vnde factum, vt diuinam vbique præsentiam, acie mentis intuens, omnique religiosa munia, quadam cum venustate oris, & gratia extraordinaria exequeretur, plane vt ei a plenâ gratia Reginâ, cuius tam assiduè inseruiebat laudibus, preter morem indita videretur. Quin etiam est, qui ritè confirmet insolito splendore diuinitus lucentem Stanislai faciem à se non semel conspectam, ob iugem arctissimamque cum Patre luminum, Deique Matre serenissima mentium Illuminatrice familiaritatem.

Facies Stanislai insolito splendore lucens à quodam visa.

69. Quid demum de tertio minimæ huius nostræ Societatis dicam Angelo, Ioanne Berchmans, qui, licet ætate esset Iuuenis, moribus tamen, prudentia, reliquoque corporis habitu, atque compositione grandæuus quidam seniculus videbatur. Quam ille grauitatem, ac modestiam, amantissimam suam Matrem Virginem velut speculum virtutum omnium ac præsertim modestiæ semper intuendo, sine dubio consecutus est, consilium illud D. Ambrosij datum Virginibus amplexatus lib. 2. de Virg. *Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitaque B. Mariæ, de qua veluti speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa sunt probitatis.*

Ioannes Berchmās grauis ac modestus.

Ioannes eam morum grauitatem ac modestiam à B V didicisse visus.

Tum paucis interpositis oris ipsius totius habitusque compositionem describit: *Virgo*, inquiens, *erat corde humilis verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior. Quando ista vel vultu læsit parentes, quando dissensit à propinquis? Quando fastidiuit humilem? Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* Hoc igitur præclarissimum modestiæ, grauitatisque religiosæ

B.V. singularis modestiæ

giosæ

giosæ Magisterium præ oculis habens Ioannes, quid mirum si in illo, ea Angelicorum morum compositio, ac suauitas, ea actuum omnium maturitas, ac prudentia, cum omnium spectantium admiratione refulserit? Quæ sanè licet semper, & vbiq; mirificè enituerit, enituit tamen potissimum in Templo atq; oratione, adeo vt Nobilis quidam Genuensis cuidam Patri suo amico dixerit, se Iuuenis huius videndi causâ ad sacrã Professorum ædem venire. *Quia*, inquiẽs *omnibus huc festis ventitat, eoque se loco tenet orans, curuatis genibus quiete, modestiaque tãta, vt nec oculos semel attollat. Equidem de eo tam excellentem opinionem habeo, vt credam esse adolescentem sanctum. nam cum in sacra Aede hos videam Musicæ audiendæ attentos, illos huc, illucque circumspicientes, alios confabulantes, solus hic Iuuenis orat ea modestia, eoque corporis habitu, vt sanctus mihi esse videatur*. Et verò pientissimus hic Virginis alumnus hanc oculorum verecundiam, cum insigni morum gratiâ moderationeque actionum omnium semper per seu staret, seu incederet, seu rem aliam ageret, coniungebat, planè vt nonnulli dicerent scriptas à Patriarcha nostro Modestiæ Regulas, si interijssent, vel in Ioanne denuo potuisse reperiri. Adeo Modestiæ ipsius Imaginem præferebat. Alij eius demirati maturitatem pronunciare non dubitabant etiamsi cælestis aliquis genius humanâ carne vestitus hominis membra induisset, non fuisse maiore modestiâ vsurum. tanto ad eam studio Ioannes incubuerat. Hinc nomen apud commilitones Patris modesti, Patris Modestissimi sortiri meruit. Hinc P. Cornelius à Lapide inter reliqua eximiæ eius virtutis testimonia, hoc luculentissimum de ipsius dedit Modestia: *Iuuenis fuit ætate, sed virtute vir, constans, semperque sui similis, exactus non scrupulosus, hilaris, non dissolutus, sed hilaritatem religiosa maturitate temperans. Risus eius modicus, sine cachinnis, sales sine dente, gratia sine affectatione. Præstabat illud Apostoli: Omnis sermo vester in gratia, sale sit cõditus*. Sic ille.

Nobilis cuiusdam Genuensis de sanctitate Ioannis opinio, ob ipsius insignẽ modestiam.

Si Regulæ S. Ignatij de modestia interiissent, in Ioanne fuissent repertę.

Ioannes nominatus Pater Modestus, Pater Modestissimus.

Testimoniũ Cornelij à Lapide de Modestia Ioannis.

60. Vt porrò intelligamus clarius, quantum Prudentiæ senilisque maturitatis ac modestiæ lumen, Virgineũ hoc Saturni sydus felicissimo huic Adolescenti instillarit, operæ precium fuerit ipsius de virtute hac sensa posteritati litteris consignata, senilem planè prudentiam redolentia memorare. Sic igitur ille in schedula quadam post ipsius mortem reperta: *Modestia virtus est, quæ motus omnes animi, corporisque cum honestate, ac decentia moderatur. Eius virtutes & actiones continentur Regulis à B. P. Ignatio de modestia, scriptis. Incitamenta quæ ad eius obseruantiam inuitant, ista sunt: Primum imitari modestiam, verecundiamque B. Virginis, quæ adeo his virtutibus excellebat, vt ea conspecta dixerit Dionysius Areopagita, nisi aliter per fidem esset edoctus, pro Dea illam fuisse veneraturum. Secundum. S. Ignatius multis lacrymis, quæ de modestia reliquit præcepta, septies irrigauit. Tertium. Immodestus iniuriam facit Passioni Christi, qui nostram scilicet immodestiam, membrorum suorum omnium cruciatibus expiauit. Quartum. Immodestus Matris nostræ Societatis, cui nos cordi adeo sumus, pudorem onerat, lętitiam corrumpit, formamque commaculat. Quintum, Dei vndequaque præsentia modestos continere nos debet. Sextum. Modestia singularem quandam gloriam singulis membris nostris conciliamus. Septimum S. Franciscus Xauerius quod adolescens inter ęquales, gregalesque saltu libenter se impigreque exercens, aliquando corporis agilitate nimium sibi placuisset, brachia, coxasque arctissimis funiculis constrinxit, vt ei nimirum condolerent, cum pedes etiam cõficeret iter. Octauum. S. Thecla sententiam capitis expectans, nunquam oculos attollere voluit prę modestia, verita circumstantes intueri. Nonum. Religiosus quidam coactus vado flumen transmittere, dum pedes nudare prę verecundia trepidat, prodigiosè in alteram se ripam transportatum sensit. Denique Beatissima Virgo per visum Puellę Musę apparens cum insigni beatarum Virginum cætu, quem Musa imitari cupiebat, eam iubet abstinere risu, iocis, alijsque crepundiis puerilibus, polliceturque post triginta dies cum eodem Virginum agmine redituram, vt comitari cupientem vnà secum deducat. Puella grauitatem induit, mores componit, morbum post quintum, & vigesimum diem contrahit. Trigesimo Beatissima M. V. iisdem puellis stipata reuertitur. Musa eius recreata aspectus: Venio Domina, exclamat, ecce Domina venio simulque animam exspirauit*.

Quid de Modestia senserit Ioannes.

Incitamenta ad Modestiã.

B. V. Modestia ac verecundia imitanda.

Modestiæ Regulas S. P. Ignatius multis cum lacrymis cõscriplit.

Varia modestiæ exẽpla.

61. Quæ sanè tam prudentia, Diuinaque de modestiâ mentis dictamina, quis dubitare poterit, Illuminatrice Mariâ potissimum, prudentissimũ adolescentem didicisse, scriptisque pro Religiosæ Iuuentutis Societatis nostrę eruditione commendasse? Quis etiam dubitare poterit, Ioannem, eâdem Magistrâ in tam tenera ætate, senilem prudentiam, morumque grauitatem summamque tam animi, quam corporis, membrorumque ei compositionem prę setulisse? Quare de senili hac eius maturitate, ac prudentia, iure dici potest illud Salominis: *Senectus venerabilis est, non diutur-*

Ioannes Illuminatrice Maria modestiam didicit.

diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Sap. 4. 8. Licet enim Ioannes ætatis suæ 23. adhuc non excessisset annum, eâ tamen in illo morum temperies, ea grauitas, ac prudētia emicabat, vt venerabilis illi quædā senectus viri grandæui inesse videretur. Prudentia enim illa, ac modestia, ope, patrocinioque Virginis acquisita, ad instar cani capilli eum mirificè exornabant, cunctisque reddebant venerabilem, adeo vt, quemadmodum supra memorauimus, tā tener adolescens, Pater Modestissimus appellaretur. Hinc D. Hierony. in cap. 8. Zach. locum illum sapientis vertit: *Cani autem sunt hominum, prudentia.* Et in Isa. ca. 24. *Cani hominis, sapientia eius. Alij: sensata mens hominibus, est canities.* Hinc Siracides Eccl. 25. 8. *Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* Quasi dicat, Corona, & gloria senis non est corona cana, niueusque capillus caput exornans, sed prudentia, ex variarum rerum nata peritiâ, atque experientiâ, quam tandem coronam, ac gloriam mirè decorat timor Domini, præsertim ille filialis timēs vel leuissimo aliquo peccato supremum illum omnium Parētem, à quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, offendere. Quæ decora gloriæ, ac coronę quantum in capite Ioannis effulsere clarissimè cernet, qui vitam illius lectitabit, quæ aliud non videtur esse, quam virtutum omnium, timorisque Domini, puritatisque Angelicæ iugis exercitatio, ac palestra.

Cani hominum, prudētia, & sapientia est.

Corona senū nō est canus capillus sed prudentia.

62. Hæ virtutes nimirum illum, licet adolescentem, amabilem, laudabilem, venerabilemque ad instar canitie spectabilis senis omnibus reddidere. Sic D. Benedictus laudatur à S. Greg. ab ipsa iuuētute quasi vir maturus ac grandæuus, ob virtutum, veluti canitiei pulcherrimum nitorem: Sic enim ille lib. 2. Dial. cap. 1. *Fuit vir vitæ venerabilis gratiâ Benedictus, & nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. Aetatem quippe moribus trāsiēs, nulli voluptati animum dedit, sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter liberè vti potuisset, despexit iam quasi aridum mundum cum flore.*

S. Benedicti morum grauitas atque compositio.

Sic de S. Agnete, quæ 13. ætatis anno Martyrium pro Christi sponsi amore tolerante, ac prudentiæ, sapientiæque cælestis, ac fortitudinis egregiam toti mundo speciem exhibente, præclarissimè pronunciauit S. Ambrosius: *Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa.* Vnde Isidorus lib. 11. Orig. c. 2. *Canitiem quasi canditiem ob puritatem, morumque candorem dictam arbitratur.* Sic Alexāder Puer S. Felicitatis filius Iudici teneram ætatem obijcienti; Respondit sibi canam esse Mentem. Sic Macarius Alexandrinus παιδαριογέρων, hoc est, Puer senex, teste Palladio in Hist. Lausiaca c. 17. quod in puerili ætate senex videretur, ac supra ætatem, sapiētiâ, virtutibusque præstaret. Sic Dositheus adolescens sanctitate, vitæ puritate, morumque candore, ceu canitie pauco tempore, seniorum sanctimoniam adæquauit, quod S. Dorotheo eius magistro, cùm ei cælesti splendore totus coruscans, clarioremq; præ cæteris membris, lucem oculis euibrans visendum sese exhibuisset, diuinitus reuelatum est. Sic deniq; Demophilus: (gentilium enim etiam nobis non desunt exēpla:) inter pueros erat Iuuenis, in consilijs verò senex, æuum centenale consecutus, vt canit Pindarus. Ex quibus omnibus intelligimus tam Ioannem, quam Stanislaum, atque Aloysiū, aliosq; sanctos quamplurimos, benigno Virginei Planetæ Saturni influxu, in sua iuuentute, senilem prudentiam maturitatemque fuisse consecutos.

S. Agnetis cū infantia coniuncta senilis prudentia.

Canities quasi candities dicta.

S. Felicitatis filii aiebat Iudici sibi Canam esse mentem.

S. Macarius Puer senex ob prudentiā dictus.

Demophilus æuum cētenale puer existens consecutus.

63. Ad alias Saturni veniamus proprietates. Ferunt Astrologi aspectū huius syderis esse terribilem, malique omnis. Hinc prouerbium chronion hommahoc est, Saturninus oculus; quæ cadit in hominem quempiam aspectu formidabilē. Et verò Virgo nostra oculo, aspectuque est planè formidabili contra Tartareos hostes, obstinatosque peccatores. Hinc S. Amadeus Lausan. Epis. Hom. 7. de laudib. B. V. Deiparam asserit faciem quandam igne terribili fulgurantem, oculosque Basilisci, peccatoribus vitam carnalem adimentes, habuisse. *Splendor indeficiens,* inquit Sāctus, *in circuitu eius, & ignis exardescens à facie eius. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos confoueret, iuuaret proximos, concremaret inimicos. Fertur ab ijs, qui nouerunt naturam animantium, quod solo visu, & flatu mortifero vicina quæque sibi Regulus venenatus interimat. Sic illa è regione ignis Diuini calore vehementer accensa, & verbi flammigerantis sparsa incendijs, odorem resuscitantis gratiæ ijs, qui longè, & ijs, qui propè commanebant exhalabat. Et alijs quidem, id est, aduersæ partis, erat odor mortis in mortem: alijs verò, idest credentibus in filium suum, odor vitę in vitam. Sicut enim in Eua omnes moriuntur, ita, & in Maria omnes viuificantur.* Hinc Rutilius Benzonius Episcopus Laurent. in Psal. 86. cap. 32. cum docuisset Deiparam terribilem esse

Aspectus Saturni terribilis.

B. V. aspectus terribilis Dæmonibus ac peccatorib.

Aspectus B. V. instar Basilisci vitam carnalem in nobis extinguens.

esse Dæmonibus, habereque claues mortis, & Inferni, mox rationem annectit: *Quia Virgo potest supplicio sempiterno addicere. qui enim in Deiparam non credit, iam iudicatus est. Quid? quod multi suæ in colenda Virgine, vel indiligentiæ, vel imprudentiæ pœnas, aut salutares, aut non mortiferas penderunt; nonnulli verò offensæ Deiparæ capitales pœnas luerunt, & horribili genere mortis vitã scelestam finierunt.*

Multi à B. V. iuste puniti.

64. Huiusmodi fuerũt impijssimi quidã ipsius Nominis blasphematores, qui ob eorum blasphemias plusquam Saturnio ab illa conspecti oculo vitam miserabili genere mortis abruperunt, inque profundum Inferni præcipitati sunt. Varia huiusmodi exempla memorat Pater noster Petrus Iustinellus in Duce Angelico ad Deuotionem B.V. Par. 3. Exemp. 52. vbi ait Abbatem Gerebaldum meminisse cuiusdam impij blasphematoris, qui per summum nefas blasphemare ausus Sacratissima B. Virginis membra, subito in Cacodęmonis potestatem traditus est, qui longo tempore eum ita torsit, vt illi inuerterit horribiliter oculos, totamque faciem tumore turpissimo fœdauerit, linguamque ita accenderit, vt tota ex ore fœdum in modum protenderetur. Tandem postquam tam execrãdi sceleris vltor malus genius eũ ita excruciauit, infelicem animam eidem reddidit. Alterum exemplum idem Iustinellus refert cap. 53. quod in quodam Templo Abbatiæ, quæ vocabatur Dole erecta fuerit supra columnam quãdam statua lapidea B.V. ad quam cum die quadam paupercula quædam mulier preces funderet, duo scelerati eam irridebant, simulque Dei Matrem blasphemabant; nec hic illorum stitit impietas, eorũ alter in Imaginem illam iecit lapidem, & brachium Pueri IESV qui sinu B. V. fouebatur confregit. Et ecce rem admirandam, mox atque brachium illud in terrã delapsum est guttę sanguinis ab ipso perinde atque si hominis alicuius viuentis extitisset profluxerunt; tantique sceleris auctor illico morte subitanea miserabiliter extinctus est. His cum eius Socius eum amplecti, ac iuuare vellet, à Tartareo hoste obsessus est, dieque postera è vita miserandum in modũ sublatus. Eodem die cum ingens hominum multitudo ad illud templum cõfluxisset, vt Imaginem illã, sanguineque ex brachio profluentem cerneret, in omnium oculis Imago illa Deiparæ vestimenta è lapide sculpta reliquaque ornamenta, in tanti sceleris detestationem suo dilectissimo filio factam, sibi auulsit, atque abiecit.

Blasphematores B.V. ob ipsa puniti.

Imago pueri Iesu lapide icta stillat è brachio sanguinem.

65. Nec infelicissima hac nostra tempestate huiusmodi monstrorũ nobis desunt exempla. Legisse me memini in literis Annuis 1647. Domus professæ Viennensis in Missione Castrensi fuisse Officialem quendam Suecum, qui cum in Præsidio Cęsariano à suis per fraudẽ occupato à nostro milite oppugnaretur; & ille interea securè epularetur, parieti affixam Sanctissimæ Virginis Dei Genitricis Imaginem, sic per ludibrium temerare per summũ nefas ausus est: *Ecce,* inquiens, *iam DEVS factus est Lutheranus. Sed illa Meretrix*; ò linguam execrandam (digito in Deiparæ Iconem intendens) *nondum vult esse Lutherana.* Vix hæc Tartareo ore vomuit, cum tormentorum fragore euocatus, turrim cõscendit, visurus vnde Cæsariani quatiant hoc fulmine muros, cum momento globus igneus caput impium, & blasphemum à trũco auellit. Consternati hoc casu Hæretici, qui præsidium occuparunt, iustum Vltorem DEVM pro Matre sua agnoscentes, sese illico dediderunt. En vt Virgo nostra Saturni etiam sit prædita oculo, en quam seuerè de suis hostibus vlciscatur. Et iure sane meritissimo. Licet enim Virgo nostra naturâ suâ sit pientissima, atque misericordissima, imo & ipsius misericordiæ Mater, est nihilominus tamen & iustissima. Vnde S. Bonau. in spec. cap. 8. Angelicum illud Elogium Virginis; *Dominus tecum*; exponens, ait *Dominum iustissimum cum illa fuisse, eamque proinde etiam iustissimam, & absque discretione personarum iudicantem reddidisse: Iustus certè est Dominus in omnibus iudicijs suis, sicut dicitur Psalm. 145. Iustus Dominus in omnibus vijs suis. Dominus hic ita iustus est in omni via iustitiæ, vt propter nullam personam declinet à via iustitię. Et ideo benè de hoc Domino dicitur Sap. 7. Non subtrahet personam cuiusquam Dominus, qui est omnium Dominator, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum, & magnũ ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Ecce Maria qualis Dominus est, quam iustissimus Dominus est, qui tecum est! Et quia Dominus iustissimus, iustissimè est tecum, ideo & tu iustissima, & secura. Tu enim es Virga Aaron recta, imo rectissima per iustitiam, & æquitatem. Quæ enim Virga, si non Virga Aaron esset recta? Quæ anima esset iusta, si non Maria esset iusta? Hoc est; quod B. Bernardus dicit: Quis iustus si non Maria iusta, de qua ortus est sol iustitię? Dominus ergo tecum ò Maria iustissima!* Idem Bonau. eodem libr c. 3. vt ostẽdat quam terribilis Deipara sit Dæmonibus, docet illam *Virgam esse virtutis, Virgam,* inquam, *de qua canebat Dauid, dominantem in medio inimicorum suorum, eosque conterentem:* Hæc Virga, inquit, *Vir-*

Suecus blasphemãs B V. globo igneo amittit caput.

B. V. iusta quia iustissimus Dominus erat semper cum ipsa.

Maria iusta quia de illa ortus est Sol iustitiæ.

B.V. terribilis Dæmonibus.

B. V. virga virtutis hostibus Inferni dominās.

go Maria, Virga virtutis est, contra inimicos Infernales, quibus magna virtute Dominatur, & ideo Domina tam magna, tā magn virtutis, merito à nobis amatur, merito à nobis laudatur, vt nos contra inimicos istos tueatur. Tutelam hanc expertus sanctus Anselmus, eam sic alloquitur: *Te Domina magna, & valdè magna, te vult cor meum amare, te cupit os meū laudare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea.* Felices ergo illi, qui se tutelæ, patrocinioque Virginis fidelissimo commisere, siquidē dominium eius, imò vel solus aspectus, velut Saturnius oculus, tetris illis Orci satellitibus est formidabilis.

B. V. defensioni anima nostra commendanda.

Saturnus gelidæ, rigentisque Naturæ.

66. Alia Saturni proprietas est, de qua Plin. lib. 2. cap. 8. qui ait Planetam hunc gelidæ, ac rigentis esse naturæ. Talis est Virgo nostra purissima gelidæ, ac gelantis cuiusdam videtur esse naturæ; siquidem nullus vnquam concupiscentiæ calor, aut peccati fomes in ea locum reperit, sed semper ad instar niuis, puritate candida, frigiditate gelidissima, carnalium cupiditatum, in suis pijs præsertim clientulis calorē extinguens. Vnde Bernardinus Bustius Par. 9 Mar. serm. 2. eam Niui comparauit. Ibi enim cùm quæsijsset, cur dies festus B. Virginis ad Niues ab Ecclesia celebretur? respondissetque, id factum non modo ob celeberrimum illud miraculum, quo in summis Augusti mensis caloribus nix de cælo decidit, montemque Esquilinum contexit; verūetiam, quod Virgo Deipara niuis candorem, suâ Virginali puritate, morumque innocentiâ, pulchritudine denique tam animi, quam corporis æmularetur, eamque transcenderet, & frigiditate sua calorem sensualium cupiditatum, vel solo suo aspectu, sanctissimâque præsentiâ in alijs penitus extingueret; cum inquam, has rationes attulisset, conclusit tandē, eam iure meritissimo Niuem appellari.

B. V. Niui cōparata, quia omni concupiscentiæ calore super fuit libera.

Cur Festū B. V. ad Niues celebretur.

B. V. Niuis cādorem sua puritate virginali atque innocentia æmulata.

67. Hæc est illa nix candidissima, de qua filius Dei antiquus ille dierum ob æternitatem, de sinu Patris descendens, inque vtero Virginis, velut Regio Throno residens, album vestimētum ad instar niuis, humanitatem videlicet nostram, de purissimis sanguinibus Deiparæ, operâ Spiritus S. efformatam, sibi circumdedit. Tūc enim verificata fuit visio Danielis Prophetæ cap. 7. commemorata: *Antiquitus dierum sedit, vestimentum eius album sicut nix.* Verè enim sempiternus Dei filius immensus, atque infinitus, quem tota capere nequit creatura, paulò minus ab Angelis minoratus consedisse, seque ipsum, qui omnem altitudinem excedit, montiumque altitudines conspicit, abbreuiasse in Throno vteri Virginalis visus est, cum homo factus est. Tūc verè carnis nostræ paludamento candido ad instar niuis, ob summam, ineffabilemque puritatem, Angelicam plurimis parasangis excedentem, amictus est. Tūc reuera nouum illud perfecit Dominus super terram, quia hęc Diuinissima fęmina vtero suo purissimo, ad instar niuis, Virum hunc orientem circumdans, candidissimo simul mortalitatis nostræ vestimento, ipsum induit.

Filius Dei Humanitatē nostrā instar niuis candidam ob innocentiam induit in vtero B. V.

In vtero B. V. vel vt in throno Dei filius sedens abbreuiatus est minoratus ab Angelis.

68. Hæc Virginea Nix summum illum suum puritatis candorem, frigiditate generatum, vt docet Philosophus libro 19. de animalibus, non modo in se retinuit, verumetiam cum alijs suis, qui eam piè intuebantur communicauit, quod niui huic, quam cælo delabi videmus non cōtingit. Licet enim frigefaciat, se tamen intuentibus candorem minimè impertitur. At verò Nix hæc Virginea, & frigiditate suâ calorē concupiscentiæ imis medullis, fibrisque delitescētem extinguit, & candore suæ puritatis, candorem virginitatis, mētisque puritatem suis clientulis instillat.

Virginea nix se intuētibus calorem cōcupiscentiæ extinguit.

69. Experta est vitale frigus hoc Virgineæ huius Niuis ac Planetæ S. Pulcheria Augusta; siquidem ob summum pietatis, quo in illam ferebatur affectum, tribus magnificentissimis Cōstantinopoli eius honori exædificatis templis, hæresibusq; pestilentissimis Nestorij, & Eutithetis inimicissimorum Deiparæ, ope sua profligatis, tantum puritatis donum consecuta est, vt cum suo sponso castissimo Martiano Virginitatis florem illibatum eiusdem Deiparæ Virginis Matrimoniū cum Iosepho purissimum æmulando seruauerit. Libet hic cum Sapientissimo. Sap. 4. exclamare. O' *quam pulchra est casta generatio cū claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam, & apud DEVM nota est, & apud homines, & in perpetuum coronata triūphat incoinquinatorum certaminum præmia vincens!*

Pulcheria Augusta cum sponso suo Martiano ope B. V. Virginitatem seruarunt.

70. Expertus est S. Elzearius Comes Arriani frigus hoc vitale Virginei Planetæ Saturni, cum ductâ in vxorem venustissima Virgine Delphina, Virginitateque voto Deo consecratâ, magisterio sine dubio Deiparæ, Angelicâ quadā puritate conspicui, vitam magna cum sanctitatis laude innocentissimam traduxere. Dixi; Magistra Virgine, vitam hanc instituisse castissimus hoscé coniuges. Nam cum quædā Matrona nobilis adolescentis consanguinea, pietate singulari, nocte quadam, pro eo preces ad Deū funde-

Elzearius Comes cum Delphina sua sponsa ope B. V. virginitatem seruarunt.

S Elzeario B. V. data à Christo in Matrem ac Magistram.

funderet, Christi vox cælitus ad eam delapsa est: *Iuueni huic, pro quo tu tam multum oras, noueris me Matrem meam dedisse Magistram, nihil ergo de illo dubites*. Quanta porrò, quamque eximia foret Elzearij cum sua sponsa conuiuentis puritas, eidem Matronæ diuinitus ostensum est. Cum enim nocte quadã in Sacello S. Catharinæ oraret, vidit manum quandam, preciosissimum lapidem tenentem, ex quo tantus splendor emicabat, vt totum sacellum diuinâ quadam luce radiaret; simulque vocem audiuit: *Lapis hic est virginitas Elzearij, pro quo tu oras, quę sic olim in mundo fulgebit. Sed intuere accuratius, & vide quantus ipsius coram Deo sit splendor: simulque verso lapide, tanta inde claritas calore mirifico sociata emicuit, vt oculis eam ferre non posset.*

Virginitas Elzearii ad instar preciosissimi lapidis diuina quadam luce radiabat.

71. Eadem Elzearij puritas diuinitus alteri cuidam Sanctæ Matronæ manifestata est: Vidit enim in Spiritu, Sanctum hunc Iuuenem vestitu splendissimo amictum, luceque mirâ refulgẽtem, per amplissimam quandam planitiẽ exspatiantem, manuque vexillum candidum, ac illustre, cuius elegantiâ, splendorque vndequaque diffundebatur, præferentem. Sequebatur hunc innumera hominum vtriusque sexus phalanx, omnis ætatis, ordinis, conditionis, cuius aspectu, cum mirificè esset recreata, quęsiuissetq; quid sibi hoc vellet, mox audijt: *Hæc est Virginitas, & sanctitas Elzearij, quem totus orbis venerabitur, eiusque vitæ sanctissimæ, atque purissimæ vestigijs plurimi, virtutes eius æmulando insistent.*

Sanctitas & Virginitas S. Elzearii toto orbe illustris multis imitanda prædicitur.

72. Tanta fuit horum coniugum puritas, vt simul cubantibus Christus Virginum sponsus, ad lectuli caput visus fuerit assistere, sibique in eorum Virginitate mirificè complacuisse. Puritatem hãc denique ipse illorum lectulus spirare, Virginitatemque germinare videbatur, siquidem Virgo quædam titillationibus carnis exagitata, eundem illum obeũdo lectulum, quasi aquâ gelidâ superinfusâ, libidinis ardorem extingui in se animaduertebat. Sur. 27. Sept. Neque vero castissimus hic Iuuenis de sua Virginitate nimium præfidebat, verumetiam Cacodæmonis ignea libidinis tela sese scuto sanctæ orationis præmuniebat. Vnde quotidie illam precatiunculam vsurpare consueuerat: *Domine IESV Christo, qui es seminator casti consilij, & cui cordium arcana patent; scio quia sine tuo speciali dono non possum castè, & continenter viuere, quandoquidem nemo continens esse potest, nisi tu des; & idcirco rogo tuam gratiam, quæ omni humiliter pesenti liberaliter se communicat, vt carnis voluptates fugare, & quod te inspirante in animo concepi, ad finem vsque cõplere, & seruare possim. DEVS, qui habenti bonam voluntatem, etiã facultatem dare pollicitus es: affectum mihi quęso pudicitiæ perseuerantem tribue, vt addatur gratia gratiæ, & iugo contagionis excusso, suscipiam iugum sanctitatis, ambulemque corde sincero coram te, quoad immarcescibilem tandem percipiam in cælis coronam, & cãtem laudes Bonitati tuæ in sæcula. Amen.* Qua pia oratione quoties adolescens libidinis æstu tentatur, si vtatur, velut frigida aqua se perfundi experietur.

Christus ipse, in Elzearii, & Delphinæ puritate sibi cõplacebat.

Oratio S. Elzearii pro conseruanda castitate.

73. Sensit Deiparam Virginem gelidũ quoddam esse sydus ardorem libidinis restinguens Beata Gertrudis, quæ emisso Virginitatis voto, à sponso cælesti, suæ Virginitatis custodem ipsius Virginem Matrem postulauit; vt loco Abbatissæ esset in ipsius manu, eamque gubernaret. Sic enim illa sponsum suum dilectum deprecabatur, vt habetur in ipsius Exercitijs: *O' dilecte votorum, ac desideriorũ meorum. O' IESV omnium charissimorum charissime, consigna, & commenda me tuæ Matri Rosæ Virginali, atque Imperiali, quæ amore tui sit perpetua ductrix, & custos Virginitatis meę; trade me eius manibus sacratissimis, quæ te æterni Patris filium nutierunt, & educarunt, vt ipsę defendant, adiuuentque propositum castitatis meæ, conducendo me, absque vlla macula per viam Virginalis puritatis, ac castimoniæ. Age age dic illi Rosæ Virgineę Matri tuę: Accipe hanc sub tuę Maternę prouidentiæ curam, ac custodiam. Hanc ego tibi commendo, tota meę Diuinæ charitatis virtute. Vide Mater, vt immaculatam mihi illam in posterum repræsentes, & iuxta cor meum in puritate omni educatam inibi eamdem consigues. Amen.*

B. Gertrudis rogo sponsũ vt eam Matri commendet pro custodia suæ Virginitatis.

74. Expertus est B. Aloysius frigus hoc vitale Virginei huius Planetę, cum anno ætatis 8. aut nono, voto Virginitatis Florentiæ coram Annunciata Virgine, cuius Iconem tradunt, manu Angeli cuiuspiam, ob diuinam prorsus formæ elegantiam fuisse delineatam, emisso, sensit se totius vitæ decursu nullo libidinis calore, aut motu titillari: Videtur sanè Aloysius, Virginem hanc omnis puritatis, velut illimem, nitidisque vndis argenteum, crystallinumque contemplãdo fontem, tanquam alter Narcissus, quẽ fontis lusit imago, & sterilis consumpsit amor, in Virginitatis pulcherrimum florem, admirabili metamorphosi trãsformatus. Virgineæ eius puritatis perpetuæque morum innocentiæ luculentissimum dedit testimoniũ Religiosissimus simul, ac doctissimus Cardin. Bellarminus hiscè verbis: *Diu accepi confessiones dulcissimi,*

B. Aloysius in tenera iuuẽtute castitatis Votum B. V. emisit, & tota vita nullum sensum libidinis expertus.

Card Bellarmini de sanctitate ac puritate B. Aloysii testimonium.

cissimi, ac sanctissimi fratris nostri Aloysii Gonzagæ, vnam etiam, qua vniuersam suam vitam complectebatur, & ipse mihi sacris operanti ministrabat, ac mecum versari, deque rebus Diuinis colloqui, gaudebat: Ex illis eius confessionibus, & consuetudine videor mihi hæc, quæ sequuntur, verissimè asseuerare posse. Primum nullum vnquam lethale peccatum admisisse, quod quidem de tota ętate ab anno septimo certũ habeo: de primis septem annis (:quibus eam, quam postea Dei notitiam, neque habuit, neque viuendo secutus est:) coniectura id facile assequor; neque enim verisimile est, aut tantilla ętate puerum, aut tantæ puritati designatum, lethali se labe maculasse. Secundum eum ab anno ętatis septimo, quo, vt ipse mihi aiebat à mundo, ad DEVM sese conuerterat, vitam perfectam egisse. Tertium nullum vnquam ad libidinem stimulum sensisse. Quartum in oratione, & contemplatione, in qua plerumque genibus nixus, nusquam incumbens, versabatur, nullam fere distractionem mentis esse passum. Ad summam, equidem sentio rectâ ad beatorum gloriam abiisse.

B. V. Aloysius nullum vnquã mortale peccatum commisit.

Nullum vnquam carnis stimulum B. Aloysius sensit.

Idem nullam mentis euagationem in oratione expertus.

75. Eiusdem Virgineæ puritatis sanctitatisque luculentum dedit publicumque testimonium R.P. Prouincialis Ioãnes Franciscus Capucinus Briniensis quo tria de illo prædicari posse affirmauit. Primum, quod de B. Bonauentura aliquando dixit eius Magister Alexander; Adamus nihil in eo peccasse videatur, adeo remotus ab omni suspicione peccati, innocentiæ suæ statum tenuit. Alterum, quod moribus Angelo videatur propior fuisse, quam homini. tanto interuallo Spiritus in eo carnem, mens sensum vincebat. Tertium. quod singularem quendam in modum in eum quadret illud Sapientis: *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Et enim breui spatio, quo hanc mortalem vitam egit, consecutus est, quod pluribus annis ægrè sibi communiter multi è Sanctis pepererunt, eumque perfectionis gradum attigit, quem multi alij frustra adipisci tentarunt Pater denique Generalis noster Claudius Aquauiua in suo publico testimonio sanctissimum hunc Adolescentẽ, Ideam sanctitatis, quæ secundum Dionysium Areopagitam, Puritas est ab omni scelere libera itemque incontaminata munditia. vocitauit. additque DEVM plurimum illa anima delectatum, varijs donis eam locupletasse, è quibus Angelici mores dimanabant.

Prouincialis Capucinorũ testimonium de B. Aloysii innocentia.

In B. Aloysio Adamus minimè peccasse visus, & moribus Angelo propior quã homini.

B. Aloysius à Generali nostro Claudio Ideam Sanctitatis vocatus, cuius anima Deus plurimum delectatus est.

76. Expertus est Vitale frigus hoc Virginei huius Planetæ alter Deiparæ filius Stanislaus, cuius monitu, vti supra memini, in Soc. nostram ingressus est, vitãque egit purissimam, de quo ita contestatum literis P. Franciscus Sacchinus noster in eius vita reliquit: *Abhorruisse Stanislaum, à quauis licentia, atque adeo leuitate puerili illibatum conseruasse Virginitatis decus; itemque acceptam à secunda origine in sacro fonte stolam, graui labe nunquam contaminasse, certum, testatumque est.*

B. Stanislai Kotickæ Virginitas atque innocentia ope B. V. conseruata.

77. Expertus denique est Vitale frigus hoc Ioannes Berchmans, qui in præmiũ ardentissimi illius, castissimique amoris quo Deiparam velut Matrem prosequebatur, adeo, vt diceret sæpius: *Nunquam acquiescam donec obtinuero amorem tenerum, erga dulcissimam meam Matrem Mariam:* Et morti iam vicinus. *Si mille corda haberem, Mariam mille cordibus amarem.* In præmiũ, inquam, huius tam teneri, vehementisque amoris cõsequi visus est, omnis Venerei ignis extinctionem, illibatamque, & omni peccato grauiori carentem, imo Angelicam puritatem. Vnde P. Cornelius à Lapide vir æquè pijssimus, atque doctissimus hoc de illius immaculatæ vitæ innocentia inter alia præclarissimum, publicumque dedit testimonium. *De eius puritate, & immunitate à peccato mortali per omnem vitam, & à veniali deliberato, in Religione, & à motibus carnis, audiui, cum alijs publicè asserentem eius Præceptorem in oratione funebri. Morienti cùm ingererem; IESVS meus, amor meus, & omnia, hilarescẽs; Ita, ita, inquit, IESVS centrum cordis, DEVS cordis mei, & pars mea DEVS in ęternum. Crebro menti meæ obuersatur. Videor per diẽ ęquè, ac noctem eum coram intueri, nec horresco, sed potius ad lætitiam spiritualem, & ad alacrius Deo seruiendum accendor. Nequeo in animum inducere vt pro defuncto orem, sed opto, vt ipse pro me oret, vtque anima mea sit cum anima illius: Viuat anima mea vita, & moriatur morte Ioannis.* Tandem totum de eius illustrissimis virtutibus testimonium, aurea hac concludit coronide: *Denique mihi alijsque iuge extitit virtutum speculum, & stimulus. Vtinam in vltimo, & magno mundi die, cum illo ad gloriam resurgere, atque coram throno Dei, & Agni inter illius calcaneum caput leuare merear.* Amen.

Ioannis Berchmãs puritas ope B. V. illæsa ab omni lethalis peccati macula conseruata.

P. Cornelii à Lapide de puritate Ioãnis testimonium.

Io. Berchmãs iuge omnibus virtutum speculum extitit.

78. Innumera sunt aliorum grauissimorum virorum de Angelica eius puritate Virgineaque integritate testimonia, sed missis illis, vnicum idque luculentissimum Reuerendi admodum Patris Nostri Præpositi Generalis Societatis IESV Mutij Vitelleschy Viri Angelicis plane moribus præditi nobis sufficiat testimonium:

P. Generalis Nostri Mutii de Virginitate Ioannis testimonium.

Felicis memoriæ frater noster Ioannes Berchmannus. Iuuenis reuera fuit innocentia ac puri-

tate

tate insigni, Angelicis moribus, pietate admirabili, virtutibus solidis ac perfectis. Instituti nostri regularumque seruantissimus; omnibus qui cum eo vnquam sunt versati, quocumque tempore, ac loco, per quamcunque occasionem, summi semper exempli, adeo vt neminem reperiremus, qui vnquam in eo deprehenderit vel minimum defectum, aut imperfectionem. Has ob res speramus hanc vitæ eius historiam: (quam ego vniuersam diligentissimè legi, quæque plena est virtutum actibus, iisque proprijs Alumno Societatis, singulariter obseruanti ac perfecto:) allaturam esse omnibus, qui eam lecturi sunt, sed præcipuè Patribus nostris, fratribusque insigne Spiritus adiumentum, & calcar acquirendæ perfectionis Religiosæ. Et potest sanè quilibet securus esse eorũ, quæ de virtutibus, ac cęlestibus ornamentis, aliisque rebus eius omnibus in hac historia referuntur. Nam ego ipse benè longum vidi catalogum virorum eruditorum, grauium, sapientiũ, timentiumque DEVM, qui certa scientia hęc testantur, eorumque testimonia ipse perlegi. Vtinam Domino placeret impertiri nobis gratiam imitandi in hac vita: (is enim mihi propositus scopus, cur vitam hanc scribendam curarim:) & in cælo deinde fruendi cælestibus illis bonis, quibus eum piè credimus modo potiri. Hæc Pater noster.

Io. Berchmãs ad B.V. deprędicãdas laudes natus.

79. Ex quibus sanè colligimus Adolescentem hunc pijssimum ope Virginis Reginæ Angelorum gloriosissimæ, ad cuius potissimum pangenda, ac deprędicãda laudum encomia natus, fictus, factusque dicebatur, donum illud puritatis integritatisque Angelicæ, innocentemque vitam, quæ in Adamo vix peccare visa fuit, morum incorruptionem, absolutissimamque numeris omnibus sanctimoniam consecutum; Virginemque hunc suum clientulum ac filium, ad instar Niuis non modo puritate Angelica, Virgineâque integritate dealbasse, verùmetiã frigefecisse, caloremque illum noxium libidinis extinxisse, ita vt anima eius tota virtutibus, velut clarissimis splendoribus conspicua, beatis illis mentibus summam pepererit admirationem. Illã enim in cælum migrantem intuentes sine dubio exclamarunt: *Quæ est ista, quę ascendit dealbata, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cant. 7.

Virginea Nix suis thesauris Ioannem locupletauit.

80. Infinita alia eaque præclarissima animæ Ioannis nostri dona, gratiasque quæ tota ipsius vita mirificè elucescunt, Virgineę hæ Nix contulit, eamque cælestibus diuitijs, quas nulla mens valet penetrare, locupletauit. Verè enim de hac Niue S. Iob cap. 38. vaticinari visus est: *Nũquid ingressus es thesauros niuis?* Quasi dicat: Nemo tam sagacis, acutique est ingenij, vt cælestis huius Niuis spirituales diuitias, ac thesauros, quibus sibi deuotos cumulare consueuit, mente ingredi, eosque comprehendere audeat. Est nimirum illa potentissima, ac gloriosissima cæli ac terræ, Vniuersique totius Reginę, in cuius manibus liberalissimis omnes cælestes thesauri congesti sunt, dum dilectissimum suum filium, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientię absconditi, in illis gestat, promptissima ad illum orbi vniuerso donandum. Vnde ipsa Prou. 8. gloriabatur: *Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbę, & iustitia.* Quãtus porrò sit benedictus ille Dei filius, fructus vẽtris ipsius preciosissimus, animarum nostrarum thesaurus, mox attexit: *Melior est fructus meus auro, ac lapide precioso, & genimina mea, argento electo.* Quam etiam ipsa ad communicandos hos cæli thesauros prompta sit, extemplo subnectit: *In vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.*

Christus animarum nostrarum thesaurus.

B.V. ditat diligentes se, & thesauros eorũ replet.

81. Quare idem Salomon Prou. 3. 13. beatum prædicat hominem illum, qui hanc Diuinæ Sapientiæ Matrem reperijsset, eique ardentissimo amore adhæsisset, quod huiusmodi vir summus omnino cæli diuitijs, ac thesauris esset locupletandus, bonisque omnibus ab illa immensi, æternique Boni, in quo omne genus boni reperitur, optima parente esset cumulandus. Sic igitur ille: *Beatus homo, qui inuenit Sapientiam. melior est acquisitio eius negotiatione argenti, & auri, primi, & purissimi fructus eius. pręciosior est cunctis opibus, & omnia, quę desiderantur huic non valent comparari.* Nę verò arbitraremur eã opes suas in terram defodisse, cæcisque tenebris abdidisse, mox liberalitatem eius ad sua omnia communicanda suis deuotis commendat: *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria.* Ne denique censeremus opibus hisce, breui tempore homines fruituros, addit illam simul vitam longæuam, beatamque illi persimilem; qua aureo sæculo Protoplasti de ligni vitæ fructibus in innocentiæ statu vescentes perennassent suis clientulis communicaturam: *Lignum vitæ est his, qui appræhenderint eam, & qui tenuerint eam beati.* Verè enim, qui filiali affectu Virginem, velut Matrem tenent, atque amplectuntur, Spiritus iuuentutem indies, ardenti in ipsam pietate, velut Arboris vitæ fructu, renouant, vitamque vegetam, omnibus virtutibus exercitatã ducunt, adeoque semper hilares, cælestibusque delicijs delibuti in hac vita viuunt,

Beatus, qui inuenit B.V. æternæ Sapientiæ Matrem, quia ingentes cum illa opes inuenit.

B.V. est lignum vitæ ijs, qui illam amant.

viuunt, vt sempiternæ beatitatis gaudia hic delibare videantur.

82. Si enim vera beatitudo, Seuerino Boetio teste, nihil est aliud, quam status omnium bonorum aggregatione perfectus; etsi, vt vult sapiens Idiota; *Inuenta Maria inuenitur omne bonum;* consequens sane est, inuenta gloriosissima hac Virgine Matre, nos beatitatem; in hac vita adhuc degentes, prout hæc exulum vita patitur, reperisse, spemque indubitatam nactos, sempiternâ illâ nos aliquando, tandem perfruituros. Verissimè enim asseruit Pelbartus de Temisuar l.9. Stell. Part.2. art.3. Dei Matrem animosam esse ad nostram promotionem, & gaudere plurimum, vt in Reges eligamur, eamque illo in nos esse affectu, quo Mater illa Filiorum Zebedæi, quę à Christo petebat, vt filij sui in Regno eius sederent, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram, Matt 20. *Talem,* inquit, *affectum charitatis habet B. V. & exhibet erga nos, quia summo desiderio optat, & pro nobis laborat, vt coronã Regiæ dignitatis in patriâ cælesti adipisci valeamus, quæ talis est sublimitatis, tamquã ineffabilis gloriæ, vt sicut ait Apostolus 1. Cor. 2. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit DEVS diligentibus se. Vnde de ipsa gloriosissimâ Dei Matre scribitur Eccli. 15. Obuiabit illi, scilicet homini, quasi Mater honorificata, & exaltabit illum apud proximos suos, & stolâ gloriæ vestiet illum, iucunditatem, & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit eum.* Hæc Pelbartus.

B.V. sollicita ad nostram promotionẽ, vt in cæli Reges eligamur.

B.V. summo desiderio, optat vt corona Regni cælestis adipiscamur.

83. Ex quibus, alijsque supra memoratis colligimus Deiparam Saturni proprietates æmulari, inter quas nonnulli, vt refert Bernardinus Bustius, reponunt, quod sub hoc Planeta nati cõsueuerint locupletari. Verissimum enim est quod quicunque sub Virgineo hoc, felicissimoque Planeta vel lucem aspexerunt, dum eos Matres Dei Matri vel mox vt nati sunt, obtulerunt, vel deuouerunt, vti fuit B. Aloysius Gonzaga noster, alijque quam plurimi, vel ipsi postmodum sese in vitæ suæ decursu Virginis obsequijs manciparunt, copiosissimis, præsertim spiritualibus diuitijs, fuisse locupletatos, ingentesque, breui tempore sanctitatis thesauros recondidisse. Hæc est enim Virginea illa Nix vti diximus, de qua Iob, quæ habet in se reconditos, imperscrutabiles planè thesauros, quos nemo nouit, nisi qui possidet. Hæc nimirum est sapientiæ increatæ Mater, quæ ob eximiam, qua pollebat sapientiam, ipsa sapientiæ à Patribus appellata est. De hac igitur hic Salomon Sap. 7. incredibiles eius thesauros, opesq; quasi digito ostendens, docensque suo exẽplo quanti sit æstimanda: *Prǽposui illam,* inquit, *Regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquã lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa: Infinitus enim est thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati.*

Sub Planeta Saturni, qui nascuntur locupletantur.

B.V. obsequio dediti locupletantur.

B.V. infinitus est nobis Thesaurus.

84. Quæ sane pulcherrima increatę sapientiæ Parentis elogia mirum in sapientissimo illo, amoris erga eam affectum ostenderunt. Nam, vt aurum, argẽtum, gemmas, sceptra, solia, coronasque Regnorum sileam. quid charius in hac vita ab hominibus habetur sanitate, quid pulchritudine, quid luce? Et tamen vir sapientissimus his omnibus eam ante posuit, Intelligebat nempe illam summi, æterni, incommutabilisque illius Boni esse Parentem, à quo bona cuncta, velut perenni fonte, procedunt. Nouerat cum illâ esse illum vniuersorum Dominum, in cuius manu sunt omnes fines terræ, eiusque thesauros argenti, auri, gemmarumque, ac per consequens opes omnes, quæ in hoc mundo desiderari possunt.

In B.V. sunt omnia, quia æterni illius Boni Mater est.

85. Ingressus erat huius Niuis Virgineæ amplissimos, opulentissimosque Thesauros Seraphicus Doctor Bonauẽtura, eosque Angelico suo penetrarat intellectu, quando docuit in speculo cap. 8. cum Maria Dominum vniuersorum opulentissimum fuisse, eamque omnibus cæli diuitijs locupletasse: *Attendite charissimi,* inquiens, *quod Dominus vniuersalis, qui cum Maria est, ipse est Dominus opulentissimus proprietate, sicut testatur Propheta: Domini est terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo. Domini certè est non solum terra, & plenitudo eius, sed etiam cęlum, & plenitudo eius. Tui enim Domine sunt cæli, & tua est terra, quia cęlum cęli Domino. Domini huius omnia sunt propria cælum, & terra, corporalia, & spiritualia, omnis natura, omnis gratia, omnis cælestis gloria, omnia sunt Domini propria. Dominus ergo ditissimus est, sicut etiam ait Apostolus: Idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. Rom. 10 Ecce Maria quantus Dominus est, quam opulentissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus opulentissimus opulentissimè est tecum, ideo tu es opulentissima, siue ditissima secum, ita vt verè tibi*

Dominus opulentissimus est cum Maria, ideo & ipsa opulentissima est.

tibi dici posset: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Prou. 31. Verè enim multæ animę iustę congregauerunt diuitias virtutum, & gratiarum, diuitias meritorum, & pręmiorum, sed Maria vniuersis diuitiis supergressa est excellentissimè vniuersas. O' quam diues est Maria in gloria, quæ tam dives fuit in miseria! O' quam diues est in cælo, quę tã diues fuit in mundo! O' quam diues est in anima sua, quæ tam diues fuit in carne sua, vt etiam B. Bernardus exclamans, dicat: O' diues in omnes, & super omnes Maria, de cuius substantia, modica pars assumpta, totius mundi suffecit soluere delicta. Dominus ergo tecum ò opulẽtissima Maria. Hæc Bouen. Largissimas has Deiparę diuitias Spiritus S. nobis indicauit cũ Arcam testaméti typum Virginis pulcherrimum, laminis aureis, tam intrinsecus, quam extrinsecus contegi, Altare item Thymiamatis, Vrnamque illam, cæleste Manna continentem, totam auream esse iussit. Cùm denique Tabernaculum fœderis, & Templum ipsum, ac pręsertim Sancta Sanctorum tanto auro ornari, ac locupletari voluit, vt ita vel auri cæca quadam cupidine, tantarumque opum vi ad Virginem quærendam amandamque incitaremur.

Figuræ repręsentantes B V. fuere aureæ, vt eam ditissimam esse intelligeremus.

86. Quod si Dominus tãtus, cuius est orbis, & plenitudo eius, cuius est, aurũ, argentum, & diuitiæ totius vniuersi, fuit cum Virgine, locupletissimam sanè illã esse oportuit, ac consequenter largissimam, cũ fuerit summi illius Boni, quod natura sua diffusiuum est, Parẽs optima, semper non modo ad dãdum promptissima, verumetiam sedula ad inquirendũ eos, quibus, & se, & suas opes communicet; Vnde de illa pulchrè Salomon Sap. 6. *Facile videtur ab iis, qui diligunt illam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam.* Pręoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostẽdat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inueniet. Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidẽtiã occurrit illis. Quam sententiam intellexit Richardus à S. Laur. lib. 2. de laud. B. V. p. 1. de Virgine gloriosissima: *Felix*, inquiens, *inuentio inuenire gratiæ Inuentricem, qua inuenta, inuenitur omne bonum. Hęc est .n. illa mulier, de qua idem Salomon Prou. 18. Qui inuenit Mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatẽ à Domino, hic videlicet conscientiæ, lętitię in futuro. Illa quoque ambulantibus per vias pietatis, atque humilitatis ostendit se hilariter, & exeuntibus ex hoc mũdo ad Deo famulandum, in omni sua prouidentia, ad conseruandam, roborandamque animam in Diuino obsequio occurrit, quasi adiutrix fidelissima.* Sic ferè Richardus.

Felix inuentio inuenire Inuentricem gratiæ Mariam.

87. Cùm igitur Virgo Deipara, & locupletissima sit, & summi Boni, bonis omnibus affluentissimi Mater sit, & adeo prompta, atque hilaris ad opes, bonaque sua, cum sibi dilectis clientulis communicanda inueniatur, quis dubitat illam propitium Saturni Sydus esse, quod sub eius horoscopo natos locupletare consueuit? Felices igitur ac terque quaterq; beatos, qui vel mox nati à suis Parentibus Virgini Sacratissimæ fuere cõsecrati, vel ipsi postea, vt sapere incæperũt, vti ante dixi, sese ipsius obsequijs mancipárunt. Hos enim miris, copiosisque cæli opibus, ac thesauris locupletari necesse est. Verissimè enim idem pronunciauit Richardus, humanam Naturam dicere posse de Virgine: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Quid igitur agũt filij Adæ auari, ac inexplebiles opum amatores, cur huius Virginis obsequijs sese totos non consecrãt, cur huic cælorum totiusque Vniuersi Reginæ potẽtissimæ quam fidelissimè non deseruiunt? *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatẽ, & quęritis mendacium?* Cur tanto studio futiles, labilesque opes consectamini, quæ verè inanes ac falsę, imò ipsa vanitas, falsitas, atque mendacium sunt, terrâ, marique corpora vestra mille periculis exponentes, macerantes, ac vix non mactantes, vitam caputque vestrum, tot mortibus obiectantes, consectamini? Veræ opes sunt, dona cælestia, gratia, Dei charitas, virtutes Christiano homine dignæ, quæ verè animam illas possidẽtem locupletant. Si ergò verè, vt ait D. Gregorius, & cum eo Sancta Mater Ecclesia, diuites esse cupitis, veras diuitias amate. Ad Virginem summi Boni Parentem tanquam ad thesaurum mortalibus omnibus cõmunem, seipsam, omnibus largè, copioseque absque vlla cunctatione communicãtem accurrite; opum illam, peruersæ naturæ nostræ inditam auiditatem expletæ; experiemini certè miram, in vobis animi tranquillitatem, securitatemque, quam opes istæ mundi, ad instar aquarum dilabantes, præstare minimè consueuerunt. Verissimè enim S. Doctor censuit Ambrosius mundi diuitias, à diuidendo dictus, quod pacem ab anima, vnionemque cum Deo, qui centrum est cordis nostri, diuidant. At verò animi spirituales diuitiæ, quæ in Diuinâ gratiâ, Deique charitate, donisque Spiritus S. consistunt, inter quæ gaudium, & pax numerantur, à Deipara nobis communi-

Felices qui à pueritia B V. dedicantur.

Exhortatio ad veras opes consectãdus.

municatæ, miram quietem animi, gaudium, quod exsuperat omnem sensum, mirificam denique securitatem, dum eas fures neque effodere, neque sublegere valent, pereunt. Audiamus denique docentem eundem Ambrosium, quęnam veræ ac genuinæ sunt diuitiæ, vt ad eas comparandas accendamur, Virginemq; Deiparam, Reginam locupletissimam studiosius imploremus, quo tantarum eius opum participes efficiamur, nostramque inopiam subleuemus: Sic igitur ille lib. 1. de Cain. c. 5. *Si quæris thesauros, accipe inuisibiles, & occultos, quos in cæli altissimis, non quos in terrarum venis requiras. Esto pauper spiritu, & eris diues. qualicumque censu, quia non in abundantiâ diuitiarum vita est hominis, sed in virtute ac fide. Istę te diuitiæ verum diuitem facient, si sis in DEVM diues.* Hæc Ambrosius, & quidem præclarissimè ac sapientissimè. Diuitiæ enim spirituales, quas post DEVM Virgo nobis communicat, veræ diuitiæ sunt, nosque verè diuites in Domino reddunt. Dum enim illa Christianis, solidisque variarum virtutum opibus nos exornat, veris cæli opibus, ac thesauris, quos nec ærugo, nec tinea demolitur, quos fures non effodiunt, nec furantur, locupletat. Quare quisquis albos, aureosque vitæ beatioris dies, quisquis sapientiam, ac prudentiam, quisquis modestiam, morum compositionem, grauitatemque, quisquis Venerei ignis extinctionem, illibatamque mentis, ac corporis puritatem, desiderat, ad Virginem gloriosissimam summam cælorum Reginam, tanquam ad propitium Saturni sydus, recurrat, in illam spes suas vniuersas post eius filium collocet: in illam quam potest creberrimè ac piè respiciat, eamq; inuocet, summoque affectu veneretur, benignissimos, mihi credite, eius pietatis influxus experietur.

In virtute & non in abundantia diuitiarum vita est hominis.



D I-



DISCVRSVS XXXVIII.

Quod Virgo Deipara Iouis Planetæ proprietates repræsentet.

I.



FAustum, prosperum, fortunatumque Sydus Iouis esse mortalibus, apud Astronosmos, aliosque peritos in confesso est. M. Tullius de somno Scip. *Deinde, inquit, est hominum generi prosperus, & Salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis.* Natalis Comes lib. 2. Mytholog. cap. 1. *Alij perbenignum*, inquit, *Iouis Planetam, ac stellam esse putarunt, quem idcircò crediderunt esse DEVM, quia sydera pro Dijs colebantur antiquitus.* Deorum verò maximum, ob naturæ benignitatem, quippe cum nihil magis, quam bonitas, ac munificentia Diuinæ Naturæ conueniat, cuiusmodi esse putatur Iouis Stella. Id autem experiuntur ij, qui sub dominante Ioue nati sũt. Suas enim virtutes Planeta hic illis largitur, quorum in ortu dominatur. Hunc omnia videre, omnia audire crediderunt antiqui. Vnde Apollonius lib. 2. Argonaut:

Fulgor Iouis prosperus, & Salutaris.

Iouis Planeta per benignus.

Nemo latere Iouem potuit, nam conspicit vnus
Omnia, siue bonus fueris, siue impius idem.

Alij mundi animā Iouē esse crediderunt, quæ per omnia humana corpora esset diffusa, de illo sic Aratus in Astron:

Ab Ioue principium: mortales tempore nullo
Prætereamus eum; loca sunt hoc plena viarum,
Sũt fora plena, simul sunt plenæ marmoris vndę,
Et portus, fit vbique Iouis nam copia cuique.

Eundem Iouē mundi animā agnoscens Orpheus quodam Hymno sic cecinit:

Iouis Planetam mundi animā aliqui censuerunt.

Iuppiter omnipotens est vnus, & vltimus, idem
Iuppiter est caput, & medium; Iouis omnia munus.
Iuppiter est fundamen humi, ac stellātis olympi.
Iuppiter, & mas est, & nescia fœmina mortis.
Spiritus è cunctis validi vis Iuppiter ignis.

2. Hinc Cecrops Athenarum Rex, qui & ipse Iuppiter appellatus est, vim ignis, omniumque rerum ei inesse cognoscens, eum supremum vocauit, nihilque vita præditum ei immolandũ duxit, sed tantum liba patria. omnem enim crudelitatem à suis altaribus repellit diuina Natura, cui nihil magis conuenit, quam clementia, ac beneficentia. Idcirco Iouem datorem bonorum omniũ δοτῆρα ἐάων, Patrem omnium, qui viros bonos multis beneficijs prosequeretur, antiqui vocauerunt. Huic antiquitas tertium oculum in fronte attribuit, vt indicaret eius prouidentiam Dominiumque in cælum, terram, ac infernum sese extēdere. Lacedæmones ei quatuor aures ad demonstrandum eius in administrando dominio diligentiam; Aquilam item ad ostendendum intellectus eius perspicuitatem, attribuerunt. Hæc ferè Natalis.

Iuppiter trioculus, quod eius prouidentia ac Dominiũ in cælũ, terrā ac Infernum se extendat.

3. Verum omnium elegantissimè Marullus Tarchaniota Constant. peculiari Hymno Iouis naturam, geniumque descripsit:

Iuppiter piè, Iuppiter
Benignè, optimè Iuppiter,
Qui tuo nitidum Aethera
Ambis igne beato
Te cano placidum Patrem
Terrarum, placidum æquoris,
Largum quicquid vbique adest
Fertili dare dextrâ.
Siue augere libet nouis
Glebas seminibus rudes
Siue enata salubribus
Fortunare alimentis.
Et tunc sæua repellere
Syluis flabra virentibus
Nunc lætum sata commodo
Culta spargere rore.
Nunc rigentia flumina
Dura soluere compede,
Nunc defendere sirium
Aegris pulueru lentum
Terris, & pecori mala
Momenta, arboribus mala,
Cum semel rabiem improbam
Tellus syderis hausit.
Sed nec vere nouo thyma
Complecti numero queam,
Aut quas sæuus Atabolus
Olim torquet arenas.

Mmmmm Non

Non si lingua adamantina
Sonet, vox adamantina,
Tuas expediam tamen
Laudes, & benefacta.
Aut cum fulciferi Patris
Almo sydere temperas
Minas, & rabiem feram,
Quo non sauior alter.
O cæli decus, ô potens
Votorum, & triplicis boni
Salue ritè vocantibus
Felix Iuppiter alme.

4. Quæ elogia omnia longe aptius cadunt in Virginem nostram Deiparam, sydere hoc repræsentatam. Vnde Bernardinus Bustius Part. 11. Mar. serm. 2. ait Deiparam in celos abeuntem ab hoc Iouis Planeta, vt ibidem tantisper commoraretur, ob mutuam naturæ proprietatumque similitudinem, fuisse inuitatam. Naturam porrò qualitatesque huius syderis, ex varijs auctoribus sic describit. *Planeta hic dicitur beneuolus, calidus, & humidus, in suis qualitatibus temperatus, in colore argenteus, candidus, clarus, ac blandus. Ideo in eius Circulo felicitatis causam veteres posuere, vt Marcianus Philosophus plus affirmat. Temperat hoc sydus seueriorem illum Saturni, falciferi Patris aspectum. In corpore item hominis causat pulchritudinem, atque honestatem. colorem enim niueum rubore permixtum, pulchros oculos, dentes, crinesque causare consueuit, dicitur quoque præesse aeri, & sanguini, sanguineęque complexioni, honoribus denique, ac diuitijs. Causa est item Sapientię, honestatis, fidei, disciplinę, ac ipsius salutationis, quę prę cęteris omnibus ęstimanda est.*

Iouis Planeta B.V. in cælos abeūtem ad secum cō morandum inuitauit.

Variæ Iouis Planetæ proprietes.

5. His igitur præmissis, tandem ad Deiparam conuersus, sic eam, benignissimi huiuscè syderis qualitates in illa agnoscens, affatur: *Has omnes proprietates tu Virgo benedicta in te habes, vt patet tuam excellentiam intuenti: Tu enim es cęli Regina, & Angelorum, omniumque sanctorum Domina, tu Parens restauratiua creaturarum omnium. Tu benigna es, & humilis medium virtutis tenens, omni argento candidior, tu purum, nouumque speculum, in quo sol resplendet iustitiæ. Tu bonitate tua natum ex te DEVM, iustitię falcem, gladiumque gestantem mitigas, placatumque hominibus reddis. Sub te Imperatrix mundi continentur honores, & diuitię. Tu enim es Regina illa, de qua Dauid: Adstitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circumdata varietate. Tu reperisti illū qui est Dei Patris Sapientia, in quo sunt omnes thesauri Sapientię Dei, illum qui est via, veritas, & vita. Tu tibi deuotos facis in conspectu Dei pulchros, charitate rubicundos, mundicia, puritateque niueos. Tu eosdem reddis morigeros, honestos, ac fideles; tu denique tuos clientulos in omni bono confortās, saluos, fęlicesque in ęternam beatitudinem transcribis. Verissimè enim apud Salomonem Prou. 8. pronūciasti: Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Hæc Bernardinus.

In B.V. Iouis proprietates.

6. Ex quibus Iouis descriptionibus, intelligimus Planetæ huic potissimum benignitatem attribui, quæ in Virgine, admirando prorsus splendore elucescit, ita vt verè dicere possimus hominum generi prosperum, & salutarem huius virtutis fulgorem esse. Benignitas enim hæc Virginis nostræ non modo suauitatem, lenitatem, affabilitatem, morum dulcedinem & in nobis iuuandis facilitatem ac propensionem significat, verū etiam largitatem, atque liberalitatem, quæ sanè absque illo benigno, dulcique in mortales omnes affectu manca atque elumbis esse videretur. Hinc Apostolus ad Tit. cap. 3. 4. scribens de charitate incarnati Verbi in genus humanum, vt eā mirè dulcem fuisse ostenderet, præmisit benignitatem: *Apparuit*, inquiens, *benignitas, & Humanitas, siue amor hominum*, vt transfertur ex Græco: φιλανθρωπία. De hac Virginis dulcissima benignitate, morum suauitate, ac facilitate Rich. à S Laur. lib. 2. de laud. B.V. part. 1. cap. 1 *Tanta*, inquit, *est eius benignitas, vt nulli ad ipsam accedere sit formidandum.* Idem lib. 4. ad benignitatem Deiparæ transfert verba illa D. Bernar. ser. de Verb. Apoc. *Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? nil austerum in ea, nil terribile, tota suauis, omnibus offerens lac, & lanam. Reuolue diligentius Euangelicę historiæ seriē vniuersam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod deniq; signū indignationis occurrerit in Maria, de cętero suspectā habeas, & accedere verearis. Quod si, vt verè sunt omnia plena pietatis, & gratię, plena māsuetudinis, & misericordię, quæ ad eam pertinent, inueneris, age gratias ei, qui talem tibi Mediatricem, benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ suæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi. Captiuus redemptionem, æger curationē, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, filij persona carnis humanæ substantiam, tota denique Trinitas gloriam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius.* Ipsa etiam in sua mansuetudine suscepit insitum Verbum potens saluare animas. Quasi insinuare velit Richardus omnem hac suauitatē, ac benignitatem, quæ in Virgine, veluti Iouis resplendet sydere, ex Verbo Incarnato,

Tanta est B.V. benignitas vt nulli ad eam accedere sit formidandum.

Benignitas B.V. à Verbo Incarnato, & Spiritus S participata.

nato, quod eius quodammodo vtero, veluti immensæ illius Arboris, Diuinitatis nimirum, surculus semet inserui, pullulare.

7. Et quoniam insitum hoc Verbum vtero Deiparæ, ope, operâque fuit Spiritus Sancti, iure asseuerare possumus benignitatem hanc à dulcissimo hoc Spiritu Virginem hausisse. Siquidem de Spiritu hoc ait Salomon Sap. 1. *Benignus est Spiritus sapientiæ*. De eodem hoc Spiritu idem Sap. ca. 7. *Est Spiritus intelligentiæ sanctus, incoinquinatus, suauis, amoris bonum, quē nihil vetat benefacere, humanus, benignus*. Hoc igitur suaui, benigno, humano afflatu Spiritu Dei Mater dignissima, quid mirum quod, & ipsa suauis, benigna, humana, & ad benefaciendum mortalibus propensissima effecta sit? Hac nimirum suauitate, ac dulcedine Virgo benignissima suam condit liberalitatem, ac munificentiam, adeo vt simul in vnam virtutem, in ipsâ coalescere benignitas, & liberalitas videantur.

Suauitate ac dulcedine B. V. suam condit liberalitatem.

8. Suauitatem hanc cum beniunitate, atque liberalitate sociatam ipsa Virgo insinuasse visa est, cum dixit: *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum*. Cum enim spiritui diuinissimo, quo veluti animabatur Deipara propria sit Bonitas, quæ naturâ suâ est sui ipsius diffusiua, & hic spiritus ad instar mellis, fauique sit dulcissimus, consequitur, sanè Deiparam benignissimam, effusissimam simul, ac suauissimam, & ad dona cælestia largienda facillimam esse. Vnde idem Richar. à S Laur. lib. 1. de laud. B. V. c. 8. de salutationis efficacia loquens: *Si Ioculator esuriens*, inquit, *ad cœnam diuitis cantauerit, nunquid ei cibus negabitur? Similiter si quis temporalia contemnens, & gratiam esuriens, veniat ad mensam Matris Domini, toto corde, & affectu dicens: Aue Maria; nunquid ipsius largitas ei gratiam poterit denegare? Saltem ex quo gratia plena est, vel aliqua gratiæ fragmēta largietur. Ipsa enim fauus mel leus est, cui dicitur Cant. 4. Fauus distillans labia tua; qui si bene compressus fuerit, tactu labiorum deuotè orantis, dulcedinem melleam facile distillabit. Ipsa enim est vellus Gedeonis rore gratiarum madefactum, Iud. 6. quod compressione leuissima deuotæ salutationis, & orationis, larga distillabit stillicidia super terram cordis humani. Ipsa Virga gracillima est de radice Iesse, per summam humilitatem, quæ flatu auræ tenuis, humilis videlicet salutationis, vel orationis facile inclinari potest: inclinata verò florem, fructumque affert dulcissimum, nimirum filium IESVM*.

B. V. facilitas in gratiis distribuendis.

9. Hinc B. Albertus Magnus Tract. super Missus ex Glossa, benignitatem, rerū largitatem definiuit, eamque in Deipara fuisse in summo pronunciauit: *Cum enim rerum largitas in dando consistat, & plus omnibus puris creaturis absque vlla proportione ipsa largita sit mortalibus, dum filio suo non pepercit, sed illum, & omnia cum illo nobis obtulit ac donauit, liberalitate profectò sua, omnes creaturas superauit*. Quemadmodum enim Pater æternus immēsam suam benignitatem, suauitatem, largitatemque mundo manifestauit, filium suum ab æterno secundum Diuinam Naturam generando, eiusdemque Incarnationem operādo, eumque nobis, omniaque cum illo donando: Sic quoque Virgo Beatissima incredibilem nobis beneficentiam, benignitatemque Patris æterni quodammodo æmulam ostendit, dum eundem Dei filium secundum humanam naturā generauit, & ad ipsius Incarnationem, Virgineam carnem ministrauit, & tandem eum nobis, omniaque cum illo, in quo omne bonum situm est, liberalissimè donauit.

B. V. liberalitas planè eximia in dādo, & offerēdo pro nobis Deo Patri filio.

B. V. sua liberalitate Patris æterni liberalitatem æmulata est.

10. Accedit quod benignissima Deipara in eo summam liberalitatem ostēderit, quod dederit nobis, & Deo ipsi omne dabile. Quis enim huic mūdo dedit DEVM, eumque cum reparatis creaturis, omniaque, quæ in hac rerum vniuersitate continentur reddidit Deo, nisi Mater Dei, quæ humillimo suo in Incarnationem assensu mūdum perditum instaurauit? Quod si summam benignitatem DEVS Pater ostendit, suum dilectissimum in mundum ad nos redimendos mittendo filium, vt ait Glossa in illud Psalmi: *Benignè fac in bona voluntate tua Domine, idest, filium tuum mittendo, & peccata dimittendo, eandem sane super omnes creaturas ostendit Genitrix Dei benignissima, dum ad filij missionem Patrem æternum imitando, & peccati dimissionem, pro suo modulo, carnem suam purissimam exhibendo cooperata est, effecitque, vt copiosa foret nostra redemptio*.

B. V. liberalissima quod dederit nobis, & Deo ipsi omne dabile.

11. Idem denique Albertus, vt ostendat, summâ super omnes puras creaturas benignitate præditam fuisse Deiparam ex ipsius amplitudine, perfectioneque comprobat charitatis, cuius secunda quasi proprietas, in sententia Apostoli, est benignitas: *Charitas*, inquit ille, *patiens est, benigna est*. Cum igitur in summo perfectionis gradu, omnem Seraphicum etiam transcendente, Virgo eximiâ charitate, tam in DEVM, quam in proximum à primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti exarserit, summè quoq; benignā illam esse oportuit.

Benignitas est proprietas charitatis principalis.

B. V. quia Charitate plenissima, ideo benignissima.

Mmmmm 2 12. Quod

12. Quod si deniq; DEVS ideo benignus dicitur, quia homines adoptat in filios, vt colligitur ex Saluatoris verbis illis apud Luc. 6. *Diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos*. Ad quæ verba addit Glossa: Dando nobis potestatem filios Dei fieri. Cū igitur post Dominum beatissima Virgo summam habuerit suo modo potestatē Dei filios faciendi. Dei nempe filiū primogenitum suum, regeneratorem nostrū generando, cum quo nos quoque tanquam suos, Deique filios spiritualiter generauit, cōsequens sanè est, illam post DEVM summè quoque benignam extitisse. Hæc enim virtus omnibus reliquis summum addit ornamentum. Verissimè enim pronunciauit Cassiodorus in Epistolis: *Ornamentum omnium bonorum est syncera benignitas. Igitur si gradu, dignitate, aut virtute superas reliquos, noli illos pedibus conculcare sed sis amabilis, affabilis, & vultu facieque placidus*. Quod sane monitum Virgo sanctissima, maximè postquam ad eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem est euecta, totque, tantisque virtutibus donisque Spiritus Sancti locupletata, seruauit ad vnguem, mira .n. toto ore, oculisque benignitas, mira sua uitas, emicabat, ita vt aspicientes ad castissimum sui amorem, velut magnes ferrum alliceret, atque pertraheret.

B.V. filios adoptiuos cū suo filio generauit quā plurimos.

Ornamētum omnium bonorum est syncera benignitas.

B.V. benignitas toto ore oculisque emicans omnes ad sui amorem alliciebat.

13. Tanta erat hæc benignitas Virginis, vt Diuinam prorsus æmulari videretur, Vnde Seraphicus Bonau. c. 12. spec. expendens verba illa Psalm. 64. *Benedices coronæ Anni benignitatis tuæ*, vocauit eam Coronam Anni Diuinæ benignitatis, censetque annum hunc esse, omni nocte carentem, solis diebus, ijsque lucidissimis cōstantem, Beatis in cælo videlicet, omni die clarioribus, quos licet Diuina Benignitas coronet in æternum coronā gloriæ, suam Diuinam essentiam, faciemque in quam desiderant Angeli prospicere ad contemplandum exhibendo, coronat tamen, & Virgo beatissima, benignissimam quoque suam faciem, eis ad intuendum ostendendo. Verè enim pronunciauit Cardinal. B. Petrus Damiano serm. 1 de Nat. B.V. Virginem alloquēs: *Summa gloria post DEVM est te videre, tibi adhærere, & in tuæ protectioni munimine commorari*. Sed ipsius S. Doctoris Seraphici verba audiamus: In anno benignitatis boni benignissimè coronantur. Huius autem Anni benedicti Corona est benedicta Virgo Maria. Ipsa certè est Corona omnium dierum huius anni, quia ipsa est Corona omnium sanctorum cæli. Corona enim supra caput poni solet; sic Maria quasi supra capita omnium sanctorum locata est, vt testatur B. Hieron. *Exaltari meruit*, inquiens, *super choros Angelorum, & peruenit vltra quam nostræ humilitatis est natura. Filius certè Mariæ est summa sanctorum Corona: Maria verò Corona sub corona. Patet ergo quam sublimiter benedicta sit Corona nostra, Mater nostra Maria. Omnes ergo tā sublimiter benedictam sequamur, benedictam vtique, de qua B. Bernardus: Non est nobis hic manens ciuitas, sed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta peruenit*. Sic ille.

B.V Corona Anni Diuinæ benignitatis solis diebus constans.

Beati nō solum coronantur in cælis corona gloriæ videndo Dei essentiā, sed etiā Corona benignitatis B.V eius faciem intuendo.

Maria & Corona beatorum sub Corona filii eos coronantis.

14. Idem Bonauentura eodem loco asserit esse alium quendam Annum constantem diebus, & noctibus, bonis videlicet, ac malis hominibus exultantibus in mundo; vocatque hunc annum æquanimitatis, quod diuina Bonitas æquanimiter malos, cum iustis toleret, dum ad pœnitentiam reuertuntur. Huius quoque Anni partim lucidi, partim tenebrosi Coronam benignitatis dicere possumus esse Deiparam dum bonos simul, ac malos, eos vndique defendendo, ac protegendo, suâ pietate, ac benignitate circumdare, & in misericordiâ, ac miserationibus, tam innumera illis, & naturæ, & gratiæ impertiendo munera coronare videtur. Verè enim benignitas Virginis Dies hos, diuinæ gratiæ illis quotidie impetrando auxilia, virtutibusque præclarissimis eorum animos excolendo reddit clariores, eosque Coronâ benignitatis suæ, innumeris gratiarum lucidissimis gemmis decoratâ, circumdādo, mirificè condecorat, exornatque. Verè eadem benignitas Virginis obscuram peccatorum noctem sępissimè eiusdem coronæ suæ splendoribus ita irradiat, vt in claram lucem conuertantur, & in semetipsis experiātur illud esse verissimum: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Et illud: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit*. Verè benignitas Virginis peccatoribus ea dona gratiæ elargitur copiosissimè, vt peccata detestantes virtutum, diuinique obsequij semitam ingrediantur. Verè hæc benignitatis Corona Virginea ita illos circumdat, vt à malignis tenebrarum potestatibus illęsos conseruet, ac tueatur; ne peccatis obnoxios ad inferiorum pœnas, vti promerebantur, detrudi permittat.

Annus quidā constans diebus, & noctibus, bonis ac malis, dicitur annus æquanimitatis.

Quomodo B. V. sit Corona Anni æquanimitatis.

Benignitas B.V. velut corona in hac vita ornat.

15. Dici quoque potest Annus benignitatis Virginis coronatus totum tempus illud, quo nobiscum commorata est in terris, quo semper vim solitæ suæ pietatis,

tatis,

tatis, ac liberalitatis mirâ cum suauitate, ac facilitate erga omnes ad se accurrentes, & maximè erga Apostolos, ac Discipulos, vniuersamque Christi Ecclesiam exeruit. Hæc nimirū suauissima Virginis benignitas, ac munificentia, qua in omnibus suis clientulis, imo in peccatoribus etiam iuuandis vsa est, illi Corona pulcherrima extitit. *Nullum namque ornamentum*, inquit, Seneca libr. 1. de Clement. cap. vlt. *Principis fastigio dignius, pulchriusque est, quam illa Corona, ob ciues seruatos; non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. hæc Diuina potentia est, gregatim, & publicè seruare.* Quare Lactantius libr. 4. de vera Sapient. cap. 26. sub illa Corona spinea, qua redimitus est à Iudæis olim Saluator, docet adumbratos peccatores, Christi benignitate, Dei gratiæ restitutos ac saluatos, ipsumque vt verum Regem coronantes: *Corona Spinea*, inquiens, *capiti eius imposita id declarabat fore, vt diuinam sibi plebem de nocentibus aggregaret: corona enim dicitur circumstans orbem populus. Nos autem qui ante cognitionem Dei fuimus iniusti, spinæ, id est, mali, & nocentes eramus, ignorantes quid esset bonum, & à iustitiæ notione, atque operibus alieni, omnia scelere, ac libidine polluebamus. Electi ergo ex dumis, & sentibus, Sanctum Dei caput cingimus, quia conuocati ab ipso, & circumfusi vndique ad eum, Magistro, ac Doctori Deo assistimus, Regemque illum mundi, & omnium viuentium Dominum coronamus.* Sic Lact. Vides Dei filium, dum homines saluat, & ab interitu liberat, gloriâ, & honore à peccatoribus saluatis per spinas dumosque designatis coronari? Vnde S. Ambros. libr. de Instit. Virg. cap. 15. Annum illum placabilem Domino, quo Christus operatus est salutem nostram, saluauitque peccatores, vocauit Annum, & Coronā benignitatis ipsius Saluatoris: *Quis*, inquiens, *Annus Dominicæ benignitatis, nisi ille, de quo dicit: Annum Domini acceptum, & tēpus retributionis, sicut in Euangelio suo ipse memorauit dicens: Spiritus Domini super me. Luc. 3. Tunc ergo Dominus operibus suis, & honore sui tempus coronauit aduentus. Totus enim ille annus conuersationis in hoc mundo diuersarum habuit certamina passionum. Vicit Herodem paruulus, de quo in passione Infantium triumphauit, esuriuit, sitiuit, pro nobis vapulauit, pro nobis contumeliarum indigna tolerauit, crucem ascendit, mortuus est pro nobis.* Hactenus Ambrosius. En ergo Dominicæ benignitatis Annum, diuinis operibus, amore nostri perpetratis, velut diademate Regio coronatum. Simili ratione ob huiusmodi benignitatis in genus humanum exhibita opera, S. Cyrillus Alex. in c. 19. ait Patrem æternū fuisse coronatū: Pōderās .n. illa verba Christi: *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis*, sic loquitur: *Clarificatum Patrem suum esse dicit, quoniam ineffabilis eius bonitas, atque misericordia, nota omnibus, coronam quasi gloriæ illi attulit.*

Corona ob Ciues seruatores pulcherrima in capite Principis.

Corona Spinea qua coronatus est Christus, peccatores adumbrati.

Annus prædicationis Christi fuit Annus ipsius benignitatis.

Aeterni Patris bonitas ac misericordia prędicata Coronāquasi gloriæ ipsi attulit.

16. Idem proportione quadam dicere possumus de Virgine Deiparâ benignissimâ, quæ & hic dum viueret, imitatione æterni Patris, ac Filij, Annos illos propensissimæ suæ in nos benignitatis, ac fælicitatis, assiduâ donorum cælestiū mortalibus factâ communicatione, coronando, semetipsum diademate benignitatis coronauit. Simili prorsus ratione hos annos omnes à sua in cælos Assumptione vsque ad consummationem sęculi, dulcissimâ suâ in mortales omnes benignitate, effusissimâque liberalitate, benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo, exemplo dilectissimi sui filij, veluti Coronâ pulcherrimâ, circumdat, circumdabitque memoriâ sæculorum omnium, atque innumeras, sibi, suâ benignitate largitateque munificentissimâ, Coronas comparabit.

B.V. sua benignitate etiā iam in cælis existens nos coronando, semetipsam etiam nostris coronis exornat.

17. Quanta porrò sit hæc benignissima liberalitas Virginis, quæ mens capere, quæ lingua effari potuerit? Sanè iure id quod dictum in laudem Iouis est, à Marullo hic vsurpare possumus:

Nec si lingua adamantina
Sonet, vox adamantina
Tuas expediam tamen
Laudes, & benefacta.

Nec lingua, nec voce adamantina laudes B.V. explicari possunt.

Benignitatem hanc Virgineam, siue liberalitatem summam, ac pene infinitam post DEVM esse, videtur asserere Rich. à S. Laur. lib. 4. de laud. B.V. *De largitate*, inquiens, *& misericordia Mariæ congruè dici potest, quod cùm ipsa sit summè diues, summè etiam sit liberalis, ac misericors, implens monitum illud Tob. 4. Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribuere? De illa quoque dicitur Sap. 11. Misereris omnium, quia omnia potes, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti. De eius porrò ingentibus diuitijs rectè Salomon Prou. 31. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Audiuit Virgo sine dubio consilium illud Spiritus Sancti Eccli. 14 Secundum vires tuas exporrigens, da pauperi, id est peccatori. Et illud alterum Eccl. 35. Da Altissimo secundum donatum eius. Altissimo enim datur, quod pro honore eius suis pauperibus tribuitur. Quod si Regina Esther viua spiransque*

B.V. quia summè diues, summè etiam est liberalis.

Imago

Imago quædam fuit Deiparæ, & hæc habuit gratiam, & misericordiam super omnes mulieres Est. 2. debebit sanè Virgo quoque ipsa nobis dare secundum gratiam, & misericordiam, quam accepit. Quod si Christus ascendens in altum dedit dona hominibus: Maria quoque vera, & vnica Filij imitatrix, ex quo ascendit in cælum, dabit, & ipsa dona hominibus, siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Vnde, & ei dicimus: Salue Regina misericordiæ, commemorantes quod possit tanquam Regina, & velit tanquam misericors nos iuuare. Securè quidem intrandum est in illam curiam, vbi porta aperta est, & intrantes nullus arcet ostiarius, nullus cubicularius excludit, vbi omnes ciues ciuitatis illius vota nostra suscipiũt. Clamandũ est igitur ad Reginam misericordiæ, quia sicut dicit B. Bern. Merito non exauditur qui clamare dissimulat. Regina siquidem solet esse larga, munifica, ac liberalis. Nec solum Regina misericordiæ, quoad potentiam miserendi, sed & Mater misericordiæ appellatur, quoad effectum miserendi, libentius creaturis filij sui misericordiam exhibens, quam aliqua Mater filijs vteri sui. Vnde dicit ipsa apud Isa. 49. Nunquid potest obliuisci mulier infantem suũ, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar. Sic ferè de benignitate, ac liberalitate Virginis insigni cum misericordia sociata, Richardus, apud quem vide plura si lubet.

B.V. est Regina, & Mater misericordiæ.

18. Tantam porrò benignitatem hãc Virginis in mortales omnes ait fuisse Pelbartus, libr. 12. stell. Part. 1. c. 3. *& semetipsam totam cum suis membris omnibus ad nobis inseruiendum, ministrandumque impenderit.* Atque vt cætera breuitatis gratiâ, omittam, oculis illis pijssimis, ex quibus, veluti speculis, potissimum benignitas, amorque elucescit, nobis mirificè deseruiuit. *Illis enim,* vt ait Pelbartus, *lacrymas ex pietate in passione Christi profudit, eisdem cũ flente Christo in hac miseriarum valle, & ipse flebat. Eisdem nostræ compatiendo captiuitati tam acerbę, ad DIVM cum lacrymis aspiciebat, atque pro humani generis libertate, exorabat. Eisdem in hodiernum vsque diem nobis seruit, dum materno affectu nostras necessitates intuetur, & velut fidelissima Aduocata nobis subuenit, ac patrocinatur. Quid de eius ore purissimo, linguaque Virginea dicam? His quoque nobis velut Mater benignissima miro charitatis affectu deseruiuit. Dum humillimè respondit Archangelo: Ecce Ancilla Domini, dum ob immensum Incarnationis beneficium, in persona humani generis, Cantico illo DEVM magnificante, gratias Diuinæ rependit Maiestati:* Quare iure merito idem Pelbartus exclamauit: *O quam suauissima, ô quam vtilissima fuere nobis Virginis labia, ac lingua, quæ tam efficacia protulere verba, vt mox DEVS in vterum eius ad nos saluandos descenderet. Vere fructuosissimum Mariæ verbum, quod vnica prolatione consensum significante totum genus humanum persanauit. Denique quotidie nobis Maria labijs, linguaque in cęlo pro nobis apud filium intercedendo summa cum benignitate, ineffabilique pietate deseruit, vti quotidianis experimentis toti Ecclesiæ euadit manifestum.* Hęc ferè Pelbartus. Quid iã de corde eius benignissimo dicemus, quo ipsa mirificâ plena pietate nobis deseruiuit? Hanc ob causam Christus suadet B. Metildi, vt sæpius cor Virginis amantissimum varias ob causas consalutet, vt scribit Lamdsp. in eius vita lib. 1. cap. 3. vbi ita eam Christus alloquitur: Saluta filia mea cor Virgineũ meæ Matris in abundantia omnium bonorum, quibus illa semper omnibus hominibus fuit vtilissima. Et in primis quidem saluta eius cor, quia fuit purissimum. Vnde ipsa omnium prima fuit, quæ Virginitatis votum emisit. Secundo. Cor eius fuit humillimum, ob quam planè singularem, profundissimamque humilitatẽ, concipere de Spiritu S. pro merita est. Tertio, quia cor eius fuit deuotissimum, ac desiderijs sanctis plenissimum, quibus illa me ad se de cælo pertraxit. Quarto, quia feruentissimum fuit amore in Deũ, & proximum. Quinto, quia cor illud cõseruabat omnia diligenter, quę egerat in sua infantia, pueritia ac iuuentute. Sexto, quia cor eius patientissimũ; mea fuit passione, quæ vehementissime cor ipsius transfixit cõtinuâ meorum cruciatuum memoriâ. Septimo, quia idem eius cor fuit fidelissimum; quia contentum fuit, vt ego vnicus eius filius pro mundi Redemptione cruci affigerer. Octauo, quia cor ipsius fuit semper in oratione maximè solicitum, continuè pro S. Ecclesia intercedendo, eius nouas gratias, ac dona impetrãdo. Denique saluta cor illud Virgineum, ac sanctissimum Matris meæ, quia nimium quantum fuit assiduũ in contemplatione, suis meritis plurima gratiarum munera hominibus impetrãdo. Ita Christus de benignissimo corde Deiparæ, quo vniuersæ Ecclesiæ tam pie deseruiuit.

B.V. sua benignitate ad nobis inseruiendum se totam cum omnibus suis membris impendit.

B.V. oculis nobis benignissimis inseruiuit.

B.V. quomodo ore suo ac lingua nobis inseruiuit.

B.V. labiis ac lingua quotidie nobis in cælo seruit apud filium intercedẽdo.

19. Eandem benignitatem Virginis eodem corde, ijsdemque membris nobis deseruientis agnouit iã memoratus Richardus lib. 4. dum eam vnam ex prudẽtibus illis Virginibus fuisse asserit, quæ oleum pietatis ac benignitatis in lampade suæ Virginitatis reseruarunt. *Ipsa,* inquiens, *non solum vna est de numero prudentium Virginum, sed omnium prudentissima, habens*

B.V. vna ex prudentibus Virginibus oleum pietatis in lampade suæ Virginitatis reseruauit.

bens lampadem integerrimæ Virginitatis, oleũque misericordiæ in omnibus vasis suis. In vase cordis per affectum, in vase manuum per effectũ, in vase opis per orationis benignitatem. Nempe Dei filius, cuius nomen est oleum effusum, totam ita repleuit, dum nouem mensibus in eius purissimo vtero habitauit, vt vas misericordiæ effecta, tota ramanserit oleata, oleo nempe misericordiȩ perfusa, atque adeo Oliua quædam speciosissima in mundi huius campis oleum pietatis, ac benignitatis in omnes vbertim profundens. Agnouit hanc communem in omnes benignitatem S. Anselmus in Contempl. de B.V. qui postquã varia Virginis in vniuersum genus humanum redundantia recẽsuisset beneficia, hæc subintulit: *Hȩc tanta bona per benedictum fructum benedicti ventris Benedictæ Mariȩ mundo prouenerunt: Sed cur solum loquor Domina benedicta beneficijs tuis plenum esse mundum. Inferna penetrant, cælos superant. Per plenitudinem enim gratiȩ tuȩ, & quȩ in inferno erant, se lȩtantur liberata, & quȩ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. Per eumdem quippe gloriosum filium tuum gloriosȩ Virginitatis tuȩ omnes iusti, qui obierunt ante vitalem eius mortem exultant de diruptione captiuitatis suæ, & Angeli gratulantur de restitutione semirutæ ciuitatis suȩ.*

Beneficia B. V. mundum repleuerunt, Inferna penetrarunt.

20. Virgineũ hoc, benignissimumque sydus B. Hermannum adolescẽtem planè Virgineum, atque Angelicum à primis pueritiæ suæ Annis propositio, blãdoque aspexit oculo, fouẽtibusque semper visitauit influxibus. Huius enim Virgo paupertatem subleuabat, suppeditãdo miraculosè pecuniam, ad calceos, calamos, chartam, atramentumque, &cet. coemendum. Quanta, DEVS bone, Virginis benignitas eluxit, dum scabiem, doloremque capitis, manus suæ attactu sustulit, dum excussos, repentino casu dẽtes, absque vllo dolore reposuit; dum ad quoddam sanctimonialium Monasterium aduentantem, præmonuit illas, vt ipsius Capellano obuiarent, eumque omni honore ac veneratione persequerentur! Quanta benignitas Virginis eluxit in sacerdote illo, de quo Card. Beat. Petrus Dam. opusc. 33. c. 3. cui cum Episcopus ob ignorantiam morumque leuitatem sacris interdixisset, & is quo vitã in posterum toleraret, non inueniret, accessit magna fiducia ad hãc benignissimam Dei Matrem, eiusque summam inopiam exposuit; *quæ nocturno siletio Episcopo dum dormiret*, inquit Damianus, *apparuit. Præcedebat hanc vir vna manu faculã, altera ferulam portans. Cui mox præcipit, vt Episcopum deliquentem, aliquantulis ferulæ quam gerebat, verberibus castigaret: Cur, inquiens, Capellano meo, qui mihi quotidianas implebat rxcubias, stipem Ecclesiȩ, quam ipse nõ contuleras, abstulisti? Hoc viso tremefactus Episcopus, mox vt euigilauit, Clerico beneficium reddidit, & quem ignotum Deo forte crediderat, iam quasi charum propensius honorauit. Si igitur ille vnum illum laudis canendo quotidie ad altare B.V. declinato capite versiculum: Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus; corporei victus alimenta promeruit, quam fideliter ȩterna sperabũt, qui Beatæ Reginȩ mundi quotidiana horarum vota persoluunt?* Sic Damianus.

Hermannus miram B.V. benignitatẽ sæpius expertus.

B.V. benignitàs in deuotum sibi Sacerdotem.

Sacerdos inclinato capite Salutationem Angelicam recitans B.V. patrocinium promeritus.

21. Quid de Theodorico illo mercatore Constantinopolitano dicam? qui cũ ad extremam inopiã esset redactus, petijssetque à Iudæo quodam, sibi dari pecuniam mutuam; fideique iussorem interposuisset sanctam Mariam, eiusque Imaginem, promittendo ad præfixum diem se pecuniam redditurum, Alexandriam profectus est, ibique vnius anni spatio mirè fuit locupletatus. Cùm iam præfixus solutionis terminus aduenisset, nec Constantinopolim ad diem illũ destinatum posset reuerti, ne fidem datam Deiparæ fregisse videretur, benignitate eiusdem confisus Deiparæ, pecuniã in cistam recludit, annuloque suo obsignat, cum hac inscriptione: *Accipe Abraham pecuniam, quam mihi accommodasti*, rogatque simul Dei Matrem, vt cistam illã per tam immensa marium spatia, ac discrimina, velut stella maris dirigat, inq; portum ad obligatam suam fidem exsoluendam feliciter deducat. Non fefellit illum sanè benignitas fidesque Virginis, vna enim nocte iter absoluit, comparetque manè ad dictam diem in portu cista, reperitque Iudęum mirè solicitũ in portu iam præstolantẽ, Accipit Iudæus mox pecuniam absque arbitris, & abscondit. Intra dies paucos aduenit Alexandriã Mercator, Iudæus scelestus repetit ab illo pecuniam, negatque sibi quidquam trãsmissum. Itur in iudicium, cogitur coram fideiussore Imagine, nempe Deipara, iuramentum deponere, se nil accepisse pecuniarum Alexandria. Iurat perfrictâ fronte, peieratque impijssimè, coram omnibus simul, & impudentissimè, cum ecce benignissima, ac fidelissima Dei Matet respondet ex Imagine tanquam ex oraculo: *Mentiris, quoniam repositorium cum pecunia accepisti, & abscõdisti. Ad vocem hanc tanquàm ad exorientem auroram, Abraham perfidiæ noctem, cum pluribus alijs Iudæis relinquens, lucẽ fidei nostrȩ aspexit:* Vide Dionys. Carthus. ser. 4. de Assumpt. B.V.

Theodoricus Mercator Constantinopolitanus ad paupertatem redactus ope B V miraculosè subleuatur.

B V Imago Iudæum peierantem reprehendit.

22. Alias eiusdem Deiparȩ non modo beni-

benignitas, verumetiam liberalitas simul eluxit. Erat olim Ierosolymis celebre Monachorum cœnobiū Virgini consecratum, vt scribit Gregor. Turon. de gloria Mar. lib. 1. cap. 11. quod cum aliquando graui penuriâ premeretur, ita, vt vno, & altero die refectione caruerit, Abbas cum suis ad Deiparæ auxilium confugit; *Oremus*, inquiens, *dilectissimi, & Dominus nobis, precibus Virginis Matris cibum ministrabit, nec enim fieri potest, vt deficiat triticum in eius monasterio, quæ frugem vitæ ex vtero, pereunti intulit mūdo.* Tota igitur nocte illis in oratione vigilantibus, manè ita repleta tritico horrea sunt reperta, vt ad illa portæ vix aperiri possent. Alia rursus vice cum graui annonæ charitate eadē sacra Virgini familia premeretur, post fusas ad illam preces, aram summā ingenti auri vi cumulatam repererunt, ostenditque verè Dei Mater se benignissimam simul, ac liberalissimam esse. Denique *non mirum*, inquit idem Turonēsis, *si B. Virgo sine labore suis protulit victum, quæ sine viri opera concipiens etiam post partum Virgo permansit.*

B. V. Monachis annonæ charitate laborantibus, B V subuenit.

23. Non modo B. V. suam benignitatem, prouidendo de temporalibus manifestauit, verumetiam in spiritualibus, Diuinæ gratiæ dona cōmunicando. Vnde B. Metildis vidit in choro Deiparam filiolum vlnis gestantem, in cuius capite erat Corona Regni, quæ à duobus Angelis supra eius caput sustentabatur, in hac porro Corona omnium sanctorum merita, dignitatesque visebantur ad instar lapidum preciosorum, quas illi deuoto corde seruiendo Diuinę Matri, cōsecuti sunt. Vidit insuper quod ex ipso capite, capillisque guttulæ quædam stillabant, quæ gratiam denotabāt, inquit Metildis, quam DEVS omnibus illis infundit, qui in præsenti vita deuotè suæ Virgini Matri deseruiūt, eamque piè venerātur. Vidit denique in manu Deiparæ pyxidem quandam auream; cumque nquisiuisset Metildis, quidnam ea contineretur? Respondit Virgo Diuini cordis liquor, quam meo dilectissimo filio offerre vel, cum omni illo labore, ac sudore, qui in eius seruitio profunditur. Idem faciet sine dubio Virgo benignissima de sudore, quem eius clientuli in ipsius obsequio varijs pijs exercitijs desudando, exprimunt; vti olim ostēdit in suis Cistercienfis Ordinis famulis, quorum sudorem dū meterent studiosè colligere, & filio offerre non est dedignata, benignitate incredibili.

E capite, capillisque B. V. gratiarum guttæ stillabant.

23. Quid benignitatem Deiparæ in B. Stanislaum Kotsham Societatis nostræ Adolescentulum; domestica enim non desunt exempla, referam? Hic cum lethali morbo affixus lectulo detineretur, virgo benignissima in tanto discrimine ei adesse, filium paruulum vlnis gestans, nō est dedignata. Mirè hoc spectaculo Matris suæ amantissimæ dum recreatur Stanislaus, ecce nouum Virgo pro sua liberalitate largitur beneficium, Puellum IESVM in clientuli amantissimi collocat lectulo, facitque eum flore illo, qui de se dicebat: *Ego flos campi, & lilium conuallium;* floridū. Mox ad saluatoris paruuli contactum fugit languor, salus, incolumitasque paruuli contactum, ægroque deposito simul animi mirifica est allata consolatio. Cumulauit cæli Regina benignitatem hāc, inquit ipsius vitæ auctor, num in digressu nominatim admonuit, vt Societati IESV se traderet, ac dicaret.

B.V. mira benignitas in B. Stanislaum, dum illum morbo laborantem visitat, & sanat.

B.V. suadet vt in Soc. IESV ingrediatur.

25. Expertus denique est suauissimā benignitatem hanc Deiparæ alterè Societate nostra Hieronymus Carauaile Lusitanus, qui cum eadem Virgine magnam, arctamque contraxisset necessitudinem, eam tenerrimè diligebat, & ab ea vicissim diligebatur more sibi solito, vti ipsa profitetur: *Ego diligentes me diligo.* Vnde crebro ipsum benignissimè inuisebat, suauissimaque cum illo miscebat colloquia. Cōtigit aliquando vt ob pęnas Purgatorij, quas nimium quantum formidabat subtristior esset, cum ecce tibi ei se visendā exhibet Virgo benignissima, atque amantissima, eumque blandissimè consolatur: *Ne*, inquiens, *ita vehementer angaris Fili; ego enim non tantùm Aduocata sum peccantium in hac vita existentium, sed etiam dum igne Purgatorio expurgantur.* Ad cumulum omnis huius benignitatis, Deipara tandem, ei diem mortis indicasse creditur: In eius siquidem scriptis hæc verba sunt reperta: *Adhuc ero superstes 15. Annis.* In alia autem schedula hæc: *Adhuc mihi supersunt anni quinque.* Quod experientiâ ipsa verum fuisse cōprobatum est. ex Kalend. B.V. 24. Oct.

Hieronymi Carauali amor in B. Virginem.

B.V. est etiam Aduocata illorum qui in igne Purgatorio expiātur.

26. Ex his omnibus perspicimus Deiparam verè benignissimum esse Iouis sydus clientulos sub prospero, felicissimoque eius aspectu exortos, luceque eius irradiatos, bonis omnibus affatim, ac liberalissimè locupletans. Et verò si vel ipsum Iouis ethymon consideremus, intelligemus nomen hoc in recto significare, vt auctor est M. Tullius li. 2. de Nat. Deorum *Iuuans Pater*, & li. 3. de Finibus: *Iouem*, inquit, *cum Optimum, & Maximum dici-*

Iuppiter dictus quasi iuuans Pater.

dicimus, cumque eundem Salutarem, hospitalē, Statorem hoc intelligi volumus, salutem hominum in eius esse tutela. Idem pro Domo sua, ait vocari, *Iouem optimum ob beneficia in populum Romanum collata, Maximum, propter vim, & potentiam.* Quæ omnia longè verius, aptiusque ipsi quadrant Deiparæ. Ipsa enim verissimè est Iuuans Mater, affectu benignissimo, ac planè materno in omne nostrum auxilium, ac iuuamen intenta. Ipsa est verè omnibus Salutaris, dum, velut sydus quodpiam, benigno suo aspectu nobis prodest; Ipsa hospitalis, dum nos intra suæ misericordiæ viscera, summa cum charitate quasi recolligit. Illa nobis est Iuppiter Stator. Quēadmodum enim hic ita dictus est, quod Romanos contra Samnitas depugnantes, ac meticulosos, constantes in pugna stare fecerit, vt testatur Liuius Deca. 1. libr. 10. ita potiori iure Deipara stator, ac statrix dici potest, quod timidos mortales contra Tartareos hostes depugnātes terga vertere nō permittat sed inuictum animi robur, ad standum fortiter in acie, eosque debellandos ac triumphandos in quauis tentatione, & maxime in articulo mortis, largiatur. Ipsa quoque salutem hominum, cum sit Mater Saluatoris, habet in sua tutela. Vnde pro eis apud supremum Iudicem patrocinatur, ostensisque sacratissimis illis pietatis monimentis, pectore videlicet, ac vberibus efficaciter intercedit. Ipsa est reuera optima, quia summum illud bonum, ac proinde summè communicatiuum vtero suo nouem mensibus gestauit, à quo didicit, se summè mortalibus, varijs beneficijs impertitis, communicare. Ipsa maxima, quia maximum illum vniuersorum conditorem, ac Dominum, à quo vim quasi infinitam, omnipotentiamque mutuata est, peperit. Hoc intelligens Diuus Augustinus serm. 2. de Annunc. imo tota Ecclesia Virginem obsecrat: *Succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue debiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro Monachorum choro, exora pro deuoto fœmineo sexu. Sentiant omnes tuum iuuamen quicunque deuotè celebrant tuum sanctum Nomen. Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cælorum peregrinis. Et cùm te letantem semper aspicis, fletus nostros quæsumus ipsa ad DEVM admittas, eumque vt proprium Filium pro nobis interpelles.*

In Iouis tutela hominū salus olim esse censebatur.

B.V. est iuuās Mater, omnibus salutaris.

B. V. est Hospitalis, dum nos intra suæ misericordiæ viscera recludit.

Iuppiter stator vnde dictus?

B.V. timidos mortales cōtra Tartareos hostes pugnantes terga vertere non permittit.

B.V. hominū salutē habet in sua tutela.

B. V. Optima, quia sūmum Bonū summè cōmunicatiuū peperit.

B.V. Maxima, quia Maximum omnis Conditorem ac Dominū peperit.

27. Agnouit S. Ephræm Syrus præsentissimum esse totius Ecclesiæ Christi in omnibus tribulationibus, atque aduersitatibus columen, ac iuuamen Deiparam cum in serm. de laud. B.V. inter plurima, eaque pulcherrima elogia, illa attexuit; quæ eam in vario periculorum genere benignissimam, maximamque liberatricem arguunt; *Tu peccatorum, & auxilio destitutorum vnica Aduocata es, atque adiutrix. Tu portus naufragantium tutissimus, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima. Tu orphanorum susceptio. Tu captiuorum redemptio. Tu ægrotātium exultatio. & omnium salus. Tu Monachorum, & solitariorum stabilimentum, & spes sæcularium. Tu Virginum gloria, corona, & gaudium. Tu noster portus, & preses, piaque adiutrix.* Et paucis intercalatis, sic eam summo pietatis affectu cum Angelo Gabriele consalutat: *Aue periclitantium auxiliatrix, iucunda libertas, fons gratiæ, & consolationis. Aue peccatorum refugium atque diuersorium. Aue laborantium propitiatorium. Aue spes omnium proborum aduersis casibus afflictorum, dulce conuersorum solamen atque præsidium. Aue virorum pariter ac mulierum Regina, ac patrona. Aue nostra consolatrix, quæ mærores sedasti, & oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti. Aue firma salus vniuersorum Christianorum ad te syncerè ac verè recurrentium. Aue nostra omnium insignis protectio, & gloria.*

B. V. auxilio destitutorū vnica Aduocata, & adiutrix.

B V Captiuorum redēptio, & ægrotantium exultatio.

B V. periclitantium auxiliatrix.

28. Ex quibus sanè sanctissimi Viri ad gloriam Virginis enunciatis elogijs, varium maximumque in mortales omnes, certumque auxilium ipsis depræhēdimus, adeo vt miseria nulla in hominū vita deprehendi possit, quæ mox, atque ipsius oculis fuerit obiecta, præsentissimum auxilium, remediumque non experiatur. Hinc est quod de Antichristi tēporibus illis infelicissimis, atque calamitosissimis, in quibus plurimi naufragium fidei sunt facturi, loquens Propheta Daniel, non alio, quam auxilio Virginis, iuxta interprætationem Pelbarti ad sanam mentem sint reuersuri. Sic enim ille cap. 11. vers. 34. loquitur; *Cumque corruerint subleuabuntur auxilio paruulo;* quod ille auxilium, iuuamenque ait esse Virginis, quæ maxima cum sit vt pote Maximi Dei nostri Mater, in oculis tamen suis paruula existens, adeo placuit Altissimo, vt ipsi pro peccatoribus, etiam à fide apostatantibus intercedenti, gratiam denegare non posse, vt pote Matri dignissimæ, vlla ratione videatur.

A fide apostatates Auxilio paruulo B. V. subleuantur.

29. Et verò quisquis cum fiducia suis in necessitatibus ad Virginem pro auxilio recurrit, illam reuera omnipotentem quendam Iouem, iuuantemque Patrem, ac Matrem piētissimam, benignissimamque experitur. Hæc nimirum est Mater illa, quam in spiritu præuidens Moyses

B. V. vera Mater cunctorum viuentium.

Gen. 2. *Matrem cunctorum viuentium appellauit.* Neque enim Eua illa superbissima totius humani generis pessundatrix, mors, excidium, extremaque ruina, nomine hoc digna videbatur. Sola Virgo hæc omnium viuentium, tam vitâ plantæ, quam vita animalis, hominis atque Angeli Mater extitit, siquidem humillimo illo suo in Dominicam Incarnationem in purissimo eius vtero peragēdam assensu, creaturas omnes tam insensibiles, quam sensibiles, ac rationales suo modo redintegrauit, easque non modò pristinæ, verumetiam longè excellentiori dignitati, easdē ad hypostaticæ vnionis gloriam Angelicæ legationi assetiēdo euexisse visa est, atque ita se illis omnibus benignissimam Matrem ostendit. Audite hic Cardin. Petrum Dam. ser. 3. de Nat. B. V. præclarè disserentem: *Per hanc beatissimam Virginem non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelicæ sublimitatis augetur, quia dum homo ad superna reducitur, eorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur.*

Per B. V. omnes creaturæ instauratæ.

30. Matrem Iuuantem esse Deiparam agnouit S. Epiph. lib. 3. contr. Hæres. cap. 3. cùm dixit: *Quandoquidem, vt omnis hominum generatio ex prima illa, quæ primæuam nobilitatem inobedientiâ vitiauit, infeliciter exorta est; sic vera vita, quâ Deo secundum spiritum viuimus, per alteram Matrem Mariam verè obedientem nobis perditis, quasi restituitur, dum hæc ipsum vitæ fontem, & autorem Christum nobis exhibet. Vetus Eua fœtus suos priusquam pareret extinxit, nouerca potius quā Mater appellanda. Sed noua hæc Eua non morientium, sed reuiuiscentium Mater extitit, quæ incogitabili mysterio, de cuius osse fuerat genita, eum ipsum de sua carne vicissim genuit, nec alio fœcunda, ta quam, quem peperit.* Audiendus de eadem hac viuentium Matre adiuuante Sāctus Petrus Chrysologus ser. 140. *In quibus Eua maledicta puniebat viscera, nunc in illis gaudet, honoratur, suscipitur Maria benedicta: & facta est nunc verè Mater viuentium per gratiam, quæ Mater ante extiterat morientium per naturam, videlicet corruptam.*

Sicut per Euæ inobedientiā omnis humana natura periit sic per B. V. obedientiam eadem reparata est.

B V facta Mater viuentium per gratiam.

31. Agnouit iuuantem Matrē esse Deiparam B. Guerricus Ignatiensis Abbas ser. 1. de Assumpt. *Torrò*, inquiens, *Beata Mater illa Christi, quia se Matrē agnoscit Christianorum ratione mysterii, cura quoque se Matrem eis præstat, & affectu pietatis. Neque duratur ad filios quasi non sint sui, cuius viscera semel quidem facta, sed nunquam effœta, nūquam desinunt fructum parturire pietatis.* Tum paucis interpositis, maternum in ipsa auxilium agnoscens, sic prosequitur: *Vide autem si non & filij Matrem videntur agnoscere, dictante vtique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, vt ad inuocationē Nominis eius primo vel maximè refugiant in omnibus necessitatibus, & periculis, tanquam paruuli ad sinū Matris. Vnde nimirum de his filijs puto non absurdè intelligi, quod per Prophetam promissum est: Habitabunt in te filij tui. Et nunc siquidem habitamus in adiutorio Matris Altissimi, in protectione commoramur, tanquam sub vmbra alarum eius, & postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confouebimur.*

B. V. viscera semper facta nūquam desinunt fructū parturire pietatis.

In omnibus necessitatib. ac periculis tāquam paruuli confugiamus ad sinum Matris Dei.

32. Agnouit iuuantem Matrem esse Deiparam B. Albertus Magnus Tractat. super Missus vbi cùm varias attulisset rationes, propter quas Mater omnium bonorum esset appellanda Deipara, addidit tādem, illam esse Matrem, curâ, quia in vno nobis genuit, quicquid ad hanc vitam, vel futuram necessariū nobis fuit. Vnde inuitat nos ad se: *Trāsite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Matrem denique iuuātem Angelos, omnemque simul creaturam idem agnoscens Albertus hæc attexit: *Angelorum quoque Mater dici potest geniturâ, quia Patrem, ac restauratorem Angelorum generauit. Vniuersaliter denique Mater est omniū creaturarum, quia Mater est ipsius omnium Creatoris.*

B.V. est Mater omnium bonorum.

B.V. Mater Angelorum dicitur, quia Patrem ac restauratorem Angelorum generauit.

33. Quare præclarè Rutilius Benzonius Episc. Lauret. postquam docuisset verè Deiparam omnium viuentium esse Matrem, hæc intulit in Psalm. 86. cap. 27. *Hinc sequitur, B. Virginem in suo genere, seruata proportione esse in Ecclesia sub Christo tanquam vniuersalem causam salutis omnibus prędestinatis, & statum cuiuscuque prædestinati adiutricem habere B. Virginem, & ad eam tanquā cooperatricem salutis omnia referri, quę ad singulos prædestinatos pertinent.* Vnde Andreas Cret. orat. 2. de dormit. Virg. *Sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam, sola deseruiuit opifici vniuersæ naturæ.* Addit prętere a quo clarius ostendat illam omniū auxiliatricem, iuuantemque Matrem esse, eam ratione eminentissimi sui status videre in Verbo, omissis alijs, etiam omnes singulares, & indiuiduales effectus, quos omnes, & singuli beati inferiorum statuum vidēt, hoc enim ad dignitatem totius Vniuersi Reginæ pertinent, vt rectè probat Suar. Tomo 2. Disp. 21. sect. 3. Vnde Germanus serm. de Assump. ait: *Spiritus tuus, ò Maria, viuit in æternum, omnia obseruas, omnia intueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit.*

B V est in Ecclesia sub Christo tanquam causa vniuersalis salutis prędestinatorum.

B. V. videt in Verbo quicquid omnes inferiores Beati vident.

B.V. inspectio ad omnes se porrigit.

34. Quid si Ioui tertium in frōte oculum, vt ait Natalis Comes, quod omnia tam in cælis, quam in terris, mariq; quo

om-

omnibus prouidere, omneſque iuuare poſſit, circũſpiciat; quatuor quoque aures, quibus omnium miſerorum preces audire queat cum Lacedæmonijs, ſuperaddidit antiquitas, ſapientiſſimè ſanè S. Epiphanius, & S. Ephræm noſtrã iuuantem Matrem Deiparam Virginem Multioculam vocauere, vt eam Iouis æmulam, omnium miſerias intuentẽ, omnium, qui in quatuor mundi partibus verſantur, preces audiẽtem, Matrem denique omnes adiuuantem indicarent. Quam porrò vel ſolus Virginis aſpectus efficax eſſe conſueuerit, pluribus alibi oſtendimus, illud hic commemoraſſe ſufficiat, ipſius vnicum oculorum intuitum vincula noſtrorum peccatorum diſſoluere conſueuiſſe. Vnde illi canit Eccleſia: *Solue vincla reis.* Et verò ſi Diuus Benedictus, vt S. Greg. Papa ſcribit 3. Dialog. cap. 31. ad brachia cuiuſdam captiui ruſtici, à Galla milite Gothico, fortibus loris conſtricti deflectẽs oculos, mirâ celeritate, ſolo aſpectu lora diſſoluit; quanto magis eum, ad quem Virgo benigniſſima illos ſuos miſericordes oculos conuerterit, licet peccatorum vinculis duriſſimis, cateniſque adamanteis, licet antiqui ſerpẽtis tortuoſis ſpiris fuerit inuolutus, in libertatem vindicabit? Quam præclarè Bapt. Mantuanus beneficia varia atque iuuamina Deiparæ humano generi liberaliſſimè impenſa deprædicans, cecinit!

Quotque etiam tetro ſquallentes carcere fractis
Ocius obicibus, manicisque reſoluit ahenis?

Iuppiter præter duoſo ulos tertiũ in fronte cur à Poetis habere dicatur.

B. V. Multiocula ad miſerias hominũ inſpiciendas, ac ſubleuandas.

S. Benedictus vincula cuiuſdam captiui ruſtici ſolo aſpectu diſſoluit.

35. Verè Iuuantem Matrem eſt experta S. Gertrudis Deiparam, vt in eius vita Ioannes Landſpergius ſcribit lib. 4. cap. 53. Nam die ipſius Virginis natali ſacro dum caneretur: *Salue Regina*, inter alia, quæ eius menti tunc ſeſe obtulere, narrat quod cum deuẽtum eſſet ad illa verba: *Eia ergo aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte; beatiſſima Virgo, mentum filij blandè tangens, ipſum verſus terrã inclinauit ad nos dicens: Iſti ſunt miſericordiſſimi oculi mei, quos ad omnes me inuocantes ſalubriter poſſum inclinare, vnde, & vberrimũ fructum conſequuntur ſalutis æternæ.* Quare hęc Virgo ſpectaculo hoc diuinitus edocta, quotidie bis ſumma cũ pietate verſiculum illum: *Eia ergo*, &c. iterabat certam, illam reddens ſponſus, per hoc illam in hora mortis ſuę non mediocre ſolatium obtenturam. Quod oraculum vbi illa intellexit mox in honorem Virginis 150. Salutationes Angelicas obtulit, eâdem piè deprecans, vt in hora mortis materna pietate præſens ei adeſſe dignaretur.

S. Gertrudis quotidie Salue Reginæ recitabat, certa ſe in articulo mortis ſo[la]tium [habit]uram à B. V.

Hęc vix illâ protulerat, cum ecce vidit ſalutationes illas pręſentari in cæleſti Cõſiſtorio ſpecie aureorum nummorum, quos Virgo gratiſſimo acceptãs animo, inſtar fideliſſimæ diſpenſatricis diſtribuit, eo fine, vt anima Gertrudis in ſpiritu proficeret; ſupremum obſecrans iudicem vt ex hac vitâ emigrantem peculiaribus ſolatijs, ſecuriſque fauoribus proſequeretur. Eadem Gertrudis Deiparam iuuantem Matrem eſſe agnoſcẽs in Exercitio de Conuerſione ita eam allocata eſt: *O Maria dulciſſima, ò candidiſſimũ Virginitatis Lilium, ò maxima mea ſpes poſt DEVM, loquere pro me apud tuum dilectum filium, profer vel vnicum efficax verbulum pro me, pertracta fideliter cauſam meam, impetra mihi pro tua miſericordia deſideriorum ac votorum meorum complementum. Poſt Chriſtum .n. in te vnicam ſpem meam confido. Exhibe te mihi benignam Matrem. Fac vt ego velut in quodam amoris clauſtro, ſicut in gymnaſio quodam Spiritus Sancti à Domino recipiar. Hoc enim tu præ cæteris ſanctis omnibus à dilecto tuo filio impetrare vales. Prouide ò Mater fidelis, tuæ filię, vt Diuini amoris ſit fructus, qui ſemper viget, idem Diuinus Amor me in omni ſanctitate augeat, iugiterque me cælitus ſuarum gratiarum aquis irriget.*

Oratio pia B. Gertrudis ad B. V.

36. Agnouit Virginem iuuantem Matrem patentibus auribus preces noſtras benigniſſimè vndique ex quatuor orbis partibus ſuſcipientem S. Petrus Card. Dam ſer 1. de Nat. cum illã verbis ſponſi quater repetitis piiſſimè deprecabatur: *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te. Cant. 6. Reuertere*, inquiens, *tu benedicta, & ſuperbenedicta, reuertere primo per naturam. Numquid quia ita deificata, ideo noſtræ humilitatis oblita es? Nequaquam Domina; ſcis in quo diſcrimine nos reliqueris, vbi iaceant, quantum delinquãt ſerui tui. non enim conuenit tantæ miſericordiæ, tantam miſeriam obliuiſci. Reuertere per potentiam. Fecit in te magna, qui potẽs eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in cęlo, & in terra. Reuertere per amorem. Scio Domina, quia benigniſſima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te. & per te filius tuus, & DEVS tuus ſummã dilectione dilexit. Quis ſcit quoties refrigeras iram Iudicis, cum iuſtitiæ virtus à præſentia Deitatis egreditur. Reuertere denique per ſingularitatẽ. In manibus tuis ſunt theſauri miſerationum Domini, & ſola electa es, cui gratia tanta conceditur. Abſit vt ceſſet manus tua, cum occaſionem quęras ſaluandi miſeros, & miſericordiam effundendi. neque enim tua gloria minuitur, ſed augetur cum pœnitentes ad veniam, iuſtificati ad gratiam aſſumuntur. Reuertere ergo Sulamitis. Ad quid? Vt intueamur te. Audi nos. Nam & filius nihil* negans

B. V. dici poteſt habere quatuor aures ad preces ex 4. orbis partibus profuſas excipiendas.

B. V. benigniſſima amans nos amores inuincibili.

Cum B. V. cũ pœnitentes ad veniam vocãtur, eius gloria augetur.

negans honorat te. Postrema hæc verba tabellæ lapideæ incisa visuntur, cum his sequentibus: *Sancta Maria succurre fœmineo sexui. Salua nos IESV, pro quibus Virgo Mater te orat;* præ foribus Templi illius magnificentissimi Diuæ Virginis Cellensis, quæ Ludouico Regi Hungariæ insignem victoriam contra Amuratem Turcarum Tyrannum, tanquam iuuans Mater concessit, vti eadem in tabellâ repræsentatur. Vnde præsentissimum auxilium, iuuamenque Dei Matris pijssimus ille Rex in tantis periculis expertus, Basilicam illam eidem, summâ cum religione consecrauit.

Ludouicus Hũgariæ Rex B.V. contra Amuratem, iuuantẽ Matrem expertus cellis illi Templum ędificauit.

37. Idem pijssimus Cardinalis Matrẽ iuuantem, precesque nostras benignis auribus audientem, atque exaudientem expertus Deiparam, tertium suũ de Natiuitate Virginis sermonem ita concludit; *Rogamus te Clementissima, ipsius pietatis, & Misericordię Mater, vt qui tuæ laudis insignia frequentare gaudemus in terris, tuæ intercessionis auxilium habere mereamur in cælis, quatenus sicut per te Dei filius dignatus est ad nostra descẽdere, ita & nos per te ad eius valeamus consortium peruenire.*

38. Agnouit hanc Iuuantem Matrem mirè oculatam, atque, vt ita dicam, auritam S. Amadeus Episcopus dum eam. Hom. 8. magis oculatam mysticis illis Ezechielis animalibus miserias nostras in Diuina essentia, veluti volũtario speculo contemplantem pronunciauit: *Adstat*, inquiens, *Beatissima singulari merito precipua vultui Conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis. Illo enim edocta lumine, cui nuda, & aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostrique clemens, & dulcis Domina materno affectu miseretur. Sancta animalia, de quibus in Ezechiele cap. 1. 18. legitur, quod ante & retro, intus, & foris, atque in circuitu plena sunt oculis, labores hominum, & dolores, casus, defectus, cęcitates, inualetudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, et mala quæque humani generis, non æquè, vt Dei Genitrix valent examinare, examinando cælesti auxilio diluere, & propulsare. Quo enim sublimius immensi cor Regis aspicit, eo profundius, diuinæ gratia pietatis afflictorum misereri, & miseris succurrere nouit. Vnde Maria, idest, Maris stella prouido Dei consilio vocata est, vt nomine declararet, quod re ipsa clarius manifestat.*

B.V. magis oculata quã mystica Ezechielis animalia.

B.V. adstans vultui Creatoris prece potentissima semper interpellat pro nobis.

B.V. quod magis clarè Dei essentiæ, & in ea nostras miserias videt, & magis nobis miseretur.

39. Agnouit Deiparam iuuantem esse Matrem Sanctus Ansel. in Contemplat. de B.V. vnde auxilij ipsius spe plenus, ardentissimo affectu, sic eam alloquẽs, exclamat: *O' beata fiducia, ò tutum refugium! Mater Dei est Mater nostra, Mater eius, in quo solo speramus, & quem solum timemus, est Mater nostra; Mater inquã, eius, qui solus saluat, solus damnat, est Mater nostra. Sed ò benedicta, & exaltata non tibi soli, sed & nobis, quid est, quã magnum est, quã admirabile est, quod video euenire nobis? Quod videns gaudeo, quod gaudens dicere non audeo. Si enim tu Domina es Mater eius, & alij filij tui sunt fratres eius. Sed qui fratres, & cuius, eius? Loquar vnde iucundatur cor meum. An silebo, ne elatione arguatur os meum? Sed quod credo amando, cur nõ confitear laudando? Dicam igitur non superbiendo, sed gratias agendo. Qui eum fecit, vt ipse per maternam generationem esset naturæ nostrę, & nos per vitę restitutionem essemus filij Matris suæ, ipse nos inuitat, vt confiteamur nos fratres eius. Ergo Iudex noster est frater noster, saluator mundi est frater noster. Denique DEVS noster est factus per Mariam frater noster. Qua igitur certitudine debemus sperare, qua consolatione possumus nos timere, quorum siue salus, siue damnatio de boni fratris, & piæ Matris pendet arbitrio. Quo etiam affectu hunc fratrem, & hanc Matrem amare debemus, qua familiaritate nos illis committemus, qua securitate ad illos confugiemus, qua dulcedine fugientes suscipiemus? Bonus ergo frater noster nobis dimittat, quod deliquimus; ipse auertat, quod deliquentes meruimus, ipse donet, quod pœnitentes petimus. Bona Mater oret, & exoret pro nobis, ipsa postulet, & impetret quod expedit nobis, ipsa roget Filium pro nobis, Vnigenitum pro adoptatis, Dominum pro seruis. Bonus filius audiat Matrem pro fratribus, Vnigenitus pro his, quos adoptauit, Dominus pro his quos liberauit.* Ex quo pijssimo Viri sanctissimi discursu facile colligimus verè amãtem, simul ac iuuãtem Matrem esse Deiparã; videtur enim ad nos iuuandos si vel inuita foret compelli, eo quod ipsius filius Frater noster amantissimus effectus sit, cuius quodãmodo os, & caro sumus, siquidem per Incarnationem humanitatem sibi hypostaticè vniendo carni nostrę communicauit, & sanguini.

Mira nobis habẽda fiducia, quod Mater Dei in quo solo speramus, & quem solum timemus sit Mater nostra.

Deus noster supremus Iudex factus est per B.V. frater noster.

Magna vtendum familiaritate cum Christo, & Maria.

40. Iuuantem denique Matrem agnouit Deiparam celeberrimus Poeta Hercules Stroza in Epigram. de B.V. dum eam sic alloquitur:

Tu potis es primæ scelus expurgare Parentis
Humanumque Deo conciliare genus.
Lacte tuo, qui te, qui cuncta elementa crearat
Pauisti, vilis culmine tecta casæ.
Hunc cæli Regina tuis pro gentibus ora,
Quousque tuus inuit Filius, ipsa iuua.

Herculis Strozæ elegans de B.V. carmen.

Idem in Elegia de Annunciatione, huius iuuantis Matris varia ipsius auxiliorum enumerans genera sic illi concinit:

Tu gemini Regina poli, tu maxima cæli
Ianua, tu mundi mystica lampas eris.
Tu miseris in rebus opem præstabis egenti

Si

Si casto meritas fuderit ore preces.
Iam vocat irato submersus nauita ponto,
Suspenditque tuis naufraga vela tholis.
Iam metuens auriga vocat quando incita cursu
Essedà præcipiti corripiuntur equo,
Iam quoque si votis mos est damnare petentes,
Hos vitâ facias prosperiore frui.

41. Verum præ cæteris omnibus longè clarius agnouit iuuantem Matrem esse Virginem dilectissimus eius Filius, vt potè ipsa æterni Patris Sapiētia. Vnde cum B. Gertrudi aliquæ graues tribulationes atq; aduersitates imminerent, & illa eas præuidendo pusillanimis redderetur, Christus Dominus eius sponsus pusillanimitati eius compatiendo dedit illi suam misericordem Matrem propriam, ac benignissimam gratiarum dispensatricem, vt si forte, vltra mensurā aduersitatibus grauaretur quibus ferendis impar esset, ipsa semper ad Matrem misericordiæ pro leuamine tanquam ad iuuantem Matrem posset recurrere. Ita Landspergius li. 3. cap. 1. eius Vitæ. Hinc eadem Gertrudis auxilium benignissimæ huius Matris experta, inter beneficia quibus à Christo præuenta fuit, memorat, quod se huic iuuanti Matri commiserit, ac commendauerit: *Ad tuorum*, inquit, *beneficiorum cumulum, hoc alterum quoque addidisti, cum mihi in Procuratricem tuam dulcissimam Matrem V. M. dedisti, & sæpius me ipsius affectui amicabiliter commendasti, eo modo, quo sponsa quæpiam dilecta à fideli sponso suo commendata fuit admodum diligenter propriæ Matri suæ. lib. 2. c. 22.*

Christus Dominus pro solatio in tribulationibus B. Gertrudi suam Matrem dedit.

42. Porrò maternum hunc amorem, quo nos Virgo in omnibus nostris necessitatibus ac periculis adiuuat, singularem planè esse, ex proprietatibus ipsius, atque ornamentis, quę commemorat Pelbartus ostenditur. Hæc ille decora ad 12. reducit capita libr. 9. Stellarij Part. 2. art. 3. quæ ipse duodecim vocat Stellas, maternam Virginis erga nos iuuantem vere Maternam charitatem, virtutum omnium Reginam coronantes. Has ego ad maiorem fiduciam in hanc Iuuantem Matrem in fidelium animis excitandam hic attexendas censui, breuitate possibili. Prima igitur stella hanc Deiparæ charitatem coronans est Christi Domini commendatio, quâ nos, de cruce pendens, seseque Deo Patri in sacrificium offerēs nos benignissimè sanctissimæ suæ Parenti commendauit, verbis illis Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus.* Quibus verbis commendati ei sumus velut filij adoptiui, ipsaque nos vt filios sibi adoptauit, teneturque nos diligere, nec vllo modo potest nos odisse, dummodo gratię obicem non ponamus. Pręclarè enim B. Petrus Card. Dam. serm. 2. de S. Ioan. Apostolo, docuit verba illa Christi non esse sic simpliciter accipienda, vt humano tantum more prolata videantur, sed prorsus efficacia esse, & diuinis virtutibus fulta, atque ineuitabili Veritatis auctoritate subnixa. *Illud enim vnicum Patris verbum*, inquit ille, *quod in cruce pendebat, substantiuum, & consubstantiale Patri, ac sempiternum est; atque idcirco verba quæ locutus est, quia Spiritus, & vita sunt, inaniter transire non potuerunt. Cælum, inquit, ipse pius IESVS, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Sicut enim dixit Matri: Hic est Filius tuus, ita dixit Discipulis: Hoc est corpus meum; Et tantus fuit in illis verbis effectus, vt illico panis ille, quem dabat, Dominicum fieret corpus. Dixit enim, & omnia facta sunt, mandauit, & creata sunt. Ex quadam igitur similitudine, sic dicere audeamus, & B. Ioānes non solum filij potitus est nomine, sed propter verba illa Dominica, quoddam maius necessitudinis sacramentum, apud Beatam Virginem meruit obtinere.* Sic ille ad verbum.

Fideles à Christo in Cruce pendente commendati sunt B. V. tanquam filii adoptiui.

Efficacia mirabilis verborum Christi, quibus Ioannem B. V. commendauit.

43. Hoc amoris, necessitudinisque vinculum cum S. Ioanne fideles quoque omnes sunt obtinere promeriti, effeceruntque sine dubio efficacissima illa Saluatoris verba, vt nos Virgo hæc sacratissima materno planè amore complecteretur, seseque nobis iuuantem Matrem in quibuscunque necessitatibus nostris, ac miserijs exhiberet. Hinc B. Metildis libr. 1. Spirit. Gratiæ cap. 61. legendo illud Euangelij: *Stabat iuxta Crucem IESV Mater &c.* magno affectu dicit Christo Domino: *Commenda me Domine mi Matri tuæ, vti commendasti dilectum tuum Ioannem, & eandem vicissim ipsi.* Tunc assentiēdo Dominus ipsius postulationibus, manibus Matris eam gubernandam tradidit dicendo. *Ego tibi commendo ò Mater animam hanc, veluti meas plagas. Et sicut tu curare, & vngere velles me si me cerneres plagis affectum: ita tu quoque solicitè nutri, & solare eam in omnibus eius pęnis, ac miserijs. Cōmendo etiam tibi illam, vt mei sanguinis preciū, memineris que quanti eam æstimauerim, cum eius amore me in mortem propter illam tradere non recusaui. Commendo denique tibi illam vt rem, in qua omne mei cordis oblectamentum collocaui. Quia deliciæ meæ sunt esse cum filijs hominū.* Quibus intellectis, subiunxit Metildis: *Domine mi faciesne hoc idem illis omnibus, qui te desiderant?* Cui Christus: *Imo vero, non enim est apud me vlla personarum acceptatio.* Cum omnes æqualiter diligat, & æqualiter illi sit cura de omnibus.

B. V. suos filios spirituales summopere amat.

Christus B. V. commendat B. Metildem velut suas plagas, & sui sanguinis precium.

44. Et

44. Et verò si feræ fętus suos, naturâ duce diligunt, quanto magis, operante gratia, quæ fortior esse consueuit, quam natura, Virgo Deipara filios ac clientulos suos sibi in Ioanne à moriente filio, intermortuis vocibus commendatos, sūmo amoris prosequetur affectu? Hoc vt Virgo tanto maiori cum charitate faceret, illud opportunum passionis tempus præstolatus est filius, vt eo profundius cōmendatio illa cordi Virginis imprimeretur, & si quando, iusto iudicio ira Dei contra mortales, ad illos puniēdos, damnandosque exardesceret, ipsa memor loci, & temporis, atque tam ardentis, prolixæque in cruce nobis exhibitæ charitatis maiori cum fiduciâ ad interpellandum pro hominibus induceretur. Quare cum Christus verbis illis: *Mulier ecce filius tuus*; nos hic iuuanti, benignissimæque Matri commendauit, perinde fuit ac si diceret: *Ecce vide oculis, mente considera, qualia, & quanta pro hominibus patior. Ecce quot vulneribus concisus sanguinem, pro eis abundantissimè profundo. Ecce quanta charitate acerbissimam mortem tolero. Ecce spineâ corona caput est perforatum. Ecce corpus totaliter flagellatum, & cruore perfusum. Ecce claui, & lancea, fel, acetum, & omnis mea passio. Hæc igitur considerando, ò mulier Virgo electa, habe & tu ipsos peccatores ad te conuersos tanquam filios per me tibi commendatos, vt eos foueas, ac iuues, eorum salutem procures, eosque tuâ piissimâ intercessione salues.*

Cur Christus B. V. in Cruce Ioannem commendauit.

Verba Christi ad Matrē quam efficacia pro nobis.

45. Cum igitur commendatione ipsius Saluatoris tantæ Matri in filios dati, ab eaque acceptati simus, æquum sanè est, vt & nos eam in amantissimam nostram Matrem accipiamus, dequa ipsius iuuante charitate plurimum, in omnibus nostris necessitatibus, ac miserijs confidamus, eam cultu præcipuo post DEVM veneremur, ardentissimoque amore prosequamur. Hoc enim obsequij amorisque iugum sicut S. Ioanni, omnium gratiarum donorumque cælestium fons vberrimus extitit, ita quoque omnibus reliquis ipsius adoptionis filijs, qui plurimum sibi gratulari debent, quod talem tātamque nacti sunt Matrem, cuius si, vti par est, sedulam curam suscipiant, gerantque non modo illis nō erit oneri, sed potius omnium bonorum scaturigo, vt ait S. Damascenus. Verissimè enim religiosissimus Card. Bellar li. 1. de 7 verb. cap. 12. *Onus*, inquit, *& iugum impositum à Domino S. Ioanni, vt Virginis Matris curam ac solicitudinem gereret. verè fuit iugum suaue, & onus leue. Quis enim non libentissimè consortio Matris illius gaudeat, quæ Verbum Incarnatum in vtero nouem mensibus portauit, & illi totos 30. annos deuotissimè, dulcissimèque cohabitauit? Quis non inuideat dilecto Domini, qui in absentia filij Dei, præsentiam obtinuit Matris Dei? Sed nisi fallor possumus & nos à benignitate Verbi, nostri causa Incarnati, & ex dilectione nimia nostri causa crucifixi, precibus impetrare, vt dicat & nobis: Ecce Mater tua. Et Matri suę, de nobis dicat: Ecce filius tuus. Non est auarus pius Dominus gratiarum, dummodo ad thronum gratię eius cum fide, & fiducia, & non ficto corde, sed vero, & syncero accedamus. Qui nos cohæredes esse voluit Regni Patris sui, nō dedignabitur certè nos cohæredes habere amoris Matris suæ. Sed nec ipsa Virgo benignissima grauabitur multitudine filiorum, cum sinum amplissimum habeat, & valde cupiat nullum perire ex his, quos filius suus tam precioso sanguine, & tam preciosa morte redemit. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratię Christi, & suppliciter, nec sine lacrymis ab eo petamus, vt de vnoquoque nostrū Matri dicat: Ecce filius tuus, & vnicuique nostrum de Matre sua dicat: Ecce Mater tua.* Quanta verò hinc nobis emanata sint bona atque auxilia, addit: *Quam benè nobis erit sub præsidio tantæ Matris? Quis nos detrahere audebit de sinu eius? Quæ nos in tentatio, quæ tribulatio superare poterit, confidentes in patrocinio Matris Dei, & nostræ? Neque nos primi erimus in tanti consecutione beneficij. Multi nos præcesserunt, multi, inquam, ad singulare, & planè maternum patrocinium tantę Virginis accesserunt, & nemo confusus aut tristis dimissus est; sed omnes hilares ac gaudentes freti patrocinio tantæ Matris. De qua scriptum est: Ipsa conteret caput tuum; in ea confidunt, se quoque fidenter ambulaturos super aspidem, & basiliscum, & conculcaturos Leonem, & Draconem.* Hæc Bellar.

Iugum amoris erga B. V impositum à Christo Ioanni omnium gratiarū fons vberrimus.

Nemo, qui ad B. V. accessit patrocinium confusus est.

Qui in B. V. confiduntcōfidenter ambulabunt super aspidem, & Basiliscū, & conculcabunt Leonē, & Draconē.

46. Secunda stella Maternam ac iuuantem charitatem Virginis nostræ exornans est studiosa, siue sedula filiorum educatio. Nimirū maternus amor suauiter cogit quamcunque Matrem ad lactandum, nutriendumque filium; hic eam, vt plorantem concubiâ nocte vrget, vt assurgat, eamque consolando, lac quod de sanguinis ipsius fonte generatur, atque promanat, præbeat. Hic suadet, vt panem mandat, eumque ori filij ingerat. Hæc omnia charitatis obsequia nobis Virgo Deipara spiritualiter exhibet. Ipsa enim peccatores, peccata sua in nocte vitiosæ tenebrositatis deserētes ad se conuersos, semper parata est gratiæ suæ dulcedine, deuotionisque infusione consolari. Illius verba sunt illa Isa. 66. *Quomodo si Mater filijs blandiatur, ita consolabor vos.* Ipsa panem vitæ æternæ, cor-

B. V. Mater sedula in filiorum spiritualium educatione.

B V. velut Mater nos consolatur.

corpus videlicet, sanguinemque Christi Filij sui nobis comestibilem in Eucharistiæ Sacramento reddidit, simulque hûc Angelorum panem de proprio suo, purissimoque sanguine generatum, ac Virgineo suo lacte enutritum nobis exhibuit, vt nos ad æternam vitam alat, atq; enutriat. Vnde Panis hic rationalis de hoc Virgineo cælo descendens, aiebat Ioan.6. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* O' igitur beata viscera Mariæ Virginis, quæ hunc cibum patriæ cælestis nobis genuerũt. O' beata vbera Virginea, quæ lactauerunt Christum Dominum, vt ipsum Panem Angelorum quotidie habeamus æternæ vitæ alimentum.

B.V. Panem vitæ æternæ pro nostra sustentatione in Eucharistia comestibilē nobis reddidit.

47. Tertia stella maternam illam, iuuantemque Deiparæ charitatem coronans, est prouidentia, pia solicitudo, ac cautela, quâ Virgo cauet solicitè, ne Filius spiritualis in aliquod vitæ, aut Spiritus periculum, aliuduè malum incidat. Et verò si instigante natura, bruta animalia, ac volatilia pro pullis suis mortis sese exponunt periculis, vt cerua confugit ad pullum, dum canes eũ persequuntur, auiculæ nidum suum defensuræ serpenti sese opponunt, &c. Quare dicere possumus de Beatissima Virgine quod Clemens Alexandrinus in Exhortatione ad Gentes dixit de ipso Deo: *Hominē requirit DEVS, & complectitur. Sicut pullus cũ nido excidit Mater auis ei adulat, Si serpens pullum deuoraturus inhiat, Mater circumuolat natos deflens.* Habet nimirum eum amoris affectum in nos, immò adhuc longè excellentiorem Deipara, quem mulier illa quæ videns Regem Salomonem vibrantem gladium filiũque suum interficere volentem, dicebat: *Obsecro Domine nolite interficere eum.* 3. Reg. 3. Dum enim Mater nostra benignissima nudatũ diuinæ iustitiæ cõtra nos animaduertit gladium, solicitè sua intercessione cauere studet coram superno Iudice ne mortis æternæ pericula incurramus, ne damnationis æternæ contra nos fulminatâ sententiâ pereamus. Ipsa denique fulmineâ illam Diuinæ iustitiæ romphæem in caput nostrum districtam, oppansis manibus à ceruicibus nostris benignissimè amolitur. Benignitatem hanc Virginis agnoscens Ecclesia, magnâ cum fiduciâ orare consueuit: *Sub tuum præsidium confugimus S. Dei Genitrix nostras deprecationes ne despicias, in necessitatibus, sed à periculis cũctis libera nos semper V. gloriosa, & benedicta.* Habet nimirum Virgo pium illum Matrum affectum, quæ cum parentem vident velle flagellis in filium animaduertere, sinu suo abscondunt, patrisque seueritatem mitigant. Hinc videre est in antiquissimis picturis sub benedictæ Virginis pallio magnam Christianorũ omnis generis ac sexus multitudinem, quæ à diuinę iustitiæ telis protegitur, atq; defenditur. Quod etiam B. Gertrudis videre merita est in spiritu. Cũ enim in peruigilio Assumptionis B. V. in Missa caneretur: *Vt suam defensione munitos iucundos faciat, &cet.* videre sibi videbatur delicatam Matrem benignè suum pallium expandētem, acque si recipere vellet omnes illos, qui ad specialem eius defensionem protectionemque recurrerent. Vidit quoque aduenietes Angelos, qui secum ad B V. deducebant animas pulcherrimarum puellarum specie; animas inquam, quæ se peculiari aliqua deuotione, & oratione piè ad tantum Festum celebrandum præparauerant; quæ omnes, tanquam filiæ coram Matre, magna cum reuerentia consederunt. Videbantur etiam ibidem ministerio Angelico defensæ ab omnibus malignorum spirituum fraudibus. Tunc etiam eidem B. Gertrudi reuelatum est, protectionem Angelicam fuisse concessam huiusmodi personis, ob illa verba illius orationis iam memoratæ: Vt sua defensione munitos. Quia ad Beatissimę V. imperium Angeli præsto sunt ad defendendum in circuitu eos omnes, qui sanctissimum eius Nomen inuocant. Tandem videre sibi videbatur etiam, quod sub eiusdem Diuinum Matris pallium quædam paruæ ac variæ bestiolæ, quæ eos peccatores, qui specialiter B.V. sunt deuoti significabant, quos illa magnâ cum pietate ac misericordiâ se recipere, ac benignè suo pallio contegere præseferebat, perinde ac si illas vellet defendere, simulque easdem sua manu delicata permulcebat, vti assolet, quispiam paruum pulchrumque catuiũ; ostendendo euidenter, quantâ cum misericordiâ omnes illos recipiat, qui ipsam in fauorem, auxiliumque suum inuocant, & quã materna pietate defendat eos, qui ad peccandum sunt propensi, quos illa in se sperantes nunquam deserit, quousque corrigantur, & per pœnitentiam ad eius filium reuertantur. Hæc Landspergius Carthus. lib.4. Vitæ eius cap. 49. De eadem Virgine idem Auctor eodem libr.4. c.9. scribit, quod cum die Purificationis B.Virginis in Matutino caneretur: *Dei Genitrix intercede pro nobis,* viderit B. Virginem suo pallio Monialium suorũ maculas

B.V. pia solicitudo in nobis tuendis.

B.V. dum filium iustitiæ gladium cõtra peccatores vibrãtem videt, ipsi sese opponit.

Christiani à B V sub eius pallio proteguntur.

B V. pallio suo clientulos sibi deuotos protegit.

B.V etiā per Angelos nos protegit.

Peccatores velut bestiolas sub suum Pallium B.V. recipit.

culas cordium, animarumque abstergentem, seque ipsam ante illas opponentē, ne maculæ illæ oculis Diuinę iustitię paterēt. Huiusmodi quoque Virgineæ pietatis erga miseros mortales viscera cōtemplata est B. Metildis, vt libro 1. eius vitæ cap. 46. indicat idem Auctor. Cum enim cantaretur versiculus ille: *Ora Virgo*, vidit, quod subito Virgo Mater altissimè eleuabat suum filiolum, ex cuius pedibus copiosissimus balsami liquor scaturiebat, qui in totum illum sacrum cælum feliciter decurrebat. Cum vero alter ille versiculus caneretur: *Fac fontē dulcem;* videre sibi videbatur Virginem Matrem sub suum palliū omnes pertrahentem, applicandæ eos cordi Diuinissimo sui filij dicendo eis: In hoc fonte dulcem reddite omnem vestram amaritudinem, atque ita omnes vestras tentationes superabitis.

B.V. sub suū pallium omnes pertrahit eosque sui filii cordi applicat.

48. Quarta stella Maternam iuuantēque Deiparæ charitatem coronans est ad regnum cęlorum promotio. Nil enim illa magis in votis habet, nil ita ardēter expetit, ad nihil ita contendit atque ad laborat, quam vt hæredes Regni cęlestis atque adeo Reges cæli euadamus. Affectum hunc Mater filiorum Zebedæi expressit cum Matth. 20. petebat vt filij sui in *Regno eius sederent vnus ad dexteram, & alter ad sinistram.* Quem sanè Virgo pientissima multis parasangis superauit.

Desiderium B.V. nos ad Regnum cælorū promouendi.

49. Quinta Stella Maternæ, ac Virgineæ charitatis, est misericordia ac pietas, quæ illi à natura ipsa adeo ingenita est, vt cum Iobo 31. dicere possit: *Ab infantia mea mecum creuit miseratio, & de vtero Matris meæ egressa est mecum.* Hæc eadem miseratio etiam à Gratia Spiritus Sancti vbertim illi communicata fuit, quando super eam cum omnibus suis donis, inter quæ, Spiritus pietatis numeratur, requieuit. Denique pietas hæc ac miseratio diuinā ordinatione, ac cōsilio ipsi indita fuit, quo toti mundo, pro delictis suis Propitiatorium commune pateret, omnesque ad illam tanquam ad misericordiæ Matrem confugerent. Hoc nobis declarare voluit Isaiæ ca. 19. cum dixit: *Præparabitur in misericordia soliū Dei.* Quod enim hoc Dei solium, misericordia quasi aureo panno, aut tapeti à Deo instratum, atque conuestitum, est aliud, quam Virgo Deipara, ope, operaque Spiritus S. omnibus quidem donis suis, ac charismatis veluti pulcherrimis peripetasmatis, maximè verò pietate ac misericordiā conuestita ac decorata? in qua immensus ille Dei filius, quem tota capere nequit creatura, paulò minus ab Angelis minoratus, abbreuiatusque ad deliciandum cum filijs hominum consedit.

B.V. misericordia ab vtero Matris congenita.

B.V solium Dei misericordia velut preciosissimo tapeti instratum.

50. Hinc Vaticinium illud Ieremiæ c. 17. *Solium glorię altitudinis à principio locus sanctificationis nostrę, expectatio Israel DEVS*, Galatinus lib. 7. de Arcan. Catol. Relig. c. 13. de Virgine gloriosissima interpretatus est: *Ego*, inquiens, *per solium gloriæ gloriosam Virginem Messiæ Matrem intelligi arbitror, quæ cum sit in cęlesti gloria super omnes choros Angelicos exaltata, rectè solium glorię altitudinis dicitur, hoc est sedes Dei altissimi, super quam Diuina sedet Maiestas.* Addit postea ex sententia Rabbi Moysis Aegyptij de sedis huius ornamentis, quæ sedentis Dei filij Maiestatem iudicant. *Quid sedes*, inquiens, *significat, notum est. Cum quispiam eam ornatam, & pontificio more paratam conspiciet, existimabit in ea Regem, aut Imperatorem aliquem sessurum. Ipsa enim sedentis excellentiam, ac maiestatem ostendit.* Sic ille. Hæc tam insignis Deiparæ ergà genus humanum Misericordia ostensa fuit B. Metildi sub specie amplissimi Fluminis, ex quo omnes cælites, ac præsertim B. V. hauriebat, vt ipsa scribit lib. 2. spir. Gratię cap. 23. vbi ait conductam se fuisse in quoddam desertum, in quo vidit fluuium misericordiæ, & in eo scutellam argenteam, qua Angeli cælitibus omnibus eā aquam propinabant. Primam quæ aquā illum hauserat in augmētum totius suæ beatitudinis inquit fuisse gloriosam virginem Mariam, quæ dum bibebat aquā illum, quælibet gutta ita in gutture eius suauissimo resonabat, vt omnes illius nouæ Hierusalem incolæ speciali quodā gaudio iubilarent. Nouerant .n. misericordiā Diuinæ Matris totam cælestē illam Ciuitatem, omnesque eius ruinas instaurari. vnde nil mirum tāto eos exilijsse gaudia. Cum igitur Virgo pietate, ac misericordiā, velut speciosissimis, regijsque tapetibus, velut sublime solium, fuerit instrata, & tam largè de fonte misericordiæ hauserit ipsam substantialem æternamque Misericordiam in illa consedisse, ab eaque insignem illam in omnes pietatem, amorēque omnes iuuantem hausisse necessum fuit.

B.V. solium gloriæ Dei Altissimi.

B.V. de fonte misericordiæ prima hausit copiosè.

B.V. misericordissima, quia substantialis Misericordia Dei filius in ea 9. mensibus requieuit.

51. Sexta stella Maternā Virginis charitatem decorans est solicita subuentio, quæ illam verè Iouem, verè iuuantē Matrem, vt hactenus pluribus demonstrauimus ostendunt. Ipsa siquidem velut amorosissima Mater omnibus eam inuocantibus promptissimè subuenit, adeo vt à principio, vsque ad finē sæculi, nunquam aliquis hominum cuiuscūque sta-

B.V. Mater nobis solicitē subueniens

tus,

tus, ad eam deuotè, vti par est recurrens fuerit repertus, cui ipsa, tanquam Mater pietate, charitateque plenissima, quæ se præ amore continere nō potest, quo minus dilectissimo suo filio commisereatur, ope præsentissimâ subuenerit. Illius etiam crediderim esse verba illa Isa. 49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suū, vt non misereatur Filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar.* O' quam bene pronunciauit Bern. *Non est fas, ò Domina, te posse deserere eum, qui spem suam ponit in te.*

Non potest B.V. deserere eum, qui spē suam ponit in ipsam.

52. Septima stella maternam charitatem Deiparæ illustrans, est pijssima circa hominum miserias compassio. Mirum enim quantum peccatoribus compatitur, quantum intimis sensibus dolet, ac cruciatur, cum eos à recto salutis tramite aberrare, æternumque perire cernit. Doloris huius quædam imago, dolor ille, quo amissum filium Luc. 2 quæritabat, videtur extitisse. Sicut enim illa tūc, vt est in Canticis cap. 3. *Per noctes quæsiuit, quem diligebat anima eius, quæsiuit, & non inuenit, & circuiuit ciuitatem, per vicos, & plateas, quærens quem diligit anima eius;* sic etiam modo quoties aliquem ex clientulis suis, siue filijs amittit, videns eum à via veritatis aberrantem, & in nocte huius sæculi cum reliquis mundi tenebrasque peccatorum diligentem, miro dolore viscera eius torquētur. Vnde ipsa sub Cruce filij sui patientis ac deflentis peccata nostra astans, pariter cum illo peccatores defleuit, ipsis animitus condoluit medullitus compassa est. Imo quod valdè mirum & memoriâ dignum est, sicut ipse Christus eius filius in Cruce doluit vt censet Bernardus de nostra ingratitudine atque peccatis, quam de propriæ passionis acerbitate: ita eius Mater sanctissima, nostræque salutis zelantissima, plus super nostris culpis peccatisque, quā super proprij filij fere corporalibus cruciatibus, internisque pœnis doluit. Hic nempe erat gladius ille doloris acerbissimi, quo vulneratum, atque transuerberatū est cor Virginis. Ipsa denique ex nimia in nos pietate, plus in hac vita hominum sceleratorum miseriam, perditionemque sensit, quam vllus peccator de suo sempiterno interitu dolere, cruciatiuè potuit. Quod intelligens Diuus Hieron. Epistola ad Eustach. *Nullum*, inquit, *in hac vita adeo pœnæ torserunt propriæ, sicut Mariā miseriæ alienæ.* Quod si in hac vita ita affecta fuit, multo magis in patria, in qua charitas vltimā, absolutissimamque sortitur perfectionem.

Mira B.V. erga peccatores cōpassio.

B.V. sub Cruce cum Filio defleuit peccata nostra.

Nullū peccatorē in hac vita torserūt pœnæ propriæ sicut Mariam alienæ.

Hinc illa in Cāticis sponte fatetur: *Vulnerata charitate ego sum.* Dolor porrò hic Virginis in patria non est sensus, sed voluntatis, qua omnino optat, ac vult, vt homo non peccet, ac pereat. Huiusmodi ergo doloris affectu Virgo nobis ex charitate propensissima compatiens, dū nos mortuos in peccatis iacentes animaduertit, orat pro nobis apud filium, vt ad vitam spiritualem resuscitemur. Nempe in muliere illa figurata fuit, cuius filius de ciuitate Naim vnicus sepulturæ mandandus mortuus efferebatur, quem cum vidisset Dominus misericordiâ motus, eum resuscitauit, deditque Matri suæ Luc 7. Sic nimirum commiseratio, precesque B. Mariæ apud Christū nobis resuscitationem à peccatis impetrant. Hanc ob causam Anselmus eam ita alloquitur: *O' benedicta Maria tu peccatorem toti mundo despectum, & ad te conuersū materno affectu amplecteris, nec ipsum deseris, quousque DEVS per te placatus ipsum sua gratia reformet.*

B.V. dolor in patria nō est sensus, sed voluntatis.

B.V. peccatorem conuersum materno affectu amplectitur.

53. Octaua Stella Maternam Dei Genitricis charitatem irradians, est amantissima reconciliatio, qua Virgo hominem ad se conuersum in iræ diuinæ vltrice sentētia minimè permanere sinit, sed Dei amori gratiæ, clementissimęque misericordiæ reconciliat, vltricemque ab illo sempiterni Iudicis iram amolitur. Hoc agnoscens Bernardus eam sic alloquitur. *Ecce coram tremendo Iudice peccatores assistimus, cuius manus terribilis gladiū iræ suæ vibrat super nos, & quis auerteret eum, nisi tu Dei amantissima Mater, per quam primā suscepimus gratiam, & misericordiam?* Et rursus: *O' felix Maria, tu Mater Regis, tu Mater exulis, tu Mater rei, tu Mater Iudicis, tu Mater Dei, & hominis cum sis Mater vtriusque, discordiam inter tuos filios sustinere nequis! O' benedicta Maria quantum tibi debemus, per quam talem fratrem, idest, Dei Filium habemus! Quas tibi laudes, & gratias agemus, cum per te, & ex te omni bono valemus?* Sic Bernard.

Dū æternus suæ iustitiæ gladium cōtra nos vibrat, B.V. eū auertit.

54. Nona Stella maternam, iuuanteq; Virginis nostrę charitatem illustrans, est sui ipsius, ac proprię vitæ ad mortem expositio. In quibusdam siquidem Matribus tantus amoris in prolem affectus reperitur, vt seipsas pro vita filij morti exponant, talis fertur esse ab Isidoro in Ethymol. Pelicanus, qui seipsum rostro saucians, sui sanguinis aspersione pullos viuificat. Huiusmodi charitatem nobis exhibuit Virgo, de qua eius filius Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ipsa

B V. ex charitate sese pro nobis morti exposuit.

B.V. instar Pelicani sese pro nobis morti exposuit.

siquidem non vnam tantum, sed duplicem animam pro nobis exposuit, quia videlicet propriam animam posuit, obtulitque, cùm filio morienti compassa est. tunc enim animam eius doloris gladius transverberauit. Insuper animam filij, & ipsum filium, quem plus, quam propriam animam dilexit, pro nobis omnibus posuit. Atque ita effectum suæ in nos dilectionis duplicauit.

55. Decima stella maternam Deiparæ coronam exornans est preciosa redemptio. Solent enim piæ Matres thesaurum omnem, quem aliquando congesserunt pro filij, grauiore captiuitate detenti, pro redéptione profundere. Talem plane B.V. exhibuit nobis dilectionem, quia pro nostra de captiuitate Babylonica, Satanicaque redemptione omnem thesaurum suum preciosissimũ, quem habuit, quemque super res omnes mundi huius dilexit exposuit, corpus videlicet, sanguinéque Christi filij sui. diuinitati copulatam hypostaticè. Non potest ergo nos nec DEVS, nec Virgo repudiare quos tam charo precio noscitur redimisse. O' quam verè dixit Apostolus: *Empti estis precio magno, glorificate, & portate DEVM in corpore vestro.* Hos thesauros pro nobis à Virgine expensos expendens Bernardus merito exclamauit: *O' diues in omnes, & super omnes Maria, de cuius beata carne, modica pars assumpta, totius mundi sufficit soluere debita.*

B.V. velut dilecta mater omnem thesaurum suũ ad nos redimendos expendit.

56. Vndecima stella iuuantem hanc Dei, hominumque Matris charitatem condecorans est cælestis hæreditas hominibus in altera vita præparata. Neque enim Virgo contenta est in hac vita nobis gratiarum cælestium thesaurum cumulare, verùm maternâ charitate stimulante, illud contendit, vt bona illa æterna, atque immarcescibilia beatificæ visionis nobis in cælo secum sint communia. Quare iure merito cum quæsijsset Philosophus lib. 8. Ethicorum, & 9. Vtrũ Matres amplius diligãt filios, quam Patres, & vtrum Matres plus diligantur à filijs, quam contra; respondit, quod Matres diligãt tenerius filios, quam Patres, & quod à filijs vicissim diligantur magis matres, quam Patres. Atque ita hac tenera dilectione nos Dei Mater sic diligit, vt tandem perennem illam, æternamque beatitatem, velut preciosissimâ hæreditatem, nos secum in cælis habere desideret. Hinc Bernardus: *Ex B. V. Mariæ maternitate, hæreditatis cælestis fructum multiplicem atquisiuimus. Per hanc siquidem eius maternitatem habemus nobilissimum fratrem Christum, misericordissimum quoque Patrem DEVM, & hæreditatem regni cælorum; thesaurum denique habemus, omnem gratiam Mariæ, & misericordiæ eius sinum in omni necessitate apertum.* Vnde idem Doctor mellifluus expendens illud verbum Christi gratiosum: *Ecce Mater tua*, exclamat: *O' verbum omni acceptione dignum; scilicet verbum Domini IESV dicentis, Ecce Mater tua! Si Maria est Mater tua, ò homo, ergo IESVS est frater tuus, ergo pater eius, pater tuus, ergo Regnum eius, hæreditas tua, ergo gratia Mariæ thesaurus tuus. Matres enim thesaurizant filijs. Ergo omnis necessitas tua ad cor eius ascendit. commota enim sunt viscera eius super filio suo. Accipe ergo eã in tuam.* Hæc Bern. Vnde claret, quod B. V. data est nobis in Matrem propterea, vt qui damnationem promeremur secũdum Dei iustitiam, saluari possimus cõfugiendo ad B. Mariæ misericordiam. Quod intelligens Chrysostomus: *Ideo*, inquit, *tu Mater Dei prędordinata fueras ab æterno, vt quem DEVS per suam non posset saluare merissimam iustitiam, tu per tuam saluares pietatem, & misericordiam Dei infinitam.*

Mater tenerius diligit filium, quam Patrem & filius magis diligit Matrem, quam Patrem.

Diuinæ Maternitatis in Maria varij fructus.

Gratia Mariæ est noster Thesaurus.

Homo qui saluari non poterat per merissimam Dei iustitiã, saluatur per B.V. pietatẽ, & Dei misericordiam.

57. Duodecima Stella Maternã hanc, adiuuantemque charitatem Deiparę coronans est sedula pro nobis intercessio. Ipsa enim ardentissimâ charitate non cessat pro nobis apud Patrem, & filium intercedere, vt peccatores veniam, iusti gratiam, omnes denique mortales consequãtur misericordiam. Vnde deuotus Bernardus: *O' homo securum habes accessum ad DEVM, vbi habes Matrem ante filium, filiũ ante Patrem. Filius ostendit Patri latus, & vulnera; Mater ostendit filio pectus, & vbera. Nulla ergo poterit ibi esse repulsa, vbi tot concurrũt charitatis insignia.* Quod si dixeris; ò peccator, te de peccatis dolere non posse, teque illis arctissimè alligatum, malâque consuetudine nimium quãtum coarctatum, & quid agas ignorare, noli desperare, vade peccator ad Virginem. Audi Bernardum: *Si criminum immanitate turbatus, si iudicij horrore perterritus, si barathro desperationis adstrictus, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat à corde, non recedat ab ore. Nam ipsam cogitans non erras, ipsam rogans nõ desperas, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis.* Tandem piè pro suo in Virginem affectu concludit Pelbartus; *Recurramus ergo confidenter ad Virginem, tanquam ad gratiosissimam, amorisissimamque Matrem, vt ipsa intercedente consequamur in præsenti gratiam, in hora mortis susceptionem, tandemque vitam immortalem.* Ex quibus omnibus clarè intelligimus Virginem nostram sacratissimam, Matrem iuuantem esse,

B.V. sedula charitate nõ cessat pro nobis intercedere apud Patrem, & filium.

Ad B.V. recurrendum tanquam ad gratiosissimã Matrem, vt in hora mortis susceptionem recipiamus.

esse, excellentissimâ, eâque omnibus numeris absolutissimâ præditam charitate, & veluti stellis lucidissimis exornatam, quæ fulgore suo omnium in se aspectum conuertunt, & ad eam ardentissimo affectu redamandam alliciunt.

58. Iuuantem hanc maternâque charitatem Deiparæ Seraphicus Pater S. Franciscus tum aliàs sæpè, cum in ordinis sui publicis necessitatibus est expertus. Quare S. Bonauentura in eius Vita de eo sic loquitur: *Matrem Domini nostri IESV Christi indicibili complectabatur amore, eo quod Dominum Maiestatis fratrem nobis effecerit, & per eam simus misericordiam consecuti. In ipsam post Christum fidens, tam sui, ac suorum aduocatam cōstituit, & ad honorem ipsius à festo Apostolorum Petri, & Pauli vsque ad festum Assumptionis deuotissimè ieiunabat.*

S. Francisci in B.V. pietas.

S Francisci in honorē B.V. ieiunia instituta.

59. Hæc Virginis iuuans charitas ostēsa fuit olim Fratri Leoni, Sancto Francisco admodum familiari, circa illius ordinis initia, vt refertur in Chronico Minorum P. 1. li. 2. cap. 35. Hic per quietem in amplissimo quodam prato sibi ideam quandam extremi Iudicij videre visus est. Angeli enim horribiliter tubis personabāt, homines vtriusque sexus timore consternati vndique confluebant. Visebantur duæ scalæ in cælum erectæ, altera coloris rubei, altera candidi, illi Christus, irâ, iustissimoque furore succēsus innitebatur, huic Virgo Deipara vultu ad benignitatem, atque hilaritatem composito. Cum igitur hortante S. Frācisco Fratres rubeam illam scalam conscenderent, & inter ascendendum, alter de tertio, alius è quarto, nonnulli è decimo, atque etiam ex summitate scalæ delaberentur & Franciscus tantâ suorū ruinâ commotus Christum Dominū interpellaret, mox Dominus illi ostendit manus & latus, vulnera que recenti sanguine manantia, quæ ab ipsius fratribus sibi inflicta quærebatur. Quibus visis Sāctus Pater, illis scalam albam, vt conscenderent innuit, in cuius summitate aderat Virgo benignissima, quæ eos summâ benignitate, ac pietate excipiebat, ac iuuabat, effeciebatque vt sine labore quodammodo, in Regnū cæleste ingrederentur. Ostendebat denique se scalam esse Iacob, terram cælo vnientem, & hominibus terrenis, cælestes efficientem. Quod agnoscens S. Bernardus magna cū fiducia suis loquebatur: *Filioli hæc peccatorum scala est, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ*. Eandem benignitatem Virginis agnoscens Seraphicus Doctor lib. 1. Pharet. cap. 5. ex S. Anselmo aiebat ad Virginem: *Sicut ò beatissima omnis à te auersus, & à te despectus, necesse est, vt intereat, ita omnis ad te conuersus, & à te respectus impossibile est, vt pereat.*

Visio Leonis S. Francisci Discipuli.

Duæ scalæ rubea, & alba ad cælū protensæ.

B.V. facit vt sine difficultate ad cælū perueniamus.

B.V. peccatorum scala.

60. Iuuantem hanc Deiparæ charitatem planè Maternam summis in periculis, ac calamitatibus orbis olim expertus est vniuersus. Scribit enim Dodechinus anno 1117. in octaua S. Ioannis Euangelistæ, quod terremotus bis inter diem, & noctem tam terribiliter, per totū orbem factus est, (verbis ipsius vtor,) vt multa ædificia corruerent, & homines vix effugerent, & maximè in Italia, vbi tam periculosus, atque horribilis fuit, vt manifestissimum Dei iudicium super se homines expectarent, cum per diuersa loca Italiæ, ciuitates, castella, villæ cum hominibus inibi commorantibus subitò hiatu terræ deperirent. Nam & montes scissi sunt, & flumina, dehiscente ac deglutiente terrâ, exsiccata sunt, vt qui vellent pedibus transire non possent. Nec non fluuius Padus de alueo suo se erigēs in modum fornicis in altum se extulit, vt via pateret inter aquam, & terrā, & apertè daretur intelligi, quod elatis fluctibus mundo exitium minaretur; cum sic diutius aqua penderet tandem in semetipsum tanto sonitu demittitur, vt murmur illius per multa milliaria audiretur. His tam mirandis, tamque tremendis signis circumquaque diuulgatis, & tribus diebus in orationibus ac ieiunijs per totam Italiam ab omnibus peractis, apud Cremonam quidam Infantulus in cunis iacens pannis abstrictus in primā loquendi vocem contra naturā os aperuit, matremque suam escas parantem fratri suo maiori, qui plorando panem petiuerat, à corporis curis compescuit, asserens sibi visam Dei Genitricem Mariam ante tribunal Christi stantem, instantissimisque precibus pro iudicio, quod mundo, propter peccata sua dare intenderet, ipsi supplicantem. Ita ferè Dodechinus.

In magnis orbis calamitatibus B.V. homines adiuuit.

Infans in vocem insolitā prorupit vidisse se B V. pro mundo apud supremum iudicē interpellantem.

61. Iuuantem Matrem rursus anno 1128. vt scribit Vincentius Pelluacens. in spec. Histor. libro 27 cap. 4. expertus est Pagus quidam Suessionensis, sacro igne percussus, cuius incolæ, tetrā hac lue fœdè tabescentes, ad templum Deiparæ tanquam ad Asylum confugere. Inter hos puer 11. annorum eodem igne tactus, à Matre, Virgini curandus offertur. Ibi cum in oratione, quadam vice puer pernoctaret, tandemque ad ingressum cuiusdam processionis summo mane excussus esset à quiete, in gratiarum actionem erupit, clamoribusque quodā-

Alius Puer vidit B. V apud filium pro homini bus supplicantem.

modo æthera rapit, narrauitque omnibus, se ante tribunal Dei raptum, vidisse Dei Genitricem pro populo supplicantem, vt dignaretur morbum hunc, à populo auertere, moxque audisse Dei filiũ Matri benignè respondentem: *Mater tu es maris stella, fiat voluntas tua.*

Visio Guilelmi in qua se ueritas Iudicis æterni illi ostendit.

62. Iuuantem Matrem esse Deiparam agnouit etiam sacerdos ille Sanctus nomine Guilelmus, de quo P. Petrus noster Iustinellus ex Syluano Razzio scribit Par. 1. Ducis Angelici. Fuit hic Dei seruus die integro in magno mentis excessu in quo ante tribunal superni Iudicis constitutus, vidit ad eius dexteram Angelum tenentem tubam, cui clara voce audientibus omnibus spiritibus beatis præcepit vt eâ caneret. Quod cum ille fecisset, tantus sonus tamque terribilis illius tubæ extitit, vt totus mũdus ad instar folij contremisceret. Rursus secunda vice mandauit Iudex Angelo illi, vt tubâ caneret. Verum mox sese interposuit Virgo misericordiæ Mater, sibi persuadens, quod si id fecisset, totus mundus erat in ruinam abiturus. Vnde ipsa ad pedes filij postrata vehementer supplicauit, vt sententiam illam perditionis differret; ac mundo parceret. Ad quam filius: *Mater mea totus mundus est in maligno positus, & adeo suis enormibus peccatis iram meam irritat, vt nec suspendere sententiam, nec illius ignoscere sceleribus valeam. Siquidem nõ modo sæculares, sed & Clerici, ac Monaci, per viam iniquitatis decurrũt, & indies singulos me magis, magisque offendunt.* Cui respondit pia Mater. *Parce fili mi dilecte, si non ob malos, ac peccatores, parce saltem ratione propter bonos iustos eosque, qui mei sunt amici.* Vix hæc fata fuerat Virgo benignissima cum mox iustissima Iudicis indignatio intercessione Matris clementissimæ cõquieuit, totusque mundus si vnquam ante illam iuuantem Matrem, in tãtis periculis experiri meruit. Quis igitur ad hanc iuuantem Matrem cuius voluntati ipse filius ad nutum ob temperat, in omnibus tam priuatis, quam publicis necessitatibus ac miserijs, non sũmâ cum fiduciâ recurrat? vt eam verè totius humani generis iuuantem Parentem experiatur.

B. V. apud filium pro mundo supplicat.

Iouis Planetæ fulgor hominibus prosper ac salutaris.

63. Quid iam de prospero, ac salutari, vt eum vocat M Tullius hominum generi Iouis fulgore, argenteo videlicet, claro, ac blando dicam? qui nimium quantum, longeque excellentiori modo refulget in Deipara nostra, quæ tota quanta prospera, ac salutaris, candidaque, ac blanda mortalibus, pro ingenita sibi pietate esse cõsueuit. Et sanè, qui fieri poterat, vt Virgo benignissima huic mundo, velut prosperum ac salutare Iouis sydus exoriens, prosperitatem, felicitatem, salutemque non adferret, cùm à primis immaculatę Conceptionis initijs in Dei Matrem fuerit electa, diuinoque decretum consilio, vt increatum illam beatarum mentium fælicitatem, salutemque omnium mortalium, vtero suo purissimo complecteretur, & ad totius mundi solatium in terras deferret?

64. Quam miserandus, quam infelix, ac mœstus status ille mundi, in prima illius molitione fuit, cum luce destitutus, horrendum, ac triste chaos creaturas omnes inuolueret! At verò contra, quã felix, ac beatus, hilaris ac salutaris extitit, quando vniuersorum Conditor iussit, vt loquitur Apostolus, de tenebris lucem splendescere, dixitque: *Fiat lux, & facta est lux!* Quam salutarem, prosperãque lucem mundi S. Vincentius Bernardinus Bustius, ac Richardus à S. Laur. l. 7. de laud. B.V. aiunt esse Deiparam! Dicebat Psalmista viso miserabili illo ante exortum Virginei huiusce syderis, mundi statu: *Tempus faciendi Domine dissipauerũt legem tuam,* inquit Richardus: *Tum Dominus: Fiat lux. Quasi diceret Mariæ; Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Isa. 49. DEVS enim hanc lucem fecit, quando B. Virginem de tenebris lucere, & splendere dixit. Vidit quoque DEVS quod hæc lux esset bona, quando per eam mundi tenebras illustrauit. Vnde sequitur. Et vidit DEVS lucem quod esset bona: Sicut enim nemo bonus nisi solus DEVS, sic nulla anima Mariæ comparata, inueniatur perfecta.* Sic ferè Richardus.

Status mundi ante formationem lucis miserabilis.

B.V. noua lux quæ orbem vniuersum illustrauit.

M. data in lucem gẽtium.

Sicut nemo bonus nisi solus DEVS sic nulla anima Mariæ comparata inuenitur perfecta.

65. Et verò bona, ac blanda, prospera, ac salutaris Virginea hæc Lux mundo esse debuit, quæ tantopere summæ illi, increatęque Luci, bono illi ęterno, à quo bona omnia, velut riuuli ab inexhausto fonte procedunt, vnita fuit, dum illud purissimi sui vteri virginalis quodã, quasi cælo circumdedit, vt Angelorum summum illud Bonum, fęlicitas, ac prosperitas, salusque sempiterna, miseris etiam mortalibus in terris communicaretur. Quemadmodum enim increata illa lux, verusque iustitiæ Sol, benignissimâ suâ luce gratiæ, sanitas, salusque sempiterna mundo extitit, sic quoque Virginea hæc Aurora, eodem illo sole grauida, siue Iouialis hic Planeta qui illum sinu suo cõplecti meruit. Quam porrò benignus, prosper, hilaris, blandusque sempiterni illius solis aspectus toti mũdo extiterit, testatus est Malachias cap. 4. *Orietur vobis timen-*

B V bona lux vtpote summæ luci maxime vnita.

timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, tum mox pennarum, siue radiorum eius salutiferos attexit effectus: *Et egredimini*, inquiens, *& salietis sicut vituli de armento*. Tantam nimirum prosperitatem, felicitatemque sol ille diuinissimus salutari suo in mundum exortu daturus est, vt homines præ lætitiâ exultaturi ad instar vitulorum in gramine aprico, vixque seipsos capturi sint.

B. V. lux blãda mortalibus.

66. Videre quis cupit quam dulcis, quã blanda Virginea hæc lux sit humano generi? Audiat ipsam loquentem: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*. Prou. 8. Nimirum filij hominum illi arrident, eisque sunt in delicijs, illis vicissim arridet, & ipsa, eisdẽque blãditur, quia nouit quod illorum beneficio ad eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatẽ sit eueċta. Ac proindè benignè, blãdeque oculis planè columbinis, absque amaritudinis vllius felle, velut dilectissimos filios intuetur. Richardus à S. Laur. lib. 2. par. 2. *Oculi*, inquit, *Virginis respiciunt pauperes spiritu, & sunt velut oculi illi Christi Apoc. 1. tanquam flamma ignis illuminans, & calefaciens, exterrens, & exurens. Illuminat nimirũ gloriosa Virgo suos amatores ad cognitionem veri, eosque inflammat ad dilectionem boni. Aduersarios eorum exterret dura comminatione, & incorrigibiles exurit gehennali conflagratione. Adeo denique blandi erga omnes sunt oculi Virginis nostræ, vt licet oculi Domini sint super iustos, oculi tamen huius Dominæ sint super peccatores, & iustos, sicut oculi bonæ Matris super puerum ne cadat, vel si ceciderit, vt eum releuet. Vnde ipsa seruienti sibi ait: In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos. Sis ergo humilis, vt respiciant te oculi Mariæ. Nam eius aduersarius Behemot; omne sublime videt*. Iob. 41. Hæc Richard.

Oculi B. V. respiciunt pauperes spiritu.

B. V. oculi velut flãma ignis.

Oculi B. V. respiciunt iustos, & peccatores.

Quare meritò ei dicere possumus illud quod non nemo Poetarum, de nescioqua terræ Filia cecinit:

Tu nitidos in me conuerte parumper ocellos
Queis potes obscura reddere nocte diem.
Tu precibus non dura meis, præsexque fauete
Et mihi si fas est dicito noster eris.
Mortales æquat superis clementia Diuis
Et miseris rebus consuluisse pium est.

67. Prosperum, ac salutarem Virginis fulgorem esse in morte presertim experta est Sanctimonialis illa è Cænobio B. Metildis, vti ipsa lib. 5. scribit cap. 1. Hæc enim postea quam diu fideliter Christo seruijsset, in grauem morbũ incidit, pro qua cum Metildis Christum eiusque Matrem deprecaretur, ambo diuino splendore radiantes ei apparuerunt. Et Saluator quidem ostendebat illi rubicunda sua, ac mira luce coruscãtia vulnera. Quæ Dei serua verbis his hactenus inauditis consalutauit: *O salutifera vulnera dulcissimi mei IESV Christi Saluete, Saluete, Saluete in omni potentia Patris, qui vos dedit; in Sapientia Filij qui in vobis sustinuit; in benignitate Spiritus Sancti, qui in vobis opus nostræ redemptionis perfecit*. Præmisit deinde Saluator duos Angelos, qui in argentea pelui gestabant aquam, ipsius misericordiã denotantem. Tandem adstitit ad caput moribundæ ipsa quoque Christi Mater clementissima, dum ei extrema vnctio ministraretur. Porro cum Sacerdos Litanias recitaret, Christus ter signabat infirmam signo crucis dicendo: *Ego tibi benedico in Sanctificationem, & sanitatem animæ, & corporis*. Cum postea S. Maria nominaretur, ipsa Virgo subleuauit benignissimè manibus proprijs, infirmam, dixitque ad filium: *Ecce Fili mi ego tibi do hanc Sponsam, vt semper in tuis amplexibus cõquiescat*. Cum etiam nomina reliquorum Sanctorum memorarentur, omnes genuflexi pro ea Dominum deprecabantur. Tandem peractis omnibus, Christus benignissimus ad sua in Matrẽ conuersus, prosperum, ac salutarem ipsius splẽdorem hominibus præsertim in morte esse agnoscens, sic eam affatus est: *Ecce Mater tibi commendo hanc meam sponsam, quã tu immaculatam meo conspectui in cælo præsentabis*.

Moribundæ Sãctimoniali Christus dat extremum vnctionem.

Christus eã Matri suæ commendat.

68. Non modo prosper, ac salutaris, verum etiam candidus ac blandus est Virgineorum oculorum fulgor. Cum enim in se Virgo Candorem illum lucis æternæ, speculumque sine macula diuinæ bonitatis, die felicissimo Dominicæ Incarnationis complexa fuerit, mirificũ quendam candorem animi, bonitatemque admirabilem toto ore, oculisque spirasse necessum fuit; Hanc ob causam oculi ipsius columbis, purissimo lotis, candidatisque lacte cõparantur Cant. 5. *Oculi eius sicut columbæ iuxta riuulos aquarũ quæ lacte sunt lotæ*. Quod sponsi elogium Richar. à S. Laur. libr. 4. probare volens Deiparam dulcem esse aspectu, ad illam transtulit: *Maria dulcis est respectu*, inquiẽs, *vnde oramus: Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Facies enim eius plena est gratiarum Est. 15. Propter hoc oculi eius comparantur columbis, quæ lacte sunt lotæ, quia respectus eius pietatis, & misericordiæ, mira dulcedine perfusus est. Hinc comparatur flori rosæ, lilij, & violæ. Flos enim redolet, & libẽter aspicitur, & sic illam libẽter respicit sponsus, cũ ei dicat Cã. 5. Ostende mihi faciem tuam. Nisi enim dulcis, blandaque esset Virginis Matris facies, non eam* tan-

B. V. quia cãdorem lucis æternæ vtero complexa fuit, ideo cãdorem animi toto ore oculisque spirauit.

Oculis B. V. similes Columbis candidissimis.

B. V. cõfertur floribus, rosis, lilijs, & quare?

tantopere intueri anhelaret sponsus. Hâc aspectus dulcedinem contemplatus in Virgine S. Anselmus in suam Contempl. de B.V. exclamauit: *O' nimis exaltata, quam sequi conatur affectus animæ meę, quo aufugis aciem mentis meę! O' pulchra ad intuendū, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quo euadis capacitatem cordis mei? Pręstolare Domina infirmam animam te sequentem, ne abscondas te Domina parum videnti animę te quęrenti; miserere Domina animam post te anhelando languentem.* Nihil porro mirum nobis videri debet, quod oculorum sensus tantę fuerint energiæ, atque efficacię in Deipara, cum Diuini planè sensus ei inesse viderentur. Scribit Iustus Landspergius Catthusianus lib. 2. Vitæ B Metildis cap. 30. orasse aliquando Metildē cælestem sponsum, vt ei aliquid impertiri dignaretur, quod iugem eius memoriam in se excitaret. Cui respondisse fertur sponsus: *En ego tibi dono meos oculos, vt ijs intueri res possis vniuersas. En ego tibi do meas aures, vt omnia, quę audis intelligas. Tibi etiam os meum tribuo, vt loquendo, orando, cantando meas laudes, aliasque eius functiones exequendo omnia in gloriam meam referas. Tibi do similiter meum cor, vt eo Diuina, aliaque omnia mediteris, meque ames, & reliqua omnia propter meum amorem. Et scito, quòd quanto magis te ab omni creatura separando, earundem solatia à corde tuo excluseris, tanto magis ad altitudinem meę inaccessibilis Maiestatis eleuaberis. Et quanto magis per affectum charitatis, ac misericordię ad omnes te extenderis, tanto arctius, & dulcius meę dilectionis latitudinem vndique circumdabis. Et quanto denique temetipsam depresseris, ac humiliaueris sub omni creatura, tāto magis ac profundius in me subsistes, maiorique dulcedine Diuinitatis meę torrens te inebriabit.* Quod si huic fidelissimæ suæ Ancillæ Christus omnes sexus suos mutuatus est quanto magis dilectissimæ suę Matri, cum qua vnum cor, vna caro, vnus spiritus extitit? Quid mirum igitur eius oculos tanta virtute fuisse præditos? quid mirum eosdem tantam dulcedinem pietatis in mortales omnes distillasse?

B. Metildi Christus sensus suos cōmunicauit.

69. Neque verò solo aspectu dulcis, blādaque est Dei Mater, est dulcis quoque, & blanda contactu, vt idem obseruauit Richardus, qui cum in omnes humanos sensus suam purissimam dulcedinem transfundere consueuisse docuisset Deiparam cum ad sensum tactus peruenisset; *Dulcis est tactu,* inquit, *Maria, quia tenet filium ne statim feriat peccatores Vnde dicit ipsa: Tenui eum, nec dimittam. Cant. 3. Hoc nimirum figurabatur olim futurum, quando ligabat filio manus in cunabulis. Dulcis denique tactu est Maria, quia Mater est misericordię; & Matris est suauiter, & dulciter tangere, ac permulcere puerum. Huiusmodi pueri sunt stolidi peccatores, quibus ipsa nouit leui manu, ac suaui attactu tumorem premere, putredinem exprimere, atque eijcere, vulnera circumligare, spem, & securitatem misericordiæ prestare, ideoque dicit: In me omnis gratia vitæ, &c.* De Virgineo hoc, blandissimoque contactu diuinâ virtute plenissimo præclarè Seraphicus ipsius Psalmista Psal. 13. *Tuo tactu lenissimo sanantur infirmi, tuo odore roseo mortui reuiuiscunt.*

B V. in omnes humanos sensus suam dulcedinem purissimam transfundit.

B.V. quomodo dulcis attactu nobis sit.

70. Virginei tactus suauitatem, admirādamque vim, ac energiam expertus est P. de Ripa Transonis Minorita, qui in meditandis Christi, eiusque Matris doloribus mirè afficiebatur, eamque obsecrabat per tantorum dolorum merita, vt sibi puritatem cordis obtineret. Quadam vice dum hæc agit feruentius, Deipara sese ei visendam offert, qui metuēs ne illusio esset Cacodæmonis, fugam parabat. Ad quem illa: *Si me fugis, cur igitur compellas?* Tum eam Dei parentem agnoscens, sese in terram prostrauit: *Vnde hoc mihi,* inquiens? *Tum illa manu suâ super pectus eius posita: En tibi,* ait, *quam tantopere flagitas puritatem cordis.* Kal. B.V. 13. Ianu. *O' manum Virginis planè omnipotentem! O' manū auream tornatilem celerrimè munera adeo Diuina tribuentem; preciosissimis omnino plenam miraculorum hyacinthis! Extende illam ad me, & cor mundum crea in me Domina, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Eundem castissimum salutiferūque Virgineæ huius atque omnipotentis manus contactum expertus est Donradinus Brixiensis Ordinis Diui Dominici sydus illustrissimum, qui circa Annū salutis 1526. vixit. Huic duabus stipata Virginibus Deipara visendam, magno pietatis affectu sese exhibuit, postquam ad carnis, sensusque illicitos ardores extinguendos, igneaque nequissimi tela retundenda, immani flagellorū diuerberatione in semetipsum sæuijsset, adeo vt sanguinis riui per cubiculum fluerent. Hunc ergo, proprio sanguine ceu vernantibus Paradisi rosis purpuratum, summa cum benignitate ita allocuta fuisse Virgo perhibetur: *Iam pridem agnoui, fili mi dilectissime, quo erga me sis animo, quantaque cum diligentia illibatum seruare niteris Virginitatis florē: Noueris igitur te nihil à filio meo postulaturum in posterum, quod non sis impetraturus. Quod vt verè à me tibi dictum constet, en tibi confero donum castitatis, cuius desiderio semper arsisti; simulque hæc pronuncians, ei renes preciosissimo quodam vngit oleo his verbis superadditis: Hac iun-*

B.V. solo manus suæ contactu puritatem aliquibus communicauit.

Conradinus Brixiēsis vnctionemanus B V. puritatē cordis nanciscitur.

iunctione corroboretur renes tui, ne deinceps vllum carnis aculeum persentiscas. Quam porro prærogatiua hæc ipsi à Virgine cōcessa fuerit eximia, eaque paucissimis concessa, locus in quo visio illa contigit attestatur, qui ideo in magna in hodiernū vsque diem est veneratione. Kalend. B.V. 1. Nou. O' si Virgo purissima hoc lętitiæ, puritatisque oleo, hoc incorruptionis suauissimo balsamo renes nostros perūgas, ò si cor simul amoris tui igne castissimo aduras, carnisque incentiua caloremque cæci, fœdissimique Cupidinis in nobis extinguas! Hoc animitus medullitusque à te exposcimus, quo tibi tanto dignius valeamus deseruire. Vnde te cū tuo Seraphico Psalmista obsecramus Ps. 25. *Vre cor meum igne amoris tui, & cingulo castitatis restringe renes meos.*

71. Neque verò dulcis, blandusq; hic oculorum, totiusque Virginis fulgor solum extitit mortalibus, verum etiam ipsi Deo totius huius Vniuersitatis Opifici, vt supra memoratus pulchrè ostendit Richardus lib. 2. part. 2. dum docēs suis membris omnibus Deiparam deseruire mortalibus non fuisse dedignatam; Ait enim illam linguâ suâ quodammodo blanditam fuisse Deo, suisque blanditijs eum de cælis, deque Maiestatis Diuinæ throno in terram detraxisse. *Lingua Mariæ Eucharis*, inquit ille, *quæ calamus erat scribæ velociter scribentis, Spiritus Sancti videlicet, ipso scribâ mouente calamum, eructauit illud verbum bonum, mellifluum, & suaue: Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Hoc porro verbo planè nectareo in tantū exhilarauit de salute nostra solicitum Regem cęli, vt quasi factus immemor primorum parentum iniurię, a sede Regali statim, velut deposito diademate gloriæ, & cælos disrumpens eodem momento de sinu paterno in vterum Virginalem descenderit, atque exilierit vociferando: Deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Prou. 8. Illo etiā verbo fuit nobis lingua eius, lingua curationis, lingua mitigationis, lingua misericordiæ. Eccl. 36. Nam respondens humiliter, & obedienter, curauit ægritudinem responsionis Euæ. Huius .n. lingua Diabolo sub dubio respondentis, & gustum ligni vetiti viro suo suadentis, peccatumq; suum serpenti attribuentis, totam progeniem ex se nascituram lethaliter vulnerauit, Paradisi portam cunctis obserauit, Deique iracundiā ad vindictam prouocauit. At verò contra lingua Mariæ, infirma curauit, clausa patefecit, & iram Domini deliniuit. Vnde guttur eius dicitur suauissimū. Cant. 5.* & Can. 7. dicitur idem guttur. *Sicut vinum optimum dignum Dilecto ad potandum. Verba enim, quę dulcissimo suo gutture Virgo protulit, fuere verè suauissima, ac blandissima, instarque vini optimi Deo iucundissima, quæ ita eum quodammodo inebriarunt, vt eum fecerint nostrorum delictorum obliuisci*. Sic fere Richardus. Ex quibus facile perspicimus quātopere fulgor Virginei huiuscé Planetæ, non modo mortalibus sed & superis blandus extiterit.

B.V. lingua sua blandiri visa, & ipsi Deo.

Verba B.V. nectarea, quibus se in Ancilla obtulit Deo.

B. Virginis verba sunt curationis, & misericordię.

Lingua Mariæ, & Euæ quam dispares.

72. Blandum, prosperum, ac Salutarē Virginei huius Sideris aspectum expertus est, tum erga se, tū in vniuersam Domum suam P. Marcellus Mastrillus noster, qui in Iaponia tā feliciter pro Christo mortem oppetijt. Hic enim cū Philosophiæ daret operam B.V. mulieri cuidam grandęuæ, notæque virtutis se visendam exhibuit, mandans Marchioni S. Marciani Parenti nostri Marcelli, dicere suo nomine; tollat se tandem ex eo loco domicilij sui, in quo stet iam dudū exiguo cū honore ponatque in alio conueniente, vbi maiore in cultu sit, siquidē velit se propitiam suæ familiæ experiri. Paruit illa, sed Marchio neglexit monitionem anilem, quod nec sciret, neque crederet vsquam domi suæ cælestis Reginæ imaginem minus religiosè collocatam. Sed vbi iterum iterumque Diua apparens mulieri mandata priora repetijt, illamque ad ipsum pertulit, diligenter omnes domus suæ angulos perquiri curauit, ecqua vsque Diuinæ Virginis Imago inueniretur sita minus decenter. Reperta tandem est in quodam equilis angulo. Mox inde tollitur. Et quia Marchio domo tunc aberat, ad Marcellum accurritur, vt ipse dictet ornatum, & modum, quo pensetur pristini situs, & squaloris iniuria. Fecit hoc prius Marcellus magno cum studio. præcipit eam includi eleganti tabulæ cum crystallo, & ad ædem Diui Marciani deferri, vbi collocata prouentibus annuis sacelli procurationi attributis, à Marchione solemni sacro colitur quotannis prima Dominica post festum Corporis Christi. Isti obsequio, vel potius beneficio Diuinę Virginis, quod à sua familia coli voluerit, Marcellus attribuit omnem veram prosperitatem, ac salutem, quæ suis euenit, videlicet piam ac fęlicem mortem Patris sui, Matris, & fratrum, quibus omnibus ipse oculos clausit, non sine magnis indicijs æternæ ipsorum salutis, & pia quadam inuidia hominum Religiosorū qui præsentes fuerunt, maximè quādo mortuus est Marchio. Erāt enim quatuordecim Religiosi in eius conclaui, quorum in consp. ectu Deo spiritum reddidit, cū prius multa de cælestibus rebus piè locutus magna inflammati Diuini amoris, men-

B.V. apparet piè mulieri, monetque vt ex equili tollatur, & in honore habeatur.

Marcellus Mastrillus orat B.V. Imaginem, eamque in Templo collocat.

Marcellus felicem suorū mortem omnemq; prosperitatem B. Virgini adscribit.

mentisque dolore intimo cōtr tæ signa dedisset. Has Christi famulus appellabat veras prosperitates, quæ suis obuenisset gratiâ Matris Dei, sicut etiam nouos illos ignes, accensaque desideria, quibus tantopere ad Indicam profectionem, vt ibi pro Christo moreretur, anhelabat, eidem misericordiæ Matri adscribebat. Atque ita Deiparam prosperum salutareque sidus esse Marcellus noster, eiusq; tota familia experta est; dum tot tãque insignibus beneficijs cumulatu est. Nierembergius ipsius vitæ cap. 4.

Iouis Planeta calidus, & humidus iis, qui sub ipso nascuntur optimum dat temperamentum.

73. Quid iã de optima complexione, quam Iuppiter, suis influxibus largiri cōsueuit ijs, qui sub eius horoscopo nascuntur, dicam? Ferunt Astrologi Planetam hunc eminenter humidum, calidũque esse easdemque qualitates, quæ sanguineæ complexioni ad omne bonum vt plurimum propensæ insunt in inferiora transfundere. Quæ sanè Iouis proprietas, Virgini nostræ sacratissimæ minimè defuisse visa est. Ipsa enim, Alberto Magno teste, habuit corpus eucraticũ, hoc est, optimæ dispositionis ac complexionis, coloris candidi, ac rubicundi, qui complexionem sanguineam, hoc est humidam, calidamque consequi assolet. Totum denique eius corpus ita fuit, ab optima Parente Naturâ in omni perfectione efformatam, vt aptissimum ac peridoneum foret animæ illius nobilissimę ad Heroicarum virtutum actus exercendos Instrumentum. Vnde Ioannes Gerson Cancellar. Parisiensis sermone de Concept. B. Virginis habito in Templo S. Germani, *Natura cum suis ancillis, quæ sunt influentiæ, & causę naturales, sese Deo creatori ad efformandum corpus Virginis, ad omnẽ virtutum propensum, omnibusque suis donis exornatum, offerentem per prosopopœiam in hunc modum introducit: DEVS meus, Magister meus, & Imperator meus, non omnino ignara sum pulchri incapti, quod factur us es, excellentisque Dominę, quam formare proposuisti. Et quamuis tua potentia, beneficio, tua sapientia, & magnificentia, in nullo meo egeat seruitio, me tamen humiliter offero; quod tibi placitũ est, præcipe, libenter obediam. Hoc tibi notum sit, nec me, nec ancillas meas vllã ... suras fictione, quo minus omnia demus, & plantemus in hac Domina omnem corporalem pulchritudinem. Nam super animam eius nil habemus potestatis, sed quoad corpus conferemus ei omnem delectationem, omnem sanitatem, omnem harmoniam, cōplexionisque temperamentum. Et breuiter benedicere poterit, quod erit bonis meis, bonis naturę; cum sit pro te; super omnes alias, quę vnquã fuerunt, erunt, & sunt abundantissimè exornata, ac dotata. Expandam, & inspirabo per faciem eius luciditatem quandam, pulchritudinem, ac dulcedinem, plenam simplicitatis, honoris, & benignitatis. Et taliter castum eius aspectum, eius dicta, facta, moresque componam, vt omnibus eam aspicientibus sit exemplar, liber, & speculum pulchritudinis, nobilitatis, boni amoris, & honestatis. Et sicut formaui, ac figuraui corpus Regis magni Priami taliter, vt sola specie, & aspectu suo diceretur esse dignus imperio: Species Priami digna imperio. Excellentius faciam de illa, ita vt omnes quantumuis etiam inuidi dicant: Ecce Dominam dignam, quæ sit Imperatrix, ac coronata Regina. Et sicut Hector non videbatur puer viri mortalis esse, sed Dei, sic Virgo illa beatissima.*

Corpus B. V. optimæ fuit dispositionis.

Natura se Deo corpus B V. summa cum perfectione efformandum obtulit.

Natura pollicetur Deo se in B V. collaturam omnem corporalẽ Pulchritudinẽ.

B. V. corpus ita formatũ à Natura vt dignum imperio videretur.

74. His à Natura præmissis dictis, mox introducit Schemate Reginæ potentissimæ charitatem, cuius facies, sole clarior rutilabat, ita vt eius Natiuitas Diuina potius, ac cælestis, quam mortalis, & terrena videretur. Veniebat pulcherrimo virtutum sociata choro. Hinc siquidem adstabat ei soror eius venustissima Sapientia, Veritas, Prudentia, Intellectus, Consilium, & Fides. Inde Fortitudo, Continentia, Fidelitas, Iustitia, Pax, Misericordia, Humilitas, Diligentia, Liberalitas, & Benignitas; hæ Virtutes omnes ad formandum corpus, ornandumque animam summæ Dei Matris ipsi supremo Creatori operam suam promisere. Si enim Seuerinus Boetius libro 4. de Consolat. Philosoph. prosa 6. ait: *Viri sacri corpus virtutes ædificauere:* quanto magis corpus illud mulierum sacratissimæ, ac sanctæ Sãctorum, corpus, inquam, illud, quod Sacrarium Spiritus S quod Incarnatæ Sapientiæ nouem mensibus futurum erat domicilium, virtutes sanctissimæ vnà cũ optima parente Natura efformare debuerunt? Iussa igitur est à summa Regina charitate, ac Sapientia, summo orbis opifici operam suam nomine omniũ in hunc modum Natura polliceri. *Imperator Altissimè Charitas humilis filia tua, & deuota, & nos cæteræ Virtutes afficimur non sine causa magna inæstimabilique lætitia, cum ad Misericordiæ supplicationem vis, & te inclinas ad terram descendere, humanum genus redimere, nobis quoque habitationem nostram, à qua tam diu expulsæ sumus, restituere, quoniam aduersarius noster lethalis, Peccatum, ignominiosus, & crudelis Tyrannus cum omni sua maledicta societate, Ignorantia, Infidelitate, Idolatria, Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Acedia, aliisque innumeris vitijs occupauerunt in terra, quasi omnia hospitia, &c. Et hoc*

Charitatis descriptio.

Virtutes ad formandum corpus ornãdumque animam B V. operam suam promiserunt.

Virorum sanctorum corpora virtutes efformant.

B V. corpus Virtutes formarunt.

est

est primum meæ legationis punctum tibi de hoc gratias agere, secundum nostram facultatem ac vires, licet multo maius sit benefactum, quam gratiæ, quæ per nos agni possint. Præterea quia tuam percepimus voluntatem esse, creare, ac producere summam quandam, & excellentem Dominam super omnes alias, quæ vnquam fuerunt, vel erunt. Et breuiter talem, quæ digna sit esse Mater tua, soror tua, sponsa, & amica tua. Ad te verum, & certum Patrem venimus humiliter, laborem nostrum offerentes diligenter, & ex corde bono. ad hoc negotium vnaquęque secundum posse suum, & officium, quod nobis accommodasti, sine præsumptione, adulatione, ac iactantia dicimus nil nos obliuioni tradituras, quin sit omnino perfecta, tota pulchra, & digna, quæ à te ametur. Sine nobis non dubium est, te quod vis facere posse. Sed te rogo non contemnas oblationem hanc, & seruitium, quoniam in hoc, honorem nostrum, nobilitatem, bonitatem, valorem, & famam maximopere augebis. Nos eam donabimus Innocentia, & Virginitate Abel; Fide Abrahæ; Constantia Iosue; Sapientia Salomonis. Ipsa pulchra erit, vt Rachel. Fœcunda vt Lia. Sapiens vt Rebecca; Deuota, vt Elias; Nobilis, vt Dauid. Excedet Moysem in clementia; Iob in patientia. Sic Gerson.

75. Per quam sane tam Naturæ, quam Virtutum Prosopopœiam sat perspicuè declarauit tam in corpore, quam in anima Virginis efformanda, & Naturã, & Gratiam omnes suas vires exeruisse, vt complexionem, temperamentumque optimum ad virtutes omnes complectẽdas peridoneum sortiretur, quo qualitates hasce suas, & in sibi addictos, ac deuotos, pro ingenitã sibi benignitate, tanquam blandum, ac propitium Iouis sydus posset transfundere.

S. Ioãnes Bapt. sub signo B. V. velut Ione in lucem editus.

76. Indolem hanc temperamentumq; ad omnem virtutem capescendam peridoneum sortiri visus est Ioannes Bapt. qui sub hoc Virgineo sydere plane felicissimo in lucem hanc exortus, omnibus virtutibus, totâ obstupescente Naturâ ac Gratiâ, exornari meruit, ita vt inter natos mulierum, Dominicæ vocis præconio, nullus vnquam maior, vel copiosioribus Naturæ, ac Gratiæ ornamentis magis decoratus surrexerit. Libet hic B. Petri Damiani Card. serm. 3. de S. Ioan. Bapt. prolixius elogium commemorare, quo luculenter sane declarat illum perfectionibus omnibus tam Angelorũ, quam reliquorum beatorum fuisse insignitum, & grande quoddam in tota hac mundi Vniuersitate & Naturæ, & Gratiæ miraculum extitisse, Iouialem denique, benignissimo Virginei huius syderis influxu, complexionem esse sortitum; siquidem adhuc vtero inclusus Matris, tantillus infans ad Deiparæ, Verbique Incarnati præsentiam, sibi in tam Diuinis hospitibus, accelerato rationis vsu, mirifice complacens, gestientis totius corpusculi motibus, lætitiaque plane hactenus inaudita, exultauit. Postquam enim verba illa Ioannis animi demissione plenissima memorasset: *Veniet fortior me post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius* Luc. 3. in illud admiratione perculsus erupit epiphonema: *O' beatæ humilitatis excelsa Maiestas, quæ dum suo iudicio in ima deprimitur, diuina prouehente clementia, ad cælestia subleuatur, dumque Deo se humiliter subijcit, ad Dei consortium excellenter assurgit. Ille quippe se cum cæteris hominibus perhibet terram, ac terrena loquentem, Dominus autem testatur, nullum eo inter natos mulierum surrexisse maiorem. Ille se ad soluendum caligæ vinculum vociferatur indignum; Dominus totum corpus suum eius manibus subijcit, cùm baptismatis lauacrum subiturus accedit. Ille se Prophetam humiliter abnegat, quem plusquam Prophetam esse, atque insuper Angelum Saluator affirmat, de quo & postmodum dicit: Ille erat lucerna ardens, & lucens. Ioan. 5. Perpendite quam admirabilis, imo quam Angelica vita B. Ioannis erat, quam certè magnifica cunctis opinione claruerat, qui cũ nullius signum virtutis ostenderet, Christum tamen illum esse omnis populus æstimaret, Luca attestante cap. 5. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne ne forte ipse esset Christus. Quæ enim Religio, quæ perfectio, quæ denique virtus, quod sanctitatis genus reperitur in aliquo Sanctorum, quod in Ioanne, quasi, prærogatiuę cuiusdam, non teneat principatum. Sunt siquidem S. S. Eremitæ, & Anachoretæ, sed quis sibi viuendi regulam, in siluestri melle, & incomestibili locustarum esca præfixit? Cui porro ad asperitatem vestium non sufficiant saga cilicina caprarum. Iste pellicea zona pręcinctus, pilis induitur camelorum. Enim verò sunt sancti abrenunciatores, & seculum relinquentes; sed iste puerilis adhuc indolis cum nec dum didicisset ciuiliter viuere, deserta penetrans, decreuit solitarius habitare; nec dignatus est Patri in Sacerdotali dignitate succedere, vt verum, summumque omnium sacerdotem libera potuisset voce prędicare. Prophetę vaticinãtur futurum Saluatoris aduentum, Apostoli, cęterique doctores testantur impletum: Ioannes autẽ illum pręsentem ostendit, cui totius sęculi, & antiqui scilicet, & moderni prędicatio militauit. In hoc etiam iste Prophetis omnibus super eminet, quoniam illi Spiritum S. per ętatum incrementa suscipiunt, iste verò visceribus adhuc maternis inclusus, virtutum spiritus, gratia pręueniente concepit, & appropinquante totius auctore*

S. Ioãnis Bapt. humilitatis elogium.

flore lætitia, vix dum formati corporis nutibus exultauit. Alij non coinquinantes vestimenta sua, Virgines permanserunt, hic autem vt omnes insitæ carnis illecebras ab ipsa funditus radice præcideret, & non modo genitalia membra, sed & aures, & oculos in vernantis, ac floride Virginitatis indeficienti viredine custodiret, cohabitationis humanæ contubernia respuit, & præ feruore Spiritus ferarum se lustris immersit. Inter purpuratos etiam Martyrum cuneos B. Ioannes in Magisterij cathedra præsidet, quia pro testimonio veritatis strenuus bellator occubuit, omniumque pro Christo certantium Dux factus, vexillum triumphale martyrij, cælo primus inuexit. Beatus itaque Ioannes omnium Sanctorum particeps factus est choris, quia nulla sibi virtus defuit sanctitatis, imo tanto insignius inter omnes sanctorum ordines emicat, quanto Auctor omnium per incomparabile meritum sublimius appropinquat. Hæc Damianus.

77. Ex quibus facile est perspicere, quam insignem indolem, complexionemque Iouialem, hilaremque in diuino obsequio, animam denique bonam ad omnem virtutem propensissimam, sub auspicatissimo, felicissimoque Virginis sydere Ioannes sit sortitus. Quare idē pientissimus Card. serm. 1 de S. Ioan. Bapt. Felicem Elisabetham eius Matrem, feliciorem que longè prædicat filium, quod sub illo faustissimo in lucem prodierit Virginis horoscopo: *Felix*, inquiens, *Elisabeth, ad quam Mater properat Redemptoris, quam salutatorijs obsequijs cælorum Imperatrix alloquitur. Sed Puer multo felicior, qui salutanti maiestatem agnoscens, intra viscerum tenebrosa volumina gaudio gaudet, quia vim tam beatæ salutationis attendit: Beata anima, quæ in via peccatorum non stetit, sed secretiore semitâ* de cælestibus officijs egrediens, inauditæ gratulationis est sortita dulcedinem.

Felix S. Ioannes quod sub sydere Virgineo natus sit.

78. Vt porrò videamus benignum huiusce Virginei syderis in hunc felicissimum Paruulum influxum, prosequitur idem Cardinalis officia inter Mariam, & Elisabeth sibi mutuo exhibita, ex quibus fortunatus ille Pusio miras gratiarū influentias experiri debuit: *Iunguntur*, inquiens, *amplexus, vertitur ad oscula, copulātur felices vteri, Regemque & militem non nisi duo tenerrimi parietes abiungunt. Quid mirum si miratur, & exultat Puer ad tactum tam proximæ Diuinitatis afflatus? Poteratnè vacare à quoquam miraculo, cui præsens aderat Regis præsentia, regnantis Mater, mundi Redemptor? Quid quod non semel tam Sanctorum amplexuū fuit celebrata coniunctio?* Concludit tandē, afferitque Deiparam natiuitati huius faustissimi paruuli adfuisse, eum de terra leuasse, amplexu fouisse, colloquijs suauissimis recreasse, quibus sanè tam vicinis benignitatis suæ, gratiosissimisque influxibus fieri non potuit, quin Virgineus hic Planeta, præclarissimam indolem sibi quodammodo quam simillimam ex tanta vicinitate communicarit. O' fælicem, & quaterque beatum Ioannem, qui sub hoc tam blando, Virgineoque Iouis sydere lucem aspicere meruit. Credibile enim est illi Deiparā optimam illam ab optima Matre Natura, ipsisque Virtutibus elaboratam indolem, cum omnibus penè suis gratijs transfudisse.

Ioannes ad tactum tam proximæ Diuinitatis in vtero B.V exultauit.

79. Sub eodem hoc Iouis sydere Virgineo nasci visus est pijssimus ille Comes Elzearius cum sua coniuge Delphina lectissima Virgine, cuius corpus, animumque, & Natura & Gratia Virtutesque omnes ad efformandum, optimamque illi indolem ad omnem probitatem propensam instillandam concurrisse visæ sunt, vt non tam homo, quam Angelus indutus mortali carne videretur. Nimirum prouidentia, quæ Adolescentem hunc omnis virtutis speculum orbi vniuerso esse voluit, eundem Matris suæ ab ineunte ætate protectioni, ac tutelæ, vti reuelatum fuit diuinitus, commisit, quo sub hoc tam felici, Ioualique sydere natus, atque educatus indolem omnibus virtutibus præditam, complexionemque ad omnem pietatem inclinatam sortiretur. Innumeros alios sub hoc felici Virginis sydere natos prætermitto, quos Virgo, nobilissimo temperamento, indoleque virtutis omnis studiosissima, pro egregia sua in mortales benignitate, donauit.

Sub sydere Virginis B. Elzearius Comes, eiusque Coniux Delphina nati, optimam indolem ad boni propē. sam sortiti.

80. Bernardinus Bustius l. 11. Marial. serm. 2. Iouis recensens varias proprietates ex libr. de proprietatibus rerum, ait quod sub Ioue contineantur honores, diuitiæ, atque optimum indumentum. Quæ omnia Virgineus hic Iuppiter seu hæc Iuuans Mater longè maiori liberalitate nobis pro ingenitā sibi bonitate communicare consueuit. De optimis hiscé, opulentissimisque vestimentis, quæ Virgo suis cultoribus donare consueuit præclarè discurrit Richardus à S. Laur. libr. 2. de laud. B. V. part. 1. vbi posteaquam duos hoscé præmisisset versiculos:

Iuppiter honores ac diuitias distribuit.

Causa multiplici, seruire Dei Genitrici
Debes, dum viuis, post mortem viuere si vis.

varias affert causas ob quas quisque se obsequio, seruitioque Deiparæ, animitus,

B.V. Dorcas quæ pauperes virtutibus velut vestibus amiciebat.

tus, medullitusque mancipare debet, inter reliquas, decimam quartam ponit hanc: *Quia multiplici virtute, quasi multiplici veste adornat seruos suos. Ipsa enim per Dorcadem illam, quæ Actor: 9. pauperes vestiebat, designata est; Ideo de ipsa scriptum est Prouer. 31. Non timebit domui suę à frigoribus niuis. quæ frigora sunt gelicidium peccati. Omnes .n. domestici eius vestiti sunt duplicibus. Domestici Marię,* inquit Rich. *specialiter sunt illi fideles, tam viri, quam mulieres, qui tanquam serui, & ancillę ipsius obsequijs se, & sua impendunt: & cauentes ea, quę tantę Dominę credunt displicere, pro posse suo mouentur ad omnia, quæ ipsi beneplacita credunt. Isti domestici per orationes, & exempla Mariæ vestiuntur à Domino in præsenti duplicibus, idest, multiplicibus, ac diuersis virtutum generibus, bysso scilicet castitatis, cocco geminæ charitatis, hyacintho desiderijs cælestis, & purpurâ Regiæ dignitatis, quę vestimenta ad decorem sunt, ac nitorem. Vnde Dominus ait Animæ dilectrici, & Ancillæ Matris suæ. Ezech. 16. Vestiui te discoloribus; vt esset circumamicta varietatibus. Vestitus duplex est, perpetua corporis immortalitas, & animæ impassibilitas. Immortalitas ad dotes corporis, impassibilitas, ad dotes animæ refertur. E' contra negligentes seruire Mariæ vestiuntur sicut diploide confusione sua. Vestes seruorum Mariæ sunt fides, & operatio. Fides est vestis quædam interior, quæ ornat animam coram Deo. Operatio exterior, quę coram proximo. Vestis est sapientia ad elidendos errores, & repellendas hęreses. Vestis est patientia ad sustinendas tribulationes. vestis est charitas Dei, & proximi, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Vestis sunt opera misericordiæ corporalia, & spiritualia, quæ sicut vestis duplex muniunt contra frigus inferni. Vestis est mansuetudo cordis, & puritas corporis. Vnde illam oramus: Nos culpis solutos mites fac, & castos.* Tum paucis interpositis, docet seruos Deiparę varijs vestibus pro varia temporum opportunitate ad instar magnorum nobiliū vestiri. *Pro congruentiâ enim solemnitatis,* inquit, *in Natiuitate Domini induenda est humilitas, deuotio, & gratiarum actio; in Passione luctus, & compassio; patientia in festis Martyrum; sanctimonia in festis Confessorum, & Virginum, vt pro varietate festi ipse habitus varietur, sicut videre est in magnis Ecclesijs, in quibus habitus ministrantium variari consueuit.*

Vestitus duplex quē nobis B V. communicat.

Negligentes seruire B V. vestiuntur sicut diploide de confusione sua.

Quenam vestes sint seruorum B. V.

Seruorum B. V. quam variæ sint vestes.

Serui B.V varijs virtutib. seu vestibus pro varietate festorum amiciuntur.

81. Largitur etiam nobis Virgo benignissima Vestem polymitam, sicut Patriarcha Iacob filio suo Ioseph, diuersis virtutibus, ceu filijs distinctam. Est enim Polymitus, Isidore teste, idē quod multicolor. Vestis enim cuiusque, vita illius est, quæ de purpura disciplinæ, de bysso castimoniæ, de hyacintho cælestis conuersationis, de cocco bis tincto geminæ dilectionis contexitur. Non enim sufficit Virgini gloriosæ, vt amici eius ac domestici vna tantum veste contegantur, vult illos, exemplo suo, circumamictos varietate. Per orationes quoque, exemplaque Mariæ comparantur varia illa, eaque pulcherrima vestimenta, de quibus Apostolus Coloss. 3. *Inauite vos sicut electi Dei sancti, & dilecti, viscera misericordię, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis. Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Hęc debet esse colorata, quia charitas est forma virtutū, quæ deaurat, & colorat virtutes, easque vnit, vt benè sint per dilectionem consutæ, est enim illa vinculum perfectionis. Vestit etiam seruos suos bysso innocentiæ & simplicitatis, syndone castitatis, & purpura charitatis. Vnde de illa dicitur Prouer 31. *Byssus, & purpura indumentum eius,* quibus scilicet, & ipsa induta est, & quibus induit seruos suos. Eandem syndonem fecit, & vendidit. Syndon est tela subtilis, & mollis ex bysso facta nouitatemque sanctæ cōuersationis significat Hanc facit nobis Maria tribuens gratiam castitatis, à qua incipit cōuersatio sancta. Hanc etiam vestem tunc nobis quodammodo vēdidit, quando eam nobis largitur, indeque à nobis dignè glorificatur. Hāc etiā syndonem sibi tunc fecit, quando castitatem vouit; tum vendidit quando per votum Virginitatis filio Dei complacuit, vt in ea incarnaretur.

Varia animæ vestimenta sunt virtutes.

B V. seruos suos vestit bysso innocentiæ, & simplicitatis, syndone etiā castitatis.

B.V. sibi tunc syndonē fecit cum castitatē vouit.

82. Vt porrò huiusmodi vestimenta melius seruis Dei aptentur, confert vnicuique zonam, seu cingulum temperantiæ prauos motus refrenantis. Vnde subdidit: *Et cingulum tradidit Chananæo;* quod interpratatur æmulator, siue zelotes, siue præparatus, aut negotiator, siue denique commutatus, à vitijs scilicet, ad virtutes. Et si verò variæ virtutes, de quibus hactenus meminimus, sint vestes duplices; quibus Virgo nostra domesticos suos, ac familiares vestire consueuit; duplices tamen vestes dixerim amorē Dei, & ipsius Virginis, quam qui ardentissimo post DEVM amplectitur affectu, eique se, suaque omnia deuouet ac consecrat, verè non timebit domui animæ suæ à frigoribus niuis, gemina enim hac veste contectus omne frigus cuiuscunquę tandem peccati arcebit, vitalique illo Diuinæ gratiæ calore spiritum deuotionis, quo vita spiritualis continetur, confouebit. Et quemadmodum Dei, Virginisque

Duplices vestes quibus B.Virg. suos vestit, est Amor Dei, & sui.

nisque filium amãdo, eundem nobis induimus, *quotquot enim baptizantur, Christum induunt*, teste Apostolo; sic amando eiusdem Matrem Mariam, mores, vitamque sancta eius æmulatione induunt. Hinc S. Bonauen. Psal. *Mariam induite quotquot diligitis eam, hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus*. Duplex hæc charitas est coccus ille bis tinctus siue purpura ad fouêdum calorem peridonea. Vnde textus Hebraicus: *Non timebit domui suæ à niue. quia omnis domus eius vestita est coccinis*. Similiter Chaldæus Paraphrast. *Non timebunt filij domus eius à niue, quoniam omnes domestici eius vestiti sunt coccino*, hoc est, vestimento purpureo, eoque pulcherrimo; pãnus enim huiusmodi semel imbui solebat vermiculo, tum ad maiorem splendorem, coccino. Verè enim amor Virginis castissimus, nescio quem amori Diuino splendorem addere cõsueuit, eamque animam, quæ ardentissimo Virginis, castissimoque flagrat amore, oculis celestis sponsi reddit gratiorem.

Amor Dei, & B.V. est coccus bis tinctus.

Amor B.V. Amori Diuino splendorẽ addit.

83. In hac porrò duplicium vestimentorum à Virgine Matre facta seruis, filijsque suis procuratione, ostendit se totam, sicut, & in alijs actionibus omnibus primæ Matri nostræ Euæ cõtrariam. Quemadmodum enim illa, inobedientiæ suæ scelere animam peccato, corpus miserijs, calamitatibusque varijs, morte denique ipsa, velut animalium mortuorum pellibus vestiuit, omnique cõfusione, velut diploide circumdedit; Sic Virgo, gratiâ diuinâ, gloriâque cælesti ac immortalitate, humillimo illo suo in Incarnationem verbi consensu; *Ecce Ancilla Domini, &c.* nos induit, omnique honore ac decore coronauit. Vnde S. Bernardus in orat. ad B.V. humanum genus hac diploide confusionis quas nos Eua induit, amictum cernens, agnoscensque illam Iouis esse sydus, optimum indumẽtum domesticis suis communicans, sic eandem supplex alloquitur: *Et nunc sequimur te, ò Domina, ex totis præcordijs vociferãtes ad te, adiuua imbecillitatem nostram. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit? Tunica Euę parẽtis nostrę est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & superuestiuit carnem filiorum suorum, sicut diploide confusione sua. De manu quippe ipsius duplicis mali semen terra nostra suscepit, & concepit, & peperit nobis spinas, & tribulos iniquitatis, in anima; calamitatis in corpore, ac per hoc mortem vtrobiq; O' infelix hęreditas, ò dira humanę carnis infirmitas, vsque quo patiemur te? Multum dorsa nostra incuruasti, quia grauis es valdè, & diu te sustinuimus. Multum minuisti nos ab Angelis, equo, & iumentis insipientibus coęquasti, nimis inualuisti, quę non nisi morte filij Dei sanari potuisti. Nimis super nos te extulisti, quando, & vsque ad eum, qui super omnia est, incautè ascendisti. Et quis liberabit nos à corruptela huius miserrimę pelliculæ? Gratia Saluatoris nostri filij tui, ò Maria, qui vt infirma nostra tolleret, sponte infirmatus est, & vt mors mortis nostræ ipse fieret, innocens pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus, vt loquatur ad cor Domini nostri IESV Christi, vt tu felix Maria, quę in secretissimis amplexibus amantissimi filij tui recubas in meridie sempiterno, eiusque familiarissimo colloquio cum plena cordis lętitiá perfrueris? Loquere Domina, quia audit filius tuus, & quęcunque petieris impetrabis. Inuoca bonum Nomen eius super nos, vt curemur à vetusta hac lepra carnis, ac Spiritus. Exurge, virus hoc mortiferum exinanitura, quod de pomi sui reliquijs Eua nobis propinauit, quando succi noxialis gustu ebriata est, & reliquias dimisit paruulis suis. Vtinam poculum suum ebria illa totum ebibisset, non item in nos diffudisset.* Hæc Bernar.

B.V. in omnibus suis actionibus ostendit se Matri nostræ Euæ contrariam.

Ex quibus intelligimus, quod quemadmodum Eua vetitum fructum attingendo, & se, & posteros vestibus pelliceis, varijs è peccatis, miserijsque tam animi, quam corporis consarcinatis, ac cõtextis induit, ita Diua Virgo benedictum illum cæli vteríque sui fructum, & mente, & ventre excipiendo, & se tanquam Regina vestitu deaurato, omnium varietate virtutum, circumdãdo, & suos adoptiuos filios, ac clientes, exutâ illa diploide confusionis ab infelici Eua cõfecta, duplicibus charitatis, videlicet Dei, & proximi, necnon immortalitatis pulcherrimis induit.

Sicut Eua vetitum fructũ comedendo vestibus pelliceis, varijs è miserijs contextas nobis confecit. Sic B.V. benedictum pariendo sui ventris fructũ nos omni felicitate circumdedit.

84. Illud porrò mirum Virginis in nos declarat affectum, quod eisdem quibus ipsa induta est vestibus, & ex eadẽ quodammodo materiâ, ac panno deuotis suis vestimenta cõfecta elargitur, vt nos tanto magis in sui amorem accendat. Audiendus hic rursus Richard. à S. Laur. loco citato. *Largitur*, inquit ille, *quibusdã specialibus suis vestem, quasi de eodem panno, quo ipsa induta est. de quo Prouer. 31. stragulatam vestem fecit sibi. Et hoc procedit ex maximo affectu misericordię, quod inde probari videtur, eo quod versiculus ille sub litera Mem, quod interpretatur, viscera, contineatur. Sic enim faciendo maxima misericordię viscera nobis ostẽdit. Vnde stragulatam vestem verterunt 70. Interpp. Duplices vestes fecit viro suo, vt intelligamus stragulatam illam vestem, quam fecit sibi, fecisse quoque cuilibet deuoto suo sponso, quo & se, & spirituales sponsos, piosque suos clientes à frigore charitati contrario defenderet.*

B.V. vestes ex eadem qua ipsa induta est materia seruis suis largitur.

Mem litera Hebrea, Viscera significat.

Stragulata autem vestis significat vestem quam-

quampiam pulchram,ac variam,phrygio opere, intermixta bombyce insertam, acu pictam, atque elaboratam, ad arcēda sæuientis hyemis frigora. Vnde P.Salazar. *Quod sane fecit ad frigus charitatis pellendum. Sane lethalis culpa charitatem de medio tollit, leuior autem seu venialis, frigus eidem immittit, quo calens æstuansque ipsius feruor intepescit. Igitur Virgo sanctissima non modo, ab omni lethali culpâ abhorruit plurimum, sed etiā aduersus leuiorum peccatorum frigus stragulatâ veste, ac velut insutis lanis farta, seipsam muniuit, ne quando illius æstuans charitas, eo frigore in teporem verteretur. Mariam enim ne leuissimum quidem peccatum vnquam admisisse communis totius Ecclesiæ conspiratio, & consensus tenet.* Sic ille. Vidit vestium hunc nitorē, peccatorum maculas abscondentem frigusque arcentem S.Bonau. Psal.23. cum illi ita concinebat: *Gloriam, & decorem induisti, omnis lapis preciosus amictus, & operimentum tuum splendor solis super caput tuum; Lunaris pulchritudo sub pedibus tuis.* Huiusmodi igitur stragulatam vestem,quam sibi Virgo fecit arcendis frigoribus idoneam, fecit, & viro, amatori, clientuloque suo, vt & ipse aduersus lethalis, venialisque peccati frigora se possit defendere, vitamque diuinâ charitate æstuantem æuiternum conseruare.

B.V. suis seruis stragulatam vestem parat ad frigus charitatis arcēdum.

Venialis culpa charitati frigus immittit.

85 Huius stragulatæ vestis varietatem, ornatum, atque elegantiam pulchrè nobis ob oculos idē supra memoratus Richardus posuit, dum ita prosequitur: *varijs modis vestem stragulatam fecit sibi Maria; habuit enim varietatem donorum, & gratiarū, ministrationum, & operationum, manifestationem Spiritus, sermones sapientiæ, & scientiæ, fidem, & gratiam sanitatum, operationes virtutum, prophetias, discretiones spirituum, genera linguarum, interpretationes sermonum, & cætera, quæ enumerantur 1.Cor.12. Habuit quoque differentias virtutum, Iustitiam, prudentiā, fortitudinem, temperantiam, & cæteras vniuersas, singulasque. Habuit, & differentias graduū, quia fuit Angelica cum Angelis, Propheta cū Prophetis, Apostola cum Apostolis, Martyr cum Martyribus, Contemplatrix cum Confessoribus, Virgo cum Virginibus, & hæc omnia superexcellenter. Vnde illi dicebatur: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Habuit differentias statuum, quia fuit Virgo, Coniugata, & vidua mortuo Ioseph. Habuit denique differētias vitarum, quia fuit actiua, & contemplatiua, Lia, & Rachel, Maria, & Martha, differentias similiter meritorum, & præmiorum, prius humilis Ancilla, tandem sublimis Regina. Bene igitur dicitur: Stragulatam vestem fecit sibi, qua ornaretur virtutum omnium varietate, non ad inanem gloriam, sed vt sponso suo complaceret. Atque hæc de stragulata veste ac variegata quam B.V. & sibi, & suis fidelibus seruis conficit dixisse sufficiat.*

B.V vestis stragulata quam varia fuerit.

B.V. omnium Angelorum, ac Sāctorum virtutes in se complexa.

86. Neque verò Virgo nostra velut Iouiale sydus optimum hoc, variumq; spirituale vestimētum, quo ipsa amicta est, vt byssinum puritatis purpuram, coccinumque charitatis, diploidem amoris Dei, ac proximi, cingulum denique castitatis, suis amatoribus castissimis donare consueuit, verumetiam donat ipsa quoque aliquādo indumenta corporis, maximè illa, quibus sacri Missæ, sacris aris adstantes, ac litantes decorantur. Expertus est hanc Deiparæ liberalitatem S.Bonitus Aruernorum Antistes,qui cum pro egregio illo suo, quo in illam ferebatur affectu, nocte quadam in eius laudibus pernoctaret, derepente de cælo audita est vox suauissima, micantibusque luminaribus præuijs visa est in Templum ingredi Dei Mater candidissimis sanctorum cætibus, Angelorumque choris stipata. Cantibus porro dulcissimis, omnes Dei,eiusque Matris laudum præconia celebrabant,quin imo,& Mater ipsa filij encomia modulabatur, atque ita concinēdo per medium Templi chorum procedentes, ad summam aram ventum est. Quæsitumque à nonnullis,quisnam sacris esset operaturus? Tum Deipara benignissima: *En adest, inquit, Bonitus præsul verè Bonus, dignusque cui hoc muneris demandetur.* Ad vocem hāc pro sua modestia exterritus Bonitus, cum se subducere conaretur,ecce tibi ei sub pedibus cedit lapis, qui in hodiernum vsque diem, huius rei memorabilis seruat vestigia. Tandem iussu cælorum Reginæ quæsitus, & inuentus,ad cælestem illum cætum productus est, sanctisque illi ministrantibus Angelis, veste sacra candoris eximij, miræ tum lenitatis, tum leuitatis, quæ etiam hodie visitur,à Virgine indutus est, diuinæque aræ applicitus. Quo sancto sacrificij opere consumato,Dei Mater Dilecto suo Antistiti valefaciens,pro munere cælestem illam vestem largita est.Surius 15.Ian.

B.V. vestem Sacerdotalē S.Bonito donauit.

87. Expertus eandem Virginis munificentiam S. Hildephonsus Tolet. Archiep. qui cum contra hæreticos immaculatam,eiusdem Virginitatem edito libro defendisset,& carmina varia in eius laudem maximo pietatis affectu concinnasset; die quodam Beatissimæ Virgini sacro, cum de more mane ad Diuinum officium persoluendum Templū ingrederetur,& ad Diuinum lumen, quod ibi ad instar solis mirificè radiabat, clerus famu-

S. Hildephōsus quod B V. Virginitatem defendisset,ab eadem sacerdotali veste donatus.

famulique terrore essent consternati, & vix non emortui, solus eius Antistes ingreditur, & ad aram Virginis assistens, ecce tibi, mirum dictu, in suo Episcopali Throno Reginam cælorum considentē, Virgines eandem vndique stipantibus choris psalmos Dauidicos mirâ suauitate modulantibus contemplatur. Dum S. Antistes attentius intuetur Virginem, ecce tibi eius vox Hyblæis fauis mixta ipsius allabitur aures: *Propera*, inquiens, *in occursum serue Dei rectissime, & accipe de manu mea munusculum, quod tibi de thesauro Filij mei attuli, in eo, meo Nomine, diebus cōsecratis tantum sacra faciens, vtere. Et quia fidei oculos in meo semper seruitio defixos habuisti, measque laudes, diffusa in labijs tuis gratia dulciter fidelium cordibus depinxisti, his Ecclesię vestimentis in hac vita exornare, vt in futura cū reliquis filij mei seruis lætare.* His dictis Virgo abscessit mirâ securitate de adipiscēda cælesti gloria, reportandâque victoriæ palma, in corde viri sanctissimi relictâ in hodiernum vsque diem Vestis illa miræ subtilitatis ac candoris in Ecclesia Toletana perpetuum Virgineæ liberalitatis in pientissimum illum Antistitem monimentum asseruatur; quemadmodū & Episcopalis thronus, in quo nemo omnibus retro sæculis sedere ausus, excepto Sigisberto, qui quod temerè sedē illam vsurparit in temeritatis suæ pœnā, officio Archiepiscopali priuatus in exilium, iustissimo Dei iudicio, relegatus est. Sur. 23. Ian.

B. V. in S. Hildephonsum amor.

Casula quam B. V. S. Hildephonso donauit e iam in Ecclesia Toletana asseruatur.

88. Expertus denique est Virginis munificentiam S. Thomas Cantuariensis Præsul, qui inter alia quamplurima eaque singularissima beneficia cum adhuc puer esset, dono de manu Deiparę pyxidem opere pereleganti fabrefactam, in qua purpurei coloris inclusa erat Casula quâ prænunciari videbatur eum fore Sacerdotem ac Martyrem. Idem in tantis ijsque castissimis Virginis erat delicijs, vt in resarciendo suo cilicio eandē adiutricem ò rem admirandam, habere dignus fuerit. Quæ sane omnia hactenus dicta clare nobis innuūt Deiparam Iouiale quoddam esse sydus, optimum vestimentum ijs qui sub eius deuotionis nascuntur horoscopo communicans.

S. Thomæ Cātuar. B. V. donat purpuream Casulam.

B. V. S. Thomā in resarciendo in cilicio adiuuat.

89. Quid iam de diuitijs, quas Virginale hoc, ac Iouiale Sydus sub eius horoscopo clientulis impertiri consueuit, dicam? Varijs hoc comprobari posset exemplis. Vnicum memorasse sufficiat, quod Pater noster Petrus Iustinellus in Duce Angelico ad Deuot. B. V. recenset Part. 3. Exemp. 8. scribit igitur Virum quemdam nobilem, ac prædiuitem extitisse, qui absumptis dissipatisque omnibus suis facultatibus, ad summam pauperiem miseriamque redactus est. Vnica huic supererat fælicitas, coniux nempe pietate, ac deuotione in Deiparam insignis. Contigit interea, vt in eius patria Solennitas quædam celeberrima recurreret, in qua ipse profusâ munificentia amicis varia eaque opulenta dona largiri consueuerat. Cum igitur setantis sumptibus præteritis annis prodigè effusis imparem agnosceret, verecundiâ stimulante, consilium capit absentandi se à Ciuitate, quoad solennitas illa terminaretur. Pergit igitur plenus mœrore, nemine conscio ad desertum quendam locum ad miserias suas deplorandas, suamque confusionem euitandam. Hic ecce tibi comparet illi Eques quidam aspectu formidabilis, ferocissimo insidens equo, & hic erat Cacodæmon, qui mox tanti mœroris sciscitatur causam, quæritque quid tandem in illa solitudine agere meditaretur? Recensuit miser ille ex ordine omnia, quæ sibi acciderāt, & quanam ratione ad extremam mēdicitatem redactus fuerit. Mox Stygius Veterator subiunxit, omniaque amplissima est pollicitus, dummodo in parua quapiam re vellet ipsi obsecundare. futurum enim vt copiosissimis ipsum diuitijs, ac honoribus multo quam vnquam antea ornet, atque locupletet. Cui infælix ille Nobilis respondit, facturum se omnia, quæ ipsi libuerit, dummodo se in pristinum statum opibus affluentem restituat. Tum Cacodæmon: Quandoquidem te mihi obsecuturum spopondisti, domum reuertere: & tali loco quære, & scito te tot auri argentique pondo, cum plurimis gemmis, alijsque rebus preciosis reperturum. Illud porro exiguum, quod à te postulo est, vt ad præfixum diem ad me tuam Coniugem adducas. Reuersus domum male fortunatus nobilis ille, ingentem thesaurum designato in loco reperit, quo mox sibi sumptuosissimum cœrnit palatium, alienata bona, ac possessiones redemit, familium longè amplissimum adornauit, largitiones suis amicis copiosas fecit. Vbi tandem dies ille à Dæmone constitutus aduenit, deuotam Coniugem ad se vocat, iubetque equum conscendere, secumque ad desertum illud proficisci, vt fidem Orco datam seruaret. Totis auribus deuota mulier contremiscebat, cum se tam procul à Ciuitate per deserta loca abduci animaduerteret. Verum cum marito cōtra-

B. V. sibi deuotos locupletat.

Nobilis profuse consūptis suis facultatibus à Dæmone tētatur.

Viri Nobilis vxor B. V. deuota, & ob ipsa protecta.

tradicere nō auderet,toto corde se,suúque illud iter B.V. commendabat. Occurrit interea Templum quoddam in via,ad quod ingrediendi potestatem sibi fieri à marito postulat tantisper, dum orationem Dominicam, Salutationemque Angelicam recitaret. Annuit pijs postulatis maritus,qui interea extra Ecclesiam coniugem expectabat. Hic illa, cum sese copiosis lacrymis, ac singultibus Deiparæ commendaret, tantisper obdormiuit. Et misericordiæ Mater relinquendo ibidem sopitam mulierem, eius assumptâ specie, atque imagine, è Templo exiuit, & cōscenso equo ad locum illum appulerunt. Vbi mox tenebrarum Princeps, incredibili accensus furore comparuit. Cum enim fidem seruatam sibi à nobili illo arbitraretur, se delusum animaduertēs, plenus timore,ac horrore à longè constitit,fremensque Nobilem ita allocutus est. *Heu homo infidelis, ac nequam, qui loco tuæ Coniugis, de qua grauiter vlcisci anhelabam de tot iniurijs mihi factis grandi illa sua deuotione, quam habet erga Mariam, mihi tu ipsam Mariam conduxisti nostram capitalem inimicam, totique Tartareo ingens tormentum.* Quæ cum Nobilis ille audisset obstupuit, steteruntque comę & vox faucibus hæsit. Tunc cælorū Regina ad Cacodęmonem conuersa,ita illum increpuit: *Et qua temeritate, maligne Spiritus nocere ausus es meæ famulæ deuotissimę? Scito te hinc impunitum minimè abiturum. Quare iam præcipio tibi, vt mox hinc facessas, & Tartareos illos rogos æuiternum cruciandus abscedas, & in posterum nullum molestare audeas, qui piè Nomen meum inuocat.* Quibus auditis Dæmon, horribili dentium stridore, ac vlulatu sese proripuit. Nobilis vero tantis visis prodigijs, pedibus benignissimæ Dei Matris prouolutus, magno dolore veniam tam enormis sceleris ab ea postulauit. Ipsa vero cum eūdem grauiter corripuisset, quod tantum crimen designare ausus esset, imperauit, vt ad Templum illud rediret,coniugemque, quæ ibi dormiret, domū reduceret, diuitiasq; ,à Satana accepisset,quis mox abijceret. Quæ omnia cum fideliter esset executus, in deuotione Sanctissimę Deiparæ perseuerauit, quæ iuxta ipsius statum,ac conditionem de copiosis opibus illi prospexit,eundemque abundè locupletauit, ostendens reuera se Iouiale quoddam Sydus esse, quod longè maiore cum affluentia, quam Iuppiter suos ditat.

B.V. assumpta forma Coniugis illius Nobilis Dæmonem coercet.

B.V. Tartareo est ingens tormentum.

90. Iam quid de honoribus dicam, quibus Virgineum hoc Sydus sibi addictos exornare cōsueuit? Richardus Laurentinus lib.12.ait: B.V. honorantibus se promittit gloriam: Vnde dicit: *Qui mihi que honorificauerit me, glorificabo eum.* Quare inter causas, ob quas seruiendum sit B.V. numerat quadragesimam: *Quia seruientes sibi, & honorificantes se in præsenti, glorificabit in futuro, imo & in hoc sæculo;* quod pluribus comprobari posset exēplis. Sed vnum suffecerit: Scribit Ioānes Heroldus lib.de Mirac.B.V.cap.20.fuisse Papiæ clericum quendā nomine Hieronymum,qui B.V.Mariam multum diligebat, eique modis omnibus placere satagebat, honoreque qui Dei Matrem decuit pro virili eandem præueniebat. Non est passa Deipara à suo Hieronymo se nec liberalitate, nec charitate superari. Defuncto enim illius Ciuitatis Episcopo, cum clerici ad eligēdum successorem,indicto ieiunio, conuenissent, B. V. cuidam illorum sese visendam exhibuit,eique dixit: *Vade, & dic populo, vt Cancellarium meum constituant huius Vrbis Episcopum.* Cū clericus ille quæreret quisnam sit ille Cancellarius. B.V.respōdit: *Ille est qui vocatur Hieronymus, qui est in Dei seruitio, die noctuque strenuus.* Mox itaque communibus omnium suffragijs tā cleri, quam populi ad apicem Episcopalis honoris, patrocinante Deipara, euehitur, itaque se se in Dei eiusque Matris seruitio,totius vitæ decursu,gessit, vt tādem eiusdem Virginis fauore ęuiternam fælicitatem consequeretur.

B.V. honorantes se honorat.

Hieronymū ad Episcopatum euehit.

91. Iam ad fælicitatem, quam veteres in Iouis Circulo collocasse asseruit Marcianus Philosophus, veniamus. Hāc Aristoteles li.1.Ethicorum sic definiuit: *Felicitas est quędam animę, per Virtutem perfectam operatio.* Hanc verè, post DEVM tribuit Deipara fidis suis clientulis, qui quasi sub Iouis Circulo, sub eius tutelæ videlicet, propitio,faustoque sydere nati educatique esse videntur. His enim illa verè operationē animi perfectæ Virtuti sociatam liberalissimè elargitur dū illorum intellectum, cælesti lumine ad contemplanda cælestia ipsumque summum bonum cognoscendum irradiat, dum eorundem voluntatem ad idem amandum, quasi admotis facibus inflāmat,facitque vt adhuc mortali vitā ęuiternam illam fælicitatem, quæ in eiusdē summi in Boni cognitione, amoreque consistit, vt fere communiter asserunt Theologi, prælibare videantur. Huiusmodi enim homines operationibus hiscè, intellectus, ac voluntatis, beneficio Virginis exercitati, miram animi etiam

Fælicitas in Iouis in Circulo locata.

Quid sit vera Fælicitas?

Fælicitas in cognitione, & amore summi Boni consistit.

in

in rebus aduersis, in mundi huius miserijs, ac calamitatibus, æquitatem magnaminitatemque præferunt, ostenduntque reuera se sapientes ac beatos esse. de quibus M. Tullius l. 4 de Tusc. qq. *Is, inquit, quisquis est, qui moderatione, & constantiâ quietus animo est, sibique ipse placatus, vt neque tabescat molestijs, neque frangatur timore, nec sitienter quid appetens, ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens, deliquescat, is est sapiens quem quærimus, is beatus, cui nil humanarum rerum, aut intolerabile, ad dimittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri potest. Quid enim ei videatur magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo? Nam quid aut in studijs humanis, aut in tam exigua vitæ breuitate, magnū sapienti videri potest, qui semper animo sic excubat, vt ei nihil improuisum accidere possit? nihil inopinatum, nihil omnino nouum, atque idem ita acrem in omnes partes aciem intendit, vt semper videat sedem sibi ac locum sine molestia, atque angore viuendi, vt quēcumque casum natura inuexerit, hunc aptè, & quiete ferat. Quod qui faciet non ægritudine solum vacabit sed etiam perturbationibus reliquis omnibus. His autem vacuus animus, perfectè atque absolutè beatos efficit.* Hæc ille. Quæ sanè omnia in hominibus sub hoc Virginis Iouiali sydere natis, eiusque cultui addictis reperire est, vt rectè considerāti quotidiana ostendit experientia. Hi enim ita in bono, virtuteque assiduâ rerum cælestium contemplatione, amoreque sunt radicati, vt omnes aduersæ fortunæ casus, calamitatesque rideant, ita fortes, ac constantes sunt, vt, si fractus illabatur orbis, impauidos feriant ruinæ.

Quis sapiēs ac beatus cēsendus.

92. Quod si, vt idem Tullius libr. 4. Acad. qq. testatur, Zeno ille sapientissimus in vna virtute positam beatam vitam ac fælicitatem putauit, censens nihil deesse posse virtuti ad beatitudinē constituendam, quæ secundum Boetium libr. 3. de consol. Phil. Prosa 2. *Et status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Is profectò beatissimus, ac felicissimus erit, qui Virginis obsequijs mancipatus, eam amat medullitus, animitusque debito cultu, ac religione eandem venerando. Cum enim illa plena sit gratiâ, plena donis cælestibus, omnibusque virtutibus, etiam ipsius filij, vti ipsa fatetur Eccl 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis.* Quæ enim alia est gratia illa omnis Viæ, & veritatis? nisi gratia Christi Domini eius dilectissimi filij, qui verè de se ipso dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*; cum, in quam, omni gratiâ sit plena, sequitur sanè eam virtutibus omnibus locupletissimam esse; vnde hiscè virtutum opibus exornatam ac ditatam cernens Salomō illud ipsius celebetrimū prædicauit encomium Prou. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Cum denique Virgo tot gratijs, tot virtutibus sit instructa, & plena, ac, vt ait S. Bonau. superplena, & naturâ suâ sit benignissima, ac liberalissima, communicabit illa sine dubio suis amatoribus, pro ingenitâ sibi bonitate, dona sua affatim, eosq; virtutibus omnibus decorabit, beatosque, ac verè felices efficiet, siquidē beatitudo, ac felicitas, iuxta Zenonis placitum, vti diximus, in virtute consistit.

In vna virtute, beata vita posita est.

Quid sit Beatitudo?

B. V. plena gratia, & virtutibus etiā sui filii.

93. Testes sunt innumeri vtriusque sexus sancti, & sanctæ quæ fauorem, variarumque influxum virtutum huius benignissimi syderis in se sunt experti. Testis est Bernardus, Hildephonsus, Bonitus, Bonauentura, Rupertus, Bernardinus, Ignatius, Aloysius, Stanislaus. Testis vtraque Catharina Martyr, ac Senensis, Agnes, Cæcilia, Rosalia, alięque innumeræ Virgines, quæ Reginam hanc cælorum, omnium Virginum Primiceriam, tanquam filiæ Matrem adamantes quā plurimis virtutibus exornari, ac locupletari, & insigni quadam adhuc in terris felicitate beari meruerunt; tandemque eius patrocinijs æternam fælicitatē, quę in clara Dei visione ac fruitione consistit, consecutæ sunt. Inter quas merito accensendæ videntur præclarissimæ illæ Heroinæ Gertrudis, & Metildis, quæ tātis Virginei huius ac Iouialis syderis fauoribus ac influxibus dignatæ sunt, vt cælestis sponsus eis cor suum communicarit, quo dignius Diuinam hanc Matrē diligerent, eiusque laudes deprædicarent; atque hic in terris beatitatem quādam cælestem prælibarent. Quare non immerito Richardus à S. Laur. libr. 5. de laud. B. V. Deiparam lumini gloriæ, quo adiuti in cælo beati, intellectu ad contemplandam Dei faciem corroborātur, comparare visus est, dum dixit: *Maria est candor lucis æternæ: Quia per eam videbitur lux æterna, idest Pater, & Filius, vt ei conueniat illud Psalmi: In lumine tuo videbimus lumen, idest, in filio, qui te illuminauit, quemque tu lucem verā peperisti.* Nec immerito Virgo nostra Lumini gloriæ aliquo modo confertur. Sicut. n. illa post DEVM fons est nobis gratiæ, quæ est semen gloriæ, ita quoque fons, origo, & causa est gloriæ; adeo vt quo pluribus gratijs, ac virtutibus fuerimus ab ea locupletati, pluribus

ribus etiam gradibus, ac splendoribus æuiternæ gloriæ in cælis simus decorãdi.

94. Quare quicunque veram adhuc in hac misera vita fęlicitatem consequi desiderat præclaras Virginis virtutes sedulo æmuletur, ac præsertim puritatem tã animi, quam corporis, tum pietatem, ac misericordiam, quæ in illa, dum adhuc inter mortales degeret, tam mirificè effulsere. Sic enim fiet, vt in nobis sui expressam quandam similitudinẽ cernens, nos adamet, vberioribusque gratijs suis, ac virtutibus magis locupletet. Ad hoc faciendum nos hortatur S. Damascenus orat. 2. de dorm. B.V. *Hanc Virginem*, inquiens, *animi, & corporis puritate oblectemus, hanc, inquam, verè puram, & post Deum cęteris omnibus pręstantiorem, ac puriorem; Sic enim naturâ comparatum est, vt similia similibus gaudeant, sibique applaudant. Hanc, per misericordiam, ac in miseros egentesque pietatem colamus. Quemadmodum enim DEVS nullâ re perinde ac misericordiâ colitur ac delinitur, sic eâdem pietate Dei Mater oblectatur, & exhilaratur.* Sic ille.

B.V. sibi similes in puritate maximè diligit.

B.V. per misericordiam in pauperes colenda.

95. Quod si denique fælicitas, in sententia socratis, est voluptas, quam nulla consequitur pœnitudo, hæc sanè reperitur in Deipara, in qua ipse Dei filius sapiētia increata cum filijs hominum suas sibi delicias quæsiturus, summâ cum iucunditate nouem mensibus requieuit; adeo vt Cardinalis B. Petrus Dam. ser. de Annunc. dixerit: *Non est locus voluptatis nisi vterus Virginis.* Nimirum tantis, ijsque verissimis, quas nulla pœnitudo cõsequitur Virgo nostra inter omnes mortales de deserto mundi huius ascendentes, circumfluit voluptatibus, ac delicijs, vt ipsas beatas mentes in summam rapuerit admirationem. *Earum est vox: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum delicijs affluens innixa super Dilectum suum?* Cant. 8. Audiendus hic Venerabilis Guilelmus Abbas: *Multi electione gratiæ*, inquit ille, *& Christianæ professionibus pietatis ascendunt de deserto humani generis, sed nullus eorum ascendit delicijs affluens. ascendunt ad delicias, non autem in delicijs. Euntes autem eunt cum fletu, portantes manipulos suos. Et quidem cum aliquantula delectatione, idest, quadam modica cęlestis gaudij pręgustatione, vel potius quadã odoratione ascendunt, non tamen ascendentes delicijs affluunt sed postquam ascendunt, perueniũt, quo tenderunt. Quod ergo Dei Genitrix ascendit de deserto commune ei cum multis est, quod autem in delicijs ascenderit, singulare illi est. Si quæris de delicijs istis; dicimus in magnis delicijs fuit, ex quo DEVM Verbum concepit. Nam Spiritus S. in illam superueniens, dum ex eius carne hostiam reconciliationis humanæ formaret, placido illapsu mentem eius illustrauit, atque inenarrabili suauitate interiora eius inebriauit. Denique ex vicinitate illius ineffabilis sacramenti, quod in eius vtero celebrabatur, cor eius mirè tangebatur, & suauissimè afficiebatur. Tunc ergo delicijs affluere cæpit, cum Dominum suauitatis Spiritu S. fœta concepit. Nullus vnquam virorum, nulla fæminarum has in se delicias potuit experiri, quia sunt Matri Verbi singulares. Nec in eius pectore perfunctoria esse potuit illa suauitas, sed postquam mentem eius semel imbiberat, nunquam postea vel leui sui diminutione remissior extitit. Itaque ex quo genuit Saluatorem ascendebat pia Virgo de deserto, delicijs affluens. In tantâ autem excellentiâ, nisi custodem bonorum omnium humilitatem sollicitè tenuisset, proculdubio ab excellẽtia cecidisset. Ideo dicitur innixa super Dilectum suum, &c.*

Sicut DEVS nulla re proinde ac misericordia delinitur, sic eadem pietate B.V. oblectatur.

Fælicitas est voluptas quã nulla consequitur pęnitudo.

Locus voluptatis est vterus B. Virginis.

B.V. in magnis delicijs fuit, postquã verbum concepit, & à Spiritu S. obũbrata fuit.

Spiritus S. inenarrabili suauitate B.V. interiora inebriauit.

B.V. delicijs affluere cæpit, cum Dominum suauitatis Spiritu S. fœta cõcepit.

In B.V. custos bonorũ omnium humilitas fuit.

96. Quibus ex verbis pijssimi Abbatis colligimus sacratissimam Deiparam duplici fonte, siue torrente voluptatis potatã, & velut Dei ciuitatem impetu duplicis fluminis, spiritus nimirum sancti, atque Incarnati Verbi lætificatam, ineffabilibus prorsus etiam Angelicæ linguæ circumfluxisse delicijs, quæ cum purissimæ, diuinissimæque fuerint, omni omnino caruere pœnitudine. Tantę fuere istæ interiores animæ ipsius sanctissimæ deliciæ, vt cor illi præ earum abundantiâ è pectore exilire velle videretur. Vnde præ harum deliciarum exuberantia læta, gaudioque cælesti gestiens concinebat: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Quas interiores animi delicias contemplans Iacobus de Valenzia Episcopus in Cant. B.V. sic eas in persona ipsius expressit: *Non magnifico meipsam, vt Lucifer, & ipsius asseclæ Angeli, sed DEVM. Et non solùm vox mea magnificat DEVM, sed tota anima mea cum omnibus suis viribus, & potentijs. Et sic magnifico DEVM ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, cum omnibus viribus suis. Et in talibus laudibus mihi dictis non exultauit solum vox mea, cum toto corpore, sed principaliter exultauit Spiritus meus, & non in me, sed in Deo salutari meo, & sic ex tali exultatione interiori anima prorupit ad magnificandum DEVM per vocem. Et notandum, quod sub ratione Saluatoris Maria exultauit in Deo. Nã sicut DEVS, in quantum DEVS omnipotens, creauit, & gubernauit mundum; Ita in quãtum Saluator venit in carnem ad recreãdum, restaurandum, & saluandum hominem, qui per peccatum perierat, ac per consequens sub ratione Saluatoris accepit carnem ex Virgine, eamq; magnis donis, ac dignitatibus magnificauit, ac di-*

B.V. magnificauit Deum tota anima cum omnib. suis viribus ac potentiis.

Redemptio nostra causa fuit exultationis, & exaltationis Mariæ.

gnificauit, atque ita redemptio nostra fuit causa exaltationis, ac consequenter exultationis Virginis Mariæ. Sic ille.

B.V. Maternitas immensa, immensam quandam illi animi peperit voluptatem.

97. Quæ sane exultatio proportionata tantæ, tamque mirificæ Deiparæ nostræ super omnes creaturas exaltationi esse debuit, ac proinde credibile est, quod quemadmodum Diuinæ Maternitatis dignitas est immensa, ita immensam quandam animi ipsi peperit voluptatem. Quam ob causam crediderim illam à S. Damasceno orat. 2. de Dorm. B. V. reliquisque Patribus, Vrnam auream cælestem Manna continentem, Apiculam melle grauidam, ficulneam illam humilem detrectantem imperia, suaque dulcedine fructibusque suauissimis contentam, fuisse appellatam.

B.V. ob cælestes voluptates quibus profundebatur vrna aurea cæleste Manna continens, Apicula melle grauida vocata.

Audiamus hic Richar. à S. Lauren. lib. 12. de laud. B.V. *Hæc Virgo est,* inquit, *Ficus illa, de qua Iud. 9. 11. legitur, quæ noluit relinquere dulcedinem suam, & fructus suauissimos, morum videlicet suauitatem contemplationisque dulcedinem, vt promoueretur inter ligna, dominiumque temporale, sublimitatemque transitoriam refugiens, tanquam vera Mater, sedulaque filij imitatrix, qui nolens fieri Rex in terra, fugit in montem. Ioan. 6. ostendens reuera vti ipse postea in passione confessus est, Regnum suum de hoc mundo nō esse. Hæc est ficus illa habens ficus bonas valdè Ierem. 24. Ficus hę sunt pulchra dilectio, timor, agnitio, & sancta spes, &c. Vnde horum ait ipsa se esse Matrem. Hæc denique est ficus illa, de qua Salomon in Prou. c. 27. Qui seruat ficum, idest Mariam, comedet fructus eius, quę sane ob dulcedinem sui fructus rectè ficulneę comparatur. Qui enim in corde suo pietatem, deuotionemq; erga Virginem, quę ob fructus sui dulcedinem, ficui comparatur, radicatam retinet, mirificis eius fructibus recreabitur. Fructibus enim huius ficus illi pascentur, qui sibi Mariam, & se illi, idest, ad honorem eius seruauerint.* Sic ferè Richardus.

B.V. Ficulnea sua dulcedine ac humilitate contēta.

Fructus Virgineæ huius ficulneæ qui sint?

Audiendus denique S. Augustinus qui illud Psal. 21. *Ego sum vermis, & non homo,* apud Richardū ibi. interpretans ait *congrue Deiparam posse dici Manna, quæ est subtilis, splendida, suauis, & Virgo, quæ velut cœlitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis in cibum dulciorem melle fluxit, quem cibum, qui neglexerit, sicut Iudęi manna fastidiebant, non habebit vitam in semetipso, sed ei cibus hic in iudicium conuertetur. Rectè denique Virgo Manna appellatur, quia sicut de illo vermiculus, sic de hac Virgine Christus per Incarnationem est procreatus.* Sic ille.

B V & Māna dulcissimum.

Sicut de Manna vermiculus, sic de B. V Christus est procreatus.

98. Cùm igitur Virgo tantâ diuinarū voluptatum, deliciarumque dulcedine fuerit delibuta, quis dubitare poterit, quin ipsius peculiaribus obsequijs addicti clientuli, de hiscè cæli cupedijs, atque oblectamentis, in quæ nulla omnino cadere vnquam potest pœnitudo, sint participaturi, & hic adhuc sub felicissimo hoc, Iouialique sydere felicitatem æuiternam degustaturi? Illorum nimirum est vox illa: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta Dei Genitrix,* secundum interpretationem D. Ioannis Damasceni, qui orat. 2. de Dorm. Deip. *In ea,* inquit, *lętantium omnium habitatio est, & omnis lętitię causa.* Experti sunt lætantium habitationem, atque ipsam mœrentium afflictorumque lætitiā, lætitiæque nostræ causam esse Deiparam Virginem tres illi Fratres ex Gallica nobilitate, eaque illustrissima Equites Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, qui cum sub Annum Salutis 1134. ad terram Sanctā recuperandam zelo Christianæ fidei accensi essent professi, vt habetur in Equitum Melitensium Annalibus, & inito cū Saracenis conflictu, captiui à Cayri Soldano Ascalone facti, in teterrimum carcerem catenis onerati essent detrusi, à Virgine Deipara mirificè planè in tanta afflictione recreari meruerunt. Res porro ita se habuit. Cum immanissimus Tyrannus tam prece, quam precio, summisque propositis honoribus, intentatis suppliciorum minis, eos ad Mahometi nefandos ritus pertrahere nequiret, indignatus ipsorum, vti arbitrabatur Soldanus, obstinationem, profundo eoque obscurissimo carcere recludi iussit. Mox ad eorum expugnandos animos Alcorani varios Rabbinos aduocat; adhibēs illi machinas omnes, vt eos in suas nassas pertrahant, sed frustra. Tandem Soldanus extrema quæque, vt captiuos à Christo abducat attentat. Erat huic vnica filia Virgo nubilis, formæ elegantiâ celeberrima, ingenio sagax, putidissimorumque Alcorani mysteriorum peritissima, nomine Ismeria. Hanc parens, mirâ Dei, eiusque Matris prouidentiâ ad incarceratos fratres illos submittit, fitque admirando plane prodigio, vt quæ Machometanis technis eos capere attētauit, ab ipsis capta sit. Cum enim pijssimi illi Equites de mysterijs nostræ fidei ac præsertim de Incarnatione in vtero B.V. peracta Ismeriæ loqui cæpissent, tāto in Deiparam amore exarsit, vt eius Iconem sibi ab illis efformari instantissimè postulauerit. Hi licet omnis sculpturæ, & picturæ ignari operam suam, Dei eiusque Matris freti ope, pollicentur. Laborarunt tota vna nocte cultris, scalprisque, vt effigiem Diuinæ Matris exculperent, sed oleum operumque perdiderunt.

B.V. est lætantium habitatio, & omnis nostræ lętitiæ causa.

B.V. esse cōmunem omnium lætitiā experiuntur fratres Galli.

Ismeria Soldani filia amore B.V. capitur.

derunt. Vnde labore, ac mœrore fessos somnus occupauit. Paulo post obscurum carcerem cælitus demissa lux irradians soporem excussit, auditoque Angelico concentu, visaque paruulâ Deiparæ statua in cælis efformata, quam secum Angeli detulerant, mirâ exiliere lætitia, Virginemque maximo in illam affectu complexi, cultum decenti venerati sunt. Vbi primù diluxit, Ismeria ad carcerem contendit, quem vbi tam insolita luce coruscantem intuetur, hęsit attonita; tum visâ Dei Genitricis cum Infante Deo tam eleganti, Cælitum manu exculptâ effigie, in eius mox amantissimos ruit amplexus, seseque præ lętitia vix capere cum illis Sãctis equitibus, poterat. Ipsa tam preciosum pignus sibi cælitus à B.V. missum interpretans, Iconem accipit, eam suauissimè complexata ad patrios lures defert. tum varijs gemmis, è suo thesauro depromptis exornatam, suppliciter, magnâ amoris significatione veneratur, ab eâque postulat, vt opem ad Christiana sacra transeundi quantocyus porrigat. Piétissima Dei Mater per quietem ei se visendam proximâ nocte exhibuit, eamque monuit, vt cum suis illis captiuis fugam ineat, simulque pollicetur tam longinqui itineris se Ducem futuram. Suadet insuper, vt cum ad locũ destinatum peruenerit, sacris Baptismi vndis sese ablui curet, Nomenque Marię assumat. Vbi euigilauit Ismeria, absque mora ad carcerem accurrit, captiuisque dixit. Abeamus; Domina nostra iubet, illa se fugæ, nostræque viæ Ducem fore pollicetur. Ergo lætitiâ pleni excusso sõno, è carcere se proripiunt, & contento passu ad ripas Nili perueniunt; vbi Iuuenis prestanti forma illos præstolari visus est, vt nauiculâ in alteram partẽ fluminis illos deportaret. Vbi Nilum sunt transuecti toti lætitia pleni cum Ismeria iter pedibus arripiunt. Ibat illa nimium quantũ expedita ac velox, cum ecce paulo post tenellæ iuuenculæ plantæ subductæ pustulis, facultatem incedendi negat. Vnde illis sub quadam arbore quies captãda fuit, in qua cum eis somnus obrepsisset, ecce tibi nubes formam currus præseferens, comitantibus Angelis, eos in altum leuat, simulque cum statua Dei paræ in Gallias ad Iuuenum illorum patriam suauissimè deportat. Viuebat adhuc optimorum Iuuenum Parẽs vidua, quos cum iam pridem obijsse fuisset suspicata, mirum dictu, quantopere eorum aspectu fuerit exhilarata. A quibus cum totius rei seriem, Ismeriæque ad Christum conuersionem, ac statuæ Virgineæ, quam illa sinu reuerenter gestabat è cælis missionem didicisset, post mutuos filiorum, Ismeriæque amplexus, post Iconis Diuinę Matris ad orationem, Laudunum ad Episcopum loci illi omnes proficiscuntur. vbi cum Præsul tanta prodigia intellexisset, vehementer admiratus, mirâ lætitia exilijt, Virginemque sacro latice, Mariæ ipsi indito nomine, tinxit. Hæ miracula vbi totâ Gallia percrebuerunt, ingens populorum concursus Lausaniam affluxit, & magna pecunię vi corrogata, Templum Diuæ Virgini de lætitia à fundamentis erigitur, quod in hodiernum vsque diem in summa veneratione habetur. Rem totam, præter Iacobum Bosium aliosque, describit Pater Angelinus Gazeus noster in suis pijs Hilarijs, lætissima hac Historiola pro totius sui Opusculi plane elegantissimi vsus Prooemio. Quod ille tandem, multa paucis complexus, hac breuissimo elogio concludit, ostenditq; quo loco apud Gallos Virginea illa Imago tantæ lætitiæ causa, tantorumque miraculorum, ac prodigiorum origo habeatur, quantaque veneratione ab omnibus in posterum æter nis temporibus habenda sit. Sic ergo ille:

Quod igitur Hilare, quod pium rursum siet
Hoc æuiterno marmori insculptum velim:
Quod Bauaris Ottinga; quod Belgis Hala;
Quod Serra Montis Hesperijs; quod Hungaris
Regalis Alba; quod Lauretum Italis,
Lętitia Francis illud est, & erit suis.

Hæc ille. Quæ sane luce meridiana clarius nobis ostendunt, Virginem plenam cælestibus delicijs, lætitijs, ac gaudijs, tanquam flumen illud lætificans ciuitatem Dei, eadem in sibi deuotos gaudiũ trãsfundere, & velut copiosissimum voluptatis torrentem, ab vbertate domus Dei eosdem potare consueuisse. Quare iure merito ipsam cum B. Andrea Cretensi Orat. de Annunc. animitus consalutare in omni tribulatione nostra possumus: Salue lætitiæ Organum.

99. Neque verò solùm Deipara, velut Iouiale propitiumque sydus felicitatem lætitiamque influens, suis in hac vita clientulis est, sed etiam in æuiternâ illa, prima post DEVM illorum lætitia felicitas ac beatitas. Nihil enim post augustissimæ Triados, sacratissimæque Christi Humanitatis aspectum, in cælis visu reperire possunt iucundius pudicissimâ illâ ac sacrosanctâ gloriosissimæ Dei Matris facie, quam intuentes mirificâ exultant lætitiâ, delicijsque suauissimis

Statua B.V in cælis efformata Ismeriæ ab Angelis deportatur.

Ismeria rogat B.V. vt sibi gratiam ad Christianorũ sacra capessenda tribuat.

Monetur Ismeria à B.V vt in Baptismo Marię nomẽ assumat.

Angelus Ismeriam cum eius captiuis per Nilum transuehit.

Nubes instar currus Ismeriam cum captiuis per aera tollit.

Ismeria Baptizantur ab Episcopo.

Templum B.V. de lætitia magnis sumptibus erigitur.

B. V. est lætitiæ Organũ.

B.V. est vera lætitia etiam Beatis in cælo suo aspectu.

humanæ, Angelicæque menti incomprehensibilibus perfruuntur. Quod sane tanquam priuilegium singulare in Virgine admiratur S. Bonauentura in spec. c. 6. Ecce, inquiens, *quam gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est, quod ipsa in gloria gloriosissima est post DEVM. Gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est, quod quicquid post DEVM pulchrius, quicquid dulcius, quicquid iucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. Gloriosum omnino gloriæ Mariæ priuilegium est, quod post DEVM maior gloria nostra, maius nostrum gaudium de Maria est. Vnde Bernardus: Summa gloria est, ò Maria, post Dominum te videre, tibi adhærere, & in tuæ protectionis munimine demorari.* Sic ille.

B.V. in gloria cælesti post Deum gloriosissima.

Sũma gloria post Deum est Mariam in cælo videre.

100. Agnouit hoc propitium, Iouialeque Virginis sydus in sibi subiectos olim seruulos beatitatem, felicitatemque influere, in perenni illa cælestis patriæ gloria Rutilius Benzonius Episcopus Lauret in Psalm. 86. cap. 43. vbi influxũ hunc in beatorum animas, ac corpora gloriosissimæ Deiparæ doctè, venustéque enucleat: *Maria*, inquiens, *in omnes beatos influit gaudium, & exultationem de beatitudinis corona, & præmio accepto, ob merita sui Filij, eiusque intercessionem iuxta illud Pro. 31. De fructu manuum suarum plantauit vineam, non solum Ecclesiæ militantis, sed etiam triumphantis secundum illud Bernardi: Angelicarum generationum numerus per Filium à me genitum redintegratus est, & hominum generatio per Adam maledicta, per benedictum fructum ventris mei ad æternam beatitudinem regenerata est, & quemadmodum Lignum vitæ ad conseruandam vitam naturalem in terrestri Paradiso collocatum fuit; sic Christus, & Deipara ad conseruandam vitam æternalem in cælesti Paradiso.* Inter illos porrò fructus ligni vitæ, vt placet D. Bonauenturæ, & Anselmo duodecimus est, gloriam æternam fouere ac conseruare. Recipiunt quoque animæ iustorum à Deipara in cælo multas illuminationes, ac reuelationes, multaque alia cælestia dona, quę humanum superant intellectum.

B.V. in omnes beatos influit gaudium.

Christus & B.V. est nobis lignum vitæ ad conseruandam vitam in Paradiso.

Fructus ligni vitæ est gloriam æternã conseruare.

101. Prosequitur deinde, quid particulariter suis benignissimis influxibus in corpora beatorum communicet Virgo nostra benignissima: *Verum*, inquiens, *quid caro gloriosa Deiparæ, seu ipsius corpus influctuet in corpore iam beato, vel beatificando, facile est explicare. Vestitus enim deauratus Deiparæ quo circumdata ad dexteram Filij adstat, teste Psalm. 44. summum splendorem, ac fulgorem, quo corpus Deiparæ beatum refertum est, significat. Hunc beatorum oculi corporei intuentes, congratulantur Virgini, & vehementius, quam Petrus dicunt: Bonum est nos hic esse, omnemque gloriam, & honorem, quem à Christo receperunt, diuinamque adoptionem, & filiationem, ac familiaritatem Diuinæ Virgini, post Christum acceptam referunt. Suppeditat quoque corpus Deiparæ beatis memoriã laborum, quos pro generis humani salute sustinuit, dum viueret, ob quos ingentes gratias ei referunt dicentes: Exultabimus, & lętabimur in te, memores vberum tuorum.*

Vestitus deauratus B.V. summi splẽdorẽ ac fulgorẽ indicat. Beati delectantur.

102. Denique sicut in Templo Salomonis duæ illæ columnæ summam pulchritudinem, & insigne ornamentum ei afferebant, ita in Ecclesia illa triumphante in cælo Christus, & Maria, vt exponit Beda cap. 3. in Apoc. Quod si de quolibet Sancto in cælis commorante verificatur illud: *Faciam illum columnam in Templo Dei mei*; quanto magis de Deipara, quæ sicut in statu vitę fuit columna firmissima per fidem, recta per æquitaté, erecta per intentionem, sublimis per contemplationem, & præterea alios sustentans verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis, vt inquit Richardus de S. Vict. Sic etiam in statu glorię est columna firmissima triũphantem Ecclesiam condecorans, multitudinemque electorum suo splendore, eminentiâ, & proceritate lætificans.

Christus & B.V. in Ecclesia triumphante summum ornamentũ afferunt tãquã illę Columnę in Tẽplo Salomonis.

B.V. Columna in Templo Dei.

103. Est adhæc Deipara in cælo tanquam Vexillum, & monumentum gloriæ Christi, cuius aspectu mirificè recreãtur beati. Est omnium prædestinatorum habitatio, quia vt rectè ait Ansbertus, multitudo electorum cum Christo in vtero Virginis prædestinata descendit, & ab eodem vtero, exaltata ad cælum Deipara, originaliter dependet. Est enim Virgo ob Christum filium, eiusque merita fons, & origo gratiæ, & gloriæ, vel certè Christi, qui etiam, vt homo gratiam, & gloriam prædestinatis concedit, ita vt rectè acclamandum sit: *Lætantium omniũ nostrum habitatio est in te S. Dei Genitrix*. Tu enim es aula, & atrium Deitatis, tu es cęleste Viridarium, ac Paradisus supernus, in quo DEVS ipse, nec non omnes beati iucundissimè spatiantur.

B.V. in cælo est tanquam Vexillum & monimentum gloriæ Christi.

104. Agnouit denique Richardus à S. Laurent. Iouiale hoc, Virgineumque sydus, felicitatem, & temporalem, & æternam adferre suis cultoribus, dum eam lib. 2. de laud. B. V. *Lignum vitæ appellauit.* Cum enim varias rationes ob quas Deiparæ mortales seruire tenentur, attulisset, vigesimam hanc esse voluit; *Quia*, inquit, *ipsa est Lignum vitæ, & qui apprehenderit eam, & qui tenuerit eam beatus*. Prou. 3. Arbor *verè est Virgo, cuius fructus est vita gratiæ hic, & gloriæ in futuro.* Libro verò 12. no-

B.V. Lignum vitæ.

notat Lignum hoc vitæ in medio Paradisi fuisse plantatum, quia nimirum se omnibus ad vsum viæ, & fruitionem patriæ, sine acceptione personarum, fælicitatem singulis promerito impertiendo, communicat. Et sane iure merito Deipara Ligno vitæ confertur; quemadmodum enim illud vitæ immortalitatē perennitatemque, eius fructu vescentibus, humidum radicale, calore naturali deperditum, instaurando largiebatur, felicitatemque planè admirabilem omnis mortis expertem concedebat omni etiā dum in hac peregrinatione versabatur; eumque tandem de hac temporali, nulli infirmitati, mortique obnoxiū ad æternam felicitatem transferebat; sic gratia Deiparæ nostræ, beatiorem quandam, dum adhuc in hac degunt mortalitate, vitam, nulli lethali peccato subditam, qua vera hominis, in hac vita, continetur fælicitas, impartitur, eumque tandē ad illam, nullo vnquam fine terminandum, fælicissimâ, placidissimâque concessâ morte, introducit.

B.V. lignum vitæ in medio Paradisi, quia sine discrimine per sonarum singulis fælicitatem pro merito communicat.

Cur B.V. Lignum vitæ vocetur?

105. Quæ sane mors, summa, vnquam quæ homini in hac vita contingere potest fælicitas existimanda est. Vnde Anthistenes, Diogene Laertio libr. 6. cap. 1. teste, quæsitus, quid est mortalibus beatissimum? longè respondit sapientissimè: *Feliciter mori*. Optat quis nancisci hanc felicitatē? Virginis obsequijs, cultuique se totum, à teneris annis mancipet atque deuouet, eam vt Matrem dilectissimam adamet, atque amplectatur, eius virtutes, ac præsertim mentis, corporisque puritatem, humilitatem profundissimam, Dei ardentissimum illum proximique amorem, obedientiam, in virtutibus assiduum indefatigabilemque progressum, aliaque ipsius mentis animique decora studiosissimè æmuletur. felicissimum mihi credite ad æternā illam fælicitatem, suauissimo cuipiam somno simillimum transitum sortietur. Mens enim ab ineunte ætate virtutum assueta exercitio, cultuique Deiparæ addicta, maiores in dies in probitate, ac pietate, progressus faciet, tantamque benè operandi facilitatem nanciscetur, vt per modum naturæ operari videatur.

Mortalibus beatissimum est fæliciter mori.

Vt quis fæliciter moriatur, totum se cultui B.V. mancipet.

106. Quare præclarè Syluius Cardinalis Antonianus libr. 1. de Christiana filiorum educat cap. 35. docet Parentes, vt à primis annis filios in colenda Dei Matre potissimum erudiant. Idem præcipit, vt Matres vbi primū pueruli lingua soluitur, eum doceant etiam balbutiendo dulcissima IESV, & Mariæ Nomina pronunciare. Quæ vt nominare puerulus cum pietate, ac deuotione assuescat, monet Matres vt magna cum reuerētiâ, religioneque illa proferant. Suadet præterea, vt domi honestiori in loco, vel cubiculo Deiparæ Virginis Imago quæpiam, magnam pietatem præseferens habeatur, cui honorem deferri à domesticis, mane præsertim, ac vesperi, ei adgeniculando, caput reuerenter inflectendo, puer intueatur. Cupit idem pijssimus Cardinalis, vt quamprimum lallare pueri incipiunt eos Matres Angelicam Salutationem, nec non; Salue Regina pronunciare cùm è strato surgunt, & cùm decumbunt, edoceant. Vbi denique puer fuerit grandior, & ratione vti cæperit, vult vt Coronam ex Angelicis Salutationibus Virgini contexere, instruatur, & quanam ratione suis in necessitatibus, ac tentationibus ad hanc Reginam cælorum, eiusque amantissimum filium tāquam ad Asylum recurrere, eique se, totumque vitæ suæ statum committere, illamque in Matrem, atque Aduocatam deligere debeat.

A primis annis Matres filios suos in colenda B.V. erudiant.

Pueri vbi primum lallare incipiūt docendi Nomina Iesu & Mariæ pie pronūciare.

Domi honestiori quopiam loco B. V. Imago collocanda.

107. Hoc modo si quis à primis pueritiæ suæ annis fuerit in colenda Virgine Deipara exercitatus, eamque velut virtutis omnis speculum sibi ad imitandū proposuerit, fieri non poterit, quin eum ipsa omnibus cæli donis locupletet, vitæque ipsius vniuersæ semitas, ita dirigat, vt eum ad optatum finem perducat. Aderit nimirum illa tali suo deuoto filio ex hac vita decedenti, facieque illâ suâ, diuina luce plenissimâ, tenebras omnes, quas eo periculosissimo tempore Tartarei tenebriones menti effundere consueuerunt, discutiet, eique miram animi serenitatem, tranquillitatemque, ingenti lætitia Sociatam adferet.

B.V. adest in morte suis deuotis, & tenebras tētationum luce sua abigit.

108. Quo circa studendum dum viuimus, vt nos in primis eius Sanctissimæ, purissimæque vitæ moribus conformemus, deinde vt maximè pietatis, amorisque affectu, tanquam obsequentissimi filij amantissimam Matrem consalutemus. Hoc suadet S. Bonauen. amator Virginis feruentissimus Par. 3. stim. Diu. Amor cap. 16. *Cùm omni*, inquiens, *reuerentia, honore, & deuotione est Virgo beatissima salutanda, & ipsa tales quærit, qui ad eam deuotè, & reuerenter accedant. Hos enim diligit, hos nutrit, hos in filios suos suscipit*: Mox addit, quænam felicitas hosce Virginis filios sit consecutura, dum exclamat: O *beatus, qui de tam nobili Matre lætatur, ipsam corde amplectitur, opere imitatur! O fælix qui Matri Dei secundum posse summ nititur confor-*

Beatus qui B V corde cōplectitur, opere imitatur, eique conformari nititur.

ma-

mari. Hic est certè qui, omni creatura contempta, soli Deo singulari amore adhæret. Idem Pater Seraphicus eodem in stim. Diu. Amor. part. 1. Christianæ perfectionis (quæ inchoata fælicitas est) æternæque fælicitatis indipiscendæ regulam præscribens, hortatur, vt ante omnia ipsius vitæ sanctissimæ imitandæ studium amplectamur. *Hoc*, inquiens, *semper habeas pro Regula generali, vt eius, scilicet Virginis Mariæ semper vestigia simpliciter imiteris, cuius appetieris suffragia postulare, quia tunc procul dubio te illi, tanquam Matri, veraciter exhibebis, & ipsa te, tanquam suum Filium, veraciter adiuuabit, & quę dignè ab ea petieris, tibi dabit. Et in omnibus tibi necessarijs ad salutem simpliciter administrabit, tandemque in cælesti gloria te apud se feliciter collocabit.*

Pro Regula generali habendum vt B.V vestigia cōsectemur.

109. Quæ sane viri sanctissimi doctrina mire nobis declarat Virginem Iouiale, felicissimumque esse sydus, ad quod per imitationem mortales, dum in hac calamitosa vita versantur, respicientes, benignissimis ipsius gratiæ influxibus & temporaneam illam, quæ in perfectione, cōsummataque virtute consistit, & æternam, quæ clara Dei visione continetur, fælicitatem assequuntur.

Quo circa in illo tam periculoso momento, à quo nostra dependet æternitas, fælicitas aut infælicitas, ingēti animi fiduciâ, amore ardentissimo, medullitus denique, animitusque erit inuocanda, secundum consilium D. Bernardi ser. 2. super Miss. *In periculis, in angustijs, nimirum extremis illis mortis; in rebus dubijs, in quibus moribundi dubitamus an odio, an amore simus digni, tunc inquam, Mariam cogita, Mariā inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.*

110. Expertus fuit Ioannes Berchmānus de quo alias sæpius diximus, in extremis illis mortis angustijs singularem Virginis, cui, ad instar filij, moribus, vitæque puritate sese conformare in vita tam serio nitebatur, protectionem, ac solatium. Cum enim totius vitę decursu varia suæ pietatis amorisque in Dei Matrem Virginem ediderit argumenta, in mortali tamen illo quo diutius conflictatus est morbo, edidit vel maxima, vti in eius vita est. Cum enim aliquando diceret Pater Rector: *Mi Frater Ioannes, inter recitandum sacras officij Canonici preces aduerterunt mihi animum verba quædam, quæ quadrare in te videntur: Puer meus noli timere, quia ego tecum sum, dicit Dominus. Si transiens per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis nō erit in te. Liberabo te de manu pessimorum, & eruam te de manu fortium. Auguror in te probatum iri vaticinia veritatem.* Tum ille; *Ita spero, respondit, sed meritis beatissimæ Virginis: eademque verba secum reputando sæpius repetebat, aliasque suauissimis piarum affectionum iaculis cælum petebat.* Vnde morti vicinus contentâ, alacrique voce concinna iucundaque sonorum varietate, licet musices esset ignarus, cantare cœpit ad instar oloris. *Aue maris stella*; optabat nimirum, hac stella duce, in portum felicitatis æternæ, salua naue, mercibusque introduci. Vt porro affectum suum filialem in Virginem Dei Matrem ostenderet, ad verba illa pijssima: *Monstra te esse Matrem*, subito se erexit. Vnde alias cum quispiā sociorum ei diceret; *Nunc oportet amare Christum, & B. Virginem, quam amasti in vita, & amabis in morte.* Respōdit, magno pietatis sensu: *Quam conatus sum amare in vita, & ipsa amabit me in morte, & inuicem amabimus in æternum, vt spero.* Et rursus appropinquante iam cum infernali hoste lucta: *Si mille*, inquit, *corda haberem, Mariam mille cordibus amarem. His dictis formulam votorum recitauit, seseque totum in holocaustum Diuinæ offerendo Maiestati, ad certamen cum stygio hoste subeundum accinxit, quem etiam superauit, tutissimo fretus potissimùm pientissimæ patrocinio Virginis, cuius cum Litaniæ recitarentur, ac præsertim illa celeberrima ipsius encomia; Sancta Virgo Virginum; Mater purissima, Mater castissima, Regina Virginum; singularem prodebat affectum, sublato è ceruicali capite, & in Virginem quasi inclinato vultu, ad pietatem, religionemque composito, qui index sine dubio erat eximij in Virgineam puritatem amoris, quam ille, æmulari, ac imitari in vitâ conatus est.* Atque ita oculis in Crucifixum Saluatorem, quem manibus vna cū Rosario, Regulisque, quæ ille Arma sua vocabat, complectebatur defixis, pronunciatisque Sanctissimis IESV, & Mariæ nominibus, innocentem animam, quam sub clientelâ tantæ Matris, omnis peccati lethalis labe impollutam conseruauerat, placidissimè Deo creatori reddidit, in illamque perennem fælicitatem, vti speramus, euolauit.

Ioannes Berchmanus singularem in morte B. V. protectionē expertus.

Berchman. sperat meritis B. V. fæliciter moriturum.

Ioannes Berchmam licet Musices imperitus cantauit in morte Aue maris stella.

Ioannis Berchmam in B. V. Amor.

Moriens Nomina Iesu, & Mariæ pronunciat.

111. Quis Adolescentem hunc pijssimum sub Iouiali hoc Virgineoque sydere editum, quis non felicissimum, fortunatissimumque æuiternâ fælicitate, ac gloriâ potitum arbitretur? Sane Pater Cornelius à Lapide vir æquè pietatis, ac doctrinæ laude celeberrimus, in testimonio publico, quod de vitæ sanctitate huic reddidit Iuueni planè Angelico, inter cætera, memoratu dignissima illud habet: *Crebro menti obuersatur. Videor per* diem

diem æquè, ac nocte eum coram intueri, nec horreſco, ſed potius ad lætitiam ſpiritualem, & alacrius Deo ſeruiendum accendor. Nequeo in animum inducere, vt pro defuncto orem, ſed opto, vt ipſe pro me oret, vtque anima mea ſit cum anima illius. Viuat anima mea vita, & moriatur morte Iomnis.

Oratio S. Bonauenturæ pro fælici morte.

112. Quare in ſpem huius auxilij Virginei circa mortis illam extremam periodum erectus S. Bonauentura Pſal. 19. ei ita concinebat: *Exaudi nos Domina in die tribulationis, & ad preces noſtras clementer faciem tuam oſtende. Ne proijcias nos in tempore mortis noſtræ, ſed ſuccurre animæ cum deſeruerit corpus ſuum. Mitte Angelum in occurſum eius, per quem ab hoſtibus defendatur. Oſtende ei ſereniſſimum Iudicem ſæculorum, qui ob tui gratiam ei veniam largiatur. Sentiat in pœnis refrigerium tuum, & concede ei locum inter electos Dei.*

S. Eborhardus nihil vlli in nomine B. V. petenti negauit.

113. Expertus eſt hoc refrigerium Virginis benigniſſimæ S. Eberhardus Epiſcopus gente Boius, genere Comes, qui, dum vixit, nihil vnquam vlli, Mariæ interpoſito nomine, poſtulãti denegauit. Huius in ſe pietatis memor Deipara, morientem ſinu fouit. Vnde quidam poſt mortem eum ſinu Magnæ Matris velut infantem foueri vidit; & nectare quod ipſa illi Virgo libauit, inebriari. Ex Faſtis Marianis 1. Iulij.

S. Eborhardũ B. V. in cælis ſinu ſuo fouere viſa.

B. V. P. Michaeli à Fontibus, promittit eũ abſq; Purgatorium.

114 Expertus eſt refrigeriũ hoc Deiparæ P. Michael à Fontibus, noſtræ Societatis, qui cum multis laboribus in India amore Chriſti exantlatis, ex infirmitate decũberet, apparuit ipſi, clariſſimo ſplendore fulgẽtes Virgo Deipara, bonoque illum animo eſſe iuſſit & in ſpem erexit nullos purgatorij ignis cruciatus eum ſubiturum, ſed recto tramite, abſq; remorâ in cælum euolaturum. Et vero fideliſſima Virgo ſtetit promiſſis. De viro hoc ſiquidem Sãctus quidam ex ordine S. Franciſci requiſitus ab Epiſcopo, teſtatus eſt, eius animam corporis ergaſtulo ſolutam à B. V. Deiparâ, quæ illi obuiam iuerat, coronatam, Sanctis Petro, Ioanne, & Ignatio Fundatore præſentibus.

A B. V. coronatur.

115. Expertus eſt refrigerium hoc in morte Pater noſter Ioannes Gerardinus 1606. cum deceſſui vicinus ita ad Virginem, quam ſpiraculum hominis vocabat Idiota, ſuſpirabat: *O Maria tribularer nimium, ſi neſcirem tuum patrocinium.* Sic de illo Bourghesius in ſocietate Mariana.

116. Ne porrò fœmineum fragilemq; oblita ſexum maxime ope indigum, in tantis tamque periculoſis mortis anguſtijs videatur Deipara, libet feliciſſimum ex hac vita deceſſum auſpicijs Virginis, viduæ cuiuſdam pauperis commemorare, de qua Pelbartus lib. 12. ſtell. ca. 5. cui titulum hunc præfixit: *Quod B. Maria ſuis ſubuenit, & conſolationem præſtat in morte.* Scribit igitur quadam in ciuitate eodem tempore infirmatum fuiſſe virum nobilem, ac prædiuitem, & ſimul viduã quandam pauperẽ. Vocatus Parochus ad excipiendam confeſſionem diuitis, mox ille accurrit promptè, ſperans præclarum aliquod donarium ſe ibi accepturũ, audit obiter peccata confitentem, & lucri auidus, adulatur, vitam æternam pollicetur; & licet alijs multis nominibus, ſiue debitis obſtrictus teneretur, illum tamen, abſque reſtitutionis obligatione à peccatis abſoluit. Intereà adeſt eius in cura animarũ Adiutor ſiue Capellanus monet quandam viduam in extremo iã eſſe mortis diſcrimine, veniret proinde, & peccata confiteri volenti aures præberet. In iras exarſit Curio, verbiſque aſperis malè habitum ad viduam illã audiendam amandat. Abit ille, & conclaue viduæ illius pauperculæ ingrediens, ecce videt cælorum Reginã Angelorum, Virginumque choris ſtipatam lectulo pauperis illius adſtantem, ac linteolo vultũ ægrotantis abſtergentem, ſeduloque ei varia miniſteria pietatis exhibentẽ. His viſis ſacerdos, ſacro horrore percellitur, atque obſtupeſcit. Sed benignè inuitãte Virgine, vt confidenter ingrederetur, ingreditur, & in ſede ab eadem præparata conſidens viduæ cõfeſſionem auſcultat. Tandem de prompto è ſacra pyxide ſacroſancto Chriſti corpore, Virgo Deipara ſeſe cum omnibus Angelis, ac Virginibus in terram proſternens, ſuum Deique filium ſub panis ſpeciebus latentem adorauit, mox ſacramẽtis omnibus munitam felicem illam animam iam cum morte colluctantem Deo commendat; nec ita multo poſt adſtante, & conſolãte eam Deiparâ, corporis vinculis abſoluitur, & ab eadem cum ſuis illis beatis comitibus æuiternũm in cælis cum illis feliciſſimè regnatura deducitur. His peractis ſacerdos mirificâ perfuſus lætitiâ, Deum, eiuſdemque Matrem ob tam eximiam pauperculæ illi benignitatem exhibitam collaudans, reuertitur in domũ infælicis illius diuitis, & ecce tibi vix limen eius attingens, videt innumeros nigerrimoſque cattos lectulum circumuallantes; quos miſerabilis ille, infeſtos ſentiens eſſe Cacodæmones, irrugiens quodammodo clamitabat: *Tollite cattos,* inquiens, *tollite, miſero ſubuenite.* Tum modico

Viduæ cuiuſdam fælix mors auſpicijs B. Virginis.

B. V. in viduam pietas.

Vidua, præſente B. V eique conſolãte ad cẽlũ deducitur.

Diuitis Lectulum nigerrimi Catti circumſtant.

eo interuallo adest ingens Aethiops, qui vultu truci, voce minaci atque horrifica fremens, vncum ferreum faucibus gutturique diuitis inijcit, sui oreque ingenti, infœlicem eius animam, nequicquã horrendum in modum vlulantem extrahit, & Tartareis illis laruis comitantibus, in que eam, flagris horribilibus dessequientibus in inferni Barathrum æternum cruciandam demergit. Hoc spectaculo consternatus Sacerdos, & extra se positus à Dei Matre consolari meruit. Illico enim ei adstans, *Ne timeas*, inquit, *charissime, quia tibi non nocebit malignitas Diabolica. Et scito, quod ob deuota mihi à te exhibita obsequia tibi beatitudo cœlestis parata sit*.

Diuitis anima à Dæmonibus rapitur ad Infernum.

117. En nobis duplex ob oculos mẽtis propositum speculum, ad quod respicientes, animum ad prosequendã in primis peculiari amoris affectu, nobisque omnibus obsequijs demerẽdam Deiparam, vti pia illa vidua factitabat, inflammemur, quo eius beatissimâ præsentiã in tremendo illo mortis articulo irradiari, ac consolari & ab eãdem cum Angelicis choris ad sempiternam felicitatem deduci digni habeamur. Caueamus, per DEVM immortalem, ne terrenarum cupiditatum, diuitiarumque illicito amore irretiti, Dei, Virginisque cultus obliti, proculcatã conscientiâ, fidelissimo, tutissimoque eius destituamur patrocinio. Illius enim protectione, patrocinioque eo temporis momento discriminis plenissimo destitui, nil est aliud quam æuiternum perire. Rogemus igitur illam, & obsecremus cum Pelbarto, vt nobis quidem in omnibus vitæ nostræ momentis, sed præsertim in extremo illo mortis articulo clemens assistat, ac velut propitia, fauensque stella tenebricosum illum vltimæ vitę periodi callem illuminet. Verè assistẽtia Virginis eo tempore stella nobis est vna ex illis duodenis, quæ in eius sacratissimo resplendent vertice. Vnde idem Pelbartus li suo 12 stellarij, in quo patrocinij Virginei varias vtilitatis cõmemorat easque ad 12 reducens capita, quæ ille stellas Virginem coronãtes appellat, quintã diadematis Mariani stellam esse dixit; *Consolationem, auxiliumque in morte ab illa præstari solitum*. Quare ad huius tam felicis fortunatique syderis fulgorẽ benignissimum aspirans ad finem totius operis sic eam deprecatur: *Oro te, atq; supplex, & accliuis obsecro ego miser & vilis peccator, totaque mentis deuotione te deprecor, ò dignissima, & felicissima altissimi Dei filij Genitrix, ac Domina omnium creaturarum, sublimis, Virgo singularis inter omnes mitis. O super benedicta Maria, gloria totius Curię cœlestis te flagito, te inuoco, tibi me indignum recommendo nunc, & in hora mortis meæ, vt intercedere digneris pro me. Da mihi amãtissima Domina mea Maria præstantissima, da perseuerantiam in tuo famulatu gratiam, & in mortis hora prædulcissimo tuo filio IESV meam animam recommenda. sone eam gratia tua, ne per mea pereat scelera, & post mortem tandem fac me immeritum cœlestis gloriæ participem, vbi te, tuũque filium amantissimum laudem per sæcula*.

B.V. patrocinio in mortis articulo destitui, est æternum perire.

Consolatio, & auxilium in mort., quod præstat B.V. est stella vna ex 12. quæ sunt in eius Diademate.

Oratio Pelbarti ad B.V. pro felici morte impetranda.

118. Similiter Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus in expositione salut. Angelicæ, huius tam fausti Iouialis, fortunatique syderis, in tetra illa mortis caligine salutarem fulgorem exoptans, cum ad illa verba a S. Ecclesia superaddita: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, &c.* peruenisset, cum sapiente Idiota piè sane, ac amanter tanquam præsentẽ cernens, seque ab illa aureis quibusdã charitatis catenis in cælum ex hoc ergastulo carnis trahi benignissimè persentiscens, sic eam affatur: *Trahe me post te, vt curram in odorem vnguentorum tuorum. Trahe me post te, quia retinet me peccatorum ponderositas. Trahe me post te, quia me colligat carnalis concupiscentiæ voluptas. Trahe me post te, quia decipit me hostium peruersorum maligna calliditas. Trahe me post te, vt perueniendi ad te mihi augeatur celeritas. Sicut enim nemo venit ad tuum filium superbenedictum, nisi Pater traxerit eum; sic etiam quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad filium tuum gloriosissimũ, nisi tuis sanctissimis subsidijs traxeris eum. Trahe igitur me torpentem, vt reddas currentem. Trahe me peccantem, ne reddas pęnitentem. Trahe me ignorãtem, vt reddas scientem, & curram in odorem vnguentorum tuorum, idest, in fragrantiam sanctarum virtutum tuarum, quę velut vnguenta redolent, & fragrant, dolores mitigant, & vulnera sanant. Oras igitur pro nobis peccatoribus, vt nobis impetres gratiam, cum Aduocata sis miserorum, & honorantibus te gloriam promittis, quia Thesauraria gratiarum existis. Impetra tuis assiduis postulationibus, vt te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, tua mirabilia nuntiem, tuam exemplarem, & sanctissimam vitam prædicem, scripta de te elucidẽ, vt habeam in laudibus tuis vitam ęternam, imo in vita ęterna laudes tuas, & superbenedicti filij tui concinam. Ora, inquam, nunc & in hora mortis nostræ. Huiusmodi enim tam copiosissimas gratias Beata Virgo non tantum propter te habuisti, sed etiam propter nos, vt multipliciter nos adiuuares. Et ideo adiuua in præsenti vita, et bonos, & malos. Bonos eos in gratia conseruando. vnde de te canimus: Maria Mater gratiæ. Malos eos ad misericordiam reducendo, & ideo dicitur: Mater Misericordiæ. Adiuua etiam in morte*

Rutilii Benzonii, & Idiotæ deuotiss. B.V. sequẽdi.

Nemo peruenit ad Christum nisi subsidiis B.V. tractus.

B.V. Thesauraria gratiarum.

B.V. copiosissimas gratias habuit non solũ pro se, sed & pro nobis vt nos in morte præsertim adiuuaret.

B. V. iuuat nos in morte ab insidiis Diaboli protegendo, & post mortem animas suscipiendo, & in cælum deducendo.

morte ab insidiis Diaboli protegendo. vnde subditur: *Tu nos ab hoste protege. Adiuua quoque post mortem animas suscipiendo, easque in cælum deducendo, & ideo dicitur: Et hora mortis suscipe. Adiuua tribulatos dando eis patientiam, tentatos, dando eis victoriam, & in Dei amore famelicos, dando eis internam refectionem:* Adiuua me ergo clementissima V. Maria, & tuis precibus impetra mihi veniam peccatorum, victoriam in tentationibus, patientiam in tribulationibus & in toto vitæ meæ cursu perseuerantiæ donum, quo tandem in futuro sæculo Diuinæ essentiæ, & Sanctissimæ Trinitatis, necnon sacrosanctæ filij tui Humanitatis, tuæque fecundissimæ totam cælestem curiam exhilarantis faciei fruar aspectu, teque vna cum filio tuo æuiternum glorificem. Cui tu tanquam cæli, & terræ Regina in vestitu deaurato, summo & fulgentissimo lumine gloriæ amicta & Aureolarum multiplici varietate circumdata in cælo à dextris, eum in sæcula laudando assistis, indicibilique felicitate perfrueris, qua vt ego quoque indignus famulus tuus tuo fulgore Ioniali, ac fælici afflatus perfrui merear; tu pientissimis tuis precibus atque intercessionibus, pro ea, qua apud ipsum polles omnipotentia, effice. Amen.





DISCVRSVS XXXVIIII.

Martis fortitudo clarius in Deipara Virgine elucescit.

I.



Planetę Martis Natura.

M. Tullius in Somnium Scip. Martis fulgorem rutilum, horribilemque terris esse dixit. Plinius verò libr 2. Hist. nat. cap 8. Sidus Martis, quod quidam Herculis vocant, igneę, ardentisque à sol.s vicinitate ait esse naturæ, eiusque ardore nimio Saturni rigorem temperari. De hoc Planeta Bernardinus Bustius Part. 11. Marial. serm. 2. sic loquitur: *Mars a Gentilibus DEVS belli appellatus est, & in lib. de proprietatibus rerum dicitur, quod disponit ad audaciam, fortitudinem, & ad victoriam de hostibus reportãdam. Inclinat denique, & disponit ad igneas fabrorum operationes ferrum facilius emollientes.* Quas Martis proprietates ait in Deipara quoque reperiri, ac proinde in cælum ascendenti, & ad Planetæ huius sphæram peruenienti inuitationem factam, vt in illa subsisteret: *Tu, inquiens, Victoriosissima Virgo de omnibus hostibus semper triumphasti, ac victoriam reportasti, sicut Dominus prædixerat Diabolo: Ipsa conteret caput tuum. Gen. 3. De te quoque prophetatum est: Orietur Stella, ex Iacob, Marti nimirum æmulatrix, & consurget Virga ex Israel, & percutiet Duces Moab, Dæmones videlicet. De hac Virga à Domino dictum est Moysi. Exo. 14. Leua Virgam tuam, & extende manum tuam super mare, malignos scilicet Spiritus, mare huius sæculi conturbantes. Tu homines per peccatum redditos pusillanimes, facis per impetratam eis à te gratiam animosos. Vnde dicis: Pusillanimes confortamini, nolite timere. Isa. 35. Tu concedis fidelibus de malignis hostibus victoriã. Tu charitate tua ardentissima corda mortalium, omni metallo duriora, per deuotionem liquefacis, emollis, redditque tenera, tuncque illud a Iuditha, quæ tui figura extitit, decantatum vaticinium verificatur: Petræ sicut cera liquescent. Tu denique in seruitio Dei debiles, ac languidos feruore tui Spiritus reddis fortes, ac robustos, ita vt de tuis bellatoribus dici possit: Fortissimi bellatores eius.* Iof. 10. Sic ille.

Planetę Martis ad B V. in cęlos ascendentem inuitatio.

B. V Stella ex Iacob & Virga de Israel.

B. V. Virga Moysis.

B V. charitate sua hominum corda, omni metallo duriora liquefacit.

2. Et verò Deipara nostra Maria quædam Virgo est fortitudine animi incredibili, ad instar cuiusdam Bellonæ prędita qua ab ipsis incunabulis toti Orco, Tartareisque hostibus fuit formidabilis. Audiendus hic S. Ioannes Damasc. orat. 1. de Natiuit. B. V. vbi tenellam adhuc Puellam sic alloquitur: *O' Sanctissima Ioachim, & Annæ filia, quæ Principatus, & potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti! O' sanctissima Filia in maternis vlnis conspicua, rebellibusque Angelis formidabilis! O' Sanctissima Filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris!*

B. V. Virago ad instar Bellonæ fortissima.

B. V. ab incunabulis Tartareis hostibus terribilis.

3. Et licet Virgo beatissima tota quãta est, fuerit Orci tenebrionibus horribilis, fuit tamen vel maximè ardentissimâ suâ charitate, quam ego, velut Martem, rutilum fulgorem, horribilemque, vt Tullius, siuè igneum, ardentemque, vt loquitur Plinius, toto ore, oculisque cuibrasse crediderim. Tanta enim in ipsius pectore, tamque vehemens exarsit Dei charitas, vt nil aliud quam ipsa charitas videretur. Vnde, vbi legit vulgatus Cant 3. *Ne euigilare faciatis dilectam*, legũt Septuag & S. Greg. Nyssenus ἀγάπη, idest, dilectionem. Proprium enim amoris est amantem in amatum trãsformare. Cum igitur DEVS charitas sit, & Virgo ab ipso purissimæ suæ Conceptionis instanti, DEVM super omnia, longè excellentius ipsis Seraphinis quorum iam, sicut & reliquorum ordinum fuit constituta Regina, dilexerit, consequens sane est, quodammodo amoris vi, quæ facit vt amicus sit alter ego, vti ait Philosophus lib. 9. Ethi. in DEVM quodammodo transmutatam. Hinc factum, vt huius charitatis vis, ex ipsa facie emicaret, forasque erumperet, & splendore in vultũ, ac totius corporis habitum redundante Diuinam quandam maiestatem præseferret, vt Dea quædam, carne mortali circumdata è cælo in terras delapsa videretur, vt alibi ex Dionysij Areopagitę Epistola ad suum Magistrum Paulum Apostolum data, comprobatum est.

B. V. sua charitate rutilũ ardẽtemque fulgorem toto ore, oculisque cuibrabat.

B. V. ob ardẽtem dilectionem ipsa Charitas dicta.

B. V. vi Diuinę dilectionis in DEVM quasi transformata.

Amor facit vt amicus sit alter ego.

4. De

4. De his charitatis Virgineę flammis sponsus in Cant. 8. *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum*. Vbi legit Hebr. Lampades eius Lampades ignis, flammæ Dei. Flammæ nimirum vehementissimæ, maximæ, ingentes, sicut mõtes Dei. Hebræis siquidem quicquid grande, quicquid ingens est, Dei esse dicitur, vt montes Dei, Cedri Dei; sic flãma charitatis Virgineæ, flamma Dei, flamma ingens, ac vehemens, vtpote, quę eam sua vi in DEVM vti dixi, quasi trãsformarat, vocitatur; ex qua postea velut fornace ardentissimâ immensus quidã, diuinusque ardor, ac splendo in omnes tam circumstantes emicabat, qui bonis quidem atque electis blandus erat, atque amabilis, sceleratis verò, ac reprobis horribilis, ac formidabilis.

Flammę charitatis B. V. flammæ Dei ingentes.

5. Cor nimirum Virginis erat illud sacrum Altare, de quo Dominus Leuit. 6. *Ignis in altari meo semper ardebit.* Nam vt ait S. Bernar. Senensis Tomo 1. ser. 51. art. 3. cap. 2. *Mens Virginis in ardore dilectionis continua tenebatur.* O' quam venustè S. Amadeus rutilum hunc, igneumque Martij huius, Virgineique syderis ardorem ac splendorem, eiusque mirificos effectus vti etiam supra memorauimus descripsit Hom. 7. de laud. B. V. *Virgo Mater*, inquiens, *o omnium in se charismatum commercia exercebat. Prima nãque visione scintillãs sacri amoris ignibus, proximorum pectora suauiter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, honestatem venustabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem Virginitatis, serebat nouale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, & praeferens indicium veritatis. Splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardescens in facie eius. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos confoueret, iuuaret proximos, cõcremaret inimicos. Fertur ab ijs qui norunt naturam animantium, quod solo visu, & flatu mortifero vicina quaeque sibi Regulus venenatus interimat. Sic illa è regione ignis diuini, calore vehementer accensa, & Verbi flammigerantis spiritu fumendus, odorem refusitans gratiæ ijs, qui longè & ijs qui propè commanebant, exhalabat. Et aliis quidem, id est, aduersae partis erat odor mortis in mortem, aliis verò, id est, credentibus in Filium suum, odor vitæ in vitam. Sicut enim in Eua omnes moriuntur, ita, & in Maria omnes viuificabuntur.* Hæc Amad.

B.V. cor Altare, in quo ignis Diuini amoris semper ardebat.

B.V. scintillabat sacri amoris ignibus, & proximorum pectora suauiter exurebat.

A facie B.V. fluuius igneus ac rapidus egrediebatur.

B.V. aduersariis erat odor mortis in mortem, fidelibus vero odor vitæ in vitam.

6. Huius Martij syderis rutilũ, igneũque fulgorem, eiusque mirificos effectus agnouit idem S. Bernardinus loco iam citato, cum dixit: *Sicut magnus ignis effugat muscas, sic ab ardentissima charitate Dæmones effugabantur, & pellebantur, in tantum quod solum in modico non erant ausi respicere mentem illius, nec de magno spacio illi appropinquare.* Agnouit rutilum hunc igneumque Virgineæ charitatis splendorem, ad instar Martis Cacodæmones territantem Richardus de S. Victore Parisiẽsis Doctor Theologus cap. 26. in Cant. *Virgo*, inquiens, *tenebrarum Principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint. Detterrebat enim eos flamma charitatis, incedebant orationes, & feruor deuotionis, stupebant immunem à peccatis.*

B.V. sua Charitate Dæmones sicut ignis muscas effugabat.

B V sua charitate Demonibus ita terribilis, vt ad eam accedere non prę sumpserint.

7. Neque verò solus hic Virgineæ charitatis rutilus, igneusque splendor, verũ etiam ordo pulcherrimus ad instar validissimi exercitus, erat Tartareis hostibus formidabilis. Cum enim ipsa glorietur in Domino: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Cant. 5. eius charitatem ordinatissimam esse oportuit. Ordinem porrò hunc qualis esse debeat, ostendit Origenes Hom. 3. Cant. *Ordo charitatis, & mensura*, inquit, *huiusmodi est. DEVM diligere nullus modus, nulla mensura, nisi hæc sola, vt ei totum exhibeas, quantum habes. In Christo enim IESV diligendus est DEVS, ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus, in hoc nulla mensura est. Diligere vero proximum est mensura aliqua. Dilige proximum tuum, sicut te ipsum. Si ergo in Dei dilectione minus aliquid feceris, quam potes, & quam in tuis viribus est; aut inter te, & proximum non seruaueris æquitatem, sed aliquid differentiæ habueris, non est in te charitas ordinata. Et quia ait Apostolus, nos esse inuicem membra, puto quod hunc affectum erga proximos habere debeamus, vt eos non quasi aliena corpora, sed velut nostra membra diligamus.* Sic ille. Verè ordinem hunc in dilectione Dei, proximique seruauit Virgo accuratissimè, super omnem creaturam, non dicam Angelicam, sed & Seraphicam, quæ ab incendio Diuini amoris nomen inuenit. Dilexit enim DEVM super omnia sine modo, sine mensura, eique totam animam, totam mentem, totum cor, omnes vires, potentiasque tam animi quam corporis impendit, ac totaliter consecrauit; ita vt hic diuini amoris ignis eam totam in se rapuerit, vt aliud nihil, quam flamma quædam Diuinæ charitatis, omnia in se conuertentis videretur.

DEVM diligendi nullus modus adhibendus.

Proximi nostri, vt mẽbra nostra diligendi.

Quam vehemens in B.V. Diuinus amor extiterit.

8. Hæc nimirum est Terra illa, in qua mira demonstrata diuinitus sunt prodigia, ad quæ Regius Vates Psal. 45. vidẽda, ac contemplanda inuitabat omnes: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram auferens bella vsque ad finẽ terra, arcum conteret, & confringet arma: & scuta*

B V. Terra in qua demonstrata sunt prodigia.

scuta comburet igni. Quam inuitationem expendens Richardus Victorinus lib. 2. de Emman c. 29. a t tantum charitatis ignem in pectore, præcordijsque Deiparæ exarsisse, vt non modo peccati fomitem, bellum inter sensum, & rationem concitantem, sed & peccata omnia per arcum atque arma denotata, imo ipsas peccatorum excusationes, quæ scuta esse dicit, combusserit, ac penitus destruxerit: *Qui*, inquit ille, *illud primum, & maximum mandatum sic vnquam impleuit? quis sic vnquam implere potuit? Diliges Dominum DEVM ex toto corde tuo, ex toto anima tua; ex hac vtique exæstuantis amoris flamma exusta sunt scuta illa, nempe excusationes in peccatis, quæ cum non habuerit, non habuit vtique illorum excusationes, proinde bene dicitur: Scuta comburet igni, ita vt nil eorum penitus superfit*. Sic ille.

B.V. primũ & maximum mandatum dilectionis super omnes maxime impleuit.

In B.V. scuta excusationũ in peccatis cõbusta, quia nullũ habuit peccatum.

9. Quod sane minimè nobis mirandũ est, siquidem Virginem hanc vniuersorum Dominus sibi in domicilium elegerat, quod omnium virtutum, ac præsertim charitatis excellentissimæ ornamẽtis, atque abolutissimæ splendore sanctimoniæ ab ipso primo immaculatæ Conceptionis instanti decuit esse conspicuum. Hæc enim est ciuitas Dei hoc Tabernaculum illud, de quo eodem Psalmo cecinit Dauid: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei; Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus, DEVS in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam DEVS mane diluculo*. Verè enim summo mane, primo diluculo, quo velut Aurora exhilarare mundum suâ luce voluit, ipso inquam, eius purissimæ Conceptionis momento adiuuit supremus Rex Virginem, quemadmodũ Assuerus Estherem, eamque ne in originalis peccati fœces prolaberetur, misericordiæ, benignitatisque suæ vlnis sustentauit, vti videre est libro Est cap. 15. Verè mane illo felicissimo, illo fortunatissimo toti orbi diluculo fluminis cælestium gratiarum, ac charismatum impetus animatam illam Dei ciuitatem lætificauit, ipsiusque fundator DEVS Altissimus eam eximiâ puritate ab omni scelere liberâ, itemque incontaminatâ mũditiâ, qua maior sub Deo nequit intelligi exornans, sanctificauit, sibique dignissimum, acceptissimumque quietis, ac deliciarum locum præparauit, in quo nouem mensium spatio, summa animi sui voluptate carne nostra vestitus commoratus est; adeoque sibi in florentissimo illo virtutum omnium domicilio complacuit, vt in medio, & in intimis cordis eius semper impostерum præsentissimus sit futurus, eamque æternâ mentis stabilitate, nunquam per peccatum vel leuissimum vacillante, solidaturus. Atque ita pacatissimam, suauissimamq; post hominum, Angelorumque peccantium, rebellantiumque tumultus quietẽ in illa reperiens, non cõmouebitur amplius, ob peccata hominũ, ad instar Leonis, aut Monocerotis ad iracundiam, ac furorem, sed in vtero huius Virginis iam mansuefactus, erit nobis in hac vita Agnus mitissimus tollens peccata mundi. Quæ omnia Virgo nostra gratiarum cõsecuta est ornamenta, ob ardentissimam potissimum, ordinatissimamque, qua DEVM, super omnia complexa est charitatem, totam sese illi in holocaustum consecrando, & proximum velut membra sua, velut carnem suam, velut filias, vtpotè Mater nostra amantissima, amando quam tenerrimè.

B.V. Dei domiciliũ omnium virtutum, & præcipue charitatis ornamentis decoratum.

B.V. à supremo Rege in puncto conceptionis in originale pro laberetur sicut Esther ab Assuero, præseruata.

Dei filius ad instar Leonis ac Monocerotis in vtero B.V. mansuefactus, velut Agnus.

10. Hæc nimirum ordinata, & ad instar ignis rutilans, atque inflammans charitas, eam ad instar Martij Planetæ non tam terris, quam Dæmonibus reddebat horribilem, adeo vt inter reliqua pulcherrima eius animi, corporisque ornamenta, atque elogia hoc sponsus memorare non dubitauerit. Cant. 5. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata*. Quis enim pulchritudinem hanc, quis suauitatem, ac decorem ciuium cælestis illius Ierusalem, quis inexpugnabilem hanc ad instar aciei instructissimæ fortitudinem Virgineæ menti, imo & corpori indidit, nisi charitas, quæ sicut color, ac forma virtutum omnium est, ita & ipsius animæ, in qua domicilium sibi fixit? est venustas. Vnde S. Greg. Nazianzenus præclarè cecinit in Carm. de Virginitate:

Solus Diuus amor formosũm reddit amantem.

Huius charitatis ardentissimæ demiratus flammas ac splendores B. Laurent. Iustin. Venetorum Patriarcha serm. de Purif. B.V. exclamauit: *O' quantum Maria crescebat in fide, augebatur meritis, sapientiâ illustrabatur, & magis, ac magis charitatis concremabatur incendio. Charitas ergo Virginis benè ordinata in DEVM, proximumque, & ad instar Martis rutilãs, atque ignescens Orci Principibus, ac potestatibus eam reddebat horribilem, velut castrorum aciem ordinatam*.

Charitas est color, & forma virtutum.

Solus Diuinus amor animam venustat.

11. Audiamus hic B. Petrũ Card. Damiani serm. de Assumpt. verba hæc breui glossemate elucidante: *Terribilis Dæmonibus, ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor Ciuium beatorum*.

B.V. singularis timor malignorum spirituum.

Au-

Audiamus, & piissimum in Virginem sacratissimam Guielmum Abbatem, qui elogium illud supra citatum. Cant. cælestis sponsi interpretans, cũ dixisset Deiparam ornatam virtutibus Cardinalibus, Pulchram esse virtute iustitiæ, quæ animæ pulchritudo est, suauem virtute prudentiæ, decoram virtute temperantiæ; tandem a.t terribilem extitisse propter virtutem fortitudinis, quæ dum hostiles impetus constanter tolerat, hostilem audaciã potenter frenat, iuxta Apostolũ Iac. 4. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*; Sic tandẽ sponsũ illi loquentẽ eiusq; fortitudinẽ Heroicã ac plusquã Martiã excellentẽ introduxit: *Porrò cũ Mater mea sis, & cum genueris terribilem, & eum, qui aufert spiritum Principum, ipsa quoque terribilis es Principibus tenebrarum, vt castrorum acies ordinata.* Tum fortitudinem Deiparæ Angelicæ comparans virtuti, ac robori: *Sanè, inquit, Angeli, quia intus faciem hominis contemplantur, per Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur, aptè signantur; quoniam verò foras mittuntur, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, per castrorum aciem ordinatam figurantur? Vnde Iacob obuiam habens Angelos, qui in eius adiutorium mittebantur; Castra, inquit. Dei sunt hæc.* Gen. 30. 2. *Sibi ergo sunt Ierusalem, nobis autem castrorum acies ordinata, idest, ad spirituale prælium contra aereas potestates pro defensione hominis præparata. Quomodo autem nos caro, & sanguis possemus contra illos, nisi nostram infirmitatẽ castra Dei circumdarent. Tam terribilia sunt hæc castra Dei, castris aduersariorum, vt nulla ex parte irrumpere audeant, nisi quantum occultæ rationis dispensatione siuntur. Dilectus igitur, vt piã Matrem demonstret cunctis malignis spiritibus vehementer terribilem, dixit eam terribilem, vt castrorum aciem ordinatam. Q. vasi D. ceret; Quia te sciunt aereæ potestates esse Matrem meam, Matrem triumphatoris, & spoliatoris sui, cuius est signum in frontibus piorum depictum, verentur te Matrem terribilis, & eius, qui aufert spiritum Principum, idest, destruit superbiam malignorum Spirituum, tu quoque terribilis illis facta es, & non mediocriter, sed sicut est illis terribilis Angelus exercitus, ad coercendum eos, ne supra modum homines infestent, diuinitus ordinatus.* Sic ille.

B. V. pulchra virtute iustitiæ, suauis virtute prudentię, decora virtute tẽperantiæ, terribilis orco ab virtutẽ fortitudinis.

B. V cum genuerit terribile, & eum, qui aufert spiritũ Principum facta est terribilis Dæmonibus.

Angeli sunt castra Dei.

Nos qui sumus caro, & sanguis non possemus Dæmonibus resistere, nisi nos Castra Angelica circumdarent.

12. Idem alterum illud siue Angelorũ, siue adolescentularum sponsæ elogium contemplans sponsæ Cant. 6 *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Docet illam Virginitate, ac fœcunditate potestatibus tenebrarum fuisse formidabilem; & quo magis filius Orco erat horribilis, eo magis, & ipsa Parens, quæ illum genuerat. *Nimirum, inquit, quantum Angelis hominibusque amabilis, tantum etiam spiritibus malignis terribilis. Quid in rebus mundanis terribilius castrorum acie ordinata? Per hoc ergo malignis spiritibus vehementer formidabilis pia Mater ostenditur. Et quidem ex quo Dei filium peperit, terribilis Dæmonibus fuit. Sed ipso clarificato, multo magis. Cum enim eam viderent integritate simul, & prole gaudentem, vehemens illis suspicio incidit, ne forte illa genuisset, tot propheticis vocibus olim prænunciatum Messiam, per quem eorum imperium rueret. Itaque Virginitate illius Puerpere nihil eis tunc terribilius. Cumque in ipsum puerperium intenderent, atque viderent, ab omni originali contagione natum immunem; Aduerterent etiam Angelos de ortu eius gloriantes, stellamque super eam radiantem, Magos ad eum de regione longinquâ cũ mysticis muneribus properantes, & cætera quibus illi puero aliquid inesse declarabatur Diuinum, per singula crescebat suspicio, ex suspicione formido. Denique in dies terribilior fiebat iste Puer, sed & gratiâ Pueri ipsa Mater. Progressu verò temporis cum iam virilem attigisset ætatem, atque miraculis diuinam suam potentiam declararet, creuit in immensum stupor, terrorq; Dæmonum, ita vt pauidi dicerent: Quid tibi, & nobis IESV fili Dei summi? venisti ante tempus perdere nos? Porrò in passione eius, & resurrectione apertè cognouerunt quod esset DEVS, & ex eo pia Mater eius, terribilis non simpliciter, vt prius, sed iam, vt castrorum acies ordinata. Si enim timuerunt Matrem vagientis in cunis, pro sola suspicione Diuinitatis eius, quanto magis Diuinitate eius liquidè comperta, reformidant Matrem sedentis in dextera Dei Patris?* Hæc Guilelmus.

B. V. ex quo Deum peperit maximè terribilis Dęmonibus fuit.

Post passionem, & Resurrectionẽ filii B V. maxime fuit Dæmonibus terribilis.

13. Ex quibus colligitur causa, ob quã Virgo Deipara tãtopere Tartareis Phalangibus extiterit formidabilis, earumque gloriosissima triumphatrix, quia nimirum Dei filium, Dominum exercituũ, fortem illum ac potentem in prælio cuius fortitudo similis est Rhinoceroti, vtero suo complexa est, in eaque nouem mensibus habitauit. Ab hoc illa, sicut charitatem, sapientiam, bonitatem, ac potẽtiam, reliquasque diuinissimas perfectiones, cum earum sit amplissimum pelagus, & ipsissima sit charitas, Dei virtus, & Dei sapientia, vti vocat illum Apostolus; ita quoque inuictam illam, inexpugnabilemque mutuata est fortitudinem, quã à primo immaculatæ Conceptionis exordio de ipso Inferni Principe, eius caput, originale nimirum peccatum, quod reliquorum est venenatus fons, atque origo, conterendo triumphauit, gloriamque mirificam indepta est.

B.V. terribilis Dæmonibus, quia fortem in prælio, ac Rhinoceroti fortitudinẽ simillimum vtero gestauit.

est. Vnde triumphum hunc Virgineum de antiquo serpente considerans S. Bonau. sic illi Psalm. 50. insultat: *Quid gloriaris in malicia maligne serpens, & Draco infernalis? Submitte caput tuum Mulieri, cuius fortitudine demergeris in profundum.* Tum ad Virginem triumphatricem conuersus: *Consurge*, inquit, *eia Domina, pede virtutis tuæ, exurge, & dissipa maliciam eius, extingue potentiam eius, & virtutem eius redige in fauillam; vt viuentes exultemus in Nomine tuo, & læto animo dicamus tibi laudem.*

Triumphus de antiquo serpente reportatus, est Stella vna de 12. in capite B. V.

14. Triumphum hunc Virginis de antiquo serpente reportatum Pelbartus libro 2. Stell. Part. 3. artic. 2. capit. 8. Stellam vnam è duodecim illis sacratissimum Deiparæ verticem cingentibus, appellauit, aitque de hac gloriatam fuisse Deiparam cum cecinit; *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Nimirum, inquit ille, *Brachium Dei dicitur Filius Dei, qui est Filius Virginis secũdum expositionem Bedæ. Quia sicut homo operatur per brachium, ita DEVS, per Verbum suum operatus est omnia. Omnia per ipsum facta sunt; In hoc suo brachio DEVS Pater fecit potentiam magnam, cum potenter potentissimum Diabolum, qui humanum genus possedit, deuincens, triumphauit. Vnde subdit: Dispersit superbos, mente cordis sui. Magis propriè, inquit Cyrillus, de Dæmonum hostili caterua intelligenda sunt hæc Verba, hos enim sæuientes in terra dissipauit adueniens Dominus. Merito igitur de hac stella triumphationis B. Virgo gloriatur, quia per eam, & in carne de ea sumptá Dominus, de Diabolo potissimum triumphauit, vt iam impletum sit illud Gen. 3. Ipsa conteret caput tuum. Quoniam per B. V. mediante Filio potestas Dæmonum contrita est; Per passionem enim Christi in carne de Virgine sumpta, de potestate Diaboli liberati sumus. Vnde aiebat Saluator: Nũc Princeps mũdi huius eijcietur foras. Ante enim quam Dei Filius in vterum Virginis descenderet, inque ipsius carne pateretur, duplicẽ quandam manum attrahentem atque impellentem habere videbatur.* Manus attrahés erat potestas trahendi ad limbum, etiam iustos ac Sanctos, tantæque erat potentiæ manus hæc, vt nullus ei resistere posset. Et hæc per passionem amputata est. *Siquidem nullum iustum modo ad limbum valet trahere. Manus autem impellens erat potestas præcipitandi in malum per fallaciam, ac violentiam, quia tentabat vt Draco, vt Leo secundum August. Hæc violentia ac fallacia fortis extitit, vt magná cum difficultate quis ei resistere posset, siquidem in multis, ac pene in omnibus regnabat. Hæc per passionem etiam debilitata est. Quia lumen veritatis contra Diabolicam fraudulentiam, & virtutis adiutorium contra violentiam cęlitus datum est. Iam enim fere vbique toto orbe veritas propalata est, destructaque Idololatria, quæ prius in mundo regnabat. Iam etiam adiutorium virtutis, per gratię infusionẽ tribuitur ad concupiscentiam reprimẽdam. Angelica denique protectio aduersus comprimit potestates.* Tandemque concludit: *Quamuis itaque per Christum potestas Diaboli superata sit, tamen in nobis est dare vires hosti, nosque ipsos potestati ipsius subiugare. Vnde verissimè Hieronymus: Debilis est hostis antiquus, qui non potest vincere, nisi volentem. Atque ita patet, quod per B. V. mediante Filio, potestas Diaboli contrita, ac debilitata sit.* Hæc Pelbartus.

Brachiũ Dei Patris est Filius.

Christus carne de B. V. sumpta de Dæmone triũphauit.

Duplicẽ manum habẽté visus est Dæmon ãte Verbi Incarnationem.

Dæmonis manus impellens, erat potestas præcipitãdi in malum.

Hostis antiquus est debilis, qui non potest vincere nisi volentem.

15. Humanatus igitur in vtero Virginis Dei filius, cui Dominus exercituum nomen inditum, stygijs illis potestatibus, tenebrarumque Principibus ad instar aciei castrorum ordinatæ, ad instar Martij illius rutilantis, igneique fulgoris, Matrem suam reddidit horribilem, ac formidabilem, adeo vt vel solo eius audito Nomine contremiscant. Vnde S. Bonau. in spec. cap. 3. Nomen illius dulcissimum interpretans, cum varias expositiones attulisset, addidit tandem, Mare amarum, Dæmonibus videlicet, significare: *Considera*, inquiens, *quod Maria est mare amarum Diabolo, & Angelis eius per ipsum oppressis, sicut mare rubrum amarum fuit Aegyptijs ipso submersis. O' quam amarum & timendum est hoc mare Agyptijs! O' quam amara, & timenda est hæc Dæmonibus! Vnde Beatus Bernardus: Non sic timent hostes visibiles quamuis castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum, fluunt, & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicunque inueniunt crebram huius Nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem.*

Per B. V mediante Christo potestas Diaboli cõtrita est.

Nomen B. V. sonat mare amarum Dęmonibus.

16. Idem Seraphicus Doctor ibidem docens nomen hoc suauissimum, Dominam denotare vbi dixisset illã esse Dominam Angelorum in cælo, Dominam hominum in mundo, addidit tandem illam Dominam esse Dæmonum in Inferno, tam potenter eis dominantem, vt de ipsa accipi possit illud Psalm. 109. *Virgã virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion dominare in medio inimicorum tuorum. Virga virtutis*, inquiens, *est Virgo Maria. Ipsa est Virga Aaron florida per Virginitatem, & fructifera per fœcunditatem. Hæc Virga Virgo Maria virtutis Virga est contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur; Et ideo Domina tam magna, tam magnæ virtutis, merito à nobis laudatur, merito à nobis amatur, & merito à nobis exoratur, vt nos contra inimicos istos tueatur. Exemplũ dat nobis Anselmus, qui tantam Dominam alloquens ait. Te*

Virga Virtutis est B. V. cõtra hostes Infernales.

B. V. est Virga florida per Virginitatem, fructifera per fœcunditatem.

Do-

Domina magna, & valdè magna, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, qui tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea. Sic ille. Quibus pulchrè ostendit non modo ordinata charitate suá in DEVM proximumque, quæ mirificè in ea refulgebat, vti diximus, formidabilem Tartareis hostibus, ad instar castrorum aciei, esse Virginem, verum etiam ipso solo nomine suo augustissimo, eiusdemque magnificentissimis significatis extitisse.

17. Quid iam de eius reliquis pulcherrimis virtutibus ac meritis, quibus omnes Angelos, omnes iustos, quotquot à primis mundi incunabulis, in hoc orbe extiterunt, & vsque ad sæcul. consummationem futuri sunt, multis parasangis superauit dicam? His reuera Virgo nostra fortissima mirificis perfectionibus nouem Angelorum choros, ceu armatas phalanges, his Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrũ, Confessorum, Virginũque cuneos, exercitusque in se vna, velut in lucidissimo speculo repræsentauit, ita vt ei dicere possimus: *Pro his omnibus vna.* Licet enim Angelicarum Hierarchiarum cohortes, reliquorumque iustorum sacrati ordines singuli per se, & simul quoque vniti Tartareo sint nimium quantum hosti horribiles, ac formidandi, vna tamẽ hæc Virgo, absque vlla comparatione, ob illum qui caput Angelorum, iustorumque, & sanctorum omnium sanctissimus in vtero eius commoratus est, absque vlla comparatione est formidabilior. Vna enim hæc solaque Virgo, est vna illa mulier Hebræa, quæ fecit confusionem in dono stygij Nabuchonodozor, dũ illius caput pede, ad instar vilissimi vermiculi protriuit, qui antea super astra cæli exaltare solium suum, & similis esse Altissimo, per summum nefas anhelabat. Vnde Richardus à S. Laur. cultor Deiparæ pijssimus lib. 4. de laud. Virg. nascẽtam Angelorum, quàm omnium sanctorum virtutes in Deipara peruenustè coordinatas contemplans, eam hanc ob causam castrorum aciem ordinatã terribilem Dæmonibus appellat; moxque reddit rationem: *Ipsa enim tantum Dæmonibus est terribilis, quantum Angelis, & sãctis extitit venerabilis; id est, sicut tota acies Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Angelorum; Confessorum, & Virginum, atque omnium qui ordinatè contra Diabolum pugnauerunt. Nam quia omnium sanctorum priuilegia habet in se congesta; Omnia enim poma noua, & vetera seruaui tibi dilecte mi, inquit illa, Cant. 7. ita terribilis est Dæmonibus, sicut vniuersa sanctorum aliorum collectio.* Hæc Richar. de Virgineis virtutibus, quibus velut optimè instructus exercitus Tartara consternauit, eorumque incolas prostrauit.

In B V tam quam acie castrorũ omnes Sanct. virtutes coordinatæ.

18. Vidit S. Metildis in gloriosissima hac Virgine omnes Angelorum, Sanctorumque virtutes, ac merita, vti in ipsius Vitæ libro 1. cap. 41. scribit Landspergius. Cum enim in nocte Assumptionis gloriam Virginis, qua eam Sanctissima Trinitas decorauerat, esset contemplata, dixissetque Spiritum Sanctum suo amore, benignitate, ac suauitate omnibusque suis beatissimis gaudijs eã adeo copiosè repleuisse vt omnes Cælites ipsius plenitudinis abundantiâ replerentur, mox attexuit: Spiritus Seraphici qui à suæ creationis principio amore Diuinitatis in via exarserunt, calore charitatis Mariæ Virginis Sanctissimæ magis inflammati sunt. Cherubini etiã scientiâ, & charitate Dei pleni, ipsius noua luce illustrati sunt. Omnes denique Ordines Angelici, Sanctorumque chori, ex tantæ Reginæ consortio gloriç, nouam charitatem, ac lætitiam, in meritorum suorum incrementum consecuti sunt. Quare addit se vidisse Reginam gloriæ stantem ad dexteram Filij lucidissimis conuestitam speculis, in quibus modo admirabili omnium Sanctorum merita relucebant. Vnde Sancti omnes cum gaudio ad eius Thronum accedentes singulariter omnia sua merita in ea contemplabantur, inque nouas laudes prorumpentes iucundissimè in Domino iubilabant. Et Patriarchæ quidem, ac Prophetæ intente sua desideria, insignes virtutes, familiaritatemque quam in mundo cum Deo habuerunt, aduerterunt B. Virginem, in omnibus huiusmodi meritis ac virtutibus illos quam longissimè superasse. Atque ita quoque Cælitum ordo ad eam accedendo suaque merita in ea speculando cum gaudio admirabantur se ab illa superatos. Ipsa enim inter Apostolos ad Christũ quam proximè per fidelitatem accessit, ipsiusque verba diligentissime conseruauit conferens in corde suo. Fuit illa inter Martyres patientissima ac constantissima. Inter Cõfessores illuminatissima, omnes tã verbis quam exemplis illuminãs Inter Virgines non solum castissima, ac Sanctissima, verumetiam prima Virginitatis, omnisque

nisque Religiositatis amatrix. Ipsa inter mansuetos fuit mansuetissima. Inter misericordes misericordissima. Inter humiles humillima. Inter perfectos perfectissima. Et ideo merito omniū Sāctorū priuilegia, ac prærogatiuas superauit.

19. Quod si solam virtutem ipsius orationis consideremus, mirum quantū hac ipsa toti inferno reddita sit formidabilis. Hinc S. Amadeus Hom. 2. de laud. B. V. elogium illud sponsi ponderans: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Cāt. 4. *Asserunt*, inquit, *odore thuris Dæmones effugari, lacrymas excitari, DEVM, lacrymis mediantibus, placari; Ego verò libenter dixerim, odore virtutum Sanctæ Mariæ, addiderim ego, ac præsertim orationis per thus designatæ, Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine huc, illucque raptari vt in eis impleatur quod dictum est Psalm. 34. Fiant tanquam puluis ante faciem venti.* Tum multiplicem vim exergiamque eiusdem orationis exponens, prosequitur: *Odor iste mortuos in peccatis excitat, mente labiles roborat, bonos inditat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor, qui Regem in accubitu suo per Virginem prouocauit, vt ad nos veniens, nostra reciperet, sua daret, constituens nobiscum amicitias, lege immobili, & pace sempiternâ. Sic igitur fragrātia vestimentorum Sanctæ Mariæ hostes fugat, bonos inuitat, DEVM placat.* Quid fortius, quid efficacius Virginis contra infernales laruas oratione? quæ sanè tāto gratior, suauiorque Deo extitit, quanto ardentiori charitatis igne, qui in aureo cordis eius erat thuribulo, iugiter cremabatur. Atque ita non modo deprecationis ipsius thus suauissimum, verum etiam ignis ille flagrantissimæ charitatis Leones infernales ita consternabat, vt ad instar ceræ, à facie illius ignis colliquescerent. Indiderat nimirum Matri filius suam illam proprietatem, de qua canebat Dauid Psal. *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Vnde idem S. Amadeus Hom. 8. de Virginis æquè benigno pijs, ac formidabili Dæmonibus loquens aspectu præclarè pronunciauit: *Enimverò sicut ignis attactu ceræ liquescit, & velut ardore solis defluit glacies, sic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaque iubente nihil aduersi subsistit.*

Odore virtutum ac præsertim orationis B.V. Dæmones effugantur.

Odor virtutū B.V. Regem cæli, filium ex sinu æterni Patris in eius vterū euocauit.

A facie B.V. Dæmones diffugiunt si ut cera à facie ignis liquescit.

20. Quare eadem Homilia velut gloriosissimam quandam Heroinam, Imperatricem ac triūphatricem opima spolia prædamque Orco detrahentem, teteros illos hostes vastantem, magnifica trophæa erigentem, ac gloriosissimè adinstar cuiuspiā Martis, aut Bellonæ formidabilis triumphantem introducit. Sed ipsa verba mirè rem totā ob oculos proponentia audiamus: *Nouis itaque triumphis, noua perditorum ereptione, nouis populorum incrementis exultans gratulatur in Domino, nec contenta partis spolijs, sed humanæ salutis cupida, hoste liuido longius propulsato, alias, atque alias sibi exuuias semper inquirit; Igitur in manu potenti, & brachio excelso Tyrannorum fines egreditur, munitissima quæque domorum aggreditur, inferna sub pedibus suis facies contremiscere, & Principem mortis nimio timore percussum exilire. Denique ipsâ iubente, vehementer euomit prædam, quam in ventrem maliciæ traijcerat, reijciens cum dolore, quam cum ingenti superbia detinebat.* Hactenus Amad.

B.V. quanta sit lætitia in peccatoribus a Tyrannide Dæmonis liberandis.

21. Quibus omnibus hactenus dictis piè consideratis iure sanè meritissimo in illud à Venerabili Beda in laudē tantæ Bellonæ hostium Tartareorum Triūphatricis factam prorumpere possumus exclamationem: *O benedicta Mater, quæ inferni vastatorem, Cæli reparatorem, nostrum Saluatorem, mundi Redemptorem, DEVM omnipotentem, Dominum cæli, & terræ omnia continentem, suo protulit ex vtero.* Quis igitur iā amplius manus cum hoste conserere, quis confligere, sub tantæ, tamque magnanimæ, imo Martiæ Imperatricis signis detrectet? Quis sibi certam victoriæ palmam, sub felicissimis Bellonæ huius auspicijs, cuius vel solus rutilus, igneusque vultus eius splendor, Orci tenebrionum oculos perstringens, eos terga vertere compellit?

B.V. cæli Inferni vastatorem cæli reparatorē, hominumq. redemptorē mundo peperit?

Sub B.V. signis facilis est contra Dæmones pugna.

22. Quare iure meritissimo eam Martium sydus, imo Martem ipsum, si ita licet loqui, DEVM belli, nos ad prælium contra mundum, Dæmonem, carnem, omniaque scelerum monstra ineundum animātem, & vires roburque masculum ad teterrimos hosce hostes debellādos suppeditantem, possumus appellare. Vnde S. Bernard. Tomo 2. suorum operum in deprecat. ad B.V. eam humani Generis in prælijs suis difficillimis, atq; atrocissimis inuictum quendam Martem, inexpugnabilemque Bellonam suo nos exemplo, ad dimicandum contra Satanam, mundum, carnemque excitantem agnoscens, eam in hunc modum alloqui non dubitauit: *Tu Bellatrix egregia prima eum, qui primo omnia supplantauit expugnatæ viriliter aggressa es, & spiritum elationis Euæ vertice humilitatis complosisti, quam in te ita respexit Dominus, vt ipsius merito super omnes Angelorum choros te sublimari dignam iudicauerit. Nunquam enim super omnes Angelos glorificata ascendisses, nisi prius infra omnes homines*

B.V tanquā sydus Martiū nos ad belliū contra mundum, carnem ac Dæmoné excitat.

B.V. Bellatrix egregia cōtra Dæmones.

mines humiliata descendisses. Tu & ardorem vetitæ concupiscentię, virtute castitatis in tua carne Virginea eatenus extinxisti, vt is, in cuius conspectu nec astra munda sunt, tantæ mundiciæ carnem tuam iudicauerit, vt etiam suæ Diuinæ puritati agglutinare non despexerit. His ergo primarijs ducibus tenebrarum a te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam spiritualium nequitiarum militia in fugam conuersa est. Tu namque terribilis es, vt castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt Principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armatura omni fortiore instructam contra se procedere fœminam, fœminam fortem, ad bella doctissimam, cuius ensis super femur suum propter timores nocturnos? In circuitu eius acies validas spiritualium virtutum suo se ordine iuuicem tuetium, (siquidem ordinatione perseuerat dies:) sed & innumerabilium beatorum spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus, vtpote, qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac prouiderent ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes inuaderet. Nimirum timor ac tremor irruerunt super eos, ita vt dicerent: Ecce plusquam Eua hęc, castra Dei sunt; hec, fugiamus Israelem. Hæc Bernardus melliflua sua eloquentia sane venustissimè.

B.V. Principes tenebrarum armatura potiore instructam horruerunt.

Innumerabiles Angelos delegari ad ministerium B.V.

23. Agnouit S.Augustinus apud S.Bonauent. in spec.cap 3 Deiparam Martẽ bellipotentem, Bellonamque in prælijs nostris, dum potentissimum cælestium exercituum Ducem Michaelem, eius sub dit imperio, eamq; Archistrategẽ supernę militiæ constituit. *Michael*, inquiens, *Dux, & Princeps militiæ cęlestis, cum omnibus spiritibus administratorijs, tuis Virgo paret pręceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium specialiter tibi Domina, & die, ac nocte se commendantium.*

S.Michael defendendis & suscipiendis animabus B.V. paret imperio.

24 Quare quemadmodũ Regius Psaltes Dominum exercituũ laudabat, quod ipsum ad spiritualia potissimum bella gerenda, instruxisset, atque animasset; sic Seraphicus Doctor Psal. 143. exaltat Deiparam, ipsius Martij roboris probe conscius, quod seruulos, clientulosque suos ad præliandum, exemplo, auxilioque suo cum coniuratis in perniciem, caputque nostrum infernorum hostibus, adhortetur. Vnde illi sic Seraphico plane amore accensus modulabatur: *Benedicta sis Domina, quæ instruis seruos tuos ad pręlium, & eos roboras contra inimicum. Fulgure, & coruscatione dissipa illũ, mitte iacula tua, vt confundas illum. Clarifica de alto manum tuam, vt cantent serui tui laudem, & gloriam tuam.* Et Psal. 139. fortitudinem plusquã Martiam contra animæ nostræ hostes in Virgine agnoscens, sic eam eius opem implorando, deprecatur: *Eripe me Domina ab omni malo, & ab hoste inferni defende me: Contra me tetendit arcum suum, & fraude sua insidiatur mihi. Constringe vires eius malignas, & obtunde potenter astutias eius. Conuerte iniquitatem ipsius in verticem illius, & in foueam, quam fecit cadat festinanter.* Idem Psal. 59. Martium Planetam fulgore suo rutilo igneoque Cacodæmones territantem, nosque ad præliandum animantem, atque inflammantem, agnoscens eandem gloriosissimam Deiparam, in auxilium suum aduocabat: *Exaudi Domina*, inquiẽs, *orationem meam, super firmam petram stabilias mentem meam: Esto mihi turris fortitudinis, me tuearis à facie crudelis vastatoris. Vt castrorum acies sis illi terribilis, & viuus corruat in profundum inferni.* Tum causam huius terroris quem Cacodæmonibus incutere cõsueuit, annectit: *Tu enim es rutilans, & decora, nubes rorifera, & consurgens Aurora. Pulchra es, & clara vt Luna plenissima, & tãquam sol refulget sacer aspectus tuus.* Et Psal. 68. vim eius ignitam Orci tenebriones territantem agnoscens, sic eius exposcit auxilium: *Domina in adiutorium meum intẽde, & luce misericordię tuę illustra mentem meam. Ostende potentiam tuam contra inimicos nostros, vt procul in nationibus sanctificeris. In ira flammæ tuę mergantur in infernum, qui conturbant seruos tuos, inueniant perditionem. Miserere seruorum tuorum, super quos inuocatum est Nomen tuum, & ne sinas eos angustiari in tentationibus suis.* Idem denique Bonauentura Martium robur in Deipara suspiciens, eius opem supplex postulabat, Psal. 54. *Miserere mei Domina, quoniam conculcauerunt me hostes mei quotidie, omnes cogitationes eorum in malum contra me. Excita furorem, & memento belli, super eos effunde iram tuam. Innoua signa, & immuta mirabilia, sentiamus adiutorium brachij tui. Glorifica nomen tuum super nos, vt agnoscamus quoniam in sæculum misericordia tua.*

S. Bonauent. postulat, vt B V cum à Tartareis hostibus defendat.

B.V. nos roborat ad prælium contra hostes Tartareos.

25. Et verè glorificat Nomen suum super nos Virgo nostra, dum nos audaces generosos ad pugnandum contra Tartareas hascè acies reddit Bellona hæc nostra inuictissima, tum gratia, fauore ac patrocinio, tum defensione sua, ac protectione validissimâ. Gratia sua ac patrocinio verè nos Virgo audaces reddit ac inuictos. Hinc idem S. Bonau. fiduciâ de hac eius gratia, patrocinioque plenus canebat Psal. 7. *Domina mea in te speraui, de inimicis meis libera me Domina. Conclude ora leonis, & dentes eius, & labia persequentiu constringe. Non moreris propter Nomen tuum facere nobis misericordiam tuam. Splendor vultus tui fulgeat super nos, vt seruetur*

B.V. tanquã Bellona nos audaces reddit ad pugnandum contra hostes.

tur conscientia nostra apud Altissimum. Si persequatur inimicus animam meam, Domina adiutorio tuo conforter, ne vibret gladium suum contra me. Eandem gratiam, patrociniũque Virginis sibi in die particularis Iudicij aduersus eosdem insidiantes infernales hostes adesse desiderabat idem Deiparæ Psalmista Psal. 24. dum eã ita obsecrabat: Ad te Domine leuaui animam meam, in iudicio Dei, tuis precibus non erubescam. Neque illudant mihi aduersarij mei, etenim præsumentes de te roborantur. Non præualeant aduersum me laquei mortis, & castra malignantium non impediant gressus meos. Collide impetum eorum in virtute tua, & cum mansuetudine occurre animæ meæ. Ductrix mea esto ad patriã, meq; Angelorũ cœtui digneris aggregare.

B. V. in hora particularis iudicij nos patrocinio suo adiuuat.

26. Quam S. Bonauenturæ plane singularem fiduciam in Virginem dum cõtemplor, cogito illam defensione, ac protectione sua mortales omnes ad eius præsidium recurrẽtes reddere aduersus tenebrarum Principes insuperabiles. Ipsa enim illos intra sinum, visceraque sua quodammodo abscondit, fouet, atque amplectitur, vt ab infernalium hostium furore abscondantur. Vnde venerabilis Guerricus Ignatiensis Abbas serm. 1. de Assumpt. verba illa ab Isaia cap. 62. de Ecclesia pronunciata: Habitabunt in te filij tui; ad Deiparã transferens dixit: Et nunc siquidem habitamus in adiutorio Matris Altissimi, in protectione eius commoramur, tanquam sub vmbra alarum eius, & postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu confouebimur. Tunc erit vox vna lætantium, & aggratulantium Matri: sicut lætantium omnium nostrũ habitatio est in te sancta Dei Genitrix. Quasi dicere voluisset piẽtissimus Abbas: Protectio hæc Virginis temporanea, vmbra quædam est illius sempiternæ, ac proinde quicũque sub protectione degit Matris Dei, is perinde securus est in hac vita ab Inferni hostibus, atque si in altissimo cælo degeret, vbi tranquillitas summa, & pax regnat absque vllo tumultuantium inimicorum furore imperturbabilis.

B. V. suos clientulos intra sinum suũ quodammodo abscondit à facie Infernalium hostium.

Sub vmbra alarum B. V. atque eius protectione hic commoramur.

Protectio hæc B. V. temporanea est vmbra illius sempiternæ in cælis.

27. De hac Virginea protectione confisus Cosmas Hierosolymitanus, animo intrepido gloriabatur: Insuperabilem, inquiens, ô Domina, spem tuam habens, seruabor, defensionem tuam possidens, nõ timebo, persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solum habens, vt thoracem: Protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum. Neque vero thorax chalybeus imo adamãtinus quidam nobis est Protectio Deiparæ, sed plane inexpugnabilis quædam panoplia, atque omnis armatura fortium. Ipsa enim est fortissima illa Turris Dauid, quę ędificata est cum propugnaculis, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium. Vnde in antiquissimo Domus Professæ Viennensis Societatis nostræ altari videre est, Virginem gloriosissimam formã elegantissimã, totam ad instar Martis, Bellonę, aut Palladis galeã, loricã, omnique panoplia armatam, eique vicinam Turrim illam Dauidicam, clypeis, omniq; armaturâ fortium munitam, quasi figuram iuxta figuratum.

Protectio B. V. thorax chalybeus atque adamãtinus, imo Panoplia inexpugnabilis.

B. V. Turris Dauid, de qua mille clypei pendent.

28. Eandem Deiparæ fortitudinem, plusquam Martiam, pulcherrimâ illâ Rhetoricæ, seu Eloquentiæ Hypotyposis à Martiano Capella ingeniosissimè excogitata aptissimè mihi repræsentare videtur. Verè enim Virgo nostra benignissima ipsa dici potest Eloquentia, siquidem facultate, suaque copiosè efficaciterque loquendi sapiẽtiâ potissimum apud DEVM pro nobis depugnat, nosq; protegit: Ait igitur ille, Eloquentiam fęminam quandam esse auratæ vocis, & quasdam quasi diadematum gemmas, regnorumque fundentem, fœminam subtilissimi corporis, ac fiducię grandioris; vultus etiam decore luculentam, cui galeatus vertex, ac regali caput maiestate sertatum; cui arma in manibus, quibus se vel munire solita, vel aduersarios petere, fulmineâ quadam coruscatione reniteat; cui subarmalis vestis, peplo quodam circa humeros inuoluto Latialiter tegatur, quod omnium figurarum lumine variatum, cunctorum schemata præferat, pectus autem exquisitissimis gemmarum coloribus baliatum. Hæc cum progreditur, inquit, ille, arma concutit, & velut fulgureæ nubis fragore colliso, bombis dissultantibus, fracta tibi persuade crepitare tonitrua. Eandem tibi imaginare Iouis instar, vt ab aliquibus creditum, posse etiam fulmina iaculari. Quo schemate profecto non tam Eloquentia, quam ipsa gloriosissima plusquam Martio præditarobore repræsentatur Deipara, quæ tota armatura fortium, ac inexpugnabili instructa panopliâ, ita tonare, fulgurare, fulminaque horrisona in protectionem, defensionémque nostram, pię de nobis solicita, videtur euibrare, vt Tęnareis hostibus, eorũdemque asseclis, hominibus impijs fit nimium quantum formidabilis.

Eloquentiæ schema B. V. adumbrat.

29. Quod agnoscens S. German. Patriar. Cõstantinop. orat. de Zona Deip. sic eam alloquitur: Quis post Filium tuum ita generis humani curam gerit, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam

Nullus præter Christum sic humani generis curã gerit, atque B. Virgo.

tam cito præueniens nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis adeo pugnat pro peccatoribus? Tu nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones, sola Nominis tui inuocatione sanctissima repellens, tutos atque incolumes seruas. Tu implorantes te homines ab omni necessitate, ex omnigeneris tentationibus opportunè liberas.

30. Hinc Cardinalis Halgrinus præclarè sensit Deiparam Turri Dauid cõparari, tũ propter sublimitatis eius eminentiam, tum quia eam in Ecclesia Christus erexit, vt esset peccatoribus munimen, ac refugium. *Propugnacula porrò cum quibus Turris hęc ædificata est, sunt,* inquit, *virtutes, & gratiæ, dignitates, & prærogatiuę, intentionis puritas, operum sanctitas, vis orationum, & merita operum, per quæ B.V. peccatorem pœnitentem protegit, & inimicum expugnat. Clypei sunt exempla virtutum, per quas resistitur contra tentationum insultus, vt prudentia repellens insidias Diaboli, fortitudo, quę cõtra impetum aduersitatum resistit, temperantiâ, quæ repellit ignea tela carnalium concupiscentiarum. Armatura fortium, sunt opera virtutum, per quas impugnatur, & debellatur Diabolus quasi in gladio, & lancea; qualia sunt opera pietatis, misericordię, deuotionis, iustitiæ, orationis, eleemosynę, &c.*

Christus B.V. tanquam Turrim in Ecclesia erexit, vt esset peccatoribus munimè ac refugium.

Quænã sint propugnacula huius Virgineę Turris.

Clypei sunt exempla virtutum B.V. quibus resistitur contra tentationum insultus.

31. Quis igitur hac Turri tam munitâ, tam inexpugnabili protectus hostium suorum, mundi, carnis, Orcique insidias impetusque extimescat? Nemo sanè, cũ se hac Turri Virgineâ potẽtissimæ ipsius protectionis circumdatum videat. Vnde Rich. à S. Laur. lib. 2. de laud. B.V. p. 1. inter causas, quibus nos ad seruiendum Deiparæ exstimulat, vigesimam quartam affert hanc: *Quia potentissimè protegit seruos suos à triplici aduersario, scilicet, mundo, carne, & Diabolo, quibus est terribilis vt castrorum acies ordinata. Vnde ad illam in omni tentatione ac pugna cum hostibus, clamandum: Esto mihi Domina Turris fortitudinis à facie inimici. Potest quoque illi securè dicere quiuis, qui deuotè ipsi seruit: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Iob. 7. De adiutorio quoque eius discretè pręsumendo eique fideliter seruiendo vsurpare poterimus illud. Psalm. 43. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in Nomine tuo, ò Maria, spernemus insurgentes in nobis. Verè enim in te, in virtute videlicet à te data, & à Filio impetrata carnem, mũdum, Satanam inimicos nostros capitalissimos ventilando, quasi paleam deijciemus, deque illis triumphabimus. Tentaris,* inquit idem Vir pijssimus lib. 1. cap. 2. *supra vires, & eo amplius tentatoris times insidias, quanto te ab eo expugnatum aliquando recordaris? Recordare, quod Turris fortissima sit Nomen Dominæ nostræ, ad ipsam confugiet peccator in tentatione, & etiam qui peccauit, & saluabitur.*

B.V. seruiendum, quia nos potentissimè protegit à mũdo, carne, & Diabolo.

Positi iuxta B.V. neminẽ timemus.

Nomen B.V. Turris est fortissima.

32. Idem Richard. eiusdem tutissimam protectionem extollens, ait nos à Deipara, velut pullos sub eius alis protegi ac foueri. *Hasce alas ait esse humilitatem, ac Virginitatem, latę sunt alę istę per vtrinsq; virtutis,* inquit, *plenitudinem.* De his alis ei dicimus: *Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.* Psal. 16. Item: *In vmbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas.* Psalm. 46. O' quam piè B. Thomas de Villanoua Archiepis. Valentinus serm. 3. de Nat. B. V. sub hiscé Virgineis alis delitescens, seseque à facie inimicorum abscondens confidẽter illi loquebatur: *Sicut pulli volitantibus desuper miluis, ad Gallinæ alas accurrunt, ita & nos sub velamento alarum tuarum abscondimur. Nescimus aliud refugium nisi te, tu sola es vnica spes nostra, in qua confidimus, tu sola patrona nostra, ad quam omnes aspicimus.*

A B.V homines velut pulli sub eius alis proteguntur.

B.V. tamquam gallina suos pullos protegit.

33. Quis igitur sub tantæ, tamque fortis, ac magnanimæ Heroinæ imo Bellonæ ductu, ac protectione, audax ad præliandum contra illos teterrimos humani generis hostes non euadat? quis eorum terriculamenta Mariæ huiuscè Virginis protectus auxilio perhorrescat? Quis eiusdem de mundo, de carne, ac Satana gloriosissimas considerando victorias ac tophæa, ipsius tam præclaris exemplis ad dimicandum contra eosdem hostes animum non assumat?

34. Vicit illa mundum, cum dilectissimum æmulata filium; licet orbis totius nata fuerit Regina, Regnum mundi, regalesque delicias, & omnem ornatum sæculi contempsit propter amorem sui Domini Filij IESV Christi; cuius Regnum vt ipse aiebat: *Non erat de hoc mundo.* Vicit quoque mundum, cum ad eminẽntissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem in Incarnatione Verbi prouecta, Monarchiamque totius Vniuersi cũ filio adepta, vt ait S. Bernardinus Senẽsis, humillimam Ancillam Domini vniuersorum, se nominauit.

Quomodo B.V. mundum deuicit.

35. Vicit hostem domesticum Carnẽ, siquidem adhuc in vtero Matris, vt sensit P. Suarez, & alij, votum Virginitatis perpetuæ Deo obtulit, totumque corpus, animamque in holocaustum Diuinæ consecrauit Maiestati. extititque sẽper Virgo solis radijs fulgentior, ac purior, ante partum, in partu, post partũ, totâ obstupescente naturâ, quæ nunquã antea, nec post visura est Virginitatem cum fęcunditate, in dissolubili nexu Sociatam. Sed nimirum singulari diuinæ gratiæ priuilegio.

Quomodo B.V. vicit carnem?

Sffff 2 Par-

Virginitas & fœcunditas in B.V. mirabiliter sociata.

Partus & integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

36. Neque verò solum Virgo sacratissima vicit mundum, ac carnem, verumetiam Duces illos, qui sub eius imperio stipendia merentur, quos Apostolus Ioannes Concupiscentiam carnis, Cōcupiscentiam oculorum, ac Superbiam vitæ appellauit. De his omnibus inuictissima Virgo nostra gloriosissimè triūphat. Ipsa enim est stella illa lucidissima Tartareos tenebriones fugans, ipsa est Virga Israelis eosdem atterens, atque demoliens, de qua Balaam Ariolus volens, nolensque fateri debuit: Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget Virga ex Israel, & percutiet Duces Moab, & vastabit filios Seth*. Hos duces Moab à Virgineâ hac Virgâ tundendos, demoliendosque P. Michael Mediolanensis Ord. S. Pauli primi Eremitæ in M. S. serm. de Nat. B. V. ait esse exercitus Diaboli, qui per Moab intelligitur, quem B.V. superauit, ac debellauit. De hoc Moab Isa. 16 dicitur. *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valdè*. De eodem Iob cap. 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ*. Exercitum huius Moab percutit, superat, ac debellat B.V.

B.V. est prima illa Mulier in sua originali innocentia condita serpentem Tartareum conterens.

Hæc enim est prima illa mulier, innocētiâ suâ originali, in qua cōdita fuit, Mariam præfigurans: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; Ipsa conteret caput tuum. Moab porrò iste habet tres duces præcipuos, quos superat B.V. Superbiam vitæ, concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, hoc est auaritiæ. Primum ducem deuicit profundissimâ humilitate. Vnde figurata fuit in Hester, quæ interpretatur Absconditam, quæ Aman superbissimas machinationes dissipauit, ipsumque cruci affixit. Secundum ducem, Carnis concupiscentiam superat per sobrietatem, ac Virginitatem, ideo figurata fuit in Iuditha, quæ ebriosum, luxuriosumque Holofernem interfecit. Iud 13. Vnde illi dicitur Iud. 17. Eo quod castitatem amaueris, manus Domini confortauit te, & eris benedicta in æternum. Iudith porrò interpratatur glorificans, quia & se, & mortales penè omnes B.V. glorificauit. Tertium ducem, concupiscentiam nempe oculorum, & auaritiam superauit B.V per voluntariam paupertatem. Hunc figurauit Debora, in cuius manus datus est Sisara. Iud 4. Debora autem Apis interpretatur, & rectè signat Virginē. De illa enim dicitur Eccl. 11. Breuis in volatilibus Apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Sic B. V. fuit breuis, & parua per humilitatem, & paupertatem, & tamen portat fructum dulcissimum. In manus ergo huius Deboræ datus est Sisara, hoc est, Auarus siue terrena cupiditas. Sisara enim exclusio gaudij interpretatur. Diuitiæ enim cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur*. Sic ergo Virgo gloriosissima hos tartareos duces cū suis phalangibus debellat, ac triūphat, eosque ob tātas illis illatas clades, in rabiem furoremque velut rabidissimos agit canes. Hos insinuare visus est Isa. 15. *Circumiuit clamor terminū Moab, vsque ad Gallim vlulatus eius*, Et cap. 16 *Idcirco vlulabit Moab ad Moab*, Cacodæmones nimirum, in rabiem versi ad se inuicem, *vniuersus denique vlulabit*, Adeo huiusce fortissimæ Heroinæ, ac Bellatricis potentiam eos deuastantem persentiscent, ac horrescent.

Tres Duces Moab quo modo B.V. superauerit.

Debora Apis interpretata figura B.V.

B.V Breuis Apis ob humilitatem.

Sisara exclusio gaudii interpretatur.

37. Vicit denique, triumphauitque Satanam cum in primo suæ immaculatæ Conceptionis instāti ab originali labe præseruata, eius caput, vti dixi, velut lucidissimi vermiculi pede suo gloriosissimè protriuit. Vicit quoque illum totius vitæ innocentissimę cuniculo, cum nulli, vel minimo peccato, fuerit obnoxia, vt pote quæ, & ipso peccati fomite, caruit, & tota pulchra, sine macula peccati originalis, venialis ac mortalis extitit, vt ait Idiota sapientissimus, cuius verba amore in Virginem castissimo plenissima infra Discursu de sole afferemus.

B.V. & in primo sue Concept. instanti, & totius vitę sue curriculo Dæmonem vicit.

Quā sane Puritate Diuinitatem ipsā, cuius propria est impeccabilitas æmulari visa est. Præclarè enim S. Greg. Naz. orat. 40. *Omni*, inquit, *peccati labe carere Dei est, primæque, & nō compositę naturę; peccare autem humanæ, ac terrenæ compositionis. compositio siquidem dissidij origo est*. Idē sensit Solon cum dixit sapientissimè: *Nihil peccare, & omnia dirigere, Deorum est*.

B. V. impeccabilitate sua Diuinitatem æmulari visa est.

Omni peccati labe carere Dei est. Nihil peccare Dei est.

38. Impeccabilitatē porrò hanc Virgo nostra cū creatura sit, ex anima, corporeque composita non à se vti DEVS, verum Diuino munere habuit, & ab illo inexhausto omnis sanctimoniæ, puritatisque fonte, priuilegio plane singulari nulli hactenus creaturæ communicato, tanquam Dei Mater participauit. Quod sane admodum congruum, decentissimumque fuit, vt testatur D. Anselmus cap. 18. de Conceptione Virg. *Quamuis*, inquiens, *de mundissima Virgine Filius Dei verissimè conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi generationem nequiret. Sed quia decebat, vt illius hominis Conceptio de Matre purissima fieret. Nempe decens erat, vt eā puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, DEVS Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris,*

B.V impeccabilitatem non à se sed munere Diuino habuit.

&

& Virginis Filius, & quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus Sancto volebat, & operatus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat.

39 Impeccabilitatem hanc Virginis, omni actualis peccati labe caretem, Sathanamque triumphantem mirè extulit S. Bernardus Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses, quos reprahēdit absque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ facultate diem immaculatæ Conceptionis Deiparæ publicè celebrādum susceperant: *Honora sane in Virgine Regia*, inquit ille, *integritatem carnis, vitæ sanctitatem. Mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare Diuinam. Extolle nescientem vel in concipiendo cōcupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reuerendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inuentricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum. Exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cælestia regna, siquidem illos omnes, puritate omni labe carente, vitæque sanctimoniâ longè superauit.* Tandem paucis interpositis idem Sanctus de virginis absolutissimâ sanctitate omnis peccati morte, sic cōcludit: *Ego puto, quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati, mortisque pareret peremptorem, munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret: Sanctus igitur ortus, quoniam immensa prodiens ex vtero sanctitas, sanctum fecit illum.* Hæc Bern.

Canonici Lugdunēsis reprahensi à S. Bernardo, quod absque licentia Sedis Apostolicæ Concept. B. V. celebrarint.

Decuit Mariam Reginā Virginū singularis priuilegio sanctitatis absq. omni peccato vitam ducere.

40. De hac Deiparæ Deo simillima impeccabilitate præclarè Seraphicus Doctor in 3. sent. D. 3. *Congruebat*, inquit, *vt Aduocata generis humani nullum haberet peccatum, congruebat vt Virgo ita vinceret Diabolum, vt nec ei succumberet ad modicum. Congruum etiam fuit, vt sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.* Quibus verbis S. Pater sat clarè nobis ostendit Virginis de Principe tenebrarum in eo potissimū cōstitisse victoriam ac triumphum quod nunquam peccato eiusque auctori subdita fuerit Cacodæmoni, vel minimo temporis momento, sed ad instar palmæ semper erecta, nunquam depressa constiterit. Audiendus hic Richar. de S. Victor. cap. 26. in Cantica, qui elogium illud sponsi: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te;* attentius considerans mirè pulchritudinem in Virgine, præsertim interioris hominis, omni labe carentem, quæ dici potest ipsa impeccabilitas, celebrauit: *B. V. Maria*, inquiens, *tota pulchra fuit, quia sanctificata in vtero, ab vtero quoque egressa nec mortale, vnquam, nec veniale commisit, ita confirmata in gratia fuit, vt peccatum omnino committere non potuerit. Ex quo Templum Dei facta est, ita priuilegiata est, vt nullatenus aliquâ maculâ potuerit deturpari. Tota item pulchra fuit, quia plena gratia, vt nec illum minimum veniale in ea fuerit, quo minus in ea gratia locum habere potuerit. Ideo in ipsa virtutes erant perfectæ, & in continuum vsum transfusæ, vt nihil aliud quam bonum saperet, vellet, vel sentiret. Tota igitur fuit pulchra, quia Angelicam in terra adepta est puritatem, Deique similitudinem, in virtutibus, & sanctitate, ac morum perfectione, iusta, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente, & corpore. Meritò igitur prædicatur pulchra, quæ & diuinam, & Angelicam similitudinē in terris est adepta.* Hæc Richard. Quibus sanè peruenustè, Diuinam similitudinem in Virgine veluti in speculo, impeccabilitate, morūque puritate, ac sanctimoniâ plusquam Angelicâ resplenduisse, Satanamque debellasse, ostendit. Nihil enim ita Tartareum hostem elidit, domat, ac prosternit, quam vitæ puritas, atque innocentia; sicut cōtra nil est, quod ita animum eius, audaciamque erigat, dominiumque ipsius roboret, atque confirmet, atque impuritas, ac peccatum. His enim ille Regnum suum, postquam per summū nefas Deo rebellauit, stabiliuit, solidauitque.

Congruum fuit vt Aduocata generis humani nullū haberet peccatū.

B. V. victoria de Cacodæmone in eo potissimam constitit, quod nunquam peccato subdita fuerit.

B. V. confirmata in gratia nullum peccatum committere potuit.

In B. V. erant virtutes perfectæ, & in continuum vsum transfusæ.

B. V. Angelicam in terris, imo & plusquam Angelicā adepta est puritatē.

Vitæ puritas maximè Satanam domat.

41. Verum de hac Deiparæ impeccabilitate omnium grauissimè locutus est S. Augustus lib. de Natura, & Gratia ca. 39. cuius verba ob egregiam dicendi facultatem auctoritatemque libet adnectere: *Exceptâ S. Virgine M. de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur habere volo quæstionem. Vnde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum, omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine, excepta, si omnes illos sanctos, & sanctas cum hic viuerent congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato, nonne vnâ voce clamassent: si dixerimus quoniam peccatum non habemus nos ipsos seducimus.*

S. Augustin. profitetur, cum de peccatis agitur, nullam prorsus de B. V. se habere velle quæstionem.

Sic Augustinus, cuius profectò vel solius auctoritas sufficientissima esse deberet, ad persuadendum nobis, Deiparam gloriosissimam gloriosissimè de Satana ad instar inuictissimæ Bellonæ, Martiæque Heroinæ triumphasse, dum nul-

Si omnes sancti congregarentur, & ex ijs, quæreretur, an sint sine peccato quid essent responsuri.

nulli vnquam vel leuissimæ veniali, aut lethali, aut originali culpæ subiacuit. Quam opinione Doctor hic sanctissimus adeo firmus constansque semper perstitisse visus est, vt vel quæstionem mouere, vel dubitare hac de re, religioni sibi ducere videretur. Vnde P. Suarez, alijque Theologi in asserenda Deipara ab originali labe libera, cum ad auctoritatem Sanctorum Patrum deueniunt, hac potissimum D. Augustini sententiâ, tanquam firmissimo propugnaculo assertionem suam communiunt.

42. Cum igitur Virgo nostra fortissima, atque inuictissima tanquam Sydus Martium charitatis suæ rutilo, igneoque splendore Tartareis hostibus adeo fit formidabilis atque horribilis, vt vel solo ipsius audito Nomine cohorrescant; cumque præterea ipsa suo fauore, ac patrocinio, protectione, ac exēplo nos ad instar Martij syderis audaces ad dimicandum contra mundum carnem, Satanamque reddat, quis impolterum manus conserere, quis strenuè contra hosce teterrimos, ac perniciosissimos humani generis hostes sub tā inuictæ, Martięque bellatricis auspicijs dimicare detrectabit? Nemo sane rectæ rationis cōpos. Quis enim Deo belli, quis Marte, aut Bellona sibi præsente, atque assistēte dimicare cum hostibus, quantumuis horrificis pertimescat? Quis hoc muro aheneo, imo adamantino circumdatus, quis hac Turri, de qua mille clypei pendent omnis armatura fortium munitus, inimicorum insidias, insultusque non irrideat? Verè murus est Virgo nostra inuictissima, ipsa attestante Cant 8. Ego murus, & vbera mea sicut Turris. Audiendus hic Card. Ioannes Halgrinus. *B. V. murus est nostræ defensionis, & super eam ædificauit tota Trinitas propugnacula argentea. Hoc enim ad defensionem Ecclesiæ tota Trinitas ædificauit in ea, vt precibus suis bene sonātibus inimicum repellat. Et hoc signatur argento, quod cæteris metallis dulcius sonat.* Addit Virgo: Et Vbera mea sicut Turris: Q. D. Misericordia & pietas mea, quibus quasi vberibus suffragiorum dulcedine lacto filios Ecclesiæ, sunt turris munimentum scilicet, refugium, & securitas peccatorum.

Sicut nemo cū hostibus præsente Marte, aut Bellona pugnans tre[m]idat sic assistente nobis Maria nec nos hostes formidat.

B. V Est noster Murus.

SS Trinitas ad defensionem Ecclesiæ in B. V. ædificauit propugnacula argētea.

Misericordia & Pietas B. V. sunt ipsius vbera.

43. Ex quibus luculenter colligimus omnes ipsius clientulos ac deuotos cōtra Orci insidiantes hostes animosos, audacesque esse oportere, siquidem illa Murus aheneus, imo adamantinus nobis est, siquidem Turris, propugnaculis argenteis, indefectibilique commeatu, eoque suauissimo instructa nobis est, Virgineo nempe suo lacte, quo & vires, roburque quoddam Diuinum, Giganteamque quandam granditatem virtualem videlicet acquirimus, illi omnino persimilem, quam Gigas ille acquisiuit, cuius à summo cælo erat egressus, & ad currendam salutionis nostrę viā exultauit. Gigantea hac magnanimitate, roboreque prædicti antiquum illum, tortuosumque colubrum, Draconemque rufum, protectione, auxilioque Virginis velut Martio sydere nobis affulgescente muniti, non solum eius caput præsidio tantæ Virginis conteretur, sed & omnia eius membra dissoluentur, atque dissipabuntur.

B. V. nobis est Murus & Turris commeatu sui purissimi lactis quos suos nutrit, plenissima.

44. Ostensum hoc luculentissimè in nefando illo Idolo Dagon repræsentāte Cacodæmonem, qui ad Arcæ, velut Vmbræ Virgineæ præsentiam duntaxat, in terram, eandem quasi adorare coactus corruit, ac præ sacro quodam horrore caput, manus, pedesque, omnia denique eius membra dissoluta, seu vt ait Seuerus Sulpitius *discerpta sunt*; S. Chrysostomus ait *non solum collapsum Idolum, sed prorsus diffractum*. Huius enim manus ab humeris auulsæ, vna cum pedibus ad tēpli limen exilierant, reliquâ Idoli parte, & eâ quoque diuulsâ aliò dispersa. S. August. l. 10. de Ciuit. Dei cap. 17. ait inuentum fuisse Dagonem collapsum, deformiterque contractum. Auctor mirabilium sacræ scripturæ l. 2. cap. 7. de hoc Dagone seu potius Cacodæmone loquens: *Crastina die*, inquit, *fractus ad limen in centum partes, capite, & manibus, spinâ dorsi eius truncatâ reperitur. Eucherius, Dorsum*, inquit, *illius solum inuenerunt, fractis omnibus eius membris* Hæc denique omnia confirmat Isaias cap. 46. vers. 1. *Confractus est Bel, contritus est Nabo*; seu vt habent 70. *Contritus est Dagon*. Ex quibus omnibus colligitur totum penitus contritum, dissolutumque fuisse simulachrum illud Satanæ, eiusque membra in minutissimas partes dissipata. Cōtritus enim non dicitur nisi qui est toto corpore comminutus. quod sane contigit ad maiorem Arcæ illius, figuratæque per illam Deiparæ gloriam, & Dagonis, Dæmonisque, eo repræsentati ignominiam ac confusionem.

Dæmon coram B V. velut Dagon coram Arca corruit, disfractusque est.

Dagon coram Arca collapsus ac deformiter confractus.

45. Quod si sola vmbra gloriosissimæ, ac inuictissimæ nostræ Virginis plusquā Martio robore præditæ Cacodæmonem ad terram prosternere, eiusque membra comminuere, ac conterere, in centum denique partes dissipare; caput illud super-

Si Arca vmbra B. V. Idolum contregit eiusque membra dissipauit, quāto magis Dæmonem Maria?

per-

perbissimũ, quod Virgini incuruare, manus illas quas supplicabundus ad eandem attollere detrectauit, humiliare, & ad limen Templi abijcere, vt ab ingredientibus, pedibus protererentur, potuit; quanto magis Virgo ipsa in suorũ clientulorum, dum cum hoste hoc Tartareo præliantur, robur ipsius, viresque omnes elidet ac disperdet, efficietque vt ex rabidissimo Leone, in Mirmicaleonem, in formicam vilissimam, abiectissimamque euadat. Quis dubitabit quin hæc animata Arca tanquam Planeta Martius, rutilo suo fulgore, quo teterrimis illis Orci Tenebrionibus fit formidabilis, fit animum, audaciamque robur, ac vires suis clientulis, vti supra memini suggestura, vt cum illo fortiter dimicare, eumque pedibus substernere, ope Diuinâ valeât. *Verissimè enim Virgo hæc gloriosissima cum filio suo, qui est DEVS pacis, conteret Satanam sub pedibus nostris velociter*, vti loquitur Apostolus Rom. 16. 20. *vbi nobis contra ipsum dimicantibus velut Martium sydus affulserit*.

Dæmõ alias Leo coram B.V. fit Mirmicaleon.

B.V. sua ope Satanam sub pedibus nostris cõterit.

46. Quod si Dagon simulacrum fuit veneris, siue turpitudinis, superiori parte hominem, inferiori piscem referens, intelligimus profectò vnicum auxiliũ, præsentissimumque esse, in hoc cum domestico hoste certamine, ac periculosissimo prælio inuocationem Deiparæ impuritatis, ac turpitudinis hostem capitalissimam; ad cuius vel solum aspectum pudicissimum informe hoc Mõstrum corruat, ac in mille partes, velut Idolum illud Dagon conteratur, ac dissoluatur, necesse est. Hinc Pater noster Petrus Iustinellus in Duce Angelico ad Deuotionem B.V. par. 1. cap. 18. inter media conseruandæ castitatis, & carnalis tentationis propulsandę illud efficacissimum assignat, vt mox atque tali tentatione nos pulsari aduertimus, vehementissimè statim in ipso principio malæ suggestionis resistamus, recurrendo ad sacratissima Saluatoris nostri de Cruce pendentis vulnera, nec non ad Beatissimam Virginem Matrem omnis pudicitię castitatisque fontem, atque originem, ac demum ad Angelum Custodem, Sanctosque Patronos quibus peculiari deuotione sumus addicti, eorum implorando auxilium. Quod si quis votum castitatis emisisset, optimum consilium foret sæpius magno cum affectu Votum renouare, dum durat tẽtationis impetus. Idem Iustinellus Parte 2. in tentationibus impuritatis docet ter Salutatione Angelica Deiparam venerandam, eiusdemq; Virginitatem ante partum, in partu, & post partum honorandam, simulque hanc precatiũculam piè recitandam. *O immaculatissima Virgo Maria Mater IESV Christi Saluatoris mei per immaculatam Conceptionẽ, purissimamque Virginitatem tuam, nec non per intercessionem castissimi tui sponsi Ioseph conserua cor, ac Corpus meum purum atque immaculatum*. Orationculam hanc idem Pater suadet sæpius iterandam durante tentatione, maximè si sit importuna ac molesta.

Dagõ simulachrum fuit Veneris, & quale?

B.V. turpitudinis hostis, ad cuius vel solum aspectum sicut Dagon corã Arca corruit, ac dissolui tur.

In carnis tẽtatione ad B.V. recurrẽdum.

Oratio ad B. V. in tentatione carnis dicenda.

47. Quod porro Idolum Degon Veneris fuerit simulacrum, confirmat Gueuara in cap. 1. Abacuc num. 16. cum ait, *Dagon non differt à Dercete, quam Syri, sub eadem specie loco Numinis venerabantur*. Fuit enim Derceta, vt Syri fabulantur, & Cælius Rhodiginus libr. 23. cap. 5. testatur, fœmina Ascalonitis, quæ furtiuo ea stupro Semiramidem enixa, postea sic erubuit, vt pudore vitæ se in lacum Ascalonem præcipitarit, vbi in piscem, vt veteres somniarunt, conuersa, tam ipsa, quã cæteri pisces diuinos tandem honores apud Philistinos promeruerunt. Ex figura igitur piscis colligimus satis apertè Dagonẽ Veneris, siue turpitudinis fuisset simulacrum. Tum quia Venus cum Cupidine aliquando in pisces sunt trãsformati, in cælumque inter reliquas Zodiaci constellationes translati, vt fabulantur Poetæ. Tum quia omnis antiquitas siue Deos, siue Dæmones aqueos, ac maximos pro symbolo lasciuiæ, ac libidinis vsurpauit, vt Pierius Valeri. lib. 31. testatur; Et sane iure merito piscis symbolum est Venereæ turpitudinis; quemadmodum enim hic stoliditatis est Hieroglyphicum, quod cerebrum homini adimat Venerea turpido: (vnde stupidũ hominem, mutum piscem appellare cõsueuimus:) ita lasciuia, ac libido hominem animalium omniũ sapientissimum, in piscem omnium animalium stolidissimum, ac stupidissimum transformat, facitque eundem à summâ Sapientiâ, in extremam stultitiam, amentiamque degenerare. Vnde S. Bonauent. in Psal. 28. vers. 1. vehementer reprehendens Sacerdotes Philistinos imitantes; *Philistæi*, inquit, *posuerunt Arcam Domini iuxta Idolum Veneris Dagonem: Sic mali Sacerdotes quando ponunt Filium Virginis iuxta Filium Veneris in altari*. Hinc Templum hoc Dagonis, Templum etiam Veneris appellabatur. Quare Sapienter notauit Serrarius in cap. 19. Iudic. quæst. 23. Sampsonem iure merito in Dagonis seu Veneris Templo corruisse, atque occidisse, quia quem hosti-

Dagon est Derceta.

Derceta fœmina Ascalonitis.

Dii aquei ac marini sunt symbola lasciuiæ.

Piscis stoliditatis Hierogificum.

Lasciui sacerdotes Philisteos imitãtur, qui filium Virginis iuxta filium Veneris in altari collocant.

Templum Dagonis ẽt Templum Veneris dictum.

hostiles vires superare non potuerunt, muliebres blandiciæ effeminatum, turpissimè debellarunt.

48. Cum igitur Arca Domini cum Veneris, ac turpitudinis simulacro decertans, illud in terram prostrauerit, ac in centum partes comminuerit, quid censendum nobis est facturam Arcam hanc animatam, atque Virgineam, in prælijs nostris assiduis, quibus contra carnem, ac sanguinem dimicamus, si illam vt nobis in tanto, tamque grandi discrimine præsens adsistat, magnâ cum fiducia inuocauerimus? Aderit sane illa, & tanquā stella Martis, tanquam vera Illuminatrix, mentis nostræ tenebras, quas hoc turpissimum lasciuiæ vitium offundere consueuit, dissipabit, vt ipsius turpitudinem agnoscamus, atque detestemur; aderit inquam, & omnipotētiæ suæ virgâ infame hoc, Venereumque monstrum percutiet, ac demolietur, nobisque fortitudinem, inuictique animi robur, mirificamque audaciam, ad dimicandum fortiter cum hoc domestico hoste, alijsque suppeditabit, vt de illis gloriosissimam victoriam reportemus.

Si Arca Dñi cum Dagone decertans eũ contriuit, quanto magis B. V. Dæmonem?

49. Hoc enim Spiritus S. olim per Balaam promiserat Num. 24 v 17 18 vt ante memorauimus. Postquam enim præmisisset; *Orietur stella ex Iacob, & consurget Virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth* mox addidit; *Israel verò fortiter aget.* Verè enim Israelitę, atque illum nati à Virgine, verè inquam, DEVM videntes, eumque in actionibus omnibus prę oculis habentes ipsius clientuli, præsidio eius, atque patrocinio muniti atque animati, ad hostes quidem omnes perterrendos, ac profligandos, sed potissimum ad hunc domesticum libidinis atque lasciuię debellandum fortiter agent, deque illo gloriosissimum triumphum reportabunt. Siquidem sub auspicijs illius Bellonæ tam inuictæ, atque inexpugnabilis, quæ *accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.* Prouer 31 v. 10 bellum gerunt, de qua mellifluus loquens Bernardus Homil. 2. super Missus: *Ipsa*, inquit, *caput contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni serpentis suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. Quam vero aliam Salomon requirebat cum dicebat. Prouer. 31. Mulierem fortem quis inueniet?* Cum igitur Virgo nostra inuictissima, & carnis illecebras ac voluptates, mentisque elationem tam gloriosè deuicerit, confidendum sane nobis est, eius precibus, fidelissimisque patrocinijs à nobis eosdem hoscé hostes sub ipsius signis gloriosissimis debellandos. Ipsa enim suis intercessionibus robur, audaciam, masculum pectus, inuictumque animum ad dimicandum fortiter impetrabit, quo verificetur vaticinium illud, quo Israel *acturus fortiter*, prædicatur. Ipsa enim exigui animi paruulos in Spiritu, minus aptos ac meticulosos ad tam dura cum internali hoste gerenda bella, impetratis cælitus auxilijs, roborabit, confirmabitque.

B.V. clientuli Deum præ oculis habẽtes veri Israelitæ, sub ipsius auxilio contra Dæmones fortiter agunt.

B.V. in nostra defensione accingit fortitudine lumbos suos, & roborat brachium suum.

B. V pusillanimes ac meticulosos ad præliandum cum antiquo Dracone corroborat.

50. Hoc enim est quod illi promittebat sponsus, postquam illa dixisset Cāt. 8. *Soror nostra parua est & vbera non habet.* Q. D. inquit Guilelmus Abbas: *Soror nostra mea, & tua, ò sponse cælestis, mea propter communem adoptionem, tua verò, quia eodem Spiritu, quo tu ex me natus, illa in te renata est. Parua est per ætatem virtutis, & ob hoc minus idonea fœcundari de spiritu tuo, minus idonea verbo, & exemplo tibi parere filios. Propter paruitatem non potest parere. vt quid autem pareret, vt quid fœcundaretur ad prolem, quæ nondum habet vnde pascat eam? nondum illi creuerunt vbera. Parua est, & vbera non habet, sed adhuc quodammodo ad vbera pendet. Quomodo ergo hęc parua soror nostra lactaret alios, ipsa nondum ablactata, nondum auulsa ab vberibus? Proindè, quia pro paruitate sua vbera non habet, oportet eam prius in se grandescere, vt & ad alios possit lactescere; ac consequenter robur fortitudinemque ad depugnandum cum antiquo serpente adipisci.* Ad quæ piæ Matris verba, modestissimamque insinuationē, siué postulationem cælestis sponsus ita respondit, vt ostendat quanti vel solum ipsius voluntatis nutum, quod absolutū censet imperium, fecerit: *Quid faciemus,* inquiens, *sorori nostræ in die quando alloquēda est? Quasi dicat*, ait idem Guilelmus: *More tuo facis, ò pia Mater, simpliciter suggeris, cum hæc dicis. Sed hęc tua suggestio petitionem redolet, vt olim cum ego & tu pariter recumberemus in nuptijs: Nam deficiente vino simpliciter mihi suggessisti dicens: vinum nō habent, & nihil addidisti. ego autem sciebam quid sibi vellet illa suggestio, sciebam quod petebas; vinum conuiuantibus fieri, & in hoc facto Diuinitatis meæ potentiam declarari. feci quod volebas. nam conuertendo aquam in vinum lætificaui conuiuas, & manifestaui gloriam meam. Sic etiam nunc simpliciter suggeris, sororem nostrā paruam esse, & vbera non habere. Sed video, quid sibi velit hæc suggestio tua. Vis enim, & petis, vt eam per merita tua habeam excusatā, & ignoscam ei, quod iam difficulè talis sit, quod iam longiuscule in suis primordijs, in fidei cunabulis hæret, quod nondum euacuauit, quæ erant paruulæ, sed adhuc loquitur, sapitque, vt paruula.*

B. V. intercedit apud spōsum pro debilibus, & meticulosis, vt corroborentur ad dimicandum cum hostibus Tartareis.

B. V. eft ille quid filio suggerit pro nobis postulat hoc ipso vti in nuptijs Canæ.

la. Ecce facio quod petis, ignosco ei super hoc, interuenientibus meritis tuis. Sed video quod hoc solo contenta non sis, video quid amplius velis, ipsam scilicet grandescere quousque vbera habeat. Pete quod vis, dic expressè quid velis. Quid faciemus Sorori nostræ in die quando alloquenda est? Quid faciemus, idest, quid vis vt faciamus? Ecce in voluntate tua pono quid faciam ei. Non est amplius, quo honoretur Mater à Filio. Quid ergo faciemus ego, & tu Sorori nostræ, ego per auctoritatem, tu per interuentionem, ego diuinè operando, tu piè cooperando. Sed non dum idonea est, vt ei magna faciamus, paruula est, atque impar acrioribus Diaboli tentationibus, siue prælijs sufferendis; fidelis autem ego, qui non permitto eam tentari supra id, quod potest. Interim ego dispensatoriè compatiar infirmitati eius, vt scilicet acrius non interrogetur, nec à Dæmone impugnetur, donec proficiendo grandescat: cum autem grandiuscula fuerit, atque ei iam vbera creuerint, quid vis, vt faciamus ei, in die quo interroganda acrioribus tentationibus, vt pote, iam idonea sustinere, acriores videlicet Tartareorum hostium insultus?

Christus pusillanimes, qui sunt impares acrioribus Diaboli tentationibus, interuẽtione B. V. non finit tẽtari supra id, que possunt sustinere.

51. Ex quibus sane Dei, Virginisque filij verbis amantissimis, facile est intelligere ad arbitrium Matris, filium cuncta disponere, ab eiusque nutu illum in gratiarum, auxiliorumque, quæ mortalibus ad decertandum cum antiquo serpente subministrare consueuit, dispensatione pendere. Atque ita quicunque grandes animos, vires, ac robur ad bellum cum Tartareis hostibus, cum mundo, ac carne gerendum indipisci desiderat, sed fidelissimum Virginis Bellatricis Heroinæ nostræ patrocinium fiducialiter accedat, roborabit illa, mihi credite, quemcumque huiusmodi, eique tales animos, viresque suggeret, tali eum panopliâ circumdabit, atque obarmabit, vt intrepidus totum Infernum, reliquosque omnes quãtumuis atrocissimos hostes prouocare possit, ac dicere cum Richar. à S. Laur. lib. 2. part. 1. *Si Maria pro nobis, quis contra nos? & si ipsa est, quæ iustificat, quis est qui condemnet?* Rom. 8. Verè quisque Martiæ huius Heroinæ patrocinio, præsidioque tectus securè audenterque dicere poterit cum Regio Psalte Ps. *Si consistant aduersum me castra non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Senserat sibi vires, fortitudinemque ad bellandum contra hosce inuisibiles hostes à Virgine hac Bellatrice suggeri S. Bonauentura dum illi Psal. 30. modulabatur: *In te Domina speraui non confundar in æternum, in gratia tua suscipe me. Tu es fortitudo mea, & refugium meum, consolatio mea, & protectio mea. Ad te Domina clamaui dum tribularetur cor meum, & exaudisti me de vertice collium æternorum. Educ me de laqueo quem absconderunt mihi, quoniam tu es susceptrix mea; In manus tuas commendo spiritum meum, totam vitam meam, diem vltimum meum.*

Filius Dei ad arbitrium Matris cuncta disponit.

Qui se impeti sentit à Dæmonis tentationibus, recurrat ad B. V. auxilium.

Præsidio B. V. tecti prouocare possunt omnes hostes ad pugnam.

52. Et verè si vllo vnquam tempore Martiam se Bellatricem, Heroinamque inexpugnabilem Virgo ostendere consueuit, ostendit se vel maximè in horribili illa postremaque vitæ nostræ pugna, ac periodo, cum animam Creatori nostro sumus exhalaturi. Adstat illa tunc velut pientissima misericordiæ Mater nostro lectulo, nosque à teterrimorum hostium, animæ nostræ inhiantium tutatur insidijs. Adstat quoque vt consolatrix in tantis, tamque acerbis mortis doloribus, atque anxietatibus. Verissimum enim est quod ait Haymo in Apoc. apud Pelbartum lib. 10. Stell. Par. 1. ar. 2. *quod nulla maior acerbitas cuiuscunque amaritudinis sit, quam mors ipsa hominis, præsertim in peccato morientis. Tunc enim reuera insurgit contra hominem dolor amarissimus, qui cogit animam à corpore separari, penetrans, scinditque cor, dolor hic membra omnia viribus dissoluitque. Anima mærore tabescit ob cogitationes tentationesque, eam vndique infestantes, ac vitæ, quam omnes appetunt, bonorumque huius mundi priuationem. Quare sapienter pronunciauit Philosophus 3. Ethic. Omnium terribilium terribilissimum mors est.*

B. V. maximè in articulo mortis nos contra hostes Infernales protegit.

Nulla maior acerbitas est quam sit ipsius mortis, hominis præsertim in peccatis morientis.

Quantæ angustiæ in hominis morte sunt futuræ.

53. Quid de horribili tunc timore, qui hominum totum concutiet, dicam? De hoc D. Gregorius Papa: *Nunc cogitandum valdè est, quantum nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis, & mortis; quis pauor mentis cum ante nos erit omnium malorum memoria, contra nos Dæmonum ambitur malicia, retro nos priuatio fælicitatis transactæ mundialis; supra nos formido tremendi Iudicis? O qualis ille tremor ac timor,* inquit Pelbartus, *quando aderit nefandorum Spirituum multitudo animã rapere volentium, quorum species est horrendissima. Nam, vt, inquit Beda, in illud Tob. 5. Occurrit Tobiæ piscis: Domino passo in Cruce adfuit Diabolus insidiando, si quid forte in eo iuris inueniret. Si ergo Christo adfuit morienti, multis similiter alijs sanctis, vt Martino, S. Elisabethæ; multo magis alijs hominibus assistet insidiando.*

Timor in morte horribilis.

Christo in Cruce morienti adfuit Diabolus insidiando.

54. Res sane pene est incredibilis, quã refert Surius de Sanctissimo illo Elzeario Ariani Comite, qui cum totam vitã cum coniuge sua Dalphina admirabili Sanctitate, purissimaque Virginitate trãsegisset, cum tamen in extrema mortis constitutus esset pugna, ac lucta fertur

S. Elzearius grauiter in morte à Dæmone tentatus.

adeo terribilem præsetulisse vultum, ob quædam illi à Dæmonibus obiecta, in illo tam acri conflictu exclamauit. *Magna est Dæmonum vis, sed eam penitus eneruarunt virtus, & merita Sacrosanctæ Incarnationis, & passionis IESV Christi.* Vnde cum sacro oleo tanquam Christi Athleta ad luctam cum Cacodæmone ineundam vngeretur, diceretque sacerdos: *Per sanctã Crucem, & passionem tuam libera eum Domine;* hæc eadem verba tertio iterauit, addiditque: *Hæc est spes mea, in hac volo mori.* Cumque iterum luctam cum teterrimo inijsset hoste confidenter in Domino glorians pronunciauit; *Planè iam vici.* Tandem post aliquantulum temporis spatium, de pietate vniuersorum Domini, ac Iudicis confidens, cũ ingenti clamore edixit: *Totum me Diuino iudicio committo.* Quibus dictis pristinam eius facies resumpsit speciem, & virgineo rubore suffusus, elegantiâque mirabili splendoreque decoratus, spiritum innocentissimum suo reddidit creatori.

Vis Dæmonum maximè eneruata est meritis Incarnationis, & Passionis Christi.

55. Res etiã non minus mirabilis fuit, quod Angelicus ille adolescens noster Ioannes Berchmannus in extremis cõstitus, sentiens se à maligno hoste impugnari & ad peccãdum solicitari ad hãc Patronam suam amantissimam, fortissimamque bellatricem opis implorandæ gratiâ confugerit in verba illa prorumpendo. *Ne me deseras Maria, ne me fallas, filius enim tuus sum, tu scis, quia iuraui.* Hac Virginis inuocatione, ac fiduciâ, velut inexpugnabili Martiaque panopliâ obarmatus, vbi tandem vltimi conflictus cum hoste tempus aduenisset, & versatione vna totius corporis in medium lecti coniecisset, oculis in cælum fixis, turbato vultu, trementibus labijs, vociferari cæpit. Non faciam. Ego vt offendam te Domine? Maria ego nunquam offendam filium tuum. Absit à me. Non faciam. Malo millies mori, decies millies, centies millies, millies millies. Tum ad Satanam insidiatorem conuersus: *Abi*, inquit, *Satanas non timeo te.* Tandem consummato agone Christum de cruce pendentem, Rosarium, Regulasq; manu complectens, & dulcissima IESV, Mariæque Nomina pronuncians spiritũ exhalauit Si igitur viri tam Sancti adeo terribilem luctam cum antiquo serpente sunt experti, tantoque terrore sunt consternati, vnicuique sane nostrũ momentum illud discriminis plenissimum maximopere pertimescendum erit.

Ioannes Berchmans magnæ in morte à Dæmone tentatus.

56. Hinc est quod Lazarus angustias tam horribiles mortis expertus postquã ad vitam reuocatus est, nunquam amplius risisse fertur. Hinc Cyrillus Patriarcha in Epist. ad Augu scribit quod cum tres mortui iuxta tumulum S. Hieronymi fuissent in vitam reuocati, postea quandiu vita illis superstes extitit, sine intermissione semper fleuerint. Ex his vnum, cum Cyrillus quæsijsset cur ita amarè, incessanterque fleret, respondit: *Cyrille si ea, quæ ego expertus sum nouisses, sẽper tibi causa adesset flēdi. Vbi enim anima mea a corpore resoluta est, tam acerbum dolorem expertus sum, vt nulla mens eum possit capere. mnis siquidem dolor, atque angustia quæcunque, illius respectu nihili existimanda est. nam mortis horâ adueniente tãtus nefandorum spirituum adfuit exercitus, vt omnino dinumerari non possent. Eorum porrò species talis erat, vt ea nil horribilius, vel perniciosius excogitari possit. Mallet enim quisque flammis ardentibus cruciãdum se se tradere, quam teterrimas eorum formas, vel ad vnicum oculi ictum intueri. Hæ fœdę larua omnia, quæ contra DEVM peccaui mihi in memoriam reuocando ad desperationem me sollicitabant. Heu cur non aduertunt mortales, caueantque ne peccent, quibus hoc idem, quod mihi accidit, euenturum est.*

Lazarus à Christo ad vitam reuocatus semper fleuit.

Dæmonum aspectus in morte horribilis.

57. In tantis igitur homo miserabilis mortis angustijs, doloribus, Dæmonumque constitutus insidijs, quo tandem, nisi ad sinum B. Virginis, tanquam ad peccatorum tutissimum Asylum, ac refugium confugiet? Ipsa tunc nobis est firmum præsidium, ipsa opportunum auxilium, ipsa vallum, ac propugnaculum. Vnde Richar. à S. Laur. lib. 2. de laud. B. V. part. 2. vocat Mariam Petram refugiũ herinacijs, idest, peccatoribus scelerum aculeis vndique circumuallatis Psalm. 103. Idem eius protectionem in hora mortis nobis explicare volens, *Quod dicitur*, inquit, *de sapientia, rectè potest intelligi de Maria* Sap 10. *Custodiuit eum seruum videlicet, amatoremque suum, ab inimicis, & à seductoribus tutauit eum, occultè nimirum insidiantibus, quales sunt, mundus, caro, Dæmon. In fraude circumuenientium eum adfuit illi, illuminans amatoris sui oculos, tãquam Illuminatrix, vt Dæmonum insidias præuideat, atque præcaueat. Denique certamen forte dedit amatori suo, vt sciat, quoniam omnium potentior est Sapientia, Maria videlicet, quæ emphaticè dicitur sapientia, vtpotè æternæ Sapientię Parens dignissima.* Sic ille.

B. V. est Petra, & refugium Herinaciis i. peccatorib.

B. V. certamẽ forte contra Dæmones dat suis clientulis in hora mortis.

58. Quisquis igitur certamen forte in postrema illa cum crudelissimis illi Orci satellitibus dimicatione inire, & victor ex acie redire desiderat, fidelissimo sese Deiparæ dum in hac vita degit, committat patrocinio, certòque sibi persuadeat,

deat, se auspicijs huiuscé gloriosissimæ Bellatricis victorem è prælio rediturum. Si enim, vt præclarè loco citato loquitur Pelbartus, nonnulli per aliquorum sanctorum, sanctarumué patrocinium cælestem in morte promeriti sunt consolationem, eo quod in hac vita deuota illis exhibuerint obsequia; quid sperandum est, pijssimam, Sanctorumque omnium sanctissimam, erga sibi deuotos clientulos facturam Dei Genitricem? Vnde ipsa specialissimè ab Ecclesia in hora mortis inuocatur, vt nobis in hora mortis subuenire dignetur; dum illi concinit: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Concludit tandem idem Pelbartus: *Vtilissimū ergo est B. V. Mariam in patronam eligere homini cuilibet, eique deuotius famulari, atque seipsum in hora mortis eidem humiliter commendare. Sed ipsam benignissimam Deiparam, fortissimamque nostram in periculis mortis protectricem audiamus, quæ vt refert Blosius in Monili.* cap. 12. sic loquitur; *Ego omnibus, qui mihi piè & sanctè deseruiunt, volo in morte felicissimè tanquam Mater pijssima adesse, eosque protegere, ac consolari.*

Si sancti suis deuotis in morte assistunt, quanto magis B. V. sancta omniū sanctiss.

Vtilissimum est B. V. in patronam eligere.

Promissio B. V. quod velit suis in morte assistere.

59. Protectionem, consolationemq; hanc vt in morte nostra consequamur, consultissimum est, piam illam P. Iustinelli orationem ad Virginem quotidie magno pietatis affectu iterare, quæ habetur Par. 2. Ducis Angelici: O clemētissima V. M. Mater Dei dignissima, dulce pauperum peccatorum refugium, vera afflictorum, ac tribulatorum consolatrix, ego miser peccator ad te confidenter recurro, obsecrādo te per omnes tuos acerbissimos dolores, omniaque gaudia, quæ de tuo dilectissimo filio accepisti, vt digneris me defendere in mea morte ab omnibus insidijs, ac tentationibus Diaboli, ab omnibus item malignitatibus ac terriculamentis, & amarissimum illud punctum in gaudium, meamque consolationem conuertere. Et specialiter tibi supplico vt nunc, pro illa hora in qua comparādum mihi erit ante tribunal tui amantissimi filij IESV rationem actorum totius vitæ meæ redditurus digneris misericorditer me iuuare, ac protegere, vt te mediante, O Mater mea pijssima, euadere valeā horribilem illam æuiternæ mortis sententiam, & fieri dignus, qui tecum æternâ vitâ perfruar. Amen. Hanc similemuè si in dies singulos orationem feruentiori recitemus affectu, aderit illa nobis sine dubio in morte nostra, nosque à Cacodæmonis tentationibus, atque incursibus protegat, nobisque felicissimum ex hac vita transitum impetrabit.

60. Innumera reperiuntur passim Virgineæ huiuscé in piorum morte protectionis exempla eaque præclarissima, ex quibus paucula delibare libet. Celebre illud est S. Lyduuinæ Virginis, Deiparæ amantissimæ, quam miris in morte solatijs eam dilectissimo suo filio, Angelisque permulcere post tot, tātasque amore Christi, animarumque eius sanguine redemptarum exantlatas tribulationes, non est dedignata. Itaque ipso die Paschatis, cum rerum diuinarum contemplatione in DEVM esset defixa, vidit ad se venientem Dominum IESVM cū Matre sua sanctissima 12. Apostolis multisque alijs sanctis, Angelicisq; spiritibus. Assedit mox Christus, mira benignitate, ad lectuli illius dexteram, Beatissima verò Virgo Maria ad sinistram, alijs beatis in orbem eam decentissimè decumbentem cingentibus. Vidit inde mensulam ornatam, & in ea, ceu sacri olei vasculum elegātissimum, Crucem quoque pulcherrimam, cereumque valdè luculentum totum cubiculum mirificè illustrantem. Erat Lyduuina tūc totius corporis magnis doloribus affecta, cùm ecce videt ab ipso Saluatore vestito sacerdotali amictu, ægrum corpus suum, ijs in partibus perungi, quæ morituris, oleo sacro liniri consueuerunt. Inde porrigit illi Christus cereum, eumque cum Matre sua tenet, crucemque donec exhalaret spiritum. *Post sacram illam vnctionem rogauit sponsum, vt extremum vitæ suæ finem tot doloribus, ærumnisque cumularet, quo corporis ergastulo liberata, eius anima mox, absque purgatorio in eius amplexus euolaret. Cui sponsus: Ita fiet filia, post biduum cātabis cum alijs Virginibus in regno Patris mei Alleluia.* Post Christi, eiusque Matris abscessum mansit cum Lyduuina custos Angelus, cumque eo suauissima miscebat colloquia, eamque ad migrandum in cælum prope diem disponebat, præfinito à Christo die illo felicissimo, quo spiritum Creatori suo erat redditura, adfuit rursus Christus cum Matre suâ, plurimâq; Angelorum beatissimorumque ciuiū, Virginis lectulum ambientium frequentiâ, ac tandem post blandissima colloquia, animam illam sanctam in suauissimos suos recepit amplexus, ac mox Matri suæ amplexandam tradidit, quam Mater benignissima dulciter exosculatam, dedit Angelo ipsius custodi. Quam cùm accepisset, tota illa beatorum caterua laudibus Domino ac Saluatori eiusq; Matri

S. Liduina Virgo quātas in morte à Christo, & B. V. consolationes perceperit.

S. Liduuina oleo sacro à Christo Dño præsente B. V. & plurimis Angelis inūgitur.

Christus S. Liduinæ promittit beatitudinem absque Purgatorio.

Christus animam S. Lyduinæ morituæ in suos accepit amplexus, Matrique suæ amplexandam tradidit.

B. V. animam Lyduinæ eius Angelo Custodi in cælū deferendam tradit.

tri summâ gestientis animi lætitiâ decãtatis, felicissimam illam animulam ad æuiternæ consortium beatitatis peramanter inuitarunt. O' mercedem opulentissimam tot illarum salutationum, quas Puella adhuc balbutiens, tum alias sæpe tum coram illa tot signis ac prodigijs celeberrimâ Schiedamẽsis Virginis Icone proferre erat solita. Quam porrò grata Virgini Deiparæ Iuuenculæ huius innocentissimæ Salutationes illæ Angelicæ acciderint, id benignissima Virgo arridenti suo vultu declarauit, vt ipsa Matri contestata est, cùm de eius lõgiori in Templo mora subindè conquereretur: *Quæso*, inquiens, *bona Mater ne molestè feras. Salutaui enim speciosissimam Dominam nostram, & illa mihi blandissimè arrisit.* Sur. 15. Apr.

Felix mors Lyduinæ adscribenda deuotis salutationibus ad B.V. factis.

B.V. Lyduinę puellæ se salutãti arrisit.

61. Eamdem Angelicarum Salutationum mercedem sibi à B. Gertrude toties oblatarum, Deipara eidem in articulo mortis sine dubio liberalissimè repẽdit. Cum enim Christus Dominus, pro ea Matri cor suum obtulisset, in eoque affectum illum vniuersum, quo eam ab ęterno in Matrem prædestinauit, creauit; sanctificauit, rogasset vt eius defectibus in ea colenda indulgeret, tandem per gaudia gloriosissimæ ipsius in cælos Assumptionis, qua Domina, & Regina cæli, & terræ effecta est, eamdem obsecrauit, vt sereno suo aspectu obuiare dignaretur huic suæ dilectissimæ spõsæ ex hac vita discedenti, eamque materna illa sua pietate recipere. *Tum*, ait ipsius vitæ Auctor lib. 5. cap. 33. *gratiosa gratiarum Mater placidissimo gaudio, omnibus dilectissimi sui filij postulationibus annuit*, *simulque* subtexuit: *O' fili amantissime concede mihi etiam, vt quando ipsius vitæ exitus à tua Diuina voluntate pręordinatus aduenerit, vt in tua hac amantissima filia excipienda, cum ei obuiam iero, eam participem facere vai eam omnium cæli deliciarũ, omni balsamo iucundiorum, donoque æuiternæ felicitatis decorare. Exauditam fuisse postulationem hanc Virginis demonstrauit euentus.* Scribit. n. idem ipsius Vitæ Auctor lib. 5. ca. 3. quod Christus Dominus paulò ante mortem ita ipsam sit allocutus: *Ecce tandem aduenit hora, in qua osculo meo, efficacissimâ suauitate pleno, meique cordis amplexu præsentabo te Patri meo cælesti.* Vix hæc Christus edixerat, cum benedicta illa anima pondere carnis vi amoris sponsi sui exuta inestimabilis suauitatis iubilo ingressa est sacrarium illud suauissimi cordis IESV Christi, fuitque ab illo iucundissimè excepta; Quos fauores omnes tam eximios intercessione atque patrocinio B.V. Gertrudem fuisse consecutam quis non videat? mihi enim certum est, eamdem etiã morienti adstitisse, cum Angelorum sãctorumque choris, plurimisque myriadibus Virginum, vt ca. 2. ipsius vitæ Auctor testatur. Et has quidem gratias Sancta hæc potissimum Angelicæ Salutationis beneficio eâ crebrò ac deuotè Deiparã salutando consecuta est. Cum eã filius Diuinæ Matri, & ipsa vicissim filio tanto amoris affectu vti diximus commẽdarit.

Christus pro Gertrude sua Matri cor obtulit.

Rogat Christus Matrem vt morienti Gertrudi obuiet.

62. Quantas porrò è contra pœnas ob neglectam salutationem Angelicam dederit quidam adolescens nomine Aeschilus videre est in spec. exempl. Dist. 3. num. 32. Hic cum puer esset duodennis, lethali morbo lectulo affixus, alienatus à sensibus, sibique paulo post restitutus, in lectulo consedit, & voce lætâ exclamauit: *Benedictus DEVS! Ego liberatus sum, & amplius non ardebo!* Cum ab adstantibus interrogaretur quid hoc sibi vellet? eadem illa pene iterauit verba: *Deo gratias, amplius non ardebo. Gratias tibi ago S. Maria quoniam de incẽdio liberasti me, & amplius non ardebo.* Huius denique gratiarum actionis causam mox attulit, retulitque in ardentem seductum fuisse clibanum; inde Palatium Regium ingressum, ait vidisse se cæli, terræque Reginã in throno residentem, quæ eum inde facessere, & ad infernales ignes æternum cruciandum abire iubebat, additâ etiam causa; quod indignus fuerit ab æterno Iudice iudicatus, pro quo ipsa intercederet, eo quod cum inter mortales degeret, ne semel quidem se Angelicâ salutatione esset dignatus. Addit, se veniam partim suis lacrymis, partim aliorum sanctorũ qui Deiparę adsistebant precibus, patrocinioque impetrasse, iussumque à sempiterni illius ignis cruciatibus liberum ad corpus redire, pœnitentiamque de sua supina, in salutanda Virgine, negligentia, agere. Vixit hic semper in posterum Deiparæ, eiusque ordini Cisterciensi addictissimus. Cum enim Daciæ esset Archiepiscopus, quinque huius sacræ familiæ excitauit illis in partibus monasteria, ac tandem post obitum D. Bernardi, semetipsũ Ordini huic Diuę Virgini sacro consecrauit, in eoque summa in eandem Dei Matrem pietate vixit, felicissimumque magno suo solatio tantæ patronæ benignitate ex hac vita transitum sub ipsius protectione obtinuit.

Aeschilus ob neglectam salutationem Angelicam pene damnatus est.

Aeschilus Daciæ Archiepiscopus quinque Monasteria Cisterciẽsib. ob amorem B.V. excitauit, quibus, & semetipsum donauit.

63. Eandem consolationem à B.V. accepit Sanctimonialis illa de qua in Vita S. Gertrudis lib. 5. cap. 10. Dum enim ex hac vita emigratura esset, & reliquæ Sorores

rores pro illa deprecarentur, vbi ad Antiphonam illam peruenissent; *Vt te simus intuentes;* mox inclyta Virgo Mater, regia stirpe exorta, amicta purpura sese visendam exhibuit, faciemque suam moribũdæ Virginis vultui applicãdo, manibusque suis delicatis eiusdem caput attrectando, ita disposuit, vt eius halitus per rectam lineam ad Diuinum cor filij ibidem assistentis penetraret. Cum deinde breuis illa legeretur Oratio: *Aue IESV Christe Verbum Patris*; visus est Christus Dominus in admirabilem quandã claritatem transformari, ita vt sicut Sol in virtute sua eius facies coruscaret. Qua visione mirificè Sancta illa anima consolata, extra se rapta fuit. Sed paulo post vidit eandem Deiparam pulcherrimam splendidissimamque cæli Rosam dulcissimis amplexibus stringentem, & osculantem suum dilectissimum filium, perinde atque si de noua sponsa castissimaque cum ipsa vnione ipsi congratularetur. Hæc cum B. Gertrudis in spiritu vidisset intellexit Sanctimonialem illã intima cum sponso suo cælesti vnione, velut sitibundam à cælesti Rege introductam in cellaria sua, atque adeo abysso veræ beatitudinis immersam, intrasse in gaudium Domini sui.

B. V. moribũdam monialẽ amplexatur, eiusque halitum ad cor filii dirigit.

B. V. congratulatur filio de noua nupta.

64. Idem gaudium, & consolationem in morte attulit fidelissima Virgo Patri nostro Emmanueli Fernandez, qui varijs virtutibus decoratus, etiam spiritu prophetiæ clarus extitit. Colebat hic impensè Deiparam, cuius obsequijs sese totum deuouerat, nec irrita, aut vana hæc eius cecidere obsequia. Cum enim ad extremam peruenisset vitæ catastrophen ei Dei Mater pientissima adesse nõ est dedignata. Monuerat hic quendã ex adstãtibus socijs, vt signo crucis locũ quendã circa lectulum suum muniret, illic .n. ostentare se voluisse inferni tenebrionem, qui ab Illuminatrice Virgine sibi adstante mox repulsus, ad teterrimas Auerni tenebras abire iussus est. Tum animitus, medullitusque elatis, ac vt potuit intermortuis vocibus clamauit: *Ah sanctissima Domina, sanctissima Domina mea*. Inde conuersus ad socios: *Video*, inquit, *sacratissimam Dei Matrem diuinã pulchritudine admirabilem, sinite me abeuntem sequi.* Et verò felicissimis passibus subsecutus est moriens, cuius vitę puritate incorruptisque moribus viuẽs subsequi vestigia, eius virtutes imitõdo, conatus est.

Emmanuelis Fernandez in B. V. affectus.

B. V. morienti apparet.

65. Consolata est Deipara sacratissima morientem nostrũ Alphonsum Rodriques rei domesticæ adiutorẽ, qui annis 40. quotidie officiolum immaculatę Conceptionis recitabat; quod quam gratũ ipsi Virgini acciderit, ab ipsa sibi in triclinio aliquando apparente didicit, cuius etiam iussu precum suarũ quotidianarum catalogum conscripsit. Tãtus, tamqua castus fuit ipsius in Dei Genitricem amor, vt sæpe suauissime cum ea collocutus, vter alterum, illanè Alphonsum, an Alphonsus illam tenerius amaret, cum ea concertare summis delibutus Spiritus delicijs videbatur. Vt porrò ipsius amor maiora in dies caperet incrementa, eadem Dei Mater sæpius ei apparens eumque visitans cum filio, hanc præcandi formulam ei præscripsere: *IESVS Maria mei dulcissimi amores! Patiar ego, moriar ego, vestri amore, vester sim totus, & nullatenus meus, ac si nihil prorsus essem*. Cum Virginem aliquando feruetius cum lacrymis quarum ei insigne donum datum diuinitus precaretur, eũ ita allocuta est: Hyo mio Alonso todo se hara bien por amor de ti. Eiusdẽ Virginis monitu certior factus est se sine Purgatorio saluum fore, & tamen, qua erat humilitate, maximum se mũdi peccatorem dicebat; cũ Calculi doloribus diu vexaretur sepe exclamabat: *Amplius Domine, amplius. O IESV, ò Maria, ò amores mei dulcissimi vtinam paterer, vtinam pro vobis morerer.* Oculis illis, quibus per quadraginta septem, annos fœminam de facie non vidit, vidit feminam illam mulierũ pulcherrimã, Virginem gloriosissimam, amicam suam dulcissimam inter Angelorum, beatorumque choros triumphãtem. vidit insuper aliorum omnium qui tunc in societate IESV viuebant, morituri que in ea essent, sedem in cælis destinatam. Triduo ante mortem in ectasin raptus, sensibusque alienatus iacuit sine voce. Subinde tamen intermortuis, piè exclamabat: *Ah! IESV dulcissime, ò Mater Maria mea!* Ita iacuit summa cum animi tranquillitate ac quiete, clausis oculis vultu Angelico ac rubenti, tandemque in sui IESV cruci affixi pacis osculo, osculis amore plenis, eidem spiritum reddidit, ad Beatitudinemque illam æternam sub tutela Virginis cui tã amãter deseruierat, euolauit 31. Octob. An. 1617. Ostenditque reuera reipsa Vir hic Deiparæ cultui addictissimus, se non irrito conatu preces illas officioli immaculatæ Concept. B. V. iterasse quotidie:

B. V. Alphonsum Rodriq in morte cõsolata est.

Alphonsi cũ B. V. amoris certamen.

Alphonsi ardens desiderium patiẽdi pro IESV & Maria.

In calculi doloribus Alphonsi patientia.

Videt gloriã assumptæ in cælum Virginis.

In amplexu Crucifixi moritur.

Per te Mater gratiæ
Dulcis spes reorum
Fulgens stella maris

Tor-

Portus naufragorum.
Patens cæli Ianua
Salus infirmorum
Videamus Regem
In aula sanctorum;
Supplices offerimus
Tibi Virgo pia
Has horas Canonicas;
Fac nos vt in via
Ducas cursu prospero,
Et in agonia
Tu nobis assiste
O' dulcis Maria,

Adstitit, cælicaque suâ dulcedine visitationeque recreatum ad æuiternæ illius patriæ nunquam terminanda gaudia deduxit.

B. V. Parthenijs sodalib. morti vicinis in illorum certamine assistit.

66. Quid verò iam dicemus de Virginis clientulis, qui ipsi in sodalicijs Parthenijs deseruiunt? O' quantis illa gaudijs, diuinisque solacijs eos permulcere, quanta fortitudine munire in tremendo illo mortis articulo, seipsam illorum lectulis sistendo, cōsueuit? Testis est Adolescens illæ Græcensis Conuictor, qui morti iam vicinus cum extremo chrismate esset inunctus, de nocte quam potuit contentissimâ voce Christum ingeminauit. rogatus hic ab eo, qui vigil adstabat, quid id esset, & cur sic clamasset? Respondit: *Quia ipse adest, & en hic est, nonne vides? estque cum ipso Virgo Parens cum cælitum magno comitatu.* Credibile valdè est eum sui oblitus horam tunc à Virgine didicisse siquidem ab eo tempore subinde sciscitari cæpit, quando futura esset hora septima ante meridiana hæc enim postea mox vt aduenit, sancta illius anima cum cælesti illo comitatu, vt piè creditum, in cælum euolauit. *In lectulo tamen ante obitum, tria societatis nostræ, quam viuens tantopere adamauerat, atque ambierat, vota nūcupauit, spopondítque, si vita superesset, se eam ingressurum, sed quam in hac vita minus potuit, credimus in cœlesti, Ductrice Virgine, consecutum.* In Ann. Coll. Græc. 15.96.

Adolescens Græcensis vidit Christum, & B.V. sibi morienti adstātes cū magna Cœlitū turba.

Adolescens Moguntinus piè moritur.

67. Testis est alter Adolescens è Parthenio Moguntino in cultu Deiparæ, omnisque pietatis exercitatione adeo feruens, vt parentum amore, qui eum ad valetudinem curandam domum euocabant, proculcato, maluerit in nostrorum conuictu, siuè moriendum, siue conualescendum esset, permanere, aiendo melius illi apud nos fore quam domi siquidem non minore charitate, diligentiaq; corpus, quam animam curaremus. Huic igitur Iuueni de sua salute adeo solicito cum iam morti esset proximus B. Virgo specie pulcherrimâ sese videndam obiecit, promisitque se illi, velut Bellatrix Heroina in extremo illo cum Tartareis hostibus certamine affuturam; diem denique ipsius obitus eidem aperuit, atque prædixit, quem ipse hora vna ante obitum cuidam è Societate nostra cōfidenter indicauit. In Ann. Coll. Mogunt. 1596.

Adolescentis Tolosani morientis pius in B.V. affectus.

68. Testis est Adolescens Parthenij Tolosani qui triduo antequam extremū exhalaret spiritum creditum est nō obscura cōiectura Deiparam Virginem sese illi spectandam exhibuisset, tacitus .n. atque in altissimo silentio defixus, oculis semper vnum in locum intentis, subinde in has voces erumpebat: *O' quam speciosa es Virgo Maria!* Hac eius diuina delectatus specie contemnebat omnia, & seipsum, vitamque suam inter omnia. Cū enim vnus è sodalibus, qui ei assidebat aliquando moneret, vt curam aliquam susciperet valetudinis, & pio aliquo solatio laxaret animum, respondit: *Opportunam tu mihi quidem recreationem narras, sed ea mihi mundum sapit.* Tandem magnâ sui, mundique cum eius vanitatibus, quæ ei ab alijs amicis obiectabatur victoriâ, protegente Virgine sibi amantissima, ad æterna præmia translatus est. In Anno 1596.

Adolescentis Panormitani fœlix obitus sub protectione B. V.

69. Testis demum est è Parthenio Panormitano Iuuenis cui Dei Mater cogitationem, mentemque religionis ingrediendæ iniecerat; Cuius verè illustris, & piæ plenus voluptatis fuit obitus. Hic vt primum lecto affixus est, statim seriè excessu vitæ, deque perpetuis cœli gaudijs cogitare cæpit. Patrem, qui illi erat à confessionibus rogauit, quibus insidijs in summo vitæ certamine animam Cacodæmon oppugnet? Eundem sodalesq; reliquos orauit, ne se in extremo illo articulo tam periculoso, pijs monitis confirmare, precibus subleuare graue ducerent. *Matri solicitè de ipsius curatione cogitanti, & loquenti: quid medicamentis opus est, inquit intra octauum diem morituro? Quod ita euenit, ipsi sine dubio id reuelante Virgine, quæ ei ante diuinam, de ingredienda religione, reuelauerat voluntatem.* Cum tribus ante mortē diebus linguâ vsu destitutus esset, sub ipsum mortis discrimen eum hortabatur Sacerdos, vt ad plenariam culparum indulgentiam, corde saltem IESV, & Mariæ Nomen iteraret. Mox amanti loquēdi facultas, clementissimæ Deiparæ, cuius adeo studiosus in vita extitit, vt credibile est, beneficio restituitur. IESVM, & MARIAM identidem pijssimè appellat, precesque, & Hymnos varios, *Salue Regina:*

B.V. diem obitus illi prædicit.

Linguæ vsus ei restituitur, vt pro consequenda Indulgentia plenaria inuocare posset IESVM, & MARIAM.

Regina: *O gloriosa Domina*, *Veni Creator*; pronuncians, iteráſque obdormiuit in Domino, accepitque à Virgine ſuæ virtutis, obſequiorumque ipſi dum viueret exhibitorum condignum præmium. Fuit .n. Adoleſcens non modo maioribus obtẽperans, ſed etiam erga omnes ita manſuetus ac mitis, vt ne verbo quidem vnquam quẽquam læſerit, adeo in ſuâ pietate præſertim erga Dei Matrem ſtudioſus, vt conſuetas preces intermiſerit nũquam. Vnde fama, tantâ cum pietate mortis obitæ, tantæque virtutis exẽplo, complures excitauit adoleſcentes, vt eiuſdem Sodalicij vota conciperent, ſua Nomina in Altum Congregationis B.V. tranſcriberent.

70. Ex quibus omnibus tam antiquis quam nouis ac præſertim noſtræ Societatis, ac ſodalitiorum exemplis manifeſtum euadit, glorioſiſſimam Deiparam, tanquam Martiam quãdam Heroinam, ac bellatricem clientulis quidem ſuis ſemper in tentationibus omnibus, at verò maximè extremo illo cum Tartareo hoſte conflictu, ac dimicatione, mirâ beneuolentiæ ſignificatione adeſſe cõſueuiſſe, rutiloque ſuo, ignito, ac pluſquam Martio ſplendore duntaxat, teterrimas illas Orci laruas, ac Tenebriones effugaſſe, deque illis glorioſiſſimum triumphum reportaſſe. Quis igitur in fortiſſimam hanc, Martiamque Heroinam, quis in hanc pientiſſimam miſericordiæ Matrem tum ſæpè aliàs, tum verò vel maximè in tremendo mortis articulo, quo homines, quantumuis ſanctiſſimi, à Tartareis hoſtibus mille machinis, inſidijſque appeti conſueuere, ſummâ cum fiduciâ non recurrat? Recurramus, recurramus, velut filij ad ſinum amantiſſimæ Matris; velut mortis æternæ rei, ad Ciuitatem refugij; velut exarmati, infirmique milites ad Turrim Dauid, quæ eſt fabricata cũ propugnaculis, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium. Recurramus velut ingentibus cõmaculati ſceleribus proſcripti peccatores ad Aſylum. Veriſſimè enim de illa cecinit Mantuanus: Ipſa eſt commune aduerſis in rebus Aſylum. Et nili potentiſſimo eius confiſi patrocinio, ac protectione pertimeſcamus, etiamſi omnia inferni aduerſus nos conſiſtant caſtra. Ipſa enim vna, ad inſtar Martis, ad inſtar mille exercituum pro nobis depugnabit, efficietque vt de hoſtibus vniuerſis glorioſiſſimum triumphum reportemus. Interea ſub eius protectione dum viuimus conquieſcentes, magnâ de felici morte in ipſam fiduciâ dicamus cum ipſius Pſalmiſta Bonauentura: *Cantemus Dominę glorioſę Virgini Mariæ, in hymnis, & confeſſionibus benedicamus eam. Domina noſtra, omnipotens poſt DEVM Nomen eius, currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare. Dextera tua Domina magnificata eſt in fortitudine, quia in multitudine miſericordię ſuæ ſtrauiſti aduerſarios meos. De ore Leonis liberaſti me Domina, & tanquam infantem modo genitum pia Mater ſuſcepiſti me. O Domina chariſſima mea, velut Gallina tege me mirabili protectione tua. Tuus ego totus ſum, & omnia mea tua ſunt Virgo ſuper omnia benedicta. Ponam te ſignaculum ſuper cor meum, quia fortis eſt, vt mors dilectio tua.* Verè fortis. quemadmodum enim mors. ſeparat animam à corpore, quo cum amiciſſimè vixit, & ab omnibus, quæ in mundo ſunt chariſſima, ſic amor Beata Virginis cordibus ipſius clientulorum radicatus, ab omnium rerum creatarum affectu animos ità auocat, vt in mortis tremendo illo momento, perinde timore, doloreque ſint vacui, atque ſi nunquam in hoc mundo vixiſſent, aut commodis ipſius vſi fuiſſent. Vnde incredibili lætitiâ huiuſmodi amatores Virginis in hoc ad meliorem vitam tranſitu perfundi, paceque, quæ exſuperat omnem ſenſum, animos eorum componi neceſſe eſt. Hinc idem Seraphicus Virginis Pſalmiſta, pace hac, gaudioque olim ſibi in morte ad futuro recreatus, concinebat. Pſalm. 122. *Lætatus ſum in te Regina cæli, quia te duce in Domum Domini ibimus. In te ò Hieruſalem cæleſtis Ciuitas ad Mariæ præmia veniemus. Pacem interea, & indulgentiam Virgo nobis impetra, & palmam de hoſtibus ac triumphum. Conforta & conſolare cor noſtrum tua dulcedine pietatis. Sic Domina nobis tuam infunde clementiam, ac pietatem, vt deuotè in Domino moriamur.* Et Pſalm. 130. Virginea hac in hora ſuæ mortis pietate confiſus orabat: *Libera me de manu aduerſariorum meorum, confunde ingenia, & conatus eorum contra me. Erue me in die mala, & in die mortis ne obliuiſcaris animæ meæ. Deduc me in portum ſalutis, inter iuſtos ſcribatur Nomen meum.* Optamus Nomen noſtrum libro Iuſtorum adſcribi? Dum in huius vitæ miſerabilis verſamur exilio, Senecæ Philoſophorum Sapientiſſimi Sapientiſſimum conſilium ita admonentis Epiſtol. quarta, amplectamur: *Hoc quotidie meditare, vt poſſis æquo animo vitam relinquere, quam multi ſic complectuntur, & tenent, quomodo, qui à torrente rapiuntur, ſpinas, & aſpera.* Aequo animo porro,

B.V. fuiſse lętulis tãquam Bellatrix fortis ſemper adeſt, ſed maximè in hora mortis.

B.V. cõmune Aſylum in rebus aduerſis.

Laudanda B. V. quæ cõtra Tartareos hoſtes pro nobis pugnat.

B.V. Dilectio fortis vt mors, & quare.

S. Bonauent. mirum gaudium, quod Duce B.V. eſſet in Domũ Domini abiturus.

Senecæ monitum eſt, quotidie meditandũ qua ratione æquo animo vitam relinquere poſſimus.

ro, summaque cum lætitia, ac gaudio vitam hanc relinquemus caducam, æternâque perfacile potiemur, si, dum vixerimus, viuentium Matrem, Parentemque illius, cui omnia viuunt; & in quo viuimus, mouemur, & sumus, si denique nostræ vere lætitiæ causam, atque Organum Deiparam summo pietatatis, amorisque filielis affectu, vt dulcissimam Matrem nostram fuerimus prosecuti. Hanc nos quotidie, tanquam vitæ nostræ Protectricem, & in hora mortis contra Infernales hostes Adiutricem meditemur, variosque modos, quibus ipsi placeamus excogitemus, in eam spes nostras vniuersas collocemus; æquissimo animo, timoris omnis expertes, mihi credite, vitæ nostræ litia, vt tot exemplis comprobatum est, abrumpemus; ita vt ad nuntios mortis, quibus alias nonnulli pene exanimantur, animitus cum Regio Citharœdo modulaturi simus: *Lætatus sum in his, quę dicta sunt mihi: in Domum Domini ibimus.*



D I-



DISCVRSVS XL.

Quod Virgo Deipara Solis proprietates repræſentet.

1. INter res creatas omnes, nulla aptius Deiparæ noſtrę puritatem, bonitatem, miſericordiam, ſanctitatem abſolutiſſimamq; virtutum omnium perfectionē, atque eminentiam, nobis ponit ob oculos atque ſol, Dux, & Princeps, & Moderator, vt loquitur M. Tullius in Somn. Scip. luminum reliquorum, mens mūdi, & temperatio, tanta magnitudine, vt cuncta ſua luce luſtret, & compleat; adeo vt mihi nobiliſſimum hunc ſyderum omnium, Planetarumque Principem attentius contemplanti, eius in centro videre videar, vti quondam dilectiſſimus Chriſti Diſcipulus Ioannes Apoc. 12. in cælo Virginem, Dei Matrem glorioſiſſimam ad inſtar Vniuerſi totius Reginę, magnâ cum maieſtate, velut in auguſtiſſimo Throno, reſidentem, orbem moderantē, ac temperantem, cuncta ſuâ luce luſtrātem, ac complentem, calore, reliquiſque benigniſſimis ſuis influxibus viuificantem, ac demum ad inſtar cuiuſdam Diuinę Mentis orbi vniuerſo ſcientiam, ſapientiamque infundentem, adeo vt mihi cælum illud, in quo iam memoratus Apoſtolus ſignum illud magnum apparuiſſe dixit. Cęlum hoc Virgineum, Sphęraque ſolis propemodum eſſe videatur. Cum enim in ſe ſolis Naturam, omneſq; eius proprietates, ac perfectiones longè excellentiori modo, veluti in luciſſimo ſpeculo, repræſentet, eamque D. Bernardus *viuam ſolis* appellet *Imaginem*, iure eam in pulcherrimo hoc ſydere reliquorum omnium Principe ſeſe Ioanni ſpectandam exhibuiſſe ſuſpicari quodammodo poſſumus.

B. V. viua Solis Imago.

2. Quā ob cauſā deuotiſſimus Bernardinus Buſtius P. 11. Mar. ſer. 2. ait Deiparam ob ſolis perfectiones in ea repertas ad cælum globumque ſolis incolendum, hiſcè verbis fuiſſe inuitatam: *Noſti ò Virgo ſapientiſſima quod quemadmodum ſol, licet ſuæ lucis radios in fæces, ſordeſque euibrās minimè ab illis inquinatur: ſic tu in humanā generationem peccatorum labe contaminatam ingrediens nullum, vel minimum, ſceleris cuiuſpiā vel leuiſſimi næuum contraxiſti; imò anima illa tua radijs ſolaribus longè purior, licet corpori illi per naturalem Adæ propagationē deſcendenti vnita fuerit, ab omni originalis peccati præſeruata contagione immaculata permanſit.* Vnde merito tibi canit Eccleſia:

B.V. à Solis Planeta inuitatur vt in eo inhabitet ob ipſius inſignem puritatem.

Sicut Solaris radius
Corruptionis neſcius
Intraſti Matris viſcera
O gloriosa Domina.

3. Sol hic ita dictus eſt quaſi ſolus luceat, eo quod ipſe ſit fons limpidiſſimus, atque inexhauſtus totius luminis quod in reliquis cæli ſyderibus reſplendet, cuius irradiatione ſuperiora, & inferiora illuminantur. Hinc maior omnibus cæli luminaribus, quantitate, dignitate, claritate, poteſtate effectuumque multiplicitate prædicatur; ſuoque proprio, ordinato, imperturbatoque motu ordinare perficereque vniuerſa perhibetur. Hinc varij Sapientes eius præſtantium conſiderantes, varia ipſi attribuerunt elogia. Marianus Philoſophus ſolem celebrat, vt lucis principium, Regem Naturę, Mūdi Mentem, olympi fulgorem, ac firmamenti moderatorē. Plato in Timeo Solem aſſerit à Deo factum quaſi rerum Conditorem, lucem clariſſimam quâ cætera illuſtrantur euibrantem. Ariſtoteles denique ſoli proprium ineſſe lumen ait, Lunam verò, ſtellaſque ab illo lucem participare, perinde atque ab oppoſita lampade ſpeculum lumen mutuare conſueuit.

Sol ita dictus quaſi ſolus luceat.

Sol Rex Naturæ, &c.

Sol à Deo factus quaſi rerum Conditor.

Has omnes ò Virgo ſolis proprietates, aliaſque quam plurimas maiori lōgè cum eminentiâ habere cognoſceris, vt cuique ſuas virtutes contemplanti, & ſpiritualem intelligentiam ad ſolis perfectiones, virtuteſque reducenti, perſpicuum eſt. Tu Virgo tanti es ſplendoris, tantæ lucis, tanti decoris, tantæ glo-

B.V. luce superiora, & inferiora resplendent.

riæ, tantique fulgoris, vt superiora, inferioraque tuâ præsentiâ resplendeant. Et quemadmodum Sol oritur super bonos, & malos Matt. 6. sic tu bonitatis, misericordiæque tuæ claritatem omnibus abundè impertiris. Tu non modo Mundi Princeps & orbis es oculus, sed si mille essent mundi, orbesque, omnes radijs tuis fulgentissimis illustrares. Tu es sol ille, de quo canebat Psaltes Regius Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum, ipse Deus videlicet; conuenit igitur tantisper in solis cælo commorari.* Et ideo vel maximè, quia Maiestatem tuam sonis illis dulcissimis, harmonicisque concentibus, quos cælestes orbes, mutuo concursu, Planetæque ipsi motu contrario acuta cum grauibus téperando, efficiunt, recreari deceat; qui sane in hac solis Sphærâ, tanquam Planetarum mediâ, commodissimè percipi possunt; cum præsertim Sol ipse in suo circulo eum concentum reddat, quem media chordula in Musico instrumento vt asserit Macrobius in somn. Scip. Auditâ hac humanissimâ inuitatione, ait Bustius, spiritus Angelicos mox aduolasse, suæque, ac cælorum gloriosissimæ Reginę encomium illud sapientis fuisse modulatos: *Sicut Sol oriens mundo, sic Mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ est*, Domus autem hæc quæ fulgentissimâ hac Virgine exornanda, longè altior est; vnde ijdem Spiritus beatissimi eosdé iterum iterando concentus eidem dixere; *Ascende superius.* Sic ille.

In B. V. tanquam in sole Deus tabernaculũ suum posuit.

Sol medius Planetarũ, cũ sonum reddit, quẽ media chordula in instrumento.

4 Ex quibus facile intelligimus quãtopere soli Virgo nostra fuerit similis, siquidem Sol ipsius tantopere gaudebat præsentiâ. Verissimum enim est illud Aristotelis, *simile simili semper adgaudet*. Verum vt magis nobilissimam solis Naturam, diuinasque propemodum eius proprietates, sacratissimæque Deiparæ nostræ, singularem intelligamus eminẽtiam, libet ex varijs auctoribus varias ipsius laudes, descriptionesque in medium adferre. Ouidius libro 4. Metamorph. sic solem de se loquentem introducit;

Variæ solis descriptiones.

Sed longum metitur Annum.

Ille ego sum dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video, per quem videt omnia tellus
Mundi oculus.

Claudianus li. de consulatu Probini, & Olibrij solem sic compellat;

Sol, qui flammiferis mundum cõplexus habenis
Voluis inexhausto redeuntia sęcula motu,
Sparge diem meliore comâ, crinemque repexi
Blandius elato surgant temone iugales
Efflantes roseum, frænis spumantibus ignem.

Marullus denique Tarchaniota Constantinop. inter Poetas non vulgaris Hymnorum lib. 3. Poemate singulari sic in solis excurrit laudes, eiusque naturã, proprietatesque varias nobis ob oculos proponit:

Solus inexhaustâ qui lampade cuncta gubernat
Sol Pater; vnde etiam solem dixere priores,
Et patria longè moderatur imagine mundum,
Idem Rex hominum, atque DEVM Pater omnibus idem.
Candida quem Thia, vt perhibent Hyperione Magno
Conceptu rapidas Acheloi fudit in vndas
Ingentem, ingenti, & radiantem luce paterna,
Nam cum cælicolis Hyperion cognitus vnis
Degeret, humanis contingi captibus exors,
Qui nisi de bruto nequeunt capere agmina sęsu
Et tamen ignotus nollet per sæcla latere
Auricomum Genitor fœcundo lumine solem
Edidit, effigiemque sui formauit in ipsam,
Per quam sublimes possimus tollere mentes
Metirique animo, & conferre incognita notis.

Sed Solus inexhausta lãpade cuncta gubernat.

Vide plura eius encomia apud eundem.

Euripedes in Medea vocat solem Dei lampadem.

Aeschylus appellat cuncta videntem in Promotheo.

Voco videntem cuncta solis Circulum.

Vnde Ouidius 4. Metamorph. de ipso loquens;

Videt hic DEVS omnia primus.

Proculus Lycius vocat solem lucis, vitæque Quæstorem, clauiumque rerum humanarum Gubernatorem, vnumque omnibus Dominantem;

Sol lucis, ac vitæ Quæstor, gubernatur clauis rerum humanarum.

Lucis quęstor vitę Orientem
Claues fontis habes, dominaris, & omnibus vnus.

Quam ob causam credidere Veteres, vt testatur Natalis Comes libr. 5. Mytholog cap. 7. solem Deorum omnium vires solum, reipsâ continere, cum varia nomina ipsis eius viribus fuissent indita. Vnde sic illi cecinit. Hinc Macrobius libr. 1. Saturnalium cap. 17. agnoscens virtutes Deorum, sole inclusas introducit Auienum sic loquentem: *Hoc equidem meum multum ac frequenter agitaui, quid sit quod solem modo Apollinem, modo Liberum, modo sub aliarum appellationum varietate veneremur? cui sub persona Vettij sic respõdet; Caue existimes Poetarum gregem cum de Dijs fabulantur, nõ ab adytis Philosophię plerumque semina mutuari: Nam quod omnes pene Deos duntaxat qui sub cælo sunt ad solem referant, non vana superstitio, sed ratio diuina cõmendat. Si enim sol, vt veteribus placuit, Dux, & Moderator est reliquorum luminum solus; stellis errantibus præstat; ipsarum verò stellarũ cursus, Ordinem rerum humanarum pro potesta-te*

Sol virtutes omniũ Deorum in secõplectitur.

Sol Dux & moderator est reliquorũ luminum.

te disponunt, vel vt Plotino placet, significant, necesse est vt solem, qui moderatur nostra moderantem omnium, quæ circa nos geruntur, fateamur auctorem. atque ita diuersæ virtutes solis Nomina Dijs dederunt. Virtutem igitur solis, qua diuinationi curationique præest, Apollinem vocauerunt. Quæ sermonis auctor est, Mercurij nomen accepit. Vide ibidem, & sequentibus capitibus hac de re plura.

Sol Dei viuũ simulachrũ. 5. Quam ob causam ijdem Veteres, eodem Natali attestante, Solem Dei ipsius viuum quoddam simulachrũ, quod syderibus cunctis fons lucis sit, reliquisque rebus creatis beneficentiam suam largissimè effundat, appellauere. Has porrò prerogatiuas omnes à summo Ioue soli communicatas Poetæ fabulãtur, quod in bello cum Titanibus atrocissimè contra cælum pugnantibus fuerit semper cum ipso coniunctissimus, mirificamque sibi ipsius beneuolentiam demeruerit. Quam ob causam post gloriosissimam de illis obtentam victoriam, eũ Corona aurea, eaque micanti luce radiata, varijsque honorum decorauit insignijs, ac inter cetera Currrillo magnificentissimo, æquè ac preciosissimo Diuinâ Vulcani arte fabrefacto quem describit Ouid. lib. 2. Metamorph.

Quod Sol in bello Titanũ contra Iouẽ fuerit ipsi coniunctissimus auream Coronam, ac Currum pro meritus.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus Ordo.
Per iuga Chrysolithi, positaeque ex ordine gẽmæ
Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.

6. Has reliquasque solis perfectiones omnes breuiter complexus, easdemque clarè explicuisse visus est Plinius libr. 2. Natur. Hist. cap. 6. *Inter terram*, inquiens, *cælumque eodem spiritu pendent certis discreta spatijs septem sydera, quæ ab incessu vocamus errantia, cum errent nulla minus illis. Earum medius sol fertur amplissimâ magnitudine ac potestate, nec temporum modo, terrarumque, sed syderum etiam ipsorum, cælique Rector. Hunc mundi totius esse Animam, ac planius Mentem, hunc principale Naturæ regimen, ac Nomẽ credere decet, opera eius æstimantes. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras: hic reliqua sydera occultat, hic vices temporum, annumque semper renascentem ex vsu naturę tẽperat. Hic cęli tristitiam discutit, atq; etiã humani nubila animi serenat. Hic suũ lumen cęteris quoq; syderibus fœnerat, preclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, vt Principi literarũ Homero placuisse in vno eo video. Quapropter effigiem Dei, formamque querere imbecillitatis humanę reor. Quisquis est DEVS, si modo est alius*, &c. Quibus ex verbis colligimus à Plinio solem pro Deo habitum.

Sol nõ modo temporum ac terrarum, sed etiam syderum Rector, & mũdi Anima.

Sol Deus à Plinio habitus.

7. Solis quoque excellentiam præclarè descripsit secundus Philosophus, qui ab Adriano Imperat. quæsitus quid esset Sol? Respondit. *Cęli oculus, splendor sine occasu, diei ornatus, horarum distributor*. Quã descriptionem à D. Ambrosio lib. 4. Hexam, cap. 1. mutuatus videtur, vbi inquit: *Sol oculus est mundi, iucunditas diei, cęli pulchritudo, Naturę gratia, prę stantia creaturę.*

Solis encomia varia.

8. Verum omnium pręclarissimè solis naturam eius proprietates propemodũ Diuinas Magnus Areopagita Dionysius cap. 4. de Diuinis Nom. descripsit; dum ait solem esse *significatiuam, expressam & euidentem Diuinitatis, & Diuinæ Bonitatis Imaginem. Omnia enim illustrat, efficit, viuificat, continet, perficit, estque eorum quę sunt, mensura, & ęternitas, & numerus, & ordo, & complexus, & causa, & finis*. Tam paucis intercalatis sic eundem quasi definit: *Clara*, inquiens, *expressaque Diuinitatis Imago est magnus hic Sol, totus lucens, ac semper splendidus, omnibus etiam quę ejus lucem capere possunt collucet, habetque lumen per omnia diffusum sursum, & deorsum, ac si quid est, quod eo non participet, id eius luminis tenuitati, aut paruitati non est tribuendum, sed ijs, quę quia apta non sunt ad capiendũ lumẽ, ad illud capiendũ non explicãtur. Itaq; illius radius immensa splendoris magnitudine penetrat, ad vitã excitat, alit, auget, absoluit, purgat, renouat, suoque lumine mensura est atque numerus horarum, dierum, totiusque nostri temporis. Colligit conuertitque ad se omnia quę videntur, quę mouentur, quę illustrantur, quę calescunt, & vno nomine ea quę ab eius splendore continentur. Itaque* ἥλιος *id est sol dicitur, quod omnia* ἀολλα *ποιεῖ, id est congreget, colligatque dispersa, eaque omnia eum expetunt, quę sensu percipiuntur, aut quod cernere cupiant, aut sentire, illustrari, calescere, omninoque contineri à lumine*. Hæc Dion.

Sol est clara atque expressa Diuinitatis Imago.

9. Pulcherrimæ sunt quidem hæ omnes laudes, sed nulla pulchrior illa, quã ei attribuit Spiritus S. Eccl. 42. versic. 16. *Sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini Plenum est opus eius*. Et rursus Eccli. 43. v. 2. *Vas admirabile Opus excelsi*, seu vt legit Tigurina: *Machina admiranda Opus Altissimi*, Quæ omnia solis elogia, sicut, & reliqua pene omnia supra memorata aptissimè quadrant gloriosissimæ Deiparæ nostræ, vti, discursu facto per singula, clarissimum euadit. Ipsa enim post DEVM ob eminentissimã Diuinæ Maiestatis dignitatem est prima, solaque mundi Moderatrix ac Regina. Ipsa, in beatis omnibus velut syderibus luminis gloriæ causa quædam est. Illa sola, ceu verus sol superiora omnia, inferioraque illuminat. Illa omnia ad suum statum

Omnia pene solis elogia B.V. conueniunt.

 per-

pertinentia in essentiæ Diuinæ voluntario illo speculo videt, ac contemplatur. Ipsa est totius mundi oculus, lucidum cæli, orbisque sereni decus. Ipsa flammiferâ suâ charitate vniuersum orbe, ceu aureis, flammantibusque habenis complectitur, ac moderatur. Ipsa est Dei lāpas, ac lucerna quâ accensâ Christus Dracmam perditam generis humani inuenerit. Ipsa luce purissimâ suæ gratiæ, fœculenta peccatorū corda illuminans, nulla puritatis suæ patitur detrimenta, illisque permixta, contagia nulla accipit; vt loquitur Marullus. Ipsa est lucis, ac vitæ quæstor. Illa rerum humanarum Gubernatrix, atque Clauigera. Ipsa assistens mundi quædam Mens, Animaque est, cuncta animans, atque viuificans, vt diximus: Illa verorum honorum, diuitiatum, gloriæque his qui sub eius deuotionis nascūtur horoscopo distributrix. Ipsa à Thia, à Diuina, seu ipsa Diuinitate, exertis quodammodo omnibus omnipotentiæ, sapientiæque suæ viribus genita, atque efformata est. Ipsa Deorum, seu potius, vt Christianè loquamur, Diuinarum Personarum vires, seu virtutes, attributaque vti omnipotentiam, misericordiamque Patris, sapientiam filij, Bonitatem Spiritus Diuinissimi, quantum rationalis capax esse potest creatura, imò omnium tam Angelorum, quam hominum sanctorum virtutes, perfectionesque in se complectitur, easque repręsentat. Ipsa denique est expressa Diuinitatis seu essentiæ diuinæ, eiusdemque Bonitatis Imago, eaque præstat omnia maiori longè cum excellentiâ, quæ solē operari commemorauit Dionysius; quę omnia fusè in prima Parte huius operis comprobata sunt.

B.V. Dei lampas, ac Lucerna.

B.V. rerū humanarum Gubernatrix atque Clauigera.

B.V. à Thia, seu Diuin te efformata.

B.V. expressa Diuinitatis Imago.

10. Iam ad reliqua solis iam recensita elogia veniamus. Ac in primis illud Ecclesiastici expendamus, quod mirificè gloriosissimæ nostræ Virgini congruit Deiparæ. Vnde S. Bonauentura in spec. cap. 7. *Consideremus*, inquiens, *quomodo plena est Maria resultatione, siue expressione Diuinæ gloriæ*, citatque mox Eccl. 42. encomiū illud solis: *Sol illuminans per omnia respexit, & gloriâ Domini plenum est opus eius*; quasi diceret: Sicut sol clarissimus ille mūdi oculus aspectu suo cuncta penetrans, cūcta illuminans gloriam quandam ipsius Diuinæ Maiestatis in se ostendit, excitatq; mortales omnes eius intuentes pulchritudinem, vt ipsius Creatorem laudent, ac glorificēt: Sic & Virgo gloriosissima, quæ veluti speculum summæ illius Maiestatis gloriam, pulchritudinemque exprimit. Vnde hæc illico attexuit: *Antonomasticè opus Domini mirabile est Maria, de quo dicitur: Vas admirabile opus Excelsi, quia nunquam inuenitur huic simile. Vnde de hoc dicitur 3. Reg. 10. Non est factum tale opus in vniuersis Regnis; Non vtique in Regno cælestiū, non in Regno terrestrium, non in Regno infernorum, quia nullum tale opus in cælo, nullum tale in mundo, nullum tale in Limbo fuit. Hoc enim opus plenū est Dominicâ gloriâ, quia super omnem puram creaturam resultat, & relucet plenissimè in Maria. Nam præter assumptā a verbo Naturam, nullum est opus, nulla est creatura, in qua tanta Diuinæ glorię materia reluceat, sicut in Maria. Gloriam enim de restauratione facta in cælo, gloriam de redemptione facta in mundo, gloriam de liberatione facta in inferno habet Dominus per Mariam, habet per plenitudinem Marię. Et ideo benè Anselmus. Tibi solum loquor Domina, beneficys tuis plenum esse mundum, inferna penetrauit, cęlos superauit. Per plenitudinem enim gratię tuę, quæ in inferno erant se lætantur liberata, & quæ supra mūdum sunt se gaudent restaurata. Plenum ergo est gloria Domini Opus eius Maria, quia sicut dicit: Isaias: Plena est omnis terra gloria eius. Plena vtique est omnis terra, plena est tota Maria, resultante in ipsa plenissimè diuinâ gloria.* Idem Doctor Seraphicus in spec. cap. 3. mysteria Mariani Nominis quod inter reliqua *Illuminatricem* sonat, dum exponeret, idem solis ponderans elogiū, clarè gloriosissimam Dei Matrem, solem mundi lucidissimū, illustrissimâ pulchritudine suâ, gloriâque DEVM glorificātem esse pronunciauit: *Considera*, inquit ille, *quod Maria est Illuminatrix per lucidissimam gloriam suam, quę per omnia illuminat cęlum, sicut sol mundum, secundum Ecclesiasticum Sol illuminans per omnia respexit, &c. Sol illuminans est Maria, quæ est pulchra, vt Luna, electa vt sol. Pulchra vt Luna per gratiam, electa vt sol per gloriam. Gloria enim Domini plenum est opus eius. Opus Domini excellentissimū est Maria. Hoc opus sicut fuit plenum gratia Domini in mundo, sic plenum est gloria Domini in cælo. Sic ergo illuminans Maria in gloria sua rutilans per omnia respicit, quia per omnes Angelos, & per omnes sanctos gloriæ suæ illuminationem extendit. Quid mirum si Marię præsentia totum illuminat cęlum, quæ etiam totum illustrat orbem? Ait enim Bernardus; Mariæ pręsentia totus illustratur orbis, & ipsa iam cęlestis patria clarius rutilat Virgineæ lampadis irradiata fulgore. Sic ergo vides quomodo Maria illuminatrix est per vitam suam lucidissimā, quomodo illuminatrix per gloriam suam fulgidissimam est Maria.* Hæc Bonau.

B.V. Antonomasticè est Opus Domini mirabile.

B.V. Opus cui simile nō est factum in vniuersis Regnis cælorum terrarū, Infernorum.

Per Mariam Deus habet gloriam in cęlo, in terra, & in Inferno.

B.V. cælo, terræ, Inferis sese communicauit.

Opus Dei excellentissimum est B.V. plenū gratia in mundo, & plenum gloria in cælo.

Mariæ præsentia totus illustratur orbis, & ipsa cælestis patria.

11. Ex quibus perspicuè inferimus, quod viuus quidam, animatusque sol Diui-

Diuinæ Maiestatis gloriam, laudumque præconia, toto terrarum orbe deprædicans sit Virgo Deipara, idque iure meritissimo. *Si enim gloria, teste Aristotele nil est aliud, quam clara notitia cum laude; quis magis, DEVS immortalis, Diuini Numin s cognitionem, cum nunquam terminandis laudum encomijs mundo intulit, quam Maria?* Hanc .n. ob causam illam dilectissimus eius filius post suum in cælos abitum, in mundo reliquit, vt quemadmodum ipse solis instar mundi, plusquam Cimmerias Idololatriæ, errorum, scelerumque illuminaret tenebras, gloriamque æterni Patris propagaret. Hanc ob causam à SS. Patribus Doctrix Doctorum, & Magistra Apostolorum, Illuminatrix Euangelistarum, vt alibi diximus, animatumque quoddam cælum, quod enarrat Gloriā Dei, vt filius, ab Isaia, non semel appellata est. Quare præclarè sanctus pronunciauit Chrysologus, eum ignorare quātus, quamque gloriosus sit DEVS, qui Virginem hanc attentius contemplando non admiratur, ac obstupescit. Cum enim Diuina cognitio potissimum dependeat à sensibus, quibus peruestigando creaturarum perfectiones, ad ipsarum Opificis notitiam, amoremque cōsurgimus; & nulla prorsus creatura, ita ad viuum, veluti in lucidissimo speculo, suum repræsentet Creatorem, atque eius Mater sanctissima, consequitur sane eā contemplatione pulchritudinis, ac maiestatis, veluti ex sole, in supremum Numen maiorem gloriam redundare.

Gloria est clara notitia cū laude.

B.V gloriam Dei in terris amplificauit vel maximè, dum eius notitiam per orbem diffeminauit.

Deum ignorat quantus sit qui B. V. attentius cōtemplando non admiratur.

Nulla creatura suum Creatorem ita ad viuum repræsentat sicut B.V.

12. Quod si ex Machinæ mundi huius consideratione summam in Deum laudem, gloriamque redundare oportet, vt pote in qua summa illius omnipotentia, sapientia, bonitas, misericordia, ac pietas in suas creaturas, ac præsertim rationales elucescit, hæc sanè laus, ac gloria longè magis resultabit ex hac gloriosissima Virgine, qua, velut paruo quodam, eoque verè mundissimo Mūdo, omnium rerum creatarum flos ac venustas longè maiori cum excellentiā cōtinentur. Vnde S. Cyprianus apud Bustium Parte 11. Marial. ser. 2. *Lego, & intelligo*, inquit, *quod V. Maria quidam Mundus intelligibilis, & admirandus est, cuius terra soliditas humilitatis; cuius mare latitudo charitatis, cuius cælum altitudo contemplationis; cuius sol splendor intelligentiæ; cuius Luna decor mundiciæ; cuius Lucifer fulgor sanctitatis; cuius Arcturus gratia septiformis, cuius sydera cæterarum ornamenta virtutum pulcherrima.*

B.V. Mundus quidam intelligibilis est, & admirandus.

13. Intellexit mundi huius mundiciē, venustatemque creaturarum omnium reclusam in Deipara B. Arnoldus Carnotensis Abbas Tract. de laud. B.V. cùm dixit: *Maria creaturis constat omnibus; quicquid enim Creator iustus distributor singulis cōtulit, Matri adornandę congessit.* Iure igitur Virgo nostra, & tanquam sol, & tāquam μικροκοσμος; *Opus Domini singulare, ipsius gloria plenissimum; & vas admirabile, opus excelsi;* seu vt legit Tigurinā: *Machina admiranda, opus Altissimi nuncupatur.* Quia si eam, vt paruum quendam mundum, flore pulchritudineque creaturarum omnium decoratum consideremus; verè Machina quædam ingenti virtutis mole est admiranda, opusque Deo Altissimo, altissimā immensāque eius omnipotentiā, virtute, sapientiā, bonitate, reliquisque infinitis ipsius attributis, gloriāque, ac laude tantæ Maiestatis dignissimum, adeo vt nullo alio indigeat laudatore; quem Propheta ille apud Philonē à summo Opifice, consideratā hac mundi mole, requisitus, expectabat, non inquam Mundus hic Virgineus indiget laudatore, cum ipse per se totus grandis quædā vox Diuinæ laudis, gloriæque sit. omni cælorum concentu harmoniaque longè sonantior ac iucundior; adeo vt vniuersorum Opifex tantā captus suauitate, posthabitis concentibus Angelicis, cælique delicijs, in purissimum eius vterum ad deliciandum cum illa, reliquisque filijs hominum, descendere, ibique nouem mensibus inhabitare non fuerit dedignatus.

M. creaturis constat omnibus.

B.V. est Machina admiranda, & opus Altissimi.

B.V. Mundus nullo alio indigens laudatore.

14. Quod si eandem Virginem, vt solis ipsius præsefert imaginem, consideremus, est ingens profectò quędam Machina virtutis mole plane obstupescenda. Si enim sol hic, quem quotidie videmus, centies sexagies, vt definiunt Mathematici, maior est terra, adeoque capax eius est Circulus, vt 160. terræ globos, secūdum vero Alexandrum Piccolomineum in sua sphæra 166. secundum Romanum quendam Mathematicum, quem Pater noster Cornelius à Lapide se audisse testatur in Eccli. cap. 43. v. 2. octingentos plane posset comprehendere. Quod ille se certo per dioptras, & instrumenta suæ scientiæ propria deprehendisse astruebat: Si, inquiā, sol hic aspectabilis adeo ingens, adeoque immensa est machina, quanto maior sol iste Virgineus censendus est, qui non centum sexaginta, non octingentos terræ globos, verum illum, quem vniuersa cælorum omnium capacitas, atque adeo tota rerum capere nequit Vniuersitas, vtero suo Virgineo solaribus radijs longè puriori, (ò ineffabilem

Sol hic aspectabilis ingens machina.

Sol adeo vastus, vt 160. terræ globos possit capere, vel 166. vel octingentos.

M. sol longe vastior, quia Deum, quem vniuersa capere nequit creatura, vtero comprehendit.

lem incomprehensibilemque Dei vniuersorum Opificis dignationem) comprehendit.

15. Furtissimi huiusce vteri immesa penè virtutis contemplans, miransque spatia B. Card. Petrus Dam. ser. de Annun. vbi præmisisset: *Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, qui postquam ei locutus est, sensit DEVM suis illapsum visceribus, maiestatemque illius Virginalis ventris breuitate conclusam*; mox in illud, affectu diuini amoris plenissimum prorupit epiphonema: *O venter diffusior cælis, terris amplior, capacior elementis, qui totum clausit omnia concludentem, in quo DEVS gloriæ reclinatur. Denique & Archangelus ait; Aue gratia plena, Dominus tecum, quia à Deo electam, & præelectam, totam eam rapturus erat Spiritus S. & cælestibus insigniturus ornamentis. Iam consecranda erat in locum voluptatis, de qua fons ille debebat ascendere, qui vniuersam terræ superficiem irrigaret*. Sic ille.

Vteri Virginalis amplitudo.

B.V. consecrata in locum voluptatis filio Dei.

16. Nimirum vterus hic Virginis est sol ille, de quo canebat David Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Venturus enim vniuersorum Dominus in hunc mundum ad depugnandum cum Tartareis hostibus; humanumque genus de ipsorum tam diutina, crudelissimâq; tyrannide liberandum in sole hoc Virgineo tentorium suum, tabernaculumque fixit, vt teterrimis illis tenebrionibus potentissimâ radiorum, ceu spiculorum luce, ardoreque & terrorem incuteret, & superbissimam eorum audaciam nequitiamque prosterneret. De lucidissimo hoc Tabernaculo vti sponsus de thalamo verè egressus est, quia dum de purissimis eius visceribus, ceu solis radijs purissimam Humanitatem nostram assumpsit, eamque sibi tanquam sponsam associans incredibili puritate, solê longè transcendente dotauit, in totamque Naturam humanam, eximius ille puritatis splendor redundauit, ita vt nemo sit nisi densissimis, & plusquam Cimmerijs peccatorum tenebris sponte demersus, aditumque tam copiosæ luci peruicaciter præcludens; qui se abscondat à calore, ac splendore eius.

B.V. sol in quo Dei filij tabernaculũ suum collocauit.

17. Et quoniam ad prælium hoc cum Tartareis Potestatibus ineundum, humanumque genus de eorum captiuitate eruendum cooperata est Deipara purissimum suum sanguinem, visceraque ad efformandam illam sacratissimam Humanitatem filij, ope, operaque Spiritus S. subministrando, longè ampliore luce, splendoreque, alijsque honoris, gloriæque insignibus, ac coronis decorata est, vti soli cont git, quem Iuppiter post Titanum atrocissimum illud bellum, aurea Coronâ, magnificentissimoque, ac pleno maiestatis curru, de quo supra, donauit.

Quia B.V. Christo ad bel andum cũ Tartareis hostibus cooperata est, & Humanitatẽ subministrando, ideo solaribus radijs cõuestita est.

18. Coronam hanc auream, splendidissimumque currum vidisse visus est Ioannes, cum Apoc. 12. gloriam sibi huiusce Virginis reuelatam diuinitus cõtemplans, attonitus quodammodo exclamauit: *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius Corona stellarũ 12*. Huic enim triumphatrici Heroinæ, ac Reginæ de Tænareis phalangibus gloriosissimè pro curru gloriæ magnificentiæque plenissimo, cælum omne, tot tamque innumeris pulcherrimisque stellis totidem gẽmis, chrysolitis, adamantibus, ac pyropis exornatum concessisse supernus Imperator, ac triumphator visus est. Pro aureo Diademate Coronam stellarũ 12. pro Regio, aureoque paludamento, ex solaribus radijs, ante admirabili ac planè Diuinâ nunquam hactenus visum in orbe nostro, contextum amictum; pro suppedaneo denique scabello, Lunam argenteo candore fulgentissimam.

B.V. velut Dæmonum triumphatrix Coronã auream, splendidissimumque Currum promeruit.

19. Vocet igitur sapiens Deiparam Virginẽ Opus Domini singulare, vocet opus eius gloriâ, laudeque plenissimũ. Vocet Machinam admirabilem, quæ, velut alterum cælum, Solem, Lunam, stellasque in se complexa est. Verè machina quædam ingens à Diuino illo opifice fabricata est Deipara. Si enim minima postremæ, siue sextæ magnitudinis stella, viginti terræ globos apta est continere, quantum DEVS immortalis vel solũ caput erit Virginis quod non vnam sed 12. planè sydera, & primæ sine dubio magnitudinis (ob illius in toto orbe primatum:) quorum singula 115. terræ globos complectuntur, coronant?

Minima stella 20. terræ globos continere potest.

Primæ magnitudinis stella 115. terræ globos complectitur.

20. Iam si quis Virgineum hunc solẽ; Machinamque adeo ingentẽ, adeo propemodum immensam piè, attenteque contempletur, nonnè ex hoc operè Domini tã insigni, atque singulari, ad laudandum, glorificandumque eius Creatorem exardescet, nonnè exclamabit: *Gloria Domini plenum est hoc opus eius?* Nonne rursus dicet attonitus cum Psal. *Quã magnificata sunt opera tua Domine? omnia in sapientia fecisti*. Verè enim Deiparam, vniuersa Dei opera, atque adeo Diuinorũ operum epitomen appellare possumus, & ad illam potissimum tam Creatorem Vniuersi, quam Moysen respexisse cum dixit:

Quanta magnitudo sit B.V. ex stellis caput eius coronãtibus colligi pot.

B.V Diuinorum operum epitome.

dixit Gen. 1. *Vidit DEVS cuncta quę fecerat, & erant valdè bona.* Hoc B. Petrus Cardin. Damian. serm. de Annunc. sensit cũ dixit: *Cum fecerit DEVS omnia opera sua bona valdè, hoc melius fecit, consecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in quá solâ se post tumultus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inueniret.* Tum prosequitur miracula in hoc vtero perpetrata, magnitudinem huiuscè tam Diuini operis extollendo, vt summam eius ostendat gloriã; *Hoc est quod natura miratur*, inquiens, *reueretur Angelus, veretur homo, stupescit cęlum, extremit terra, infernus exhorret, In huius vtero Maiestas Altissimi mirabiliter liquefacta, sicut adipe, & pinguedine repleuit terras, infudit cælos, inferna respersit. Hic exinaniuit semetipsum Excelsus, & immensus, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam dans in sinum nostrum. Hic diuinis manibus vnctus est oleo lætitiæ, & sicut ad altare in summum Pōtificem consecratus.* Hæc ille. Omnium denique Diuinorum Operum instar, esse Deiparam adeoque Opus huiusmodi in quo DEVS sibi tanquam in Optimo, seu bono valdè summopere complacuit; sẽsit Richar. à S. Laur. lib. 12. de laud. B.V. *Cum*, inquit, *vniuersa opera dicuntur bona valdè, opus quod est Maria est bonum, melius, optimum valde; Gloriã enim Domini plenũ est Opus eius.* Sic Richar.

B. V. Opus longe melius quam quod Deum initio mundi condidit.

In B.V. post tumultus hominum, & Angelorum Dei filius requiem inuenit.

21. Quod si cum Tigurina legamus: Sol lucidus collustrat omnia, & magnificentiâ Domini plenum est opus eius, intelligemus causam finalem, ob quam condita videtur Deipara. Quemadmodum enim sol hic inter alias causas ideo creatus est à Deo, vt omnia eius opera faciat hominibus conspicua, eorumque splendorem, ac gloriam ijs demonstret, atque ita eos ad iugem Dei amorem, laudemque excitet: sic Virgo in lucem producta videtur potissimum, vt demerso in scelerum suorũ tenebris mundo, ac peccatoribus, qui eo continentur, lucẽ porrigeret, vt & se tanquam pulchritudinis creaturarum omnium compendio, & orbis huius venustate agnita, in amorẽ supremi Artificis, qui per se, & per essentiam pulcher est, atque ipsa Pulchritudo, imo fons ipse omnis pulchritudinis, vnde, *manat cæterorum pulchritudo, vt loquitur Plato, exardesceret.*

B.V. ideo à Deo condita vt mundum, ac peccatores, qui eo continentur illuminaret.

22. Aptissimè porrò Tigurina versio; Solem opus Dei singulare ac proprium, ait eius esse plenum magnificẽtiâ. Quod in Virginem quadrat mirificè. Si enim Magnificentia, auctore Angelico, atque Aristotele, nil est aliud quam virtus magnitudinis sumptuum effectiua, intelligemus reuera Deiparam, viuum, animatumque solem esse, in quo supernus Artifex longè maiores suæ pietatis, ac misericordiæ sumptus effudit, quam in hoc aspectabili; cum in hoc condendo digitis quasi lusisse, vt ait Dauid: *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum Lunam, & stellas, quæ tu fundasti.* Ps. 8. vel ad instar fœminæ cuiuspiam, quasi aliud agendo colum ducentis, fusum torsisse mira facilitate visus sit. Vnde de sole Virgineo cõdendo loquens Salomon, ait æternam Sapiẽtiam *Manum misisse ad fortia.* Et ipsa Virgo: *Fecit potentiã in brachio suo.* Increata siquidem sapientia, omnes Omnipotentiæ, Bonitatisque suæ, aliorumque infinitorum quodammodo attributorum vires in hoc animato Virgineo condendo sole exeruisse, omnesque quasi suæ scientiæ, sapientiæque thesauros profudisse maximo cordis sui gaudio visa est, vnde à S. Bernardino Senensi, & Pelbarto, Richar. à S. Lauren. alijsque ipsa Dei Magnificentia vocitata est.

B.V. opus Domini plenum magnificentia.

Quid sit magnificentia.

In condenda B.V. magnos sumptus suæ pietatis Deus effudit.

B V. ipsa Dei Magnificentia dicta, & quare.

23. Quod ipsa Virgo beatissima S. Metildi reuelare non fuit dedignata, vt videre est libr. 2. vitæ ipsis cap. 46. Cum enim hæc Sancta Anima in ipsa die Natiuitatis B.V. ex illa quæsijsset, quidnam cuperet ad sui Nominis honorẽ, & gloriam eam facere? Ipsa mox Deipara sese illi visendam exhibuit, eiq; dixit; *Recita tot salutationes Angelicas, quot diebus in vtero Matris habitaui. Præterea gaudiũ illud memorare, quo ego modo perfruor, videndo, ac cognoscendo lætitiam Beatissimæ Trinitatis quam de me habuit, ob complacentiam, qua ab æterno sibi complacuit in me, ac præsertim in mea Natiuitate, vt ex eius gaudij abundantia, cælũ, terra, omnisque creatura exhilarata fuerit. Nã quemadmodum artifex quispiam, qui in animum induxit suum, opus aliquod admirabile faciendi, magno cum affectu illud considerat, & cum cordis sui oblectatione, suæ imaginationi idem repręsentat: ita Trinitas altissima oblectabatur, & gaudebat in me. Cupiebat enim talem depingere Imaginem, in qua elegantissimè artificium totius suę Diuinę Omnipotentiæ, Sapientię, ac Bonitatis repręsentaretur. Gaudebat preterea in me, quia nouerat in hoc summopere in me nunquam deprauandum, quod vsque ab ipso vltima manus esset apposita. Tanta denique iucunditate, & gaudio Natiuitatem meam atq; infantiam preuenire dignatus est, vt omnis pueritiæ meę actiu, in eius conspectu delectabilis quidam lusus ipsi esse videretur, iuxta illud Prouerbiorum dictũ; Ludens coram eo omni tempore.* Ex qua Deiparæ reuelatione intelligimus, quantopere illam summus Artifex inter omnes creaturas dilexerit, sibique præ ceteris in

SS. Trinitas in B. V. velut pulcherrimi Imagine artificium suæ omnipotentiæ, sapientiæ, & bonitatis ostẽdit.

in illa, velut Opere præstantissimo, atque eminentissimo, complacuerit.

24. Quare B. Petrus Card. Dam. ser. de Assumpt. encomium illud Virginis trutinans; *Electa vt sol*, ait mirifice hac comparatione, inter omnes creaturas, tam cælestes, quam sublunares eius eminentiam explicari. *Hanc*, inquit, *attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Multo enim altius aliquid habet claritas solis, quam Lunæ, quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat: hic verò lucidius incandescens, ita sibi siderum, & Lunæ rapit positionem, vt sint quasi nō sint, & videri non possint.* Vtque ostēdat maiores longè sumptus, effusionemque diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, in hoc Virgineo condēdo sole factam, maioremque ostensam Dei magnificentiā, quam in vlla tam humanā, quam Angelicā creaturā, ac proinde longè excellētius illis omnibus hoc Dei eximium singularissimumque opus esse; mox hāc attexit antapodosin: *Similiter, & Virga Iesse veri prænia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Attexitque mox causam huiuscé tam exuberantis splēdoris, Verbum diuinum videlicet increatam illam, inaccessibilemque lucem, quam nouem mēsibus vtero complexa est, qua velut sol minora sydera sic illa Angelorum, hominumque iustorum lumen sanctitatis obfuscat: *An non putas*, inquit, Damianus *quod non contremiscat tota rationalis creatura ad contemplationem tantæ dignitatis? Considera, & quæ in cælis, & quę in terris in Virgine refabricata, DEVM, qui cælum palmo metitur, Virginei ventris breuitate cōclusum, redemptionem hominum, Angelorum restaurationem, denique quicquid est, fuit, & erit per Virginis vterum renouatum, & tunc tibi cogitatio suggeret, quod locutio demonstrare non potest. Electa*, inquit, *sed, & prælecta, vt sol. Quia, sicut sol solus orbem illuminat, sic hæc sola solidiori lumine, & Angelos, & homines illustrat.* Hactenus Dam.

B.V. cū Sole similitudo inter omnes creaturas excellentissima.

Sydera respectu solis sūt, quasi nō sint, & videri non possunt.

B.V. in cælo sua luce vtrorumque spirituum Angelorum scilicet, & animarum hebetat dignitatē.

Causa tam ingentis splendoris in B.V. est verbum æternū, quod 9. mensibus in ea quieuit.

Contremiscit tota creatura rationalis ad contemplationem dignitatis B.V.

Sicut sol solus orbem illuminat, sic B.V. solidiori lumine, & Angelos, & homines illustrat.

25. Quapropter merito hic verba Diui vsurpare possumus Ambrosij libro 4. Hexam cap. 1. nosque mutuo exhortari ad hunc aspectabilem, & hunc alterum Virgineum Solem contemplandum, vt eo viso, in cognitionem, amoremque pulchritudinis ipsius Creatoris assurgamus: *Quarto die*, inquit ille, *DEVS iubet fieri luminaria. Sol incipit, emunda oculos mentis, ò homo, animique interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui præstringat ingenij, & puri cordis turbet aspectum. Præcedit sol magno iubare diem, magno mundum complens lumine, vaporans calore. Caue ò homo solam eius pe pendere magnitudinem, ne nimius fulgor eius, visus tuæ mentis obcæcet; Quando hunc vides, auctorem eius considera, quando hunc miraris, lauda prius ipsius creatorem. Si tam gratus est sol, qui consors, & particeps est creaturæ, quam bonus est sol ille iustitię? Si tam velox iste, vt rapidis cursibus die ac nocte lustret omnia, quātus ille qui vbique semper est, & maiestate sua complet omnia, si admirabilis qui iubetur exire; quā supra admirationē qui dicit soli, & non exoritur, vt legimus? Si magnus est, qui per horarum vices locis aut accedit, aut decedit quotidie: qualis ille, qui etiā cum se exinaniret, vt nos eū possemus videre, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Si pręstantissimus, qui obiectu terrę patitur sępe defectus: quantę maiestatis qui ait; Adhuc semel ego mouebo terram? Illum terra abscondit, istius motum non potest sustinere, nisi voluntatis eius substantiā fulciatur. Si cęco damnum est huius solis gratiam non videre, quanto magis peccatori damnum veri luminis munere defraudatum perpetuę noctis tenebras sustinere?* Sic Ambr. Hec fere eadem proportione quadam de Virgineo hoc, animatoque sole enunciare longè potiori iure possumus, ob ipsius simillimam cum sempiterno illo iustitiæ sole præstantiam. Igitur tu quoque ò homo ad Virgineum hunc solem cōtemplandum mentis tuæ oculum, ab omni peccati labe expurga, si tantam eius puritatē cum fructu contemplari deque illa participare desideras, si eius lucem, caloremque experiri concupiscis. Quod si Virgineus iste sol ita consideratus te delectat, quātò magis eius filius sempiternus Sol iustitiæ? Si aspectabilis iste sol magnitudine suā, ac velocitate, innumerisque effectibus est tam admirabilis, quid censuendum de duobus hiscé solibus IESV, & Mariæ, quorum magnitudinis non est finis? dū enim immensus Dei filius fit filius Virginis, eiusque vtero compræhēditur, immensitatem quandam creatæ menti incompræhensibilem simul communicat Matri. Quid censendum de eorum cursu velocissimo, quo in mortalibus adiuuādis vti consueuere? De celeritate IESV canit Dauid Psalm. 18. *Exultauit vt Gigas ad currendam viam*. De celeritate Mariæ S. Amadeus Hom. 10. vbi ait, *Motu suo celerrimo senas Seraphin alas longo interuallo superare*.

Ad solis pulchritudinem contemplandam hortatur nos S. Ambrosius.

Cum Solem videmus Auctorem ipsius laudemus.

Cum B.V. cōtemplamur mentis oculos ab omni labe peccati expurgemus.

26. Quare hic merito vsurpare possumus, id quod idem S. Ambrosius per Pro-

Natura Solē describit ac laudat.

Prosopopoeiam, de sole hoc visibili Naturam pronunciantem introducit, vt intelligamus mysticos hoscè soles, IESVM, & Mariam, absque vlla comparatione isto pulchriores, meliores, atque potentiores esse. Itaque Dominus quidem est sol, inquit Natura, sed ministerio, non imperio. Bonus meæ fœcunditatis adiutor, sed non creator; Bonus meorum a tor fructuum, sed non autor. Interdum partus meos & ipse adurit, frequenter & ipse mihi damno est, plerisque me locis indotatam relinquit. Quod sanè de mysticis hiscè optimis mundi solibus, ceu benignissimis ocellis, IESV, & Maria, dici neutiquam potest. Ipsi quidem boni sunt Naturæ, & Terræ, atque adeo toti Vniuerso, non ministerio, sed imperio, quod Maria tanquam Mater, vti & reliqua omnia ob identitatem carnis, à filio participauit. Boni sūt auctores omnium terræ, naturæque fructuum non altores. Boni sunt fœcunditatis creatores, non adiutores. Hi nunquam damno sunt vlli, vt pote quorum natura bonitas, quorum opus misericordia; hi denique creaturas omnes, pro sua capacitate singulas dotant, muneribusque suis afficiunt, nec est, qui se à calore eorum abscondat.

27. Quapropter merito supra dixi pulcherrimum illud Solis encomium: *Vas admirabile, opus Ecclesi;* Dei Matri, & multo magis eius filio conuenire. Vnde Richar. à S. Laur. lib. 10. de laud. B. V. ait *esse Virginem Vas illud nouum*, de quo Elisæus 3. Reg. 2. *Afferte*, inquit, *mihi Vas nouum, & mittite in illud Sal*, æternam *videlicet Sapientiam: Vas fuit verè nouum, absque vllius vetustate peccati, in quo Vase omnia noua fecit Dominus. Vnde dicit Apoc. 21. Ecce noua facio omnia. Sal igitur in nouo vase est Dei Sapientia in vtero Virginis. Dicitur ergo,* inquit ille, *Maria vas admirabile, vas nouum, quia nunquam tale inuentum est, in quo reperirentur tam multa mirabilia, & multæ nouitates. An non Vas admirabile, quod continuit suū continens? Num enim aliud vas potuit maius se continere, vti Maria, quæ continuit illud quē totus non capit orbis, & quo ipsa continebatur. An non Vas admirabile admirabili continendi modo? Cum enim DEVS in omni creatura sit per essentiam, in iustis etiam per gratiam, in Virgine non tantum hiscè modis extitit, sed etiam per vnionem, qua sibi carnem eius purissimam vniuit. An non Vas admirabile, contrariorum concordi contrarietate, quę in se complexa est? Mortalitatem nimirum, & immortalitatē, Virginitatem, & fœcunditatem, fidei, & rationis, quę multum sunt contrarię. Vnde dicere poterat Maria facta Dei Parens: Sum quod eram, nec eram quod sum, modo dicor vtrumque. Quia post Incarnationem Virgo mansit, atque ita fuit quod erat, & quod ante non erat fuit, nempe Mater, & sic Virginis, Matrisque vtrumque titulum in se vniuit. An non Vas admirabile ob Conformitatem? Contentum enim in Vase, formam accipit Vasis, non contra, vti videre est in aqua gelata. At verò Vas hoc admirabile mutatum est, ac conformatum quodammodo contēto, dum humana natura Diuinæ consors facta naturæ per vnionem hypostaticam, assimilata est Deitati. An non denique Vas fuit hoc admirabile, recipiendi, & emittendi modo plane ineffabili ac singulari? Quod enim Vas absque apertura, aut fractura aliquid in se recipit, aut ex se emittit, vti Vas hoc admirabile, quod nec fractū, nec apertum accepit, emisitque Manna illud cęleste Verbum æternum! Recepit hoc cum Virginitatis integritate, vt stella radium, vt flos odorem.* Sic fere Richar. apud quem vide plura.

Sal in nouo Vase est Dei Sapientia in vtero Virginis.

B. V. vas admirabile cōtrariorum continentia.

28. Idem libro 10, Ab. Auctore huius Vasis, quæ est æterna Sapientia omniū Artifex, omnem habens virtutem siue potentiam, omnia prospiciens Sap. 7. Vasis huius Virginei gloriam ostendit, atque imbecillitatem; aitque per vas hoc admirabile, tanquam aptissimum instrumentum, supernum Opificem omnia illa, quæ à peccato tam in Angelis, quam in hominibus corruerant fuisse reparata. *Inter omnia,* inquit, *huius Artificis opera Maria opus est speciale, de quo Eccl. 42. Gloria Domini plenum est Opus eius. Quam ad hoc fecit, vt quod de priori artificio fuerat deformatum, per eam reformaretur. Hic enim Artifex primo Angelicam condiderat naturā, quæ in parte ceciderat; & humanam, quæ tota corrupta erat, & corpoream inferiorem, quæ hominis peccato fuerat corrupta. Sed ad hæc omnia fecit Dominus Mariam, cuius fructu Angelica natura repararetur; per hāc enim Dominus impleuit ruinas; vt humana renouaretur. Inferior à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei liberaretur. Aedificauit igitur eam sibi soli, ac construxit in suæ Diuinæ Maiestatis dignissimum domicilium.* Hæc Richar. Quibus ostendit admirabile reparationis totius Vniuersi Instrumentum Deiparam extitisse.

Vasis Virginei gloria ab auctore illius ostenditur.

B. V. admirabile instrumentū reparationis totius Vniuersi.

29. Cur porrò Sol iste aspectabilis vas à spiritu sancto appelletur, dispiciendum attentius, vt eximia Deiparæ Virginis sacratissimæ magis elucescat excellentia. S. Basilius apud Salianum die 4. mundi ait, Corpus Solare à Deo cōditum, vt primigeniæ illi luci, quæ prima die mundi, verbis illis Creatoris facta est: *Fiat lux.* Gen. 1. vehiculum esset,

& Vas, quo contineretur. Idem notauit S. Bonauentura in lib. 2. sen. D. 14 Idem sentit Didymus, vt refert Lypomannus in Catena Genesis. Quemadmodum .n. aquam prius super faciē terræ diffusam, postmodum tertiā die DEVS in vnum congregauit, vnde & maria; & flumina, & putei orta sunt: (Hinc quod est sol cœlo, hoc aqua, fluuijque esse videntur terræ:) ita & primam illam lucem toto cælo diffusam quarta die in vnam coactā, in solem, Lunam, & stellas formauit, & quasi in vascula quædam mundissima transfudit. Hinc Ioannes Philopponus lib. 4. de creat. Mundi cap. 11. Solem lucernam videtur appellare, in quam primigenia illa lux infusa fuit.

Prima illa lux toto cælo diffusa, quarta die in vnū coacta, in solem, Lunā, & stellas formauit, & q. in vascula trāsfudit.

Hinc Leo Imperator Virgini deuotissimus Hom. 7. eam vt solis lumen deferētem lucernam salutauit: *Salue lucerna, ex qua splendor Patris, cum Mundum Genitori in Templum dedicasset, eundem suæ cognitionis lumine collustrauit.* Hinc Apollinaris apud Eugubinum in Cosmop. in diem primū: *E' primigenia*, inquit, *luce, quicquid purissimum esset in solem selegit, reliquum Lunæ, & astris deputauit.* Ex quibus intelligimus causam finalem, ob quam Virgo nostra à Deo ter opt. Max. condita est, vt nempe primæ illius Lucis, quæ de semetipsa loquitur: *Ego sum lux mundi*, Vas esset ac receptaculum. Vnde sequitur eam, ceu Vas cristallinum, totam admirabili luce radiasse. Hinc S. Vincentius Ferrerius eā huiusmodi vasi pellucido lumen in se luculentissimum continenti, ob Incarnati Verbi gloriam toto eius ore, oculisque exicantem conferre non dubitauit.

E primigenia luce quod purissimum fuit in solem selegit Deus.

30. Quod si per lucem illam primigeniam cum S. Augustino in libr. de Ciuit. Dei Angelos, intelligamus, iam mirificam, eximiamque Puritatem Virginis, qua maior sub Deo percipi nequeat, cōprehēdemus. Quemadmodum enim lux illa toto diffusa cælo in solem istum, velut vas Excelsi, præpotentisque Dei admirabile; ita perfectio, sanctitas ac Puritas Naturæ Angelicæ in animam, corpusque Virginis, velut vas radijs solaribus longè purius, in primo immaculatæ Conceptionis instanti transfusa est. Atque ita Virgo nostra, sicut omniū aquarum, quæ toto orbe terrarum erant diffusæ, receptaculum, ac mare quoddam immensum gratiarum omnium, quæ in omni rationali, creatura olim erant reperiendæ, facta est, meritoque *Maria* appellatur: Sic iure meritissimo nouus sol, in quem, ceu vas admirabile, tota illa lux Angelicæ puritatis in primo eius, omnis originarij peccati labe experte conceptu, infusa est.

In B. V. velut vas purissimum lux puritatis Angelicæ in instanti eius conceptionis transfusa est.

31. Hæc nimirum Virgo est paruus ille fons & parua illa lux, quæ in paruulū illud Virginis, momento temporis diuinitus efformatum corpusculum transfusa, in solem conuersa, creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redūdauit, vti de Esthere Regina somnum vidit Mardocheus Est. cap. 10. v. 6. & c. 11. vers. 11. Atque ita vt ibidem sacræ loquuntur literæ *Lux, & sol ortus est nobis, & humiles exaltati*, ij nimirum quos Tartareus hostis tam diuturnâ captiuitate atque tyrannide depresserat; *deuorauerunt que inclytos*, tenebrarum videlicet Principes, qui eos viuentes quodammodo, ob protoplastorum originarium in illos deriuatum scelus, absorbuerant. Immaculatè igitur conceptâ adhuc in vtero Matris Virgine nostrâ beatissimâ, in illa velut paruo fonte, omnes Angelorum iustorūque hominum gratiæ sunt collectæ, & sic maximum creuit in fluuium, & in aquas plurimas redundauit. In illa, velut Vase summi illius opificis admirabili, omnis Angelicæ sanctitatis, puritatisq; lux transfusa, eandem in solem pulcherrimum, stupendâ & nunquam hactenus auditâ metamorphosi conuertit, effecitque reuera eandem eximium, ac speciale Dei altissimi Opus, eius gloriâ plenissimū, Opus., & vas admirabile, eius magnificentiâ dignissimum, quod ipsa admiratur Gratia, & Natura. Sic illa, velut sol, Tartareos illos Tenebriones in inferni cubilia, velut rabidissimas feras, ac Leones, contrito eorundem Principis capite, ablegauit: Sic illa velut immensum mare plurimis gratiarum aquis, fluuijsque redundans, Aegyptios, Auernales, cum stygio Pharaone demersit, totumq; genus humanum ab acerbissimâ, eaque longissimâ tot annorum myriadibus perdurante captiuitate liberauit, depressaque, & humiliata durissimo illo seruitutis iugo capita exaltauit.

B. V. paruus Fons, & parua lux in solem conuersa creuit in fluuium.

B. V. Opus admirabile Dei magnificentia dignissimum quod ipsa admiratur Gratia, & Natura.

B. V. velut immensum mare gratiarum Aegyptios Auernales cū stygio Pharaone demersit.

32. Cum igitur Virgineum hunc solem vas admirabile à Spiritu S. nūcupari intelligimus, mox nobis veniat in mentem illud puritate Angelicâ, qua purior sub Deo nequit intelligi, velut primigeniâ illâ luce Angelos ipsos figurante, absque vlla peccati labe in prima ipsius creatione repletam esse, vt increata illa *sapientia, quæ non intrat in animam maleuolam*, vt ait Fulbertus, *nec habitat in corpore subdito peccatis, sibi in ipsa domicilium præpararet.* Hinc Richar. à S. Laur. lib. 4. de laud. B. V. ob immaculatam hanc puritatem vel ma-

B. V. ob immaculatam suam puritatem Soli cōparata.

maximè ait eam ſoli comparari, *cuius radium*, inquit, *nec aqua emollit, nec fœtor corrumpit, nec ignis comburit, nec gladius ſcindit, nec vitrum obſiſtit. Confertur etiam Soli Maria, ratione charitatis, quia ſol clarior eſt luminaribus vniuerſis. Vnde ſol à Tullio dicitur, quaſi ſol lucens, præ cæteris cæli luminaribus videlicet, Solis ergo charitas eſt Mariæ puritas. tanto .n. res eſt clarior, quanto purior, tanto purior, quãto purgatior, & à ſordibus mundior. De hac puritate Mariæ ait B. Bernardus: Gratia Dei puriſſimum balſamum eſt, & ſolidiſſimum vas requirit. Huius vaſis, ideſt, Mariæ, quæ receptaculũ omnium gratiarum eſt, puritas; eſt eius Virginitas; ſoliditas eius humilitas adimpletio, eius fœcunditas. De hac puritate Hieronym. Tanta fuit Mariæ puritas, vt portare meruerit Regem Angelorum, & domus eſſe omnium Purgatoris.* Hæc Richar.

B V. ſoli confertur etiam ratione charitatis.

Solis claritas eſt Mariæ Puritas.

Gratia Dei balſamum puriſſimum.

33. Tanta fuit hæc Virginei huius ſolis puritas, vt ad candorem lucis æternæ, dilectiſſimi nempe eius filij puritatem, quam proximè accederet, imo in illam planè quodammodo fuerit & animo, & corpore transformata. Hinc B. Petrus Card. Dam. ſerm. de Aſſumpt. *Caro*, inquit, *Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuerſa eſt*. Et verò ſi ſanctiſſimus ille Anglorum Epiſcopus virtute continentiæ, atque abſtinentiæ, vt meminit idem Rich. à S. Laur. loco citato, corpus tam clarum atq; diaphanum, dum adhuc ipſe mortalis inter mortales degeret, ſortitus eſt, vt ipſo ſacris Altaribus, expanſis manibus adſtante, ac ſacrificante ſolaris radius per eaſdem manus, ac ſi vitreæ eſſent pertranſiens, eaſdem diaphanas redderet; Si Philiberti Abbatis oculi, teſte Marco Marulo Spalatenſi libr. 2. c. 1. velut duo Sydera fulgere vſi ſunt, *vt in hoc cognoſcas*, inquit ille, *humiliter intenteque deprecantiũ mentis oculos Spiritus Sancti fulgore illuminari, ne vnquam obdormiant in morte, ne quando dicat inimicus eorum; præualui aduerſus eos*. quanto magis candor ille lucis æternæ, ſempiternuſque Iuſtitiæ ſol ipſe Spiritus Sanctiſſimus, ipſa ſubſtantialis ſanctitas ac puritas puritate ſuâ diuiniſſimâ, gloriæque cæleſtis energiâ, ipſo Cõceptionis inſtanti Virginem glorioſiſſimam, puriſſimam reddidit, eamque in ſe quodammodo transformauit? Cùm enim ille ſpeculum ſit ſine macula Diuinæ Maieſtatis, & Imago bonitatis illius, complacuit ſibi quoque ſimilem reddere Matrem, vt tanto ardentiori dilectione: (cùm ſimilitudo amoris ſit conciliatrix:) eam proſequeretur. Vnde mox vt fuit concepta, puriſſimam illam & anima, & corpore ad inſtar Solariũ radiorum abſque vlla peccati labe totã agnoſcens, ſumma animi ſui complacentia eidem dixit Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

B.V. ſua puritate in cãdorem quodammodo lucis æternæ trãsformata.

S. Epiſcopi cuiuſdã manus virtute abſtinentiæ factæ quodãmodo diaphanæ.

34. Quare ſicut ridiculus foret is, qui in hoc aſpectabili ſole, qui fons lucis, ac ſplendoris eſt, in quo primigenia illa lux omnis labis expers, ab ipſo Creatore conuaſata eſt, maculas quæreret, ita planè riſu explodendus eſt, quicumque in hoc Virgineo, animatoque ſole, quem ſempiternus ipſe iuſtitiæ ſol ſibi in tabernaculum elegit, ſuumque peculiare opus, gloriâ, ac maieſtate pleniſſimum; Vas inſuper admirabile, ſuâ celſitudine digniſſimum, in quod totius Angelicæ Naturæ puritatis florem, ceu mundiſſimam lucem transfudit, eſſe voluit: riſu inquam explodendus eſt ille, qui originalis labis ſordes in eo eſſe ſuſpicaretur. Vnde vbi legit vulgatus interpres Malach. 4. *Orietur vobis ſol iuſtitiæ*; legit Caldæus paraphraſtes: *Sol puritatis*. Sicut enim Saluator noſter ſol puritatis, ipſaque puritas extitit, ita eandem puritatem Matri, quo ei per omnia, quoad fieri poſſet, ſimilis foret, communicauit, atque ita eſſet, ſicut ipſe electus ex millibus virorum, ſic illa electa vt ſol, ex millibus fœminarum, in quibus, ſicut & in viris nemo hactenus repertus eſt, *quem non tãgat Sathan*, vt loquitur ipſe Mahomet in ſuo Alcorano, *excepto IESV, & Maria*, originarij videlicet contagione peccati, à qua æuiternus ille ſol puritatis Matrẽ ſuam, velut alterum ſolem ſibi ſimillimũ præſeruatam eſſe voluit, ita vt nulla in ipſa ſceleris vllius vel minima labecula, aut macula reperiretur.

Ridiculi h qui in Sole omnis puritatis fonte maculas quærunt.

B.V. eſt Sol puritatis iuſtitiæ ſoli ſimilis.

Nullus eſt quem non tangit Satan originarij contagione peccati præter IESVM. & Mariam dixit Mahomet.

35. Eximiam hanc ſempiterni Solis puritatem agnouiſſe viſus eſt in Deipara Diuus Hieron. in Pſalm. 18. vbi interpretans verba illa; *In ſole poſuit Tabernaculum ſuum: In ſole*, inquit, *in vtero S. Mariæ Virginis; Maria enim interpretatur ſtella maris: lumen ſolis magis lucet quam ſtellarum. Sol iuſtitiæ Dominus, vt ait Propheta Malachias, ſtellam id eſt Mariam, vt eſſet ſimul Sol, ideo poſuit Tabernaculum ſuum in ſole, quoniam corpus aſſumpſit de vtero ſuo.* Sic Hieron.

S Hieronym. puritatem immaculatã B.V. aſſecutuſe viſus.

36. Solarem hanc, Angelicamque puritatem labis omnis expertem intueri ſibi viſus eſt S. Ephræem Syrus in ſerm. de laud. B.V. dum eam piètiſſime alloqueretur: *Immaculata, prorſuſque pura Virgo Deipara Regina omnium, ſpes deſperantium, Domina mea glorioſiſſima, eademque optima, ſublimior cælicolis, purior ſolis radijs, ac ſplendori-*

B.V. immaculata ſol s[illegible] dius purior.

B V. absq. vlla comparatione ceteris Angelis puritate gloriosior.

bus, honoratior Cherubin, polyommatis, seu multioculis spiritibus, Sanctior Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior.

37. Eandem puritatem Virginis, omnis peccati originarij carentem macula, ceu solem splendidissimum Sapientissimus vidit Idiota, dum eam in sua Contemplat. cap. 2. ita compellat: *Tota pulchra es, ô plusquam gloriosa Virgo Maria. Tota pulchra es in anima per virtutum, & charismatum omnium perfectam pulchritudinem. Tota pulchra es in tua conceptione, adhoc solum effecta, vt Templum esses Dei altissimi. Tota pulchra es ex generatione Verbi Diuini, qui est splẽdor paternæ gloriæ, qui est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, in quem desiderant Angeli prospicere, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Tuæ gloriosæ animæ nihil vnquam adfuit turpitudinis, vitij, aut peccati, & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ, & virtutis. Tot enim habuisti pulchritudines, quot virtutes, & singulas in altiori gradu, quam concessum fuerit, post filium tuũ superbenedictum, puræ creaturæ. In eo namque similem non habuisti, nec es habitura sequentem. In te omnes virtutes tam actiuæ, quam contemplatiuæ conuenerunt, & præ cunctis creaturis te admirabilem reddiderunt. Per virtutes actiuas habuisti voluntatem mundissimam, per contemplatiuas mentem puratissimam. Nemo æqualis est tibi, nemo maior te, nisi DEVS, quia Spiritus S. superuenit in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, quæ eras omni virtutum ornamento prædecorata, pulchritudinem, puritatem sapientiam, omniumque virtutum gratiam adauxit, & splendorem. Miranda illa obumbratio Spiritus S. quæ te vno momento Templum Dei irradiauit, decoremque tuum manifestauit, & auxit, sicut sol in semper ornatum thalamum incidens, gloriam occultam repente nobis ostendit, & illustriorem fecit.* Quo loquendi modo vir in Deiparam pijssimus ostẽdere nobis voluit, Virginem fuisse ante Verbi Incarnationem ceu pulcherrimum thalamũ, gemmis virtutum omnium exornatum, ac radiantem, imo solis ipsius iustitiæ seu puritatis Regis ac Principis Regiã, in quam longè aptius quadrat illud Peligni Vatis elogium solis attributũ domicilio in quo cæli, terræ, marium, variorum Deorum Numina creaturarum denique omnium recapitulatas erat videre perfectiones. De hoc igitur Virgineo, animatoque Solis æterni Domicilio ipso immaculatæ Conceptionis instanti à superno illo, sapientissimoque Opifice, qui illud erat ipse in habitaturus fundato atque erecto suauiter moduletur potius Ouidius Metam. 4.

B V. nihil defuit spiritualis pulchritudinis gratiæ, & virtutis.

In B V omnes virtutes tam actiuæ, quam contẽplatiuæ.

Nemo æqualis est Mariæ, nemo maior nisi Deus.

B V Regia solis multo præstantior quam illa quam descripsit Ouidius.

Regia solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante Pyropo,
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat,
Argenti bifores radiabant lumine valuæ.
Materiam superabat opus. Nam mulciber illic
Aequora cælarat medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, cælumque quod imminet orbi.
Ceruleos habet vnda Deos, Tritona canorum,
Protheaque ambiguum, balenarumq; prementẽ
Aegeona suis immania terga lacertis.
Terra viros, vrbesque gerit syluasque, ferasque
Fluminaque, & Nymphas, & cetera Numina ruris,
His super imposita est cæli fulgentis imago.
Signaque sex foribus dextris, totidemq; sinistris.

Qua sane descriptione ingeniosus Poeta florem, pulchritudinemque omnem, tam Numinum cælestium, quam terrestrium, creaturarumque totius vniuersi ab Ignipotenti illo, summoque Artifice collocatas perfectiones in venustissima illa solis Regia fuisse, repræsentauit, eiusdemque Regiæ sole dignissimum nitorem descripsit. Quemadmodum igitur in hoc tam splendidum, auro, argento, ebore, præciosissimisque lapillis smaragdis, Chrysolitis, pyropisque radians domicilium, sol ingrediens, nouum illi confert decus, ac splendorẽ, efficitque vt omnia ipsius gemmarũ, auri, argentique ornamenta duplicatam lucem, radiosque euibrent: ita in purissimæ Virginis nostræ corpus, animamque, velut suum omnis labis expers omniumque virtutum decore conuestitum sempiternus iustitiæ sol ingrediens habitaculum, illud per se ante nitidissimũ, ac fulgentissimum, nouo sanctimoniæ puritatisque fulgore totum irradiauit, mirificisque absolutissimæ perfectionis auxit incrementis. Vnde tandem cõcludit idem pijssimus Idiota: *Tota igitur pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati siue venialis, siue mortalis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit. Sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum spiritualium charismatum, cælestiumque donorum.* Sic ille.

B.V. ab initio conceptionis omnibus virtutibus exornata, ingrediente in eã Sole iustitiæ magis resplẽduit.

38. Vbi notandum illũ: *Nec erit*; quod superuacuè positum alicui videri posset. Neque enim vnquam in posterum Virginis Conceptio fiet, ac proinde in illa macula nulla reperietur. Cur ergo dixit Idiota Sapiens: *Nec erit*; Crediderim illum ni fallor spiritu Prophetico id protulisse, ac præuidisse ventura tempora, in quibus B. Virginis Conceptio etiam in mortalium mentibus, animisque

que originali labe carebit, qualia iam omnino hac nostra tempestate aduenisse visa sunt, cum paucissimi sint, qui, non dicam verbo, sed nec mente originalem maculam B. Virginis Cōceptioni aspergant. Quare elogium illud inuictissimæ Heroidis Iudithæ, quæ Virginis nostræ pulcherrima figura, ac typus extitit, potiori longè iure illi appropriari poterit: *Erat elegāti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam. Erat hæc in omnibus famosissima, nec erat qui de illa loqueretur verbum malum.* Iudit cap. 8. v. 8. Et quale tandem esse putamus hoc Verbum malum? Censuerim fortassis si diceretus esse illud: Maria est in originali peccato concepta; quod non est aliud quam dicere: Maria fuit aliquando filia iræ, & mancipium Diaboli. Quo verbo quid peius, quid deterius dici potest? Quare S. Bonauentura encomium illud Iudithæ applicat B. Virgini in spec. cap. 8. Maria ergo optimè signata est, inquiens, per illam famosissimi Nominis fœminam Iudith, de qua scriptum est: Nec erat, qui de ea loqueretur verbum malum. Sperandum ergo nobis iuxta Sapientis huius Idiotæ Vaticinium hoc verbum malum de Beata Dei Matre nec mente in posterum concipiendum, nec ore proferendum, sed potius vno omnium ore dicendum: A solis ortu vsque ad occasum laudetur omni hora, & in æternum immaculata Conceptio B. M. V.

Vere de B.V. nemo potest loqui verbū malum.

39. Quæ sane dona ac charismata adeo innumera, adeo diuina sunt, vt ea nec mens capere, nec vlla creata, siue Angelica siue humana lingua sit, possit experire; Hinc Pelbartus inter reliqua priuilegia siue excellentius quæ Deiparam, velut stellæ, coronant, ait esse Incōpræhensibilitatem lib. 11. Par. 2. cap. 12. *Quia nimirum*, inquit, *perfectiones gratiarū, & plenitudines excellentiæ in Maria, nobis, alijsque creaturis sūt incompræhensibiles.* Redditque mox rationem. *Nam secundum Sācti Bernardi declarationem, sicut Diuinæ perfectiones, omni intellectui sunt incompræhensibiles, sic perfectiones gratiarum, quas Virgo in Dei Filij conceptione suscepit, soli intellectui Diuino, Christo, & sibi incompræhensibiles, & non alijs extiterunt. Et quidem quod DEVS generet DEVM, hoc ei ex natura sua conueniebat, intellectum produceret Verbum per omnia sibi æquale, imo impossibile erat vt DEVS Pater non generet DEVM Filium, ob intellectus fœcunditatem. Sed quod fœmina conciperet, pareretque DEVM, est & fuit miraculum miraculorum, quia hoc summè supra naturam est. Vnde oportuit hanc fœminam eleuari ad participationem Diuinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam nunquā creatura experta est. Credo ergo quod illā abyssum imperscrutabilē omnium charismatum Spiritus S. quæ in B. Virginem descenderunt in hora Diuinę Conceptionis nunquam intellectus humanus vel Angelicus pertingere potuerit. Hinc Hieron. Quod natura non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, stupet terra, creatura omnis etiam cælestis miratur, hoc totum est quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nuntiatur, & per Christum adimpletur. Hinc denique sciscitanti Virgini: Quomodo fiet studere incompræhēsibilitatem etiam in natura Angelica, rerum tantarum ei indicare volēs, respondit, se mysterium hoc ignorare, ideoque committere explicationē Spiritui Sancto: Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Q. D. Quod à me quæris plenariè nescio, vt totaliter edicam, sed ipse spiritus S. qui Doctor est veritatis, sibi soli altissimū hoc mysterium reserabit, ipse te per illuminatissimam experientiam edocebit.* Hæc Pelbartus de gratiæ Virgineę, puritatisque omnis peccati labe expertis incomprehensibilitate, quam illa in suæ immaculatæ Conceptionis instāti adeo copiosè accepit, vt ad æqualitatem quandam Dei, gratiarum perfectionumque infinitate fuerit eleuata, quam illa postea puritatem obumbratione Spiritus S. in Filij Dei Conceptione, atque Incarnatione maximis, à solo Deo cognitis auxit incrementis.

Stella B.V. verticem coronans est Incompræhensibilitas.

Perfectiones B.V quas in Incarnatione Verbi soli filio, & ipsi notæ, ac cōprehensibiles.

Quod fœmina conciperet, & pariat Deū est Miraculū miraculorū.

Gabriel fatetur se non cognoscere perfectè Incarnationis mysterium.

Solis Spiritus S. ad declarādum Incarnationis mysterium in vtero B. V. per actum sufficiens.

40. Eandem immaculatam puritatem Virginis Deiparæ sine peccato originario conceptæ agnouit Alexāder de Ales in celeberrimo illo iam memorato spōsæ elogio, quo ei dicitur: *Tota pulchra es.* Hic enim vir & vitæ sanctimoniæ, & doctrinæ laude florentissimus cum aliquādo veritatem hanc ipso die Conceptioni Deiparæ sacro impugnaret, tantis est mox excruciatus doloribus, vt semimortuus in cathedra remanserit. Sibi redditus manum vltricem Virginis agnoscēs, voto sese illi obstrinxit compositurum se librum pro immaculata eius Conceptione defendenda, quod & fecit, reuocauitque ea, quæ in librum tertium sententiarum posteritati contra immaculatam Virginis Conceptionem mandauerat. Tandem cum ad finem vitæ peruenisset, portasque immortalitatis pulsaret, ad Deiparam conuersus, elogium illud, verâ interpretatione, sicut antea semetipsum obsequio Virginis, in ordine Seraphico deuotissimè donauit: *Tota*, inquiens, *Pulchra es per plenitudinem gratię*

Alexander Alensis impugnans B. V. Concept. in cathedra magnis doloribus afficitus.

Promittit se compositurū librum pro immaculata Concept.

Alexander Alensis quomodo moriens interpretatus est: Tota pulchra es, &c.

amica

amica Dei altissimi, Mater dilectissima, & macula nec originalis, nec venialis, nec mortalis peccati est in te. Quibus dictis animam Virgini Beatissimæ commendando, feliciter exspirauit, vt testatur supramemoratus Pelbartus lib. 4. stell. par. 1. ar. 3.

Matthæus Cantacuzenus Rex Orientis immaculatam Concept. asseruit.

41. Audiamus de hac immaculata Virginis puritate Regem orientis Matthæum Cantacuzenum, qui ante 300 annos floruit, sic loquentem in illud Canticorum elogium: *Considerans autem ipsam totius prorsus labis expertem Deiparam, totius orbis salutis, fuisse causam, ad ipsam diuino succensus Spiritu exclamauit dicens: En tota pulchra es proxima mea, & macula non est in te.* Audiamus hic denique Ioannem Picum Carthusiensis Ordinis illustre iubar, qui ante centum circiter annos floruit de illibata purissimæ Virginis huius tam Côceptione, quam vita tota, ac conuersatione sic disserentem cap. 12. in Cant. *Tota pulchra es amica mea in opere, quia sobriè, piè, & iustè viuendo non est in te macula. Tota pulchra es in corde, quia peruersæ, & iniquæ, fictæ, & falsæ, obliquæ, & mercenariæ intentionis macula non est in te. Tota pulchra es in anima, & corpore, quia Mundi, Carnis, aut Diaboli macula non est in te. Tota pulchra in carne, tota pulchra in mente, & corpore, quia sancta mente, & corpore, & macula non est in te. Tota pulchra in silentio, & sermone, tota pulchra in conuersatione, tota pulchra in legis obseruatione, quia simulationis, vanitatis, aut falsitatis macula non est in te. Tota pulchra in Euangelica perfectione, quia inobedientiæ, negligentiæ, aut cupiditatis macula non est in te. Tota pulchra in prosperitate, & aduersitate, in subiectione, & prælatione, quia electionis, & inconstantiæ macula non est in te. Et vt simul finiam. Tota pulchra in omni re, loco, & tempore, quia contracti originalis, aut commissi, vel lethalis, vel venialis, cogitationis, locutionis, operis, & omissionis macula non est in te.* Sic ille.

Ioânes Picus Carthusiêsis asserit immaculatam Côceptionem.

42. Agnouit in hoc sponsæ elogio immaculatam Deiparæ Côceptionem Celius Pannonius Ordin. S. Pauli primi Eremitæ decus in suis Comment. M.S. in Cant. quæ ex celebri Monasterio Lepoglauæ dum Zagrabiæ hæc meditarer habere licuit. Sic igitur ille, postquam Ecclesiæ puritatem celebrasset, dixissetque: *Ecce vnde pulchra Ecclesia, & tota pulchra, ecce vnde macula non est in ea. quod ergo est in vniuersali Ecclesia Dei, hoc & in particulari; sic*, inquam, *subtexuit in laudem Virginis: Porro celebratur hoc Canticum decantatissimû, & de Deipara Virgine per appropriationem, quæ ideo tota pulchra fuit, quia in ea nulla macula fuit nec originalis, nec actualis peccati, vt puriores Theologi cantant. Decuit quippe summè puram esse, quæ candorem lucis æternæ, & speculum sine macula conceptura, & intra viscera gestatura foret, quæ singulari gratiâ præseruata fuit, vt non penetraret ad eam labes ista connaturalis; quando corpus, afflatu Spiritus consecratum suscepit animam in plenitudine gratiæ creatam; quod circa altercationem potuit DEVS facere, & fecit. alioqui non tantum honorasset Pater filium, si Matrem aliquando infamiæ malum subijsse pulsus esset. Quem alioqui summè honorificari voluit, atque iccirco hominem quoque fieri, vt tanquam Redemptor ab omnibus honorificaretur in cælo, & in terra, & etiâ apud Inferos, vt docet Apostolus Phil. 2. Sed decor quoque virtutum omnium illius pulchritudini accessit, quatenus nihil esset in ea non summè pulchrum, summeque admirabile, ac denique sûmè amabile, vtpotè, quæ toto cumulo virtutes omnes laudatissimè in sese contineret.* Hæc Cæl.

Cælius Pannonius defendit immaculatam Côcep. B.V.

Decuit B.V. puram esse à macula originali, quæ candorem lucis æternæ conceptura erat.

43. Hæc immaculata Pulchritudo ac puritas iam pridem præfigurata fuit in Esthere, de qua dicitur cap. 11. v. 15. *Erat formosa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur.* Quod elogium ad internam animi formam Virginis nostræ gloriosissimæ trâslatum, illam præsertim quam in primo immaculatæ suæ Conceptionis instanti sortita est, mirificè illum illustrat. Tunc enim reuera erat formosa valdè, suaque incredibili pulchritudine omnium maximè sanctissimarum Trinitatis personarum, Angelorumque oculis gratiosa, & amabilis extitit. Verè eximia hæc Virginis nostræ forma, ac venustas, quæ in eius immaculata Côceptione eluxit est in hodiernum vsque diem incredibilis nonnullis, licet admodum paucis, qui dum tam aduersus cô[m]unem pene sensum Ecclesiæ non credunt, incredibilis esse videtur, licet ex validissimorum argumentorum momentis credibilis facta sit nimis. Dicat igitur sponsus de hac incredibili pulchritudine Virginis: Tota *Pulchra es amica mea, &c.*

44 Eodem hoc sponsæ elogio, illi â filio attributo, immaculatâ Virginis nostræ gloriosissimæ in Conceptione puritatem ipsis radijs solaribus inferiorem comprobarunt veteres Rabbini, vt testatur Petrus Galatinus Ord. Seraph. libr. 7. cap. 5. vbi ait sic locum illum de Matre Messiæ interpretatum Rabbi Selomonem, docetque ibidem Galatinus elogium illud intelligi minimè posse de antiqua Sinagoga, post circumcisionê, vt aliqui Iudaizabant, qui illi minimè conueniebat illud; *Et macula non est in te.* Neque etiam de Ecclesia sola, vt volebat Nogostratus, quam opinionem falsam

Elogium illud: Tota pulchra es, &c. Rabbini etiâ B.V. applicuerunt.

sam censet idem Galatinus. *Tum quia*, inquit, *omnia, quæ Mater Ecclesia canit, à Spiritu S. instituta sunt, quem mendacem esse impossibile est. Sācta autem Ecclesia dictum hoc Matri Dei attribuit. Tum quia laudes gloriosissimæ Virginis immensæ sunt, atque incompræhensibiles. Si igitur nos eam laudare volentes, alienas ei attribueremus laudes, ostenderemus proculdubio eas laudes in ipsa nō esse, sed ab alio mutuari. Hoc autem falsum penitus est, cum ipsa alijs mutuet de laudibus suis, & non illas ab alijs accipiat, sitque omni laude dignissima. Ex his igitur manifestum est, textum hunc de nullo alio, quam de Matre Messiæ conuenienter intelligi posse.* Hactenus Galatinus.

45. Puritatem hanc Virginis omni neuo carentē altero illo elogio sponsi rursus probat idem Galat: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis. Cant. 1. Matrem Messię*, inquiens. *eam ob rem Turturi comparat, vt ostēdat, quod quemadmodum Turtur felle caret, & à principio suo sine eo creata est, ita Matri Messiæ nec originale, nec actuale, nec mentale peccatum attribuendum est. Eandem ob causam eam Columbæ idem sponsus omni felle carenti. Cant. comparat, inuitatione illa: Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni columba mea in foraminibus Petrę, in cauerna maceriæ, ostēde mihi faciem tuam. Vnde colligitur, Matrem Messiæ nō solum Columbam esse immaculatam, sed etiam ostenditur eius principium, ac fundamentum absque peccato Originali futurum. Cum enim petra principium sit, & fundamentum quo ædificium sustentatur, ideo in foraminibus petrę, inquit, hoc est, in embrione, vbi concepta fuit, in quo velut foramine fuit Columba, absque felle peccati originalis mundissima. Quod porrò principium, petræ assimiletur testatur Isa. 40. Attēdite ad petram, vnde excisi estis. Et saluator cum dixit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Colūba igitur sine felle in petra est Virgo immaculata in principio suæ Conceptionis.* Virgineam hanc quoque Columbā absque felle peccati conceptam indicant encomia illa sponsi. Cant. 6. *Vna est columba mea, vna est perfecta mea, vna est Matri suæ, electa genitrici suę. Ac si diceret*, prosequitur Galatinus: *Vna sola ex omnibus fœminis, absque originali peccato concepta est, quemadmodum Christus solus, ex omnibus viris.* Ostendit denique idem Auctor fieri nullo modo potuisse, vt benedictus Dei filius Matris suæ Puritatem aliquā originali labe inquinari permitteret, quam ab instanti ipsius formationis in vtero Matris, filiali planè affectu, vlnis charitatis complexus est. De quo complexu amantissimo ipsa gloriatur Cant. 2. *Lęua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: Si Christus*, inquit ille, *Lęuam sub capite Virginis tenebat, & dexterā suā eam amplexabatur, impossibile est eam in peccatum originale cadere permisisse.*

B. V. Turturi comparatur quod felle peccati originalis, etc. caruerit.

B. V. Colūbæ comparatur eo quod absque felle peccati originalis concepta sit.

Columba in Petra sine felle est Virgo immaculata in principio suæ Concept.

Christus sēper vlnis charitatis cōplexus non permisit in originale peccatum cadere.

46. Quod porrò aduersariorum nonnulli ad purissimam Virginis Cōceptionem impugnandam illud dictum ipsius sponsæ adferunt Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*; id potius ad propugnandam ipsius ab omni peccati labe liberam puritatem deseruit. Cùm enim filiæ Siō ipsius gloriæ tanquam alienigenæ, inuidētes, pulchritudini eiusdem detraherent, eamque nigram esse velut Pastricem blaterarent, respondet ipsa, modestā quadam ironiā: *Nigra sum scilicet, imo sum pulchra, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*. Quam pulchra porrò hæc tabernacula tentoriauè Cedarena, ac pelles Salomonis extiterint, colligitur ex varijs auctoribus, ac præsertim ex Adrichomio in descriptione Terræ sanctæ. Hic enim in Manasse n. 35. Cedar dicit Vrbem esse pulcherrimam in montanis Seir, siue Sanır ad quam Salomon allusferit. Tandem n. 94. Tabernacula Cedar idcirco nominata fuisse ait ab auctore Cantici Canticorum, quod inter Suetam, & Cedar Vrbes, & montem Phialā vberrima, & amœnissima sint cāpestria, quæ lęta pecoribus subministrāt pabula in quibus & olim & posterioribus tēporibus sub æstatem celeberrimæ visuntur nūdinę, ad quas innumeri cōuolant mercatores ex Syria, Palæstina, Mesopotania, Arabia, &c. orientalibus Regionibus: deferunt autem pecorum ingentem multitudinem, qui ruri versantur: Institores autem gazam qualem oriens suppeditat, iucundam, variam, diuitem. Et quoniam in longos dies perducitur cōcursus, Tentoria, quorum cum vela, & columnas pingant arte exquisitissimā, eosque potissimum admoueant colores, qui intuentium oculos mirā voluptate possint oblectare, fruuntur Cedaris verbis, quæ in vicino posita est, Ciues spectaculo, quo vix possit esse aliquid, quod plus recreare valeat. Ob hunc igitur Tentoriorum prope Cedar sub æstiuis nundinis apparatum politissimum, atque exquisitissimum à Sponsa commendata sunt Cedarena Tabernacula, quibus pulchritudinem suam similem esse ait. Apud alias etiam gentes Tabernacula seu Tentoria pulcherrimo ac ditissimo instructa fuisse apparatu constat. Hinc Plutarchus in Pompeio: *Siquidem Tabernacula erant omnia myrtho redimita, & stragulis pictis exornata.* Idem in Ale-

Cur B. V. dicatur formosa sicut Tabernacula Cedar.

Quam fint pulchra tentoria, & Tabernacula Cedarena?

Alexandro, loquens de Regis Darij Tabernaculo, quod Macedo erat ingressus: *Vt conspexit omnia magnifica esse, nihilque prætermissum, quod vel faceret ad maiestatem, vel luxum, oculis ad amicos conuersis: Hoc*, inquit, *erat Regnare*: Idem Plutarchus de M. Antonio Triumuiro loquens: *Mordebant homines poculorum aureorum in peregrinationibus eius tanquam, in triumphali pompa translatorum spectacula, erectiones in itinere Tentoriorum, prandiorum apud lucos, & flumina exquisitorum apparatus*. Similia recenset Plutarchus de eius Amasia Cleopatra. *Vehebatur*, inquit, *Cydno fluuio in nauigio, aurata puppi, velis passis purpureis, remigio argenteis ducto remis, ad tibiarum, & fistularum, & cithararum modos. Recumbabat illa sub Tabernaculo auro intexto, eleganter exculta, vt pingitur Venus, pueri, pictis Cupidinibus assimiles hinc inde stabant, & ventulum ei faciebant. Ancillæ itidem, quæ forma præcellebant, Nereidum, & Gratiarum modo amictæ, partim assistebant gubernaculis, partim rudentibus. Complebant denique ripam odores, ex suffituum copia fragrantissimi*. Tabernaculum quoque Holofernis facile nobis ob oculos proponit veterum Tētoriorum, siue Tabernaculorum venustatem, ornatumque preciosissimum, de hoc Iudith. 10. habetur: *Videns itaque Iudith Holofernem sedentē in Conopeo quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus preciosis intextum, adorauit*. Tentoria denique Regis Assueri, quibus in suo Conuiuio illo celeberrimo instructo ad vestibulum horti, & nemoris vsus est, ornatum, maiestatemque veterum Tabernaculorum, quibus se sponsa contulit, ostendunt. *Pendebant*, inquit Sacer textus Hest. 1. *ex omni parte Tentoria aerij coloris, & carbasini, ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, ac purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei atque argentei, super pauimentum smaragdino, & Pario stratum lapide, dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat*. Fortassis ornatu consimili Tabernaculum Regis Salomonis quo aliquando ad deliciandum in hortis vtebatur erat instructum; quod etiam fortasin pellibus, precio, specieque eximijs quas hyacinthinas fuisse cēseit Abulensis exornarit, siquidem illis non ad arcendos imbres, sed ornatum vsus fuerat, quemadmodum & Dauid Pater eius & ipse quoque Arcam domi suæ commorentem pellibus variegatis, mollibus suaueolentibus preciosissimis contexit. Vnde aiebat Dauid 2. Reg. 7. *Vide ne quod ego habitē in domo Cedrina, Arca autem fœderis Domini sub pellibus est?* seu, in *medio pellium est?* Has Sanchez *honoras, atque exquisitas cum* Saliano fuisse credidit.

Cleopatræ Tabernaculum quam sumptuosū.

Holofernis Tabernaculū, & Assueri, quā preciosum, & pulchrum.

Tabernaculū Salomonis quo in hortis delectabatur pulchre ornatū & pellibus preciosissimis tectum.

Pelles quibus Arca tegebatur fuerunt honoratæ atque exquisitæ.

47. Quod si pelles has Salomonis cum S. Bern. intelligamus cælos, quos verus Rex Pacificus extendit sicut Pellem, & expandit eos quasi tabernaculum ad inhabitandum Isa. 40. multo magis illibata Virginis in Conceptione Puritas purissimis celi nulli corruptioni obnoxijs, ipsisque Angelis qui in cælo habitant collata, perspicietur. Ex quibus omnibus sat perspicuè colligimus sponsam, cū se formosam sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis esse dixit, nō nigram, aut alio quopiam notatam esse næuo, sed contra pulcherrimam, purissimamque, præsertim vero in interiori homine, cuius puritatis splendor, ac mundicies in hominem etiam externū redundabat, extitisse. Si enim fuisset nigra, quomodo sponsus eius genas laudasset: Cant. 1. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis?* Quomodo dixisset Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ?* Quomodo dixisset: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, vel sicut legit Galat. lib. 7. cap. 5. *Sicut Rosa inter spinas, sic amica mea inter spinas, sic amica mea inter filias*. Q. D. inquit ille, *quemadmodum Rosa speciosa, & odorifera, ex qua multa conficiuntur aromatica, nescitur inter spinas, ipsa tamen spinis caret; ita amica mea nata est inter fœminas in originali peccato conceptas tanquam rosa inter spinas, ipsa tamen eiusdem peccati expers fuit*. Ex qua, cum rosa, ac lilio sponsæ comparatione increbilem eius venustatem, colore candido, ac rubicundo, quibus mixtis nil pulchrius licet intueri, coalitam animaduertimus declarari. Hinc puritatis hunc Candorem sponsus considerans, collum eius candidissimo ebori contulit Cant. 7. *Collum tuum sicut turris eburnea*. Si collum eius candorem eboris æmulabatur, quomodo nigrū esse potuit? Hinc Statius lib. 1. Achill. Achillis pulcherrimum vultum amore Deidamiæ ardentem depingens sic cecinit.

Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis
In vultus, atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, & impulsum, tenui sudore peruerrat;
Lactea Massagetæ veluti cum pocula fuscant
Sanguine Puniceo, vel ebur corrumpitur ostro.

Cum igitur non nigram se, sed formosā, sicut pulcherrima, eaque ornatissima Cedarenorum purpurā auro, lapidibusque preciosis decorata tabernacula, similemque pellibus Salomonis preciosissimis, quibus Arcam contexerat, vel denique Superni Salomonis pellibus, ac

Pelles Salomonis notāt cælos.

Pulchra B.V. sicut pelles Salomonis dicitur, quia purior cælis est, ipsisque Angelis.

B.V. sicut rosa inter spinas .i. fœminas originali peccato subiectas.

B.V. nigra esse nō potest, cum eius collum instar eboris candidum sit.

ten-

tentorijs, quę sunt cæli purissimi, ipsique cælis contenti Angeli, esse fateatur; qui fieri potest, vt nobis oriatur suspicio, eam turpissimâ originalis peccati notâ, atroceque infectum fuisse, cum etiã apud Gentiles nigredo hæc habita fuerit exe-crabilis adeo, vt Horat. libr. 1. Satyra 4. monuerit:

Hic niger est, hunc tu Romane caueto.

B.V. originali peccato non fuit fuscata, sed à sole iustitiæ luce puritatis decolorata.

48. Simili ratione explicari potest v. 5. vbi ait Spõsa; *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Q.D. *Nolite filię Ierusalem interiori mentis loquelâ dicere intra vos, quod sim fusca, vt ante me dicebatis Nigram, quia sempiternus iustitiæ sol, luce puritatis suę me decolorauit, ac nitore, candoreque pulcherrimo suo, quodammodo dealbauit, ita vt mihi quoque tanquam figuratę Iudithæ Dominus contulerit splendorem,* Iudit. cap. 10. v. 5. effeceritque suæ purissimæ lucis radijs quam simillimam. Hanc mirificam Diuinæ lucis puritatem toto ore, oculisque Virginis promicantem dum contemplamur, exclamare verè possumus: *O quam pulchra est casta generatio, cum claritate!* Sap. 4. Hæc illa omnis labis experte puritate beatas illas, ab omni corporis concretione liberas mentes, omnesque sanctorum animas, tanquam Angelorũ, sanctorumque omnium Regina, longo transcendit interuallo, veluti :(si dicere fas:) Amorum Dea, cum Minerua, aut Diana, Nymphas, Naiadesque reliquas formæ elegantiâ post se reliquit, ita vt merito hic illud Statij lib. 1. Achil. quod de Reginę Deidamiæ, (inter cæteras Virgines nobilissimas vultus præstantiâ,) cecinit: vsurpare possimus:

B.V. sanctimonia ac puritate omnes Angelos, reliquosque Cælites superat.

Sed quantum virides pelagi, Venus addita Nymphas
Obruit; aut humeris quantum Diana reliquit
Naiades; effulget tantum Regina decori
Deidamia chori, pulchrisque sororibus extat.
Illius roseo flammatur purpura vultu,
Et gemmis lux maior inest, & blandius aurum;
Atque ipsi par forma Deæ, si pectoris angues
Ponat, & exemptâ placetur casside vultus.

B.V. in sua Concept. est noua lux initio mundi facta ac nata.

49. Quod si cum S. Vincentio Ferrerio, ac Pelbarto conceptam Deiparam, lucem illam à Deo in primo mũdi exordio conditam, cum dixit: *Fiat lux, & facta est lux;* esse dicamus, magis adhuc immaculata eius puritas, ab omni originali labe libera enitescet. Verè pulcherrima, eaque fulgentissima quædam lux est Deipara, adeo vt de ea, quod de Deo ipso proportione quadam pronunciauit Apostolus, edicere possimus: *DEVS lux est, & tenebrę in illo non sunt vllę. Lux,* inquam, *initio mundi condita est Virgo.* Quemadmodum enim mox vt est producta, totum mundum caligine illâ, quâ erat inuolutus, tenebrisque, quæ erãt super faciem abyssi, est liberatus; sic eundem à teterrimis errorum, superstitionis, variorumque scelerum densissimis, ac plusquam Cimmerijs, imo mortis vmbris absoluit Deipara, eique diem Serenissimũ induxit, adeo vt eam verè pulcherrimam illam Iobi esse filiam, quæ Dies appellata est, dicere possimus. *Verè Maria lux est mundi,* vt inquit idem Pelbartus, *quia vt canit Ecclesia, eius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias, propter quod merito, ac dignè Maria, quæ Illuminatrix interpretatur, vocata est.*

B.V. lux in quam tenebræ nõ sunt vllæ.

Merito B. V. M. vocatur: quia vox hęc Illuminatrix interpretatur.

50. Verè lux est Maria, quia sicut de primigeniâ illa luce sol fabricatus est, vt docent Doctores lib. 2. sent. D. 13. sic ex Virginea hac luce sol iustitiæ Christus efformatus est. Hinc eadem canit Ecclesia: *Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol iustitiæ Christus DEVS noster.* Quod si sol iustitiæ, seu puritatis, imo ipsa substantialis puritas, ex Virginea hac luce sibi corpus ope, operaque Spiritus S. efformauit, inque ea veluti luce, creatoque sole, sol hic increatus essentialisque puritas dignata est nouem mensibus inhabitare, quanam ratione, DEVS immortalis, nobis persuadere possumus lucem hanc Virgineam, maculam aliquam peccati cuiuspiam contraxisse? Nonné labes hæc in ipsum solem redundaret, diceretur que non ex pura sed impura luce formatus, ac proindè sol puritatis appellati nequiret?

Sicut ex primigenia illa luce sol formatus est, sic ex Virginea hac luce sol iustitiæ Christus.

51. Ad hanc Virgineæ puritatis immaculatæ demonstrandam excellentiã crediderim, vniuersorum Opificem prima Mundi die lucem condidisse, vt ostenderet eminentissimum Deiparæ supra puras creaturas omnes tam in puritate, quam in gratijs ac priuilegijs omnibus Primatum. Hinc Petrus Blesensis Epist. 14. vocat Deiparam Diem Imperialem, quasi splendoris, post filium primatum teneat, omniumque tenebrarum, nunquam illi succedente nocte, sit expers. Ipsa enim est Mitraton apud Hebræos nobilissima illa, ac prima creatura, quã Principem facierum appellant, eo quod faciebus Diuinarum Personarum Trinitatis semper assistat, & ad cõspectum Diuinum homines introducat, vt Diuinissimarum Patris, filij, ac Spiritus sancti facierum æuiternâ contemplatione in perenni beatitudine perfruantur. Eãdem felicissimam, lucidissimamque diẽ merito Moyses vocauit vnam, non ideo

B.V. Prima lux dicitur ob primatũ quem habet inter creaturas omnes.

B V. dicitur Dies Imperialis.

B V. Mitratõ i. Princeps facierum.

tantum, vt docet Ioann. Philopponus lib. 2. de mundi creat cap. 23 quia vna dies reuoluta, genitrix est reliquarum, quæ eadem sunt cum prima ob eiusdem lucis, solisque reuolutionem, verumetiã, quia vnica est Virgo nostra, inter puras creaturas, sine peccati labe, ad instar lucis concepta, nataque. Ipsa est vnica Phœnix, ipsa vnica columba Genitricis Naturæ, Gratiæque filia; de qua dicebat filius Cant. 7. *Vna est Columba mea perfecta mea, in sanctitate videlicet, ac puritate, cui nil omnino deest, vna est Matris suę Naturæ, electa Genitricis suę, nempe Gratiæ; quia sicut filium elegit ex millibus virorum, sic illam ex millibus fœminarum, vt purissima esset lux, solisque esset Mater immaculata sempiterni.*

B. V. Dies vna, quia vnica est inter puras creaturas absque puncto instar lucis concepta.

52. Et quoniam generatio est origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem Naturæ, vt docent Theologi factum est, vt ipsa solem iustitiæ, seu puritatis, tanquam alter sol generãdo, naturæ similitudine in ipsum transformaretur, & solis huius purissimi generatione & ipsa sol, maiori longè quam ante luce resplendens, euaderet. Hinc S. Bernardinus Senensis eam Tom. 2. serm 51. & in sua Conceptione, in Natiuitate ac denique in Incarnatione Dei filij solem appellauit, & ad ipsius amplificandam laudem sententiam illam Eccl. 26. v 21. protulit: *Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonę speciei in ornamẽtum domus eius. Sacramentum,* inquiens, *glorię Virginis Matris Dei sublimissimum ad reuerendum, deuotissimum ad tractandum, dulcissimum ad contemplandum proponitur nobis. Gloriosa equidem dies ista, quæ iubar solaris luminis nobis affert, dum conceptam, vel natam, seu Annunciatam nobis prænunciat Dei Matrem. Eleuemus igitur omnem pietatis affectum, efferamus omnem nostrum conatum, erigamus, & illustremus cunctis viribus intellectum, ad illam, quæ vigore, dulcore, atque splendore suo cunctas pias mentes inflammatas illuminat, Illuminatas roborat, vt sciant, velint, & possint filij sui vestigia imitari, quia ipsa est sol oriens. Primo eius Conceptio est ad instar solis, quasi cum est post montes in Aurora, quia adhuc erat clausa in vtero Matris suæ tempore Conceptionis. Vnde de hoc statu Angeli: Quæ est ista, quę progreditur quasi Aurora consurgens? Secundo Natiuitas est sol oriens, cum scilicet ascendit ad orizõtem à montibus orientis, mundumque ortu suo irradiat. De his duobus statibus Propheta: Tu fabricatus es Auroram, & solem, idest B. V. in Conceptione, & Natiuitate eius. Tertio Annunciatio, & obumbratio Spiritus S. est quasi sol in mundo in altissimis Dei, in altitudine cælorum cum ascendit super hemisphęrium nostrum in summo caloris æstu. Sic fuit B. V. in filij Conceptione.* Hæc S. Bernardinus, ex quibus colligimus Deiparam, quia solem iustitiæ, siuè puritatis olim puritura erat, tãtâ semper sanctimoniæ, omnisque munditiæ, labis omnis expertis, luce, & in immaculatæ Conceptionis instanti, & deinceps totius vitæ decursu radiasse, vt sol alter purissimus, ac fulgentissimus mundo exortus, in eius maius ornamentum esse videretur. Quem sanè solem cũ supernus Opifex, idemque sol iustitiæ sempiternus sibi delegerit, vt in eo tabernaculum poneret, vti supra meminimus omnimoda sane sanctimoniæ puritate, qua sub Deo maior nequit intelligi eum resplẽdere oportuit, ne ex ipsius substantia per Incarnationem, humanitatem nostram assumendo aliqua peccati labe ipsius puritas aspergeretur.

B.V. generãdo solem iustitiæ naturæ similitudine, in ipsum transformata est.

B.V. est sol in sua conceptione, in Natiuitate, & in filij Dei Incarnatione.

B. V. Conceptio est instar solis cũ est post mõtes in Aurora.

B V Natiuitas est sol oriens cum ascendit ad orizontem.

B V. Sol purissimus, & in Concept. sua, & totius vitæ decursu orbem illuminans.

53. Quod si porrò à primo Cõceptionis instanti eam in Matrem delegit, vt vult S. Chrysologus, qui eam semper Matrem vocat, eandem certè mox, vt optimus filius Matrem dilexit. Verissimè enim pronunciauit Philosophus libr. 8. Ethic. c. 12. *Parentes filios, vt seipsos amant; qui enim ex ipsis oriuntur, sunt quasi alteri ipsi, dum separati sunt; filij autem parentes amant, vt ab ipsis producti.* Et paucis intercalatis. *Est,* inquit, *amicitia filijs erga parentes, & hominibus erga Deos tanquam erga bonum quoddam, atque excellens. beneficia enim maxima contulere, quippe cum sint in causa vt sint, & enutriti, atque educati fuerint, postea quam in lucem venerunt, habetque huiusmodi amicitia iucunditatem, atque vtilitatem eo magis, quam alienę, quo etiam comunior vita inter ipsos est.* Quod si filius Dei Virginẽ mox vt Concepta est, vt naturali affectu, tanquam Matrem dilexit, ei certè, vtpotè cuius Natura est ipsa summa Bonitas, summè benè voluisse tanquam bono excellenti atque amabilissimo eamque summis cæli donis gratijsque ornasse oportuit, pręceptumque suum de honore Parentum, olim adhuc in lege veteri promulgatum, implere. Qui sane honor non in sola duntaxat exteriori reuerẽtiâ, signis quibusdam expressa, sed multo magis in mutua bonorum, facultatumque communicatione consistit. Quod autem maius bonum rationali creaturæ, quam iustitia, sanctitas, atque originalis, omnis labis expers puritas præest cõmunicari?

B.V. mox vt concepta est in Matrem Dei electa.

Filij naturaliter Parẽtes amant eiusq; bene volunt: quãto magis Dei filius suæ Parẽti?

Dei filius suę Matri bene volendo in instãti summum bonũ, sanctitatem puritatemq. communicauit.

55. Veritatem hanc doctissimus equè, ac pijssimus Doctor Ioan. Gerson Parisiensis Cancellarius serm. de Concept. B. Virg. habito in Templo S. Germani ann. 1401. grauiter simul ac festiuè intro-

Dialogus Naturæ, & Gratiæ coram creatore Deo disputantium de B.V. Conceptione.

troducit veritatem hanc & varijs cōprobauit argumentis; in primis per Prosopopœiam ipsam Naturam, tum Virtutes, varias rationes easque efficacissimas, quibus Conceptio immaculata Virginis comprobari consueuit, afferentes coram vniuersorum Creatore ac Domino de hominis redemptione facienda cogitāte per filium, mediante incarnatione, in vtero Virginis. Quā omnes, summā puritate ornatam, omnique originalis peccati labe carentem, vtpote Dei Matrē, cui honor omnis, ac reuerentia debetur, esse voluerunt, ne Matris ignominia in filium redundaret. Ac in primis Naturā sic loquentem introducit: *Scis Domine, quod secundum meam legem primariam, legalēque institutionem, producere deberem tales homines, vt in Regno eorum spirituali nulla esset carnis, & sensus contra rationem rebellio. Ideo peto vt Caro, quæ est ancilla, & famula nihil faciat contra auctoritatem, & voluntatem animę, quæ est ipsius Regina, Domina, ac Magistra. Hanc ob causam passiones inordinatique motus in hominibus turpes sunt, & culpabiles, quia ratione sunt præditi; non item in bestijs; vt superbia, vel turpitudo in equo peccatum non est, nec crudelitas in leone, nec inuidia in cane, nec in cornice auaritia. Quid ita? quia rationem non habent, vt homo. Ideo videtur indecēs esse tibi summo Principi, mihique, vt Amica tua in spirituali suo Regno huiusmodi dissonantiam inter rationem, sensumque habeat; & in hac parte prima Mater Eua maiori sit affecta priuilegio, carendo in sua prima creatione huiusmodi internâ carnis, ac Spiritus rebellione. Addo quod ius meū, ius naturale est, quod filius debet honorare Matrem suam, quemadmodum in mea schola semper Discipuli mei Philosophi, ac Poetę prædicarūt. At quā ratione sufficienter honoraretur, si inhonestum peccatum, in ea aliquo tempore dominaretur?* Ex quibus ab optima Matre Natura allatis rationibus clarè patet, puritatem omni carentem macula Virginis Conceptioni tanquam Dei Matri iure naturali debitam fuisse.

Naturę expetit vt B.V. sine peccato Originali concipiatur, ne Eua illa felicior esse videatur.

Indecens est vt B.V. in spirituali suo Regno dissonantiam inter rationem, & sensum habeat.

Ius Naturæ requirit vt filius honoret Matrem.

Puritas originalis B.V. iure naturæ debita.

B.V. lege gratiæ Puritas originalis debita.

55. Vt porrò ostendat etiam lege Gratiæ eidem Virginis Conceptioni puritatem omnis peccati expertem labe deberi, prosequitur vir pijssimus introducendo virtutes singulas, coram Deo pro immaculatā Matris ipsius Cōceptione perorantes. Obedientia sic locuta fuisse memoratur. *Siquidem summè Princeps Matrem carnalem habere vis in terra, illi sane omnem honorem, reuerētiam, seruitium, atque obedientiam debetis. Nec huic debito contradicet iustitia. Hęc porro lex non benè implebitur si in huiusmodi abominatione, immunditiâ, subiectioneque peccati aliquo tempore iacere permitteres illam, quæ totius puritatis habitaculum, templum, ac palatium esse debet.*

Charitas exposcit vt Concept. B.V. sit immaculata.

56. His mox hæc intulit Charitas: *Verè omnipotens Pater tu me Reginam Virtutum fecisti, qua de re in te glorior, & sine me, illarum nulla humanę naturę, vel congruit, vel conceditur. Sum illa, quæ eas sicut sol illuminat, colores: illas ego viuifico, sicut anima viuicat corpus, sine me mortua plane est anima, omnisque studiosæ, ac meritoriæ operationis impotens. Si ergo contingeret, quod absit, vt in tua Matris Conceptione, vel postea elongarer, nec in tanta Domina; ob peruersum illum Tyrannum, originale nempe peccatum, habitarem, quis eam custodiret? Nullo enim pacto in ea habitare possē. Atque ita anima eius in primis spiritualiter esset mortua, ideoque turpis, fœtida, deformis, tibi displicens, atque odibilis, indigna prorsus tua, Angelorumque societate, & digna contra ab eiusdem Societatis consortio, separatione. Quod si in illo statu moreretur, æternæ damnationis rea existeret, essetque teterrimarum tenebrarum habitatio, quæ ipsum Diuinum Lumen, solemque iustitiæ, puritatisque, vtero suo gestare debuerat. Quare rectè Diuina pronunciauit Sapientia, si hoc fieret admodum impertinens futurum. Sic enim Matutina stella in primo sui exortu ecclipsim pateretur. Rosa noua recens exorta deficeret, ac flauesceret. Fons gratiæ desiccaretur, ac desisteret. Flos lilij pallesceret. Mater vitæ moreretur, Regina mundi subijceretur. Et cui? Subijceretur nimirum fœdiori, atque abominabiliori subiectioni, quę vnquam excogitari posset, illi nimirum, quæ est peccati, qua nihil detestabilius.*

Originale peccatum peruersus Tyrānus, quo cū Charitas habitare nequit.

B.V. si in conceptione sua contraxisset maculā, stella Matutina in primo suo ortu ecclipsin pateretur.

Misericordia immaculatā Concept. B. V. defendit.

57. Vbi loqui desijt Regina virtutum charitas, prosecuta est immaculatæ Cōceptionis Deiparæ defensionem Misericordia: *Pater totius bonitatis*, inquiens, *postquam tantum condescendisti petitioni nostræ miserabili, & redimere decreuisti humanū genus à seruitute peccati, iustum est, vt sis Redemptor, ac perfectissimam, & vnam saltem personam redimas excellētissimè. Nouisti porrò quod inter varios redimendi modos, perfectior est is, quo ita præseruatur, persona, ne in subiectionem peccati cuiuscunque siue originalis, siue actualis prolabatur, vt certo remotâ huiusmodi præseruatione in illud esset casura. Quę sanè magna est, insignisque gratia. Quemadmodum enim maior longè fit gratia alicui, qui præseruatur, ne cadat in lutum, quam illi, qui postquam cecidit, releuatur: Sic sanè longè maior exhibetur beneuolentia illi, qui ne in peccati originalis fæces proruat conseruatur, quam illi qui postquam in easdem concidit, expurgatur. Ille enim redimendi modus est perfectissimus. Et quam quæso, optime, ac benignissime Pater, personam perfectius debes redimere, quam illam, quę tibi Mater, singularisque amica est futura?*

Quis perfectior sit rodimendi modus à peccato.

Præseruatio ne quis cadat in peccatū est perfectissimus redimendi modus, qui Dei Matrem maximè decet.

58. His adiecit Virginitas: *Non minus decet Dei Filium habere Matrem semper Virginem quoad animam, quæ nunquam peccato vllo violaretur, quam quoad corpus, quanto enim anima nobilior est corpore, tanto Virginitas, integritasque animæ nobilior, perfectiorque est Virginitate, ac integritate corporis. At quis nesciat peccato quocunque siue originali siue mortali animæ puritatem, atque innocentiam corrumpi, violari, atque eneruari. Quapropter sub peccati originalis tyrannide tantæ Maiestatis Matrem concipi, nullo modo addecet, sed quemadmodum corpore ita & animo Virginem immaculatam, ab omni peccati labe, imo nitidissimam mundissimam, ac purissimam esse conuenit.*

Virginitas Concept. B. V. defendit. Virginitas animi perfectior quam corporis.

Virginitas mentis quocunque peccato corrumpitur.

59. Tandem introducit Sapientissimam Virginem Prudentiam contra Iustitiæ rigorem acerrimè pro immaculata Dei Matris Cõceptione in hunc modum coram omniũ Creatore disceptantem: Nullam, inquit illa, in hac materia repugnãtiam video, quo minus Dei nostri Mater, & amica in sua Conceptione, & deinceps, omni tempore ab atrocissima peccati originalis, atque actualis tyrannide absoluta esse non debeat, nisi forte secundum legem illam generalem quam prætendit Iustitiæ rigor: *Omnes in Adam peccauerunt.* Qua in re miror Iustitiam velle, vt summus Imperator, legumque conditor, cui nemo similis in Legislatoribus, sit tantopere ipsi adstrictus, vt nil possit, aut debeat immutare, quocunque in casu contingenti. Sic enim magis seruus esset legum suarum, quam Princeps temporalis earum, quas ipse tulit. Magis quoque serua esset eiusdem cælestis Legislatoris sponsa, cælorumque Regina, ac Imperatrix, quã terrenæ Reginæ, quæ singulari priuilegio ab omni legum ciuilium seruitute liberatæ sunt. Quod si, in sententia etiam ipsius Iustitiæ, Dei Mater lege illa: *In dolore paries;* propter peccatum Euæ exempta est; cum non modo sine dolore, verumetiam summã cum lætitia risũ, gaudiumque Angelorum, hominumque peritura sit; quare non æquè benè, ac iustè à grauissima Originalis sceleris maledictione excipiatur, cum hoc longè rationabilius videatur? Certe Discipulus meus Aristoteles asserit in Politicis, leges dari vniuersaliter, & non ita quin in aliquibus particularibus casibus possit, ac debeat haberi rationabilis exceptio. Quæso te Iustitia, considera quanam ratione supremus Imperator, sæpe numero longè minori de causa, quam ad suã honorandam Matrem, atque amicã mutet, ac variet communem consuetumque Naturæ cursum, sæpe perpetrando miracula, communicãdo extra ordinarias gratias, variaque priuilegia. Nonnè ad orationem Iosue stitit Solem? Resuscitauit mortuos ad orationem Elisæi? Vstionem suspẽdit ignis in fornace Babylonica, ad deprecationem Danielis. Nonnè quod est magis ad rem nostram, Hieremiã sanctificauit in vtero ante huius lucis aspectũ? Nonnè Enoch & Eliã in terrestrem Paradisum transtulit, eisque contra communem ordinem, temporalem hæreditatem impertitus est? Certum est igitur quod lex generalis nõ debet esse præiudicium gratiæ, ac priuilegij specialis. Et videtur mihi, ò Iustitia, te adhoc non modo debere inclinare, sed & illud idem postulare. Nonne tui est officij id exigere, vt filius Matrem suam magis, quam alios honoret, vti Natura, & Obedientia pronunciarunt? Nonnè officium tuum est, vt Imperatrix contra omnem seruitutem, præsertim ignominiosam, priuilegium habeat? Nonnè ad Iustitiam pertinet petere, vt Thesauraria gratiæ, vt amica Dei nunquam sine eius gratia, & amore sit? Nõne denique iustũ est, vt Angelorum Regina illa, ac Magistra, quæ secundum diuinam promissionem contritura est serpentis Infernalis caput, nullo vnquam tempore sit eius membrum, eiusque imperio subiectum mancipium? Alioqui semper illi improperare posset, eique per ironiam dicere: *Ecce sane Mulierem quæ contriuit caput meum, cuius ego tamen prius peccato originali eam subijciendo, caput conculcaui. Ecce Dominam, quæ tota pulchra dicitur, quam ego mea potestati subijciendo, labe peccati originalis maculaui, contaminaui, ac prostitui. Ecce Regis vestri Amicam, sed ego ipsius primũ Rex fui, & Dominus, dum in peccato originali est concepta. Ecce illam, quæ se dicit virtutum Matrem, ac domicilium, quæ tamen prius originario sceleri subdita, meque excipiens hospitio, mihi obediuit. Absit ò DEVS optimè, ac potentissime, absit vt hoc pacto te tuus, nosterque irridere possit inimicus.*

Prudentia B. V. Concept. defendit.

B. V. à lege communi in Adam peccãdi singulari priuilegio præseruata, & exempta.

Si B. V. à lege communi exempta est: In dolore paries, multo magis ab illa peccati originale contrahendi.

Arist. docet leges dari in communi, sed non ita vt in iis in casibus particularibus dispensari nequeat.

Iustitiæ officium est exigere vt filius Matrem magis, quam alios honoret.

Imperatrix contra omnẽ seruitutẽ præsertim ignominiosam priuilegium habere debet.

Si B. V. subdita peccato originali fuisset, Satan ei insultasset.

60. His sapientissimis Prudentiæ rationibus in medium adductis, ait Gerson, omnium Virtutum sequutam fuisse ad murmurationem, atque applausum, Iustitiamque rem vniuersam remisisse ad sapientissimam Dei ordinationem, cuius erat præcipere ordinare, suamque legem interpretari. cuius enim est condere, huius etiam est interpretari. Introducit tandem benedictum Dei filium è sublimi suæ Diuinæ Maiestatis throno, vene-

Cuius est legem condere, eiusdem etiã est eamdem interpretari.

Dei filius auditis Virtutibus immaculatam Matris eius Concept. defendentibus, pro illa fert sententiã.

venerando, tremendoque aspectu, magna quadam grauitate, ac magnificentia sententiam decretumque de Matris suæ immaculatâ Conceptione ferentem, his verbis: *Audiuimus vos amantissima filia, & gratiosè, quæ à vobis dicta sunt recipimus, Admittimus in primis ex speciali gratia humilem Orationis supplicationem, quam pro bonis nostris subditis, ex dilecta vrbe Nazareth Ioachimo, & Anna porrexit, attentâ bona veraque relatione, quam vos omnes, vnanimi consensu de eisdem fecistis. Volumus igitur allegationem filiæ nostræ Naturæ super eorum sterilitate, minimè contristando, vt parentes illius sint, ex qua humanę Naturę filius meus carnem assumat. Vnde pręcipimus vni Angelorum vt hoc fęlix nuncium ad illos deferatur.*

61. Et quoniam Virtutes omnes cum optima Parente Natura operam vniuersorum Opifici in Matre sua exornanda obtulerant, eundem sic petitioni eorum annuentem decernentemque introducit: *Consentimus pręterea, volumus, ac iubemus, vt secundum quod obtulistis, omnem curã, studium, industriam, potẽtiam vestram ad Annam meam totam pulchram, absque vlla peccati macula componendam, efformandam, vestrisque ornamentis decorandam, ac dotandam impendatis. Quod porrò ad vestram disceptationem vltro, citroque habitam attinet, scitote nolle nos ad legem illam generalem, ac pænalem ob scelus latam Protoplasti, vllum habere respectum. Quoniam pro alijs lex illa facta, est, non pro ipsa, quam sicut singulariter in Matrem elegimus, ita singularibus priuilegijs velut Augustam orbis totius Reginam, ac Imperatricem dotare decreuimus.* Hæc Gerson ingeniosè sanè ac festiuè. Ex quibus quisque luculentissimas rationes ad immaculatam puritatem Virgineæ Cõceptionis comprobandam, potest depromere; simulque ostendere eam adinstar solis primigeniâ illâ illibataque luce radiantis, ad alterum illum sempiternum in tempore, iustitiæ, puritatisque generandum solem electam, ac proinde omnis omnino peccati originarij labe immunem esse debuisse, ne ignominiosa cuiuscunque tãdem sceleris macula in ipsum æuiternũ increatæ puritatis solem redundaret.

Deus B. V. dotibus Naturæ, & Gratiæ in eius Concept. ornauit.

62. Atque ita ex his intelligimus quanam ratione sapiẽtissimus vniuersorum Artifex cum Naturâ, ac Gratiâ, cumque virtutibus reliquis Dominam hanc, totiusque orbis Reginam in ipso Conceptionis puncto, tam in anima, quam in corpore, tanquam tabernaculum suum proprium, ad instar Vnicornis ædificarit, adeoque sanctificium hoc suum sanctificarit, liberumque omni Tartarei serpentis veneno reddiderit, vt ad illam in posterum, nullum peccatum, ne quidem à longè auderet accedere. Vnde adeo pulchra, adeo pura, & munda ad instar nouæ cuiuspiam Pãdoræ, omnibus Charitum, Virtutumque singularibus donis, ceu pulcherrimis flosculis coronata apparuit, vt cælestis sponsus Diuinâ suâ, in ipsâ, velut immaculato speculo, tã speciosâ visâ similitudine, atque imagine, sancti amoris incensus igne, eam mirificè adamarit, vt de Pigmalione, & Narcisso Poetæ fabulantur. Nec continere se potuerit quin iucundè amore plenissimum illud iam memoratum iteraret encomium; *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Tanta hæc animi corporisque pulchritudo, tanta absque omni labe peccati extitit puritas, vt quod Ouidius. 10. Metam. de Adonide, (si hęc illhic miscere fas) modulatus est, dicere non immerito possumus;

B. V instar Pandorę omnibus Charitũ ornamentis instructa in sua Concept. mundo apparuit.

Laudaret faciem Liuor quoque qualia namque
Corpora castorum in tabula pinguntur amorum
Talis erat.

B. V. adeo pulchra vt eius faciem ipse Liuor laudaret.

Hæc est enim illa cuius amore captus purissimo cælestis sponsus canebat: *Ostẽde mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora* Cant. 2. Hæc est altera, veraque Iudith. cap. 11. *Verè enim non est talis Mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* Hæc est altera, veraque Regina Hester. cap. 2. *quæ formosa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur. Hãc verè supremus ille Rex adamauit super omnes mulieres, habuitque gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema Regni in capite eius, fecitque eam regnare loco Vasthi, nempe Luc[illegible] superbissimę, cuius Coronam iustitiæ originalis, aliaque gratiæ longè excellentiora ornamenta in Mariam trãstulit, postquam per summum nefas, diuinam superciliosè affectauit similitudinẽ, audita suggestione illa infernalis serpentis asserentis; Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dij.* Hæc denique est sponsa illa cui mox, vt est concepta dulciter beatissimi in summam, tantâ eius pulchritudine, ac puritate admirationem rapti cecinere Spiritus: *Quę est ista, quę progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata,* ordinata inquam, ob pulcherrimam virtutũ omnium, quas tam Natura, quam Gratia, huius cælestis Reginæ ornandæ nimium quantum studiosæ, coordinationem, quâ Tartareis phalãgibus, earumque truculentissimo, atque superbissimo Principi, cuius caput tantilla puella, nec dum

B. V. altera Iudith in aspectu, pulchritudine, & sensu verborum.

B V. Altera Hester incredibili pulchritudine [illegible]

B.V. coordinatione suarum virtutum Tartareis hostibus terribilis.

dum in lucem edita, Matris adhuc conclusa visceribus gloriosissimè contriuit.

63. Quo sane tam illustri elogio purissimam Deiparæ à beatis spiritibus celebratam fuisse Conceptionem testatur etiam Petrus Galat. lib. 7. de Arcan. catol. Relig. cap. 5. atque hunc sensum illius encomij esse: *Quæ est ista, quę ostendit se venire vt Aurora. quemadmodum enim Aurora diei claritatem inchoat, ita certè gloriosa Mater Messiæ mox veniens, totum mundum illuminare cæpit. Atque vt Luna à sole recipit claritatem, ita Mater Messiæ omnia sua priuilegia, & gratias accepit à Filio. Estque perindè clara ac sol, qui in suæ creationis instanti, omnem illam suam adeptus est claritatem. Ipsius namque Virginis immaculatæ materia, in suæ Conceptionis momento omnes materiales assecuta est perfectiones, estque ipsa sine originali peccato concepta.* Sic ille.

Vt Luna à sole claritatem, sic B.V. omnes gratias ac priuilegia accepit à filio.

64. Quod sane pulcherrimo illo, admirabilique in cælis apparente ostenso, seu miraculo siue prodigio, diuinitus Apostolo Ioani reuelatum est Apoc. 12. quod & ad Virginis illustrandam gloriam posteritati commendauit, cùm dixit: *Signum magnum apparuit in cęlo: Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum 12.* In hoc profectò signum stupendum, si cōtemplationis nostræ attentius figamus obtutum, & in hac muliere, ex communi Patrum Sanctorum ac præsertim Bernardi, qui integrum, eumque elegantissimum de magno hoc signo contexuit sermonem, Deiparam Virginem, totam à capite ad talcē clarissimis luminibus, quibus cælum, & terra illuminantur irradiatam, atque insuper ipso totius luminis fonte, velut aureâ cyclade, Regioque paludamento amictam, atque circumdatam agnoscamus, qui, DEVS immortalis, nobis in mentem venire poterit, caliginem, tenebrasque peccati originalis in ea locum inuenire potuisse? Vbi quæso visum vnquam, vt adueniente sole, Nox atra subsistat, suisque tenebris mūdum inuoluat? Nūquam hactenus prodigium huiusmodi portentumque auditum est: quin imò, vt canit Statius libr. 2. Achill. illicò;

In Muliere amicta Sole immaculata Conceptio B.V. adumbrata.

Exuit implicitum tenebris humantibus orbem
Oceano prolata Dies, Genitorque coruscæ
Lucis, adhuc hebetem vicina nocte leuabat,
Et nondum excusso rorantem lampada ponto.

Qui ergo fieri potuit, vt in Diuinissimâ hac Muliere totâ sole amictâ Luna calceata, 12. stellarum diademate coronata vel minima peccati originalis vmbra reperiretur? qui fieri potuit, vt Sole, Luna, tam magnis, iisque fulgentissimis cęli luminaribus, duodenisque alijs stellis decorata de illorum tam copiosa luce, excellentissimaque puritate non communicauerit? qui fieri potuit, vt in tantæ puritatis abyssum transformata non fuerit?

Sicut oriente Sole nullæ subsistunt tenebræ, sic in B.V. Concep. nullum peccatum.

65. Si enim mellifluus Bernardus fer. citato, quod fuerit amicta Sole Virgo censet eam profundissimam Diuinæ Sapientiæ abyssum penetrasse, quomodo non etiam omnis peccati labe carentis puritatis? Sed ipsa tanti Doctoris Deiparæ studiosissimi verba audiamus, ex quibus puritatis quoque Diuinæ Abyssum illam ingressam, in eamque transformatam deprahendemus: *Iure ergo Maria*, inquit ille, *sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Diuinæ sapientiæ vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Vtque ostendat summam hanc irradiationem æternæ lucis in Virgine extitisse, ponit differentiam inter Seraphinos nonnullosque sanctos, luce hac, caloreque solis huius Diuinissimi siue illuminatos, siue calefactos superficietenus, & Dei Matrem totam in lucem illam, ignemque transformatam: *Illo nimirum*, inquit, *igne Prophetæ labia purgantur; illo igne Seraphin accenduntur. Longè vero aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis vndiq; & circūfundi, & tanquā ipso igne concludi. Candidissimus sanè, sed & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea dico tenebrarū, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut nō feruentissimum liceat suspicari.* Vbi ponderandam adiectiuum illud; *candidissimus*. Si enim candidissimus fuit huius æuiterni solis amictus, vti reuera fuit, vt pote Candor lucis æternæ, eamque candor hic in superficie dumtaxat attigit, vti Prophetam, sed intimè animam, corpus, ossa, medullasque penetrando, ita vt cum suo Parente Dauide dicere potuerit: *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?* eam in se trāsformando, atque immergendo; qui fieri potuit vt in ipsius puritatis candorem non fuerit velut in fornace amoris igne liquescens, transmutata?

Sicut B.V. quia amicta sole fuit profundissima diuinæ sapientiæ, sic etiam puritatis abyssum penetrauit.

B.V. in Diuinam lucem quasi transformata.

Candidissimus solis institiæ amictus, quo B.V. vestita fuit, eam in candorem, puritatemque suam transformauit.

66. Hanc crediderim ob causam à Sapiente solem fornaci ardentissimæ comparari Eccli. 43. *Fornacem custodiens in operibus ardoris tripliciter, Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens, radijs suis obcæcat oculus.* Quam sententiam clarius reddidit Vatablus: *Ter tanto magis sol montes excalefacit, quàm qui fornacem sufflat vrendis*

Sol Fornaci ardentissimæ comparatur.

dis operibus, & vaporem igneum exhalans, fulgore radiosum perstringit oculos. Quemadmodum igitur Fornax ignis intra se vitrum, aurumuè excoquens, illud liquefacit, atque in se conuertit, ita Sol iste Diuinissimus iustitiæ, ac puritatis Virginem ad instar purissimi auri, aut crystalli ambiens, velut fornax ardentissima eam triplo amplius accendit, ac liquefactam quodammodo mirabili metamorphosi in suam purissimam Naturam, omnis labis expertem, si ita licet eloqui, transformauit. Vnde S. Bernardinus Senensis, & Richardus à S. Laurentio eam *Candorem lucis æternæ, speculum sine macula diuinæ maiestatis, Bonitatisque eius Imaginem* ob transformationem hanc, vocitarunt. Hinc Ambrosius Solari hoc splendore Deiparam amictam circumdatamque cernens, dignitatemque eius diuinissimam suspiciens lib. 2. de Virgin. peruenustè pronunciauit: *Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit*, ille nimirum paternæ gloriæ, Patrisque luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

B.V. Candor lucis æternæ dicta, quia in illum sua puritate quodammodo trāsformata.

B.V. puritate splendidissima, quia illū splendor paternæ gloriæ in Matrem elegit.

67. Hac eadem Diuinę puritatis luce, ceu aureâ cyclade se circumamictam, & ab originali labe præseruatam considerās Virgo sacratissima gloriabatur apud Isaiam cap. 61. iuxta interpretationem doctissimi Galatini loco iam citato, vbi sic citat Isaiam eumque ex Hebræo interpretatur: *Gaudens gaudebo in Deo, & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimentis IESV* (: cuius vt solis puritatis, vestimenta sunt, lux purissima; *Amictus lumine sicut vestimento*, canit Dauid:) *& chlamyde iustitiæ circumdedit me, quasi sponsus decorauit me gloria, seu corona, & quasi sponsam ornatam monilibus eius. Videns enim Propheta* ait Galatinus *in Spiritu Matrem Messiæ olim dicturam: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo, verba illa in eius persona protulit*: Obsecrandum porrò ex eodē Galatino: Gaudebo in Deo, apud Hebręos esse Nomen Tetragrammaton, quod vt asserit Rabbi Hibba, DEVM Patrem significat; Per DEVM verò mecum, idem ait Rabbinus, DEVM filium designari. Gaudet itaque Virgo in Deo Patre, & Deo filio, quia ipsi, inquit Galatinus, duplicem gratiam fecerunt. Vnam quidem quia induit me Pater vestimentis IESV, quod est, me absque originali peccato conceptam fuisse. Alteram verò quia filius chlamyde iustitiæ originalis (: velut purissimæ lucis amictu:) me circumdedit. Vt porrò ostendat Galatinus Virginis nostrę in purissimam lucem solis ęuiterni transmutationem, ponderat verbum illud; *Circumdedit*; quo eam Diuinæ voluntati in omnibus suis conformissimam actionibus, motibusque fuisse ostendit, ac proinde perfectissimam puritatem animi, corporisque, absque omni næuo consecutam, cum voluntas Dei sit sanctificatio nostra; & hæc sanctificatio sit puritatis, sanctimoniæque acquisitio. Dicitur; *Circumdedit chlamyde iustitiæ*, nimirum originalis, *Quia*, inquit, *omnia ipsius Virginis membra à vertice capitis ad vngues vsque pedum, omnesque, ac cogitationes, animæ imperio, absque sensus, ac cogitationes, animæ imperio absq; vlla repugnantia obtēperabant. Vsque adeo quidē, vt ipsius oculi nihil inhonesti, nihil illiciti vnquā aspexerint. Imò vt nunquam vel oculos eleuauerit sicut cæteri homines facere consueuerunt, sed semper humi defixos tenuerit, nisi dum DEVM oraret; à quo inter cęteras perfectiones, eo prophetię Spiritu donata est, vt si forte aliquid vetitum, vel illicitū auditura vel visura esset, illico eius aures, oculiq; clauderentur, ita vt non nisi voluntati Diuinæ omnes eius sēsus deseruire viderētur.* Quo circa dixit appositè: *Chlamyde iustitię circumdedit me*, idest, vndique & ex omni parte vellauit me. Concludit tandem, puritatemque illam originalem, gloriosæ Coronæ, pulcherrimisque monilibus, quibus eam velut sponsam cælestis sponsus decorare, exornareque non est dedignatus, comparauit: Et verò si quis huius benedictæ inter mulieres, Mulieris stellatum diadema, ac solares illos radios, quibus amicta, atque circumdata est, penitius contempletur, quid aliud quā iustitiam, puritatemque originalem, quid aliud, quam Coronam quandam gloriæ plenissimam, quid aliud quam monilia quædam preciosissima, atque elegantissima naturæ Angelicę, imo & Diuinę nō modo corpus extrinsecus, omniaque membra, verumetiā, ac multo magis intrinsecus animam mirificè exornantia, atque condecorantia sibi videre videbitur?

B.V. in cōceptione sua velut aurea puritatis cyclade amicta gloriatur.

Pater & Filius duplicē gratiam exhibuerunt B.V. vna est quod Pater illam vestimentis IESV, nempe Originali iustitia induit. Altera est quod Filius clamyde puritatis eamdem circumdedit.

Nostra Sanctificatio, est puritatis Sāctimonięque aquisitio.

Modestia præteritim oculorum in B.V. singularis.

B.V. Spiritu Prophetiæ instructa ita vt si quid illicitum audi turaeratieius aures claude rentur.

Puritas Originalis Coronæ, ac monilibus confertur.

68. Quod si denique finis spectetur, ob quem tam gloriosâ stellarum, solisque Coronâ, monilibusque tam naturæ Angelicę, quam Diuinę, quæ sunt potissimū Incorruptio, Puritas, ac Sanctitas, fuerit condecorata, nihil sanè mirum nobis accidet, cum eam ad tantā gloriā, Maiestatemque euectam, in cęlo cum Ioanne contemplabimur. Cùm enim Virgo hūc in finem, absque macula originalis peccati fuerit concepta, vt dignissimum, pu-

Monilia B. V. sunt potissimum Incorruptio, Puritas, & sanctitas.

B.V. ideo absque macula originali Concepta, vt Dei Filij fieret habitaculum.

purissimumque Dei filij Humanitatem nostram in plenitudine temporum assumentis, fieret habitaculum, dignissimũque domicilium, decentissimum sane fuit eam omnibus Naturæ Angelicæ, ac Diuinæ perfectionibus, quantum pura creatura capax esse potest, exornari, vt tanto similior Dei filio, quam hospitio vteri sui, velut gratissimum hospitem exceptura erat, efficeretur, vt simile simili magis vt supra dictum adgauderet. Vnde obseruauit Galatinus illius gloriationi Virginibus, vestibus IESV amictæ, monilibusque Sponsi exornatæ cõgruè mox annecti: *Sicut terra profert germen suum, & sicut Hortus semen suum germinat, sic Dominus DEVS germinabit iustitiam, & laudẽ coram vniuersis Gentibus.* Vbi Virgo purissima Terræ fœcundissimæ, amoenissimæque cuipiam cælestis Regis Viridario, germen, florem, fructumque vberrimum germinanti semetipsam comparat. Q. D. Ad hoc me tantis, tãqua eximijs, & Naturæ, & Gratiæ donis, ceu monilibus, Creator vniuersorum exornauit, vt quẽadmodum Principes, Reges, ac Monarchæ, præter communes hortos, sibi Viridarium aliquod pulcherrimum, atque amœnissimum, regali plane magnificentiâ & extraordinarijs sumptibus, ad sui ipsorũ delicias, peregrinis plantis cõserere cõsueuerũt; ita Dei filius in me velut Horto voluptatis, Topiario opere excultο, exquisitissimarumq; Virtutũ plãtis atque arboribus, flosculisque aromaticis consito, maximis, & omnipotentiæ, & sapientiæ suę profusis sumptibus, post Angelorum, hominumque ipsi rebellantium tumultus, prætermissis communibus reliquorum sanctorũ Hortis, sibi locum quietis ad auram captandã, ad deliciandum cum filijs hominum præparare complacuit. Quid igitur mirum si tanquam Matrem dilectissimam, tantis celi donis me locupletare, tantis fauoribus prosequi, tantâ denique puritate, velut luce cælesti me in mea Conceptione circumuestire nõ sit dedignatus? Sed ipsum Galat. verba illa ibidẽ explanantem audiamus, vbi Virginem sic loquentem in eundem sensum introducit: *Cur DEVS me sponsam acceperit, hasque gratias cõcesserit scire vultis? Causa est, illa, quia in me incarnandus est Messias, qui vt Germen, quod Patre caret, solamque terram Matrem habet, futurus est. Ita enim DEVS germinare in me faciet Messiam, qui laus, & iustitia erit in omnibus gẽtibus, nec alium, quoad humanitatẽ, Parentem habebit, præter me Matrem suam. Ex quo ergo Beatissima Virgo has gratias sortita est,*

B.V. peculiare cælestis Regis Viridarium, in quo post Angelorum, hominumque tumultus obiectatus est.

B.V. cur terrę atque horto comparetur.

rectè vestibus IESV, qui est totius orbis salus, & chlamyde iustitię, originalis videlicet, indui dicitur, quam nemo vnquam alius, ex viro; muliereque genitus assecutus est. Quapropter ipsam, absque originali peccato conceptam fuisse, dicere necesse est. Sic ille.

69. Eadem Virginis immaculata Puritas verbis illis Ioannis comprobatur, cũ dicitur: *Signum magnum apparuit in cælo; hoc est, grande miraculum, ac prodigium.* Quo nomine eam gloriosissimus Martyr Ignatius Epistola ad Ioannem Euangelistam appellauit: *Sicut nobis*, inquiens, *a fide dignis narratur, in Maria Matre IESV humanæ naturę, Natura sanctitatis Angelicæ copulatur; & hęc talia excitarunt viscera nostra, & cogunt valdè desiderare aspectum huius, si fas est dicere, cęlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi.* Hinc S. Ephræem Syrus orat. ad Deip. eam piè salutans: *Aue*, inquit, *præstantissimum vniuersi orbis terrę Miraculum.* Quod porrò Mulier amicta sole in cælo comparẽs eo schemate, quod descripsit Ioãnes, ingens sit miraculum, audiamus S. Epiphaniam orat. de laud. B. V. dum sic exclamat: *O' Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti! Stupendum est enim miraculum in cælis, Mulier amicta sole, stupendum miraculum in cælis, mulier gestans lucem in vlnis. stupendum miraculum in cælis, alter Thronus Cherubicus.* Sic ille. Quare S. Ioan. Damasc. orat. 1. de Natiuitate immerito eam *Miraculorum officinam* vocitauit, quæ attentius contemplans, & inter illa sine dubio Puritatem Angelicã, imò supremæ Hierarchiæ Seraphicam illam cæteris longè eminentiorem, stupore attonitus exclamauit: *O' miraculum miraculorum omnium maximè nouum, Mulier Seraphinis sublimior effecta est, quod ille sanè minimè pronunciasset, nisi illam ab omni peccato prorsus immunem cognouisset.*

70. Quod enim quæso magnum foret miraculum, quod ipsos Angelos in admirationem, stuporemque raperet, si in peccato concepta, & postea sanctificatione, ab originalis labe sceleris expurgata foret? cum id Hieremiæ Prophetæ, in veteri, & Ioanni Bapt. in nouo testamento indultum fuerit? Quã ratione obsecro Mulier non dicam Seraphinis, sed infimæ Hierarchiæ beatissimis illis spiritibus foret sublimior, cum illi in sanctitate, ac puritate omni carente maculâ fuerint conditi, hæc vero originarij sceleris labe fœdata? Quomodo quæso, in ipso Conceptionis puncto, vti plurimi censent Theologi, fuit omnium Angelorum, totiusque Vniuersi coronata Regina, si illis sanctitate, puritateque extitit in-

In Maria humanę Naturæ Natura Sanctitatis Angelicæ copulatur.

B.V. præstantissimũ vniuersi orbis Miraculum.

B.V. Miraculorum officina.

B.V. puritate originali sublimior Seraphinis effecta, & ideo Angelis est Miraculum.

inferior, cùm eorum puritas, qui suum seruauere principium nulla vnquã peccati labe fuerit contaminata. Quo fundamento, DEVS bone, idem S. Epipha. ibid. ei cum veritate dicere potuisset: *Solo Deo excepto cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubin, & Seraphin, & omni exercitu Angelico?* Quo quæso nixus fundamento, B. Andreas Cretensis Episcopus orat. 2. de dormit. B. V. eam syncerè compellasset: *Regina omnis humanæ Naturę, quæ habes nõ comparabilem cum alijs appellationem, quæ excepto Deo solo, es omnibus altior.* Quomodo diceret eidem: *Te gratè omnis lingua glorificat, Matrem vitę prædicans;* si quæ ante in Adamo peccans mortua extitit? Quomodo rursus diceret: *Impletum est quicquid creatum est tua gloria, sanctificatum est vniuersum, vnguento boni odoris tui;* cum maiorem Angeli, sanctitate puritateque suâ, omni semper peccato liberã, ac immuni, gloriam sint adepti, omnesque cæli, terraque creaturas puritatis incontaminatæ odore recrearint? Quomodo tandem ei idem pijssimus dixisset Antistes: *Per te deleta est peccati occasio, transmutata est in lætitiã primę parentis execratio. omnes propter te canunt: Gloria in cælo, & pax in terra;* si illa originario scelere fuisset contaminata; si maledictioni primæ Matris Euæ, quæ mortalibus mœstitiam peperit, fuisset obnoxia?

B.V. ipsis Cherubin, & Seraphin formosior ob originalem puritatem.

B.V. solo Deo excepto omnibus altior.

Vnguento boni odoris B.V. sanctificatum est Vniuersum.

Per B.V. deleta est peccati occasio, & mutata in lætitiã primę parentis execratio.

71. Quomodo denique S. Anselmus Virgini illustrissimum illud attribuisset elogium? *Nihil tibi ò Domina est æquale, nihil comparabile: omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te est, quod supra te est solus DEVS est, quod infra te est, omne quod DEVS non est.* Si enim puritas ipsius à labe sceleris originarij in Conceptione immunis minimè fuit, qua ratione supra Hierarchias Angelicas Deo inferiores, quæ primigeniam illam puritatem, quam in prima sui creatione sunt sortitæ, nullâque peccati macula deinceps inquinarunt, esse potuisse? Cum igitur Sacratissima Virgo Deipara sit Magnum signũ, insigne prodigium, & Miraculum miraculorum omnium maximum, toti orbi, ac præsertim Angelis obstupescendum, in illa certè, cum multa alia tam Naturæ, quã Gratiæ prodigia, tũ verò eximiã puritatẽ, increatæ illi sempiterni iustitię solis propemodum gemellam, suspexere.

Mariæ nihil æquale, nihil cõparabile.

72. Quod nobis indicare voluit Moyses cum iussu Dei duos efformari mirã arte ex auro purissimo iussit Cherubinos, & super Arcam illam, viuum Deiparæ typũ, ex lignis imputribilibus Sethin, nulli corruptioni obnoxijs compositam, laminisque ex auro purissimo opertam collocari; eo oris habitu, vt sese mutuo aspicerent, versis vultibus in propitiatorium, quæ Arca operiebatur, quasi obstupefacti, mysterijs, ac miraculis conspectis, quæ Arca repræsentabat, ad se rursus admirabundi oculos conuerterent. Quæ sane neutiquam beatissimi illi Spiritus, qui à plenitudine scientiæ nomen inuenerunt, admirationis signa edidissent, si Virgineam hanc, animatãque Arcam, puritate Angelica in prima sui creatione intellexissent inferiorem: Admirabantur igitur in illa stupendum immaculatę puritatis nulli hactenus puræ creaturæ cõcessum miraculum ac prodigium, ideoque in Arcam, & in semetipsos mutuo defixis oculis hærebant attoniti, hærebãt stupefacti. Magnum igitur Virgo Deipara immaculata sua puritate, & omnibus Angelis, & toti Mundo est Miraculum.

Duo Cherubini super Arcam illã, et se mutuo aspicientes singularẽ B. V. puritatem admirati.

73. Et verò si septem illa totius Vniuersi miracula hactenus admiratatus est Orbis, venerata est antiquitas, siue ob elegantiam maiestatemque operis, siue ob magnificentiam, sumptuumque prodigam plane profusionem, potiori longè iure omnes rationales creaturæ tam Angeli, quã homines Opus hoc supremi Artificis Diuinissimum, quo ipse, ambabus quodammodo omnipotentiæ, sapiẽtiæque manibus, prodiga gratiarum suarum, ac thesaurorum effusione fabre fecit, est obstupescendum. Miraculum orbis censetur Dianæ Ephesinæ Templum, & merito, de hoc Plinius libr. 36. cap. 14. *Magnificentiæ vera admiratio extat, Templum Ephesiæ Dianę 220. annis factum, à tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terrę motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico, atque instabili fundamenta tantę molis locarentur, calcatis ea substrauere carbonibus, dein velleribus lanę. Vniuerso Templo longitudo est tercentorum quindecim pedum, latitudo ducentorum viginti: columnæ centum viginti septem à singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine. Ex ijs 36. celatę, vna à scopa. summa miracula; epystylia tantæ molis attolli potuisse:* Verum quid Templum hoc, eiusque fundamenta habent miraculi, huius Virginei, animatique Templi intuitu, quod supernus orbis Architectus, infinita sapientia, vt suæ Maiestatis immensæ, quam vniuersa hæc orbis nõ capit machina, esset domicilium, construxit, vt in eo natus, & homo factus cum filijs hominum deliciaretur? De animato hoc Templo sub nomine Ciuitatis, Regius Propheta cecinit: *Homo natus est* in

Septem orbis Miracula cũ Miraculo puritatis originariæ B.V. nõ conferenda.

Dianæ Ephesinæ Templũ in quo magnificentiæ vera admiratio.

Templũ Dianæ 220. Annis à tota Asia fabricatũ.

Miraculum magnũ huius Templi Virginei est, quod ipsius fundator natus sit in eo.

in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Miraculum sane magnum, prodigium inauditum, quod in illo Dianæ Templo nunquam perpetratum est; Quis enim Chtesiphontem, Architectum natum, in Templo illo à se cõstructo audiuit, quod tamen in hoc Teplo Virgineo cõtigisse canit Psaltes Regius? Hoc nimirũ dicere volebat S. Basil. Seleuciæ Archi. ora. 39. de Annunc. *Hoc fuit mysterium, quod in hodiernum vsque diem mysterium permanet, nec vnquam mysterium non erit. Tũc vidit creatura, quod ante viderat nunquam, filium Genitricis esse Patrem: Infantem ætate Matrem superare, Infantem ætate antiquiorẽ. Nec enim fuit nudus homo, qui genitus, sed DEVS verbum ex Virgine Incarnatum, carne, naturaque eadem mecum sibi circumiecta, vt simile simili saluaret.* Ita Basilius.

Incarnatio semper fuit, est, eritque mysterium, & quare.

74. Quod porro Virgo beatissima pulcherrimum Templum, siue Domus extiterit, ostendit ipsa Beatæ Metildi, quæ cum vice quadam concini inter Missarũ solennia illud carmen audisset? *Aue Maria Saluatoris Christi Templum extitisti,* rogauit B.V. vt pro se apud filium intercederet, ipsi in memoriam reducendo eã gloriosissimum, luminosissimum, & deliciosissimum Dei Templum extitisse. Tũc B.V. manu eius apprehensâ ad pulcherrimam quandam Domum eam deduxit. Domus hæc erat altissima ex quadratis lapidibus fabricata, in qua nulla fenestra visebatur. Et nihilominus intrinsecus erat lucidissima. Habebat tamen exiguam quandam portam, & denso Iaspide compositam. cui annexa erat Aurea quædam catenula. Domus hæc gloriosam Virginem denotabat. Quadrati lapides indicabant illius corpus in quatuor elementis, quibus homo cõponitur, optimè fuisse temperatum. Per domus illius altitudinẽ, ac splendorem intellexit Virginem altissimam fuisse in contemplatione & illuminatissimam in cognitione. Addiderim lumẽ illud, quo tota illa domus irradiabatur eminentissimus ipsius absque vlla macula originariam fuisse puritatem. Per portulam vero illam B.V. indicabatur misericordia, quia omnibus ad eam recurrentibus, sese ad instar Matris exhibet. Per rubentem Iaspidem, ipsius admirabilis denotabatur patientia; per catenulam denique auream, ipsius insignis charitas, qua omnes sibi deuotos ad se pertrahit. Hæc ferè Landspergius lib. 1. Vitæ Metil. cap. 54. Sed iã ad prodigiosum Dianæ Templum reuertamur.

75. Rursus igitur Plinius vt rem narrat admirabilem, quod Chtesiphonti Architecto tantæ molis, in limine Templi ponendo laboranti, deque vita periclitanti, Diana adfuerit eumque iuuerit. Difficillimè hoc contigit in limine ipso, inquit, *quod foribus imponebat, etenim ea maxima moles fuit, nec sedit in cubili, anxio Artifice, mortis destinacione suprema. Traduntque in ea cogitatione fessum nocturno tempore in quiete vidisse præsentem Deam, cui Tẽplum fiebat hortantem, vt viueret; se composuisse lapidem, atque ita postero die apparuit, pondereque ipso correctus videbatur.* Magnũ hoc miraculum olim apud Gentiles est habitum; verum longè maius, ac incomparabilius in hoc animato Templo perpetratum est, quod non fabulosa Diana, sed ipsa sola increata sapientia, Domicilij Virginei Architecta absque vllius creaturæ adminiculo, non limen dumtaxat potuerit, sed opus vniuersum ipsa peregerit: non 220. annorum spatio, vt illud Dianæ à tota Asia, sed momento temporis, vnico verbo fiat construxerit, & quodãmodo ex nihilo, ad instar primigeniæ lucis creauerit. Vnde suæ huius nõ immemor Virgo creationis dicebat: *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Et rursus: *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo;* Eccl. 24.

Chtesiphon Architectus Templi Dianæ, quantam difficultatem in limine ponendo expertus.

Diana Chtesiphonti per quietem se visendam exhibet.

76. Quod vero Chtesiphonti in limine foribus Dianæ imposito contigit, simile quid in Basilicæ Deiparæ ab Imperatore Constantino fundatæ columnis prægrandis magnitudinis, ac vastitatis erigendis euenit. De his Syluanus Razzius Camaldulensis lib. 1. Mirac. B.V. cap. 16. ex Gregorio Turonensi, & Lipomanno *scribit Columnas has aliunde aduectas, fuisse sedecim pedum in circuitu, molis adeo immensæ, vt nec in altum erigi, nec supra basim collocari atque accommodari possent. Cum porro multi dies, in cassum laborando in hoc opere insumpti essent, tandem Beatissima Virgo Architecto in somnis sese visendam exhibuit, eique benignè dixit; Noli mœstus esse, nec te affligas, quia ego tibi ostẽdam quanam ratione hę columnę erigi valeant. Atque ita ingeniosissimè eum edocuit, quo modo aptandæ essent machinę suspendendę trocleę, extentendi funes, & cet.* Iussit denique vt ex scholis tres pueros tenellos ac innocentes in auxilium tanti operis sibi deligeret, & neminem alium præterea. Vbi euigilauit Architectus, mox ea, quæ imperauit Virgo Sapientissima nullius alterius, quam illorum trium puellorum ope auxilioque suffultos, illico celeritate admirabili; cum omnium spectatorum stupore tantæ vastitatis columnas erexit, quas magna hominum fortissimorum multitudo minimè aptare valuisset. Qua

in

iure Dei Mater, longè sapientiorem, atque ingeniosiorem, absque vlla comparatione, quam Dianam Chtesiphontem Architectum in limine Templi sui ponédo erudientem, sese ostendit.

77. Mira quoque fuere eiusdem Ephesini Templi fundamenta, sed ea tandem calcati, contusique fuere carbones, lanæque vellera. At verò Sacrosancti huius ac viui Templi fundamenta fuere longè alia, longèque preciosiora. Vnde Dominus de his apud Isa. 54. cum admiratione loquitur: *Ecce ego sternam per ordinem lapides suos, & fundabo te in Sapphyris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos, in lapides desiderabiles*. Quæ super Hierusalé ornamenta. Richardus à S. Laur. lib. 11. Pro sua in Virginem deuotione, ipsi applicuit. Ne porrò Sapphyros hoscé minutos, exiguæque quantitatis, ac precij, vti videmus quotidie esse arbitraremur, legendum id quod sacræ literæ de Salomonij Templi fundamentis, quod typus, eodem attestante Richardo, Damasceno, Damiano, & alijs, fuit Deiparæ, memoriæ prodiderunt 3. Reg. 5. 17. *Præcepit Rex Salomon vt tollerent lapides grandes, lapides preciosos, in fundamentum Templi*. Quibus tam grádibus, tam preciosis Sapphyris in fundamento Virginei huius Templi collocatis, quid aliud, quã prima ipsius creationis, siue Conceptionis purissima, ac planè cælestia, omnis contagionis, labisque expertia designantur initia? Quid enim Sapphyrus est aliud, quam gēma tantæ lucis, ac cælestis splendoris, vt in ea cælum, cum stellis quodãmodo repræsentari videatur? Obseruatum siquidem à Naturalium secretorum indigatoribus eum demum sapphyrum præstantissimum esse, qui aureis punctis, ceu stellulis insignitur, vt scribit Plinius libro 37. cap. 9. *Si igitur, secundum Vaticinium Isaiæ, Virgineum hoc, animatumque Templum in grandibus, ac lucidissimis Sapphyris, puritatis plusquam Angelicæ, & non nigrantibus, tetrisque carbonibus peccati originalis fundatum est, quemadmodum illud profanum Dianæ fanum, cur quæso grandius orbis Miraculum ac prodigium Angelis ipsis obstupescendum, existimanda non est Virgo Deipara?*

Fundamenta Tēpli Dianæ fuerunt contusi calcatiq. carbones, lanæq. vellera.

Fundamenta Templi Virginei fuerunt Sapphyri.

Fundamenta Templi Virginei fuerunt lapides grãdes, ac preciosi.

Sapphyrus gemma similis stellato cælo.

Fundamenta Templi Virginei sunt Sapphyri puritatis plusquam Angelicæ.

78. Idem censendum de Cyri Regis Persarum magnificentissima Regia, quã Memnon arte prodiga, sumptibusque profusissimis illigatis auro lapidibus cõstruxit, quæ etiam inter reliqua septem orbis miracula ab omni antiquitate reposita est. Hæc tamen nullo modo, vti nec Babylon cuius muri coctо latere à Semiramide sumptibus magnificentissimis ædificati mundo admirationi extitere, cum hac Dei ciuitate gloriosissima Ierusalem comparanda est, cuius muri structura, ex lapide Iaspide, vt scribit Ioan. Apoc. 21. fuit erecta. *Ipsa verò ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide precioso ornata*, qui ab eodé Apostolo hi fuisse perhibentur; *Iaspis, Sapphyrus, chalcedonius, Smaragdus, Sardonyx, Sardius, Chrysolithus, Berillus, Topacius, Chrysoprasus, Hyacinthus, ac denique Amethystus*. Huius Ciuitatis 12. *portæ fuere singulæ ex singulis Margaritis. Platea denique Ciuitatis huius erat aurum mundũ, tanquam vitrum pellucidum*. Quid hac quæso ciuitate illustrius, quid magnificétius in rerum natura potuit vnquam reperiri? Hãc porrò typum illustrissimum fuisse Deiparæ, præter Richardum à S. Laur. testatur B. Albertus Magnus Tract. super Miss. cap. 239. & D. Antoninus. Quod si Cyri splendidissimum illud palacium eam potissimùm ob causam orbis miraculum fuisse censebatur, quod politi lapides, iisque non inter gemmas numerati, auro, arte ex quisitissimâ sapientissimi Memnonis Architecti fuerint illigati; quanto magis Virgineum hoc cælestis Regis domiciliũ ingens orbis prodigium censendum est, cuius totus murus preciosissimo Iaspide, portæ 12. totidem margaritis, fundamenta, 12. grandibus, iisque inæstimabilibus lapidibus fabricata sunt; plateæ auro mundissimo, vitro, pellucidaque crystallo constratæ sunt? quibus omnibus incomparabilis Deiparæ ab omni peccati labe immunis, Deoque dignissima ad inhabitandũ puritas denotatur. Verè enim supremus Opifex grande hoc, magnificentissimũque domicilium, à se singulari artificio fabrefactum sibi ad quiescendum delegit. In cuius laudé potiori iure vsurpare possumus sapientissimum illud Regis Dauidis pronunciatum 1. Paral. 29. de Templo Salomonico propediem ædificando vsurpatum: *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo*. Et alterum illud filij eius Salomonis, qui iã constructo Templo consideratã Dei illud inhabitare volentis Maiestate, affectu pijssimo exclamauit: *Ergonè credibile est, vt habitet DEVS cum hominibus super terram? Si cælum, & cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificaui?* 2. P. 6. 18.? Nonnè igitur ipsa Deipara grande miraculum, ac prodigium censenda est, quod in tantillo ipsius Virginei vteri domicilio, tanta Dei, tamque infinita glo-

Cyri Regia illigatis auro lapidibus ædificata.

Fundamenta cælestis Hierusalem quã preciosa.

Superna Hierusalem lapidibus preciosis ædificata, typus B. V.

B. V. Opus grande, quia ad habitandũ Deo præparatum.

B. V grande miraculum censenda est, quod in tantillo vtero iã infinita Maiestas habitare fuerit dignata.

gloria, atque immensitas dignata fuerit, puritate ipsius eximiâ delectata conquiescere? Verissime enim B. Albertus Magnus pronunciauit super Miss. c. 269. *In omnibus requiem suprema illa Maiestas quæsiuit, & in ipsa sola inuenit, in qua inuenit omnia, quæcunque quæsiuit, vnde, & in tabernaculo eius requieuit. Eccl 24. Hæc est enim vera Sion, quam elegit Dominus in habitationem sibi, ibi sua requies in sæculum sæculi, ibi habitabit quoniam elegit eam.* Sic Albertus.

B. V. vera Siō quam elegit Dominus in habitationē sibi.

79. Grande quoque orbis Miraculū, Aegyptię Mempheos Pyramides ab omni vetustate habitæ sunt, tam ob sumptuum incredibilem profusionem, quā ædificij propemodum attingentis sublimitatem. De qua variæ extitere auctorū opiniones. Maximæ Pyramidis inter tres memorabiles Herodotus libr. 2. ait fuisse altitudinem octo plethorum, hoc est, octingenum pedum. Diodorus siculus libr. 1. sexcentorum paulo amplius. Strabo libr. 17. ait singulas Pyramides, singula stadia altas fuisse. Stadium autē vt Columella, & Plinius docent, continet pedes 625. Mela ad quatuor iugera in altitudinē erigi affirmat. Solinus prodigiosè planè; *Pyramides*, inquit, *Turres sunt in Aegypto fastigiatæ vltra excelsitatem omnem, quæ fieri manu possit. Itaque mensuram vmbrarum egressæ, nullas habent vmbras.* Græcus Epigrammarius lib. 4. Pyramides sydera cōtingere cecinit. Cassiodorus; *Pyramidum* inquit, *in Aegypto, quarū in suo statu se vmbra consument, vltra constructionis spatia, nulla parte conspicitur.* Ausonius denique Edyllio 3. sic de vmbra Pyramidum, ad altitudinem earum declarandū cecinit.

Pyramides Aegyptiæ, mundi Miraculum.

Pyramides mensuram vmbras egressæ, nullas habent vmbras.

Quadro cui in fastigia cono
Surgit, & ipsa suas consumit Pyramis vmbras.

Sumptus porrò Pyramidū videntur plane incredibiles. *Aliqui*, inquit Plinius l. 35. cap. 12. *ex auctoribus prodiderūt in raphanos, allium, ac cepas mille octigenta talenta erogata.* Ab alijs in easdem cepas, allium, ac caseum operarum dena, & quingenta millia talentorum. id est, secundum nostri Raderi computationem, Sex milliones, & tercenta millia Philipeorum impensa memorantur. Quod sane mirum videri non debet cum eodem Plinio teste, amplissima Pyramis Arabicis lapidibus constans à trecentis 60. hominum millibus ex Hebrea gente, auctore Iosepho, annis viginti fuerit constructa. Alię verò tres eodem attestante Plinio, annis 78. & mensibus quatuor. Erectas asserit ad Regalis pecuniæ ociosam, stultamque ostētationem, atque insuper ne Reges pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset otiosa. *Nec constare à quibus factę sint, iustissimo casu obliteratis*, inquit, *tantę Vanitatis Auctoribus*. Finis denique in quem factæ sint, fuisse videtur, vt in illis Reges sepelirentur. *Vnde in vna earum*, inquit, *Amasim Regem putant conditum*.

Quid impensum in construētis Pyramidibus?

Vna Pyramis à 360 & 60 millibus Hebræis, annis viginti fabricata.

Auctores Pyramidum ignorantur.

80. Ex quibus omnibus iam dictis perspicimus Turres hascè pyramidales magna orbis extitisse miracula, non solum ob ingentem sumptuum profusionē, verumetiam, ob planè excessiuam sublimitatem. Quæ tamen cum hac Dauidica Turri, quem verus Dauid Dei filius, arte plane Diuinâ, infinitâque suâ sapientiâ, non ad vnam, ociosam, stultamque diuitiarum ostentationem, sed in totius humani generis munimē, firmissimumque præsidium erexit. *Aedificauit enim illam cū propugnaculis, effecitque vt mille clypei penderent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 4. sibi denique eam Dei filius in mundum, ad vitam dandam mortalibus adueniēs, non in sepulchrum, sed in iucundissimū quietis suæ domicilium solus ipse, nullo aliarum operarum indigus labore, non viginti, aut 78. annis, verum instanti tēporis, incompræhensibili suâ omnipotentiâ fabrificauit, in tantamque meritorum, gratiarumque cælestium altitudinem euexit, vt eius apex oculorū aciē effugiat, sydera contingat, caput inter nubila condat, vtpote immensi illius Gigantis Mater, cuius Salomon magnitudinem plane immensam propè dimensus dixit Sap. 18. 16. *Stans repleuit omnia morte, & vsque ad cęlum attingebat Stans in terra.*

B. V. Turris Dauidica ab æterna Sapientia ædificata ad humani generis munimen.

Mater immensi Gigā. tis est B. V. ac proinde immensæ cuiusdā magnitudinis.

81. Virtualem hanc altitudinem, verè pyramidalem dicere quis possit, quod meritis ignitæ, flammantisque suæ charitatis maioribus in dies, atque intēsioribus actibus, maiora semper capientis incrementa in tam immēsam penè sublimitatem assurrexerit. De hac ipsa Virgo gloriari visa est, cum dixit Eccli. 24. *Ego in altissimis habito, & Thronus meus in columna nubis.* Et vero quid mirum eam esse Altissimam, quæ ex ore Altissimi, vt ipsa fatetur, producit, quid mirum eam caput inter sydera condere, quæ filium Altissimi, obumbratione Spiritus Altissimi cōcepit. Verè hanc eius Altitudinem, tam ob ignitæ illius, vehementisque charitatis meritum, quam ob plusquam Angelicæ puritatis, qua in ipso immaculatæ Conceptionis momento dotata fuit, excellentiam nullas originalis peccati iacere potuisse vmbras asseuerare possumus, ac debemus.

B. V. Altissima, quia ex ore Altissimi prodiuit.

82. Qua-

82. Quapropter S. Bernard. serm. 2. super Missus ostendere volens Deiparam ob eminentissimam puritatem, omni carentem labe, in tam sublimem, cæli sydera planè attingentem, altitudinem ascendisse, eamque à filio Gigante mutuasse, illam Virgæ Iesseæ, de cuius radice flos ille tam sublimis IESVS ascendit, comparauit: *Virgo Dei Genitrix*, inquiens, *Virga est; flos filius eius; Flos itaque filius Virginis, flos candidus, & rubicundus, electus ex millibus, Flos, in quem prospicere desiderant Angeli, flos, ad cuius odorem reuiuiscunt mortui, &, sicut ipse testatur, flos campi est, & non Horti. Campus enim sine humano floret adminiculo, non seminatus ab alio, nō defossus surculo, non impinguatus fimo: sic, omnino sic, Virginalis aluus floruit, sic inuiolata, integra, & casta Mariæ viscera, tanquam pascua æterni viroris florem protulere, cuius pulchritudo nō videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum nō marcescat*. Tandem à flore hoc tam puro, ac immaculato, puritatem illam prope Diuinam in Virginem, cum ad eminentissimum Diuinæ Maternitatis apicem, in ipso Conceptionis illibatæ pūcto prouecta est, redundasse, & inde in tantam altitudinem excreuisse cognoscens, mente attonitus tantum miraculum, tam Naturæ, quam Gratiæ capere nequiens exclamauit: *O Virgo Virga sublimis, in quam sublime, verticem sanctum erigis, vsque ad sedentem in Throno, vsque ad Dominum Maiestatis! O' verè cælestis planta preciosior cunctis, sanctior vniuersis! O' verè lignum vitę, quod solum fuit dignum portare fructum salutis*. Hæc Bernard. Ostendit se Virgam sublimen, Arboremque procerissimam esse S. Metildi Virgo Deipara dum nocte suæ Natiuitatis in choro caneretur, versiculus ille; *Stirps Iesse*, Tunc enim, vt ipsamet testatur lib. 2. spiritualis Gratię cap. 46. Virgo beatissima in similitudinem pulcherrimæ cuiuspiam Arboris, quæ sese super omnem extendebat altitudinem, ac latitudinem terræ, sese ei visendam exhibuit. Erat porro Arbor illa adeo lucida, adeo clara, vt resplendens quodpiam speculum esse videretur. Folia ipsius erant aurea, quæ à vento mora suauissimum reddebant sonum. In summitate denique huius Arboris flos deliciosissimus, qui totum orbem contegebat, & admirabilem suauissimumque odorem exhalabat, visebatur, à quo sine dubio stupendam illam altitudinē mutuabatur. Vnde hæc B. V. subiunxit: Deus meus sui ipsius condignus laudatur, est laus mea, est in me, modoque admirabili semetipsum in me pascit.

Altitudo B. V. velut Virgæ Iesseę colligitur ex sublimitate floris nempe filii Dei.

B. V. adeo sublimis, vt vertice cōtingat ad Dominū Maiestatis.

83. Agnouit hanc charitatis igniteæ, puritatis omni peccati labe immunis in Virgine nostra eminētiam S. Gregorius Pont. Max. suis in libr. 1. Regum cap. 1. commentarijs, vbi eam hanc ob causam Monti altissimo comparauit: *Potest*, inquit, *huius Montis nomine beatissima semper Virgo Maria Dei Genitrix designari. Mōs quippe fuit, quæ omnem electę creaturę altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non Mōs sublimis Maria, quæ vt ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret (en causam, ob quā ei tanta concessa puritas, quia nimirum ad Diuinam Maternitatem electa:) meritorum verticem super omnes Angelorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit? Huius enim Montis præcellētissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in nouissimis diebus præparatus Mōs domus Domini in verticem montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes sanctos refulsit*.

B. V. Mons altissimus super omnes omnium Montiū vertices.

B. V. meritorum suorum verticē super omnem Angelicam Hierarchiam erexit.

84. Ad hanc ignitæ, ac pyramidalis charitatis, puritatisque eminentissimæ super omnes Angelorum Hierarchias excellentiam, ac sublimitatem Virginis ostendendam, Dilectus Discipulus, Miraculum hoc, ac cæleste prodigium, non in terra, sed in cælo se vidisse testatur: *Signum*, inquiens, *magnum apparuit in cęlo*. Ex quo ingēs ac plane Gigātea Virginis gloriosissimę elucet magnitudo. Nā si sol ipse adeo magnus, ac pene immensus est, vt Astrologi demonstrant, asserūtque eū centum 60. terræ globos, intra suam periferiam posse comprehendere, qui tamen nobis in terra degentibus satis exiguus, & vix bipalmaris apparet, prodigij sanè instar erit, quod Mulier hæc amicta sole tam immensę propemodum magnitudinis extiterit, vt in tanta distantia, à Ioanne Pathmos Insulam inhabitante videri potuerit, nec ipse solis tā copiosus splendor eam ab oculis eius abstulerit, aut occultarit. Qua ex re colligimus non modo virtualem, ob excellentissimam eius, ignitamque ad instar pyramidis, in summam cæli altitudinem sese extollentis charitatis Deiparæ sacratissimæ, magnitudinem esse planè Giganteam, Giganti filio persimilem, verumetiam eminentissimam vitæ sanctimoniam, atque omni labe carentem puritatem, cuius splendorem, solis iustitiæ, lux eam in aureæ cycladis similitudinē circumdantis, atque ambientis, vel obruere, vel aliqua ex parte obfuscare, eiusque aspectum Ioanni eripere nequiuerit, ipsâ crediderim Virgine, benignissimâ suâ luce, vehementiam illam solaris luminis, attemperante.

Distantia B. V. in cælo cōstitutæ S. Ioanni eiusdem magnitudinem ostendit.

85. Quod

85. Quod si magni encomij loco habitum est dictum illud Gabrielis Archangeli Luc. 2. de Præcursore pronunciatū: *Erit magnus coram Domino; quanto maius hoc erit Virginis elogium, quod coram æterno iustitiæ Sole, quem nulla creaturarum capere potest vniuersitas, cuius respectu omnia sunt quasi non sint, adeo magna appareat, vt nec distantia pene infinita, ne intensissimus iustitiæ solis splendor eam valuerit occultare*. Quod si ex Mathematicorum demonstratione, & calculatione solā terra distat quatuor millionibus milliarium, siue leucarum, appellando millionem decies centena millia; quanta, DEVS immortalis, Magnitudo censenda est Deiparæ quæ in tanta milliarium intercapedine mortales oculos non subterfugerit?

Solis à terra distantia quanta.

86. Quod si sol & Luna S. Basil. Ho. 6. in Hexa: attestante, ad Creatorem collati, culicis, & formicæ rationem obtinent. *Si, vt Euangelicus Propheta vaticinatur Is. 40. de hoc sempiterno Sole, qui exultaturus erat, vt Gigas ad currendam à summo cælo, nostræ salutis viam, gregemque mortalium sub specie Pastoris pascendum, tantæ est magnitudinis, vt eius respectu gentes, quasi stillæ situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sint, & Insulæ quasi puluis exiguus; Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sint ei. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius quasi locustæ; quanta, DEVS bone, est Deipara, quæ Deo Creatore suo tanquā sole fulgentissimo quodammodo circumfusa, non apparet vt stilla situlæ, non quasi momentum stateræ, aut vt legunt ex Hebræo nonnulli, puluis tenuissimus adherens stateræ, non videtur quasi non sit, non quasi nihilum, & inane, non denique vt locusta, culex, aut formica, sed velut gloriosissima Giganteæ proceritatis Heroina, ac Imperatrix stellarum radianti Diademate coronata, solari paludamento circumdata, Lunā denique calceata se se v[i]ndam sanctissimo, dilectissimoque Christi exhibuit Discipulo?* Iure igitur Virginem Ioannes vocat signum Magnum, ingens miraculum, prodigiū nunquam ve visum, vel auditum; siquidem vicina Deo illi immenso, magnitudine illius non obruitur, solis iustitiæ radijs illustrata eius splendor non hebetatur, sed longè magis redditur conspicua, ita vt in eam Ioannes oculos defigere possit, cum in hunc aspectabilem, vel modico tempore nemo audeat. Signum denique est Magnum, ingensque magnitudinis miraculum Deipara, quod in tanto, ac pene infinito locorum interuallo, humanum aspectum non effugiat, vt effugiūt reliqui Angeli, sanctique omnes, qui licet magnis meritis, gratijs, ac virtutibus magni apud DEVM sint, quia tamen cū Virgine Deipara, tam ob eximia eius priuilegia ac prærogatiuas, quā ob dignitatem, nullo modo comparandi sunt, imo respectu Giganteæ magnitudinis Heroinæ gloriosissimæ potentissimæque cælorum Reginæ, locustæ videntur, oculis Aquilæ illius volantis acutissimis non fuere conspicui.

Sol, & Luna com aratione Creatoris velut culex & formica sunt.

87. Intellexit hoc B. Card. Petrus Dam. serm. 1 de Natiu. B. V. Immensam hanc pene Virginis magnitudinem contēplās in Throno illo Salomonis eburneo, maiestateque plenissimo, ponderansque illud eius epitheton, *Grādem* exclamat: *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui vētris conclusit arcanum? Attende Seraphin, & in illius superioris Naturæ superuola dignitatē, & videbis quicquid maius est, minus Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi.* Quare S. Petrus Chrysol. Archiep. Rauennas serm 104. immensam hanc pene magnitudinem sublimitatemque virtutis, meritorumque in Virgine agnoscens, eam velut speculū Diuinæ Maiestatis, ac magnitudinis, reliquarumque virtutū esse censuit, ex cuius consideratione in ipsius Dei cognitionem possimus deuenire: *Tanta est Virgo*, inquit ille, *vt quantus sit DEVS satis ignoret, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur*. Iure igitur Deiparam, ob immensam hanc propemodum virtualem magnitudinem, ac sublimitatem, maius, quam altissimarū vertice suo sydera pene contingentium Pyramidum, maius inquam longè orbis eminentissimam Diuinæ maternitatis Miraculum esse pronunciamus.

Grandis B. V. inde esse cognoscitur, quod grandē Deum vtero complexa sit.

B. V. velut quoddam speculum Diuinitatis.

88. Quid de altero illo orbis Miraculo, Rhodio nempe Solis Colosso dicam? Cuius mira describit Plinius li. 34. cap. 7. *Ante omnes*, inquiens, *in admiratione fuit solis Colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius Lysippi Discipulus: septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Simulachrum hoc post 56. annum, terræmotu prostratum est, sed iacens quoque miraculo fuit. Pauci pollicem eius amplectuntur. Maiores sunt digiti, quam pleraque statuæ. Vasti specus hiant de fractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliuerat constituens. Duodecim annis tradunt effectum, trecentis talentis, quæ contulerunt ex apparatu Regis Demetrij, relicto moræ tadio.*

Colossi Solis magnitudo quam ingēs.

89. Quid de Olympij Iouis, ex ebore admirabili Phidiæ Sculptoris artificio elaborato simulachro, inter septem orbis miracula recensito, dicam? Hæ sane statuæ ob operis elegantiam, ac magnitudi-

Iouis Olympij ex ebore sculptum simulachrum orbis Miraculum.

tudi-

tudinem ipsiusque Opificis insignem in ipsis elaborandis industriam, toti antiquitati fuere admirationi. Verum longè maius, celebriusque orbis miraculum extitit Virgo Deipara, quam vel Solis Colossus, vel Iouis effigies, cuius magnitudinem, vastitatemque suspiciens Apostolus merito eam *signum magnam* appellauit: Quia nimirum manibus supremi illius Opificis summâ arte elaborata, magnitudine præsertim operis, toti terrarum orbi summam peperit admirationem. Vnde B. Andreas Cretensis Episc. ora. 2. de Dormit. inter reliqua laudum encomia Virgini in cælos migranti attributa ab Apostolis, illud fuit sane celeberrimum, cùm dixere: *Hęc est eximia pulchritudo, à Deo sculpta statua, rectè descripta Diuini Archetypi Imago.*

B.V. maius orbis Miraculum quam Iouis olympii statua, quia ab ipso Deo formata.

B.V. & Eximia pulchritudo, à Deo sculpta statua, rectè descripta Diuini Archetypi Imago.

90. Hinc ipsa virgo non à Phidia, non à Charete Lyndio, non à Polycleto, aut Myrone, vel alio quopiam terreno Artifice se efformatam fuisse, sed à cælesti illo, æuiternoque Opifice, Principio, ac Initio totius huiuscè vniuersitatis, peculiari quadam arte, atque industriâ, suum esse gratiæ accepisse g loriatur: *Ab initio*, inquiens, *creata sum. Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Denique Prouer. 8. *Ab ęterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Siue, vt vertit Rabbi Himmanuel: *Ab ęterno Tessellata sum.* Siue vt alij: *Ab ęterno tecta sum. Alij; ab ęterno Princeps inaugurata, initiata sum. Alij denique: à sęculo conflata sũ;* quam versionem ita Rabbi Dauid interpretatur: *A sęculo conflatilis in morem Imaginis, quasi per fusionem quandam bonam in formam, composita fui.* Qua lectione summa Deiparæ, ab omni originali labe libera exprimitur Puritas. Quam ipsa Increata sapientia in hoc elogio, velut sui venustissimam laudat imaginem, eam enim Virgo, sanctissimis moribus ita repræsẽtabat, vt ipsa Dei Sapientia à Sãctis Patribus vocitetur. Itaque videtur dicere. *Sicut ego ęterna generatione, ex fœcunda mente Patris, vt pulcherrima illius imago, naturęque ipsius viuum, ac velut conflatile simulacrũ, cum omnibus eius attributis, ac perfectionibus, ab omni ęternitate in splendoribus omnis sanctitatis, puritatisque processi; sic Mater mea sanctissima, quę mea est imago, ex manibus meis quodammodo, velut aurea conflatilis statua omni sanctitate, donisque cælestibus, ac perfectionibus simul exornata processit: meque totum, meamque puritatem, quemadmodum ego Patris quantum creatura capax esse potest, repręsentat.*

B.V. ab æterno Principio totius Vniuersitatis formata.

B.V. ab ęterna Sapientia in modum Imaginis, seu statuæ ex auro conflata.

B.V. velut æterna Sapientia purissimè in splendoribus sanctitatis generata.

91. Quemadmodum enim statuarius quispiam ingentem aliquem colossum non ære Corinthio, non argento, alioué viliori metallo, sed purissimo ex auro ad perpetuam sui nominis propagandam memoriam conflaturus, summam adhibet diligentiam, omnem artis, ingeniique sui exerit industriam, aurumque in ardentissimam prius fornacem eliquandum conijcit, ac deinde in formam, à se præparatam, vbi ab omni terreâ concretione fuerit liberum, magnâ attentione, animique applicatione infundit, statuamque pulcherrimam absq; vllis malleorum ictibus conflat: ita Virginem hãc sacratissimam olim matrem meam futuram, velut aurum à terreâ illa Protoplastorum originali scelere contaminatâ massâ, quæ diuinam Imaginem, similitudinemque amiserat separaui, inque fornace diuini amoris, Spiritus Sancti videlicet, liquefactã in meæ Diuinæ Naturæ quodammodo formam transfudi, pulcherrimumque meę Diuinitatis conflatile simulachrum, absque vllis malleorum ictibus, absque vlla terreni opificis industriâ efformaui, & sanctitatem, puritatemque meã quodammodo, sapientiam meam, ac scientiam, cæteraq; dona, quæ alij successu temporis acquirunt, Virgini in prima hac eius efformatione velut conflatili statuæ omnia simul vnica transfusione communicaui. Quare iure merito S. Augustinus illam Formã Dei appellauit, vtpotè, quæ in ipsam Dei formam, similitudinemque quasi, ceu purissimum aurum transfusa, ipsam formam, Imaginemque Dei ad viuum repræsentauit. Iure etiam Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus Deam, Deiformitate actuum dixit, per diuinissimam scilicet illam potissimùm Christi, in tempore factam generationẽ, quâ sempiternam illam ante omnia tẽpora, ex Patre æmulata est. Iure porrò Deiparam aureum, purissimumque vocitamus simulachrum, ad ostendendum eam totam esse Diuinam. Siquidem Diuinitas auro comparatur; ipsa in persona sponsæ id luculenter attestante: *Caput eius aurum optimum:* & Apostolo: *Caput Christi DEVS.* Quod si vero aliam lectionem illam, qua se Tectã esse fatetur amplectamur, intelligemus profectò illam tectam ac protectam ab originalis peccati crudelissima tyrannide extitisse. Quod si denique illam lectionem sequamur, qua se Tessellatam esse pronunciat, agnoscemus eam esse opus quoddã Diuinitus ad instar cuiuspiam Mosaici ex varijs quadratis, auroque illigatis virtutum

B.V. cur à S. Augustino forma Dei dicta sit.

B.V. Dea deiformitate actuum à S. Antonino dicta.

B.V. aureum simulachrum dicta, quia tota Diuina ac purissima fuit.

tum preciosissimis lapillis compositum.

92. Quod si magnum orbis miraculũ, ob sui magnitudinem, ac immensitatem quandam fuit solis Colossus; Si Iouis olympij, & Mineruæ etiam eburneum à Phidia, arte Diuinâ propemodum efformatum simulachrum, in quo sui effigiem tanto expressit artificio, vt absque ipsius signi destructione tolli neutiquam posset: Si denique statua Regis Nabuchodonosoris aurea cubitorum sexaginta altitudinis, omnibus erat, & admirationi, & venerationi tam ob operis magnitudinem, quam precium, & elegantiam: (siquidem huius simulacri facies iuxta computationem Pererij, ex Vitruuio, & Cardano longa erat sex cubitos, nasus duos cubitos, pectus decem cubitos, pedes totidem, manus sex cubitos. hæc. n. est proportio partium in corpore, & statura humana, vt facies sit eius pars decima, nasus trigesima, pectus sexta, pes etiam sexta, manus denique decima:) si inquam statua illa aurea tantopere erat admirabilis; quanto magis hæc ab æterna sapientia ex omnigenæ puritatis auro, magnitudine, prope diuinam attingente, ipsamque Dei formam repræsentantem conflata statua summam in nobis parere debet non modo admirationem, verumetiam venerationem, ac reuerentiam, vtpotè, quæ ipsam Diuinam quodammodo, velut speculum lucidissimum repræsentare videatur Maiestatem? Vnde merito Salomon eam speculum Diuinæ Maiestatis, & Imaginẽ bonitatis illius vocitauit Sap. 7. Quæ verba ponderans Richard. à S. Laur. libr. 9. de laud. B.V. & ostendere volens ipsam esse limpidissimum purissimumque fontẽ, Diuinam Imaginem repræsentatem; *Vicem speculi supplet B.V.* inquit, *& per suam purissimam limpiditatem reddit imaginẽ intuenti. Et ipsa est speculum sine macula fidelibus animabus, in qua debent iugiter speculari. Puritate autem sua, quę tanta extitit, vt maior sub Deo intelligi nequiuerit, digna fuit illum repræsentare, ac concipere, sicut ait Hieron. qui suam in nobis reformauit imaginem, per veterem Adam deformatam, quando cera humanæ naturæ per illius charitatem, & obedientiam calefacta, effectaque tractabilis, sigillo, idest, filio Dei in vtero Virginali reimpressa est. In fonte hoc Virgineo veluti in speculo Pater æternus faciem suam, filium videlicet nobis ostendit, quam tãtopere videre cupiebat Regius Vates. Psalm. 12. Vsquequo, inquiens, auertis faciem tuam à me? idest, vsquequo differs mittere Filium tuum quẽ missurus es? Hanc porrò faciem reddit nobis Fõs hic, respiciente Patre humilitatem Ancillę suæ, eâque reddidit purissimè, absq; vlla corruptione. Quemadmodum enim aqua fontis non corrumpitur vicem speculi supplens, sic nec ipsa Christum pariendo, qui etiam propriè dicitur speculum sine macula; atque ita puritatem illi, omni carentem maculã suo conceptu duplicauit.* Sic ferè Richardus.

In B.V. super nus Artifex sui effigiem velut in Mineruæ statua efformauit.

Statuæ Nabuchi ingens magnitudo.

B.V. speculũ Maiestatis.

B.V. est speculum sine macula fidelibus animabus.

In B V veluti speculo Pater æternus faciem suã nobis benignissimam ostẽdit.

93. Animatum hoc Diuinitatis simulachrum cælesti puritate totum plane aureum, ac nitidissimũ, in animo S. Dionysij Areopagitę, vbi illud tantisper erat intuitus, quantam DEVS bonè admirationem, quantam peperit veneratione? loquatur ipse, ex Epistola ad Præceptorem suum Sanctum Paulum, vbi fatetur se cõspexisse Deiparam, quam ille Deiformẽ, vt pote in Diuinitatis ipsius formã, ad instar purissimi auri transfusam appellat; sic scribit: *Proprijs oculis intuitus sum Deiformẽ, atq; super omnes cælicos Spiritus Sanctissimã Matrẽ Christi IESV Domini nostri. Ductus verò fui à Ioanne ad Deiformem præsentiam altissimę Virginis, & tunc tantus, tamqua immensus Diuinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiauit interius, tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec Spiritus posset totius, ac tantæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit Spiritus meus tãtæ gloriæ Maiestate oppressus. Testor qui aderat in Virgine DEVM, si tua diuina mente cõcepta non me docuissent, hanc ego verum Deum esse credidissem, quoniam nulla videri posset maior gloria Beatorum, quam ego tunc fęlicissimus degustaui.*

B. V. Deiformis dicta a S. Dionys. Areopagita.

94. Agnouisse quoque sibi visus est Diuinitatis quoddam aureum, purissimumque simulacrum esse Deiparam S. Bernardinus Senensis, cum Tom. 1. ser. 61. art. 1. cap. 12. ad Diuinam Maternitatem, æternique Verbi generationem per infinitatem quandam si ita loqui fas, perfectionum illam disponi debuisse assenerauit: *Quod DEVS generet DEVM, inquit ille, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura cõueniret, vt per viam naturę intellectus produceret Verbum, per omnia sibi ęquale. Sed quod fœmina conciperet, & pareret DEVM, est & fuit miraculum. oportuit enim vt sic dicam, fœminam eleuari, ad quandã equalitatem Diuinam* (nimirum sub diuina maximam cum ęqualis Deo esse non potuerit) *per quandam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam ęqualitatem creatura nunquam experta est.* Quam ego sane Diuinam quodammodo æqualitatẽ, gratiarumque infinitatem in ipso purissimæ ipsius Conceptionis puncto tanquam præuiam ad eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem, ad quã, au-

B.V ad Diuinam Maternitatem per infinitatem quandam perfectionum disposita.

B.V. in instãti suæ Concept. infinitatem gratiarũ sortita.

B.V. in ipso instanti suæ concept. Dei Mater vocari potuit.

aureo illi instanti electa erat, dispositionem ipsi collatam fuisse arbitror. Vnde in ipso immaculatæ Conceptionis momento, & semper alias antequam etiam filium Dei conciperet semper Mater potuit debuitque, singulari Diuinæ gratiæ priuilegio, appellari, vt supra ex S. Chrysologo ostendimus. Vnde secundum aliam lectionem aiebat ipsa, vti supra diximus: *A' sęculo Princeps inaugurata, seu imitata sum.*

Sicut Protoplasti in iustitia originali conditi Dominium totius orbis obtinuere: Sic & B.V.

95. Quemadmodum enim Protoplasti in iustitiâ, sanctitateque originali conditi, cum eadem rerum omnium totius Vniuersi Dominiũ simul obtinuere, dicente Domino. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & Dominanimi piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis amantibus, quæ mouentur super terrã* Gen. 1. Rursus cum primo ad creandum hominem aggreditur, ait: *Faciamus hominem ad similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra* Gen. 1. Sic sane Virgo gloriosissima, Diuino decreto in primo illo suæ Conceptionis instãti cum originalis sanctitate tanquam Dei Mater iam electa, in Reginam totius Vniuersi, in Principem Angelorum, hominumque, iure longè potiori inaugurata est, etiamsi nec tunc, nec in posterum dum in hoc exilio nobiscum versaretur, Dominium illud exercuerit.

B.V. in instanti Concept. originali iustitia dotata fuit Regina cælorum totiusque vniuersi.

96. Sicut enim gratia, qua iustificamur est semen gloriæ, ipsisque Regni cælorũ, & virtute illius verè adhuc in hac vita Regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis appellamur, & sumus, vt ait Apostolorum Princeps 1. Pet. 2. licet nondum immortale illud Regnum adierimus, sed adhuc nostra messis in herba sit: sic Virgo beatissima in primo illo suæ Creationis articulo, originali iustitiâ ac gratiâ tanquam Dei Mater decorata longè vberiori, mox simul velut in semine Regnum totius Vniuersi possedit, Reginaque omnium Angelicarum Hierarchiarum, hominumque imitata est. Quod nobis insinuauit Sanctus Damascenus lib. 4. de fide Orthod. c. 15.

S. Anna, quæ gratiam sonat Mariam i. Dominam totius vniuersi peperit.

Itaque Gratia, inquiens; *(nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit, hoc enim Mariæ nomine significatur. Verè enim rerum omnium Cõditarum Domina effecta est, cum Creatoris Mater extitit.* Idem orat. 1. de Natiu. B.V. apostrophe facta ad ipsius Parentes sanctissimos: *Vos*, inquit, *Angelis superiorem, & nunc Angelis dominantem Filiam in lucem extulistis.* Et orat. 3. De Nat. eiusdem, postquã illam Ioachimi, & Annæ, precationis fructum appellasset, vocat illam Naturæ Reginam, nostræque Massæ primitias, collapsi nostri generis excitationem, & in integrum restitutionẽ.

B.V. Naturæ Regina, & nostri generis collapsi excitatio.

Vtque ostendat vel in prima sui origine Diuinitatem quandam tãtillam adhuc puellam, vtpote, in Dei Matrem electam, spirasse, mox attexuit: *Per Natiuitatẽ Virginis id quod cognatũ nobis est, deificationis initium sumit.* Quia videlicet B.V. Mater Dei futura, vberiori gratiâ exornata, deificari cępit, posteà verò in Incarnatione, adueniente Verbo, Deificationis suæ vltimum sortiri visa est complementum.

B.V. per natiuitatem suã Deificationis initium sumpsit.

97. Denique Regnum hoc Virginis in hac vita velut in semine fuisse ostendit Diuus Anselmus lib. de Excell. B.V. c. 7. *Sciebat*, inquiens, *Virgo decurso labentis vitæ spatio se in latitudinem Regni cælestis ascensuram, seque post Filium omni creaturæ cælestium, terrestrium, & infernorum perenni iure dominaturam.* Vnde Galatinus libr. 9. de Arcan. cap. 6. ostendit ex Rabbi Heccados ob Dominiũ hoc Virginis in creaturas omnes, Petram primariam vocatam, ex qua Messias proditurus erat, & hanc ob causam, à Deo conditum fuisse mundum. Mater enim Messiæ ante mũdi conditionem à Deo præuisa fuit ipsũ Messiam conceptura, ac paritura.

B.V. Petra primaria quare appellata?

B.V. ante mundi creationẽ à Deo vt Mater Messiæ præuisa.

DEVS namque, inquit Rabbinus ille maximæ apud Hebręos auctoritatis, *qui omnia pręuidet, antequam fiant, & futura tanquam præsentia intuetur; cum antequam mundum creasset, Adam peccaturum pręscisset, totumque humanum genus ob ipsius peccatum condemnatum iri, voluit tanquam optimus Medicus optimam, efficacissimamque prędparare Medicinam. Nullum autem efficacius remedium, nec vllam tanto vulneri meliorem putauit medelam, quam Filij sui Incarnationem. Vt ex eo ostenderet amoris sui erga genus humanum immensitatem. Igitur antequam mundum produceret, pręuidit Virginem gloriosam Filium suum concepturam, Matremque Messię futuram. Et sic iam in mente eius creata erat creaturarum omnium Regina*

B.V. ante mundi constitutionem in mẽte Dei creata.

iuxta illud Sapientis in persona ipsius Matris Messię loquentis Prou. 8. *DEVS possedit me principium viæ suæ, initium ab operibus eius*; quod Galatinus ad literam intelligendum de Virgine, sicut & illud Eccli. 24. *Ab initio, & ante sęcula creata sum, ostendit.* Quod æternæ minimè conuenire posse videtur sapientiæ, quæ increata est, & idem omnino cum Diuinitate. Quibus ex verbis colligimus, Deiparam pręuisã ab æterno, mente Diuina, tamquam Filij Dei Matrem, cui proinde iure naturæ, totius Vniuersi Regnum, Dominium-

que debebatur, tanquam illi, quæ longè excellentiori modo, quam reliqui mortales sanctificati per gratiam, Diuinæ fieri consors naturæ, inque Dei quodammodo formam trāsfundi meruerat. Quod nobis Fulbertus Carnotensis Abbas ostendit serm. de Nat. B.V. vbi postquam docuisset non modo post ipsius in cælos assumptionem, verumetiā ab initio Reginam Angelorum inauguratam; hæc attexit: *Virgo hæc, dignitate venerabilis facta est ipsis quoque Angelorum ordinibus. Quod opere manifesto declarauit ille magnus atque fortis Archangelus Gabriel, qui eam antequam Mater Dei fieret, quia futuram nouerat:* (hæc perpendenda verba attentius:) *tantâ veneratione salutando præuenit.* Idem Fulbertus Angelorum obsequium delatum Virgini, tanquam ipsorum Dominæ, ac Reginæ, ab ipso immaculatæ Cōceptionis momento initium accepisse docuit, dum ita prosequitur: *Quanta putamus prouisio Angelorum, circa tā Deo gratissimos Parentes, ab initio suæ procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem? Nulli fidelium dubium est, quod circa illam iam tunc omnis frequentia cælestium agminum inuigilabat, vtpotè, quam supra se exaltandam minimè ambigebant.* Sic ille. Quod sane ab ipsa Deipara B. Gertrudi reuelatum est libr. 4. Insinuat. Diuinæ pietatis cap. 53. Cum enim deuota hæc anima ardēter cuperet scire, quidnam in cælis ipso eius Natali sacro die agerent Angeli, & quibus lætitijs incederent, Virgo beatissima ita illi respondit: *Angeli sancti in cælesti gloria, illa ineffabilia renouant modo gaudia, infinita animi sui cōplacentiā, quæ illis nouem mensibus, quibus in vtero Matris delitescēs corpusculum meum crescebat, perceperūt, dum vnus quisq; eorum iuxta suum gradum mihi deseruiebat. Contemplātes enim in SS. Trinitatis speculo singularem mei nobilissimi corporis, quod efformabatur, dignitatem, ac salutem quam, me mediante, Dominus mundo conferre decreuerat, summopere gaudebant, & adnitebantur, totis viribus vt ad huiusmodi insignem effectum producendum mihi possent deseruire. Auram, aliasque creaturas, quæ ad meum ibi alimentum, ac sustentationem conferre possent purgabant, maximi faciendo vel in re minima ad corpusculum meum spectante, mihi gratificari. Atque vt honorem hunc, summamque voluptatem participarent omnes, per vices huiusmodi obsequia mihi detulerunt. Et Archangeli quidem in Diuinitatis speculo agnoscentes altitudinem diuinæ cognitionis, familiaritatis, atque vnionis ad quam supra humanam omnem, Angelicamque capacitatem eram eleuata, tripudiabant nullam interponendo requiem vt assiduè ad mihi seruiendum essent intenti. Similiter omnes reliqui Angelorum ordines, in rebus ijs, quibus sciebant me illis in dignitate fore similem, omni cum industriâ erant soliciti, vt mihi deuotissima sua obsequia exhiberent; ingenti lætitiâ sese oblectantes, si in re qua piam ad laudem, & gloriam vniuersorum Domini spectāte, gratum seruitium mihi præstare possent. Vnde ob huiusmodi obsequia mihi olim in terris præstita, ipsi modo cælesti fælicitate mitis gaudijs perfunduntur.*

B.V. admirabili sua dignitate Angelis ipsis reddita venerabilis.

Angeli ab initio Concept. B.V. circa ipsam excubabant.

Quid die Natiuitatis B.V. in cælo agant Angeli?

Angeli dum B.V. Annæ vtero detinetur auras purgabant, &c.

Reliquorum Angelorum B.V. tāquam suæ Reginæ delata obsequia.

98. Neque vero solum Angelici Spiritus Diuinæ huius Virgini, dum S. Annæ vtero recluderetur, sua obsequia, verum longè ante, ante ipsius orbis constitutionem tanquam Reginæ suæ potentissimæ detulerunt. Libet hic attexere formulam pulcherrimam, adorationis quā S. Michael Archangelus Deiparæ in cælos proficiscenti reliquorum nomine pronunciauit. Hæc B. Ioanni Menesio, è nobili Comitum Villæ Regiæ familia oriūdo Ordinis Minorum, diuinitus reuelata est. Hæc ita se habet: *Quod Deo promisimus, antequam perficeret hunc mundum sensibilem, hoc etiam tibi modo promittimus, ò Maria; Hodie repetimus, & renouamus, quod primo momento Incarnationis filij Dei protestabamur. In hac hora illud confirmamus, & te, ò Maria, pro Regina nostra accipimus. Cælorum Reginam te nominamus: ad te Reginam Angelorum incessabili voce clamamus: Tibi omnes Angeli, & Archangeli, ac vniuersæ potestates, tibi Principatus, & Dominationes omnes obediant. Te Throni Cherubin, & Seraphin humili voce confiteātur. Nos omnes Dominā te nostrā agnoscimus, omnes te Matrē Dei nostri adoramus.*

Formula adorationis quā S. Michael nomine omnium Angelorum in Assump. B.V. veneratus est.

99. Hanc ob causam nonnulli censuere Luciferum cum suis sequacibus, vbi cognouisset puram creaturam super ipsum, reliquosque Angelos exaltandam, Dominiūq; in illos, Regnūque obtenturam, eique bonos Angelos hoc homagiū præstitisse ęgrè tulisse, Deoq; cū reliquis apostaticis spiritibus rebellasse. Vnde reliquorū Angelorum, qui suum seruarūt principatum nomine, ac suo Virginem tāquam Dei Matrem electam, ipsorumque dignissimam Principem quam humillimè, imò flexis genibus vti reuelatum diuinitus, salutauit Gabriel adorauitque; nouemque ipsas horas in contemplatione ipsius admirabilis Diuinitatem ipsam spirantis pulchritudinis, eodem corporis situ perstitisse ferunt. Id attestantur certè monimenta Congregationis S. Georgij in Alga apud Lusitanos celeberrimæ; eos nimirum, qui eius auctores fuere à B.V. accepisse, Gabrielem, ob incredibilem Deiparæ modestiam, ac maiestatem, humanā maiorem,

Lucifer Deo rebellis, quia B.V. nouerat super omnes Angelos exaltandam.

Gabriel Angelus nouem horis flexis genibus in contemplanda B.V. pulchritudine perstitit.

rem, in admirationem raptum discedere nequiuisse, indeque vi quodammodo auelli debuisse, vt scribit etiam Antonius Balinghen noster in Kalen. Deiparæ 15. Martij.

100. Totum hoc peruenustè P. Franciscus Remundus noster duplici, eoque pulcherrimo epigrammate. Primum sic habet:

Gabrielis in contemplanda B.V. stupor.

Hæret in aspectu Diuinæ Virginis Ales,
Primus, & in docto deficit ore sonus.
Virgo immota silet, nec sursum lumina tollit,
Errat, & in niueo plurimus ore rubor.
Quid facient? optata vrgent mandata Tonātis;
Et tamen, & tacet hęc, & nequit ille loqui.
Causa oculi. Vt fari tandem possitis vterque
Angele flecte tuos, erige virgo tuos.

Alterum paris est elegantiæ:

Tentat in æthereas reditum pius Aliger oras:
Virgineo retinet, qui venit ore decor,
It, redit, ambit. Amor nescit qua parte recedat,
Ter tibi virgo vale, ter quoque dixit Aue.
O' nisi supremi reuocarent iussa Parentis!
Nuncius hac vnquam nollet abesse domo.

Adeo nimirum illum Diuina Virginis pulchritudo, ac Maiestas, adeo admirādum hoc Diuinitatis viuum, spiransque simulachrum, & magnitudine suâ ingēti, & venustate sua singulari super omnē creaturam, Seraphicam ipsam transcendentem, illum detinebat, inque summā rapiebat admirationem. Agnouisse denique sacratissimæ huius Virginis non solum in Angelos, sed etiam in res mūdi huius vniuersas Dominium ac Regimen visus est Ioannes Tauburnus scriptor apprimè pius apud Nierebergium nostrum libr. de Amore c. 20. vbi sic loquitur: *Asserit Sacratissimam Virginem plurimum posse, & vniuersi Dominam constitutam esse, regereque Domum ac familiā Dei, & tanta cum potestate atque auctoritate præesse rebus omnibus, vt sine eius imperio, nec pes loco moueri, nec tenuncius vnus possideri, nec verbulum vllum toto terrarum orbe proferri queat. Quod etsi modo videri nequeat, erit tamen cū id mundus vniuersus clarissimè intelliget, quando ipsam, velint nolint, beatissimam Dominam suam predicabunt omnes generationes.* Ex quibus omnibus vniuersale Dominium ac potestas in creaturas omnes Virgini nostrę ab instanti immaculatæ Conceptionis à Deo communicatam intelligimus.

101. Aptè igitur visâ in cælo Virgine, hac vniuersorum Reginâ tam admirabili maiestate, ac venustate conspicuâ, Ioannes exclamauit: *Signum magnum apparuit in cęlo, Mulier amicta sole.* Verè signum magnum, verè miraculum, miraculorū omnium stupendissimum, quod omnia non modo Naturæ, sed et Gratiæ, atque ipsa orbis totius septem illa celeberrima miracula, & præstantia, ac nobilitate operis, & sumptuum magnificentiâ, ac profusione superauit. Cum, vt dixi, opus admirabile, opus ipsius excelsi totius orbis machinæ Architecti, peculiari artificio elaboratum, opificium illud venustissimi huius corporis Solaris longissimè transcendens, extiterit, nobisq; originalem ipsius puritatem, omni carentem maculâ mirificè repræsentarit.

M. opus Excelsi totius orbis Architecti admirabile.

102. De opere hoc Virgineo tantâ artis Diuinæ præstantiâ elaborato, præclarè Seraphici Ordinis Vbertinū Casalium discurrentem audiamus lib. 1. Arbor. Vitæ cap. 6. cui titulus IESVS Faber Virgineus. Sanè, inquit, *IESVS benedictus, sicut omnia mira creauit sapientia, sic illam benedictam Virginem Matrem suam talem condidit in tempore, qualem eam elegit in sua sacratissima æternitate. Et talem tam nobilitate naturæ, quam perfectione gratiæ, condidit Matrē, qualem decebat habere suam infinitissimā Maiestatem, quia in ea, & de ea, debebat sumere, quod in æternum sibi esset vnitum vnitate personæ, & de quo exiret precium totius liberationis, & iustificationis, & beatificationis humanæ. Quapropter iste benedictus IESVS hanc sublimissimam Virginem tanta perfectione produxit, vt istius sacratissimæ Virginis perfectio soli Deo cognoscenda seruetur, vt de illa verificetur illud Eccli. 1. Ipse creauit illam in Spiritu Sancto suo, & vidit, & dinumerauit, & mensus est.* Eiusdem Seraphici Ordinis Pelbartus lib. 2. stell. Par. 3. ar. 2. cap. 5. opus miraculosum Virginem ostendens: *In omnibus operibus*, inquit, *à principio mundi factis, mirum, maximum quod DEVS in Maria fecit*, idque confirmat *auctoritate S. Bernardi dicentis: Multa magna fecit DEVS in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, & tam magnum opus digitorum Dei, sicut in Virgine, quam sol, & Luna mirantur.* Agnouit quaque Virginem Opus quoddam mirum ac eximium Iacobus de Valentia Episc. Christopolitanus in Cant. B.V. ex ipsa supremi Artificis excellentia, qui eam, vt Mater eius esset, mirâ arte fabricauit. *Decebat enim vt filius decoraret Matrem suam quantum potest, conferretque ei omnia, quæ ad ipsius decorem honoremque faciunt, siquidem ipse ad suum libitum ipsam fabricare, & tali honore, ornatuque gratię decorare potuit. hoc enim quisque filius faceret, si posset. Quod si consideremus filium vt Sanctus Sanctorum est, pertinebat certè ad ipsum prę ceteris sanctificare Matrem suam, siquidem ad sanctificandum omnes veniebat. Modo ergo singulari, atque excellen-*

Christus talē condidit Matrem qualem decebat ipsius Matrem.

M. est maximum inter omnia mūdi opera, Dei opus.

Christusquia Sanctus Sanctorum est Matrem sanctiss. habere debuit.

tiori Matrem suam sanctificare debuit, de qua carnem assumere, & in ea maternaliter habitare decreuerat: Quodsi DEVS in fabricanda hac totius mundi machina in necessarijs, & in ijs, quę ad Vniuersi decorē faciunt non defecit; multo sane minus in suę Matris fabricatione, de qua ad genus humanum recreandum, carnem assumpsit, & ad fabricandam Ecclesiam, eadem carne de Matre assumpta nos reduxit. Atque ita in sacri illius fabricatione Tabernaculi Virginalis in nullo Christus deficere debuit, si quidem in eo singulariter non modo per gratiam, verumetiam per carnem habitauit. Hanc ob causam S. Aug. lib. contra 5. Hæreses ita Christum Matris suæ tam mirum opificē, Manichęos redarguentem iutroducit: *Hęc quam despicis Manichęe Mater mea est, manu fabricata est mea. Ego Matrem ex qua nascerer feci. Ego viam itineri meo paraui, &c.* Quæ verba tanti Doctoris ostendunt non modo opus eximium, ac Diuinum esse Dei Matrem, verumetiam grande in tota Natura, & Gratia Signum, Miraculum, ac prodigium Dilecto Domini Discipulo in cęlo inter solares radios repræsentatum; quo nobis originalis eius Puritas mirificē spectanda exhibetur. Dum enim illam, Sole amictam Mulierem appellat, ostendit eam nō tantum cyclade originalis iustitiæ, ac gratiæ, sed etiam glorię, qua in ipso immaculatæ conceptionis momento perfruita est, circumamictam fuisse, quę cum omnem peccati cuiuscūque quantumuis leuissimi excludat maculam, merito eam à primigenia labe liberā fuisse asseueramus. Vnde ipsa Virgo beatissima reuelās B. Metildi se absque originali culpa conceptam, dixit ad instar lucidissimæ stellæ orbi illuxisse. Verba illius sunt hæc: Reuoca mihi in memoriam gaudium illud, quod ego experior. Siquidem me DEVS dignissimè super omnes Angelos, omnemque aliā creaturam honorauit dum ab illa hora, qua animam meam corpori infudit, me Spiritu S. repleuit, qui me à peccato originali præseruando, ita totam mundam reddidit, vt singulari sanctificatione me in suum sacrarium elegerit, effeceritque vt sicut Rosa absque spina, & sicut lucidissima Stella mundo illucescerem. Quare iure merito Cycladem illam aureis solis contextam radijs doctissimus simul ac in Virginem pijssimus Ioannes Gerson Cancellarius Parisinus, lumen gloriæ fuisse interpratatur, quo intellectus Virginis perfectè omnem cuiuscūque peccati excludens vmbram ac caliginem super omnium sanctorum, reliquorumque Angelicorum Spirituum mentes roboratus, ad DEVM clarè videndum in præsenti adhuc peregrinatione, eleuatus est. Vnde Richardus à S. Laur. lib. 5. de laud. B. V. ait tanto lumine refulsisse, vt nos ipsius tam copiosâ luce irradiati, Diuinam essentiam simus contemplaturi. Vbi enim dixisset Deiparam *Candorem esse lucis ęternę* sap. 6. reddit rationem: *Quia per eā videbitur lux ęterna, idest, Pater, & Filius, vt ei conueniat illud Psalm. 35. In lumine tuo videbimus lumē. In lumine tuo, idest Filio, qui te illuminauit, vel quem tu peperisti lucem veram. Ob hunc candorem lilio comparatur Cant. 1. sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Item ob eūdem candorem confertur Libano Isa. 35. Gloria Libani data est ei. Libanus est candor, siue candidatio, cuius gloria data est in sanctificatione*, cū nimirum anima vnita organizato corpori, temporis momento originali iustitiâ sanctificata est. Tunc enim tanta sanctitatis refulsit luce, vt eam reliquis etiam suis clientulis, & in hac præsenti, & in altera vitâ posset communicare.

B. V. reuelat B. Metildi se absque originali peccato ut stellam orbi exortā.

Vestis solis radijs contexta in B. V. notat illius consolum lumen gloriæ.

B. V. copioso lumine gloriæ adeo circumfulsa, vt illud in nos etiā deriuet.

B. V. Candor lucis est æternæ quia per eam videbitur lux æterna.

B. V. gloria Libani id est candidatio nis, data in eius immaculata Conceptione.

103. Et verè sapienter Richardus docuit per Virginem nobis lumen gloriæ, ad Diuinam clarè intuendam essentiā communicari. Quemadmodum omnis gratia, quæ semen est gloriæ ab illa, tanquam è capite, post Christum in membra deriuatur, ita qnoque lumen glorię, quo intellectus, vt ait D. Tho. ad videndum clarè DEVM roboratur. Ac proinde sicut euasit plena gratia, vt de plenitudine illa nobiscum communicaret, ita quoque fuit plena lumine gloriæ eoque amicta sicut vestimento, vt non solum ipsa Diuinissimum iustitiæ solem, Dei nempe essentiam, tantis irradiatæ fulgoribus clarè videret, verumetiam vt in nos de tanta, tamquā copiosâ luce, qua vndique erat circumamicta aliquid transfunderet. Quod sanè minimè mirum nobis accidere debet. Si enim Gratianus Complutensis lib. 5 titulo 3. n. 9. & Pater noster Morales lib. 1. Tract. 1. n. 14. censuit Sanctum Iosephum Deiparæ sponsum aliquādo in terris clarâ Dei visione dignatum, quo dignius, maiorique reuerentiâ cum Maria, eius in Verbo dignitate perspectâ ageret, ac conuersaretur; quanto magis hac Virgini fuisse concessum arbitrandum est.

Sicut gratia à B. V. veluti capite in nos deriuatur, sic etiam gloria, cuius semen est gratia.

104. Porrò Deiparam clarâ hac Diuinæ essentiæ Visione, dum adhuc esset Viatrix, sæpius ad breue tempus fuisse perfruitam alibi sat fusè diximus. Quia tamē alia interim mentioccurrere operę praeciū me facturum duxi, si ea hic atte-

te-

texerem. Occurrit in primis Vir eruditissimus. Paulus Scherlogus Tom. 3. in Cant. Vest. 34. sec. 2. in Exposit. Morali docet præceteris Sanctis Visionem beatificam pro huius vitæ statu Deiparæ fuisse debitam. Ad quod comprobandū vtitur Salomonis testimonio: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressas es vniuersas. Nam esto Moyses in tantam admissus sit familiaritatem, vt particeps factus sit claræ Dei visionis, esto quoque Paulo, aut Ioanni Euangelistæ id ipsum licuerit, sed illi semel, iterumque vt plurimum aliquid. Tu verò sæpè videlicet in Conceptione, in Natiuitate, in Annuciatione, in Filij degressu ab inferis, denique antequam ex sæculo migrares, alias quoque totius vitæ decursu nonnunquam.*

B. V. gratia & gloria animas omnes super gressa.

105. Eandem Visionem beatificam S. Bernar. serm. de verb. Apoc. pro præsentis vitæ statu, attribuit Deiparæ. Dum enim Solarem illum amictum attentius consideraret, intellexit lumen gloriæ copiosissimum illo designari, quo intellectus Virginis non modo Diuinæ Sapiētiæ, sed ipsius quoque essentiæ, omniūque attributorum abyssum penetrauit: *Iure ergo*, inquit, *Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Diuinæ Sapientiæ, vltra quam credi valeat penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur luci inaccessibili videatur immersa.* Immersa plane fuit aliquando Virgo nostra in illum Diuinitatis Oceanum, intellectus sui excellentissimâ diuinô lumine roborata claritate, qua secretissima diuinæ Naturæ penetrauit. Si enim fideli seruo dicitur, vt in hunc Diuinæ Bonitatis intret, & immergatur Oceanum quodammodo, eoque æuiternum perfruatur: *Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui:* Quanto magis inuitabitur ipsa Dei vniuersorum Domini Mater, quæ ipsi tā fideliter. maximè in Infantilibus eius necessitatibus deseruiuit? Vt porrò gratiam hanc Visionis beatificæ in præsētis vitæ statu, dum in fide ambularet, cōsecutam esse intelligamus Deiparam, iure Ioannes Apostolus magnum hoc signum appellauit. est enim verè miraculum magnum, obscuram Dei cognitionem per fidem, & claram ac intuitiuam, per lumen gloriæ intellectui alicuius puræ creaturæ hoc mundo adhuc degenti licet diuerso tempore cōmunicari. Vnde idem annectit Apostolus: *Luna sub pedibus eius.* Q. D. hoc est etiam signum magnum ac ingens omnino miraculum, quod fortis hæc mulier amicta sit lumine beatificæ gloriæ, velut vestimento, dū Lunam calcat, dūm in hoc immundo mundo, ac vario, & ad instar Lunæ mutabili adhuc versatur.

B. V. subinde intra Diuinitatis Oceanū immergebatur.

106. Causa porro, ob quam Viri docti Visionem hāc beatificam attribuūt Deiparæ, ea esse videtur, quod eam vniuersorum Dominus aliquibus suis seruis indulgere dignatus sit. Sic sensit Pelbartus de Temisuar lib. 7. Stell. Par. 3. art. 3. vbi cum Alberto Magno ait Deiparam in sua contemplatione vidisse videntem omnia, Diuinam nempe essētiam, quod concessum quoque fuisse Moysi affirmat, vt & S. Paulo, qui in raptu vidit DEVM, dispositionemque cælestis Hierarchiæ, quam postea B. Dionysio reuelauit. Ergo multo magis B. V. vidit Deū & statum Angelorum, ac triumphantis Ecclesiæ, cum à nullo illustrium vinci debeat, vtpotè Mater Altissimi.

Pelbartus ait Mariā in suā contemplatione vidisse videntem omnia.

B. V. à nullo Illustrium vinci debet.

107. Eodem ductus S. Pauli argumento etiam Rupertus Abbas censuit Visione beatifica sæpius in hac vita Deiparā fuisse perfruitam, & ex hac internâ pulchritudine soli Deo cognitā fuisse decoratam. Expendens enim libr. 3. in Cant. elogium illud sponsi Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Igitur*, inquit, *oculi tui columbarum, & hæc vera pulchritudo est, absque eo quod intrinsecus latet, quod solus in te DEVS nouit, nobis autem, quia inexpertū, idcirco ineffabile, imo incogitabile est. Si enim Apostolus raptus in tertium cælum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui; quanto magis tu Regina cælorum persæpè cælestibus interfuisti, quippe quā circumsteterāt obstetricum vice, gloriam Deo concinentes Angeli, & inter hæc didicisti, vel assecuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet?*

Si Apostolus Paulus vidit raptus in cælum Essentiā Dei, multo magis B. V.

108. Dionysius Richelius in 1. sent. D. 16. q. 2. argumento illo à minori ad maius de Moyse, & Paulo ductus, censet B. Virginem sæpius in hac vita, vtpotè Dei Matrem, cui omnia debentur priuilegia visione Dei perfruitam: *Dicendum reor*, inquiens, *quod præelectissima Virgo quandiu vixit in corpore adhuc mortali fuit viatrix, quamuis certissimè credatur interdum raptam in diuitias gloriæ Dei, vsque ad summæ Trinitatis visionem, per speciem multo vtique clarius, & vt puto multo frequentius, & diuturnius, quam Paulus, aut Moyses: reducta tamen ab huiusmodi contemplatione, ambulabat per fidem, & fuit viatrix, & promeruit, ac profecit in exercitijs, actibusque virtutum, & sic creuit in gratia, Et vt fatetur S. Hierony. nouis quotidie cremabatur ardoribus, ad filij quoque sui clarissimum, & indesinentem intuitum affectuosissimè suspirabat.*

109. Rutilius Benzonius denique Episcopus Lauren. in Magnif. 86. cap. 40. Trad. 13. *Traditio est*, inquit, *B. Virginem in hac vita eleuatam interdum fuisse ad clarè videndam diuinam essentiam, breui tempore. Idq́ue eo potissimum persuasit argumento. Quia omnia gratiæ priuilegia alijs concessa perfectiori, & abundantiori modo fuerunt illi collata. Hæc enim est Mulier illa fortis, quæ spirituali donorum cælestium opulentia multas Dei filias congregantes gratiæ diuitias, supergressa est vniuersas. Prou. 31. Verissimè enim pronunciauit Bern. Ep. 174. ad Canonic. Lugdun. Quod perpaucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari, tantæ Virgini esse negatum, per quā omnis mortalitas emersit ad vitam. Cum igitur cōmuniter doceant Theologi Moysem, & Paulum in hac vita adhuc degentes Dei contemplatos fuisse essentiam, cur tam insignem gratiam Virgini plenæ gratia denegamus?* Idem pijssimus fatetur Antistes induisse ad sentiendum hoc, ob eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatem, ob quam piè satis, inquit, creditur vel in die Natiuitatis Christi, vel in die Resurrectionis, vel alijs temporibus oportunis iuxta Diuinæ sapientiæ dispositionem ad diuinam essentiam videndam fuisse eleuatam.

Traditio est B.V. in hac vita eleuatā ad videndam Diuinam Essentiam.

Propter Diuinæ Maternitatis dignitatem censet Benzonius Mariæ visionem beatificam in hac vita conuenisse.

110. Et verò cum sacratissima Deipara in hac vita diutius ad consolandam, instruendamque in mysterijs fidei post dilectissimi sui filij in cælos profectionē, Ecclesiam erat remansura, decebat, vt identidem dolor ille ex absentia filij visionis beatificæ dulcedine in tantis huius amarissimi ac procellosi maris, sæculi videlicet amaritudinibus, ac fluctibus cōdiretur. Amorosi huiuscé doloris credideam fuisse voces illas indices Cant. 5. ad Angelos subinde prolatas: *Adiuro vos filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Quibus pijssimis Virginis lamētis, Guerrici Abbatis libet attexere verba, quibus Angelos respōdētes Virgini introducit, vt coniecturā faciliori assequi possimus languorē illū Virginis beatificā visione Deifilij leniri debuisse. Sic igitur ser. 2. de Assumpt. lamentantem ob absentiā Dilecti alloquuntur Deiparam: *Pape langues! Languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tamdiu habitauit? De corpore illius filij tui virtus exibat, & sanabat omnes adeo, vt etiam fimbria vestimenti Amorrhoissam sanaret, & tu quæ tamdiu ipsum in vtero, in sinu, in gremio continuisti, quomodo postea vlli infirmitati, aut languori, vel accessibilis esse potuisti?* Quibus sic respōdet Virgo: *Vt minus miremini languorem meum, Amore langueo. Langueo plus impatientia amoris, quam passione doloris. Plus vulnerata charitate, quam grauato infirmitate.* Mox his hæc subtexunt Angeli, stupore attoniti: *Quomodo IESV bone, qui summi fructus es gaudij, tam longi factus es illi causa Martyrij, vt charissimam tibi ipsius animam, tot & tam acuti, sine cessatione pertranseant gladij? Sed obsecramus te Domina quiduis faciamus tibi? in quo tibi esse poterimus officiosi? Quibus illa. Filiæ, inquit, Hierusalem nunciate dilecto, quia amore langueo, ipse nouit quomodo meo medendum sit languori. Dicam igitur tantum ne iudicer temeraria, quod maiora me quærere videar; Osculetur me osculo oris sui;* Vtque plusquam Angelicam omni labe carentem puritatem se habere demonstret, ob quam digna diuinum illum cernere vultum absque ænigmate eumque osculari habeatur, annectit: *Si quid mihi conscia essem, contenta essem cum Magdalena osculo pedum, vbi indulgentia sumitur delictorū. Sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, nō puto me arrogāter flagitare de osculo oris gratiam gaudiorū.* Dum igitur Virgo osculum Diuinissimi illius oris tanto desiderio, tamque ardenti efflagitat, quid aliud quam ad intuitiuam Dei filij eiusque suauissimi vultus visionem, quid aliud quam ad amorosam eius fruitionem anhelat? Quam sanè pro sua reuerentia exauditam esse, valde credibile est, quia nimirum postulatio matris est. Vnde vt supra diximus censuere aliqui, vt Honorius Augustodunensis, Scherlogus, & alij, ipsam, antequam è vita migraret, Dei essentiam clarè intuitam, vt ante diximus.

B.V ex absentia filij moræ languebat

B.V. langebat plus in hoc mundo impatientia amoris, quā passione doloris.

111. Visionem hanc porrò, vt sententia hæc magis intelligatur probabilis, ad certa quædam ijdem Patres determinant tempora. B. Thomas de Villanoua Archiep. serm. de Resurr. censet à Deipara in Christi gloriosissimā Anastasi DEVM clarè visum. dignum enim fuerat, quæ tātis doloribus in passione filij fuerat excruciatā, consolationibus, ac gaudijs sempiternæ felicitatis ad tēpus saltem breue in ipsis filij amplexibus frueretur, vt dicere posset cum Dauide: *secundum multitudinem dolorum meorū in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et rursus. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in DEVM viuum.* Idem sensit vti diximus Benzonius. Quam pijssimā tanti Præsulis confirmare videtur sententiam S. Amadeus Homel. 6. de laud. B.V. vbi dum Deiparam gloriā resurgē- tis filij totam irradiatam, & igne amoris ad instar Phœnicis accensam fuisse ait, perfectam quandam beatitudinem cōsecutam visus est insinuare, dum ita loqui-

B.V. in Resurrectione Christi facie clarè vidit.

quitur: *Tu Gloriosa Natum ab inferis ascendentem vidisti, Nati gloriam beatissimis oculis aspexisti, vidisti, & defecisti. Defecit caro tua, & cor tuum, liquefacta es, vt vocem dilecti Filij tecum loquentis audiuisti. Factum est verbū eius quasi ignis flammigerans in ossibus tuis. Ergo diuinis ignita colloquijs tota effecta es velut ignis, teque holocaustum Deo suauissimum obtulisti. O' Phœnix aromatizans gratius cinnamomo, & balsamo, & nardo suauius, Regem in aspectu tuo delectans! Phœnix congregans omnes species, & igne circumfusa super essentiali* (: ipso nempe Deo, qui ignis consumens est, igneusque fluuius, in quem per clarā visionem ac fruitionem erat immersa ac transformata:) *vt cælum cælorum, & cæli potestates Angelicas mirifico replens suauitatis incenso.*

B V. Phœnix aromatizans.

112. Alij aiunt Deiparā in ipsa Verbi Incarnatione in purissimo eius vtero peracta, Visione beatifica fuisse perfruitam. Hinc Sanctus Bernardus serm. 2. de Ascens. Domini. *Vnde virtus altissimi obūbrauit Virgini, ne nimio splendore perstricta, Diuinitatis fulgor illa singularis Aquila tolerare non posset.* Idem asserit & S. Bernardinus Senensis Tom. 4. serm. 36. part. 3. vbi sic loquitur: *Dico quod Angelus facit eam attentam, laudando eam à plenitudine omnis gratiæ singularis, quam dare potuit vni creaturæ Deus omnipotens; secundum suum posse ordinarium, & secundum intelligentiam ipsi Virgini datam, quia tunc verè cognouit DEVM creatorem suū, & Angelos, & omnes alias creaturas propter excessum gratiæ suo intellectui diuinitus attributæ, ideo merito gratiâ plena in contemplando DEVM, & cuncta creata, plusquam Paulus Apostolus raptus in tertium cælum, sine comparatione, quia si essent tot Pauli, quot sunt creaturæ, non attingerent ipsius contemplari. Nam Paulus fuit Vas electionis; Virgo vero Maria fuit Vas Diuinitatis.* Idem sensit S. Antoninus, cōfirmatque exemplo Moysis, qui DEVM clarè vidisse à pluribus censetur, vti sæpius memoratum.

Si essent tot Pauli quot sunt creaturę non attingerent B.V. cōtemplationē in verbo.

113. Audiamus denique Vbertinum Casalium lib. 1. de Arb. vitæ cap. 9. vbi de Annunciationis loquens solemnitate: *Hodie*, inquit, *est solemnitas principalissima Virginis Matris Dei, in qua facta est sponsa Dei Patris, & Socia, Genitrix filij Dei; officina mirabilis Sancti Spiritus, Totius Trinitatis sacrarium, & speciosissimum Templum, Regina, & Domina Angelorum, Genitrix omnium electorum, & sic plena Thesauraria charismatum beatissimæ Trinitatis, vt nec stilla alicuius vel modicæ gratiæ sit donanda, nisi per dispensationem Mariæ transierit. Hodie ipsa impeccabilis effecta, & omni bono repleta ad tantum contēplationis sublimata est verticem, vt nullam puram creaturam in passibili carne viuentem vnquam possim credere sibi quomodolibet adæquatam. Et sicut videtur Augustinus dicere, si concessa est visio Dei per essentiam Paulo, Moysi, vel cuicunque alteri, si ista gratia alicui est concessa, verè credo, quod hodie non est Virgini denegata, dum tantum fuit Spiritu S. repleta, vt Dei filium conciperet, & hominem summè beatum in vtero suo portaret. Et attendat quicumque vult deuotè concludere, si omnes rationes, quæ adducuntur pro congruitate, quod Paulo, vel Moysi debet gratia fieri, multo magis generanti DEVM congruè adaptatur.* Idem Vbertinus libr. 1. cap. 6. hoc lumen gloriæ in Incarnatione Verbi expertā fuisse Deiparam insinuare voluit, cum eam Portæ illi Ezechielis orientali contulit, de qua dicitur: *Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per limen Portæ orientalis, idest, per B. Virginem, de qua oritur nobis ille, de quo dicit Zacharia: Ecce vir oriens nomen eius, & terra resplendebat à maiestate eius, idest, caro Virginis tota resplendebat gratia Diuinitatis IESV corporaliter habitantis in ea. Quidni à corpore, animaque Virginis gloriosum hoc lumen maiestatis filij Dei, in intellectu quoque Virginis, ad ipsum clarè vti erat in se intuendum, ac contemplandū redundarit?* Tum vt huius gloriosi luminis in Virgine nostra nobis magis explicet redundantiam, sic prosequitur: *Hæc est candelabrum aureum totum, quod vidit Zacharias supra quod sunt septem lucernæ, idest, omnes splendores illustrantis sapientiæ, & exempla lucida vitæ virtuosæ.* Hactenus Vbertinus piè sanè, ac eleganter, ex quibus mirum lumen mentis virginalis ad intuendum clarè Verbum, dum in eius vtero caro factum est, deduci potest. Propterea addit si alicui est concessum, credo Matri Dei non semel, sed pluries etiam fuisse donatum.

B. V. Officina mirabilis Spiritus S.

B.V. dispensatrix gratiarum talis, vt nec stilla modicæ gratiæ donetur alicui nomini per manus illius transeat.

B V. Porta Orientalis, per quam ingressa est gloria Domini, quæ à corpore illū ipsius redundauit.

114. Idem asserunt ij, qui cēsent Beatissimam Virginem probè, ac perfectè Incarnationis mysterium, quod in vtero ipsius purissimo fuerat peractum perspexisse. Hoc enim ab illa perspici nequiquam potuisset, nisi Naturam Verbi vnitam hypostaticè humanitati nostræ clarè, ac intiutiuè facie ad faciem fuisset contemplata. Hoc idem sensit Dionysius Richelius apud Canisium lib. 13. c. 3. cùm dixit: *Eo quod Maria veri, omnipotētisque Dei Mater vera facta est, tantam gratiæ plenitudinem continere, quantam ne ipsa quidem Virgo, nisi Dei contempletur essentiam perspicere possit.* Cum enim tota Virginis excellentia ex Diuina potissimùm dependeat Maternitate, & hæc à Conceptione Dei filij, consequens sane est, Deiparam suam ipsius eminentiam perfectè per-

B.V. plenitudinem suæ gratiæ perfectè intelligere non potest nisi Dei essētiam cōtemplando.

perspectam habere non posse, nisi Verbi Diuini Essentiã, quod eius summa est nobilitas, ac dignitas, clarè intueatur.

115. Hoc mimirum voluisse, ac intellexisse visus est Bernardus Hom. 4. super Missus, qui verba illa expendens Angeli: *Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: Quid est*, inquit, *hoc? Qui potest capere capiat. Quis enim, excepta fortassis illa, quæ hoc sola in se felicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis Virgineis se visceribus infuderit, vt illa inaccessibilem accedere, ad se ferre potuisset, de portiuncula eiusdem corporis, cui se animatè contemperauit, reliquæ massæ vmbraculum fecerit? Et fortasse propter hoc maximè dictum est: obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicat igitur: Virtus altissimi obumbrabit tibi; hoc est, illum modum, quo de spiritu S. concipies, Dei virtus, & Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget, & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur, & tibi. Ac si Angelus respondeat ad Virginem: Quid ex me requiris, quod in te mox experteris; Sciens scies, & feliciter scies, sed illo doctore, quo & auctore. Ego autem missus sum nunciare Virginalem conceptum, non creare. Non potest doceri nisi à donante, nec potest addisci, nisi à percipiente.* Sic ille. Cum igitur perfectè hanc hypostaticam vnionem Verbi cum humanitate nostra in vtero suo peractam Virgo nouerit, vt probabiliter censet doctor mellifluus, probabile quoque est Essentiã Verbi clarè, ac perfectè ad modicum tempus saltem, intuitam fuisse.

Sola B.V. mysterium Incarnationis hic agnouit in verbo.

Sol B.V. datũ est mysteriũ Incarnationis nosse cui soli datum est experiri.

116. Neque verò solùm in Cõceptione Dei filij, verumetiam in ipsius felicissimo partu clara Dei visione Virgo nostra digna habita fuit. Sensit hoc vti supra memorauimus Benzonius, S. Antoninus. & B. Petrus Card. Dam. serm. 1 de Natiu. B.V. vbi cùm illam Throno Salomonis eburneo contulisset, duasque illas manus, quæ tenebant hinc, & inde sedile 3. Reg 10. considerasset, sic illarum euoluit Mysteria: *Porro duæ manus*, inquiens, *quæ tenebant hinc, & inde sedile, actiuam, & contemplatiuam vitam significãt, quæ Matrem Virginem propensiori diligentia ambierunt, adeo vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non desereret actionem. Recordare quomodo filium suum proprijs suis vberibus lactauerit, & omnes denique vagientis paruuli sustinuerit actiones, & tunc intelliges quia plurimum ministrauerit.* Quantum porrò in contemplatione, ac clarâ cognitione eiusdem nati paruuli Dei nostri profecerit, mox attexit: *Considera quia ipsa est, quæ in contemplatiuæ dignitatis supereucta dulcedine in ipsius Dei substantiam lucidiores infixit obtutus. Leua*, inquit, *eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quo sane gestu, beneuolentiæ plenissimo, sicut Virgo faciem suam ad Dei paruuli recens nati applicabat faciem, eiusdemque suauissimis osculis perfruebatur, ita facie ad faciem Diuinitatẽ eius, intellectus sui, lumine gloriæ irradiatis oculis intuebatur, ardentissimoque voluntatis affectu eundem, vt DEVM clarè visum, omnique amore dignissimum, amplectendo, perfecta beatitudine, saltem ad breue tempus hac in vita est perfruita.

B.V in Natiu. filii Dei visione perfruita.

B.V. Thronus Salomonis eburneus.

In B.V. vita actiua. & cõtemplatiua perfectissima.

B.V. in ipsius Dei essentiã per contemplationem lucidiores defixit obtutus.

117. Neque verò Visione beatificâ, in Natiuitate filij, verumetiam in ipso suo felicissimo hunc in mundũ exortu Deipara Virgo perfrui merita est, vt censet P. noster Salazar, Deiparæ Vir studiosissimus, illâ motus congruentiâ: *Quia decens erat, vt tunc, cum in hanc lucem edebatur, splendidiori lumine mens eius inclaresceret, & cunctum latè mũdum, omnesque creaturas quibus Regina præficiebatur in Deo, velut in speculo voluntario, contemplaretur.* P. vero Franciscus Mendoza noster in virid. lib. 2. Probl. 10. ea mouetur congruentiâ, quod cùm reliqui filij Adam omnes in lucem hanc veniant plorantes, vt de se fatetur Salomon Sap. 7. *Et primam vocem similem omnibus emisi plorans;* conuenientissimum fuisse, vt tunc Beatissima Virgo, in suæ innocentiæ argumentum visione beatificâ, tanquam omnis veræ lætitiæ, gaudijque perenni fonte frueretur. Addit insuper decens fuisse, vt cum solis lucem corporaliter intueri incipiebat, iustitiæ etiam solem spiritualiter simul introspiceret. Erat nimirum Virguncula hæc Aquila illa grandis Prophetæ Ezechielis magnarum alarum, vt eam S. Bernardinus appellat Senensis in Apoc. cuius mentis oculus ad Diuini solis radios nunquam caligare visus est, vt se Aquilæ illius ostenderet filiam genuinam, quæ aiebat: *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos tuos, & super illos volitans expandit alas suas, assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Deut. 32. Adeo vt de illa canere possimus, quod de probato ad solis intuẽdos radios aquilarum pullo olim cecinit: Claud,

B.V. etiam in sua Natiu. Deum clarè vidit.

Sicut reliqui filii Adam cũ nascuntur plorant, ita B.V. in sua Natiuitate fonte totius lætitiæ visione beatifica perfrui fuit.

B.V. Aquila magnarum alarum, cuius mẽtis oculus nunquam ad solis iustitiæ radios caligauit.

Exploratores oculis quia pertulit ignes,
Sustinuitque acie nobiliore diem.
Nutritur, volucrũque potens, & fulminis hæres
Efficitur.

118. Hanc

118. Hanc fortassis crediderim ob causam deuotissimum Pelbartum lib. 5. stell. Part. 1. Natam Virginem, cui alias claram Dei visionem concessit, luci illi comparasse, de qua Ps. 96. modulatus est Dauid, tanquam longè ante eius ortum præuidens: *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lux*, inquiens, *idest Maria orta est Iusto Christo, ex ea nasciturο, qui Iustus est per essentiam: & quoniam ex hac natiuitate toti mundo salus est exorta, ideo subdit, rectis cordis lætitia.* Quibus verbis summa Virginalis ortus dignitas pulchrè ostenditur, dum luci, quæ rerum est omnium dignissima comparatur; Quemadmodum enim hęc inter creaturas conformis est Diuinitati, quia vt ait Apostolus 1. Ioan. 1. *DEVS lux est, & in eo tenebræ non sunt vllæ*: estque incontaminabilis puritatis, nullisque sordibus potest inquinari. Est denique delectabilis: Dulce enim lumen, & delectabile oculis videre solem Eccl. 11. Sic benedicta Virgo super omnes puras creaturas hac triplici refulget excellentiâ dignitatis. Ipsa siquidem in primis est Deo proxima, & conformissima per gratiam, & gloriam. Candor est enim lucis æternæ, & Imago Bonitatis illius, in quam beneficio luminis gloriæ sine dubio ad horam vt DEVM clarè videret, fuit transformata; hoc enim nobis insinuare videtur vir pijssimus particulis illis; per gratiam, & gloriam. Ipsa ad instar lucis purissima est, & incontaminabilis, ea enim puritate nitet vt docet Anselmus, qua sub Deo maior nequit intelligi. Ipsa denique est animæ piæ, ac deuoto cordi suauis, ac delectabilis. Ipsa namque est vita, dulcedo, & spes nostra. O' quis exprimere sufficiat, quam suauis oculis cordis ad respiciendum sit Maria, in cuius pulchritudine gloriæ omnes sancti delectantur simulque concinunt. Speciosa facta es, & suauis in delicijs tuis Sācta Dei Genitrix! O' quam suaue est animæ piæ ad audiēdum, vel loquendum de ea, quoniam vt de seipso ait Bernardus: *Nihil tantum me delectat, quantum de gloriosa Virgine Maria facere sermonem!* O' quam suaue, ò quam gaudiosum erit in cælo cum ea conregnare, & colletari sine fine, per quā salus mundi credentibus apparuit, cuius vita gloriosa lucem dat sæculo. Merito igitur eius ortus omnibus gaudiū, & lætitiam ingerit, merito, & dignè omnes homines dulcis ille Citharista Dauid ad lętandū in eius exortu allicit. Verè enim omnibus rectis corde lætitia viatoribus in primis pœnitentibus, ac patientibus; triūphatoribus quoque simul in cælesti gloria. Lætitia deniq; viris, lętitia mulieribus, lętitia paruulis, & senibus, & demū omnibus fidelibus exorta est. Hæc Pelb.

Natiuitas B. V. Luci quæ creaturarum omnium dignissima est, comparata.

Lux maximè conformis est Diuinitati.

B. V. Deo proxima, & conformissima per gratiam & gloriam.

B. V. instar lucis purissima, & incontaminabilis.

B. V. sua Natiu. & Cęlitibus, & omnibus lucē lætitiæ attulit.

119. Ex quibus facile perspicimus Deiparam totam, & luce gratiæ, & lumine gloriæ in auspicatissimo suo Natali ita radiasse, vt & Dei filium, totamque cælestem Curiam, & vniuersum terrarū orbē diuiniori lætitiæ iubare collustrarit, ostenderitque reipsa se esse illam, à Ioanne aquilinis oculis in cælo visam amictam sole, omnium peccatorum effugantem tenebras gloriosissimam Mulierem. Vnde B. Petrus Card. Dam. ser. 2. Natiu. B. V. eam orbi huic fæliciter exorientem contemplans, soli ipsi, in quo sibi fixurus erat cælestis sponsus ad humanum genus redimendum veniendo, tabernaculum, comparauit. *Hanc vtique*, inquiens, *ęterna Sapientia, quę attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, & talem construxit, quę digna fieret illū suscipere, & de intemeratę carnis suę visceribus procreare. Necesse erat prius erigi thalamum, qui venientem ad nuptias Sanctę Ecclesię susciperet sponsum, cui Dauid exultans in Spiritu epithalamium canit: In sole posuit tabernaculū suum, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo. Merito ergo hodie profusis gaudijs totus vbique terrarū orbis exultat, merito vniuersa Sancta Ecclesia, nascente sponsi sui Genitrice, vt ita prę gaudio dixerim, fescennimi carminis laudes alternat.* Sic ille.

B. V. sol in quo sibi sol iustitiæ fixit tabernaculū.

120. Ob lumen hoc gloriæ intellectui Virginis in eius natiuitate infusum crediderim fortasse Nomen illud gloriosissimum Maria de thesauro Diuinitatis euolutum, vt loquitur Card. Dam. serm. de Annunc. eidem inditum fuisse, vt ipsum Nomen gloriosum, lumen illud gloriæ, quo intellectus eius radiabat, nobis quodāmodo repræsentaret. Quid enim Maria sonat aliud, prẹter alia multa, quā stellam maris, quam illuminatam, quam illuminatricem? vt docet S. Hieron. libr. de Nomin. Hebr. Audiendus hic Vbertinus Casalius libr. 1. Arb. vitæ cap. 6. *Non sine causa*, inquit, *Nomen Virginis est Maria. hoc enim Sacratissimum Nomen, non fortuito, nec solùm parentum placito, sed Diuina dispensatione accepit, vt hoc vocabulo nobis exprimeretur tam virtutum eius fastigium, quam nostræ directionis, & protectionis patrocinium.* Interpretatur enim maris stella: *Nocte siquidē per mare transeuntibus notare opus est hanc stellam, quę Cardini cęli IESV propinquissima est, tam dignitate materna, quam dignissima, ac lucidissima vita, vt exilij nostri confusio splendore æstimare, ac dirigere suum cursum, salutaremque gr-* pro-

In Natiuit. Deiparæ cur Mariæ Nomen ipsi inditur?

Marię Nomē stella maris, & Illuminatam ac Illuminatricem sonat.

Per mare trāseuntibus notanda stella Maria [illegible]

prehendere portum possint. Ipsa quoque proprietas stellę perfectioni Virginis valdè conuenit, Quia sicut stella, absque sui corruptione emittit radium, sic absque sui lęsione Virgo peperit Filium; Maria igitur Maris stella, & Christus Sol, Ideo peccatores in nocte a Maria valde consolātur; iusti verò tanquam in die à Christo illuminantur. Licet & ipsi stellæ huius radijs diriguntur, & adinueniunt, vt ad ipsum Solem Christum valeant peruenire. Itaque si pertimescis propter supplicium ad Christum accedere, ad Mariam respice confidenter, nec illic, quod timeas, inuenies. Quia hæc est propria proprietas misericordissimę Matris, quā tibi adhuc trepidāti excelsior temperatur Maiestas. In Christo verò est pietas, ex comparatione generis, & Maiestas ex excellentia Diuinitatis.

B.V. peccatores in nocte cum pæ, lu e sua consolatur.

121. De altero Mariæ Nomine, quod Illuminatam ac Illuminatricem sonat ita loquitur S. Epiph. lib. de laud Deiparæ: *Præclaræ*, inquiens, *puellę Marię Nomē interpretatur Illuminata, vtpote, quę illuminata sit à Filio Dei, & cunctos, vsque ad terminos terrę, credentes Trinitati illuminauerit*. Audiamus breuiter etiam Doctorem Angelicum Opusc. 8. *Conuenienter*, inquit, *Maria vocatur illuminata in se, & illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum ideo assimilatur Soli, & Lunę. Idem Nomē diffusius explicuit S. Bonau. in spec. cap. 3. Maria interpretatur Illuminata, & Illuminatrix. Hoc nomen similiter competit tantę Virgini, quę mirabiliter illuminata est per pręsentiam Domini iuxta illud Apoc. 18. Vidit Angelum descendentem de cælo habentem potestatem magnam, & terra illuminata à gloria eius. Filius Dei est Angelus, magni consilij, terra verò à gloria Domini illuminata est Maria, quæ sicut illuminata fuit à gratia eius in mundo; ita nunc illuminata est à gloria eius in cælo, vt sic illuminata fieret illuminatrix in mundo, & in cælo.* Propter quod considerandum est, quod in Maria illuminata, illuminatrix est per exēpla, beneficia, & pręmia. Illuminatrix est p exēpla vitæ suæ illuminatrix per beneficia misericordiæ suæ: illuminatrix est denique Maria per præmia gloriæ suæ. Hæc Bonau, quibus, velut sat probabili cōiecturā assequimur Deiparam cum Nomē Illuminatæ, ac Illuminatricis obtinuerit, cum tam illustri Nomine, de thesauris quoque Diuinitatis excellentissimū fuisse depromptum lumen gloriæ, quo intellectus eius excellenter roboratus, ad Diuinam essentiam in ipso toti mūdo exoptatissimo suo exortu, contemplandam eleuatus est, eodemque suo clarissimo lumine, ceu nouo sole, vniuersum orbem fuisse irradiatum. Atque ita in hac felicissima natiuitate, de paruula hac, quæ placuit Altissimo, dicere possumus, vt ante memorauimus, quod de Esthere eius figurā exaratum est cap. 10. *Paruus fons creuit in flumium, & in lucem, solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit*.

B.V. à Filio Dei illuminata.

B.V illuminata per pręsentiā Domini.

B.V est Terra illuminata à gloria Filii.

B.V lumine Filij facta illuminatrix in mundo, & in cælo.

Cū Nomine B.V. excellentissimū quoque lumen gloriæ de thesauris Diuinitatis fuit depromptū.

122. Vnde paulo ante nominatus Pelbartus lib. 5. Part. 2. art. 2 cap. 7. inter 12. stellas, quę Virginem natam coronarunt, tertiam luminositatem intellectus appellauit. *Tanta enim*, inquit, *Sapientiæ claritas super infusa illi fuit à Deo, vt Sapientior omni esset pura creatura viatrice, ita vt etiam dum adhuc in vtero Matris existeret, liberi arbitrij vsum habuerit. fuit quoque in sublimiori contemplationis statu, quam fuerit vlla vnquam pura creatura in ætate perfecta, plena denique omnibus Spiritus S. donis, quæ cum Isaia teste cap. 11. super florem illum Iessæ Virgæ requieuerint, requieuere & super illam, tanquā germinantem Virgulam, atque ita requieuit super eam Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & repleuit eam Spiritus timoris Domini. Et licet dormiret sicut, & cæteri quandoque, somnus tamen, qui pellit in nobis liberi arbitrij actum, ac meritum, non fuit in ipsa*, Vnde dicere poterat cum Sponsa Cant. 5. *Ego dormio*, corporaliter. *& cor meum*, anima mea *vigilat in contemplatione*. Idque exemplo præcursoris: Si enim iuxta Regulam Philosophi in Topicis *cui minus videtur in esse, in est & ei, cui magis*. Sed Ioannes Baptista in vtero agnouit Christum DEVM, teste Ambr. in Lucam. Vnde de illo canit Ecclesia: *Acceleratur ratio in puero nondum nato, nouit præsentem Dominum in Virgine*. Sanctus quoque Nicolaus eodem auctore, in infantia vsum rationis habuit, cum feriā quartā & sextā semel duntaxat sugebat vbera, & mox natus erexit se in peluim, in qua abluebatur. Benedictus denique in ipsa cæpit miraculis coruscare Si igitur tanta gratia his data est à Deo, quāto maior B. Virgini, quæ electa fuit, vt esset Mater Dei; cui excellentiori modo hæc improportionabiliter data fuisse credenda sunt? Quod nobis significare videtur Ecclesia, dum libros de æterna Sapientia spiritualiter de Virgine interpretatur, eiusque elogia ipsi, tanquam increatam Sapientiam, repræsentari attribuit. Hunc modum DEVM, diuinaque cognoscendi excellētissimum facile dixerim Virgini nostræ præ omnibus Angelis, reliquisque Cælitibus indultum fuisse, beneficio luminis gloriæ, quod mentem eius, velut pulcherrima primæ magnitudinis stella, irradiauit.

Stella vna ex 12. quæ B.V. coronāt, vna etiam Luminositas.

B.V. Sapientior omni viatrice creatura.

Bona Spiritus S. quæ super florem Virgę requieuerūt, etiam super Virgam Mariam.

S. Ioan. Bapt. vsus rationis in vtero Matris acceleratus.

S. Nicolaus in Infantia vsū rationis habuit dum certis diebus ieiunauit.

123. Quid

B V. in insti ti suæ Concept. ab omni peccati originalis nævo libera.

123. Quid tandem de aureo illo ipsius immaculatæ Conceptionis dicemus instanti? Quis nescit felicissimæ illi, beatissimæque Virginis nostræ animulæ inter reliqua à cælesti sponso donata ornamenta, hanc quoque beatificam ad DEVM clarè contemplandum, ad instar preciosissimi Monilis impertitam fuisse visionem? Propterea fortassis crediderim purissimam hanc eius Conceptionem, vt ante dixi, creationi primigeniæ illius lucis, à S. Vincentio serm. 2. de Natiuit. B.V. & Pelbarto lib. 4. stell. Par. 2. & Auroræ sole grauidæ ab eodem, & à B. Petro Cardin. Dam. serm. de Assump. fuisse comparatam, ad indicandum cæleste illud iustitiæ solis, diuinitatisque iubar, quod est gratia, eminentissimamque omni carentem peccati maculâ, ac plusquam Angelicam puritatem excellentissimumque lumen gloriæ, ad Deum facie, ad faciem, saltem aliquo breui tẽporis spatio, tanquam dilectissimæ Matri fuisse impertitum. Audiamus igitur D. Vincentium de hac lucidissima ipsius Conceptione sic loquentem: Non credetis, quod fuerit sicut in nobis, qui in peccatis cõcipimur, nascimur, & nutrimur; sed statim postquam corpus Virginis fuit formatum, & anima creata, tunc fuit sanctificata. Ideo fit festum de eius Conceptione, quia facta est lux sanctificationis in ea, & statim Angeli in cęlo fecerunt festum Conceptionis. Audiamus Pelbartum: *Dixit DEVS fiat lux, & facta est lux Gen. 1. verba hęc*, inquit ille, *optimè transferuntur ad benedictam Virginem Mariam, quam DEVS in prima illius lucis figura dixit id est, voluit vt fiat, & facta est lux, propter quod dignè, & merito vocata est Maria, quod interpretatur Illuminatrix. Pensate ergo charissimi verba sacræ scripturę, & signate mysteria, quia quod dixit DEVS loquens in figura lucis, dixit de origine Mariæ. Quemadmodum enim lux inter omnia est purissima, nec sordidarum rerum contactu, vt luto, alijsque fæcibus, nullo modo inquinatur: Sic anima benedictę Virginis, tantâ puritate creata est, per gratiam specialem, & præseruata, vt licet naturaliter carni, ex Adam propagatæ vnita fuerit, macula tamen, vel contagione peccati originalis inquinata non est.* Sic Pelbar.

Conceptio B.V. primigeniæ luci, & Auroræ Sole grauidæ cõparata.

S. Vincentius creationi lucis, B.V. Concept. comparat.

Lux inter omnes creaturas purissima, nec sordium contactu inquinatur.

125. Idem Pater Virgini deuotissimus ponderans lib. 4. stell. Par. 1. art. 3. verba illa Iobi cap. 3. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est; conceptus est homo, obtenebrentur stellæ caligine eius, expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ*; intelligensque eum, de macula peccati originalis loqui, ostendit hac Virginem Dei Matrem tanquam Auroram Sole iustitiæ grauidam omnino caruisse: *Iob loquitur*, inquiens, *de reatu originalis peccati, & ideo dicit; obtenebrentur stellæ, idest, sancti, caligine eius. Expectet lucem, idest, Christum, & hunc non videat, eo quod Christus supernaturaliter ex Virgine conceptus, originale peccatum habere non potuit. Sequitur nec ortũ surgentis Aurorę, conceptum videlicet Mariæ, quæ per Auroram figuratur. Cant. 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora?* Hactenus Pelbartus.

B.V. tanquam Aurora Sole iustitiæ grauida macula originali caruit.

126. Ex his igitur cum Deiparam totam lucem, totam solem lucidissimum in sua prima Conceptione fuisse intelligamus, facile coniectare possumus, benignissimum, Sapientissimumque eius Creatorem, qui eam, vt lucem, solemq; in quo ipse solus sibi tabernaculum erat positurus, condidit, eidem voluisse abũdantius lumen impertiri gloriæ, quo ipsius eleuatus, ac roboratus intellectus, Conditorem suum, quẽ olim vtero conceptura, nouemque mensibus gestatura erat, clarè cognosceret, eiusdemque perfectâ incompræhensibili, ineffabilique in se, inque totum genus humanum charitate, ardentissimo in eũdem amore inflammaretur.

126. Quam congruum porrò fuerit, vt Virgo beatissima, ab ipso suæ immaculatæ Conceptionis momento Dei faciem, lumine collustrata gloriæ clarè intueretur præclare docet P. noster Franciscus Mendoza loco sup. cit. *Pronior est DEVS*, inquiens, *ad bonum, quam ad malum inferendum. Sed hominibus in hac vita vel potius in vitę exitu existentibus intulit DEVS aliquando promptior ad bonum communicandum, quam ad malum inferendum. pœnam Gehennæ, vt videtur intulisse Constantino Copronymo perditissimo, nefandissimoque Deiparæ hosti, qui vt refert Canisius lib. 5. de Deip. cap. 17. sub mortem ipsam miserrimè est vociferatus, viuum se propter Mariam Deiparam inextinguibili igni traditum esse. plura de hac Tractatu vltimo videnda.* Quod etiam de alijs, vt de Dathan, & Abyron dici potest. De quibus Num. 16. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, & descenderunt viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis*. Quod si, inquam, homines in DEVM impij adhuc in hoc mortali corpore viuẽtes cruciatus inferni ob illorum enormia scelera perpeti digni habiti sunt, quanto magis ex singulari Dei optimi Maximi priuilegio nõnulli sanctorum, atque in primis sancta sanctorum omnium sanctissima,

Quam congruum fuerit B.V. absque macula originalis peccati concipi?

Constãtinus Copronymus in fine vitæ fassus se igni extinguibile Inferni traditũ propter Mariam.

sima, & omnis sanctitatis sanctissimus Thesaurus, vt eam vocat B. Georgius Nicomed. Archiep. digna habita fuit, quæ in primo suo, in hunc orbem ingressu, gaudijs beatificæ Visionis, diuinique amoris vbertate, ac torrente illo plenissimo voluptatis ad horam frueretur?

127. Quod si vt reuelatum est S. Brigittæ in Extrauag. Reuelat. cap. 89. Cacodæmon ius habet in peccatores, vt mox atque vnum peccatum mortale designarunt, eos adhuc viuentes inferni ignibus excruciet, alijsque hominum damnatorum mactet supplicijs, nisi misericordiæ Mater illis obsisteret; quanto magis ad Diuinam pertinebit bonitatem, vt saltem eius Mater sacratissima omnis sanctitatis domicilium, abyssus gratiæ, gratiarum pelagus, vt eam vocat Damascenus, Spiritus Sancti sacrarium, totius denique Trinitatis nobile Triclinium, beatissimam illam Dei faciem, ob singularem eius puritatem, atque innocētiam, in hac vita clarè videat, æternæque beatitatis, velut iustissimo tam eximiæ sanctimoniæ, tantorumque meritorū præmio, gaudijs nullo ad breue aliquod tempus subinde recreetur?

Dæmō habet ius in pecca torem vt cōmisso pecca to eos infer no mancipat, nomini B.V. obsisteret.

128. Accedit ad hascé congruentias grauissimorum Theologorum virorumque summorum, & pietate, & doctrina florētissimorum Auctoritas, qui gloriam hanc beatificæ Visionis sacratissimæ nostræ Deiparæ in immaculatę ipsius Conceptionis instanti attribuere, magno totius orbis Christiani. Virorumque pientissimorum approbatione, atque congratulatione, non dubitarunt. Atque vt reliquos supra citatos prætermittam P. Hieronymus de Florētia Societatis nostræ non vulgare ornamētum Regis Catholici Concionator celeberrimus, vti refert noster P. Salazar, in octaua Conceptionis eiusdem Virginis concione in Regia capella coram Rege, clarissimisq; totius Regni tam Ecclesiasticis quam sęcularibus proceribus habitâ, sentētiam hanc, solitâ suâ dicendi vbertate, argumentorumque grauitate, ita proposuit, ita declarauit, atque fulciuit, vt omnes summi, medij, infimi illi vehemēter applauserint, pijssimamque hanc sententiam, obuijs, quod aiunt vlnis, summopere approbantes, fuerint complexi. Hanc postea sententiam idem P. Hieronymus de Florentia P. Francisco Suarez huiuscé nostræ tempestatis Theologorum facile Principi, cum per literas proposuisset, eiusdemque censuræ subiecisset, ita rescripsit: *Videtur mihi erudita, pia, & probabilis sententia*. Eandem sentētiam cum pro eadem concione explicari audisset M. Frater Antolini in Academia Salmanticensi Theologicæ Cathedræ primarius moderator, adeo ipsi arrisit vt dixerit, gaudere se plurimum ac gestire, quia viderat eum fœtum à nostro Hieronymo in lucem editum, quem iam dudum ipse conceperat, ac parturierat, proximè verò parere iamiam parabat. Porrò idem P. Salazar palmam illam, triumphumque quem P. Hieronymus illa concione retulit acceptum referendum censuit Deiparæ, quæ illum velut Ingeniorum illuminatrix, clarissimo illo lumine suæ gloriæ fortassis, nescio qua ratione illuminans, eundem adhoc asserendum, pronunciandumque impulit, faterturque simul suam mentem captiuam fuisse abductam, & ad idem scribendum asserendumque excitatam.

P. Hieron. de Florentia Concionator Regis Catholici visionem beatificam B. V in eius Concept. attribuit.

Sententia P. Florentiæ Suarez approbauit.

Perfectiones in reliquis creaturis sparsæ in B.V. sūt collectæ.

129. Iam tādem breuiter huiuscé pijssimæ sententiæ, quibus nitatur, fundamenta videamus. Primum fundamētam sit illud, quod tanquam certissimum, cū alijs Theologis ponit Gerson Tract. 3. in Magnif. *Speciositas quælibet reperta in creaturis sparsim, tota colligitur in beata, & pulcherrima mulierum, vel formaliter, vel eminenter.* *Hęc est Regula Diui Dionysij Hierarchias ordinantis.* Additq; iuxta illud axioma Philosophicum: *Primum in quolibet genere præcipuum est, & mensura cæterorum, quemadmodum dux in exercitu. Maria verò dicta est pulcherrima, & perfecta super cæteras creaturas non vnitas Diuinitati, qualis est humanitas Christi. Igitur consequens est vt omnia illi subseruiant tam bona naturę, quam gratiæ, quam artis, & fortunæ.* Cum igitur gratia hæc Visionis beatificæ nonnullis Dei seruis, vti supra ostensum, in hac vita cōmunicata fuerit Diuinitus, quis eam Diuinæ Matri denegare præsumat? Idem aliud ponit fundamētum solidissimum Tract. 4. super Magnificat, vbi introducit Discipulum de B. V. sciscitantem: *Constituitné ipsa sola Hierarchiam secundam, sub Deo trino, & vno Hierarcha primo, & summo, apud quem Hierarcham filij sui, sola sublimata, sedet à dextris virtutis Dei, per vnitatem suppositi?* Cui ita in persona respōdit Magistri: *Suscepit ipsam Dominus recordatus misericordiæ suæ, collocans ipsam super omnes choros Angelorum. Apud quos videtur B. Ioannes Bapt. primus post Mariam positus in ordine Seraphin loco Luciferi. Magnificata est igitur B. Virgo, ita vt Regina cęli, imo & mundi iure vocetur, habens præeminentiam, & virtutem influxiuam super omnes Principatus.* Eodem Tractu Gerson cum triplicem Beatitudinem

B. V. sola per se constituit Hierarchiam Deo proximam super omnes choros Angelorum.

dinem distinxisset; Primam viæ per spem, alteram patriæ per rem, tertiam mediũ inter spem, & rem, inter viam, & patriã, quam vocat purgati animi atque Heroicam. *Et hæc*, inquit ille, *Beatitudo, quæ purgati animi, vel Heroicalis excellentiæ dici potest, fuit in Beata nostra dum viueret, super omnem purum hominem, sicut beata residet in patria super omnem Angelicam potestatem, hoc est, quæ à nullo vincitur Illustrium, secundum Damascenum. Et iuxta Hierarchicam Dionysij legem continet, eminenter omnem perfectionem creaturarum tanquam inferiorum, vt iure dicatur Regina mundi, & Domina. Vis igitur breui compendio Mariæ beatitudinem notam tibi fieri? Da illi per eminentiam quicquid in creaturis videri melius ipsum, quam non ipsum, quoniam particeps fuit vtriusque Beatitudinis, viæ scilicet, & patriæ.* Quibus ex fundamentis deducitur optimè, quod Virgo totius Vniuersi, omnium Angelicarum Hierarchiarum Regina in instanti immaculatæ Conceptionis DEVM clarè viderit, siquidem, vti diximus, ipsi subditi Angeli in primo suæ creationis instanti, in gratia, ac sanctitate conditi, beatitudine naturali saltem imperfectâ sunt frui, vt Doctor subtilis Scotus docuit, ac tandem, diuinæ cooperando gratiæ, sese que totos supremæ illi subijciendo Maiestati, in tertio Angelico instanti, siue operatione, Dei clarâ visione sunt dignati.

B. V. à nullo vincitur Illustrium.

B. V. eminẽter in se continet omnem perfectionẽ creaturarum.

Angeli in tertio instãti seu operatione sua Deum clarè viderunt.

130. Et verò si Adam raptus in ecstasin Gen. 2. cum Dominus DEVS immisit in illũ soporem: (sopor enim in Græco textu ecstasim sonat:) censetur ab aliquibus vidisse Dei essentiam, beatâque visione temporaria potitus, vti Richardus in 2. D. 23. art. 2. q. 1. Et D. Thomas 1. Part. q. 94. art. 1. inclinat, quos P. Celada noster in sua figurata Iudith sequitur . 8. Si Apostolus, vti sæpius diximus, Vas illud electionis, ita dictus, quod ad sempiternam in se recipiẽdam gloriam potissimùm fuerit electus, si Moyses, si vt aliqui autumnant etiam Elias, si denique S. Iosephus Virginis sponsus, vti supra memorauimus, in hac vita clara diuinæ essentiæ visione sunt perfruiti; qua ratione nobis persuadere poterimus in prima conditione Virginis, Angelorum, sanctorumque omnium Reginæ, eam gratiam fuisse negatam, cum ipsa per se primam post augustissimã Trinitatem, Humanitatemque filij, constituat Hierarchiam, & huius sit propriũ, perfectiones omnes, ac gratias inferiorum sibi subiectarum Hierarchiarum, longè eminentiori ratione in se comprehendere? Dicamus igitur maximo quoad fieri potest in Virginem pietatis affectu, eã in primo suæ creationis momento DEVM clarè intuitam, vt ita verissima Angelorum, hominumque Regina, & prima ac suprema Hierarchizans sit, ac nominetur, vt ait Gerson, & consecutiuè in visione beatifica potior, siquidem beatæ illæ mentes, ab omni cõcretione corporis liberæ in tertio suo Angelico instanti, siuè operatione; ipsa verò in primo suæ purissimæ Cõceptionis puncto Diuinam essentiam facie ad faciem est contemplata.

Adam raptus in Ecstasim aliquibus Deum clarè vidisse visus est.

Angeli in tertio sua instanti siue operatione sua Deũ clarè viderent; B. V. autem in primo suæ creationis momento.

131. Alterum fundamentum eiusdem Gersonis Tract. 9. in Magnif. est potentia ex parte Dei, & decentia Diuinæ Maternitatis. Poterat enim DEVS intellectum Virginis pro præsentis vitæ statu ad visionem beatificam eleuare, & decebat priuilegium hoc tam eximium Virgineã nostrã, quæ iam tunc in Dei Matrem fuerat electa ergo probabile est cũ dedisse. *Conuenientissimum enim erat*, inquit Gersõ *vt quicquid in aliqua creatura tã Angelicã, quã humanã eximium, præclarũ enitescit Dei Matri tanquam illi Hesiodi Pandoræ nisi pietas fidei obuiet, conferatur:* Pietatem autem fidei idem Gerson sic describit: *Pietas fidei est probabilis, seu verisimilis opinio super aliquibus, quæ deuotionem ædificare possunt, quæ ex scripturis autenticis nec clarè sequuntur, nec repugnant.* Et sic accipi volo quæ dixi; nempe pietate fidei credi posse probabiliter Dei Matrem in Conceptionis immaculatæ aureo illo puncto Dei faciem sine ænigmate contemplatam, ne ab Angelis, quorum Regina à prima sui creatione electa fuit, inferior videretur, sed illos sicut muneribus gratiæ quæ semen est gloriæ, sic etiam glorioso illo lumine, quo intellectus roboratus, clarè DEVM intuetur, multis parasangis superaret. Vt porrò confirmet idem in Virginem pientissimus Auctor, decuisse à Deo priuilegium hoc Deiparæ communicari, paucis interpositis ibidem hæc attexit: *Adduni, quod nec in somno cessabat operatio talis in actu mentis: Iungunt, quod omnia sciuit tunc, quæ beati sciunt, non tamen claritate pari.* Quæ claritatis imparitas claram Dei visionem non tollit, sed ostendit illam non ad supremũ beatitudinis gradum, sed ad inferiorem aliquem fuisse prouectam, vt in Deo omnes creaturas, quarum Regina erat constituta, videre posset.

Poterat Deus Matri suæ in instanti eius conceptionis dare visionẽ beatificam, decebatque hoc idem cũ facere.

Quid sit pietas fidei?

Pietate fidei credendũ Dei Mater Deum in sua Concept. clarè vidisse.

132. Et verò hæc clara Dei visio vel hoc solo nomine decebat Virginem. Quemadmodũ enim Protoplasto in prima

Decebat. vt B. V. in sua Concep. Deũ clarè videret, quia tũc rerum omnium Regina erat creata.

ma sui creatione vt docet S. Tho.3.P.Q. 16.omnium inferiorum creaturarũ quarum gubernator erat constitutus,ac Dominus,species infusæ sunt, vt ita imperij sui amplissimos terminos perspiceret omnesque res subiectas mente complecteretur: Sic Virgo gloriosissima in primo Conceptionis suæ momento,in Dei Matrem electa, totiusque Vniuersi mox Regina constituta, decentissimum sane erat, vt in Diuina essentia,veluti voluntario speculo, creaturas omnes,earumque necessitates, ac miserias, ad eis pro maternâ suâ curâ, ac pietate opportunè suis precibus,patrocinijsque prospiciendum clarè intueretur. Hinc alibi diximus eam dum in vtero Matris adhuc commorabatur lacrymas fudisse, miserandumque humani generis statum, & cetera, ex sententia Ximerij Patriarchæ Ierosolymitani deplorasse; ex sententia denique Theodoreti, præuidendo tot cælestia sibi olim impertiẽda dona, ac munera suauissimum illud suum melos,quo DEVM munificentissimum, tantorum bonorum largitorem deprædicauit,ac magnificauit,fuisse meditatam.

Adamo in sua creatione rerum omnium species infusæ quia earum Dominus constitus.

B.V. in vtero adhuc matris lacrymas fudit per peccatoribus.

B.V. in vtero Matris Canticum Magnificat meditata.

133. Vnde iure merito crediderim illã insigne hoc planeque singulare, Deũ clarè videndi in prima sui conditione beneficium, inter illa magna, de quibus in suo Cantico modulata est: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius*; reposuisse. Verè enim magna illi fecit omnipotentiamque suam, ac sanctitatem summã in illa vniuersorum Dominus manifestauit, cum eam ad eminentissimam Diuinæ Maternitatis dignitatẽ in ipso Conceptionis momento euexit. Verè magna fecit, cum eam Angelorum hominumque, atque adeo totius Vniuersi Reginam constituit. Verè magna fecit, cum eam à debito originalis peccati cõtrahendi liberauit; Verè magna fecit, cũ eam à communi Adæ corruptionis massa separauit,nullâque originarij sceleris inquinari labe permisit. Verè magna illi fecit omnipotentiamque suam, sanctimoniamque mirificè glorificauit, cum eam in aureo illo Conceptionis instanti ita sanctificauit, puramque reddidit, ita in illam omnes gratiarum, donorumque cælestiũ diuitias congessit, vti omnis sanctitatis, gratiarumque thesaurus iure merito posset appellari, vt fecit B. Andreas Cretens. Orat. de Dormit. Deip. *O sancta,& sanctis, sanctior,& omnis sanctitatis sanctissime thesaure!*

Quænã Magna Deus fecit B.V.

B.V Sanctitatis Thesaurus.

134. Ob hanc gratiarum plenitudinẽ, donorumque diuinorum opulẽtiam eã Adamantius Origines Hom.1.ex varijs: Cælestem thesaurum,& diuitias Diuinitatis appellauit,insinuare volens ipsarũ Diuinarum personarum perfectiones velut immensas opes, quoad humana natura capax esse potest,in Deipara cõtineri. S. Nazianzenus etiam Virginis huius sanctitatem, puritatemque adeo perfectam absolutamque miratus, eam omni fæce terrenâ exutam, immortalitatisque pallio ornatam,semperque expertem senij, vt DEVM habitam pronunciauit. Hinc denique Baptista Mantuanus lib. 1. Parthen. ob hascè Diuinitatis in Virgine reconditas, veluti quodam in thesauro diuitias,Diuinam quãdam, humana maiorem Maiestatem repræsentasse cecinit:

B.V. Cælestis thesaurus, & Diuinitatis diuitiæ cur appellata?

B.V. immortalitatis pallio ornata vt Deus habita.

Neque enim mortalis in illa,
Humanusque decor, sed erat cælestis Imago,
Aetherenusque vigor,flammas, & sydera vincẽs.
Mira supercilij grauitas pondusque venustæ
Frontis, & eximio fulgentes lumine vultus
Suspensas hominum mentes, atque ora videntũ,
Per longas immota mores retinere solebant.

135. In hiscè igitur tot, tantisque gratiæ,sanctitatisque communicandis monilibus, ac ornamentis cum omnipotẽtiã suã Dei filius Matri suæ magna fecerit,quis quæso illum,eidem magnũ hoc, insigneque donum beatificantis Visionis,quod nonnullis suis indulsit seruis, Matri,illi quam tantopere adamauit,vt illam suam amicam, suam columbam, suam dilectam, & electam suam,sororẽ, ac sponsam, cælesti Hierusalem, toti videlicet ciuium supernorum,Angelorum, hominumque clarè diuinam essentiam contemplantium congregationi quam simillimam vocare non dubitauerit denegare potuisse arbitrabitur? Licet enim Aristoteles lib.8. Eth. c.14. ad fin.dicat, *in honoribus, qui Dijs, aut parentibus exhibentur, nemini his referre dignam gratiam posse, sed qui pro viribus eos colit, eum probum videri, atque idcirco non licere Filio Patrem abdicare, Patri autem Filium licere videri? Reddere enim,* inquit,*oportet, eum qui debet. At quicquid fecerit Filius, nihil dignum collatis beneficijs faciet,quare semper debet,quibus autem debetur ijs dimittendi est facultas; igitur Patri quoque erit;* licet inquam dicat Philosophus filios Parẽtibus parem gratiam rependere minime posse.filius tamen Dei quam ipse ignorauit, & potuit,qui omnipotens DEVS est, & voluit, quia beneuolentissimus est, ipsaque increata Charitas, cui cum tantorum sibi olim à Ma-

Parentibus nemo dignã gratiã referre potest.

Dei Filius quia omnipotens suæ Matri dignã reposuit gratiam visionis beatif.æ.

Matre benignissima, conferendorum beneficiorum occurreret memoria, vtpote cuius in æternitate præsentia sunt omnia, fieri non potuit, quin eam suæ faciei diuinissimæ visione beatificante dignaretur, aliaque innumera conferret munera, quorum humana Natura capax esse potest. Atque ita optimus Dei, Virginisque filius non modo Matri dilectissimæ reddidit aquiualens, dignamque repēdit gratiam, verumetiam mensuram bonā, & confertam, & coagitatam luminis gloriæ dedit in sinum illum, qui eum nouem mensibus portauit, mirificisque delicijs recreauit; sicque factum vt tum, & alias sæpius inebriaretur ab vbertate domus Dei, & torrente cælesti liquidissimarum voluptatum potaretur, vereque in se experiretur filium sibi debitorem, optimum esse, fidelissimumque tantorum honorum retributione, solutorem.

B.V. Debitorem habet Dei filium, quia tanquā filius eā honorare tenetur.

136. Quam gloriam sane illustrissimā in Virgine agnoscens S. Method. Olympi, & Tyri Episcopus Martyr orat. de Purif. Virginis, pientissimo sane affectu congratulatur: *Euge*, inquiens, *euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo enim vniuersi debemus; tibi autem etiam ille debet. Proinde qui dixit: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, vt is decretum à se promulgatum obseruaret, & alios excederet, omnem Matri, & gratiam, & honorem impendit.* Pondera illud: *vt alios excederet*; & illud, *omnē*. Quibus sanè verbis obsequia, gratitudinemque omnem filiorum hominum in Parētes, Dei filium, grati animi significatione in dilectissimam Matrem infinitis interuallis excessisse intelligemus, dum illi omnem gratiā, omnem honorem alicui creaturæ rationali competentem retulit. Inter hos porro honores post Vnionem hypostaticam, Diuinamque Maternitatem, nil nobilius, nil excellentius, ac melius Visione beatifica reperiri posse, luculenter asseuerat Doctor Angelicus 1. Par. Q. 26. art. 6. ad 4.

Dei filius in honoranda Matre omnes filios hominū excessit.

Post vnionē hypostaticā, diuinamque Maternitatē nil præstantius visione beatifica.

137. Dicat igitur Virgo beatissima tot præuenta benedictionibus dulcedinis, dum in primo immaculatę suæ Conceptionis instanti, ipsius plusquam Angelicus intellectus ad Diuinam faciem contemplandam, absque vllo ænigmate, quo in eius pulchritudinem transformaretur, est subleuatus. *Dicat*, inquam, *Virgo, Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum Nomen eius*: Quæcumque enim in illa supremus Artifex à primo vitæ ipsius exordio operatus est, omnia magna, omnia ingentia sunt. Vnde B. Germanus Constantin. Patriarc. orat. de Zona Virginis; *Omnia*, inquit, *tua sunt admirabilia, ò Deipara! omnia supra naturam, omnia ingentia, & aliorum vires superantia*. Quæ videns sponsus, ac prę{s}ertim felicissimam illam in diuinissimam formam, venustatemque transformationem, incredibili animi sui lætitiâ, ac complacentia gestiens, mox illi aggaudere adhuc in vtero Matris delitescenti visus est Cant. 6. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Hierusalem, terribilis, vt castrorum acies ordinata*. Verè enim Deipara in prima sui conditione adhuc in vtero Matris increatam illam Pulchritudinem, DEVMque pacis, ad instar Angelorum reliquorumque beatissimorum Ciuium Hierosolymæ cælestis clarè videns, seseq; Deo, amore amicitiæ, fruitionemque arctissimè adstringens, cælestiumque deliciarum suauitate delibuta, & decore domus Dei mirificè delectata, & ipsa pulchra amica Dei suauis, & decora. Visio pacis ac Hierusalem beata, lumine gloriæ irradiata, Angelorumque omnium Hierarchias Cælitumque reliquorū gratias, perfectionesque complectens, facta est. Eadem verè terribilis euasit vt castrorum acies ordinata, cui in sacris literis Angelicæ legiones conferri cōsueuerunt, dicente Patriarcha Iacob conspectis Angelis Gen. *Castra Dei sunt hæc*. Quemadmodum enim Beatissimi illi spiritus, omnisque illa militia cælestis exercitus videt faciem Patris, qui in cælis est. ideoque toti inferno sunt terribiles: Sic Virgo gloriosissima in purissimo suo Conceptu ipsis illis beatis mentibus longè purior, sanctiorque vidit, ac deinceps, totius vitæ decursu sæpius clarè Diuinam essentiam, factaque est omnibus Tartareis phalangibus formidabilis. Vnde Albert. Magnus Tract. super Missus cap. 156. ostendere volens Dominationum proprietates esse in Deipara, ac præsertim Inuincibilitatem: *Ipsa enim*, inquit, *non solum in seipsa caput hostis contriuit, sed prædam totius generis humani, ab ipso abstulit, & in natura corporea, spirituum natura Angelicum superauit; in carne super carnem vixit, superbiamque victricem Diaboli vicit, & tandem diabolum cum suis Angelis omnibus supergrediens triumphauit*. Audiamus, & Origenem Adamantium Hom. 1. ex varijs ostendentem quantopere Orci teterrimis illis tenebrionibus fuerit Virgo horribilis: *Ecce Virgo*, inquiēs, *ad colligandum fortem armatum, ad conculcandum serpentis impij caput, ad conterendas vires* eius,

B.V. pulchra vt Hierusalē videlicet Angeli ac Cælitus reliqui qui vident faciē Patris.

B.V. terribilis vt castrorum acies, idest Angeli, qui castra Dei dicuntur.

Dominationum propri etas Inuincibilitatis, est in B.V. quia caput antiqui serpētis contriuit.

eius, ad prędam eius diripendam, & ad captiuitatem populi sui conuertendam.

138. Ob hanc eandem Diuinæ essentiæ contemplationem idem Albertus comparat Deiparam stellato firmamẽto cæli, quod secunda die creationis mundi fabricatum est, Dicente Domino Gen. 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas, ab aquis: firmamentum hoc est B. V.* inquit ille, *quę habet stellas, idest, coronam stellarum duodecim, omnium videlicet sanctorum in capite suo, posita est in medio aquarum, idest, sanctorum viæ, & sanctorum patrię, diuisa prius existens ab vtrisque supra communem statum viæ, & infra statum patriæ, communicans cum vtrisque, habens cum superioribus virtutum perfectionem, cum inferioribus merendi conditionem. Cum superioribus securitatem contra casum; cum inferioribus passibilitatem ad meritum. Intelligenda porrò est hæc virtutum perfectio, amore, seu fruitione beatifica formata, cum charitas quemadmodum in via, sic & multo magis in patria, pulcherrima sit virtutum omnium forma.*

B. V. est firmamentum stellatum in medio aquarum.

Charitas est pulcherrima virtutu omnium forma.

B. V in prima sui creatione velut Cęlum condita.

139. Quod porrò Virgo beatissima in prima sui creatione ad instar firmamẽti, siue cæli stellati à supremo artifice, admirabili in puritate, omni labe peccati liberâ condita fuerit, testatur etiam S. Damascenus orat. 1 de Natiuit. Deipar. qui S. Annæ Sanctissimæ Deiparæ parentis vterum in quo concepta est, ex tollens laudibus, exclamauit: *O beatum ac præclarum vterum, qui viuum cælum, cælis ipsis latius peperit. Hodie ex natura terrena Cęlum, in terra ille condidit, qui olim firmamẽtum, & aquis finxerat, atque in altum extulerat. Nam qui in illo solem effecerat, ex hoc iustitię sol ortus est.* Quemadmodum igitur firmamentum stellis corruscantibus radians, maiori luminari, sole videlicet illustratum, postridie summum consecutum est luminis decus ac ornamentum: Sic animatum hoc Virgineumque firmamentum, originali gratiâ, sanctitate, puritate plusquam Angelica, varijsque virtutibus ceu stellis, in immaculatę suę Conceptionis, ceu creationis instanti decoratum, vbi lumen gloriæ beatificũ, velut sol clarissimus accessit, omnis spiritualis pulchritudinis sortitũ est complementum.

B. V. cælũ ipsis cælis latius fuit.

In cælo Virgineo velut sol lumẽ gloriæ illuxit.

140. Hanc crediderim ob causam S. Epiphanium libro de laud. B. V. pronũciasse: *Dico illam esse cęlum, Thronum simul, & Crucem. Cælum verè erat Deipara, & solium glorię Dei, dum in Conceptione sua Diuinam essentiam, cuius intuitu cęlum omne beatur, est contemplata; tunc enim pulcherrimam illam cæli gloriam contemplans Diuinæ Maiestatis Thronus effecta, in cęlum purissimum, ac gloriosissimum est transformata.* Crux quoque est Deipara, cuius totius vitę decursus, assidua crux, Martyriumque fuit, quia erat viatrix, & tanquam Prophetissa præuidebat mentis oculis acerbissimos illos, quos dilectissimus eius filius pro ingratis mortalibus toleraturus erat cruciatus; ingratitudinem quoque eorundem mortalium, qui merita passionis, profusique sanguinis, pro nihilo fuissent habituri, ac per summum nefas proculcaturi. Alia denique multa atrocissima mundi scelera, calamitatesque, ipsius mentis oculis in Cõceptione occurrere successiue potuerunt, qui illam intimè adeo cruciarunt, vt ipsissima Crux esse videretur.

B. V. est cælũ, & simul Thronus, & Crux.

B. V. Crux dicta, quia totius suæ vitę decursu tanquam Prophetissa videns quæ euentura erant filio, cruciata fuit.

141. Crediderim denique in primo illo immaculatæ Conceptionis instanti, amantissimè à Deo Patre ad cõtemplandam ipsius Diuinam essentiam prout est in se, inuitatam fuisse Deiparam, verbis illis ipsius Parentis Dauidis: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuam.* Psalm. 44. Quam paternam sanè admonitionem expendens Leo Imperator cognomento Philosophus Hom. 7. apostrophe factâ ad Deiparam in vtero Matris mox Conceptam, sic loquitur: *Cùm adhuc in lumbis paternis contineteris, progenitor tuus clamabat: Audi filia, & vide, & cet. Audisti verè ò filia commonitionem, & oblita es populi tui, & sortis, & domus paternę, sortis videlicet illius, quam Eua progeneratrix toti generi distribuit, immenso illo dolorum cumulo, quasi hæreditatis vice dato. At nihil horum in domum tuam intulisti, propterea dilexit te Rex, ob animæ tuæ pulchritudinem, sponsamque sibi delegit.* Quibus verbis ostendit pientissimus in Virginem Princeps, in instanti suæ immaculatæ Conceptionis totam, visione illâ Diuinæ essentiæ, quam vt videret, Pater eam excitabat dicens: Et vide; Deificatam Deiparam, perinde atque si nil terreni admixtum in se haberet, perindè ac si careret parentibus, & nec Adamus, nec Eua in ea peccasset, nec eorum originario peccato, doloribus, ac reliquis calamitatibus, quæ quasi iure quodam hæreditario in miserrimos mortales omnes transfundunt, cõmunicasset, perinde denique atque si originem suam, de cælo à supremo illo luminum Patre, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminante, vel à primo rerum omnium Principio, per quod facta sunt omnia, ipsius solius omni-

B. V. in primo suę Concept. instanti à Patre æterno tanquam filia ad Diuinam Essentiam videndã inuitata.

B. V. visione Diuinę essentiæ in Concept. tota deificata.

B. V. ita à Deo condita vt suam originem de cęlo duntaxat à summo luminum Patre habuisse videretur.

omnipotentiæ, sapientięque quasi manibus ex nihilo efformata, deduxisset. Quod ipsa in se, velut singularem gratiā agnoscens, gloriabatur. Eccli. 24. *Ab initio creata sum.*

142. Cum igitur illi Pater æternus aiebat: *Audi filia, & vide*, monebat vt fide, quæ ex auditu est, crederet, & visione intuitâ, per propriam speciem Diuinam contempletur essentiam, eamque prout in se est intueatur. Sic monitum illud intellexisse visus est Chrysippus Presbyter Hierosolym. serm. de laud. Deipar. *Audi filia, & vide*, inquiens, *idest, adeo diligenter ausculta, vt etiam ipsis notitię oculis intueatis effectum.* Qua sane singulari gratiâ Virgo singularis inter puras creaturas omnes, singularem nacta est excellentiam, vtpote quæ, mirabili quadam ratione, claram visionem, obscuramque fidem, intellectu suo, Viatrix existens, concluserit. Angelus enim, & homo in cælesti patria DEVM clarè vident, sed non credunt, in via credunt, sed non vident in lumine gloriæ lumen illud inaccessibile. At verò singularis Virgo nostra, & credebat, & videbat, nō quod simul vtrumque esset in eius intellectu, quod repugnat, sed fides cibus illi erat ordinarius, clara verò Dei visio in huius vitæ ærumnis ac doloribus, ex absentia filij, leuamen, ac refocillatio suauissima.

B.V. obscurā fidem, & claram visionē in se habuit dum viatrix esset.

B.V. fides, cibus illi erat ordinarius, clara vero Dei visio in vitæ ærūnis, refocillatio.

143. Nec refert quod in primo illo instanti suæ conditionis, amore fruitiuō DEVM prosequendo mereri nō potuerit vtpote ad id faciendum necessitata, mereri enim potuit in sententia Scoti, & Vasquez, sicut Christus amore illo fruitiuo quatenus tendebat in creaturas. Credibile enim est Deiparam in instanti illo fælicissimo DEVM clarè videndo, vidisse simul creaturas, totumque humanum genus, cuius Regina erat constituta, eiusdéque necessitates omnes, ac miserias; atque ita non modo in amorem creatoris, verumetiam omniū mortalium vehementer exarsisse, summis votis filij Dei Incarnationem anhelando. Quod nobis declarauit Seraphicus Pater S. Bernardinus Senensis Tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 3. *Ex charitatis quoque ardore*, inquiens, *etiam humanæ Saluationis, toto affectu desiderabat Incarnationem Filij Dei. Nam & totus impetus primæ sanctificationis mentem huius sacratissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorū. Proinde omnes virtutes eius ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit, in ea tota conamine inflammabant animam eius. Ipsa enim fuit felix clausula totius expectationis, & desiderij, ac postulationis aduentus Filij Dei, in qua sicut in cono, id est, in Angulo, omnia desideria præcedentium electorum, atque sanctorum consummata, & terminata fuerunt, &c.* Sic ille.

B. V. amore fruitiuo quatenus tendebat in creaturas mereri potuit, ipsis compatiēdo, &c.

Totus impetus primæ Sanctificationis in Virgine Beata eā impellebat ad desiderādā Incarnationē per salute mundi.

144. Quod si denique dicamus cum Caietano, Ferrariensi, & P. Suarez, quēadmodum in Christo, duplicem actum amoris Dei fuisse in B.V. eius Matre, dū conciperetur, quorum alter Visionem beatificam sequebatur; alter verò scientiam infusam, dicere consecutiuè poterimus, primum quidem ex visione beatifica resultantem, vtpotè necessarium, minimè fuisse meritorium; alterum verò ex scientiâ infusâ fuisse liberum, ac proinde meritorium.

In B. V. sicut, & in Christo duplex actus Diuini amoris fuit.

145. Ex hactenus dictis colligimus quod cum in primo instāti Conceptionis suæ Deipara DEVM clarè viderit eā necessario ab omnis peccati originalis maculâ, hoc ipso præseruatam. Visio siquidem beatifica, nonnullorum Theologorum asseueratione, est formalis sanctitas, ac puritas, nullam vel minimi sceleris labeculam admittens, eiusque est naturæ, vt bonorum omnium, vtpotè summi Boni fruitio; redundantiam cōtineat, omnemque vel tenuissimam cuiuscunque tandem mali, ac miseriæ vmbram excludat. Siquidem Boetio teste; *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus:* & iuxta Philosophum: *Bonorum plenitudo, ac desideriorum complemētum.* Quare P. Suarez Tom. 2. in 3. Parte Disput. 19. sect. 4. contra eos disputans, qui licet Deiparæ omnia sanctorum priuilegia concedant, Visionem tamē beatificam pro præsentis vitæ statu collatā negant, eo quod nō sit, ex bonis ijs, quæ ad propriam sanctificationem spectant. Quod ille sine causa negari asserit. Cum donum hoc, inter ea, quæ ad propriam sanctificationem hominis pertinent, sit annumerandum. *Non enim*, inquit, *per se ad aliorum tantum vtilitatem, sed potissimum ad suscipientis bonum, ac perfectionem confert. Magnum enim spirituale bonum secum affert non solum, quia pro eo tempore, quo durat, totam animam Deo vnit, singularique eius amore, & charitate inflammat, quod per se satis esset, vt Virgini conferri deberet, sed etiam, quia transacta illa visione, memoria, & vestigium eius manens in homine, plurimum excitare potest ad illam clarè visam Dei pulchritudinem semper amandam, & maiorem cum Deo familiaritatem cordisque puritatem procurandam, ad peccata denique omnia detestanda, vt reuera detestata est Virgo nostra, cum alias sæpe, tū in illo primo suæ conditionis instanti, in quo,*

Visio beatifica est formalis sanctitas ac puritas.

Quid sit Beatitudo?

Visio beatifica est donum ad propriam sanctificationem hominis pertinens.

viso Deo, reddita impeccabilis, consecutiuè ab omni peccati originalis macula, tam primigenię iustitiæ, quam beantis visionis beneficio, præseruata est.

B.V. originalis iustitia ac sanctitas Angelica cur fuerit excellentior.

146. Qua ex re infertur ipsius originalem iustitiam, sanctitatemque Angelicâ longè fuisse excellentiorem, tum quia ipsi nô in primo suæ creationis instanti, sed in tertio eam sunt consecuti; vti supra diximus. Tum quia ab omni peccati originarij contrahendi debito fuit absoluta, habendo solum quandam obnoxietatem, ac remotam peccandi obligationem, quemadmodum, & ipsi Angeli, ex quibus cum aliqui peccauerint, hoc ipso Angelica sane Natura, Vergine Deiparâ inferior sit necesse est. *Gratia enim in primo Conceptionis momento, communicata Virgini fuit minimè vacillans, aut nutans, sed semper constans, ac perseuerãs, qualis non fuit Angelorum, quorum aliqui, vti diximus, peccantes, vt ait Apostolorum Princeps, rudentibus inferni detracti in barathrum traditi sunt cruciandi.* Ex quibus omnibus mirifica Virgineæ gratiæ, sanctitatis ac puritatis in primo ipsius conditionis puncto impertitæ elucescit excellentia. In primis enim sacratissima Deipara sancta ac pura effecta est per habitum gratiæ, originalisque iustitiæ ipsius animæ infusum: deinde per actum dilectionis Dei, qui iuxta aliquorum vti dictũ est, Theologorum sententiam, animam quoque formaliter sanctificat; ac tandem perfectissimè sancta reddita est, per ipsam visionem beatificam, quæ & ipsa, vt dixi, formalis est sanctitas. Hæc enim cũ animam totam in DEVM, lucem illã sempiternam atque inaccessibilem, in qua nullæ sunt peccati tenebræ, in ipsum increatum denique illum iustitiæ solem transformet, sicut, & duæ illæ iam memoratæ sanctificationes, qui quæso fieri potuit, vt originale peccatum inueniret locum vllum in Tabernaculo illo Virgineo quod tam insigni, eaque trina sanctificatione sanctificauit Altissimus Pater, filius, ac Spiritus S.? *Ea enim Visionis beatificę est conditio, vt ea præditum, siue Angelum, siue hominem, in DEVM, admirabili metamorphosi transmutet. Hinc Vas illud electionis, siue electum ad illam beatificam contemplandam gloriam, hunc Dei clarum, beantemque intuitum expertus dixit: 1. Cor. 3. Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.*

B.V. per habitum gratię originalisq; iustitiæ, tum per actum dilectionis Dei ac demũ per visionẽ beatificam sanctificata in sua Concept.

Visio beatifica siue Angelum siue hominem in Deũ transmutat.

147. Diuinam hanc Virginis claritatem, inquam, à claritate habitus gratię, Diuinique amoris, in claritatem luminis glorię transformata est, clarissimum illud solare vestimentum, vti supra memorauimus, quo eam Ioannes amictam vidit, nobis expressit. Quare nullũ aliud symbolum, originalem Virginis nostræ sacratissimæ, nulli peccati maculæ obnoxiam innocentiam, puritatemque, ita nobis clarè repræsentare atque Planetarum omnium hanc Principem solem existimandum est. Quod nobis eo constabit clarius, si meminerimus Macrobium lib. 1. Saturn. ca. 17. testari, Apollinis, siue solis olim simulachrum, manu dexterâ Gratias; sinistra, arcum, sagittasque gestans exprimi consueuisse. Verissimè enim dum Virgo nostra in prima sui creatione æuiternum iustitiæ solem in suæ essentiæ sphæra est clarè contemplata, simul ab ipso plenâ manu, gratijs omnibus in eius animam congestis, est locupletata, adeoque Diuini amoris sagittis sauciata, vt dicere potuerit: *Vulnerata charitate ego sum.* Vnde factum vt & Virgo diuinissimum hunc iustitiæ solem intuendo, in ipsum similiter transmutata sit, nobisque eiusdem simulachrum, altera manu Gratias, quibus plena est, altera arcum, sagittasque gestans repręsentare, eiusdemque benignissimum solis genium in distribuendis cæli donis, ac charismatis; in mortalium cordibus, igne Diuini amoris accendendis, sagittisque charitatis vulnerãdis, eorum presertim, qui immaculatam eius Conceptionem, peculiari pietatis affectu venerantur, imitari videatur.

Nullus Planetarum ita nobis immaculatam Cõcept. B.V. repræsentat atque Sol.

Simulachrũ Apollinis dextra manu Gratias, sinistra arcum, sagittasque gestabat.

B.V. ab eterno iustitiæ sole in sua Concept. Gratijs omnibus ornata, & diuina charitate vulnerata.

148. Quare P. Salazar præclarè dixit, nullum aliud magis appositum simulachrum ad Virginem absque originarij peccati maculâ conceptam, eiusdemque gratiæ, sanctitatisque constantiam, firmitatemque, qua tunc donata fuit exprimendam excogitari potuisse, quam mulierem hanc Apocalypticam, sole vestitam, hoc est Visionis Dei clarissimis fulgoribus irradiatam, Lunam mundanæ instabilitatis, ac stultitiæ calcantem, ita enim ipsius Diuinæ Sapientiæ, sanctitatisque in ipsa Conceptione acquisitæ constantia magis elucescit. Verissimè enim dixit Sapiens Eccl. 27. 12. *Homo sanctus in sapientia manet, vt Sol: nam stultus sicut Luna mutatur.*; qualis mundus hic immundus esse consueuit. Vnde S. Greg. libr. 34. Moral. cap. 7. in *Luna*, inquit, *quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas tẽporalitatis accipitur.* Hinc S. Ioannes Mulierem hanc, vti supra diximus, Signum Magnum, id est, ingens miraculum, quod in

Amictus Solaris in Muliere Apocalyptica notat originalis gratiæ ac sanctitatis constantiam ac firmitatem.

Sol constãtię sanctitatis à B.V. in Concept. aquisitę symbolum.

in cælo apparuit, appellauit. Verè enim signum Magnum, ac miraculum, & quidem in cælo, ipsis videlicet Angelis Virgo extitit, eosque tantæ rei nouitate adeo obstupefecit, vt S. Epiphan. orat. de laud. Virg. exclamarit: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti.*

B. V. exercitus Angelorum in stuporem adduxit.

149. Hic porrò stupor in Angelis non inde prouenit, quod in prima sui conditione Virginem, originali iustitiâ sanctitateque viderint decoratã, hoc enim nil nouum ipsis videri debebat, cum & se, & Protoplastos nostros ita conditos fuisse sciuerint. Quid igitur est, quod in Virgine Angeli stupore dignum animaduertere? Obstupuere sane illud, quod Virginis gratia, ac sanctitas semper stabilis, firma, atque inconcussa, vt solis splendor permanserit, & nunquam variata, vt olim Angelorum, atque hominum vacillauerit, nec vllius ruinæ vnquam discrimini fuerit obnoxia. Hoc nimirum est, quod Angeli, tanquam ingens Miraculum præter ordinem, ac legem totius naturæ Angelicæ, atque humanæ, stupore attoniti suspexere. Videbãt. n. in illa naturę vitiatæ ordinẽ violatũ dum omnes, qui ab Adam per naturalem propagationem descendunt, in Adam peccent, & naturâ sint filij irę; ipsam verò, licet ex Ioachim, & Anna, cõmuni hominum lege generatam, in Adamo non peccasse, nec fuisse filiam iræ, sed gratiæ. Videbant, quod multo maiorem illis etiam peperit admirationem, supra omnia integræ naturæ humanæ, imo & ipsius Angelicæ iura eandem in sanctitate, puritate, gratiaque originali, quam in instanti purissimæ Conceptionis acceperat, omnimodâ stabilitate firmatam, quod nec Angelicæ, vti diximus sæpius: nec humanę Naturæ contigit. Videbant denique puellam hanc sanctissimam gloriam verè luti nostri, vt eam appellauit Hesichius, in ipso primo Conceptionis suæ instanti, nouo, quod illis non contigit luminis gloriæ beatisque Visionis Dei decoratam ornamento, ac proinde stupore attoniti, tantæ rei nouitate hæserũt; indignos se fortassis etiã arbitrantes, qui ei seruirent. Videturque illis contigisse quod Iosepho eiusdem Virginis sponso accidit, qui postquam sponsam Virgineam Diuino verbo fœtã, mirificosque Diuinitatis radios, toto ore oculisque euibrantem animaduertit, tantum decus admiratus, existimansque sese indignum eius consortio, à se dimittere, profundissimè sese abijciens, decernebat. De qua Iosephi humilitate audiendus Origenes Hom. 1. ex varijs: *Iustus erat Ioseph*, inquit ille, *& illa Virgo immaculata erat, sed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterij, & sacramentũ quoddam magnificum in eadem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat. Ergo humilians se ante tantam, tanquã ineffabilem rẽ, quærebat se longè facere, sicut & B. Petrus Domino se humilians, aiebat: Recede à me Domine, quia homo peccator sum: vel sicut ille Centurio ad eundem Dominum mittens dicebat: Non sũ dignus, vt intres sub tectum meum, quia neque meipsum dignum existimaui ad te venire. vel sicut S. Elisabetha ad ipsam B. Mariam locuta est. Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Sic & Ioseph iustè humilians sese in omnibus cauebat, & timebat sibi metipsi tantæ sanctitatis coniunctionem adhibere. Idcircò occultè eam dimittere volebat: Dimittam eam, inquiẽs, & à me, & à cognitione meâ eam longe faciam. Maior est enim eius dignitas, superexcellit eius sanctitas, nec meæ congruit indignitati.* Hæc Orig.

Cur B. V. Angelos in stuporem adduxit in sua przsertim Conceptione?

Stabilitas originalis gratiæ B. V. & Visio beatifica in instanti primo Concept. B. V. concessa, Angelos in stuporem adduxere.

Angeli priuilegia tam rara in B. V considerãtes indignos, se qui ei seruirent agnouerunt.

150. Vnde nil mirum Deiparæ tantâ sanctitate, gloriâque beatificæ Visionis decoratæ, tanquam vnicæ Phœnici Gratiæ, in tota creata natura, à sponso pulcherrimum illud elogium attribui: Cãt. 6. *Vna est Columba mea, perfecta mea, vna est Matris suæ electa Genitricis suæ*, gratiæ videlicet, quæ sicut Virginitate, ac fœcunditate;

B. V singularis dignitas ac sanctitas.

B. V. vnica Phœnix gratiæ.

Gaudia Matris habens, cũ Virginitatis honore;
Sic etiam in hac stabili, ac nunquam cõcussâ, aut peccato interruptâ iustitiâ ac sanctitate originali;
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Hoc nimirum est quod velut grande in tota Natura, ac Gratia Miraculum obstupuerunt Angeli, vt ait Epiphanius, quia nimirum huic vnicæ, dilectissimæque Ioachimi, & Annæ, ex terra compositæ filiæ tamgrande, tamque inusitatũ priuilegium, quod nec protoplastis fuerat concessum, indultum fuisse conspexerunt.

B. V. vnica Phœnix cui nulla vnquã reperta similis, ob firmitatem originalis gratiæ, visionemque beatificam.

151. Quare tam singularem, in hac Virguncula vnica, ad Diuinam Maternitatem in sua Cõceptione mox electa, Origenes suspiciens sanctitatem Hom. 1. ex Varijs præclarè pronunciauit: *Mater eius, Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater intacta, Mater eius; cuius Eius? Mater Dei Vnigeniti Domini, & Regis, omnium Plasmatoris, & creatoris cunctorum; illius, qui in excelsis, sine Matre, & in terra est, sine Patre. Huius igitur Vnigeniti dum dicitur, hæc Mater Virgo Maria, digna digni, immaculata sancti, ac*

B. V est Mater omnium Plasmatoris; qui in excelsis sine Matre, & in terra est sine Patre.

immaculatis vnaivnius! Vnica vnici. Hoc igitur vnicum sanctitatis solidæ, atque inconcussæ Miraculum, inter omnes cæli, terræque creaturas, mentes illas beatas tanta sapientia præditas in summam admirationem, stuporemque rapuerunt. Et iure sane merito. Quippe vt ait S. Amadeus Hom. 7. de laud. B.V. *Nihil inueniebatur illi simile in filijs, & filiabus Adæ; nihil illi simile cælum, & terra dedere; Quis enim in nubibus æquabitur ei, aut similis fores Matri Domini inter filios Dei?*

Nihil B.V. simile Cælū & terra dedere.

152. Ad singularem quoque hanc fortassis respiciens gratiam, eminentissimamque Virginis sanctitatem S. Augustinus ser. 5. de Assumpt. *Circumda*, inquit, *omnem creaturam in cogitatione, & vide si est similis Dei Genitrici Mariæ: circumi terrā, aspice Mare, sciscitare aerem, cælum mente scrutare, inuisibiles virtutes cogita, & vide si est tale Miraculum in omni creatura*. Idem prosequitur Augustinus, ostēditque summam inter Dei Matrem, omnemque creaturā esse dissimilitudinem, eamque in eo cōsistere potissimum adstruit, quod Angeli, & omnis alia creatura coram Deo tremebunda concidit, Virgo autem omni timore caret. *Quoniam*, inquiens, *quem tota creatura timore ac tremore laudauit; ista sola ineffabiliter thalamizauit, dum in vteri sui videlicet, Virginitate reliquisque virtutibus omnibus florentissimo thalamo, tanquam filium recepit*. Idē dicere voluit S. Ioannes Damasc. orat. 1. de Natiu. B.V. *sanè res omnes conditas dignitate antecelluisti, ex te enim sola summus ille Opifex partem assumpsit, hoc est, Missæ nostræ primitias, caro ipsius ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo, & lac ex mammillis tuis suxit DEVS, ac labia tua, Dei labijs vnita sunt. O' miraculum mentis captum, ac rationis facultatem excedentia! Te rerum omnium DEVS dignam præuisē amauit, amatam prædestinauit, extremisque temporibus in ortum produxit, Dei Matrem, suique filij ac Verbi nutritiam effecit*. Vbi ergo intercessit tantus amor ac familiaritas? quid mirum depulsum esse timorem, quid mirū illam coram Deo adstitisse impauidam, cuius originalis sanctitas semper immutabilis Deoque quodammodo simillima, semper constans ac stabilis permāsit, cuius salus nunquam in discrimen, vt olim fuit Angelorum, vocata est, de quibus iure merito dicitur Iob. 15. 15. *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius*. Et cap. 4. *Ecce, qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem?* Quid mirum igitur quod illa coram Deo nō expauescat, quæ de sua perseueranti sanctitate est secura? Quid mirū quod Angeli contremiscant adeo, vt de illis scripserit idem Iob. 41. 16. *Timebunt Angeli, & territi purgabuntur*. Quod nimirum tunc accidit, dum quidam ex illis venenosi Leuiathā, fastuosissimique Luciferi suggestioni consentientes, ipsius fraude, velut Draconis caudâ implexi, & ad rebellandum Creatori suo pertracti, ad ima infernalis barathri, veluti fœces defluxerunt. Atque ita, qui erant velut aurum, velut purissimi solis radij, vt lutum eius pedibus conculcati sunt, vt verissime idem Iob. v. 20. de Draconis huius virulenti pronunciauit insidijs: *Sub ipso erunt radij solis, & sternet sibi aurum, quasi lutum*. Iure igitur signum magnum, ac miraculum toti cælo, Angelisque stupendum Deiparam, Sole visionis beatificæ, ac lumine gloriæ, originalique iustitiâ, ac sanctitate stabili, nullo vnquam peccato interrupta, amictam appellauit Apostolus.

Omnes creaturæ coram Deo quasi tremebundæ concidunt, sola B.V. omni timore caret.

Labia B. V. Deo labijs vnit.

Instabilitas Angelorum in bono.

153. O' verè instans immaculatæ huius Conceptionis faustissimum, ac felicissimum, in quo tot tantique cæli fauores, ac gratiæ, veluti aurei imbres in purissimam huiuscé Virgunculæ animam defluxere! Quam concinnè ad rem nostram Asclepiades Poeta veritatem hāc adumbrans, fabulatus est. Scribit enim cum à sole amorum Dea adamata est, cælum, aureum stillasse imbrem, simulque terram rosas, liliaque passim germinasse; Sic enim ille:

In instanti Concept. B. V. aurei gratiarum imbres in eius animam influxerunt.

Cum sol Deā amorum adamauit, cælum aureum stillauit imbrē, & terra rosas, lilia q. passim germinauit.

Cumque Deum Deus accessit, guttis pluit auri,
Tempuresque rosæ fudere, ac lilia flores.

Verè enim, & minimè fabulosè; cum Sempiternus ille iustitiæ Sol Virginem hanc castorum amorum, si ita fari licet Deam, ac Nympham, imo Matrem pulchræ dilectionis, in fortunatissimo illo immaculatæ Conceptionis instāti adamauit, eamque tot gratijs, originali nempe iustitiâ, sanctitate, puritateque Angelica inconcussâ illâ, constantique stabilitate longè superante charitatemque plusquam Seraphicâ, ac demum lumine gloriæ, ad videndum clarè Deum tam mirificè decorauit, quid aliud egisse visus est, quam aureos imbres effundere, pulcherrimosque flores rubētium rosarum, candidissimorumque liliorum, imo virtutum omnium in anima illa, velut terrâ benedictâ, ac Virgineâ nulli Adæ maledictioni obnoxia, procreare?

154. O' quam aptè Instans hoc, Hora Aurea ab ipsa Virgine apud S. Brigittam lib. 6. Reuelat. cap. 55. appellata est! Sic enim ibi sanctæ illi viduæ loquitur: cau-

sam-

ſamque affert cur eius Conceptio immaculata extiterit. *Quando*, inquiens,

Ex obedientia & charitate Diuina Parẽtes B. V. conuenerũt, & non voluptate carnali.

Pater meus, & Mater mea matrimonialiter conuenerunt, plus fecit hoc obedientia, quã propria voluntas; & plus ibi operata eſt charitas Diuina, quam carnalis voluptas. Nam hora, in qua ego concepta fui, bene poteſt vocari Aurea Hora, & precioſa, Quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali, mei verò parentes

Inſtans Conceptionis aurea Hora à B. V. dicitur quia fuit principium ſalutis omnium.

conuenerunt ex obedientia, & præcepto Dei. Bene ergo Aurea hora fuit Conceptio mea. nam tunc incæpit principium ſalutis omnium, & tenebræ quaſi feſtinabant in lucem: DEVS namque ſingulare quoddam, & à ſæculo abſconditũ facere voluit in opere ſuo, quemadmodum fecit in Virga arida floreſcente. Addit tandem cauſam notatu dignam, cur omni-

Cur olim de B.V. Cõcept. immaculata dubitatũ ſit.

bus retro ſæculis immaculatæ Conceptionis ſuæ fuerit ſatis obſcura cognitio, deque ea tantopere fuerit dubitatũ. *Scito*, inquiens, *quod Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit DEVS, quod ſicut ante legem ſcriptam præceſſit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & poſtea veniret lex ſcripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus: ſic placuit Deo quod amici ſui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas in tempore præordinato clareſceret.* Addit Rutilius Benzonius Epiſc. Lauret. in Pſal. 86. cap. 40. huic reuelationi; *Eccleſiam eſſe velut auroram conſurgentem, & quaſi lucem ſplendentem,*

Sæculũ præſens dies quędã perfecta, in qua clare Conceptio B. V. immaculata mũdo illuxit.

creſcentemque vſque ad perfectam diem. Quã ſanè diem perfectam ac lucidiſſimam crediderim eſſe ſæculum hoc luce ſcientiarum omnium illuſtriſſimum, quo tot Viri præſertim Religioſi, & peculiariter minimæ huiuſcè noſtræ Societatis, tam pietate, quam literis clariſſimi, Diuini Spiritus afflatu, & Illuminatricis Virginis noſtræ, ceu ſtellę maris huius ſæculi ductu, ac irradiatione benigniſſimâ tam præclara literarum monimenta ad memoriam, gloriamque immaculatæ Conceptionis ſempiternam, profligatis omnibus ambiguitatis, errorumque tenebris poſteritati reliquerunt, vt in illis reuera ſiuè ſoliditatem, intellectũ planè conuincentis ſpectes doctrinæ, ſiue conceptum, ex quacunque eruditione, ſiue Theologica, ſiue Philoſophica, ſiue etiam Muſarũ literaturâ deprõptę vbertatem, ac copiã, nil addi poſſe videatur. Inter hos ſane omnes, ſaluo meliori iudicio, mihi emicare videtur eruditiſſimus, ac in Deiparam pientiſſimus Pater

Quirini Salazar opus de Cõcept. præſtantiſſimũ.

Quirinus Salazar, cuius opus pro immaculatæ Conceptionis defenſione ita inter omnia alia, quæ de hoc argumento lucem aſpexere, reſplendet opera, vt reuera eſſe plane videretur.

Velut inter clara minores
Luna faces, quantumuè alios premit Heſperus ignes.

155. Sed ad lineam. Verè igitur Virgineæ Conceptionis Inſtans ab ipſa æternæ Veritatis Parente, Hora Aurea vocitata eſt. Tum quia Concepta Virgine aurea illa reuehi viſa ſunt ſæcula, quibus in terris habitante Aſtrea, pax, iuſticia, virtuteſque cum bonorum omniũ abundantia floruere, Tum quia præter innumeras gratias, cælique munera, quibus velut aureis imbribus anima Deiparę ad inſtar terræ fertiliſſimæ irrigata eſt, acceſſit beatifica, claraque Diuinitatis viſio, à qua vel maximè, Aureæ Horæ ſortiri poteſt dominationem, cum Diuinitas, quam Virgo clariſſimè fuit intuita, auro, metallorum omnium Principi, cui obediunt omnia, comparari conſueuerit. Hinc Sponſa, in perſona Virginis, quæ iam aurum hoc, in ſua prima conditione viderat, vt in ſponſo Diuinitatem, Principatum obtinere nobis oſtẽderet, inter reliqua ipſius deprædicata elogia dixit: *Caput eius aurum optimum* Cant. 5. 11. Quod myſterium luce meridianâ clarius nobis elucidauit Apoſtolus: *Caput*, inquiens, *Chriſti, DEVS*, 1. Cor. 11, 3. Quẽ Virgo tanquam ſolem in propria Sphæra videns, in illum eundem ſpeculando ipſo aureo Conceptionis ſuæ momento transformata eſt. Atque ita illud quod de Eſthere Regina dictum eſt Eſt. 10. Virgo paruula, velut fons paruus, in lucem, ſolemque tunc conuerſa eſt, vti ſupra memorauimus.

Inſtans Cõcept. aurea ob hoc dicitur, quia aurea reuehi ex tunc viſa ſunt ſæcula.

B. V. Dei clara viſione, in Deum transformata.

156. Quod vt nobis facilius perſuadeamus, conſideremus illud quod Origines de S. Euangeliſta Ioãne huius Virginis filio, myſterium Trinitatis per diuinam reuelationem cõtemplante pronunciauit Hom. 2. ex varijs: *Non*, inquit, *Ioannes erat homo, ſed pluſquam homo, quando & ſeipſum, & omnia quæ ſunt ſuperauit, & ineffabili Sapientię virtute, puriſſimoque mentis acumine ſubuectus in ea, quę ſuperiora ſunt ſecreta, videlicet vnius eſſentiæ in tribus perſonis, & trium perſonarum in vna eſſentia, ingreſſus Non enim aliter potuit aſcendere in DEVM, niſi prius fieret DEVS. Vt enim radius oculorũ noſtrorum ſpecies rerum ſenſibilium, coloreſque non prius poteſt ſentire, quam ſe ſolaribus radijs immiſceat, vnumque cum ipſis, & in ipſis fiat: ita animus ſanctorum, puram rerum ſpiritualiũ, omnemque intellectum ſuperantium cogitationem, non ſufficit accipere, niſi prius incomprehenſibilem veritatis participationem dignus efficiatur habere. Sanctus itaque Theologus in*

S. Ioannes Apoſtolus non potuit aſcendere ad Deũ, niſi fieret DEVS.

DEVM

DEVM transmutatus, Domini verbum in Deo subsistere pronunciat, &c. Sic ille. Si igitur sanctus hic Theologus sola augustissimę Trinitatis per fidem cognitione cælestique reuelatione in DEVM, Diuinumque solem transformatus est, quanto magis Virgo nostra, clara ipsius Diuinæ Maiestatis, absque vllo obscuritatis ænigmate eiusdem Diuinitatis intuitiua cognitione, cum etiam per se, absque hoc lumine gloriæ, beneficio solo sanctificantis gratiæ, tota cælestis, tota diuina euaserit? vt merito Orig. Hom. 1. ex varijs, Angelum Gabrielem in fauorem Virginis, eius cognita dignitate, Iosepho sic loquentem introduxerit: *Ioseph noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Accipe ergo illam sicut commendatum cælestem Thesaurum, Deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam. Accipe eam sicut Vnigeniti mansionem, sicut honorabile Tēplum, sicut Domum Dei, sicut Creatoris omniū propriam, sicut Regis cælestis sponsi domum immaculatam.* Sic ille. Ex quibus omnibus hactenus dictis in Virgineo hoc animatoque Sole Planetarum reliquarumque stellarum omnium facile Principe, originalem puritatem, omni labe peccati carentem stabilem, ac constantem, ipsamque Angelicam transcendentem, ac demum donum illud præstantissimum luminis gloriæ, quo eius roboratus intellectus, & in ipso primo suæ conditionis momento vt alias sæpius dum nobiscum in hac mortalitate viueret, Diuinam essentiam clare vidit, satis abunde repræsentari perspeximus;

B. V. commēdatus cælestis Thesaurus, Deitatis diuitiæ, & plenissima Sanctitas.

157. Quare merito Vterum Sanctissimæ Annæ Matris nostræ Virginis, Cælū quoddā vocitare possumus, in quo Virgineus hic, purissimusque Sol nouem mensibus, tanquam in ornatissimo thalamo habitauit, illudque purissima Sanctitatis omnis luce decorauit. Cuius vteri gloriam considerans Pater noster Petrus Iustinellus Part. 2. Ducis Angelici c. 11. in eius honorem corollam quādam breuem contexuit nouem Salutationibus Angelicis, ternisque orationibus Dominicis, nouem item Doxologijs constantem, quibus beatissimæ Trinitati gloria, ob nobis donatam Virginem in Matrem, Aduocatam, atque Reginam dicitur. Porro Corolla hæc tribus constat partibus, & quilibet Pars Dominica oratione vnica, ternis Salutationibus Angelicis, totidemque Doxologijs componitur. In Prima parte postulantur tres gratiæ per merita illorum trium mensiū quibus B.V. in vtero

Vterus S. Annæ honorādus Coroll nouē Salut. Angelicū, &c.

Quæ virtutes petēdæ à B. V. in hac Corona.

S. Annæ cōmorata est. Prima gratia est, cognitio magnitudinis ac dignitatis ipsius Deiparæ, altera Amor filialis, tertia honor reuerentiæ plenissimus, quæ huiusmodi precatiuncula exposcenda sūt. *O' Virgo gloriosissima Maria precor te per merita illorum primorum trium mensium, quibus in vtero tuæ Sanctæ Matris Annę commorata es, vt mihi gratiam impetres, tuam dignitatem cognoscendi, amandi te filialiter, atque honorandi perfectè omnibus diebus vitæ meæ.* In Secūda coronæ parte iisdem orationibus iteratis postulandus ardens ipsius honoris zelus, ipsius virtutum imitatio, Gratitudo denique pro tot ipsius in nos beneficijs, subtexendo alteram hanc oratiunculam. *O' Virgo Sacratissima Maria obsecro te per merita aliorum trium mensium quibus in materno vtero demorata es, vt mihi impetres à dilecto tuo Filio zelum magnum tui honoris; tuarum perfectissimarum virtutū Imitationem, denique Gratitudinem pro multis ac magnis tuis in me collatis beneficijs.* In Tertia Parte premissis iam dictis orationibus, ac Doxologijs in honorem vltimorum trium mensium, postulanda rursus tria, Fiducia in primis in ipsam Virginē, deinde de omnibus tentationibus Victoria, ac demum in eius deuotione ac seruitio perseuerantia, dicēdo: *O' Virgo venerabilissima Maria, postulo à te per vltimorū mensium illorum merita quibus in materno vētre quieuisti, vt mihi à Sanctissima Trinitate impetres magnam erga maternam tuam pietatem fiduciam ac misericordiam, de omnibus tentationibus victoriam, denique in tuo obsequio ac deuotione perseuerantiam vsque ad finem. Amen.* Hac tam insigni deuotione erga Vterū S. Annæ, in quo veluti cælo B.V. Sol omnis puritatis nouem mensibus commorata est, optandum esset, vt omnes Deiparæ addicti clientuli quotidie vterētur, quo magis in vitę puritate, ac præsertim in prædictis virtutibus proficerent. Iam tandem ad reliquas solis proprietates gradum faciamus.

158. Hæ sunt omnino variæ, æque pulcherrimæ. Verum illa quam ipsa Veritas Christus attulit Matth. 6. mihi videtur longè pulcherrima, qua nos æterni Patris misericordiam æmulari desiderans, suasit proprietates solis imitari. *Estote,* inquiens, *misericordes sicut Pater meus misericors est, qui solem suum oriri facit super iustos, & iniustos.* Solem hunc Patris æterni, Diuinamque ipsius misericordiam, ipsumque filium, (qui sicut ipsissima est Dei Patris essentia, sic etiam ipsissima est ipsius misericordia) Virgo æmulata est. Solem hunc suum, misericordiamque suam

Sol Patris æterni est filius qui facit oriri super iustos, & iniustos, dū est ad nos missus.

suam tūc oriri fecit super bonos, & malos Pater, quando ad redimendum genus humanum, totumque mundum peccatorum, errorumque teterrimâ caligine tenebrisque inuolutum, infinitisque miserijs, ac calamitatibus oppressum, filium, vt Misericordiam suam effusimā, vt solem lucidissimum in mundū misit. De hac Misericordia vaticinatus est Dauid Psal. 56.4. *Misit DEVS Misericordiam, & veritatem suam*. Quam postea Misericordiam, ceu solem nube carnis nostræ amictam, Templum cum Virgine Matre irradiantem dum videret, sublatis in cęlum oculis, ac manibus DEVM effusè exclamauit: *Suscepimus DEVS Misericordiam tuam in medio Templi tui, secundum Nomen tuum sic & laus tua.*

Christus sol iustitiæ est ipsa Misericordia à Patre æterno missa ad nostras miserias tollendas.

159. Et quoniam Christus identitate carnis idem est quod Virgo Deipara, vt ait Card. Dam. ser. de Annunc. merito dicere possumus, solem alterum Patris æterni illam esse, quem ad pientissimam Misericordiam suam mundo manifestādam, eumque ab innumeris peccatorum miserijs liberandum misit. Quæ sanè in primo suæ Conditionis instanti Patris æterni Essentiā, veluti immensam quandam solis sphæram clarè contemplando beantis illius visionis beneficio in æuiternum illum solem, vti sæpius diximus, admirabili plane metamorphosi transformata, tam illius omnipotentiā, quam reliqua attributa ac perfectiones, ac præsertim misericordiam nobis repræsentauit. Cum igitur solem hunc radios suæ beneficentiæ, toto terrarum orbe diffundentem, omnesque passim, nullo proborum, in proborumué, habito discrimine, irradiantem cernimus, intelligamus illum viuam spirantemque Virgineæ Misericordiæ Imaginem esse. Vnde S. Bernardus serm. de verbis Apoc. *vt ostēdat Mariam benefici esse solis Imaginem, ait illam solem, siue solis naturam induisse: Nimirum ea est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseretur affectu*. Audiendus hic Richard. à S. Laur. lib.4. de laud. B.V. *Maria*, inquit, *Sol est propter vtilitatem suæ misericordię. Merito ipsa soli comparatur, quia sicut vtilior ille omnibus est creaturis, quæ sub cælo sunt: sic illa Misericordia, quam eius viscera effuderunt in terram, videlicet dilectissimus eius filius. Ab ipsa etiam iam in cælis regnante, cunctis fidelibus misericordia ministratur*. Idem libr.7. expendens elogium illud: *Electa vt Sol. Sicut sol, inquit, ad hoc factus est, vt illuminet totum mundum, sic Maria à Deo ad hoc facta est, vt misericordiam, veniam, & gratiam, & gloriam quasi lumen à Deo impetret toti mundo. Sicut sol tantæ liberalitatis est, vt à nulla creatura quantumcumque fætente, & sordida, si sit ei exposita radios suos auertit; nec contra quantumlibet speciosam illustrat si abscondatur ab eo: Similiter nec Maria à quocunque vilissimo peccatore ipsam fideliter inuocante suæ respectum pietatis auertit: nec quantum libet aliquis magnus fuerit per literas, diuitias, aut honores ipsum irradiat, si ipsam negligat inuocare; Multos tamen præuenit, vt velint, & volentes prosequitur, ne frustra voluerint, vt de ipsius filio dicit August. Et sicut sol ex quo mane surrexit tota die ad ostium præstolatur, paratus domum intrare si ei aperiatur: similiter Mariæ, ex quo ascendit in cælum videtur dicere cum filio. Ego sto ad ostium, & pulso*. Apoc.3.

B.V. alter sol, & altera Misericordia, ob identitatem carnis cum Christo.

Sol est misericordię B.V.

B.V. solis naturā induit.

B.V. sol est ob nostram vtilitatem.

A B.V. nunc in cælis regnante cunctis fidelibus misericordia ministratur.

Si diues, & literatus B.V. negligit, ab ea non illustratur.

B.V. solicitudo in animabus nostris visitandis.

160. Agnouit quoque effusissimæ pietatis Virgineæ typum esse solem Pelbartus libr. 5. stell. Part. 2. art. 1. *Beata Virgo dicitur electa vt sol*, inquiens, *in primis ratione influxus, quia sol omnia sydera excedens in claritate influit, superioribus lucem, inferioribus vitam. Vnde Plato in Timeo; Splēdore, inquit, solis, & cælum, & omnia infra cęlum illustrantur. Item Aristoteles lib. de Elem. sol proprium lumen habet, omnes autem stellæ acquisitum à sole. Et lib. 2. de Generat. Motus solis in obliquo circulo est causa generationis, viuificationis, & corruptionis in his inferioribus: Sic B.V. Maria influit superioribus, idest, sanctis Angelis lucem gloriæ, inferioribus, hominibus scilicet viatoribus, vitam gratiæ. Vnde Anselmus: Cur, inquit, ò Domina mea solum loquor beneficijs tuis plenum esse mundum? cum & infernum penetrent, & cælos superent. per plenitudinem enim gratiæ suę, qui in inferno erant lætantur se esse liberatos, scilicet SS. Patres, & qui in mundo sunt exultant se saluatos, & qui supra mundum sunt, Angeli videlicet gaudent se restauratos*. Hæc ille. Idem Pelbartus lib. 2. stell. Par. 3. art. 2. cap. 7. Misericordiam hanc Virginis, lucem suam, toto terrarum orbe diffundentem, ait esse vnam ex stellis 12. sacratissimū eius verticem coronantem. Cum enim ibi verba illa Virginei expenderet. Cantici. *Et Misericordia eius à progenie in progenie*. *Merito*, inquit, *B.V. gloriatur in suo Canticō de hac stella miserationis Diuinæ. Quia nusquā maior Dei misericordia erga nos ostendi potuit, quam in hac Incarnatione facta ex Virgine, in qua pro nostra liberatione solus ipse DEVS se humiliauit, descenditque vsque ad pœnam nostre miseriæ, vt nos releuaret. Vt autem, ò homo, agnoscas quantum Dei misericordia exhibi-*

Quid B.V. Angelis, quid hominibus motu suo velut sol præstet.

Misericordia B.V. qua lucē suam omnib. effundit est vna ex stellis in corona ipsius.

Maxima misericordia ostensa per Incarnationē factā ex B.V.

tasi, & exhibeatur vsque in finem per Mariã, obseruã, quod a principio non fuit, nec est, vel erit, nec potest esse tam sceleratus peccator, qui dum ad B. V. se conuerterit, vt decet, misericordiam non consequatur. Hoc testatur Anselmus. *O beatissima Virgo Maria, sicut omnis peccator à te auersus, & à te despectus necesse est, vt intereat, ita omnis peccator ad te conuersus, & à te respectus impossibile est, vt pereat. Quia Beatissima Virgo cum sit Mater misericordiæ, nullum peccatorem, dummodo conuertatur, & ad eius miserationem fideliter redeat, ac perseueret, dimittit, quin pro eo intercedens, veniam obtineat, & gratiam; Idcirco idem Anselmus dicit: O felix Maria, tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplectens, nec deseris quousque DEVS per te placatus ipsum gratiæ suæ reformet.* Quod si denique Mater misericordiæ ipsa S. Maria non fuisset, mundus iam pridem propter mortalium peccata perijsset, vt alibi ex S. Fulgentio ostensum. *Nunc enim verè apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Gratias igitur agamus Deo, quia per Mariam, misericordia eius à progenie in progenie timentibus eum omnibus manifestata est.* Hæc ille.

Peccator auersus a B. V. & ab ea despectus necesse est vt intereat.

161. Quibus sane luculenter ostendit Misericordiam Virginis stellam quandam esse primæ magnitudinis, ipsius gloriosissimum caput circumdantem, radiosque lucidissimos, ac potentissimos in cælum, in terram, in profundum abyssi, ac demum in totum vniuersum vndequaque diffundentem, qua remota, totus orbis densissimis innumerabilium miseriarum tenebris inuolueretur, imo sepeliretur, adeo vt præclarè mellifluus dixerit Bernardus serm. de Aquæ ductu: *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam han. maris stellam, maris vtique magni, & spatiosi, quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* Hinc S. Bonau. c. 3. in speculo in laudem Mariani gloriosissimi Nominis excurrens, cum dixisset illud, *Illuminatam, & Illuminatricem* significare, hæc subiunxit: *Considera quod Maria est illuminatrix per beneficia lucidissima misericordiæ suæ, per quam multi in nocte huius seculi illuminati sunt spiritualiter. Quid nos miseri, nos obtenebrati, quid in nocte huius sæculi faceremus, si tam lucidam lucernam, si tam luminosam columnam nō haberemus? Quid enim totus mundus valeret, si solem non haberet? Vides ergo quomodo Maria Illuminatrix est, per lucidissimam misericordiam suam.*

B. V. illuminatrix est per lucidissimã Misericordiã

162. Agnouit Virginalis huius misericordiæ, ceu pulcherrimæ lucis, toto orbe, nullo habito personarum discrimine, Hebræusné sit, an Græcus, barbarus an Scytha, diffusionem Richardus de S. Victore cap. 26. in Cant. *Talis, inquiens, fuit in virtutibus, tantaque fuit eius charitas, vt non solum ad eius gentem, Iudæos scilicet, extenderetur, sed ad ignotos, & notos, ad omnes denique homines dilatata fuerit. Pro his indesinenter orauit, pro his solicita fuit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo: Inuenisti gratiam apud DEVM, scilicet, quam quærebas. Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit, imo & salus omnium per ipsam facta est, vnde & mundi salus dicta est.* Eandem Virginalis misericordiæ vsquequaque diffusionem intellexit alter Richar. à S. Laurent. lib. 4. ex ipsius suauissimo, atque amabilissimo Nomine, cui elogiũ illud Nominis IESV celeberrimum applicat: *Oleum effusum Nomen tuum*. Quod ei, ratione misericordiæ eius attributum asserit, *Quod Nomen effusum*, inquiens, *si quis voluerit colligere, palato suo saporem, vulneribus suis medicinam, lucem tenebris suis poterit inuenire. Nunquid Mater misericordiæ, quæ plena est gratiâ Nomen suum. imis præcordijs inuocantem poterit despicere?*

B. V. misericordia ad omnes diffusa absque discrimine personarum.

B. V. omnium salutem desiderauit quæsiuit, & obtinuit.

Misericordia B. V. oleum toto orbe diffusum.

163. Agnouit effusissimam hanc Virginis Deiparæ etiam erga impios commiserationem, & quidem assiduã, Ioannes Gerson Tract. 6. in Magnif. dum ita ad Discipulum hac de re dubitantem, in persona loquitur Magistri: *Erras si miserationem vllo tempore, vel loco cum Cantico, vel silentio credideris in Maria defuisse, quæ Mater ideo dicitur misericordiæ, quia quodammodo sibi proprium est misereri miseris, quæ figuratur aptè per Templum, sine simulachrũ Athenis dedicatum, ipsi Misericordiæ, cui solis lacrymis, & gemitibus offerebatur sacrificium, non sanguine Hircorum aut Taurorum. fortassis ista fuit Ara, cuius titulum legit Paulus: Ignoto Deo.* Idem 4. Par. suorum operum ser. de Purific. B. V. eandem similiter Misericordiæ Templum appellat, quod increatam illam Misericordiam, suis recepit visceribus, à qua plenitudinem misericordiæ, pietatisque acceperunt, vt illa in totum genus humanum ad instar lucidissimorum radiorum posset effundere. Vnde factã ad illã apostrophe sic loquitur: *O Virgo dignissima tu Mater es misericordiæ, Thesauraria gratiæ, fons pietatis. Tu ea es, quæ hodie nos admones. offerendo, & præsentando misericordiam in Templo materiali: Tu ipsa es verum Templum misericordiæ, in Templo misericordiæ figuratum, de quo loquitur Statius Poeta Thebaidos libr. 12. dicens Athenis fuisse Templum quoddam Misericordiæ nũcupatum, in quo omnis creatura, auxilium, subleua-*

B. V. Mater misericordiæ, quia illi quasi proprium misereri sem per &. parce, re.

B. V. per templum misericordiæ Athenis ædificatum.

B. V. misericordiæ Templum, quia increatam Misericordiã in suis visceribus recepit.

leuamen, & consolationem recipiebat. Huius versiculos hic, quia mire Virgini nostræ fore congruunt, attexere libuit.

Descriptio Templi Misericordiæ ex Statio.

Vrbe fuit mediâ nulli concessa potentum
Ara Deum, mitis posuit Clementia sedem;
Et miseri fecere sacram. sine supplice nunquam
Illa nouo; nulla damnauit vota repulsa.
Auditi quicunque rogant. noctesque, diesque
Ire datum, & solis Numen placare querelis.
Parca superstitio, non thurea flamma, nec altus
Accipitur sanguis: Lacrymis altaria sudant;
Mœstarumque super libamina serta comarum
Pendent; & vestes mutatâ sorte relictæ;
Mite nemus circa, cultuque insigne verendo,
Vittatæ laurus, & supplicis arbor oliuæ.
Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei: mentes habitare, & pectora gaudet.
Semper habet trepidos; semper locus horret egenis
Cœtibus; ignotę tantum fœlicibus arę.

In Templo clementiæ nulla fit repulsa.

Vt porrò ostendat Templum hoc non humanâ manu, sed planè Diuinâ fabricatum, hæc attexit:

Fama est defessos acie, post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.
Fama minor factis. Ipsos nam credere dignum
Cęlicolas, tellus quibus hospita sęper Athenę,
Ceu leges, hominemque nouum, ritusque sacrorum,
Seminaque in vacuas hinc descendentia terras
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium. vnde procul starent iræque, minæq;
Regnaque, & à iustis fortuna recederet Aris.
Iam tunc innumerę norant altaria gentes
Huc victi bellis, patriâque à sede fugati
Regnorumque inopes, scelerumque errore nocentes
Conueniunt, pacemque rogant.

Sic ille, & præclarè sanè ad rem nostrã. Verè enim Virgo nostra, Cælicolum arte commune mortalibus ægris sacratum est confugium, ad quod miseri quibuscunque aduersæ Fortunæ iactati casibus tutissimum Asylum, ærumnarũque suarum remedium inueniunt. Vnde prosequitur Gerson. *Talis es tu Virgo dignissima. Tu es verus refugij locus, rationabiliter comparatus illi, quem ordinauit Romulus fundando Romam, in quo omnes malefactores, in securitate erãt, & libertate. Te igitur precamur Virgo gratiosa, vt secundum proprietatem tuam, naturalemque conditionem nunc nobis Misericordiam adducas, quam deuotè recipiamus, ac perseueranter retineamus*. Hæc ille; ex quibus intelligimus Deiparam non modo Misericordiæ Templum, in quo æuiternâ illa substantialisque Dei Patris Misericordia, nouem mensibus habitauit, verumetiam commune calamitosorum hominum Asylum esse, ac refugium.

B.V. verus refugij locus ac Asylum miseris.

164. Quod agnoscens S. Ephræem Syrus sic Virginem allocutus est in orat. B. V. *Immaculata, impolluta, incorrupta, pudica Virgo, Dei sponsa, Domina nostra, quæ Dei verbum hominibus, mirifica tua Conceptione conciliasti, rebellemque humani generis naturam cælestibus consociasti, vnica spes desperatorum, oppressorum subsidium, & ad te recurrentium auxilium præsentissimum, omnium deniq; Christianorum Refugium*. Et rursus ser. de Deip. eandem omnium esse humanarum miseriarum leuamen agnoscens varia ei attribuit elogia. *Tu peccantium, & auxilio destitutorum Adiutrix. Tu Portus, procellâ vexatorum, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima. Tu orphanorum susceptio, tu captiuorum redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium salus. Tu mundi lætitia, ò Domina. Sub alis tuis custodi me, & protege, & miserere mei; non mihi alia fiducia Virgo syncera. Tu meus portus ò Virgo inuiolata, & pręsens Auxiliatrix. Denique sub tutela, & protectione tua totus sum*. Et paucis interpositis eam peccatorum Asylum agnoscens sic salutauit: *Aue iucunda libertas, Aue refugium, peccatorum, & Hospitium. Aue spes omnium prol orum aduersis casibus afflictorũ. Aue conuersorum refugium*. Idem hoc miserorum calamitosorumque Confugium sciens esse Deiparam, ita Baptista Mantuanus lib. 1. Part. cecinit:

B.V. vnica spes desperatorum & omnium Christianorum Refugium.

Sub tutela, & Protectione B. V. toti sumus.

B.V. Conuersorum Confugium.

Ipsa est aduersis commune in rebus Asylum.

165. Agnouit tutissimum Asylum ac refugium esse omnibus eandem Virginem, quibuscunque in calamitatibus, ac miserijs constitutis P. Iacobus Pontanus noster libro 2. de Virg. M. dum sic cecinit:

B.V. cõmune in rebus aduersis Asylũ.

Laudes silete Virginis
Quicunque duris casibus
Illius incassam fidem
Rogasse meministis probè.
Laudes sonate Virginis
Quicunque duris casibus
Illius orantes fidem
Factos tenetis compotes.
At quæso quis mortalium
Per iniquiora tempora
Ad tam benignam Virginem
Preces profudit irritas?
Commune Asylum est omnium,
Et adiuuare nos potest.
Ipsius illa Mater est
Qui diligit quos condidit.
Quapropter omnes Virginem
Laudate clementissimam
Vobisque centum guttura
Centumque linguas poscite.

Nemo tẽporibus iniquis ad tam benignam V. preces fudit irritas.

Ad B.V. clementissimam laudandam, centum guttura cęlumq. poscendæ linguæ.

Idem Pontanus Deiparam Templum esse ipsius misericordiæ, potentiâque

sua pene infinitâ miserias, ægritudines, aduersitates, calamitatesque, quibus assiduè mortales iactantur, à ceruicibus nostris amolientem non ignorans, ita illi modulatus est:

Pape quis huius Virginis potentiam
Seu mente secum consequatur cogitans,
Seu comprehendat paginarum millibus?
Lustrare quà terras nouus sol incipit,
Et qua iam color esse desinit,
Tua populi venerantur omnes Numina,
Placantque donis te probatioribus,
Suæ salutis confitentes auspicem.
Quis pressus oro incommodis non ad tuam
Confugit opem? quis non timens hostilia
Tibi accidit? tu liberas ab hostibus.
Immaniore fractus ægritudine,
Te sospitante viuis, & valens fuit.
Quid prædicem ereptos marino gurgite,
Dum fœdere tuo premis habenas fluminum
Pacem procellis imperans frementibus?
Quis impeditus arduis negotijs,
Monitu tuo non se expediuit dexterè?
Sint magna quamuis ordienda, & aspera
Fide tua freti, opibus innixi tuis,
Vel maxima etiam audemus, atque asperrima,
Audis laborantes vocata pauperes,
Animamque reddis artubus frigentibus.
Quid denique soleas, quid & liceat tibi,
Tabella multa in ædibus pendens tuis
Quemcumque signis edocet notissimis.

Omnes miserias, calamitates ac ægritudines à nobis B. V. amolitur.

Idem multis orbem calamitatibus inuolutum, bellisque, ac fame mortalitateque pressum cernens, Virginis misericordiâ fretus, ad illam summo pietatis affectu tanquam ad Asylum, tanquam ad sacram anchoram cõfugiendum docuit, dum ita cecinit:

Quam multa nos ab vndique
Circumdedere incommoda!
Nemo potest euoluere,
Queis obruamur fluctibus!
Ad cuius ergo dexteram
Nos applicemus tutius?
Cuius fidem testabimur?
Quem sentiemus vindicem?
Te Mater intactissima.
Defende, serua, libera,
Quibus piandis Filius
Crudele fatum pertulit.
Nam, quæ tua est benignitas,
Prodesse vis mortalibus,
Et, quæ tua est potentia,
Nil machinaris irritum.
Solare mæstos blanditer,
Solamen ô mœrentium:
Fessos leua laboribus
Leuamen ô sudantium.
Miles vagatur impius,
Et arma nos circumsonant,
Annona non sit laxior,
Sequitque mors impurius,
Compesce Martem, & auream
Tranquillitatem suffice:
Morbos, famemque in efferos
Immitte Turcas obsecro.
Iactamur ex erroribus,
Præpande nobis semitam,
Quod terris, exules sumus
Fac patriæ nos compotes.
Tu puritate purior,
Nos inquinati sordibus.
Tua ergo sanctimonia
Nostros reatus abluat.

B. V. solamen mœrentium, & leuamen sudantium.

166. Denique idem Gerson cit. Tract. 6. in Magnific. vt effusissimam Deiparæ misericordiam ostenderet, Virginea pietatis viscera illa, quibus totum mundum absque vllo personarum respectu complectebatur, ait, sæpe ob interitum mortalium fuisse conturbata, licet eius voluntas, Diuinæ perditionem illorum permittenti, esset conformis, in eaque suauissimè conquiesceret: *Nunquam*, inquiens, *pertractare potuit Maria totam vim tantæ seueritatis in Deo*: (disperdẽte nimirum superbos mente cordis sui:) *& calamitatis pondus in hominibus nondum damnatis, quin compassione moueretur, quin contesterentur beata viscera ipsius pietatis pro omnibus hominibus, præteritis, & futuris, atque præsentibus quantum in se erat conformiter ad filium redimendis, & saluandis. Lætam quidem non negauerim Deiparam in conformitate voluntatis ad DEVM: (lætabitur enim iustus cum viderit vindictam, qualis planè iustitia fuit in Maria, cum viderit vindictã:) sed acerbissimè contristatam simul cum vnico, propter iniquitates, peccata, & scelera, atque delicta, quæ talem dispersionem, & exinanitionem demerebantur, præsertim pro illis quos fore redimendos efficaciter præsumebat, & orabat verbis intus in corde formatis, & ore prolatis. Orabat autem quatenus iterato resurgeret ad vnionem, sublimationem, repletionemque bonorum. Nimirum cum filius in Cruce pendens pro transgressoribus orauerit. Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt; Audiebat sæpè talia Maria recordata misericordiæ filij sui, qui suscepit Israel puerum suum. Intuebatur ergo Maria dum caneret contra superbos, potentes, diuites, abyssum imperscrutabilem miseriarum, quæ inuocabant abyssum misericordiarum, in altera abysso, quæ est cataractarum Dei. Cataractæ hæ quid aliud dicunt nisi vias occultissimas Diuinorum Iudiciorum? de quibus Psalmus: Iudicia tua abyssus multa: qui terribilis est in consilijs, super filios hominum, in cuius manus horrendum est incidere, dum arripuerint manus eius iudicium, cum acceperit tempus, vt post misericordias iudicet iusti-*

Viscera B. V. sæpe ob interitum peccatorum cõturbata, conformando tamen suam voluntatem Diuinæ lætabatur.

Cataractæ significãt vias occultissimas diuinorum iudiciorum.

iustitias, quando reprobis est intonaturus: Ite maledicti, & cet. Grande malum proijci à facie Domini, & talis Domini: peius cum eiecti maledicuntur. Rursus malum additur, quia pergūt in ignem. Quod verò subinfertur; æternum; nec æstimari quidem potest quantum sit horrendum. Nonnè quæso hæc omnia conferebat frequenti cordis contemplatione Beata nostra prudentissima fœminarum? Nunquid non obsecro totus tremor, horror, & dolor occupabat pios artus suos, lacrymæque decoræ manabant, ex oculis, quamuis in Domini voluntate mens immota maneret? Concludit tandem in persona Discipuli, Mariani cordis amplitudinē, qua pietatis suæ visceribus orbem complectabatur immensa quædam habuisse spatia, & lucidissimum solis radium, quo S. Benedictus totum mundum comprehensum contemplatus est. Addit adhæc: Coniecturo de amplitudine cordis Mariæ, dum de Patre suo Salomone legitur, quod dedit ei Dominus sapientiam, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam quæ est in litore maris. Nemo fidelis dubitauerit, quin amplitudo cordis incomparabilis maior eminuerit in Maria. Hactenus Gerson de amplissimis misericordiæ Virginalis totum orbem complectētis visceribus; quę sanè summam in nostris miserijs, erumnis, ac tribulationibus, quibus in hac vita conflictamur parere nobis debent fiduciam, simulque persuadere, illam Patris æterni solem esse, lucentem super bonos, & malos, itaque toto orbe pietatis suæ radios diffundentem, vt non sit qui se abscondat à calore eius.

Cor B.V. qui miserijs hominum compatiebatur immēsa quidam habebat spatia.

Latitudo cordis B.V. multo maior quam Salomonis, quæ erat sicut est árena, quæ est in litore maris.

167. Quod agnoscens S. Agnes sic Sanctæ Brigittæ Deiparæ Virginis mirificam hanc deprędicauit misericordiam, vt habetur lib. 3. Reuelat. cap. 30. *Habuit*, inquiens, *Maria latitudinem excedentem, hoc est Misericordiam. Nam sic pia, & misericors fuit, & est, vt maluerit omnes tribulationes sufferre, quam vt homines non redimerentur. Nunc autem coniuncta Filio non obliuiscitur innatæ bonitatis suæ, sed ad omnes extendit suam misericordiam etiam ad pessimos, vt sicut sole illuminantur, & inflammantur cælestia, sic ex dulcedine Mariæ nullus est, qui non per eam, si petit, sentiat pietatem.*

B.V. habuit latitudinem misericordiæ excedentem.

168. Eadem misericordiæ Virgineæ amplitudo apud eamdem Sanctam Viduam lib. 1. Reuel. cap. 50. ostenditur luculētissimè pulcherrimo instituto Dialogo inter Matrem, & filium, in quo eādem Virginem, Lucem, solemque esse, totum hoc Vniuersum sua pietate irradiantem declarat. In primis igitur filius sic Matrem alloquitur: *Charissima Mater mea. Tu es quasi Aurora procedens cum serenitate, tu radiasti super omnes cælos, lux tua, & serenitas tua excellit omnes Angelos. Tu attraxisti serenitate tua solem verum, nempe Deitatem meam. In tantum vt Sol Deitatis meæ veniens in te, calore charitatis meæ calefacta sis super omnes; & splendore Deitatis, meâ videlicet Sapientiâ, plus omnibus illuminata sis. Per te tenebræ huius terræ fugatæ sunt, & omnes cæli illustrati. In veritate mea dico, quod puritas tua, quę mihi super omnes Angelos placuit, traxit Deitatem meam in te, vt ex calore spiritus inflammareris, quo verum DEVM, & hominē conclusisti, quo homines illuminati sunt, & Angeli lætificati. Ideo benedicta sis tu, à benedicto Filio tuo. Propterea nulla erit petitio tua ad me, quæ non exaudiatur, & per te omnes qui petunt misericordiam, cum voluntate se emedandi, gratiam habebunt. Quia sicut calor procedit à Sole, sic per te omnis misericordia dabitur. Tu enim es quasi fons largifluus de quo miseris profluit misericordia.* Cui Mater sanctissima sic respondit: *Omnis virtus, & gloria tibi sit Fili mi. Tu es DEVS meus, & misericordia, & à te est omne bonum quod habeo. De te procedit omnis misericordia, quæ innumerabilis, & indicibilis est.* Ad quæ filius Matri sic respondit; *Quia per dulcissima verba oris tui trahis misericordiam tuam à me, pete quodcumque vis, & dabitur tibi.* Cui Mater: *Fili mi, quia ego à te misericordiam consecuta sum, ideo misericordiā, & auxilium peto miseris.* Inter hosce porrò miseros, animas Purgatorij, tanquam magis misericordiâ indigas primo loco collocat: *In Purgatorio*, inquiens, *indigent triplici misericordia, quia tripliciter affliguntur. Turbantur quippe auditu, quia nihil aliud audiunt nisi dolores, pœnas, & miserias. Affliguntur visu, quia nihil vident nisi miseriam suam. Affliguntur tactu, quia sentiunt calorem ignis intolerabilis, pœnæque grauissimæ. Da eis Domine mi, & Fili, misericordiam tuam propter preces meas.* Respondit Filius: *Libēter propter te dabo illis triplicem misericordiam. Primo auditus eorum alleuiabitur, visus mitigabitur, pœna remissior, & mitior erit; insuper quicunque ab ista hora sunt in summa pœna Purgatorij, venient ad mediam: & qui sunt in media venient in leuissimam pœnam; qui autem in leuissima pœna sunt, transibunt ad requiem.* Ad hęc intulit Mater: *Laus, et honor sit tibi Domine mi.* Et statim Mater subiūxit ad filiū: *Alter locus tuæ misericordiâ indiget, est Mundus, & ipsius habitatores, tribus potissimùm indigent: Primo contritione pro peccatis. Secūdo satisfactione. Tertio fortitudine ad benefacienda.* Cui Filius: *Omnis quicunque Nomen tuum inuocauerit, & spem habuerit in te, cum proposito commissa peccata emendandi; hæc tria*

Christus suæ Matris laudes ac præsertim misericordiæ pangit.

Splendore Deitatis, Diuinaque Sapiētia magis quam omnes Angeli B.V. illuminata.

Nulla est petitio B V ad Filium, quæ non exauditur.

B.V. fons largifluus de quo miseris profluit misericordia.

B.V. orat pro animabus Purgatorii.

Animæ Purgatorii triplici misericordia indigæ.

Quibus tribus homines huius mundi indigeant.

Christus ita sibi coplacet in Matre, vt ei negare nō possit, quæ petit.

ei dabuntur, insuper & Regnum cæleste. Tanta enim est mihi dulcedo in verbis tuis, vt nō possim negare quæ petis, quia nihil aliud vis, nisi quod ego. Tu denique es, quasi flamma lucens, & ardens, qua luminaria extincta accenduntur, & iam accensa conualescunt: Sic ex charitate tua, quæ ascendit in cor meum, & attraxit me ad te reuiuiscent, qui in peccatis sunt mortui, & tepidi, qui quasi fumus sunt nigri, in charitate mea conualescent. En quam ampla, quam late potentia sunt hæc misericordiæ viscera Deiparæ Virginis nostræ, ipsius filij Veritatis æternæ attestatione, siquidem mundū vniuersum quantus quantus est, cum omnibus animabus, et gallulis Purgatorij detentis, quæ ibidem piacularibus flammis cruciantur, amplectitur. Vnde ipsa Virgo, ob hanc suæ pietatis amplitudinem, eam latum Mantellum, seu pallium misericordiæ, quo orbis huius mortales omnes conteguntur vocitauit lib. 3. Reuelat. c. 17.

169. Agnouit Venerabilis Guerricus Abbas serm. 1. de Purif. Latum hoc misericordię pallium totum orbem contegens in Virgine Deipara, ex eo quod filium velut lucem, ac cereum ad orbem suā misericordiā illuminandum nobis protulit; postquam enim Sanctum illum Senem Simeonem amplexantem paruulum introduxisset sic loquentem: *Inter vbera mea commorabitur, etiam cum reddam illum Matri suæ, manebit apud me. Et cum inter materna Vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea commorabitur, & Vbera quoque mea inebriabit misericordia vberi, & si nō quantum vbera Matris. Illa enim sicut singulariter est Mater summæ Misericordiæ,* sic excellēter habet Vbera Vberis misericordiæ. Tum conuersus ad Virginem: *Gratulor, & congratulor tibi gratia plena, quæ misericordiam genuisti, quam suscepi, tecum præparasti quem accepi. Tu ceream ministrasti, suscepto lumini Virgo Virginum, Virgini, dum incorrupta Mater incorruptibile Verbum* incorruptá carne vestisti. Sic ille.

B. V. sicut singulariter est Mater summæ Misericordiæ, sic excellēter habet vbera vberis Misericordiæ.

170 Denique Deiparam Virginem fulgentissimum esse misericordiæ Solē, tenebras miseriarum nostrarum ac præsertim peccatorum nostrorum effugantem testatur supra memoratus Gerson serm. de Natiu. B. V. vbi ostendit ob hāc miserationum suarum lucem, ipsam iure merito Auroræ Lunæ ac Soli comparari. *Anima,* inquiens, *postquam iacuit in tetra nocte peccati, seditque in tenebris, & in vmbra mortis, si tandem pia hæc Virgo Maria faciat orationem pro ea, lumen gratiæ circumfulgebit in habitaculo animæ, ita vt incipiat Aurora fieri, pulsis tenebris, nubibusque vitiorum. Quod si non tepescat, si non rursum decidat, ipsa progreditur de virtute, in virtutem quasi Aurora consurgens. Fit præterea pulchra vt Luna, in vi concupiscibili, ratione dilectionis, & deuotionis. Reddit enim deuota dilectio animam pulchram, facilemque ad lacrymarum humorē. Talis erat illa quæ dixit; Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Electa vt Sol in rationali ratione cognitionis, quam non habuisse conqueruntur impij dicentes: Et sol iustitiæ non illuxit nobis: Terribilis denique fit, vt castrorum acies ordinata, in vi irascibili, ratione potissimū Diuinæ protectionis, quam B. V. videlicet sua pientissima oratione nobis impetrat. Nam quia iam anima habitat in adiutorio Altissimi, ipsa in protectione Dei cæli commoratur. Fortitudinem hanc expertus est ille luctator Iacob, surgente Aurora, Deipara videlicet Sole iustitiæ grauida, qui ab Angelo benedictus emarcuit in femore, & claudicauit non perdens fortitudinem, sed commutans. Perdidit carnalem, & spiritualem adeptus est, sicut illi, de quibus Propheta: Qui sperant in Domino mutabūt fortitudinem.* Hęc Gerson, de Virginei huius Solis, radios suæ pietatis in omnes etiam peccatores effundentis mirificis effectibus; ex quibus, reliquisque hactenus dictis facile inferre possumus, Deiparam huius mundi, Solem esse verissimum tam ob puritatem, omni maculā carentem, quam misericordiæ lucem vndequaque se diffundentem, ac porrigentē, à cuius splendore, ac calore mortalium nemo se potest, vti diximus, abscondere.

B. V. ob miserationum suarum lucem Auroræ Lunæ, & Soli comparatur.

Quomodo peccatrix anima ad Deum conuersa fiat Aurora, tum pulchra vt luna, & electa vt Sol.

B. V. Diuinæ protectionis nobis impetrat.

171. Et quoniam Sol, pulchritudinis ac Diuinitatis symbolum apud veteres esse cōsueuerat, rectè dicere poterimus, Virginem nostram gloriosissimam, tam interiori animi, quam exteriori corporis pulchritudine, ac nescio qua Diuinitate Solis viuum, spiransque fuisse simulachrum. Hanc Diuinæ propemodum pulcritudinis inter omnes fœminas in Virgine nostra filiæ Hierusalem admiratæ præstantiam, eam Soli, Lunæ, reliquisque syderibus, stupore attonitæ cōferentes, exclamarunt: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Cant. 6. Qua similitudine eminentissimam Deiparæ fuisse venustatem indicarunt. Hisce enim similitudinibus etiam prisci Poetæ, ac scriptores in amplificanda alicuius venustate, vsos fuisse constat, vt passim videre est.

Sol Pulchritudinis, & Diuinitatis symbolum.

B V pulchritudine interna, & externa, nec non Diuinitate quadam viuū est Solis simulachrum.

Certè Theocritus (ex quo Pater Caspar Sanchez censet, Salomonem modū sui epithalamij siue cerimoniā desumpsisse). Helenæ prodigiosam illam formæ præ-

præstantiam describens, sic cecinit. Idillio 18.

Quemadmodum Aurora exoriēs decorum ostendit vultum,
Cùm brumæ inuisæ, abeunte longâ nocte, candidum apparet ver,
Sic Aurea Helena, quæ ampla, & procera inter nos fulgebat.

Statius lib. 2. syluarum in Epicedio Pileti Vrsi adolescentis formosissimi eius venustatem dilaudans, eâdem celestium corporum vtitur similitudine;

Qualis erat procul heu cunctis puerisque, virisq;
Pulchrior, & tantam Domini minor, illius vnus
Ante decor. quantum præcedit clara minores
Luna faces, quantumque alios premit Hesperus ignes.

Eâdem Lunæ, Luciferi, stellarumque similitudine Seneca Poeta in Hypoliti celebranda pulchritudine vsus est: Actu. 2.

Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior, quanto micat orbe pleno
Cum suos ignes coeunte cornu
Iunxit, & curru properante pernix
Exerit vultus rubicunda Phœbe,
Nec tenent stellæ faciem minores,
Qualis est primas referens tenebras
Nuntius noctis, modo lotus vndis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.

Leander quoque apud Ouidium de Herone sua Heroina pulcherrima loquens ad lunam, ait illi esse, & Diuinitate, & formâ quam simillimam;

Vera loqui liceat, quam sequor, ipsa Dea est.
Nec referam mores cælesti pectore dignos;
Forma nisi in veras non cadit illas Deas.
A veneris facie non est prior vlla, tuaque
Neué meis credas vocibus, ipsa vide.
Quanto cum radijs fulges argentea puris,
Concedunt flammis sydera cuncta tuis.
Tanto formosis formosior omnibus illa est:
Si dubitas, cæcum, Cynthia lumen habes.

M. Antonius duobus filiis ex Cleopatra susceptis Solis ac Lunæ nomen indidit.

Iulianus etiam Imperator Eusebiæ Imperatricis extollens venustatem orat. 3. sic loquitur: *Corporis vigor, ac species, & pulchritudo tanta, vt cæterarum Virginum decor obscuretur; quemadmodum splendentia sydera Lunæ iam pleno orbe micantis luce collustrata speciem omnem, ac lumen amittunt*, Hinc formosis Solis, ac Lunæ aliquando nomina indita, vti fecit M. Antonius duobus liberis, ex Cleopatra susceptis quorum vni solis, alteri Lunæ cognomē imposuit, vti scribit Plutarchus in Antonio. Horatius denique libr. 1 Satyra 7. Brutum solem Asiæ, ipsius verò comites stellas appellatos testatur:

Laudat Brutum, laudatque cohortem,
Solem Asiæ Brutum appellat, stellasque cohortem;

Brutus sol Asiæ dictus.

Appellat Comites.

B. V. ob pulchritudinem suam vincētem omnia terribilis vt castrorum acies dicitur.

172. Eandem formæ gratiam, vtpotè de viris etiam fortissimis subinde triumphantem exprimere voluere filiæ Hierusalem, altero illo elogio dum eam terribilem, vt castrorum aciem ordinatam prædicarunt. Tanta enim vis pulchritudini innata esse consueuit, vt absque annis, fortissimos Heroas, inexpugnabiles Hercules, ac Sampsones expugnare, ac domare, deque illis triumphum reportare valeat, Cùm enim forma conciliatrix amoris sit, & hic vincat omnia, iure Pulchritudo domitrix, ac Dominatrix fortissimorum quorumcunque vocitatur. Vnde Deianira vxor Herculis, quærebatur, tantum Heroem monstrorum domitorem Amore victum, ac prostratum, vt videre est apud: Ouidium in Epistolis.

Israelitę fortissimi, mulierum pulchritudine superati.

173. Amor hic fœminarum impudicus inuictum illum Dei populum Israelem, tot in prælijs ferocissimorum hostium triumphatorem gloriosissimum, cuius fortitudo erat similis Rhinoceroti, turpissimè expugnauit. Cùm enim Balac Rex, nullâ armorū potentiâ electam illam Dei gentem debellare posset, consilio vsus Balaam Arioli nefandissimi, eos fœminarum pulchritudine, nullo negotio prostrauit, vt videre est Num. c. 24. 24. & cap. 31. v. 16. Quod sceleratissimum consilium expendens Origenes Hom. 20. in lib. Num. *Ex hoc ergo apparet*, inquit, *quod nequitia vsus sit Balaam, & consilium dederit Regi, talia dicens: Populus hic non proprijs viribus, sed Deū colendo, & pudicitiam conseruando vincit. Si vis eos vincere, primum eorum pudicitiam deijce, & sponte vincentur. Sed aduersum hæc non virtute militum, sed mulierum decore pugnandum est, nec armorum vigore, sed mollitie fœminarum. Procul amoue armorum manum, & electam congrega speciem puellarum, ludentes pedibus eant, manibusque plaudentes. forma vincit armatos. ferrum Pulchritudo captiuat, vincentur specie, qui non vincuntur prælio. Verum vbi senserint eos mulieres manus dedisse libidini, & peccato inclinasse ceruices, non prius semetipsas cupientibus præbeant, quam de sacrificijs Idolorum a quieuerunt degustare, vt eo gente libidine, consilijs obtemperent fœminarū, & consecrentur prius Beelphegor, quod est Idolum turpitudinis.* Concludit tandem Origines paucis intercalatis: *Captiuantur ergo Israelitę non ferro, sed luxu, nec virtute, sed libidine, & fornicantur in mulieres Madianitidas,*

Israelitæ pudicitia, & castitate hostibus inuicti.

Forma vincit armatos, Pulchritudo ferrum captiuat.

Beelphegor Idolum turpitudinis.

das, & ira Dei insurgit super eos. Ex his colligimus apertè, pulchritudinem quoddã armorum genus esse validissimum, quãdam castrorum aciem, ad homines quãtumuis ferocissimos, atque generosissimos debellandos, ac prosternendos aptissimam.

Stellæ sunt cæli militia.

Stellarum, Lunæ ac solis arma sunt radiorum spicula.

174. Quod si denique per castrorum aciem ordinatam intelligamus stellas, quæ Deut. 17.2. *Cæli militia appellantur, cælestem planè Deiparæ pulchritudinem, in qua nil amplius desiderari possit, intelligemus*. Hinc in victoria illa contra Sisaram Debbora Prophetis suo cantico Domino modulata est: *De cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt*. Stellarum arma sunt radiorum spicula. Vnde S. August. libr. 7. de Ciu. cap. 16. ait *Solem, & Lunam sagittas habere, eo quod hæc duo sydera de cælo radios in terras vsque pertendant*. Dum igitur sponsæ forma terribilis vt castrorum acies ordinata vocitatur, summa eius pulchritudo non modo soli, & Lunę, verumetiam ipsis stellis comparatur.

Sol Luna, & stellæ apud Phœnices pro Dijs habita.

175. Qua similitudine nõ solũ eximiã, præstantissimam, ac cælestem, verumetiam Diuinam plane sponsę pulchritudinem fuisse ostendunt. Sol enim, Luna, ac stellæ Phœnicibus, alijsque populis velut Deorũ Numina summo in honore habebantur. Hinc etiam filiæ Siõ sponsam tãquam semideam, vtpotè per gratiam, diuinæ effectam consortem naturæ, Beatissimam celebrabant: *Viderũt eam filiæ Sion, & Beatissimam prædicarunt, & Reginæ laudauerunt eam*. Hinc olim Ethnici Virgines, oris, totiusque corporis dignitate conspicuas Deas appellare consueuerunt. ita Homerus Odyss. 6. Vlyssem Nausiacæ Alcinoi Regis filiæ formã Dea dignam commendantem introducit his versibus.

Virgines decoræ olim Deæ appellatæ.

Suppliciter te rogo ò Regina, DEVS, siue quis aut mortalis es
Si quidem Dea es earum, quæ latum cælum incolunt,
Artemidi te ego, Iouis Magni filia
Formaque magnitudineque indoleque quam pro ximè assimilo:
Siue aliqua es hominum, qui supra terram habitant,
Per beatus tibi Pater, & veneranda Mater
Per beati fratres.

Lunam præcedens in noctem Hesperus, solem vero mane Lucifer, cotũ quandam denotant Diuinitatem, & quare?

176. Quod si cum aliquibus dicamus in hiscè nouæ sponsæ cum magno illo cæli Principe Nuptijs, ignem in arula prælatum, vti Phœniciæ, Persarumque Reges, ob solis, quem, vt DEVM adorabant reuerentiam, consueuerant, merito in ea Solis, Lunæque Diuinitatem agnouisse pronunciabimus. Videmus enim orienti Soli quotidie ante ire Luciferum; Lunæ verò in noctem Hesperũ. Cum igitur Virginem nostram gloriosissimam Patris æterni filiam, Dei filij Matrem dignissimam, Sponsamque Spiritus Sancti purissimam, Auroræ, soli, stellisque siue castrorum aciei ordinatę cõferri audimus eximiam plane, cælestem, ac Diuinam quandam tam animi, quam corporis inditam ipsi fuisse elegantiam, filio quam simillimam censendum est. Cum enim Propheta Regius Dei filium humanam naturam sibi desponsantem Soli exorienti conferat: *In sole*, inquiens, *posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedẽs de thalamo suo*: consequitur sanè, vt & ipsius Virgo Mater, Soli iã cõparata in solemque, ipsum concipiendo, trãsformata, ipsius pulchritudinem æmuletur, eamque in se repræsentet. De huius spõsi pulchritudine Nazian. orat. 34. Pulcher, vt sponsus, magnus, ac celer vt Gigas. Audiamus etiam Nazianzeni fratrem Cæsarium Dialogo 1. *Sed enim, inquit, ad sponsalem pulchritudinem huius luminaris accedamus, ait enim de illo David. Et ipse velut sponsus egrediens ex thalamo suo, idest, verbis hiscè alacritatem, & temperamentum aspectus eius matutini exprimens; nam in exortu iucundus est omnibus, & velut sponsus aspicitur.*

Dum B.V. Soli, & Lunę comparatur, eiusdem quædam Diuinitas insinuatur.

Decuit vt Dei Matrem in vtroque homine esse pulcherrimã.

Formositas est stella in Corona B.V.

Nulla formalitas nec in statu coniugatarum, nec viduarũ, nec Virginũ par Mariæ in pulchritudine.

177. Decuisse porrò Dei Matrem in vtroque homine esse pulcherrimam ac formosissimam ostendit lib. 1. Par. 3. ar. 3. cap. 1. Seraphici Ordinis Pelbartus, *qui etiam formositatem hanc stellam in Regio illo duodecim stellarum Virginis in capite radianti diademate, appellat*. Decentiam hanc in primis Virgineis, figuris Estheris cõiugatæ, Iuditæ Viduæ, Rachelis, & Rebeccæ Virginis, exẽplis comprobat, quæ omnes sacrarum literarum testimonijs formã præstantissimæ fuisse perhibẽtur. Cum igitur figura similitudinem referre debeat figurati, consequitur sane Deiparam formæ elegantiã extitisse celeberrimam, adeo vt nec in statu coniugatarum, nec viduarum, nec Virginum, vlla par illi vnquam reperiri potuerit. Accedit, quod cum exterior corporis constitutio, mentis quoddam simulachrum sit, eiusdem pulchritudinem patefaciẽs, decuit corpus esse pulcherrimum, vt ex illo in cognitionem spiritualis venustatis deueniremus, cum corpus animę proportionatum, vt plurimum esse oporteat, vti forma materiæ esse consueuit. Hinc corpus humanum ob præstantiam ani-

animæ, omnibus brutorum corporibus præstantius, ac nobilius esse videmus.

Decebat insuper Matrem filio esse simillimam, cũ teste Philosopho 2. Filius Matri solet esse similis *Physicorum Natura sit vis insita in rebus similia en similibus procreãs. Nisi igitur natura impediatur aut erret filius, Patri Matriué simili sit necesse est. Cum igitur Virginis filius speciosus forma præ filijs hominum extiterit, cõsequitur sane, & Matrem speciosam forma, pre omnibus filiabus hominum, pulcherrimamque mulierum fuisse.* Nec impedimentum hic vllum, aut error interuenire potuit quin Mater filio similis euaderet, cum Dei filius in tempore de Matre, sine Patre, Spiritu S. operante, cuius perfecta sunt opera, genitus sit. Sicut ergo filius fuit pulcherrimus, ita Matrem quoque pulcherrimã esse oportuit. Ex præstãtia siquidem arboris, fructus, à qua productus est, præstantia intelligitur. Quod si Virgo nostra, felix, & omni laude dignissima, ab Ecclesia prædicatur, laudem sane etiam illam, eam nancisci oportuit, quæ est, pulchro corpori Virginitatem associatam videre. *Castitas enim in pulchris est multo laudabilior, quã in deformibus, quibus ergo laudibus extollenda erit Dei Matris illibata Virginitas, quę in Virgineo illo corpore, velut aureo annulo gemma preciosissima relucebat? Vnde ab Ecclesia mirè laudantur Virgines, quæ cum pulchritudine corporis, animæ venustatem sociarũt. Hinc de quadam canitur: Pulchra facie, sed pulchrior fide beata es, &c.* Hæc ferè Pelbartus.

B.V. habuit corpus pulcherrimum ipsius animæ proportionatum.

Sicut Christus fuit pulcherrimus, ita & Mater. ex præstantia enim fructus nobilitas arboris agnoscitur.

Virginitas B. V. in Virgineo corpore velut aureo anulo gemma relucebat.

178. Quid iam de interiori animi virginalis dicemus pulchritudine, qua non modo solem, Lunam, sydera, orbiumq; cælestium, verumetiam Angelorum reliquorumque omnium cęli ciuium nitorem transcendit? Hanc idem Pelbartus in puritate, in virtuositate, in sanctitate, perfectionisque sublimitate constituit, quæ omnia ille velut sydera in Virgineo vertice inter reliqua, quæ ei coronam illam 12. stellarum conficiunt radiare asserit. De puritate supra, multa iam diximus, hic sufficiat memorasse illa, quæ idem Pelbartus lib. 8. Par. 2. art. 3. cap. 3. in Virgineæ puritatis laudem adfert; Hanc ille ex D. Th. Petro Aureolo quadruplicem fuisse asserit. Primam vocat sanctificationis in Materno vtero; alteram innocentiæ; tertiam castitatis Virgineæ; quartam denique superuentionis Spiritus S. in Conceptione filij Dei. Prima puritate, sanctificationis videlicet, Protoplastorum in statu innocentiæ puritatem transcendit; hæc enim lapsa, ac labefactata est per peccatum: Virginea verò semper stabilis ac immutatã permansit. Transcendit etiam Angelorum puritatem, quia licet fuerint in bono confirmati, tamen nec crescere nec decrescere in præmio essentiali amplius potuerunt, vti potuit Virgo beatissima, quæ praclarissimis istis de virtute in virtutem progressibus, ipsi quodammodo superno omnium Principi admirabilis extitit. *Illius enim sunt verba illa.* Cant. 5. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* Accedit, quod Angelicæ Naturæ puritas aliquando vacillauerit, & in peccatum sit prolapsa: Virginea vero, vti supra fusè probatum, semper inconcussa perstiterit. Puritate quoque innocentiæ, Deipara omnem rationalis creaturæ, ob Diuinæ Maternitatis eminentissimam dignitatem, nitorem transcendit. hoc enim ipso quod in Matrem Dei electa fuerit, nullum in ipsam peccatum cadere potuit, quod nulli hactenus donatum fuit. Puritate etiam Virgineæ castitatis, omnes homines, Angelosque excessit. hominibus enim primũ integritatis huius exemplar extitit, vt nec primam similem, nec habere visa sit sequentem. Excessit Angelos, quia, vt ait Hieronymus, hoc retinuit per virtutem castitatis, quod in Angelis est necessitatis naturæ. Puritate denique illa, ex superuẽtione Spiritus S. & præsentia Dei in anima Virginis exortã, omnia creata excessit; tunc enim Mater Dei effecta est, qua Maiorem DEVS de absolutã suã potentiã nequit efficere, atque ita cõsequens est ei puritatem omnem, quæ creaturæ communicari potest, fuisse cõmunicatam. Puritatem hanc in animam Virginis ex præsentia æterni Verbi ac Spiritus Sancti productam iure merito Pelbartus ibidem considerans in illa prorupit verba: *Quis ergo mente capere sufficiat quantũ ipsa, præ omnibus nitidissima, summa puritate post DEVM refulgeat? O' Virgo gloriosissima super omnes sanctos, & Angelos purissima! O sanctarum sanctissima! O' omnium creaturarum Domina! cum tua enarrare non sufficiamus magnalia, hoc tantum prece humillimã flagitamus, quatenus per tuę puritatis merita sanctissima, deleas sordium nostrarum crimina, ducasque ad tui præduleissimi Nati Regnã felicia.*

B.V. Pulchritudo interior in puritate animi sita.

In B. V. quadruplex Puritas.

B.V. Puritas superat Protoplastorum, & Angelorũ Puritatem.

Puritas Angelicæ Naturæ aliquando vacillauit, at vero Mariæ nunquam.

B. V. Angelos excessit puritate Virgineæ castitatis, quia illi hanc sunt necessitate naturæ, vt vero B.V. per virtutem.

Oranda B V. vt per suæ Puritatis merita deleat sordida nostra crimina.

179. Stellam hanc puritatis sequitur altera, omnium videlicet virtutum, ornatus, summaque perfectio, qua Virgo nostra omnibus ratione præditis creaturis, ipsisque Angelicis Hierarchijs fuit superior, omnibusque palmam pulchritudinis præripuit. Quod agnoscens S. Ephræm

Ephraem Syrus serm. de laud. B. V. O' intemerata prorsusque pura Virgo Deipara, quæ solo Deo excepto cunctis superior exiftis! Formosior es ipsis Cherubin, & Seraphin, & omni exercitu Angelico, Pulchritudinem hanc virtutum ipsa Virgo in se agnoscens gloriabatur; Eccl. 24 *in me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis*. Virtutis summam Virgini communicatam perfectionem colligit idem Pelbartus libro 1. Part. 2. art. 3. cap. 6. ex illo S. Bernardi pronunciato: *Quantumlibet te affligas, quantumlibet te crucies, non dabit tibi copiam sui Dominus virtutum, nisi fueris virtutibus adornatus*. Cum igitur DEVS nulli nisi virtutoso copiam sui tribuat, sequitur quod B. V. Dei Mater, cui se DEVS in filium dare disposuerat, virtutibus fuerit decoratissima. Proinde dicitur à S. August. & Bernard. B. Virgo prius in anima, quam in corporeo vtero, Saluatorem, per fidem, spem, & charitatem concepisse. Quæ virtutes si in illa non fuissent, DEVS in ipsius vterum non venisset.

Virtutis summa perfectio B. V. cælitus communicata.

B. V. tanquam virtuosæ Deus sui copiam per Incarnationem tribuit.

180. De hac omnium virtutum perfectione absolutissima, quæ resplendebat in Virgine rursus Pelbartus libro 6. Stellar. Part. 3. præclarè sanè breuiterque multa complexus: *Primum, inquit, bonum gratiæ admirabilis benedictæ Virginis est, quod eam DEVS omnibus donis Spiritus S. repleuerit iuxta vaticinium Isaiæ capit. 11. Secundum bonum gratiæ est, quod omnes virtutes, & gratias sanctorum generales, & speciales ei Deus excellentissimè infuderit, vt dicere posset: In plenitudine sanctorum detentio mea. Quæ verba expendens Bernardus: Benè, inquit, in plenitudine Sanctorum detentio Mariæ fuit, cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fœcunditas coniugatorum, insuper, & puritas Angelorum*. Taceat ergo Esther de sua nobilitate, Susanna de sua Castitate; Ruth de sua iustitia, Debbora de sua prudentia; Rachel de sua pulchritudine; Iudith de sua fortitudine, quia Maria supergressa est vniuersas. Denique benè Hieronymus: *Cæteris per partes, Mariæ verò se totam infudit gratiæ plenitudo*. Hæc Pelbar.

B. V omnes virtutes, & gratias sanctorum in se complexa.

181. Virgineam hanc Diuinamque pulchritudinem contemplatus Iacobus Pontanus noster, feliciter in eius ita excurrit laudes:

Pontani de Pulchritudine B. V. encomium.

Luce ò lucidior, lapillulisque
Eois radiantior; coruscis
Poli lampadibus magis corusca,
Niue ò candidiorque, lilioque
Argento simul, & ligustro,
Cygno, marmore, eburneisque signis,
O' flores superans odore, & herbas,
Et vnguenta fragrantia, atque thura,
Decentissima sola fœminarum,
Fias Melpomene mihi necesse est
Mihi labra riges, tuisque lymphis
Si te pro meritis cani expetissis.

182. Vtramque pulchritudinem Virgineam tam animi quam corporis paucis complexus est S. Bonauent. cap. 14. in speculo. Explicās enim verba illa Leuitici ca. 24. *Sumetisque primo die fructus arboris pulcherrimæ*; ait Arborem hanc pulcherrimam esse Deiparam Mariam, docetque ex fructus eius pulchritudine, Arboris huius Virgineæ pulchritudinem colligendam esse: *Arbor pulcherrima, inquiens est Maria, pulchra quidem est in folijs oris, pulchrior autem in floribus cordis, pulcherrima verò in pulcherrimo fructu ventris, de quo B. Bernardus sic infert: Si fructus ille mortis non solum suauis fuit ad vescendum, sed etiam, teste Scriptura, delectabilis aspectu: quātò magis huius vitalis fructus viuificum decorē debemus inquirere, illum, inquam, in quem desiderant Angeli prospicere? Pulcher vtique fructus Christus est, qui speciosus forma præ filijs hominum est. Si autem plenius cognoscere volumus fructus huius pulchritudinem, reccurramus ad ipsam arborem pulcherrimam, requiramus ipsam pulcherrimam eius Matrem, & dicamus illi: Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum? Cant. 5. Et ecce ipsa respondens, statim dicet: Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Ipse candor lucis æternæ. Candidus quidem ex Diuinitate, rubicundus autē humanitate, candidus conuersatione, rubicūdus, passione. Ecce quā pulcher fructus. Vnde bene de ipso Augustinus: Pulcher in cœlis, pulcher in Matre caro, & Verbum ... Hæc autem pulcherrima Arbor Maria, non solùm habet pulcherrimum fructum ventris, sed etiam habet pulcherrimos fructus mentis. De quibus Apostolus ad Gal. 5. Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Sic ille.

B. V. Arbor pulcherrima.

Ex Fructus Pulchritudine Arboris Virgineæ nobilitas agnoscitur.

Christus candidus ex Diuinitate, rubicundus humanitate.

Quinam sint pulcherrimi fructus mentis B. V.

183. Ob quos sanè pulcherrimos dulcissimosque duodecim fructus, dixerim ego Deiparam esse Lignum illud vitæ, de quo Ioan. Apoc. 22. afferens fructus duodecim, per menses singulos afferens fructum suum: Sub cuius vmbra, patrocinio videlicet Virginis, protectioneque fidelissima, quisquis cōquieuerit, deque eius fructu pulcherrimo, atque dulcissimo in Eucharistia mensibus singulis, quemadmodum in eius Sodalicijs fieri consueuit, magnâ cum pietate, ac reuerentiâ, vti

B. V. Lignum vitæ afferens fructus 12.

Fructus ligni vitæ præcipuus est Euchar. qua sodales Parthenii vescentes iuuenescunt.

vti par est, degustauerit, fructus illos omnes Spiritus Sancti, in animo suo germinare sentiet, aliarumque virtutum, quibus vera animi nostri continetur pulchritudo, incrementa experietur, adeoque venusta, viuida, ac vegeta, senijque expers ipsius euadet anima, vt eam cælestis suscipiens Sponsus, in eaque imaginem suam refulgentem agnoscens ei dicturus sit: *Ecce quam pulchra es amica mea, ecce quam pulchra!* Proprium enim huiusce Augustissimi Sacramenti est sumentem in se conuertere, eundemque gratiæ suæ splendoribus irradiare, ardoreque charitatis accendere.

Caro Christi est Sol & Luna nostra.

184. Nimirum vitalis huius ligni fructus est caro Christi, est caro Virginis, quæ cum ipsa & Sol, & Luna nostra sit, immaculata quoque illa Hostia, & Panis Angelicus, Sol, & Luna nostra sit necesse est. Quicunque enim in præsentis sæculi tenebricosa nocte ambulās, si puro corde, menteque nullius lethalis peccati consciā ad cælestē hanc mensam accesserit, mirificos sane mentis splendores, cordisque purissimos calores experietur. Lunam esse cādidissimam corpus illud Domini candidissimum, Domini inquam illius, qui Candor est lucis æternæ, docet Philo Carphatius. *Luna*, inquiens, *est Ecclesia adhuc pugnans. Luna etiam potest intelligi humana IESV Christi caro, per quam Luna ipsa lucet, & pascitur in nocte. Ipsa enim IESV caro caput est Ecclesiæ, & salutare pabulum Sapientiæ, quæ immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Cuius typum pridie id est die 4. condidit.

Luna est Ecclesia militans.

Luna est Caro Christi.

185. Idem Corpus, Solem animarum nostrarum esse, indicare voluit Saluator, cum sacratissimum hoc mysterium die quinta siue die Iouis, iturus ad mortem instituit, ceu figuratum eorum, quæ die quarta mundi, tanquam figuræ præcesserunt, duo illa nempe orbis Luminaria magnus Sol videlicet, & Luna, totū Vniuersum illuminātia, quæ in hac maxima orbis architectura fabricatus est. Verè. n. ante institutionem huiusce Eucharistici ferculi, tres quædam dies subobscuræ præcessisse visæ sunt, licet lux illa prima die creationis orbis, condita rutilarit. Primam hanc diem dixerim ab Adamo vsque ad diluuium; secundam à Diluuio ad legem Mosaicam; tertiam à Moyse vsque ad Christi Euangelium. In omnibus hiscè diebus legis naturæ, ac legis scriptæ, modica aliqua, tenuisque lux diuinæ cognitionis, cælestiumque mysteriorum mortalium mentibus affulgescebat. At verò ætate, siue die quarta, quæ est legis Euangelicæ, vbi die Iouis vere Sancto, quo sanctissimum hoc institutū est sacramentum, lux emicuit mox Diuinæ notitię, cęlestiumque Arcanorum lumen, ad instar Solis, Lunæque, toto terrarum orbe ita diffusum est, vt nemo se nec à calore Eucharistici huius solis, Lunæque, nisi quis ipsi sponte in animam suam occludat aditum, obstinatusque in peccatis, eius aspectum respuat, se possit abscondere. Diem porrò illam quartā, in qua Sol conditus est figuram fuisse felicissimæ illius diei, qua Eucharistia velut figuratum instituta est, testatur Beda Venerabilis à Glossa in cap. 1. Gen. citatus: *In hac vespera*, inquiens, *populi in Aegypto Agnum obtulit, & verus Agnus sacramenta sui corporis inchoauit, in hoc mane populus Israel iugū seruitutis excussit, & Christus nos suo sanguine redimens à Diaboli seruitute liberauit.*

Quarta die ab orbe condito Sol & Luna tāquā figuræ institutionē Eucharistię pręcesserūt. quæ Sol & Luna nostra est.

Die Iouis Sācto quo Sanctissimum est institutū Sacramentum lux diuinæ notitiæ vel maximè mūdo illuxit.

186. Lumen, caloremque Solis huius, panis, Vinique accidentibus, ceu nube pertenui, obuelati, experti fuere duo illi Christi Discipuli, qui proficiscentes vna cum Magistro exponente eis scripturas, tantā caligine mentis erant obfuscati, vt dicat S. Lucas: cap. 24. *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* At verò vbi primum accepit Panem, & benedixit, ac fregit, & porrexit illis, mox idem Euangelista attexuit: *Aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum*: Panem porrò illum à Christo porrectum corpus fuisse Saluatoris testatur ipse Augustinus. Ostendere nimirum voluit benedictus Dominus corpus suum Lunam quandā esse, infidelitatis tenebras effugantem; Solem mentis oculos illuminantē, animumque in Diuinum amorem accedētem. Vnde ijdem dixere Discipuli: *Nonnè cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Quod æquipollere videtur voci illi Sponsæ; *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Si enim Sola Christi vox eam vim, ac energiam cor accendendi, animam liquefaciēdi habuit, quid tandem censendum est facturam, intimā ipsius, qui ignis consumens est, in nostris animis pręcordijsque præsentiam?

Discipuli euntes in Emaus Sole & Luna Eucharistiæ illuminati vt Dominum agnoscerent.

Si vox Christi animam accendit, quāto magis ipsa eius præsentia?

187. Si olim Ignis hic suauiter lucēs, & ardens in amplexus duntaxat Senis illius Simeonis adueniens, adeo illum amore sui inflammauit, vt mox dissolui, & esse cum Christo, huius mundi, vanitatumque ipsius affectus tædio anhelaret, medullitusque concineret: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum*

in pace,&c. Quas diuini amoris flammas in corde nostro Sol iste increatus, purissimusque ignis non excitabit, quæ menti nostræ non porriget lumina, vbi in animam nostram fuerit illapsus, eamque in se ad instar ignis transmutarit?

188. Audiamus Guerricum Abbatem serm. 1. de Purif. qui Senis huius Diuinum illum Ignem, splendoremque paternæ gloriæ amplexãtis sinuque suo amãtissimè refouentis mentis lumina, cordis flammas castos amores, felicitatemque considerans, sic eum alloquitur: *Vere tu Senex serene lumen portabas, non modo manibus, sed & sensibus, qui sic eras illuminatus, vt tanto ante futuram illuminationem gentium tã clarè videres, & iam tunc, inter tenebras Iudaicæ infidelitatis, hodierna claritas fidei nostræ tibi coruscaret. Lætare iam senior iuste, plena est iam omnis terra gloriã luminis illius, quod occultum in sinu fouebas, imo quo sensus tuos refouebas. O' fomes amoris, ipse amor suauis, & dulcis ad refocillandam animam. Prorsus suauis, & dulcis, etiam cum crucias, & affligis: cruciatu feliciter delectans, sicut ignis salubriter refrigerans. Ignis iste si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non comburit, imo illum ignem extinguit, qui in sinu celatus, non modo vestimẽtum adurit, sed, & quod vestitum est, depascit, id est corpus, & animam pariter consumis. DEVS,* inquit, *noster ignis consumens est Deut.* 4. *Sed ò ignem consumentem, nam animam refouet, demulcet mentem, Spiritum recreat, reparatque pereuntem. Huius ignis vim Simeon non ignorabat, qui in sinu suo eum portare gaudebat, pectusque senile fotu illius calefaciebat.* Quam salubrius, & suauius ignis iste senem nostrum calefecit, quam Regem Dauid Abysag sunamitis? *Nisi forte Abysag hic idem Ignis fuit, Sapientia scilicet, cuius amplexu non solum recalescunt frigidi, sed etiam reuiuiscunt mortui. Amplectere igitur, ò Beatè Senex, Sapientiam Dei, & recalescent, atque recanescent quasi de nouo sensus tui. Adstringe vberibus tuis misericordiam Dei, & erit sanctus tua in misericordia vberi. Inter vbera, inquit, mea commorabitur, etiam cum reddam illum Matri suæ manebit apud me. Et cum inter Materna vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea commorabitur, & vbera quoque mea inebriabit misericordia vberi, & si non quantum Vbera Matris.*

Simeon amplexans Christumquantas amoris flammas expertus.

Ignis Diuini amoris si in sinu absconditus fuerit, vestimentorum non cõburit, imo illũ ignè extinguit.

Effectus Ignis Diuini.

Sapientię increatæ amplexu non solum recalescunt frigidis sed etiam reuiuiscunt mortui.

189. Audiendus hic rursus idem Abbas serm. 2. de Purif. vbi ardores, amoresque purissimos pientissimi illius Senis IESVM animitus amplexantis contemplans, postquam Nomen Christi quod vnctum, & vnctionem sonat explicuisset, docuissetque de ipso virtutem processisse, vnctioneque illa senem edoctum de omnibus, hæc subiunxit: *Quid autem putamus, Vnctus iste, qui vngit etiam quos non tangit, quomodo candidum, & sanctum pectus senis nostri perunxit, cum suscipiens eum in vlnas suas, adstringeret eum vberibus suis, & gestiret includere si posset in intimis cordis sui? Quid, inquam, putamus ille suauis, & mitis, qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pij Senis, qualis illabebatur medullis, quam dilectabilem, & salubrem, imo quam omnino ineffabilem se implicabat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat vnctus in Vnctionem, quasi ad ignem resolutus ad amplectentis amorem; vt minimum doceret vnctio quod dicit lectio, sed non discit, nisi dilectio. Quomodo enim legis? Vnguentum exinanitum Nomen tuum. Hoc siquidem Vnguentum exinanitur, cũ à quadam duricie sui resoluitur, non vt percffluat substantia ipsius, sed vt fluant aromata illius, vt quasi nihil habens solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certè magis anima Senis liquescebat in amplexu huius Vncti, vel Vnguenti, vt diceret: Anima mea liquefacta est, vt dilectus meus infusus est mihi. Infusio itaque Vnctionis, testimonium est Vncti. Hæc seni testabatur de Puero, tanquam Spiritus Veritatis, & charitatis, veritate docens, charitate vngens, & accendens, & omnia interiora gelidi senis ponens, quasi cum vnguenta bulliunt. Motus bullientium vnguentorum; æstus desideriorum; sonus eorum, iubilus affectuum pariter dicentium: DEVS meus, es tu, & confitebor tibi, DEVS meus es tu, & exaltabo te, quia factus es mihi in salutem. Omnibus quidem generaliter factus es in Saluatorem, sed mihi specialiter factus es in salutem: pectus morbidum perungens, vitalẽque resuscitans calorem, animam refocillans, & oculos illuminans, Viderunt oculi mei Salutare Dei, & illuminati sunt interiores oculi mei, qui languebant præ inopia. Omnino ad tactum huius hominis noui, renouata est, vt Aquilæ iuuẽtus mea, sicut paulo ante mihi loquens pollicebar: Introibo ad altare Dei, vbi Maria IESVM offert Patri, ad DEVM qui lætificat senectutẽ meam.* Hæc pijssimus Abbas de mirificis à IESV Christo intra sinum, vlnasque Simeonis quiescente in illius mẽte productis luminibus; in voluntate excitatis amoris ardoribus, quos omnes, imo lõgè vehementiores in animis nostris aptè dispositis cum speciebus panis absconditus, in eas ingreditur, vtpote, Sol noster, à Virgineo Sole, Matre, inquam, Virgine carnem mutuans, nobisque illam in cibum communicans, nosque totos in suam pulchritudinem, amoris vi transformans, producere consueuit.

Christus vnctus in amplexu Simeonis vngebat eius pectus, & sui amore illud bullire faciebat.

Anima Simeonis liquefacta in amplexu cœlestis Vnguenti, & Christi.

Cor Simeonis Christum amplexantis amore quidem bulliebat.

Christus in transitu [illegible] Sol illud calefacit suo ardore, & luce collustrat.

190. Hac cælesti pulchritudine decorata fuit Virgo quædã Eucharistici huius solis beneficio, quæ per septennium

ante

ante obitum solâ, die Dominico quouis, cõmunione sumptâ se sustentauit, quod cum Hugo Lixcolniensis non crederet, iussit à Clericis per dies 15. eam arcta custodia detineri, quousque compertũ fuit toto illo memorato termino, nullo vsam fuisse corporis nutrimento. Quam porro pulchra hæc Virgo, hoc Pulchro Eucharistico se sustentando euaserit, ita Reinaldus ad Annum 1225. num. 38. ex Parisio: *Faciem quoque semper habuit, vt lilium, candidissimam, roseoque rubore perfusam ad iudicium pudicitię, & mundicia Virginalis.* En quomodo ab hoc Virgineo sole Eucharistico pulchritudo etiam in humana redundat corpora dum ea adeo candida, atque rubicunda reddit, sibiq; qui candidus ac rubicũdus est, reddit quam simillima.

Eucharistia vocari potest Mensa solis.

191. Quare iure merito corpus hoc Saluatoris de purissimis Virginis sanguinibus efformatum animis nostris Diuinam illam pulchritudinẽ cum tot mentis luminibus, tot voluntatis ardoribus impertiens, Mensam solis, à Virgineo nempe hoc, animatoque sole nobis præparatam appellare possemus. Siquidem ad mensam hanc mortalibus omnibus cuiusque status, conditionis, ac gentis liberrimus patet accessus, perinde atq; ad illam celeberrimam Solis Mensam, de qua Herodotus lib. 3. sic scripsit: *Solis mensa talis esse memoratur: Est in suburbanis pratum omnium quadrupedum refertum carne, quam per noctem omnium ciuium magistratus properant ponere, ad eamque vbi illuxit cuilibet epulatum licet accedere. Hæc autem à terra reddi assiduè indigenæ aiunt.* Vnde vt se gratos soli, qui fructus omnes è terra, vitali calore, benignisque influxibus producit, exhiberent, eius honori sumptuosissimam hanc Mensam toti orbi communem apparabant; ad quam viri etiam sapientissimi, tantæ nouitatis videndæ cupidi, è longinquis regionibus aduolabant. Hinc S. Hieronymus Epist. ad Paulinum: *Apollonius*, inquit, *perexit in Aethiopiam, vt Gymnosophistas, & famosissimam solis mensam videret in sabulo.* Tantis sumptibus, tantoque luxu instruebatur hæc solis mensa, vt Cælius Rhodiginus libr. 19. antiq. Lect. dixerit Mensas diuitum Mensas solis dici consueuisse. Hinc Lucullus Cænaculum splendidissimum in quo opiparè côuiuari assueuerat, Apollinem, appellauit; cumque lautum aliquod Epulum instruendum optabat; *Hodie aiebat, cænandum in Apolline.* Quæ sanè melius de Diuinissima hac æuiterni iustitiæ solis Mensa dici queunt, in qua nõ

Quæ fuerit Mensa solis apud veteres?

Apollonii curiositas in Mensa solis videnda.

Mensæ Diuitum, Mensæ solis dictæ.

Cænaculum Luculli Apollo appellatum.

variæ animalium carnes, non è terra productæ dapes, ac fructus, sed immaculata caro filij Dei, & Mariæ Virginis gloriosissimæ, animæ, Diuinitatiq; hypostaticâ vnione sociata, cum omnibus cæli diuitijs ac thesauris, communicatur; quo Diuinæ cõsortes efficiamur naturæ, & in spiritualem pulchritudinem, tam Dei filij, quam eius Matris dilectissimæ, veteri homine in nobis mortificato, ac perempto, transformemur.

Per Euchar. in spirituale Pulchritudinem Christi, & eius Matris transformamur.

192. Hac etiam de causa crediderim aptissimè Virgineæ huius formæ elegãtiam castrorum aciei ordinatæ comparari. Nulla enim arma, quamuis vulcaniâ arte fabrefacta, nulla tela, vel enses, adeo potentes, auctique sunt, atque est Amor hic Deiparæ, qui instar gladij planè adamantini, atque fulminei veterẽ, carnalemque hominem in nobis iugulat, vt sagitta potentissima cor terrenum transuerberat, nosque in Diuinos quosdam homines transmutat, ita vt reuera dicere possimus huic cælesti, Diuinaque preditæ pulchritudine potentissimę Heroinæ: *Sagittæ potentis acutę, populi sub te cadent;* telo scilicet formæ tuæ elegantissimæ, castissimæque fauciati; quo tãdem in postrema illa anastasi, gloriosi corporis dotibus, immortalitatis videlicet, claritatis, agilitatis, ac subtilitatis, beneficio Virgineæ huius carnis exornati, resurgant. Tota enim gloriosorum illorum corporum pulchritudo, vbi post cõsummationem sæculi rediuiui surrexerimus atque innouabimur, è sacratissimo Christi corpore Eucharistico, tanquam viuo, perennique fonte in nos redundabit. Hoc enim nobis verbis illis indicauit Saluator Ioan. 6. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo Die.* gloriosum videlicet, gloriosisque dotibus decoratum. Vt porrò intelligeremus quænam hæc vita æterna sit, paucis intercalatis attexit: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrẽ, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Quæ verba expendens S. Hilarius libr. 8. de Trinitate. *Sicut*, inquit, *viuit Christus per Patrem, sic nos per carnem eius viuemus, vita nimirum Diuinâ, accipiendo illam à Filio, sicut filius vitam, essentiam, omniaque attributa, ac perfectiones tanquam à fontali origine accipit à Patre.* Vnde consequitur, vt quemadmodum filius in Patre, & Pater in filio, per circuminsessionem, vti loquuntur Theologi, in se mutuo vi amoris sui transformati habitant, ita quoque illi quicunque puro corde, conscientiâque

Spiritualis Pulchritudo B. V. armatæ aciei comparata, quia veterem hominem in nobis perimit.

Corporum gloriosorum pulchritudo, è Christi corpore, quo in hac vita fruiti sunt, emanabit.

Sicut Christus per Patrem viuit, vita Diuina, sic nos per eundem carnem eadem vita viuimus.

ab omni peccati maculâ liberi, Virgineo huic corpori Saluatoris communicant, in Christo, & ab eodem vicissim in habitantur. in eius vitam, purissimosque mores transmutati. Quod nobis ipsa declarauit Veritas cum dixit ibidem: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Atque hęc De Fructu ligni vitæ, deque Virginei nostri solis pulchritudine mortales in se transformantis, corporis Eucharistici beneficio dixisse sufficiat.

193. Ad alias solis proprietates veniamus. Celebris in illo omnino est, motus celeritas. Vnde lib. 2. Esdræ c. 4. scriptũ inuenimus: *Magna est terra, excelsum est cęlum, & velox motus solis.* Qui sanè motus vix mente est perceptibilis, cum Mathematici Astrologiæ periti doceant, solem 24. horarum spatio millionem, & centum quadraginta millia milliarium conficere, quod tantum est, ac si quinquagies ambitum, & gyrum terrę circumcurreret, quæ velocitas vix humanæ mẽti est perceptibilis. Quæ autem mens etiam Angelica capere, vel lingua edicere queat Deiparæ nostrę in illuminandis cęcis mortalium mentibus, benignisque gratiæ influxibus, eisdem communicandis promptitudinem, atque celeritatem? De qua sæpe alibi dictum sat prolixè.

Quanta velocitas solis!

194. Hinc crediderim Aegyptios ob solis hanc celeritatem, eum dixisse esse Phœnicem. Vnde Dominus apud Malachiam, cap. 4. tanquam aui soli pennas attribuit: *Orietur*, inquiens, *vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Hinc Phœnix, ab auctoribus, ac Poetis, Heliopoli, idest, in Vrbe solis habere domicilium perhibetur. Auis hæc dicitur vna, quia vnicus est Sol. Hinc Sol quasi solus nominatur. Eadem interire per se, ac renasci dicitur, quia Sol occidens, & quasi moriens vespere, mare rusus oriens reuiuiscere videtur ac resurgere. Quare Ouidius libro 15. Metamorph. apte cecinit:

Sol ob celeritatem ab Aegyptij Phœnix dictus est.

Cur sol Phęnici comparetur.

Vna est, quæ reparat, seque ipsa reseminat ales.

De hac multa Lactantius firmianus, siue Auctor incognitus apud illum, ita canit:

Paret, & obsequitur Phœbi memoranda satelles, &c.
Lutea cum primum surgens Aurora rubescit,
Ter quater illa pias immergit corpus in vndas,
Et conuersa nouos Phœbi nascentis ad ortus
Expectat radios, & iubar exoriens,
Incipit illa sacri modulamina fundere cantus,
Et mira lucem voce ciere nouam.

Vti nimirum reliquæ aues pene omnes facere consueuere. Prosequitur inde ipsius pennas, ac præsertim caudam describendo, quibus solis radios videtur repræsentare.

Caudaque porrigitur fuluo distincta metallo,
In cuius maculis purpura mista rubet,
Clarum inter pennas insigne est desuper Iris,
Pingere ceu nubem desuper alta solet;
Aequatur toto capiti radiata corona,
Phœbei referens verticis alta decus;
Effigies inter pauonis missa figuram
Cernitur, & missam Phasidis inter auem.
Est le uis, & velox, regali plena decore,
Et raram volucrem turba salutat ouans,
Alituum stipata choro volat illa per altum,
Turbaque prosequitur munere læsa pio,
Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus hæres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.
Ipsa quidem, sed non eadem, quia & ipsa, nec ipsa est.
Aeternam vitam mortis adepta bono.

Ita descriptione ipsam solis naturam adumbrauit. Ipsius enim radij in longũ latumque expansi, partim albicant, partim rubent, suoque loco in nube roscida repræsentant Iridem. Pulcher est, speciosus, ac magnificus, incessuque suo velocissimus. Ipse sibi Pater est filius, quia post occasum ex seipso quasi rursus oritur ac renascitur, itaque continuo suo ortu, continuum sibi parit ortum, perẽnemque vitam. Cum igitur sol aui pernicissimæ Phœnici, & pulchritudine, & velocitate conferatur, aptissimè cæleritas Deiparæ in ope mortalibus afferenda soli comparatur; quam etiam multis parasangis anteuertit. Tanta est Virginis nostræ in genus humanum, ac benignitas.

195. De hac audiamus. Pelbartum libro 5. stell. Par. 2. art. 1. *Cogita*, inquiens, *quantus sit motus solis, qui 24. horis totam Sphæra circumferentiam circuit. Certè nulla sic volat auicula, nulla sagitta, nullus lapis bõbardâ eiaculatus. Idem sol velocissimus est in suorum radiorum diffusione, dum quasi in puncto ab oriente, vsque in occidentem radij eius diffunduntur: sic Maria velocissima, & celerrima est super omnes sanctos in miserando omnibus, ad eam recurrentibus. Vnde Bernardus: O' Maximè pia, ò multum admirabilis Maria, tu nec nominari potes, quin statim accedas, nec cogitari quin statim recrees affectus diligentium te. Et certè, quia Mater est ipsa misericordiæ, non poterit se cõtinere quin statim nobis miseris misereatur. Sicut denique cum sol oritur, mox suo splendore mundum ornatum reddit, ac pulchrũ, simulque calefacit atque illuminat: Sic Maria per salutiferum suum ortum mundum decorauit, eumque summæ pulchritudine gratiæ illius venustauit, qua DEVS ex ipsa, mundo natus, factus*

Nulla ita volat auicula sicut sol.

Sicut sol velocissimus est in suorum radiorũ diffusione, sic B. V. in miserando.

B. V. sicut sol per salutiferũ suum ortum mundum decorauit.

ctus est homo. Vnde de illa Eccli. 26. scriptũ est: Sicut sol oriens in mundo, sic Mulieris bonæ species in ornamentum domus eius, Ecclesiæ videlicet sanctæ, tam militantis, quam triumphantis. Antea siquidem mundus totus deformis erat, quia peccato maculatus, & exul à Deo factus, nec vnde gloriaretur, inueniebat. Nunc autem habet maximè dignitatis, & propinquitatis ad DEVM gloriam, quia DEVS factus est homo, & homo DEVS, & hoc per Virginem.

Species B.V. velut solis in ornamẽtum est Ecclesiæ tam militantis, quam triumphãtis.

Ipsa etiam B. Virgo tanquam sol mundum calefacit, feruorem charitatis in cordibus humanis inflammando. Nihil enim nos charitatis ardore inflammat adeo, quam recognitio beneficij Diuinæ Incarnationis in Virginis vtero peracti. Hinc illa se huiuscé castissimi, ardentissimique amoris in cordibus nostris Genitricem agnoscens, aiebat Eccli. 24. Ego Mater pulchræ dilectionis; quam videlicet, meis precibus apud filium, eorum cordibus ingenero, atque infundo. Sic ille.

B.V. velut sol nos calore Diuinæ charitatis accendit, dum precibus suis charitatem Dei nobis ingenerat.

196. Hæc nimirum pulchra dilectio est viuificus ille calor, quem Virgo simul cum innumeris benignissimisq; suæ gratiæ influxibus cliẽtulorum suorum cordibus, absque vllá mora pro ingenitâ sibi charitate instillare consueuit. De hac gratiarum Virginearum multitudine innumerabili prçclarè P. Pontanus noster floridorum lib. 5. nu. 3.

Non tot flumina piscibus natantur,
Non tot aera remigant volucres,
Non tot sylua feras, fauos tot hybla,
Non tot Parthus ferox habet sagittas,
Non tot æquora fluctibus tumescunt,
Non tot spicea serta gestat æstas.
Non tot arboribus comæ virescunt;
Non tot robora montibus creantur,
Non tot astra micant, tacente nocte,
Quot exempla tuæ benignitatis
Humanum in genus, in tuos clientes.

Innumera sunt exempla benignitatis B.V. in suos clientes.

197. Neque verò sol hic Virgineus mirâ celeritate orbem decorat, ac illuminat, verumetiam calore suo viuificat, adeò vt illi verè dicere possimus, quod Marullus Constantinop. de hoc aspectabili sole cecinit lib. 3. Hymnorum.

Ille genus viuũ, mortale, ille omnia sancta
Luce replet, visumque oculis, rebusque colorem
Sufficiens; ligat ille benignâ quæque catena,
Atque modis vnit latè bonus omnia miris,
Ille vices variatque amorum, & gentibus ægris
Tempora metitur simul idem, atque expedit idem,
Permutatque vices, & amaris prospera miscet.

Sol humanũ genus viua, & sancta luce replet.

Sol benigna catena ligat omnia.

Ob viuificæ huiuscè lucis ac caloris in mortales omnes communicationem, iure Deipara Mater omnium viuentium, vt eam vocitauit Epiphanius, appellata est. Neque enim elogium illud Euæ, quæ toti humano generi mortis, ac interitus causa extitit, quadrare potuit, sed Virgineo huic, paruoque soli, qui postquam Solem iustitiæ sinu suo complexus est, vitam, & vitam abundatiorem, ac perennem omnibus impertitus est. Quod peruenustè nobis expressit iam memoratus Virginis studiosissimus Põtanus, vocans eandem etiam æuiterni solis lucidissimum Thalamum, Regiæ solis, ab Ouidio descriptæ quam simillimam:

Cælum te iure vocemus,
In quo iustitiæ rutilos sol extulit ortus,
Insuetoque vagas perfudit lumine terras,
Calfaciens gelido torpentia frigore corda.
Tu quoque, quã fulgore suo præcedit, & omnes,
Cæli omnes vincit nocturnos æthereus sol,
Iam reliquos anteis quocũque ex ordine Diuos,
Tam tibi largifluum micat inter lumina lumen,
Sol minor ingentem partu das in nuba solem.
Quin etiam Thalamus multo ornatissimus illees
Inclususque auro, atque argento splendidus, atq;
Distinctus gemmis, atque Indo dente politus,
Vnde tuus sponsus quam formosissimus exit.

Sicut sol lucitiæ stellas sanctorum lumine præcellit: sic B.V. virtutibus ac meritis reliquos sanctos.

198. Vt denique Virgineo huic animatoque soli nullæ huiuscè aspectabilis proprietates deesse videantur, eos qui sub ipsius fælicissimo in hanc lucẽ eduntur horoscopo, ad superni Regis Aulam, vt ipsius amicitiam ineant, vt cçli honoribus, opibusque locupletẽtur, quasi manu ducit; quin etiam fortissimos aduersus Tartareos hostes, mundum, carnemque efficit bellatores; quod de hoc Sole quem quotidie intuemur, cecinit idem Marullus:

Sub solis Planeta natiaditum habent ad regales Aulas, honores, diuitias.

Iam quoties aut Regifico de culmine cæli
Vagitusque hausit primos, & inertia membra
Fusa solo, domina excepit miseratus ab arce,
Aut roseo iam tum exoriens prospexit ab ortu,
Aureus, & primo nascentem afflauit Eoo,
Ipse manu læta deductum ad limina Regum,
Hortaturque, animisque replet, ipse excitat acri
Spe, dubiumque etiam rerũ, incertũque futuri:
Insinuatque aulæ, atque inter Regesque, Ducesq;
Versantem, nunc diuitijs attollit opimis,
Nunc vltro fascesque fluunt, Dominæq; secures,
Purpuraque ac missum externis de finibus aurum,
Vndantesque clientelæ, & fastigia rerum.
Spem supra, votumque animi: quin aspera sępè
Signa virum, sæpè innumeræ stupuere cateruæ
Ductantem rigidos insana in bella maniplos,
Præsertim aduerso Atlantis si littore fulsit
Iuppiter, & summum cęli Mauorte tenente.

199. Quod porro B.V. ad dignitates, ac honores sibi addictos ac deuotos promoueat, alibi ostendimus ab exemplis, hic vnicum attulisse sufficiat, cuius me-

meminit Raynaldus ad Annum Christi 1209. num. 6. vbi refert, quod cum Archiepiscopatus Coloniensis Pastore careret, & Hermannus Decanus Bonensis DEVM, eiusque Genitricem toto cordis affectu deprecaretur, vt tantæ Ecclesiæ aliquis dignus præficeretur, nocte Virgo beata ei se visendam exhibuit, & librum aureis literis scriptum porrigens. *Defer*, inquit, *librum istum Episcopo*. Nihil vero aliud libro illo continebatur, nisi Angelicæ Salutationes, idest: *Aue Maria, gratia plena*. Per librum intellexit Episcopatum. Quem cum ferre vellet Ioanni Episcopo Cameracensi, eo quod tam Rex, quam ipsi illi fauerent, probitatem illius agnoscentes, reuocauit eum B. V. *Non Ioanni*, inquiens, *sed Theodorico Sanctorum Apostolorum Præposito deferas illũ. Quod si in Episcopatu non se bene habuerit, sicut per me illum adeptus est, ita per me illo priuabitur*. Refert vero Cæsarius vt est apud eundẽ Raynaldum, Theodoricum hunc cultui B. V. fuisse deditissimũ: *Semper*, inquiens, *in eius obsequio Theodoricus deuotus fuerat, & sicut mihi notum est quotidie Missę eius quotidianę voluit interesse, nummum offerens singulis diebus*. Quibus obsequijs in Deiparã, id promeritus est, vt auspicijs ipsius, ab Electoribus in Coloniẽsis Ecclesiæ Præsulem inaugur aretur. Verum post dies paucos, ait Cæsarius, à malis Cõsiliarijs adeo deprauatus est, vt modicam haberet differentiam inter personas laicas, & Ecclesiasticas, inter rusticos, & Monachos, æquè ab his, vt ab alijs telonia recipiens, indebitis exactionibus vtrosque grauans. His, alijsque actibus malis Dei Genitrix irritata, egit, vt indignè satis à Moguntino deponeretur Episcopo, æmulo eius per electionem substituto. En vt Virgo beatissima suos deuotos honoribus decorat, ingratos vero, eiusque gratijs abutentes plectit, atque castigat.

B. V. Theodoricũ in Coloniensem Archiep. eligit, misso illi libro Angelicis Salut. exarato.

Theodoricus ob auaritiam à B. V. dignitate priuatur.

200. Quare felix ac terque, quaterque beatus est ille, qui à teneris vnguiculis se Deiparæ cultui mox totum addixit, ac consecrauit. Talis enim longè fælicior est illo, qui sub solis faustissimo, fortunatissimoque Planeta lucem aspexit, censendus est. Huic enim Virgo ad æterni Regis aulam, ad cælestes, atque immarcescibiles honores postquã Diuinæ gratiæ opibus, ac thesauris in hac vita eundem locupletauerit, postquam in victum contra Tartarum, mundum, carnemque bellatorem, triumphatoremque effecerit gloriosissimè introducet. Quare felicitatem hanc agnoscens S. Ephræm Syrus, quod sub fortunatissimo hoc Planeta quodammodo natus esset, dum à primis infantiæ suæ annis Deiparæ obsequijs fuit mancipatus, mirificè gloriabatur, confidens, se tantæ Virginis Patrocinio diuinis gratijs, ac charismatis, ceu ingentibus diuitijs, honoribusque ornandum, ac tandem ad cælorum Regiam promouendum. Sic enim ille serm. de B. V. eam alloquitur: *Non mihi alia fiducia ò Virgo syncera. Ex vlnis equidem maternis tibi Domina mea, deditus sum miserabilis, & cliens tuus vocatus sum, ne maleuolus Satanas me ad Inferni portas abducat. Tu enim meus portus, ò Virgo inuiolata, & pręsens auxiliatrix. Denique sub tutela, & protectione tua totus sum. Crebris lacrymis te ò celeberrima Mater imploro, & aduoluor tibi Domina mea, suppliciter clamans, ne dulcis Filius tuus, & vitæ omnium dator, ob multa quę patraui scelera, tollat me de medio, & miseram animam, ceu leo diripiat, & velut sterilem ficum infelicem me exscindat. Sed obsecro, vt Christum meum adeam, & subeam Aulam illam beatorum, vbi nõ sunt lacrymæ, non vexatio, non molestia, non mors, non tormenta, non locorum angustię, sed lętitia inexhausta, iustorum voluptas, delicię, & exultatio, glorię splendor inaccessibilis*. Sic ille.

Fælix qui se cultui B. V. à pueritia addixit quia illa velut faustus Solis Planeta ad cæli Regiam eum promouebit.

S. Ephræm ex vlnis materrnis cultui B. V. deditus.

Orat B. V. vt per illã adeat Aulam beatorum.

201. O si parentes omnes mox, vt illorum proles lucem hanc spexit, eam illico ad Deiparam Virginem Matrẽ misericordiæ, velut propitium Solis Planetam conuerterent, eamque ipsi toto cordis affectu deuouerent, ac consecrarent, experirentur sanè benignissimas cælestis gratiæ, & in se, & in prolem suã, à faustissimo hoc sydere influẽtias, quas olim, & S. Bonauentura Doctor Seraphicus, & B. Aloysius Gonzaga noster, alijque quam plurimi, qui postquam ab infantia Virgini fuere à parentibus consecrati, summâ totius orbis admiratione, magnâ abundantiâ Diuinæ gratiæ diuitias cælitus excepere. Cum enim Beata Dei Genitrix etiam dum viueret optarit fieri, vt loquitur Rupertus Abbas lib. 2. in Ioan. *Ianua cęlestis beneficij*; quisquis ad illam sese tanquam cælestium beneficiorum Portam cõuerterit, eiusque opem implorauerit, velut porta cælica in animas nostras Diuina munera, tandemque animas ipsas cælis importabit.

B. V. Ianua cælestis beneficij quia per eam nobis diuina proueniunt beneficia.

202. Sub hoc Virgineo, ac propitio Planeta nata fuisse visa est B. Metildis, quæ quantopere in amoribus Deiparam totius vitæ decursu habuerit, ipsius vitæ acta testantur. Hęc vbi primum in lucem est edita, illico sacris baptismi aquis abluta

B. Metildis statim ac nata fuit baptizata.

luta eſt, cuius rei cauſam cæleſtis ſponſus illi poſtea reuelauit, vt nimirum immediatè eius anima velut Templũ Deo eſſet dedicatum, in quo à primis annis habitando, ſuâ gratia illam totaliter poſſideret, omnique peccato expurgaret.

203. Sub eodẽ hoc Planeta Virgineo nata fuiſſe viſa eſt Kinga, ſiue Kunegũda Belę Regis Hũgarię lectiſſima filia, quę, vt ſcribit Raynaldus, ad Annum Chriſti 1239. nu. 68 ex Longino, in primis horis quibus infantula in lucem edebatur, nõ ab eiulatu, & lacrymis, vt ceteri Infantes, ſed à Gabrielica denũciatione ſuos auſpicata eſt ortus. Clarã enim, articulatam, & ſonoram: *Aue Regina cælorum*, idiomate Hũgarico edidit vocem. Eadẽ quartis, & ſextis ferijs ſemel tantummodo ſugere vbera contenta, S. Nicolaum ab ipſa infantia æmulabatur. Huic B. V. in præmium ſibi factæ illius Salutationis Angelicæ adeo præclarum Virginitatis donum contulit, vt non ſolum ipſa illud totius vitæ decurſu illibatum ſeruaret, verumetiam vt pudicitiam Boleſlao Cracouiæ Duci, cui nupſerat, perſuaderet: *Feruntur ambo*, inquit Longinus, *in æuũ Virgines permanſiſſe, & primo nuptiarum die, primum quidem ad vnum Annum, quo elapſo ad alterum, & deinde ad tertium; quo effluxo, fœlici kinga operante, & inſtigante in omne æuum Domino cæli cælibatum ſpontaneè vouiſſe, & ſeruaſſe.* Vnde Boleslaus Dux pudicus meruit appellari. Huius Kunegundis exemplo poſtea Salomen Regina cũ Coniuge ſuo Colomanno virginitatem coluiſſe perhibetur, cum ambo Sãctæ illius Reginę virtutes perſpectas haberẽt. En quam benignos huius Virginei Planetæ, ſub quo naſci viſa eſt Kunegundis, influxus experta eſt.

Kunagunda Belæ Regis Hungariæ filia naſcens B. V. ſalutauit.

Ob hanc ſalutationem præmium perpetuæ Virginitatis conſecuta.

204. Sub Virgineo hoc Planeta naſci viſus eſt magnus ille Annalium Eccleſiaſticorũ Scriptor Cæſar Card. Baronius. Cum enim adhuc matris vtero contineretur, futuræ aduerſus Dei Matrem pietatis non obſcura dedit ſigna. Appropinquante ſiquidem eius Matre ad Virginis Templum, ipſe pariter quaſi ſemet vltro Deiparæ offerre vellet, inuſitato quodã motu intra materna viſcera cõmotus eſt, ac veluti eum præ gaudio proſilire, & exultare ſenſit Mater. Vnde ſimul ac illum in lucem edidit, eundem B. Virginis patrocinio obtulit, & commẽdauit. meruitque poſtea, vt cum exacto biẽnio infantulus de vita periclitaretur, ipſa eidem ad Diuę Virginis ædes deducto, poſt triduanas preces pene mortuo incunabulis iacenti ſanitatem derepẽte impetrarit, voce hac ad ipſam cęlitus delapsâ: *Bono ſis animo, filius tuus nequaquam morietur*. Hinc Vir hic pijſſimus decurſu vitę ſe ſub hoc Planeta Virgineo natum agnoſcens, ipſius Imaginem de collo ſuſpenſam ſemper geſtauit in pectore, vtque ſe totum Virginis obſequijs mancipatum eſſe declararet, paſſim ſe ſeruum Marię, & appellabat, & ſcribebat. Tandẽ feliciſſimè ſimul, ac pientiſſimè deoſculatâ prius Virginis Icone ad aulam cęleſtem, ipſa die Virgini ſacra, nempe Sabbatho, æterno illo Sabbatho ſanctorum, ſanctiſſimâ requie fruiturus emigrauit. Imitemur igitur hanc ſancti Viri inſignẽ pietatem, & toto cordis affectu in hunc pulcherrimum ſolem Virgineũ feramur, eiuſque benigniſſimis influxibus nos totos regendos tradamus. O' ſi affectum illum in animatum ſolem hunc, quẽ ſuperſtitioſus ſocrates in hunc aſpectabilem, experiremur. Scribit enim Marſilius Ficinus in Platin. Ann. 4. lib. 4. *eum, oriẽte ſole in ectaſim rapi fuiſſe ſolitum. O' ſi nos quoq; quoties de Virgineo hoc ſole cogitamus, quoties menti noſtrę dulciſſima ipſius oboritur memoria, extra nos, extra mundum, extra carnem ac ſanguinem, extra denique rerum caducarum ac cuiuſcunque tandem vanæ pulchritudinis amorem raperemur, affectumque vniuerſim poſt Deum in ipſius Matrem collocaremus! O' quam dextro, ò quam fęlici ſydere editos nos arbitraremur!*

Cæſar Baronius ab Infantia B. V. cultui deditus.

Matre Baronii ad Templum B. V. appropinquante infans gaudio proſilire viſus.

Baronius Imaginem B. V. ſupra pectus ſuũ ſemper geſtabat.

Socrates oriente ſolein ectaſim rapiebatur.

205. Virgineum igitur ſolem hũc ſemper præ oculis tam mentis, quam corporis habeamus, hic harum potentiarum præſentiſſimum nobis ſit obiectum, ſit domicilium, vt ita anima noſtra in illo aſſiduè diuerſãs, ſit magis vbi amat, quã vbi animat, & dicere poſſimus cum Propheta Regio: *Tanquam lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te S. Dei Genitrix. Sit deniq; idem hic ſol Virgineus noſter ignitus Clypeus, ſub cuius protectione ignea nequiſſimi inſidiatoris animarum noſtrarum tela extinguere, ac retundere poſſimus*. Si enim Ouid. lib. 15. Metamorph. Solem hunc, qui quotidie orbem noſtrum circumuolitat Dei Clypeum vocitare non dubitauit

Ipſe Dei Clypeus terra cùm tollitur ima
Mane rubet, terraque rubet cùm conditur ima.

Quãto magis Virgo noſtra Dei Clypeus ab ipſo nobis, pro ſingulari illo, quo in humanum genus fertur amore, in noſtrã tutelam, protectionemque datus aduerſus Tartareos hoſtes aſſiduè ſaluti noſtræ inſidiantes, & ſagittantes in obſcuro rectos corde, cẽſenda eſt? Sit ergo nobis Virgo velut illud ſcutum quod tempore Numæ Pompilij prodigioſè cælo dela-

Si ſol Dei clypeus dicitur, multo magis B. V. dicenda eſt, quæ nobis à Deo tanquã clypeus ad defenſionem noſtram data eſt.

B. V. ſimilis ſcuto Numæ Pompilii, quod cælo lapſum fuit.

delapsum in protectionem Romani Imperi videbatur, de quo Virgilius:

Et lapsa Ancilia cælo.

B. V. est nobis velut ingens Aiacis Clypeus.

Sit nobis Virgo velut ingens Aiacis ille Clypeus, sit *munimen, nulli penetrabile ferro.* Sit velut alter Aeneæ Clypeus diuinâ Igni potentis illius Numinis arte magistrâ fabrefactus, de quo Virgilius Aen. 6.

Ingentem Clypeum formant vnum omnia cōtra
Tela Latinorum, septenosque orbibus orbes
Impediunt.

B. V. protectio similis clypeo Alcibiadis.

206. Sit velut Clypeus Alcibiadis, quo Amor ignita, acutaque vibrans contorquensque spicula visebatur. Cum enim Virgo clypeo protectionis suæ nos munit, ac defendit, simul etiā Diuini amoris spiculis corda nostra sauciat, & in nobis lasciuum amorem perimit. Sit denique immensus ille Clypeus magnanimi illius Herois Herculis, in quo Epigraphe, Græcis literis exarata, vt est apud Hesiodum, exculpta visebatur: *Portum tu tum indomiti maris,* significans: Verè enim Virgo Deipara gloriosissima protectionis suæ Clypeo non modo tutissimus portus indomiti maris huiuscè turbulēti sæculi nobis est, verumetiam stella eiusdem maris naufragantes nos in portum beatitatis sempiternæ perducens. Verè Virgo nobis solaris est Diuinusq; Clypeus gratiæ suæ, ceu lucis diuinissimæ spiculis stygiorum tenebrionum caliginem mentibus nostris circumfusam abstergens. Verè Clypeus deniq; ex quo Diuinus Amor fulgura, fulminaque contorquens saluti nostræ insidiantem Satanam profligat. Quæ cùm ita se habeant, quisquis à periculis tam animi, quam corporis illæsus in hoc sæculo nequam pertransire desiderat sub hoc Solari Diuinoque Clypeo, Virginali videlicet tutelâ, protectioneque sese abscondat. Ipsa enim verè est placitum Dei vmbraculum, vt eam vocat Bonauentura, obumbrans caput nostrum in die belli, quod nobis assiduè Auernalis hostis intentat. Vnde Psalmista idem Seraphicus Psal. 90. preclarè cecinit: *Qui habitat in adiutorio Matris Dei, in protectione eius commorabitur. Concursus hostis non nocebit ei, sagitta volans non tanget eum. Quoniam liberabit eum de laqueo insidiatoris, & sub pennis suis proteget eum.* Concludit tandem hac pia exhortatione, qua & ego totum hunc Discursum claudendum censui. *Clamate ad illam in periculis vestris, & flagellum non appropinquabit tabernaculo vestro. Fructus gratiæ inueniet, qui sperauerit in illam, porta Paradisi reserabitur ei.* O' reseretur Virgo pientissima, cæli Ianua, fenestra crystallina, per quam sempiterna lux orbi illuxit vniuerso. O' sol humani generis post filium tuum lucidissime, atque ardentissime illumina mentem meam, luce sapientiæ tuæ accende cor meum calore amoris tui ardentissimo, vt absoluto huius vitæ curriculo, in cælesti gloria anima mea nouis luminibus, atque ardoribus augeatur.

B. V. protectio similis Herculis Clypeo.

B. V. est placitum Dei vmbraculū.

Qui habitat in adiutorio Matris Dei, in protectione eius commorabitur.





DISCVRSVS XLI.

Quæ in Venustatis Planeta venustissima sunt, hæc in Deipara Virgine pulchriora reperies.

1. Planetam hunc ab antiquis à venustate denominatum nemo est qui ambigat; Diuam enim illā eximiā formę elegantiā prędítam, ab ipso Ioue generatam fabulantur Poetæ. Hesiodus ridentem in lucem hanc processisse canit. Vnde Orpheus Hymno in eius laudem, eam lætitiæ parentem vocauit. Natalis verò Comes li. 4. Mythologiæ cap. 13. Matrem Gratiarum à Veteribus habitam scripsit. Ferūt denique illam ob insignem formę præstantiam in lucidissimum illud sydus, quod diem noctemque præcedit, ac nunciat, admirabili metamorphosi transformatam. Quæ omnia quam aptè Virgini immaculatæ purissimæque quadrent Deiparæ nostræ videamus.

2. Verè Virgo nostra castissima est Planeta ille venustissimus ac venustas ipsa. Vnde Damascenus orat. 1. de Nat. *sęculi nostri gloriam, humanę naturæ Venustatem, mulierum ornamentum eam appellauit*. Idque iure merito; quemadmodum enim sancta, & immaculata Virginitas ab Ecclesia, ob ineffabilem incomparabilemque pudicitiam, puritatemque, tam ante partum, quam in partu, & post partum, admirabili illi Diuinæque fœcunditati sociatam appellata est; ita quoque ob eximiam, Diuinamque propemodum, tā Diuinæ Naturæ, quam reliquarum creaturarum ipsi inditam venustatem, ipsa humani generis rerumque omnium venustas à Sanctis Patribus vocitari meruit. Hinc B. Georgius Nicomed. Archiep. de Præsent. B. V. tam insigne totius venustatis in illa compendium admiratus exclamauit: *O Pulcherrima rerum omnium Pulchritudo, ò Dei Mater pulchrorum omnium summum ornamentum*.

M. Humanæ Naturæ Venustas.

M. creaturarum omniū pulcherrima Pulchritudo.

3. Quare iure merito eam summi illius, semperque quies centri pulcherrimam periferiam siue circumferentiam, de qua Plato in Timeo, appellare possumus. Cum enim hic Philosophorū Princeps eminentissimam Diuinæ Naturæ describeret excellentiam, eiusdemque propensissimam, beneuolētissimamque in creaturas omnes communicationem, sapientissimè pronunciauit: *Bonitatem esse in centro: Pulchritudinem in periferia*. Quod tanti Viri effatum, ac propemodū Oraculum licet Plotinus de Bonitate illa, ex morum compositione, ac concinnitate resultante, quæ in animo, seu voluntate, velut Regio quodam throno sedem sibi figere consueuit, deque apta membrorum inter se proportione, ac symmetria intellexerit: Sublimius tamē aliquid eximium illud ingeniorum Miraculum rimatum fuisse, Sapientiorum iudicio visum est. Diuinum nimirum illud, immensumque Bonum, totius huiusce orbis tam cælestis, quam sublunaris stabile quoddam, ac immotum esse centrum, bonitatem seu pulchritudinem suam ad instar linearum, seu radiorum, creaturis, quæ velut periferia circuli illud cingunt, vndique largissimè diffundens. Vnde Diuinus Cosmographus Moyses in primis nascentis mundi incunabulis DEVM ter opt. Max. ad instar centri creaturis omnibus circumseptum, venustatem hanc, concinnitatemque eis largientem contemplatus, admiratione plenus, in voces illas erupit: *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, siue vt legunt alij: *Erant valdè pulchra*. Ide hoc immobile æternumque centrum plane Diuinissimum pulchritudinem suam lōgè, lateque communicans iam memoratus Plato in Timeo speculando: *Semper per est, inquit, nec mutatione afficitur, nec vt pars pulchrum est, nec vt id cui pulchritudo in est, sed ipse per se pulchritudo, vnde manat cæterorum pulchritudo*.

M. Pulcherrima summi Boni ac Centri est periphęria.

Summa Bonitas est in centro, Pulchritudo in periferia, quomodo hoc intelligendum.

Deus est Pulchrū, à quo cęterorum manat Pulchritudo.

4. Et licet pulchritudinem hanc sum-

mum illud, immensumque Bonum creaturis omnibus ac singulis, prout vniuscuiusque naturæ deposcit conditio, ad instar perennis illius fluminis; cuius impetus supernam illam Ciuitatem lætificat, diffundere, & ad instar æternæ lucis, radios euibrare consueuerit, crediderim tamen tunc vel maximè cùm eius Parês sanctissima conderetur, omnium quodammodo creaturarum lucem, venustatemque decerpisse, vniuersamque Virgini huic, tanquam suæ dilectissimæ filię, ac sponsæ, velut preciosissimum monile, ac singulare ornamentum in illam contulisse, quo in illo immaculatæ Conceptionis ipsius, verè aureo momento, gratiosior Diuinæ Maiestatis oculis compareret.

In Concept. Deus florem omnis creatæ pulchritudinis Mariæ contulit.

5. Quæ sanè venustissima ipsius primæ creationis ornamenta, ac decora, communi sapientum iudicio, in primis Salomonij illius Templi, quod animati huius pulcherrima figura extitit, & cælestis Hierusalem fundamentis adûbrata sunt. De quibus Dominus, teste Richardo, de Virgine loquens promisit apud Isaiam cap. 54. 11. *Fundabo te in Sapphyris, quibus verbis cælestis plane Diuæ Virgini pulchritudo in ipso conceptionis immaculatæ momento communicanda prædicitur*. Cùm enim Sapphyrus ceruleo colore suo, aureisque punctis quibusdam veluti stellulis serenum, stellatumque cælum repræsentet, merito Venustatem Virginis cælestem, Angelicam, Diuinamque propemodû in primo ipsius immaculatæ Conceptionis instanti ipsi impertitam puritatem eo designari arbitramur. Ipsa enim est *Thronus ille Sapphyrinus*, supra quem Ezechiel sedentem similem filio hominis contemplatus est cap. 1. Ipsa est Dei Israel pedibus, *Opus illud lapidis Sapphirini, & velut cælum cùm serenum est, quod Moyses*. Exod. 24. v. 10. substratum conspexit.

M. Templũ Salomonis preciosis lapidibus in sua Conceptione fundatum.

M. Thronus Sapphirinus M. Opus lapidis sapphirini, & Cælum serenu...

6. Quod si illud, quod de Sapphiro scribit Dioscorides libro 5. cap. 114. & Epiphan. lib. de 12. Gemmis, & Causinus lib. 12. Hierogl. 53. *verum est, quod videlicet suis visceribus Carbunculum inclusum gestet, adhuc clarius Virgineam nobis Dei Matris, immaculatamque puritatem repræsentabit*. Vnde Causinus Gemmam hanc Θεοτόκον ob reclusum in ea mysterium appellauit: Quemadmodum enim Sapphiri visceribus nascitur lapis sane preciosus, & ipso qui eũ genuit preciosior, lucidus nempe, & splendens Carbunculus: ita ex Virginum gemma Maria, natus est ille lapis angularis excisus de monte sine manibus, Matre nobilior, & Matri ipsi totius nobilitatis Auctor. In Virgineum Sapphirum hunc ita idem lusit Causinus:

M. Sapphirus qui visceribus Carbunculum inclusum gestat.

O Virgo insignis, Mater pia, nobile semen,
Quam DEVS impleuit totius Orbis ope.
Fructu sancta pio renouasti fœdera rerum,
Lucidiorque dies te generante nitet.
In te habitans mundi lumen statione corusca.
Floruit interius per tua membra DEVS.
Nunc viuax fulgor penetrans, & ad ima profundi
Orbem alit, astra teg t, Tartara luce replet.

M. laudes præclaræ.

7. Vt porrò preciosos hos Templi lapides variam creaturarum omniũ Deiparæ communicatam venustatem exprimere intelligamus, considerandi sunt attentius lapides nonnulli, quos Rex Dauid, animati huiuscé Templi mysteriorum conscius præparauit, de quibus 1. Paral. 19. Cum enim de Domus huiuscé Virgineæ, quæ ædificari deberet, dixisset magnificentia: *Opus namque grande eũ, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo*; mox attexuit: *Ego autem totis viribus meis præparaui impensas Domus Dei mei; Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, & lapides onychynos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnemque preciosum lapidem, & marmor Parium abundantissimè*. Vbi notandum lapides dici stibinos, à stibio, quo facies suas oblinire consueuere mulieres, vt formosiores videantur: Vnde textus Hebræus habet: *lapides fuci*, qui scilicet intuentibus facerent fucum, vt in ijs nimirum apparerent miræ, & elegantes variarum rerum formæ, quæ tamen reuera in eis non erant, quales sunt, quos appellant Agates, in quibus arborum auium, florum, insularum natantium, & quarumlibet rerum effigies quasi depictæ apparent, quæ oculatissimos etiam decipiunt, vt verè putent illas ibidem existere.

Quid sit lapis stibinus?

Qui sint lapides fuci?

8. Quare sacratissimam nostram Virginem verè dicere possumus, cum in eam supremus Artifex creaturarum omnium venustatem contulerit, ex lapide stibinio, seu Diuam venustissimam marmoream illam Praxitelis, totam quodammodo fabrefactam, in qua veluti lucidissimo speculo omnis tam cælestium, quam sublunarium creaturarum decor resplendeat. Dicere insuper possumus ob stibium hoc venustatis creaturarum omnium sibi inditum, eandem, à tertia illa Iobi filia Cornu stibij, appellata, vt alibi diximus, sicut & à reliquis duabus Die, & Casia, aptissimè figuratam. Verè enim dum cælestis Opifex, cæli terræque

In M. stibiũ venustatis omniũ creaturarum reperitur.

M. Cornu stibii. Die. & Cassia Iobi filiabus figurata.

ræque venustatem ei contulit, cornu, seu pyxidem, aut scriniolum quoddam aureum stibij, quo & ipsa non fucatè, sed verè tantopere venusta effecta, vt non solum formam genuinam eximiæ, ac diuinæ cuiusdam pulchritudinis in se retineret, verumetiam alijs tanquam stibium cerussamque gratis omnino, ac liberalissimè largiretur, ipsique suo Opifici formæ elegantiâ tam singulari efficeretur admirabilis, adeo vt tam variã creaturarum omnium, velut in essentia sua Diuina, in illa intuendo, Angelis DEVM clarè videntibus, simillimam venustatem dixerit: Cant. 1. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbæ*, vt legit ex 70. B. Theodoretus lib. 1. in Cant. vbi sic loquitur: *Laudat pulchritudinem sponsæ, & formam admiratur, decoremque ipsius dupliciter obstupescit. In primis autem oculos ipsius commendat: Oculi tui columbæ, idest spirituales. Nam sub Columbæ specie descendit Spiritus S. & in sponso inhabitauit. Nam idcirco non ait; sicut ipsius columbæ, sed sicut ipsæ columbæ, idest spirituales, Diuinâ gratia pleni, ab omni caligine liberi, reuelata facie gloriam Domini contemplantes, in eandem Imaginem transformati à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.*

Oculi B.V. sunt Columbarum, quia spirituales diuina gratia pleni.

9. Vt porrò tres Patres nimirum Nyssenus, Nilus, & Maximus apud eundem Theodoretum hanc Virginis nostræ ex creaturis omnibus collectam venustatem, omnem humanam, Angelicamque quam longissimè transcendere pulchritudinem ostendant, mox in persona sponsi addidere: *En tu formosa es, quia particeps es pulchritudinis meæ.* Idque confirmant ipsius Deiparæ responsione, Diuinam hanc sponsi in se venustatem agnoscentes. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Tu solus*, inquit, spõsa, *iure pulcher dici potes dilecte mi, cuius participatione pulchra, sunt pulchra, Pulcher inquam inaccessa Naturæ pulchritudine.*

B.V. formosa quia Diuinæ Pulchritudinis particeps

10. Neque verò mirandum Deiparam creaturarum omnium, & ipsius etiam Creatoris venustatem participasse, siquidem vt inquit Psellus ibidem apud Theodoretum: *Anima pura:* (& quæ purior Deipara?) *Domini succensa desiderio, operum progressu fit omnia. Nunc quidem sedes Cherubin, nunc sedes Regis, nunc vitis fructifera in aula Domini. Sponsa igitur dum florentem se Botrum ferre dicit, ostendit se nondum ad perfectionem peruenisse, ita mihi floret Christus, & sponsus, vt odoriferi Botri iucundè floret in Gaddi; qua quidem regio vitibus abundans, vuę suauitate cæteris antecellit.* Sic Psellus. Ob hãc creaturarum omnium in Virgine comprehensam pulchritudinem, nunc cælũ, nunc Sol, Luna, Stella, Hortus, vitis, lilium, rosa, fons signatus, puteus aquarum viuentium passim in sacris Canticis: ac demum ob Diuinas perfectiones quæ in ea resplendent à S. August. *Forma Dei*, à S. Antonino Archiepiscopo Florẽtino, *Dea, deiformitate actuum vocitata est.*

Anima pura qualis fuit B.V. Domini succensa desiderio, progressu virtutũ fit omnia.

M. Forma Dei, & Dea deiformitate actuum dicitur.

11. Quapropter hoc in opere venustissimo sempiternus Artifex id præstitisse visus est quod Zeuxis Heracleotes, qui in Iunonis Templo, quod apud Crotaniatas religiosissimè colebatur, Helenam, totius suæ artis exertis viribus ad viuum expressurus, Cratoniatarum formosissimas, magnâ oris dignitate præditas delegit Virgines, in quibus quidquid toto ore, oculisque pulchrum emicabat, quidquid perfectum, omnibus ex partibus natura expoliuerat, id totum in tabellam suam, Diuino propemodum artificio contulit, vt ita *mutum in simulachrum ex animali exemplo*, quemadmodum loquitur M. Tullius, li. de Inuent. *veritas transferetur*. Inspexisse planè accuratissimè in condenda Virgine totam Angelicam, humanamque Naturam, inspexisse cælorum orbes, Planetarum globos, syderumque omnium multitudinẽ, inspexisse globum terræ, cum reliquis tribus elementis, rebusque singulis, quæ illis continentur, inspexisse deniq; vniuersum Naturæ, & Gratiæ ordinem visus est creator, indeque florem, venustatemque decerpisse, eamque decerpisse, eamque plena manu in Virginem hanc pudicissimam, velut ille in Helenam Iouis filiam formæ elegantię toto orbe famosissimam, transtulisse.

Zeuxis Pictor quid in pingenda Helena, fecerit.

In B.V. omnium creaturarum tã cæli quam terræ pulchritudinis flos decerptus, fuit collocatus.

12. Vnde iure merito B. Arnoldus Carnotensis Abb. Tract. de laud. B. V. Virginem sacratissimam Mundum quẽdam mundissimum præstantiore quodam creaturarum omnium flore ac pulchritudine constantem esse pronunciauit. Atque ita non modo nouus quidam Mundus, verumetiã noua quędã Pandora, illâ Hesiodi lõgè præstãtior, humana, cælesti, Angelica, imo etiam Diuina venustate, quantum creatura capax esse potest, exornata in hoc orbe summa omnium admiratione comparuisse visa est. Hinc argute Vates ille, vbi creaturarum omnium decora in Virginę nostra beatissima collecta recogitasset, cecinit:

Et quæ sparguntur in omnes
In te mixta fluunt, & quæ diuisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Hanc pulchritudinem creaturarum omnium collectam in Virgine agnouit Im-

perfectus Auctor in cap. 1. Matth. *Maria*, inquiens, *speciosior facta fuit, & dignior, quàm totus mundus. Itaque non solum omnes totius orbis, & creaturarum omnium perfectiones adæquauit, sed etiam superauit. Vnde Mariam non Microcosmon, sed Mundum quendam, Mũdo ipso maiorem, & ampliorem appellare debemus. Quia quem totus Mundus, ait Imperfectus, capere non poterat, nec merebatur accipere, in cubiculo vteri sui meruit sola ipsa suscipere;* vtpotè, quæ flore ac primigeniâ quodammodo creaturarum omnium venustate ab Auctore munificentissimo decorata fuit; Mundusque quidam mundissimus, ac venustissimus, ac longè capacissimus euasit.

M. Mundus Mundo maior.

13. Quod nobis peruenustè Rutilius Benzonius Episc. Laurent. libr. 1. in Magn. cap. 28. pro solita sua in Deiparam pietate declarauit: *Sane postquam venit plenitudo temporis, etiam Diuinarum virtutum plenitudo in terris visa est; cum mirabile plane Opus imo omnium Diuinorum operum veluti absolutissimum atque perfectissimum Compendium inter omnia creata eminentissimum edidit, nempe Mariam, in qua tanquam opere specialiter à se inuento, ac designato, splendidissimè totius Diuinæ sapiẽtiæ summa omnis eiusdem Diuinę Omnipotentię virtus, totius sanctitatis celsitudo, omnis denique gratiæ plenitudo, in exiguo veluti Globo collecta, resplenduit. quocirca rectè Propheta cecinit Psal. 92. quam magnificata sunt opera tua Domine; nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Nimis, inquam, in Maria. quamuis enim hoc Vniuerso nihil sit mole maius, varietate admirabilius, specie magnificentius, ornatu elegantius, pulchritudine amabilius, robore valentius; ad incolumitatem, ac diuturnitatem firmius; decentissimo partium omnium ordine, miroque earum inter se, quasi concentu quodam, consensuque venustius, bonorum omnium copia plenius, perfectione absolutius; tamen Maria, mole virtutis est Mundo maior, cum ob DEVM genitum rationẽ quandam infinitatis induerit, vt D. Thom. 1. Par. q. 25. ad 6. affirmat. Atque etiam quia ipsa DEVM, quem cæli capere non poterant, suo gremio contulit, est eo varietate virtutum, & gratiarum admirabilior, est specie magnificentior, quia, B. Dionys. teste, speciem quandam eximiam Diuinæ Maiestatis præseferebat, ornatu, ac decora tum animi, tum corporis longè elegantior. Vnde Apoc, 12. præstantiora ipsius Orbis ornamenta vti sol, Luna, stellæque Deiparæ attribuuntur, Pulchritudine tanto amabilior, quantum eam non creaturis modo, sed ipsi Creatori super omnia creata vnicè dilectam esse cognoscimus. Robore valentior. est enim Mulier fortis à Deo inuẽta ad mundi Rectores destruendos, & conterẽdos, terribilis planè vt castrorum acies ordinata. Et præterea firmior ad incolumitatem, ac diuturnitatem, propter excelsi animi constantiam, cum sit Turris fortissima supra firmam petram ædificata, Cedrus in monte Sion, Ciuitas Dei, cuius fundamenta in montibus Sanctis, ad incolumitatem, & diuturnitatem hominum animis impertiendam; Est ordine, consensuque partium decentissimo, miroque consensu venustior; quoniam præter eximiam omnium corporis partium dispositionem, ordinem, ac elegantiam, in eius anima nulla peccati, vel culpæ deordinatio, nulla partium inferiorum à rectæ rationis præscripto discrepantia vnquam fuit. Omnium etiam bonorum copia plenior, cum Maria non solum naturalia bona omnia puræ creaturę communicabilia, plenissimo, vberrimoque modo extiterint. Denique est omni perfectione absolutior, quia ceteris per partes gratia data fuit, vt inquit D. Hierony. Mariæ vero totius se infudit gratiæ plenitudo. Vnde Eccli. 24. dicitur, quod rectè ab Ecclesia Marię applicatur: In me omnis gratia viæ, & veritatis in me omnis spe vitæ, & virtutis. Necnon rectè Albertus Nomen Mariæ interpretatur, vt idem sit quod mare, siue Oceanus omnium Diuinarum gratiarum fluenta recipiens, omnia virtutum flumina continens, omnium denique cælestium influxuum copia redundans, ac copiosissimè donorum etiam naturalium bona complectens. Rectè ergo à Siracide dicitur Eccli. 43. Vas admirabile opus excelsi. Est enim Vas vnicum in quo Manna, idest Christus, positum fuit, & coram Domino oblatum ad seruandum illud in futuras generationes.* Denique cum idẽ Benzonius quinque Mundi ætates à primo sæculorum exordio percurrisset, sextam hanc nostram, in qua Maria condita est, reliquis omnibus pretulit. Quemadmodum enim sexta dies creationis mundi in qua Protoplasti conditi sunt, reliquis omnibus nobilior extitit; ita sexta hæc Aetas, qua Virgo Deipara, velut noua Eua, omnibus ornamentis Naturæ, & Gratiæ decorata, velut nouus Mundus flore, ac pulchritudine creaturarum omniũ conuestitus ac illustratus istius Dei manibus ædificata est Aetates omnes antecelluit, quia in illa quidquid bonum, ac pulchrum in rebus creatis extitit, vti sæpius diximus, huic animato mundo exornando contulit.

M. Opus omnium Diuinorum operum compẽdium.

M. Mundus toto vniuerso longè pulchrior.

M pulchritudine omnibus mundi creaturis amabilior.

M. mundus consensu ac concinnitate precium tam animi quam corporis elegantissimus.

M. mundus omnium bonorum copia plenis.

M Vas admirabile Opus Excelsi.

Quamobrem has creaturarum omnium tam cælestium quam sublunarium perfectiones, velut optimas partes Deiparæ munificentissimâ supremi Artificis manu communicatas, Ecclesia Sancta, dum eam in cælos tanta cum gloria, ac maiestate proficiscentem contemplatur, maxima animi sui gestientis lætitia concinit: Optimam partem elegit sibi Ma-

Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum.

Pulchritudo omnis reperta in creaturis colligitur in B. V. omniũ Regina.

14. Hinc doctissimus ille Parisinę Academiæ Cancellarius Ioannes Gerson Tract. 3. in Magnif. asseuerauit. *Speciositas qualibet reperta in creaturis sparsim, tota colligitur in Beata, ac pulcherrima Mulierum vel formaliter, vel eminenter. Hæc est Regula Diuini Dionysii Hierarchias ordinantis, vt nimirum suprema illarum beatissimarum mentium Hierarchia perfectiones omnes inferiorum comprehendat.* Cùm ergo suprema post Deum Hierarchizans sit Virgo nostra gloriosissima, in se velut absolutissimâ epitome, venustatem creaturarum omnium complectatur, necesse est. Vnde paucis interpositis adnectit: *Nonnè primum in quodlibet genere, præcipuum est, & mensura cæterorum, quemadmodum est Dux in exercitu? Maria verò dicta est pulcherrima, & perfecta super cæteras creaturas non vnitas Diuinitati, qualis est Humanitas Christi. Consequens est igitur, vt omnia illi subseruiant, tam bona Naturæ, quàm Gratię, quàm artis, & Fortunæ. Quamuis autem omnis pulchritudo filiæ Regis sit ab intus, ideoque constituitur, & assistit Regina à dextris Dei in vestitu corporis deaurato circumdata varietate cuiuslibet creaturæ, cui adstat vnicuique sua pulchritudo saltem naturalis, cuius prima lineamenta deleri non possunt; tenebrositates tamen, & turpitudines tam habituum, quam actuũ vitiosorum non habuit. Quia in sua ratione formali nihil dicunt positiuum, sunt enim priuationes pulchritudinis inesse debitæ.* Prosequitur deinde in particulari enumerando varia creaturarum decora, quæ saltem virtualiter in Deipara tanquam suprema Hierarchizante resplendent; introducitque Discipulum sic loquentem: *Perge nunc ostendere, quo pacto sit in Maria Pulchrido qualibet reperibilis in creatura, maximè quia minorata est, sicut & Filius paulo minus ab Angelis, adeo quod naturalis speciositas damnati Luciferi, insignior sit ex dictis, quia perfectior. Quod sunt præterea virtutes specificæ, totam vt dicitur naturam speciei consequentes, in gemmis, herbis, verbis, industrijs, quoque animalium.* Rursum in donis hominum gratuitis, vt est character Sacerdotalis, fœmineo sexui repugnans. *Nunquid, vt interea silentium sit de cæteris, ex his omnibus Mariæ formositatem ornabis, vel eandem coronabis?* Cui in persona Magistri sic respondit: *Ornabo plane, ac coronabo. Circumdatur quippe omnibus ac singulis, quasi vestimẽto decoro, multimoda varietate depicto, quorum omnium Virtutes insignes continet, non quidem formaliter sed eminenter. Vnde si non habet naturalia, qualia gerit Angelus etiam damnatus, iam ideo est admirabilior, & eminentior Maria pulchritudo per gratiam, quæ naturam tam inferiorem quã sublimiorem copiosius ornat, & perficit. Non habet characterem Sacerdotalem formaliter, fateor; habet tamen eminentius ad reconciliationẽ peccatorum, ad apertionem Paradisi, quia verè ponitur Felix cęli Porta. Ad auxiliandum contra Potestates aereas, contra calamitates, & miserias omnes, tam animarum, quàm corporũ, quoties placuerit, scilicet illos misericordes oculos ad nos conuertere; quoties se ad nos voluerit, tanquam pia Mater filios quamquam dabiles, & fœdos curandos, purgandosque suscipere.* Hæc ille; Quibus sanè luculentissimè creaturarum omnium venustas eminenter, hoc est, modo longè excellentiori in Virgine nostra gloriosissima resplendere comprobatur, quem modum ille, ingenij sui diffisus viribus explicare se minimè posse ingenue confitetur: *Conabimur inaniter*, inquiens, *si verbis exæquare volumus pulchritudinem eius, qua sub Deo maior nequit intelligi, colligens in se omnes pulchritudines sparsas in creaturis. Ita vt sit verè vna speciosa, vnius Sponsi, vna perfecta sua, vna Matri suę, electa Genitrici suę, qua Genitrix est gratuita Dei Bonitas, quæ pulcherrima cum sit, pulcherrimam sibi fecit, & Virginem.*

M. supreina post Deum Hierarchizãs perfectiones tam Angelorum quã reliquorũ Cælitum complectens.

M. Regina circũ amicta varia pulchritudine omnium creaturarum.

M. ornatur ac coronatur pulchritudine omnium creaturarum.

In M. eminẽter est perfectio etiã primi Angeli damnati.

M. eminẽter habet characterem Sacer. dotalem ad recõciliationem peccatorum cum Deo, & ad reserationem Paradisi.

M. pulchritudinem qua sub Deo maior nequit intelligi nemo valet verbis exæquare.

M. Columba à Diuina Bonitate genetata pulcherrima.

15. Sed ipsam Deiparam modum hũc, quo sibi vniuersorum Conditor creaturarum omnium venustatem in ipsis nascentis mundi incunabilis contulit, explicantem audiamus: *Dominus*, inquit, *possedit me initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio*. Prou. 8. Quasi dicat, cum Pater ęternus orbem hunc, creaturasque conderet, me tanquam finem, ob quem Vniuersum creabat, immensâ illâ Diuinitatis mente possedit, præque oculis habuit, vt mihi, tanquam sui dilectissimi filij Matri, venustatem Angelorum, cælorum, Planetarum, reliquorumque syderum, terræ quoque florem, arborum, fructuum, aquarum, fontiumque Protoplastorum innocentiam, puritatẽque originalem, hominum denique Sanctorum perfectiones omnes, ac decora communicaret, ipsiusque Maiestatis dignissima habitatio euaderem, totique rerum Vniuersitati admirabilis, tanquam nouus quidam animatus, rationalisque mundus verè mundissimus, in sanctitatę, puritateque, plusquam Angelicâ, fundatus comparerẽ; atque ita, velut illa creaturarum omnium venustissima periferia, immensum illud, æternumque ambiens Centrum, Diuinæ Bonitatis pulchritudine decorata, toti mundo admirabilis comparerem.

In condendo Mundo Mariam Creator præ oculis habuit, vt ei cæli ac terræ venustatem conferret.

16. Audiamus rursus vocem amicam suauemque Deiparæ nostræ, qua se deco-

re

re creaturarum omnium venustatã à supremo orbis opifice gloriatur apud Eccli.24. *Memoria mea in generationes seculorũ;* ac si luculentius iuxta interpraetationẽ B. Alberti Magni, & Diui Antonini Archiep. Florent. edixisset: Dum totius orbis sapientissimus Molitor DEVS creatione cælorum, qui assiduis suis circumuolutionibus mensura sunt temporum, mensura sunt sæculorum, distineretur, eius Diuinissimæ assiduè obuersabar memoriæ; atq; ita factũ vt venustatẽ celorũ, ac creaturarũ omnium, in quibuscunque tẽporum, & sæculorum extitere differentijs, imo ipsius Aeui, ipsorumque Angelorum, quorum duratio à Philosophis Aeuum appellatur, communicaret perfectiones. Hanc ob causam à B. Ioanne Geometra piè consalutatam crediderim:

In Maria reperitur quid quid venustum in quacunque differẽtia temporis extitit.

Aue Temporis Genitrix, & Sinus Aeui.

Maria Temporis Genitrix, & Sinus Aeui quare dicta.

Temporis verè beati, sæculorumque Aureorum Genitrix, ac Regeneratrix est Maria, quia cælorum omnium, temporum, ac seculorum, re unque in ipsis existentium, ipsiusque Aeui Angelici, amplissimo quodã sinu complectendo perfectiones, hæc omnia, modo planè admirabili in se regenerauit, omniumque naturam, nouis Diuinitatis additis ornamentis, Dei filium Humanitati nostræ, quæ Microcosmus quidam est, in purissimo suo Vtero, ope, operaque Spiritus Sancti hypostaticè vniendo nobilitauit. De qua Humanæ naturæ reformatione, siue nobilitate, atque dignitate ipsi à Virgine collata præclarè S. Anselmus libr. de Excell. Vir. cap. 11. *Vtique,* inquit, *quæ DEVS benè, & vtiliter fecit, in eo statu, quo condita fuerunt, esse desiterunt, & per beatissimam Virginem in statum pristinum reuocata sunt, & restituta. Sicut ergo DEVS sua potentia parando cuncta, Pater est, & Deus omnium: ita Beata Dei Genitrix Maria suis meritis cuncta reparando Mater est, & Domina rerum. DEVS enim Dominus omnium, singula in sua natura, propria visione constituendo; & Maria est Domina rerum singula congenitæ dignitati per illam, quam meruit gratiam restituendo. Et quemadmodum DEVS, ex sua substãtia genuit eum, per quem cunctis originem dedit: ita B. V. Maria de sua carne mundissima peperit illum, qui decorem primæ creationis omniũ cunctis restituit.* Sic Anselmus. Ex quibus clarè perspicimus Mariam Dei generando filium totius orbis, eiusque creaturarum regeneratricem ac reformatricem extitisse, omniaque ad pristinam formã venustatemque reuocasse, eandemque in se velut in periferiã pulcherrimã, immensum illud Diuinitatis centrum, nempe æternum Verbum ambiente, participatã ipsius, & creaturarum omnium pulchritudine repræsentasse.

M. omni creaturas vitio Protoplastorum corruptas in statũ pristinum reuocauit.

Deus creãdo omnia Pater est, & Dominũ & Maria meritis suis eandem reparando Mater est Domina omniũ.

17. Agnouit Ieremias Propheta c. 31. Virginem purissimam, periferiam quandam venustissimam, summam illam, summèque diffusiuam Bonitatem, siue Pulchritudinem, ceu centrum circumstantem; cum festiue vaticinium illud tot seculis expectatam intonuit: *Creauit Dominus nouum super terram: Fœmina circumdabit Virum.* Quid quæso pulchrius, quid venustius hac Virgineâ, in qua æternum illud Bonum, & incommutabile Pulchrum, omnia pulchrificans, vt ait Plato, sibi fixit domicilium, Periferiã? Agnouit, & Ioannes Hondenius Anglus Ordinis Seraphici illustre sydus, dum in Virginis nostræ laudem cecinit:

M. venustissima Periferia centrum illud summi Boni ambiẽs.

Solem verum dum sinu detines,
Dum regiras, mones, & sustines,
Omni cęlo tu quia præemines,
Centrum, Sphæram claudis, & contines.

18. De hoc infiniti illius Centri in se repræsentato Circulo Eccli. 24. ipsa Virgo beata gloriari visa est, cum dixit: *Gyrum cęli circuiui sola.* Ac si clarius dicere voluisset, vt Deiparæ studiosissimus Richardus à S. Laurent. libr. 1. cap. 7. interpretatur: *Illum qui omnia claudit ac continet, gremio vteri mei circuiui, ac sola absque adiutorio virili circumdedi.* Quem sanè circuitum admirabilem, seu venustissimum Circulum summum illud Bonum, æternumque Verbum ceu centrum ambientem dum considero, summam Diuinamque quandam venustatem, puritatemque ex ardẽtissimo in summum illud Bonum amore proficiscentem, in Virgine nostra depræhendo, eandemque suo amore, in Diuinum amorem quodammodo transformatam animaduerto. Quemadmodum enim Personæ illæ Diuinissimæ æterno, ac omni principio, fineque carentesese mutuo amore complectentes, & eiusdẽ amoris sui, in se mutuo habitantes circuminsessionem faciunt, quam iam memoratus Gerson Tract. 3. in Magnificat, *Circulum quendam intelligibilem in triangulo personarum appellat:* Sic Virgo Beatissima Verbum æternum, ac per concomitantiam, Patrem, ac Spiritum Sanctum medullitus à primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti amando, amoremque vicissim huiuscè Diuinissimi Trianguli in sese cum largissima cælestium gratiarum, charismatumque diffusione recipiendo, Circulus quidam, siue Sphæra, centrum in se Diuinę Bonitatis complectens,

M. summum bonum sinu suo continẽs Centrum, & Spheram cõplectitur.

Circuminsessio Diuinarũ personarum per mutuum inter se amorem fit qui Circulus intelligibilis dicitur.

ctens, euasit venustissima, seque simul amoris in DEVM quodammodo transmutauit. Siquidem DEVS eodem Gersone, & Philosopho ab ipso citato teste; *sphæra intelligibilis, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam nisi in seipso, appellatus est.* Quod quidem ex omni æternitate antequam in vtero Virginis Verbum incarnaretur verissimum fuit; tunc enim periferia ipse sibi in se sufficiens solus extitit; at postquam Vtero Virgineo fuit circumdatus, nouam, omnis venustatis plenissimam nactum est circumferentiā, in quam ipsius bonitatis, siue pulchritudinis, charitatis, Sapientiæ, omnipotentiæ, misericordiæ, reliquarumque perfectionum lineæ, siue radij sese extendentes, ipsam quoque mirè formosam, mirè venustam effecere, verissimūque Sapientis illud initio dictum euasit pronunciatum: Bonitas est in centro, pulchritudo in circumferentia; siquidem vt S. dixit Nazianzenus:

Deus est sphæra intelligibilis, cuius centrū vbique circumferentia nusquā nisi in seipso reperitur.

Solus Diuus amor formosum reddit amantem.

Diuinus Amor formosos reddit.

19. Verè formosam adeo Diuinus amor, reliquaque immensi illius Centri attributa Virgineam hanc reddidere Sphœrā, ac periferiam, vt ad instar ignei cuiuspiam Circuli radiaret. Quod nobis pulchrè S. Amad. Episc. Hom. 2. expressit: *Candet*, inquiens, *perpetuâ Virginitate, & perfectâ puritate, decoris quoque suauitate fortem Rhinocerotem inclinat, DEVM Maiestatis inuitat. Rubet vt sphæra ignea, vt Regis purpura, vt coccus bis tinctus præferens amorem Dei, & proximi.* Atque ita Diuino amore, ceu igne inflammata, in Sphæram quandam Diuinitatis, Ignis illius omnia consumentis conuersa, speciem in se Diuinæ pulchritudinis expressit, euasitque venustissima immensi illius Centri circumferentia. Quod nobis insinuare visus est S. August. & Ildephonsus cum eam, *formam Dei*, hoc est, Pulchritudinem ipsius summi æterniq; per essentiam Pulchri, quod est ipse DEVS ter optimus Maximus, appellauit, eo quod esset Diuinissimæ illi formæ ac Venustati, charitatis ardore effecta simillima. Vnde præclarè iam sepius memoratus Gerson Tract. 3. *Ostendit*, inquit, *hæc fides summam, ac consummatam in tota Trinitate Pulchritudinem amabilem, dilectionemque pulcherrimam: Quoniam hæc est æqualitas numerosa, quæ reddit pulchritudinem, & pulchritudo succendit amorem, vt sit pulchritudo dilecta, & dilectio pulcherrima mutuo se respicientes.* Vnde Dionysius: *Diuinus Amor est sicut quidam æternus Circulus per optimum, ex optimo, & in optimo, & in optimum inenarrabili conuersione circumiens: Est autem Circulus pulcherrima figurarum.* Cum igitur Diuinus Amor, æternus sit Circulus, augustissimam in primis Triadem, tum creaturas omnes ambiens; & sanctissima Virgo diuinæ charitatis affectu vehementissimo, in Diuinum amorem transformata fuerit, consequitur sanè, illam venustissimum Circulum figurarū præstantissimum, immēsum Verbi æterni infiniti illius Pulchri centrum ambientem euasisse.

B.V. charitate ardentiss. facta sphæra ignea & Regis Purpura.

Diuinus Amor est quidam æternus Circulus.

Circulus est pulcherrima figurarum.

20. Quod porrò venustissima hæc Periferia Virginea, ab immenso illo Verbi Centro, quod vtero suo concluserat, venustatem omnem mutuata sit, testatur Rupertus Abbas lib. 1. in Cantica, qui admirationem illam repetitam Sponsi, de ipsius singulari venustate: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra,* secum expendens, sic scribit: *Pulchra decore Virgineo, pulchra Virgineo Filio. Taliter geminata nullius vnquam fuit, nullius vnquam erit pulchritudo.* Vt porrò venustatem hanc absolutissimā ipsi à filio illo specioso formâ præ filijs hominum communicatum fuisse ostēdat, addit, omnia illa septem Diuinissimi Spiritus dona, quę super florem illum de radice Iesse germinantem quieuerunt, illi esse largissimâ cum effusione donata; quæ sane hominem quemcunque repleuerint, Angelica planè pulchritudine decoratum reddunt; vti Diuum reddidere Stephanum, qui cum esset plenus *Spiritu S. intuentes eum omnes, qui sedebant in consilio viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Act. 6. 15.

M. velut Periferia suam pulchritudinem a Cētro verbi, quod per essentiā Pulchrum est mutuata.

Spiritus S. S. Stephanū pulchrum reddidit.

21. Agnouit S. Bernard. Sen. Tomo 2. ser. 51. art. 3. c. 1. ab hoc æterno, immensoque Verbi Centro, summam in hanc Virgineam sphæram, siue Circulum redundasse venustatem; quam ego dixerim eminentissimam illā Diuinæ Maternitatis gloriam, quâ verè nulla maior sub Deo valet intelligi; vtpotè omnium gratiarum, siue vt ita dicam pulchritudinū, quæ à Deo creaturæ alicui communicari possunt, absolutissimum compendiū; sic igitur ille; *Si quis*, inquit, *considerat Diuini consensus ad tantum mysterium finalem terminum, clarè intelliget, quod omnis dignitas, & perfectio inclusa in hoc, quod est esse Matrem Dei tàm mente, quàm corpore, comprȩhendatur in eo; quod quidem transcendit in merito in infinitum, quicquid aliud sub Deo homine cogitari, vel dici potest. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus, oportet, quod meritoria perfectio huius consensus, fuerit perfectioni sui termini comproportionata.* Ex qua tam eminenti Diuinæ Maternitatis dignitate, velut Diuina planè pulchri-

Quam magna sit Diuinæ Maternitatis Dignitas.

chri-

chritudine infert, omnem aliam imaginabilem prorsus venustatem, quæ in varijs meritis, cæli donis, ac gratijs consistit, in illa resplenduisse: *Ex his igitur colligi potest*, inquit ille, *Virginem Beatam in Conceptionis filij Dei consensu, plus meruisse, quam omnes creaturas, tam Angelos, quam homines, in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus suis, nempe omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status, & gradus gloriam sempiternam. Hæc autem Virgo in illo admirando consensu meruit totalem fomitis extinctionem, Dominium, & primatum totius orbis, plenitudinem omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum Spiritus S.*; (quæ verissima sunt, animi nostri decora ac ornamenta, nec non syncera eiusdem pulchritudo ac venustas:) *cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, Spiritus Prophetiæ, discretiones Spirituum, operationes virtutum: meruit fœcunditatem in Virginitate, Maternitatem filij Dei; meruit, quod sit stella maris, porta cæli, & super omnia, quod Regina misericordiæ nuncupetur, ac talis Nominis consequatur effectum. Vnde merito de ipsa B.V. Salomon ait: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Prou.31.

M. suo in Incarnationem cōsensu plus merita quam omnes Angeli, & homines.

M. in Incarnatione merita, vt sit stella maris, Porta cæli, & Regina misericordiæ.

22. Idem S.Bernardinus Tom.4.serm. 5. cap.8. docet duplicem venustatem ab immenso illo Verbi, in vtero Virginis conquiescentis Centro, in eandem veluti periferiam redundasse, dum reperire se asserit, in Rege nostro IESV duas mirabiles dignitates. prima est quod sit filius Dei Patris, ab æterno genitus: altera quod DEVM producat, spirando Spiritum S. *Vtramque*, inquit, *dignitatem B.V. participauit. In primis enim ita fuit verè filius Virginis ab ea in tempore genitus, sicut filius Patris æterni in æternitate generatus. Nec maior, nec minor, nec dignior est Dei filius in throno paterno sedens vestitus claritate, quam habuit, antequam mundus fieret, quàm vtero Virginis circumdatus, pannis pauperibus inuolutus, & intra fœnum in præsepio reclinatus. Aliam dignitatem filij habuit B.V. eo quod, & ipsa vti filius producat, & inspiret quodammodo nobis spiritum. Siquidem omnia eiusdem Spiritus Sancti dona, quibus vult, quando vult, quomodo, & quantum vult, per manus Virginis administrantur. Ab instanti enim Incarnationis Virgo iurisdictionem quandam, vt sic dicam, obtinuit, & auctoritatem in omnem processionem Spiritus S. temporalem: Hinc deuotissimus Bernardus: Nulla, inquit, gratia venit de cælo ad terram, nisi transeat per manus Mariæ. Et Hieronymus: In Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente; in Maria verò sicut in collo transeunte. Vnde in Canticis de Virgine instar colli respicientis caput IESVM Christum, ait Salomon Cant.4. Collum tuum sicut turris eburnea. Nam sicut per collum vitales Spiritus à capite descendunt in corpus, sic per Virginem, à capite Christi vitales gratiæ in eius corpus mysticum transfunduntur. Vnde iste est ordo Diuinarum gratiarum defluxus, vt prius à Deo defluant in Christi animam benedictam, deinde in animam Virginis Matris, inde in Seraphin, & sic deinceps in alios Angelorum ordines, ac demum in Ecclesiam militantem. Cùm enim tota Natura Diuina, totam esse, posse scire, & velle Diuinum intra Virginis vterū fuerit conclusum, non verebor dicere, in omnium gratiarum effluxus quandam iurisdictionem hāc Virginem habuisse, de cuius vtero, quasi Diuinitatis quopiam Oceano riui, ac flumina omnium gratiarum emanarunt.* Sic ille.

Duplex dignitas in Christo, & vtramque participauit B.V. tāquam immensi illius Centri periferia.

B.V. inspirat nobis Spiritū S. eiusque dona, quibus vult, & quādo vult, & quantū vult.

M. collum per quod vitales spiritus à capite descendunt in corpus.

Quomodo gratiæ per Virginem in membra Ecclesiæ distribuuntur.

M. in omnis gratiarum effluxus quādam iurisdictionem obtinuit.

23. Quod si à Diuinâ Naturâ, vtero Virginali, ceu sphærâ circumdatâ, velut à centro gratiarum, riui ac flumina, imo Oceanus omnium cælestium donorum, ac charismatum, quibus animæ rationalis genuina constat venustas, in totum orbem emanarunt, quantò magis in vicinissimā hanc ipsi centro huic Diuinissimo, Virgineam circumferentiam? *Vnde pulchritudinem hanc à Diuinissimo hoc Centro in Deiparam emanantem, eandemque per Deiparam in alios dispensari sagaciter idem Pater Seraphicus animaduertens, dispensationem hanc Gratiarum, per Dei Genitricem in alios factam, vnam ex stellis illis duodecim, eius gloriosissimum verticem coronātibus, appellauit*. Sicut enim duodenæ illæ pulcherrimæ stellæ non modo miram gloriam ipsi cælorum Reginæ, verumetiam reliquis sub eius patrocinio, ac clientelâ, velut Regio paludamento delitescētibus clarissima gratiarum lumina contulerunt: ita liberalissima illa Diuinarum gratiarum charismatumque dispēsatio & illi, & omnibus ipsius clientulis insignem animi contulit venustatē, splendoremque sanctimoniæ singularē.

Dispensatio gratiarum est vna ex stellis 12. in Corona B.V.

Stellæ in capite B.V. ipsius clientulis miram conferunt claritatem.

24. Hæc nimirum sunt illa Magna, quæ Virgini *fecit ille, qui potens est*, dum in eius vtero, tanquam Centrum, quiescens suæ infinitæ bonitatis radios in eius animā velut Circulum euibrans Diuinâ suâ venustate reddidit magnam, ipsisque Angelis longè formosiorem. Vnde idem S. Bernardinus Tom.3. serm.9. art.1. ca.2. Virginem de sua hac magna venustate gloriantem introducit: *Fecit mihi magna, qui potens est. Magnum quippè est, quod Virgo sum, maius, quod vtrumque simul Mater & Virgo sum, sed maximum si, cuius Mater sum attendatur, scilicet Vnigeniti filij Dei, & omnium Saluatoris. Qualia autem sunt hæc magna,*

Quænam sunt illa Magna, quæ Deus B.V. fecit?

Magna, quæ fecit Deus B.V. est quod Mater simul & Virgo sit.

gra, non exprimo, quia plane nec auris Angelica intelligere potest. Ista quippe magna non solum creaturis sunt maxima, sed etiam maxima & insuperabilia sunt illi, qui potens est, imo omnipotens est, & sanctum Nomen eius; & tamen nec potentiora, nec sapientiora ille facere potuit, quam quæ in me ipse fecit, dum scilicet hominem Verbo vniuit, vt idem sit factor, qui & factura; sed æternâ dispositione, & immensâ meâ dilectione facta sunt, ad meam gloriam singularem. vt in me videlicet, velut immensi illius Centri, seu Pulchri periferia, eius venustas tanquam euibratus à sole radius resplenderet. Idem S. Pater eodem To. 3. ser. 6. art. 3. cap. 2. hanc Diuinæ Maternitatis Pulchritudinem ait esse Gratiam illam de qua Gabriel: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud DEVM: inuenisti inquam gratiam qualem non est nactus quisquā ab æterno sicut tu,* ait sanctus; *Quæ enim talis sit gratia Dei, quę summum fauorem mereatur, concipere nempe in vtero, & parere filium? Papæ rem admiratione dignam!*

Magna, quæ fecit DEVS Mariæ sunt vt ille idem sit factor, & factura, in ipsius vtero.

Diuina Maternitas est singularis Gratia quam B. V. apud Deū reperit.

25. Agnouit S. Bonau. in 1. Dist. 44. in explicatione textus, Deiparam ęterni illius Centri, Verbi nempe Diuini, Circulum esse, ac Sphæram, venustate ipsius admirabili decorata, cùm dixit: *Virginem, quoad conceptionē prolis, quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest, tātam habuisse bonitatis dignitatem, quod nulla mulier amplius capere potuit. Si enim omnes creaturæ, quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentes, omnes deberent reuerētiam Matri Dei,* vtpote ei, in qua, veluti lucidissimo speculo, Diuinæ illius venustatis splendor enituit. Agnouit, & Angelicus Doctor ab Incarnato Verbo, veluti æternæ Bonitatis Centro, gratiarū omnium pulchritudinem in Virgineum hūc Circulum redundasse, cum 3. Par. qu. 27. ar. 5. in corp. gratissimè pronunciauit: *B. V. Maria propinquissima Christo fuit secūdum Humanitatem, quia ex ea accepit humanam Naturam, & ideo prę cęteris maiorem debuit à Christo gratię plenitudinem obtinere.* Hāc porrò plenitudinem gratiæ qu. 7. art. 10. exponit constitisse in eo, quod ad statum illū, ad quē tanquam Dei Mater, erat electa, sufficienti erat dotata gratiâ, veluti condignâ tantæ dignitatis dispositione, quę cum adeo infinita fuerit, vt Deus de absoluta potentia sua, loquendo de maternitatis dignitate, excellentiorem facere nequiuerit, consequitur sanè, & ipsam gratiæ dispositionem, quæ vera est, vti dixi, animæ nostræ venustas, fuisse prorsus admirabilem, omnique creato intellectui, etiam Angelico, vix perscrutabilem.

M. qui a Christo propinquissima, ideo maiorē ab illo gratiā obtinuit.

26. Quod si Diuinissimi huius Centri, Incarnati videlicet Verbi, pulchritudinem penitius, vti in se est, contēplemur, nil sane mirum nobis accidet, sanctissimam eius Matrem tam admirandam ac prope Diuinam venustatem, velut ipsius periferiam illud vtero suo ambientem, fuisse mutuatam. O quam præclarè Centri huius incomprehensibilem planè, & humanæ, & Angelicæ menti pulchritudinem descripsit Magnus Areopagita Dionysius cap. 4. de Diu. Nom. vbi de Deo loquutus: *Pulchrum,* inquit, *appellatur, ex eo, quod omni ex parte pulchrum sit, & plusquam Pulchrum, sitque Pulchrum, quod eodem modo semper habeat, ita vt nec oriatur, nec intereat; nec augeatur, nec imminuatur; nec partim pulchrum, partim turpe sit, neque hoc tempore Pulchrum sit, illo non item; nec ad hoc quidem Pulchrum sit, ad illud autem turpe; nec quod hic quidem Pulchrum sit, illic non item; nec quod aliquibus Pulchrum sit, nonnullis autem non pulchrum, sed quod ipsum per se secum vnius modi Pulchrum sit semper, quodque omnium, quę Pulchra sunt Pulchritudinem, velut è perenni fonte manantem, eximiè in se prę omnibus contineat: Vnde pulchrum nominamus, quod est particeps pulchritudinis, pulchritudinē vero participationem quādam causæ primæ pulchra omnia facientis. Ipsum vero superessentiale Pulchrum Pulchritudo quidem dicitur propter illam quam rebus omnibus pro suo cuiusq; modo pulchritudinem tradit.* Hæc Dionys. de ineffabile Dei pulchritudine, qua etiam filius Virginis, vt DEVs est, per essentiā cum præditus fuerit consequitur sane, in illam tāquam inexhausto omnis perfectionis fluuio venustatem illam tam admirabilem fuisse deriuatam.

Diuinæ Pulchritudinis descriptio.

27. Licet etiam qua homo mirè venustus, mirè formosus extiterit, ita vt & suę Humanitates prestantissimam illā speciem cum Matre communem habuerit. Quam pulchra porrò ipsius Incarnati Verbi extiterit Humanitas, ostēdit Dauid Psal. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs suis.* Quod elogium considerans Illyrij splendor Hieronymus Epist. 140. ad Principiam: *Hic Pulchritudo,* inquit, *virtutum in sacro, & venerando corpore commemoratur, non quod Diuinitas Christi Hominibus comparata formosior sit. hoc etiam non habet comparationem; sed absque passionibus Crucis vniuersis pulchrior est Virgo de Virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset, & in vultu quiddam, oculisque sydereum, nunquam statim secuti fuissent Apostoli, nec, qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent.*

Christus, & qua Deus, & Homo in omnibus pulcherrimus.

28. Eandem Sacratissimę tam Diuinitatis,

tatis, quam Humanitatis Pulchritudinē peruenustè depinxit S. August. serm. 9. de Natiu. & comm. in Psal. 44. *Vbique*, inquit ille, *Christus Dominus pulcher occurrebat. Pulcher in cęlis, pulcher in terris, Pulcher in Patre Verbum; Pulcher in Matre caro, & Verbum. Pulcher in vtero Virginis, vbi non amisit Diuinitatem, sed suscepit Humanitatem. Pulcher natus infans verbum, quia & cum esset Infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, cæli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in pręsepi Cibaria mansuetorum. Pulcher Christus in miraculis, in flagellis, in sermonibus, in verberibus pulcher, non curans mortem, & mortuos suscitans. Pulcher in ligno, pulcher in celo, pulcher in sepulchro: quis ergo non admiretur, non adoret Primum, & Nouissimum, Initium, & finem, A & Ω.*

Christus vbique Pulcher.

29. Porro Pineda noster li. 5. de rebus Salom. cap. 4. docet quod eam Christus Dominus corporis, & oris totius dignitatem, & pulchritudinem habuerit, quæ cum summa reuerentiâ coniuncta esset, & quæ maximè illius conditionem deceret. Veritatem hāc docet Doctor Angelicus in Psal. 44. Vbi ingeniosè ostendit pulchritudinem non esse eādem in omnibus, neque respectu eiusdem finis. Sicut igitur alia est pulchritudo pueri, alia Virginis, alia viri, alia senis; ita alia pulchritudo Doctoris, alia Ducis, alia grauissimi Censoris morum, & publici Prophetæ, atque verbi Dei Præconis, alia priuati hominis, cuius nihil intersit publicæ rei. Pro diuersitate igitur personarum, & officiorum decēt diuersi vultus, vultuumque diuersus habitus, color, vocis diuersitas, & externa vniuersa oris compositio diuersa. Ad eum igitur finem, quem sibi Christus IESVS proposuerat, optimam, summeq; perfectissimam corporis, & oris compositionem, atque dignitatem elegit. Idem Pineda assertionem hanc tam esse certam, quam DEVM optimis ad finem propositis cōsequendum medijs, & instrumentis vti; & qui hoc negaret læsæ fidei reus procul dubio fieret. Pulchritudo igitur Saluatoris prorsus eximia, ad eximium illud Diuinissimumque Opus à Patre æterno sibi commissum exequendum maximè idonea esse debuit; quam ille quoque velut Centrum Matri suæ Dilectissimæ tanquam eum ambienti periferiæ communicare, vt eam sibi assimilaret, oportuit, vt in ea sibi complaceret seseq; oblectaret. Vnde idem Doctor Angelicus 1. P. qu. 5. art. 4. ad 1. *Pulchra*, inquit, *dicuntur, quæ visa placent. vnde Pulchrum in debita proportione consistit, quia sensus delectatur in rebus debitè proportionatis, sicut in sibi similibus, quia cognitio fit per assimilationem, similitudo autem respicit formam, ideo pulchrum propriè pertinet ad rationem causę formalis.*

Christus Pulchritudine suæ Personæ proportionata præditus.

Qua dicēda sint Pulchra?

30. Quod si verum est, quod S. Dionys. Areopagita lib. de cælesti Hierar. cap. 3. asseuerat, *quod Pulchritudo Diuina, vt simplex, vt bona, vt perfectionis Auctor, pura quidem sit, verum singulos pro merito lucis suæ participes faciat, atque perficiat, quātum quisq; illius in se immutabilē effigiē exprimere nititur. Atque ita docet cælestis Hierarchię (quę secūdum ipsum est ordo sacratior, & scientia, atque operatio, quæ ad Dei similitudinem, & imitationem, ex indulta sibi Diuinitus luce pro viribus contendit) intentionem esse, Deo quantum fieri potest, similem euadere, vnumque cum illo fieri.* Cum igitur prima sit post DEVM Hierarchizans, vti supra meminimus, & per se Hierarchiā Diuinitati proximam Virgo nostra beatissima constituat, consequitur profectò, vt incommutabili illi, æternoque Pulchro, quam maximè assimiletur, eidemque intimè vniatur, & in illud quodammodo transformetur. Quare idem S. Doctor huiusmodi *creaturas ita summo illi, Diuinissimoque Pulchro vnitas*, asserit *effici Dei Imagines, ac Deos, insuper pellucida specula omni labe pura, ac digna, quibus principalis illius, ac Diuinæ lucis suauissimus radius, quem ego potissimum spiritualem animi venustatem dixerim, influat. Quod sacratissimum iubar vbi affatim hauserint, postmodum absque inuidia sequentibus fundunt.* Nihil verius de Deipara dici poterat, quæ capacissima cum fuerit, summoque illi Pulchro in vtero eius concentrato, vicinissima, ac copiosissimè de illo participauerit, pro congenita sibi Charitate, ac benignitate omnibus quidem, sed maximè sibi addictissimis seruis ac clientulis spiritualem hanc pulchritudinem, Diuinam illis, à filio impetrando gratiam affatim communicat.

Diuina Pulchritudo singulis pro illorum capacitate se communicat, sibique assimilat.

Creaturæ æterno Pulchro vnitæ Dei Imagines ac Dii, imo & specula Diuinæ pulchritudinis radium in se repræsentant.

M. spiritualē pulchritudinem sibi diuinitus communicatam sui deuotis impetratione gratiæ impertitur.

31. Quæ sanè Magni Areopagitæ cōsideratio, si profundius in animos nostros penetrauerit, facile tandem intelligemus, qua ratione ab illo immēso ęterni Verbi centro, quod ipsa increata, & Sole, syderibusque formosior Sapientia, Virginea hæc periferia venustatem illā plusquam Angelicam fuerit mutuata. Cum enim in fælicissimo illo Diuinę Incarnationis instanti Mater æterni Verbi dignissima sit effecta, mox ei tanquam mundus muliebris, velut preciosissima monilia, omnia gratiarum cælestiū, charismatumque Spiritus Sancti munera, quibus animæ Deo electæ ac dilectæ, vti dixi-

Increata sapientia speciosior est Sole.

M. in momento Incarnationis Verbi omnibus diuinæ gratiæ monilibus ac gemmis à Spiritu S. exornata.

diximus, venuſtas continetur communicanda erant. Quod nobis B. Albertus Magnus luculentiſſimo perſuadet argumento Tract. ſuper Miſſus, quo ipſe eximiâ puritate, interiorique pulchritudine Virginem tunc exornatã fuiſſe oſtendit: *Ad donationem ſupremi doni, ſequitur collatio omnium inferiorum. Sed DEVS beatiſſimæ Virgini ſummum Donum donauit, cuius pura creatura capax eſſe potuit, ſcilicet Dei Maternitatem, igitur & ſummam puritatem, quæ veriſſima eſt, animarum rationalium decor, ac venuſtas; Cum B. Dionyſius Areopagita aſſerat, ſuperiores, videlicet Angelos, habere inferiorum proprietates, cum excellentiâ. Vnde Seraphin qui excellit charitate, excellit ſimul donis omnibus inferiores; igitur & Beatiſſima Virgo omniũ Angelicarum Hierarchiarum Regina, cum Seraphinos excellat charitate, ſimul excellat etiã puritate, perfectiſſimaq; pulchritudine neceſſe eſt.*

Diuina Maternitas ſũmum eſt donum, cõplectens vniuerſa.

Sicut Seraphini charitate præcellunt omnes inferiores ordines, ita B. V. omnes Angelicas Hierarchias & ipſos Seraphinos pulchritudine gratiæ.

32. Quamobrem præclarè Pontanus noſter lib. 2. Florid. de B. V. num. 6. ſummam laudum Virginearum aſſeruit eſſe duo hæc verbula: *Mater Dei*; dum eam ſic eſt allocutus:

Te cantare ſolent ſacri Poetæ,
Te tonant quoque Rhetores diſerti,
Ore hi magniloquo, rotundo at illi,
Nec laudando queunt modum inuenire.
Ego te cano voculis duabus
Perquam magnificè Regieque,
Ni ſententia fallit, aut fefellit: (tum eſt.
MATER ALTITONANTIS. Hoccè toto
Quod nec plurima turba ſcriptitantum,
Longis potis eſt explicare chartis.

Mariæ ſũmũ Præconium eſt: Mater Dei.

33. Titulus igitur hic pulcherrimus: Mater Altinantis, fons eſt totius pulchritudinis, ac Venuſtatis; fons eſt totius gratiæ, ſanctimoniæ, ac puritatis, in puriſſima Virgine noſtra emicantis. His enim illa, velut precioſiſſimorum grandiumque illorum lapidum, nixa fundamentis, in animo ſuo Templum viuum, longè illo Ezechielis ac Salomonis præſtantius, ac magnificentius Diuinæ Maieſtati ad inhabitandum ædificauit. Sic enim Ezech. cap. 43. de illo, altiori lumine mentis colluſtratus, dum in altiſſimi montis vertice ſitum eſſet contemplatus, & poſtquam limites eius, ac circuitum eſſet dimenſus, vaticinatus eſt: *Iſta eſt lex Domus in ſummitate montis: omnis finis eius per circuitum, ſanctum ſanctorum eſt.* En vobis qualis Circulus ſit Deipara, in cuius vtero, Domus ſiuè Templum Deo altiſſimo fuit præparatum. Circulus hic Virgineus nihil aliud, *quam ſanctum ſanctorum eſt*, nil eſt aliud quam puritas puritatum omnium, etiam ſuper beatarũ mentium ſanctimoniam excellentiſſima; nil eſt aliud, quam venuſtas pulchritudinum omnium eminentiſſima, adeò vt tantam ſanctimoniæ venuſtatem B. Andreas Cretẽſis Epiſc. admiratus orat. 2. de Dorm. Deip. exclamare non dubitarit: *O ſancta, & ſanctis ſanctior, ò omnis ſãctitatis ſanctiſſimè Theſaure!* Similiter S. Damaſc. orat. 1. de dorm. B. V. vocat illam, eandem ob cauſam iuſtitiæ Fontem, & Sanctitatis Theſaurum.

M. Templũ eſt illud Ezechiele deſcriptum.

M. omnis Sanctitatis Sanctiſſimus Theſaurus.

34. Venerabilis Dionyſius Richel. lib. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. cap. 14. quærit. An tanta ſit Sanctitas Mariæ, vt ea maior ſub Deo ne queat intelligi; Et reſpondet, exceptâ Sanctiſſimâ Humanitate Chriſti nullam puram creaturam tantâ Sanctitate præditam eſſe poſſe, eo quod ipſius Sãctitas Diuinæ Maternitati, quæ infinita eſt proportionata aliquo modo eſſe debuerit. Vnde tandem ita concludit: Sanctitate ergo Mariæ maior ſub creata eius filij Sanctitate nec eſſe, nec intelligi poteſt. Tum quia nec in præſenti vita eius Sanctitatis magnitudo plene comprehendi poteſt, etiam quã in terris adepta eſt. Incomprehenſibilis enim, vt optimè dixit Ambroſius, incompræhenſibiliter operabatur in Matre. Tum quia poſt aſſumptionem hominis à Deo; nil præſtantius conferri poteſt homini, quã vt Dei Parens exiſtat. Tum quia ampliorẽ alicui impertiri gratiam nec decet, nec continget vnquam. Tum quia Mariæ ſanctitas eſt quodammodo, vti diximus, infinita; noſtro videlicet imperfecto concipiendi modo.

35. Ob Diuiniſſimam hanc Virginis noſtræ ſiue ſanctitatem, ſiue puritatem, ſiue pulchritudinem illibatus ipſius ſacratiſſimuſque Vterus cum puriſſimo æterni Patris ſinu à B. Petro Cardinali Damiano ſerm. de Ann. aliiſque nonnullis Patribus conferri conſueuit. Vnde Fluuiũ illũ, de loco voluptatis egredictẽ, docet eſſe Dei filiũ, Verbũ Dei in excelſis, de duplici loco voluptatis, de ſinu nẽpe Patris ab æterno, & de vtero Virginis Matris in tempore egredientem: *Hic locum voluptatis*, inquit ille, *Vterum Mariæ intelligo, in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dñs, de cuius delicijs Spiritus S. in Cantico amoris ca. 6. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens.* Et tandẽ concludit: *Nõ eſt locus voluptatis niſi vterus Virginis.*

M. vterus cũ ſinu æterni Patris confertur.

Fluuius de loco voluptatis egrediens eſt Dei Filius de ſinu Patris in mundum adueniens.

M. Vterus locus voluptatis.

36. Porrò ſinum Patris, Circulum quendam eſſe, ſicut, & Vterum Virginis, in quem immenſi illius Centri, Verbi ſcilicet æterni pulchritudinis ſplendor redundauit, totamque Dei Genitricem effecit venuſtiſſimam, excedentem om-

Sinus æterni [illegible]

cantico euadit manifestum. Vbi enim legit vulgatus Interpres: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum;* legit Hebræus: *Dum esset Rex in Circulo suo;* paterni, nempe sinus accubitu, adeo Virginearum virtutum, ac præsertim humilitatis, & charitatis venustas, ceu nardus aromatica suauem exhalauit odorem, vt eo delectatus Dei filius, in illum descendere, suas sibi delicias cum filijs hominum habiturus, non dubitauerit. Imo & postquam in Vtero ipsius tãquam venustissimo Circulo Diuinitatis Verbi, ceu solis lucidissimi radijs illustrato habitare non est dedignatus, adeo sibi in eius eximia complacuit pulchritudine, vt inde egredi, nisi æterni Patris ad redimendum genus humanum compelleretur imperio, minimè velle videretur. Hinc se extractum, hinc auulsum ab vtero, hinc se conclusum Virgineo illo Horto dictitabat.

Nardus humilitatis & charitatis B. V. cælestem Regem in sinu Patris declarauit.

In B.V. habitare Christus ita sibi complacuit, vt inde difficulter auulsus fuerit solius Patris æterni imperio.

37. Intellexit hanc Virginalis Circuli, siue Vteri Pulchritudinem, ac delicias paulo ante memoratus Richelius libr. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 12. eo quod tanto tamque ardenti desiderio supremus Rex exultabundus ad instar Gigantis ad eum, oblitus quodammodo Paterni Circuli, vteriuè, ad Virginem cucurrerit. Vnde premisso illo Regij Prophetæ Vaticinio Psalm. 8. *Exultauit vt Gigas, &c.* ad Deiparam, eius venustatem admiratus sic alloquitur: *Quoniam ò prælecta à Deo Rex Regum, & Dominus Dominãtium tuum concupiuit decorem, non mirum si cũ exultatione, ac festinatione ad te descendit. Siquidem in momento in ictu oculi à summo cælo in vterum tuum processit. Porro si deliciæ Dei sunt esse cum filijs hominum, nõ vtique cum his, qui caro sunt, sed cum his qui in Spiritu, & veritate Patrem colunt, atque adorant: quanto magis se cum eius deliciæ credendæ sunt, in qua carnale nil extitit, quæ Deo vnita fueras per fidem, transformata in illum per speciem, & indissolubiliter ei colligata per charitatem? Adhæc neminem latet, quod inuicem sese amantium conuersatio mutua sit delectabilis. Porro quò amor fortior, eò hæc vita iucundior. Sed quis mutuum illum Christi, Matrisque eius dilectionem metiri, aut mente concipere queat? Hinc fit vt neque quam deliciosus illorum conuictus extiterit vllus comprehendere valeat. Iam si Sponsi cum sponso vnio est iucundissima, & quæ erit cælestis sponsi cum Maria sponsa eius purissima, atque Sanctissima?* Singulariter igitur ipsorum coniuctio gaudiosa, ac deliciosa fuit. Amplius, quis vnici filij amantissimæque Matris, quæ illum nunquam offendit, nec qui ei displiceret, habuit, vt pote omni culpâ carens, & omni honestate, virtuteque conspicua, mutuam conuersationem delectabilissimam esse non videat? Sic fere Dionys.

Dei Filius ad deliciãdũ in vtero Virginis ad instar Gigantis cucurrit.

Si Deus habet delicias cũ Filiis hominũ, quanto magis cum B. V.

38. Idem Vir deuotissimus ex hac sãcta conuersatione ac vicinitate Matris cum Sanctissimo filio admirabilem charitatis ac Sanctitatis Pulchritudinẽ participasse insinuat dum eodem lib. 1. cap. 35. præmisso dicto illo sponsæ. *Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me,* ita loquitur: *Non sustinuit amor ardens, & æstuans, amor singularis, & incomparabilis minus aliquid Infantulo IESV ab electa exhiberi Genitrice, quam proprijs natis cæteræ exhibent Matres. Ego autem amplius omnino opinor. Arbitror nempe Virginis Matris Diuinæ Prolis eo ardentiores fuisse complexus, vberiora oscula, atque viciniores vniones, quo mutuus ipsorum amor vehementior extitit. Amor namque perfectus separationis impatiens est, Tum paucis intercalatis delicias Matris amoresque, quos in lectulo suo florido collocato paruulo Iesu experiebatur, contemplans exclamauit: O' amantissima, ò præcordialissima Maria, ineffabilis erat mundissimæ tuæ mentis lætitia dum floridum lectulum ingrediens Dei mox Vnigenitum, speciosissimum, suauissimumque ex te natum Infantulum, Dominum virtutum, Regemque gloriæ, ac mundi Iudicem Virgineis vlnis susceptura, roseo ore osculatura, atque inter Materna brachia ad quiescendum eras collocatura. O' ineffabiliter iucunda, delectabilis, ac munda Christi Regis, & Mariæ Matris vnio, Dum fonte sanctitatis, ipsã Dei Sapientiam ac virtutem Mater puritatis, Virgoque castissima eius collum stringit amplexibus, in brachijs suscipit, collocat inter purissima vbera, suauissimo vultui applicãte, roseisque demulcet labijs; dum inter Diuinissimæ amore flagrantissimæ, honestissimæque Genitricis vbera conquiescit; apud maternum pectus eam dulciter complexatus obdormit. O' deliciarum deliciæ dum tenerrima, ac deuotissima Puella condormientem sibi vicissim, vt DEVM adorat, & vnicum suum natum suauiter osculando brachijs circundat. Quæ quidem vnio quo intimior, eo purior, & quo frequentior eo salubrior.* Quia videlicet huiusmodi sacratissimi illius corpusculi reuerenti contrectatione, nõ modo charitate filij accendebatur, verumetiam omni Sanctitatis decore anima Virginis velut ambiens centrum periferia mirificè venustabatur.

B. V. amor erga filium eã Sanctificauit & pulchram effecit.

B. V. assidue cum Filio conuersando Sanctificata,

39. Vnde idem pijssimus Pater art. 36. ita prosequitur: Non est vt opinor qui ignoret ex mutuo frequentique corporũ contactu, alterius qualitatem, in alium immigrare, nouamque dispositionem contrahere atque sortiri. *Nempe qui pollutum tangit, polluitur, qui sanctum tetigerit,*

M. contactu Filij sanctificata.

ipse

ipse quoque sanctificabitur. Porro in corporibus quibus præsidet dominatrix ratio hoc maximè elucescit, dum ex consensu, appetitusque Spiritus corporum contingit attactus. Cum igitur vnumquodque corpus actiuum, quantum ex se est, applicatum sibi assimilet, & in ipsum, si capax est, propriam virtutem transfundat, procliuè est metiri, quantum ex assiduo affectuosissimo Incarnati Verbi contactu, purissimæ Virginis caro, animaque Deificata fuerit. Quis porro Deiformis illius corporis, quod beatę illi animæ, ipsique Diuinitati coniunctum extitit, valeat explicare virtutem? Erat nimirum omni nimium quantum vallatum virtute, quippe quod Diuinę operationis proprium ac dignissimum fuit Organum. Virtus equidem animę redundat in corpus; & in Christo Diuinitatis virtus in vtrumque redundauit. Mundissima igitur ac sanctissima, causalissima. ac virtuosissima erat Caro illa electa, ac per eam, quod intus latebat, Diuina videlicet pulchritudo, resplenduit. Illius igitur pudicissimæ Virginis, ac honestissimæ Matris, quę ipsi maternum omne exhibuit ministerium, & ad incrementa vsque virilis deduxit ętatis: quę dulcissimum, speciosissimumque Puerulum toties in vlnis suscepit, in gremio fouit, ad vbera applicuit, sibique blandientem atque arridentem tam suauiter osculabatur, tam placide intuebatur, tam amorose alloquebatur, inter cuius brachia toties tam suauiter quiescebat; huius inquam tam nobile corpus quomodo ex Diuinę illius carnis tam frequenti contrectatione deificatum non esse iudicare possumus? nempe si virtus de illo exibat, & sanabat omnes, & quid tādem in Materna illa, Virgineâque carne Diuinæ influentiæ capacissimâ virtus illa Christi operata est? Legimus quosdam ex nonnullorum Sanctorum virorum colloquio, vel intuitu, osculo vel attactu mentis feruorem, compunctionemque adeptos: Quid ergo Diuina Genitrix, quæ cum Sancto Sanctorum prima in terris viuit, quid in quam sanctitatis ac gratię mentis, & corporis contraxisse credenda est? Sic ille de sanctitate quam Virgo ex iugi consortio Christi participauit. Quæ nos iure ad venustatem, quam Virgo ab Incarnato Verbo, ex ipsius in vtero suo purissimo nouem mensium commoratione, & tot annorum in Nazareth cohabitatione, velut periferia à centro mutuata est, transferenda censemus.

Humanitas Christi erat omni virtute vallata, quam in B. V. transfundebat.

40. Venustatem hanc ab Incarnato Verbo mutuatam fuisse Deiparā agnouit S. Bonauen. serm. 2. de B. V. Tomo 3. suorum operum ad finem, dum explicat illam gratia fuisse plenam: *Domina nostra,* inquiens, *fuit plena gratia decorante in omni sua conuersatione. Vnde in figura ipsius dicitur: Erat formosa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur. Hæc est illa Rebecca Puella decora nimis Virgo pulcherrima, & incognita viro. Vnde ei dicitur: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Tota dicit, quia, & in carne, & in mente pulcherrima fuit, vt numquam ei aliqua ita similis fuerit. Vnde Bern. ad illa verba, Facie quidem, inquit, pulcherrima, mente integerrima, & Spiritu sanctissima. Hinc Hieronym. si diligenter inspicias, nihil est virtutis, nihil est speciositatis, nihil candoris, & gloriæ, quod ex ea non resplendeat. Ex hac multa pulchritudine vitę virtutem habuit Adamantis, quia sicut adamas ad se ferrum trahit. Sic Virgo sancta ad se deduxit de supernis Verbum Diuinum. Vnde Bernar. Virgo Regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis, & corporis candore praefulgida, & decora, specie sua, & pulchritudine in cælestibus cognita, ciuium cælestium in se prouocauit affectum, & aspectum, ita vt Regis animū ad se inclinaret, cęlestem Nuncium ad se de supernis educeret.* Hæc ille de gratia decorāte qua Virgo ab Incarnato Verbo repleta, mirificè tota, quanta venustata, est.

B. V. Gratia decorante fuit plena, vnde venusta facta est.

41. Venustatem denique hanc perfectissimam in hac Virginea sphæra mirificè relucentem à iam sæpius memorato Richelio depictam videamus libr. 1. de laud. & Præcon. B. V. ar. 39. *Prouidit nempe Pater æternus, prępărauitque Vnigenito suo conuenientem Genitricem, vt sicut ille erat speciosus forma præ filijs hominum, candidus item ac rubicundus electus ex millibus, imo ex omnibus ac præ vniuersis; Sic Mater tam in naturalibus, quam in gratuitis ipsi esset quam simillima.* Tum ad Virginem conuersus ita ipsam affatur: *Congruentissimè de te ò præclara decoraque Mater sponsus profatur: Tota pulchra es amica mea, &c. Etenim à planta pedis, vsque ad verticem capitis nil penitus in te extitit, nec in mente, nec in carne indecorum, indecens, aut inamœnum. Quin imo quidquid in te est Diuinæ sagacitatis industria, æternæque sapientię circino speciosissimè, ac gracillimè est formatum totumque fuit dulce, ac amabile, eximium ac delectabile.* Idem Vir in Deiparā pientissimus, eiusdem pulchritudinis articulo sequenti eximias prosequēs laudes docet venustatem illam animi interiorem in corpus redundasse, clarissimaque quadam luce toto ore oculisq; promicante suam præsentiam prodidisse: *Sunt,* inquiens, *qui clementissimæ Virginis feruore succensi non solum ipsi naturalem pulchritudinem, complexionisque bonitatem attribuunt, sed Diuinum quoque quendam splendorem in ipsa refulsisse, atque supernaturalem aliquam odoris fragrantiam, in sancta ipsius carne fuisse edisserunt. Eo quod fontanum illud, æternumque Lumen ipsa concepit, ac peperit, totiusque suauitatis causalem originē tot mēsibus:*

Ex corpore ac facie B. V. Diuinus quidam splēdor emicabat.

bus in vtero gestauerit, ac nutrierit, quod Moysis exemplo confirmant. Quod certissimum prorsus iudico. excellentissimæ enim ipsius gratię, qua mens eius pollebat plenitudo, in corpus redundauit, ac præsertim in vultu resplenduit. Si enim perturbatæ, passionatæque animæ tortuosa intus latens dispositio in facie abundè cognoscitur, corporisque deformitatem induit, cur serenissimæ, & in Spiritu Sancto lætissimę conscientiæ limpiditas in vultus decorem, totiusque corporis venustatem non redundet? Certè de pluribus sanctis legitur, quod in ipsorum etiam senilibus vultibus Angelicum quiddam enituit, quod Diuinæ, excellẽtisque gratiæ indicium fuit. In Matre igitur sanctitatis, & sancti sanctorum felicissima Genitrice id eminentius sine dubio extitit, atque ita gratiosa quædam, Diuinaque serenitas eam totam, ac maximè vultum perfudit. Vnde tantæ creditur fuisse castitatis, vt à nullo vnquam libidinosè concupisci potuerit, quoniam interior puritas in vultu expressa, virtute sua carnalem aspicientis extinguebat appetitum. Porro hanc Virginei corporis gratiam, post filij eius glorificationem auctam non dubito, vt ita glorificato in cælis filio, Mater quoq; Diuinam paulatim glorificationem quandam inchoatam adipisceretur in terris. Vnde dubium non est solo Mariæ conspectu plurimos Iudęorum, atque Gentilium esse conuersos sic cordialiter compunctos. Hæc Dionys.

B.V. tãtę fuit sanctitatis vt à nemine fuerit concupita.

B. V. solo suo aspectu plurimos Iudęos ac Gentiles conuertit.

42. Quæ sane tam pij ac Religiosi viri, sicut, & aliorum admodum mihi videtur probabilis sententia siquidem, & ipsius, & aliorum quamplurimorũ Theologiæ Doctorum auctoritate, rationibusque luculentissimis sumus edocti sæpius ad breuè tempus intellectum Deiparæ lumine glorię fuisse irradiatum adhuc dum in hac mortali vita degeret, ad videndamque clarè Diuinam essentiam eleuatam, & maximè in filij Dei Incarnatione, in qua cùm sempiternus ille iustitiæ sol atque adeo ipsa increata, sole speciosior sapientia, thalamum ipsius Virginalis vteri fuerit ingressa, eam sanè, admodum credibile est, ab ipso tantis Diuinitatis suæ splendoribus, ad ipsius clarè contemplandam faciem fuisse perfusam, vt lux illa in os, oculosque, ac totum denique corpus sese diffunderet, essetque ipsi Deo, cunctisque tam cælitibus, quam terrigenis mortalibus, adeoque creaturis omnibus admirabilis. Hãc ob causam aiebat illi sponsus: Cant. 6. 3. *Pulchra es amica mea suauis, & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata, &c.* Quod encomium librans Rupertus lib. 6. in Cant. *In hoc est*, inquit, *perfectio pulchritudinis, quod non solum suauis, nec solum terribilis, sed vtrumque es, suauis, & terribilis. In quo suauis, & decora sicut Ierusalem? In eo videlicet, quod & anima tua semper supernam videt pacem:* (quæ scilic. est Deus ipse, vtpotè DEVS pacis:) *& ex visitatione tui, discunt animę plurimę cęlestem ducere conuersationem. Vnde & dicuntur, & sunt filiæ Hierusalem, quia optimam eligunt partem, iuxta illud: Vacate, & videte quoniam ego sum DEVS.*

Lumen gloriæ quo B. V. erat illuminata subinde ad videndum clarè Deum illi toto ore oculisq. emicuisse credibile est.

In quo perfectio pulchritudinis B.V. consistat.

B.V. decora sicut Ierusalẽ, quia anima eius supernam videbat pacẽ.

43. Hinc ipse Dei filius miris laudibus lib. 5. Reuelat. S. Brigittæ Reuelat: 4. omnia Diuinæ Matris membra à capite ad calcem extollit, ac præcipuè ipsius Virginalem vterum, quem Aureum quẽdam esse Circulum intelligens, Coronâ aurea, quam ait suam esse Deitatem, redimiri debuisse affirmat: Sic igitur ipsa veritas loquitur: *Venter tuus fuit mundissimus sicut ebur, & sicut locus ex virtuosis lapidibus splendidissimus. Huius itaque ventris, seu domus parietes fuit fides tua quasi aurum fulgẽtissimum, in quibus virtutum tuarum notatur fortitudo, prudentia, iustitia, temperantia cum perfecta perseuerantia, quia omnes hę virtutes tuę perfectę fuerunt Diuina charitate. Hic igitur vteri tui locus tam spiritualis, quam corporalis tantum mihi erat desiderabilis, tantumque anima tua mihi fuit placita, quod à summo cælo descendere ad te, & in te commorari non abhorrui, imo suauissimè delectatus sum. Ideo Mater charissima Corona illa, quę custodiebatur in me, quę quidem Corona sum ego DEVS, qui debebam incarnari, nulli imponi debuit nisi tibi, quia es verè Mater, & Virgo, & omnium Reginarum Impetratrix.* Idem Dei filius cum dilectissimam Matrem pulcherrimo cuidam flori contulisset libro 1. Reuelat. S. Brigittæ cap. 51. ipsius tandem sic venustatem, admirabilem ipsis Angelis deprædicauit: *Angeli considerant alter alterius pulchritudinem, & pulchritudinem omnium animarum, & omnium corporum admirentur, sed animæ tuę pulchritudinem vident esse super omnia, quę creata sunt, & corporis tui honestatem excellere omnes homines, qui creati sunt. Et sic omnes Angelos, & omnia, quæ creata sunt excessit pulchritudo tua.*

Deitas est Corona aurea vterum Virginis coronans.

Fides B. V. quasi aurum fulgẽtissimũ.

B. V. omnes virtutes fuerunt diuina charitate perfectæ.

M. similis pulcherrimo cuidã Flori.

Angeli pulchritudinem M. præ ceterarum animarum pulchritudine admirantur.

44. Quod porrò Angelos, cunctos cælites, ac mortales omnes Virginea hæc tam animi, quam corporis venustas in summam incredibili sua perfectione rapuerit admirationem, testatus est Angelus S. Brigittæ in serm. suo cap. 13. Postquam enim virtutes Theologicas, ac Cardinales, velut Virgineæ illius animę pulcherrima ornamenta, omniumque sensuum, potentiarumque moderationem exposuisset, addidit: *Ex his quoque ornamentis super omnia, quę erant creata, Virgo ipsa tam pulchrè in anima redimita apparuit,* quod

Virtutum ornamentis anima B.V. redimita coram Deo apparuit, ipsique placuit.

quod creatori placuit omnia sua promissa, ipsa mediante perficere. Erat enim ex charitatis virtute ita roborata, quod in nullo bono opere tabescebat, nec quidem in minimo punctio vnquam in eam inimicus prævalebat. Verè, & procul dubio est credendum, quod sicut ipsius anima coram Deo, & Angelis erat pulcherrima, ita & eius corpus in cunctorum eam intuentium oculis fuit gratissimum. Et quemadmodũ Deus, & Angeli de eius anima venustate gratulabantur in cælis; ita gratissima eius corporis pulchritudo omnibus eã cernere cupientibus vtilis fuit, & consolatoria in terris.

M. Pulchritudo consolatoria, & vtilis fuit omnibus eã videre cupientibus in terra.

45. Testatur etiam Religiosissimus Baptista Mantuanus Ordinis Carmelitani egregium decus, eximiam Deiparæ formæ elegantiam creaturis omnibus, tunc præsertim cum concepto Deo, æternâ nimirum illa per essentiam Pulchritudine, in vtero illum eodẽ, veluti periferiâ, circundans abijt in montana cum festinatione Elisebetham salutatura, fuisse admirationi eiusque aspectu mirificè gestijsse. Sic enim ille libr. 2. Parthenicæ suauissimè in laudem tantæ venustatis modulatus est:

Omnes creaturæ pulchritudine B. V. lætatę, & delectatæ sunt.

Pedibus calcata pudicis
Gestijt immensum tellus, & dulcia longo
Tempore seruauit presso vestigia dorso.
Tota venustatem Regio mirata, decusque
Aethereæ frontis, fusumque per ora pudorem.
Arrisit procul omnis ager, nemus omne virẽtes,
Exorto iam vere, comas curuauit, & ibat
In flores tunc omne solum; fragrantia rura
Purpureas passim violas, & candida passim
Lilia fundebant; nitidis è fontibus vndę
Voluebant dulces, cursu crepitante susurros.
Assyrij colles assurrexere Thaboris,
Et iuga flexerunt. Dominam speculatus ab alto
Vertice Carmelus caput inclinauit apricum
Comiferas pinos, & odoriferas Cyparissos
Blandior alternis flectebat nutibus aura.
Terra suas monstrabat opes, & lucidus ęther,
Nubibus expulsis, vultu ridebat aperto.
Crinibus auratis solitoque decentior acres
Sol vrgebat equos, tersoque ardebat olympo
Qualis erat prima Genitor qua condidit illum
Luce DEVS, cum clara nouis splendoribus astra
Alta per insuetos ferrent vestigia gressus.

46. O' quam longè aptius de Diuina hac Virginis venustate, quod de nescio cuius Sulpitiæ specie, Martem alloquẽs, modulatus est Tibullus lib. 4.

At tu violente caueto
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis cum vult exurere Diuos
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam quidquid agit quoquo vestigia mouit
Componit furtim, subsequiturque decor.
Vrit seu Tyriâ voluit procedere pallâ
Vrit seu niuea candida veste venit.
Talis in æterno felix Vertumnus Olympo,
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Mariã quacunque se mouet decor subsequitur.

O' Quam longè Sapientius, ac verius eidem huic cecinisset Virgini gratiosissimæ, ac pulcherrimæ idem Poeta.

Maria nobis est curarum requies, & in tenebras lumen.

Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, & in solis tu mihi turba locis.

47. Diuinam denique hanc esse Virginis nostræ purissimæ Venustatem colligitur ex eo, quod Planeta ille venustus, Lucifer, stella pulcherrima, Solis prænũcia vocitetur, siquidem vt ante dixi, Soli, Lunæ, ac stellis Phœnices, aliæque gẽtes, tanquam Dijs diuinos, vti supra meminimus, honores decreuerant. Hinc à Saracenis Luciferi sydus, vt Numen colebatur, vt testatur S. Hieronymus in vita S. Hilarionis: *Hilarion, inquiens, peruenit Elusam eo forte die, quo anniuersaria Solẽnitas omnẽ oppidi populũ in Templũ Veneris congregauerat. Colunt autem eam ob Luciferum, cuius cultui Saracenorum natio data est. Hinc & Mahomet in Alcorano, Astri, quod Cubar vocant, idest Luciferi, cultum suis indixit.* Hinc Iulius Cæsar post mortem inter DEOS relatus, in sydus hoc Veneris, quæ ipsius esse Mater ferebatur, ab Ouidio libr. 15. Metamorph. transmutatus fuisse creditus est. Sic enim ille ad finem libri cecinit:

Venustas Mariæ stellæ Luciferi, quę Dea censebatur per similis.

Saraceni stellam Veneris colunt, ex præcepto Mahometis.

Iulius Cæsar post mortem inter Deos relatus in Luciferi stellam cõuersus vt fabulãtur Poetæ.

Hic tamen accessit delubris aduena nostris;
Cæsar in vrbe sua DEVS est, quem Marte, togaque,
Præcipuum, non bella magis infinita triumphis,
Resque domi gestæ, properataque gloria rerum
In sydus vertere nouum, stellamque comantem.

Hinc Horatius lib. 1. Carm. Ode 13.

Micat inter omnes
Iulium sydus velut inter ignes
Luna minores.

Hinc Virgilius 8. Aeneid. Pallantem, Heroem pulchritudine, ac robore clarissimum, Lucifero, quasi Deo contulit:

Ipse agmine Pallas
In medio chlamyde, et pictis conspectus in armis,
Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda
Extulit os sacrum cælo.

Hinc Heliogabalus Diuinitatem affectans, Sol vocari voluit, proinde cum ante Gabalus, postea Heliogabalus dici voluit ἥλιος enim solem significat. Hinc denique Caius Caligula Diuinos sibi honores adscribens auream coronam Phœbi, Luneque radijs, stellisque varijs exornatam ad suam Diuinam, scilicet in gubernando orbe, contestandam vigilantiam, suo capiti imposuit.

Heliogabalus Diuinitatem stultè affectans sol appellari voluit.

48. Quocirca cum Venusto huic Planetæ

netæ castissimam Virginem nostram cõparamus, in animum nostrum inducere omnino debemus, plusquam humanam, imo propemodum Diuinam eius esse venustatem ab æterno illo lumine, quod vtero gestabat deriuatam vtpote, quę syderi illi, quod à luce ferenda nuncupatur, & à quo lux diei pulcherrima initiũ sumit, cõferri audimus. Verè enim Virgo gloriosissima virtutum gratiarumque suarum venustate, fugatis scelerum, errorumque nostrorũ tenebris, velut stella matutina, solem iustitiæ, clarissimamque mortalibus reuexit diem, adeo vt hanc ob causam, velut illa speciosissima inter omnes totius orbis fœminas Iobi filia, dies iure meritissimo esset vocitanda.

M. velut stellà Luciferi errorum caliginem dispulit, & diē lætũ gratiæ reuexit.

Audiendus hic B. Petrus Card. Damian. ser. de Assumpt. B.V. qui teterrimæ illius noctis tenebras, quas infelix illa protoplastorum culpa orbi inuenit describes, Virginis nostræ Natiuitate, ceu stellæ matutinæ, ceu Auroræ sole iustitiæ grauidæ exortu, pulsas fuisse asseuerat:

Protoplastorum culpa tenebræ in mundum inuectæ per Natiuitatem B.V. velut stellam matutinam depulsæ.

In meridiano lumine, inquit ille, *primus ille Parens creatus, est factus ad imaginem, & similitudinem conditoris. Quid enim clarius, quam creatum creanti non esse dissimilem. Imaginem dedit ei in æternitate, similitudinem in moribus, vt sit similis creatori, si non identitate, similitudine tamen. Sed ille tanti priuilegij dignitate reiectâ, Apostatæ spiritui, falsâ promissione delinitus inhæsit, & se cum posteritate sua perpetuæ morti destinauit, & tenebris. Ab illa hora tenebrę factæ sunt super vniuersam terram vsque ad Virginem, nec inuentus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet; sed mundo crescente concreuit, & tenebrosa Vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem, humanum genus nocte terribili sepeliuit. Hæc est nox illa solitaria, nec laude digna, de qua Psalm. 101. Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluę. Quia crudeles, & indomiti Spiritus, dimotis repagulis, humanum genus, totis viribus obtinuerunt.*

Quanta mala ex Protoplastorum peccato mũdum occuparunt?

Sed nata Virgine, surrexit Aurora, quia Maria veri præuia luminis, Natiuitate sua manè clarissimam serenauit. Hæc est stella matutina in medio nebulæ, quæ in cæli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. Hæc est Aurora quam sequitur, imo de qua nascitur sol iustitiæ, solius solis claritati succumbens. Hæc est Aurora quam ille non vidit, qui videt omne sublime, & orat B. Iob vt ei multa supressione claudatur, dicens: Non videant ortum surgentis Auroræ Iob 3. Tuus est dies Domine, in quo Adam est conditus, tua est nox, in qua Adam, à die est eiectus. Tu fabricatus es Auroram, idest Virginem Matrem, & solem, videlicet iustitiæ, qui de Virginali thalamo consurrexit. Nam sicut Aurora terminus est noctis, & diei principium adesse testatur; sic & Virgo noctem expulit sempiternam, & de die, diem de terra suæ Virginitatis exortum, terris infudit. Hæc Dam.

M. velut Aurora mundi tenebras depulit.

M. stella matutina in medio nebulæ.

M. est Aurora à supremo Opifice fabricata.

49. Hæc est illa stella pulcherrima de qua vaticinatus est Baalam Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurgat Virga de Israel.* quibus verbis declarat fulgentissimæ huius stellæ præ sanctis omnibus, qui etiam stellæ appellantur, nobilitatem. Quemadmodum enim Virga seu sceptrũ Regni Israelitici fuit inter omnia Regna mũdi, ob veri Numinis clarissimam illam lucem, ac cognitionem eminentissimum, ac celeberrimum: Sic Virginea hæc stella inter omnes reliquorum sanctorum stellas obtinet principatum.

M. stella ex Iacob inter omnes Cælites velut stellas obtinens principatũ.

Hęc enim Virgo, vt ait S. Bernard. Hom. 2. super Missus: *aptissimè syderi comparatur; quia sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit filiũ. Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes quam corpora, fouet virtutes, excoquit vitia.*

Cur B.V. stella vocitatur?

50. Alias rationes affert Franciscus Mayroni ord. seraph. sermon. de Natiu. B.V. cur B.V. stella matutina appelletur: *Mater Domini,* inquiens, *stella matutina dicitur, ob quinque stellæ huius proprietates, quæ ei conueniunt; quarum prima est, quod sicut ortus huius stellę in aurora diei præcedit ortum solis, sic ortus Virginis præcessit ortum Christi in Aurora noui testamenti, quæ dicitur fuisse in Natiuitate B. Virg. Et sicut illa hora incipiunt timere bestiæ Syluestres, homines verò esse securi: sic orta Virgine ceperunt hostes timere, & sancti confidere. Secunda. Quia sicut stella hæc dicitur Lucifer, eo quod excedit pulchritudinem omnium aliorum, sicut excedebat ille pulchritudinem omnium Angelorum; ita B. Virg. pulchrior est omnibus sanctis. Tertia sicut illa stella terram nocte illuminat; ita Mater Domini in huius sæculi nocte, præ cæteris sanctis virtute suę sapientię illuminat Ecclesiam. Quarta, sicut hæc stella habet virtutem, & influentiam ad generandam beneuolentiam, & amicitias conciliandas secundum astronomos: sic B.V. ad concordiam faciendam inter DEVM, & hominem, veramque amicitiam, quæ in ipsius gratia consistit. Quinta: Quia sicut hæc stella regnare dicitur die Veneris, vnde, & venus vocatur: ita Mater Domini suum Regnum accepit eo die, quo Angelo nunciante filium benedictum concepit filium, qui dies idem fuisse dicitur, quia tunc Regina mundi effecta est.* De hac gloriosa Virgine

Cur B.V. stella matutina dicitur.

Sicut Lucifer Angelus superabat omnes reliquos sua pulchritudine: sic B.V. pulchrior est omnibus Angelis reliquisque Cęlitibus.

gine

gine exponi possunt illa Domini verba Apoc. 2. 26. & 28. *Qui vicerit, & custodierit, usque in finem opera mea, dabo illi stellam matutinam*. Quia reuera post tentationū victoriam, post diuinorum mādatorum sedulam, obseruationem, in cælum ad stellam hanc fulgentissimam contemplādam quæ reuera accidentalis nostræ Beatitatis ac gloriæ pars est, post Christi Humanitatem primaria, euehamur.

Christus Radix Dauid, & stella splendida ac matutina.

51. Et quoniam Virgo, vti sæpius memorauimus, dilectissimi sui filij in omnibus est æmulata similitudinem, dicere iure cum eo poterat: Apoc. 22. 16. *Ego sum radix, & genus Dauid, stella splendida, & matutina*. Quemadmodum enim ille in mundum rediuiuus ad instar stellæ matutinæ claram diem æternitatis mox adfuturam nuntiantis aduenit; sic B. V. in hanc lucem clarissimam exorta, nobis tam Diem gratiæ, quam diē gloriæ, nullo vnquam fine terminandam, mox secuturam polliceri visa est. *Et quemadmodum Simō ille Oniæ filius Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, typus pulcherrimus Saluatoris, quasi stella matutina in medio nebulæ refulsit*, vt ait Eccl. 50. scelerumq; nebulas, ex Iudæa dispulit: sic B. V. triplicem nebulam, quæ ante ipsius ortum mundum contexerat, abstersit. Contexerat enim terram eo tempore nebula superbiæ, nebula auaritiæ, ac denique nebula carnalis immunditiæ, omnem hanc nebulam Virgo nostra, tanquam stella splendida, ac matutina, effugauit; superbiam quidem sua profundissima humilitate. Vnde licet mox concepta totiusq; Vniuersi, atque adeo Angelorum, hominumque Regina esset constituta, humilem paruulamque Ancillam Domini in oculis suis se reputans, gloriabunda in Domino dicebat: *Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem paruula placui Altissimo*: Auaritiam suā insigni paupertate, quam sanè inter reliqua, luculēter Sacrosanctæ domus Lauretanæ interni illi parietes, cum exiguo illo camino, totiusque illius purissimi domicilij, quod non semel videre, adorare, & deosculari mihi, licet indignissimo, triennio licuit, contestantur angustiæ. Carnalis denique immunditiæ nebulam, suā purissimā ante partum, in partu, & post partum, nunquam hactenus auditā dispulit Virginitate; cuius voto ad illa vsque tempora insolito in vtero adhuc Matris in ipso immaculatæ Conceptionis momento, vt censet P. Suarez, alijque nonnulli Theologi, sese obstrinxit.

M. stella matutina triplicem nebulā à mundo in sua Natiuit. depulit.

M. nebulam superbiæ, auaritiæ, atque immunditiæ tanquā stella dispulit.

Mariæ paupertatem Domus Lauretanā cum sacro illo camino testatur.

51. Stellæ huius Matutinæ mirificam quoque deprædicauit venustatem Pat. Ioannes Posoniensis Eremita Paulinus qui vixit circa Annum 1488. in suo ser. M.S. de sanctificatione B. V. quem habere licuit ex Bibliotheca Monasterij B. V. de Eremo, dum zagrabiæ hæc scriberem. Expendens enim illud elogium: *quasi stella matutina in medio nebulæ*; sic loquitur: *Stella dicitur à stando. B. V. stetit in cælo suo per Conceptionem. stetit in vita per omnium virtutum irradiationem, stetit in monte Caluario per mortis compassionem. De virtutum eius splendore S. August. serm. de Assumpt. Omnes quidem*, inquit, *sanctorum memoriæ sunt mirabiles, nil tamen tantum in gloria est, quam præsens solennitas. Abel per sacrificium nominatur. Enoch per Dei complacentiam memoratur. Melchisedech sicut imago Dei prædicatur; Noe per iustitiam laudatur. Abraham per fidem approbatur. Isaac per nomen Risus mundi lætitiam significando æstimatur. Iacob per luctam beatificatur. Moyses sicut legislator extollitur. IESVS Naue sicut Dux fortissimus in cælum euehitur. Helias sicut Dei zelator, Isaias sicut cum Deo familiaris collocatur. Daniel sicut prudentissimus, Vir desideriorum; Ezechiel sicut arcanorum spectator. Dauid vt pater mysterij in humana carne peracti descriptor. Salomon denique vt sapientissimus Incarnatam sapientiam repræsentans mirificè commendatur. Verùm nullus mortalium omni laude dignus extitit, atque Virgo Dei para. Quæ enim hi omnes in ænigmate viderunt, hæc in vtero suo purissimo incarnatum gestare meruit, & veluti stella immensum illum solem concipiens in omnium semper virtutum splendore constans permansit ac constitit. Stetit denique in Monte Caluario iuxta Crucem IESV Ioan. 19. immobiliter sicut stella in cælo, filio videlicet. Vnde Abac. 3. Eleuatus est sol in Cruce nimirum, & Luna stetit in ordine suo, dum Ecclipsato iustitiæ soli in Cruce V. Mater adstitit. Eadem Virgo iure stella vocitatur ob suam eminentissimam sublimitatem in firmamento Ecclesiæ. Hinc Eccli. 43. Altitudinis firmamentum pulchritudo eius. Ipsa enim post Filium est sanctis omnibus excelsior. Cum enim ab ipsa veritate dictum sit: Qui se humiliat exaltabitur, profecto cùm B. V. se summè humiliauerit, summè quoque exaltari meruit. Vnde ipsa glorians in Domino aiebat Eccli. 24. Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis. Sublimis est Virginea hæc stella, quia est signum illud Magnum, quod vidit Ioannes apparuisse in cælo, est mulier amicta sole, sub cuius pedibus Luna est; quia Mediatrix est inter Christum, & Ecclesiam. Sublimis est Virgo super omnes creaturas. Quia creatura illa in dignitate est altior, quæ est in gradu bonitatis sublimior. Sed B. V. omnium* crea-

Sanctorum memoriæ sunt mirabiles, sed memoria Mariæ præ cæteris omnibus admirabiliss.

M velut stella solem iustitiæ concipiens in omnium virtutū luce semper constans permansit.

M. stella sublimissima inter omnes sanctorum stellas in firmamento Ecclesiæ.

Creatura eo altior, quo in gradu bonitatis sublimior.

creaturarum fuit optima. Secundum enim mensuram amoris, est gradus bonitatis. B.V. autem excessit omnes creaturas in mensura amoris, ergo & sublimitatis. Hinc S. Ans. libr. de Excell. Virg. cap. 4. postquam dixisset amorem in filios communi generatione productos diuidi inter Patrē, & Matrem cōsueuisse, at verò amorē Virginis in filiū, nulli diuisioni fuisse obnoxiū, eo quod ipsa sola eū, Virgo permanēs generasset; hæc addit: *Excedit igitur omnes amores parentū in filios, aut filiorum in parentes, amor istius Filij in Matrem suam. Denique Virgo Deipara stellæ comparatur, propter operationes, finesque varios. Gen. 1. dicuntur stellæ creatæ vt sint in signa. Vnde Albumazar in principio sui operis ait: Laus Deo, qui creauit stellas, & posuit eas in ornamentum, & lucernas in significationem vt præberent ductum rationabilibus. Tale signū fuit B.V. Hinc Isa. 11. viso hoc signo mirabili exclamauit: O' radix Iesse quæ stas in signum populorum. Signum enim est quod se offert sensui, & aliud relinquit intellectui. Maria DEVM incarnatum sensui repræsentauit, quia in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est Bar. 3. sed intellectui aliud reliquit, quia per hoc quod Dei Filium in carne sua visibilem exhibuit, Diuinitatem per fidem intellectui patefecit. Hoc nimirum est signum illud, de quo Isaias cap. 7. ad Achaz Regem impium: Pete tibi signum à Domino. Vtque Virginem hanc significat, paucis interpositis subiungit: Ecce Virgo concipiet, & pariet F. lium, vt denique signum hoc in alterius rei, Diuinitatis scilicet, cognitionem nos deducere intelligamus, mox annectit: Vocabitur Nomen eius Emmanuel, idest, nobiscum DEVS.* Ita ferè Posoniensis.

Amor B.V. in Filium excedit omnes amores aliorum Matrum & quare?

Albumazari opinio de stellis.

Maria Radix Iesse quæ stat in signū populorū, quia Deum Incarnatum sensui nostro repræsentauit.

Maria signū quod nos in Verbi Incarnati cognitionem deducit.

53. Quod si stellæ huius matutinæ nomen illud, nempe Luciferi, quod à luce ferenda ei inditum est, penitius expendamus, magis adhuc Virginea nobis pulchritudo, ac Venustas elucescet. Mox enim primi Angeli Luciferi nobis in mētem veniet ab Ezechiele cap. 28. graphicè depicta, quâ ante lapsum præditus erat, pulchritudo: Sic enim ille: *Tu signaculum similitudinis plenus Sapientia, & perfectus decore, in delicijs Paradisi Dei fuisti: Omnis lapis preciosus operimentum tuum: Sardius, topacius, & Iaspis, chrysolithus, & onyx, & berillus, Sapphyrus, & carbunculus, & smaragdus, aurum opus decoris tui.* Quo illustrissimo sanè encomio mira primi illius Angeli declaratur pulchritudo, ac perfectio, omnibus virtutum numeris absolutissima. Adeo enim pulcher, adeo decorus extitit, vt Imaginem, similitudinemque sui creatoris in se, tam donis naturæ quam Gratiæ mirificè repræsentaret, perinde, atque figura aliqua, à Sigillo epistolis impresso, exprimi consueuit. Tanta enim Sapientia, tantâ sanctitate, reliquisque Diuinis perfectionibus erat decoratus, vt velut signaculum, siue sigillum, suum Opificem sculptoremque supremum, ad viuum referret. Quod quā gloriosum illi extiterit, Syrus declarauit Interpres dum sic vertit: *Tu signaculum es similitudinis, plenum Sapientia, & corona gloriæ.* Quibus verbis ostendit Luciferum Pulchritudine illa donorum tam naturæ, quam gratiæ, quibus exornatus similitudinem sui referebat conditoris, fuisse quasi Aureâ quadam gloriæ plenissimæ redimitum coronâ, inque omnes inferiorum Hierarchiarum Angelos obtinuisse principatum, eo quod omnium illorū virtutes, ac perfectiones in eo, maiori cum excellentiâ, veluti compendio, enituerint. Vnde operimentum, seu amictus eius nouem preciosissimis gemmis, quibus Angelicæ Hierarchiæ exornatæ sunt, contextus perhibetur. Atque ita Regula Magni Areopagitæ verificatur, quā docet inferiorum Angelorum perfectiones, in superioribus eminentius contineri.

Luciferi pr natus ex lapidibus preciosis oppositus, fuit admirabilis.

Lucifer donis naturæ & gratiæ ornatus, fuit quasi aurea quadam Corona redimitus, & omnium Angelorū esset Princeps inferiorum in se perfect. omnes complectens.

54. Ob eandem hanc creatoris Imaginem, similitudinemque in Protoplasto impressam, virtutumque diuinarum pulchritudinem ipsi communicatam preciosissimam quandam Coronam ei impositam fuisse, ac totus creaturæ constitutum Principem cecinisse visus est Psaltes Regius, cum dixit: *Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Cum igitur Deiparam Lucifero conferimus, intelligendum est in illam omnem illam venustatem, Diuinâ similitudine, ardentissimâ charitate, eximiâ Sapientiâ, reliquisque virtutibus, gratijs, ac perfectionibus omnium inferiorum Hierarchiarum constantem, Deiparæ, tanquam supremæ Hierarchizanti, siue per se Hierarchiam constituenti, maiori longè cum excellentia, tanquā omnium Angelicarum mentium Reginæ, fuisse communicatam, vt ita inter illas speciosior omnibus appareret, & verè dicere possemus de hoc Virgineo Lucifero:

Cum B.V. Primo Angelo contertur intelligendū illam, & ipsius, & omnium inferiorum Angelorum perfectionibus velut Lucifer um effulgere.

Micat inter omnes
Virginis sydus velut inter ignes
Luna minores.

Ita decoratam contemplatus S. Bonauentura Psalm. 23. ei canebat: *Gloriam & honorem induisti. omnis lapis preciosus amictus, & operimentum tuum. Splendore Solis super caput tuum, lunaris pulchritudo sub pedibus tuis.*

55. Vnde Bzouius & Baptista Matuanus lib. 2. Parth. Luciferi eximiam illam venu-

Mantuanus censet cum Bzouio dari B. V. Luciferi sedem ob humilitatem profundissimam.

venustatem donatam Deiparæ agnoscens, DEVM Patrem primariam illam sedem Angelicam iam pridem ei destinantem, ob insignem ipsius animi demissionem, quæ illam post exhibitum, in Verbi Incarnationem, consensum, mirificè venustarat, introducit:

Ipse puellari formâ, mentisque decore
Lætitior, auito Diuum Pater agmine Sanctos
Alloquitur, ciues, circumstantemque coronam
Spirituum; alloquio Patris exultauit olympus.
Vtque prius multa sublimem laude puellam
Extulit, illustres atauos, & nomina clara
Gentis Iessææ referens, delataque cælo
Sacra, piosque animos antiquæ stirpis; inanem
Luciferi ostendit sedem (: contermina semper
Regali fuit illa Throno sceptroque Tonantis:)
Tum memorans veteres rixas, primæuaqꝫ bella,
Cur non vna omnes habeant habitacula Diui,
Discretisque locis habitent, quare altior illos
Orbis habet, cur Lunam alij, cur Cyprida quedã,
Mercuriumque colant, cur sic partitur olympum
Lex ęterna docet, cur scandant sydera mentes
Terrigenæ, quænam ratio persuaserit illis
Deberi æthereos cælestia tecta per orbes
Monstrat, & hæc dictis posuit sententia finem:
Sicut Luciferi locus hic sublimior inter
Eminet æterni numerosa sedilia Regni
Sic Virgo, quam parua domus angustia claudit,
(: Et Mariä præssæ monstrauit acumina virgæ:)
Humanis animis longè est pręstantior, illi
Non fati ratio, non cęli mobilis ardor
Destinat hoc solium, sed lege coercita mentis
Libertas, & noster Amor, sic fatus. At omne
Lętitia fremuit cælum, diffusa voluptas
Cęlestes animos rapuit, sonuere theatra
Plausibus, assensu superum vulgata per omnes
Elysij campos magni est sententia Patris:
Temporeque ex illo semper toto ęthere Virgo est
Angelicis prælata choris, & dignior omni
Agmine spirituum, rutilo Cyllenia quanto
Marte minor flãma est, vel quantum Delia tristi,
Cedit Auo, Tellusque Ioui, Venus aurea Phœbo.

Hæc Mantuanus cum Bzouio idem sentiente præclarè quidem, sed non sat sufficienter, etiam ex Rutilij Benzonij sententia ad condignas laudes Virginis extollendas, quæ ob Diuinæ Maternitatis dignitatem, ad quem in primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti fuit electa, ad Hierarchias ipsi augustissimæ Trinitatis Throno proximã constituendam, ob eximia ipsius Sanctimoniæ super omnes Cælites merita, diuino consilio destinata fuit. Cùm Luciferi sedem, ex mente Ioannis Gersonis Tract. 8. super Magnificat, occuparit S. Ioannes Bapt. vel secundum Rutilium Benzoniũ lib. 1. in Mag. c. 28. Diuus Petrus vel Seraphicus Pater S. Franciscus.

B. V. non in throno Luciferi, sed in throno Diuinitati proximo sedet ab æterno præparato fuit.

56. Vnde idem Benzonius: *Sed melius dicendum est ex Patrum doctrina super omnem sedem, & locum Angelorum, idest, Angelis deputatum, & pro illis fabricatum, positam esse Deiparam. Nec in throno in quo sedet, vllam vnquam creaturem sedisse, nec vlli creaturę cõuenire posse. Ita Epiph. serm. de Laud. B. V. Maria, inquiens, solo Deo excepto, cunctis superior existis. Natura formosior, & ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico, cui prędicandę cęlestis ac terrena lingua minimè sufficit, imo vero nec Angelorum, Columba pura, sponsa indiuiduę Trinitatis, & à Deo ipso in honore habita.* Vide reliquorum Patrum ibidem testimonia.

57. De hoc Lucifero crediderim olim cum Iobo contulisse Dominum, cum dixit Iob 38. 32. *Nunquid produces Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facies? Vt ego,* videlicet, Quibus verbis ostendit se produxisse, ac condidisse Virgineum hunc Luciferum, peculiari quodam, studio, rarissimâ quadam luce radiantem, vt proinde nemini mirũ videri debeat, si pulchritudinis, inter omnia sydera, singulari quodam splendore coruscet. Idem Creator ostendit se Vesperum, seu Hesperum, eandem videlicet stellam, noctem illuminantem condidisse, eo fine, vt super filios terræ consurgeret, eorumque mentes, peccatorum caligine obtenebratas illustraret. Vnde Seraphici Ordin. Bernardinus Bustius Part. 3. Marial. serm. 5. consid. 4. *Dicitur,* inquit, *hęc stella Lucifer, quia maiorem habet vim ad illuminandum quã alię stellę: Beata autẽ V. habet maiorem vim ad mentes hominũ illustrandas, quã alij sancti. Vnde vocatur Eccli. 24. Mater agnitionis.* Adeo vt de ea dicere possimus illud Poetæ celeberrimi Politiani:

M. vt iat Luciferũ Creator peculiari quodam studio cõdidit, vt singulari luce pulchritudinis inter omnia Sanctorũ sydera refulgeret.

Tamque suos vincit comites, quam Lucifer, ore
Purpureo rutilans astra minora premit.

Verè Virgo Deipara Hesperus est, quia noctem sequentem ad illustrandum respicit. Quod nomen Virgini aptissimè conuenit; quia respicit, & illuminat peccatores, qui sunt in tenebris culpę. Et hanc ob causam *Mater sanctę spei* Eccl. 24. vocitatur. Ipsa enim luce suã ita tenebricosum intellectum peccatoris illuminat, vt agnitã peccatorum fœditate, ac enormitate, quod Dei optimi Maximi sint offensa contremiscant, ac quodammodo expellescant, eaque detestentur.

M. Hesperus, qui caliginosas peccatorum mentes illuminat.

M. Mater Sanctæ spei est, quia luce sua tenebricosũ peccatoris intellectum illuminat, vt agnita peccatorum fœditate, ea detestetur, & in spem veniæ veniat.

58. Vnde Hesiodus in Theogonia cecinit ab Venusto Planeta Pallorem, Timoremque fuisse progeneratos:

Alma Venus peperit Pallorẽ, vnàque Timorẽ.

Quam ob causam crediderim Deiparã *Matrem timoris*, semetipsam apud iam memoratum Ecclesiasticum appellasse.

Veneris Planeta Pallorẽ, Timoremque parit.

Vnde S. Bern. Hom. 2. super Miss. huiusmodi terræ filios, vilissimos nimirū peccatores scelerum nocte sepultos sancto timore Iudicis æterni consternatos alloquens, docet, qua ratione ad hāc stellam super ipsos consurgentem, lucemq; eorum mentibus porrigentem, recurrere ac respicere, eamq; inuocare debeāt: *Si*, inquit, *criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam, aspice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsâ tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa Duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis*. Hæc Bern. Ex quibus sicut, & reliquis hactenus dictis colligimus, quam rectè hic Planeta à Venustate nomen sortiatur, siquidem Deiparæ, tam Diuina, quam Angelica venustas, præsertim in Conceptione Diuini Verbi communicata, per ipsum nobis elucescit. Iam ad reliquas Venustatis proprietates veniamus.

Peccatores scelerum suorū conscientia turbati aspiciāt hāc stellam, vocent Mariā.

Mariam, qui sequitur, non deuiat.

M. Duce, non fatigāmur.

59. Inter reliquas illa cēsetur celeberrima, quod Venustas Amores parere dicatur, ac proinde Mater Amorum appelletur, eo quod eius influxus cui dominatur, disponat ad amorem. Quod mirificè purissimæ huic nostræ Virgini congruit. Vnde Pater noster Salazar in cap. 8. Prouer. nu. 437. docet per singulos dies Hebdomadæ, qui septem Planetarum nominibus appellantur, peculiarem aliquam virtutem illorum, qua præditi sunt, à Virgine postulandam, siquidem illorum ipsa virtutes eminenter continet. *Sane*, inquit ille, *haud iniucundum Virgini officium ille persolueret, qui ita preces suas ad Virginem funderet, vt considerans Virginem omnium Planetarum vires, & potestatem in se cohibere, per singulos Hebdomadæ dies tam ab illa virtutem postularet, quæ illius diei Planetæ respondet. Additque in particulari ad rem nostram: quia Lucifer, aut stella Veneris amorem effundit, ideo in die Veneris ardentior erga DEVM proximumque charitas, à Virgine, velut à supra cælesti Lucifero expetenda est*. Hinc illa de seipsa fatetur: *Ego Mater pulchræ dilectionis*: Eccl. 24. Quod quidem licet de æterna Dei dicatur sapientia, intelligitur tamen etiam de sacratissima eius Matre; quæ nō solum substantialem illum Amorē, Verbum videlicet Incarnatum pariens Mater eius extitit, verumetiam nos velut membra sui filij diligens purissimos in nobis Dei, suique amores ingenerat. quod visione quadam B. Henrico Susoni videtur ostensum. Dum enim Vir hic pijssimus verba hæc legi audiret, mirificè in ipsius castissimum connubium exardescens, raptus extra se, eam specie pulcherrimæ puellæ, mox specie Iuuenis elegantissimi cōtemplatus est, in columna nubis residentem, in throno eburneo, fulgore solis radiantem; *Corona eius erat æternitas, amictus felicitas, sermo suauitas, complexus omnis satietas*. Tandemque sic eum est allocuta: *Præbe mihi fili cor tuum*. In vita eius ca. 4. Crediderim specie illâ formosissimæ Puellæ à Dei sapientiâ, Matrem quoque suam dilectissimam repręsētatam fuisse, quo nobis indicaret omnia illa laudum encomia, quæ in Sapiētiæ libris continētur, Matri quoque suæ conuenire, eamque non modo se Amorem sempiternum, sed amorem quoque sui, velut Matrem in cordibus nostris parere, quo DEVM, ipsamque simul diligamus. Dicat itaque Maria, dicat iure meritissimo: *Ego Mater pulchræ dilectionis; dicat: fili præbe cor tuum mihi, & nos illi bilares respondeamus. Paratum cor meum Domina, paratum cor meum*; simulque eandem, mutuâ, castissimâque dilectione redamemus, siquidem ipsa Diuinissima hac sua Maternitate, innumerabilium nobis bonorum causa extitit. Verè enim illa Dei filium substātialem illum Amorem charitatemque pulchram per essentiam de qua dixit Apostolus: *Deus charitas est*; pariens, *Mater pulchræ dilectionis*, effecta, causa salutis toti generi humano extitit. Quod peruenustè Richard. à S. Laur. lib. 6. de Laud. B. V. explicuit. *Maria Virgo est Mater pulchræ dilectionis, idest, Christi, qui secundum Diuinitatem pulcher est, cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris Hebr. 1. Item candor lucis æternæ, & speculum sine macula Diuinæ Maiestatis, in quem desiderant Angeli prospicere, cuius pulchritudinem sol, & Luna mirantur. Pulchra quoque dilectio Christus est, quoad humanitatem, quia speciosus formâ præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, Quia candidus est, & rubicūdus. Dicitur porro Christus dilectio emphaticè, quasi duos ligans, quoad duas naturas, scilicet Deū & hominem. Per dilectionem enim quam habuit ad genus humanum colligauit sibi naturam humanam, quia dilectio est diligentis, & rei dilectæ, quasi quadam vnio, & colligatio, & naturaliter illud, quod amatur ab amante in sui naturam conuertitur. Per dilectionem etiam quā ad nos habet Christus colligat nos sibi ipsi, quia* qui

M. Mater Amorū, quia Increatum Amorem mundo peperit, & in nobis Dei, suique Amores ingenerat.

Diuinæ Sapientiæ B. Henrico Susoni apparētis descriptio.

Christus, & qua Deus, & qua homo, Pulchra dilectio est quem M. nobis peperit.

Dilectio dicitur quasi duos ligat simul. vnde Christus diligens Naturam humanā, eam sibi colligauit hypostaticè.

qui adhæret Deo, vnus est Spiritus cum eo; ait Apostolus 1. Cor. 6. vnitate scilicet amoris, & gratiæ. Sic ille.

Christusque M. nobis peperit est castissimi Amoris Deus.

60. Et sanè iure merito Virgo nostra respectu filij *Mater pulchræ Dilectionis*, siue Amoris appellatur, siquidem verus Amoris DEVS, & quidam Cupido castissimus, mox vt in lucem est editus, videbatur. Si enim DEVS amoris paruuli specie Pueri repræsentatus est ab Eustachio, Auctore Græco; & filius Dei Puer paruulus apparuit. Quærit Doctor Angelicus, in cuiusmodi Paruuli forma apparuerit? *Paruuli nimirum admirabilis, amabilis, ineffabilis, formidabilis, venerabilis, desiderabilis. Paruuli*, vt loquitur S. Amphilochius, *qui fundauit sæcula, qui cælorum orbes absoluit, qui terram latè distendit, qui ventos de thesauris suis educit. Paruuli, qui cælum velut pellem extendit, terram super nihilum suspendit, Solem, Lunamque instar aurigæ regit*, vt ait Timoth. Presbyter Hierosol. Vnde Iubilans Isaias c. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, concinebat.* quod vaticinium vbi pronunciasset annexuit, v. 7. *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* paucilis hiscè verbis insinuans, quod immensus ille DEVS, cui cælum sedes est, terra scabellum pedum eius, fuerit Paruulus factus nulla, alia causa sit, quam infinitus ille eius amor ipsi consubstantialis, ardentissimusque ille animarum saluandarum zelus, quo accesus saccum mortalitatis nostræ, deposito glorię suæ paludamento, induere voluit, & Pusio, Amorque noster dulcissimus fieri, amore non est dedignatus. Si Deus Amoris nudus repræsentabatur, & Amor noster castissimus nudus est; *Quia cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Nudus est noster amor, *quia cum diues esset*, vt ait Apostolus, *pro nobis factus est pauper, vt nos paupertate eius diuites essemus.* Nudus est; *Inuenietis infantem pannis inuolutum reclinatum in præsepio*, ait Angelus. Nudus est ille, quem vidit Dauid *amictū lumine sicut vestimento*, Nudus ille, qui cælum luce, ac syderibus, terram graminibus ac floribus conuestiuit, vt canit ille:

Qui picturatos intexit floribus hortos,
Quique iubet rutilis albescere lilia campis,
Et qui tellurem violâ distinguit, & herba.

Venit nudus ille, qui Mari immenso ponit *nubem vestimentum, illudque caligine quasi pannis infantię obuoluit*, vt ait Iob 39. Venit nudus ille, *qui existens vniuersorum Dominus regnauit, decorem indutus, ac fortitudinem, pręcinxit se.* Nudus denique venit noster Amor, & præ frigore constrictis mēbris eius tenellis, vagit, vt canit Ecclesia;

Vagit Infans inter arcta
Conditus præsepia,
Membra pannis inuoluta
Virgo Mater alligat,
Et manus pedesque, & crura
Stricta cingit fascia.

61. Si DEVS Amoris instructus Arcu, & sagittis, triumphalique curru omniū hominum cuiuscunque conditionis, ac sexus, omniū animantiū specie stipatus, de omnibus triumphans inuehebatur: Et castissimus noster Amor habet tela, sagittasque suas ignitas, quas experta sponsa dicebat: *Charitate vulnerata ego sū.* Easdem potentissimi huius Amoris expertus potentissimas sagittas Dauid canebat: *Sagittæ potentis acutæ, populi sub te cadent.* His confixus Augustinus aiebat; *Sagittaueras Domine cor meum sagittis amoris tui.* Ad eiusdem Cupidinis latus accingebatur gladius: Eadem quoque accinctum Amorem nostrum videre cupiebat idem Regius Psaltes: *Accingere*, inquiēs, *gladio tuo super femur tuum potentissime.* Gladius hic est eius efficacissimum verbum, de quo Apostolus Hebr. 4. *Penetrabilior est omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac Spiritus.* Audire quis cupit huius infantis verba? S. Bernard. Senensis ait ipsius esse vagitus, ac gemitus. *O' quanto labore, quam feruenti amore quæsiuit animam amorosus IESVS! Virginis vterum vix egressus est, & dilectam animam more infantium vocat A A A. Anima mea, &c.* Atque ita armis hiscé homines omnes cuiuscunque conditionis, quantumuis efferatos, ac barbaros, quantumuis ad instar ferarum indomitos, captiuat, deque omnibus triumphum reportat. Vnde S. Chrysol. serm. 158. cum quæsijsset; *Cur DEVS ventris experiatur angustias, sustineat vincula pannorum, incunabula toleret imbecilla, & lacrymis vberum nutrimenta disquirat?* Respondit sapientissimè: *Et qualiter venire debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem? Natura docet omnes quid valeat, quid mereatur Infantia, quam barbariem non vincit, quam feritatem nō mitigat quam crudelitatem non comprimit, quē furorem non compescit, quam potestatem non deponit, quam duriciem non resoluit, Quid amoris non expostulat, quid affectionis non extorquet? quam non impetrat charitatem? Hoc ita esse sciunt Patres, Matres sentiunt, probant omnes, viscera humana testantur. Sic ergo nasci voluit, qui voluit amari, qui voluit desiderari, voluit concupisci, vtpotè nimium quantum amabilis, nimium quantum desiderabilis.*

Diuinus amor castis telis cor hominū ferit.

Gladius Diuini Amoris est verbum Dei.

Verba Christi infantis potētissima, quibus animas ad se vocat iacens in præsepio.

62. Si Deus Amoris, vt eum describit Eustachius, in altera manu gestat Ignē,

eun-

eundem gestat, & noster Amor. Tali schemate eum vidit Moyses Deuter. 33. *Dominus, inquiens, de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharam, & cum eo sanctorum millia, in dextera eius ignea lex. Dilexit populos, & omnes sancti in manu eius sunt.* Et qualem tandem igneam illam legem esse censemus nisi illam: *Hæc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos?* Quæ verba, adhuc paruulus hic DEVS amoris existens vsurpare potuit licet tacendo. Tacens enim, factis ipsis clamabat, & ad amorem sui nos pertrahebat, faciebatque, vt eum de nobis triũphantem sequeremur, stiparemus, & vndique eum circũdaremus. Clamores hos expressit S. Bern. ser. 5. de Natiuit. *Infans quidem est, sed Verbum Infans, cuius ne ipsa quidem Infantia tacet. Consolamini, consolamini dicit hic Dominus DEVS vester, dicit hoc Emmanuel nobiscum DEVS. Clamat hoc stabulum, clamat hoc præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni; nobisque legem amandi DEVM hominẽ, amore nostri, factum, præscribit.* Quod prævidens futurum Dauid canebat: *Exurge Domine in præcepto quod mandasti, & Synagoga populorum circumdabit te.*

Ignẽ noster Deus amoris manu gestat, quia operatiuam charitatem, legemque amoris præcipit.

63. Neque vero Ignem vnâ dumtaxat manu gestat hic noster Amor, quin imo totus est igneus, totus est flammeus. Hic enim Amor Diuinissimus, est homo ille ex electro accenso atque flammanti cõpositus, quem in curru gloriâ ac maiestate plenissimo residentem, ac Leones, tauros, Aquilas, hominesque subiugantem ac domantẽ vidit Ezechiel cap. 1. innuere nobis volens Amorem hũc Diuinum quodcũque genus hominum perdomare posse, quantumuis sit quispiam rabidior Leone, tauro ferocior, Aquila celeritate atque ingenij acumine sublimior, homine rationabilior. Omnia tamen hic vincit Amor, omnia domat Amor, deque illis suauiter subiugatis, gloriosissimum triumphum reportat. Si denique hic Amor alatis incedit pedibus, & Amori nostro amor quoque addidit alas. Vidit hascẽ alas Dauid: *Velociter currit sermo eius.* & rursus: *Exultauit vt Gigas ad currendam viam à summo cælo egressio eius.* Vidit easdem denique sponsa: Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum.*

64. Neque verò solum Virgo nostra purissima *Mater pulchræ dilectionis*, solâ generatione increati illius æterniq; Amoris, nempe Dei filij dicenda est, verumetiam, quia suis patrocinijs, precibusque apud filium pulchram, castamque dilectionem, qua DEVM, ipsamque sincero cordis affectu, medullitusque diligamus vti diximus, impetrat, vt ita in nobis imaginem filij sui refiguret. Quod etiam agnouit idem Richardus; *Vel ideo,* inquiens, *Maria Mater pulchræ dilectionis dicitur, quia dilectores, & amicos suos, Christo filio suo, qui est pulcherrimus, similes facit, similitudinem filij in illis, per gratiam, quam amiserant, refigurans; quod apparuit in Theophilo; quoniã postquam reconciliatus est filio, Matre mediante, sumptá sacrosancta communione, facies sicut sol resplenduit.* Hinc deuotissimus V. Bernardinus Bustius loco citato: *Beata Virgo potest dici Venus, in quantum homines inflãmat ad amorem Dei, & ideo dicitur Mater pulchræ dilectionis.*

Theophilus post communionem facie velut sol resplenduit.

B.V. dicitur Planeta venustatis, quia hanc ad amõ dum Deum inflammat.

65. Quare merito P. Ioannes Eusebius Nierenbergius noster libello de Amor. in B.V. cap. 1. gratias summas suo reddit Creatori, quod Mariam condiderit, quo maior, ipsâ mediante, eius in illum exardesceret amor, ipsumque ex illius cultu ac veneratione, amplius coleret, ac veneraretur, sciens, huius Virginis amorem, omniaque in illam obsequia in ipsum eius Opificem redundare. *Magne, ac potens DEVS exclamat ille, quot nominibus ac titulis amorem tibi meum iure optimo vendicas? Vel ob hoc solum dedo, tradoque me tibi lubens volenque seruum perpetuum, quod Mariam talem condideris, eamque & tibi ipsi Matrem effeceris, & mihi præterea pro Matre dare dignatus sis. Vtinam infinito tibi amore, infinitisque cordibus; de tanto bono, ac dono gratias referre valeam! quia nimirum Mariã creasti, non tantum ideo vt te amarem, coleremque amplius, verumetiam, quia hunc ipsum amorẽ, cultumque ampliorem, illam amando, & colendo impleri, perficique voluisti. Certè quo possum syncerissimæ mentis affectu, maximas ago gratias infinitæ Bonitati tuæ, non modo in temetipso, sed & in beneficijs nostris diligi cupienti. Est illud sane priuilegium, ac prærogatiua, supra beneficia cętera multò eximia, Diuinæque Omnipotentiæ effectus singularis; posse DEVM à nobis non in seipso dumtaxat amari, verum insuper Maiestatem probare, quin mandare etiam, vt in Virgine, & per Virginẽ illud præstemus, atque Mariam amando, venerando, ipsique seruiendo, DEVM amemus, veneremur, eique seruiamus hac ratione innumeris quibus Diuinę beneficentiæ obstricti sumus debitis, quàm commodissimè, collissimeque satisfacientes.* Tum vt magis nos ad amandam Virginem & in ea ipsum DEVM accendat, docet Christum amore, cultuque Matris mirificè delectari, tum quia ipse etiam inimicorum, pro quibus in Cruce rogauit amor ipsum vehementer afficit, quanto magis

Amor, & alia Virgini exhibita obsequia in Deum redũdant.

Deo infinito amore, infinitisque cordibus gratiæ referendæ, quod nobis B.V. dederit, eamq; amari iusserit.

Amando Mariam ac venerando Deum amamus ac veneramur.

Christus amore, & cultu suæ Matris à nobis exhibito delectatur.

Ma-

Matris? Tum quia diligendo Matrem eius eum à debito, quod ipse habet honorandi, & amandi Matrem, aliquo modo subleuamus. Vnde maximo cum affectu ad hoc faciendum hortatur omnes. *Eia ergo filij Euę, liberemus IESVM debito quo is Matri obligatur hanc amando, ac colendo. Exsoluamus, & nos debito, quo eidem IESV adstricti tenemur. Etenim Dominus ille cui omnes debemus soli Marię debitor est, illique eius, quod à nobis sibi debetur, partem non minimam transcripsit. Non negemus dulcissimo IESV hāc voluptatem ea in re, quam nescio equidem vehementiusnè ipse, an iustius desideret, videlicet vt Matri nos suę famulemur, &c.* Quæ ibidem de hoc eodem argumento videre licebit.

Dum amamus B.V. eā que honoramus Christū à debito quod ipse habet in honoranda illa subleuamus.

Exhortatio ad amorē, & cultum B.V.

66. Mater denique pulchræ Dilectionis dicitur Virgo nostra purissima, dum sui purissimum, castissimum, atque adeo pulcherrimum amorem in animis nostris ingenerat, & turpem obscænumque, suæ pietatis, gratiæque rore, velut ignem Tartareum extinguit. Qua in re reuera stellam matutinam se ostendit, dum frigidissimi roris gratiæ cælestis Genitricē ad æstus cupiditatis temperandos, ac extinguendos ad cordium nostrorum hortulos, vt in eis virtutum flores liliaque castitatis præsertim, ac fructus succrescant irrigādos se exhibet. Vnde Claud. 1. de Rap. proserp. celerrimum Equum illum, quo vectatur Lucifer, Rorantem appellauit;

M. stella matutina frigidorore gratię cælestis in nobis ignem impuri amoris extinguens.

Dum nouus humectat flauentes Lucifer agros
Roranti prouectus equo.

Et Sabellicus eundem Luciferum vocat *Roscidum*. Hinc Pater noster Canisius Germaniæ Apostolus testatur, à facie oculisque Virginis quasi rorem quendā gelidum stillasse, qui ardorem libidinis in mortalium cordibus extingueret, & amorem castitatis, omnisque virtutis accenderet. Eandem castitatis puritatē à Deipara communicari solitam gelidā illā Luciferi claritas nobis repræsentat, qua nimirum illuminantur, simulque ab æstu carnalium cupiditatum refrigerantur præferuidi potissimùm adolescētes, quicunque se peculiari affectu, eius seruitio, præsertim in Parthenijs Societatis nostræ sodalicijs deuouerunt. Virgo .n. nostra hac lucis cōmunicatione, vel maximè personæ suæ dignitatem tutari videtur. Siquidē Albertus Magnus Tract. super Missus cap. 18. Virginis puritatem, dignitatemque per accessum ad æternæ illius, atque inaccessibilis lucis puritatem declarare cupiens, ostendit illā fuisse stellam, ac proinde personam illustrissimæ dignitatis: *Nihil enim*, inquiens, *dignius luce, vel nobilius. Cuius ratio est, quia primo, & principaliter Diuinæ naturæ, deinde naturæ Angelicæ, postremo naturæ corporeæ comparatur, quales sunt videlicet cæli. Et nihil est nobilius in corporibus luce corporali; in spiritualibus luce spirituali, in summo autem nobilis est lux Diuinæ Naturę. DEVS enim lux est, & tenebræ in illo non sunt vllæ. Vnde lux ad illam lucem immediatissima, secundo loco, seu post illā erit nobilissima. Et hæc nimirum Lux est B.V. Maria, quæ non solum ab hac luce sicut Luna à sole illuminata fuit, sed sicut Aurora de se solem produxit, quæ omnia illuminabilia illuminauit. Et si per naturam lucis Beatissimæ Virginis dignitas exprimitur atque excellentia.* Hæc Alber.

A facie oculisque B.V. gelidus quidam nos ad extinguendū in hominibus ardorē concupiscētiæ emanabat.

Puritas animi maior aut minor per accessum ad æternam illā lucem vel recessum declaratur.

M. Lux nobilissima, quia sicut Aurora de se solem protulit, sumēq. de Diuina luce participauit.

67. Quod si huiuscè nostræ stellæ summa dignitas Deo proxima, in luce nobilissima, sub eodemque Deo prima consistit, mortalesque omnes, ac præsertim suos cliētulos hac gelida roscidaque luce, pro innata sibi benignitate, irradiare consueuit, consequens sane est, eos, qui se eius obsequijs manciparunt, vt carnalis concupiscentiæ, in suo corpore, quemadmodum tres illi innocui Adolescentes in fornace Babylonica, mirum experiantur refrigerium, diuinamque quandam dignitatem Deo affinem nanciscantur, nempe incorruptionem animi simul, & corporis, quæ, attestante Salomone facit hominem esse proximum Deo, ipsique pulchræ huius dilectionis Matri charissimum. Nam, vt ait Pannoniæ iubar Pelbartus libr. 9. Part. 2. art. 1. *Simile diligit sibi simile, teste Aristotele 8. Ethicorum. Quanto ergo quis per virtutem Deo, & B. Virgini est similior, tanto est amabilior. Vnde idem Philosophus 7. Eth. Homines, inquit, Dij dicuntur fieri propter virtutis excellentiam, prauus autem homo bestia deterior est. O' igitur peccator conuertere, & virtutibus Deo assimilari stude, vt DEVS, & sanctissima eius Mater te diligat, & affectuosius pro te intercedat, foueat, & protegat. Et licet B. V. omnes homines diligat, ij tamen præ cęteris, speciali affectu ab ea diliguntur, & in filios amantissimos adoptantur, qui castitatis habent affectionem. Cùm enim ipsa sit Virgo castissima, non nisi castos diligit, quia simile simili applaudit.* Hæc Pelbartus. Idem multo ante sensit S. Damascenus orat. 2. de Dorm. B. V. *Ipsa*, inquiens, *Virgo est, & Virginum amans, pura est, & purorum amans. Quocirca, si & corporis, & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur. Siquidem lutum omne fugit, ac cœnosas affectiones auersatur, fœdissimę fornicationis vitijs infesta est, huius impuras ac scelestas cogitationes, non secus ac viperarum fœtus fugit.*

Adolescētes clientelæ B. V. commissi cupiditatum carnis in se mirum experiuntur refrigerium.

M. adolescētes in castitatis sibi similes maximè diligit.

Homines Dij fiunt ob virtutis excellentiam.

Simile simili applaudit.

M. Virgo est & Virginum amans, pura est & purorum amans.

Quo-

Quocirca si vitia prompto, atque alacri animo vitemus, virtutes autem omni studio, atque amore amplectamur, easque socias adhibeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, ac secum bonorum omnium agmen trahet, Christumque Filium suum, omniumque Regem ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet. Sic ille. Quo circa omnibus adolescentibus præsertim castitatis studiosis cõsilium illud S. Chrysost. serm. de B. V. apud Metaphr. amplectendum censeo: Sic enim ille, vbi præmisisset: *Cum B. V. super omnem humanã naturam castitatem seruaret, propterea Christũ Dominum in ventre concepit;* vbi inquam hec præmisisset, mox hæc subiunxit: *Ad hanc igitur Sanctissimam Virginem, & Dei Matrem accurrentes, eius patrociniis vtilitatem assequamur. Itaque, quæcunque estis Virgines, ad Matrẽ Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, preciosissimam, & incorruptibilem possessionem, patrocinio suo vobis conuersabit;* (vestrisque cordibus, addiderim ego) Virgineum purissimumque sui amorem instillabit, vt ipsam, velut pulchræ, sanctæque dilectionis Matrem, redametis.

B. V. ad animam quam visitat, bonorum, omniũ agmẽ trahit.

Virgines si puritatem conseruare cupiunt ad patrocinium B. V. confugiant.

68. Expertus est B. Aloysius Gonzaga noster roscidam hanc, gelidamque lucẽ castissimæ, ac pulcherrimæ dilectionis, aliorumque cælestium bonorum ab hoc Virgineo Lucifero promanantem, cùm à prima adolescentia, dum Florentiæ in studijs versaretur, *tanta anima eius,* vt ipsius vitæ Auctor Virgilius Ceparius lib. 1. cap. 6. loquitur, *erga beatissimam Virginẽ Matrem Dominam nostram obseruantia cepit, vt quoties de ea in sermonem incideret, vitæque eius sanctissimæ mysteria volueret animo, colliquescere cælesti gaudio videretur. Quare ante Aram Annuntiatæ Virginis, quæ ea in Vrbe summa religione colitur, votum Virginitatis, quo Matrem pulchræ dilectionis, quantum mortali fas est, imitaretur, emisit. Quod quam gratum Virgini Matri acciderit, quamque piè illum in suam clientelam acceperit, inde satis colligere licebit, siquidem nullum vnquam amplius in suo corpore sensum motumuè libidinis persensit, nec mens eius vllis turpibus cogitationibus aut imaginibus fuit vexata.*

B. Aloysius Gonzaga emisso castitatis voto coram Imagine Annũciatæ Virginis Florẽtiæ nullas carnis titillationes sensit.

69. Influxerat Virgineus hic Planeta gelidam hanc lucem, pulchramque dilectionem in sanctissimam illam animam Ioannis Berchmanni nostræ Societatis Adolescentis planè Angelici, cùm non solum nullis concupiscentiæ motibus, aut obscuris imaginationibus animus eius vexaretur, verumetiam eximiam, Diuinamque Virginis suspiciens excellentiam, inter reliqua singularis suæ in illam dilectionis totius vitæ curriculo ostensa argumẽta, illud iam morti proximus planè memoria dignissimum edidit, medullitus animitusque pronunciãdo: *Si mille corda haberem, Mariam mille cordibus amarem.*

Ioanni Berchmanni animi puritas admirabilis.

Ioan Berchmanni in B. V. amor, maximè in articulo mortis.

70. Influxerat sydus hoc Virgineum pulchram hanc dilectionem in cor piẽtissimi Fratris nostri Alphonsi Rodriquez cum ea precatiunculam hanc recitare docuit: *IESVS Maria, mei dulcissimi amores. Patiar ego, moriar ego vestri amore: vester sim totus, & nullatenus meus, ac si nihil prorsus essem.*

Alphonsi Rodriqu. in DEVM & B. V. amor.

71. Influxit etiam sydus hoc Virgineũ gelidum quendam puritatis rorem in nostrum Iacobũ Ledesma, qui circa Annum 1575. diem in societate nostra feliciter clausit extremum. Hic enim, vt scribit P. Ribadenera, cum de deligendo vitæ statu secum diutius deliberaret, & an continens esse posset in Societate præsertim, cui oculi pupilla charissima, puritas esse consueuit, ambigeret, rogassetque sæpius Deiparam, vt vacillantem, in viam salutis dirigeret; ac in proposito Diuinæ Maiestati in Societate IESV fideliter, casteque deseruiendi confirmaret, nocte quadam sese ei visendam misericordiæ Mater comitibus Maria Magdalena, Catharina Virgine Martyre itẽque Senensi stipata exhibuit, eique benignissimè constantiæ, ac continentiæ virtutes preclarissimas promisit, insuper ad omnis suæ in illum beneuolentiæ complementum, animam agenti se inpostrema illa vitæ tam periculosa catastrophe præstoforе. Denique quæ polliceretur vera esse futura, euentuque ipso comprobanda spopondit. Sponsionem hanc denique Virginis benignissimam, ipsius comites, aurea verè coronide decorarunt alternatim concinentes:

Diuina res est Castitas,
Maiora sed sunt præmia
Quæ continenti dat DEVS.

Iacobo Ledesmæ B. V. apparẽs promittit auxilium ad cõseruandam in Societate castitatem, & perseuerantiam.

72. Neque vero solum sidus hoc Virgineum gelidam quandam puritatis lucem in suorum cliẽtulorum pectoribus, verum etiam Sanctum suæ pulchræ dilectionis calorem producit, vt eam syncerissimæ post DEVM super res vniuersas ament, ac complectantur. Castissimumque pulchræ dilectionis calorem erga Deiparam Virginem expertus est P. noster Didacus Martinius, qui egregijs in illam obsequijs ita eam sibi demeritus est; vt quemadmodum Nierenbergius noster scribit lib. de Amore erga B. V. c. 10. in præcipuis eiusdem festiuitatibus à terra attolleretur ad audiẽdum, quo eas modo Angeli peragerent, & celebrarẽt, à qui-

N. nostri Didaci Martinii amor in B. V. eximius.

Didacus in præcipuis B. V. festis à terra attollebatur, ad audiendum quomodo Angeli ea colerent.

à quibus edoctus in id genus vota erumpebat pulchræ eiusdem dilectionis ardoribus incalescens: *Vtinam ego vnus vitas possideam hominum omnium, vt easdem obsequio Dei Matris impendam. Vtinam habeam voluntates, affectusque omnes Sanctorum, & sãctarum omnium, qui in cælis sunt, amemque Sãctissimam Virginem perfectissimo eorundem, ardentissimo, ac infatigabili amore! Cupio certè illam diligere charitate illa flagrantissima, qua S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael Seraphini, reliquique beati Spiritus eam diligunt*. Tum amore in Virginē quasi extra se raptus, exclamabat: *O' beatum illum, Virgo benedicta, qui te amat amore hoc perfectissimo! Infinitè gaudeo Virgo Sanctissima, quod Seraphin, & cælestes omnes spiritus, totâ æternitate te ament amore absolutissimo, & ardentissimo; supplexque ab ipsis peto, vt meam quoque id vicem faciant. Vilissimus ego peccator debeo Sanctissimæ Virgini omnem illam agnitionem, atque amorem, omnem honorem, & gloriam, benedictionem, ac laudes omnes, quas beati in cæli ipsi tribuunt, tribuentque per immensam æternitatem. Toto animo opto, & desidero, vt Regna omnia, Prouinciæ, & nationes, virique, ac fœminæ, quę in ijs sunt cognoscant, ament, seruiant, ac laudent perpetuam Virginem, & Dei Genitricem Mariam, eo modo quo vniuersi cælestis curię incolę eidem deseruiunt. quam nunc velim ipsi seruijsse à momento illo, quo primum ratione vti cæpi, cum omni illa Sanctitate, vitę innocentia, qua Deiparæ seruierunt Sancti Ioannes Euangelista, & Baptista, S. Benedictus, S. Dominicus, & quoquot ipsa vnquam in terris clientes habuit. Mori cupio, sanguinemque meum profundere honori, & obsequio Dei Parentis: desideroque vt Christus IESVS Dominus noster gratiā mihi, viresque largiatur, quo omnia mea membra minutatim ac frustatim concidantur, torqueanturque amore, & reuerentia Genitricis eiusdem Domini nostri IESV Christi. Fiat, Fiat.*

Optabat Didacus amare B. V. charitate Seraphica.

73. Eundem sidus hoc Virgineum pulchræ dilectionis calorem castissimum influxit in illius adolescentis animum de quo Hungariæ decus Pelbartus libro 6. stell. P. cap. 3. hic enim cum ardentissimo eoque purissimo amore, desiderioq; videndæ pulcherrimæ huiuscé pulchrę dilectionis Parentis Virginis deflagraret, tam mane ex lectulo consurgens, quam vespere decumbēs sanctissimis hiscé anhelaret desiderijs, crebrisque eandem salutationibus veneraretur, tandem die quadam illucescente Aurorâ, cum consuetas preces ardentius iterasset, ecce tibi adest illi immenso quadam splēdore radiās, vna cum filio pulcherrima Deipara, eumque sic affatur: *Desiderasnē meā videre pulchritudinem?* Cui Adolescens: *O' Virgo benedicta, quamuis indignus sum, tamen toto corde desidero*: Mox Virgo, beningitate admirabili intulit: *Aspice decorem meum, eiusque, qui decorauit me*. Qua visâ illicet, velut sagittâ, diuinâ quadam illitâ dulcedine, cor eius ita transuerberatum est, vt se diutius posse viuere desperaret, faterique cogeretur: *O' Domine si à tua pulchritudine separabor, nunquam de cętero consolabor*. His dictis præ nimiâ spiritus dulcedine, inquit Pelbartus cor eius discissum est, animamque à corpore solutam Angeli in cælum cum Beatissima V. gloriosissimè deportarunt. *O verè fortis vt mors dilectio Virginis pulchræ dilectionis Matris, quę vbi sua dulcissima, ac potētissima sagitta cor amātis penetrauit, animū à corpore felicissimè absoluit, cæloque ad æuiternæ beatitudinis perennem fruitionem transmittit*. O' quis mihi det Virgineâ hac sagittâ transfigi? Quis mihi det tam fausta atque fælici morte emori. O' moriar, ò cōsumar Virginei tui amoris incendio, in cineresque totus velut Phœnix redigar. O' Vtinam Virgo dulcissima, atque amabilissima tibi hoc cor meum suâ hac continuâ palpitatione dicat ad te anhelando: *Quæsiui vultum tuum Domina, vultum tuum requiram, ne auertas faciem tuam à me. Respice in me, & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego*. O' si semper sit splendor faciei tuæ, Domina mea, super me, & opera manuum mearum ad gloriam dilectissimi filij tui, tuamque dirigas, dignusque fiam post hos dulcissimos laudum tuarum labores, amore tui emori, inque tuum Virgineum, purissimumque sinum miseram hanc meam animam tot miserijs, imperfectionibusque obnoxiam exhalare. Sperandum id omnino euenturum omnibus ijs, quicunque eius fidelissimo Patrocinio sese commiserunt. Si enim Venus illa profana tantam solicitudinem apud summum Iouem, vt cum alijs Poetis fabulatur Ouid. lib. 15. Metam. *pro vita, saluteque Iulij Cæsaris defendēda ostendit, animam ipsius solutum corpore in stellam lucidissimam transformando: quid facturam hanc sanctissimam castissimæ dilectionis Matrem in suorum clientulorum arbitramur gratiam?*

Adolescens quidam visa B. V. pulchritudine cordis diruptionem passus.

Desiderandū vt amore B. V. emoriamur.

74. Ingenerauit denique Virgineum hoc Sydus cælesti suo calore pulchram sui dilectionem non modo in personis particularibus, verum etiam in varijs Regionibus, Prouincijs, Regnis, ac populis, qui eius amore succensi mirâ in eius honorem, & laudem cum ingētium sumptuum profusione, perpetrarunt, &

singularissima suæ in illum pietatis, charitatisque posteritati, ad ipsius Nominis sacratissimi gloriam sempiternam monimenta reliquerunt. Atque vt de reliquis populis, Regnisq; breuitatis amore taceamus, vnicum Hispaniarum Regnum, vt testatur supra memoratus Nierenbergius eadem libro c. 10. post diligentem, sedulamque inquisitionem reperta sunt Templorum Virgini Mariæ dedicatorum supra octoginta millia, ita vt vix colliculus aliquis in florentissimo illo Catholicissimoq; Regno insignior, amœniorque conspiciatur, quem non sacellum aliquod, aut Aedicula Mariana exornet, & coronet. Illud quoque antiquorum Hispanorum in Deiparam amorem luculentissimè cōtestatum est, quod amissâ Hispania solicitè cauerint, ne ipsius Imagines in potestatem Maurorum deuenirent. Hi siquidem etsi Virginem Matrem magni faciant ac deprædicent, eius tamen Imaginum cultum, nullo modo admittunt. Vnde pij illi antiqui Hispani aut illas secū ad instar preciosissimorum thesaurorum auexerunt, vel certè absconderunt, Vnde factum vt plures ex his postea prodigijs coruscarint,

In Hispania Templa B.V. dicata octoginta millia.

75. Mater deniq; pulchræ dilectionis dici potest Virgo Deipara, quod pulchrâ siue bonâ, ac perfectâ dilectione, mortales omnes complectatur. Sic enim verba illa Ecclesiastici interpretatur Pelbart. de Temisuar lib. 9. Stell. Par. 2. *His verbis*, inquiens, *Spiritu S. assistante, à sapiente dictis, in persona Mariæ, clarè insinuatur, quoniam ipsa pijssima Virgo diligit genus humanum, cordialissima, & affectuosissima charitate omnes homines saluos fieri, & neminem perire cupiens. Diligit igitur in primis Virgo homines, & afficitur intima charitate erga illos, eorum malis misericordissimè compatiendo, huiusmodi sunt peccatores. Diligit deinde conuersos, de eorum bono congaudendo. Diligit denique iustos, & perfectos, eos in virtutibus, ac perfectione sua gratia promouendo. Horum igitur omnium, & singulorum Beatissima Virgo Matrem se appellat, vt erga omnes homines nimiam suam charitatem, infinitamque misericordiam ostendat.* Quod euidentius asseruit mellifluus Bern. *Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? nil austerum in illa, nil terribile, tota est suauis, omnibus omnia facta est, copiosissima charitate, cunctis hominibus se debitricem fecit, ipsa de omnibus exorabilem, omnibus clementissimam exhibet, nec discutit merita, omnium denique necessitatis amplissimo quodam miseretur affectu. Maria igitur afficitur tanquam Mater erga peccatores, ipsorum malis compatiendo. Vnde nollet vnquam hominem peccare, quia scit illum per peccatum, in anima mori, amittere indicibile illud bonum cæleste, visionem nempe Dei beatificam, æternumque gehennæ malum incurrere. Quis nesciat Matres condolere ac deflere incommoda filiorum? Et certè ipsa B. V. super omnes Matres plenissima est misericordia, pietate, charitatisque dulcedine. Diligit etiam B. V. homines à peccatis conuersos, ac verè pœnitentes, eorumque bono congaudet. Et verò si Gaudium est Angelis in cælo super vno peccatore pœnitente: Luc. 15. Multo magis Mariæ erit gaudium, quæ super omnes Angelos præeminet, & plenissima est charitate, Et ideo conuenienter per mulierem illam figuratur, quæ habuit Dracmas decem; quoniam ipsa est Domina creaturarum rationalium in decem graduum ordinibus existentium, in nouem, nempe Angelorum choris, humanaque Naturæ, quæ est dracma decima per peccatum Adæ amissa, & per pœnitētiæ passionisque filij sui efficaciam inuenta. Ob hanc igitur conuocauit ad gaudium amicas, sanctas videlicet animas dicens: Cōgratulamini mihi, quia inueni Dracmam, quam perdideram. Diligit denique visceroso affectu homines iustos, promouendo eos, ac fouēdo in omni gratia, summa bona cælestis gloriæ eisdem exoptans.*

B.V. Mater pulchræ dilectionis dicitur, quod nos perfecta dilectione prosequatur.

B.V. intima charitate diligit homines eorum malis compatiendo.

M. optat vt homo nunquam peccet, ne æternam mortem incurrat.

Si gaudium est Angelis in cælo super vno peccatore pœnitentiā agēte: multo magis B. V.

M. est Mulier Euangelica quæ inuenit Dracmam.

Gaudium B. V. mirum ob inuentam Dracmā, quæ est anima.

Cum enim diligere, secundum Aristotelem 9. Ethic. *sit alicui bonum velle, ipsa verè omnes vero amore dilexit, quia teste Bernardo: Omnibus, omnia facta est, omnibus sinum misericordiæ aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, æger curationem, captiuus redemptionem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Filius Dei carnis substantiam, tota Trinitas gloriam.* Sic ille. Eandem hanc tā eximiam, tamque largam in omnes agnoscens in Deipara charitatem B. Petrus Card. Dam. serm. 1. de Natiu. B. V. eam sic alloquitur: *Reuertere ad nos per amorem. Scio Domina, quia benignissima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te filius tuus, & DEVS tuus summa dilectione dilexit, Quis scit quoties refrigeras iram Iudicis, cùm iustitiæ virtus, à præsentia Deitatis egreditur.*

Diligere est bene velle alteri.

B. V. amat nos amore inuincibili, & refrigerat nobis sua intercessione iram Iudicis.

76. Ob huiusmodi pulchram à Dei Matre exhibitam mortalibus omnibus dilectionem, aliaque innumera beneficia Nierenbergius noster libello citato cap. 12. vocare Deiparam, magnam mortalium Creditricem non dubitauit. Vnde castissimo eius amore liquescens exclamauit: *O magna Creditrix mortalium Maria? quot tibi nominibus deseruire tenemur? quam multis vinculis corda tibi nostra dulciter fortiterque adstrinxisti? Tantumnè fortassis beneficia à te in nos profecta tanta, tamque multiplicia esse, quam quæ Seruatori nostro Filio tuo accepta ferimus? Quanta est*

hæc

hæc obligatio (certo quodam modo) tam nos arctè Deiparæ deuinciens, quam ipsi Deo: in tantũ vt gratiam nullam mihi IESVS fecerit, quam non etiam Matri ipsius debeam. Hi duo commodorum, bonorumque meorum omnium Causæ sunt vniuersales, fons & origo IESVS; Instrumentum Maria, sed Instrumentum fœlicitatis meæ vsque eo generale, ac primarium, vt nihil mihi vnquam bene vel factum, vel futurum sit nisi ipsa intercedente, & largiente. Consideret igitur attẽtè pia anima eorum, quibus à Deo ornata est, beneficiorum multitudinem, secumque ita statuat, totidem se ob causas ad amorem deuotionemque erga Sacratissimam Virginem obligari. Huic debemus inspirationes omnes, quas de cælo hausimus: huic quod tot occasionibus peccandi subtracti sumus: Huic denique gratiam omnem, & iustificationem, qua dotati in conspectu Patris luminum venire audemus. Quandoquidem seruator noster eximiæ huius Benefactricis nostrę dilectus Filius infinita nobis merita sua, nulla plane in re efficaciter attribuit, atque applicat, nisi per amantissimam Parentem suam Mariam; quę deprecatione sua necessitates, miseriasque nostras, siue corpus illę, siue animam spectent benignissimè anteoccupat, solicitius, studiosiusque nos adiuuans, quam ipsi eam rogemus, quamque sciamus, aut scire possimus. Obligatio hęc, qua Deiparę obstrictissimus, omnemque illi fęlicitatem nostram integerrimè, verissimèque debemus, non ex eo dumtaxat capite oritur, quod vna, eademque vice totum nobis, & omne bonũ nostrum Christum IESVM donauerit (quod cũ sit donum, bonumque infinitum, ad mille si tot haberemus corda ipsi redonanda abundè sufficeret) verumetiam quia particulatim, & seorsim omnia nobis Diuina beneficia, nec minimam bonam cogitationem excipiendo, incredibili charitate prouidit ipsa ac impetrauit. Sic ille.

Iesus & M. commodorũ nostrorum omniũ sunt fontes.

B. V. omnes gratias, oẽs etiam bonas cogitationes nobis impetrat.

77. Quod si scire quis cupiat, quo ex fonte hęc pulchra Virginis dilectio tam effusa, in genus humanum, vna cum tot beneficijs tanto impetu emanarit? cogitet, in primis ardentissima Deiparę, qua in DEVM ferebatur charitatem; cũ teste Angelico Doctore *eodem habitu charitatis diligatur Deus, & proximus*. Hinc S. Apostolus Ioannes 1. Ep. cap. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit DEVM, diligat, & fratrem suum*. Hinc Augustinus: *Eadem est charitas qua diligitur DEVS, & proximus, eo quod proximus diligitur propter Deũ, & aliter diligere non esset gratuitum*. Qui ergo feruentiori charitate fertur in Deũ, feruẽtiori quoque amore feratur in proximum necesse est. Cùm igitur Virgo sanctissima summâ erga DEVM, super omnes Seraphinos, charitate flagrauerit, consequens sane est, vt summa quoque proximi exarserit charitate.

Origo & fõs amoris B. V. in homines est amor Dei.

78. Alter huius charitatis fons est plenitudo gratiæ Spiritus Sancti, qui charitatem, aliaque sua dona in hominum animos diffundere consueuit, vt testatur Apostolus Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*. *Qua gratia cùm Virgo sacratissima plena fuerit, eamdem nobiscum, pro ingenita sibi liberalitate communicare voluit*. Vnde S. Bern. *Maria ante Conceptionem plena gratia Ab Angelo salutatur, vt tandem sibi plena, nobis etiam fieret super plena. Si enim, vase pleno, aliquod corpus eidem immittatur*, inquit Pelbartus, *quanto illud maius est, quod immittitur, tanto ex liquore, quo prius replebatur cogitur effluere, ex superpleno. Sed in eam iam gratia plenam, DEVS æternus in Conceptione mittitur in vterum eius, ideo necesse est semper effluat in æternum. Vas siquidem liquore plenum, si quomodo moueatur facile liquorem effundit: sic Virgo nostra gratia plena si precibus moueatur, mox effudit gratiam. Hanc enim perditam, Protoplastorum scelere, cum ipsa inuenerit, facile eam nobis restituet. Nam vt docet S. Augustinus, & alij Morales Theologi: Si quis inuenit rem aliquam sciens cuius est, tenetur eam restituere. Nulli ergo*, addit Pelbartus, *timendum est verè ad eam conuerso, quin veniam consequi valeat, & gratiam. Idcirco hortatur Bernardus: Quæramus fratres gratiam, & per Mariam quæramus, quia qui sic quærit, inuenit, & frustrari non potest.*

Origo & fõs B. V. in homines est plenitudo gratiæ Spiritus sancti.

M. plena gratia sibi fuit, nobis autem superplena nobiscum eã communicando.

M. inuenit gratiam ab Adamo perditam, ac proterea tenetur eam eius filiis restituere.

Gratia Dei nobis per Mariam, quęrenda.

79. Postremus huius Virgineæ pulchręque dilectionis fons est, summa ad Deũ propinquitas. Ideò enim Virgo nostra, & Mater amantissima tam largè, copiosèque in humanum genus suam pulchrã, castamque dilectionem effundit, quia Deo vnita, ab ipso largissimam in homines pietatem imbibit. Quanto enim creatura magis ad creatorem per charitatis affectum appropinquat, tanto magis ipsius proprietatem, similitudinemque participat, vt videre est in ferro, quod magis ignitur, quo magis in ignem immergitur. Idẽ videre est in cælo, quod quia propinquius est Deo, magis quam terra, ideo lumen, incorruptionẽ, æternitatẽque magis participet. Homo similiter quia rationis capax est, magis proximus Deo est, magisque Diuinas proprietates bonitatis, charitatis, mansuetudinis, pietatisque participat, quã bruta animalia. Cum igitur Virgo beatissima, & hic dum inter mortales degeret summè fuerit ipsi vnita per gratiam, prę-stantiamque Incarnati Verbi in vtero, & 33. annorum spatio, quo cum hominibus conuersabatur in terris, & nunc in æterna gloria adstet Diuinitatis Thro-

M. diligit nos, quia Deo est propinqua, eiusque similitudinem in amando magis participat.

B. V. Throno Diuinitatis vicinissima est.

no immediatè post filium, consequitur sanè eam pietatem, misericordiam, bonitatem, amorem, reliquasque Diuinæ Naturę perfectiones omnibus Angelicis Hierarchijs, reliquisque Cælitibus eminentius participare. Agnouit hoc mellifluus Bernardus, qui serm. 1. post Dominicam Epiphan. tacitam illam intercessionem Virginis apud filium: *Vinum non habent;* considerans; *Compassa est*, inquit, *eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima; Quid enim de fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonnè, qui pomum in manu sua tenuerit, dimidiá die, reliqua diei parte pomi seruabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit? Nam & ante mentem repleuit, quam ventrem, & cum processit ex vtero, ab animo non recessit.* Sic ille.

B.V. charitas in procurando vino pro nuptijs.

B. V. viscera pietatis affectu plena, quia ipsa pietas in illis nouem mẽsibus requieuit.

80. Ex his colligimus, quibus, & quam largis ex fontibus, ijsque limpidissimis illa pulchra dilectio, qua Virgo Mater mortales omnes, ac præsertim puros, ac castos amplectitur, cum tot tamque innumerabilibus beneficijs promanarit, quæ cum à Diuino amore, à plenitudine gratiæ Spiritus S. ab intima denique cum summa illa Bonitate, immensoque bonorum omnium Oceano originem traxerint, eam sanè totam Diuinam, bonis omnibus redundantem effusissimam, vndequaque sese, iuxta Naturam boni, communicantem esse necesse est.

81. Quod pulchrè sanè nobis Deæ venustatis ac amoris simulachrum illud, quod Canachus Sicyonius ex ebore, & auro miro artificio, vt scribit Eratostenes lib. 3. fabricauit, repræsentat. Hæc igitur tanquam omnium Genitrix, capite polum, vnâ manu Malum Punicum; alterâ papauer gestabat. Insignis hic profecto typus est Virginis, pulchræ dilectionis Matris, quę verè ex candidissimo ebore, auroque purissimo à supremo Artifice, sapientiâ planè admirabili, videtur efformata. Quid enim aliud Ebur hoc, quam Virgineam denotat puritatem, qua venustas hæc nostra ac Pulchritudo venustissima, singulari priuilegio, sibi fœcunditatem sociando enituit? Erat nimirum Virgo nostra Deipara Thronus ille famosissimus supremi Salomonis de quo 3. Reg. 10. dicitur: *Fecit Rex Salomon Thronum ex ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis*. Thronus verè cælestis Salomonis fuit Virgo nostra in quo sedens exinaniuit semetipsum, & paulo minus ab Angelis minoratus est; & ille, qui vertice cælum attingebat stās in terra, in throno residendo abbreuiatus est. Quod porro Ebur Virgineam denotat puritatem, docet B. Petrus Card. Damian. qui serm. 1. de Natiu. B. Virg. Throni huius Virginei mysteria euoluẽdo, sic loquitur: *De ebore*, inquit, *quid est, quod aurum, & argentum, & lapides preciosi, & omnis denique preciosioris materiæ prætermittitur gloria? Sola eboris substantia capax est tantæ compositionis, & fabricatur in ea, quod omnibus operibus præferatur. Ebur enim, & mirabili candore relucet, & multa præeminet fortitudine, frigidiorisque naturę sortitur auspicium, Et quid candidius illa Virginitate, quæ singulari aspectus sui gratiâ, supercælestem curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa fortitudine, per quam Domini fortitudo vasa diripuit fortioris? Quid frigidius illa substantia, quam obumbrauit virtus Altissimi, & ab æstu peccati defendit superuenientis Spiritus plenitudo? Ex hoc Ebore, nisi fallor, fiunt illę domus eburneę de quibus Psal. 44. Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis à domibus eburneis.* Sic Damianus.

Veneris qualenam fuerit simulachrũ?

Ebur notat castitatem.

Thronus Eburneus Salomonis B.V. figura.

Ebur Virginitatem notat B.V.

Domus eburneę sunt animæ Sanctæ, & castam.

82. Idem ebur Virginitatem Deiparæ denotare docet etiam Guerricus Abbas Igniatiensis qui ser. 1. de Annunc. B. V. Throni eiusdem Salomonici enucleans mysteria, ait illum, Deiparam, in qua increata illa resedit sapientia, quæ de seipsa dicebat: *Ecce plusquam Salomon hic*, adumbrasse: *Mihi sane*, inquiens, *magis mirari modo libet illud ebur tam preciosum, imo, & inappreciabile Virginalis castimonię, de quo scilicet sedem sibi facere delegit, qui sedet super Cherubim, hæc inquiens: sedes mea, in sęculum sęculi, hic sedebo quoniam elegi eam. Quam nitidum ebur illud, quod oculis tanti, tamque diuitis Regis placuit, in cuius diebus argentum nullius erat precij, quam frigidum, quod nec à conceptu incaluit; quam solidum, quod nec partus violauit; quam candidum simul, & rubicũdum, quod candor lucis æternæ, ignisque Spiritus S. vniuersa sui plenitudine repleuit. Maria siquidem, & ipsa candidior niue, rubicundior ebore antiquo, cui scilicet incomparabilem, & castitas candorem, & charitas, seu martyrium rutilantem, præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Quam beatus igitur ille venter eburneus, vnde caro eburnea sumpta est Redemptoris precium animarum, miraculum Angelorũ, solium summę Maiestatis, Thronusque potestatis?* Hactenus Guer.

Virginalis castimonia Ebur inappreciabile.

M. candidior niue, rubicundior ebore antiquo ob castitatẽ atque charitatem.

Mariæ Vẽter eburneus Beatus.

83. Quid iam de auro Virgineæ huiusce à Deo elaboratæ Statuæ; quid hoc mysterij includere arbitramur? Aurum hoc censet supra citatus B. Damianus, Diuinitatem designare, qua in Incarnatione Verbi Deiparæ vestiri visa est, dignum enim videbatur, vt quæ Dei filio nostra

Aurum Diuinitatem designat.

nostra vestiebat humanitate, ab illo, eiusdem vestiretur Diuinitate. ponderās enim verba illa in laudem Salomonij Throni prolata: *Vestiuit eum auro fuluo nimis: Aurum*, inquit, *omnibus metallis preciosius, intellige Diuinitatem Dei, omni præminentem mundo, omnia gubernantem. Hæc vestita est, imo superuestita Mater altissimi, totamque Virginem, tota illa indiuisibilis natura largiori gratia superfudit. Quid est autem quod dicit: fuluo nimis? Hic aliquid requirendum reliquit nobis Spiritus ille multiplex, & vtinā possim explicare quod sentio.* Tum tres modos quibus Diuinitas inesse consueuit creaturis, vbi explicuisset nempe per essentiam, operationem, atque illuminationem, quartum addit ipsi Deiparæ peculiarem, qui summam ipsius cum Diuinitate imo, & Humanitate vnionem indicat. *Quarto modo inest*, inquiens, *vni creaturæ, videlicet Marię Virgini, identitate, quia idem est, quod illa identitate, intellige ipsius carnis, quam in Virgineo eius assumpsit vterum.* Verè enim, & hic filius (quod ait Aristoteles de omnibus hominum filijs) est Pars Matris, vel idem cum Matre, vt alibi fusius docuimus. Hæc nimirum tam arcta cum Deo vnio, hæc carnis identitas est aurum illud fuluum nimis, nimiū quantum refulgens, quod adeo lucentem, adeo radiātem reddidit Virginem, vt æterno illo iustitiæ sole, dum eum in vtero complexa est, videretur amicta. Qui se nube carnis tunc amictum sentiens, vt vicem beneuolentissimæ huic pulchræ dilectionis Matri rependeret, vicissim eam amictu suæ Diuinitatis, velut aureâ Cyclade circumdedit, arctissimeque eum sibi, summa cum familiaritate deuinxit.

Sicut Aurum metallis omnibus supereminet, sic Diuinitas omnib. creaturi excellit.

M. Diuinitate vestite.

Quia B. Virg. Verbū induit nube carnis, ideo illud vestiuit eam amictu Diuinitatis, veste stil. solari.

84. Fuluum hoc Aurum nimis, supra memoratus B. Guerricus sacratissimum Christi corpus esse gloria Diuinitatis irradiatum censet. *Nec immerito, siquidem Sponsa Cant. 5. caput sponsi, quod teste Apostolo est DEVS, siue Diuinitas, optimum aurum appellauit: Caput eius Aurum optimum, quod verè est fuluum nimis. Si quis*, inquit ille, *Thronum illum grandem quem Rex Salomon sibi fecit de ebore, corpus ipsum interpretetur, quod pacificus noster hodie sumpsit ex Virgine, non multum à verò videbitur abberrare, quando quidem, & illud quod sequitur: Vestiuit eum auro fuluo nimis, eidem corpori satis congruit, quod iam Dominus decorem induit, fulgoris intolerabilis. Prorsus si interroges oculos Apostolorum, qui transfiguratum in monte viderūt, confitebuntur aurum nimis esse fuluum, id est fulgorem corporis esse nimium, quem ferre nequiuerunt.* Quod si Christi corpus de purissimis sanguinibus Virginis, ope, operaque Spiritus S. efformatum tantopere gloriâ Diuinitatis radiabat, vt aurum fuluum nimis, vt sol radios igneos exsufflans esse videretur; eodem sanè, ob purissimæ illius carnis identitatem cum Deipara eodem inquam pene splendore illam radiasse necesse est. Non ita sol, atque illa anima, Virgineumque illud immaculatumque corpus, cæli corporibus, imò Angelicis mentibus longè purius splendicat, nō ita potentibus ardoribus incandescit atque Virgo hæc pulchræ dilectionis Mater, Diuino amore exardescens.

Aurum fuluum nimis est Christi corpus gloria Diuinitatis irradiatum.

85. Hinc Richard. à S. Laur. lib. 1. de laud. B. V. Virginei huiuscé Throni, ex auro atque ebore fabrefacti Maiestatem extollens, eum soli comparat, aitque esse *grandem in primis durabilitatis æternitate. Vnde Apostolus Hebr. 1. Thronus tuus DEVS in sæculum sæculi. Et Psalm. 88. Thronus eius sicut dies cæli, qui ęterni sunt. Grandis quoque est Thronus hic Virgineus ex sedentis Maiestate, qui enim erat incircumscriptibilis, secundum Deitatem, ibi voluit circumscribi, per assumptā humanitatem. Vnde ipsa Maria ait, Gyrum cęli circuiui sola Eccli. 24. Quia comprehendit incomprehensibilem, circumdedit immensum, gremio vteri sui, & inter casta viscera continuit omnia continentem. Hinc Christus in hoc Throno residens confertur Gedeoni, qui circumiens in vtero interpretatur. In vtero enim Virginis quoad humanam naturam circumscriptus, per incircumscriptam nihilominus Diuinæ potentiæ naturam omnia circuibat. Grandis est idem Thronus Giganteæ quantitatis receptibilitate. Christus enim Gigas dicitur geminæ substantiæ, quia non est Regulus quispiam, sed Rex magnus super omnes DEOS, homines videlicet, & Angelos. Propterea Thronus hic Soli comparatur, qui terræ excentricus est, & centies sexagies sexies dicitur totius terræ excedere quantitatem. Grandis denique est claritatis immensitate, quia factus de auro fuluo nimis, quod est coloris optimi, & fulgoris eximij. Ob eandem claritatem Pater æternus loquens de Filio Psalm. 88. Thronus eius, inquit, sicut sol in conspectu meo. Licet enim Virgo apud homines fortassis quasi sub obscura appareret, tamen in conspectu Dei clara appàrebat, vt sol qui creaturarum omnium pulcherrimus est.* Sic Richardus. Aptissimè igitur Deiparam gloriosissimam, pulchræ dilectionis Matrem, Venustatisque Diuam, ac Reginam ex ebore singularis planè Virginitatis, & auro purissimo, optimo, radiantique Diuinitatis, ob intimam illam carnis cum Incarnato Verbo vnionem, ac identitatem quandam, fuisse à supre-

M. Thronus Solaris ęternus nunquā deficiens.

Christus in vtero Virginis vocatur Gedeon, qui circumiens in vtero interpretatur.

B. V. Thronus grandis, quia in se immensum illū cæli Gigantem excepit.

Sol centies sexagies, & amplius totius terræ excedit magnitudinem.

supremo omnium opifice Deo, artificio singulari, efformatam, assueueramus.

86. Gestat etiam Diua hæc nostra venustissima Polum in capite, ostenditque reuera, se nouum esse quendam Orbis Herculem, Athlantemque, quem nisi illa tanquam firmissima, soliditissimaque columna sustentasset, iam pridem ob tot enormia mortalium scelera corruisset. Verè de Virgine hac cani potest, quod de Athlante Silius Ital. libr. 1.

M. nouus quidā Atlas atque Hercules mundum ne ruat sustentans.

Athlas subducto tracturus Vertice cælum
Sidera nubiferum fulcit caput, æthereasque
Erigit æternum compages ardua ceruix.

M. misericordia sustinetur Mundus ne corruat.

Hinc Virginis addictissimus attestatur Pelbartus lib. 2. Part. 3. art. 2. cap. 7. Mariæ Virginis misericordiâ sustentari mūdum hunc immundum, ne propter tot, tantaque, eaque atrocissima, facinora collabatur, atque in nihilum redigatur; additque misericordiam hanc esse vnam ex stellis in Diademate illo, quod Apostolus Ioannes in Vertice Virgineo stellarum duodecim radians conspexit. Quare merito supra memoratus Nierébergius noster ibidem de beneficijs mirificis huius Virginis toti vniuerso exhibitis loquens, dixit: Adeo porro ingentia sunt ac vniuersalia hæc ipsa Sanctissimæ Deiparæ in nos beneficia, vt sint Patres qui asserere non dubitent, mundum vniuersum, nisi per ipsam stetisset pridem periturum fuisse, eius vnius meritis patrocinioque consistentem. S. Bernardinus Sen. addit etiam multis annorum millibus antequam nasceretur totū terrarum orbem à Maria seruatum, ab eo scilicet tempore, quo peccauit Adamus, DEVMque quo minus eundem vti merebatur in nihilū redigeret, solâ Virginis, quam in æterna mente sua præsentissimam habebat, iucundissimèque intuebatur, reuerentiâ & summo aduersus illam amore prohibitum esse. Hac de re plura si quis volet videat Discur. de Herc & alibi.

87. Quod si consideremus Virginem, humillimo illo suo in Incarnationem assensu totum orbem instaurasse, ad pristinamque dignitatem, nobilitatemque reduxisse clarè perspiciemus merito dici posse. polum siue cælum, siue denique mundum vniuersum ab ipsius Sacrosancto gestatum fuisse vertice. Hinc B. Cardin. Petrus Damian. ser. de Annunc. docet augustissimę Triados decreto in omnium Angelorum pręsentia sancitum, vt ope operaque sanctissimæ huius Virginis Orbis, protoplastorum scelere collapsus redintegraretur: *Statim,* inquit, *de Thesauro Diuinitatis Mariæ Nomen euoluitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, vt sicut sine illo nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit.*

Per Virginē mundus instauratus ac refectus.

Audiendus hic S. Anselmus, Vir in colēda atque amanda Virgine apprimè studiosus in orat. de B. V. in qua huiuscè restaurationis totius Vniuersi primariam declarat originem ac causam, qua est partus ille fælicissimus ipsius Dei Filij, tot myridiabus annorum expectatissimi; sic igitur ibi illam alloquitur; *Aula vniuersalis propitiationis, causa generalis recōciliationis, Vas, & Templum vitæ, & salutis vniuersorum, nimium contraho merita tua, cum in me homunculo vili singulariter recenseo beneficia tua, quæ mundus amans gaudet, gaudensque clamat esse sua. Tu namque Domina admirabilis singulari Virginitate, amabilis salutari fœcunditate, venerabilis inæstimabili sanctitate ita ostendisti Mundo Dominū suum, & DEVM suum, quem nesciebat. Tu visibilem exhibuisti mundo creatorem suum, quem prius non videbat; tu genuisti mundo restauratorem, quo perditus indigebat; tu peperisti mundo reconciliatorem, quem reus non habebat. Per fœcunditatem tuam Domina mundus peccator est iustificatus; damnatus, saluatus; exul, reductus. Partus tuus Domina mundum captiuum redemit, ægrum sanauit, mortuum resuscitauit. Insidijs, & oppressionibus Dæmonum, tenebris peccatorum abuolutus mundus subiacebat, sed sole de te orto illuminatus, eorum laqueos deuitat, & vires cōculcat. Cælum, sydera, terra, flumina, dies, nox, & quæcunque humanæ potestati, vel vtilitati sunt obnoxia, in commissum decus sese gratulātur, Domina mea beata Maria, per te quodammodo resuscitata, & noua quadam ineffabili gratiâ dotata. Quasi enim omnia mortua erant, cum amissa congenitâ dignitate, ad quod facta non erant, obruebantur oppressione, & decolarabantur abusu Idolis seruientium, propter quod condita non erant. Iam verò eadem per te se resuscitata lætantur, cum iam DEVM Filium vident, eiusque dominatu reguntur, vsuque decorantur. Nouâ quoque, inæstimabili que gloriâ quasi exultauerunt, cum ipsum DEVM Filium tuum Creatorem suum non solum visibiliter supra se illum regnantem senserunt, sed etiam visibiliter intra se eisdem vtendo, sanctificantem viderunt. Hęc tanta bona per benedictum fructum benedicti ventris benedictæ Mariæ mundo prouenerunt. Sed cur solum loquor, Domina benedicta, beneficijs tuis plenum esse mundum? Inferna penetrant, cælos superant; per plenitudinē enim gratiæ tuæ, & quæ in inferno erant se lætantur liberata, & quæ supra mundum sunt se gaudent restaurata. Per eundem quippe gloriosum Filium gloriosæ Virginitatis tuæ omnes iusti, qui obierunt ante vitalem eius mortē exultant*

M. Aula vniuersalis propitiationis.

M ostendit mundo Dominū quē nesciebat dū eum peperit.

Partus B. V. mundum captiuū redemit ægrum sanauit, mortuum suscitauit.

Omnes creaturę gaudēt se per B V. resuscitatas.

Creaturę per partum B. V. noua gloria se decoratas animaduertens lętātur.

Beneficia B. V. ipsum Infernum penetrarunt. & quomodo.

tant de diruptione captiuitatis suæ, & Angeli gratulantur de restitutione Semirutæ Ciuitatis suæ. O' fœmina mirabiliter singularis, & singulariter admirabilis, per quam elementa renouantur, inferna remediantur, Dæmones conculcantur, homines saluantur, Angeli redintegrantur! O' fœmina plena, & superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa sic reuiuiscit omnis creatura. Hæc S. Anselmus, ex quibus clarè perspicitur quanam ratione totum hoc Vniuersum, omnesque in eo tam cælestes, quam sublunares instaurādo creaturas, totum orbem in capite quodammodo gestare ac sustentare, eūdemque summè honorare Deipara videatur.

M. plena, & superplena gratia de cuius plenitudinis redundantia respersa omnis reuiuiscit creatura.

88. Idem hoc Orbis sustentaculum ac fulcrum Papauer illud manu ab Eburneo illo aureoq; Diuæ illius simulachro gestatum nobis indicat. Scribit enim Pierius Valerianus lib. 58. cap. 15. Hieroglyphicorum, Papauer symbolum esse orbis terrarum, atque adeo terrę omnis, humano commercio habitatæ. *Orbicularis enim figura eius, perinde ac terræ protuberat vndecumque conuallibus quibusdam velut subsidentibus, montium quodammodo, vigorumque specie, locorumque reductorum effigie: interiora denique folliculis quibusdam distincta gerit, velut etiam nationes hominum fluuijs, montibus, & vrbibus dispertiuntur. Innumera præter hęc includit semina, quod est terræ benignæ propriū. Et quemadmodum terra nisi aretur, sarriatur, vertatur, obteratur, multisque modis excutiatur, agiteturque, quicquam proficit: Sic papauer ad vsum cibi minimè seruit, nisi concutiatur, obtundatur, & ventiletur.*

Papauer est symbolum orbis terrarum.

89. Et verè si amorem huiuscè Virginis pulchræ dilectionis Matris, terrigenas omnes, immenso quodam benignitatis suæ sinu complectentis consideremus, animaduertemus eam reuera terram, imo totum Vniuersum quodāmodo ad instar filij, de quo Psal. 94. *In manus eius sunt omnes fines terræ*; in manu sua gestare. Ipsa enim tanquam Mater benignissima, pulchrâque erga mortales omnes, dilectione plenissima, suis precibus, ac patrocinijs apud filium, mundū hunc manibus gestat, sustentat, illique repræsentat, eique misericordiam impetrat, eundemque cum Deo irato Pacificat. Vnde eam B. Albertus Magnus Beatitudinem pacifico promissam, simulque longè excellentius præmium, non Dei filiationis, (Beati siquidē Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur,) sed Diuinæ Maternitatis indeptam asseuerat Tract. super Missus. *Beata Virgo fuit, inquit, medium vniuersale, & causa pacis. Vniuersalis n.* *fuit Mediatrix, & reconciliatrix, omnes enim, per eam fuerunt reconciliandi, vnde in pacificatione excellit omnes viatores, quam ob causam, etsi alijs pacificis datum est præmium, quod sint filij Dei per adoptionem; Beatæ Virgini tamen datum est, vt sit Mater per naturam.* Qua sanè reconciliatione, ac pacificatione mundi, cum irato Deo, quid aliud egisse Virgo hæc pulchræ dilectionis Mater, quam mundum manibus gestasse visa est?

B.V. Mundū videtur quasi manu gestare illum protegendo, eumque amando.

M. in Pacificando hoie cum Deo excellit omnes viatores.

90. Et sanè nisi Mediatrix ista sese in hodiernum vsque diem inter miserum hunc, immundumque Mundum, iratumque Numen interponeret, illumque pallio suæ misericordiæ, protectionisque contegeret, horribilibus illis sempiternæ iustitiæ vndis iam pridem fuisset obrutus. Vnde non immerito Iobus licet esset Vir simplex, & rectus, timens Deū, & recedens à malo, tamen ipse de se fatebatur Iob 31. 23. *semper quasi tumentes super me fluctus timui DEVM, & pondus eius ferre non potui.* Interpositionem hāc Virginis inter mundum, iramque Dei pulchrę nobis Virga illa Mosaica super mare rubrum extenta figurauit. Quis enim tumentes illos maris rubri fluctus in aera suspendit, ne populum illum Israeliticum per siccum eius alueum proficiscentem obruerent, nisi prodigiosa illa Virga Mosaica, quam Rupertus Abbas symbolum fuisse Deiparæ, vt alibi diximus, asseuerat? O quoties tumentes illi irarum sempiterni Iudicis fluctus mundum hunc inuoluerēt, & in abyssum inferni demergerent, nisi hæc Virga Virginea vetaret, illosque sua intercessione suspenderet!

Virga Moysis super mare rubrum extenta vndas maris suspendens, fuit figura B.V.

91. Eiusdem Virginis interpositione inter Mundum, iratumque DEVM nobis Arca illa veteris testamenti trāsmittens Iordanem, siue eius alueo, vna cum populo Dei adumbrauit, ad cuius conspectum, vt sacræ attestantur litteræ Iosue 4. v. 7. *Defecerunt aquæ Iordanis ante Arcam fœderis Domini, cum transiret eum.* Quo autem modo defecissent, stetissentque aquæ Iordanis ad præsentiam Arcę, cap. præcedenti v. 16. ostenditur: *Steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar mōtis intumescentes apparebant procul.* Quod prodigium adeo attonitū reddidit Dauidem, vt diceret: *Quid est tibi mare, quod fugisti; & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Psal. 113. *Ira nimirum Dei contra peccatores ad instar ingentis cuiusdam, vastissimiq; montis erigitur, quam nisi hæc animata Arca, hæc misericordiæ Mater, quasi interpositione suarum precum suspenderet, operiret, atque obrueret*

Arca testamenti veteris Iordanis aquas sistens figura fuit B V.

Ira Dei contra peccatores instar montis erigitur vt illos obruat, nisi B V se interponeret.

rueret totum hoc Vniuersum. O quam præclarè suadet S. Bernardus serm. de verb. Apoc. circa initium: *Et quidem*, inquiens, *sufficere nobis poterat Christus, siquidem, & nūc omnis sufficientia nostra ex eo est. Sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Fidelis planè, & potens Mediator Dei, & hominum, Homo Christus IESVS. Sed Diuinam in eo reuerētur homines Maiestatem. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? Iam itaque nè ipsa mulier benedicta in mulieribus videatur otiosa, inuenietur equidem locus in eius hac reconciliatione. Opus est enim Mediatore, ad Mediatorem illum; nec alter nobis vtilior, quam Maria. Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? nihil austerum in illa, nihil terribile, tota suauis est?* Sic ille.

Aduersus iratum Iudicem interponenda nobis Mediatrix Maria.

92. Verè tota suauis est Virgo, tota affabilis Oratrix, & Aduocata nostra apud DEVM, adeo vt sub eius patrocínio, ac tutela, neç aduersarij illius Tartarei fraudibus, dolisque instructissimi potentiâ, nec supremi Iudicis scrutantis Ierusalem in Lucernis Sapientia, nec meritum causæ, quantumuis desperatissime, nobis pertimescenda esse videatur. Ipsa enim pro illa, qua apud supernum Iudicem pollet gratiâ, atque omni potentiâ, omnes difficultates complexat, & in causis nostris triumphat. Cuius rei causam nobis insinuauit. B. Petrus Cardin Dam. serm. 1. de Natiu. B. V. *Nihil tibi impossibile*, inquiens, *cui possibile est desperatos in spem beatitudinis releuare. Quomodo enim illa potestas tuæ potentię poterit obuiare, quę de carne tua, carnis suscepit originem? Accedis enim ante aureum illud humanę recōciliationis altare Christum videlicet non solum rogans, sed imperans, Domina, non Ancilla*. Accedit, quod Virgo nostra clementissima, quemadmodum testatur S. Antoninus Florent. Archiep. Par. 4. Tit. 15. cap. 19. Rhetoricæ facultatis, iurisque ciuilis fuerit peritissima, ac proinde Oratrix, atque Aduocata totius generis humani apud DEVM efficacissima, sic .n. ille: *Rhetoricam quod B. V. non ignorauerit ostenditur, ex hoc, quod secundum B. Augustinū, scriptura est plena coloribus Rhetoricis, Sed B. Maria sciuit perfectè sacram scripturam; ergo sciuit, & illos colores ad Rhetoricam pertinentes, ac consequenter ipsam sciuit. Item iura Ciuilia, & Canonica, quę scientia spectat ad Aduocatos, & Iudices optimè calluit, quod ab effectu comprobatur. &c.*

M. Sapientissima nostra Aduocata.

Maria nihil est impossibile apud filium.

B.V. accedit ad Deum orandū pro nobis tanquam imperans Domina, non Ancilla.

93. Quod si in sentētia M. Tullij Orator vir bonus esse debet, vt dictione persuadeat. Quis summi illius æternique Boni, Matre optimâ maximâ inueniri potest melior? Quod si bonum, vt docet Philosophus est integritas, & perfectio Entis; & perfectum illud ab eodem cēsetur, cui nihil deest. *Quis Virgine nostra moribus integrior, quis in virtutibus omnibus, cęli donis, ac gratijs perfectior, in omnium mortalium numero repertus est? Quid illi quæso deesse potuit, in qua fons bonorum omnium, ęternum illud, immensumque Verbum nouem mensibus eius vtero requieuit? DEVS bone, quam liberalem sese in donis, gratijsque suis communicādis summum illud Bonum Virgini exhibuit, vt precium quodammodo tam pręclari, deliciosique hospitij illi persolueret?* S. Anselmus lib. de similitudinibus c. 84. ait magni amoris, ac liberalitatis esse signum cùm quis seipsum Deo, velut arborem cum fructibus, offert. Cùm igitur Dei filius Lignum illud vitę immortalis sese Virgini donauerit, cum omnibus donis, ac fructibus Spiritus S. summum sanè amorem, summam liberalitatem illi exhibuit, eamq; consecutiuè bonis omnibus adimpleuerit, ita vt compendium quoddam bonorum omnium, Diuinam naturam æmulando, esse videretur. Vnde à S. Bonauen. mare quoddam amplissimum, in quod omnia flumina gratiarum, quæ tam in Angelica, quam & humana Natura influxere, appellata est. Hæc est illa bona mulier de qua Sapiens Eccl. *Mulieris bonę beatus vir*. Cùm igitur adeo bona Virginea hæc mulier extiterit, quid non oratione sua, lactis, mellisque dulcedinem superante, supremo illi Iudici poterit persuadere? quomodo quæso illam, ad clementiam egregia illa sua morum integritate, ac bonitate, & aurea dicendi vi, ac facultate non inclinabit?

Orator vir bonus esse debet. At quis melior summi Boni Matre?

Bonum est integritas & perfectio Entis.

Magna liberalitas, & amor cēsetur cum quis se ipsum suaq. omnia velut arborem cū fructib. Deo offert.

B.V. Oratione sua omnia Deo persuadere potest.

94. Vim, potentiamque huius cælestis Aduocatæ atque Oratricis expertus est auarus ille, apud Pelbartum lib. 5. Part. 2. art. 3. hunc ait adeo tenacem extitisse, vt nulli stipem, quantumuis miserrimo vnquam erogarit. Hoc igitur absorptus auariciæ barathro, scelerumque demersus gurgite (: auaro enim nihil est scelestius, ait Sapiens:) vnicam habebat laudem, quod in Virginem Dei Matrem, summâ ferretur deuotione. Cōtigit itaque aliquando, vt pauper quispiam instantissimè ab eo eleemosynam in primis ob amorem Dei, deinde ob ipsius salutis amorem, ac tandem ob amorem B. Virginis postularet. Obsurduit ille ad primam, ac secundam miseri illius petitionem, & Dei salutisque propriæ oblitus stipem negauit. Verum, audito Virginis Mariæ Nomine, emollitus aliquātulum, panem vnicum indignabundus ei pro-

Auarus quidam B.V. deuotus à perditione liberatur.

proiecit, graui cum increpatione, ac cōminatione, ne in posterum in Nomine Mariæ quidpiam à se postularet, atque ita ob huius Nominis amorem aliquid impertiri cogeretur. Moritur tandē miserabile hoc, turpissimumque auariciæ mancipium, pœnisque iusto Dei iudicio, iam iam mancipandus erat sempiternis, nisi Aduocata nostra potentissima ei mox adfuisset. Cùm enim in bilācem corā sempiterno Iudice bona, malaque ab ipso in vita perpetrata appenderentur, & in bonis inuentus esset minus habens, vt ait Pelbartus, protinus aduenit Virgo pientissima, & in bilancē bonis operibus vacuam, panem illum, ob sui Nominis amorem pauperi abiectum apposuit, atque ita Virginis meritis bona ipsius opera, nequicquam frementibus hostibus Tartareis, prępondcrare visa sunt. Cum porrò Iudex æternus vltimam iamiam laturus esset Sententiam, diceretque: *Esuriui, & non dedit mihi manducare, sitiui, & non dedit mihi bibere, nullam denique fecit misericordiam, non igitur meretur misericordiam;* cōfestim intulit Virgo clementissima: *Ego sum Mater misericordia, meque in deuotione habuit*. Qua interpellatione id consecuta est apud filium, vt ad vitam anima illa, præda mox futura Dæmonibus, rediret, vitamque sanctissimā, operibus pręsertim misericordię in pauperes exercitatissimā, Virgineoque cultui ac venerationi addictissimam semper quoad vixit traduceret, ob cuius Sanctissimi Nominis amorem, egenos ad secum conuiuandum sæpius aduocabat.

Panis ob B. V. amorē in bilancem ab ea positus quantū auaro ante Iudicem æternū profuerit.

Auarus mox damnandus oratione B. V. ad vitā reducitur, vt pœnitentiam agat.

95. Addit hic Vir Deiparæ studiosissimus: *Quo exemplo clarescit, quam multum vtile sit homini, eleemosynas facere pauperibus, ob amorem B. V. Mariæ; ac præcipuè in eius festis pauperes ad mensam deuotius inuitare. Si enim panis ille, inuoluntariè quodammodo, pauperi proiectus ob amorem Virginis, tantum valuit, vt à damnationis Sententiā auarus ille fuerit liberatus: quantum putas valebit voluntaria ad salutem consequendam ob Virginei Nominis reuerentiam eleemosynarum erogatio? Huiusce nimirum in extrema mortis hora ipsa Virgo Interuentrix gloriosa apud Filium adstans dicet sine dubio: Scriptum est: Date, & dabitur vobis. Dignum ergo est, vt is qui dedit sua pro Nomine Matris Dei, detur vicissim ei corporis, & sanguinis Christi sacramentum, quo Dominus ille continetur, quem Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo enutriuit. Et sicut ipse membra Christi, pauperes videlicet, aluit, pro Nomine Virginis Matris, ita quoque, gratia eiusdem, alimento vitæ æternæ perfruatur.* O

Qui in Nomine B. V. dat eleemosynā, dignus cui in hora mortis corporis, & sanguinis Christi exhibeatur Sacramentum.

Vere sancta talis anima, quam feliciter, & quā iucundè audiet in iudicio verba Christi: Esuriui, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere; Venite ergo benedicti Patris mei percipite Regnum. Hæc Pelbartus.

Quæ omnia sane nobis luculenter indicant à Deipara Mundum, eiusque incolas, ceu paupauereum quendam globum, manu assiduè gestari, dum apud filium pro illis tam sedulè, solicitè ac benignè interpellat, eisque & in vita, & in morte tam fideliter interpellationibus suis patrocinatur.

96. Quod si virtutem illā somni, quietisque conciliatricem in papauere consideremus, dicere poterimus illud à Virgine tanquam symbolum quietis, tranquillitatisque animi illius, quam somno Sanctæ contemplationis sopitis suis clientulis indulgere consueuit, circumferri. Quid quod ipsi Dei filio dulcissima requies fuisse perhibeatur? Vnde à S. Bernardino Senensi, non semel: *Requies Domini* appellata est, ipsamet attestante: *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*. Hinc Guerricus Abbas ser. 1. de Annunc. B. V. eandem contulit Throno illi eburneo, vti S. diximus, Regis Salomonis magnificētissimo, quo verus Pacificus Rex noster faciens vtraque vnū, nouem mensibus iucundissimè requieuit: *Sibique sedem facere delegit, qui sedet super cherubim: Hæc,* inquiens, *requies mea, in sæculum sæculi, hic sedebo quoniam elegi eam*. Idem Virginis deuotissimus Abbas ser. 3. de An. librans vaticinium illud Ezech. 44. de Porta Orientali, per quam ingressus est supremus Princeps, atque egressus, clausa semper remanente; *Princeps ipse sedebit*, inquit, *in ea, vt commedat panem corā Domino: Sedebit in ea*, addit Guerricus, *quoniā requiescet in ea;* Hinc eam B. Albertus Magnus Tractat. super Missus *Sabbatum Domini, in quo vniuersorum Dominus post hominum, Angelorumque rebellantiū tumultus, die septimo requieuit*, Gen. 2. vocitare non dubitauit. Ad hanc requiem Dominus à Propheta Psalm. 131. inuitabatur: *Surge Domine in requiem tuam*. Requiem hanc porrò Chrysippus Hierosolymitanus vocat Deiparam: *Tua enim requies*, inquiens, *est Virgo, & vterus tua Requies*. Hinc venerabilis Richardus à S. Laur. lib. 10. de laud. B. V. eandem Deiparam filij Dei Requiem nuncupat. *Vbi*, inquiens, *nos habemus Isa. 11. Erit sepulchrum eius gloriosum, dicit alia litera: Erit requies eius gloriosa, idest, Gloriosa Domina erit Requies eius*. Hinc ipsemet dicit in Psalm. 131. *Hæc requies mea in sæculum sæculi. Ipsa*

Papauer est somni conciliatiuum.

B. V. Filio Dei vtero suo Virginali requiem exhibuit.

M. Porta Orientalis in qua cæli Princeps sedit ac quieuit.

B. V. Sabbatū Domini in quo post Angelorum hominumque rebellantiū tumultum, requieuit.

Domini Requies est B. V.

etiam est Requies illa, quam in omnibus quærebat filius Dei. Maria denique est Requies illa opulenta, quæ promittebatur fideli populo. Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

M. Requies Domini Opulenta.

97. Verè enim non modo Dei filius in sacratissimæ huius Virginis inhabitans vtero, post Angelorum, hominumque rebellantium sedatos, vti diximus, tumultus; verumetiam mortales omnes; ac præcipuè ipsius Dei Matris deuoti clientuli sederunt *in pulchritudine pacis, in tabernaculo fiduciæ, ac requie opulenta; siquidem,* vt testatur Bernardinus Bustius, *ipsius pij cultores, atque amatores quasi dormientes donis cœlestibus locupletantur.* Dum enim sub ipsius patrocinij vmbra requiescimus, ac suauissimè dormimus quodammodo, omnium supernorum bonorum copiâ affatim implemur, ac ditamur, vitamque vniuersam, summâ in pace, ac tranquillitate animi transigimus, perinde, atque papauereâ aliqua potione essemus inebriati. Vnde Ouidius 11. Metam. Speluncam somni describens, inter cætera dulcem soporem conciliantia, meminit etiam papaueris:

B.V. seduli cultores altissima pace fruuntur, & quasi dormientes locupletantur.

Somni spelunca papaueribus circumsepta.

Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.

Idem li. 4 Fastorum Noctem papavereâ redimitam corollâ introducit, dum ita canit;

Interea placidam redimita papauere frontem
Nox venit, & secum somnia nigra trahit.

Neque vero solum spiritualem quietem, verumetiam corporalem suis clientulis B.V. indulget. Hinc cum B. Gertrudis B. Virginis deuotissima, insomnem quandam noctem transegisset, & nimium quantum defectu illo somni fuisset debilitata, Christus Dominus, cui erat charissima, hanc ei orationem ad impetrandum somnum præscripsit: *Per tranquillissimam illam suauitatem qua cum, ab omni æternitate in sinu Dei Patris conquieuisti, per amœnissimam quoque commorationem illam, qua nouem mensibus in vtero Virginali requieuisti, Denique per iucundissimam illam oblectationem, qua in aliqua dilecta anima tamet delectari ac deliciari consueuisti; rogo te misericordissime Domine, vt, non propter mea merita, sed propter tuã æternam laudẽ, mihi aliquid quietis digneris concedere, vt hæc lassa membra corporis assiduo exercitationum spiritualium vsu fatigata, restaurentur.* Quibus dictis eam cælestis sponsus ad pausandum supra suum cor inuitauit libr. 3. c. 52.

98. Quod si per Papauer primatum, Regumque coronata capita intelligamus cum Pierio Valeriano libr. 58. cap. 20. facile perspicienus in manu Virginis, veluti in Dei præpotentis dextera esse omnium iura regnorum, & ab illius propitio Numine bonam ipsorum gubernationem dependere. Hinc illa Prouer. 8. gloriabatur: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.*

Papauer Regum, & Regnorũ Symbolum est.

99. Eandem Regum, Regnorumque protectionem indicat Malum illud Punicum, quod Dea illa manu altera gestabat. Licet enim dicere verè possimus, à nostra pulchræ dilectionis Matre sanctissima, vti sæpius ante commemoraui, tam Religiosorum, æquæ virorum, atque mulierum domicilia, quam ipsius Parthenia in Collegijs nostris erecta designari sodalicia; nihilominus tamen vel maximè Principatus, Reipublicæ, ac Regna videntur denotari. Quæ dũ Virgo nostra protegit, dum defendit, dum contra hostiles tutatur incursus, quid aliud agere, quam eadem, in manu sua gestare, eaque sub protectionis suæ coronâ, pallioque ad instar mali punici continere videtur?

Malum Punicum symbolum Regni, ac Regis.

100. Tali schemate contemplata est Virginem aliquando S. Brigitta, mirâ luce, gloriâque refulgentem, vti ipsa de se fatetur lib. 1. Reuel. cap. 31. *Videbam Reginam cæli Dei Matrem habentem preciosam Coronam inæstimabilem in capite suo, septem lilijs contextam, totidemque lapidibus preciosissimis exornatam: capillos item admirabilis pulchritudinis super humeros extensos: Tunicam auream splendore indicibili coruscantem; & Mantellum coloris cærulei, seu cæli sereni.* Quæ ornamenta S. Ioannes Baptista, vt potè mysterijs refertissima, singula ordine declarauit: *Corona,* inquiens, *denotat, quod Regina, & Domina, Materque Regis Angelorũ sit. Lilia septem, sunt virtutes eius eximiæ; Humilitas videlicet, Timor Domini, Obedientia, patientia, constantia, seu stabilitas, Mititas, postrema denique Misericordia, in necessitatibus: in quacunque enim necessitate fuerit homo, si Virginem toto corde inuocauerit, saluabitur. Preciosi porrò lapides illi septem, totidem sunt virtutes illius primariæ. Et primus quidem est Virtuositas singularis, siue omnium virtutum compendium. Alter est perfectissima mundicia, quia Regina cæli sic pura fuit, vt vna macula peccati in ea inueniri nunquam potuerit à principio eius in mundum ingressus, vsque ad diem mortis. Nec omnes Diaboli tantum impuritatis inuenire poterant in ea, vbi cuspis acus poni posset. Quia verè tota erat purissima. Non enim decuit Regem gloriæ iacere, nisi in vase purissimo, ac mundissimo, præ omnibus Angelis, ac homini-*

Descriptio B. V. sub schemate Reginæ.

Pallium B.V. sub quo nos protegit, est coloris cærulei.

Septem lilia B.V. eius virtutes notant.

In quacunq. necessitate fuerit homo, si B. V. inuocauerit, saluabitur.

Septem preciosi lapides in ornatu B. V. sunt ipsius virtutes.

minibus. Tertius Diuina ipsius pulchritudo. Quartus sapientia. Quintus fortitudo. Sextus claritas, quâ etiam ipsi Angeli illuminantur. Septimus plenitudo omnis spiritualis delectationis, ac dulcedinis. Tunica verò illa aurea Diuinam ipsius ardentissimam, fructuosissimamque interiorem, exterioremque denotat charitatem. Mantellum denique siue pallium cęlestis coloris, rerum mundanarum despicientiam. Idem hoc pallium, quo Virgo Regina, Regesque, reliquosque suos protegit clientes, eidem Brigittæ lib. 2. cap. 23. reuelauit, esse ipsius Misericordiam: *Quantumcumque homo*, inquit illa, *peccet, si ex toto corde, & verâ emendatione ad me reuersus fuerit, statim parata sum recipere reuertentem. Nec attendo quantum peccauerit, sed cum quali intentione, & voluntate redit. Ego vocor ab omnibus Mater misericordiæ. Verè filia, misericordia filij mei fecit me misericordiam, & misericordia eius visa, compatientem. Ideo miser erit, qui ad misericordiam, cum possit, non accedit. Ergo tu filia mea veni, & absconde te sub mantello meo, hic est exterius contemptibilis, intus vero vtilis propter tria; obumbrat enim ab aere tempestuoso, munitâ frigore vrente, defendit denique contra nubium imbrem.*

Pallium B.V. cælestis coloris notat rerum mundanarum contemptũ.

Pallium B.V. est ipsius misericordia, qua mũdum protegit.

Protectio B. quam vtilis.

101. Ex quibus omnibus colligimus Deiparam velut Reginam, Aureâ coronâ gemmis radiante redimitam, cęruleoque illo, amplissimoque pallio circundatam, nobis Malogranatum quoddam sub Diademate, & rubicundo suo cortice, velut Regio paludamento innumera grana complectens, repræsentare. Verè enim Virgo hæc sanctissima, & pulchræ dilectionis Mater amantissima, dum sua Parthenia Sodalicia, dum Religiosorũ cænobia, dum Ciuitates, Respublicas, Prouincias, Regna, ac Imperia sub Regiæ suæ Coronæ plusquam materna gubernatione, sub paludamenti Imperialis gloriosâ protectione tuetur, atque conseruat, inque intima suæ pietatis viscera recondit, speciem quandam venustissimam Mali Punici nobis ob oculos proponit, ostéditque reuera se Matrem pulchræ dilectionis, castrorumque amorum Parentem, altera manu papauer, altera Malum Punicum gestantem esse, Matrem inquam, amplissimo charitatis sinu, mortales omnes complectentem, eisque vitam, vim, vigoremque tribuentem, eosque ab omnibus cæli, aerisque iniurijs defendentem.

M. Regina coronata Malogranatum quoddã præsefert.

102. Hanc Virginis Deiparæ plusquã maternam charitateque plenissimã protectionem experta est non semel olim Constantinopolis, dum ipsius honori à Constantino Magno dicata, in eodem propagãdo studiosa extitit. Cùm enim, vt scribit Theophanes in Annalibus Græcorum Anno 672. tempore Constãtini Pogonati Imperatoris, Saraceni ingenti exercitu sedem illam Orientalis Imperij assiduis prælijs ab Aprili mense ad Septembrem vsque expugnare tẽtassent, & Cyzici tandem hyemassent, vt proximo vere eam adorirentur, idq; per septennium factitassent, irrito conatu, magnâ cum ignominiâ, amissâ innumerabili bellatorum multitudine, *Diuina, Deique Genitricis ope*, vt ait Theophanes, *cum ingenti mœrore, recedere compulsi sunt*. Rursus Anno 717. Imperante Leone Isaurico nondum Iconoclasta, ab eisdẽ Saracenis Constantinopolis triennij, arctâ obsidione vexata est, sed iterum, auxilio Deiparæ præpotenti liberata; quin etiam duæ Saracenorum classes, quarum altera ex Aegypto, altera ex Africa annonam obsidenti exercitui conuectabat, malè perierunt. *Tunc enim Deo cooperante*, vt idem loquitur Theophanes, *per intercessionem intemeratę Dei Genitricis Marię protinus submersi sunt inimici, & nostri, assumptis spolijs, & expensis eorum, atque annona cum gaudio reuersi sunt*. Vnde Saraceni partim fame, ac peste, partim Bulgarorum gladijs, partim denique horrificâ maris tempestate deleti sunt.

Constantinopolis sępe à Virgine contra hostium insidias protecta.

103. Quæ omnia Cardinalis Baronius To. 9. Ann. An. 717. Imagini sanctissimę Dei Genitricis, per mœnia vrbis, Solenni ritu circumgestatæ attribuit, colligitque id ex Epistola Gregorij II. Summi Pontificis, Epistolâ ad Germanum tunc Patriarcham Constantinopolitanum, quæ lecta fuit in secunda Synodo Nicęna Actione 4. vbi de sanctorum Imaginum agens cultu, ac veneratione, gloriosam Virginem cum Iuditha Bethuliæ protectrice conferens, sic loquitur: *Propugnatricis illius Sanctæ, & omnium Christianorum Dominæ miranda facta, quæ in te declarata sunt, per quæ tu quoque contra hostes seruatus, non sunt reticenda. Illi enim cum insaniâ multa tumultuarentur tantum inuenerunt in se aduersitatis hostilis quantũ eorũ causa iniustitiæ habuit. Neque hoc tamen mirandum est. Nam si Bethulia per manus Iudith Israelitis mulieris seruata est, cuius opus Holofernis erat sublatio, & ob id, per ea tempora salus Israelis vocata est, quomodo non oportebat, & tuã sanctitatẽ huiusmodi Propugnatrice vtẽtem, hostibus Ciuitatis pręualere, ipsãq; victoria coronare.* Sic ille.

Per Imaginẽ B.V. per mœnia piè circũ gestatam Constantinopolis ab hostibus liberata.

M. Propugnatrix sancta, & omnium Christianorum Domina.

104. Addit porrò Vincentius Belluac. libr. 23. spec. Histor. c. 27. Iconem illam fuisse vnam ex ijs, quas S. Euãgelista Lucas depinxit, *quæ cũ magna pietate per vrbis*

Imago Constantinopoli circumportata, fuit vna ex illis, quas S. Lucas pinxit.

mœnia circumferretur, à Ciuibus ieiunantibus, pugnantibus, & in hunc modum orantibus: Sancta Dei Genitrix, quæ toties nos liberasti, libera nos modo de inimicis Filii tui, & in mari merge illos; adeo illustris victoria reportata est.

Oratio Ciuium Constantinopolitan. ad B. V. dum à Saracenis obsidentur.

Hinc Beda venerabilis ad finem libri de sex ætatibus, Vrbis illius celeberrimæ victorias omnes, cum eodem Theophane triumphatrici Virgini attribuere nō dubitauit: *Experimento*, inquiens, *didicerunt Saraceni, quia DEVS, & sanctissima Virgo Dei Mater Maria hanc muniūt Vrbem.* Prosequitur deinde Theophanes, describitque, qua ratione Deiparæ supplicatione apud filium, id effecerit vt hostium classis, maris horrificâ tempestate iactata, intreierit: *Ad hæc*, inquiēs, *Saraceni, qui ex obsedione superfuerant cū multa confusione 18. kal. Augusti reuersi sunt. Cùm autem nauigaret classis eorum, tempestas à Deo per intercessionē Dei Matris incumbens in illos, hos dispersit, & alios quidem eorum penes Proconcessum, & reliquas Insulas; alios verò in vertigines, & cæteras demersit in æquore. Super residuas verò cum transiissent Aegeum pelagus, extemplo grando ignea descendens aquam maris ebullire fecit, & pice liquefacta, naues simul cum hominibus inductæ sunt in profundum, decem solis ex eis saluatis, ad Dei magnalia, quæ ī ipsis facta sunt, nobis & Arabibus annuncianda: quinque enim à nostratibus captę sunt, quinque verò saluæ in Syriam deductę sunt.*

Cōstantinopolis omnes victoriæ à Beda Triumphatrici Virgini attribuuntur.

Per intercessionem B. V. contra Saracenorū classem fugientē concitata tēpestas totam dissipauit.

105. Illud porrò æuiternâ memoria circa hanc tam gloriosam victoriam intercessione B. V. obtentam, dignum est, quod in Basilij Imperatoris Menologio die 15. Augusti habetur *Saracenorum supremum Principem soluta obsidione, Vrbis ingrediendæ, ac videndæ sibi fieri potestatem postulasse, ac impetrasse, eumque per portam Bosphori equo insidentem, ingressum ibique occulta quadam vi detentum, ita vt progredi, quātumuis equum calcaribus vrgeret, non valuerit. In hoc conatu sursum in portam subiatis oculis Iconem Dei Genitricis totius Vrbis Patronæ conspicatur, simulque illi impijssimæ occurrunt blasphemię, quas in illam velut Ciuium auxiliatricem, tempore obsidionis iactauerat; vnde à cæpto desistens reuertitur, tandemque in mari Aegeo ab ignifera cum suis procella demersus, ac consumptus, eorum impietatem, perfidiam, arrogantiamque, vlciscente Deipara, interijt.*

Saracenorum Princeps in Porta Constantinopolis consistēs occulta vi B. V. ingredi prohibetur, ob blasphemias in illam iactatas.

Quis quæso hæc attentius secum considerans non clarè pronunciet Constātinopolim, dum Romanæ Sedi reuerentiam, obedientiamque detulit, dum Spiritus Sancti purissimi Deiparæ Sponsi Diuinitatem, & à Patre simul ac filio processionem confessa est, ad instar malo granati, ac papaueris Regiâ, Virgineâque coronâ, ac paludamento protecti, in manibus, imo sinu quodāmodo huiusce pulchrę dilectionis Parentis, gestatā, omnibus Christianæ fidei hostib⁹ vndiq; circumiacentibus euasisse formidabilē?

106. Euasit etiam patrocinio Deiparæ hostibus formidabile Oppidum illud à Ciuitate Aurelianensi non longè dissitum, Aue nominatum, de quo scribit Syluanus Razzius Camaldul. libro 3. Miracul. B. V. cap. 10. Hoc in loco antiquitus in honorem B. V. ædificatum fuit Templum, ad quod illius loci incolæ in omnibus suis necessitatibus recurrebāt. Contigit aliquando, vt ab hostibus arctè obsiderentur, Vnde suis proprijs diffisi viribus, & de sola Patronæ suæ protectione confidentes, vnanimiter omnes magni, & parui, viri simul ac mulieres, Iuuenes, ac Senes ad Templum Virginis, tanquam ad Asylum, tāquam ad tutum refugium confugere, & ante eius Iconē humillimè prostrati magna lacrymarū vi profusâ, sese totos cum suis familijs, oppidoque vniuerso sese Deiparæ animitus commendarunt: Simulque eamdē Iconem Templo magna cum reuerentiâ extulerunt, & supra portam Oppidi tāquam validissimum Clypeum collocarunt. Hoc in loco in defensionem ciuiū Imago hæc moratur, quidam è Ciuibus audacior, ac magnanimior Icone illa vsus pro Clypeo, seseque illa contegens, accepto Arcu sagittisque, magnam stragem in hostium castris, assiduè iaculando, faciebat. Hoc cum non nemo ex hostibus animaduertisset, mox in eum sagittam mittendo, aiebat: Scelelte iam iā tibi occumbendum est, nec te Imago hęc tua ab interitu liberabit, nisi reseratis portis, nos in oppidum intromittas. Et mox tenso arcu sagittam in illum immisit, quam B. Virginis Imago, sublato ac eleuato genu (rem admirandam) auertit, ictumque elusit, sibique deuotum clientulum à præsentissimo interitu liberauit. Qui sese à Virgine benignissima adeo mirabiliter protectum animaduertens, telum in blasphemum illum contorquens, eundem confecit. His animaduersis prodigijs, totis hostium castris conclamatum est, Dei Matrem pro ciuibus illis depugnare, proinde viri totius exercitus principales pacem postularunt, qua obtentâ, ad Templum illud Protectricem veneraturi Virginem accurrerunt, eamque magnis muneribus placauere, pollicentes se nunquam ciuibus illis in posterum nocituros, sed semper amicitiam culturos. Hęc Imago Virgi-

B. V. Imago oppidum ab hostibus obsessum protegit.

Hostes B. V. protectione agnoscentes pacem postulant, & ad eiusdem Templum eā honoraturi confluunt.

ginea in hodiernum vsque diem in sacra ille æde visitur, simulque facies illa hostilis, cui sese Dei Mater, dum ille iacularetur, opposuit. Longum foret alias etiam Vrbes, ac oppida, quibus B. V. cōtra suos hostes, in auxilium venit commemorare. Vnde nō immerito B. Ephrē Syrus illam tanquam firmissimum Præsidium ac propugnaculum Christianitatis, & in omnibus periculis defensionem ita salutauit ser. de Deipara. *Aue Vallum fidelium, & mundi Salus, Aue nostra periclitantium Auxiliatrix.*

B. V. Christianitatis Vallum, & in periculis defensio.

107. Vere Virgo nostra vera est nostra in periculis nostris Auxiliatrix, magna nobis pietate atque charitate aduenięs; quam sanę dum tam promptè opportunèque ad nostrum auxilium venientem, ac subuenientem contemplamur dicere verè possumus hanc pulchræ dilectionis Matrem merito iuxta ethymologiam M. Tullij lib. 2. de Natura Deorum, Venerem, à veniendo, miserijsque nostris subueniendo dici posse. Sic enim ille: Quod autem Dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominauerunt. Verè Diua hęc rebus nostris afflictis ac miseris, propensissima pietate subleuandis, aduenies, est MARIA, quæ adeo in mortalium miserijs depellendis expedita est, vt subinde etiam non inuocata ad nos solandos, illuminandosque veniat. Vnde Baptista Mantuanus libr. 1. Parthen; eius in pangendis laudibus auxilium implorans, agnoscensque eam inuocatam, ad opitulandum venire, sic eandem alloquitur:

Tu mihi Diua faue, cęlum cui militat omne,
Quam trepidant Erebi sedes, cui terra, fretumque
Vota, precesque ferunt, nostro tu sola labori
Sis præsens, operique tuo largita futuro
Pręsidium, nostrę veniens, illabere menti.
Tu licet à nostro spatijs ingentibus orbe
Disiungere, suos quantum polus eleuat ignes;
Non tamen humanos casus oblita, tuumque
Nil pertęsa genus, vigili mortalia curâ
Suscipis, & lacrymę tangunt tua pectora nostrę.

Idem Mātuanus orat ad Virg. pro auertenda peste eam venustissimam castissimamque illam Diuam ad nos à malis omnibus pestiferaq; lue tutandos veniētem agnoscens sic illi modulatus est;

Tu quoscunque vides duros incurrere casus
Seu terris fortuna minax, seu sæuiat alto,
Cùm tua confugiant ad dulcia Numina, semper
Non secus ac natos indulgentissima Mater
Suscipis, & placidis miseros complecteris vlnis

Et paucis intercalatis:

Ergo fatiscentem, tanto sub pondere cymbam
Alma Parens miserare, manus extende, tuorum
Sume patrocinium, nostrisque occurre periclis,
Eripe ab interitu populum tua signa sequentem,
Nec sine fidentes tibi tali occumbere fato.

108. Et licet optandum vehementer nobis est, vt Diua hæc Venustissima Virgo Deipara in actionibus nostris omnibus, in periculis, calamitatibus, atque aduersis omnibus nobis veniat, in postremâ tamen illa vitæ nostræ catastrophe vel maximè, quo facilem, suauemque nobis ex hac peregrinatione decessum à dilectissimo suo filio impetrare non dedignetur. Exoranda proinde est summopere, ac votis omnibus solicitanda vt in tremendo illo mortis articulo ad nos læta veniat, & in particulari illo Iudicio, quod mox atque anima à corpore separata est, peragitur, benigna nobis assistat, & quemadmodum Diua illa Martis furorem, vt ait Natalis Comes libr. 7. Mytholog. cap. 2. infringit, sic illa tremendi, sempiternique Iudicis iram iustissimam aduersus peccatores mitiget, suorumque deuotorum animas, gratiâ, fauoreque suo, veluti aureo quodā vehiculo in cælestem patriā subuehat; siquidem has ita illa æstimat, vtpote preciosissimo sui filij redemptas sanguine, vt suis ipsamet manibus easdem ad tribunal filij mirâ pietate, charitateque deportet.

109. Quod experiri promeritus est S. Radbodus Episcopus, de quo Fasti Mariani 19. Nouembris ita loquūtur: Illud indubium est ad decumbentem Virginū Reginam, Sanctâ hinc Theclâ, illinc Agnete stipatā venisse, eam ob causam, vt ipsa aiebat, quod in precibus suis Radbodus nunquam non memor Virginis fuisset. Et vero qui Matris obliuisci filius posset? Certè obliuisci filiorum Mater hæc nō potest. Quod si ob memoriam Deiparæ in præcibus suis Radbodus tantam fælicitatem promeritus est, vt Dei Mater ad moribundum adueniret, quanto magis ad illos veniet, qui maioribus longè obsequijs, vt ieiunijs, cilicijs, flagellis, aliarumque virtutum exercitijs eam sibi deuinxerunt?

110. Felices proinde, ac terque quaterque beati, qui sub hoc Virgineo sydere nati sunt, seseque ipsius obsequijs, à teneris annis addixere. Impossibile enim penę est, moraliter loquendo, vt homines huiusmodi infæliciter ex hac vita decedant, suæque salutis discrimen adeant. *Ipsa enim seruorum suorum animas*, vt loquitur Richar. à S. Laur. libr. 2. part. 1. *de corporibus exeuntes protegit, ab incur-*
su

su aerarum potestatum, quibus est terribilis vt castrorum acies ordinata, vti sæpe in eius miraculis legitur. Fugiunt enim qui oderunt nos, à facie eius, & ipsa exsurgente in adiutorium nostrum, dissipantur inimici eius, & nostri. Custodit enim exemplo Filij animas seruorum suorū, & de manu peccatoris liberabit eos, Vnde Sap. 10. bene dicitur: Eos qui se amant à doloribus conseruabit. Proinde Sapienter hortatur Salomon Prou. 4. Ne dimittas eam, & custodiet te, dilige eam, & seruabit te. Seruabit inquam à Tartareis illis Tenebrionibus, & tanquam fulgentissimus Lucifer in cordibus, mentibusque nostris orietur, nobisque in caliginosa illâ, ac formidabili horâ serenissima illa sua consolationum cælestium plenissimâ facie affulgescet, nosque ingentibus cæli gaudijs perfundet, & à formidanda illa ira sempiterni Iudicis, quem cæli columnæ contremiscunt, pijssimè liberabit. Denique in nobis Vaticinium illud Iobi benignitate huius, Virginis in mortis hora ad nos venientis verificabitur: *Cum te consumptū putaueris, orieris vt Lucifer:* de interna illa animi sui venustate, gratiæque plenitudine nobiscum communicando, vt hoscé ipsius decorati ornamētis refulgeamus, sicut splendor firmamenti, & velut stellæ in Diademate eius, in perpetuas æternitates.

Fugiunt Dæmones à facie B.V.

M. eos, qui illam amant in morte à doloribus præseruabit.

111. Exoriri visus est vt Lucifer aduenïente ad ipsum Virgineo hoc Lucifero in die consumptionis, siue resolutionis suæ B. Felix Ordinis Seraphici, Capuccinorum illustre Sydus, qui cum pius admodum, vt litteræ illorum Annuæ testantur Ann. 1587. num. 52. *in Virginem Deiparam fuerit, & tanta religione veneraretur, vt sæpe dicere soleret, se sex tantum literas didicisse; quarum quinque rubræ essent, quibus quinque vulnerum Domini meditationem; sexta vero Alba, quæ B. Virginis cultum, ac venerationē indicabat; In hac ergo erga B.V. pietate ad extremum vsque spiritum perseuerauit, licet enim in postrema ægritudine varijs Cacodæmonis appeteretur insidijs, oppugnaretur machinis, & acerbissimis morbi cruciaretur doloribus, nihilominus sacris sibi consuetis de IESV, & Mariæ amore cantiunculis modulandis, animum recreabat suum.* Hæc siquidem subinde concinere totus Diuino amore colliquescens, auditus est:

B. Fælicis Capuccini fælix mors ex consolatione B.V.

IESV IESV amor meus
Quid moraris? cor meum tolle
Idque nunc, aut in æternum
Nunquam mihi restitue.

Imo cum Medicus illi nunciaret de vita eius iam esse conclamatum, ardentissimis ad cælum anhelans desiderijs, tantâ profundi cæpit animi voluptate, vt quam altius poterat vocem efferens; *Deo gratias, Deo gratias*, exclamauit; ac deinceps totus animo in DEVM absorptus videretur, & rerum omnium oblitus, suas cantiunculas mira animi securitate, ac lætitiâ mutiret, adeo vt de illo dici possit, quod de S. Malachia olim scripsit Bernardus: *Video hominem seuerum in morte, & necdum mortuum, securum de vita.* Inter hæc cordis sui tripudia, cum acceptis ritè magno pietatis sensu sacramētis, post per aliquam captatam quietem, in qua obdormiscere suauiter videbatur, è vestigio euigilans, manus repente in cælum extendit, nouas vultu hilaritatem præseferens, *O, O, O*, iucundissimè exclamat, velut, qui gratissimo alicuius aduentu, & aspectu lætatur. Hoc modo dum, cum diutius hæc lætitiæ signa ederet, infirmorum Præses, sacro quodam horrore perculsus, protinus in genua procumbit, quidque cæleste speƈtet, eumdem interrogat; mox ille diuina illa voluptate ebrius, præter morem, quo cælestia visa silentio semper tegere solebat respondit: *En gloriosam Deiparam præsentem cerno; cerno quoque Angelorū millia, quæ hunc locum illustrant.* Tum protinus ait: *Claude fili, claude cellæ fores. nec ita multo post addidit: Egredere fili, ac paulisper hinc pedem effer. Paruit infirmarius, & liberum Dei seruo ad cælestes delicias animo hauriendas locum reliquit. Ab hoc tempore porro quod vsque ad obitum intercessit, quasdam Virgini Beatissimæ cantiunculas, quibus illius priuilegia continebantur suauiter decantans, iter has paulatim lumina ad mortis somnum claudens, æternum victurus ad DEVM fæliciter eius anima emigrauit. Quæ à corpore resoluta, cælo, velut Lucifer siue stella matutina exoriri visa est, quam eius gloriam corpus exanime declarauit, caro n. ipsius, quæ tum suapte natura, tum ætate, assiduisque ieiunijs ac maceratione aspera, ac cinericij coloris euaserat, repente mollis, & candida, perinde ac si teneri pueri esset, apparuit; atque ipsius corporis membra ad pertraƈtantium arbitrium, ita in omnem partem fleƈtebantur, vt non mortui, sed viuentis potius censeri potuissent. Pedes ipsi, qui prius pleni rimis, luto & frigore indurauerant, vt lignei potius quam carnei viderentur, rimis omnibus occlusis, tam admirabilem repente lenitatem, ac molliciem cælitus sunt sortiti, vt iam immortalis gloriæ dotem adepti viderentur.* En vt Virgo benignissima, in hora mortis ad nos veniens, & vt stella matutina suis clientulis exoriés de gloriæ suæ hunc etiam eorum corpora quodammodo participent.

B V. morientem B. Fælicem in visit.

112. Aduenit quoque Diua hæc pulchræ

chræ dilectionis Mater alteri cuidam in portis mortis constituto de quo Syluanus Razzius lib 2. Mirac. B.V. c. 24. Erat hic cuiusdam Curionis famulus surdus ac mutus. Huic cum de eius vita iā fuisset conclamatū, Virgo gloriosissima sese ei visendam exhibuit, ad eumque benignè veniens, eumque salutans: *Saluet te*, inquit, *IESVS Christus meus*. qua auditâ Deiparæ salutatione, mox distinctè loqui cœpit. Monuit inde, vt ascito ad se Sacerdote per exomologesin peccata expiaret; sanctissimumque Christi filij sui Corpus sumeret, inde oleo sacro delibutus ad pugnam sese contra Tartareos hostes obarmaret, futurum enim breui, vt eum ad æternam illam requiem illi iā pridem præparatam sit deductum. Quæ omnia cum ille iuxta mandatū Dei Matris ritè peregisset, & inter communicādum loqueretur, omnes, qui aderant vehementer admirati sunt, simulque huius loquelæ causam sciscitati. Quibus ille respondit, venisse ad se B. Virginem eumque magna beneuolentiæ significatione visitasse, suisque iussis loquelam tribuisse. Quibus auditis quæsierunt, an aliquod vnquā obsequium Virgini exhibuisset? Hic ille nec quidem quid esset obsequium se scire subintulit; *Obseruasse se Dominum suum Parochum singulis Sabbatis ieiunasse, eumque simpliciter imitatum. quæ vbi fideliter relata fuissent Parocho, vera illum dixisse, asseruit.* Quod cum circumstantes audijssent, omnes mira lætitia perfusi laudauerunt DEVM, eiusque sacratissimam Matrem, quæ nunquam de se confidentes, atque honorātes puraque mente sibi seruientes deserit, sed potius in præsentissimis mortis periculis, alijsque miserijs opem allatura summa cum benignitate venit.

B.V. visitat hominem in morte, qui Sabbato ieiunabat, eius loquelam restituit, tum beatā patriā promittit.

113. Idem Syluanus Mirac. 25. refert Religiosum quēdam ambitionis studiosum fauore cuiusdam Regis opimā Abbatiam fuisse consecutum, in eaque vitam admodum reprehensibilem, varijs vitijs irretitum, duxisse. Illud vnicum in eo laude dignum erat quod Dei Matrem amaret, eiusque cultui, honorique esset addictus, & tribus per hebdomadam vicibus deuotè in eius honorem Missæ sacrificium ipsi persolueret. Hic igitur cum in lethalem morbum incidisset præteritorum criminum conscientia exterritus, Confessarium ad se asciuit, animumque suum omni criminum labe emaculauit. Verum cum ante actæ vitæ scelera menti obuersarentur, eumque nimium quātum adhuc cruciarent, ita vt nec animi nec corporis quietum sese hac illacque in lecto volutando, vllam reperiret, ob pœnarum, quas sciebat se commeritum esse, formidinem, ac horrorem. Quare circumstātes obsecrauit, vt pro se communem Dominum deprecarentur. Dum illi Litanias recitant, & Diuæ Matris omniumq; sanctorum auxilium implorant, obmutuit infirmus, mansitque quasi mortuo similis. Verum non ita multo post patrocinio Deiparæ, quæ illi in auxilium venerat, respirauit, & in lacrymas effusus, sublatis in cælum manibus, in voces illas pijssimas erupit; *O' Virgo Maria ago tibi gratias, quod me ab æterna damnatione liberaueris, quam promerebar; in quā certo certius inuidissem si effucissima tua misericordia, ac pietas mihi præsto non fuisset. Domina mea rursus tibi quam maximas immensasque refero gratias, quod hodie pro me dilectissimum filium tuum interpellare dignata sis, mihique obtinueris gratiam, meque in spem veniæ reduxeris, effecerisque vt serenata conscientia Corpori Dominico dignè cōmunicare possim. Itaque allato venerabili Eucharistiæ Sacramento, alta voce, magno pietatis sensu fassus est illud verè corpus esse Dominicum, quod susceptū fuit ex Virgine, & pro peccatoribus in Ara crucis immolatum.* Post communionem curauit substerni ciliciū, & paulo post totus hilaris exspirauit, & venienti ad se Virgini quā tam piè inuocauerat, animam suā in eius manus tradidit, quam illa accepit, inque locum salutis deduxit. En vt Diuina Virgo hæc pulchræ dilectionis Mater etiam ob modica obsequia, magnis peccatoribus saluandis in auxilium veniat.

Religiosus ambitiosus in hora mortis desperās à B.V. in spē erigitur.

114. Vnde hanc Virginis in hora mortis nostræ ad nos venientis effusissimam agnoscens pietatem B. Germanus Archiep. Constant. ora. de Zona, sic eam vt in tanta tribulatione nobis assistat est allocutus. *In aduentu filij tui clementissimi Dei nostri cum assistemus omnes iudicandi, tu quæso, vt maternam habens fiduciam, maximamque potestatem, valida illa manu tua, ab æterno igne nos eripiens, fac vt sempiterna consequamur bona, & vigilius, & benignitate hoc præstante, qui à te genitus est IESVS Christus Dominus noster.* Quare præclarè lib. 6. Stel. P. 1. c. 3. Virgini deuotissimus Pelbartus: *Aduerte*, inquit, *ò Anima deuota, quam pulchra quā grata sit Maria Mater Domini IESV. O' quam felices, qui eam facie ad faciem intuentur! O' quam miseri sunt, qui eius visionem per peccatū amittunt! Nam vt Anselmus ait: Pulchra est Maria ad intuendum, amabilis ad conregnandum, delectabilis ad videndum. Summa enim lætitia post Deum est eam intueri, & in eius laudibus delectari. O' igitur ter beati omnes sancti in cælo, beati* qui-

B.V orāda vt cū stabimus ante thronū Iudicis abeo iudicandi, nobis adsit.

M. in hora mortis pulchra est nobis ad intuendum.

Sācti in cælo beati ob visionem Dei, humanitatis Christi, & Virginis eius Matris cuius pulchritudinē sol, & Luna mirantur.

quidem, ob visionem Diuinitatis; beati ob visionem Humanitatis Christi, in quem desiderāt Angeli prospicere. Verè denique beati ob visionem Mariæ, cuius pulchritudinem Sol, Luna, omnesq; creaturæ ac sancti admirantur, ac laudant, encomium illud Iudithæ c. 15. concinentes: Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Sic ille. Beati fuerimus, & nos, si Lucifer hic Virgineus inter opacam illam vmbram mortis, ex hac vita decedentibus nobis affulserit, ac solem illum æternum iustitiæ, diemque perennem immortalitatis mox ad futuram nunciauerit. Gaudia sanè beatæ patriæ nunquam terminanda visa Virgine degustabimus, implebitur os nostrum iubilo, inebriabimur ab vbertate domus Dei, & torrente eius voluptatis potabimur, atque in tantis mortis horroribus, vitæ illius beatissimæ delicias prælibabimus. Vnde Marcus Marulus Vrbis Spalatensis tam pietate, quam litteris, ac nobilitate generis illustre decus libr. 6. de Discipl. viu. c. 15. de varijs beatorum loquens gaudijs præclarè differens pro suo ardentissimo in Deiparam affectu sapienter pronunciauit: *quam iucundum erit sacram B. Virginis micātemque faciem cernere! quæ pulchrior est Luna, fulgentior sole, cuius decorem Angeli mirantur, sancti obstupescunt, vt ique honorant. Hæc est cęli Regina stellis coronata, sole amicta, super omnes mulieres benedicta. Hęc est Dei Mater, & tamen Virgo. Ipsum genuit, per quem facta fuit, imo per quem facta sunt omnia. Hęc est Virga de radice Iesse, de qua flos ascendit Christus. Hęc Terra, quæ germinauit mundi Saluatorem. Hęc porta clausa, per quam nō apertam Dominus DEVS Israel ingressus est. Huius virtus, huius gloria talis est in cælo vt ordinatę castrorum aciei comparetur; quod sane partim ad ipsam, partim ad comitatum ipsius aptè accommodatèque referre possumus. Ad ipsam; quia nihil ita compositum est, ita ordinatum, ita omni fortitudine, omni bonitate, omni gratiâ plenum. Ad Comitatum, quia Virgines Virgini assistunt, seruiunt Sancti, Angeli quoque ancillantur, & ipsa innixa super Dilectum suum omnibus præsidet, prę omnibus conspicitur sublimis, quoniam sublimissimus est, qui de ipsa nasci dignatus est.* Sic Marulus. Ex quibus colligimus perfacile quanta lętitia, quanta gloria perfundendus quantaque securitate stabiliendus sit eius animus, qui de hac vita migraturus Deiparam Virginem Angelicis choris Virginum, Sanctorumque cuneis stipatam intueri, ab eaque visitari dignus habebitur. Huic sanè lōgè fęlicius ac benignius, in illa tenebricosa mortis horâ Sydus hoc quam Luciferi affulgescet, animamque illam miris cæli splendoribus irradiabit, corque in DEVM viuum exultās, mirificis, liquidissimisque Paradisi delicijs perfundet. Quos omnes Virgineæ gratiæ fauores se obtenturum absq; dubio sperabat Senior Andronicus Imperator, vt narrat Nicephorus, & Gregoras; cum sibi mortem instare animaduerteret, ac propter intempestam noctem neminem reperiret, qui sibi Diuina mysteria impertiretur, pro salute animę suę cum multis lacrymis, & genuflexionibus Deo supplicauit, ac deinde sacram Dei Genitricis Imaginem, quam in sinu gestabat, loco diuinorum mysteriorum in os inseruit, sperans precibus eius apud filium, eam se quasi gratiam obtenturum, quam participatione Sacramentorum fuissent consecuturus. Fęlix omnino, ac terque quaterque beatus, qui cum aliud Viaticum in tam difficili, ac periculoso ad æternitatem itinere, ac transitu habere non potuerit, spem suam ac fiduciam in Dei Matrem, Matrem misericordiæ, tanta cum pietate collocauit.

M. gloria Ierusalem, lętitia Israel, honorificentia populi nostri.

Quam magna sit nobis gloria ac gaudium in cælis videre Mariam.

Insignes B. V. laudes.

Andronicus Imperator moriens B. V. Imaginē, cum cōmunionē habere non posset, in os inseruit.



D I-



DISCVRSVS XLII.

Quod Virgo Deipara Planetæ Mercurij nonnullas proprietates repræsentet.

1.



Varij varias Planetæ huius nobilissimi descripsere qualitates atque encomia, vti videre est apud Natalē Comitem lib. 5. Mytholog. cap. 5. Pauca nonnulla hic commemorasse sufficiat. Illud sanè inter plurima Planetæ huius elogia videtur memorabile, quod Mercurius Patrem, cælum ipsum, Matrem verò Diem habuisse perhibeatur. Quod si ad Virginem Deiparam hoc transferamus, mirificam sane ipsius dignitatem nobis indicat. Verè enim sanctissimus Deiparæ nostræ Parens Ioachim cęlum quoddam serenissimum, vti etiam illum S. Vincentius appellauit, ob eminentissimam sanctimoniam, vitęque puritatem, ob rerum terrenarum cōtemptum, quo omnibus terris, humanisque rebus altior esse videbatur. Cælum hoc, Virginem tanquā lucem clarissimā, ad orbē illuminandum produxit. Verè sanctiss. Anna Mater eius dies est clarissima, ob gratiæ, quam ipso suo nomine præsefert splendorem. Quemadmodum enim Dies nobis in primi stellā matutinam noctis caliginem abigentem, tum Solem hunc pulcherrimum orbem vniuersum irradiantem, calefacientem, ac fœcundantem aduehit, sic Anna Beatissima lucidissimam hanc stellam, atque Virgineum hunc solem, luce gratiæ suæ, tenebras ignorantiæ animarum nostrarum peccatorumque fugantem caloreq; charitatis suæ mētes, animosque mortalium fouētem, virtutibus demum suis fecunditatem syluescenti mundo attulit.

Mercurii Parens fuit Cælum, Mater verò Dies.

S. Ioachimus à S. Vincētio Cęlū dicitur.

S. Anna velut Dies stellam, & Solē Mariam mūdo peperit.

2. Inter reliqua porrò Planetæ huius elogia, singularesque proprietates illæ sunt memorabiles, quas Bernardinus Bustius Part. 11. Marial. serm. 2. commemorat; dum Cælum Mercurij inuitans Deiparam ad superos ascendentem, vt in eo permaneret, hisce ferè verbis introducit: *O' benedicta Virgo tu nosti quod Mercurius appellatur Sapientiæ, atque eloquētiæ DEVS, eisque, qui sub eius nascuntur horoscopo Sapientiam, atque eloquentiam, Ptolomeo teste, communicat. Mercurius citu: est suo velocissimo motu, diciturque Deorum cursor. Semper cum sole graditur, & nunc ante solem, nunc post Solem, & nunc iuxta solem inuenitur. Tu verò es omnium sapientissima, atque eloquentissima. Vnde ob tuam facundiam dixit tibi cęlestis Spōsus Cant. 2. Sonet vox tua in auribus meis. vox enim tua dulcis. Tu quoque citissima, & admodum festina es in peccatorum auxilio, ac subuentione, quibus miserta, soli iustitiæ semper associaris, & nunc ante illum genua flectis, ipsumque pro eis deprecaris, nunc post illum vadens ei persuades, vt parcat, nunc illi assidens rogas, vt eosdem illuminet. Illi denique semper amoris, charitatisque consortio indissolubiliter sociaris, adeo vt ei dicere possis: Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. De his Virginei huius Planetæ proprietatibus dicendum breuiter, ac in primis de celeritate in succurrendo mortalibus.

Cęlum Mercurij quomodo B. V. ad cæl:s tendentem inuitauerit.

B. V. Sapientior, ac eloquentior ipso Mercurio.

3. Ferunt Poetæ Mercurij huius tantā esse in Diuinis imperijs hac illacque perferendis solicitudinem, vt dies, noctesque quaqua versus cursitans, volitansque, nullo vnquam tempore conquiescat. Hanc ob causam ipsius galero, humerisq; alas, pedibus talaria addidere. Vnde Virg. Aenei. 4. sic illum descripsit.

Mercurii in Deorū iussis exequendis celeritas.

Ille Patris magni parere parabat
Imperio, & primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, siue æquora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Parem imo excellentiorem celeritatem S. Amadeus Lausan. Episcopus Hom. 8. de laud B. V. reperit in Deipara dum solicitudinem, amoremque eius, quo in tollendis, tam animi quam corporis nostri miserijs vtitur expendens, ei non celeritatem Mercurij, sed beatissimorum illorum Spirituum qui ab ardore charitatis nomen inuenere imperceptibilem humanæ menti velocitatem senis alis additam, attribuit: cuius testimonium cum alias memorauerim, hic adscribere prætermitto.

4. Ob hanc in nobis succurrendo velocitatem charitate plenissimam, crediderim Deiparam Aquilæ illi grandi magnarum alarum apud Ezechielem à S. Bernardino Senensi comparari. Sic Dauid Saulem, & Ionatham 2. Reg. 1. Aquilis velociores appellat. Eandem crediderim ob causam à sponso in Canticis columbæ, à Richardo de S. Laur. vnicæ Phœnici, alijsque auibus confertur. Inter quadrupedes similiter confertur ceruæ, Damulæ, ac capreæ. Sic Asael Heros fortissimus vocatus est à Dauide velocissimus, quasi vnus de capreis 2. Reg. 2. Inter Arbores ob celeritatem hanc confertur à plerisque SS. Patribus Virgæ Aaronis Num. 17. quæ simul, ac semel fronduit, floruit, amygdalarumque dulcissimum fructũ produxit. Amygdalus enim sicut vigilantiæ sic, & celeritatis est symbolum. Arbor enim hæc ante cæteras omnes floret. Vnde Virgam illam quam conspexit vigilantem Ieremias, alij vertere *amygdalinam*; alij *festinantem*. Verè enim Virgo Virga vigilans ad instar Argi mille oculis ad nostram custodiam, tutelamque excubat, & ad nostras tollendas miserias, veluti quidam Mercurius, additis alis, talaribusque, festinat, Virgam Vigilantem agnouit S. Bonauentura Psalm. 121. dum canebat: *Custodi nos Domina Virgo Maria ne peccatorum laqueo capiamur. Non dormit, neque dormiet pupilla oculi tui, vt tua semper custodia protegemur.* Inter pisces denique Virgo sacratissima ac in humanum genus pientissima, Delphino confertur vt Discursu 21. memoraui. Delphinum siquidem celeritatis esse symbolum eruditi censuere. Vnde vetus diuerbium: *In virtute esto Delphinus*. Verè Virgo in virtute charitatis ac misericordiæ erga mortales vniuersos ac præsertim peculiari ratione, in peccatores, velocissimus quidam Delphinus extitit, Quod agnoscens Venerabilis Richard. à S. Laur. libro 4. sic eam cum pio quodam Poeta alloquitur:

Festina miseris misereri Virgo beata,
Nam te, si recolis, miseri fecere beatam
Ergo bea miseros, quorum te causa beauit.

Velocitatem hanc Virginis in adiuuandis peccatoribus admiratus Sponsus dicebat Cant. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* Vbi Guilelmus Abbas: *Non pernicitate pedum, sed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem.* Tanto enim, tamque prompto charitatis, ac commiserationis affectu in peccatoribus adiuuandis Virgo ferebatur, vt ipsos cælestis sponsi oculos, mentemque in admirationem rapere videretur.

B.V. Aquila velocior in nobis iuuandis.

Amygdalus vigilantiæ, & celeritatis symbolum.

B.V. ad peccatores iuuãdos celerrimus est Delphinus.

B.V. non pernicitate pedum, sed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem.

B.V. prõpto suo miserationis affectu cælestis sposi oculos in admirationem rapiebat.

5. Ostendit Virgo celeritatem hanc, alatum Mercurium longè excedentem, cum æterno illo Concepto Verbo, Impulsa denique Spiritu S. qui in eam superuenerat, abijt in montana cum festinatione ad salutandam Elisabeth, purgandumque ab originalis peccati labe Ioannem. Verè increatum illud Verbũ Mens illa æterni Patris, quæ immota manens, dat cuncta moueri, de qua verè cũ Claudiano multo aptius, absque comparatione concinere possemus;

Non ita solicitæ mentis discurrit acumen.

Verè denique, Virgini increatum illud Verbum in purissimo eius vtero requiescens, vt & Spiritus S. eam obumbrans, geminæ, eæque velocissimæ extitere Alę. Quam ob causam, & Australi vento hic Spiritus diuinissimus à sponsa assimilatur; *Veni Auster perfla hortum meum.* Vento enim quid velocius. Vnde Sylius, velocissimum equum describens cecinit:

Callaius Lampon, ventos post terga relinquens.

Hinc Sap. 7. in æternæ Sapientiæ Matre *Spiritus mobilis, qui capit omnes Spiritus,* esse dicitur, quod non modo Spiritus Sancti dona, quæ oculis apud Zachariam conferuntur, quorum imperceptibilis propemodum est discursus, in se recondat; verumetiam quod omnium ventorum in se celeritatem comprehendat. De eadẽ dicitur, *Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia, attingit autem vbique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quędam charitatis omnipotentis Dei syncera,* Vbi Diuinæ charitati mobilitas, ac celeritas Virginis videtur comparari, quæ momento temporis totum obiectum, ad quod se extendit, illuminat, vt quotidię in solis irradiatione euaditmanifestum. Hinc Rich. promptissimã ad nobis opitulandũ virginis charitatẽ collaudãs, intervaria epitheta, vocat illã *Mobilem: Mobilis, inquiens fuit, non tarda, non pigra, non torpida, sed velox, mouens, & promouens, Vnde Concepto Saluatore ascendit in Montana cum festinatione, fugit cum Filio in Aegyptum ad præceptum Angeli. Vnde designatur per ferculum Salomonis, quia omni agilitate, & feruore animi, ad qualibet bona exercitia, secundum beneplacitum diuinæ voluntatis se circumferebat.* Sic ille. His itaque binis pernicibus alis instructa, quid mirum si Planetam Mercurij, celeritate infinitis parasangis superarit? De hac Virginis in nobis adiuuandis promptitudine tam prima parte, quam huius secundę varijs in locis actũ. Ad alias Mercurij pprietates veniamus.

6. Ferunt varij vt videre est apud Natalem

Spiritus S. ab velocitatẽ vento australi cõparatus.

Spiritus S. Spiritus mobilis vincens omnes Spũs.

Dona Spiritus S oculis comparantur, quia imperceptibili momento circũferuntur.

Celeritas B. V. solis claritati, quæ momento temporis orbem illuminat, confertur.

B.V. Ferculũ Salomonis.

talem Comitem libro 5. Mythol. cap. 5. Mercurium Lyram, testitudinemque inuenisse, hominesque efferatos, ac barbaros Musicis concentibus, varijsque Religionis institutis, ac cælorum, astrorumque cognitione, variorumque denique sacrorum ritibus, ac Vaticinijs ad humaniorem, mansuetioremque vitam reuocasse. Vnde Horatius lib. 1. Carminum Ode 10.

Mercurius Lyræ ac testudinis inuentor, qui ille barbaros ac feros hominum mores têperauit.

Mercuri facunde nepos Athlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, ac decoræ
More palestræ.
Te canam magni Iouis, & Deorum
Nuntium, curuæque Lyræ Parentem

Quæ omnia, & alia nonnulla ipsius ministeria copiosius explicat Marullus l. 2. dum ad eum facta apostrophe, sic illi modulatur:

O'potens Vatum, geminique mundi
Mercuri interpres Pater, vnde primum
Fluxit, & neruis honor, & decoræ
Copia linguæ.
Arte dum blandâ populos recentes
Cæde deterres solitâ, suisque
Prouidos syluis meliora tandem
Quærere suasos;
Inque crescentes facis ire muros
Marmor ad vocem citharæ bicornis
Dulce subsultim tremuli insecuta
Pollicis ictum.
Nam quid & leges positas, & aeris
Ingeni commenta loquar benigna?
Quæis sine in cassum steterant relictis
Oppida syluis.
Tu procellosa vagus hospes alno
Adriæ cunis freta, tu remotos
Gadibus Seras, gelidisque donas
Bactra Britannis.
Quique vel penna trepidis vel extis
Doctus euentura videre, quique
Fluctibus solers, numerosque vasta
Ponit arenæ.
Siué quis Gratâ nitidus palestâ
Barbaræ miratus opes oliuæ
Vara Pisæo redeunte nudat
Brachia lustro.
Siué quis cura meliore fęlix
Aethera, atque ipsas animo capaci
Concipit stellas, positusque cęlo, &
Nomina dicit.

7. Quæ sane omnia longè aptius Deiparæ conuenire in confesso est, vt discursu facto per singula clarius enitescet. Nã in primis cicuratio illa, ac mansuefactio efferatarum, ac barbararum gentium, ac nationum toto terrarum orbe, ac præsertim in mundo nouo in Brasilia, India, Iaponia, Sinis, Aethiopia, Regno Peruano, Insulis Philippinis, alijsque innumeris trucibus efferatisque populis, cui potissimum adscribenda est, quam Deiparæ, cuius auspicij Lusitani, vti supra memoratum Regna illa, nationesque tanta fælicitate, ac celeritate adiere, easdemque domuere, vt merito cum illo gloriosissimo Cæsare Austriaco Carolo V. de Germania, deque Catholicæ Religionis perduellibus triumphante dicere possent: *Veni, vidi, sed DEVS, eiusque Mater vicit. Vicit*, inquam, *illa suis fidelissimis, calentissimisque apud filium interpellationibus ac patrocinijs.* Illius, nimirum sunt verba illa Cant. 7. 11. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea.* Quâ charitatis sane plenissimâ inuitatione pientissima Virgo ostendere voluit solicitudinem, ac velocitatem, qua non modo pro barbarie syluescentibus mitigandis, cicurandisque gentilibus, verumetiã conuertendis Hebræis, alijsque reducendis ad filium peccatoribus, cęterisque nobilioribus membris Ecclesiæ conseruandis vsa est. Vnde verba illa sponsæ accuratius librans Venerabilis Abbas Guilelmus: *Pergit*, inquit, *pia Mater filium alloqui: Surge tu, & quia ego semper tecum, surgamus, & hoc mane, id est, maturius, dum nascentis Ecclesiæ mane est, dum adhuc in suis primordijs est. Mane surgamus ad vineas in gentibus plantandas, & excolendas, vesperi reuersuri ad vineam illam Domini Sabbaoth domum Israel, quæ nunc degenerauit, atque elanguit. Propterea nõ putetur, neque fodiatur, & nubibus tuis, idest, Apostolis manda dilecte mi, ne pluant super eam imbrem vsque ad tempus, sed conuertantur ad gentes. Conuersę igitur ad gentes Nubes tuæ ibi pluant, ibi fructuosè prædicent. Atque ita mane surgamus ad vineas, Ecclesias per orbem plantandas, atque excolendas, quæ in vnam magnam Vineam, idest, Ecclesiam Catholicam redigantur. Et cum hæc magna Vinea per orbem terrarum plantata fuerit ac propagata, videamus si floruit Vinea, & cet. Tuum est videre hęc, & tamen dixi, videamus: quia ego semper tecum, & sequar te, ò Agne quocunque ieris. Floret Vinea, idest Ecclesia, in inchoantibus; flores eius fructus parturiunt, in proficientibus. Tuum verò est vtrumque videre, idest approbare, in beneplacito tuo, sed multo magis flores malorum Punicorum, idest, decus, & deuotionem Martyrum, propter te proprio cruore rubentium. Ibi dabo tibi Vbera mea, idest, in Ecclesia gentium dabo tibi, quæ, & in Ecclesia Iudæorum olim tibi dedi vbera mea. Verè apud Iudæos dedi tibi vbera corporalia ad pascẽdum*

Lusitanorũ fælicitas in nouo orbe subiugando.

B. V. ardẽtissimus animarũ zelus.

B. V. solicitudo pro conuertendis Gentilibus & Hebræis.

Nubes sunt Apostoli, qui pluunt verbum prædicationis.

B. V. Ecclesiã gentium vberibus suis pascit.

te. Porrò in Ecclesia gentium dabo tibi Vbera mea spiritualia, ad pascendos tuos; Spiritualiter enim pascam paruulos tuos lacte maternæ pietatis, quæ te olim paui lacte corporali pro veritate carnis. Denique pro eo, quòd tibi sum Mater spiritualis, materna charitate quasi proprios parturiens filios, donec plenius formeris in eis, materna ibidem cura nutriens eos, donec vsque in virum perfectum grandescas in eis. Totum autem hoc faciam, eos tibi assiduè commendando, & augmenta gratiarum eis, pijs à te precibus impetrando.

Quomodo B.V. gentibus sit Mater spiritualis suis vberibus nutricudo.

8. Eandem illam Virginis benignissimæ inuitationem expendens Rupertus Tuitiensis Abb libr. 6. in Cant. docet in primis sponsum propositum habuisse discedendi à suis ciuibus quando dixit; *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua, & hoc dicto; Transiens per medium illorum ibat; significans vtique transiturum se à suis ciuibus, & egressurum in agrum, & commoraturum in villis. Itaque concordans sponsa proposito Dei: Veni, inquit, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, vt videlicet, qui erant agrestes, fiant domestici, qui erant villani, fiant ciues, & domestici Dei, & demum iuxta Propheticum Oraculum: Lætetur deserta, & inuia, & exultet solitudo, & floreat quasi lilium, germinans germinet, & exultet lætabunda, & laudans, & gloria Libani detur ei, gloria, inquam, hæc, vt videant gloriam Domini, & decorem Dei nostri, cuius visione indignus se Libanus, id est populus Iudaicus, fecit repellendo Verbum Dei; illuc egrediamur, ibi commoremur, & ibi commorantes manè surgamus ad vineas, sine dubio iam illic nostra cōmoratione fructificantes. Ibi dabo tibi vbera mea, nutriendo scilicet multitudinem filiorum, quos in nouam infantiam fœcunda tibi pariet gratia.*

B.V. pia sollicitudo pro Ecclesia, vt eam visitet.

9. Audiamus, & pientissimum in Virginem Ioannem Cardinalem Halgrinū, qui in illam inuitationem sponsi sic meditatus est. *In his verbis*, inquiens, *ostēdit Mater sollicitudinem, quam gerit pro Ecclesia, quæ dare, scilicet sollicitet filium, vt eam visitet, profectusque videat, quatenus quod minus est, visitando compleat. Egrediamur igitur, visitemus illos, qui sunt in agro, & vomere prædicationis humanorum cordium terrā scindant. Veni commoremur in villis, facientes māsionem apud illos, qui habitantes in vnum, per dilectionem, vno iure viuant. Surgamus mane ad vineas plantandas in fide, videamus si vinea floruit, per boni operis exordium, si flores fructus parturiunt, per boni exordij complementū. Videamus si floruerunt mala Punica, quorum flos rubet desiderium imitandi Dominicam passionem demonstrat. Et subdit Domina: Ibi dabo tibi vbera mea, vt gustes interpellationes meas pro Ecclesia, quæ procedunt de vberibus meis, de pietate, & misericordia mea.*

Vbera B.V. sent pietas & misericordia.

10. Amplitudinem hanc Virgineæ charitatis tam in gentiles quā Hebræos, aliosque homines diuersarum nationum contemplans Richardus à S. Laur. lib. 4. de laud. B. V. eiusdemq; charitatis proprietates, ac laudes fat prolixè celebrās: *Larga*, inquit, *& ampla est eius charitas, quia omnia, quæ Dei sunt, & dilexit, & diligit, Saracenos, Iudæos, Christianos, sed aliter tamen atque aliter. Vnde, & omnibus generibus hominum illud Pauli videtur dicere Philipp. 1. Testis est mihi DEVS, quomodo vos omnes cupiam in visceribus IESV Christi filij mei. Affectuosa quoque est, & tenera eadem ipsius charitas. Tenerrimè enim, affectuosèque afficitur erga ea, quæ Dei sunt. Vnde legitur inter cætera dixisse Theophilo, se multum diligere genus christianorum, maximèque eos, qui recta fide, puraque conscientiâ ad templa eius concurrunt.* Cū igitur largissima, atque effusissima Virginis charitas tenerrimè, atq; affectuosissimè afficitur ad omnia, quæ Dei sunt, afficietur sanè etiam erga syluescentes, barbarieque efferatas gentes, vtpotè quarum animabus Diuina imago expressa est.

Ampla est charitas B. qui omnes diligit Saracenos, Iudæos Christianos est.

11. Vnde tenerrimè huiusce suæ charitatis fructum in animabus conuertendis ostendere volens sponso, prosequitur, inquiens: *Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma noua, & vetera, dilecte mi seruaui tibi.* Cum enim, Cassidoro teste, Mandragoræ radix similitudinem humani corporis habeat, rectè per mandragoras homines designātur, tam Gentiles, quam Hebræi, qui velut mandragoræ ante baptismum etiam corporaliter fœtebant, at verò postquam B. Virginis precibus, atque intercessione ad fidem conuersi sunt, velut mandragoræ dederunt odorem suum. Hinc Columella libr. 10. Mandragoram semihominem vocitauit:

Mandragora similitudinē humani corporis habet.

Mandragoræ Hebræos, & Gentiles significat, qui ante baptismum fœtebāt, sed postea dederūt odorem suū.

Quamuis semihominis vesano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores.

Audiendus hic S. Ambros. in Psalm. 118. ser. 9. *Plerique*, inquit ille, *discernunt quendam inter Mandragoras sexum, vt & mares putent esse, & fœminas, sed fœminas grauis odoris. Significat ergo gentes, quæ ante fœtebant, cum essent infirmiores, eiurata quadam imbecillitate perfidiæ, boni odoris fructus ferre cœpisse, postquam in aduentum Domini crediderunt.*

Inter mandragoras masculinus, & fœmininus sexus.

12. Denique Mandrogoræ, quia frigus, torporem, tarditatem, & somnum, insensibilitatemque quandam inducūt, (vnde cortex eius vino mixtus bibendus ijs dabatur, qui secandi vel torquēdi

di erant, vt sensus doloris in illis obtunderetur:) notant tardos, somnolentos, negligentes suæ salutis quales prius Gétiles, atque etiam Hebræi dura ceruice in perfidiæ suæ tenebris profundissimoque somno iacentes extitere. Qui dum, ope Virginis nostræ benignissimæ, torporem, somnumque illum peccatorum perfidiæque excutiunt, dicuntur mandrogoræ, quasi post somnum hyemis, in vere experrectæ dedisse odorem suum. Quod sanè aptissimè attribuitur Iudęis, atque Gentilibus, qui tardè ac sero in fine videlicet mundi, tandem auxilio potissimùm Deiparæ, deposita ferocia mansuescent, & ad fidem Religionemque Christi conuertentur, atque ita longas suæ tarditatis, ac Soporis moras abrumpent, & diligentiæ, feruorisque suauem, acremque dabunt odorem ac fragrantiam. Vnde subdit: *Omnia poma noua, & vetera seruaui tibi.* Vetera enim sunt veteres Christiani, noua sunt noui, puta veteres Iudæi, per prædicationem Eliæ in fine mundi ante extremi Iudicij diem innouandi, atque conuertendi, vt describit S. Ioannes in Apoc. 11. Vt porrò hæc Iudæorum conuersio, patrocinio, ac exhortatione interna, veluti viuâ, ac fulguranti voce potissimum Deiparæ facienda demonstraretur, rectè S. Apostolus v. 19. scribit Virgineam hanc in cælis cóparuisse Arcam, tanquam exhortatricé peccatorum, ac Infidelium ad conuersionem: *Et apertum est*, inquiens, *Templum Dei in cælo, & visa est Arca testamenti eius in Templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus.*

Poma vetera sunt antiqui Christiani, noua sunt veteres Iudæi ac Gétiles.

13. Poma hæc noua porrò crediderim noui orbis denotare Christianos; Nouus enim hic mundus à Christophoro Columbo inuentus, continens Peruanos, Mesicanos, Braxilos, &c. est dimidium totius Orbis, vt patet ex globo Cosmographico. *Quare ipse est in Portis, id est, in limitibus, & finibus terræ olim cognitę; Siue vt interpretatur Iarrhius apud Delrium, in promptu, seu ad manum. Nam planè ante annos centum quadraginta fuit incognitus, nec quidquam de Christo eousque audierat.* Iam verò per Diuorum Dominici, ac Francisci, ac minimæ huiuscé nostræ Societatis filios, auspicijs gloriosissimæ Deiparæ, tanquam propitiæ maris tam spatiosi, ac immensi stellæ, totus pene subiacet Ecclesiæ. Sic in India Orientali, hoc sæculo, & præcedenti mirè per eosdem, eiusdem patrocinio B. Virginis propagatur fides apud Iapones, vbi plurimi pro fide certant vsque ad Martyria lentorum ignium apud Sinenses, Molucenses, Ceilanos. Sane Thomas Bozius Tomo 1. signo 20. vnum Virum illum Sáctissimum, strenuissimumque Christi Athletam Fráciscum Xauerium plura apud Indos accumulasse Ecclesiæ Christianorum millia quam Lutherum, cum suis asseclis, & totus septentrio abstulerit, asseuerauit.

Poma noua notant noui Mundi Christianos.

Nouus Mundus est dimidium totius orbis.

Plures in Indiis Xauerius animas conuertit, quam in toto septentrione Lutherus cũ suis peruertit.

14. Quod si Aethiopiam, siue spatiosissimum illud Præto Ioannis Imperiũ, cũ suo Imperatore, & proceribus, quod per Societatem IESV subdidit se Romanæ Ecclesiæ, ab eaque Patriarcham accepit Anno Domini 1628. consideremus, perspiciemus sane Virginem Sanctissimam alia Poma noua in portis, id est, in promptu, siue ad manum habuisse, eaque suo dilectissimo obtulisse Filio, cui pomum dulcissimum, cibum deliciosissimum, tot millium animarum salutem esse nouerat; quo non solum filius, verumetiam ipsa Mater, summis cũ delicijs vescebatur. Vnde sibi mutuo animarum salutem, earũdemque zelum, tãquam sapidissimum quoddam ferculum, proponebant, quod ipsi non modo auidè comedebant, verumetiam ab earumdem animarum zelo, vt ita dicam comedebantur, ac quodammodo consumebantur.

B. V. salutem animarum noui orbis tanquã pomum nouũ ac dulcissimũ proponit filio.

15. Quod insigniter Gen. 30. 14. figuratum fuit in Rubem Liæ primogenito, de quo ita Sacer loquitur textus: *Egressus autem Rubem tempore messis triticeę in agrum reperit Mandragoras, quas Matri Liæ detulit;* dixitque Rachel: *Da mihi partem de Mandragoris filij tui.* Quæ verba, sicut & sponsæ considerans Guilelmus Abbas transfert ad variam cognitionem, quam habuere homines de Christo, vt erat homo, & vt erat DEVS. Quia cum eum purum hominem esse arbitrabantur, nullum odorem Mandragoræ reddere visæ sunt; at verò cum eũ simul Deum agnouere, suauissimum eædem Mandragoræ exhalarunt. Mandragoræ igitur odorem exhalantes, aut non exhalãtes homines fideles, infidelesque sunt. *Sic primogenitus Mariæ IESVS*, inquit ille, *post 30. ætatis suę annos, quibus putabatur filius Ioseph, egressus in publicum, & hoc tempore acceptabili, & die salutis, quasi tempore triticeæ messis: (egrediebatur quippe operaturus salutem in medio terrę:) egressus in agrum vomere legis excultum, Hebraicum videlicet populum, singularis fragrantiæ Mandragoras reperit, in eo, quod Dei filius esse innotuit. Vnde cum ait Philippus Nathanaeli: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus IESVM filium Ioseph à Nazareth; non dum planè inuenerat Mandragoras,*

Quando Discipuli in Christo inuenerunt Mandragoras, & quando non?

goras, in Philippo, & Nathanaele. vnde & filius Ioseph vocatur. Quærit ergo Mandragoras, pro quibus vtique quæredis in agrum iam egressus erat. Quærit, inquam, eas dicens Nathanaeli: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Tum ille: Rabbi, inquit, tu es filius Dei, tu es Rex Israel. Hic planè suauissimi odoris Mandragoras reperit. Quærebat item Mandragoras, cum discipulis aiebat: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt, alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Nihil adhuc Mandragorarum est, nihil fragrat. Quærit ergo eas diligentius dicens: Vos autem, quem me esse dicitis? Tunc Petrus: Tu es, inquit, Christus filius Dei viui. Hic plane repertis Mandragoris, Dominus IESVS, earum delectatus odore, respondit Petro: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Similiter cum illuminato à se cæco dicebat: Tu credis in filium Dei? Ioan. 9. quærebat mandragoras, quas & inuenit, ipso statim respondente: Credo Domine; & procidente ad adorandum eum, tanquam filium Dei. Domi ergo non inuenit Mandragoras per 30. annos, quibus putabatur esse filius Ioseph; sed egressus in agrum reperit, quia verbo, & signis foris patratis, quod esset Dei filius quantum, & quibus voluit, intimauit. Porrò has summi odoris Mandragoras foris repertas piæ Matri pius filius detulit, quia declaratio Maiestatis eius, ad Matrem eximiè redundauit. Quandiu enim filius Ioseph putabatur, ipsa quoque nihil putabatur aliud quam vxor fabri, & puri hominis Mater. At vbi claruit Diuinitas filij, Matris quoque Virginitas declarata est; atque eo ipso, quodfilius eius agnitus est Dominus gloriæ, prorsus quicquid inglorium, vel minus gloriosum in ea videbatur, euacuatum est, absumptum est. Itaque pia Mater Mandragoris filij sui fragrat in odorem suauissimum omnibus sæculis. Sed & nos de Mandragoris filij eius, pro modulo nostro accipimus, vt quod Adæ filijs valdè gloriosum est, filij Dei nominemur, & simus. Et quoniam participatio, propter quam filij Dei appellamur, eiusdem piæ Matris meritis nobis augetur, cum summa deuotione illi dicendum est: Da nobis partem de Mandragoris filij tui. Quod vtique toties illi dicimus, quoties eam nobis deuotis conciliamus obsequijs, vt pro nobis, apud filium meritorum vbertate suorum interuenire dignetur. Et notandum, quia Mandragoræ filij eius primum odorem dederunt in angulis, deinde in portis; Siquidem fama dignitatis eius primo paucos attigit, deinde Apostolis prædicantibus, publicè fragrauit. Cùm fragrarent Mandragoræ illæ in portis, alijs quidem dabant odorem mortis in mortem, alijs verò odorem vitæ in vitam. Quippe vnde vitaliter vegetabantur electi, inde mortaliter scandalizabantur reprobi. Denique pia Mater cum dixisset ad filium; Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, idest migremus ad gentes, & desertis Iudæis, maneamus apud eas, vsque ad tempus; rationem egrediendi subnexuit: Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. Q.D. Egrediendum est nobis, & migrandum ad gentes, quia iam satis prædicatus es in populo Iudæorum, præsertim cum odorem Mandragorarum tuarum, quasi grauem, ac pestiferum, pestiferè à se repellant, nec patiuntur audire famam Diuinitatis tuæ, dum grauiter vruntur scandalo crucis tuæ. Sic Guilelmus.

Declaratio Maiestatis Christi in Matrem eximiè redundauit.

Vbi claruit Diuinitas Christi, Virginitas B.V. declarata est.

B.V. intercedit apud filium pro gentilibus, vt conuertantur.

16. Quanto porro cum animarum zelo egressa fuerit in agrum gentilitatis ad infideles conuertendos misericordiæ Mater pluribus declarari posset exēplis, vnicum breuitatis amore, de quodā Pagano Cocinēsi commemorasse sufficiat. de hoc in Historia societ. Part. 3. lib. 5. n. 248. ita scribitur: Paganus erat genere nobilis, quem Patres nostri per se, perque communium amicorum consilia, ac preces conati sæpe à falso cultu auertere, scopulum verberarant. Sed die Sancti Iacobi ita euenit, vt Christianos circa vrbem inuisens Catechista Sacerdos cū socio ad eum diuerteret, perque humaniter acceptus precaretur, vt tādem aliquando respiceret se, atque obedientem veritati præberet. Cui Ethnicus non vt ante consueuerat tergiuersans, & pertinax, sed mirâ alacritate respondit: Nihil amplius in se recusationis futurum: proxima enim nocte augusta specie visam sibi Reginam, quam ex frequenti cum Christianis vsu, etiam ipse Dominam nostram appellabat, eamque talibus ad se verbis loquutam: *Crastino matutino Christianus Sacerdos hac iter habebit: tu quidquid ille auctor erit, facesse.* Ergo quoniam *vultis*, inquit, *me Christianum fieri, en ego præsto sum, me, & omnem pariter domum meam facite Christianam.* Ita post paulo lætus cū suis in Collegio ad salutarem fontē accessit. En vt Virgo pientissima benignitate sua admirabili durum hunc efferatumque barbarum pauculis verbis, velut lucis stellatæ radijs, illuminauit, & ad fidem Christianam pertraxit.

B.V. Pagano nocte apparet, eumque ad Christi fidem suscipiendum hortatur.

17. Vt porro magis, ac magis idem hic Virgineus animarum amor, studium, ac industria, qua in syluescente, ac efferatâ cicurandâ gentilitate vsa est Deipara nostra, nobis magis elucescat, Mandragoræ, quam Pythagoras antropomorphon, i. homini similem appellauit, naturam penitius consideremus, vt ita pulcherrimam culturam, aliaque varia gratiarum ornamenta quæ Virgo Gentili-

tati

Mandragoræ poma odorata, & suauia. tati contulit, perspiciamus. Pona, itaque, Mandragorarum in primis, sunt admodum odorata, ac suauia, vt post Dioscoridem fatetur S. Augustinus lib. 22 cont. Faust. ca. 56. *Vnde Cassiodorus Mandragoram vocat herbam aromaticam. Deinde sunt aspectu pulchra ac delectabilia, atque optimi odoris in similitudinem Pomi Matiani, quod nostri Terræ Malum vocant, ait idem Casiodorus. addit præterea; Hæc Herba est rebus medicinalibus aptissima, ferunt enim eos, qui incommodo vigiliarum laborant, haustu huius poni reuelari, & posse dormire.* Idem haustus stuporem quendam hominis in membra inducit, vt etiā si vratur, aut incidatur, & reddatur quasi insensibilis. Dioscorides, & alij amatorium quid, siue philtrum huic herbæ inesse censuere. Ad hæc nauseam stomachi compescit. Denique sterilitatem auertit. Quę omnia Gentilitas, tanquam vera Mandragora, à Christo in syluescente agro noui orbis inuenta, Matrique dilectissimę ad cicurandum, erudiendumque oblata, in se expressit.

Mandragora herba aromatica.

Mandragora rebus medicinalibus aptissima.

Haustus Mandragoræ sōnū conciliat.

Gentilitas noui orbis ad Christum B. V. patrocinio conuersa bonum odorem ad hunc vsq; nostrum mūdum exhalauit.

18. In primis enim odorem suauissimum bonorum operum, ac exempli virtutum omnium tam copiosè exhalauit, vt eius odor ad orbem hunc nostrum sese diffuderit, eumque summam in admirationem rapuerit. Vnde suauem hunc odorem Gentilitatis, ad instar amœnissimi, varijsque florum generibus consiti horti futuram, vaticinatus est Isaias cap. 35. *Lætabitur,* inquiens, *deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans; gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* qui sunt montes Iudææ amœnissimi, atque pulcherrimi, quorum decorem, ornatumque ob infandum Deicidium abstulisse Dominus, iustissimo iudicio, ac Gentilitati contulisse, visus est.

19. Pulchra sunt, aspectuque delectabilia Mandragoræ Poma. Et quid quæso pulchrius deserto Gentilitatis, in similitudinem amœnissimi horti, exculto, præcibus patrocinioque Virginis Deiparæ? Virgo enim diuinissimæ suæ gratiæ luce, veluti stella maris eos illuminans fecit, vt Christum agnoscerent, eumque quasi præsentem intuerentur. Vnde prosequitur de eadem Gentilitate ad fidem conuersâ: *Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri, qui alius non est, quam Patris æterni, Virginisque Filius, qui humanitate nostrâ assumptâ, peculiari quadam ratione DEVS noster, pro effusissimâ suâ in nos pietate, ac misericordiâ vocitari non est dedignatus.* Hic igitur ab efferata ac syluescente Gentilitate illuminante Illuminatrice Virgine, agnitus, atque religiosissimè, in totius Septentrionis confusionem cultus, eidem Diuinam quandam contulit animorum venustatem, ita vt heroicas, imò Angelicas eorum populorum virtutes, præclarissimaque facinora audientes, aut legētes summopere admirentur, inque tam munifici Conditoris, incultam horridāque Solitudinem, in Paradisum quędam deliciarum transformatis, laudes amplissimas erumpant.

B. V. velut stella, illuminando Gentilitatem, ad agnitionem Christi produxit.

20. Pulchritudinem hanc Gentilitatis in Paradisum, adminiculante suis precibus Deiparâ, transmutatæ, miris coloribus depinxit idem ille Propheta Euāgelicus If. 41. Postquam enim summam rerum omnium egestatem, ariditatemque illius horridi, incultique deserti deplorasset v. 17. *Egeni,* inquiens, *& pauperes quærunt aquas,* baptismi videlicet, aliorūque sacramentorum siue Diuini verbi, *& non sunt, lingua eorum siti aruit:* mox subintulit; *Ego Dominus exaudiam eos, DEVS Israel non derelinquam eos. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes; ponam deserta in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum, & Spinam, & myrthum, & lignum oliuæ, ponam in desertum abietem, vlmum, & buxum simul, Vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, & Sanctus Israel creauit hoc.* Quis obsecro desertum, solitudinemque Gentilium hac tanta fontium, aquarumque vbertate redundantem, tantâ pulcherrimarum arborum varietate atque amœnitate conuestitam, venustissimum, delicijsque omnibus refertissimum Paradisum esse neget? maximè cùm benignissimus, ac liberalissimus ille Dominus, qui plantauerat Paradisum ab initio, vt dicitur Gen. 2. 8. manu suâ illum fecisse, ac creasse, ex nihilo verè ipsius indignitatis profiteatur? De pulchritudine hac, atque amœnitate à Virgine excultæ, olim Syluescentis, Gentilitatis, verè encomium illud Balaam in laudē Israelitici populi prædicatum hic vsurpare possumus Nu. 24. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua, Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.*

Gentilitatis solitudo in Paradisum per B. V. trāsmutata.

Sterilitas olim Gentilitatis quanta fuerit?

Gentilitatem Deus sua gratia ex nihilo ipsius indignitatis creauit.

21. Quid iam dicemus de Mandragoræ proprietate illa, quod sit somni conciliatiua? Hæc quoque Gentilitati mirificè congruit, illiusque rerum Diuinarū profundissimam denotat contemplationem, qua velut dulci sopita somno dicere poterat cum Sponso Cant. 5. *Ego dor-*

dormio, & cor meum vigilat. Et sanè si quis nouæ illius Ecclesiæ pietatis studia, deuotionis ardorem, arctissimamque cum Deo coniunctionem, mentisque excessus consideret, cælestis cuiuspiam mandragoræ hausisse succos gentem illam facile pronunciabit. Testis est, inter multos Michael Aycumi Indus adolescens ex Philippinis Insulis, moribus planè Angelicis, qui, vt habetur in Annuis Societ. 1609. ex eius vita, quæ ad finem illarum Annuarum habetur, precibus, quas vocales vocant à puero studuit; mentali etiam apprimè fuit deditus, præuenit namque illum Dominus in benedictionibus dulcedinis. Testaturque quidam Pater ex nostris illum singulis diebus, à 13. aut quarto ætatis anno, in more habuisse Sanctissimam Eucharistiam inuisere mane, ac vespere, vel audito sacro, vel decantato Salue Regina, non minore reuerentiâ, animique demissione, quâ perseuerantiâ, ac studio, reliquos in hoc Alumnos superans, qui, hoc prætermisso bono, domum petebant lusitantes. In ipso autem seminario præter alias sibi preces familiares, nouies quotidie B. Virgini Deiparę corollam Angelicis Salutationibus contextam, in memoriam crediderim nouem illorum mensium, quibus Dei filius in purissimo eius vtero, tanquam in florentissimo castitatis domicilio, vt cum Sancto Zenone Martyre loquar, requieuit ardentissimo pietatis affectu offerebat, donec instructior, doctiorque, mente etiam precari didicit. Et quotidie quidem eâdem qua Patres Societatis nostræ horâ, ipse quoque lectulum suum cum eisdem meditaturus deseruit, imo horam consuetam sæpiusculæ anteuertit puer. Ita tamen hæc pręferuens precandi industria à maioribus temperata fuit. vt sanctioribus tantum B. Virginis, aliorumque Sanctorum peruigilijs meditationis tempus ipsi liceret non præuertere, sed producere. Quod quidem domi fecit, & foris cum in excursionibus Patrum nostrorum frequēs esset comes, in quibus cū somnum quandoque puerulo suaderet longiorem ętas, ac defatigatio, ne forte statam precandi horam negligeret, nostrum Patrem persæpè rogauit, sibi vellicaret aurem, quod vt libentius, certiusque faceret, artificio quodam sibi monitorem obstrinxit, pollicitus toties ei, vel plura rosaria dicturum, quoties operâ illius, & vigilantiâ experge fieret. Meditationum porrò ipsius argumentum Vita fuit Christi, Virginisque Matris res gestæ, virtutesque nobilissimæ. Nec in nuda, ac sola tantarum rerum stabat admiratione, sed ea quæ animo, ac cognitione sapienter tractauit, opere deinde, vitâque ipsâ diligenter expressit. Rogatus aliquando à Patre quodam, quidnam inter precandū meditaretur? Respondit. Id ipsum quod ante duos menses in excursione illâ pro animarum salute facta, sibi Dominus concessisset precanti. Itaque eæ erant cogitationum eius reliquiæ, quæ non modo diem, aut dies, sed etiam menses festos illi possent agere. Tantis, in rebus Diuinis contemplandis assiduè innocentissimus eius animus delicijs pascebatur.

Michael Aycumi Indus adolescens orationis ac meditationis studiosus.

Michael quotidie Coronam B V. nouies in honorem 9. mēsium, quibus Christus in eius vtero delituit.

Michael quotidie cū nostris Patribus ad meditandum è lectulo surgebat.

Michael meditabatur de vita Christi, eiusdemque Matris Virginis.

22. Quid de altera Mandragoræ proprietate dicemus, qua homines ad incisiones, vstulationes insensibiles reddere consueuit? Ostendit hanc Angelicam quandam intēsibilitatem Japonica præsertim hoc nostro sęculo Gentilitas, ope Virginis, quæ Anno Domini 1614. die 23. Nouembris audito persecutoris Animam aduentu, sponte sub vexillo ligati ad columnam Saluatoris conuenit, seseque magna animi constantiâ, inuictoque robore ad acerbissima quæque toleranda pro Christi nomine supplicia sponte obtulit. Cumque omnes in carcerem vnum coniecti essent, in oratione, Sanctisque colloquijs totam illam noctem insomnem duxere: die sequenti varijs cruciatibus mactantur, quibusdam membratim articulatimque dissecantur corpora, quidam manibus pedibusque in modum globi colligati ex arboribus suspenduntur, quidam tandiu fustibus cæduntur dum spiritum exhalarent, alij cruce candenti signatis frontibus inter duas trabes acerbissimo cum dolore cōpressi, cōfractis ossibus dirè cruciantur; alijs post varios cruciatus ceruices abscinduntur, alij denique in rogum ad palum alligati, flammisque absumpti Holocaustum in odorē suauitatis sese Domino, magnâ animi gestientis lętitiâ, perinde ac si omni sensu essent destituti, obtulerunt. Inter quos Luciæ Virginis sanctissimæ mira alacritas, animique eluxit fortitudo, siquidem igne absumptis quibus alligata erat funibus, candētes carbones ad instar rubentium rosarum colligens, eosdemque capiti in modum corollæ imponens, gloriosissimam Martyrij coronam indepta est: Eadem fortitudinis planè stupenda in puerulo eluxit virtus; qui Matrem in medio crepitantium flammarum constitutam cernens globos, ad eam, lætitiâ gestiens accu-

Mandragora reddit intensibiles ad incisiones, & vstulationes.

Nouelli christiani in Iaponia varijs cruciatibus afficiuntur.

Paruulus Matrem in medio flammarum ardenti videns, in easdem se coniicit.

currit, flammisque vna cum Matre, gratissima Deo victima, absumptus est. An non hi Mandragoræ cuiuspiam succum, dum adeo sensus omnis quodammodo expertes redduntur, inque similitudinem petræ alicuius obdurantur, ebibisse visi sunt?

23. Mandragoræ succos, inter quam plurimos è nostris Patribus inclytis Iaponiæ Martyribus, qui amore Christi, incendio absumpti sunt, hausisse visus est P. Sebastianus Chimura patriâ Iapon primus è Iaponibus Sacerdotio initiatus; qui cum P. Carolo Spinola lento igne crematus est. Hic enim Pater manibus ante pectus in Crucem decussatis, oculisque in cælum sublatis, tantâ inter ignes pace, ac lætitiâ potiebatur, ac si sensum funditus perdidisset, cum tres horas steterit in ardenti rogo. Pari insensibilitate, siue constantia inter flammas substitit idem P. Carolus, qui cum socijs 23. Sacerdotibus tanquam morti vicinus Cycnus elatâ voce: *Laudate Dominum omnes gentes*, canere cæpit, carmen reliquum cãtu exequentibus socijs, alacritate magnâ vocis, vultusque, non sine lachrymis spectatorum, ad quos etiam ardentissimam, diuinique amoris flammis æstuantem habuit exhortationem. Postquam igitur ignem materiæ satellites subiecerant, qui quinque, & 20. palmorum intercapedine accendebatur, vt crudelior esset cruciatus, & paulatim per diuturniorem doloris sensum exsoluerẽtur vinculis, priusque torrerentur lentè, quam arderent; immoto corpore stabat ad palum alligatus Carolus, oculis in cęlum fixis, vbi post exigui temporis moram desideratissimis Christi amplexibus fruiturus erat, cui toto pectoris affectu, in holocaustum destinabat victimâ corporis sui, quod lenti instar pabuli iam incendio erat præparatum, quodque iã languido flammarum ardore, igni in viscera sensim penetrãte cremabatur. Durauit acerrimus ille cruciatus ignium ad duum, triumuè horarum spatium. *Primus inter socios palmam accepit Carolus, qui diutius cum incendio luctari non valebat, non ob debilitatem virium, sed quod quoddam rogi scintillæ vestem circa pectus citius corripuerint. Ergo in terram prolapsum paulatim vires destituere, ipseque perinde atque si gratias egisset pro accepta Coronæ brauio, vltimo vitę actu terram complexus, terram viuentium visurus ęternum bona Domini, gloriosissimè, constantiæque suæ inuictissimæ immarcescibilem Coronam accepturus, ingressus est. ostendens, & ipse venerase cum reliquis illis Gentilibus ad Christum conuersis Mandragoræ succos, in tantis cruciatibus, redditus quodammodo insensibilis, pleno ore potasse.*

P. Sebastiani Chimura in medio igniũ constantia.

P. Carolus in medio igniũ cantat magna alacritate vocis, ac vultus.

P. Carolus Spinola duarum aut triũ horarum spatio ignibus æstuatus oculis in cęlum defixis.

24. Eosdem Mandragoræ succos hausisse visus est P. Marcellus Mastrillus inter acerbissima tormenta, quæ illi Iaponiæ Præsides intulerunt. Nam inter naria Iaponicæ crudelitatis instrumenta hæc in illum experti sunt. Primum vrnę, in quo, suspẽsumque pedibus capite varium tenus in vrnam aqua plenam, multumque contorto fune in aerem pendẽtem dimiserunt, vt se sponte cõtorqueret. Supplicium sane atrocissimum, quia penitus animæ respirationem intercipit. Alterum supplicium est scalæ, quo supra scalam extensum altera sola manu sic alligant, vt si per cruciatus impatientiam Christo renunciare velit, sinistrâ quam liberam habebat, signum dare posset, eam pectori admouendo. Capite vero ad vltimum scalæ gradum applicito, cum pedes in vrna orandi defixissent, carnifices continuo magnam vim aquæ, quadringentos nempe cyathos ori ipsius infuderunt. quod tormentum summam ei attulit ea animæ ducẽdæ difficultatem, adeo vt feminei carnifices ipsi condolorent. Verum vbi vires parum per collegit ardens animis, & eleuato vt poterat corpore dixit: *Non esse quod terreãtur hac sua debilitate conspecta, Nam etsi Religiosus homo sit minimè nutritus in delicijs, relictos tamen sibi naturæ sensus, & affectus infirmitatis humanę; spiritu vero prompto, animoque constante se esse ad suscipienda, sufferendaque tormenta, quęcunque in se possit exequi.* Cum illi postea Præsides maiora tormenta minitarentur respondit animosè ac constanter: *Veniant supplicia, & tormenta tormentis addantur; DEVS sufferendi mihi vires præstabit. Itaque cum eum ministri in carnificinam deduxissent, vestibusque spoliassent, ferro candenti partes corporis verecundas adussere.* Quam nuditatem, atque impudentiam grauius tulit Patris modestia, pudorque Virgineus, quam ferrum & ignem. Quare voce modesta quidem, sed graui ac seuera expostulans; *Totum,* inquit, *corpus obtuli ad lanienã pro meo creatore, ac Domino, neque vllũ crudelitatis genus excuso. Cum ergo tot sint corporis membra, in quæ sęuire potestis, vt libet, quare non omittitis istas indignitates tam alienas à decore naturę humanę, quas ne barbari quidem sustinent exercere in bestias? Vbi vires aliquantulum resumpsisset mortis sententia in ipsum pronunciata est.* Huius tam felicis ac desiderati nuncij ministrum non secus accepit, quam si cælo delapsus esset: *Et à quo,* inquiebat,

Iaponũ grauissima supplicia.

Mastrilli inuictus animus ad supplicia toleranda.

Vritur ferro candenti in verendis.

Marcelli verecundia.

Mmmmmm mihi

mihi hęc gloria? Cumque exprimeretur atrocissimum genus mortis cui damnatus esset offerendę per scrobea, illud Christi Domini repetijt. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et mox vaticinatus, addidit: *Caueę quidem cruciatum, non tamen extinctum iri se dixit, magna equidem voluntate, ac voluptate pro Deo meo experiar scrobem, non tamen vitam ea, sed ferro effundam.* Vidės ergo Marcellus se tam prope finem optatum venisse, totam illam noctem cum Deo trāsegit, cui adhæsit adeo, vt omnes tā Custodęs, quam Præsides ad spectaculum aduocati, cum admiratione conspexerint sublimem in aere, lumineque circūfusum miraculo nunquam antea Barbaris illis audito, visoque. Etenim infinitas Diuinę acturus gratias Maiestati pro corona sibi parata, sic animo emicuit in cælum, vt longo tempore multum supra solum leuatus cerneretur, ac toto vndique corpore collucens, non carcerem tantum repleuerit radijs, sed extra quoque fulgur apparuerit. Tandem 14. Oct. Ann. 1637. Marcellus equo impositus, & funibus, catenisque arctè alligatus labris mordaci ferro compressis, prohibitus de nostra Sancta Religione alloqui spectatores, dextera parte capitis rasa, sinistra vero minio picta, quod summæ apud Iaponios est ignominiæ, ad gloriosissimum hoc spectaculum processit. Vbi ventum ad caueam fuit fortiter eum funibus adstrinxerunt vsque ad pectus, vt tanto diutius animam traheret in eo tormento. Hic dempto ab ore ferreo illo claustro, Pater gratias egit Presidibus quod tantum sumpserint laboris, vt se eousque comitarentur, ac dulcissimo affectu dixit: *Nunc videbitis Domini, quam magnus sit Deus, quem nos Christiani colimus, & quam preciosa vita quam speramus. Mox pedibus suspensis in caueam demittitur genuum tenus. In ea tam quietè pependit, quam si lapis esset, tam placidè, & iucundè, quam si in lecto nolli iaceret, vt mirati carnifices in suspicionem venerint ob tę mortis. At vbi deprehenderunt, eum adhuc vitam, ac spiritum ducere, percunctati sunt, aliquané re indigeat?* Respondit, *non alia, quam vt se in suo Paradiso relinquant. Vixit in hoc tormento pari quiete, & æquitate animi quatuor dies, perinde ac si Mandragoræ succos copiosè potasset, ac tandem die Sabbathi prolatis sacrosanctis Nominibus IESV, & MARIAE, capite imminutus est, tam pacato tranquilloque animo, atque si omni sensu destitutus fuisse videretur.*

Marcellus in carcere luce cælesti circūfusus à terra eleuatur.

In Scrobem aqua plenam genuum tenus suspēsis pedibus demittitur.

25. Eosdem Mandragoræ succos potasse visus est noster Frater Nicolaus Ticunanga, de quo P. Mastrillus ita ad Hispaniarum Regem inter reliqua perscripsit vt habetur in eius vita cap. 15. Hic primus fuit, in quem exercuerunt nouū, & immane genus supplicij, pedibus eum suspendendo in furca, manibus reuinctis post tergum, totoque corpore genuum tenus immittendo in fossam profundam, & vtrinque tabulis opertam, nihil interim præbentes, quo vitam sustentaret. Hoc supplicium cum quatuor diebus pertulisset, carnifices inuenerūt Sanum, & alacrem. *Rogatus, vt in tantis supplicijs tam diù potuerit viuere?* Respondit Virginem Dominam nostram sibi adstitisse, & inter alia solatia præbuisse bibendā aquam allatam e celo: nullo vero alio dolore tentatum se fuisse quā quod non daretur cernere totā Iaponiā conuersam ad veram fidem. In dictorum cōfirmationem inuentum est, magna cum admiratione, in fossa vas plenum aquā. *Sed & ipse conspectus fuerat per eos 4. dies aliquoties manibus solutis in margine fossę sedere. Denique exantlato illo tormēto, ad æternas Paradisi delicias, verum nectar, & ambrosiam, transijt. Nonné huic Diua Virgo aquam illam cęlestem subministrando, Mandragorę succos, quibus ad tam acerba supplicia exantlanda insensibilis quodammodo redditus est, porrexisse visa est?*

Nicolaus Ticunanga in suis supplicijs aqua cælesti à B.V. recreatur, & à vinculis soluitur.

26. Laudabilem hanc siue insensibilitatem, siue duriciem, ac firmitatem à Petra Christo, eiusque Matre, quę item Petra à Guerrico Abbate, vt infra ostendemus, dicitur inuictissimi illi Martyres nimium mutuati sunt. Quibus sanè mirè congruere videtur id quod mellifluus Bernardus serm. 41. in Cant. inuitationem illam exponens Sponsi: *Surge, propera amica mea, & veni in foraminibus petræ;* commentus est: *Quid, inquiens, non boni Petra? In Petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto. Securus ab hoste, fortis à casu, & hoc quoniam exaltatus à terra. Anceps est enim, & caducum terrenum omne. Conuersatio nostra in cælis est, & nec cadere, nec deijci formidamus In cælis petra, in illo firmitas, & securitas est. Petra refugium herinacijs. Et reuera vbi tuta firmaque infirmis securitas, & requies, nisi in vulneribus Saluatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur? non cado, fundatus enim sum supra firmam Petram.* Hoc idem sane Gentilitas Iaponica ad Christum conuersa, vt & illi fortissimi Athletæ Christi, dicere poterat, in Christo eiusque Matre, tanquam Petra fundati ipsi vniti, ac proindè ad tam acerba tormenta insensibiles effecti. Quare prosequitur Bernardus

nardus Martyres omnes, ad Christum Regem Martyrum cruci tam dirè affixũ respicientes petræ duriciem, soliditatemque nancisci, adeo, vt ad asperrimos quosque cruciatus obdurescant, & adamantinam quandam, nullâ vi, non ferro, non flamma labefactãdam soliditatem consequantur. Quare verbis illis sponsi: *Ostende mihi faciem tuam*, Martyres, ad eius contemplanda vulnera incitari asserit, quo, ad sua constanter perferenda animentur: *Ostende*, inquit, mihi faciem tuã. *Ad quid? Vt mihi videtur, se magis ostendere vult. Ita est, videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Non est opus ei, vt quis se ostendat, à quo nil non videtur, nec si se abscondat. Vult ergo videri, vult benignius Dux deuoti militis vultum, & oculos in sua sustolli vulnera, vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem*. Vt porrò ostẽdat Pater pijssimus, Martyrem ex hoc Crucifixi Domini aspectu reddi insensibilem, mox attexit: *Enimvero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur*. Cuius non stupidæ, sed sanctissimæ plane, ex amore atque in Christum transformatione, tãquam fonte scaturientis insensibilitatis, illico subinfert rationem: *Stat Martyr*, inquiens, *tripudians, ac triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus IESV, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis visceribus esset, scrutans ea, ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in Petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum si exul à corpore, dolores nõ sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex Petra Martyris fortitudo; inde plane potens ad bibendum calicem Domini, & calix hic inebriãs quam præclarus est! Præclarus, inquam, ac iucundus, non minus Imperatori spectanti, quam militi triumphãti. Gaudium etenim Domini fortitudo nostra*. Hactenus Bernardus.

Martyr viso Christo cruci affixo redditur quasi insensibilis.

Martyr sua vulnera non sentit, dum Christi contemplatur.

Martyres in Christũ, qui est Petra, habitantes instar Petræ obduruerũt.

27. Agnouit hanc insensibilitatem sine à sensibus alienationem, vel ipse Iãblicus Gentilis Platonicus lib. de Mysterijs cap. 24. dum eam Diuini Numinis afflatu, in ipsumque transformatione quadam fieri consueuisse, dixit: *Animi diuinitus afflati, percitique subiecerunt vitam suam penitus afflanti Deo. Ideo siue, vt vehiculum, siue vt instrumentum se subiecerint, priorem vitæ modum deposuerint, vel vitam propriã in vitam Diuinam commutauerint, vel vitam suam penitus ad DEVM agunt. Ideo neque vtũtur sensibus, neque ita vigilant, vt qui vigiles habent sensus, neque ipsi præsagiunt, vel mouentur humano quodam impetu, atque more, neque suum statum animaduertunt, neque vllam edunt cognitionem, actionemque propriam, sed totum illic agitur sub forma actioneque Diuina*. Capite vero 25. de hiscé Diuino Numine afflatis, & ab humanis sensibus penitus abstractis, ita loquitur, vt de Martyribus, Christi amore in ectasim raptis loqui videatur. *Quod autem afflati Diuinitus non viuant tunc*, inquit ille, *ipsa animali vitâ, patet, quia multi eorum admoto igne, non vruntur, ignem videlicet repellente Deo intus afflante: vel si vruntur non persentiunt, neque pungẽtia percipiunt, vel radentia, vel vlla tormenta. Item quod actiones eorum non sint humanæ constat, quoniam per inuia vadunt, per ignem ferũtur intacti, & flumina transeunt mirabiliter. Per hac patet illos non viuere vitam humanam, nec animalem sensibus impetuque vtentem, sed Diuinam, quasi anima eorum otietur, & DEVS ibi sit pro anima, moueatque tanquam excellentior anima*. Hæc Iamblicus, quibus quid quæso aptius de nostris Martyribus, qui non vitam humanam, sed diuinam quãdam in tantis cruciatibus vixisse, Deumque ipsum pro anima habuisse, ad instar petræ insensibiles redditi, visi sunt?

Insensibilitas fit Diuini Numinis afflatu & i ipsũ transformatione.

Hic Iamblicus de insensibilitate Martyrum Christi loqui videtur.

In Martyribus anima otiari videtur, & in illis Deus esse pro eadem anima.

28. Quod porrò Virgo Deipara ad fortitudinem hanc, & inter tot acerbissimos cruciatus insensibilitatem nouorum noui orbis Martyrũ cooperata suis precibus, patrocinijsque fuerit, eisdemque, tanquam Petra, de firmitate constantiâque suâ communicauerit, ex verbis B. Guerrici in Virginem pientissimi est colligere ser. 2. de Annunc. vbi interpretans vaticinium illud Isaiæ cap. 16. *Emitte Agnum Domine dominatorum terrę de Petra deserti*, docet Desertum quoddam, terramque desertam fuisse Virginem, quatenus nec fossa, nec seminata, de solo rore cæli saluatorem germinauit, & mortalibus Panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrauit. *Hæc terra*, inquiens, *quia inculta erat, videbatur esse Eremus solitudinis, sed erat Paradisus beatitudinis, Plane Hortus deliciarum Dei, eremus, cuius campi germinauerunt germen odoris. Planè desertum refertum, de quo Agnum Dominatorem terræ Pater emisit: Emitte, inquit, Agnũ Domine, de Petra deserti; Abscinde Petram de Petra, sanctum, & inuiolabilem sancta, & inuiolata proferat Virginitas. Si ergo Petra Christus, vt ait Apostolus, non degenerat à Matre filius, quando & ipsa Petræ nomine censetur. An non rectè vocatur Petra, quæ & in amore integritatis proposito firma, affectu*

B. V. noui orbis Martyribus tam quã Petra Christo similis de sua firmitate communicauit.

B. V. petra de, qua Christus est Agnus Dominator terræ.

B. V. Petra est à qua non degenerauit filius, qui ipse quoque Petra est.

solida, sensu quoque ipso aduersus illecebrã peccati tota insensibilis erat, & lapidea? An non certè Petra Virginalis integritas? quæ & nihil parit per naturam sui, & cum parit, roris virtute Diuini, nec admittens conceptum, nec emittens partum, nouit aperiri, siquidem aperiatur terra, inquit Esaias, & germinet saluatorem. Hæc Guer.

29. Ex quibus facile colligimus Virgineam hanc Petram, ac Desertum, siue solitudinem suis precibus, ac patrocinijs, syluescentem, incultamque Gentilitatem in primis in Paradisum Hortũque deliciarum Domini, deinde in petræ soliditatem, ac constantiam sibi simillimam, aduersus omnes persecutiones, sæuitiemque Tyrannorum transmutasse, & effecisse gentem illam velut suauissimam Mandragoram, cuius odore virtutis, patiendique pro Christi amore plurimi etiam huiuscé nostri orbis Christiani ad toleranda aduersa quæque excitantur, visa est, ita vt ad opprobria, contumelias, falsa testimonia, aliasque iniurias exantlandas ad instar petræ quodammodo obduruisse, ac insensibiles redditi esse videantur.

Nouus orbis dat huic nostro patientię, aliarumque virtutum exempla.

30. Eiusdem Virginis interpellatione noui orbis Gentilitas illa olim sterilis, reddita est Mandragora quædam fertilissima, ac fœcundissima, quæ non modo in se bonorum operum, virtutumque omnium insignem habet fecunditatem, verumetiam illam, suo exẽplo huic nostro orbi communicat eiusque sterilitatem depellit. De hoc sterilitatis remedio quod reperitur in Mandragora præclarè Rupertus Abbas libr. 6. in Cantic. Postquam enim dixisset: *Mandragora mala habet suaueolentia, quæ anthropomorphos appellatur, quod habeat radicem formam hominis simulantem, cuius cortex vino mixtus datur ad bibendum his, quorum corpus propter curam secandum est, vt soporati dolorem minimè sentiant.* vbi, inquam, hæc præmisisset, addidit; *Sterilibus quoque mederi fertur, vt concipiant. Mandragoræ ergo dederunt odorem suũ in portis nostris, idest experimenta præsto sunt, quod iam fieri debeat illud, quod gentilitati hactenus sterili, Spiritus Propheticus promittit; Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem, quę non parturis, &c. In portis nostris idest dũ adhuc sumus in finibus nostris, in finibus Iudaicis sentimus odorem istum.* Quam fœcunditatem mox declarat exẽplo: *Venit enim,* inquiens, *Aethiops Eunuchus adorare in Ierusalem. Act. 8. sed & tunc eramus in portis nostris, quando odorem dederũt in conspectu Domini eleemosynæ Cornelij Centurionis Act. 10.*

Mandragora sterilitatem depellit.

Gentilitas noui Orbis tanquã Mandragora huic nostro suo exemplo fœcunditatem tribuit.

Gentilitas olim sterilis velut Mandragora facta est fœcunda.

Exempla fertilitatis in Gentilitate.

31. Cum igitur Virgo inuitat Spõsum ad exeundum in agrum, eumque excolendum, ostendit se syluescentis Gentilitatis noui orbis conuertendæ potissimum, miro desiderio teneri. Cum Mandragoras odorem dedisse dicit, fructum suæ interpellationis apud filium nobis ostendit. Gentilitas enim illa in perfidiæ suæ sordibus immersa dirum fœtorem velut syluescens Mandragora exhalabat: at verò iam ad instar amœnissimi Horti exculta, suauissimum virtutum odorem toti huic orbi nostro aspirat, bonorumque operum fecunditatem, dũ eundem ad sui imitationem allicit, communicare videtur.

32. Ob piam hanc Deiparæ apud filiũ, pro conuersione Gentium solicitudinem, ac interpellationem à S. Augustino, & Ruperto Abbate libro 7. in Cant. Mater gentium appellata est. Cum enim ponderat verba illa Cant. 8. *Quis mihi det te Fratrem meum sugentem vbera Matris meæ; sic Virginem alloquitur: An non filia tua hæc est, scilicet Gẽtilitas, imitatione fidei? Si Abraham Pater gentium, & Sara Mater gentium rectè dicitur, & est, videlicet propter fidem, quãto magis tu, ò fidelissima fidelium, Mater es omnium nostrum? Dicat igitur ad Christum: Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera Matris meæ?* Sic Rupertus. Quæ sane omnia nobis luculenter declarant Deiparam gloriosissimam, ceu Mercurium precibus suis, velut canoris fidibus efferatam, syluescentemque Gentilitatem, hominesque truncis, & duro robore natos excoluisse, ac cicurasse, & in nouos, admirabili quadam metamorphosi, homines transformasse, seque verè eloquentissimum quendam Mercurium, aureis eloquij sui cathenis homines ad ciuilitatem, commune consortium, Religionemque pertrahentem exhibuisse.

B. V. Mater gentium appellata.

33. Vnde iure merito id quod Marcus Manilius lib. 1. Astronom. Mercurio cognitionis rerum cælestium, ac sacrorum, Religionisque apud Aegyptios, aliasque gentes barbaras inuentori, nos Virgini nostræ concinere possumus:

B. V. gentes barbaras Religionem Christianam docuit.

Tu Princeps Auctorque sacri Cyllenie tanti
Per te iam cælum in terris, iam sydera nota
Sublimes aperire vias, vnumque sub orbem
Et per inane suis parentia finibus astra,
Sentirentque DEVM gentes, quam maximus esset,
Qui sua disposuit per tempora, cognita vt essent
Omnibus, & mundi facies, cælumque Supernum.
Naturæque dedit vires, seque ipsa reclusit
Regales animos primum dignata mouere
Proxima tangentes rerum fastigia cælo,

Qua

Quæ domuere feras gentes Oriente sub ipso.

34. Iam ad alias Mercurij proprietates veniamus. Natalis Comes, Horatius, & Marullus aiunt, vna cum Hercule fuisse præfectum Palestræ, *quia cùm prudentissimus esset*, inquit Natalis Comes, *non mediocriter conferre ad palæstram putabatur, quoniam cum viribus vbique coniuncta debet esse prudentia*. Quod quam aptè Virgini nostræ Heroinę sapientissimæ, mulierúque fortissimæ congruat, nemo non videt. Illa enim dum in hoc mundo, velut in palæstra aduersus Mundum, carnem, Sathanamque, variaque peccata dimicamus, nos prudentiam, modos, ac rationes varias illos vincendi, ac triumphandi edocet, simulque robur, ac fortitudinem quandam subministrat, vt intrepidi aduersus tantorum hostium impetus consistamus. Agnouit Palæstritem, seu huiuscè palæstræ nostræ, ac colluctationis Præsidem esse sapientissimam, adiutricéque fortissimam S. Bonauentura dum illi Psalmo 144. ita modulatur: *Benedicta sis Domina nostra, quæ instruis seruos tuos ad prælium, & eos roboras contra inimicum. Fulgure, & coruscatione dissipa illum, mitte iacula tua vt confundas illum. Clarifica de alto manũ tuam, & cantent serui tui laudem, & gloriam tuam*. Tum modos vincendi, inuisibiles illos hostes postulat sibi subministrari, dum ita concinit: *Eleua de terrenis affectionem nostram, de sempiternis delicijs refice viscera nostra. Concupiscentiam supernorum accende in cordibus nostris, & de gaudijs Paradisi velis nos recreari.* Verè enim dum Virgo corda nostra à terrenarum rerum affectione abstrahit, gustumque cælestium deliciarum exhibet, Paradisi lætitijs nos identidem in hac colluctatione perfundendo, prudentissimum modum hostes nostros superãdi ostendit. Cupiditas siquidem futilissimarum, ac puridissimarum voluptatum, honorum, diuitiarumque dum mentem nostram allicit, abstrahitque ab amore cælestium, mox omnibus nostris hostibus præda efficimur. At verò vbi cor nostrum super terrena omnia est eleuatum, inque illa æuiterna cælestis Paradisi bona, ac gaudia est defixum, de eisdem hostibus, nullo negotio victoriã gloriosissimam reportamus. Similiter Agnouit nostri certaminis Præsidem validissimamque Adiutricem eandem Virginem, dum eam idem Seraphicus Psalmista ita deprecatur: *Eripe me Domina ab omni malo, & ab hoste inferni defende me. Contra me tetendit arcum suum, & fraude sua insidiatur mihi. Constringe vires eius malignas, & obtunde potentes astutias eius. Conuerte iniquitatem ipsius in verticem illius, & in foueam quã fecit cadat festinanter. Nos autem exultemus in seruitio tuo, & in tuis laudibus gloriemur.*

Mercurius Palæstræ Præses.

B.V. Præses nostrorum certaminum contra mundum, carnẽ, & Dæmonẽ.

B.V. cor nostrum abstrahendo à terrenis nos cũ hostibus nostris pugnare docet.

35. Agnouit quoque luctaminis nostri Præsidem esse Virginem Richardus à S. Laur. lib. 9. de laud. B.V. dum illam Paradisi fluuio Gehon, qui luctario, siue arena interpretatur, confert; *quia luctata est*, inquit, *contra mundum, per paupertatem; contra carnem*, per Virginitatem: contra Diabolum superbum, & rebellem, per obedientiam, & humilitatem, docetque nos exemplo suo luctari cõtra tres illos inimicos. Idem lib. 2. partic. 3. Præsidem luctæ nostræ Virginem agnoscens, ait eam Rebeccam illam prudentissimam esse, quæ filio suo Iacob luctatori egregio iã inde ab vtero, saluberrima consilia ad vitam æternam consequendam suggerebat; vnde illius vocem illam esse dixit Prou. 8. *Beatus homo qui audit me. Nota*, inquit ille, *quod multa sunt consilia Mariæ, quibus consulit nobis animarum salutem. Vnde Prou. 8. loquitur: Mecum est consilium, & æquitas. Ipsa est enim Rebecca, quæ filio suo Iacob dixit Genes. 27. Fili mi acquiesce consilijs meis. Et obserua, quod Rebecca Iacob, qui interpretatur Luctator, & supplantator appellauit Filium suum, non autem Esau; quia soli luctatores ac supplantatores vitiorum, filij Mariæ, sunt digni hæreditate ipsius, & soli tales possunt vocare Mariam Matrem suam. Consilia porrò Mariæ sunt. Primum vt agamus pœnitentiam, quæ in præparatione hædorum designatur, quos sibi Rebecca à filio iussit afferri, qui ita benedictionem Isaac patris sui, obediendo Matri suæ acquisiuit. Secundum vt Diabolum, qui homicida fuit ab initio volentem nos occidere, fugiamus, sicut Iacob Esau necem sibi intentantem fugiebat. Tertium vt strepitum mundi fugiamus, solitudinemque diligamus, sicut illa in cella orabat, quando Angelus ad eam ingressus est, vti docet B. Bernardus. Quartum, vt quisque in suæ professionis statu persistat, vti ipsa post votum Virginitatis emissum perstitit, cum respondit: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Quintum, vt quilibet suam voluntatem Diuinæ conformet voluntati, vti ipsa fecit, cum respondit Angelo: Ecce Ancilla Domini, cuius est velle quod Dominus eius vult. Sextum denique vt quisque, spretis terrenis, cælestia appetat, vnde concepto Domino, ascendit in montana, cum festinatione.* Mox annectit causas cur Virginis, in hac tam periculosa lucta Sapiétissimis consilijs, nos aquiescere oportet. *Debemus*, inquiens, *consilijs eius obedire, & accedere aduocantem nos, Videte ne recusetis loquentem. Et hoc duplici de causa, propter reuerentiam eius, quia Regina est, & propter periculum nostrum, quia inter Dæmones, & malos ho-*

B.V. est Fluuius Gehon qui luctatio siue arena dicitur, quia ipsa luctata est contra mundũ, &c.

B.V. Rebecca, quæ Filio suo Iacob luctatori cõsilia saluberrima suggerebat.

Soli Luctatores, & supplantatores Mundi eiusque vitiorũ Filii sunt B. Virginis.

Quænam cõsilia B.V. suis Filiis ac clientulis suggerere consueuerit.

Quas ob causas B.V. consilijs aquiescẽdũ.

homines habitamus, & viuimus in peccatis. Qui enim iustus est, ad illam debet confugere, vt dicere possit: Sub vmbra illius, quam desideraueram, sedi; vt impleatur illud Mich. 4. Sedebit vir subter vineam suam .i. securus erit per auxiliū Virginis. Peccator ad B. V. tanquā Ciuitatem refugii debet accedere. *Peccator autem ad eam, tanquam ad Ciuitatem refugij, debet accedere. Nolentibus enim ipsi obedire dictura est illud aliquando: Despexistis omne consilium meum; quod est omne bonum; ego quoque in interitu vestro ridebo Prou. 1. Debemus illi quoque reuerentiam, ne vel coram oculis eius aliquid indecens cogitare, desiderare, consentire, aut facere audeamus, ne illos misericordes oculos, qui non possunt respicere ad iniquitatem, auertat à nobis. Vnde tam Filio, quam Matri dicitur: Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Abac. 1. De ipsa, quæ verè est fortis Mulier dicitur Prouerb. 31. Considerauit semitas domus suæ. Cauendum ergo ne coram ea etiam cogitemus, nedum faciamus turpia, noxia, vel iniqua.* Cauendum nobis ne coram B V. etiā cogitemus, nedum faciamus turpia. Hæc Rich. Ex quibus infertur ipsam nostræ palæstræ, ac luctæ Præsidē, velut alterum Mercurium esse, vt nobis, oculis suis pijssimis ac omnipotentibus non modo fortitudinem, verum etiam luctandi cum astutissimis hostibus peritiam, ac prudentiam, in tantis discriminibus ad modum necessariam, suggerat.

36 Natalis Comes paulo ante citatus inter reliquas Mercurij laudes memorat, eum ab Apolline siue sole Virgam quandam energiæ adeo admirabilis plenissimam accepisse, vt si inter quoscunque quantumuis acerbissimè dissidentes, & quod aiunt cane peius, & angue, sese execrantes, esset interposita, eorundem animos nullo negotio conciliaret. Mercurius à Sole Virgam quandam pacificantem accepit. Quod & experimento comprobatum ait. Cum enim aliquando duos angues acerrimè inter sed micantes esset intuitus, moxque Virgam illam prodigiosam iniecisset, repente deposito veneno, cicurati, amicitiam inierunt. Hinc factum vt Caduceum Mercurij geminis anguibus circūuolutis insigniretur. B V Virga illi Mercurii, pacificanti similis. Huiusmodi Mercurialem Virgam iure dicere possumus esse Deiparam, quæ inter DEVM, hominesque scelere Protoplastorum, ab ipso dissidentes, facta Mediatrix, totum humanum genus ipsi reconciliauit. Quod agnoscens mellifluus Bernard. serm. de Verb. Apoc postquam æterni Iudicis, nostris sceleribus offensi seueritatē, atque indignationem descripsisset, mox hęc attexit: *Opus est mediatore ad Mediatorem istum, quia licet misericors, habet tamen Iudiciariam potestatem, nec alter nobis vtilior, quā Maria.* B.V. inter Deum, & homines mediatrix pacifica. Et paucis intercalatis: *Quodsi, vt verè sunt, plena magis omnia pietatis, & gratię, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad Mariam pertinent, inueneris, age gratias ei, qui talem tibi Mediatricem, benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectū.* Plura de hac Mediatrice pacem cū Deo hominibusque cōciliante videre qui volet, consulat eundem Bernardum ser. in Nat. B. V.

37. Ob pacem hanc inter DEVM hominesque olim cōciliandam vocata est Virgo Sulamitis, hoc est, Pacifica secundum P. Gasparis Sanchez interpretationem. B.V. vocatur Sulamitis, .i. pacifica ob pacem cum Deo, & homine compositam. Quam ob causam crediderim illam ab Augustissima Trinitate ad munus hoc pacificationis apud se agendum, verbis illis inuitatam: *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te* Cant. 1. Et filius Cant. 2. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, tanquam Mediatricis* videlicet: *vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Imo ipsa Virgo in Domino glorians se Pacificam, muneris huius tam laudabilis sibi probè conscia, appellat Cant. 8. B.V. ipsam Pacificam appellat. *Ego murus, & Vbera mea sicut Turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Quæ verba Virginis Guilelmus Abbas argutè ponderans, eandem sic alloquitur; *Sed num quid tu, ò pia Mater, nunquid tu non vna es filiarum Euę? Quid est quod tam gloriosa, tam præclara de te loqueris? Vnde tibi prerogatiua hæc? Non in me ait, sed in Domino glorior. Nihil enim habeo, quod non acceperim, vnde nec glorior, quasi non acceperim.* B.V. nomine Pacificæ non in se, sed in Domino gloriatur. *Quæritis quando talis esse cæperim, qualem me modo conspicitis? Plane talis, & tanta sum, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.*

38. Quem loquendi modum admiratus pientissimus Abbas rursus sic eandem affatur, Nomenque scire desiderat eius, quo cum nos pacificauit: *Insitatè loqueris pia Mater. Coram eo dicis, & de quo dicas non exprimis, & tamen habet Nomen.* Ad quæ respōdet Virgo non modo Nomen eius, quo cum nos pacificatura erat, verumetiam modum, quo tantum munus erat peragendum, nempe Incarnationem Verbi, in ipsius purissimo vtero, indicat: *Quid quæritis Nomen eius, quod est admirabile? Quid opus fuit exprimi, quod tam impressum est notitiæ omnium? Quis ignorat de illo loqui os meum, cui iugiter inhæret cor meū? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Ergo coram Dilecto meo, coram Deo meo facta sum quasi pacem reperiens.* B.V. adeo Dei amore accensa vt putaret omnes de ipso cogitare. *Magnum quidem inimicitiarum chaos firmatum erat olim inter Deū, & hominem, venitque Dei filius dissoluere illud & facere pacem. Venit in vterum meum assumens*

mens ibidem hostiam pacis, in ara crucis suo tãpore immolandam. Atque ideo magnum illud pacis sacramentum præ omnibus siue Angelis, siue hominibus mihi statim innotuit. Denique mox vt ex carne mea, Verbum caro factum est, inueni, & sensi me habere in vtero de Spiritu Sancto, & reperi in vtero meo quasi pacem, nondum quidem pacem, sed iam quasi pacem, idest, hostiam pacis, cuius immolatio hostiæ, plena pax. Reperi, & sensi subito in vtero meo hostiam pacis, & hoc non ex me, nam, vt hoc reperirem, excellentis gratiæ fuit. Ergo Diuinitus facta sum quasi pacem reperiens, & hoc coram eo, non coram Angelis, & hominibus. nullus enim hominum sciebat, quid in vtero meo ageretur. Nec coram Angelis erat quam suauiter ego sentirem illud, sed totus ille suauissimus, atque dulcissimus sensus meus, intus coram illo erat, de cuius vtique munere erat. Porrò ex quo sensi me in vtero habere de Spiritu S. proculdubio tantæ excellentiæ, tantę potentiæ, tantęque clementię facta sum. vt omnibus ad me confugientibus, non tantum munus sim ad muniendum, sed & Mater ad nutriendum, & talis Mater, cuius vbera sunt turris, idest cuius Materna pietas non tantum paruulos nutriet, sed etiam dum adhuc in nutrimentis sunt minus apti ad prælium, hostibus inaccessibiles faciat, cum creuerint, fiducialiter processuros in campum, non tantum carnē, & sanguinem, sed & spiritualia nequitiæ in cælestibus prouocaturos ad prælium. Hactenus Guilelmus.

B.V. virtute Spiritus S. facta quasi pacem reperiens.

B.V. murus ad nos muniendos, & Mater ad nutriendos.

39. Neque verò solùm Virgo inter DEVM, hominesque Pacifica, verumetiam pro ingenita sibi benignitate etiã inter ipsos homines extitit. Pacificationem hanc Virginis experti sunt Sancti Cyrillus, ac Chrysostomus. Scribit Nicephorus lib. 14. Histor. Ecclesf. cap. 38. Cum enim ille per errorem aliquando Chrysostomo iniquior esset, & nescio quam cum illo simultatem exerceret, ex falsa aliorum relatioue dicendo, eum ab Eudoxia iure merito in exilium pulsum, apparuit ei Deipara, & tãtum Maternâ suâ admonitione profecit, vt non modo errorem suum correxerit, verumetiam cum illo in gratiam redierit, valdeque pœnituerit, quod imprudens in eum irritatus fuisset; quam pœnitẽtiam visione quadã admirabili ei Virgo beatissima impetrauit. Vidit enim Cyrillus S. Chrysostomum in cælo plenum gloria in plurimorum Sanctorum Comitatu. Vidit insuper Deiparam pro ipso apud filium, vt ignosceret hoc peccatum Cyrillo, supplicantem. Quibus visis, mox Cyrillus S. Chrysostomum in sacrũ Episcoporum Catalogum reponendum curauit, vt refert etiam Pater Balinghen noster in Kalend. B.V. 28. Iann. Atque ita ostendit reuera Virgo nostra se Regiam Sulamitem, Pacificamque benignissimam esse non modo inter Deum ac peccatores, verumetiam inter ipsos homines.

B.V. pacificauit S. Cyrillũ & Chrysostomum inter se dissidentes.

40. Ostendit rursus Deipara Virgo, se Matrem veri Pacifici ad conciliandos hominum animos, pristinamque amicitiam resarciendam natam, ac factam, cum Regem Aragoniæ, & Raimundum Comitem S. Aegidij, acerbissimis odijs dissidentes inter se conciliauit, vt scribit S. Antoninus Archiep. Flor. 2. Part Hist. num. 17. cap. 9. §. 27. & Vincentius Belluacensis libr. 29. cap. 21. *Cum enim longo tempore inter hos magna, & irreconciliabilis dissensio perdurasset, tandem circa Annum Domini 1183. cuidam pauperi, nomine Durando DEVS apparuisse fertur in Vrbe Aniciensi, eique Imaginem Beatissimæ Virginis in throno sedentis, Puerumque IESVM vlnis gestantis cũ hac epigraphe: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi dona nobis pacem;* tradidisse. Quibus verbis Virgo benignissima apud mãsuetissimum Agnum, suum dilectissimum filium pro Viris illis Principibus, tanquã Pacifica Sulamitis, tanquam Mediatrix, & Aduocata, intercedere visa est, vt illis pacem, animorumque amicissimam cõcordiam impertiri, non dedignaretur. Vbi fama tanti percrebuit prodigij, die Assumptioni Virginis sacro, ingens populus cũ Episcopo, clero, virisque Principibus ad Aniciensem Vrbem confluxit. Mox euocatur Pauper ille tanto cælitus ditatus, dignatusque Munere, iubeturque de superiore loco quid Virginea illa Imago, quid inscriptio illa sibi vellet, edicere. Refert ille liberrimè, audacterque mandatum Dei esse, vt Magnates illi pacem, amicitiamque redintegrarent, seseque mutuo amore complectentur. *In cuius rei signum aiebat Virginis Pacificæ Mediatricis inter DEVM, & homines sibi Iconem illam diuinitus traditam, vt intelligerent, quanta demum foret pientissima Dei Matris pro illorum pace, apud filium mitissimũ Agnum interpellantis solicitudo.* Cauerent ne eorum culpa tam pia Virginis, pro ipsis apud filium interpellatio irrita caderet, curarint potius, sepositis inimicitijs omnibus, vt animi ipsorum, ac corda in vnum coalescerent. *Attentissimis animis pauperis huius exhortatio ab omnibus, ac præsertim Viris illis Principibus excepta est; quæ quantum tam apud illos, quam reliquos pondus habuerit, comprobauit euentus.* Vocem .n. ex teneritudine amoris ingentibus perfusi lacrymis efferentes, se pacem inituros,

B.V. Regem Aragoniæ cũ Raimundo Comite S. Aegidii conciliauit.

Cælitus pauperi cuidam mittitur Imago B.V. & præcipitur illi, vt viris illis Principibus pacem nunciet.

ros, ac perpetuo seruaturos promptissimè sunt polliciti, voluntatemque hanc suam post mutuos amplexus, iureiurando confirmarunt. Addit Vincētius post hoc factum exortam fuisse Cōgregationem quandam, quæ in veste alba signum quoddam, Iconem illam Virgineam, inscriptionemque repræsentans gestabat, asseritque fuisse mirabile, quod quicunque homicida habitum illum cum Deiparæ signo huiusmodi gestabat, securus reddebatur, adeo vt si fratrem alterius occidisset, frater superstes, viso illo Virginis signo, statim, morte fratris obliuioni traditâ, in osculo sancto homicidam cum lacrymis amplexabatur, inque domum propriam inducens, victui necessaria ministrabat, inquit Vincentius.

Congregatio B.V. instituta, quæ habitū gestabat illa Virginea Imagine insignitum.

Quam vim habuerit Imago illa ad pacificandos homines.

41. Ostendit etiam Virgo sacratissima Pacifica nostra Virgam quandam Mercurialem se esse pacem inter dissidētes mortales conciliantem, dum inter duos illos Cisterciēses Monachos acerbissimis criminationibus sese insectantes, de quibus Syluanus Razzius libro 1. Mirac. 35. pacem intulit: Cum enim alter eorum esset iniuriam passus, aduersario illi suo non modo omnia ex corde condonauit, verum etiam pro illo Deū instanter deprecabatur. E contra alter quo magis ille sese abijciebat, tanto magis hic sese erigebat, atque intumescebat. Quinimo ei falsum crimen imponēdo ad Abbatem eundem detulit. Quod cū ille constanter negaret, sese ad quodlibet iudicium quantumuis seuerissimū obtulit. Interea bonus hic Religiosus negotium hoc totum Deo, eiusdemque Matri maximo cum affectu commendabat. Atque vt ipsius deprecatio foret efficacior, ad Aram Diuę Virginis tanquā ad Asylum cōfugit, & ibi coram ea prostratus Matrem misericordiæ deprecabatur summo cum affectu aberrimisque lacrymis, vt causam suam æquissimam ipsa iudicaret, reique veritatem in lucē produceret. Exclamabat subinde: *O Maria pietissima mihi misero tuo clientulo omni auxilio ac consilio destituto succurre, atque opitulare. Dum ita innocens Monachus Diuinā Matrem deprecatur, ecce tibi illam ad dextrum altaris latus considentem, ad sinistrum verò S. Ioānem Euangelistam considentem cernit. Præsentia porro Virginis tam suauem toto illo Templo odorem exhalauit, vt Monaci in choro psallentes, ad fragrantiam adeo inusitatam obstupuerint, ac curiosè sciscitati fuerint vnde tandem tā suauis odor dimanauerit.* Vbi demum intellexissent, & maximè iniquissimus ille ipsius aduersarius, eius innocentiam mirificè suspexere, & mox detractor ad pedes Abbatis prouolutus misericordiam inclamans, suam iniquitatem luculenter Abbati patefacit, simulque innocentiam fratris declarauit. Quā repentinam mutationem hominis admiratus Abbas, sciscitatus est, qui factū sit: vt immane illud ipsius in Fratrem odium, in tam eximium amorem commutatum sit; rem ex ordine recensuit, totumque Diuæ Virginis benignissimæ visitationi, cælestem illum odorem toti monasterio afflanti. Vnctionem nimirum illam cælestis odorem eum edocuisse, vt odium illud quod in fratrem ardebat, in synceram charitatem Deiparæ beneficio commutaret. Quibus intellectis, mox Cœnobij totius præses accitis aliquot ex senioribus, ad locum illum, in quo Diua Virgo Paradisiacum exhalans odorem sese visendam exhibuit Fratris cor immutādo, adeunt, inueniuntque totum illum locum eodē illo odore fragrantem. quem odorem percipiens Abbas, lapides illos Virgineis pedibus contactos, & etiam nunc cælestem odorem exhalantes iussit tollis, & in tantæ rei perpetuam memoriā, atque erga Pacificam Virginem grati animi significationem, peculiari in loco, eoque sacro, asseruari.

42. O admirandam, Diuinamq; Virginis, Mercuriali illâ Virgâ mortiferos serpentes inter se conciliante longè efficaciorem energiam, ac potentiā. Quare si quispiam odijs cor, animūque implacabilibus subinde exardescere animaduertit, ad Virginem Sulamitē hanc, seu Pacificam confidenter accurrat, rogetque atque obsecret, vt à suo dilectissimo filio, Agno purissimo tollente peccata mundi, atque adeo rancores, atque odia velut Ouis immaculata, atque mitissima à nobis tollat, pacemque illam, quæ exuperat omnem sensum nobis impetret. Ad eandem Deiparam calamitosissimis hisce temporibus, quibus bellorum atrocissimis incendijs totus penè terrarum orbis cōflagrauit, magna cum fiduciâ accedamus, & cum Seraphico Bonauentura clamemus ac concinamus Psal. 67. *Exurgat Maria, & dissipentur inimici eius, contexantur omnes sub pedibus eius. Impetum inimicorum nostrorum dissipa, destrue, omnem iniquitatem eorum. Ad te Domina clamo, in tribulatione nostra succurre nobis, auxilio opportuno. Non deficiet laus tua de ore nostro, & amor tuus de visceribus nostris. Pax nobis multa sit diligentibus te Domina, anima nostra non videat mortem in æternum. Psal. 139. Serenet corda nostra lux misericordiæ tuæ,*

Ad B.V. Imaginem recurrendum cum ita aut odio aduersus fratrem commouemur.

Oratio S. Bonau. ad B. V. contra tentationes Dæmonis.

&

& recreet nos tua pacis dulcedo.

43. Illa quoque inter Mercurij laudes in postremis minimè numeranda est, quod ab ipso in primo sui ortu Cupido superatus adeo fuisse perhibeatur à Natali Comite. Quæ sanè laus non tã Mercurij, quam Virginis Virginum gloriosissimæ, fœdissimæ Veneris, eiusque nati Cupidinis turpissimi, triumphatrici est proprijssima. Ipsa enim quemadmodum in primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti antiqui serpentis caput, originale videlicet peccatum, ita & reliqua omnia, ac præsertim fœdissimum lasciuiæ, Cupiditatisque Venereæ vitium, tanquam putidissimum vermem protriuit, ac gloriosissimè debellauit. Censet enim Pater Suarez, P. Salazar, P. Spinellus, alijque recentiores aliqui Theologi, vt etiã alibi diximus, Deiparam in ipso Conceptionis suæ primo momento, voto Virginitatis semetipsã Diuinæ Maiestati sacrificium, holocaustumque in odorem Suauitatis obtulisse; Antiqui verò Patres vnanimi consẽsu primam extitisse, quæ omnibus retro sæculis Virginitatem vouendo, exemplũ imitandæ Virginitatis suę posteritati reliquit, pene omnes asseuerant, vt videre est apud Spinellum cap. 32. num. 23. Quo facto sane gloriosissima hæc Heroina maximè in Incarnatione Verbi, fœdum Cupidinem prostrauit, eumque tãquam aspidem, & Basiliscum, vel solo aspectu venena diffundentem conculcauit, atque contriuit, pulcherrimumque simul Virginitatis vexillum extulit, quo mortales quam plurimi ad ipsius consectanda vestigia accenderentur, & magis, magisque tam eximiæ virtutis splendor toto terrarum orbe enitesceret. præclarè in Carmine de Virginit. cecinit Nazianzenus:

B.V. in primo Conceptionis momẽto Cupidinem cum reliquis eius vitijs superauit.

B.V. vouẽdo Virginitatẽ prima fuit, quæ ad imitationem sui Virgines excitauit.

Ante quidem vmbroso in paucis splendore micabat
Dum lex iura daret terris, & in orbe vigeret
Exiguis spectanda notis.
At postquam Christus per castæ viscera Matris
Absque Patre, & tædis, vitæ progressus in auras
Lustrauit muliebre genus, tum denique nostro
Virginitas generi, præclaro lumine fulsit.

Post Incarnationem Virginitas amplificari cœpta.

Audiendus hic S. Ambros. lib. de Institut. Virgin. cap. 5. *Egregia Maria*, inquit, *quæ signum sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ Virginitatis pium Christo vexillum leuauit.* Additque omnes ad cultum Virginitatis S. Mariæ aduocatos fuisse exemplo. *Tunc verò, toto orbe diffusus corporibus humanis vitæ cælestis, vsus idest Virginitas, inoleuit,* vt idem loquitur lib. de Virginibus. *Hæc est demum illa cælestis militia, quam laudantium exercitus Angelorum promittebat in terris. Virginitas enim non facile inueniebatur in terris nisi postquam DEVS in terreni corporis mẽbra descendit. Quis igitur neget hanc vitam fluxisse de cælo? è cælo accersiuit, quod imitaretur in terris:*

B.V. Signum ac Vexillum S. Virginitatis extulit.

44. Hinc B. Albert. Magnus Tract. super Missus postquam dixisset, Deiparam spiritualem Virginitatem, ac fęcunditatem, quam habebat Ecclesia in alijs cõmunem, & insuper istam priuilegiatam singularitatem; additque hanc ob causã illam Sãctam virginẽ Virginũ ab Ecclesia, imo & Matrem Virginũ vocitari. *Huiusmodi enim locutionibus*, inquit, *notatur excellentia, vt flos florum, quasi dicat; excellens omnes alios flores, Rex Regum, Dominus Dominantium idest eminentior Regibus, ac Dominationibus omnibus. Beatissima itaque Deipara Virgo Virginum dicitur, quia est Mater omniũ Virginitatis, quia sine præcepto, consilio, exemplo, ipsa sola prima omnium gloriosum munus Virginitatis Deo obtulit; per quod, & omnes Virgines per imitationem in virginitate genuit. Igitur ei soli conuenit quod sit Virgo Virginum, idest Mater omnium Virginum. Quod si eo titulo denotatur excellentia, excellit omnes Virgines in fomitis extinctione, summaque puritate, ac proinde ipsi Soli similiter conuenit, omnes, citra DEVM, excellere Virginitate.* Sic ille.

B.V. habuit spiritualem Virginitatẽ, & fęcũditatẽ Ecclesiæ, & aliam priuilegiatam singularitatem, ob quã Virgo Virginum dicitur.

B.V. omnes citra Deũ excellit puritate, & Virginitate.

45. Quod si denique *Victoria nil est aliud quam declaratio quædam potentiæ supra Aduersarium*, vt idem prosequitur Albertus; Quis quæso potentiam suam contra Cupidinem, eius arcus, telaque magis demonstrauit, atque hæc fortissima Heroina nostra, quæ ita illum vinxit, ac constrinxit, vt nec illi mouere bellum, nec inire secum conflictum valuerit? Vnde manifestum euadit eã super omnes Virgines excelluisse, illæ enim post ictus, & vulnera à peccato originali, fomiteque peccati inflicta, Cupidinem vicere. Ideo verè dici potest, præ Angelis ipsis, Virginitate excelluisse. *Quia illorum castitas est à natura*, inquit idem Albertus, *hæc autem à gratiâ. Vnde hæc nobilior, quam illa. Illa necessaria, hæc autem voluntaria, vnde hæc gratior, quam illa. Illa Angelorum, non est meritoria, hæc verò est, ac proinde vtilior illâ. Angelorum est in natura impassibili; hæc autem in carne fragili, ac proinde mirabilior illâ. Angelorum Virginitas Sociata est libero arbitrio inflexibili, hęc autem cum libero arbitrio flexibili, igitur laudabilior hæc quam illa. igitur hæc humana laudabilior, quam illa Angelica. Atque ita nobilior, laudabilior, & magis integra est Virginis, quia est in anima, & corpore, quam Angelorũ, quæ est in Spiritu tantum.* Concludit tandẽ

Victoria est declaratio potentiæ supra Aduersarium.

B.V. præ ipsis Angelis Virginitate excelluit.

B.V. Virginitas cur laudabilior sit, quam Angelorum.

Nnnnnn Al-

Albertus: *Patet igitur qualiter beatissima Virgo omnes Virgines Virginitate, citra illum solùm, qui DEVS est, & homo, excelluerit.*

B.V. omnes præter Christum Virginitate præcelluit.

46. Ex quo doctissimo pijssimi Doctoris discursu inferimus à nemine Cupidinem, tantâ cum gloriâ, quam ab hac Virginum Virgine sanctissimâ fuisse debellatum. Illa enim gloriosior esse censetur victoria, cum fortior ab infirmiori aliquo nullis armis instructo debellatur. Cupidinis porrò robur, ac fortitudinem imo Tyrannidem graphicè inter multos alios Humbertus Montmoretanus descripsit: dū de suis turpibus amoribus, oculorumque suorum miserrimis, infælix lamentatur laqueis: Eius versus breuitatis amore & quia sunt turpiusculi, omittimus. Eandem Cupidinis in genus humanum dominationem ac violētiam, exprimere voluit Argentarius ille, qui in gemma annuli Amorem ad currū alligantem, frænantemque Leones exculpsit, quo indicare voluit viros etiam fortissimos, Hercules, Sampsones, sub Cupidinis iugum quandoque agi, eiusque frœnis gubernari. Quod Alciatus Emblemate 105. sic expressit:

Cupidinis potentia ac dominium.

Cupido Leones feroces subiugat.

Aspice vt inuictus vires Auriga Leonis
Expressus gemmâ Pusio vincat Amor,
Vtque manu hac scuticam teneat, hac vt flectat habenas,
Vtque est in Pueri plurimus ore decor!
Dira lues procul esto: feram qui vincere talem,
Est potis, à nobis temperet anne manus?

Non temperat sanè à miseris mortalibus manus suas potentissimas Cupido, sed eos, qui otio desidiâque tabescunt, qui cælestibus studijs animum minimè excolunt, nec Amore Diuino inardescunt, subiugat, eosdemque miserrima sua efficit mancipia.

47. Denique de Tyrannide hac Cupidinis atrocissima scitè Proper. libro 2. dum ipsius schema ita describit:

Cupidinis descriptio.

Quicunque ille fuit, Puerum qui pinxit Amorem,
Nonnè putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas.
Fecit & humano corde volare DEVM.
E merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnoscia vtroque iacet.
Ante ferit, quoniam quam tuti cernimus hostē,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis imago,
Sed certè pennas perdidit ille suas.
Euolat è nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusque meo sanguine bella gerit.

48. Cum ergo tam violentam Cupidinis Tyrannide humanis cordibus adeo ferociter, immaniterque dominantem Virgo beatissima, Virginitate suâ purissimâ, antequam in lucem adhuc ederetur, in Matris adhuc visceribus delitescens, totiusque immaculatæ suę vitæ decursu gloriosissimè triumphauerit, pedibusque suis protriuerit, quis verebitur dicere, illam ipsum Mercurium quodammodo referre, qui in primo sui exortu tanquam Sapientiæ, eloquentiæque Præses Cupidinē superauit, ac protriuit.

B.V fortior in domando Cupidine, quam Mercurius.

59. Superauit ac triumphauit Virgo Deipara fædum sæuumque Cupidem vti scribit Syluanus Razzius lib. 2. Miracul. 22. in Comite Francisco Sforzia, postmodum Duce Mediolanensi. Hic enim cum pro Florentinis contra Luchensem Rempublicam bellum gereret, & multis Oppidis ac Castellis in suā potestatem redactis, nouam Domum in illa Regione occupasset, contigit, vt egregiā formā prædita Virgo, tutum suæ pudicitiæ sperans in tanto Duce se reperturam perfugium, sese illi vltro dederet. *Cuius ille præclarâ captus specie, mox tanto Cupidinis, tamque insano deflagrauit incendio, vt ad eam deflorādam sese accingeret. Quod animaduertens puella miserrima, & sese sua spe frustratam cernens, in amarissimas sese effudit lachrymas, ac singultus, inter quas deprehensa angustias, dum vim eiusdem Comitis euadendi hac illacque circumspiciendo modum quærit, ecce tibi oculis eius pudicissimæ Virginis Deiparæ, omnium Virginum Patrona Imago parieti eiusdem conclauis affixa sese visendam obijcit, cui illa cum pudicitiam suam summo cum affectu commendasset, ad Comitem conuersa, eum vehementi oratione obsecrauit, per amorem B. Virginis, cuius effigies eius oculis obuersabatur, eius integritati parceret, eamque suo sponso quem captiuum tenebat illibatam relinqueret.* Tantum hæc Puellæ apud Comitem illum cæco, fœdoque Cupidinę sauciatum audito nominę deferbuerit, deque carnis concupiscentią gloriosissimè triumpharit. Atque ita verè ostēdit Virgo nostra, gloriosiorem sę esse, quam Mercurium insani Cupidinis triumphatricem.

Franciscus Sfortia conspectu B.V. Imagine libidine frenat, & Puellam intactam relinquit.

50. Idem Syluanus cap. 21. eiusdem libri refert Militem quendam alterius vxorem B. Virginis cultui addictam, per vim opprimere attentasse. Quæ cum sese ad resistendum ei viribus imparem animaduertisset, ad Deiparæ Patronæ suæ fidelissimæ protectionem recurrit, eique summâ cum fiduciâ dixit: *Rogo te atque obsecro Domina mea, vt propter illa verba sacratissima Salutationis Angelicæ: Aue Maria,*

me

me à præſenti liberes periculo. Quibus verbis auditis, illico omnis ille inſanus libidinis furor in milite elanguit, omneſque in eo ſæuientis Cupidinis vires eliſit. Quare optimum conſilium Virorum aſceticorum eſt, ad conſeruandam ſiue Caſtitatem, ſiue Virginitatem deligere ſibi in patronamglorioſiſſimam Virginum Reginam Mariam. Vnde P. Franciſcus Arias noſter in libello de Roſario 56. ita loquitur: *Magna virtus eſt Caſtitas admodum ſeruatu difficilis, ob naturę humanæ corruptelam. Verùm in patronam aſſumendo Virginem D E I Matrem, obtinetur non modo caſtitas, verumetiam perpetua tam corporis, quam animi Virginitas. Siquidem Virgo amando tantopere hanc virtutem, impetrat nobis cęlitus tot fauores, ac gratias ad eam conſeruandam, vt admodum facilis, imo dulcior, quàm omnes mundi oblectationes, animæ noſtræ eſſe videatur. Quod ipsâ didicimus experientiâ in plurimis vtriuſque ſexus perſonis, quæ perpetuam caſtitatem conſeruarunt*. Ad hoc comprobandum, exemplum affert S. Edmundi adoleſcentis, qui poſtea Cantuarienſis creatus eſt Epiſcopus; hic cum admodum mundus à conſuetis naſcentium ſordibus eſſet natus (vnde eius Mater hanc ob cauſam illum Edmūdum appellauit) cupidus mundiciam hāc tam corporis, quàm animæ conſeruare, conſilio ſui Confeſſarij puriſſimam Virginem ſibi in patronam delegit. Atque vt eam magis ad ſibi patrocinandum prouocaret, ante quandam ipſius Imaginem votum caſtitatis emiſit, enixè illam obſecrando, vt ſibi impetraret gratiam deſiderium hoc ſuum adimplendi, ſimulque illi tunc dixit ſe eam in ſponſam aſſumere; in cuius rei ſignum accepit annulum Angelica Salutatione inſignitum, eumque in Imaginis B.V. digitum inſeruit, ac demum in ſuum. quem illę poſtea in pignus ſui ſponſalicij cum Virgine initi, vſque ad mortem geſtauit. Et hoc fuit vnicum optimum medium ſemetipſum mundum ab omni corruptione conſeruandi, omniaque ignita fœdi cupidinis tela eludendi. Aliud medium conſeruandæ puritatis ac caſtimoniæ, quam B. Virgini, dum febriret, vouerat, inuenit S. Andreas de Chio. Hic albis veſtibus vti ſemper conſueuerat, vt teſtatur Gregorius Trapezuntius ne vnquam caſtitatis quam Deiparæ conſecrarat, obliuiſceretur, ſed candore veſtium illibatum candorem animi, corporiſque ſibi conſeruandum eſſe intelligeret.

Ad conſeruandam caſtitatem aſſumenda in patronam B. Virgo.

Edmundus adoleſcens B.V porrecto anulo ſibi in ſpōſum aſſumit.

S. Andreas de Chio votum caſtitatis B.V. obtulit, & in vpti memoriam albis veſtibus vtebatur.

52. Quid de poſtrema tandē illa Mercurij proprietate dicam, qua Virga illâ ſuâ admirabili, à Natali Comite aliiſque, Animas humanis corporibus diuinitus alligatas, mortali vinculo ſoluere, ac veluti ex ergaſtulo educere, inq; Elyſios campos illos amęniſſimos introducere, alias verò ab Orco euocare, alias in Tartara detrudere perhibetur? De Virga hac prodigioſa præclarè Virgilius:

Mercurius Virga ſua animas ſoluit è corporibus, & in campos Elyſios ducit; alias etiā ab orco reuocat,

Tum Virgam capit; hac animas ille euocat Orco.
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit.

De eadem illa Virga Horat. libr. 1. Car. Ode 10.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, Virgaque leuem coerces
Aurea turbam, Superis Deorum
Gratus, & imis.

52. Quæ penè omnia, quam aptè Virgini noſtræ glorioſiſſimæ quadrent, ſatis perſpicuè eluceſcit. Quis enim ignorat Deiparam clementiſſimam, vti & hoc libro, & præcedenti ſæpius commemoratum eſt, clientulorum ſuorum animas de ergaſtulo corporis educere, inq; cæleſte illud Elyſium, ſiue Paradiſum deliciarum Dei, comitantibus Angelicis, beatiſſimiſque mētibus, patrocinio ſuo, velut ſuauiſſimo vehiculo perducere cōſueuiſſe? Quinimo crediderim, tanquam Angelorum Reginam, ſubinde proprijs manibus ſuorum dilectiſſimorum animas, quemadmodum olim Angeli illius Lazari animam in Sinum Abrahæ, deportare conſueuiſſe. Adeo ipſa fideliū, animas Chriſti precioſiſſimo ſanguine redemptas, pro ſua immensâ charitate diligit, atque amplectitur. Quare, quod de anima illa beata Lazari, quæ triumphato mundo, carne, ac Diabolo, ab Angelis, velut militibus in triūpho collætantibus ſtipata, ac deportata in locū pacis, ac quietis, dixit S. Chryſoſtomus Homil. de Lazaro, idem dicere poſſumus de qualibet anima ſeruorum Deiparæ: *Non ſuffecerat*, inquit ille, *vnus Angelus adportandum pauperem, ſed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant. Gaudet vnuſquiſque Angelorum tantum onus tangere. Libenter talibus oneribus prægrauantur, vt adducant homines ad Regna cælorum. Verè enim cum innocentes animulæ, quæ fideliter in hac vita ſeruierunt Deiparæ, ex hac vita decedunt, quam plurimę Angelorum legiones, vt triumphantium more, choros lætitię ducant, Deiparæ in cælos eas deducenti tanquam legitimę ſuę Reginæ aſſiſtunt, gaudentque tam precioſi oneris attactu, nec eam ſuaui onere, vti nec pientiſſima Virgo, eas deportans, prægrauantur.*

B.V animas corpore ſolutas in Paradiſum comitantibus Angelis, ac Cælitibus deducit.

B.V. propriis manibus animas ſuorū in cælum deportat.

53. Quod porrò Animas ipsas dilectorum suorum Virgo benignissima, pro innatâ sibi pietate, comitantibus Angelis, in cælos deportet, inde nobis colligere licet; siquidem animam Lazari in sinum Abrahæ ab Angelis deportari audimus. Quis enim alius est Sinus hic Abrahæ, quam latissimum Christi Parentis iustorum omnium amantissimi pectus, ac præcordia, quibus fideles omnes spatiosissimâ illa sua charitate fouet, ac complectitur? *Si igitur Christus noster Parens optimus, sinu planè suo, suos fideles excipit, quid mirum si Virgo Mater eosdē manibus suis in eundem sinum deportat?* *De sinu hoc Saluatoris, ipsius cælestes agnoscens delicias concinebat Sponsa Cant.* 1. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*. Verè pectus, & vbera, quæ in sinu illo fælicissimo sunt Christi, Abrahami nostri misericordissimi, meliora sunt vino sæculi huius, idest, omnia sæculi huius oblectamenta, voluptatumque illecebras transcendunt.

Christus animas fidelium sinu suo tanquam sinu Abrahæ excipit.

Pectus ac præcordia Christi meliora sunt vino. i. Mundi oblectamentis.

54. Hinc B. Virgo S. Brigittę reuelauit, se B. Hemingo Episcopo Aboensi, qui conciones omnes à laudibus ipsius inchoabat, in morte adfuturam, in cælumque animam eius deducturam: Sed ipsius verba Deiparæ in Reuelat. Extrau. cap. 104. audiamus: *Dic Episcopo illi, qui omnes prædicationes suas inchoare solet à laude mea, quod ego volo esse ei in Matrem, & eius animam Deo præsentare*. Eidem sanctæ lib. 4. Reuel. cap. 125. *reuelatum eundem mortem facillimā obiturum, quod & factum. Nam cum se posuisset ad orationem, reddidit Spiritum. Amicus hic Virginis adeo ipsius auxilio in omni virtute profecerat*, vt, quemadmodum ibidem dicitur, *maximè fuerit abstinētiæ, & zelum Dei habens nec metu, nec amore, nec damno reticuit veritatem*. Non minorem apud Virginem in morte iniji gratiam alter Concionator, qui concionem suam semper aliquo de eius virtutibus, gratijsque exemplo terminabat. Cum enim morti esset proximus, Deiparæ suauissimo aspectu recreatus, auxilioq; contra Dęmonum insidias confirmatus est, incredibilique lætitiâ perfusus, & laudes Virgineas, & suum ipse sibi epinicium nequicquam frementibus orci satellitibus, suauissimè concinens in manus Virginis benignissimæ, animam reddidit.

B. Hemingus Episcopus conciones omnes à laudibus B.V. inchoabat.

B Hemingus positus in oratione Spiritū Deo suauissimè reddidit.

B. Hemingus vir maximę abstinentiæ, & zeli Dei, vt nullo metu aut amore reticeret veritatem.

55. Et verò si Regius Psaltes, summâ in benignissimum creatorem suum fiduciâ, adhuc antequam Dei filius pro animabus nostris dilectam animam suam poneret, agnoscens, quod ipse animas nostras cælis, manibus suis inueheret, ausus est confidenter eum deprecari: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*; quanto potiori iure sentire debemus, animas ex ergastulo corporis eductas, manibus proprijs à Deipara in cælos importari? quanto maiori confidentiâ ea nobis obsecranda est, vt animas quoque nostras in manibus illis omni acceptione dignissimis, dum ex hoc mūdo versamur commendatas sibi habere non dedignetur?

David Spiritum suum in manus Dei commēdaret ausus est, quanto magis nos eundem B. V. commendabimus?

56. Quod si Salomone attestante Sap. 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, &c. non tanget eas tormentum mortis; Quanto magis censendum est easdem quoque ex hac vita, corporisque carcere emigrātes in manu eiusdem Dei Matris futuras? siquidem illa in omnibus, quoad fieri potuit Cōditorem suum, vti sæpe dictum est, æmulari studuit, ac proinde sicut largissimæ illæ Dei creatoris manus, quibus animas initio condidit, easdem illis eisdem amantissimè recipit, inque sinum suum quodammodo reponit, ita facit, & Virgo nostra benignissima.

Sicut Deus animas quas manibus suis condidit easdem iisdem suis manibus recipit, sic facit etiam B.V.

57. Vnde Bernardinus Bustius Part. 3. ser. 4. mysteria Virginei Nominis, eius literis contenta euoluens, literam M. ait significare Manum; *Beata Dei Genitrix Virgo in sacra scriptura*, inquit ille, *appellatur Manus Dei, de qua illud Deut. 33. exponi potest: Omnes sancti in manu eius sunt. Sicut, & illud Iobi cap. 12. In cuius manu est anima omnis viuentis. Per Manum hanc nobis Deus tribuit bona Paradisi. De hac Dauid Psal. 74. Extendit manum suam in retribuendo. Per ipsam etiam electo suo succurrit; Manus mea auxiliabitur ei Psal. 88. Per ipsam quoque eundem saluat; fiat Manus tua, vt saluet me. Psalm.* 118. *& Psal.* 143. *Et mitte Manum tuam de alto, libera me, & eripe me.* Idem vir pijssimus per hāc Dei Manum Virgineam tot beneficia se accepisse, accepturumque se in posterum animaduertens, sic concludit: *Gratias igitur tibi ago Domine IESV Christe, quia posuisti super me Manum tuam. Psal.* 131. *Gratias, quod aperias Manum tuam, & impleas omne animal benedictione. Spero autem quod ad Regnum cæleste me perducet, siquidem canebat Dauid Psal.* 138. *Quoniam illuc Manus tua deducet me, & tenebit me Dextera tua. Hæc est Manus illa Dei de qua Sapiens: Iustorum animæ in manu Dei sunt, Hæc est Manus illa Dei fortissima, quæ Dæmones prostrauit, quam ob causam omnes Angeli eam benedixere, siquidem idem Sapiens cap.* 10. *ait: Victricem Manum tuam laudauerunt pariter: Hæc est Manus illa Dei, quæ sibi deuotum, peculiarique* pie-

B.V. est Manus Dei in qua sunt oēs sancti.

Per B.V. tanquā per Dei Manum eripimur a malis, & saluamur.

Gratiæ agēdæ sunt Christo quod nos per B V tanquam Manū suam adiuuet, &c.

B.V Manus per quam ad Regnum cæleste perducimur.

pietatis affectu addictum protegit, ac defendit; cui proinde Dominus dicere non dedignatur Isa. 51. Sub Vmbra Manus meę protexi te. Hęc est Manus illa quę non est abbreuiata, ad subueniendum, videlicet suis clientulis. Denique Manus hęc est Manus tornatilis ob celeritatis ad nobis succurrendum studium, est aurea, quia Manus est supremi Numinis.

B. V. Manus aurea tornatilis plena hyacinthis.

Quemadmodum enim aurum omnibus supereminet metallis, ita Virgo post DEVM creaturas omnes excellit. Est plena hyacinthis, operibus planè cęlestibus, ac miraculis, inter quæ non in postremis numerandum videtur, quod animas preciosissimo filij sanguine redemptas, hyacinthisque longè preciosiores, è Dæmonis faucibus sæpissimè ereptas, sacratissimis illis suis manibus in beatam illam, sempiternamque gloriam deuehat.

Iustorũ animæ in manu Dei sũt, quia immortales sunt.

58. Quam apte porrò Virgo nostra Dei manibus conferatur videamus: In primis Manus Dei animam interire non sinit. Vnde S. Epiphanius lib. 2. cont. hæres. cap. 36. Sapientis illo testimonio: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, animæ immortalitatem, æquè ac resurrectionem corporum comprobauit*. Anima enim in morte non interit, sed superest, viuit, degitque in manu Dei, vt illam in fine mundi corpori iterum vniat, resuscitet, ac beet. Hinc Theophilactus in cap. 8. Matt. *Anima*, inquit, *è corpore egressa, in mundo non errat neque vagatur, vti Gentiles putauere: Iustorum enim animæ in manu Dei sunt; peccatorum verò animæ, & ipsæ hinc abducuntur in gehemnã, vt anima diuitis Epulonis.* Eandem beantẽ immortalitatẽ, omni interitu liberrimã illi dat Virgo beatissima, dum suis precibus, ac patrocinijs, quasi quibusdam manibus, eam continet, ac præseruat, ne in mortem secundam, post admissum lethale peccatum, quæ est mors prima animę, prolabatur.

B. V. animabus beantem immortalitatem tribuit, dum as in cęlũ deducit.

59. Anima in manu Dei est, idest, in peculiari curâ, prouidentiâ, tutelâ, protectione, conseruatione, remuneratione, beatificatione, ac glorificatione. Quæ officia omnia animabus corpore solutis Virgo beatissima, affectu plane materno, dum illas ad cælum deducit, impendere consueuit, sicut puer manu Matris, aut Nutricis vlnis sustentatur. adeo vt & illa verè possit cum filio Oseæ cap. 11. 3. *Ego quasi Nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quoniam curabam eos.* Illa nimirum vox Virginis communis cum filio est Isa. 49. *Numquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar, ecce in manibus meis descripsi te.* Vnde dicere potest cum eodem filio Ioan. 10. *Ego vitam ęternam do illis, & non peribunt in ęternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* In eius enim manibus, ceu vngue adamantino, ipsius dilectorum animę ad instar indelebilium characterum sunt conscriptæ. In manibus denique Virginis animæ hinc emigrantes velut sinu Matris absconduntur. Audiamus deuotum Richardum à S. Laur. libro 2. cap. 1. *Sicut puerulus timens canem fugit, & clamat ad Matrem, sicut quicunque vehementer tentatur, & morsum Diaboli vel cuiuscunque tentationis pertimescit per operationem, ad Matrem pietatis debet confugere.*

In Manibus B. V ceu vngue adamãtino animę sũt instar characterum descriptæ.

60. Eædem animæ in manu Deiparæ sunt, velut annuli in manu Reginæ, quas nimium quantum diligit, eo quod imago Regis sui ipsis insculpta sit. Sic enim olim dilectorum imagines annulis incisæ gestabantur. Hinc Dominus Ierem. 22. 24. iustissimam suam indignationem in Regem Iechoniam volens ostendere, dicebat: *Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Hinc narrat Cicero lib. de Finibus, de Epicuro: *Eius Imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & annulis habent.* Annulus enim, vt ait P. noster Sanchez in cap. 49. Isa. 16. & in Ieremiæ locum citatum metonomycè ponitur pro Imagine palæ annuli insculpta. Hæc autem Imago erat eorum, quos impensius amabat, vt per eam, ipsos quasi semper in oculis haberent.

Animæ in manu B V. sũt sicut annuli præciosi in manu Reginæ.

In annulis charorum Imagines sculpebãtur.

61. Porrò annulos hoscè digito, minimo proximo, quem Annularem vocamus, inseri consueuisse etiam nunc compertum est, ac potissimum de causa, quod hic digitus sit cordis, ideo ab Aegyptijs statutum, vt is annulo, quasi Coronâ cingatur. Vnde eundem Sacerdotes sacrificaturi odoribus illinebant. Causa erat quod Anatomici compererint, neruulũ à corde natum per dorsum eo tetendere, in eoque desinere. Vnde, & digitus cordialis appellatur. Si ergo animas, è corporibus emigrantes Virgo gloriosissima, velut annulos in digito cordiali gestare nõ dedignatur, ostendit reuera cordiali planè amore se in easdẽ affectã esse, singulariq; plane charitate animitus, medullitusque complecti. Hinc pij nonnulli B. V. clientes, vt tanto eius amori par reddidisse videantur, sacram eius effigiem, annulis insertam in sinistro annulari potissimũ digito ad quẽ vna è venis cordis deriuatur, circumferunt, dulcem eiusdẽ memoriam ea ratione recolentes, vt re-

Digitus annularis est digitus cordis vnde annulo tanquã corona cingi solet.

Pij Viri annulos B. V. Imagine insignitos gestare ad eiusdẽ memoriam recolendum soliti.

ip-

ipsâ dicere videantur: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea*; amorẽ illum suum tenerum, fixo in eius Imaginem osculo, contestantes.

In manibus B.V. animæ sanctæ sunt velut sydera.

62. Sunt etiam animæ ex hac vita decedentes quasi sydera in manibus Deiparæ. Sic S. Ioannes Apoc. 1. vidit in dextera Christi stellas septem, Prælatos scilicet totidem Asiæ Ecclesiarum repræsentãtes. Vnde Ioachimus Abbas septẽ has stellas intelligit septem Planetas, qui viros aliquos quolibet sæculo sanctimoniæ luce radiantes denotant. Atque ita primam stellam censet primo sæculo fuisse Adamum, actâ iam pœnitentiâ. Secundam Noe, tertiam Abraham, quartam Moysem, quintam Dauid; sextam Ioannem Baptistam, Septimam Eliam in fine mundi. Quod si illas septem stellas, cum P. Ludouico Alchazar vt septem gemmas, instar stellarum annulis totidẽ infixas, vel insulptas, accipiamus, mirus amor Virginis amicorum suorum animas enitescit, siquidem illas, velut preciosissimas gemmas, ad instar stellarum scintillantes, pulcherrimis annulis inclusas in manibus suis gestare non dedignatur. Moris porrò olim fuisse gemmas instar stellarum annulis inserere testatur Cælius Rhodiginus lib. 6. cap. 12. vbi sic loquitur: *Scribit Damis sapientum Indorum Principem Iarcham tam scitè, tamque doctè annulos septem compegisse, qui & stellarum septem nomine essent præsignes, vt Apollonium Tyraneum dono acceptos, singulis diebus singulos iuxta dierum nomina eis distinguentem gestasse proditum sit*. Pari modo has septem stellas dicere possumus in manu Virginis esse septem annulos cum totidem gemmis, siue syderibus quibus aliquod stemma, siue insigne exculpatum erat.

Quosnam sanctos illæ 7. stellæ in manibus Christi designarint?

B. V. animas velut gẽmas in manu sua gestat.

Apollonius Thyaneus septem annulos septẽ gemmis insignes in dies hebdomadæ singulos gestabat.

Agnouit annulos aureos, gemmas, moniliaque preciosissima in manibus, sinuque Virginis esse clientulorũ ipsius animas, ipsam miro splendore à vertice capitis totam exornantes S. Bonauentura dum Psal. 58 sibi morienti, illo schemate, ac ornatu eam optat occurrere: *Eripe*, inquiens, *me de inimicis meis Domina mundi, exurge in occursum meum Regina pietatis. Aurum obrizum in ornamentis tuis, Sardius, & topazius in diademate tuo. Iaspis, & Amethystus in dextera tua, Berillus, & chrysolithus in sinistra tua. Hyacinthus, & Athates in pectore tuo, carbunculi scintillantes in monilibus tuis; Sapphyrus, & Smaragdus in ditigis tuis*. Quibus preciosis lapidibus animas fidelium Manibus Deiparę reclusas sine dubio significari intellexit.

63. Etsi verò omnes animæ gemmæ, stellæ, aureique annuli in manu Virginis sint, sunt tamen potissimum Ecclesiæ Præsulum, doctorumque virorum, qui sapientiæ suæ splendore orbem illustrarunt. Vnde Daniel 17. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudierint multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Hos Virgo, hic etiam dum viuunt, in manu sua gestat, eosdem honorando, dirigendo, gubernando, protegendo, sub vmbra manus suæ ab hostium incursibus confouendo. Hos illa tanquam Ecclesiæ, imo suos oculos, diligit. Postquam verò eorum animæ de hoc mundo emigrant, easdem ambabus quasi excipit amplectiturque, manibus; inque felicem illam, ęternamque patriã, sine fine immortali luce radiaturas trãsmittit; euaduntque stellę nouâ quadam luce pulcherrimæ, quæ Virgineum verticem sydereo splendore coronant. de qua Corona Ioannes Apoc. 12. *In capite eius Corona stellarum duodecim*. Quas stellas cõtemplans Richardus à S. Laur. libro 12. ser. 1. de Assumpt. *Duodenarius*, inquit, *numerus est vniuersitatis. duodecim ergo stellæ, sanctorum est vniuersitas, qui per fidem Trinitatis in quatuor mundi partibus saluati sunt per eam, in diesque saluantur. Ab ipsa enim habuerunt illum, per quem vicerunt, Christum videlicet, cuius auxilio triplicem hostem vicerunt, & à quo victores coronati sunt. Omnibus enim sanctis Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam peperit, qui & ipsos pugnare docuit cum antiquo serpente, & eius suffulti præsidio, de hostibus triumpharunt. Habuerunt nihilominus per eius exempla, mysterium, vel quasi artificii trinam mundi concupiscentiam expugnandi; exemplo eius paupertatis; concupiscentiam oculorũ; exemplo Virginitatis, concupiscentiam carnis; & vitæ superbiam, exemplo humilitatis. Ipsi igitur, sicut, & filio conuenit illud Apoc. 19. In capite eius diademata multa. Per illã n. Christũ habuerunt, per quẽ omnes victorię obtineantur*. Propterea dicitur Zach. 6. *Sume à transmigratione aurum, & facies inde coronulas, & ponas eas in capite IESV, quia omnes sanctorũ victorię ei, quemadmodum & Matri, adscribi debent. Denique sicut Paulus Philippenses, & Thessalonicenses vocat Coronam suam in Domino ad Philip. 4. & 1. Thess. 2. quia nimirum exhortatione, & informatione sua, in agone certaminis permanserunt* Sic Maria omnem fidelium congregationem potest nõ immerito Coronam suam in Domino nũcupare. Ipsam enim omnes sancti coronant quodammodò, suas ei victorias, & coronas adscribentes, qua mediante, & per quam post DEVM sciunt se coronatos. Vnde 24. Seniores, per quos 12. veteris

Prælati stellę sunt in manibus B. V.

12. stellæ in capite B. V. est sanctorũ vniuersitas, quibus ipsa coronatur, cum per ipsã habuerint eum, qui eis merita contulit.

In B.V. capite diademata multa, quia per illam omnes victoriæ obtinentur.

teris antiqui Patriarchæ, 12. Apostoli, atque adeo sanctorum vniuersitas designatur Apoc. 4. *coronas suas ante Thronum hunc animatum cælestis Agni mittere perhibētur, quia nimirum agnoscebant, se non suis, sed Christi, Virginisque de qua humanam Naturā, sanctorum omnium Coronator assumpsit, meritis ac gratia fuisse coronatos. Vnde dum eas ante Thronum illum collocant, in vertice Mariæ eas ponere videntur.* Hæc ferè Rich.

24. Seniores, coronas suas ante Thronū B.V. mittebant, sciētes se per eius merita coronatos.

64. Ex quibus licet inferre piorum, sanctorum, ac doctorum Virorum præsertim animas, dum ex hac vita in alteram beatiorem commigrant non modo manibus Virgineis veluti gemmas, annulos, stellas gestari, verumetiam in altera tanquam sydeream coronam in eiusdem sacratissimo, ac venerando illo vertice, sub quo omnes Angelorum Hierarchiæ proſternuntur, collocari. Vnde cuilibet huiusmodi sanctæ animæ paucis immutatis dicere possumus illud Isaiæ, vniuersali dictum Ecclesiæ cap. 62.3. *Eris Corona gloriæ in manu Dominę, & diadema Regni in manu, & vertice Dominę tuæ.*

Sancti velut coronæ stellatæ in capite B.V. gestantur.

65. In manu Virginis Matris sunt etiā animæ nostræ, vt à Dæmonum insidijs, iustissimâque irâ superni Iudicis protegātur. Cum enim manus illas Virgineas, omni veneratione dignissimas, quibus Incarnatum Verbum pauperculis illis panniculis fascijsque toties inuoluit, quibus idem tanta cum pietate in sua infantia circumtulit, in Aegyptum fugiens gestauit, intuetur, cor nimirum ei tenerescat atque ad instar ceræ emolliatur, ac liquescat, iramque in mansuetudinem, benignitatemque conuertat necesse est. Vnde Magnus ille Orietis Imperator Leo cognomento Philosophus Hom. de Assumpt. B.V. de Virgineis hiscé manibus earūque vi, ac exergia præclarissimè pronunciauit: *Reueretur Deus suam sanctissimam Arcam, benignumque se exhibet ijs, qui benignitate sunt indigni, pœnas soluit, & iustitiæ lancem declinat, alioque vertit, prout tuam dignitatem, quasi personarum acceptor factus, extensionem manuum tuarum reueritus, quæ tanquam vehiculum DEVM gestarunt. Neque enim fieri potest, vt manus illas expansas nō aspiciat, quin inflectitur ad misericordiam, & debita clementer remittit, eosque quos supplicijs mactare parerat, beneuolentia sua dignatur.* Hæc ille. Quare iure merito hic illud Ezech. 3. vsurpare licet: *Manus Dominę nostræ erat mecum, confortans me.* Verè enim dum Manus Virgineæ animas ex hac valle miseriarum in felicem illam patriam deportant, easdem contra Tartareorum hostium insultus, insidiasque corroborant, planeque reddunt imperterritas, siquidem omnipotentibus illis Dei Genitricis manibus se sentiunt corroboratas, simul ac protectas.

In manibus B.V. sunt animæ nostræ, vt à Dæmonibus, & ira Iudicis protegantur.

Christus extensionem manuum B.V. quibus eū baiulauit, reueretur.

66. In Manibus denique Deiparæ sacratissimæ sunt animæ, velut suauissimi flores, lilia, roseque, velut balsamum aromatizans, velut suauissimos odores exhalantia myrhothecia, quorum fragrantiâ mirificè ipsa recreatur. Vnde suauissimos hoscé odores persētiscens Ecclesia, concinebat: *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te.* Hinc Apost. *Christi bon⁹ odor sumus* 2. Cor. 2. 15. Animas porrò sanctas esse flores, rosas, ac lilia ratione prædita indicauit Sapiens Eccli. 39. cum eis tanquam rationabilibus creaturis diuino quodam enthusiasmo, oestroque percitus ita loquitur: *Obaudite me Diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum, fructificate. Quasi Libanus odorem suauitatis habete. Florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & benedicite Dominum in operibus suis.* Huiusmodi floribus fructibusque diuino amore languens aliàs Virgo nostra refocillari cupiebat, cùm dicebat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Hinc sanctissima illa anima Religiosissimi Simeonis Sacerdotis, ab eodem sapiente varijs tam cæli, quam terræ creaturis, ac præsertim floribus, rebusque odoriferis comparata est. Eccli. 50. *Quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus ęstatis, & quasi thus ardens in igne.* Quid mirum igitur, si manibus suis clientulorum suorum ex hac mortalitate migrantium in cælos libentissimè, magnā animi sui voluptate, ac lætitiâ in cælestis Paradisi transferat viridaria? siquidem felices huiusmodi animulæ, rationales flores, lilia, rosæ, Libanus, thus, balsamumque sunt, suauissimos vernantium virtutum odores Christi toto orbe diffundentes, eundemque, ac præsertim Deiparam illas gestantem manibus, mirâ fragrantiâ refocillantes. Vnde Seraphicus Doctor Psalm. 58. illi modulabatur: *Myrrha, thus, & balsamum in manibus tuis. Hinc S. Norbertus Episcopus, vt scribit Hugo Præmonstratensis, post obitum cuidam sui ordinis Religioso se visendum inprimis in propria sua effigie præbuit, mox mutatus in miri candoris florem, ab Angelis in Hortos illos cęlestes transplantandus, importatus est.*

In B.V. manibus sanctorū animæ, velut suauissimi flores sunt.

S. Norbertus post suum obitum se specie floris miri candoris visendum exhibuit.

67. Ex hiscé, alijsque causis manifestū euadit non modo ab Angelis, quemadmodum Lazarus, sed etiam à gloriosissimæ

simæ Deiparæ manibus piorum animas, corporeis hiscè nexibus solutas, ab hoc exilio in beatam illam patriam deportari, eoque pietatis officio mirificè, tanquam suauissimorum florum, odore recreari, easdemque incredibilem, tutissimamque securitatē nc ab æterna morte, Cacodæmone, Tartaroque lędantur, adipisci. Vnde illi piè canere consueuit Ecclesia; *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe*; suscipe, inquam, quemadmodum Pater æternus Spiritum dilectissimi sui filij in Cruce morientis, seseque illi cōmendantis, suscepit; vel quemadmodū gloriosi Stephani lapidibus obruti Spiritus à Christo susceptus est, postquam orauit: *Domine IESV accipe Spiritum meum*. Vnde piè hāc ob causam Dominam rogabat S. Bonauent. Psal. 30. *Ad te Domina clamaui, dum tribularetur cor meum, & exaudisti me de vertice collium æternorum. Educ me de laqueo, quem absconderunt mihi, quoniam tu es susceptrix mea. In manus tuas commēdo Spiritum meum, totam vitam meam, & diem vltimum meum.*

Roganda; B. V vt animas nostras è corporibus egredientes in manibus suscipiat.

68. Agnouit hanc animarum ex his carnis vinculis solutarum in manibus, protectioneque Deiparæ securitatem idem S. Bonauent. Psalm. 70. dum illi ita modulatur: *In te Domina speraui, non confundar in æternum, in tua misericordia libera me, & eripe me. Propter multitudinem iniquitatum mearum oppressus sum vehementer. Facti sunt hostes mei in capite meo, subsannauerunt, & deriserunt me. Vide Domina quoniam tribulor, expande manus tuas, succurre pereunti. Ne moreris propter gratiā Nominis tui, vt efficiaris mihi in gaudium, & salutem*. Et Psal. 76. vbi fiduciæ suæ in Virginem fructus magna animi gratitudine commemorat: *Voce mea ad Dominam clamaui, & sua gratia intendit mihi. Abstulit à corde meo mæstitiam, & suauitate sua cor meum dulcorauit. Formidinem meam erexit in confidētiam bonam, & suo aspectu mellifluo mentem meam serenauit. Adiutorio sancto eius euasi pericula mortis, & de manu Crudelis subterfugi. Gratias Deo, & tibi Mater pia, de omnibus, quæ assecutus sum à pietate, & misericordia tua*. Idem Pater Seraphicus Dei iudicium in morte expauescens Psal. 72. sic ipsius protectionem postulabat: *Auertatur à me ira Dei per te, placa eū meritis, & precibus tuis: in iudicio pro me assiste, coram eo suscipe causam meam, & mea sis Aduocata*. Vt porrò ostendat facundissimum quendam esse Mercurium Deiparam in hac nostra apud filium intercessione Psal. 78. sic ei loquitur: *Sit eloquium tuum dulce coram ipso, & coniunge me illi, qui me redemit. Vox tua dulcis super omnem melodiam, harmonia Angelica ei non valet comparari. Distilla mihi tuarum suauitatem gratiarum, & tuorum charismatum fragrantiam, & odorem.*

S. Bonauent. in B. V. fiducia, & securitas.

B. V. aspectu suo mellifluo serenat mētem.

Per B. V. auertitur ira Dei à nobis eiusque precibus placatur.

69. Mortis suæ denique præsidem, & Mercurialem quandam Virgulā animas è corporibus euocantem Deiparā agnoscens idem S. Bonauentura Psalm. 113. vt morti eius assistat ita deprecatur: *In exitu animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina, & suscipe eam. Consolare eam vultu sancto tuo, aspectus Dæmonis non conturbet eam. Esto illi scala ad Regnum cælorum, & iter rectum ad Paradisum Dei. Impetra ei a Patre indulgentiam pacis, & sedem lucis inter seruos Dei. Sustine deuotos ante tribunal Christi, suscipe causam eorum in manibus tuis*. Quare Auctor Anonymus Coronarum B. Virginis ait hanc Virginis in morte nostrā assistentiam, esse vnam, ex illis lucidissimis syderibus sacrum illius verticem coronantibus; docetque illam Materna prorsus beneuolentiā cum filio, comitantibus Angelicis hierarchijs nobis adfuturam. Hoc enim sibi voluisse sapientem cum dixit: *Obuiabit ei quasi Mater honorificata*. Quod parabolā illā 10. Virginum, quæ dicuntur, accensis lampadibus exijsse obuiam sponso, & sponsæ, Christo videlicet, & Mariæ, declarat S. Hieronymus denique ad quandam Virginem scribens: *Qualis erit*, inquit, *illa dies cum Maria Mater Domini, choris occurret tibi comitata Virgineis?*

B. V. in morte nostra Assistentia est vna ex stellis 12. ipsius Coronæ.

B. V in morte nostra obuiabit nobis quasi Mater honorificata.

B. V. in morte nobis aderit choris comitata Virgineis.

70. Experta est hanc Virginis cum filio in morte assistentiam, atque præsidium B. Dorothea Vidua Prutena, quæ mira semper pietate ferebatur in Virginem, siquidem adhuc ætatis anno septimo, quouis die Sabbathi pane, & aqua contenta in eius honorem ieiunabat, moremque hunc ad extremam vsque senectutem seruauit; Vnde pietatem eius magis accensura Deipara, numeroso Angelorum, beatorumque Ciuium sociata cætu, ipsam materiā plane pietate inuisit, tantoque Dei amore accendit, vt licet asperrimā hyeme, solā tenui tunicā, & humili palliolo vteretur, nihilominus ex ardentissimo in DEVM amoris æstu corpus eius, quasi in summa æstate, abundanti sudore diffiueret. *Aestiuo verò tempore idem mentis ardor externum calorem superabat, efficiebatque vt sine molestia, solis ardorem ferret*. Ardorem hunc diuini amoris excitabat potissimùm profundissima Christi, eiusque Matris dolorū contemplatio. Hinc aliquando post sacrosanctam sumptam Eucharistiā, crucia-

B. V. Angelis comitata B. Dorotheam inuisit, tantoque ardore Diuino accēdit, vt asperrima hyeme palliolo tenui amicta sudaret.

Amorem B. Dorotheæ accendebat Christi, eiusque Matris dolorum meditatio.

B. Dorotheæ acerbissimos cordis dolores patienti Christus quinque sagittas infixit.

ciatiuum eorundem meditatione immersæ, acerbissimum cordis dolorem patienti, apparuit Saluator cum Matre suâ dilectissimâ, plurimisque sanctis, cordisque eius quinque sagittas suauiter infigens: *Dorothea*, inquit, *filia mea, vt ego pro te, sic tu pro me dolorem patiare. His alijsque pietatis totius vitæ decursu in honorem Dei Matris iteratis exercitijs, id tandem est commerita, vt sub finem vitæ idem sponsus, & Sponsa, Christus, eiusque Mater venirent obuiam ei, ipsamque Dei Filius, suo corpore manibus proprijs porrecto (: ò rem admirandam, ò amorem incredibilem:) pasceret.* Atque ita tam copioso instructa viatico, accensaque amoris lãpade sponsos in cælum proficiscentes, beatissimis sociata Spiritibus, felicissimè ingenti perfusa lætitiâ subsecuta est.

Christus cũ Matre assistit morienti Sanctimoniali.

71. Eandem Diuinæ Matris cum filio in morte experiri meruit assistentiam Sãctimonialis Nomine Metildis ex Monasterio S. Gertrudis, de qua scribit Landspergius lib. 5. Vitæ ipsius cap. 6. hæc cum grauissimum cordis dolorem pateretur, diũ varijs ęgritudinũ doloribus cruciata ad extrema deuenit. Data illi fuit denique extrema vnctio, qua armaretur ad prælium cum antiquo serpente subeundum. Adfuit mox Christus cum Matre sua Sanctissima huic functioni. Dum Sacerdos ipsius liniebat oculos, benignissimus Dominus ad eam cõuersus ei omnem suæ pietatis aspectum communicauit, mellifluosque suo corde erga ipsam ferebatur, radiosque Diuini splendoris eam ita perfundebat, vt omnes oculorũ suorum effectus illi communicare videretur. Vnde oculi huius Dei seruæ ex diuinę pietatis abundantia effundere quẽdam liquorem oleo simillimum videbãtur. Dum os infirmæ vngebatur, Christus Dominus dulcissimum illi porrexit osculum, conferendo illi omnes illos sui sacrati oris suauissimos fructus. Dum recitarentur Litaniæ ad illa verba: *Omnes Sãcti Seraphin, & Cherubin orate pro ea*; visa fuit ingens Seraphinorum, cherubinorumque copia, qui reuerenter, magnaque cũ festiuitate pro illa Sancta anima inter se locum quendam particularem præparabant, iudicantes eam ob ipsius virtutes dignam, quæ inter eos commoraretur, & maximè ob Virginalem ipsius, Angelicamque puritatem. Vbi ventum est ad illud: *Omnes Sancti, & Sanctæ Dei*; videbantur omnes assurgere, & genu flectendo, maxima cum reuerentia, & alacritate offerre sua merita pro illa in similitudinẽ preciosissimorum donorum, vt postea ipse eadem illa dona suæ electæ in augmentum eius gloriæ, & lætitiæ exhiberet. Finitâ extrema vnctione Christus Dominus peramanter eam suis vlnis amplexus, vulneri lateris sui eius os applicuit, atque ita duobus diebus dulcissimo cordi eiusdem sponsi ore applicita perdurauit. Cum demum à Sanctimonialibus diceretur: *Eia ergo Aduocata nostra*; infirma suauiter cum B. V. colloquendo, eidem omnes sorores commendauit, illam obsecrando vt pro sua in omnes charitate, sub sua protectione totum Monasterium digneretur acceptare, eique benedicere. Quibus votis B. V. libenter annuisse visa est, dum manu sua dextera attigit manũ infirmæ. Cum illud legeretur: *Aue IESV Christe*; totum illum diem, quem sibi postremum illuxisse putabat, in repetendis hiscè verbis: *IESV bone*; insumpsit, ita vt Nomen hoc diuinissimum imis eius cordis medullis infixum videretur; cuius dulcedine dolorum suorum omnẽ acerbitatem temperabat. Cum iam tempus aduenisset Completorij dum caneretur illud in honorem Deiparæ: *Aue sponsa Regina Virginum Rosa sine Spina*; aduenit illico gloriosissima Virgo Mater, & visitãdo infirmam suis manibus sacratissimis eius animam specie iuuenculę pulcherrimæ quę ob diuturnas perpessiones venustissimis ornamentis erat decorata, excepit. Tunc demum Christus Dominus ob suę Diuinę Matris merita, maximamque illam dignitatem, qua Mater, & Virgo promeruit appellari, pectori infirmæ apposuit preciosissimum Monile, varijs gemmis mirabiliter coruscans, communicando illi hoc insuper speciale priuilegium, vt & ipsa Mater, & Virgo, ob maternam pietatem alijs exhibitam, appellaretur. Denique quinque Sacratissimis corporis eius vulneribus Dilectæ suæ ostensis, eamdem magna cum charitate salutauit, effecitque vt plagæ illæ ex se in primis sonum quendam suauissimum ederent, vaporem etiam efficacissimum, rorem copiosissimum, splendorem amœnissimum effunderent, quibus benedicta illa anima in omnes æternitates erat recreanda.

Cherubini & Seraphini morieti locũ præparant.

Sancti offerunt sua merita pro illa, vt ipsi augeatur gloria, & lętitia.

Tota die Iesu bone inuocat.

B. V. suis manibus animã excipit.

Idem Christus morienti 5. Vulnera ostendit.

Baronis cuiusdam B. V. Sodalis in morte solatium ex protectione Deiparæ.

72. Expertus est assistentiã Deipare in morte Baro ille de quo Aniciesis Collegij Annuæ 1605. Hic cum Ciuicæ Congregationi esset adscriptus, essetque vir militaris, miro pro Christi amore moriendi ardebat desiderio. tantâ fuit in proximos charitate, vt fateretur supra suam iracundiam solem nunquam occidisse. Tandem cum in grauem morbum

incidisset, & consodalibus ipsum solantibus cinctus, ipsi cum lacrymis cōdolētibus, ea reliquit, pietate verba plenissima, quæ omnem eis dolorem abstersere. Cum Cacodæmonem morti proximus, horrorem sibi incutientem, & scelesta suggerentem animaduerteret, verbis illis D. Martini: *Quid hic adstas cruenta bellua? Nihil in me funesti reperies*, additoque Psalmo *Miserere mei DEVS secundum magnam misericordiam tuam*, alijsque quas in in honorem Virginis vsurpare quotidie solitus erat precibus, vultu, voceque hilaritatem spirante exclamat: *En ego te Video Virgo pulcherrima. O' verè benigna parens, quæ præsto es semper tuis in calamitate: in manus tuas commendo spiritum meum.* O' fælicem, ac terque quaterque beatum Virum hunc cuius Spiritus manibus Virgineis commendatur! Quæ vis, licet validissima atque Tartarea, eam de manibus illis præpotentibus erepturа est? Potius clauam Herculi, quam animam Virgineis manibus commendatam extorseris.

Exemplo S. Martini Dæmoni moriēs insultat.

73. Quare præclarè Richar. à S. Laur. libr. 2. cap. 1. varias indagans causas, ob quas seruiendum Deiparæ, vigesimam nonam posuit hanc: *Quia salus nostra in manu illius est, vt ei dicere multo verius valeamus nos Christiani, quā dixerint Aegyptij Iosepho. Sal⁹ nostra in manu tua est, respiciat nos tātū Domina nostra, & læti seruiemus Filio eius Gen. 47. Ipsa enim est causa salutis generis humani, & quædam ratio, ac complementum post Filium suum omnium, quæ facta sunt, & quæ futura sunt.* Quis igitur non animitus, non medullitusque seruiat Deiparæ, in cuius manibus animæ suæ saltem, atque adeo bonorum omnium complementum, æuiternam nempe beatitatem constitutam animaduertit?

Salus nostra est in manibus B.V secura.

72. Quam ob causam quod Orpheus libro de lapillis, Mercurio attribuit, habere nempe illum antrum quoddam, siue speluncam omnium bonorum commodorumque copiâ refertissimam, id lōgè potiori iure attribuendum est Matri summi, æternique boni, bonorumque omnium fonti post DEVM, ipsi videlicet sacratissimæ Deiparæ; quæ dum animam nostram in manibus suis saluat, & ad sempiternam felicitatem ad videndū in cælis clarè DEVM, quasi manu ducit, nobis mensuram bonam cōfertam, coagitatam ac superfluentem bonorum omnium in sinum nostrum infundit. *Vnde merito illam velut Mercurium, Prudentiam, seu Sapientiam cordis, nos manu per huius periculosæ viæ auia, deuiaque deducentem, & introducentem in terram illam viuentium, de qua canebat Dauid: Credo videre bona Domini in terra viuentium*, appellare possumus; de qua idē Orpheus sic cecinit:

Mercurius habet antrū bonorū omnium refertissimum.

B.V Prudentia est, seu sapientia cordis, quæ nos ad æterna bona deducit.

At quemcunque virum ducit Prudentia cordis
Mercurij, ingreditur speluncam, plurima vbi ille
Deposuit bona, stat quorum prægrandis aceruus.
Ambabus valet hic manibus sibi sumere, & illa
Ferre domum; valet hic vitare incommoda cuncta.

In spelunca Mercurii reperitur plurimorum bonorum prægrandis aceruus.

75. Agnouisse visus est Antrum quoddam bonorum omnium esse Deiparam Sapientissimus Idiota cum velut Sapiētissimum Oraculum de tripode Phœbi illud pronunciauit: *Inuentâ Mariâ inuenitur omne bonum, ipsa enim diligentes se diligit, & seruientibus sibi seruit.* Agnouit, & Richardus à S. Laur. libr. 2. part. 1. cum inter varia motiua nostram voluntatem ad seruitium Deiparæ allectantia disquirens, sextum posuit hoc idem Idiotæ: *Quia inuentâ Maria inuenitur omne bonum. Vnde ipsa ait Prou. 8. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Ecce vita gratiæ in præsenti, & salus æterna in futuro, & in his duobus consistit quicquid nobis ad bene fœliciterque viuendum necessarium est. Hinc de Virgine nostra beatissima dicitur: Prou. 18. Qui inuenit mulierē bonā, inuenit bonū, & hauriet iucunditatē à Domino, iucunditatē inquam duplicem, conscientiæ hic, lætitiæ in futuro.* Idem Rich. Deiparam magnū quoddā ingensq; bonum, diuitiasque incomparabiles, in ipsa, velut in antro Mercurij, reconditas agnouit, cum in secunda causa, ob quam illi seruiendum est, addidit: *Honorare siquidem Mariam thesaurizare est sibi vitam æternam. Nam vt ait Eccli. 3. Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat Matrem suam. De hac Matre præcipitur potissimum: Honora Patrem, & Matrem tuam, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram, quam Dominus DEVS daturus est tibi.* Verè ipsa tanquam Pater, & Mater simul nobis honoranda est, quia humanato Dei filio, ipsa & Mater, & Pater quodammodo nobis extitit, dum non modo passiuè, vt Mater, verumetiam actiuè vt Pater, purissimum semen ope Spiritu S. subministrando, ad ipsius tēporalem generationem concurrit.

B.V. est quoddam Antrum Mercurii omnium bonorum copia refertum.

Qui inuenit Mariam inuenit omne bonum ac vitam æternam.

M. Mulier bona, qua inuenta, inuenitur omne bonum, & hauritur iucunditas à Domino.

Honorare Mariam, est thesaurizare.

De honorād. Maria potissimum habemus quatuor præceptum.

76. Agnouisse visus est Beatam Virginem Antrum quoddam esse bonorum omnium Ioannes Patricius Romanus cum lectissima sua Coniuge pari nobilitate. Hi enim cum liberis carerent, quos bonorum hæredes relinquerent, suā hæreditatem Sanctissimæ Virgini Dei Matri voto obtulerunt, ab ea summis precibus assiduè petentes, vt in quod pium opus eam pecuniam potissimum erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum

Ioannes Patricius Romanus agnouit B.V antrū bonorum omnium dū eam hæredē instituit.

rum preces, & vota ex animo facta B. V. benignè audiens miraculo comprobauit. Nam 5. Augusti die noctu nix partem collis Exquilini contexit. qua nocte Dei Mater ſeparatim Ioannem, & Coniugem in ſomnis admonuit, vt quem locum niue conſparſum videret, in eo Eccleſiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur, ſe enim ita velle ab ipſis hæredem inſtitui. *Cuius voluntati magna voluntatis promptitudine obtemperantes ſumptuoſiſſimam illam Baſilicam S. Marię Maioris ingenti pecuniarum profuſa vi ædificarunt, ſperantes ſe à benigniſſima Virgine alia longe maiora atque immarceſcibilia bona in cælis obtenturos.*

77. Horum pientiſſimorum Côiugum exemplum ſecutus Martinus de Frangipanibus ſegniæ, Vegliæ, Modruſſiæque Comes, ex antiqua Aniciorum Romanorum oriundus familia prope Arcem ſuam Terſactum, eo in loco in quo S. Domus Lauretana poſt diſceſſum ex Nazareth tribus Annis, ſeptem menſibus, & diebus quatuor commorata eſt, Templum Diuinæ Matri, cum Monaſterio Patrum Minorum de Obſeruantia conſtruxit. Anno Domini 1431. Libat hic aliqua ex diplomate illius fundationis ex ſcribere, quæ miram illius Comitis in B. V. affectum ſpirant. Sic igitur ille: *Significamus omnibus, quod nos vna cum conſorte noſtra chariſſima Domina Vrſia Comitiſſa, conſiderantes quod ſobole ex vtero noſtro caremus, quam poſſeſſionum noſtrarum relinqueremus hęredem, elegimus pleno affectu, animo deliberato, ac tota voluntate habere ſub Deo Patre, & Chriſto eius filio Beatam, Glorioſam Virginem Mariam pro noſtra, hęredumque noſtrorum Patrona, & Domina, ipſamque ſpecialiter elegiſſe, eidemq; nos tota deuotione adſtringi. Proinde ad laudem Omnipotentis Dei, & B. M. V. honorem, & Chriſtiani populi vtilitatem decreuimus ædificare à fundamentis Eccleſiam in honorem intemeratæ, & Glorioſiſſimæ Dei Genitricis V. M. ob ſpem, & deuotionem quam eidem gerimus. Atque vt clarè, oſtendat pius Comes ſe in Deipara agnoſcere antrũ quoddam æuiternorum bonorum omnium, circa finẽ diplomatis hæc attexit. Idcirco per præſentes legauimus, & contulimus; bona videlicet omnia ſita in Monte Terſatto; confidentes dei Saluatoris promiſſione, quibus, qui ob ſui amorem relinquunt, pollicitus eſt reſtituere centena pro vno, & etiam vitam æternam daturum, vt etiã nos cohæredes facere dignetur, propterea ipſum Saluatorem D. N. IESVM Chriſtum, & ſuam benedictam Matrem Virginem Mariam poſſeſſionum prefatarum, tenore præſentium Hęredes inſtituimus, creauimus, & fecimus iure perpetuo, & irreuocabiliter. Imprecantes omnes, & eorum conſcientiam onerantes, quod huic noſtrę voluntati, donationique auſu temerario non cõtradicant nec quidquam minimum vſurpando, vel Chriſtum Dominum, & eius Matrem exhęreditare præſumant; & ſi fecerint, tales temerarij cogantur reſpondere coram tribunali D. N. IESV Chriſti in die iudicij, nouerintque iuſto Dei iudicio ſe exhæreditandos de Regno cęlorum. Iccirco omnes tales cuiuſcunque ſtatus conditionis ac præeminentiæ exiſtunt, qui hanc noſtram donationem infringere ſtuduerint, vel operam dederint, maledictionem, & indignationem Dei omnipotentis, B. V. M. beatorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli totiuſque curiæ cæleſtis, eo facto incurrant.* Sic Comes Deiparæ addictiſſimus, ac liberaliſſimus.

Martinus de Frangipanibus B. V. omniũ ſuorũ bonorum hæredem inſtituit.

78. Porrò inter hæc eximia bona, quæ à Deipara, tanquam ab antro Mercurij nobis emanant, illud in poſtremis non eſt numerandum, quod Morte ſuâ, mortem noſtram quodammodo cicurarit, eamque facilem, ſuauemque reddiderit adeo vt clientulorum ipſius mors placidus, iucundiſſimuſque ſomnus eſſe videatur. Vnde mors eius aſcẽſus quidam per deſertum, ſed plenus delicijs cenſebatur. Quam ob cauſam iure merito tã dulcem, cælique delicijs redundantem Mortem Angelicę mẽtes demiratæ ſunt, dicentes: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens innixa ſuper dilectum ſuum?* Quæ verba ponderans S. Bernar. ſerm. 4. de Aſſumpt. *Hinc eſt quod, & ipſi curiæ cęleſtis Principes,* inquit, *in conſideratione tantæ nouitatis clamant non ſine admiratione: Quæ eſt iſta, &c. ac ſi manifeſtius dicant: Quanta eſt hæc, & vnde ei aſcendenti de deſerto affluentia tanta deliciarum? Nec enim vel pares inueniuntur delicię in nobis, quos in ciuitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloriæ potamur. Quæ eſt iſta, quę de ſub ſole, vbi nihil eſt, niſi labor, & dolor, & afflictio Spiritus, aſcendit delicijs ſpiritualibus affluens?* Hinc S. Damaſcen. orat. 1. de dormit. B. V. ipſam alloquens: *Quocirca non te mors beatam reddidit, ſed ipſa mortem exornaſti, vt quæ eius mœſtitiam ſuſtuleris, ac mortem gaudium eſſe plenum feceris. O res ſummę admirationis plenas. Mors odio, & execrationi prius erat, nunc commendatur ac beata cenſetur! Quę olim luctum, ac mærorem lacrymaſque, & triſtitiam afferebat, nunc gaudij, ac lętę celebritatis cauſa extitit.* Sic ille.

B. V. Morte ſua feritatem noſtræ mortis cicurauit.

Mors B. V. fuit aſcenſus per deſertũ deliciis affluens, quas admirati sũt Angeli.

B. V. Mors beatificata nõ reddidit, ſed potius ipſa Morte beauit, ac exornauit, eiuſque mœſtitiam ſuſtulit.

79. Hinc S. Amadeus Epiſc. Hom. 7. Vitam potius, quam mortem, Virginis, ex hac vita deceſſum vocitandum arbitratur: *Orienti magis,* inquit, *quam morienti, & abituræ magis, quam obituræ caſtra Dei, & ruunt obuiam ei exercitus militiæ cęleſtis.*

Vita nulla adæquatur Morti Deiparæ, nec vlla gaudia ipſius funeri.

Quę vita adęquabitur morti eius? Quæ gaudia funeri eius? Neque verò solùm mors Virginis Vita, sed vita ęterna, beatifica visione, ac fruitione Dei constans, appellanda est. Vnde rursus S. Damascen. orat. cit. *Ac proinde sacram tuam migrationem mortem haud quaquā appellabimus, sed somnum, aut perigrinationem, vel, vt aptiore verbo vtar, cum Deo præsentiam.* Quam ob causam Hesychius Hierosolymitanus serm. 2 de laud. Deip. inter varia eius elogia, illa præclarissima numerauit: *Virgo planta incorruptionis, Paradisus immortalitatis, mulierū egregia, è Virginibus electa, præclarum Naturę nostræ ornamentum, gloria luci nostr, quę Euam pudore, Adamum comminatione liberauit.* Verè Virgo Planta incorruptionis extitit, cum sepulchro commissum corpus eius sanctissimum, nullis sepulchri iniurijs, non corruptioni, non cineri, non vermibus fuit obnoxium. Verè Virgo Paradisus extitit immortalitatis, cum, illa Mors sæuitiem, quæ in protoplastos in loco illo voluptatis debaccata est amiserit, eua seritque vti diximus, sopor dulcissimus, & summa cum Deo per intellectum, affectumque vnio. Verè denique Virgo nostra Euam pudore liberauit. *Eua enim ab Adamo, quasi per Ironiam Mater cunctorum viuentium vocata est, cum illa pomum Adamo porrexerit, eique simul, atque vniuerso humano generi mortem propinarit, ac proinde potius Mater morientium fuerit vocitanda. Dum ergo, moriente Deipara, Mors ipsius mansuefecit, ac cicuratur, eiusque fidelibus amatoribus, ac clientulis ad instar somni euadit suauis ac iucūda, irrision, ac scommate Eua liberatur, & verè, non autem Ironicè, Mater viuentium, beneficio obitus Deiparę, tam officiosi, ac benigni nuncupatur.*

Mors B.V. vita æterna visione, & fruitione Dei constās, appellanda est.

Sara B.V migratio, non mors sed sōnus, & cum Deo pręsētia appellanda.

B.V. Paradisus immortalitatis, quia.

B.V Euā pudore liberauit, & quomodo?

80. Cum igitur Morte Deiparæ, mors amatorum ipsius sit mansuefacta, dicamus illi, quod Abraham dixisse fertur Sarę; quæ typus extitit Virginis, postquā sublata est Mulier in domum Pharaonis Gen 12. v. 15: dicamus, inquam illi: *Interficient me, & te reseruabunt; Dic ergo obsecro te, quod soror mea sis, vt benè mihi sit propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* Reseruata es, ac præseruata, ò Virgo à crudelitate mortis quæ in te suum aculeum, stimulumque amisisse visa est, dic ergo Patri æterno, quod soror mea es, siquidem vti per adoptionis gratiam excellentiorem filia es Patris æterni, ita ego quoque, pro modulo meo filius sum eiusdem Patris, atque ita iam in cæli curiam sublata, ac translata impetra obsecro per viscera misericordiæ, per tranquillissimam illam tuam mortem, per passionem, mortemque dulcissimi filij tui, vt benè mihi sit propter te, eodem tuæ mortis suauissimæ bono perfruendo, & anima mea, vitâ illâ fœliciori, quę in Diuinæ pulchritudinis contemplatione, amoreque consistit, æuiternum viuat, ob tui gratiam, quam quidem copiosissimam totius vitæ decursu, sed tamen in tremendo illo mortis articulo mihi vberiorem ad hoc dari efflagito, vt suauem, mansuetamque tuæ illi, quam simillimam mortem experiri dignus inueniar.

Sara typus Deiparæ.

B.V. præseruata à crudelitate mortis oranda vt suauem ac tranquillam mortē nobis concedat.

81. Similem gratiam à Virgine illa postulare visus est optimus eius S Bonauentura, qui verba illa Abrahami ponderans in specul. cap. 6. humiliter eam rogabat. *O' Maria, ò Sara nostra, dic quod sis soror nostra, vt propter te benè nobis sit à Deo, & ob gratiam tui viuant animę nostrę in Deo. Dic, inquam, charissima Sara nostra, quod sis soror nostra, vt propter talem sororem Aegyptij, idest, Dæmones nos reuereantur; vt etiam propter talem sororem Angeli nobis in acie coniungantur, vt insuper propter talem sororē Pater, & filius, & Spiritus S. nostri misereantur. Quę sanè si à Virgine impetramus, mansuetam, placidam, ac benignam, ipsius non absimilem mortem obeamus, necesse est.*

S. Bonau. se B.V. cōmendat, vt bene sit sibi in morte propter illam.

82. Quam benignam DEVS bone, officiosamque mortem experta est beneficio Virginis S. Maria Oegniaciensis, de qua Iacobus Cardinalis de Viatico scribit, quod tāto amore in gloriosissimam ferebatur Virginem, vt intra 24. horas millies, ac centies genua flectens eam salutaret, idemque salutandi, Angelicā salutatione officium 40. dies continuaret. Hæc eadem quotannis Deiparæ Ecclesiam ad duo milliaria distantem, rigente hyeme, nudis pedibus inuisebat, illoque die, ac sequenti nihil omnino edebat, totamque noctem peruigil in Ecclesia ducebat. *Quæ in via flexuosa adeo, nec satis ei nota præeunte lumine, atque Angelis eam dextrā, læuāque sustentantibus, nūquam errabat; imo, & inter imbres de cęlo ruentes, diuinitus interdum intacta domum redibat.* Eadem hæc sancta subinde vltimæ ægritudinis suæ tempore frequenter à Deipara visitata fuit, vt & à Christo Domino, & ab Angelis, qui ei famulabantur, & dum ei surgendum erat sustentabant, in lectulumque reponebant. Paulo ante mortem, quam sibi suauissimam mansuetissimāque fore augurans, ad instar Cygni Virgineum Canticum, magnificans animitus Dominum, Spirituque exultans iucundissimè modulata est. Vnde, & meruit, vt morienti adesset ipsa Deipara, cum

S. Mariæ Oegniacensis fælix, & tranquilla mors.

S. Maria Oegniacensis intra 24. horas millies ac cēties genua flectens B.V. salutabat.

In mortis articulo Canticum B.V. cantat.

Extrema vnctione à Christo munitur.

cum filio, & omnibus sanctis Apostolis, dum extremæ vnctionis sacramento tãquam Dei armaturâ à Christo muniretur. Qui quo iter æternitatis fęliciter ingrederetur, essentq; pedes eius pulchriores in calceamentis, ex imitatione mortis Virgineæ, signum crucis ad eius fixit pedes, atque ita viam eiusdem Virginis, per desertum hoc mundi ingressa, cælestibus affluens delicijs, tam nobilibus vix comitibus sociata, mortem humanissimam experta est.

Christus pedibus M. oegniacensis signum Crucis infigit.

83. Cantator quoque Cygnus fuisse visus est S. Antonius de Padua, qui cum tota vita cultui Deiparę impėsè admodum esset addictus, in extrema vitæ periodo, ei pia Mater ad ipsum solandum adesse non est dedignata, quo humanã cicuremque mortem experiretur. Quam porrò suauis illa ipsi extiterit, testatur Hymnus, *ò gloriosa Domina*, immediatè ante mortem singulari pietatis sensu decantatus, quem etiam dum viueret sępius in eiusdem honorem iterabat. Cuius Hymni virtutem licet aliàs sæpius, sed tunc vel maximè experiri meruit, cũ Cacedæmon fructui, quem ex concionibus reportare solebat vberrimo, inuidens, nocte quadam, quadragesimalis ieiunij tempore, sancti viri guttur, magnâ vi compræssisset, vt eum suffocaret; qui mox Deiparæ sanctissimum Nomen inuocans, Cruceque se signans, simulque Hymnum illum concinẽs nequissimum Spiritum effugauit. *Cupis in articulo mortis vim Dæmonis eneruatam, mortemque mansuefactam? Hymno huic iterandô assuesce. Vires illius, cui velut lignum putridum est æs, infregeris, mortem cicuraueris, & mitem blandamque ad instar Virgineę, nullo negotio effeceris, animamque adeo facile creatori tuo, perindè, atque si Mercuriali Virga contactus fores reddideris.*

S Antonii de Padua fœlix mors intercessione B. V.

Hymno ò gloriosa Domina, Dæmonem abigit.

84. Neque verò solum Mercurialis hæc Virga Virgo gloriosissima animas è corporibus educit quam felicissimè, & in campos illos Elysios æuiternæ patriæ introducit, verumetiam ab orco reuocat. Quod alibi fusè comprobatũ, ostensumque, quanam ratione clementissima Virgo ab ipsis Tartari faucibus peccatores grauissimis sceleribus contaminatos, Dæmonumque prędam effectos in vitam ad pœnitentiam, de admissis criminibus agendam reuocarit. Proinde iure merito Bernardinus Bustius ad calcem sui Marialis ita Virginem deprecabatur: O' *filia Patris æterni, ò Genitrix Diuinæ Maiestatis, ò sponsa Paracliti, ò Regina, & Imperatrix orbis vniuersi, defende nos à malignis spiritibus, & fac vt in die iudicij audiamus Vnigenitum filium tuum nobis dicentem: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum ab origine mundi, in quo Regno perenniter te laudare, & glorificare vna cum filio tuo valeamus.*

B. V. peccatores sibi deuotos ab ipsis Orci faucibus reuocat ad agendam pœnitentiam.

85. Huiuscé contra Tartareos hostes protectionis Virgineæ, testis est Canonicus ille, de quo Pelbart. libro 4. Stell. Par. 1. art. 3. *circa finem, qui cum perpetrato adulterij scelere in villa quadam, per mare domum remearet, pensumque horarum nauigans Diuę Virgini persolueret, ecce tibi coorta tempestate nauis euersa est, moxque turba Dæmonum adfuit, qui demersi illius Canonici animam, ad Inferos raptabant, cum illico Misericordię Mater illi adfuit, eamque à Cacodæmonum vnguibus, Orcique pene faucibus liberauit.* Et licet maligni spiritus fremerẽt, ac conclamarent, Animam illam ipsorum esse, eo quod in opere eorum, adulterio videlicet, esset depræhensa, nihilominus tamen Mater piëtissima retorto argumento, summâ cum pietate eam defendit, *Si illius esse debet*, inquiens, *in cuius opere ex hac vita decessit, meus sit oportet, siquidem in meis recitandis laudibus versabatur cum eum submersistit. vnde magis vos rei estis supplicij, quia contra me iniquè egistis, seruum meum demergendo.* Quibus auditis nimium quantum consternati, confusique Dæmones, fugâ sibi consulucre. Tum Virgo clementissima animam illam manu sua appræhensam ad corpus reduxit, inque vitam reuocauit, deque maris profundo, ad instar Mosaycæ Virgæ mare diuidendo, & velut murum à dextris, ac sinistris erigendo, ad portum incolumem stitit. Tanta Virginis beneficentia, prodigijsque attonitus coram illa in genua prouolutus, ac prostratus summo pietatis affectu exclamauit: *Charissima Domina, & Virgo sanctissima, quid tibi pro tantis retribuam beneficijs?* Cui Virgo: *Precor te, imò & committo, ne amplius adulterij crimine te commacules, & vt immaculatę Conceptionis meæ diẽ festum sexto Idus Decembris & tu solenniter semper celebres, & alios ad celebrandum tua prædicatione pertrahas.* His tandem vir piëtissimus Perbartus saluberrimum mox annectit documentum: *Ex hoc exemplo accipe ò fidelis anima Christi sanguine redempta, quam vtile sit pię huic Virgini deseruire, siquidẽ suos deuotos in necessitatibus, ac periculis minimè deserit, imo tanquam Mater clementissima se honorantes à perpetua damnatione preseruat, et in cęlesti gloria honore felicissimo exaltat.* Ergo ò *Mater omnipotentis Dei vnica salutis nostra spes! O' Angelorum Domina nos miseros ad te clamantes, oculo pietatis intuere, & da nobis sic te venerari in terris, vt in ęternum te videre,* &

Canonicus horas B. V. persoluens immergitur, & a B V. à Dæmonum vnguibus liberatur.

B. V Canonici submersi contra Dæmones causã suscipit.

B. V. Canonico à Dæmonum vnguibus liberato mandat vt immaculatã conceptionẽ celebrandam prædicet.

& de tua puritate immaculata, in gloria per tua merita exultare valeamus in cælis.

85. Testis est Sanctimonialis illa de qua P. Antonius Spinellus Tractat. de Exempl. sect. 4 Huic Virginis beatissimę amor assiduaque eiusdem memoria mirificè ab ineunte ætate cordi succreuęrat, alteque radices egerat. Verum successu temporis ardore hoc amoris intepescente, humani, mundanique affectus incaluerant. Itaque cum quidam nobilitate, opibusque celeberrimus, amore eius esset captus, blandis literulis, ingentibus promissis eam ad defectionem à religione, sacrilegasque nuptias solicitat, & facile in via virtutis iam tepescēti persuadet. Monasterio ergo egressa ad domum parentum se recepit. Per quietē prima nocte supra os profundissimum ingentis putei teterrimum fætorem nebulamque exhalantis, qua aer totius mundi infici, sol obscurari videbatur, se positam animaduertit. De puteo hoc turpissimi, putidissimique ebulliebant vermes, ac serpentes; horribilis eorum, qui ibidem cruciabantur, clamor, dentiumque fremitus, immanesque clamores personabant; hæc dum horrescit, vidit; ex puteo illo duos ignem, flammasque vomentes Aethiopes exilire, à quibus cum raperetur ad supplicia, circumstantiumque auxilium frustra imploraret, tandem circumspiciens à longè stātem, auersa à se facie videt Deiparā, magnaque voce affectuque exclamat: *Domina Domina subueni ancillæ tuæ in tam amara necessitate constitutę*. Ad pietatem tandem mater misericordiæ flexa, eam accessit, benignè manum simul, opemque porrexit, mox atrocissimi illi tenebriones perinde, atque ad lucis exortum nox effugatur, euanuere. Tum Virgo benignissima eam amanter sic consternatam, gementem, singultientemque corripuit: *H sunt, inquiens, fructus libidinis; hoc præmium voluptatis.* Atque ita increpitam castigatamque ad monasterium redire, pęnitentiamque seriam agere iubet Quod & præstitit magnoque deinceps feruore, pristino illo resumpto Spiritu, in via Diuini, Virgineique seruitij magnis passibus progressa est, repudiatisque carnalis Sponsi sacrilegis nuptijs, tandem ad Nuptias illas æuiternas cælestis Agni translata est.

Sāctimonialis a quodā turpi amasio seducta à B.V. in viam salutis reducitur.

Sāctimonialis in damnationis periculo constituta à B V liberatur.

86. Non minus mirabile Virgineæ in genus humanum pietatis testimonium est; illud quod Hugo Cluniacēsis Abbas, de quodam suo Monacho, qui Giraldus appellabatur, apud Autorem anonymum lib. de Coronis B.V. memoriæ prodidit, Hic enim antequam Religionē esset ingressus peregrinationem ad S. Iacobum Compostellam instituens, pridie quam ad iter se accingeret, in fœdissimum peccatum sensus fuit prolapsus. Dum peregrinationem suam prosequitur, ecce tibi Cacodæmon specie, habituque S. Iacobi ei fit obuius, hortatur callidissimè, vt si tanti peccati veniam velit consequi, sibi violentas manus inserat, atque ita non modo tanti peccati maculam abolebit, sed & ingens consequetur in cælis præmium. Fecit infelix quod callidus veterator suasit, ferro sibi guttur trāsuerberat, & absque dolore de tam atroci perpetrato scelere infelicissimè moritur, mox anima misera à teterrimis Orci satellitibus raptatur ad inferos. Quibus S. Iacobus cum S. Petro vbi occurrisset, cerneretque suum peregrinum adeo piū, tam indignè raptari, sese furori ipsorū opposuit, animamque de illorum vnguibus, fuucibusque eripere conatus est. Sed cum illi proteruè resisterent, eiusque scelera, longā serie commemorarent, S. Iacobus ad tribunal prouocauit Deiparæ, quæ velut Misericordiæ, immensæque pietatis Mater, mitissimam tulisse fertur sentētiam vt nimirum rursus ad corpus reuertatur, in eoque dę commissis sceleribus pænitentiam agat. Quod & factū est, in corpore ipsius, gutturis reseruatā cicatrice, qua sibi in posterum Virgineæ beneficentiæ gratā memoriam in mentem reuocaret, ipsiusque, pius deuotusque cultor totius suæ vitæ decursu perseueraręt. Nec votis suis frustrata fuit Deipara. Cluniacensem enim postea ordinem ingressus, omnis virtutis pietatisque in Deiparam speculum extitit. Testis quoque Virgineæ in genus humanum pietatis extitit alter Religiosus, de quo scribit Syluanus Razzius Camaldulensis lib. 2. Miraculorum B.V. cap. 45. Hic cum multo tēpore in quodam Monasterio S. Petri honori dedicato dissolutè, atque irreligiosè vixisset, derepente, absque confessione obijt. Cum ergo ipsius anima ad portas inferi rapta fuisset à Dæmonibus, S. Petrus in cuius protectione erat Cœnobium illud, Christum Dominum adijt, & pro anima illa miserrima, vt à captiuitate Dæmonum liberaretur supplicauit. Ad quem Dominus: Nescis meum Prophetā, me inspirante dixisse: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte Santo tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* Qua ratione igitur hic saluus esse po-

Monachus Compostellam proficiscens Dæmonis suasione sibi guttur cultro trans figit, & a B V. à damnatione liberatur.

S. Iacobus peregrinum, sibi deuotū à Dæmonibus liberare conatur.

tc-

terit, siquidem non est ingressus absque macula dũ viueret, nec vti debebat operatus est iustitiam? Quibus auditis, Apostolorum Princeps accessit ad Christi Matrem, vt ipsa secum cum reliquis, quibus stipata erat Virginibus, filio supplicaret, & animam illam ab æterna damnatione liberaret. Quæ mox pro solita sua facilitate ac benignitate dilectissimum suum filium interpellauit: Cui ita ille respondit: *Quia tibi Mater mea charissima placet, vt miser hic suorum criminum consequatur indulgentiam, votis tuis libenter annuo, animamque eius corpori restituo, vt actâ pœnitentia, æterna requie perfruatur.* Hac sempiterni Iudicis miti auditâ sententia, eam illico Deipara indicauit Apostolo, qui magnâ illa sua claui, quam in manu sua gestabat, Dæmonum turbam abegit, animamque illa manibus eorum eripiens, duobus Angelis commendauit, vt eam ad corpus reducerent. Atque ita Religiosus ille rediuiuus, omnia quæ illi contigerant ex ordine recensuit, & Diuæ Virginis clementissimæ suæ liberatricis, vt, & Apostolorum Principis laudum præconia pleno ore celebrauit.

87. Quid iam de animarum à Purgatorijs ignibus dicemus ereptione? Deipara sane tanquam Mercurialis quædam Virga has quoque euocat Orco suis efficacissimis precibus, ac patrocinijs, eisque velut Mater copiosissimâ charitate succurrit. Ipsam S. Brigittæ lib. 4. Reuel. cap. 138 loquentem audiamus: Ego sum Mater omnium, qui sunt in Purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur. Ita placet Deo, vt aliquæ ex his pęnis, quæ debentur eis de rigore diuinæ iustitiæ minuantur. Imo eadẽ Virgo sæpe sępius animas sibi deuotas ab illis flammis præseruat, ne in illas incidant. Vnde libro de gestis Virorum illustrium solitudinis Villariensis legitur, quod gloriosissima Virgo Fratri Abundo nuntiarit; *Frater Abunde,* inquiens, *dic fratri Godefrido, vt proficiat de virtute in virtutem, sic erit Filij mei, & meus Monachus; & cũ migrauerit anima eius à corpore, non dimittam eam venire in Purgatorium, sed suscipiam eam, & offeram Filio meo.*

88. Ostendit magnum hunc pietatis affectum in animas hasce vltricibus flãmis vstulatas, Ioanni Ximerio Societatis nostræ operis domestici Adiutori. Hic enim dum coram Deiparę, cuius studio mirificè tenebatur, Icone feruentius pro animabus hisce Purgatorijs ignibus cruciatis deprecaretur, earumque acerbissimos reuolueret dolores; audita est ab Icone illa, hæc vox: *Et tu quoque earum memineris.* Ad quam Ximerius: *Id verò præstabo Domina.* Quare deinceps omnia seu bonorum operum merita eis applicuit, Virginem cęlorum Reginam obsecrando, vt quantocyus, de igneis illis ergastulis liberarentur; vt scribit Pater noster Antonius Balinghen in Kalend. B.V. 24. Febr.

89. Magnum quoque pietatis affectũ ostendit Virgo benignissima erga illam Christo dicatam Virginem, de qua supra memoratus Syluanus eodem libr. 2. Mirac. cap. 52. scribit. Fuit hæc cultui Deiparæ apprimè dedita, multaque obsequia in honorem ipsius exhibebat, ieiunijs, atque orationibus semper intenta. Verum cum aliquantulum hæc in Virginem sua intepuisset pietas, Cacodæmonis insidijs circumuenta in peccatũ carnis prolapsa est. Sed mox ab Illuminatrice Maria illustrata, fœditatem suæ agnoscens culpæ, ad Abbatissam magnâ animi demissione accurens, ac eius prouoluta pedibus delictum suum confessa est, assiduisque lacrymis tantum scelus deplorauit. Nec ita multo post actâ pęnitentiâ ex hac vitâ migrauit, & Cœnobij illius Præsidi sese visendam suffragiũ postulatura, exhibuit, eique dixit: *Mater mea ego sum in Ergastulis Purgatorij ignis detenta, vehementissimisque flammis cruciata, infraque sęculares fœminas proiecta, ob Virgineã stolam perditam. Scito tamen quod, mediante Virgine beatissima, in gratia Dei decedens à damnatione ęterna erepta sum. Ipsa siquidem stella maris tempestuosi huius vitę, dum in hiscè acerbissimis versor cruciatibus ad instar Solis resplendens mihi apparuit, meque mirificè consolata est. Ad quam ego magno singultu, ac fletu exclamaui: O' Mater misericordię, quid agam, heu me miseram, in tam fœdum scelus, acerbosque cruciatus huius loci prolapsa? Vbi eras Domina mea quando huc sum detrusa? Non audisti forsitã amarissimos meos eiulatus? cur clamores meos despexisti? Vidistinè ignes hos qui me tam acerbè torrent, nec consumunt? O' Virgo Mater succurre mihi quæso te velociter, nec permittas hiscè tam immanibus doloribus cruciari, sed solitâ tua pietate ac clementia exaudi me. Nosti quod semper te amauerim, & qui fieri potest, vt me non exaudias, meique obliuiscaris, quæ te toties Angelicâ Salutatione venerata sum? His meis querelis, hæc Virgo subintulit: Filia mea ego tibi semper ero propitia, & cito cruciatus hi terminabuntur. Et quia me quotidie Salutasti, mihique seruijsti, certo tibi persuade te minimè perituram, sed misericordia Filij mei saluandam.* Monialis in Purgatorio constituta à B.V. inuisitur, eiusque intercessione à pœnis illis eripitur.

Om-

Omnes siquidem, qui me inuocant volo illis potenter in omnibus eorum tam animæ, quam corporis periculis auxiliari. quibus eius mellifluis verbis auditis mirificè consolata sum. quare rogatam te velim ò Mater mea dilectissima, vt tam piæ huic Christi Domini Parenti studiosè ac diligenter deseruias, eique obtemperes, vt eius gratiam consequaris. Hæc vbi intellexisset Abbatissa, tota hilaris suas sorores conuocauit, eius totius rei seriem enarrauit, easdem cohortando, vt amarent Deiparam, eamque salutationibus Angelicis quemadmodum defuncta illa, honoraret, si à Purgatorijs flammis eripi, & vitam beatam in cælis consequi desiderarent. De hac animarum à Deipara ex Purgatorijs ergastulis fieri solita liberatione, præsertim die triumphalis ipsius in cælos assumptionis, consule Ioannem Gersonem Tractatu 4. in Magnificat, vbi ostendit per Angelos duxisse secum multam ex Purgatorio captiuitatẽ ob honorem suæ Coronationis. Idem Gerson, vt declaret vniuersim Deiparam non modo de Purgatorij ergastulis, verumetiam de omni Cacodæmonis tyrannide nostram pientissimam esse liberatricem ac Patronam, ac proinde vocari Equitatum Domini decurribus Pharaonis triumphantem, hæc attexit: *Causam meditor alteram, cur Maria cõparatur Equitatui Dei in curribus Pharaonis? Iam non propter se, sed propter nos viatores, quos à Diabolico Pharaonis defendit incursu. Confugiamus ergo ad eius opem, quoniam submergit Pharaonem istum Regem super omnes filios superbiæ, & hoc cum curribus, & equitibus amarissimæ pœnitentiæ lacrymosæ.*

90 Ex hactenus dictis perspicuũ euadit Deiparam potestatem in cælum habere, dum animas suis manibus illuc deportat; potestatem in terra, dum easdẽ corporibus solutas in sinum pietatis suę recipit; potestatem denique in inferno, dum easdem, velut Mercurialis Virga, è Purgatorijs ignibus, qui ab orci flammis, sola temporis alicuius definitione differunt, benignissimè eripit. Vnde quemadmodum Veteres, ob triplicem hanc potestatem, Mercurium tricipitem esse fabulati sunt: sic verè dicere possumus triplici quodammodo facie, præditam esse Deiparam ad piam ipsius in nos solicitudinem ac prouidentiam declarãdam, qua in omnes partes circumspicere videtur vt nobis in necessitatibus omnibus benignissimâ charitate succurrat. *Ob eandem amantissimam eius prouidentiam à Sanctis Epiphanio, & Ephræm, Multiocula, & quidam quasi Argus ad nostram custodiam, commodaque peruigilans appellata est.*

Mercurius triceps cur pingebatur.

B V. triplici facie quodãmodo prædita, vt in omnibus nostris necessitatibus nobis prouideat.

De Argo porrò sic cecinit Ouid. libr. 1. Metam.

B V. Argus quidam ad nos custodiendos.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inde suis vicibus capiebant bina quietem
Cætera seruabant, atque in statione manebant.

91. Crediderim etiam ideo Mercuriũ triplici capite, facieque ab antiquis exculpi consueuisse, ob vaticinia, quibus præterita, præsentia, ac futura intuebatur. Vnde Natalis Comes lib. 5. Mytho. cap. 5. elogium illud Apollinis illi attribuit; quod habet Ouid. libr. 1. Met.

Iuppiter est Genitor, per me quod eritq; fuitque,
Estque patet.

Qua etiam in re Virgo nostra Mercuriũ imitata est. Ipsa enim dono Prophetiæ ab ipso primæ Conceptionis instanti fuit exornata, cum, vt alibi docuimus, iñ vtero adhuc Matris futura præuiderit, suumque vaticinijs, ibidem plenissimum canticum meditata fuerit. Virgo denique est Prophetissa illa, de qua Isaias c. 8. *Accessi*, inquit, *ad Prophetissam, & in vtero accepit, & peperit Filium.* Quæ verba considerans Basilius Magnus: *Quod Maria Prophetissa fuerit, ad quam proximè accessit Isaias per prænotionem Spiritus, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Marię, quæ Prophetico afflata Spiritu elocuta est. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum, etc. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod si animum accommodaueris vniuersis eius verbis, non vtique contentiosè negaueris eam fuisse Prophetissam, quod Domini Spiritus in eam superuenerit, & virtus Altissimi obumbrauerit ei.* Vbi nobis innuitur tempus illud, in quo B. Virginis donum Prophetiæ in Conceptione acceptum, amplificatũ fuit, nempe in Incarnatione Verbi. Quod etiam confirmat S. Bernardinus Sen. Tom. 2. ser. 51. art. 3. cap. 1. In eisdem illis verbis Cãtici Virginei; *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Agnouit Prophætidem esse Deiparam S. Hildeph. ser. 2. de Assumpt. vbi sic loquitur: *Hinc quæso fratres mei audite Matrem Prophetissam Dei. Prophetissam dico, imo, vt ita dicam, & Euangelistam. Audite quæso Virgines, audiat omnis fœminarum ordo humilitatem tantæ Virginis, & nolite credere, si non iam, completa sunt omnia quæcunque prædixit per eam, quia ipsam repleuerat Spiritus veritatis. Ergo quando sancta, & venerabilis Virgo hęc dicebat, nescio vel si paucis in eadem gente Iudæorum nota fuisset, loquebatur tamen cum fide, & prędicabat, quæ futura nouerat. Dicebat autem humilis, & Ancilla, quæ se beatam nouerat. Quapropter quæso respicite terras qua-*

B. V. Prophetissa omnia præterita præsentia ac futura prouidens.

B V Prophetissa simul, & Euangelista.

quaſcunque ſol ſuo illuſtrat lumine, & videte, quoniam iam nulla pene eſt natio, nullaq; gens, quæ Chriſtum non credat; vbicunque Chriſtus colitur, & adoratur, venerabilis Dei Genitrix Maria, beata, & felix, nec non & Virgo prædicatur. Hoc itaque eſt quod dico, quia creditur. Et ecce per orbem terrarum vbique in omni gente, & omni lingua Beata Maria Virgo pronunciatur, & quot ſunt homines, tot habet teſtes. Sic ille.

Vbi Chriſtus colitur, & adoratur beata quoque ac fœlix Dei Genitrix prædicatur.

92. Agnouit quoque Prophetiæ ſpiritu præditam Deiparam B. Albertus Magnus Tractat. ſuper Miſſ. vbi oſtendit illam omnes illas Gratias gratis datas, quas commemorat Apoſtolus, ac præſertim Prophetiam in excellentiſſimo ſuper omnes creaturas habuiſſe gradu. Idque probat: *Prophetia ſecundũ Gloſſam eſt prędicere futura, quæ fit per diuinam inſpirationem. Igitur vbi improportionaliter Spiritus ſancti pręſentia eſt, & gratia, & inhabitatio, ibi improportionaliter diuina inſpiratio, & Prophetia. Hoc autem fuit in B. V. ſiquidem dixit illi Angelus Luc. 2. Spiritus S. ſuperueniet in te, &c. igitur ipſa in ſummo Spiritu Prophetię prædita fuit.* Quod ſi Salomon Sap. 7. de increata Sapientia aſſerit, *quod in animas ſanctas ſe transferat, & amicos Dei, & Prophetas conſtituat, vbi erit imporportionabilis translatio, ibi conſequenter erit, & improportionabilis Prophetia, atque amicitia; hoc autem totum fuit in beatiſſima Virginis Anima, omnium creaturarum Dominæ.* Habuit igitur Virgo noſtra in ſummo gradu Prophetiam.

B. V. habuit omnes gratias gratis datas, & per conſequens Prophetiam.

Quia B. V. plena fuit Spiritu S. fuit etiam plena ſpiritu Prophetiæ.

93. Quod ſi iuxta verbum Chriſti Matth. 11. *Lex & Prophetę vſque ad Ioannem, & hic fuit Propheta, & pluſquam Propheta, eo quod ſolem iuſtitiæ digitó demõſtrauerit, & improportionabiliter plus ſit ſolem hunc ipſum generare, nobiſque communicare, quam digito demonſtrare; & Ioannes ad demonſtrationem illam Propheta, & pluſquam Propheta dictus eſt, à fortiori Beata Virgo, ob generationem illam, Prophetiſſa nuncupatur;* de ipſa enim Iſaias cap. 8. vaticinatus eſt: *Acceſſi ad Prophetiſſam:* vbi Gloſa addidit: *Ad Virginem Mariam, quę Prophetiſſa per excellentiam vocitatur.* Quod ſi Caiphas, cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, vt ait Ioann. 11. improportionabiliter ſanè B. Virgo omnium Regina, & Imperatrix in æternum, ſuper omnes gratiam Prophetiæ habuiſſe debuit. Gratiam hanc denique prophetandi, quod ſummâ cum excellentiâ poſſederit, per effectum demonſtrauit, quãdo ſecretorum conſcia, ac futurorum præſcia miniſtris nuptiarum dixit: *Quæcumque dixerit vobis facite Ioan. 3. prævidebat ſiquidem Spiritu Prophetię, quod filius aquam in vinum erat conuerſurus.* Hæc Alber. *Cui Euſebij Gallicani addenda pulcherrima ſententia, qui Diuinum aliquid inditum fuiſſe Deiparę inſinuat, quod cogitationes Filij penetrauerit, cum Dei ſolius ſit proprium ſecretum cordis compręhendere.* Sic igitur ille ſer. 1. dę Natiu. *Filij ſui cogitationes cognouiſſe,* inquit, *ex eo intelligere poſſumus, quod ad nuptias vocata, hoc quod ille facere diſponebat, ipſa vt faceret admonebat, dicens; Vinum non habent, cui cum ille reſponderet: Quid mihi, & tibi eſt Mulier? non dum venit hora mea; Ipſa futura prænoſcens ait miniſtris; Quodcunque dixerit vobis facite. Hoc n. illa non dixiſſet, ſi cogitationes eius non cognouiſſet.* Hinc Apollinarius cap. 2. Cãt. Grecæ à P. Corderio noſtro Latinitate donatæ: *Nouerat,* inquit, *Mater Domini ſibi, vt filium, morem geſturum.*

S. Ioannes Propheta fuit, & pluſquam Propheta eo quod ſolem iuſtitiæ digito mõſtrauerit.

B. V. per excellentiam Prophetiſſa appellata.

B. V. diuinũ quid inditũ fuit, quod cogitationes filij penetrauerit.

94. Hanc adeo eximiam, ac ſuper omnes creaturas eminentem prophetandi gratiam Pelbartus libr. 7. ſtell. P. 3. art. 3. vocat ſtellam vnã ex his duodecim, quas Ioannes Virgineum verticem coronantes, contemplatus eſt. Idem deniq; Pelbartus lib. 2. Par. 1. art. 2. prophetię Virginalis ſuper omnes ſanctos excellentiam confirmauit his verbis: *Moyſes, & omnes Sancti Prophetę hanc benedictionem habuere, vt DEVS illis, præterita, præſentia, & futura reuelaret, maximè, quę ad filij Dei Incarnationem pertinebant. Sed B. V. M. omnia fidei ſacramenta, certa experientiâ in ſeipſa cognouit cum Chriſtum Dominum in vtero geſtauit; omnem etiam prophetice Illuminationis pleniſſimè gratiam habuit.* Vnde ipſa prophetauit de præterito cum dixit: *Fecit potentiam in brachio ſuo, Suſcepit Iſrael puerũ ſuum, humanam nimirum aſſumendo naturam ex Iſraele.* Prophetauit de futuro, cum dixit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Prophetauit denique de pręſenti occulto cum dixit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus.* Hæc ille.

Donum Prophetiæ in B. V. eſt ſtella vna ex 12. caput eius coronantib.

B. V. Deus præterita, præſentia, & futura reuelauit, maximè, quæ ad Incarnationem pertinebant.

95. Non videtur hic prætermittendus S. Antoninus 4. Part. Tit. 15. cap. 19. vbi excellentiſſimum prophetiæ donũ fuiſſe in Virgine comprobans: *Ipſa quoque,* inquit, *videtur Ioannem conſtituiſſe Prophetam. Nam, vt audiuit Salutationem Marię Eliſabeth, exultauit Infans in vtero eius. Vnde? niſi quia cognouit myſterium occultiſſimũ omnibus, & illud oſtendit, modo quo potuit, exultando ſcilicet, & adorando, & tunc primum Ioannes factus eſt Propheta, ex voce B. Mariæ, quin imo etiam Mater repleta Spiritu S. cognouit, & declarauit ipſam rem occultiſſimam, clamans, vt omnes audirent: Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me?* Sic Ant.

B. V. Ioannẽ Bapt. Prophetam cõſtituit.

96. Quod si in sententia Iamblici lib. de Myst. c. 26. Vaticinium, quod ille; *Afflatum*, appellat, *est actus à Deo peractus in mente, vel anima simpliciter, at instrumentis, ab omni proprio motu vacantibus. Vnde constat legitimam ibi non esse Diuinam afflationem, vbi aliquid miscetur humanum;* Vaticinium sane perfectissimum habuisse Deiparam, in qua DEVS sibi domicilium fixerat, eamque, velut sol, suâ Diuinâ luce vndique, vtpote Mulierem illâ amictam sole, totam circumdederat, atque irradiarat, vt præsentia, etiam abditissima, præterita, atque futura, non quidem per actum intellectus, à Deo in mente Virginis elicitum, sed per proprium, diuino lumine, intellectui ipsius affulgescente cognosceret. Cum sempiternus ille iustitiæ sol, qui in eius purissimo vtero nouem mensibus conquieuerat, eamque totam lumine suo, velut vestiméto amicierat, centrum sit totius Vniuersi, omnem creaturarum circulum, ipsum ambientem vnico mentis intuitu circumcirca contemplans, cõsequens sane est, vt & Virgo Deipara huic Diuinissimo creaturarum omnium centro tam intimè vnita, præsentia etiam secretissima, præterita, atque futura tanta luce diuinitus perfusa intueatur. Vnde Aeschylus in Prometheo solem cuncta videntem, qui Diuini Numinis symbolũ est, Phœbi Circulum appellauit. Et Ouid. 4. Metam.

Quid sit vaticinium in sententia Iamblici?

Deus est creaturarum omniũ centrum in medio Vniue. si cõstitutum. Vnde B. V. ipsi vnita vidit omnia, in quacunque differẽtia tẽporis.

Sol Phœbi Circulus

Videt hic Deus omnia primus.

Vnde ibidem Solem sic de se loquentem introducit:

Ille ego sum dixit, qui longum metior annum,
Omnia, qui video, per quem videt omnia tellus,
Mundi oculus.

Sol omnia videt, & per illum videt omnia tellus.

97. Quod si rursus in eiusdem Iamblici ibidem sententia, Afflatio nihil est aliud, quam totos à Deo animos occupari, atque contineri; *Cuius Deus immortalis, vnquam animas a superno illo Numine sine lumine, apud quod non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio fuit ita occupatus atque contentus, quemadmodum Virginis nostræ gloriosissimæ?* A Deo totam occupatam se, atque circumplexam ostendit, cum in persona sponsæ aiebat Cant. 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vnde factum vt suauissimum hunc, castissimumque spõsi amplexum experta, in ecstasim, mente à sensibus alienatâ, rapta fuerit, dulcissimèque consopita, in amplexibus sponsi conquieuerit. Hinc sponsus eius cõtemplationis somno delectatus mox subtexuit: *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis Dilectam, quoadusque ipsa velit.* Hinc ipsa de pia hac erga se spõsi, quem cor suum vocitat, solicitudine gloriabatur; *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quare aptissimè subintulit Iamblicus; Hinc sequitur ecstasis, idest, exitus, vel alienatio quædam, tanquam consequens ad afflationem accidens. Hanc ob causam ait Platonem in Phedro antiquos Vaticinium, Maniam nominasse, idest, furorem, quoniam soli Diuino furore correpti verè vaticinantur; posteriores verò adiuncto T. nominasse *Mantiam*. Additque Sacerdotes, Sibyllas, Prophetas, quandiu prudentes sunt, præsagire, vel paulũ ad modum, & obscurè, vel nihil. Quando autem à Deo rapiuntur, verè vaticinari. Vnde ait præuidisse apud multas gentes pericula Diuinitus imminentia, admonuisse populos, & per sacrificia Diuinã Nemesim placauisse. *Furorem hunc, ego mentis, animique ardorem dixerim, quo Virgo extra se rapta maximè tunc cum Diuinam essentiam clarè intuita est, quicquid in quauis differentia temporum euenturum erat, velut in voluntario speculo contemplabatur. Ex hactenus dictis facile colligimus, à Deipara cognoscente præterita, præsentia, ac futura non modò Mercurium, verumetiam mortales omnes dono Prophetiæ multis parasangis fuisse superatos.*

Sol est Mũdi oculus.

B. V. tota à Deo occupata, atque circumplexa.

Christus contẽplationis Matris suæ delectatur.

Cor sponsæ est sponsus.

Soli diuino furore correpti vaticinãtur.

Furor mẽtis in B. V. est mentis, animiq; ardor.

98. Quid iã de benignis huiusce Virgineis Mercurij influxibus dicam? Ferũt Astrologi sydus hoc, ijs, qui sub eius nascuntur horoscopo, Sapientiam, atque eloquentiam concedere. Quæ sanè pulcherrima hominis ornamenta, Deipara nostra suis clientulis, fidelissimisq; seruis liberalissime communicare consueuit. Cũ enim ipsa increatæ illius Sapientiæ Parens, ac domicilium extiterit, in eaque nouem mensibus habitare non fuerit dedignata, necessarium sane fuit, illam sapientissimam, omnique rerum tam Diuinarum quam humanarũ scientiã ita euasisse ornatã, vt reliquis suis amicis eandem copiosissimè tribueret. Vnde Rupertus Abbas libro 5. in Cant. ait: *Habitatricem Virginei pectoris fuisse Sapientiam Dei.*

Qui sub Mercurii nascãtur horoscopo sapientes, ac eloquẽtes euadunt.

99. Hæc nimirum illam de omnibus nostræ fidei, ac præsertim Incarnationis mysterijs, quibus vera sapientia continetur, erudiuit. Vnde ad illam tanquã ad oraculum recurrere consueuerant Apostoli, alijque Christi Discipuli, ac fideles. Hoc nobis ipsa Virgo innuere visa est Cant. 3. *Inuenerunt me*, inquiens, *custodes, qui custodiunt ciuitatem.* Quæ verba

Dei-

Deiparam dilucidantem clarius sic introducit idem Rupertus: *Nimirum amici, & proximi amicorum nostrorum, qui dicunt: Non est æquum de relinquere Verbum Dei, & ministrare mensis, &c. Isti erant vigiles, & hoc erat eis vigilare, & ciuitatem, & muros, circumire scilicet orationi, & ministerio Verbi iugiter instare. Isti inuenerunt, quærebant enim me. Quomodo quærebant? Quærebant me omnes piâ solicitudine, & ille præcipuè cui à Dilecto fuerã commissa dicente: Ecce Mater tua, & recepit me in sua. Quærebant isti multum sperantes de me, quod inesset mihi aliquid dignum sua inquisitione, quippe qui nouerant, quod in me, vel de me fuisset factum, qualis Mater, qualem genuisse Filium. nonnihil superesse in me arbitrabantur de thesauris Altissimi, quos superueniens in me Spiritus S. thesaurizauit in Conceptione tanti Filij. Verum quippè hoc erat, quod Filius quidẽ de vtero meo per Natiuitatem carnis tanquam Sponsus de thalamo suo processit, sed nihilominus tota plenitudo gratiæ, quam acceperam extunc, & vsque in sæculum, in corde, & in sensibus meis perseuerauit, ac perseuarabit.*

Vigiles qui custodiunt Ciuitatẽ Ecclesię sunt Apostoli, alijque Christi discipuli.

Apostoli ac pręsertim Ioãnes quærebant ex B. V. mysteria, & secreta fidei intelligere.

100. Ob plenitudinem hanc gratię rerumque diuinarum excellẽtissimam notitiam à B. Germano Constantin. Patriarcha, noui, veterisque testamẽti sigillum, ac supplementum vocitata est ferm. de Natiu. vbi eam ita Salutat: *Salue legis, atque gratiæ Mediatrix, veteris nouique testamẽti sigillum, totius Prophetiæ clarissimum supplementum, summa diuinitus inspiritæ Veritas scripturæ, quæ Dei ac Verbi spirans, ac purissima pars, in qua sine voce, & scriptura, ipse inscriptus DEVS, & Verbum per diem legitur.*

B. V. noui ac veteris testamenti sigillũ ac supplementum tũ Prophetiæ.

B. V. est sũma Diuinæ Scripturæ.

101. Hinc Philippus Abbas bonæ spei lib. 1. in Cant. docet, quod iure in Canticorum Dramatico cantico, cum variæ personæ, nempe Spõsus, Sodales sponsi, Sponsa, ac demum eius adolescentulæ loquentes introducantur, Sponsa ante omnes ipso Dramatis initio tanquam Prologus, quasi faciem totius Actionis repræsentans, ad dicendum prosiliat; *Osculetur*, inquiens, *me osculo oris sui*. Cuius rei causam, singularem Sapientiam Virginis esse pronunciat: *Per hoc innuitur, quia Virgo ignorantiâ non caligat, sed erudito Spiritu verba Prophetarum præcedentium inuestigat, & sicut tam Salomonem, quam cęteros constat futura pręnouisse, sic & istam; quę de ipsa prędicta fuerant cognouisse.* Hæc ille; quibus ostendere voluit Virginem rerum Diuinarum notitiam, quam habebat Sponsus, eiusque socij, imo & ipsæ adolescentulæ, possedisse; ideoque ob plenitudinem hanc Sapientiæ primam locutam fuisse.

B. V. ignorãtia non caligat, cum singulari fuerit sapientia prædita.

102. Sapientiam hanc Virgineam sempiterni solis iustitiæ amictus ille lucidissimus, quo eam fulgentem vidit Ioannes Apostolus Apoc. 12. nobis designauit, de quo præclarè S. Bernardus ser. de Verb. Apoc. *Iure*, inquit, *Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Diuinę Sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum, vt, quantum sine personali vnione creaturę conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.*

In B V. amictus solis eius mirum indicat Sapientiam.

103. Quid mirum igitur si hoc Sapientiæ amicta sole Virgo nostra, tanquam Sol benignissimis suis influxibus, lucem rerum diuinarum, atque adeo eximiam Sapientiam suorum amatorum mentibus communicet? Sensit experimento proprio suaues hoscè Virginei huius syderis influxus Seraphicus Doctor Bonauentura Psal. 32. dum ipsius Virginis familiaribus, ad sedulum eius cultum eosdem adhortans, pollicetur: *Influet radios suæ pietatis, & clarificabit vos fulgore misericordiæ*, addiderim ego; & Sapientiæ suæ. Varia huiuscè veritatis exempla allata sunt à me Prima Parte.

B. V. suis cliẽtulis influit radios suæ pietatis.

104. Hic inter alia quamplurima quæ commemorari possunt occurrit S. Gregorius Thaumaturgus à miraculorum patratorum gloriâ sic appellatus, cui, vt scribit in eius vita S. Gregorius Nyssenus, aliquando vigilanti, & diligentius res fidei meditanti noctu, cum S. Ioanne Euangelista, forma senili, ac Pontificiâ veste induto Deipara sese visendam, muliebri quodam schemate, sed quod formam superabat hominis, exhibuit, totũque cubiculum radianti luce compleuit, simulque dilectissimo illi suo mandauit Apostolo, vt Gregorium augustissimæ Triados edoceret mysterium, quod ille aquilinis oculis cum Verbum in sinu Patris contemplatus fuerat, penetrauit. Paruit Ioannes, Gregoriumque de tanto arcano erudiuit, quam ille doctrinam postea diuinitus haustam, protinus literis mandauit, câque populum, ab omni hæreticâ labe incontaminatum præseruauit. In tantæ porro rei memoriam testatur idem Nyssenus confessionem illam fidei manu tanti Pontificis exaratam in Ecclesia Neocæsariensi asseruari.

S. Gregorio Thaumaturgo B. V. cum S. Ioanne Euang. apparuit, eumque de Trinitatis mysterio erudiuit.

105. Quid de Ruperto Tuitiensi Abbate dicam? qui lib. 4. in Cant. vltro fatetur Virginem hanc Sapientiæ increatæ Matrem, facie serenâ, & vultu hilari sibi de Sanctissimâ Trinitate scribenti, tanquam Illuminatricem stellam iuxta sui nominis ethymon astitisse, simulque familiariter, ex ipso quæsijsse, dum cum ipso loqueretur de sacris mysterijs, deque

B. V. Ruperto scribenti de SS. Trinitate apparuit, vt eum illuminaret.

gloria Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis; tandemque addidisse: *Quomodo tu audes loqui de huiusmodi?* Cui Rupertus respondit humillimè simul etiam Sapientissimè: *Ego beatam Trinitatem diligo, & inde certissimè scio, quod de illa loquens, nunquam extra veritatem aberrabo.*

Rupertus Abbas quia diligebat SS. Trinitatem, ideo de illa scribendo errare non potuit.

106. Quid memorem B. Osannam Mantuanam, ex Dominicana familia, quę à Christo, eiusque Matre sanctissima legere, vt scribere, rerumque Diuinarum scientiam fuit edocta, vti testatur P. noster Antonius Balinghen in Kalend. Deipar. 18. Iunij. Idem Pater in eodem Kalend. ad 25. Decembris ex Historia Virorum illustrium Ordinis Diui Dominici memorat Thaclauaretum eiusdē Ordinis Martyrem, aliquando in ecstasi ad Sacrum Caluariæ montem esset trāslatum; ibique ipsi Sanctissimam apparuisse Deiparam, vasque preciosum ex argento conflatum odore suauissimo repletum donasse. Alia quadam vice in mētis excessu gloriosum Domini sepulchrum inuisenti, mox in ipso eius loci tā Sancti aditu, atque osculo, visendam sese eadem benignissima Virgo exhibuit, eique Vas aureum cęleste quoddam māna continens tradidit. Mirum dictu, dum de priore illo vase argenteo biberet, repente ei vtriusque testamenti, eorumque omnium, quæ animorum saluti procurandæ necessaria sunt, infunditur cognitio. Tandem cum aureo illi vasi labra admouisset suauitatem quandam gustauit incredibilem, eodemque momento admirabilem rerum cælestium, ad æuiternam beatitatem spectantium consecutus est notitiam, qua adeo mentis ipsius oculi fuere irradiati, vt beatos omnes in gloria suis in cubilibus, mansionibusque, pro cuiusque merito exultantes contemplari promeritus sit.

B. Osanna Mantuana docetur à B. V. legere, & scribere, & diuina Sapientia erudi tur.

Thaclauaretus Martyr Ord. S. Dominici à B. V. rerum Diuinarum scientia eruditur.

107. Quod porro B. V. eloquentiā etiā suis clientulis communicet testis luculentus est P. Thomas Sanchez Societatis nostræ illustre sydus (: domestica enim exempla non desunt:) Qui ab ineunte ætate tenerrimo semper affectu complexus est Deiparam, ab eaque mirificos Diuinæ Sapientiæ percepit influxus, vt egregium illud Opus de Matrimonij Sacramento, aliaque testantur. Hic cum Societatem nostrā ingredi pluribus annis ambiret quod impeditioris esset linguæ, passus est repulsam. Verum adolescens pro ea, qua in Virginem ferebatur pietate ac fiducia, ad eius Templū, quod Cordubæ à fonte Sancto, Nomen habet, tanquam ad Asylum accurrit, multisque suspicijs, ac lacrymis à misericordię Matre efflagitat, vt impedimentum illud linguæ auferat, siquidem illa aperit os mutum, & linguas infantium facit disertas. Sap. 10. quo sublato obstaculo, in Societatem eius filij IESV admitti posset. Efflagitationem hanc adeo obfirmato animo aggressus est, vt coram Virgine, pia, sanctaque quadam simplicitate fuerit professus, se domum suam non reuersurum, nisi quod petebat, impetrasset. Quid multa? Virgo pijssima anxium eius animum, suspiria, lacrymasque miserata, linguæ ipsius vinculum soluit, atque ita eius beneficio Societati nostræ post tot labores adiectus est. Quod tam singulare beneficium tam altā mente reposuit Adolescens, vt quoties Cordubā adueniret, & si profundā nocte, prius ad Virginis Sacellum, quam ad Collegium adiret, eique gratias ageret, à qua velut sapientiæ, eloquentiæque fonte, & Sapientiam, & eloquentiam hausisset, memor sine dubio moniti illius Salutaris Diui Bernardi ser. 13. in Cant. vbi postquam dixisset de filio, quod Matri quoque potest adaptari, vtpote, quæ à filio non degenerat: *Origo fontium, & fluminum omnium mare est, virtutum, & scientiarum Dominus IESVS Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est Rex gloriæ? Sed & iuxta Annæ Canticum idem ipse DEVS scientiarum Dominus est. Continentia carnis, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. Non solum autem, sed & si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientia, inde sapientia sermo. Thesauri siquidem sapientiæ, & scientiæ ibi omnes absconditi sunt.* Postquam inquam hæc præmisisset; mox qua ratione pro Sapientiæ, scientiæque thesauris gratiæ agendæ sint, hæc attexit: *Ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad suū principium cæleste profluuium, quo vberius terræ refundatur. Qualiter, inquis? Qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes: Quicquid Sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiæ deputato Christo, imo, & eius Matri.* Vnde Pater hic Sapiētissimus memor gratitudinis postridie ad Virginem eandem, à fonte Sancto nuncupatam, tanquam ad perennē gratiarum omnium fontem, eidem gratiam relaturus recurrebat, ac sacrosancto Missæ acto in eius honorem sacrificio, diem integrum ibidem meditando, de rebus Diuinis, Virginisque in se pietate, & misericordiā transigebat. Tantis denique erga Virginem accensus erat studijs, vt in quodam suo libello, qui post eius

Thomas Sāchez à B. V. solutionem linguæ impetrat, vt in Societatem admitti posset.

Ad Templū B. V. tanquā ad Asylum accurit.

Thomę erga B. V. impetrata gratia, animi gratitudo.

Gratiæ Deo referendę tanquam ad fontem vt iterum fluant.

eius ex hac vita discessum repertus est, inter cætera hæc annotarit.

Amores Thomæ Sanchez tres, Eucharistia, Iesus Cruci fixus, & V. Maria.

Omnis mea cura erit venerabilis Eucharistia, IESVS Crucifixus, Virgo Maria, erga quam singulari studio afficiar, ad illam, vt ad Matrem in omnibus meis necessitatibus recurram, perq; eam gratias agam pro quouis opere facto in Dei obsequio, per eam veniam precabor pro quouis defectu admisso, per eam illos Deo commendabo, qui mihi molestiam aliquam exhibuerint. In eius peruigilijs, vt & festorum Christi, pane, & aquâ duntaxat, contentus ero.

Sic Thomas pro suo calentissimo affectu in Virginem, à qua tot donis esse exornatum nouerat. De alijs virtutum eius ornamenti consule P. Philippum Alegambe in Bibliotheca scriptorum Soc. IESV.

108. Multos alios commemorare possem, qui pientissimo suo in Deiparam affectu plurima dona tam naturæ, quam gratiæ consecuti sunt. Interhos merito mihi accẽsendus videtur vir nobilis Michael Angelus Torcilianus Lucẽsis, Musarum æquè Latiarum, atque Etruscarũ delicium, qui sua in Virginem pietate egregiam vtriusque linguæ facundiam nactus, toti huic Venetorum Vrbi, ac pene Senatoribus omnibus tãquam genuinus Mercurij eloquentiæ. Parentis pullus magnis est in amoribus ob morum potissimum politissimorum honestatem, puritatem, indolemque gratiosissimam, quam toto ore præsefert. Puritatem hanc ille pio in Virginem, eiusque castissimum Sponsum Ioseph, ardenti eos amore prosequendo conseruat, vtrumque obsecrando quotidie per immaculatam Conceptionem, Virgineumque partum, vt se ab omni impuritatis labe liberum totius vitæ decursu custodire non dedignentur. In eundem finem immaculatæ Conceptionis Deiparæ prædicandæ, ac defendendæ est studiosissimus, quam etiam ad extremę vitæ halitum se pro virili tutaturum peculiari voto obstrinxit. *Atque vt in horas singulas tam diei quam noctis immaculatę Conceptionis celebrandæ vehementis sinum desiderium ostendat, interdum duodenis Salutationibus Angelicis auere, totidemque Saluere Reginam cælorum iubet illud medullitus ingeminando: A solis ortu vsque ad occasum laudetur omni hora, & in æternum immaculata Conceptio B. M. V.* Ardorem hunc vel maximè vir hic præsetulit cum in præsenti opere circa primigeniam, originalemque Virginis innocentiam nonnulli nobis negotium facesserẽt, ipse in pro egregio suo, quo erga illibatam Diuinę Matris Conceptionem exardescit, zelo, & apud Senatus Veneti Primores, Studijque Reformatores Sapiẽtissimos solita sua dicendi facultate egit, quæ mirificè gloriam tantæ Reginæ amplificarunt. Plura de Viro hoc, qui verè Castalidum decus sororum dici posset exaranda forẽt; verum dum viuit parcendum eius ingenuo pudori, ac verecundiæ.

Elogium Michaelus Angeli Torciliani.

109. Neque verò solum sapientiam, ac eloquentiam, verumetiam ipsum loquendi instrumentum ac organum, linguam videlicet, Virgo nostra pro innata sibi benignitate magnâ totius orbis Christiani admiratione plurimis restituit. Scribit Abrahamus Bzouius To. 13. ad Annum 1210. *de quodam qui cum ad S. Mariam de Albeza in Hispania peregrinaretur, in hostes suos incidit, qui ei radicitus linguã euulserunt, manus præciderunt, oculos eruerunt. Perexit hic nihilominus tam atrociter mutilatus ad Matrem misericordię inuisendam, & ad aram Deiparę totam noctem insomnem ducens, & cum lacrymis mutilata membra sibi restitui efflagitans, pristinę redditus est integritati.* Illud porrò est memorabile, quod noui illi oculi, quos beneficio acceperat Virginis, erant parui, vt accipitris, licet clari, ac facultatę videndi perfectissimi; tales illi credibile est dedisse Deiparam, vt tanti prodigij perpetuum dum viueret extaret monimentum. Manus denique sensim crescere cæperunt, in quibus vt Virginea in tanto miraculo vis enitesceret cicatrices præcisionis remanserunt, erãtque manus illæ teneræ, tamen sanæ, ac validæ.

B. V. plurib. ex sectam linguam restituit.

Quidam peregrinus ad B. V. de Albeza in hostes suo incidens lingua, manibus, oculisque priuatur, & à B. V. ei omnia restituuntur.

110. Eadem Virgo pientissima famulo cuiusdam Parochi linguæ vsum, cum alias esset mutus ac surdus, restituit, vt scribit Ioannes Heroldus lib. de Mirac. B. V. cap. 28. Hic cum in grauissimum incidisset morbum, essetq; ad extrema redactus, Virgo Deipara in ipso mortis articulo eum inuisere, eumque ita salutare: *Saluet te IESVS Christus filius meus;* non est dedignata. qua benignissimâ salutatione audita, illico loqui cæpit, simulq; suam Benefactricem laudibus celebrare. Monuit illum in suo discessu Virgo, vt quantocyus pœnitentiæ, Eucharistię, atque extremæ vnctionis sese sacramentis communiret; futurum enim breui, vt eum ad æuiternam illi præparatam requiem, ab ipsa in cælum duceretur. Paruit libenter iussis Virginis, bonus Vir, sumptoque viatico, cum circunstantes eum Deum, eiusque Matrem collaudantem audirent, obstupuerunt, eo quod nunquam ante vel verbulum eius ore ex cidisse

B. V. muto loquendi facultatem tribuit, quod diebus Sabbati ieiunasset.

cidisse auditum sit. *Sciscitati igitur, vnde illi tantum beneficium? respondit, Deiparam ad se inuisendum magna cum benignitate aduenisse, & ad sacramenta ritè percipienda fuisse adhortatam, simulque ei loquendi facultatem tribuisse. His intellectis, quæsiuere: Ecquid vnquam obsequij in vita B.V. detulisset?* Respondit, *se exemplo sui Domini singulis diebus Sabbati, in honorem B.V. ieiunasse, quæ res adhuc multo maiorem in audientibus peperit admirationem, quod ob tam modicum obsequium Virgini exhibitum tot ab eadem donis fuerit cumulatus. Vnde in Dei, eiusque Matris laudes, quæ non derelinquit sperantes in se, sed seruientibus sibi seruit, omnes iucundis vocibus eruperunt.*

111. Quid memorem Adolescentem illum, quem cum prædones, modica peciniolâ, quam habebat, spoliassent, tādem ei crudelissimè linguam ne eos proderet, præciderunt; qui Virginis Deiparæ confisus patrocinijs in Montem Serratum se contulit, linguamque prorsus admirabilem, pulcherrimam nimirum, candidam, ac rotundam sortitus est, quā illi Puellus quidam nudus ad instar niuis candidus, capillaturâ aureâ ac crispâ, ipse nimirum Virginis filius candidus ac rubicundus, cuius caput aurum optimum, digitulis illis quibus cælos, Solem, Lunam, stellasque molitus est, in os immissis; restituit. *Hunc cum adolescens complecti ac detinere conatus esset, vt intelligeret, quisnam esset, illico disparuit, eoque momēto linguam sibi redditam sensit.* Illustrissimum hoc prodigium in Monte Serrato vbi fuit diuulgatum, plurimos è vicinis locis, ad hanc adolescentem visendam exciuit. Vnde Religiosi illi ita iubente Abbate, festo campanarum omniū præmisso sono, *Te Deum laudamus* in honorē Dei, Virginis, eiusque filij, quæ resoluit ora mutorum, in gratiarum actionem cecinere. Kal. B.V. 8. Febr.

B. V. de mōte Serrato execītam linguā restituit cuidam Adolescēti.

112. Virgo eadem Montis Serrati Adolescenti cuidam Gallo, cui à prædonibus lingua fuit exsecta; restituit. Vir enim quidam pius ipsius misertus, suasit ad Virginem hanc confugiat, eius opem imploret, nihil ei negari posse à filio posseque illam, si piè ac magnâ fide interpelletur, linguam, loquendiq; vsum reddere. Itaque adolescens voto peregrinationis facto ad Ædem hâc Deiparæ itineri se committit. Peruenit die visitationis Virginis, & orationibus iteratis, postridię à misericordię Matre, ei lingua, non dum tamē eius v sus, sed biduo post restituitur; quādo ex visu quodam noctu euigilans pauidus in hæc prima verba prorupit: *IESVS, Virgo Maria Montis Serrati opem fer.* Indeque in posterum perfectè, non minus quam ante locutus est. Kalend. B.V. 3. Iul.

Eadem Virgo Montis Serrati alteri Iuueni Gallo linguam exsectam restituit.

113. Simile huic prodigium in restituenda loquēdi facultate Deipara Carnutensis in Gallia perpetrauit. Res porrò ita se habuit. Erat filia cuiusdam nobilis, quæ cum proco suo clantulum, remotis, vt opinabatur, arbitris, familiarius, liberiusque egisset, aduertit puerulum naturâ lepidū, garrulumque in angulo delituisse. Quo viso, plena timore, ac mestitia, ad procum conuersa; *Actū, inquit, est de me, puer hic ad patrem deferet, quę maximè occulta esse vellem, mutuam nempe hanc nostram amicitiam.* Tum solaturus illam procus: *At facile est, inquit, malo huic remedium adhibere. Simulque mox puerum aggreditur, iubet linguam exserere, eamque inhumaniter præscindit. Quid agat miser hic puer ita miserè mutilatus?* Decernit ad B.V. Carnutēsem proficisci. Quo vbi peruenisset, & stipem corrogando aliquo tempore ibidem vixisset, tandem ad festa Paschalia coram principali Virginis ara feruētius, impensiusque sese orationi dedit orando, atque obsecrando cū lacrymis, vt sibi Virgo loquendi restituat facultatem. Nec in cassum, eius fusæ preces. *Deipara enim tam tenerę eius ætatis, calamitatisque miserta, ei sermonis vsum, non tamen linguam reddidit. Quare subito os in gratiarum actionem multis spectantibus ac obstupescētibus resoluit. Tanta porrò ad puerum hunc tam prodigiosè loquentem confluxit multitudo, vt pene obrueretur ac suffocaretur. Nec hic beatissimæ Virginis stitit benignitas, die Pentecostes, quo Apostoli in linguis igneis, & ipsa Virgo præ omnibus abundantiori plenitudine accepit Spiritum S. eidem linguam restituit, totumque populum in maiorem longè rapuit admirationem.* Kal. B.V. in Apr.

B.V. Carnutensi Puero truncatam linguam restituit.

B.V. Puero loquendi facultatem absq. lingua communicat.

B.V. in festo Pentecoste eidem etiam linguam restituit.

114. Prætermitto innumerabilia alia miracula, quibus Virgo varijs loquendi impertita est facultatem, vt reuera vel ex hac solâ ipsius excellentiâ, agnoscere possimus, illam omnes bonas Mercurij, absque vllâ comparatione, eminentiâ singulari sortitam esse proprietatęs, ac proinde ipsi, vti Mercurio eloquentiæ Præsidi, & bene dicendi peritissimæ iure merito in omni sacrificio, quod Diuinæ offerrur Maiestati, vti veteres consueuere, linguam esse consecrandam eo titulo potissimum, quod sit apud filium Aduocata nostra fidelissima, causas nostras in cælesti curiâ diuinâ plane facundiâ agitans, atque pertractans. Cui profecto nō solum linguas, sed & omnia nostra membra, cum corpore, & anima omnibus simul

Mercurio linguę erant consecratæ.

B.V. linguæ & omnia nostra membra consecranda.

mul potentijs consecrare conuenit. Quod porro Mercurio linguæ potissimum ad sacrificiorum finem, eæque modico perfusæ vino offerentur, testatur Appollonius lib.

Interea accensis fundunt libamina linguis

Et Homerus lib. 3. Iliados:

Injiciunt igni linguas.

Quod sane, & nos faciemus, si post Diuinas laudes, Virgineis quoque laudibus celebrandis impendamus. Quod facere videtur Ecclesia, quæ aliquoties in horarum Canonicarum sacrificio supremo Numini persoluẽdo, easdem horas non semel Salutatione Virginis terminare consueuit. Quo facto quid aliud videtur agere quam linguam Virgini, depredicandis eius laudibus, consecrare?

Qui sapiens esse desiderat mancipet se B. V. obsequiis.

115. Quæ cum ita se habeant, quisquis benignos cælestium gratiarum tam gratis datarum, vt sapientiæ, ac eloquentię, quam gratum facientium influxus in anima sua experiri desiderat, totum se Virginis animitus, medullitusque mancipet obsequijs. *Ipsa enim cum fons sapientie, bonorumque omnium post filium suum dilectissimum nobis sit, largissimè, ac copiosissimè dona sua nobiscum communicabit.* Quare hoc agnoscens S. Bona. in Psalterio supplex orabat: *Fontem vitæ influe in vos meum, ex quo viuentes aquæ profluunt, & emanant. Omnes sitientes venite ad illam, & fonte suo gratanter vos potabit. Omnes gratiæ radiant in ea; capacissima enim fuit capacitas illius.* Currite ad illam cum deuotione sancta, & de bonis suis participabit vobiscum. Quapropter quicunque hunc cælestium donorum influxum desiderat, ad Virginem recurrat, eandemque cum eodem Viro Seraphico humillimè deprecetur: *Innocentiam, & viam prudentiæ ostende nobis Domina, & viam intelligentiæ indica seruis tuis; Miserere nostri Domina Mater luminis, & splendoris, illumina nos Domina veritatis, & virtutis. De thesauris tuis infunde nobis sapientiam Dei, & intellectum prudentiæ formamque disciplinæ. Amen.*





DISCVRSVS VLT.

Quod Virgo Deipara Lunæ proprietates in se complectatur.

I.



Vnam, Virgineæ pulchritudinis, reliquarumque perfectionum Deiparæ symbolum esse apud Sanctos Patres in confesso est. Nituntur encomio illo Canticorum cap. 6. Pulchra vt Luna. Quæ verba librans B. Petrus Cardin. Dam. serm. de Assumpt. B.V. docet Virginem nostram gloriosissimam, singulari virtutum suarum venustate Naturam humanam simul, & Angelicam, quæ eius respectu minutiores quędam stellæ sunt, quam longissimè excedere. *Quid Luna, inquiens, pulchrius, cum stellis coruscantibus in signifero limite, reliquorum syderum splendorem excedit? Considera quā stellaris, & serena vibratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti syderis superfundat, vt aliorum luminum claritatem non mediocriter obfuscet. Sic & Virgo inter animas sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & euecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, Luna tamen & magnitudine praeeminet, & splendore. Sic vtramque Naturam Virgo singularis exsuperat, & immensitate gratię, & fulgore virtutum.*

Luna symbolum Pulchritudinis B.V.

B.V. Angelicā & Humanam Naturā superat immensitate gratiæ, & splendore virtutum.

2. Vnde B. Laurent. Iustinianus Venetorum Patriarcha serm. de Natiu. B.V. *Nullus mortalium, quamuis donorum cælestium numerositate sit præditus, Virgini valet coæquari, Patriarcharum vtique, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, omniumque Sanctorum merita B. Maria transcendit.* Hinc S. Chrysostomus sanctitatem eius quæ verissima est animi pulchritudo puris creaturis omnibus eminentiorem esse prædicat: *Quidnam*, inquiens, *Virgine Maria Sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphin, non cherubin, non denique aliud quidquam intercreatas res visibiles, aut inuisibiles maius, aut excellentius inueniri potest. Eadem Ancilla Dei est, & Mater, eadem Virgo, & Mater. Vis nè cognoscere quanto Virgo hæc cælestibus potentijs sit præstantior? Illæ cum timore, ac tremore, assistunt, faciem velantes suam; hæc humanum genus illi offert, quem genuit.* Quibus sanè verbis Doctor sanctissimus eminentissimam Virginis deprædicauit pulchritudinem, quæ ipsam Dei Matrem, ac generis humani Mediatricem, accedentem per semetipsam immediatè ad filium, addecebat.

B.V. nil pulchrius aut Sanctius.

3. Audiamus Guilelmum Abbatem, qui Virginem pulchram, vt Lunam esse prædicat, ob eximiam illam illibatæ Virginitatis pulchritudinem: *Quid*, inquiens, *in mundanis corporibus Lunā pulchrius? Et quid in mundanis itidem corporibus propter multiplicem diuini fulgoris, colorisque vsum tam electum quam Sol? Præcipua ergo eius pulchritudo, & præclara signatur electio, quando dicitur; Pulchra vt Luna, & electa vt Sol. Pulchra sanè dicitur propter florem Virginitatis, electa verò propter fructum fœcunditatis. Quia verò in ea fructus vtilitas atque salubritas floris venustate multo est excellentior, atque præstantior; sicut etiam sol tam dignitate, quam vsu Lunam tam longè exsuperat, idcirco Pulchra quidem vt Luna dicitur, sed electa vt Sol. Planè ipsa est Luna, ipsa est Sol. Luna propter insigne pulchritudinis: Sol verò propter prerogatiuam electionis.*

B.V. pulchra vt Luna ob Virginitatis puritatem.

B.V. dicitur Pulchra vt Luna ob florem Virginitatis, electa vt Sol ob fructum fœcunditatis.

4. Audiendus quoque in eandem sententiam de pulchritudine Virginitatis, virtutumque eius exemplis, in nocte huius sæculi clarissimis, S. Bernardus in Orat. ad Deip. *Tu pulchra vt Luna diceris, eique non immerito compararis, illa enim omniū astrorum sola soli simillima, comparatione, & candore venusta argenteo, cęteris in cęlo premicat syderibus: tu verò solis imago expressissima inter millia astrorum Deo assistentium virginali puritate in cęlo gloriosa presulges. Illa enim transfuso in se solari lumine noctem nostram illuminat, tu virtutum tibi à Deo inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos prouocas, sicque noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas consectatus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed lumen vitę inueniet. Tu ergo pulchra es, vt Luna, imo pulchrior Luna, quia tota pulchra es, & macula non est in te, neque vicissitu-*

B.V. vt Luna noctem nostram illuminat, & ad sui imitationem nos prouocat.

ſitudinis obumbratio. Hactenus Bernard.

5. Audiamus & Rupertum Abbatem, qui pulchram, vt Lunam extitiſſe fatetur Deiparam, Diuinâ planè pulchritudine, cum candor lucis æternæ, ſplendor paternæ gloriæ, nube carnis in eius puriſſimo vtero ſe circũdare dignatus eſt: *Quando Spiritus S. in te ſuperuenit, & filium Virgo concepiſti, Virgo peperiſti, tunc tu, & ex tunc pulchra, pulchritudine Diuina fuiſti, pulchra inquam, non quomodocunque, ſed vt Luna. Sicut enim Luna lucet, & illuminat luce nõ ſua, ſed ex ſole accepta; ſic tu, ò beatiſſima, hoc ipſum, quod tam lucida es, non ex te habes, ſed ex gratia Diuina, ò Gratia plena.*

B.V. cõcepto Dei filio pulchra fuit pulchritudine Diuina.

6. Ob eãdem filij Dei in Virginis vtero Incarnationem Richar. à S. Laur. lib. 7. de laud. B.V. ait illã Diuina pulchritudine, veluti ſolari ſplendore, Lunam irradiatam euaſiſſe. *Pulchra facta eſt, vt Luna*, inquit, *quando ex reſpectu Diuinitatis illuſtrata, à generationibus vniuerſis beatificari meruit, cum dixit: Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; quibus verbis tam reſpectus Diuinitatis, quam plenitudo claritatis demõſtratur. Verè pulchra vt Luna extitit Virgo, quæ quaſi naturaliter obſcura, excepto in ſe ſolari radio, accenditur lumine alieno. Vnde dicitur Luna quaſi luce lucens aliena. Sic Maria adhuc in infirmitate corporis conſtituta, in ſe Spiritu S. ſuſcepto, tanquam illius ſummæ Maieſtatis radio, vero lumine, Dei filio fœcundata eſt. Verè pulchra vt Luna eſt Virgo, quia à vero ſole iuſtitiæ illuſtrata, noctem ſæculi huius, ſcientia cæleſtis, & Euangelicæ conuerſationis luce perfudit.*

7. Has aliaſque ob cauſas Virgo noſtra pulcherrima in cælos proficiſcens à Bernardino Buſtio Part. 11. Marial. ſer. 2. ad cælum Lunæ inuitata perhibetur, vt inibi tantiſper moraretur: *Aſcendit*, inquiens, *Virgo beatiſſima cælum Lunæ, in quo inuitata eſt, vt aliquãtulum moraretur propter proprietates Lunæ, quas habuit. Sic igitur affari potuit: Luna dicitur quaſi luminum vna, hoc eſt, principalis, & maxima, quia corpori ſolari in magnitudine, & pulchritudine eſt ſimillima. Hæc eadem eſt pulchritudo noctis. Quæ omnia tibi, ò Beatiſſima fœminarum conueniunt. Vnde appellaris in Canticis: Pulchra, vt Luna. Sicut enim Luna noctem illuminat, fugat tenebras, ambulantibus in nocte iter oſtendit, ſic tu tenebroſam hanc lacrymarum vallem, mundum videlicet, ſyluamque feris plenam illuminas. errantes reducis, peccatoribus iter, per quod ad cæleſtem patriam peruenire poſſint, oſtendis. Quemadmodum etiam Luna lumen à ſole recipit, receptumque reflectit in terram: ita tu à ſole iuſtitiæ tuo dilectiſſimo filio illuminaris (nam reuera Lucerna tua eſt Agnus. Apoc. 41.) lumenque receptum in mundum reflectis. Tu enim es lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Et ideo in hoc cælo Lunæ conuenienter poteris per aliquot dies permanere.* Hæc ille.

B.V. ob Lunæ proprietates in ſe contentas à cælo Lunæ vt in eo habitet inuitata.

B.V. Lucerna eſt Agnus.

8. Ex quibus facile intelligimus quanam ratione Lunæ perfectiones in Virgine noſtra gratioſiſſima, veluti in luci- diſſimo ſpeculo effulgeſcant. Ad alias gradum faciamus. Has, vt arbitror, omnium optimè ad inſtitutum noſtrum de ſcripſit Plinius libr. 2. Natur. Hiſt. cap. 9. *ſed omnium*, inquiens, *admirationem vincit nouiſſimum ſydus, terriſque familiariſſimum, & in tenebrarum remedium à natura repertum, Lunæ Multiformi hæc ambage torſit ingenia contemplantium, creſcens ſemper, aut ſeneſcens. Et modo curuata in cornua, modo æquâ portione diuiſa, modo ſinuata in orbem, maculoſa, eademque ſubito pœnitens, immenſa orbe pleno, ac repente nulla. Iam vero humilis eſt excelſa, & ne quidem vno modo, ſed alias admota cælo, alias contigua montibus, &c.* Quæ omnia aptiſſimæ noſtræ Deiparæ congruunt. Ipſa enim verè nouiſſimum ſydus eſt omnium admirationem, ſuâ humilitate profundiſſimâ vincens. Quis enim ſatis admiretur Virginem ad eminẽtiſſimam Diuinæ Maternitatis dignitatem euectam, cæli, terræque, atque adeo totius vniuerſi Dominam, ac Reginam, adeo ſeſe demiſiſſe, atque abieciſſe, vt Ancillam Domini ſeſe appellaret, & quæ inter puras creaturas facta erat omnium prima, fieret omnium nouiſſima?

Luna Sydus nouiſſimum, terriſque familiariſſimũ.

In B.V. dignũ admiratione quod cum fuerit Mater Dei fecerit ſe Ancillam.

9. Hinc nimium quantum Sãctus Bernardus admiratur ſer. de ver. Apoc. eximiam hanc Virginis humilitatem, quod in Collegio commorans Apoſtolico, vltimo ſeſe collocarit loco Act. 1. vbi legitur quod *redeuntes à monte Olıueti vnanimiter perſeuerabant in oratione. Qui*, inquit, Bernardus? *ſi forte Maria fuit, ad nominetur prima, quæ ſuper omnes eſt, tam filij prærogatiua, quam ſuæ priuilegio ſanctitatis: Petrus & Andreas, ait, Iacobus, & Ioannes, &c. qui ſequuntur, hi omnes perſeuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria Matre IESV. Itané & mulierum ſeſe vltimam exhibebat, vt nouiſſima omnium poneretur? Verè carnales adhuc Diſcipuli, quibus necdum Spiritus erat datus, quia IESVS necdum fuerat glorificatus, quando facta eſt contentio inter illos de primatu; cum Maria quanto maior erat humiliaret ſe nõ modo de omnibus, ſed & præ omnibus. Merito facta eſt nouiſſima prima, quæ cum prima eſſet omnium, ſeſe nouiſſimam faciebat. Merito facta eſt omnium Domina, quæ ſe omnium exhibebat ancillam. Merito denique ſuper Angelos exaltata*

Humilitas B.V. in poſtponendo ſe Apoſtolis admiranda.

tata est, quæ & infra viduas, & pœnitentes, infra eam, de qua eiecta fuerant septem Dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Tãdem idem Bernardus sciens humilitatem, virtutem esse Deiparæ propriam, atq; charissimam, ad eam amplectendam nos sic adhortatur; *Obsecro vos filioli æmulamini hãc virtutem, si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam eius; nihil enim tam idoneum homini Christiano, ac Monacho, quam hæc virtus.* Aptè igitur Virgo dicitur sydus omnium nouissimum ob profundissimam illam humilitatem, qua etiam peccatrice Magdalena, inferior esse voluit. Hæc nimirum est, vt loquitur M. Tullius in somn. Scip. *In infimo orbe Luna, radijs solis accensa; à iustitiæ sole, vti lucem, ita quoque humilitatem mutuata.*

B.V. humilitas ac modestia imitãda.

B.V. tanquã Luna à sole iustitiæ sicut Lucem sanctitatis, ita & humilitatem mutuatur.

10. Verè Virgo nostra quemadmodũ Luna, sydus est terris, peccatoribus videlicet, familiarissimum. Vnde Richar. à S.Laur. lib. 7. *Maria Luna inferior Planetarum, idest, humillima omnium Sanctorum. Nullus etiam Planeta tantum terræ, vel mari accedit; & nullus sanctorum tantum peccatoribus, qui terra sunt, per compassionem condescendit, maximè verò ijs, qui pro peccatis suis dolore amaricantur.* Quam ob causam B. Cardin. Petrus Dam. ser. 1. de Natiu. Sulamitem, id est, Pacificam inter DEVM & peccatores eam appellans, familairitatẽ eius in nos agnoscens, sic loquitur; *Reuertere Sulamitis per amorem. Scio Domina, quia benignissima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te filius tuus, & DEVS tuus summá dilectione dilexit. Quis scit quoties refrigeras iram Iudicis, cum iustitiæ virtus à præsentia Deitatis egreditur. Reuertere per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, & sola electa es, cui gratia tanta conceditur. Absit, vt cesset manus tua, cum occasionem quæras saluandi miseros, & misericordiam effundendi. Neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum pœnitentes ad veniam, iustificati ad gloriam assumuntur.*

B.V. velut Luna inferior Planetarum est humillima sanctorum.

B.V. benignissima est, & amat nos amore inuincibili.

11. Familiaritatem hanc Virginis erga peccatores contemplata est B. Gertrudis lib. 4. Reuelat. cap 49. vbi sic habetur: *Videbantur B. Getrudi quasi sub pallium intemeratæ Virginis accurrere quædam diuersi generis bestiolæ, per quas notabãtur omnes peccatores ad ipsam specialem deuotionem habentes, quas omnes Mater misericordiæ benignè suscipiens, & quasi pallio suo protegens, delicatâ manu sua singulas contrectando, ac deliniendo, ipsis amicabiliter blandiebatur, quemadmodum qui catello suo blandiri consueuit.* Per hoc manifestè insinuans quam misericorditer suscipit omnes se inuocantes, & quam maternâ pietate defendat, ac protegat homines adhuc peccatis deditos in se sperantes, donec eos filio suo veraciter reconciliet pœnitentes. De hac Virginis in peccatores siue familiaritate, siue commiseratione merito dicere possumus, quod S. Bernardus de Sanctis Apostolorum Principibus ser. in Vigil. Apostolorum Petri, & Pauli pronunciauit: *Si dum hic viueret sanctus misertus est peccatoribus, & orauit pro eis, nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria charitatem eius non immutauit, sed augumẽtauit; neque n. quia impassibilis omnino, ideo & incompassibilis factus est, sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit.*

B.V. peccatores tanquam bestiolas sub suo pallio protegit.

Si Sancti in hac vita misereti sunt peccatorib. multo magis miserebũtur in altera.

12. Ostendit suæ misericordiæ viscera Virgo gloriosissima erga Matronam illam principalem Palestinæ, vxorem videlicet Germani Patricij, vt scribit Sophronius in Prato Spirituali cap. 48. quę cum miserabiliter in execrandam Sexerianorum hæresim esset prolapsa, & postea ad inuisendum Sanctissimum Domini nostri sepulchrum esset profecta, in ipso sacri illius loci aditu, benignissima misericordiæ Mater cælitum sociata choris ei se visendam exhibuit, eamque magno cum commiserationis sensu de tam atroci scelere perpetrato reprehendit: *Quomodo*, inquiens, *audes tu huc intrare, cum qualisnam sis te esse noueris? Nisi errorem tuum detestata fueris, huc minimè ingredieris. Verbis hisce Virginis, mirifica luce perfusa fuit, agnitoque tam enormi, quo se obstrinxerat crimine, ad pœnitentiam redijt.* En vt Diua Virgo familiarem se erga peccatricem hanc exhibuit.

13. Verè sydus terræ familiare se ostẽdit Deipara etiam B. Gerachino Ordinis Cisterciensis Religioso, de quo scribit Vastauius. Cum enim illi aliquando præcepisset Abbas, vt eos, qui in pistrino laborabant, adiuuaret cum artis pistoriæ esset ignarus, imaginem quandam Dominæ nostræ sacratissimæ in pariete depictam, more solito venerando, sic affatus est; *Domina mea charissima Dominus Abbas pręcepit, vt cum pistoribus laborem, tu autem scis me in ea arte esse planè rudem, tamen faciam quod præcipies.* Cui imago: *Fac quod hucusque feceras, & ego pro te seruiam in pistrino.* Abijt ille ad locum consuetum, & orare perexit; iugiter enim, nocte, dieque orare solitus erat; cum interim alia persona, Gerachini speciem præseferens ministraret. Ipse verò sub idem tempus fixus in oratione in Ecclesia repertus est. Kalend. Deip. 29. Apr.

B.V. erga Gerachinum Cisterciensẽ familiaritas.

B.V. pro Gerachino orãte in illis seruit in pistrino.

14. Ve-

14. Verè sydus terræ familiare se eadem ostendit Deipara Catharinæ Senensi, cum ex parua, eaque putrida farinula panes pinseret. *Adfuit huic Virgo Angelorum comitata choris, & sacratissimis illis manibus omni acceptione dignissimis, iussit eam in pinsendis panibus*. Vnde factum, vt panes multiplicarentur, essentque sapidissimi cum magna comedẽtium admiratione. Nimirum Virgo Mater est illius, qui Elisæi farinulæ dulcedinem indidit, vt Olla morte amarior, in cibum sapidissimum verteretur, nec quidquam amplius amaritudinis in olla remaneret 4. Reg. 4. 41.

Petrus Caralt Dominicanus ex mula prolapsus, à B. V. eius caput sustẽtatur.

15. An non sydus terris familiare sese ostendit Virgo nostra erga venerabilem senem illum B. Petrum Caralt Ordinis Diui Dominici, qui cum vice quadam ob debilitatem, mulâ veheretur, & hæc spectro à Dæmone obiecto territa, eum excussisset ephippio, & per multum viæ spatium pede in stapede hærentem suspensumque traxisset; ac pene elisisset; apparuit illi Virgo omnium periclitantium salus, & benedictis suis manibus caput raptati sustentans, ac reliquum corpus à collisione defendens, illesum seruauit? Hic idem Dei seruus, cum aliquando periculosè ægrotaret, Cacodæmon habitu Doctoris Theologi ipsi apparuit, ac propositâ de Sanctissima Trinitate quæstione, subtilibus, ac dolosis Sophismatis hominem pene ad infidelitatem deduxit. Cumque quod responderet non haberet, conuersus ad Imaginem Deiparæ, eius auxilium implorauit, & obtinuit. Nam Imago illa vultu ad eum verso, mentem eius, cælitus impetrato lumine, tanquam vera Illuminatrix illustrauit, mentisque tenebras, à tenebrarum principe offusas dispulit, & quod responderet mox suggessit, cuius acumen, lumenque Satan ferre non valens, confusus euanuit. O' *vtinam*, & *nos in tremendo illo mortis articulo, cum Tartareus hic tenebrio animæ circa fidem præsertim molitur insidias, nobis ita Virgo assistat, velut illa amicta sole mulier, mentiumque nostrarum tenebras ore stygij Draconis pestiferis suggestionibus exhalatas abstergat, inque portum salutis, tanquam stella maris lucidissima, nos deducat.* Kal. B. V. 11. Decembr.

Petrum Caralt B. V. illuminat circa Mysterium Trinitatis.

B. V. erga B. Hermannum familiaritas.

16. An non denique Virgo sydus terris familiare se esse ostendit, cum B. Hermannum, siue Iosephum dilectissimum suum Spõsum, inter quamplurima syncerissimæ familiaritatis illi exhibita signa, à vitæ periculo præseruauit? Hic enim, cùm ob inualetudinem sibi aliquando venam incidi permisisset, & partem cautè se ad dormiendum in lectulo composuisset, beata Mater verè pia, verè suauis eum familiariter compellauit: *Caue*, inquit, *tibi non enim sine periculo in brachium, cui incisa vena est, incubuisti*. Simulque brachium ipsius beatis manibus apprehendens, docuit dormiturum, quemadmodum, & illud, & totum corpus, absque periculo collocaret. O' vere Maria Luna candidissima, ò verè sydus terrigenis familiarissimum, atque amabilissimum!

B. V. docet Hermannum qualiter incisa vena decumbẽdum.

17. Expertus est Sydus terris familiarissimum esse Deiparam Amurates Robertus Mutinensis ex non obscura olim Robertorum stirpe oriundus. Hic, vt refertur libro 6. Hist. Soc. v. 13. 14. à prima pueritia obseruantissimus cæli Reginæ fuit, cuius obsequijs, quo expeditius se totum impenderet, Lauretum decreuit concedere, vti cum peccata sua confessario detexisset, Domum Sanctam est ingressus. Inde ædificandi sibi tugurij potestatẽ fieri à Pretore Lauretano impetrat. Vbi Eremitarum instar habitans, orationi, Diuinisque mysterijs operam dabat, cogitationisque de nostra Societate ineunda apud se fouebat, à qua maximè retardabatur metu, ne si se obedientiâ obligaret, Laureto migrare cogeretur. Has inter curas fluctuanti die S. Thomæ Cantuar. Sacro cum Septies ad opem Diuini Spiritus impetrandam, Hymnum Veni S. Spiritus pronunciasset, succurrit prompta S. Petri Obedientia, qui naui, ac retibus relictis, Christi Domini vocem illico secutus est; eaque dum secum in suo tugurio voluit, vocem sibi videtur audire increpantis: *O' miserũ, nonnè vides te nihil posse? Ad me conuertere, & audi*. Ad quam vocem cum oculos sustulisset, B. Virginis eâ specie, qua Romæ in Basilica ad Niues cernitur, os venerãdũ videt, deiectisque præ reuerentia oculis, attentas sermoni eius aures præbuit. Illa, non vt homines vulgo, qui vnum, deincepsque alterum, atque tertium dein alia ordine verba promunt; sed totas simul quasi sub aspectũ sententias conijciens, similiter ac nummulariorum peritissimi, qui non singillatim nummos dũ numerant, sed vno iactu complures in mensam effundunt, breui momento permulta dixit. Exprobrauit collata in eum beneficia, nominatim multa enumerans familiariter, quæ tum primum ille animaduertit. Obiurgauit quod illius mallet Sacelli sui mutis affixus hærere saxis, quam ex ignobilitate, ac vilitate eorum

Amurates Robertus Lauretum venit vt B. V. deseruiat.

B. V. eũ mouet vt deserto Eremitarũ tugurio obedientiæ se dedat.

B. V. monet vt in Societ. Iesu ingrediatur.

humilitatem, ac paupertatem addiscere. Iussit disertè Societati nomen dare, magnopere minitās, ni pareret, diemque sacrum Epiphaniæ nominauit, quo domū se ad Patres reciperet, addito vt minimè grauatè iret, si ex obedientia alio vocaretur: quando, & Pastores, & Reges, quāquam vehementer infantis Dei cunis tenebantur, tamen quo latius manifesta fieret Diuina gloria, à sacro Præsepi, & amabilissimo diuini oris conspectu recessissent. Quæ, aliaque non pauca cum dixisset, visa est tanquam benedictura brachio protenso, explicataque dexterâ, addere: *I celer, teque totum Obedientiæ subde. Huc ego te perduxi, nec deseram, sed quā cœpi tutelâ, ad extremum vsque spiritum prosequar.* Verbis hisce familiarissimis auditis, ille continuo à precatione surgens in sacrum sacellum pergit, Deiparæ se totum de integro tradit dicatque. Tum instans, & vrgens apud Patres, ipsa Epiphaniæ luce, quam Virgo præstituerat, receptum in Collegium impetrat. Inde velut nouum vitæ exordium iniens, pro veteri nomine Ioannes Thomas voluit dici, vt Ioannis Apostoli, quem quasi ostiarium B. V. legerat fuisse, patrocinio & fauore liberiorem ad eam aditum haberet; Sanctique Thomæ Cantuariensis, quo die ei sacro singulare illud beneficium accepisset, perpetuam memoriam, vna cum ipsius memoria beneficij conseruaret, assumpto Lauretani cognomēto, vt propinquos, stirpemque mortalem prorsus oblitus, in familia tātum, atque seruitio Virginis, quæ salutem hominum genuit, esse se testaretur. Hic ergo Iuuenis tam insigni clementia ad Christi IESV Societatem vocatus, quamquam ęgrè ab augustissimæ Matris conclaui abstractus est, tamen eiusdem præcepti memor, & laudabiles etiam voluntates per obedientiam immolare assuescens, duci se Romam passus in charitatis, atque humilitatis muneribus cœpit sedulo exerceri. In quibus auspicijs fauoreque Virginis adeo profecit, vt reuera illam, & ipse Sydus terris propitium, ac familiare experiretur. Iam ad reliquas Lunæ proprietates à Plinio recensitas gradum faciamus.

B. V. discedēs illi benedicit.

B. V. hortatur ad obedientiam.

Ioannes Thomas Lauretanus cur dictus?

18. Ait ille Lunam in tenebrarum remedium à natura repertam esse; Talis omnino est Virgo nostra; Quid enim Maria, Nomine suo sacratissimo præter alia, quam Illuminatam, quam Illuminatricem, quam stellam maris significat? Illuminatrix est Virgo; quia tenebras peccatorum nostrorum fugat, lucemque gratiæ mentibus nostris inuehit. Hinc Sedulius de hac Virginei Nominis claritate lib. 5. Paschal. carm.

Luna in tenebrarum remedium reperta.

Hæc est conspicuo radians in honore Maria,
Quæ cum clarifico semper sit Nomine Mater,
Semper Virgo manet.

B. V. Luna peccatorum nostrorum tenebras fugans.

Stellæ huius vndique illuminantis peccatorum tenebras clarissimum iubar cōspexit S. Bernardus Hom. 2. super Missus, vbi cum dixisset de illa vaticinatum fuisse Balaamum: *Orietur stella ex Iacob: Ipsa,* inquit, *est nobilis stella Iacob cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor, præfulget in Supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes quam corpora, fouet virtutes, excoquit vitia.*

B. V. Stella ex Iacob.

19. Hinc ipsa Illuminatrix Virgo illuminationis huiusce sibi probè conscia gloriabatur Eccli. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciā omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Quam promissionem Virginis amabilissimam S. Bernardinus Senensis Tom. 3. serm. 1. art. 1. de de Nom. B. V. cap. 3. expendens sic pulchra paraphrasi interpretatus est: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, quæ sunt frigidæ, & aspiciam, scilicet oculo misericordiæ, omnes sperantes in Domino, idest, illuminatione mea faciam, vt cognoscant DEVM, & sperent in eo.* Quod sanè abundè per minimam hanc nostram effecit Societatem Virgo Deipara ad Antipodas in orbe nouo, qui tot myriadibus annorum teterrimâ ignorātiæ sepultus caligine, longam infidelitatis dormiuit noctem, donec tandem tātarum tenebrarum, patrocinio vtique atque intercessione eiusdem Virginis, per Societatis nostræ Viros Apostolicos aliosque Religiosos submissum aduenit remedium, vt alibi fusius diximus.

B. V luce penetrat omnes inferiores partes terræ.

B. V. pietas in illuminandis cæcis mortalibus.

Orbis nouus per B. V. illuminatus.

20. Quam ob causam peccatores, qui scelerum variorum sepulti somno in lōgam stertunt noctem, ad Virgineam hāc Lunam mētis attollant oculos, eamque, vt ipsos illuminet, postulent impensius, maximè in extrema vitæ periodo. Audiant Innocentium III. summum Christi in terris Vicarium ser. 2. de Assumpt. *Qui iacet in nocte culpæ, respiciat Lunam, deprecetur Mariam, vt ipsa per Filium cor eius ad compunctionem illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eam, & non exauditus est ab ea? Quicumque sensit impugnationem ab hoste, vel à mundo, vel à carne, vel à Dæmone, respiciat hanc castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, vt ipsa per Filium mittat auxilium de Sancto, & de Sion tueatur eum.* Hæc ille.

Qui iacet in nocte culpæ respiciat Lunam deprecetur Mariā.

21. Audiant & Richardum à S. Laur. lib. 7. de laud. B. V. qui, & in principio, &

in

In principio, in medio, & fine noctis peccati Luna Maria inuocanda.

in medio, & in fine noctis peccati docet ad Virginem hanc attollendos esse sẽper oculos: *In sua Assumptione*, inquit ille, *Maria fuit Luna perfecta in æternum, quæ tunc dicitur perfecta, quando lucet tota nocte. Maria verò lucet in principio noctis, idest tentari incipientibus; & in medio, idest, iacentibus in peccato, & in fine, idest, exeuntibus de peccato, & euadentibus à tentatione.* Obseruãdum porrò, quod B.V. non comparatur Lunæ secundum statum eius præsentem, quia Luna hæc nunc habet maculam, sed Lunæ perfectiori, quæ erit in futuro, quando omnis omnino macula ei tolletur, quando Lux Lunæ erit sicut Lux Solis. Isa. 30. Ideo dicitur *Luna perfecta in æternum*.

Adolescens luxuriosè, ac dissolutè viuens à Dæmonibus vexatus, & tãdẽ à B.V. Lauretana illuminatur.

22. Luna hæc perfecta, solis lumine perfectè irradiata remedium tenebricosæ mentis facta fuit Adolescenti illi, de quo Tursellinus noster libro 3. de Virg. Lauret. cap. 32. Hic cùm longam scelerũ noctem fœdis corporis voluptatibus, luxuique indulgendo dormijsset, opesque paternas pessundedisset, & non solum hominibus, verumetiam Dæmonibus esset ludibrio; sæpiusque horribilibus laruis assumptis, contemptim tanquam vile mancipium flagris immanibus, indignissimisque modis ab illis, vt in desperationem præcipitem agerent, exciperetur, tot malis tandem oppressus Diuinum auxilium circumspectans, occurrit tandem Lauretana Virgo, beneficiorum in humanum genus collatorum famâ celeberrima, ad quam, tanquam ad Lunam suarum tenebrarum illuminatricem, sua peccata vehementer detestatus, recurrit, eamque deprecatur, vt apud filium, pro scelerum venia intercedat. At verò Tartarei tenebriones humanæ salutis hostes, diris verberibus, minisque Iuuenem à tam pio instituto deterrent; sed ille ad Deiparæ patrocinium, tãquam in terram prostratus, summa animi demissione aduersus stygias illas belluas auxilium implorat, obsecratque, vt tam miseræ, diræque seruitutis à suis ceruicibus excusso iugo, gratiam proficiscendi Laretũ, ad eius ædem, in qua Verbum caro factũ est, inuisendam, sceleraque inibi ritè exomologesi sacrâ expiandi concedat. Fusis hiscè suppliciter precibus, extemplo miro perfunditur gaudio, importuni abiguntur Cacodæmones, quorum cum fremitu, vlulatuque horribili auditæ voces; *nihil se posse contra Mariam*. Ergo ille præ gaudio vix sui compos impiger, vti vouerat, Lauretum aduolat, ibique peccatorum nexibus, quibus tam arctè vinciebatur, ad sacrum tribunal resolutis, experiri meruit Deiparam remedium suarum tenebrarum, verissimamque Lunam, noctem scelerum suorum dissipantem, clarissimumque lumen gratiæ menti suæ porrigentem esse.

Cacodæmones clamant se nihil posse contra Mariam.

23. Eadem hæc Luna perfecta Virgo Deipara remedium obtenebratæ menti cuiusdam sanctimonialis desperatissimę, ac perditissimæ suæ benignitatis splẽdore attulit, eamque ab æterno interitu, tenebrisque illis exterioribus, de quibus Christus, vbi est assiduus fletus, & stridor dentium, Ilias denique malorum omniũ, liberauit. Rem hanc vniuersam narrat Syluanus Razzius Camaldulensis lib. 1. Mirac. B.V. c. 46. quam vtpote prodigium Diuinę Virginis gloriam mirificè amplificans fusius describere libet. Hic igitur memoriæ prodidit in Germania bellorũ turbinibus destructum fuisse quoddam Sacrarum Virginum Cœnobium adeo, vt ad lares proprios diffugere compulsæ fuerint. Inter has erat quædam, nomine Agnes formæ præstantiâ spectabilis, cuius amore captus eius parens per summum nefas incestum execrandum commisit, deque ea prolem suscepit. Cum illa se grauidam esse aduertit, pudore cõpellente è domo paterna, profugit & in fuga prolem enixa est. Cui mox Tartareus Tenebrio nouas insidias molitus est, eiusque menti tantas tenebras effudit, vt infantem in vicinum lacum demerserit, quo famæ suæ consuleret. Nec has tenebras infelicissimæ huic offudisse contentus hostis, suadet, vt semetipsam etiam in eumdem lacum præcipitet, atque ita sordes tam abominabilis incestus, quo polluta erat, eluat. Sensit hic antiqui Veteratoris insidias, ac serpentinam caudam, esse suggestionem illam, proinde validissimo clamore Mariã Virginem suam Illuminatricem in auxilium aduocauit, petijtque, vt tantam caliginẽ misericordię suę luce depelleret. Nec spe suâ fæmina miserabilis frustrata est. Cõfestim enim ad inuocationem Virginei Nominis vidit Cacodæmonem ab oculis suis ad instar fumi euanuisse. Vnde maxima grati animi significatione tenebrarum suarum Illuminatrici Virgini sũmo cum affectu gratias persoluit, nouisque gratijs ab eadem misericordiæ Parẽte augeri meruit. Cum enim ad quandã Ciuitatem peruenisset, Matrona nobilis eã excepit hospitio. Nec ita multo post cuidam suæ vicinæ Hebreæ, cui Nomen Sara, Nutricem constituit, cui illa eius nutriendo filium quinque omnino annis

Sanctimonialis cũ proprio parẽte incestum perpetrat.

Filium submersit.

Dæmonis fraudes agnoscit à B.V. illuminata.

Apud Hebræam quandam Nutricem agit.

nis deseruiuit. Quo tempore assiduis gemitibus, ac lacrymis ieiunijsque scelestam execrādum à se designatum deplorauit, vt apud DEVM gratiam inueniret; simul etiam Iudeæ illi fidem Christi annūciauit, meritaque Mariæ Virginis eius Matris deprædicauit, eamque docuit Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam, simulque amorem in IESVM, eiusque Matrem ipsius cordi instillauit. Contigit interea, vt quidam è Prædicatorum familia nomine Conradus illac iter faceret; ad quem magna cordis contritione accurrens Agnes ante actæ vitæ labes per exomologesin eius pedibus prouoluta emaculauit. Qui à tantorum scelerum auditâ ritę confessione, eam Romam ad limina Apostolorum, à Summo Christi in terris Vicario absolutionem postulaturam amandauit. Qua impetratâ, in patriam mirificâ perfusa lętitiâ remeauit; & mox antiquam suam hospitem Iudæam reuisit; à qua benigne accepta ab itineris tā diuturni longinqui laboribus refocillata est. Interea Iudææ illius maritus domum aduenient vidit Agnetem in conclaui suo supra lectulum quiescentem, ac mox in sua opinione confirmatus, quod illa coniugem suam ad Christianismum alliceret, nescio quibus inferijs, ac furijs agitatus tria vulnera eius pectori circa cor pugionę infixit, confecitque. Quæ omnia cum Iudææ per quietem fuissent patefacta, vidit simul gloriosissimā Virginem instar Solis radiantem duabus Virginibus, vascula quædam praeciosis vnguentis plena gestantibus ad Agnetē iam mortuam ingredientem, quę cū eius vulnera perunxissent, mox Agnes ad vitā reuocata est. Cum non ita multo post Iudæus domum reuertisset, nec amplius Agnetis cadauer reperisset, censuit illam ab vxore ad scelus occultandum terræ mandatam. Elapsis postea diebus 40. ecce tibi quædam peregrina mulier eorum domum ingreditur, & salutatis coniugibus mox disparuit. Hebręus ad hoc tā peregrinum inusitatumque spectaculū obstupuit, & ad vxorem conuersus: Quid inquit, sibi vult hoc? qui fieri potest, vt Agnes adhuc viuat, nonnè ego illam tribus confossam vulneribus confeci? Ad quem vxor: Potest Christus, eiusque Mater Sanctissima Viuentium omnium Mater, mortuos ad vitam reuocare infinita sua omnipotentia. Et hoc est, subiunxit mox Iudæus, quod semper timui, ne te mulier illa seduceret, & in errorem hunc induceret; tandem tandem misera in casus eius incidisti; apprehensaque coniuge, eam in conclaue quoddam obscurum intrudit. Sed illa diuina ac Virginea ope adiuta, breui è carcere illo elapsa cum duobus filijs ad Diocæsin Coloniensem peruenit, vbi cum filijs sacro fonte tincta in Agnetem suam olim Nutricem, & in fide Magistram incidit, ex eaque familiariter quæsiuit, quanam ratione reuixisset? Cui Agnes; Nescio me vnquam fuisse mortuam. Subintulit Gertruda, sic enim post susceptum baptisma appellata est: quomodo quæso non fuisti mortua, cum ego ipsa viderim maritum tria tibi lethalia vulnera infligentem? Cui Agnes: fieri potest hoc verum fuisse, sed mihi plane videtur hæc omnia somniasse. Hoc vnicum scio me mox atque euigilaui, insidias tui mariti metuētem domo excessisse. Tunc Gertrudis, vt illi Dei eiusque Matris virtutum, ac omnipotētiam declararet, vestes circa pectus aperuit, & remoto cilicio quod gestabat, vulnerū cicatrices ostendit. Quæ omnia cū ad notitiam Conradi Archiepiscopi Coloniēsis peruenissent mirificè exhilaratus est, & Christi eiusque Matris virtutem, & gloriam deprædicauit, vtporè quæ velut Luna tantam scelerum, infidelitatisque caliginem, ac noctem benignitatis suæ splendore effugasset. Interim Agnes seruiendo suæ Illuminatrici Virgini magnos quotidie in via Diuini obsequij pgressus faciendo anno 1265. feliciter moritur, & Gertruda in fide Christiana cōfirmata in sancto proposito, factis magnis virtutis incrementis, cum filijs vsque ad finem vitæ perseuerauit.

Hebræa fidē Christi annunciat eiq. catechizat.

A cōfessario iniungitur illi pęnitentia vt Romā proficiscatur.

Agneti Hebræus tria vulnera infligit, moritur, & à B. V. suscitatur.

24. Neque vero in hac Virginea Luna nostra illud, quod addit Plinius inter alias Lunæ huius aspectabilis proprietates desiderari potest, quod nimirum multiformi ambage torserit ingenia cōtemplantium. Verè enim hæc Luna suorum miraculorum, rerumque circa se perpetrarum gloriâ, variorum in hodiernum vsque diem in scribendo fatigauit industriam. Omnia enim in illâ grandia, omnia Diuina, omnem naturæ ordinem excedentia reperiuntur. Vnde B. Germanus Constant. Patriar. orat. de Zona: *Omnia tua sunt*, inquit, *admirabilia ò Deipara, omnia supra naturam, omnia ingentia, & aliorum vires superantia. Propterea, & patrocinium tuum maius est, quam vt intelligentiā comprehendi possit. Homines enim ipsos olim reiectos, expulsos, expugnatosque tuo partu reconciliasti, domesticos, filios, & hæredes effecisti.* Hinc B. Cardin. Petrus Dam. Homel. de

Luna variorum torsit ingenia.

Omnia sunt mirabilia, & supra naturā in Maria.

de omnibus sanctis introducit Deiparam, Angelos, reliquosque sanctos eius gloriam contemplantes atque admirãtes, ita alloquentem, vt se mysterium, arcanumque quoddam in perscrutabile esse fateatur: *Illic*, inquit ille, *Regina Virginum, Virginibus innumeris comitata mãsiones perambulat Angelorum, & vtrisque naturis gloriam eius admirantibus dicit: Quid me admiramini? Diuinum est hoc mysterium, quod cernitis, Diuinum profectò non humanum, nec humanis vnquam rationibus compræhensum.* An non S. Epiphanij Virgo sacratissima profundissimis suis mysterijs torsit ingenium, cum libr. de laud. B.V. aiebat? *Quid dicam de præclarâ, ac sanctâ Virgine? Desiderium me trahit, vt de Deipara verba faciã, & formido me retinet in silentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret: ille quidem trahit me, iste verò me abstrahit. Huic enim prædicandæ, cælestis, ac terrena lingua minimè sufficit, imo verò nec Angelorum.* An nõ eadem hæc Virgo, suis arcanis, subtilissimum illud Diui Augustini torsit ingenium, cum serm. de Assumpt. imbecillitatem suam agnoscens pronunciauit? *Quid nos tantilli, qui actione pusilli, quid in eius laudibus referemus, cum etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior cælo est, de qua loquimur; abysso profundior, cui laudes dicere conamur.* An non Anselmi similiter Luna hæc Virginea torsit ingenium? cum cap. 8. de Excell. B.V. diffisus suis viribus eã alloquens. *Quid amplius*, inquit, *dicere possum Domina? Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & fęlicitatis tuæ considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit.* Torsit denique, & moderni Poetæ illius, qui cum amore, ac pudore in celebrandis Virgineis laudibus colluctari visus est, dum cecinit ad Virginem:

Laudes B.V. torserunt ingenium S. Augustini, & Anselmi.

Virgo iubet me castus amor tibi dicere laudes,
Sed me maiestas tanta, pudorque vetat.
Quid faciam? pudor assiduo decertat amori,
Atque animum in partes flectit vterq; suas.
Cedere si cogor, mage tutum est cedere Amori;
Esse potest nimius forsitan iste pudor.
In me, si qua tamen malè culti est causa pudoris,
Culpa hæc, ò Virgo, fiet amore leuis.

25. Quid iam de alijs illis à Plinio Lunæ attributis dicemus epithetis? *Immensa*, inquit ille, *orbe pleno, ac repente nulla; Humilis, & Excelsa.* Quæ quam aptè Virgini nostræ gloriosissimæ conueniant, nemo non videt, quicumque in Virgine eminentissima diuinæ maternitatis dignitatem, simulque profundissimam humillimæ Ancillæ animi demissionem contemplatur. *Hoc nimirum est Luminare illud, quod minuitur in consummatione, crescens mirabiliter in consummatione*, vt loquitur IESVS Sirach Eccli. 43. v. 7. & 8. *Verè .n. Virgo nostra est Luminare illud minus, quod vniuersi totius Artifex, omnipotenti illo suo verbo, fiat creauit, vt præesset nocti tenebrosi huiusce sæculi, & peccatores potissimum illuminaret.* Quod luminare licet in oculis suis foret minimum, in oculis tamẽ Dei, hominumque soli ipsi simillimum videbatur, tunc præsertim quando Virgo sempiternum illum, immensumque iustitiæ solem, vtero est complexa, & ipsius lucidissimus Thronus effecta. Tunc verè fuit *immensa orbe pleno*, quia plenitudine gratiæ acceptã, & ad immensam illam, infinitamque Diuinæ maternitatis dignitatem euecta, ipsam Dei immensitatem, quam totus comprehendere nequit mundus, complexa est, atque ita facta est repente nulla, nempe in oculis suis. *Quemadmodum enim Luna, omnem lucis haustum illuc regerit, vnde acceperat*, vt ibidem loquitur Plinius, nec vnquam est luce solis plenior, quam cum à nobis minimè videtur, eo quod intimè soli vnita, immenso ipsius orbe contegatur: sic Virgo beatissima, concepto Dei filio, eique intimè vnita, facta quodammodo immẽsa est, seque nullam in oculis suis æstimans, omnem lucis illius Diuinissimæ haustũ, in fontem lucis, à quo eam acceperat, summâ grati animi significatione suauissimum illud suum modulando Canticum regessit. In quo reuera se nullam agnouit, tunc cum dixit: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Tunc etiam fuit humilis, & excelsa. Humilis cum dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum.* Excelsa, quãdo Dei Mater effecta, infinitatem quandam gratiarum, donorumque cęlestium est indepta plenitudinem. De qua consulendus S. Bernar. Senensis Tom. 1. ser. 61. art. 1. cap. 12.

B.V. est Luminare minus, quod minuitur in consummatione.

B.V. immẽsa orbe pleno cum plenitudine gratiæ accepta ad Diuinam Maternitatẽ euecta est.

Luna cum à nobis non videtur maxmè luce plena, qui solis orbe ipsi vicina contegitur.

B.V. se nullã esse agnouit, cum dixit: Ecce Ancilla Domini.

26. Quanta porrò luce, ab Incarnato Verbo emanante, Luminare hoc Virgineum fuerit irradiatum, cognitioneque rerum omnium consummatum, ostendit Pelbartus lib. 11. stell. Par. 1. cap. 7. vbi ex Ambrosio Taruisino Carmelitano mira Virgineæ mentis lumina, à Verbo æterno in vtero eius commorante illi porrecta singillatim explicat, asseritque mentis hanc illustrationem, vnam ex stellis 12. esse, quæ Deiparæ verticem coronant, quæ cum primæ magnitudinis esse à plerisque ob Dei Matris excellentiam censeantur, summam quoque Vir-

Meritis illustratio in B. V. est vna ex stellis in eius Corona.

Virgine æ mentis illustrationem extitisse arbitrandum est. Vnde sapiēter idem annectit Pelbartus: *Vt breuiter singula cōprændendam, omnium rerum tam supernarum, quam inferiorum, tam exteriorum quam interiorum perfectam cognitionem humanæ naturæ possibilem hæc Virgo à suo dilecto filio plenissimè suscepit.* Idque luculenta comprobat ratione: *Quia Dei Mater*, inquit ille, *omni gratia plena fuit, ergo illi nullum bonum deesse potuit. Cæteris enim per partes, Mariæ verò se totam infudit gratiæ plenitudo, vt ait S. Hieron. Sed omnis scientia est de numero bonorum honorabilium, teste Aristotele lib. 1. de Anima. ergo omnem scientiam habuit. Vnde omnes Doctores concedunt, quod mox vt Virgo, Mater Dei esse cœpit, in eam omnes gratiæ possibiles humanæ creaturæ, cum benedicto Verbo pariter descenderunt. Quare Virgo dicere poterat cum Salomone Sap. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, Sapiētia videlicet Dei Patris. Vnde si intellectus Seraphin, aliorumque Angelorum cognoscit naturam suam propriam, & cæterorum, naturam cœlorum, Planetarum, & stellarum, terrestriumque animalium, &c. Quid ergo obstat quod B.V. in lumine IESV, quo illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in ipso lumine, in quo omnia relucent, ipsam plenissimè inhabitante, omnia cerneret, ac nosceret? Sicut enim in lumine solis multa videntur, quo sine minimè viderentur, quia lumen teste Philosopho 2. de Anima facit potentiā colores, actu colores, idest, actu visibiles: ita in luce Diuina videntur occulta nobis. Hinc Gregorius: Quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident?* Hæc Pelbartus, de admirādo variarum rerum cognitionis lumine, quo Virgo, velut Luna, à Sole iustitiæ in Conceptione Dei filij perfusa est.

B. V. nullum bonū deesse potuit, quia gratiā plena fuit.

Omnis scientia est de numero bonorum honorabilium.

Cum increata sapientia B.V. omnia bona aduenerunt.

27. Atque ita Luminare hoc Virgineū quod imminutum fuit, Ancillam se profitendo, in consummatione illa virtutū, perfectionumque omnium, Dei filium Regem illum virtutum, vteri Virginalis hospicio excipiendo, creuit mirabiliter, totâ obstupescente Naturâ, & Gratia in eadem sui consummatione, ac perfectione, quando intimè sempiterno illi iustitiæ sol vnita, lucem gratiarum, donorumque eius participans, super omnem tam Angelicam, quam humanam creaturam exaltata est.

28. Humilitatem hanc Virginis simul, & celsitudinem nobis ob oculos proposuit venerabilis Richard. à S. Laur. libro 12. de laud. Virg. vbi Deiparam Virgulæ comparans sic loquitur: *Virgula gracilis est per totum, sed in summitate gracillima. Gracilitas, est humilitas. Nam sicut filius Dei formam serui suscepit in ea, & ex ea; sic & ipsa ex dono filij formam accepit Ancillæ. Virga igitur hæc per totum gracilis, quia ipsa per totum humilis. Sed in sua summitate fuit humillima, sicut Virga in suo capite gracillima; ideo dicitur: Luminare, quod minuitur in consummatione. Et hoc benè apparuit in responsione eius ad Angelum Conceptum filij Dei nunciantem; quod fuit summitas eius excellentiæ. Et tunc apparuit gracillima, hoc est, humillima, cum tātis auditis præconijs, respondit: Ecce Ancilla Domini, &c.* Idem libr. 1. cap. 3. eandem imminutionem, celsitudinemque Virginis comprobare volens eam stellæ, quæ nostris obtutibus parua apparet, cum in se maior terra, multis parasangis existat, comparauit; *Maria parua apparuit*, inquiēs, *per humilitatem se offerens Domino in Ancillam, cum postularetur in Matrem. Sed postea magnam se esse testatur: Beatam*, inquiens, *me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est. Ideo de ipsa dicitur: Luminare quod minuitur in consummatione.*

B.V. Virga gracilis per humilitatē.

B.V. est stella quæ nobis parua videtur, cum tamen multo maior terra sit.

Idem libr. 7. eandem Lunæ conferens: *Maria*, inquit, *quo magis crescebat in omni virtute, plus decrescebat per humilitatem in sua reputatione. Audierat nimirum illud Eccl. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Ideo de ipsa dicitur: Luminare, quod minuitur in consummatione.*

29. De hoc Lunæ nostræ Virgineæ incremento, & decremento in Verbi Incarnatione acquisito præclarè etiam supra memoratus Pelbartus de Temisuar lib. 5. Stell. Part. 2. art. 1. *Quemadmodum*, inquit, *Luna crescit vsque ad 14. diem, quousque in ea Imago hominis quasi fabri integra appareat, & postea decrescit: Sic B. Virgo à natiuitate sua creuit vsque ad 14. ætatis suæ annū, quo creditur Christum concepisse, tunc ergo apparuit in eius vtero integra Imago hominis Fabri, ipse videlicet Christus, Imago Dei Patris, qui integer per gratiæ, & sapientiæ plenitudinem, perfectionemque extitit, simulque Fabrum repræsentauit, quia secundum Diuinitatem mūdum fabricauit. Hinc Hiere. 31. Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circumdabit virum. Postquam autem B. Virg. in tantum creuit, statim in sua reputatione, per humilitatem decrescere cœpit, quia non Matrem Dei, non Dominam mundi, non Reginam cæli, sed Ancillam Dei se appellauit.* Hæc Pelbart.

In plenilunio apparet in B.V. quasi Imago hominis fabri.

Christus in B.V. velut Luna plena apparuit quasi homo faber, qui diuinitatem Vniuersum fabricauit.

30. Idem denique supra memoratus Richardus loco citato rationem explicat, qua Virgo imminuta fuerit in consummatione, & postea mirabiliter creuerit in eadem sui consummatione. Postquam enim præmisisset: *Luminare, quod minuitur in consummatione*; mox subtexuit: *Hoc de Luna materiali non potest intelligi, quæ non*

non minuitur in consummatione, sed post consummationem. Prius enim confirmatur per perfectionem, & postea minuitur decrescendo. Beata verò Maria, quando annunciata est gratia plena, & in Matrem Domini electa est, quod fuit eius excellentiæ consummatio, quasi se mirabiliter imminuens, respõdit; *Ecce Ancilla Domini. Vnde dictum est: Minuitur, idest humiliatur; & non decrescit; ne intelligeremus minutionem decrementi. Quasi diceret sapiens: Cum Audisset Maria tantam sibi promissam celsitudinem, quod fieret Mater Dei, seque per humilitatem nominans ancillam minuisset, ex hoc consummata est, & facta Luna plena, quia in hoc verbo concepit filium Dei. Ideo paulo post subditur: Crescens mirabiliter in consummatione: Præponitur autem: Mensis est secundum nomen eius, scilicet Luna, à qua Neomenia, idest, noua Luna nuncupatur. Cum igitur nomen Virginis sit Maria, quæ Illuminatrix interpretatur; illa enim dies nostros, operaqua illuminat, consequitur sane, omnia temporum nostrorum spatia, dimensionesque ab illa irradiari, totamque hanc vitam nostram, sub eius patrocinio exactam, luce ipsius gratiæ perfici, omnibusque virtutum muneris absolui.* Hæc ferè Rich.

Omnia nostræ vitę spatia à B. V. illuminantur.

31. Quod si penitius Virgineæ huiuscé nostræ Lunæ, à qua menses, anni, omniaque vitæ nostræ, ac præsertim ipsius clientulorum, tempora spatiaque, & denominantur, & illustrantur, nomen cõsideremus, inueniemus profecto pulcherrima in illo reclusa mysteria, quæ insignia nobis virtutum datura sunt documenta, totiusque vitæ nostræ decursum illuminatura. Quid enim Maria, vt Sapienter P. Alchazar, & cum eo Pater Cornelius, ex radice Hebraica sonat aliud, *quam stillam maris, quam sublimem, & excelsam? En vt Virgineæ huiuscé Lunæ nomen, menses, annos, totiusque vitę nostræ illuminat, tempora, docetque, si sublimes, excelsique in felicissima illa æternitate esse cupimus, exemplo Virginis in oculis nostris simus paruuli modicique, ac minuti, ad instar cuiuspiam maris guttulæ.* Quemadmodum enim Deipara; in sua illa incompræhensibili Consummatione, cum Dei Mater, atque adeo Domina, ac Regina totius Vniuersi, immensumque quoddam pelagus gratiarum perfectionumque omnium, effecta est, se Ancillam, & quandam quasi modicam maris stillulam æstimauit, vnde postea super omnes Angelicas Hierarchias exaltari meruit: sic sanè omnes synceri ipsius amatores, qui peculiari gratiæ lumine, ab hac Luna in tenebricosi huius sæculi nocte irradiantur, sese modicos, paruulosque agnoscentes ad eminentissimum illud æuiternæ gloriæ culmen euehi promerentur.

M. stillã maris, sublimẽ, & excelsam denotat.

B. V. clientuli qui illius exemplo sę paruulos modicosque reputant, in cęlo postea exaltantur.

32. Hæc nimirum Virginis humilitas, qua se, cum mare esset amplissimũ gratiarum, stillam, maris arbitrabatur, non modo super æthera sublimem euexit, verumetiam cælo, terræ, inferisque dominantem effecit, atque ita Lunam se esse demonstrauit, quæ vt cælis dominatur, Luna; vt terræ, Diana; vt inferis denique, Hecate nuncupata est. Vnde Seneca Hecatem triformem appellat. Horatius verò Diuam triformem libro 3. carm.

B. V. cælo, terræ, ac inferis dominans Hecate quædam triformis videtur.

Montium custos, nemorumque Virgo
Quæ laborantes vtero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho
Diua triformis.

Quam ob causam triceps exprimebatur. Hinc Virg.

Tergeminamque Hecatem, tria Virginis ora Dianæ.

Ipsius potentiam, viresque descripsit Hesiodus in Theogon.

nam super omnes
Iuppiter ingentes illi largitur honores,
Muneraque imperium, terræque, marisque profundi
Cunctorumque simul, quæ cælum amplectitur altum.
Admittitque preces facilis Dea, prompta, benigna,
Diuitias præbet, quod ei concessa potestas;
Imperat hæc cunctis qui sunt è fœmina nati,
Et terræ, & cęli cunctorum fata gubernat.

Hæc Nesiodus, quæ profecto multo aptius Virgini nostræ potentissimæ cælorum Dominæ, ac Reginæ conuenirent.

Laudes Hecate magis B V. conueniunt quam Lunæ.

33. Hecatem hanc triformem exprimere voluisse visus est S. Bonau. in Spec. cap. 3. vbi Mariani Nominis euoluens mysteria, inter cætera ait significare Dominam. *Hoc Nomen*, inquit ille, *optimè conuenit tantæ Imperatrici, quæ reuera Domina est cælestium, terrestrium, & infernorum, Domina inquam Angelorum, Domina hominũ, Domina Dæmonum, Domina vtriusque in cælo, Domina in mundo, Domina in Inferno. Primo considera charissimè, quod Maria est Domina Angelorum. Ipsa enim signata est in Domina Esther Regina, de qua legitur, quod supra vnam famulam suam deliciosè innitebatur, altera autem famularum sequebatur Dominam, defluentia in humum vestimenta sustentans. Per Dominam Esther Reginam, intellige Mariam Reginã. Duæ famulę quarum Domina est Regina Maria, sunt Angelica, & humana creatura. O quantum gaudendum est nobis miseris hominibus, quod Angeli Dominum, & Dominam habeant*

B. V. iuxta Ethymologiam sui Nominis Domina est cælestium, terrestrium, & Infernorum.

Angelica, & Humana Natura sunt famulæ B. V.

ex hominibus. *Verissimè enim Angelorum Domina est Maria. Vnde Augustinus ipsam alloquens ait; Si te cęlum vocem, altior es, si Matrē gentium dicam, præcedis. Si Dominam Angelorum nominem, per omnia esse comprobaris. Si formam Dei appellem, digna existis. Anima vero humana est famula, quę Dominam suam Mariam sequitur in mundo. Sequitur certè colligens, virtutes, & exempla Marię. Intelligentia verò Angelica est famula, super quam Domina sua Maria innititur in cęlo.*

B.V. Angelicę naturæ innititur tāquam famulæ. *Innititur certè tanquam familiarissima, se Angelis sociando, innititur etiam tanquam delicatissima in Angelis deliciando, innitur quoque tanquam plenissima se cum sua plenitudine Angelis communicando, innititur insuper tanquam potentissima sese Angelis impendendo. Secundo cōsidera quod Maria est Domina hominum in mundo.* Quælibet fidelis anima est Ancilla B.V. *De hac Domina Psalm. 112. dicitur: Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suę. Ancilla Dominę Marię, est quælibet anima fidelis, imo etiam Ecclesia vniuersalis. Oculi huius ancillę in manibus Dominę suę semper debent esse, quia oculi Ecclesię, oculi omnium nostrum in manus Marię semper debent respicere, vt per manus eius aliquid boni accipiamus, & per manus eius quicquid boni agimus Domino offeramus. Per manus enim huius Dominæ habemus quicquid boni possidemus. &c. Considera denique quomodo Maria est Domina Dæmonum in Inferno tam potentèr eis dominans, vt de ea accipi possit illud Psalm. 190. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus. Hæc Virga Virgo Maria virga virtutis est contra inimicos infernales, quibus magnā virtute dominatur, & ideo Domina tam magna, tā magnę virtutis merito à nobis exoratur, vt nos contra inimicos istos tueatur. Sic ergo vides quomodo Maria est Domina Angelorum in cęlo, Domina hominum in mundo, & Domina Dęmonum in Inferno.* B.V. est Virga virtutis contra inimicos Infernales, illis magna virtute dominando. Hæc Bonauentura. Quibus quid aliud, quam triformem quandam Hæcatem cælis, terris, Inferisque potentissimè dominantem, imperantemque descripsisse visus est?

34. Verè Virgo nostra Luna est in cælis dominans, dum inde benignos gratiæ suæ influxus mortalibus, solem iustitiæ dilectissimum suum imitata filium communicauit. B.V. Luna in cælis dominans dum nobis benignos gratiæ influxus cōmunicat. Vnde Richar. à S. Laur. lib. 7. *Nil*, inquit, *tam simile soli, quam Luna, non tamen omnino similis. Nullum enim Luminare tantum habet luminositatis, quantum Sol, cuius luminositatem Luna vicinius æmulatur. Hinc Apostolus 1. Cor. 15. Alia est claritas Solis, idest, Christi, alia claritas Lunę, idest, Marię; alia claritas stellarum, idest Sanctorum. Influxum porrò Lunę sentire consueuerunt animalia, quibus, in eius lucis incremento medullę suscrescere consueuerunt. Idem hoc virtutis incrementum experiuntur Virginis deuoti clientuli, dum ipsius benigna luce gratię irradiantur.* Audiendus hic Bernardinus Bustius Part. 9. Marial. serm. 2. vbi: *Ostenditur*, inquit, *virtus Mariæ super aridos, & indeuotos, quia sicut crescente luce Lunæ, crescunt medullę: ita adueniēte Virginis luce, homo crescit in deuotione. Et ideo quilibet indeuotus, & aridus spiritu, debet Lunam hanc plenam rogare, vt impinguet ossa sua, impleatque medulla deuotionis, dicens ei cū Psalmista: Anima mea sicut terra sine aqua tibi; & tunc de illo verificabitur illud Eccli. 26. Gratia mulieris sedulę, Virginis scilicet Marię, delectabit virum suum, deuotum videlicet suum, & ossa illius impinguabit.* Audiendus hic quoque supra memoratus Richard. qui Bernardino consonat: *Secundum Lunę incrementum*, inquiens, *vel decrementum, abūdant vel decrescunt medullę in ossibus animaliū. Virtutes, & gratię medullę sunt, quę ossa irrigāt virtutum naturalium, sine quibus deficiunt.* Virtutes, & gratiæ medullæ sunt, quæ irrigāt ossa virtutū. *Hu verò medullæ nisi per gratias, & orationes Mariæ, in nobis abundare nequeunt. Medullæ verò illæ sunt humilitas, pietas, charitas, castitas, patientia, & huiusmodi de quibus Prou. 3. Sanitas enim erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum.* His illa influxibus gratiarum, ceu stimulis nos ad benè operandum impellit.

O clarissima Filia
Solis Luna aurei circuli
Lumen: quam certos stimulos
Et prouidos pullis addens regis!

35. Ob hasce virtutes, perfectionesque, quas suis cultoribus Virgo exhibere, ceu benignos influxus consueuit, crediderim eam Lunam perfectam à Spiritu S. fuisse appellatam. Ipsa enim est Thronus ille lucidissimus, in quo Vnigenitus qui est in sinu Patris ad humanum genus redimendum veniens considere non est dedignatus, de quo idem Pater æternus apud Psalm. 88. *Thronus eius, sicut Sol in cōspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cęlo fidelis.* Verè enim Virgo cum Verbum in eius purissimo vtero fuit incarnatum, Thronus Diuinæ gloriæ maiestate irradiatus, ac instar solis refulgens, ipso sempiterno iustitiæ sole amicta euasit. B.V. Thronus ad instar Solis refulgens cū Dei Filius in ea resedit. Luna quoque perfecta in æternum in instanti illo immaculatæ suæ Cōceptionis felicissimo, luce Diuinæ gratiæ copiosissimè perfusa, omnibusque Spiritus S. donis ac charismatis locupletata, effecta est, dum peccatoribus in tetra scelerum nocte, illorum tenebras illuminans in principio, medio, & fine noctis ad extremum vsque iudicij diem effulgescit, lucemque miserationum suarum pro inge-

genitâ sibi charitate cunctis quocuuque tempore communicat, eosque omnibus sanctitatis, perfectionisque numeris absolutos reddit.

36. Quod si Luna perfecta dicitur, quę in principio, medio, & fine noctis lucem mundo porrigit; Virgo sane nostra Luna vocari debebit perfectissima. *Quia ipsa*, vt loquitur Bustius, *in principio, medio, & fine dat adiutorium suum in quacunque aduersitate, & tentatione. Peccatorum quoque tenebris inuolutos nunquam cessat lumine suæ benignitatis illustrare, vt de ipsis tenebris exire valeant. Vnde Gen. 1. capite dicitur, quod fecit DEVS duo luminaria magna. Luminare maius, id est, Christum, vt præesset diei, hoc est iustis. Et luminare minus .i. B. Virginem, vt præesset nocti, peccatoribus videlicet, nocte ipsa ob scelerum nigredinem, tetrioribus. Denique sicut Luna cæteris Planetis citius suum perficit cursum, ita Beatissima V. Maria præ cæteris sanctis velocius, peccatoribus, tentatis, ac tribulatis suum præbet auxilium.* Et sicut Luna cæteris Planetis ac syderibus magis est terræ vicina, ita ipsa in omnibus necessitatibus est nobis præ cæteris sanctis propitia.

B.V. in quacunque aduersitate in principio, medio, & fine auxiliatur.

Christus, & B.V. duo luminaria magna, vt diei ac nocti præessent, ille iustis, hæc potissimum peccatorib.

37. Quare Virgini, nostræ encomium illud, Lunæ à S. Basilio attributum, longè potiori iure applicare possumus: *Luna est decor noctis, Mater roris, ministra humoris, Dominatrix maris, mensura temporis, æmulatrix solis, & immutatrix aeris.* Verè .n. Virgo dum peccatores, caligine peccatorum circumseptos illuminat, mirificumque eis decorem spiritus, ornamentumq; inducit, simulque eisdem fit mater roris, ac ministra humoris Diuinæ gratiæ, ac deuotionis. Quam præclarè iam memoratus Bernardinus! *Maria humorem deuotionis cuilibet filio suo adoptiuo sub ministrat. Habet enim duo Vbera, quibus lactat filios suos adoptiuos; ex vno iustis humorem infundens gratię, & ex alio humorem misericordię peccatoribus. Ideo Ecclesia eam vocat Matrem gratiæ, & misericordiæ. Beatus igitur ille, qui quotidie pascitur lacte ab hiscè vberibus propinato. Tantam enim dulcedinem experietur, vt dulcissimæ Virgini dicturus sit: Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cant. 1. Sic ille.

Lunæ elogia ex S. Basilio.

B.V. est decor noctis, dum peccatores nocte nigriores illuminat.

B.V. humorē deuotionis suis clientulis subministrat.

38. Neque verò Virgo rorem Diuinæ gratiæ peccatoribus nocte nigrioribus solum effundit, verumetiam ipsam gratiarum omnium originem, ac fontem eisdem communicat. Quid enim aliud est Ros hic nisi saluator, qui per Virginem venit in mundum, peccatores saluos facere? Hunc rorem suauissimum tot suspirijs, gemitibusque anhelabant Sancti Patres cum clamabant: *Rorate cæli desuper.* Roris huius optatissimi vox est illa: Ose. 14. *Ero quasi Ros Israel, germinabit sicut lilium.* Tantum enim Dei filius vtero Virginis, ceu Luna effusus, sterilescenti mundo fœcunditatem attulit, vt licet esset horridissimum quoddam desertum, nihilominus in amœnissimum viridarium flores, rosas, liliaque virtutum diuersarum germinas euaserit. Verè Ros fœcundus est Dei filius. Quemadmodum enim ros de nocte in terram, herbasque cadens venenata arcere consueuit animalia, ideoque eorum venena de nocte minus sunt noxia, vt testatur Aristoteles. *Serpentes quoque inter roscidas herbas raro suum expromunt aculeum: sic ros hic cęlestis ad nos veniens serpentis Tartarei virus, aculeum, maliciamque refrænauit.* Quare Diuino huic rori merito dixit Isaias cap. 26. *Ros lucis ros tuus, & terram Gigantum*, superborum videlicet Demonum, *detrahes in ruinam.*

B.V. rorem nobis infundit. dū Christum nobis cōmunicat.

Filius Dei vtero B.V. ceu Lunę ros infusus mūdum sterilē fęcundauit.

Christus Ros lucis terram Gigantum Dæmonum videlicet, detraxit in ruinam.

39. Hic deniq; est Ros ille, qui in Gedeonis vellus, tacito sese effudit illapsu, totamque postea mundi aream gratiarum imbre fœcundauit. Audiendus hic mellifluus Bernardus ser. de Aquę ductu, vbi: *Intuere*, inquit, *ò homo consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cælesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, precium vniuersum contulit in Mariam. Vt quid hoc? Forte vt excusaretur Eua, per filiam, vt querela viri aduersus fœminam deinceps sopiretur. Ne dixeris vltra ò Adam: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi, de ligno vetito. Dic potius: Mulier quam dedisti mihi, me cibauit fructu benedicto. Pijssimum sane consilium, sed latet forsitan aliud, nec totum hoc est. Altius ergo intueamini, quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, vt proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quę ascendit delicijs affluens.* Quicūque igitur peccator cor suum aridum, ac virtutum flore, fructuque bonorum operum desertum in se experitur, accurrat ad Virginem in quam, tanta cum abundantiâ Diuinissimus ille Ros, de cælo influxit, vt de plenitudine gratiarum eius totum hoc mundi desertum infunderetur, ac fœcundaretur. Dabit illa dulcissimum hunc fęcundissimumque Rorem, IESVque amorem, cordâ nostra fœcundantem instillabit, illudque ad instar Horti lilia puritatis, rosas charitatis, violasque humilitatis aliorumque virtutum

Christus Ros Gedeonis vellus infundens.

B.V. Vellus Gedeonis rore cælestis gratiæ infusum.

Deus magno deuotionis affectu voluit nos venerari Mariam, in quam omnis boni plenitudinem collocauit.

fructum germinantis, fœcundabit. Ipsa enim non solum rorem hunc Diuinum, tanquam argentea, purissimaque Luna, benignissimâ suâ influentiâ, mundo effudit, sed & ipsa Hortus deliciarum Paradisi effecta, de floribus aromaticis, fructibus virtutum nobiscum affatim communicare non est dedignata. Audiamus hic rursus S. Bernardum loco citato: *Hortus plane deliciarum, quem non modo afflauerit, sed & perflauerit, superueniens Auster ille Diuinus, vt vndique fluant, & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum.*

B.V. est Hortus deliciarũ quam Auster Diuinus Spiritus S. videlicet afflauit, ac perflauit.

40. Quid iam de altero illo Lunę dicemus elogio, quo Dominatrix maris nũcupatur? Quid mare hoc significat, nisi mundum, varijs cupiditatibus æstuantem? *Huic Virgo tanquam totius Vniuersi Domina, ac Regina dominatur, & quemadmodum adamas, inquit Bustius, trahit post se ferrum, sic Luna mouet, & attrahit post se Oceanum.* Hoc insinuauit Lucanus cùm cecinit:

B.V. est Luna mari huius mundi dominans.

Thetios vnda vagæ lunaribus æstuat horis.

Vnde in ipsius exortu mare exundat aquis, ex parte orientis; & ex parte occidentis imminuitur. E contra occidente Luna crescit mare ex parte occidentis, decrescitque ex parte Orientis, vt docet Martianus. Tale est cor mundi amatorum; de quibus Isa. 57. *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Cum .n. Virginea hæc Luna oritur peccatoribus, eos suæ misericordiæ luce illustrando, cor eorum ex parte orientis gratiæ dilatatur, eâque repletur; decrescitque ex parte occidentis dum aquæ culpæ, quæ inundauerant penitus abolentur. Quod si Virginea hæc Luna occidat, lucemque suæ misericordiæ subtrahat, tunc contra in mari cordis impiorum aquæ culpæ, quæ iam occiderant, crescent, decrescẽtque aquæ cælestes orientis gratiæ, quæ prius corda illorum tam copiosè inundauerant. *Atque ita sicut Luna mare modo aquis replet, modo diminuit, modo auget, modo consummatè complet, in plenilunio; sic Virgo beatissima peccatores iram Iudicis prouocantes, aquis pœnitentiæ, lacrymisque replet, simulque in eis decrescere facit miseriam culpæ, augetur profectus gratiæ, tandemque deducuntur ad plenitudinem gloriæ.*

Cor amatorũ mundi quasi mare feruens cui B.V. dominatur.

Quomodo B.V. peccatoribus dominatur?

41. Quod si per mare fluctuans varias mundi intelligamus vicissitudines, his omnibus sane tanquam Luna dominatur Deipara. Vnde S. Ioannes Apoc. 12. Lunam, quæ vicissitudinem hanc, varietatemque mundi designat, Deiparæ pedibus substratam vidit ad ostendendum eam, Lunâ longè excellentiorem, eminentioremque esse. Hinc S. Gregorius libro 14. Moral. cap. 7. *In Luna*, inquit, *quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur.* Verè enim mũdus hic est *fluctus ille, qui vt Luna mutatur.* Quemadmodum loquitur sapiens. Vt vero ostenderet Ioãnes Virginem, Virginum esse prudentissimam, ac sapientissimam, omnem mundi inconstantiam, varietatemque, ac stultitiam proculcantem, ait se vidisse mulierem amictam sole, qui eidem sapienti ob stabilem, nunquamque deficientem ex se lucem, symbolum est sapientiæ. *Homo sanctus*, inquit ille, *in Sapientia manet sicut sol, nam stultus sicut Luna mutatur.* Eccl. 27. 12.

Mare fluctuans notat varias mundi vicissitudines, quibus B.V. dominatur.

42. Vt porrò Dominium hoc Virginis super mare huius sæculi, eiusque vicissitudines, fortunæque inconstantiam, magis æstimemus, libet varietatem hanc, volubilitatemque sæculi ab Ouidio in Pythagoræ persona descriptam, ob oculos ponere. Sic igitur ille lib. 15. Metam, eum loquentem, postquam suam metempsycosin, siue animarum in varia corpora transmigrationem exposuisset, introducit:

Mundi vicissitudo atque inconstantia à Pythagora describitur.

Et quoniam magno feror æquore, plenaque ventis
Vela dedi, nihil est toto, quod perstet in orbe;
Cuncta fluũt, omnisque vagans formatur imago,
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu.
Non secus ac flumen; neque enim consistere flumen,
Nec leuis hora potest, sed vt vnda impellitur vnda,
Vrgeturque eadem veniens, vrgetque priorem,
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur.
Et noua sunt semper. nam quod fuit ante, relictum est.
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta nouantur,
Cernis, & emensas in lucem tendere noctes,
Et iubar hoc nitidum, nigræ succedere nocti,
Nec color est idem cælo, cum lassa quiete
Cuncta iacent media, cumque albo Lucifer exit
Clarus equo, rursusque alius cum prævia lucis
Tradendum Phœbo Pallantias inficit orbi.

Tum eandem rerum mũdanarum, exemplo solis, Lunæ, quatuor partium anni, Aetatumque hominis, & cæt. introducto exemplo, prosequitur inconstantiam;

Sol Dei clypeus.

Ipse Dei clypeus, terrâ cum tollitur imâ
Manè rubet, terraque rubet cum conditur imâ:
Candidus in summo est, melior natura quod illic
Ætheris est, terræque procul contagia fugit.
Nec par aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest vmquam, semperque hodierna sequente

Si

Si crescit minor est, maior si contrahit orbem.
Quid non in species secedere quatuor annum
Aspicis, ætatis peragentem imitamina nostræ?
Nam tener, & lactens, puerique simillimus æuo
Vere nouo est, tunc herba recens, & roboris expers
Turget, & insolida est, & spe delectat agrestes.
Omnia tum florent, florumque coloribus almus
Ludit ager, neque adhuc virtus in frondibus vlla est.
Transit in æstatem post Ver robustior Annus,
Fitque valens Iuuenis, neque enim robustior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat vlla est.
Excipit Autumnus, posito feruore iuuentæ
Maturus, mitisque inter iuuenemque senemque,
Temperie medius, sparsus quoque tempora canis.
Inde senilis hyems, tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos.
Nostra quoque ipsorum semper, requieque sine vlla
Corpora vertuntur, nec quod fuimusque, sumusque
Cras erimus, fuit illa dies, qua semina tantum
Spesque hominum primæ, matrisque habitauimus aluo.
Artifices Natura manus admouit, & angi
Corpora visceribus distenta condita Matris
Noluit, æque domo vacuas emisit in auras,
Editus in lucem iacuit sine viribus infans,
Mox quadrupes, rituque tulit sua membra ferarum;
Paulatimque tremens, & nondum poplite firmo
Consistitit, adiutisque aliquo conamine neruis
Inde valens, veloxque fuit spatiumque iuuentæ
Transit, & emeritis medij quoque tẽporis annis
Labitur occiduæ per iter decline senectæ.
Subruit hæc æui, demoliturque prioris
Robora, fletque Milon senior cum spectat inanes
Illos qui fuerant solidarum more ferarum
Herculeis similes fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, vt in speculo rugas conspexit aniles
Tyndaris, & secum cur sit bis rapta requirit.
Tempus edax rerum, tamque inuidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.
Nec species sua cuique manet, rerumque nouatrix
Ex alijs alias reparat Natura figuras,
Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim, sic ad ferrum venistis ab auro
Sæcula, sic toties versa est Fortuna locorum.
Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus
Esse fretum, vidi factas ex æquore terras
Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ
Et vetus inuenta est in montibus anchora summis,
Quodque fuit campus vallem decursus aquarũ
Fecit, & eluuie mons est deductus in æquor.

Mundi incõstantia quatuor anni partibus declaratur.

Aetates homini mundi arguunt inconstantiam.

Aetates seculorũ, mundi declarant incõstantiã.

Eandem mundi inconstantiam varietatemque prosequitur per singula elemẽta discursu facto, quæ ego breuitatis amore prætermitto. Hanc eandem Mũdi inconstantiam, varietatem, vanitatẽque paucis descripsit Pater noster Gualterus Paullus Vir non minus pietate, quam literis conspicuus, dum in suo Nouo Cantico animi à Mundo salientis in DEVM Rhithmo 7. ita modulatus est;

Si mente quis reuoluat
Mundana quæ sint munia,
Quos sortis vrna reuoluat
Casus, & infortunia:
Est Mundus iste follis,
Genus pilæ lusoriæ
Quod inflat aura mollis
Syringe vana gloriæ.
Hac folle sunt globatim
Rerum vices communium;
Ludunt eo datatim
Fortuna, & Infortunium.
Modo in ima, mox in altum
Fertur leui iactantiâ
Salit hunc perennè saltum
Constans in inconstantia.
Dum porro sic rotatur
Et saltat, & reuolitur,
Qui perdidit lucratur,
Ludusque non absoluitur.
Putasnè te iocando.
In hoccè Sphæristerio
Ludendo saltitando
Vnquam quiescè serio?
Qui vult quietus esse,
Et stare Mundi ductibus,
Vult in globo quiesse,
Qui concitatur fluctibus.

Mundus est instar pilæ lusoriæ.

Sicut in globo nemo potest quiescere, sic etiam in mundo.

43. Huic igitur Mundo tam vario atque instabili, & ad instar maris assiduè vndis reciprocantibus fluctuanti, Virgo gloriosissima dominatur, eumque ad instar Lunæ, Luna quædam Diuinior longeque eminentior pedibus proculcat. Nec his contenta idem suis cliẽtulis super omnes hascè mundanas varietates dominium impertiri cõsueuit. Qui enim fieri potest, vt solari illo ipsius protecti pallio solis immutabilem illam omni vicissitudine carentem stabilitatem non æmulentur? Qui fieri potest, vt sub huius Ligni vitæ suauissimâ vmbrâ conquiescentes, immortalem quandam, nulla vicissitudine temporum flauescentem, aut marcescentem ætatem ac Spiritus iuuentutem florentissimam non conseruent? perinde atque illi, qui in statu primigeniæ innocentiæ degentes vitalis Ligni

B. V. suos clientes mundo instabili superiores reddit.

gni

gni fructus beneficio, absque vllo humidi radicalis detrimento annaturi erant, ac peremnaturi.

B.V. sua immutabilitate, ac constātia, Angelicam Natura, quæ in sua stabilitate non perstitit, longe superauit.

44. Hac sui immutabilitate ac constātiā Virgo gloriosissima ipsam Naturam Angelicam superauit. Quia licet hæc immutabilis facta sit per gratiam, fuit tamen in principio suę creationis mutabilitati obnoxia per naturam; Vnde per summum nefas Conditori suo Angeli, typho superbiæ turgidi rebellarunt, rudentibusque inferni de cælo detracti in barathrum traditi sunt cruciandi. Hanc nimirum Angelorum inconstantiam agnoscens Iob cap. 3. dixit: *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem*. At verò Virgo sacratissima, à primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti, omni originarij peccati labe immunis, eximiā sanctitate, donisque cælestibus dotata, tam primæ huius sænctificationis, quam Visionis beatificæ, qua eo momento perfrui promerita est, beneficio, confirmata in gratiâ, Angelicam Naturam, tanquam ipsius Regina, stabilitate suâ inuariabili multis parasangis superauit, ac proinde iure merito dicere poterimus, Angelicæ Naturæ Lunam, & quamcunque tandem sæculi variationem mutabilitatemque eius pedibus fuisse substratam.

Imperatrix variam Fortunam mundique vicissitudinē experta, ope B.V. omnibus tribulationibus eripitur.

45. Experta est Deiparam mundi varietati, atque mutabilitati dominantem Imperatrix illa, de qua Scribit Ioannes Heroldus, ālias Discipulus, in Promptuario Exemplorum B.V. cap. 1. Huius Maritus cum desiderio ingenti inuisendi Sepulchrum Christi teneretur, suo Fratri Coniugem, administrationemque Imperij donec ex peregrinatione reuerteretur commisit. Hinc non ita multo post eximia formâ Imperatricis captus, eam ad nefas solicitare non dubitauit. Qua scelus tam horrendum auersante, cum ei nihilominus molestus esse pergeret, eum mirā dexteritate Turri quadam sui palatij quasi in speciem eius cupiditati consentire vellet, includi curauit, eumque vsque ad Imperatoris aduentū ibidem, vt ab eius insidijs esset libera, artè custoditum detinuit. Interea absolutâ suâ peregrinatione, Imperator domū reuertitur, Frater e turri emissus ei fit obuius. Quem cū macie, squalloreque carceris pene confectum Imperator esset intuitus, causam inusitati palloris sciscitatus est. Cui, cum ille dixisset eius Coniugem esse causam, quæ adulterijs passim cum se prostitueret, vt liberius suis libidinibus frena laxaret, illum fœdo carcere conclusisset. Quibus auditis, Imperator in terram prolapsus, tanti atrocitate sceleris pene exanimatus est. Nec ita multo post, tantæ rei indignitate consideratâ, mandat satellitibus, vt ad Insulā quandam abducatur, ibique capite minuatur, tantique flagitij ibi pœnas luat. Satellites vbi ad Insulam peruenissent inusitatam eius pulchritudinem admirati, vim illius pudicitiæ inferre attentarunt. Quæ cum clamore, acerbissimisque lacrymis se ab effrenata eorum libidine Dei opem, Diuinæque eius Mātris, cuius cultui erat addictissima, implorando liberare niteretur, ecce tibi Heros quidam insignis Româ ex visitatione Sanctorum liminum reuertens, auditis amarissimis eius eiulatibus, ad locum accessit, & nequissimorum Satellitum reprehensâ temeritate, ac petulantiâ, infelicem Imperatricem copiosis perfusam lacrymis, & libertatem implorantem, de eorum manibus eripuit. Qua obsecrante, vt se saluâ pudicitiâ, in Ancillam acciperet, mox eius egregiam indolem virtutemque suspiciens, annuit, eamque in patriam secum deduxit. Cuius aspectu venerabili coniux delectata, eam magna beneuolentiæ significatione excepit, eique vnicum Filium educandum commisit; quem illa suscipiens, non secus ac proprium filium suæ curæ ac tutelæ cōmissum, excepit. Verum nec hic à formæ ipsius insidiatoribus tuta esse licuit. Frater enim illius Domini, eam vehementer adamauit, sibique in vxorem accipere voluit; cuius illa nuptias cum respuisset, indignatione plenus atrocissimum scelus meditari cæpit. Itaque intempestæ noctis silentio, in conclaue eius vbi cum puero quiescebat ingreditur, & arrepto cultro guttur pueri summâ cum impietate resecat, ac perpetrato scelere, clam sese ex cubiculo subducit. Sensit non ita multo post infelix fæmina, lectam calenti exundare sanguine, validoque clamore domesticos omnes exciuit, Parētes pueri, ac ipse Frater tanti criminis auctor, arreptâ facē impudentissimē Rea, infanticidij insimulator in conclaue irrumpūt. Ad quē Frater crocodilli lacrymas fundēs: *Ecce tibi meretricis illius infamis, quam adduxisti dignum opus: debebat illa tot flagitijs infamis iampridem interfici, & tu eam ab interitu præseruans dignam modo mercedem recipis. Age ergo, eamque quantocyus ignibus concremandam trade, & huiusmodi portento in extremas terras deportando, domum tuam libera.*

Imperatrix de adulterio accusatur.

Capite plecti iubetur.

Rursus insidiæ Imperatricis pudicitiæ struuntur.

Frater Imperatoris Imperatricis pudicitiæ insidiatur.

Ve-

Verum Heros ille pro innata sibi benignitate votis fratris consentire nullatenus voluit, quin potius totum Diuinæ committendo prouidentiæ, mandauit nautis, vt illam ad proximum aliquod littus aueherent. Ingreditur nauim vberrimis perfusa lacrymis Imperatrix infælicissima tam turbulentis mundi huius procellis ac fluctibus, agitata, & putans se charybdim euasisse, in Scyllam incidit. Nam vbi altum mare nauis esset ingressa, perditi illi nebulones specie ipsius delusi, pudicitiæ illius insidiati sunt. Quæ cum omni humanâ ope se destitutam videret, ad Dei, eiusque Matris auxilium implorandum accurrit, eosque per IESV Christi, ac B.V. amorem obsecrauit, liceret sibi intactam corporis sui puritatem conseruare, ac proinde ab omni vi inferenda abstinerent. His tam vehementibus obsecrationibus commoti nautæ, illæsam permiserunt, & ad cuiusdam præaltæ rupis radices deportarunt. Hic illa cum plena lacrymis, ac gemitib⁹ triduano emaciata ieiunio totā illam noctem duxisset insomnem, beatissima Virgo cælorum Regina pientissima afflictorum consolatrix, marisque turbulenti huius sæculi Dominatrix potentissima, cui tāto cum affectu inter tot aduersitatum ac calamitatum procellis Imperatrix supplicarat, sese visendam exhibuit, eamque benignè allocuta dixit: *Collige herba quæ est sub capite tuo, quam cuicunque leproso bibendam tradideris, sanabitur. Paruit Virgini mox Imperatrix, & collecta herba, ad vicinam Ciuitatem profecta hominem fœda lepra laborantē, in via reperit, cuius voces miserta, herbam illi porrigit, & repente pristinę sanitati restituitur.* Cuius miraculi fama cum passim oras omnes esset peruagata, peruenit tandem ad ciuitatem illam, de qua olim in exilium proficisci compulsa fuit Imperatrix, vbi scelestus ille, qui infantem in sinu eius trucidarat; in pœnam tam impij sceleris, turpissimâ leprâ diuinitus erat percussus. Ad quem cum fuisset deducta, eique ingens pecuniæ vis promissa, si eum à lepra liberaret: respondit se id facturam gratis omnino si prius totius ante actæ vitæ labes publicâ confessione, coram adstantibus, inter quos Frater, & coniux ipsius aderat à Deo postulando veniam emaculasset. Fecit ille quod fuerat demandatum. Verum cum is impijssimum infanticidij crimen occultaret, ad eum conuersa mulier clarè ei edixit, nil illi remedium diuinitus acceptum profuturum, si vel vnicum peccatum abscondisset. Quibus auditis Frater ipse ad fatendum scelus, promissâ veniâ, ipsum vltro animauit; Mox ille resolutus in lacrymas totius rei seriem enarrauit. Quod cum Heros intellexisset, vehemētissimè doluit vices mulieris nobilissimæ, cuius amissionem magis, quam proprij filij deplorabat. Cui mulier: *Ego sum*, inquit, *illa*, *quæ tot malis affecta, bonam pro malis repono, eumque pristinæ sanitati lubens restituo.* Viso tanto prodigio, obsecrabat Heros, vt in domum suam reuerteretur, Fratremque suum acciperet in sponsum. Abnuit illa, & Romam proficiscens per viam plurimos leprosos curauit. Percutitur interea Frater etiam Imperatoris iustissimo Dei iudicio leprâ incurabili, ac plane mortali. Vocatur illico ad illum curandum Mulier incognita, quæ manus illius curationem adhibere detrectauit, quousque coram summo Christi Vicario, ac Imperatore perpetratū in se crimen fateretur. Quo patefacto, Imperator, impacto sibi in faciem suam validissimo pugno, percussoque pectore, Coniugis suæ innocentissimæ miserandum in modum interitum deplorauit. Miserata vices Imperatoris castissima Mulier, restitutâ prius Iuueni sanitate, sese Imperatricem eius coniugem esse confessa est, & enarratâ totius vitæ suæ tot tribulationibus ac calamitatibus ad illum vsque diem exagitatæ serie, cum illam Imperatur in gratiam recipere vellet, abnuit; fecisse se in suis angustijs, inquiens, Domino IESV, & Beatissimæ eius Matri Cælibatus votum, quod ad extremum suæ vitæ halitum esset obseruatura. Egit interim cum Summo Pontifice vt eam sacrarum Virginum alicui Cœnobio adscriberet, eique sacrarum Virginum velum impertiretur. Cuius votis p jsdesiderijs cum annuisset ille, Imperatrix Cænobium ingressa sese totā Dei, eiusque Matris cultui, à qua tot mundi ceu tempestosi maris turbinibus ac procellis erepta, addixit, ac consecrauit, eamque velut suam è tot infortunijs, ac calamitatibus liberatricem, Lunamque mysticā huic procelloso mari huius sæculi dominantem semper, quoad vixit, veneratā est. Atque ita tot tantisq; fortunæ, mundique inconstantis ludibrijs, ac vicissitudinibus, ceu feri maris fluctibus erepta verè concinere poterat cum Regio Propheta: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*

Imperatrix in exilium tanquam infanticidii rea amandatur.

Per Christi, & B.V. amorem postulat vt ipsius pudicitiæ parcatur.

Infanticida lepra percutitur.

Imperatrix illum culpā fatentem à lepra liberat.

Frater Imperatoris lepra percutitur, & ab Imperatrice sanatur.

46. Quid iam de altera illa Lunæ proprie-

prietate dicam? quà à S. Basilio solem æmulari, variâ sui in cælis positione perhibetur, dum iam solem præit, iam sequitur, iam ad latus, iam ipsius è diametro se collocat. Talis sempiterni illius iustitiæ solis æmula quodammodo fuisse visa est sanctissima Deipara. Ipsa enim solem præire dici potest, siquidem Mater, dum eum humanitatis nostræ nube contexit prior illo extitit. Solem quoq; sequiuit, cum maternam in filium, qua homo est anctoritatem exercuit. Vnde à S. Luca ipsi subditus, imo, & Iosepho, propter illam fuisse dicitur Luc. 2. *Descenditque cum illis in Nazareth, & erat subditus illis.* Ad latus solis iustitiæ Virginea Luna nostra collocata fuit, cum in Cruce morienti adstitit, & iam in cælos assumpta ad filij dexteram in eiusdem throno cōsedit. Quam ad latus filij considentem Regius Vates contemplans exclamauit: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate Psalm.* 44. Sub Sole, ipsi è diametro opposita, interponente se inter nostrum aspectū terrâ, fuit Deipara cum sub cruce doloris gladio trāsuerberata, mœroreque plena terreorum Iudæorum sese interponente sæuitiâ, ac nequitiâ ecclipsari, tenebrisque mœstitiæ inuolui visa est: *Hæc filij dum in cruce penderet cum Matre facta oppositio mœroris caliginem quamdam in ipso etiam sole causauit, dum Matris iuxta Crucem stantis acerbissimi dolores, ac cruciatus cor filij patientis, tristitiâ, atque amaritudine cumularunt. Tunc enim verè sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & Luna tota facta est velut sanguis,* vt ait Apostolus Apoc. 6. 12. Quia preciosissimus ille filij sanguis, ab impijssimis Iudæis, velut aqua vilissimi precij effusus, eiusdemque filij dolores amarissimi, quos in effundendo illo sanguine perpessus est, in animam Matris redundarunt.

Quomodo B. V. Luna Mystica solē Christū præiuit?

B. V. in Christum qua homo est maternam auctoritatē exercuit.

Quomodo Luna Mystica fuerit ecclipsata.

47. Porro sicut solis ecclipsis fieri cōsueuit cum sol, & Luna est in capite, vel cauda Draconis: & Luna inter nostrum, solisque aspectum interponitur: sic sol iustitiæ tam demum in Cruce doloris, mœrorisque ecclipsim passus est, cum Mater Luna Virginea iuxta crucem stetit, seque inter suum iustitiæ solē, aspectumque nostrum interposuit, simulque in capite magni illius Draconis ad crucem alligati, quem in Conceptionis suæ instanti contriuit, constitit; eodemque iustitiæ sol eiusdem Draconis infernalis caudam, finem scilicet Tyrannici ipsius Dominij pressit. Hanc Tartarei Dominij caudam tunc æternus hic sol premere cæpisse visus est, cum aiebat: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eÿcietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioann. 17. At verò cum in Crucem fuit exaltatus, tum demum ipsius caput, & caudam penitus oppressit atque contriuit. Vnde vbi legit Vulgatus: *Ipsa conteret caput tuum,* legit Hebræus; *Ipse conteret caput tuum.* Virgo enim filij virtute principaliter Tartarei Draconis caput protriuit, inq; eius capite triumphatrix substitit. Et tūc demum Virginea hæc Luna solem iustitiæ obscurauit, dum sui doloris, angorisque tenebras ad cor filij quodammodo trāsmisit. Tunc verè factæ sunt tenebræ super vniuersam terram illam Virgineam, cum sub Cruce se ita filio opposuit, vt filius dolores Matris, angustiasque intuens, nouâ meroris caligine inuolutus, ecclipsatusque videretur.

Ecclipsis fit cum Luna est in capite ac cauda Draconis.

B. V. iuxta Crucem tanquam Luna mystica ecclipsata.

B. V. virtute Christi caput Draconis contriuit.

48. Et quoniam Magnus ille, Tartareusque Draco à S. Bernardo serm. de verb. Apoc. etiam Luna, quemadmodū & Eua ab Anastasio Sinaita vocitatur, videndum quanam ratione Virgo Deipara tam Draconem, quam Euam venenoso ipsius, ac tenebricoso capite ecclipsatam, primigeniæque innocentiæ luce priuatam, triumpharit, pedibusque protriuerit, ita vt reuera hoc etiam sensu rectè dixisse videatur Apostolus: *Luna sub pedibus eius.* Sed ipsum Doctorem mellifluum audiamus, qui postquam præmisisset, omnem mundanam stultitiam, ac insipientiam longè sub pedibus eius esse, & penitus abesse ab insipientium mulierum numero, & collegio Virginum fatuarum, mox attexuit: *Imo verò & vnicus ille stultus, & totius stultitiæ Princeps, qui verè mutatus vt Luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus miseram seruit seruitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius planè calcaneo in multis versutÿs insidiatus est, sed sine causa.* Sic Bern. *Serpentem igitur hunc antiquum siue Draconē magnum, qui suo capite Euam turgidam, ac inobedientem velut variabilem Lunam obscurauit, Virgo semper in plenitudine suæ lucis inuariabilis stabilisque persistens, suæ humilitatis obedientiæque quibusdam quasi pedibus conculcauit, atque protriuit.*

Tartareus Draco etiam Luna dictus.

Eua Luna dicta ob inconstantiam in bono.

Draco Tartareus, & ipsa Eua est sub pedibus B. V.

Dæmon stultitiæ Princeps est sub pedibus B. V. iacet conculcatus.

49. Quod vt melius intelligamus supponēda est, communis Astronomorum ac præsertim Ioannis de sacro Bosco, & Clauij doctrina, spheram Lunæ duos habere Circulos, quorum alter Aequans, alter

Quid Cauda, quid caput Draconis in Lunæ globo dicatur?

alter deferens appellatur, qui concentricus est cum terra: Deferens verò est circulus excentricus. *Hi porrò duo Circuli sese in duobus locis intesecant, cuius intersectionis figura, Draco magnus, ob similitudinem appellatur, quia lata est in medio, & angustior versus finem*. Hæc igitur intersectio, per quam Luna ab Austro in Aquilonẽ mouetur, caput Draconis nuncupatur. Reliqua verò intersectio, per quam à Septentrione in Austrum agitur, Cauda Draconis dicitur. In his ergo duobus locis vel prope illa, Luna cum est plena, dum versatur, Ecclipsim pati consueuit. Hãc; pro dolor, prima Mater nostra Eua dum cum antiquo serpente, Tartareoque Dracone confabulatur primigeniæ innocentiæ gratiâ, sanctitateque destituta, velut Luna, blandis eius sermonibus, ceu sirenum cantibus, facieque delinita, atque seducta, Dei affectando similitudinem, eidemque per summum nefas rebellando, eiusdemque imperio, per inobedientiam se subtrahendo, miserandam prorsus, teterrimamque passa est ecclipsim, siue diuinæ gratiæ, quæ verissima est animarum lux, defectionem.

50. Audiamus hic Anastasium Sinaitam lib. 4. in Hexam. rem hanc pulcherrimè enucleantem; *Luna*, inquit ille, *est Euæ enigma: Ecclipsis certè, seu defectus Lunę est, quando Luna est plena, quę lucis plenitudo cum circa caput Draconis Luna versatur ei obtingere consueuit, vti & Ecclipsis siue lucis perditio*. Vnde discursum prosequens, subtexit: *Quodsi Ecclipsim, lucis defectum, & imminutionem, & rursus renouationem, sicut in Luna, vis etiam videre in Eua, cogita Prophetam, qui dicit Deo: Lumen sunt pręcepta tua super terram*: (seu vt legit Vulgatus: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*:) *quorum etiam defectum sustinuit Eua propter inobedientiam. Adam enim non fuit deceptus, sicut dicit Apostolus; Eua autem decepta, cum à tenebrosi, & obscuri serpentis dominatu oppressum esset, & defecisset eius lumen. Eius tamen luminis defectum restituit lux vera, quæ ex ipsa processit: ex secunda, inquam, Eua Christus, tanquam ex quapiam plena Luna Maria, quæ nunquam minuta fuit, aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine, nempe sua Virginitate, quando ei acclamauit Angelus, Gratia plena; propter Euam, quæ est Luna, propter Euam, quæ fuit male habita, & vexata, & quæ ex suo defectu per inobedientiam fugerat, & se absconderat, & timuerat à ligno inobedientię, & trãsgressionis: gratia, inquam, repleta à Sole iustitię, nempe Deo*. Ex quo ingenioso sanè Anastasii discursu intelligimus, *Euam in prima sui creatione per plenitudinem gratię, veluti Lunam luce plenam extitisse; sed mox lux illa gratię, qua à sole iustitiæ fuit illuminata atque repleta, imminuta, atque offuscata fuit, cum per inobedientię tenebras, à capite Draconis, serpentisque antiqui faucibus inhalatas, ecclipsim passa, à prima illa innocentię luce defecit*. Hæc igitur etiam infelix Eua, ceu Luna sub pedibus Virginis prostrata fuisse. cum ipso Tartarei Draconis capite, quod tãtæ ipsius infelicitatis venenata origo extitit, credenda est; vt ita ostenderetur, Mariam penitus oppositam fuisse Euæ, deque illa triumphasse: quemadmodum enim hæc, per caput Draconis primigeniæ gratiæ plenitudinem, pestiferis eius persuasionibus consentiendo, deperdidit; sic Maria eiusdem caput in immaculatæ suæ Conceptionis instanti conterendo, lucis plenitudinem à sempiterno iustitiæ sole mutuata est, in eaque semper, maioribus in dies Lucis Diuinę factis incrementis, nullâ vicissitudine, aut instabilitate interruptis, ad extremum vitæ halitum firma, fixaque perstitit, atq; ita de magno illo Orci Dracone, eius capiti insistendo, illudque pessundando, cælestis illius lucis plenitudinem, quam Eua deperdidit, Maria acquisiuit, nec vnquam in posterum vllam Ecclipsim passa, gloriosissimum de illa triumphum reportauit.

51. Ad vltimam tãdem Lunæ proprietatem à S. Basilio allatam, quã Immutatrix aeris esse dicitur, veniamus. Hac illa aeris immutatione, humana etiam corpora immutare, atque alterare consueuit. Hanc ob causam Medicinæ periti, cum ad infirmorum corpora curanda accedunt, ad Lunam oculum habere assolent, tanquam ad eam, quæ plurimum suis influxibus medicinæ confert. Vnde Hippocrates in Prognosticis de Luna agens: *Est*, inquit, *quoddam cæleste sydus, in quo oportet Medicos prouidere, cuius prouidẽtia est mirabilis, & stupenda*. Idem cõsilium Medicis, vt ad Lunam in morbis curandis respiciant, atque recurrant dat Galenus in comment. de diebus Criticis: *Rem certam, quæ non fallit*, inquiens, *intendat Medicus, quam Aegyptiorum Astrologi docuerunt, quod per corporis Lunaris cum fortunatis stellis coniunctionem fiunt ægritudines terminabiles ad bonum, ex contrarijs verò contrariè, scilicet ad malum*. Idẽ docet Auctor ille, qui scripsit de proprietatibus rerũ, *quod circa humani corporis mutationem Lunaris virtus potissimum operatur, & hoc accidit tum propter motus velocitatem, tum etiam propter*

Margin notes:

M. tota Euæ contraria, eã suis pedibus prostrauit, ac triũphauit.

Luna est Euæ Aenigma.

Eua cum est à serpente decepta oppressum est ac defecit ipsius lumen gratiæ.

M. defectum luminis Euæ quem per inobedientiã passa est Christum veram lucem concipiendo restituit.

Luna est immutatrix aeris.

Medici ægrotantium corpora curãdo ad Lunam oculos habent.

Circa humani corporis mutationem Lunaris virtus potissimum operatur ob occultum sibi naturaliter insitũ influxũ.

pter ipsius ad nos vicinitatem, tum denique propter occultam sibi naturaliter insitam potestatem. Et ideo morborum mutationem Medicus perfectè non discernit, qui Lunares effectus in corporibus non agnoscit.

52. Quemadmodum igitur Luna super infirmitates corporis obtinet Dominiū, vt loquitur Hippocrates lib. de iudicijs infirmitatis secundum Lunam; sic Luna nostra Virginea tam corporis, quā animi infirmitatibus dominatur, ac proinde tam ille, qui eis est obnoxius, quam ille, qui easdem curandas suscipit mentis oculum ad Deiparam dirigat oportet, si optatam sanitatem obtinere desiderat. Hinc Pelbartus libr. 5. Stellarij P. 2. art. 1. elogium illud Virginis, *Pulchra vt Luna*; enucleans: *Lunæ motus*, inquit, *valdè obseruādus est in medicinis, vt docet Hippocrates, vt patet in imminutione sanguinis.*

B.V. tanquā Luna Mystica tam corporis, quam animæ infirmitatibus dominatur.

In minuēdo sanguine Luna obseruanda.

Vnde versus illi antiqui:

Lunâ crescente, minue Iuuenis corpulente.

Luna decrescente, minue Iuuenis macilente.

Luna vetus Veteres, Iuuenes noua Luna requirit,

Sic B.V. solicitâ deuotione obseruari debet pro animæ medicatione, quia ipsa est Mater misericordiæ, per quam gratiam, & veniam accipere possunt peccatores. Vnde Bernar. Quæramus gratiam & per Mariam, qui sic quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Nihil enim nos DEVS gratiæ habere voluit, quod non per manus Mariæ transierit. Ipsa enim omnibus omnia facta est, omnibus sinum misericordiæ aperit, vt de plenitudine eius accipiamus vniuersi. Hactenus Pelbartus.

53. Agnouit dominium hoc Virginis in humanas tam animi, quam corporis infirmitates S. Amadeus Hom. 8. qui postquam eiusdem de antiquo serpente in eripiendis de ipsius faucibus animis mortalium, Virginis triumphos recensuisset, hæc de infirmitatibus plane mortiferis vtriusque hominis ab eadem persanatis mox attexit: *Surgunt lapsi, redeunt pœnitentes, peccator videbit, & irascetur. Maxilla eius homo Dominicæ Crucis perforata, reddit liberos, quos antea detinuit captiuos, dentibus suis fremens, & tabescens. Per Matrem filio, per Virginem reconciliantur Deo, vitæ dati, morti penitus subtracti. Desiderium peccatorum peribit, desiderium verò B. Mariæ perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miseriæ, & luto fæcis, vt de peccati ergastulo & profundo iniquitatis, indulgentiæ dono respirent, in auras perennis libertatis. Sic illa colligit dispersos, reuocat auersos, eruens eos, qui ducuntur ad mortem, quosque trahi cernit ad supplicia, liberare non cessat. Non solum autem animarum saluti, verumetiam humanorum corporum sanitati, atque necessitati pia diligenter prouidet, & medetur. In locis quippe memoriæ sanctitatis eius dicatis, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus langorum, præbensque innumera beneficia sanitatum. Accedunt ad eius limina rei tundentes pectora, confitentes delicta, & acceptâ veniâ læti ad propria reuertuntur. Accedunt etiam mente capti, capite languidi, phrenetici, maniaci, arrepticij, nocturno timore, aliquouè phantasmate, seu certa maligni incursione delusi, qui receptâ sospitate, diuini muneris largitatem assequuntur. Accedunt nihilominus ad eius vestigia, qui amaro sunt animo, mœsti, egeni, afflicti, desolati, ære alieno obligati, quodque grauissimum est viuentes cum dedecoris notâ respersi. Horum & omnium de quacunque tribulatione clamantium illa libens preces suscipit, & Nato supplicans omne malum ab eis miseratrix auertit. Enimuerò sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore solis diffluit glacies, sic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaque iubente nihil aduersi subsistit.* Sic Amadeus. De eisdē morbis insanabilibus à Virginea hac Luna curatis audiamus etiā Baptistam Mantuanum lib. 1. Parthen.

B.V. in infirmitates tam animi, quam corporis mirum dominium.

B.V. humanorum corporum sanitati atq; necessitati piè ac diligenter prouidet, ac medetur.

Quæ data sunt illi, nunquam mortalibus vllis
Antea concessit, nec post concedet Olympus,
Quot traiecta graui seruauit pectora telo,
Pectora Pæonias, quæ non valuere per artes
Restitui, nec opis nostræ poscentia quidquam?

Quæ B.V. cō cessa sunt priuilegia nulli mortalium concedētur.

54. Agnouit denique benignissimos huiuscè Virgineæ Lunæ in animis, corporibúsque hominum curandis influxus B. Germanus Patriarcha Constantinopolit. oration. de Zonā B.V. vbi de sacro hoc loquens Zonæ pignore, populum Christianum gloriosum, fælicemque deprædicat, eo quod Virgineo illo cingulo mala quam plurima, calamitatesque ac infirmitates tam animi, quam corporis propulset: *Ecquodnam genus hominum talis gloriæ diuitias assecutum est? talem opem, tale patrocinium possidet, quale Christianorum natio in te habet? Ecquisnam ex fidelibus venerandam tuam Zonam intuens, non statim animi iucunditate repletur? Quis feruenti animo ad illam procidens, honestâ petitione inanis redijt? Quis tuum characterem siue Imaginem inspiciens non subito angustias omnes oblitus est? Norunt qui ad venerandum hoc Templum tuum accedunt in quo preciosam Zonam reponi concessisti, quanto gaudio, quanta delectatione, quanta hilaritate, affici solet. Non enim verbis explicari potest.* Tum ad Virginis vterum, qui Zona illa fuit præcintus, conuersus, tantorum miraculorum, ab illo

Zona B.V. sicut cingulum mala quamplurima, atq; infirmitates propulsātur.

Imaginem B.V. intuentes omnes angustias obliuiscuntur.

n

in humani generis commodum, sanitatemque perpetratorum, admiratione perculsus exclamat: *O' vas illud ex quo recreationis Manna, nos, malorum ardoribus arefacti ebibimus! O' Mensa, per quam esurientes nos panem vitæ abundè adepti sumus! O' Lucerna, per quam qui sedebamus in tenebris, magna luce illuminati sumus! Habes tu quidem à Deo ipso, & congruentes tibi laudes, sed ne quæso repellas hanc nostram indignam quidem laudationem, sed ex animo tamen tibi oblatam. Ne repellas sordidis labijs pronũciatam orationem, quam beneuolè tibi offerimus. Ne quæso tenuis, & indignæ linguæ supplicationem reijcias, sed animum remetiens, peccatorum nostrorum remissionem nobis concedas, sempiternæ vitæ fruitionem, & omnium malorum liberationem. Respice de sãcto habitaculo tuo circumstantem fidelem populum, qui cum te Dominam, & patronam habeat, huc conuenit, vt toto animo te celebraret. Diuina igitur protectione tua præsentem visitans cætum, ab omni calamitate, & angustia, ab omni morbo, & incommodo, atque violentia libratum, omni gaudio salubritate, & gratia prosequere.* Sic Germanus.

Vterus B.V. Vas in quo est recreationis nostræ Manna.

Vteri B.V. varia elogia.

55. De eadem Zona Virginis sanitatum reparatrice Euthymius Monachus serm. de Zona præclarum affert encomium, aitque ipsius aspectu quodammodo cælum, aeremque purgari, ac noua quadam luce irradiari, *Hodie*, inquiẽs, *honoretur Zona quæ est omnino à Deo maximè illustrata, & summè admirabilis, & valdè veneranda. Hodie honoretur Zona qua succinta fuit laudatissima Deipara, & fraudulentissimum Draconem per eam suffocauit, nostrique generis Auctores à graui exilio reuocauit. Hodie magnificetur Zona, ad laudem, & honorem semper Virginis Deiparæ Mariæ. Lætatur enim cum nos in his aspicit castissima Domina. Se enim ea reuera cinxit vt credimus, & aras contriuit Idolorum, & delubra gentium perdidit ac comminuit, ac cessare fecit immoderatam sanguinis effusionem. Hodie Zona sanctificetur, per quam Aer fuit sanctificatus, cæli summè refulgent, Sol, & Luna supra naturam suam nunc splẽdidè mysticèque radios emittunt, & vniuersus mundus renouatur, & illustratur.* Hactenus Euthymius. Quod si sola ipsa Virginis Zona, qua Verbum Incarnatum in eius vtero circumdatum, velut Sol Zodiaci circulo, tantæ fuit virtutis, vt aerem sanctificaret, purumque redderet, soli, ac Lunæ nouum splendorem induceret, totum denique Vniuersum renouaret illustraretque; quanto magis ipsa Luna nostra Virginea suis benignis influxibus aerem purificabit, eundemque saluberrimum reddet, totique mundo, sanitatem vtriusque hominis restituet?

Zonæ B.V. aspectu cælũ quodammodo, & aer purgatur, & noua quadam luce irradiatur.

Quantopere zona B.V. honoranda?

Zona B.V. aras idolorum & delubra gentilium contriuit.

56. Experta est Valencenensis Vrbs Belgij celeberrima ac florentissima, aeris hanc, ope Virgineæ Lunæ purificationẽ, Anno millesimo octauo, quo adeo in illam pestilentiæ vis desæuijsse perhibetur, vt omnium vna clades, vnus tumulus crederetur, vt scribit P. noster Antonius Balinghen in Kalend. B.V. 8. Septem. Nam paucis diebus septẽ, octouè ciuium millia desiderata sunt, & fuissent sane multo plura nisi Misericordiæ Mater, Mater vera viuentium suæ miserationis, pietatisque in illam viscera reserasset. Erat in vicino vrbi pago pius, ac Virgini admodum deuotus Eremita qui in casa humili, ac paupere penes Sacellum Deiparæ de Fonte habitabat. Hic pro egregia sua in afflictissimos illos ciues pietate instãter deprecabitur Virginem, vt plenissimis tandem pietatis oculis Vrbem illam iam pene desertam intueretur, aeremque pestiferum, tãquam Diuinior Luna, dispelleret, ac in salubriorem commutaret. Nec irritæ Sancti huius viri cecidere preces. Apparuit siquidem consolatrix afflictorum seruo suo, orationisque ipsius, ac vota gratissima sibi fuisse denunciauit, promisitque ob eximiam eius in Vallencenenses charitatem, contagiosã luem, aeremque noxium ocius dispellẽdum, quod vt assequeretur, omnes ciues ieiunio, & oratione septimo idus Septẽbris iussit transigere; se enim nocte illa magnum quid præstituram, ita vt omnes opus Dei omnipotentis sint admiraturi. Eadem igitur nocte illâ, cum ciuium plurimi excubantes, pro vrbis incolumitate diligentius orarent, visa est cælorum Regina, vestibus amicta gloriæ, pluribus stipata cælitibus afflictissimam vrbem circumire, & filo quodam cingere, spectantibus excubijs, Senatu, & innume â multitudine, quæ splendore Virginis illo admirando excita ad rei nouitatem, pulchritudinemque contemplandã affluxerat. Post hæc Mater pientissima rursus Eremitæ illi sui studiosissimo se visendam exhibuit, mandauitque vt postremum diem qui eius Natiuitati est consecratus, ijsdem pietatis exercitijs operam darent, circumirent muros ciuitatis, & statim infectum illum aerem, ope suâ dispellendum. Mox igitur ad denunciationem Eremitæ magno cleri, Senatus, totiusque populi concursu supplicatio instituta est, & cælestis ille funiculus, qui illis verè ceciderat in præclaris, magna reuerentiâ collectus fuit, &

Valenzena Vrbs Belgii à pestilentia ope B. V. liberata.

Pius Eremita pro vrbe pestilentia laborante apud B.V. intercedit.

B.V. apparet Eremitæ eique promittit se pestem sublaturam.

B.V. [illegible] ce [illegible] [illegible] & filo per [illegible] eandem inc[illegible]tur

In festo Natiuitatis B.V. vrbs à peste liberatur.

stea tanquam insigne ingentis pietatis in vrbem illam Deiparæ monumentum, summo cũ honore in preciosa, Lipsa-notheca æternum asseruatus. Sãcitum præterea est omnium votis, vt in posterum ipso Virg. neæ Natiuitatis die perpetuis temporibus, ad tanti beneficij gratam conseruandam memoriam solenni põpã saluberrimus ille duarum leucarum ambitus deportato illo summã cum veneratione Virgineo funiculo, omnium pedibus tereretur. Quod vti præscriptũ, ita integerrimè hactenus obseruatũ est, millenis quotidie per octauam festi illius turmatim, incredibili pietate, simul, ac silentio pium illud à Virgine confectum iter relegentibus. Denique vt tam insignis beneficij magis confirmaretur memoria, instituta cõgregatio linteatorum, qui tunicas lineas, latis quibusdam funiculis variegatas, gestarét. Hil nil habent antiquiùs quã singulis annis Lipsanothecam illam, qua Virgineus reclusus est funiculus, nudis pedibus per vrbis mœnia, summâ cum pietate circumferre, Deique Matris pestiferæ illius auræ expultricis laudes, pleno ore celebrare, eamque tam exitiosæ luis curatricem clementissimam, atque potentissimam agnoscere.

In festo Natiuitatis B. V. quotannis processio instituta.

Congregatio Linteatorũ instituta ob gratam tanti beneficii memoriam.

57. Eandem aeris salubritatem Virginea hæc Luna nostra reddidit Romanæ Vrbi circa Annum 847. sub Leone Papa IV. cum Basiliscus in quibusdam cauernis circa Basilicam S. Luciæ Mart. quæ in Orphea sita est, delitescens, aeremque inficiens, magnam in hominibus stragem tam oculis suis, quam teterrimo halitu ederet. Populi tantam calamitatem miseratus S. Antistes, cum Sanctæ Mariæ Maioris Icone, omnium ordinum tam Ecclesiasticorum quam sæcularium, solenni ritu catervã comitante, vt refert Baron. Tom 10. Annal. An. 847. ad specum teterrimi illius monstri profectus, DEVM eiusque Matrem cum lacrymis deprecatus est, vt tantam calamitatem, aerisque in fectionem à fideli populo amolirentur. Nec irritæ cecidere preces. ab illo enim tempore aeris corrupti cessauit contagio, immanisque illa bellua nunquam amplius visa est. Quam ob caussam cum Diua Virgo beneficium hoc tam eximium ipso illius in cælo profectionis die concessisset, summus Pontifex in huius rei immortalem memoriã, octauam Assumptioni Virginis, gratitudinis memor annexuit. Ex his manifestũ euadit Deiparam nostram Eiusdem gratitudinis in Deiparam memores Recinetenses, quod Vrbem illorum à seua peste liberasset, ei Coronam auream, varijs preciosissimis distinctam lapillis obtulerunt. Ex his manifestum euadit Deiparam Virginem nostram benignissimã ad instar Lunæ, Aeris immutatricem atque curatricem, ac per consequens morborum ab humanis corporibus expultricem pro ingenita sibi in genus humanum charitate, esse consueuisse.

Basiliscum habitu aurã inficientem B. V. Imago ad spe cum eius deportata, pellit.

Ob depulsã pestiferam luem Octaua Assumptæ Virginis instituta.

58. Eadem in homines permota charitate Virgo nostra parturientibus adest mulieribus, eisque vt fælicissimum partũ enitantur, indulget, sicque Lucinam (sic dictam quod puerperas iuuaret, quo infantes faciliùs in lucem ederentur) nobis fæliciùs refert. Vnde Lucinam siue Dianam Callimachus Poeta sic loquentem hac de re introducit:

Vrbes accedam solum, ac sub tecta virorum
Pressa dolore graui, nisi cum me fœmina partus
Auxilio arcesset.

B. V. tanquã Lucina parturientibus adest mulieribus.

Lucina sic dicta quod puerperas iuuet ad infantes in lucem edẽdos.

Et verò iure merito Virgo nostra tanquam castissima, Lucidissimaque quædã Lucina adest parturientibus, vt eis, pro ingenitâ sibi pietate opem ferat, eis dolores illos mitiget, præsentissimaque vitæ pericula amoliatur. Siquidem illa tã fælicem, beatumque partum qui vitam immortalem mundo attulit, summã animi gestientis lætitiã, ac gaudio in lucem protulit, totumque terrarum orbem fælicitauit. Vnde preclarè S. Hildephonsus lib. de parturit. B. V. *Non genuit Filium Virgo Dei Genitrix ex origine primæ preuaricationis, vt renascatur, sed de Spiritu S. vt DEVS credatur, sine dolore, sine gemitu, sine molestia, & erumna, sine tristitia, & afflictione. Quoniam omnia hec iustissimè damnatæ carnis in prima origine retributiones sunt, & vindictæ.* Vnde Pelbartus libro 5. Stell. Part. 2. art. 1. ait, quod quemadmodum Luna maior apparere soleat in oriente, sic maius auxilium Luna nostra Virginea prębere consueuit mulieribus, dum partus in lucem edunt, citatque S. Ignatium asserentem, *quod nullus sine baptismi gratia oritur, nec malũ finem vitæ suæ sortitur, in cuius partu Mariæ laus, & deuota, vt decet inuocatio inuenitur.* Citat etiam Orosium, qui sententiam memoriã sane dignissimam pronunciauit: *Coram Deo noui, & in veritate comperi, quod nunquam mulier in partu periclitatur, nec eius proles sine baptismi gratia moritur, super quam Mariæ gratia deuotè inuocatur.* Sic Pelbart.

Cur B. V. parturientibus adsit puerperis.

Nullus sine baptismo nascitur in cuius partu B. V. inuocatur.

59. Experta est S. Elisebetha Diuinã quandam esse Lucinam Virginem Deipa-

B. V. parturienti S. Elisabethę tanquam Lucina adstitisse visa est.

param, cum eius partus, quo sanctissimum illum Christi Saluatoris Præcursorem, cui à Gratia nomen inditum fœlicissimè orbi, tanquam nouam quandam lucem post tam diuturnas tenebras, ab Illuminatrice Virgine illuminatam, in eius præsentiâ est enixa. Piè siquidem à B. Petro Card. Dam. serm. 1. de Natiu. S. Ioann. *creditur puerum illum sanctissimum mox, vt in lucem fuit editus, à Virgine de terra leuatum, ac mille benedictionibus affectum.* Itaque censuit Cardinalis Baronius Damiano diuinitus fuisse reuelatum, eo quod citato sermone sic loquatur: *Alij, qui librum iustorum diligentioribus oculis inspexerunt, ibi se vidisse testantur, quod ipsa Dei Genitrix fœlicem Puerum primum de terra leuarit, & cognatę partum omni prosecuta sit seruitute. Quocunque autem modo rei huius veritas decernatur, illud pro certo certum est, quia non parum contulit Puero nascituro tam fœlix, & morosum intemeratæ Genitricis.* Sic Dam.

B. V. nascentem S. Ioann. Baptistam de terra leuauit.

60. Experta est S. Brigitta Virginem beatissimam, castissimam esse Lucinam, cum partu periculosè laborans, Matrona quædam venerabilis candidissimâ, eaque sericeâ amicta veste sese ei visendam exhibuit, & sanctissimæ manus suæ attactu eius iacentis membra, magnâ benignitatis significatione cõtrectauit. Vnde factum paulo post, vt absque vlla difficultate felicissimè prolem eniteretur. Nimirum contactus Virgineus totus est salutifer, vt merito illi Psalmista Seraphicus cecinerit Psalm. 13. *Tuo tactu lenissimo sanantur infirmi, tuo odore roseo mortui reuiuiscunt.*

B. V. S. Brigittam partu laborantem inuisit, & tactu suo fœlicem illi partum impertitur.

61. Experta quoque est magna illa Francorum Regina, Blanca nomine, faustam fauentemque Lucinam Deiparam. nam cum multos in annos in matrimonio cum suo marito sterilis vixisset, rogauit B. Dominicum, per id tempus in Gallijs degentem, vt sibi prolem à Domino impetraret Non abnuit Vir sanctus officium hoc pietatis, simulque suasit, vt summo animi ardore sese Dei Parenti optimæ commendaret inque eius honorem quotidie sertum ex Salutationibus Angelicis ceu rosis contexeret ipsa, & alijs etiam distribuenda huiusmodi Rosaria, toto Regno curaret, & benè speraret, experturam breui præsentissimam Virginis opem. Nec spe sua Dominicus, nec prole frustrata est Blãca. *Dum enim per Gallias corollas basiè Virginis distribuit, & pro felici partu recitandas curat, enititur felicissimè magnum illum Ludouicum, sanctitatis gloria, rerumque piè ad Diuinum honorem Religionemque propagandam gestarum gloria celeberrimum, omnibusque Regibus clarissimum absolutissimæ virtutis ad imitandum speculum atque exemplar.*

62. Quid de magna illa Emgarde magni illius Roberti Parente dicam? Nonnè Lucinam quodammodo experiri meruit Deiparam, cum ei grauidæ, partuique vicinæ semel, iterumque per quietè se contemplandam exhibuit, aureumq; porrigens annulum eam sic est affata: *O' Emgardis volo filium, quem gestas in vtero, mihi hoc annulo desponsari.* Paucis post diebus Emgardis prolem feliciffimè in lucem, totius Cisterciensis Ordinis lucem verè clarissimam enititur, manumque Deiparæ adiutricem experitur.

Emgardis patrocinio B. V. feliciter enititur Robertum, què ea annulo sibi despon-sauit.

63. Quid de altera illa Matrona in partu periclitanti dicam, cui S. Franciscus, cum suasisset, saluere iuberet Reginam misericordiæ, consueta illa Ecclesiæ formula: *Salue Regina*; eandem potentissimam Lucinam experiri merita est. Sed rem totam prout gesta est expositã à S. Bonauentura cap. vlt. Vitæ S. Francisci in quo agit de liberatis à dolore partus, audiamus: *Mulier quædam de partibus* Aretinis, inquit ille, *cũ per septem dies partus discrimina sustineret, & iam in nigredinem versa, desperata esset ab omnibus, votum fecit B. Francisco, & eius cepit moriens auxilium implorare: Emisso autem voto celeriter obdormiuit, viditque in somnis B. Franciscum; se dulciter alloquentem, ac requirentem vtrum faciem ipsius agnosceret, & an Antiphonam illam Virginis gloriosæ, Salue Regina misericordiæ, sciret ad honorem huius Virginis recitare? Qua respondente, se habere notitiam de vtrisque: Incipe, ait Sanctus, antiphonam sacram, & antequam compleas paries cum salute. Ad hanc vocem, & euigilauit mulier, & cũ timore cepit dicere: Salue Regina misericordiæ. Cumque, illos misericordes oculos ad nos cõuerte, precaretur, fructumque commemoraret ventri Virginalis, continuo cunctis liberata pressuris, infantem peperit speciosum, gratias agens Reginæ misericordiæ, quę per B. Francisci merita ipsius fuerat dignata misereri.*

S. Franciscus Matronam partu laborantem docet recitare Salue Regina, & fæliciter parit.

Ad verba illa misericordes oculos ad nos conuerte, &c. parit speciosũ infantem.

64. Neque verò Virgineæ huiuscé sanctissimæque Lucinæ nostræ in adiuuandis parturientibus Christianis mulieribus, pietas eluxit duntaxat, eluxit & in infidelibus, vt nemo reperiri possit, qui se à benignis eius influxibus charitatisque calore abscondat. Narrat Sanct. Vincentius Belluacensis l. b. 7. spec. Hist. cap. 9. Hebræam quandam fœminã tantis partus doloribus per plures dies excru-

B. V. Hebrææ mulieri partu laboranti opitulatur.

cruciatam, vt omnis obstetricum Solertia in ea iuuanda obstupuerit, & iam morti proxima de immortalitate cogitaret. Cum ecce tibi clarissima ei cœlitus oboritur lux, cum voce intonante, qua monebatur. *Inuoca Matrem IESV, & liberaberis, inuoca Nomen Mariæ, & salua eris.* Paruit voci Diuinæ mulier, ac Nomen Mariæ magna voce inuocans, mox absque omni dolore, felici partu, filium enixa est. Ad Nomen illud Virginis, obstetrices Hebrææ, aliæque circumstantes fœminæ nimirum obstupuere, & irâ furoreque percitæ mortem, quam in partu effugerat ei intêtassent, nisi diuinâ quadam vi fuissent vetitæ. Mulier hæc postea, vbi conualuit, tanti non immemor beneficij. Purificatione, de more legis Mosaicæ absolutâ, sacris cum liberis, totaque familia Christianorum initiata, Virgini vitæ ipsius conseruatrici, quoad vixit semper deuotissima extitit.

65. Simile huic exemplum, de altera quadam Muliere Hebrea narrat P. Syluanus Razzius Camaldulensis lib. 3. Miraculorum B.V. c. 36. Hæc igitur grauissimis partus doloribus cruciata, cum iã pene ad portas mortis deuenisset, vicinæ mulieres Christianæ eius vicem miseratæ accurrerũt, eique suasere, vt Dei Matrem Mariam in auxilium aduocaret, confideretque se breui eius præsentissimam opem experturam. Paruit Iudæa piarum mulierum consilio, & maximo quo potuit affectu, quoad morbi grauitas permittebat in has voces erupit: *Maria Virgo licet ego te exorare, atque obsecrare digna non sim, cum de gente illa traham originem, quæ filium tuum cruci affixit, atque occidit, nihilominus tamen, cum audierim passim pietatem tuam, atque misericordiam sese extendere vsque ad peccatores maximos, ad te supplex accurro, vt mihi in hoc præsentissimo vitæ periculo digneris subuenire, quod si præstiteris Virgo benignissima, promitto me vna cum prole hac, quam vtero meo gesto, sanctum baptisma mox suscepturam.* Vix orationem hãc terminauerat, cum ecce tibi filium læta fæliciter enititur, nec ita multo post sacris Christianorum cum prole initiatur. Aberat interea maritus in longiquas quasdam regiones profectus. qui cum post aliquos menses domum esset reuersus, & intellexisset Coniugem Religionem Christianam cum nata prole suscepisse, indignatione, furoreque inusitato correptus, puerum arrepto cultro, iugulauit. Mater tam atrox facinus auersata, in eiulatus, ac clamores effusa, vicinas mulieres exciuit. Maritus interea fuga sibi consulit. Verum cum portæ ciuitatis nõ paterent, ad Templum quoddam Diuæ Virginis tamquam ad Asylũ confugit. vbi cum ingenti timore ac tremore percussus, moratur, conspexit in Ara maiori Deiparæ simulacrum, ad quam maxima cum fiducia recurrens ita precabatur. *Ecce ò Maria, quam magna est tua pietas, ac misericordia, siquidem permittis me pessimum canem, qui tuum filium deuoraui, in tua domo ante conspectum tuum commorari. Et quia audiui sæpius, maximam esse ac mirificam tuam bonitatem, eamdem illam mecum quæso communica, mihique tuæ misericordiæ exhibeto viscera, quemadmodum & dilectissimus tuus filius olim Paulo Christianorum persecutori ostendit. Credo ego IESVM Christum verum Messiam ex te natum, absque vlla Virgineæ tuæ puritatis læsione. credo eundem verum Deum, & hominem, cumque ipsum, qui in lege nostra erat promissus, cuius misericordia est prorsus infinita.* Hæc cum abortis lacrymis, magno cum pietatis affectu meditaretur, lictores in Templum irrumpunt, eumque ad carceres rapiunt. Hos interi ille, dum vincitur obsecrabat, vt finerent se sacro fonte ablui, ac demum sceleribus ablutum, ad mortem raperent: quod si hoc illi denegarẽt. protestabatur se IESVM Christum Redemptorem mũdi in suum expiatorem, sanguinemque suum quem profuturus erat in supplicio, vice aquæ accepturum. His auditis satellites omnesque circunstantes in maximam sunt rapti admirationem, simulque eum baptismum suscipere vltro permiserunt, quo suscepto ad carcerem est deductus. *Interea eius Coniux dum mortuum infantem deplorat, animaduertit non ita multo post, eum viuere, risuque Matrem agnoscere. Dum illa de vita Infantis lætitia gestit, nuntius ei de baptismo Marito accepto affert, quo intellecto, accepto mox in vlnas infante ad carcerem hilaris accurrit, ostensoque lictoribus viuo, ac sano infante cicatricem dumtaxat in gutture habentem, Hebræus de carcere liberatus est. Nec hic prodigia terminata sunt.* Nam Puero illi rediuiuo, ope Virginis cum vita etiam loquendi facultas concessa est, qui illico in has, voce articulatâ, ac distinctâ, ingẽti omnium stupore laudes Deiparæ prorupit: *Ego Maria Misericordiæ, & omnis consolationis Mater est Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum. Hæc, inquam, Maria semper Virgo Christi veri filij Dei Mater, me in seruum suum adoptauit, atque elegit.* Auditis hiscé infantis ore de promptis tam eximijs cælorum Reginæ gloriosissimæ laudum

Hebræa partu laborans Christianorũ mulierum consilia B. V. inuocat, & feliciter parit.

Maritus Hebreæ Infantẽ mactat.

Ad Templũ B.V. pcofugit.

Hebræus postulat Baptismum.

Infans suscitatur, & B.V. laudes deprædicat.

dum

Hebræus libertate donatur.

dum præconijs, omnes in easdem effusi laudes postulauere, vt Hebræus libertate donaretur qui corde puro, atq; perfecto deinceps seruiendo Deiparę, multa contra Iudaicam perfidiam in honorem eius, & laudem literarum monimentis commendauit; & ipse etiam filius ætate succrescente in Christianæ quoque vitæ perfectione magnis passibus progrediendo Christo, Diuinæque eius Matri patronæ suæ fidelissimæ quoad vixit deuotissimè deseruiuit, neque ipsa ostendit Misericordiæ Matrem suæ natiuitati tanquam veram, non fabulosam Lucinam tam feliciter se in lucem edentem, cælestemque fidei lucem, & sibi & Parentibus adstitisse.

66. Quis ergo hactenus dicta perpendens gloriosissimam Deiparam verissimam Lucinam partui patrocinãtem esse non dicat, cum tam præsens, tamque expedita in huiusmodi necessitatibus, ac periculis sese, summâ cum pietatę, atque alacritate exhibeat? Quocirca puerperæ omnes ad eam tanquam ad Asylum, pietate, cõfidentiâque, qua possunt maxima accurrant, puritati conscientiæ studeant, seseque mox vt vicinas partui animaduerterint sacrosanctis exomologeseos, Eucharistiæque sacramentis magno pietatis affectu communiant: caueantque, ne aliquibus peccatis, ac potissimum impuritatis, eam ad indignationem prouocent, ni velint eãdem aduersantem tanto in discrimine experiri, eiusque celerem ad se aduentum auxiliumque promptissimum retardare: *Quemadmodum enim pijs sui cultricibus ad opitulandum velocissima ac benignissima est; ita negligentibus seuerissima ac indignatione plenissima.*

Apud Eleos alata effigies Dianæ visebatur, vna manu Pardum, altera Leonem gestans.

67. Hoc nobis veteres Elei indicare voluisse visi sunt, apud quos, vt scribit Pausanias alata Dianæ effigies visebatur, quo eius in opitulando pijs puerperis promptitudo indicaretur. Et manu quidem dexterâ Pardum, sinistrâ verò Leonem porrigebat, quibus feris, in cõtemptores eius Numinis, seueritas denotabatur. *Hanc ob causam ab Euripide Ignifera, sicut & Lucifera pro varia puerperarum dispositione appellata est.* Vnde Callimachus Igniferam ait vocitari, quod afficiat calamitatibus sui contemptores. Vnde canit:

O' miseri, quibus ipsa grauem tu concipis iram,
Nam morbus depascit oues, segetemque pruinæ
Orbanturque senes natis, & fœminæ abortum
Mox pariunt.

B.V. tanquã Pastorissa Oues fœtas in humeris suis portat.

68. E' contra crediderim fidelibus, pijsque suis cultricibus adeo mitem, clementem, indulgentemque esse, vt suum dilectissimum imitata filium erga ipsas, Pastricis personam, oues fœtas humeris baiulantis, repræsentet, deque ea dici possit illud, quod olim de filio vaticinatus fuit Isaias cap. 40. *Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit Agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Crediderim enim quod quemadmodum Cant. 1. demandatum ei fuerat à filio; Pasce hœdos tuos; ita quoque nunc eidem commissum fuerit ab eodem filio: *Ouiculas fœtas porta, inque sinum tuum earum Agnos reconde. Quod pientissimum postea ministerium censuerim cum S. Patriarcha nostro Ignatio Virginem communicasse quodammodo eidem à filio singularem quandam puerperis opitulandi impetrando gratiam, quo filios, seu Agnos fœliciter enixos, postea suis filijs in scholis, ceu vberrimis pascuis pascendos, & tam pietate, bonisque moribus, quam liberalibus disciplinis erudiendos traderet. Quid enim Magistri, ac Præceptores nostri inter discipulos in Gymnasiis videntur aliud, quam Pastores quidam, summo cũ pietatis, charitatisque affectu Agnos pascentes, eosdemque ad opima Christianæ religionis, virtutisque pascua educentes, quo tandem ad perennis illius vitæ pratum, ac viridaria perducantur?*

Magistri in scholis inter Discipulos videntur Pastores inter Agnos.

69. Gratiam hanc porrò opitulandi parturientibus, quam Virginea Lucina nostra S. Ignatio contulisse visa est, omnes toto terrarum orbe annuæ litteræ Societatis nostræ loquuntur, ac contestantur. Suffecerit hic nonnulla à P. Iacobo Bidermãno ex eiusdem vitæ compendio delibasse. *Scribit igitur noster hic Pater num. 261. fuisse fœminam quandam, cui Magdalenæ Sueuæ nomen erat, quę sicut partui vicina, sic vicina quoque erat & morti, nisi Sanctus hic Pater tempori adfuisset. Cum enim quidam ex amicis, Ignatiani nominis chirographum attulisset, omnesque in subdium periclitãti fœminæ Ignatium aduocassent, mox secundinæ ruptę sunt, fœtumque cui ceruix cruscul̃is implexa hæsitabat, emisit.* Atque ita Mater incolumis, & Infans benè habitus, validusque euasere.

S. Ignatii Nominis chirographum, fœminæ partu laboranti succurrit.

70. Eiusdem Ignatiani chirographi mirificam experta est exergiam Anno Christi 1598. altera mulier cui Nomen, Hieronyma Rebeza; hæc magnis per multos dies partus conflictata difficultatibus non longè aberat ab interitu. Magna quippe corporis debilitas, animique crebra defectio, nihil ad illius exitium reliqui fecerant. Aduertitur inte-

interea prolem in vtero extinctam, ceu funus viuo tumulo contineri. Quam ob rem censent Matrem medicatâ quadam bucceâ cogendam, vt infælix onus eijciat, etsi ne hoc quidem nullo cum periculo futurum videbatur. Hic ipsa sibi Mater fit optimi consilij auctrix, & syngrapham Ignatij tot mirabilium effectricem iubet applicari. Paretur. *Non plus quartam horæ partem expectatum est, cum illa periculi omnis secura incolumem sobolem edit. Hoc porrò maiorem admirationem peperit, quod infantis buccæ medicamentis fartę repertę sint, quæ triduo ante Mater receperat. Ea vbi ex ore infantis fuerunt exempta, infans incolumis quidem flere, ridere præ gaudio cæteri incæperunt.*

Syngrapha Ignatiani Nominis mulieri parturienti applicatur, & infantem iã in vtero mortuum fæliciter parit.

71. Neque verò solùm Ignatiani Nominis syngrapha verumetiã ipsius Regulæ fœminis partus difficultati laborãtibus fuere salutares. Ebesspergæ in Bauaria non procul Monachio mulier per binas dies, noctesque magnis cum doloribus, summoque vitæ discrimine parturiebat, ita vt prius occubituram, quam enixuram omnes circumstantes arbitrarentur. Periculo vxoris tam extremo anxius maritus, ad Patrem de Societate nostra accurrit, consilium petit. *Is memor quanta cælitus fuerit optimo Parenti nostro in iuuandis puerperis toto pene terrarum orbe concessa gratia, ac facultas, procumbit in genua eumque supplex orat, ne fœminam inuitę manifesto discrimine versantem desertam vellet. Non erant in manibus alię de eo reliquiæ.* Quare nouam init medendi rationem, & librum earum legum, quas S. Pater ad suorum moderationem, disciplinamque Religiosam obseruandam tulerat, quam potest maximo pietatis sensu chartis aliquibus inuoluit, hominique tradit, quo vxorem Religiosè contingeret, deque successu benè speraret. *Obtemperauit ille monenti. Et ecce mulier iam moribunda viribus pristinis restituitur, & quinta post horã puerum viuum, saluum, incolumemque enititur: & quod summè mirata cum cæteris est obstetrix, iam in figuram coeuntis oui plicatum.*

Regulæ S. Ignatii parturientibus fœminis opẽ ferunt.

72. Sola deniq; sanctissimi huius Patriarchæ nostri inuocatio fœminis parturientibus sæpissimè præsentissimum auxilium fuit. Innumera huiuscé inuocationis habentur exempla, vnicum attigisse sufficiat. *In agro Lauretano fæmina nomine Lucandia ab eodem Bidermanno fuisse memoratur, quæ nonum iam mensem grauida, libras sanguinis 20. de corpore profuderat.* Exsanguis iamque pene exsensis miscercula, quo potuit modo sanctum Ignatium, eiusque patrocinium inuocat. Mira res! confestim subsistere sanguis, illa ad se redire, prorsusque cæpit reuiuiscere. Verum cum in enixu natura adeo iam debilitata succumberet, rursus ad Ignatium, tanquam ad Asylum accurrit, moxque cum indolentia fœtum licet extinctum, ipsa incolumis enititur. Atq; hæc de patrocinio ac S. Patris erga puerperas à B. V. illi impertita dixisse sufficiat; qui plura volet, literas Societatis nostræ Annuas euoluat, vberrimam huiusmodi prodigiosam messem in singulis Prouincijs, ac pene domicilijs repererit.

Inuocatione S. Ignatii mulier parturiens à morte liberatur.

73. De Luna vt cælis præest, atque dominatur satis pro modulo nostro diximus, nunc qua terris & Diana dicitur, pauca dicamus. Hæc Virgo, & Venatrix, arcu, sagittisque instructa à Poetis esse perhibetur. Eadem dicitur Dictynna à retibus, quibus feras capere consueuit. Eius corporis proceritatem, pulchritudinemque venustè depinxit Ouid. libro 3. Metam. vbi de Nymphis Dianæ comitibus loquens sic canit:

Diana Venatrix arcu ac sagittis instructa à Poetis describitur.

Circumfusæque Dianam
Corporibus texere suis, tamen altior illis
Ipsa Dea est, colloque tenus supereminet omnes.
Qui color infectis aduersi solis ab ictu
Nutibus esse solet, aut purpureæ Auroræ
Is fuit in visu visæ sine veste Dianæ.

Dianæ proceritas.

Hæc à Ioue Patre, vt perpetuum Virginitatis florem ipsi illæsum, illibatumque conseruaret petijt, & impetrauit. Vnde Callimachus eam sic Ioui loquentem introducit:

Diana à Ioue vt perpetuã sibi Virginitatem iuam ieruaret petiit.

Da mihi perpetuo vt sim Virgo, da Pater alme.

74. Quæ omnia quam concinnè quadrent Virgini nostræ sacratissimæ, luce meridianã clarius elucescit. Ipsa enim à primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti adeo pura, atque incontaminata Virgo fuit, vt quemadmodum sæpius dictum est, Virginitatem suam Deo Parenti suo optimo Max. perpetuo emisso voto in vtero adhuc Matris existens, cõsecrarit; quod de nulla hactenus pura creatura auditum est. Vnde S. Bernardus Hom. 3. super Missus ait illam hoc, cælesti magisterio didicisse: Virginitatẽ hãc Deiparæ quam vouere cęlesti magisterio à Deo didicerat Seraphicus Doctor Bonauentura in Spec. cap. 4. docet cælesti prole mirificè glorificatum. *Ex quo,* inquit ille, *Maria Virgo de Spiritu S. Diuina est prole fœcundata, nequaquam Virginitas eius tali ex prole est vitiata, sed mirabiliter est in tanta prole glorificata, nam in prole approbata, in prole consecrata, in prole nobilitata, in prole ditata,* &

B. V. Virgo singularis atque eminentissima, quia prima se voto Virginitatis adhuc in vtero matris obstrinxit.

Virginitas B. V. meritis notis ac signis glorificata.

& dotata, & consignata, & confirmata est tua Virginitas ò Maria. Ecce quibus notis quã singularibus nemini hactenus concessis Virginitas Dei Matris tam ante partũ, quã in partu, quã post partũ insignita est.

75. Illibatus hic Virgineæ Dianæ nostræ semper intemeratæ Virginis tam animi quam corporis nitor, ac Puritas, trium illorum ad ictum baculi Sancti illius Religiosi liliorum germinatione præclarè diuinitus fuit demonstrata. De qua peruenustè, vt omnia, Bidermannus noster lib.2. Epig.2. cecinit:

Tria lilia ad contactũ baculi de terra germinantia, trinã B.V. puritatem ante, in & post partum denotant.

Mysta probaturus Mariani signa pudoris
Prodigijs fertur signa dedisse tribus.
Ter baculo percussit humum, testesque futuros
Ter de percussa surgere iussit humo.
Surrexere statim; ter iussit surgere flores,
Liliaque è triplici prosiliere sinu.
Virginis istud ait fœcundæ est lilium. At istud
Virginis inditium parturientis habet.
Virginis enixæ signum, vltima lilia monstrant:
His tamen indicijs purior illa fuit.
Obstupuit tot monstra fides, & pergere cessa
Cessa ait, ostensis, res stabilita sat est.
Ni satis est, baculo perge omnem cedere terram
Tota tibi fieri Lilia terra volet.

76. S. Antoninus Florentinorum Archiep. Virgineam hanc puritatem nouis insignit ornamentis, dum asserit, non solum hominum Sanctorum, verumetiam omnium Angelorum puritatem superasse. Sed ipsum loquentem audiamus Part. 4. humanæ Tit. 15. cap. 17. §. 4. *In omnibus alijs viatoribus castitas est cum pugna contra fomitem, vt cum casu, ad minus imprimente veniale, & cum possibilitate cadendi etiam in mortale, exceptis sanctificatis in vtero, & Apostolis Spiritu S. repletis vt dicit Albertus. Sed in B. Maria fuit castitas sine pugna fomitis, & sine casu, & possibilitate cadendi in mortale vel veniale. Nec solum hominum viatorum, sed etiam Angelorum castitatem excessit. Est enim primo multiplicior, quia Angeli eam solum habent in Spiritu, non in corpore, quod non habent. Sed B. Maria in spiritu, & corpore est Virgo. Est secundo nobilior, & vtilior, quia Angelis est naturalis, vnde nec meritoria: in B. Maria est gratuita, & meritoria. Est tertio gloriosior, quia in Angelis quasi necessaria, & sine pugna; in Maria, voluntaria, & cum victoria.* Sic ille.

Virginitas B.V. inter omnes Sanctos, ipsosq; Angelos excellẽtissima.

77. Vnde facile colligimus Deiparam nobiliorem longè, pulchrioremque cæteris omnibus Virginitatis Coronam Aureolam fuisse consecutam, vt docet Angelicus Doctor in 4. D.49. Q.5. art.3. quia licet caruerit fomite, & interiori pugna carnis, ac spiritus, nõ caruit tamẽ tentatore, & hoste extrinseco, qui ipsum Christũ eius filiũ in deserto tentare non est veritus. Quare sicut Ouid. Dianã inter Nymphas proceritate corporis, pulchritudineq; singulari, Auroræ simillimã eminuisse cecinit; ita nos Deiparã Virginem sacratissimam, inter omnes etiam Angelicas creaturas, Virginitatis decore, ac gloria excelluisse multis parasangis, asseuerare compellimur. Hanc ob causam idem S. Antoninus c.20. §.10. docet eam Sanctam Virginum Virginem ab Ecclesia inuocari, geminatio enim illa supra reliquas Virgines excellentiam, ac Principatum declarat, vti de Christo cum dicitur Apoc. 19. Rex Regum, Dominus Dominantium; ipsius super omnes mundi Principes, ac Potestates eminentia declaratur.

B.V. etsi caruit fomite, & interiori pugna, non caruit tamẽ Tentatore, & hoste extrinseco.

B.V. dicitur S.V. Virginũ ob singularẽ inter illas præeminentiam.

78. Hanc ob causam per antonomasiam, atque excellentiam Deipara, Virgo appellatur. *Quis enim vnquam, aut quo sæculo,* inquit Epiphanius Hæres.78. *ausus est proferre nomen sanctum Mariæ, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? Abrahamo impositũ est epitheton, Amicus Dei, & nõ dissoluetur, Iacob vero vt Israel vocetur, & non alterabitur; & Sanctæ Mariæ vox, Virgo, & nõ mutabitur, impolluta enim permansit.* Eandem ob causam S. Hildephonsus serm. 4. de Assumpt. B.V. *eam Virginem Sanctam, Virginem prudentem, & vnam ex numero prudentum, Virginem pulcherrimam, Virginemque pudicam vocitat.*

Deiparę Nomen Virgo per Antonomasiam conuenit.

79. Quocirca Apoc. 14. selecta illa cẽtum quadraginta quatuor millium Virginum caterua Ducem Primiceriamque habuisse Virginem Deiparam, tanquam Virginum excellentissimam, ac singularissimam S. Bernardus, & Hildephonsus arbitrantur. Vnde S. Apostolus Virgines, canticum illud suum nouum cecinisse ait ante Sedem Dei, & Agni, quæ sedes, vti alias sæpè diximus, est gloriosissima Virgo nostra, in qua tanquam in Regio Throno Incarnata Dei Sapientia mansuetudinem Agni in nostra humanitate assumens, consedere dignata est. Vnde, & cælum, & sedes Dei appellari meruit. Sic Rupertus eandem lib.5. in Cant. alloquens; *O' cælum Dei,* inquit, *& vnica sedes Domini!* Sic S. Bonau. in spec. c.5. *Cælum est Maria, tum quia cælesti puritate, cęlesti claritate, cælestibus alijs virtutibus abũdauit, tum quia sedes Dei altissima fuit teste Propheta; Dominus in cælo parauit sedem suam.* Cum igitur dicit Virgines suum illud nouum canticũ ante sedem Dei, & Agni fuisse modulatas, indicare voluisse visus est, Deiparam illarum fuisse Coryphæam, eandemque

B.V. est Primiceria illarum centum 44. millium Virginum.

B.V. est sedes Agni ante quam cantabant Virgines Cãticum nouũ.

longè suauius canticum illud modulatam, vtpotè Cantatricem iam expertā, quæ ab vtero Matris suę melos illud dulcissimum, quo magnificauit Dominum fuit meditata, vt alibi ostendimus ex Theodoreto.

B.V. Canticū nouū prima inter Virgines cātabit, & dulciori carmine lætificabit Ciuitatē Dei.

80. S. Bernardū hic audite qui Hom. 2. super Missus sic auspicatur. *Nouum canticum illud, quod solis dabitur in Regno Dei, cātare Virginibus, ipsam Virginum Reginam cum cæteris, imo primam inter cæteras esse cantaturam, nemo est, qui ambigat. Puto autem illam præter illud, quod solis, licet cum omnibus tamen Virginibus ei, vt dixi commune erit, dulciori quodam, atque elegantiori carmine lætificaturam esse ciuitatem Dei, Cuius vtique dulcisonos depromere, vel exprimere modulos, ne ipsarum quidem Virginum vlla digna inuenietur, quia soli merito decantandum seruabitur, quæ sola de partu, & partu Diuino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in se, sed in ipso, quem peperit. DEVS siquidem (DEVS enim est, quem peperit:) Matrem suam, singulari in cælestibus donaturus gloriā, singulari in terris preueniri curauit & gratiā, qua videlicet ineffabiliter, & intacta conciperet, & pareret incorrupta.* Quam porrò singularis, cæterisque eminentior extiterit Virgo Deipara nostra prosequitur Bernard. ostendens Dei manibus peculiari quadam ratione in Matrem ipsius Dei filij fuisse conditam, quod nulli hactenus contigit, nec continget in posterum creaturę. *Porrò DEVM*, inquit Bern. *huiusmodi decebat Natiuitas, qua non nisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat, & Virgini partus, vt non pareret nisi DEVM. Proinde factor hominum vt homo fieret, nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram. Voluit itaque esse Virginem de qua immaculata, immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus.* Hæc Bern.

Dei filius talem sibi ex omnibus formauit Matrem, qualem suam diuinam decebat habere Maiestatem.

81. Audiamus denique S. Ildephōsum eminentissimum hunc principatum, inter copiosissimam illam Virginum cohortem agnoscentem in Virgine Dei Matre gloriosissima. Sic enim ille serm. 1. de Assumpt. *Nec dubium quin illa centum quadraginta quatuor millia, quæ in conspectu Throni, & Seniorum sunt, tenentes citharas suas cum omni fragore cæli canticum nouum, quod nemo potest dicere, nisi ipsi, qui hodie in assumptione Virginis festiui veniunt obuiam cum citharis suis, ac læti in suo beatam choro excipiunt Virginem, non qualemcunque, aut vnam de numero prudentum, sed Primam omnium inter primos, quæ vadit post Agnum proximior, quocunque iuerit. Canit autem; & ipsa cū eisdem canticum Dramatis nouem, quod nemo nisi in eo choro dicere valet.* Sic ille.

B.V. est prima omnium inter primas Virgines.

82. Principatum hunc eminentissimū Virginis nostræ gloriosissimæ inter omnes Virgines varijs, ijsque elegantissimis nominibus, ceu schematibus SS. Patres ornauerunt. S. Iacobus Apostolus in sua Lyturgia; *Virginum Gloriam* Deiparam appellauit. S. Ambrosius *Magistram, ac Imaginem Virginitatis, speculumque castitatis.* S. Epiphanius, *Principem Virginitatis.* S. Cyrillus Alexandrinus, *Virginitatis Coronam.* S. Damascenus, *Virginitatis Thesaurum.* S. Hildephonsus; *Fastigium omnium Virginum, Caput Virginum, Exemplar perfectæ Virginitatis.* S. Chrysologus *Reginam totius Castitatis.* Sapiens Idiota *Virginitatis Primipilam.* S. Bernardus, *Virginum Primiceriam.* S. Bonauentura Virginum *signiferum, Florem, Decusque Virginitatis. Virginumque Primitiuā.* Alanus denique quasi sigillo hæc vniuersa, eaque pulcherrima obsignat elogia, dū eam *sigillum Virginitatis* vocitare non dubitauit.

SS Patrum elogia quib. B.V. ornauere ob singularem eius Virginitatē.

B.V. Virginitatis Corona, Thesaurus, caput fastigiū. &c.

B.V. sigillum Virginitatis.

83. Quod si internæ ipsius pulchritudinis, ac Virginitatis eminentiam spectemus, omnes illa Virgines mentis, animique venustate, puritateque multis parasangis antecellit. Vnde Humbertus Monsmoretanus lib. 4. Christiados, Deū Patrem in Virginis laudes excurrentem, ipsamque filio de ea carnem assumpturo ita commendantem introducit:

Illam habens Matrem, qua nil præstantius orbe est.
Siue genus quæras. olli est Regalis origo,
Seu formam, pulchras intersit illa Puellas,
Emicat, vt densos inter Rosa lutea dumos,
At veluti fulget rutilo carbunculus auro:
Virtutum nitidæ puro sub pectore gemmæ
Ardentes radios, accensaque lumina reddunt.

Aeterni Patris de B.V. laudes dictæ ad filium.

84. Quis iam ex his hactenus dictis clarè non videat Virginem Dei Parentem, inter omnes Virgines, velut Dianam quampiam, inter Nymphas enituisse? Nimirum Virgo nostra est mulier illa, quæ in sphæra Lunæ consistens, caput inter sydera condit, cælumque stellatum vertice contingit, dum illam S. Ioannes Aquilinis oculis, Corona stellarum duodecim redimitam Apoc. 12. contemplatus est.

Magnitudo B.V. Mira eo quod cælo Lunæ insistens capite cælum stellatum contingat.

85. Hæc itaque Castissima, ac purissima Diana nostra inter Virgines omnes eminentissima, Venatrix etiam animarum est, arcu sagittisque aureis, imacordium fibras, medullasque penetrantibus instructissima. Quæ vt tanto ampliores, ex venatione reportet prædas, filium

B.V. Venatrix animarum ac præsertim castitatis [illegible] ad earum venationem [illegible].

filium quoque ad venationem euocat, dum animarum capiendarum zelo succensa cum blanditissimis illis verbis inuitat Cant. 7. 11. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*. Quibus verbis docet Guilelmus Abbas, vt alibi diximus, euocasse dilectum, ad feras Gentilitatis capiendas, vt fęliciter captæ, amoreque Diuino sauciatæ, ac cicuratę, pietatisque suæ lacte nutritæ, in homines recta ratione vtentes diuina quadam metamorphosi transformentur. Vnde mox attexit: *Ibi dabo tibi vbera mea: In Ecclesia gentium dabo tibi*, inquit Guilelmus, *quæ in Ecclesia Iudæorum olim tibi dedi vbera mea. Verè apud Iudæos dedi tibi vbera corporalia ad pascendum tè; porrò in Ecclesia gentium dabo tibi vbera mea spiritualia ad pascendos tuos. Spiritualiter enim pascam paruulos tuos lacte maternę pietatis, &c.*

86. Dianam lucidissimam noctem peccatorum illuminantem, animarumque nostrarum Venatricem esse Deiparam agnouit S. Bonauent. 3. Part. stim. Diu. Amor. cap. 16. dum eam magno pietatis sensu alloqueretur: *Accipe animarum Venatrix, & resoue animas in sinu gratiæ tuę. Quis enim potest Animarum Venatrix effugere claritatis tuę fulgorem, & tuæ radios pietatis; nec enim est, qui à calore tuo abscondere se possit, quia beneficijs tuis pleni sunt cæli, & terra. Quocunque enim pergimus occurrit nobis diffusio vteri tui Virginalis. Ecce ergo vndique nos tuis beneficijs irretisti, & semper & vbique benignitatis tuæ laqueos extendisti, vt à te Matre dulcissima fugere rationabiliter nequeamus, sed semper in tuæ dulcedinis gremio quiescamus.* Hæc Bonau. quibus pulchrè, & Lunam mentium nostrarum nocti lumen porrigentem Virginem, & Dianam simul ac Dyctinnam animas irretiẽtem, ac venãtem eandem expressit.

Nemo potest B.V. effugere claritatis fulgorem, nec se à calore eius abscondere.

87. Venatricis huius voces illæ Cant. 2. ad venationis suæ adiutores emissę videntur esse: *Capite nobis vulpes paruulas, quę demoliuntur vineas. Harum vulpecularum, aliarumque ferarum venatione non solum ex Gentilitate, sed & Iudæorum perfida illa generatione distentam Dianam hanc nostram in mõte Libano, alijsque aliarum regionum vmbrosis montibus conspexisse visus est Sponsus; vnde tot animarum opimis spolijs, ac manubijs onustam euocabat ad Coronam*. Postquam enim tot virtutum meritis, tot gratiarum coloribus, ex animarum venatione, siue conuersione decoratam conspexisset, eique dixisset Cant. 4. *Tota Pulchra es amica mea, & macula non est in te*, mox eam ad tantorum laborum inuitauit præmium: *Veni de Libano*, inquiens, *sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum. Quibus ex verbis colligimus feras variarum barbararum gentium à Virgine captas ac cicuratas, ei immortalem gloriæ coronam parituras, eisdemque quodammodo, tanquam verissimam cęli, terręque Reginam, coronandam*. Vnde Rupertus Abbas inuitationem illam expendens Sponsi lib. 5. in Cant. *Reges Regnorum*, inquit, *Reges Babyloniorum, & Persarum, atque Medorum, Reges Græcorum, & Consules siue Imperatores Romanorum, quid nisi Leones, & Pardi dicendi sunt, qui tot bellis, & cędibus orbem terrarum lacerauerunt? De talium Leonum cubilibus, taliumque pardorum montibus tu amica mea coronaberis. Quomodo? Videlicet credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium salus corona tua erit. Ita coronaberis, vt in cælis Regina sis sanctorum, & in terris Regina sis Regnorum. Vbicunque enim fuerit prædicatum illud de Dilecto: Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum; prædicabitur, & de te quod sis ò Dilecta Mater huius Coronati, ac proinde Regina cęlorum, totum iure possidens filij Regnum. Atque hoc intuitu Reges, atque Imperatores coronis suis decorabuntur, palatia Nomini tuo sacrabunt, bonori tuo dedicabunt, vt desinant esse montes, qui fuerant montes pardorum, cubilia Leonum.* Sic ille.

B.V. inuitat animarum zelatores ad capiendas vulpeculas, & alias feras peccatorum.

B.V. à venatione animarum ad cęlestem Libanũ euocatur ad gloriam.

B.V. Virgo peccatoribus à se captis, ac conuersis in cælis coronatur.

88. Neque vero Venatrix Diana nostra hasce mundanæ astutiæ vulpeculas, immanesque variarum barbararum gentium cæpit, ac cicurauit feras, vti alibi etiam dictum est, verumetiam terribilem illum cælorum Rhinocerotem, siue Monocerotem. Qui ob Vniuersi totius Monarchiam, quam in sinu huius Dianæ Virginis mansue factus, qua homo, obtinuit, Vnicornis, & Dilectus filius Vnicornium à Regio Psalte dictus est. Quo in facto Dyctinnam se sic dictam à retibus, quibus Vnicornem hunc cæpit, esse demonstrauit. Rete hoc, purissimam Deiparæ Virginitatem, internamque pulchritudinem esse dixerim, qua cælestis hic Monoceros mirificè delectatus, captus est. Audiamus S. Amadeum Episc. Hom. 3. de laud. B. V. *Candet*, inquit, *perpetua Virginitate, & perfecta puritate. Decoris quoque suauitate fortem Rhinocerotem inclinat, DEVM Maiestatis inuitat*.

B.V. tanquã venatrix cęlestem Monocerotem Dei filium cæpit, ac retibus suarum virtutum irretiuit.

Christus dictus Monoceros ob totius Vniuersi Monarchiam.

89. Richardus verò à S. Laur. libr. 1. de laud. B. V. cap. 5. ait fuisse humilitatem, aliarumque pulcherrimarum virtutum odorem. Vnde verba Dianæ nostræ castissimæ esse illa arbitratur Cant. 1. *Dum*

B.V. humilitas tanquam nardus cepit filium Dei ac irretiuit.

esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Odor, inquit, huius nardi, fuit eius humilis Virginitas, & Virginalis humilitas, quo odore suauissimo Dei Filium illexit, & totum rapuit, qui illectus, & totus raptus de sinu Patris salijt in vterum Matris, & à summo cælo egressio eius. Nec solum in ventre eius odorem Virginitatis, sed & in mente odorem humilitatis reperiens, & his odoribus odorem suæ Diuinitatis admiscens, De Ancilla fecit sponsam, & de creatura Genitricem. sic nimirum humilitas Mariæ Regem cæli attraxit ad terram, & velut Aquilam odore prædæ concupitæ illectam, carni immaculatissimæ copulauit, ascendente fumo aromatum, ideſt, virtutum eius in conspectu gloriæ magni Dei, inuenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumstabant: Quæ est ista, quę ascendit per desertum, sicut Virgula fumi ex aromatibus vniuersis Cãt. 3. statimque Rex egrediens de loco sancto suo, & de excelso cęlorum habitaculo, prosiliens exultauit, vt Gigas ad currendam viam, & nimio peruolans desiderio, preuenit nuntium suum ad Virginem, quam elegerat, quam amauerat, cuius decorem concupierat, & quasi Vnicornis mansuetissimus in sinum Virginis se recepit, deposita iracundię feritate, quam propter primorum parentum peccatum ad genus humanum vsque tunc habuerat. Quem prospiciens à longè venientem gratulans, & exultans aiebat; Ecce iste venit Saliens in montibus, transiliens colles. Sic ille.

Filius Dei velut Aquila odore prædæ concupitæ illectus venit in vterum B.V.

Cæloru Rhinoceros in vtero B. V. mã sue factus similis fuit hinnulo, siue capreæ.

90. Vt porrò ostendat Virginea hæc Diana quantopere Vnicornis ille seu Rhinoceros, de cuius feritate Moyses Deut 33. *Cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes vsque ad extremum terræ.* fuerit mansuefactus, mox subtexuit: Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum; Atque ita summus ille vltionum DEVS, & Dominus, vindicans peccata patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem, ex terribilissimo Vnicorni, à Diana hac Diuina, vtero eius odore virtutum fragrantissimo, ceu retibus captus, ac cicuratus, factus est amabilissima quædam caprea, hinnulusque blandissimus.

91. Audiendus hic tandem est Bernardinus Bustius Part. 9. Marial. serm. 2. partic. 8. vbi Dianæ nostræ venationem, naturamque cælestis illius Monocerotis, quem cæpit, diligenter describit: *Eo modo*, inquiens, *Christus ad Virginem se inclinauit, quo Vnicornis venatione capitur. Nam, vt ait Isid. lib. 12. Ethymol. Vnicornis est animal ferocissimum, ita appellatum, eo quod habeat in fronte vnum cornu fortissimum, atque acutissimum, quo qui cquid impetierit, aut perforat, aut ventilat. Libro etiam de rerum propriet. dicitur, quod Rhinoceros siue Monoceros cum elephante certamen sæpe habeat, quem vulneratum in ventre sæpe prosternit. Tantæ autem est fortitudinis, vt nulla venantium arte capiatur. Sed Virgo puella proponitur, quæ venienti sinum aperit. In quo ille demum, omni ferocitate deposita, caput ponit, atque ita soporatus, inermisque quodammodo comprahenditur. De eodem Rhinocerote Plinius lib. 8. cap. 11. Rhinoceros, inquit, media in fronte habens cornu, hostis est elephantis. Vnde cornu suum limat ad saxa, & acuit, seseque ad pugnam præparat, quod postea inclinando, in aluum impetit elephantis. Vnicornis hic porrò figurat Vnigenitum Dei Filium, de quo Nu. 23. & 24. 8. DEVS eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rhinoceroti. Fortissimus enim DEVS hic omnium spirituum vniuersę carnis habet inimicum Diabolum, quem suæ diuinitatis virtute prostrauit. Hunc Rhinocerotem Sancti Patres, tanquam venatores, multis annis capere conati sunt, & nunquam potuerunt. Nam Abel, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, & alij Patriarchæ suis eum suspirijs, ceu retibus, ac clamoribus prosecuti sunt, & nũquam eum comprahendere valuerunt. Post hos venerunt Venatores alij, non minus, imo magis audaces, qui ipsi Vnicorni propius accesserunt Dauid, Isaias, Hieremias, Daniel, alijque Prophetæ, qui postquam diu, multumque in hac venatione fatigati sunt, animaduertentes, quod illum capere nequirent, retia suarum prophetiarũ circa eius habitaculum expanderunt, è quibus euadere non posset. Hunc quoque Vnicornem fortissimum B. Ioannes Baptista cum in deserto vidisset, expauit, ac contremuit, nec ausus est illum comprahendere. Vnde de illo canit Ecclesia. Baptista contremuit, nec est ausus contingere sanctum Dei verticem. Vna tandem Puella Virgo Domina nostra fragrantis suę humilitatis, virginitatis, & charitatis, aliorumque odore virtutum Vnicornem hunc traxit, eique suauissimum, suæ fidei sinum aperiens illum mansuetissimum effecit, vnde, & in ipsius vtero requieuit. Hunc postea, alijs venatoribus, scilicet Apostolis eundem requirentibus, capiendum tradidit. Ideo Saluator eis dicebat Luc. 10. Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, quę vos videtis, & non viderunt.* Hæc Bustius Quæ sanè ostendunt Virginem nostram sacratissimam Venatricem quandam Diuiniorem esse Diana, quæ non solùm immanium peccatorum feras, verumetiã ipsum Diuinum Vnicornem, virtutum suarum retibus comprahendit, ac cicurauit.

Rhinocerotis cum Elephante certamen.

Cælestem Rhinocerotem veteres Patres, ac Prophetæ desideriis suis velut retibus venati sunt.

S. Ioannes Bapt. ausus non est tangere hunc Vnicornem Diuinum.

91. Neque verò satis fuit Dianæ nostræ virtutum suarum pulcherrimarum retibus, vteroque formidabilem illum cæpisse Vnicornem, sagittis etiam suis il-

B. V. nõ solũ cępit Diuinũ Rhinocerotem, sed & vulnerauit.

illum insuper vulnerauit. Vnde postquã illam à ferarum illarum grandium in montibus tam Iudææ, quam gentilitatis habita venatione, reuocasset; mox attexuit: *Vulnerasti cor meum Soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum*. Scire cupitis quibus sagittis? *In vno oculorum suorum, & in vno crine colli sui*. Oculi nimirum Virginis ac crines sunt iacula, sunt sagittæ, cor Dei amore castissimo sauciãtes. Vnitas oculorum Virginis, pura nempe intẽtio, quã vni soli Deo placere, ipsi deseruire animitus cupiebat, nihil erat aliud quam telum, quo Dei filius vulneratus est. Cogitatio illa humillima, qua se tam ipsius, quam Matris, quæ illum olim erat paritura, obsequijs mancipare cupiebat, quid erat illud, quam validissima sagitta, quæ ad imas amantissimi illius Diuini cordis fibras penetrauit? Interna denique illa Virginis pulchritudo, colorisque spiritualis, ex apta virtutum inter se compositione, ac symmetria resultans suauitas, quid aliud erat quam iaculum, quam telum, quod Diuini illius, amantissimique cordis medullas persuasit?

Oculi, & crines B. V. cor sponsi saucientes quid notent.

Pulchritudo interna B. V. sagitta est corde sauciens fœlicissimè.

93. In laudem internæ huius, diuinæque pulchritudinis liceat mihi hic vsurpare id, quod Titus Stroza in humanæ cuiusdam venustatis encomium cecinit; in qua, & Amores volitantes, & retia, laqueos, faces, ac sagittas erat reperire:

Lucet enim latè morum nitor ille tuorum
Rara nec in genuo forma pudore caret.
Inque oculis charites habitant, & grata venustas,
Quos super & circũ blandus aberrat Amor.
Inde faces, ac tela iacit, castèque latentes
Tendit ibi laqueos, multiplicesque plagas.
Cernere nec cuiquam fas est ardentia tuto
Lumina, tantum illic Ars, Geniusque valẽt.

Concludit tandem ostenditque quam potens ad captiuandum mulieris illius forma extiterit, dum in eius facie Amorem domicilium quasi sibi fixisse arbitratus est:

At tu, cuius abit nunquam de fronte Cupido,
Nulla Cupidinei signa caloris habes.

Nil verius de Virgine nostra longè castiore, quam fuerit Diana dici potuit. Ipsa enim licet castissimos Cupidines toto, ore, oculisq; ad corda mortalium pudicè saucianda aptissimos circumtulerit, nunquam tamen ab aliquo impudicè concupisci potuit, cum & facies, moresque omnes mirificam pudicitiam spirarent, & nullum Cupidinis impudici calorem in aspicientibus, quin potius Diuini amoris ardores accenderit, vt alibi fusius ostendemus.

B. V. licet esset plena cæli amoribus, deque eius ore, oculisque promicarẽt, nullum tamẽ ad impudicũ amorem prouocauit.

94. Neque vero solum Virginea hæc Diana, arcu, sagittisque suis validissimis animarum feras venatur, sed ipsa, dum totam se huiusmodi saluberrimis venationibus impendit, ipsa, inquam, Arcus, ipsa fit sagitta, quâ quisquis configitur, cadat, vitamque hanc mundanam, ac carnalem veteris Adæ, de terra terreni, amittat, & noui illius de cælo cælestis induat necesse est. Didicit nimirum illa iampridem amoris telo cõfixa, in alios eadem amoris tela iaculari, atque ita animas, magna animi sui voluptate venari. Vnde postquam dixisset illa: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo;* seu vt legere 70. Interpp. *Quia vulnerata charitate ego sum*. mox attexuit: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Quibus verbis ostendit se manibus Sponsi comprehensam, & Arcum quendam, & sagittam effectam ad mortalium fœliciter sauciãda corda, pectoraque, venandasque animas mirabiliter effectam.* Audiendus hic Psellus, qui verba illa librans ponderansque sponsę, ita pronunciauit: *Ecce, quæ paulo ante mirabili sagittã saucia erat, & amore langueo, amore ego vulnerata sum aiebat, nunc sagitta fit in manibus iaculantis. Lęua sub capite sponsę, dexterâ illam amplectitur, quandoquidem ad similitudinem volantis sagittę emissa fuisse dicta est*. Cui sapiẽtissimæ tanti Patris doctrinę, Religiosissimi, ac Doctissimi Aloysij Nouarini affectum in Virginem pientissimum libet attexere: *O' si me quoque sagitta hęc vulneret, & altè cordi amorem imprimat! Ne ego Beatus, & mecum omnes illi, quos hæc sagitta petierit. Querentis voces erant illę: Sagittę Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit Spiritum meum Iob 6. v. 4. Nos absque vlla querela gratias Deo agere debemus, si contingat Virgineas has sagittas in nobis esse, quæ sua vi carnalem omnem ebibant affectum, absumant omnem carnis virorem, vt supero Amore saucij Deo soli viuamus, nobis, mundoque mortui*.

B. V. ipsa dum animas peccatorum venatur, fit Arcus, ac sagitta.

B. V. sagitta iacta in manibus iaculantis sponsi dũ eam amplectitur suæ dextera.

95. Amoris hanc sagittam optabat Virgo filiarum Ierusalem cordibus suo exemplo infixam, easdemque eodem mecum amore languere, cũm eas adiurabat: *Adiuro vos filię Ierusalem, si inueneretis Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore lãgueo*. Cant. 5. Quid hoc, ô Virgo? *Quid nũciari cupis per Ierusalem filias sponso tuo amoris tui languorem? An nescis enim DEVM esse, intimas cordis rimantem fibras? Nouit igitur ille cordis tui ardores, nouit amoris ibidem exęstuantis flammas. Quid ergo opus fuit, vt amoris tui*

B. V. suo exẽplo optat omnes Diuino amore, velut sagitta, sauciari, atque ita animas venari.

tui languores, ardoresque Dilecto nunciarentur? Optabat nimirum Virgo nostra, tanquā sagitta electa, amore suo in Dilectum, corda etiam filiarum Ierusalem, exemplo suo configere, sicque animas illarum venari. Venatio enim huius Dianę nostræ, in eo potissimum consistit, vt amoris Diuini sagittâ corda sauciet, vitamque in illis brutam, atque animalem interimat. Ita nimirum adiurationem illam Rupertus Tuitiensis Abbas intellexit lib. 5. in Cant. *Quid erat,* inquiens, *vel quid efficiebat hæc talis adiuratio? Nunquid ille Dilectus nesciret amorem languentis, siuè languorem amantis, nisi annunciaretur ei? Domine, inquit Petrus, tu omnia scis, tu scis quia amo te: Quanto magis tu ò Dilecta tam prudens, tamque fidelis per temetipsam, absque internūcijs dicere poteras Dilecto, & frequenter dixisti sine dubio: Dilecte mi nullum est tibi absconditum cor, nullius occultus amor, tu scis quia amore langueo. Quorsum ergo tendit, vel quid efficit hæc adiuratio? Eo nimirum vt percussa percutiat, vulnerata vulneret Mater filias, salubriumque vulnerum suorum aliquod, & si non statim omnibus, at saltem iam aliquibus earum experimentum efficiat, vt audientes filiæ, vel sentientes in Matre tantum vitæ futuræ, quæ non videtur, desiderium in mente præsentiant, & ipsæ talem illum esse Dilectum, vt iure propter eum fastidiat quiuis, vel quæuis hoc præsens sæculum; iamque inter moras præsentis vitæ magis, ac magis cupiat eum agnoscere, saltem per speculum, saltem in ænigmate. Vnde, & protinus dicunt: Qualis est Dilectus tuus, ex Dilecto, ò pulcherrima mulierum? Qualis est Dilectus ex Dilecto, quia sic adiurasti nos?*

96. Idem Rupertus Sanctis colloquijs, ac potissimum de ipsius Dilectissimo filio cum Apostolis institutis à Deipara, eosdem quasi sagittis potentibus fuisse vulneratos, ac captos, eundemque vicissim ab eis, pijs huiusmodi sermonibus sauciatam asserit. Cùm enim verba illa sponsæ expenderet Cant. 3. *Percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt palliū meū;* sic Dianam hanc nostram animas venātem, ac telis amoris configentem loquētem introducit: Quomodo? vel quibus armis percusserunt? Conferendo, & colloquendo, & gemitus suos nimis violentos in medio iaciendo percusserunt me. *Quos videlicet gemitus, & fletus suos, & si vellent retinere non poterant, & idcirco solutis habenis lacrymas suas currere permittebant, quantum ipsæ lacrymæ valebant. Tunc vnusquisque portionem suam offerebat in medium, memores verborum Patris Filij mei sponsi dilecti nostri, verborum, inquam, nouissimorum Patris, quæ moriens, & quasi vltimum trahens spiritum dixit, memores quale testamentum scripserit eisdem filijs suis, qualem hæreditatem dimisisset eis, & de ipsorum hæredum pace, & concordia moriens, quam piè solicitus testatus ipse fuisset, & quomodo cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Hæc erant iacula ipsorum, & istis percusserunt me; & vulnerauerunt me, percussi & ipsi, ac vulnerati à me vicissim sagittis acutis, quæ erant sagittæ loquentis in me Dilecti, vti Psalmista ait: Sagittę potentis acutę cum carbonibus desolatorijs. Atque ita mutuis percussionibus, mutuisque vulneribus percutiebamus inuicem, & percutiebamur; vulnerabamus, & vulnerabamur, percussionibus suauissimis, vulneribus dulcissimis, quę qui expertus non est, profectò sanitatem cordis non habet. Inter ista tulerunt mihi pallium meum custodes illi murorum, ita videlicet, vt totum quod erat in me secretum, facerem illis quantum opus erat, manifestum. Nam eatenus omnia, quę erant de illo Dilecto verba, conseruaueram conferens in corde meo, & ita contegens quasi sub pallio, tunc autem deprompti in aperto, necessaria videlicet, multumque profutura prędicando, & conscribendo Dilecti Euangelio.* Hęc Virgo, quibus ostendit, ex mutuis hiscè sacris colloquijs, ceu telis non modo diuino amore sauciatos Apostolos, verumetiam Diuinarum rerum scientiâ ab Illuminatrice hac Diuina Virgine, ceu Luna in hac sæculi nocte, mirificè fuisse illustratos.

Quomodo Apostoli sagittis B.V. vulnerati fuerint?

B.V. diuino amore sauciando Apostolos, eosdē etiam in rebus fidei velut Luna illuminabat.

97. Amoris porrò Diuini sagittam corda mortalium salubriter configentē, vitamque carnalem execantem, euasisse Deiparam crediderim potissimū in Diuini Verbi Incarnatione, in qua Dei filius tanquam sagitta electa, Virgineo ipsius vtero ceū aureâ quadā pharetrâ exceptus, sagittam simul, & pharetram eam esse voluit. Vnde ipsamet apud Isaiam dicebat: *In pharetra sua abscondit me, & posuit me, & quasi sagittam electam.* Isa. 49. Ipsa enim ad corpus Christi, ope Spiritus S. in vtero suo efformandum purissimi sui cordis sanguinem, vt piè Albertus Magnus, Ioannes Nider, & Pelbartus censuerunt, subministrauit, vt eum tanto magis cordiali amore complecteretur. Vnde cum gratiosissimus hic Sponsus se nūquam amore vinci à creatura patiatur, tanto eam amore, tamque vehementi succendit, vt Diuini sui amoris sagittam, ad mortalium sauciandа simul, atque accendenda corda pectoraque effecerit.

B.V. in Diuini Verbi incarnatione euasit sagitta.

B.V. ad corpus Christi efformandū cordis sui sanguinem subministrauit, quo eum ardentius amaret.

98. Sensit sagittam hanc diuinâ illicitam dulcedine S. Bonauentura 3. Part. Stim.

Stim. Diu. Amoris c. 19. Vbi Virginem c. 19. appellans Dulcedinem: *Vera*, inquit, *Dulcedo es, quę amaritudinem peccati, veniam impetrando, expellis, quę nobis dulcedinem gratię, & vitę acquiris, quę ad suaues cęlestis patrię contemplationes introducis. O' Dulcis Domina, cuius sola memoria affectum dulcorat; cuius meditatio magnificentiæ mentem eleuat; cuius pulchritudo oculum interiorem exhilarat; cuius amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat. O' Domina, quæ rapis corda dulcedine.* Hinc idem Bonau. *Nonnè cor meum Domina rapuisti? & vbi quæso posuisti illud, vt ipsum valeam inuenire? Nunquid in sinu tuo, ne inueniam, collocasti? Nunquid inter vbera tua posuisti illud? Fortassis ibi posuisti cor meum, vt, quod friget, ibi calefiat? O' Raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? Quare sic corda simplicium rapis? Quare violentiam facis tuis amicis? Nunquid semper vis illud retinere? Cum id à te postulo, mihi arrides, & statim tuâ dulcedine consopitus quiesco, & in me reuersus cum iterum postulo, me amplexaris dulcissima, & statim amore tuo inebrior; guberna illud cum tuo, & in sanguine Agni conserua, & in latere Filij colloca. Tunc assequar, quod intendo, tunc possidebo quod spero, quia tu es spes nostra.* Hæc Bonau.

B.V. vera nostra dulcedo.

B.V. Raptrix cordium.

99. Et licet Virgo Deipara tota quanta est, sit cælesti dulcedine illita quædam sagitta, oculi tamen eius vel maximè, quibus idem Doctor Seraphicus Sauciatus castissimè ita eam alloquitur, Psalm. 22. *Benedicti sint oculi tui splendidissimi, quos digneris misericorditer conuertere super nos peccatores. Benedictum sit lumen, & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultus tui.* Et Psal. 26. *Domina illuminatio mea, sit splendor faciei tuæ super me, & refulgeat menti meæ. Nec auertas faciem tuam à me, quia speciem, & decorem tuum concupiui. Te amaui, & exquisiui Regina cælorum, misericordiam tuam, & gratiam tuam ne subtrahas à seruo tuo.* Eâdem dulcissimæ charitatis Deiparæ ictus sagitta ad instar cerui ad amorem ipsius anhelabat Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita ad amorem tuum anhelat anima mea. Quia tu es Genitrix vitæ meæ, & altrix Reparatoris carnis meæ, initium, & finis totius salutis meæ. Exaudi me Domina, mundentur sordes meæ, illumina me Domina, vt illustrentur tenebræ meæ. Accendatur amore tuo tepor meus, gratia tua expellatur torpor meus.*

B.V. oculi cęlesti dulcedine illitæ sagittæ.

100. Neque verò solum Virginei oculi, sagittæ sunt cælesti melle illitæ, verùm etiam lingua, & verba ipsa: Vnde inter elegantissima eius præconia illud admiscuit Sponsus: Cant. 4. *Fauus distillans labia tua Sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Huius dulcedinem degustare cupiens aiebat idem sponsus: Cant. 2. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & acies tua decora.* Et Cant. 8. *Quæ habitas in hortis amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Hinc Richardus à S. Laur. lib. 2. de Laud. B.V. labijs hiscè fauo distillanti comparatis, in quæ Spiritus S. suorum charismatum diffudit abũdantiam, ait, Dei filio diuini, humanique fœderis dulcia oscula propinata, totumque mundum Trinitati conciliatum, cũ dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat, &c.* Et tunc reuera diffusam fuisse gratiam in labijs eius, in nos quoque diffundendam, ac proinde à Deo cęlestibus benedictam in æternum.

Lingua, & verba B.V. sagittę cęlesti melle illitæ.

101. Deniq; ipsum Sacratissimũ nomẽ Virginis est velut suauissima omnibus cæli delicijs ac cupedijs illita sagitta, cuius suauitatem, atque dulcedinem perquenustè descripsit Pater noster Iacobus Pontanus libro 2. de Virgine Matre numer. 9.

Nomen mellifluum Maria, Nomen
Scitum, Suauiculum, elegans, rotundum:
Nomen lilia olens, & Hortulorum
Omnes lætitiasque, gratiasque,
Nomen dulcissimum, aureumque prorsus,
Sanctitate, & amoribus refertum,
Cartas lætificans, piasque mentes,
Cunctis Nomen amabilissimumque
Tonanti, quibus est placere cordi,
Et quos lumine respicit fauenti.
Quem Maria hominem, DEVMque fudit.

102. Ad cordialem hunc mellifluumque amorem Virginis, quo Amoris Diuini ad corda mortalium sauciãda, ac debellanda, acuta sagitta facta est, comprobandum Pelbartus lib. 1. stell. Part. 7. art. 2. cap. 1. luculentissimam affert ipsius Deiparæ reuelationem. Refert enim fuisse pium Religiosumque virum, qui sępè multumque dę purissima filij Dei in vtero Virginali Conceptione, eiusque modo cogitarit, Virginemque obsecrarit, vt tantum mysterium ei reuelare dignaretur. Nec irritæ ipsius cecidere preces; in nocte siquidem Natalis Dominici magno pietatis sensu primo absoluto Missæ sacrificio prope aram, in qua Deo litauerat, vidit magnâ luce circumfusam Deiparam, quæ benignè sic eum affata est: *Quare circa Filij mei Conceptionem hæsitas? Non recolis in Euangelio scriptum, quod turbata fuerim in sermone Angeli? Nescis etiã quod naturali motu in turbationem hominis sãguis ad cor concurrit, in eius confortationẽ ac so-*

B.V. cuidam Religioso Viro reuelauit, quod cordis sui sanguinẽ ad Humanitatẽ Christi efformandam subministrauit.

la-

latium? In illa igitur turbatione ex purissimis illis guttis sanguinis, qui ad cor confluxerat, aliquę decisæ sunt, ex quibus, operatione Spiritus S. efformata, atque concepta est in me Filij mei humanitas. Cùm ille causam huiuscè rei, piâ curiositate sciscitaretur, respōdit Virgo benignissima, *Ideo ex purissimis sanguinis cordis mei guttis in vtero meo conceptus est meus Filius, vt magis in eius acerbissima passione, ei amanter compatiendo, promerer.* Quod vt admodum credibile esse comprobet idem Pelbartus, exemplo florum, fructuumque, qui sicut ex subtilissimis arboris humoribus, medullisque generantur; sic Christus ex Virginalis cordis sanguinis guttis quasi flos suauissimus, quasi fructus dulcissimus ori sponsæ, efformatus est; Idem probat auis cuiusdam, quæ est in Arabia exemplo Aristotele lib. 5. de animalibus attestāte, quę Ormomella nuncupatur; Hæc guttâ sui sanguinis emissâ, solarique radio viuificatâ, absque maris opera speciem suam conseruat: Quod si ita est, quanto magis credēdum est Deiparam ope, virtuteque Spiritus Sancti, quouis Phœbi radio potentiori, ex guttulis sanguinis, corde Virgineo decisis, humanitatem Christi concepisse?

Ideo de cordis B.V. sanguine caro Christi concreuit, vt cū cordialius amaret.

Ormomella Auis Arabię gutta sui sāguinis emissa ac solari radio viuificata absque maris opera speciem suā conseruat.

103. Hac nimirum Virgo admirabili substantialis illius Diuini Amoris Conceptione, Personali Amore, qui Spiritus S. est, cooperāte, amoris effecta pharetra, imo & sagitta, aliam amoris quasi sagittam ex purissimo illo sui Virginei cordis sanguine efformasse visa est. Vnde cum Argonautæ post captum vellus aureum, Templum quoddam sumptuosissimum ædificassent, & oraculum consuluissent, cuinam tandem esset dedicādum, Dei Parenti id consecrari volens, in hunc modum respondisse fertur:

B.V. in Concept. verbi s Diuini amoris est effecta pharetra, imo & sagitta.

Assiduâ virtute decus sublime parate,
Atque vnum, sic mando, DEVM, qui cuncta gubernat.
Cęlesti residens solio, colite, atque timete.
Illius æternum, atque ante omnia sæcula Verbum
Nescia Virgo viri, nostras emittet in auras,
Quæ velut igniferis impulsa sagitta procellis
Edomitum reddet Diuino munere mundum.

Vbi videmus Virginem Nubi fulguranti cōparatam, ex qua velut ingnita pharetrâ ęternum Verbum ad instar ignitæ, fulgureæque sagittæ exiliens mundum, carnem, Sathanamque prostrauit atque perdomuit.

Christus vt fulmē vtero B.V. egressus.

104. Fulmineam sagittam agnouit esse Dei filium Euangelicus Propheta Isaias cap. 62. cùm aiebat: *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor Iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur;* Siue vt alij ex Hebræo legunt: *Donec egrediatur vt fulmen Iustus meus.* Vnde S. Gregorius libro 29. Moral. cap. 13. interpretans illud: *Quis dedit vehementissimo imbri cursum? & viam sonantis tonitrui?* Iob. 38. 23. Personans tonitru, siue fulgur, aut fulmē, Dei filium intellexit, cui DEVS Pater cursum, viamque dedisse visus est, cum exultauit vt Gigas ad currendam nostræ redemptionis viam. Sed ipsum S. Doctorem audiamus. *Aliquando in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum Patrum conueniēte Prophetia ad notitiam nostram, quasi ex nubium concussione prolatus est. Qui inter nos visibiliter apparens, ea quæ super nos erant, terribiliter tonuit. Vnde & ipsi Sancti eius Apostoli, de eius gratiâ generati, Boanerges, idest filij tonitrui sunt vocati.*

Tonitru, fulgur, ac Fulmē Christus vocatur.

105. Fulgur eam Sagittam Dei filium de Nube Virginea velut ex pharetrâ prosilientem agnouit S. Methodius orat. in Hypapan, qui partum Deiparæ describere volens, sic eandem alloquitur: *Fulgurasti, ô Genitrix suauia nobis dona producens, fulgurasti luminis solaris ardentissimis facibus, feruentissimæ nempe dilectionis æstu, quod ante principium conceptum fuerat, in fine pariens, palam faciens occultum eatenus sacramentum, ineffabilem inuisibilis Patris filium, pacis sequestrum, & admirabili quodam modo omni breuitate minorem factam.*

B.V. nubes fulgurea ardentissimæ charitatis æstu plena.

106. Agnouit & S. Epiphan. libro de laud. B.V. eam fulgurantem extitisse nubem, fulguream sagittam in mundum hunc euibrantem cum ad Virginem exclamauit: *O B.V. Nubes es lucida, quæ fulgur lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti, ipsum Christum. Nubes cælestis, quæ tonitruum Spiritus Sancti in seipsa reconditum reduxit in mundum, & imbrem Spiritus sancti in vniuersam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demisit.* Fulmineam sagittam saluatorem esse intellexit Moyses cum eum iam pridem de se ipso ita loquentem introducit. Deut. 32. *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & ijs, qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Intellexit fulmineam Christum esse sagittam Apostolus Paulus 2. Thessal. 2. dum dixit, Antichristum ab ipso, Spiritu oris eius interficiendum, destruendumque, illustratione aduentus sui. Quod multo ante agnouit Isaias c. 11. vbi de Aduentu Messiæ, deque eius vir-

B.V. Nubes lucida, quæ Fulgur lucidissimum ipsum Christū ad mundum illuminandū emisit.

B.V. Nubes cælestis, quæ Tonitruum Spiritus S. in seipsa reconditum reduxit in mundum.

Christus contra Antichristum erit fulminea sagitta.

virtutibus potentiáque loquens, tádem addit: *Percutiet terram Virgâ oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

107. Expertus est impijssimus Herodes fulmineam esse sagittam Christum adhuc paruulum, cum illum vix natum tantopere conturbatus extimuit, atque exhorruit. O' quam aptè D. August. ser. 30. de Temp. *Quid erit tribunal iudicantis, quando superbos Reges cuna terrebat Infantis?* Experti sunt, & Iudæi fulguream hanc sagittam cum in Hortum Gethsemani ad Christum comprehendendum, tantâ cum vi armorum, fustium, gladiorumque formato quasi exercitu irruperunt, experti, inquam, sunt Dei filium in carnis nostræ imbecillitate fulmineam sagittam esse, cum ad vnicam illam vocem; *Ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Ioan. 18. Quæ verba S. Leo Papa serm. 1. de Pass. trutinans sic loquitur: *Illud Christi verbum; Ego sum; manum illam ex ferocissimis congregatam, quasi quodam fulmineo ictu strauit, atque perculit, vt omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retroacti corruerent. Quid iam poterit Maiestas eius iudicantis, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?*

Iudæi Christum cõprehendentes illum fulmineam sagittã experti.

108. Ex hactenus dictis clarè perspicimus, ex Psello alijsque Patribus tam Deiparam, quam dulcissimum eius filium ignitas esse fulgureasq; amoris sagittas, quibus mortalium corda, pectoraque salubriter configuntur, felicissimèque triumphantur. Ignitis hiscè fulgureisque sagittis prostratus, triumphatusque videbatur pius ille Poeta noster Remundus, qui Virginis, eiusdemque dulcissimi filij amore ebrius concinebat:

P. Remundus Christum, & B.V. sagittas corda saucientes expertus.

Non sat erat consumpta vnum per viscera telum?
Binę conspirant in mea corda faces?
Pupulus in gremio dum ludit, & ore Puellę,
In iaculo iaculum est, Ignis, in igne sedet.
Tela quatit Puer, & Genitrix incendia iactat,
Pulchra Parens, glomerat pulchrior ipse Puer.
Eia agite: haud magnum est si vos duo vincitis vnum.
At mihi honor, gemina succubuisse face.
Dulce malum! ah! cur non data sunt mihi pectora plura?
Pectora tam charis obuia vulneribus?
Dulce mori! ah! cur non geminata est vita beatis?
Esset, quæ totidem debita funeribus?
Non est hęc tua flamma Venus, non arma, Cupido.
Fœda Parens procul hinc, hinc fuge fœde Puer.

Asta, qui nostrum vides, aut spernis Amorem
Quisquis es, ò possis igne perire meo.

109. Binis hiscè Amoris sagittis videbatur saucius Alphonsus Rodriques Societatis nostræ operis domestici administer, cum extra se quasi positus ingeminabat assiduè: *IESVS, Maria, mei dulcissimi Amores. Patiar ego, moriar ego vestri amore. vester sim totus, & nullatenus meus, ac si nihil prorsus essem.* Item eum iam moribundus clamabat: *Ah! IESV dulcissime! ò Maria Mater mea.*

Alphonsus Rodriques quam ardens Christi, ac B. V. amator.

110. Binis his sagittis corde saucius fuit P. Franciscus Binans Ordinis Minimorum, cum ob varia sibi à Virgine totius vitæ decursu collata beneficia, sacratissima Nomina IESV, & MARIAE sibi in pectore ad partem cordis, scalpello, non sine acutissimo cruciatu, quē tamen perferebat libenter, exculpserat, præ desiderio circumferendi etiam in corpore signa eius rei, quā maximè adamabat. Existimauerit sibi fortassis ab hiscè Diuinissimis singulis Amantibus dictum illud ex Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, signaculum super brachium tuum.*

Franciscus Binans IESV & Mariæ Nomen sibi ad cor scalpello incidit.

111. Binis his sagittis amoris IESV, & Mariæ transfixus videbatur S. Anselmus cum in Contemplat. Deip. ad illos confidenter clamitabat: *Tu noster maior frater, & nostra Domina, tu nostra melior Mater, docete cor meum, qua reuerentia vos debeat cogitare. Bone tu, & Bona tu, dulcis tu, & dulcis tu, dicite, & date animę meæ, quo affectu memorando vos, de vobis delectetur, delectando iucundetur, iucundando impinguetur. Impinguate, & succendite eam vestra dilectione; vestro continuo amore langueat, cor meum, liquefiat anima mea, deficiat caro mea. Vtinam sic viscera animę meæ dulci feruore dilectionis vestræ exardescant, vt viscera carnis meæ exarescant, vtinam sic intima spiritus mei dulcedine vestri affectus impinguentur, vt medullæ cordis mei exsiccentur. Domine fili Dominæ meæ, Domina Mater Domini mei, si ego non sum dignus, qui sic debeam vestro amore beatificari, certè vos non estis indigni, qui sic, imo plus, debeatis amari. Ergo benignissimi ne sic denegetis mihi petenti id, quo me confiteor indignum, vt auferatur vobis id, quo vos certè negare non potestis dignos. Date itaque pijssimi, date obsecro supplicanti animæ meæ, non propter meritum meum, sed propter debitum vestrum; date, inquam, mihi quo sum dignus, vt reddam vobis, quo estis digni. Si enim non vultis dare, vt habeam, quod desidero, saltem nolite negare vt reddam vobis, quod debeo. Forsan præsumendo loquor, sed vtique bonitas vestra facit me audacem. Loquar*

S. Anselmus sagitta amoris IESV, & Mariæ confixus.

Vuuuuu ergo

ergo adhuc ad Dominum meum, & Dominam meam cum simpulis, & cinis. Duplici hac sauciatus visus est sagitta Pater noster Gualterus Paullus, qui Cātu tertio animi salientis à Cælo in DEVM, ita cecinit:

Procul esto Luna, cuius
Lux in dies mutabilis:
Mea Luna solis huius
Est Mater Admirabilis.
Præsente Matre Proli
Est mira lucis vnio,
Est Luna iuncta Soli
Durante plenilunio,
Mihi Sole sic in ipso
Luna placet consortium;
Vt nuper à me ipso,
Iurauerim diuortium,
Volo in astra verti ab illis:
Cor hunc, & hanc considera;
Vtriusque fac fauillis
Virtutis in te sydera.
Procul astra sint maligna,
Eclipsis, astra errantia
Virtutis alma signa
Sunt feruor, & constantia,
Amoris ito telum
I ergo quo te dirigo
Trans astra, transque cælum
In cor Dei quem diligo:
Tuæ ò sagitta pennæ
Sunt quas Amor contexuit,
Et, gluten est perenne,
Quo pennulas annexuit.
Tuus, ò Sagitta, mucro
Cordis figura cuius est;
Illius inuolucro
Amor meus conclusus est.
Dei cor ergo quære,
Illi cor meum deferas,
Ibi permanenter hære,
Nil curo si me deseras,
Persiste, nec recede:
Hoc quippe suum diuinior
(Mea mi Sagitta crede)
Quo tu Deo vicinior.

Alios innumeros prætereo, qui Virgineæ huius Venatricis Dianæ, retibus capti, spiculis prostrati, Diuini amoris flāmis adeo æstuarunt, vt ad instar Phœnicis, homine veteri consummato, in nihilumque redacto, noua sunt facti creatura, eorumque iuuentus non modo vt Aquilæ, sed etiam vt Phœnicis renouata est.

112. Ex his inferre possumus, quod quemadmodum Virgo beatissima, Diana, siue Phœbe quædam, Arcu aureo, sagittisque instructa est, ad venandas configendasque animas; ita dilectissimus eius filius, Phœbus quidam est, qui aureis suis spiculis Pytonem, serpentem, inquam, illum antiquum, ac Tartareum in primis cum Matre prostrauit, eiusdémque caput contriuit: *Ipse enim, & ipsa, vt scriptura, ex Hebræo loquitur, conteret caput tuum*, Gen. 1. Deinde eisdem suis sagittis mortalium corda Diuino suo amore penetrando animas, mirâ arte venatur; ita vt longè aptius de hisce dicere possimus sagittis, quam de suis Phœbus cecinit apud Ouid. lib. 1. Metam.

Certa quidem nostra est, nostra tamen vna sagitta
Certior, in vacuo, quæ vulnera pectore fecit.

Vim earundem Phœbi sagittarum descripsit idem Ouidius in configendo illo immanissimo Pythonis mōstro, quod terra post diluuium, infelicissimo partu edidit. Sic igitur ille eodem libr. primo Metam.

Illa quidem nollet, sed te quoque maximè Python
Tum genuit, populisque nouis incognite serpens
Terror eras. tantum spatij de monte tenebas.
Hunc DEVS Arcitenens, & nunquam talibus armis
Ante nisi in damis, capreisque fugacibus vsus,
Mille grauem telis, exhaustâ pene pharetrâ
Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.

Vnde de suorum telorum vi sic cum Cupidine decertantem eundem Phœbum introducit;

Quidque tibi, lasciue Puer, cum fortibus armis?
Dixerat, ista decent humeros gestamina nostros,
Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti,
Qui modo pestifero tot iugera ventre prementem
Strauimus innumeris tumidū Pythona sagittis.

De binis denique his sagittis Virgineæ Dianæ, Phœbique nostri Diuinissimi longè aptius, quam de illis lasciui Cupidinis binis spiculis cecinit ibidem Ouid.

Deque sagittiferâ prompsit duo tela pharetrâ
Diuersorum operum; fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit auratum est, & cuspide fulget acutâ.
Quod fugat obtusum est, & habet sub arundine plumbum.

Verè enim, si sacra profanis miscere licet, vnâ eademque sagittâ, tam Virginis purissimæ, quam filioli eius dulcissimi, facit id quod tela diuersa fecisse Cupidinis; O rem stupendam; audiuimus. Vbi enim primum siue Virginis, siue paruuli huius tibi cor aurea sagitta transfixerit, diuinum illum, purissimumq; mox pectori, lasciuo, turpique exturbato, Amo-

Christus Phœbus, qui Pythonem Tartareum confixit.

Duo tela vibrat Cupido, alterum fugat, alterum inducit Amorem.

Amor Christi, & B.V. sua sagitta pectus transfigens, Diuinum turpi exturbato Amore ingenerat.

Amorem ingenerat, odiumque quoddam menti Vatinianum indit, vt quisque Diuinissima illa, potentissimaque sagittâ saucius fędum amorem, Cupidinemque cane peius, & angue execretur.

113. Iam tandem ad Lunam, vt Hecate dicitur, & inferis dominatur, veniamus. Hecatem porrò dictam autumat Natalis Comes, vel quod pro vno grano tritici centum ferre consueuerit, vel quod Hecatombæ, siue centum hostijs placaretur, vel denique, quod in Naturæ negotijs centum obeat munia. Huiusmodi verè Hecate Virgo videtur esse Deipara, quæ minima sibi, suoque honori delata obsequia non centenis, sed innumeris pene compensat gratijs, cælique fauoribus. Est enim Virgo Terra illa nostra dans fructum suum, Terra illa à Domino benedicta; *Terra illa bona*, de qua Saluator Luc. 8. 8. *Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Et denique Virgo nostra Ager ille Euangelicus, in quo cælestis omnium gratiarum, donorumque Dei, imo omniū bonorum Thesaurus est absconditus, adeo vt qui in corde suo Amorem habet Deiparæ, habet thesaurum infinitum bonorum omnium; cum ipsa sit preciosissimus, ac Diuinissimus cæli thesaurus, in quo supremus ille Rex, quidquid opulētum, quidquid rarum, vel charum in promptuarijs Naturæ, vel Gratiæ reperit, id totum in Virgineum hunc thesaurum congessit. Vnde Hugo de S. Victore serm. 46. *Quæcunque in scripturis, quæcunque in creaturis sunt amabilia, quęcunque suauia, quæcunque dulcia, quæcunque pulchra, quæcunq; redolentia, quæcunque iucunda, quæcunque preciosa, quæcunque sunt laudabilia, Mariæ laudibus sunt conuenientia.* Hinc Salomon Thesauri huius immensas diuitias acutius perscrutatus, stupore attonitus dixit; Infinitus est Thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Sap. 10. & rursus Prou. 31. *Multæ filię congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.*

Hecate Luna dicitur, quod pro vno grano tritici cētum ferre cōsueuerat, siue etiam sic dicta est, quod Hecatombe, idest, centum hostiis placaretur.

B. V. minima sibi delata obsequia sinnumeris cō pensat gratiis.

B. V. est Terra bona, quæ à nobis cul eâ fert fructu centuplum.

114. Vnde Venerabilis Rhicardus à S. Laur. libr. 4. de laud. B. V. præclarè pronunciauit: *Maria est thesaurus, quia in ea, vt in gazophilatio omnia Dominus reposuit gratiarum dona, meritorum, virtutum, & prærogatiuarum, munerum, ac charismatum, & de hoc Thesauro largitur ipse larga stipendia suis militibus, ac operarijs. Diuitiæ porrò hæc sunt huiusmodi, quæ addunt amicos plurimos, vt dicitur Prou. 19. DEVM scilicet, Angelos, & homines sanctos. Hanc ob causam infinitus hic dicitur Thesaurus hominibus, quo qui vti sunt, operantes secundum consilium eius, & exempla, omnia ad eius gloriam, & honorem dirigendo, participes facti sunt amicitiæ Dei. Ipsa enim dicit: Qui diligit me, diligetur à Patre, & filio meo.* Ita Richar.

B. V. est Thesaurus, quia in illa velut in gazophilatio Deus reposuit oīa gratiarum dona.

115. Neque verò Virgo nostra tantas opes, & Naturę, & Gratiæ pro se sola retinet, verum pientissima liberalitate, ac munificentia nullo habito personarum discrimine prodigè quodammodo effūdit. Vnde Salomon Sap. 7. de ipsa loquens gloriabatur: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Quæ verba ponderans idē Richar. lib. 2. Partic. 3. *Intelligendum*, inquit, *hoc præcipuè de Donis gratuitis, quæ vera bona sunt.* Hæc enim veniunt à Deo bonorum omnium largitore qui, *quicquid boni dat creaturis suis, per Manus Matris Virginis vult transire. Verè enim innumerabilis honestas, variæ videlicet virtutes, veniunt per manus illius. nam ipsa aperiente manum suam, omnia implentur benedictione. Cultor igitur Virgineæ huius Hecates pro suis exiguis ipsi delatis obsequijs non modo centumplum, siue centum dona gratiæ, cælique munera accipiet, verumetiam innumerabilem honestatem, virtutes pene infinitas, quæ vera sunt animorum nostrorum Honestas, pulchritudo, decus, ac gloria.*

Bona gratię, vera bona sunt.

Omnia bona gratiæ per manus Mariæ vult Deus trāsire.

116. Quanto porrò Virginis nostræ liberalitas, à qua centuplum, imo infinitum quid expectare possumus, colligendum omnino videtur ex magnitudine eius gratiæ, ac misericordiæ, quæ prout ad Diuinam Maternitatem fuerunt dispositiones secundum S. Anselmum, Bonauenturam, ac Bernardum, fuerunt etiam infinitæ, ac immensæ, immensam quoque eius liberalitatem, charitatemque esse oportebit. *Quis*, inquit mellifluus Doctor serm. 4. de Assumpt. *misericordiæ tuæ, ò Benedicta, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? Nam longitudo eius, vsque in diem nouissimum inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra. sic & sublimitas eius, Ciuitatis supernæ inuenit restaurationem; & profundum eius sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cęlum repletum est, infernus euacuatus, instauratæ ruinæ cęlestis Ierusalem, expectantibus miseris vita perdita data. sic potentissima, & piissima charitas, & affectu compatiendi, & subueniendi abundat effectu, æquè locuples in vtroque.* Hactenus Bernardus.

Misericordię B. V. longitudo latitudo, sublimitas ac profundum penè immēsa.

Cum B. V. pietas ac misericordia pene sit immensa, immensa quoq. erit ipsius liberalitas.

117. Cùm igitur Misericordia ac pietas hæc Virginea adeo immensa, adeo interminabilis sit, & liberalitas quoque Deiparæ à pietate dimanans infinita sit oportet, nosque eius clientulos, infinitis donis, gratijsque locupletari. Vnde iam sæpius memoratus Richardus libro 4. *De largitate, & Misericordia Mariæ*, inquit, *congruè potest dici, quod cum ipsa sit summè diues, summè etiam liberalis, constat quoque quod summè larga, & misericors sit, implens illud Tobiæ 4. Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundãter tribue.* Et Sap. 11. DEVM alloquens Salomon, *Misereris omnium, quia omnia potes. Maria vera est vnica Filij imitatrix, vnde sicut ille ascendens in altum dedit dona hominibus, ita illa, ex quo ascendit in cælum, dabit, & ipsa dona hominibus, siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cælorum est, potens est. Vnde dicimus ei; Salue Regina misericordiæ; commemorantes quod possit tanquam Regina, & velit tanquam misericors nos iuuare, Securè quidem intrandum in illam curiam, vbi porta aperta est, & intrantes nullus arcet ostiarius, nullus cubicularius excludit, vbi omnes ciues ciuitatis illius vota nostra suscipiunt. Clamandum est igitur iugiter ad Reginam misericordiæ, quia sicut dicit B. Bernardus: Merito non exauditur qui clamare dissimulat. Regina siquidem solet esse munifica, larga, & liberalis, Nec solum est Regina misericordiæ quoad potentiam miserendi, verumetiam est Mater misericordiæ, & appellatur quoad affectum miserendi, libentius creaturis Filij sui misericordiam exhibens, quam aliqua Mater filijs vteri sui. Vnde ipsius illæ sunt voces apud Isaiã cap. 49. Nunquid potest mulier obliuisci infantẽ suum, vt non misereatur filio vteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar.* Hactenus Rich. qui ex omnipotentiâ, & misericordiâ infinitâ Virginis, largitatis eiusdem, ac munificentiæ quæ, tanquam riuus à fonte, dimanat, infinitatem immensitatemque metitur.

B. V. quia omnia põt summè est liberalis.

B. V. tanquã generosa ac munificẽtissima Regina non tã quid nos accipere, quã quid se dare deceat, considerare solet.

118. Quod si ita est non iam centuplo, vti diximus, verum infinitate quadam, ac immensitate beneficiorum Virgo, pietatis nostræ in se officia compensabit. Hæc enim, tanquam generosa munificentissimaque Regina, non tam quid nos accipere, quam quid se dare deceat considerare assueuit. Sane Magnus ille Rex Alexander Macedo, vt scribit Plut. in Apopht. Regum ac Imp. cum Perillus eius amicus dotem filiabus postulasset, & ipse, quâ erat munificentiâ, quinquaginta talenta eum accipere iussisset, & modestè Perillus responderet, *decem satis esse: Tibi quidem, intulit Rex, accipere, sed mihi nequaquam satis est dare.* Talis est Virgo nostra erga suos fideles amicos, ac clientulos, quia Regina potens, & misericors Mater est, minima nostra obsequia, non centuplo, sed immensitate quadam, ac innumerabilitate gratiarum, donorumque, etiam non postulata compensat, nec tã ad nostra merita, quam ad suam pietatem immensam attendit.

Alexandri Magni liberalitas.

119. Quod si etiam infinita quædam ab illa exposceremus beneficia, lubens volensque nostris postulationibus acquiesceret, Regiamque cuiuscunque tandem Monarchæ liberalitatẽ, atque adeo iam memorati Alexandri superaret, qui cum aliquando Anaxarcho Philosophorum sapientissimo dispensatorem iussisset dare quantum petijsset, & dispensator retulisset illum talenta centum petere, mirâ animi generositate, petitionem eius comprobauit: *Bene*, inquiens, *facit, cum sciat se amicum habere, qui tot elargiri, & possit, & velit.* Hinc est quod aliquando filium suum, Thesaurum illum cælorum preciosum æquè, atque infinitum varijs sibi deuotis, vt Hermanno Ioseph cognominato, B. Conrado de Ophida, B. Stanislao Kotschæ Societatis nostræ, S. Agnete de Monte Puliciano, B. Bonauenturæ, Luciæ Narniensi, & alteri cuidam Virgini amore huius cælestis Spõsi captæ, vltro ad infinitam illam suam contestãdam liberalitatem obtulerit; ostendendo reuera se amicam nostram huiusmodi esse, quæ non tantum centuplum, sed etiam infinitum, & elargiri possit, & velit.

B. V. in Imaginibus nobis repræsentatur filium vlnis gestãs, vt indicetur eius promptitudo in illo nobis communicando.

120. Hinc Richardus à S. Laur. libro 2. Part. 1. Ideo ait Virginem paruulum suũ vlnis gestantem nobis repræsentari, vt intelligamus illam semper paratam esse, ac promptam Thesaurum hunc infinitũ nobis communicare. Cum enim causas varias cur Deiparæ seruiendum sit, attulisset, inter cæteras trigesimam octauam hanc posuit: *Quia gloriosofructu ventris sui remunerabit seruos suos. Vnde in suis imaginibus pingitur Filium tenens quasi ad dandum illũ seruitoribus suis, cùm ipsa operariorum vineæ sit propagatrix, quibus tanquam Filij, non alias merces debetur, quam Filius, vt canit Dauid Psalm. 126. Filij merces, Fructus ventris, IESVS scilicet benedictus. Quæ merces quanta sit, quamque infinita, ipsa eam commendat, vt pro ipsa habenda, atque acquirenda ei auidius atque alacrius seruiatur. Melior est, inquit illa, fructus meus auro, & lapide precioso, & genimina mea argento electo. Quare quasi assiduè illi dicendũ est; Benedictus fructus ventris tui. De te enim* valdè

Fructus ventri Virginalis preciosior auro & argento, & lapide precioso, quia est Deus infinitus.

valdè commendata, ac laudata non per adulationem, sed veritatem, libenter communicare consueuerunt illi, ad quos pertinet suis commendatoribus, vt si quis bonum vinum collaudat, de illo amplius quam quisquam alius apud amicum participabit. Sic ille.

121. Hic nimirum Virginei Ventris fructus IESVS Dominus noster est merces illa magna nimis, quæ Abrahamo promissa fuit diuinitus, dicente hoc Domino: *Ego ero merces tua magna nimis* Gen. 15. 1. Hanc mercedem non centuplam, sed infinitam esse sciens Angelicus Doctor, cum ei aliquando hic idem pedens de Cruce Domin' dixisset: *Bene de me scripsisti Thoma, quam ergo mercedē habebis?* magnâ fide respondisse fertur: *Non aliam, quam te Domine.* Cum ergo Hecate hęc nostra filium suum nobis offert, non offert centuplum, sed mercedem magnam nimis, mercedem infinitam, infinitum Dei filium, quo nil preciosius nec cælorum, nec terrarum ambitu continetur.

S. Thomas ab laborē in scribendo postulauit ipsum Iesum mercedem infinitam.

122. An non Hecatem, quæ pro vnô centum elargitur, se Virgo nostra Deipara exhibuit Iudææ illi Segobiensi, de qua habetur in libro, qui Fortalitium fidei inscribitur lib. 3. de Bello Iudæorum Mirabili. 9. Hæc licet in sua defixa esset perfidia, ardebat tamen occultus aliquis in eius corde igniculus pietatis erga Virginem. Vnde cum maritus eam adulterij apud Iudices insimulasset, & ipsi eam arbitrio ipsius mulctandam, nempe ouem lupo permisissent; Eduxit mox illam extra ciuitatem trucidaturus, quam plurimis ad triste hoc spectaculum concurrentibus. Illa vbi male secum agi animaduertit; Virgini sese, grandi spe, ac deuotione commendat, votumque facit se Christianæ fidei sacra suscepturam, si ab illo periculo liberaretur, simulque hilaris, ad quamcunque pœnam subeundam progreditur paratissima: Maritus tandē vbi ad designatum à se locum peruenisset, eam barbaro plane impetu de cuiusdam altissimæ rupis supercilio in subiectam vallem deturbauit. Verum, ope misericordiæ Matris; quæ vota eius surdâ aure minimè pertransiuit, nullam læsionem passa est. Ipsa enim tanto in discrimine ei se visendā exhibuit: proprijsque subiectis manibus eam benignissimè excepit, & saluam, incolumemque cum omnium spectatorum admiratione, ac stupore conseruauit. O' quam benè huic aptari potest id, quod Dauid cecinit: *Cum ceciderit, non collidetur, quia Domina supponit manum suam.* Deducta est postea ad Templum Diuæ Virginis, magna populi, DEVM Matremque eius laudantis frequentiâ, moxque sacro latice tincta, *Maria Maris altos*, nomen accepit, eo quod auxilio Mariæ à tali saltu liberata fuerit. Vixit hæc postea summâ cum religione, ac in Deiparam Virginem pietate, & deuotione, ab illaque innumeris virtutibus ac donis, præsertim verò Prophetiæ Spiritu ornari meruit. Et tandem tot tantisque Dei muneribus per manus Virginis ipsi distributis locupletata, experta est Deiparam Reginam potentem, ac simul Matrem misericordiæ esse, quæ, & possit, & velit etiam, pro tenui obsequio vnius inuocationis, vim suæ miserationis in omnes, nullo personarum, an barbarus sit, an Scytha, an Græcus, an Hebręus, habito discrimine profundere. Proinde nunquam silenda, sed summis semper laudum preconijs misericordia Virginis, vti fecit dum vixit, hæc Hebræa, in cælum vsque extollenda est, vt in vltima illa vitę catastrophe tantę pietatis in nobis exergiam experiamur, quemadmodum illa experiri meruit. Intellexisse nimirum visa est pronunciatum illud Bern. serm. 4. de Assumpt. *Sileat misericordiam tuam Virgo Beata, si quis est, qui inuocantem te, in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse.*

Mulier Hebræa erga B. V. affecta, ab interitu, quē maritus ei intentabat eripitur, ope B. V.

Iudæa ex altissima rupe à marito deturbata, illæsa persistit auxilio B. V.

123. Hecatem, pro vnô centuplum reddentem Virginem nostram expertus est hoc nostro etiam sæculo Anno 1608. Martinus Gutrix Comburgensis Lutheranæ Hæresis labe infectus. Hic dum cuidam Domino Catholico famularetur, eique esset Amanuensis, lethali cōflictatus morbo ad se Forueriu Episcopi Bambergensi suffraganeum ac concionatorem euocat. Obstabant Hæretici, se ministrum suæ farinæ aduocaturos obgannientes. At ille non alium quam Catholicum, & illum quidem iam nominatum se omnino respondet. Itaque Catholici domestici ipso die immaculatæ Conceptionis Virgini sacro Foruerium arcessunt. Adfuit ille, reperitque Comburgenses aliquot Ciues à Ministris, & à Saxoniæ tunc Duce Casimiro submissos, qui exhæredationis, aliarumque pœnarū minis intentatis contendebant acriter, ne Papista fieret. At ille constanter respondet, se terrenam hæreditatem flocci, nihilique facere, cælestem mox initurus. Tum à Foruerio interrogatus, cur tanto arderet Catholicæ Religionis desiderio? disertè subintulit, sibi hac nocte quæ diem Conceptionis Deiparæ subsecuta est, eam sibi multâ luce radiantem adstitisse,

Lutheranus ope B. V. ad fidem Catholicā conuertitur.

B. V. Luthetano multa luce circumfusa apparet, eique suadet vt fiat Catholicus, quia eam sæpius salutasset.

tisse, hisq; verbis benignissimè compellasse: *Quia me sępè deuotè salutasti, en venio ad te, et moneo, vt quia instat obitus tuus, in gremiū Sanctæ Ecclesiæ te recipi cures, confitearis, & communices; nocte enim Natiuitatis filij mei, illa ipsa horâ, quâ exiȳt visceribus meis, veniam ad te, teque abducam ad gaudia cælestia*. Tantam, tamque effusam Matris Misericordiæ Foruerius admiratus erga hominem hæreticum, pietatis viscera, obrogare pergit; *Cum ex hęreticorum sis numero, qui Deiparam non honorant, imo aspernantur, quibus tu obsequijs tantam ab ea gratiam promeritus es?* Cui Martinus: *Ego*, inquit, *à te edoctus in concione, quam cum Domino meo Catholico frequentabam, quantopere sit Mater Dei honoranda, & quam ei grata Angelica sit salutatio, ex eo tempore septies mane, totidemque vicibus vesperi nixus genibus Dei Matrem salutaui*. An non hic Virgo se Hecatem ostēdit, quæ pro tam modico obsequio tam grande centuplum agnitionis Catholicę fidei ei impertiri dignata est? Hic igitur omnibus munitus sacramentis, Natiuitatis Christi Domini nocte illa felicissima, qua mūdo perdito salus exorta est, salutem cōsecutus, vt ei prædixerat Prophetis Virginea, ex hac vita mortali, terrenâ proculcatâ hæreditate, ad vitam, hæreditatemque immortalem commigrauit felicissimè. Cuius fælicitatis, clarissi ma à sua morte in eius corpore cōspecta sunt argumenta. Mansit enim mira quædam in ipsius vultu hilaritas, fuitque colore viuido, & formosior longè, quam dum viueret, vt refert noster P. Antonius Balinghen in Kalend. B. V. 8. Decembr. ex ipsius Foruerij suffraganei litteris. En vt rursus Virginea Hecate nostra pro vno salutationis sibi exhibito obsequio centuplum imo infinitum æuiternæ salutis, beatitatisque præmium tā mirá pietatis significatione elargiri non est dedignata.

Lutheranus B. V. mane ac vespere septies salutationibus Angelicis veneratur, & ad fidem conuertitur.

Fæliciter moritur in festo Natiuitatis Christi.

124. Quod si Hecatem hāc sic dictam, vt idem censet Natalis Comes, quod centum obeat munia in Naturæ negotijs, consideremus, inueniemus sanè Deiparam nostram longè præstantiorem Hecatem esse, siquidem non modo in Naturæ, verumetiam in Gratiæ negotijs centum, imo mille munia, solicitudine planè admirabili, pro salute, incolumitateque mortalium obire consueuit. Adeo vt quod de Luctificâ, funestaque Alecto ad pessundandum genus humanum natâ, cecinit Virgilius Aeneid. libro 7.

Hecate dicitur quod cētum munia in Naturæ negotiis obeat.

Tibi nomina mille.
Mille nocendi artes.

vice versa in contrarium, de amantissima generis nostri Virgine possimus dicere;

Tibi nomina mille
Mille iuuandi artes.

Vnde & hanc ob causam à S. Epiph. libr. de laud. B. V. Virgo *multorum Nominum, ac multiocula vocitata est.*

B. V. ad nos iuuandos mille habet artes.

125. Atque, vt reliqua huius Virginis nomina, quæ innumera sunt, missa faciamus, Sane dum Sancti Patres Deiparam Mediatricem inter DEVM, & homines, ac Generis humani aduocatam appellant, centum, imò mille in Naturę, Gratiæque negotijs eam munia obire, compendio quodam, fateri voluerunt. Obit enim in primis officium amicę charissimæ, dum charitate amplissimâ nos complectens, bona nostra sua arbitrās, summo affectu pro nobis patrocinatur apud filium. Obit officium sororis dum nobis tanquam si sanguis, & caro eius omnes essemus, pro nobis interpellat. Obit officium amantissimæ Matris, dum nos tāquam filios suæ pietatis lacte nutrit; vt verè illi abstracti à terrenarum cupiditatum vino, quod hominem inebriat ac dementat, dicere possimus: *Meliora sunt Vbera tua vino. Cant. 1. Obit officiū Nutricis, dum nos sinu suo fouet, vlnis quodāmodo suis gestat, dum nobis gratiam, ne in peccata prolabamur, impetrat; adeo vt suum dilectissimum imitata filium dicere merito possit: Ego, quasi Nutritia Ephraim, portabam eos in humeris meis;* Obit officium vinearum custodis, dum animas nostras velut vineas, ne singularis ille Tartari ferus eas depascatur, præsidio suo munit ac custodit, memor enim est, hoc officium à Diuinissimis illis augustissimæ Triadis Personis sibi demandatum esse. Vnde dicit: *Posuerunt me custodem in vineis.* Cant. 1. Obit denique, vt infinita alia ipsius munia missa faciam, officium Pastricis, dum nos corpore sacratissimo filij sui, quod simul est & ipsius: (caro enim Christi est caro Mariæ ait S. Augustinus, & Arnoldus Carnotensis:) nutrit, ac pascit, nosque per sacrarum scripturarum prata, ex quibus verum sapidissimumque animarum nostrarum desumitur pabulū, quasi manu ducit, nobisque, iuxta Nominis sui Ethymō, Illuminatricem se exhibet, quo arcana earum penetrantes tanto copiosioribus animi delicijs perfruamur. Quod illa officium tanto maiori peragit cum alaritate, quanto magis, pro ingenitā sibi ingenij perspicuitate vim il-

B. V. dū agit pro nobis Mediatricem & Aduocatā apud filium centum imo mille obit pietatis munia.

B. V. obit vices sororis nostræ.

Matris.

Nutricis.

Vinearum custodis.

B. V. vices Pastricis obit dum nos carne filii sui, imo, & sua in Eucharistia pascit.

illius penetrat mandati: *Pasce hædos tuos*. Cant. 1.

126. Dum igitur Hecate Virgo nostra gloriosissima Mediatricis, & Aduocatæ officio fungitur, centum imo mille in Naturæ, & Gratiæ negotijs obit munera, nobisque tam ea, quæ ad corporis incolumitatem, commodum, & necessitatem spectant, quam ea, quæ animi salutem, virtutumque profectum, gratiarumque omnium cælestium incrementum concernunt fidelissimis suis patrocinijs impetrat. Quare à Sancto Bernardo iure merito *Negotium sæculorum omnium est appellata, quia omnibus retro sæculis humani generis negotia, tam quæ ad Gratiæ, quam, quæ ad Naturæ ordinem pertinent, ita sedulè in cæli curia pertractauit, vt ipsum omnium sæculorum Negotium videretur*. Vnde idem mellifluus Doctor serm. 1. de Assumpt. totus gaudio plenus, intelligens Deiparam in cælum ad negotia nostra pertractanda tanquam Aduocatam profectam, edixit: *Præcessit nos Regina nostra, præcessit, & tam gloriosè suscepta est, vt fiducialiter sequantur Dominam seruuli clamantes. Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordiæ, suppliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia, pertractabit*. Hanc ob causam crediderim eam à Doctore Seraphico in spec. cap. 7. *Consistorium, & domum causarum dictam, quod per eius manus omnes generis humani causæ criminales, quibus sæpius plurimorum scelerum rei, coram supremo illo tribunali sistimur, transeant*. Hinc in Synodo Chalcedonensi Definit. 2. *Maria Theotocos, id est, Mater Dei, seu Negotiatio Dei vocitatur; Quasi ipsa non modo sit generis humani, eiusdemque salutis Negotium, verumetiam ipsa ad DEVM Negotiatio, eũ curialissimè humana, omnia tam ad Naturam, quam ad Gratiam pertinentia Negotia pertractet*.

B.V Negotiũ sæculorum omnium dicta, quod omnibus retro sæculis negotia nostra apud Deum tractauerit.

V.V. Consistorium, & Domus Causarum.

B.V. Negotiatio Dei cur dicta sit?

127. Ideo S. Bernardinus Senensis to. 1. serm. 52. de Virgine nostra loquens: *Curialissima*, inquit, *fuit Regina. Sed omnium sapientissimè vt arbitror B. Ioannes Geometra de illa sensit, dum Mariam Ius Ciuile, & Ius dirimens lites appellauit. Ipsa enim est viua quædam, atque animata lex; & ob incredibilem, Diuinissimamque suam Sapientiam compendiũ legum omnium, quas siue Imperatores sapientissimi, siue Iurisconsulti ad lites, siue ciuiles, siue criminales dirimendas sanciuerunt*. Quo indicatur nobis Mariam quoddam Ius animatum esse, secundum quod à supremo Iudice eius filio iudicamur, quod ius cum plenissimum sit Misericordiâ, siquidem ipsa Mater, & Regina misericordiæ est, misericorditer sane à filio iudicemur, necesse est; Quis igitur de sua quãuis mala, & iniqua diffidat causa, cum viuum hoc Ius ciuile dirimẽs lites, adeo misericordiâ plenũ habeat; & ipsa adeo prudens, adeo sapiens sit Aduocata, quæ causam nostram, licet iniustam facere possit iustam, vt ait S. Antoninus, & B. Albertus Magnus? Certè Pelbartus libr. 12. stell. P. 2. art. 3. vnumquemque nostrum securè accedere posse ad Virginẽ, tanquam ad nostram Aduocatam fidelissimam in salutis nostræ causa, asserit; siquidem omnes in illa Aduocati conditiones, maiori longè cum eminentia reperire est. *Sicut enim Aduocatus, secundum iura*, inquit ille, *eorum causam tueri tenetur, quorum est Aduocatus, fideliterque suam aduocationem, procurationisque officium exequi, vt ex iure tam Canonico quã ciuili patet: Sic Maria Aduocata nostra in salutis nostræ causa, tam fideliter procurat, peccatoremque ad se conuersum non deserit, quousque ipsum Deo reconciliet*. Hæc Pelbar.

B.V. Ius Ciuile, & Ius dirimẽs lites appellata.

B.V. ob sapientiam sũma est compendium legum omniũ.

B.V. est Ius Ciuile misericordia plenum.

In B.V. sunt omnes boni Aduocati conditiones.

128. Quid tandem de Aduocatæ huiuscé nostræ centum munia obeuntis in Naturæ, Gratiæque negotijs dicemus omnipotentiâ, ac solicitudine? Sane S. Bonau. in spec. c. 6. Hanc mirificam, ac singularem in salutis nostræ tractandis negotijs agnoscens, præclarè asseruit: *Mariæ priuilegium est, quod ipsa, super omnem creaturam apud DEVM potentissima est. Vnde Augustinus: Impetra quod rogamus, excusa quod timemus, quia nec potiorem meritis inuenimus, quam te, quæ meruisti existere Mater eiusdem Redemptoris, ac Iudicis. Sed quid tanta Mariæ potentia prodesset nobis, si ipsa nihil curaret de nobis? Propter hoc sciamus indubitanter, & pro hoc gratias agamus incessanter, quia sicut ipsa apud Deum est sanctis omnibus potẽtior, ita quoque pro nobis apud DEVM est omnibus sanctis solititior, eodem Doctore Augustino attestante, qui ait: Te solam ò Maria pro Sancta Ecclesia solicitam præ omnibus sanctis scimus, quæ impetras inducias transgressoribus, vt renuncient suis erroribus*. Sic ille.

B.V. Aduocata nostra potens, ac solicita.

129. Potentiam hanc Virginis piæ solicitudini copulatam in iuuandis, conuertẽdisque peccatoribus, etiam desperatis expressisse visa est mulier illa Ruth, quæ spicas à messoribus in agro relictas colligebat. Quod factum contemplans idem S. Bonauentura iam memoratus cap. 5. in spec. ita loquitur: *Ruth in oculis Booz, Maria in oculis Domini hanc gratiam inuenit, vt ipsa spicas, id est animas à messoribus derelictas, colligere ad veniam possit. Qui sunt messo-*

Solicitudo B.V. pro peccatoribus etiam desperatis.

messores nisi Doctores, & Rectores? O verè magna Mariæ gratia, qua multi ex vis, ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus, & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur. De hac erga peccatores, etiam desperatos, pia Virginis solicitudine, atque omnipotentia, qua ipsorum salutis iam desperatum pertractare consueuit negotium, præclarè mellifluus Doctor in or. ad B.V. eandem magna confidentiâ alloquens: *Attende Domina,* inquit, *& vide dolores vulnerum animarum nostrarum, qui tibi reuelamus causam nostram cum fiducia. Te in æstimabilis benignitatis fœminam, & venerandam Matrem esse agnoscimus ex eo, quod tu mundum hunc immundum, & lubricum, impolluto calle transysti, & adhuc inter peccatores degens, tanta apud DEVM sanctitate fueris fœcundata, vt sola solio Regis æterni immediatè approximare merueris. Tu peccatorem, quantumlibet fœtidum, non horres, non despicis, si ad te suspirauerit, tuumque interuentum, pœnitenti corde flagitauerit. Tu illum à desperationis Barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, foues, nec despicis quousque horrendo Iudici miserum reconcilies: Famosum huius tuę benignitatis testimonium est per te Theophilus restauratus gratiæ.* Sic Beru.

130. In quo sanè Virgo benignissima tanto, tamque arduo, imò desperato, salutis nostræ negotio se veram esse Lunam, siue Hecatem ostendit, dum tam tetræ, tamque profundæ peccatorũ nocti gratiæ suæ splendore affulgescit. Ad hoc enim potissimum videtur condita ad instar illius minoris luminaris, quod præest nocti Gen. 1. 16. Hic audiendus Hugo: *Luminare maius est Christus, qui præest diei, id est iustis: Luminare minus, est Maria, quę præest peccatoribus, vt videlicet illos illuminet, & à via erroris auocet, eisque licet indignis benefaciat.* Ideo Pulchra vt Luna dicitur; Quia, vt verissimè sapientissimeque dixit Hildebertus Epist. 16. *Pulchrum est benefacere vel indignis.*

B.V. Luminare minus quod præest peccatorib. vt illos illuminet.

Pulchrũ est benefacere vel indignis.

131. Neque vero Hecate hæc nostra in gratiæ, animæque nostræ negotijs centum munia obit, verum etiam in Naturæ, dum nos ob modica sibi delata obsequia à varijs corporis periculis in hac vita præseruat. Quod varijs comprobari posset exemplis, vnicum hic breuitatis causa ex antiquioribus commemorasse sufficiat de Saresberiensi Comite Guillelmo, de quo Reinaldus ad Annum Christi 1225. num. 37. *Præclarum,* inquit, *edidit Beatissima Virgo suę in eos, qui ipsius cultui addicti sunt singularis clientelę miraculum, cum Saresberiensem Comitem è medijs maris fluctibus eripuit. Causam porrò huius liberationis ait, ex Parisio fuisse Cereum, quem ipse die illa, qua primo donatus est cingulo militari ante altare beatissimę Matris Dei assignauit, vt ad missam, quę diebus singulis in honorem eiusdem Dei Genitricis cum horis Canonicis decantari solet, iugiter arderet, vt pro lumine temporali lucem commutaret æternam. Pro hoc igitur sat tenui erga B. V. obsequio audiamus ex eodem Parisio, quam insignem remunerationem acceperit:* Hic cum in partibus transmarinis militasset, in Angliam trãsiturus nauem conscendit. Sed cum longo maris periculo, & ventorum turbinibus, per dies noctesque plurimas iactaretur, cum ipsis nautis, & alijs omnibus, qui in naui erant, de vita desperans, annulos preciosos, & quæcumque in auro vel argento, aut preciosis vestibus possidebat, pelagi fluctibus commisit, vt sicut ad vitam temporalem nudus intrauit, ita ab omni honore terreno spoliatus ad patriam transiret æternam. Et cum in supremâ fuisset desperatione constitutus, visus est cereus ingens, & magno splendore coruscans ab omnibus, qui in naui periclitabantur in summitate mali, & iuxta Cereum stantem viderunt Puellam quãdam nimiâ pulchritudine decoratam, quæ lumen Cerei, quod nocturnas tenebras illustrabat, à ventorum, pluuiarumque irruentium vi inextinctum conseruaret. Ex hac cælestis claritatis visione, tam Comes ipse, quam nautæ, securitate cõcepta, diuinum sibi adesse auxilium confidebant. Et cum vniuersi, qui erant in naui, quid hæc visio portẽderet, ignorarent, solus Comes huius benignitatis gratiam B.M.V. assignauit, vtpotè quã ex patria discedens illo Cereo honorasset. En vt Hecate nostra pro modico sibi exhibito officio etiam Naturæ centum munia obit, vt nos à corporis etiam periculis solita sua benignitate tueatur.

B.V. etiam in Naturæ negotiis centũ obit munia, vt nos à corporis periculis tueatur.

B.V. Sarisberiensem Comitem è maris fluctibus eripit.

B.V. visa in malo nauis cum accenso Cereo quem Comes illi donauerat.

132. Similem quoque benignitatem Virginis in terra expertus est noster Pater Bartholomæus Bustamantius, qui Coninbricam proficiscens cum per quędam præcipitia iumento vectus, corruisset, tutelâ B.V. in abrupta rupe stetit incolumis. tunc enim salutandæ Virginis totus erat intentus; vnde, & ab ipsa in tam præsenti discrimine constitutus, salutem consequi, est promeritus, vt videre est in Hist. Societatis P. 3. lib. 6. n. 148. Ei vero insignis tanti Viri in Deiparam pietas protectionem hanc merebatur, de quo in eadem Historia hæc habentur;

Bartholom. Bustamãcius à B.V. magno periculo liberatur.

Reginę

Reginæ cæli obsequijs mirè erat addictus, cuius in honorem quicunque se locus offerret excitabat homines, & instituebat ad Rosarij obeundas preces; quas ipse quotidie coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, de genu semper quandocunque facultas suppeditauit, exegit. Preces has Rosarij persoluere potissimum docebat cum inter viam in agricolas, aut pastores incidisset. Diu exoptarat formulam precandi nãcisci, qua Virginis ab ipsamet Virgine obseruantiam postularet, tandemque S. Bonauenturam huiusmodi quadã vsum cum inuenisset, hanc & ipse lætus arripuit, ac sæpissimè vsurpans, cæteris auctor fuit vt frequentarent. Fuit autem huiusmodi: *Dulcissime Domine IESV dignare me infimum omnium peccatorum Sacratissimæ Virgini Matri tuæ reuerentiam debitam exhibere. Et tu clementissima Domina mea mihi indignissimo peccatori impetra, vt perfectè sim tuę deditus seruituti, & tibi omni tempore obsequar pura mente; & deuoto corde continuo tuæ benignitati assistam.* Concludit tandem Historiæ Auctor: Nec dubiũ quin vberrimos ex hoc cultu perceperit fructus. inter quos illam à tam præsenti periculo supra memorato numerat præseruationem; ex qua clarè intelligimus Virginem nostram, ob exigua sibi delata obsequia suos clientulos terra, marique tutari consueuisse, & in nobis varijs modis iuuandis Hecatem sese exhibere.

Modus orãdi B. V. quo Bustamãtius vsus est.

132. Quo in ministerio Deipara summam animi capit voluptatem, mortalibusque subuenire, videntur illi summæ esse deliciæ. Illius nimirum sunt voces illæ Prou. 8. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Quia dum affulgescit peccatoribus, & ab eorundem mente scelerum tenebras dispellit, rursus quodammodo in eis parit Christum, easdemque delicias in hoc eorum spirituali partu, sibi experiri videtur, quas in partu primogeniti filij IESV experta est. Hæc enim est mulier illa, quam Ioannes amictam sole, habentem in capite Coronam stellarum duodecim, quæ habens in vtero clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat, contemplatus. Apoc. 12. Dũ enim Christo parit peccatores, eosque Diuino lumini reluctantes videt, zelo animarum accensa cruciatur, clamat, arguit, increpat, obsecrat, internis inspirationibus, instat vt conuertantur; at verò vbi illos iam concepit, conuertit, membraque filij sui effecit; tunc nimirum iisdem propemodũ perfruitur delicijs, quibus, capite nostro nascente Christo, perfruita est. Hinc Thomas Bozius de signis Ecclesiæ lib. 9. cap. 6. Visionem illam Ioannis exponens ita loquitur: *Hanc mulierem esse Virginem Mariam, quæ Dei dono Christum peperit, & meritis Christi, Christum parit quotidie, interuentu precum suarum in mentibus humanis, vult Epiphanius, & alij.*

B.V. subuenire hominib. summas delicias experitur.

B.V. conuertendo peccatores videtur sentire gaudiũ quod in pariendo IESV experta est.

B V meritis filii in animabus fidelium parit quotidie Christum.

133. Cum igitur Virgo beatissima centum, imo mille munia obierit in pertractandis salutis nostræ, materna prorsus cum pietate, ac solicitudine, negotijs velut altera quædam Hecate, merita sane est Hecatomben; Vnde Hecaten etiam dictã supra retulit Natalis Comes, quod centum hostijs placari solita fuerit. Licet enim nullam in illa Diuinitatem, cui proprie hostiæ, sacrificiaque competũt, agnoscamus, nihilominus tamen quia Dei Mater est, & cultu Hyperduliæ, à tota Ecclesia adoratur, dignissima est in cuius honorem, & laudem nec non gratissimam, suauissimamque memoriam, Missarum Hecatombe celebretur, quo magis in dies singulos in nostris miserijs ac necessitatibus, varijsque, quæ in curiâ Cęlesti cum Deo habemus negotijs, piam, ac propitiam inueniamus.

B.V. cur Hecatombe Missarum in eius memoriam offerenda.

134. Hinc pios, deuotosque Virginis clientes reperire est complures, qui ad aliquam ab illa impetrandam gratiam sacrificiorum Missæ sacrosanctæ, vel audiendorum, vel faciendorum Hecatemben in eius honorem vouentes, compotes votorum suorum effici meruerunt. Quod sæpius minima hæc Societas calamitosis hiscè temporibus factitauit, & re ipsa fructum tantæ pietatis experta, cõperit, sicut sui initia, ac fundamenta debere se Deiparæ, quæ Ignatium Patriarcham nostrum ad omnem pietatem, religionemque efformauit, ita quoque sui toto terrarum orbe propagationem, incolumitatem, ac conseruationem.

Sacrificiorũ Missæ Hecatomben in B. V. memoriam offerre laudabile ẽ.

135. Non minus Deiparæ gratum cõsueuit esse sacrificium atque Hecatombe, cùm in eius honorem varia pietatis officia frequentius, vel saltem mensibus singulis exhibentur, vt cùm pauperibus, Christi dilectis membris, conuiuia apparantur, largioresque pro vnius cuiusque facultate eleemosynæ distribuuntur. Ita enim olim Athenienses in singulorũ mensium nouilunijs suæ Hecate gratificaturi, cęnam in triuijs ad pauperes reficiendos lautissimam exponebant. Hanc vbi egenorum vndique concurrentium turba deuorasset, Hecatem Triuiam absumpsisse sibi ipsi blandientes arbitrabantur, ab eaque noua in dies beneficia expectabant. De his pietatis in Deipa-

Singulis mẽsibus varia pietatis officia in honorem B.V. exhibenda.

Xxxxxx ram

ram obsequijs deferendis singulis annis, mensibus, diebus consulendus P. noster Iustinellus in Duce Angelico Part. 2. cap. 3.

136. His similia pietatis obsequia Diuæ Virgini Aduocatæ nostræ fidelissimæ, quæ in pertractandis centum salutis nostræ in curia cælesti negotijs occupata est, deferenda sunt obsequia quasi stipédia, quibus ipsa illecta, tam Naturæ, quã Gratiæ plura, ac plura dictim nobis impetrabit beneficia. Si enim sola pia salutatio, vti supra memoratũ est, adeo illam nobis propitiam reddit: quanto magis assidua misericordiæ opera quibus illa, dum vixit, fuit addictissima, cum in eis, membris filij charitas exhibeatur? quanto magis Missæ sacrificiorum Hecatombe, in quibus dilectissimi eius filij offertur sacratissimum corpus, & sanguis? Quare deuotissimus Richardus à S. Laur. libr. 2. de laud. B. V. cap. 1. cum præmisisset nos duos in cælis aduocatos habere apud Patrem, nempe Spiritum S. postulantem pro nobis gemitibus inenarrabilibus Rom. 8. Et filium qui ad dexteram Patris interpellat pro nobis, vt idem asseuerat Apostolus; mox attexuit: *Tertius Aduocatus est B. V. præcipuè coram Filio suo, qua nobis generaliter impetrat omne bonum, & Naturæ videlicet, & Gratiæ. Siquidem deerat nobis Aduocatus apud Filium antequam Maria nasceretur. Dixit autem Pater æternus: Non est bonum hominem esse solum Gen. 2. hoc est, non sufficit homini vnicus Aduocatus, ac Mediator, atque intercessor humani generis in cælo, cum tot, ac periculosas causas habeat coram me; Faciamus ei Adiutorium B. Virginem, quæ alleget pro genere humano coram Filio, sicut Filius coram me.* Vt ostendat porrò, quæ stipendia quasuè mercedes gratas siue, vt ita dicam, Sportulas offerre tam fideli Aduocatæ oporteat; hæc subiungit: *Huic autem tantæ Aduocatæ demus maximum salarium, gratiarum actionis, & salutationis, & huiusmod. De hac Aduocata narrauit quidam vir Sanctus, quod cum quidam Religiosi cantarent: Salue Regina misericordiæ; ad illa verba: Eia ergo Aduocata nostra, plures in spiritu vidisse Matrem Domini se coram Filio prosternentem, proque totius illius Ordinis conseruatione atque incolumitate deprecantem.* Sic Richard.

Operę misericordię in honorem B. V. exhibita eandē nobis propitiam reddunt.

Tres habemus Aduocatos in Cælo filiũ Dei, Spiritum S. & B. V.

B. V. est Adiutorium Christo ad interpellandum pro nobis.

137. Satis hactenus superque dictum de Luna, vt cælis, ac terræ imperat; tempus jam tandem, vt de eadem Hecate, prout Inferis dominatur, aliquid breuiter dicamus; siquidem multa varijs in locis vberius de hoc eius dominio, ac potestate supra pertractatum est. Dominium hoc Deiparę in primis potissimum in domanda Cacodæmonum potestate rabie, ac immanitate, ne humano generi pro libitu noceant, ac seducant, idque, quod illis summis in votis est, funditus euertant, ac pessundent, consistit. Deinde idem hoc Virginis nostrę pientissimę in inferos dominium, in animabus ex ipsis Orci faucibus reducendis, in qua sempiternam Beatitatem introducẽdis elucescit. Dominum hoc Deiparæ in Tartareis hostibus contra genus humanum sæuientibus frænandis, ne illud subuertant, & ad inferos æternum cruciandum detrudant, ostendit Aegidius Romanus Archiep. Bituric. in Expos. Salut. Angelicæ. Vbi Mariani Nominis explicans mysteria: *Hoc nomen Maria*, inquit, *post Nomen Filij sui, est, & dicitur Nomen super omne Nomen, ratione terribilitatis; quia sicut in Nomine terribili, & tremendo IESV eijciuntur Dæmonia, & aduersa omnia, vt ait ipse Mar. 16. In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferũ quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent, & benè habebunt: ita, & post hoc Nomen in Nomine B. M. V. omnia eijciuntur aduersa, neque aduersus eam portæ inferni stare possunt, cum ipsa inferni Principis caput (: per eum quem in corpore gessit:) contriuerit. De illa enim dictum est Gen. 2. Ipsa conteret caput tuum. Et ita terribile est hoc Nomen, vt Dæmones illud sustinere non possint, sed ipsum audiendo, cum tremore, & dolore clamant: Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Vnde paucis interpositis: *Dicitur*, inquit, *Dæmonibus Terribilis, ratione horroris, & terribilis aspectus; sicut dicitur suauis viatoribus, & pulchra vt Luna ratione dulcedinis: Electa vt sol comprehensoribus, ratione etiam dulcedinis.* Quibus verbis ostendit non modo horribilem ac formidandam esse Virginem Dæmonibus, verumetiam amarissimam, & amariorem longè Stellâ illâ de cælo lapsâ, quæ vocabatur Absinthium.

B. V. apud inferos dominium consistit in eorum reprimenda potestate, & animabus ex Orci faucib. reuocandis.

B. V. dicitur Dæmonibus terribilis, ratione horroris, & terribilis aspectus.

138. Sicut enim Virgo, velut stella matutina, suâ Diuina luce, qua totum orbẽ illuminat nimium quãtum est omnibus amabilis, dulcis, ac suauis; ita Tartareis hostibus hæc eadem stella, absinthio est amarior, adeo, vt præ amaritudine nimia horrende vluleut, frendeant, ac rixagantur. Hinc Nomen Maria, vt testatur S. Hieronymus, & alij sonat; *Amarum mare.* Quemadmodum enim Virgo beatissimis illis mentibus, ab omni carnis concretione liberis, alijsque sanctis est melle dulcior, manna sapidior; *Spiritus*

B. V. est Dæmonibus amarior quã stella, quæ vocatur Absinthium.

enim

enim meus, vt fatetur ipsa, *est super mel dulcis*, *& hæreditas mea super mel, & fauum*; adeo vt merito illi dixerit S. Bernardus orat. ad B. V. *Tu nunquam sine dulcedine diuinitus tibi insita memoriæ portas ingredieris*: sic Angelis illis Apostaticis, est amarum mare, amarius longè, quam fuerit illud rubrum Aegyptijs illis nigerrimis, ac teterrimis, quam fuerit Pharaoni, ipsiusque exercitibus, qui omnes in illo sub mersi sunt, descenderuntque in profundum quasi plumbum. Vnde Seraphicus Doctor cap. 3. in spec. *Considera charissimè*, inquit, *quod Maria est Mare amarū Diabolo, & Angelis eius per ipsam oppressis, quemadmodum mare rubrū amarum fuit Aegyptijs. O quam amara, & timenda est hec Maria Dæmonibus! Vnde B. Bernard. Non sic timent hostes visibiles, quamuis castrorum multitudinem copiosam, sicut aereę potestates Marię vocabulum, patrocinium, & exemplum, fluunt, & pereunt, sicut cera à facie ignis, vbicunque inueniunt crebram huius Nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem*.

B.V. Dæmonibus est amarum mare, sicut mare rubrum Aegyptiis.

Ad inuocationem Nominis B.V. Dæmones difluunt ad instar ceræ.

139. Quod si Nominis Mariani interpretationem sequamur, quam Diuus affert Epiphanius lib. de laud. B.V. vbi ait Nomen illud dulcissimum sonare Myrrham maris, colligemus sanè non modò Virginem nequissimis illis orci nebulonibus fælle, absinthio, amarissimoque mari amariorem esse, verumetiam illorum esse perniciem, præsentissimumque interitum. Vnde Seraphici Ordinis Bernardinus Bustius Par. 3. Marial. serm. 2. *flectunt Marię Nomini genua omnia infernalia, Dæmones videlicet, qui, velint nolint, illam adorant, & ad eius nominationem pauent, & tremunt*. Vnde S. Gerardus Episc. & Martyr ait: *Inuitè quoque infernus B. Marię vlulat, & procacissimi Demones clamant; illam videlicet suam esse perniciem, atque interitum*. Quemadmodum enim myrrha vermes interficit, sic Virgo Deipara serpentes infernales, velut vilissimos vermiculos, proterit, eorumdemque omnes vires elidit, ita vt ipsius fidis clientulis, qui sese ipsius obsequijs manciparunt, eique certum aliquod pietatis pēsum in dies persoluere cōsueuerunt, semper tutissimum contra ipsorum machinationes, insidiasque præsidium extiterit.

B.V. Nomen Myrrham maris sonat.

B.V. Myrrha est Demonibus, qui illos velut vermes perfundat, ac conterit.

140. Hæc Virgo denique locus est ille Acharonseis hostibus nimium quantum terribilis, in quo cum Sanctus Patriarcha Iacob nocte quadam suauissimè cōquieuisset, & scalæ cælum ipsum, vertice suo attingentes: (quæ typus erat ipsius Deiparæ:) visione, alloquioque Diuino esset recreatus, maneque de somno euigilasset, ait Gen. 28. 16. 17. *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*; pauensque nimium quantum sacro quodam horrore, ob loci tam eximiam sanctimoniam: *Quam terribilis est*, inquit, *locus iste, non est hic aliud nisi Domus Dei, & Porta cæli*. Quæ sanè omnia mirificè gloriosissimæ Virgini nostræ conueniunt. Ipsa enim est scala illa vti, dixi, per quam Angeli preces, supplicationesque nostras in cælum deferunt, vt nobis per illam diuinarum gratiarum munera communicent. *Illa verè scala est, cuius cacumen tam sublime est, vt ob meritorum super omnes Angelos, reliquosque sanctos eminentiam cælos ipsos attingat, & ad ipsius Diuinæ Maiestatis solium penetret, cum ea puritate nituerit. vt maior sub Deo nequeat intelligi*, vt loquitur S. Anselmus. Vnde ait Sacer textus; *Dominum fuisse innixum scalæ*. Quam ob causam B. Andr. Cretensis Episc. Virginem alloquens aiebat: *Quę solo Deo excepto, omnibus reliquis maior existis. cùm absque vllo medio interueniente Deo proxima, ipsum attingat. Verè Virgo nostra non modo locus sanctus, non modo scala cæli, verumetiam Domus Dei est, in qua velut in Regali quodam palatio, summus Regum omnium Rex, nouem mensibus corporaliter commoratus est*. Verè Porta cæli est, quia per illam ad genus humanum cælestes gratiæ exportantur, hominesque ipsius cultui addicti, nequicquam frendentibus Tartareis illis Tenebrionibus cælis ipsis eius manibus importantur. *Quam ob causam iure merito Virgo à Sanctissimo illo Patriarcha locus terribilis nuncupatur, vtpotè in quo lapis ille, quem capiti supposuerat, oleoque, erectum in titulum, liniuerat, repertus est, qui post quam de sanctissimo illo, Virgineoque loco, sine monte sine manibus virilis operationis abscissus, est omnem Sathanæ mundique potentiam, per immanem illum Colossum designatam, confregit, adeoque ipsius gloria, toto terrarum orbe, fuit amplificata. vt percussâ statuâ factus sit mons Magnus, & impleuerit vniuersam terram*, vt vaticinatus est Daniel cap. 2. *vti hodierna die, luce meridiana clarius perspicimus. Ob lapidem igitur hunc in Virgineo illo, sanctissimoque loco vteri Virginalis repertum, Virgo terribilis est Dæmonibus, eorumque coercet audaciam, vires omnes, roburque elidit*. Siquidem habet in se lapidem illum limpidissimum, qui fronti Goliæ illius Acherontei, Dæmonum omnium capitis infixus, eum prostrauit, caputque eiusdem contriuit.

B.V. Locus sacer Dæmonibus terribilis.

B.V. scala cęli per quam Angeli preces nostras ad cęlum deferunt, & inde gratias ad nos referūt.

B.V. solo Deo excepto, omnibus reliquis maior est.

B.V. Porta cæli per quā gratię ad homines exportantur, & eiusdem manibus cū iidem cælis importātur.

B.V. habuit in se lapidem illum, qui frontē Goliati percussit, eumque interemit.

141. Virginem porrò Deiparam locū esse Dæmonibus horribilem, vt porè, quæ à sponso terribilis, vt castrorū acies

ordinata prædicatur, testatur Venerabilis Richar. à S. Laur. libr. 10. de laud. B. V. *vbi* inquit ille: *Ipsa locus est terribilis Dæmonibus scilicet, & aereis Potestatibus. Vnde de illa dixit Iacob Gen. 28. Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi Domus Dei, & Porta cæli. Loci porrò huius sanctitatem, ob quam, eum Cacodæmones tantopere perhorrescunt, ita explicare* pergit idem Richardus: *Ipsa est locus ille, à Domino electus 2. Paral. 7. Elegi, & sanctificaui locum istum, vt sit Nomen meum ibi. Ipsa est locus sanctificationis nostræ expectatio Israel Ierem. 17. quia ipsa est Templum Dei, in quo Diuina mysteria celebrantur, per quæ sanctificantur ij, qui de peccatoribus fiunt iusti, & in ipsa illud sacramentum celebratum est, ex quo nostra sanctificatio processit, De quo 1. Timoth. 3. dicitur Magnum esse pietatis sacramentum; Incarnatio enim est pietatis sacramentum in Templo Vteri Virginalis celebratum. Ideo idem Vterus Mariæ locus dicitur sanctificationis totius humani generis. Ipsa quoque est Expectatio Israel, & gloria beatorum. Locus denique sanctificationis est Virgo, quia ad hoc illam Christus sanctificauit, vt posset mundare, & sanctificare nos. Recurre ergo ad eam quoties amiseris peccando sanctificationem tuam. Est etiam Maria locus pacis, de quo Psalm. 75. In pace factus est locus eius; In Maria siquidem pacifica tam Christus, quam tota Trinitas locum pacificum inuenit, cum ipsa Nobile Trinitatis triclinium sit, & appelletur. De loco hoc Virgineo canebat Aggæus cap. 2. In loco isto dabo pacem. Nam in vtero eius facta est pax inter DEVM, & homines per assumptum humanitatis Matrimonium. Quantis porro, qualibusque virtutibus locus hic fuerit exornatus, docet per Isaiam cap. 60. ita Dominus ad Virginem loquens; Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ. Locus hic sanctificationis, vti dixi fuit B. V. non solum, quia locum sanctificauit Dominus, velut suum tabernaculum Altissimus, sed etiam, quia ipse Dominus voluit ibi sanctificari.* Vnde ipse Ioann. 17. dicebat: Ego pro ipsis sanctifico meipsum. *Tunc porrò Buxus humilis arbor, & parua, Abies, & Pinus arbores excelsæ veniunt simul ad ornandum locum istum, quando ad Mariæ præconia extollenda, ita se extendunt, ac impendũt humiles, & parui; sicut sublimes & magni.* Hæc Richardus, quibus pulchrè sanè ostendit Deiparam non modo locũ esse sanctum, sanctitate creatâ, verumetiam increatâ filij Dei, itaque sanctificatam puramque redditam, vt omnibus Acheronteis phalangibus sit formidabilis; Vnde hac protegente homo quilibet aliquo pietatis officio illi addictus, adeo tutus, ac securus redditur, vt ei Tartareorum hostium insidiæ, quantumuis callidissimæ, nil penitus nocere possint.

B. V. locus à Deo sanctificatus.

Vterus B. V. locus sanctificationis totius humani generis.

In vtero B. V. facta pax inter Deum, & hominem.

Parui, & magni laudare debent atque ornare B. V.

142. Testis est Pelbartus de Temisuar lib. 12. Stell. Par. vltima in qua varias adferens vtilitates, quibus ij, qui Deiparæ seruiunt animitus, potiuntur; inter reliquas cap. 8. hanc affert; *quia Maria Dæmones fugat.* Idque comprobat cuiusdam Viri nobilis exemplo cultui ipsius deditissimi, qui inter reliqua quæ honori Virginis exhibere erat solitus, fuit pientissimæ illius orationis recitatio, qua nos, tã ipsi, quam Sancto Ioanni Euangelistæ eius filio commendamus, cuius est initium: O' intemerata, & in æternum benedicta Virgo Maria. Inuidit humani generis hostis tantam Viro huic in hoc mundo fælicitatem. *Itaque in assumpto corpore damnati hominis, sese ad illi seruiendum offert. Acceptat eius seruitutem herus, cumque successu temporis admodum industrium animaduertens, cuidam Nosocomio, à se magnis sumptibus ædificato præficit, eique pauperum, veluti membrorum Christi diligentem curam commendat.* Obsequitur nimirum ille promptè, atque hilariter, itaque pauperũ illorũ se impendit obsequijs, vt omnibus esset admirationi, nequirentque sufficienter tam exactam ipsius circa domum illam solicitudinem deprædicare. Accidit interea, vt quidam ex infirmis pisces appeterent, cum alijs cibis vesci nequirent. Mox Dominus, qua erat in pauperes illos pietate, datâ pecuniâ, iubet in foro pisces perquiri, quibus minimè inuentis, ipse cum famulo illo Tartareo nauiculã conscendit, cum ipso piscaturus. & en teterrimi nebulonis vafriciem, dum nauicula est à littore sat procul remota, eã subuertere nititur, sed frustra. Virgo enim clementissima cælitus, candidissimo demisso funiculo, adeo nauiculam totam circumdedit, firmauitque, vt vires omnes nequissimi Spiritus licet validissimæ, irritæ ceciderint. Neq; hic insidiæ callidissimi stitere Veteratoris, die quadam refert Domino infirmos esse aliquos, qui ferinas carnes appeterent; mox ille pro sua in infirmos illos charitate omnia ad venationem necessaria apparari iubet, comitatur laruatus Cacodæmon ad venationem & ipse armatus herum. Verum ille specie feras configendi, in solum Dominum dirigebat sagittas, quibus illico Virgo beniguissima, vtpote omnium in illam sperantiũ Clypeus, Clypeum quendam pulcherrimum

Orationis ad B. V. & S. Ioannem Euangelistam vtilitas.

Dæmõ specie hominis se cuidam nobili ad seruiendum offert.

Dæmon volebat piscatorem in mari demergere tentat, sed B. V. vetat.

op-

opponebat clientemque suum illæsum, nequiquam fremente Cacodæmone cõseruauit. Tandem admirabili Dei, eiusque Matris prouidentiâ factum, vt technę nequissimi stygijque huius Sinonis aperirentur. Inuitat die quadam Dominus ille, Episcopum quendam sanctimoniæ laude celebrem, eundemque honoris causa ad inuisendum Hospitale suum deducit. Benignè Antistes omnes qui ibi erant inuisit, salutatque. *At vbi ad laruatum illum accessit Cacodæmonem, diuinâ reuelatione monitus, agnoscit eius technas, fraudesque, moxque eum adiurat, in virtute nominis IESV fateatur cur illuc venerit, quid facturus ibidem permanserit?* Hic Coluber tortuosus sese torquere, ac gyrare in varias partes, fremere, ac horrendum sibilare cæpit, tandemque veritatem fateri coactus ait, se Dæmonem esse Principis tenebrarum socium, illuc ideo missum in primis, vt infirmos vsu Sacramentorum confessionis, atque suggestionibus subinde prohiberet, quod tamen neutiquam sibi successisse fatebatur vires eius, imminuẽte Deiparâ. *Deinde vt Virum illum nobilem ipsius operibus admodum contrarium, Matrisque IESV fidelem seruum, vitâ priuaret, quod etiam se facere nequiuisse dixit, tam in fluuio, funiculo illo à Virgine cœlitus nauim firmante, quam in venatione eadem Deiparâ telis suis aureum clypeum opponente, & nimium quantum ipsi patrocinante, eo quod, illâ iam memorata oratione diebus singulis eiusdem patrocinium imploraret.* His recensitis Cacodæmõ, putidissimo relicto fœtore fremens, frendensque disparuit, omnesque illi pauperes illius Nosocomij tantam Virginis benignitatem admirantes, mirificè ipsius laudes deprædicarunt.

Oratione ad B.V. & ad S. Ioannem Euangelistã vires omnes Dæmonis eliduntur.

143. Testis est Virginei huiuscè patrocinij, vires Cacodæmonis imminuentis Adolescens quidam, de quo idem Pelbartus. Hic cum mortuis parentibus ad instar filij prodigi, genio, lusui, ac libini effrænatè indulsisset, totumque patrimonium dissipasset, tandem ad extremam paupertatem redactus, incidit in quendam suæ farinæ socium, qui ipsius miseratus sortem, promisit se effecturum apud suum Dominum, cui seruiebat, vt locupletaretur, si eidem se seruiturum polliceretur. Exhilaratus iuuenis, obrogauit equidnam Dominus ille à se esset postulaturus seruitij? Tum socius, vnico verbo opus esse, si votorum compos fieri vellet. Itaque in syluam quandam vna proficiscuntur, quam vix ingressi, mox adfuit Cacodæmon, deque vtriusque primum aduentu gratulatus, sciscitatur, quidnam à se postularent? Cum causam sui in illam syluam aduentus ordine exposuissent, intulit infernalis Veterator; *Vos Christiani dum nostram opem exposcitis, mira pollicemini, vbi verò locupletati estis, pacta nobiscum inita nulla seruatis, sed dorsum nobis obuertitis. paucis igitur: Cupis auxilium nostrum experiri, abnega Mariam Matrem Dei, eiusque patrocinio, si locupletari desideras, abrenuncia.* Tam iniquâ Iuuenis postulatione conditioneque perculsus, licet omnibus sceleribus esset coopertus, more tamen sibi consueto in illam precatiunculam ad Virginem clamando prorupit: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Qua auditâ velut horribili ictu fulmine cõterritus nequam ille Spiritus furore plenus, cum in adolescentem cultui Deiparæ deditum sæuire, superiori vi esset prohibitus, in socium fremens frendensque, iustissimo Dei iudicio, eundem præfocauit, & ad æternos illos inferorum rogos secum detraxit. Tam atroci viso spectaculo nimirum iuuenis totus cohorruit, rediensque ad ciuitatem horrore plenus proximum Templum ingressus, coram Virginis Deiparę ara prostratus anteactæ vitæ licentiam, sceleraque cum lacrymis detestatur, eiusdemque contra malignos Spiritus opem implorat. Dum hæc agit, visa est Diuæ Virginis effigies assurgere, eidemque benignè caput inclinare; hoc signo illi demonstrans sibi gratissimam eius fidelitatem aduersus Tartareum hostem extitisse. Neque verò Deipara pro ingenitâ sibi facilitate, se beneuolentiâ superari passa fuit. Breui enim tempore multis diuitijs ipsum locupletauit, inque pristinum statũ, summa ciuitatis illius admiratione, ac suarum Virginearum laudum prædicatione restituit.

Adolescens ad paupertatẽ redactus, à Dęmone tẽtatus vt B. V. cultui renũciet, si locupletari desiderat.

Adolescens auxilium B. V. implorans insidias Dæmonis euadit.

In socium Dęmon sęuit eumque pręfocat, & ad Inferos detrudit.

B.V. fidelem sibi clientulũ diuitijs auget.

144. Ex his clarè perspicere licet Virginem Deiparam summum terrorem, acerbissimumque flagellum Dæmonum esse, cuius humilitatis, Virgineæque fœcũditatis, velut geminis quibusdam pedibus, sicut ipsorũ caput, in primo eius immaculatæ Conceptionis instanti cõtritum est; ita & eiusdem membra, reliqui Cacodæmones in hodiernum vsque diem, velut ferreâ quadam, Virgâ conteruntur, ac vastantur. *Hęc enim est illa stella ex Iacob, & consurgens Virga ex Israel iuxta vaticinium Arioli Balaam.* Num. 24. 17. *Quæ sicut amatoribus suis est lucidissima stella splendoreque suo contemplantes illuminat, benignissimisque*

B.V. ferrea Virga caput Dæmonis conterens.

misque in fluxibus in eorundem animis varias virtutes producit, cum Diuo Bernar. teste Hom. 2. *super Miss. Sydus hoc terras perlustret, & calefaciat magis mentes quam corpora, foueat virtutes, excoquat vitia: ita Tartareis hostibus ferrea quædam Virga est, quæ ipsorum illud, quod in orbem durissimum habebant Dominium, atque imperium ad instar figulini vasis confregit, ac vastauit.* Hi enim sunt illi Duces Moab quos Virga hæc de Israele exorta percutiet, vastabitque omnes filios Seth, vt ibidem prosequitur Balaam.

B.V. sydus terras perlustrans, & calefaciens magis mentes quam corpora.

145. Vnde fælicitatem hanc populi Christiani de Sathana tam gloriosè, auspicijs Virgineæ huius Israeliticæ Virgæ, Dæmonibus dominantis, ac triumphantis, præuidens eorundemque quodammodo gloriæ inuidens exclamauit; *Heu quis victurus est quando hæc faciet DEVS!* Quæ verba librans Adamantius Origines Hom. 19. in Num. *Hic vitam, inquit, non hanc communem, sed illam nominat, quæ secundum DEVM est, Et hoc est quod dicit, quia cum hæc omnia fient, cum orietur Astrum ex Iacob, & surrexerit homo ex Israel, & deleuerit Amalec, & semen eius perdiderit; hoc est cum aduenerit Christus, & Idolorum cultum destruxerit. omnium Dæmonum subiecerit potestatem, quis erit ille tam beatus, tam fælix, qui hæc videat? hoc est, qui sentiat, & intelligat, & credat, quod ita hæc fecerit DEVS?* Nemo sane melius hæc sentit, atque intelligit, quam Mariæ huius stellæ radiãtis, Virgæque floridissimæ, ac pulcherrimæ serui, ac clientuli, qui sub vmbrâ patrocinij eius conquiescentes verè sentiunt, intelligunt, & credunt, imo re ipsâ experiuntur, videntes quotidie Virgæ huius ictibus Satanam eorum saluti insidiantem, esse sub pedibus eorum contritum; Virgine, gratiam illam sibi à filio præstitam caput antiqui serpentis conterendi, ipsis communicante. Vnde prosequitur Origines; *Et exibunt de manibus Cithiorum, & affligent Assyrios. Cithij interpretantur plagæ finis. Hi ergo, qui conuertuntur ad DEVM, & à Christo eruditi plagam, quæ in fine seculi impijs veniet, effugiunt, & ipsi affligent Assyrios, hoc est, his, qui in agone pietatis positi sunt, DEVS, imo & eius Mater sanctissima, addiderim ego; conteret Satanam sub pedibus. Ipsi affligent Assyrios, Dæmonum scilicet gentem. Calcabunt namque super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & affligent eos. Et ad extremum Assyrij peribunt, ab eo, qui potestatem habet perdere in gehennam. Dicetur enim eis à iusto Iudice: Ite in ignem æternum, quem parauit DEVS Diabolo, & Angelis eius. Ibi ergo peribit Assur.* Sic

Balaã vitam spiritualem quam ope B. V. Christiani ducent inuidit.

Orig. Atque ita verissimum est non modo Virgam hanc Virgineam pertingere ad Infernum ad percutiendos, vastandosque illos nequissimos tenebriones, tenebrarumque Principes, verumetiam radios huiuscè stellæ ad Lucifugas illos penetrare, ad eos dirè cruciandos, viresque eorum suis influxibus eneruandas, ne suis seruis noceant, vt expertus est Vir ille nobilis, sicut, & Adolescens ille prodigus. Vnde præclarè mellifluus pronunciauit: Doctor loco cit. *Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat; cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat.*

146. Visâ iam Virginis nostræ gloriosissimæ Heroinæ in Tartareos hostes potestate, videamus tandem qua ratione misericordiæ Mater ex ipsis eorum vnguibus, Orcique faucibus mortaliũ animas eripiat, vt tanto clarius eam Hecatem Inferis dominantem agnoscamus. Multa de hoc argumento dicta passim; libet hic, ob eiusdem suauitatem etiam aliud dicere, quo magis mortales ad fiduciam erga Virginem, quãtumuis grauibus onusti peccatis, Orcique portis iam vicini concipiendam excitentur. Præclarè enim Bernardinus Bustius P. 9. Marialis ser. 2. hortatur: *O peccator, ò peccatrix, etiamsi omnia peccata perpetrasses, quæ committi, vel excogitari possunt, & quæcunque omnes mundi homines, ac mulieres commiserunt. Etsi tua scelera numerum stellarum in cælo, numerumque arenæ maris excederent, multoque plura essent, quam frondes arborum, quam folia herbarum, noli in desperationem prolabi, ad Virginem statim recurre, & iniquitas tua ad instar nebulæ huiuscè solis radijs dissoluetur, atque fugabitur.*

B.V. Inferis dominatur, dum ab eorũ faucibus animas eripit.

Exhortatio ad peccatores ne desperent, sed in B.V. fiduciam habeãt.

147. Richardus à S. Lauren. libr. 2. de laud. B.V. par. 3. hanc ob causam docet Deiparam vel hoc solo Nomine, quod homines grauissimis sceleribus obnoxios, ac implicatos, portisque æternæ mortis proximos, ne in æuiterna illa infernorum incendia prolabantur, pro ingenitâ sibi pietate præseruet, hoc solo, inquam, nomine docet summis in amoribus eam nobis esse habendam, obsequijs omnibus prosequendam, omniaque quantumuis charissima, ac preciosissima illius amori, cultui, ac venerationi post habenda: *Debemus, inquit ille, B. Mariæ charitatem ac dilectionem, vt Vir catholicus dicere valeat de Maria illud* Sap. 7. Super salutem, & speciem dilexi eam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. *Dilexi*, inquam,

B.V. preseruat peccatores sua deprecatione, ne in Infernum prolabantur, & ideo summopere veneranda.

B. V. summo honore ac amore prosequenda post Deum.

quam *super salutem corporis, & speciem cuiuslibet rei temporalis, quia preciosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur non valent ei comparari.* Melior est acquisitio eius negotiatione auri, & argenti. Prou. 3. *Dilexi illam, quia non comparaui illi lapidem preciosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua*, vt ait idem Salomon Sap. 7.

148. Vnde Virgineus Psalmista Bonauentura Psalm. 94. ad gratiam hanc tam singularem, ab Orci faucibus nimirum præseruationem impetrandam hortatur, & semetipsum, & reliquos mortales omnes ad peculiarem Virgini cultum, venerationemque deferenda: *Venite*, inquiens, *exultemus Dominæ nostræ, iubilemus salutiferæ Mariæ Reginæ nostræ. Præoccupemus faciem eius in iubilatione, & in canticis collaudemus eam. Venite adoremus, & procidamus ante eam, confiteamur illi cum fletibus peccata nostra. Impetra nobis indulgentiam plenam, assiste pro nobis ante Tribunal Dei, suscipe in fine animas nostras, & introduc nos in requiem æternam;* Et Psalm. 98. *Recordare Domina pauperum, & miserorum tuorum, & sustenta eos ope refrigerij sancti tui. Conculca hostes animarum nostrarum, & contumaciam illorum elide brachio sancto tuo.*

Oratio ad B. V. vt in fine vitæ suscipiat animas nostras easque ab Orci faucibus liberet.

149. Idem Pater Seraphicus agnoscês quantâ Virginea Hecate nostra potentiâ in extrahendis ex ipsis Orci faucibus animabus polleat supplex orabat, nosque vt idem factitemus edocuit: Sic igitur ille Psalm. 6. *Domina ne in furore Dei sinas corripi me, neque in ira eius iudicari. Propter honorem Nominis tui Domina propitietur nobis Fructus ventris gloriosi tui. De porta inferi, & de ventre Abyssi, tuis sanctis precibus libera nos. Aperiantur nobis Ianuæ sempiternæ, vt enarremus in æternum mirabilia tua.* Quia non mortui, neque qui in Inferno sunt, laudabunt te Domina, sed qui tuâ gratiâ vitam æternam obtinebunt.

150. Ab inferorum portis, deque ventre Tartarei quodammodo Abyssi se exemptum ac liberum sensit ope Virginis celeberrimus ille Sanctorum Patrum monimentis, præsertim Bernardi, Petri Damiani, Richardi à S. Laur. & aliorum, Theophilus circa annum 539. Hic cum Episcopi Ciliciæ esset Vicarius, ab eoque motus esset officio, adeo acerbè hanc, vt ipse arbitrabatur, tulit ignominiam, vt ex desperatione Iudæum quendam maleficum consilij petendi gratia accesserit. Suadet hic, vt si pristinam dignitatem recuperare velit, Cacodæmonis, cui ipse militabat, seruitio sese addicat, & mancipet. Aduocatur igitur magicis præstigijs à Iudæo Tartareus veterator, mandat illico, vt Christum eiusque Matrem abneget, & chirographo, proprio sigillo munito abnegationem hanc contestetur, si votorum fieri compos desiderat. Assentitur Theophilus, & pristinæ dignitati, reconciliatus Episcopo, nescio quibus Dæmonis artibus, restituitur. Tandem post 40. dies, cælesti lumine menti eius affulgente, precibus Illuminatricis Virginis in semetipsum miser ingreditur, errorem suum, tanquam immane scelus agnoscit, ac detestatur, cum gemitibus, singultibus, ac lacrymis; ad Virginem tanquam ad vltimam, post Christum spei nostræ Anchoram accurrit, in qua eius Templo 40. diebus, ieiunijs intentus versatur. Mox illi se per quietem visendam exhibet Virgo benignissima, benignèque ob tantum designatum facinus increpitum, monet illico renuntiet Satanæ ac denuo, eiurata apostasia, sese fidelitatis Sacramento Christo filio suo adstringat. Fecit quod cæli Regina imperarat Theophilus. Verum cum ob exhibitum Cacodæmoni proprium chirographum fluctuans nec dum animus conquiesceret, eiusdemque insidias pertimesceret, pientissima misericordiæ Mater, ac Regina, pro illa sua, qua in compescendis Tartareis illis tenebrionibus pollet auctoritate, ac potestate, ex illorum manibus chirographũ, horribili totius inferni vlulatu, fremituque extorquet, rursusque ei charissima luce radians sese vultu serenissimo contemplandam exhibet, chirographumque vnguibus Satanæ extortum, supra pectus Theophili collocat, eũ in suam, Filijque gratiam recipit. Exhilaratus post tot gemitus, lacrymasque Theophilus publicè in solenni populi, omniumque ordinum concursu, præsente Episcopo, totius rei gestæ seriem recenset, tam horrendum à se designatum facinus detestatur, gratiam benignitatemque Virginis Matris, quæ se de portis inferi, orcique faucibus eripuisset, miro charitatis in ipsam affectu deprædicat; tandemque chirographum, spectante populo Virginis omnipotentiam etiam in Inferno mirè celebrante, concrematur; moxque sese totos, cum Episcopo in Dei, Matrisque eiusdem elogijs celebrandis, miro omnium consensu, atque alacritate effuderunt. Inter missarum solemnia Episcopus Theophilum Sacrosanctæ Eucharistiæ epulo reficit, statimque eius facies ad

Theophilus ope B. V. ab orci faucibus quodammodo liberatur.

Theophili facies post Eucharistiã ad instar solis refulsit.

ad instar solis resplenduit; Cumque vidissent omnes eius faciei tam repentinā mutationem, Dei eiusdemque Matris benignitatem tam mirabilia in ijs, qui ad illam cum fiducia, tanquam ad Asylum confugiunt, perpetratis celebrarut. *Tandem triduo post Theophilus spe plenus, beatam animam in manus eius, qui ex semper Virgine, & intemerata Matre natus est, rebus domus suæ benè dispositis, sanctissimam Trinitatem, ac misericordem Dei Parentem, omni laude dignissimam deprædicans, sibique propitiam in hora mortis inuocans, tradidit.* Corpus eius eodem in Templo, in quo anima eius, Virgineâ visione, recreari, ac consolari meruit, conditum est, vt totus mortuus etiam esset illius Virginis possessio, cui viués sese totum deuouerat ac sacrarat. Vnde plura apud Surium 4. Febr. vbi Eutychiani eiusdem B Theophili fidelissimi famuli Historia conscripta habetur, quam ille ex Domini sui relatione didicerat.

Constātinus Copronymus atroci-bus cruciati-bus ob blasphe-mias in B.V. jactatas.

151. Parem Virgo nostra potentiam demonstrat etiam in Inferno, dum suos, filijque sui hostes, varijs ibidem vel etiā in hoc mundo, ijsque planè Tartareis torquet cruciatibus ac tormentis. Testis est impijssimus ille Orientis Imperator Constātinus Copronymus infamis Iconoclasta, qui postquam quam plurimas in Dei Matrē euomuisset blasphemias, tandem publico edicto, per summum nefas, ipsius cultum, inuocationemque abrogare ausus est. Verum non ita multo post suæ temeritatis, impietatisque pœnas luit siquidem adhuc viuens cum ad extrema deuenisset Anno Domini 775. Tartareis ignibus adeo horrendè cruciatus est, vt ipse quemadmodum refert Theophanes, & alij fateretur horrisono cum clamore: *Igni sum inextinguibili traditus.* Et licet ante mortem tot calamitatibus, pœnisq; Tartareis oppressus, Mariam, vt veram Deiparam, quam viuens impijssimè esse negarat omniq; adhibito conatu impugnarat, coli ac venerari iussit, nihilominus tamen nefariò illi Antiocho persimilis, à quo diuinitus inflicta flagella vocē illam extorserunt: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire 2. Matth. 9. sceleratissimam animam ore illo, quo tot in Deiparam euomerat blasphemias, summis in cruciatibus, ac inferni doloribus euomuit, quo facto ostendere plane voluit seuerissimam iustitiam suam Virgo nostra, quæ sicut amicis suis syncerisque clientulis ex hac vita decedentibus benignè adesse, eos solari, & benedictum illum ventris sui fructum*

Sicut B.V suis clientulis morientibus assistit, eosque solatur, ita hostes suos inferni suppliciis cruciari permittit.

IESVM, eiusque gloriam ostendere, atque sempiternæ demum felicitatis, inter mortis angustias, delibationem quandam, velut pientissima misericordiæ Mater, indulgere consueuit, ita sceleratis sui contemptoribus adhuc viuentibus horrendas inferni pœnas infligere, igne illo deuorāte, æternoque, vermibusque nunquam intermorituris, zelo iustitiæ accensa, vtpotè sempiterni illius Iudicis Mater cruciare solita est.

152. Testis est nefandus ille Heresiarcha Nestorius Virginis Deiparæ hostis acerrimus Pauli Samosateni infamis quoque Heresiarchæ nepos. Hic cū Virginem, Dei Matrem esse pernegaret, suāque hanc hæresim, toto penè Oriente disseminasset, plurimasque blasphemias, impijssimâ, spurcissimâque linguâ in virginem, tanquam veneno tartareo illitas sagittas contorsisset, tandem iusto Dei, Deiparæque iudicio immanibus, & animi, & corporis adhuc viués excruciatus, mactatusque est supplicijs, miserabiliq; catastrophe vitam terminauit. Hāc Euagrius libr. I. Hist. cap. 7. hiscé verbis descripsit: *Ipse equidem accepi à scriptore quodam modum, quo decessit è vita, talem fuisse, nimirum eius linguam vermibus exesam esse, sicque cum huius vitæ miserijs ad grauiora supplicia, iusto Dei iudicio infligenda, eaque sempiterna migrasse.* Addit his Theodorus lector in collecta, *totum eius corpus putredine fuisse consumptum*; & Cedrenus in Theodosio Minore; cum *lingua*, inquit, *totum eius cōputruisse corpus. Sicque homo infelicissimus de vermibus hiscè temporarijs, ad illos nunquam intermorituros, rogosque inextinguibiles abreptus est.* Qui quam horribiles, quamque extimescēdi, intolerabilesque sint Propheta Isaias cap. 60. nos docuit: *Quis habitabit ex vobis cum igne deuorante, quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et cap. 60. de nunquam interituris eisdem vermibus, qui impia eorum putidissimaque corpora depasturi sint sic loquitur Dominus: *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me, & in Matrem meam, addiderim ego, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.*

Nestorii lingua totumq. corpus vermibus ac putredine consumptum ob blasphemias in B.V. iactatas.

153. Quibus porro cruciatibus anima eiusdem abominabilis Nestorij æuiternum, Deiparæ imperio, apud Inferos mactaretur, testatur Sophronius in Prato spirituali c. 26. Cum enim Monachus quidam Theophanes nomine, Nestorianæ hæresis labe esset infectus, & senex Cyriacus ad hoc impia dogmata deserenda, Catholicamque fidem amplectē-

Pœnæ Nestorii apud Inferos Theophani ostenduntur.

dam

dam cum hortaretur, & ille adhuc hæsitaret, Senex ad orandum in solitudinem se recepit, rogauitque Dominum, vt ipsius mentis oculos veritatis luce irradiaret; & ecce vidit Theophanes quendam sibi adstantem aspectu terribilem, qui eum ad quendam locum inuitabat: *Veni, inquiens, & vide veritatem, simulque eũdem ad quendam subterraneam tenebricosissimamq; ac fœtidissimam, horrendos ignes euaporantem, deducit specum, ibique mox conspicatur, in ignibus illis volutantem se Nestorium, Eutychen, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium, Origenem, & quosdam alios, simulque vocem hanc audit: Locus iste præparatus est hæreticis, & blasphemantibus, & ijs, qui eorum sequũtur dogmata: Si supplicium hoc vis euadere, vade ad Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet. His visis Theophanes, sacro horrore perculsus ad Cyriacum mox aduolauit, eiurataque tam impiâ hæresi, Catholicam veritatẽ, docente Sene, amplexus est, tandemque intra quadriennium in pace, ex hac vita ad meliorem fęliciorem que commigrauit.*

B.V. Nestorii hostem suum eiusque scripta auersata.

154. Quantoperę autem Virgo hæresim illam impijssimam Nestorij hostis eius infestissimi semper fuerit etiam illo extincto abominata ex eodẽ Prato spirituali euadit manifestum cap. 66. Scribit enim iam memoratum Abbatem Cyriacum per quietem vidisse Mulierẽ, honesta facie, indutam purpura, S. Ioanne Baptista, & Euangelista stipatam; quam ille Deiparam esse cognoscens, orat instantius, vt cellam ipsius ingredi dignaretur, cum illa abnueret, & ille diutius instaret, tandem Virgo beata seuerius illi respondisse fertur: *Habes*, inquiens, *intra cellam tuam inimicum meum, & vis vt ingrediar*. Hac increpatione exterritus, conturbatusque bonus Senex, mox euigilat, discutit intimas animi sui latebras perquirit diligenter, & quid peccati vnquam in Dei Matrem admisisset? cum nullius eum conscientia redargueret, ad mœrorem leniendum, librum quendam accipit quem Isychius Ierosolymitanus Presbyter ei cõcesserat, dum illum euoluit, ad eius calcem duos Nestorij libros pestilentissimos reperit, agnouitque illico hunc demum esse Deiparę inimicũ, qui cælestis illius fęlicitatis Insignia, sic enim Dei Matrem appellauit Areopagita Dyonisius, in suam cellulam ingredi vetuisset; statimque illos, Sancto accensus zelo excidit, ignique cremandos, eosdem execrando, tradidit: *Nõ maneat*, inquiens, *in cella mea Dominæ nostræ inimicus*.

Cyriacus libros Nestorii tanquam hostes B.V. igni cremandos tradit.

155. Testis est impius miles ille, qui cũ lusu taxillorum rem suam omnem perdidisset, furore percitus, ingressus Templum in Iconem Deiparæ, & S. Alberti Carmelitę impijssimè desæuijt, plurimisque oneratam cõtumelijs, quod sibi ludenti inuocata licet, non adfuerit; tandem euaginato gladio vtramque Imaginem secat; confestim multus sanguis in terram profluit: *Vidit tantum facinus quidam adolescens, inque sacrilegum sublata voce exclamat; audito impius clamore, totus consternatus è templo se proripit, & ecce Virginis vltio præsentissima: vix è Templo pedem extulerat cum euibratum fulmen de cęlo in caput eius delabitur, & ad inferos ęuiternis supplicijs excarnificandum deturbat* Sur. 7. August. in vita S. Alberti.

Lusor in B.V. blasphemus fulmine tangitur.

156. Non dissimile huic exemplum recenset liber de Viris illustribus Ordinis Cistercien sis, & Vincentius Delluacensis lib. 7. speculi Hist. cap. 104. *de quodam, qui lusui intentus apud Lassentiam cum perderet ingentem vim pecuniæ, innumeras blasphemias, execrationesque contra omnia membra, tam Christi; quam Sanctissimæ eius Matris, tantâ cum immanitate impietateque, vt circumstãtes, præ horrore obturarent aures, euomuisset, ecce tibi derepente fulminco ictu percussus in terram corruit, diuque palpitans, mortiferosque gemitus edens, sacrilegam funestissimamque efflauit animam.* Post mortem curiosius dum cadauer fętidissimum inspicitur, in dorso plaga recens ita dehiscens est reperta, vt intima impijssimi illius cordis, hepatis, & pulmonis viserentur, summo omnium ad hoc spectaculum concurrẽtium horrore, atque consternatione. Inter quos quidam repertus, qui retulit defunctum quendam amicum sibi olim apparuisse, ac dixisse; *Christum Dominum Genitricis suæ iniurias citius vlcisci consueuisse, aut si vltionem, pœnasque dissimulauit, eas acerbius æuiternis inferni supplicij castigare.*

Blasphemus in B.V. fulmine prosternitur, & ad Inferos detruditur.

117. Quid de infamibus infandisq; nostri sæculi Hæresiarchis Luthero, & Caluino dicam? Hic sanè cum Deiparam in multis accusasset, & ore impijssimo, velut bellua illa Apocalyptica Apoc. 13. v. 6. *Aperuisset os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare Nomen eius, & Tabernaculum eius, nempe Virginem, in qua Dei filius homo factus habitauit, ac cum, inquam, multa euomuisset, dixissetq; nõ esse laborandum, vt eam ab omni peccato excusemus, ipsam in multis imprudenter se habuisse*; negassetque eam à Christo magni æstimatam, imo ad communem cæterarum fœminarum cætum amandatam, nec dignatum eam Matris

Caluini graues in B.V. blasphemiæ.

Yyyyyy nomi-

nomine appellare, vixque aliquo precio habitam quod ipsâ esset progeneratus. Negare quoque ausus est eam inuocandam, Imaginem eius colendam, denique omnem illi per summum nefas adimit honorem, multaque ei rictu plane Canino, atque Tartareo falsissima imposuit. Quarum blasphemiarum illud fuit stipendium mors planè infælicissima atque miserrima. morbo enim turpissimo, nempe pediculari cruciatus, abreptus est; vermiculis illis corrosus; potissimùm in partibus pudendis ebullientibus, vbi fœdo vlcere torquebatur. Quibus diu lancinatus, Dæmones inuocando, diris se deuouendo, diei, & horæ qua primum literis, & scriptioni operam dedisset maledicendo turpissimam animam, miserrimamque æternis mactandam suppliciis euomuit.

Morbo pediculari cruciatus ebullientibus in partibus pudendis vermiculis, miserè inuocando Dæmones moritur.

158. Alter verò adeò impius in eandem extitisse fertur Deiparam, vt mentiri ausus sit nefandissimè, eam puellam fuisse abiectam, inopem, vilem, nullius pretij aut æstimationis. Eam omni merito spoliat, nihilque præclari eius Virginitati concedit, eam Matrimonio faciendo parem. Eius fidem tanquam dubiam calumniatur; peregrinationes quę ad eius Imagines, ac Templa fiunt damnat, negans eam plus posse precibus suis, quam quamlibet suam vicinam. Taceo alia quá plurima relata plane indignissima, quibus homo turpissimus, atque infelicissimus infelicissimum mortis genus sibi accersiuit; Nam cum pridie strenuè de more fuisset helluatus, & inter cænandum, vti assueuerat, multa facetè lusisset, dixissetque, fuisse quendam qui Dæmoni animam suam deuouerat, Dæmonemque simul corpus habere voluisse; siquidem cum qui vendit equum capistrum quoque simul vendere consueuisse; ea nocte à Dæmone strangulatus fuisse perhibetur, ita vt mutato nomine de se fabulam narrasse visus sit. Cadauer porrò in Dæmonis quoque fœtidissimi Asmodæi potestatem cessisse inde suspicari nobis licet, quod tá tetrum, atque abominandum fœtorem exhalarit, licet aura esset perfrigida, & loculo plumbeo inclusum, nemo vt apud illud posset cōsistere. En vt inimici Deiparæ malè infeliciterque iusto Dei iudicio, pereunt. O' quam verè Sanctus Apostolus Ioannes, Apoc. 4 pronunciauit! *Et de Throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. Quis enim alius est animatus hic vocalisque Thronus, de quo voces, fulgura, tonitruaque procedebant* quam *Virgo Deipara, in qua increata olim Sapientia cum mundum inuiseret consedere dignata est.* En vt de Throno hoc tonitrua, fulgura siue fulmina in capita impijssimorū hominum, nomen ipsius blasphemantiū eiaculata, atque contorta, ostendunt reuera illam non solum pientissimam misericordiæ esse Matrem, in qua Sempiterna illa Misericordia nouem mensibus conquieuit, verum etiam æternæ iustitiæ, Iudicisque illius, qui iudicaturus est sæculum per ignem, iustissimam esse Parentem, quæ impios Diuini Numinis, suique contemptores iustissimâ damnationis sententiâ, velut fulmineis telis ictos in inferas terræ partes, æuiternis ibidem pœnis mulctandos, ad Dominium quod in cælo, terrâ, Infernoque possidet, demonstrandum, deturbat.

Lutheri impię in B. V. blasphemiæ.

B. V. Thronus Christi de quo procedebant fulgura ac tonitrua in caput suorū inimicorum.

159. Non minus in inferno Dominiū Virginea hæc Hecate nostra ostendit, cum inde animas sibi deuotas, suis apud filium precibus, patrocinijsque ad agendam pro peccatis pænitentiam in vitam reuocat, inque Paradisi gloriam ad Dei clarè contemplandam faciem reducit. Quare Sancti Patres inter reliqua ad vitam æternam prædestinationis signa, illud certissimum esse pronunciant, vt alibi dictum sæpius, peculiari pietatis, ac deuotionis affectu erga Dei Matrem affici, eamque filiali quodam amore complecti. *Verè enim*, inquit illa Prou. 8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Contra verò; *Qui in me peccauerit lædet animam suam; omnes qui oderunt me diligunt mortem, vt clarè ex superioribus exemplis perspeximus.* Vnde Pelbartus summam erga Deiparam fiduciam habere vult peccatorem, quantumuis sceleratissimum, Orcique portis vicinissimum li. 12. stell, Part. 2. art, 1. resoluitque rationes quæ hominem moribundum in desperationem possent adducere, *Nimirum tu homo peccator*, inquit ille, *posses dicere; Timeo quia in multis offendi DEVM. Sed audi quid scriptura dicat, & cognosce quia B. Maria potentissimè reconciliat deuotos suos, ad se conuersos. Ipsa enim in hora illa mortis formidabili; Loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, idest, deuotos famulos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor, per pœnitentiam scilicet.* Rursus posses dicere ô peccator; timeo ne in morte ob Dæmonum deceptiones peream. Sed audi quid Sap. 10. de Maria dicat Salomon. *In fraude circumuenientium, Dæmonum scilicet, adfuit illi, & custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & dedit illi claritatem æternam,*

B. V. peccatores ab Orci faucibus in vitã reducit, vt pœnitentiã agant.

Rationes quæ hominē in morte in desperat onē adducere possent resoluuntur.

B. V in hora mortis loquitur pacē in corde nostro.

B. V in fraude Dæmonū nos circumuenientium mortis tēpore nobis adest.

De-

Demum posses dicere, te mortem timere, quia malus es, quotidie peccas, prauâ peccandi consuetudine astringeris, ecqui, inquiens, damnationem euadere potero? Sed perpende quod suadet Spiritus Sanctus Eccli. 6. *In omni animo tuo accede ad illam, Mariam videlicet, colendam, & omni virtute tua conserua vias eius. In nouissimis enim inuenies requiem in ea. Decor enim vitæ est in illa, & vincula illius, ea videlicet, quibus in Marianis sodalicijs ad eam colendam nos certa oblationis* formulâ obstringigimus; *alligatura salutaris*, idest, medicina salutiferæ pœnitentiæ, quam B. Maria suis deuotis infundit, saltem tempore mortis ne in peccatis dispereant.

Ad B.V. in hora mortis omni animo ac fiducia accedendum.

160. In eandem spem erga Virginem habendam peccatorem de salute desperantem adducit iam memoratus Pater, quod Deipara maris sit Stella. Vnde nobis in illo puncto terribili salutanda est; *Aue maris Stella, &c.* Quemadmodum enim in mari magno, ac spatioso positi per stellam ad portum optatum diriguntur, ita per Mariam omnes homines in mari huius sæculi nauigantes, ac fluctuantes ad optatum portum æternę patriæ deducuntur. Hinc Bern. serm. 2. super Missus: *O' qui te intelligis in huius sæculi profluuio, inter procellas, & tempestates fluctuare, ne auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tētationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam.* Si criminum immanitate turbatus, iudicij terrore concussus barathro incipias absorberi, & desperationis abysso, respice Mariam. Vide ibidem plura. Denique, vt alias rationes omittam, quæ alibi fusè satis explicatæ sunt idem ad spem in peccatoribus desperatis corroborandam erga Virginem, illam affert, *quod Mater sit misericordiæ, Mater salutis æternæ. Vnde S. Anselmus: O' felix Maria, inquit, sicut omnis peccator à te auersus, & à te despectus necesse est vt intereat; ita omnis peccator ad te conuersus, & à te respectus impossibile est vt pereat.*

B.V. in hora mortis dum tentamur adest nobis tanquā maris stella luce sua nos illuminans.

Impossibile est vt peccator à B.V. respectus, intereat.

161. Ostendit Virgo clementissima pietatem hanc in Iudicem quendam Romanum nomine Stephanum de quo idem Pelbart. libro 9. Stell. Part. 2. art. 1. Hic licet Deiparæ Virginis cultui ac S. Proiecti esset addictissimus, se tamen muneribus obcæcari permittebat, iustitiamque plus offerenti venditabat quodammodo, bona quoque Ecclesiastica sacrilegè sibi vsurpabat, ac inter reliqua domos omnino tres ad Templū S. Laurentij, hortum vnum S. Agnetis subripuerat. Tandem ex hac vita, absque peccatorum iam commissorum detestatione euocatur, ante districti Iudicis tribunal sistitur. apprehensum brachio S. Laurentius, indignatione iustissimâ plenus, adeò durè strinxit, vt liuor, & adustio quædam in eius brachio appareret. S. Agnes verò ipsum quoque, auaritiamque eius detestata, ab eo auertit faciem. Tum æternus Iudex ob tot scelera iratus, auditis grauissimis Tartareorum aduersariorum accusationibus, huiusmodi tulisse fertur sententiam. *Quia aliena rapuit, & iustitiam, munera accipiendo, vendidit, in locum Iudæ proditoris deturbetur.* Verùm mox ante filium cum S. Proiecto misericordiæ Mater miserrimam sortem Stephani miserata, prosternitur! rogatque vt sui clientuli misereatur, animamque ad corpus reuocet, quo pœnitentiam pro peccatis iam perpetratis agere valeat. Exauditur mox à filio, pro sua reuerentiâ Mater, simulque anima, è faucibus orci, Satanæque vnguibus erepta, rursus vnitur corpori, eique dierum triginta pœnitentia iniungitur. Accipit insuper in mandatis à Deipara; vt quotidie Psalm. 118. *Beati immaculati in via* recitet. Itaque ad vitam reuersus peccatisque per confessionem expiatis, bonisque Ecclesiarum iniustè subreptis, vti par erat, restitutis, rursus fęliciter, opitulante Virgine, corpore solutus ad æuiternam fælicitatem commigrauit.

Stephanus Iudex Romanus iniquus deuotus tamen B. V. à portis Orci liberatur per intercessionem B.V.

B.V. pro anima Iudicis apud supremum Iudicē intercedit, vt ad corpus reuertatur.

162. Eandem pietatem misericordiæ Mater erga quendam alium varijs sceleribus contaminatum, de quo Auctor Anonymus de Coronis B.V. Hic cum cultui, ac venerationi Deiparæ esset plurimum addictus, eamque quotidie, maximè vbi in triuijs eius Iconem conspicabatur, Angelicâ Salutatione veneraretur, Virgo se beneuolentiâ vinci non est passa: Cum enim breui illum, ex hac vita migraturum pręuideret, voce cælitus demissâ, monet vt confiteatur, cum ille negligeret, rursus eadem vox die sequenti ingeminatur. Paruit ille, eademque die, cum in ciuitate tripudium quoddam, festâ bombardarum displosione celebraretur, globo ictus à portis inferni, pietate Dei Genitricis clementissimę eripitur æuiternęque beatitatis compos, ea quasi manu ducente efficitur. En vt thronus hic Virgineus animatusque nō modo fulgura, ac tonitrua, verum etiam salutares voces, quibus peccatores ad pœnitentiam agendam admonentur, emittit, eosdemque ab ipsis infernalis Barathri

Colens B.V. Imagines in triuiis, ab eadem monetur vt cōfiteatur iam morti vicinus.

B.V. Thronus animatus emittens voces salutarei ad pœnitentiam excitantes.

thri faucibus, quibus paratis ita exigentibus quodammodo erant absorpti, pro ingenita sibi benignitate liberat.

163. Quare tot tantorumque beneficiorum, quæ à Deipara in dies singulos humano generi communicantur, Sanctus Bonauentura memor, mortales omnes ad cultum, amoremque Virginis, ad instar cujuspiam totum orbem Seno alarum remigio peruolantis Seraphini, inuitabat, Psalm. 99. *Iubilate*, inquiens, *Dominæ nostræ homines vniuersæ terræ, seruite illi in lætitia, & iucunditate. In toto animo vestro accedite ad illam, & in omni virtute vestra obseruate vias ejus, Inuestigate illam, & manifestabitur vobis, estote mundi corde, & apprehendetis eam. Quibus auxiliata fueris ò Domina erit illis refrigerium pacis, & à quibus auerteris vultum tuum, non erit eis spes ad salutem. Recordare nostri Domina, & non apprehendent nos mala, succurre nobis in fine, & inueniemus vitam æternam.* Et Psalm. 100. sibi eandem in horâ mortis esse propitiam, sua illi deferens obsequia, ita amanter canebat: *Laudabo nomen tuum, & gloriam tuam, & præstabis refrigerium animæ meæ. Zelatus sum amorem tuum & honorem, ideo defende causam meam ante Iudicem sæculorũ. Allectus sum gratia, & bonitate tua, oro ne frauder à spe, & confidentia bona. Conforta animam meam in nouissimis, & in carne ista fac me conspicere meum Saluatorem.* Psal. denique 101. agnoscens potẽtissimum Virginis velut Hecates in infernum eiusque incolas dominium, postulansque in illo formidabili mortis articulo protectionem, ita illi modulatur: *Domina exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non auertas sacrum aspectũ tuum à me, neque abomineris me, propter immunditiam meam. Non derelinquas me in cogitatu, & consilio inimicorum meorum, & ne sinas me cadere in exprobrationem illorum pessimam. Qui confidunt in te non timebunt colubrum tortuosum, & qui exaltant te præconijs euadent munus Acherontis. Per Virginalem conceptum tuum da mihi in te confidentiam bonam, & per admirabilem partum tuum lætifica*

A quibus B. V. auerterit vultum suum non erit eis spes ad salutem.

S. Bonauenturæ fiducia in B. V. in hora mortis.

Qui confidunt in B. V. non timebunt Colubrum tortuosum, & qui illam exaltãt preconiis euadant manus Acherontis.

164. Ex quibus omnibus Seraphici Doctoris pijssimis sententijs colligimus amplissimum non modo Dominiũ Deiparæ in Infernum, Dæmonesque acerbissimos humani generis hostes, ibidem degentes, verumetiam Diuinam quandam potestatem in cælis, dum orat vt se faciat inspicere faciem Saluatoris, dum postulat per admirabilem illum suum partum, IESVM nimirum benedictum ventris sui fructum animam suam lætificari. Non erat enim illam esse non modo cælorum fenestram ac Ianuam, verũ etiam Portas omnes 12. cælestis Ierusalem ex margaritis preciosissimis confectas, cum illa vna sit margarita cælestis, cunctis mundi opibus anteferenda. Nec immerito Virgo Portas illas omnes 12. ad quatuor orbis partes, Orientem ac Occidentem, Meridiem ac Septentrionem obuersas, repræsentat. *Illa siquidem nihil magis in votis habet, exemplo filij, quam vt omnes totius mundi homines, in quacunque tandem orbis parte degant, salui fiant, & ad agnitionem veritatis perueniant.* Vtque desiderium hoc ipsius tanto efficacius esse nobis persuadeamus, non vnam tantum portam, ad vnam orbis partem, verum tres omnino reseratas nobis ostendit, vt certo nobis persuadeamus eam omnibus quãtocyus ad æternam Beatitatem anhelantibus, ac quasi irruentibus absque vlla remorâ, ad intromittendum esse expeditam, quo tanto citius deuotos sibi clientulos ad beatissimam Diuinæ illius Maiestatis contemplandam faciem introducat.

B. V. vnica Margarita cunctis mũdi opibus anteferenda.

165. Hæc enim est nobilissima illa post DEVM inter puras creaturas Creatura, quæ semper & ipsa vultui Dei contemplando maiori præ cæteris mentis claritate, assistit; & alios ad eandẽ beatissimam, gloriosissimamque faciem intuendum, absque vlla inuidiâ, vt tanti boni, quo ipsa perfruitur participes efficiantur, summâ animi sui gestientis lætitiâ introducit. Vnde ab Hebræis Mitraton, idest Princeps facierum appellata est, vti alibi fusius declarauimus. Principem facierum homines ad Patris, filij, ac Spiritus faciem contemplandam introducentem agnouisse visus est Deiparam Euthymius Zagabonus, dum illam ita deprecatus est: *Supplicamus ò Virgo, vt dum hic quidem manemus, nos protegas, rursus autem cum excedemus, in ædibus semper viuentibus, & luminosis habitemus, obsecramus.* Principem facierum Sanctissimæ Trinitatis contemplandarum agnouisse visus est Virginem S. Ignatius Martyr gloriosissimus cum dixit: *Impossibile est aliquem saluari peccatorem, nisi per tuum ò Virgo auxilium & fauorem, quia quos non saluat Dei iustitia, saluat sua intercessione Mariæ misericordia infinita.* Hæc enim est perpetua B. Virginis vox apud filium Iudicem, vt ait Hildebertus Epist. 25. *Clementia est aliquid vltrici detrahere sententiæ: nam quisquis nihil reatus impunitum relinquit, delinquit, culpa est totam prosequi culpam.*

B. V. Mitratõ vultui Dei assistens, & alios ad eundem cõtemplandum introducens.

B. V. cur Princeps facierũ appellata.

Impossibile est aliquem saluari peccatorem nisi per B. V. fauorem, & auxilium.

B. V. vox [illegible] tribunal supremi Iudicis.

166. At-

In Luna latã quandam Regionem esse aliqui censuerunt, & ab hominibus habitatam.

166. Atque hæc de Lunæ nostræ Virgineæ in cælis, terris, Inferisque Dominio, potentiaque dixisse sufficiat. Restat modò vt opinionem illam Anaxagoræ Philosophi, qua censuit vt scribit Natalis Comes lib. 7. Mythol. cap. 1. & alij in Luna latam quandam regionem esse, è qua Leo Nemæus ceciderit, discutiamus. Idem censuisse visus est Xenophanes, apud Ciceronem libr. 4. Academicarum QQ. arbitratus Lunam, terram esse multarum Vrbium ac montium, hominumque habitationem. Plutarchus lib. 2. de Placitis Philosophorum c. 30. eandem opinionem attribuit Pythagoreis: *Pythagorei aiunt Lunam terrestrem videri,* inquit ille, *quia sicut, & nostra terra circumhabitatur à maioribus quidem, & pulchrioribus animantibus, quinquies decies nostrorum quantitatem continentibus, neque vllum excrementum deijcientibus; tanta item diei longitudine,* Idem Plutarchus Tractatu de facie in orbe Lunæ, de Lunę incolis atque habitatoribus prolixè differens, inter cætera hæc attexit: *Ego istos, qui in Luna incolunt, multo magis mirari existimo, cum terram intuentur, tanquam fæcem, & cænum Vniuersi, per tot humores, nubes, nebulasque apparentem, locumque obscurum, humilem, immobilem, posse eam animalia producere, & nutrire motu, respiratione, & calore prædita.* Sic ille.

B.V. Luna mystica est tuta ac salutaris hominibus habitatio.

167. Quæ sane omnia de aspectabili hoc Lunæ Planeta pronunciata tam antiquis, quam recentioribus Philosophis sunt omnino Paradoxa, imo etiam fabulosa. At verò si à nobis de Luna nostra Mystica, Virgineaque intelligantur, proportione quadam, verissima esse videntur. Ipsa enim est tutissima quedam hominum cælestium, à contagione terrenarum sordium remotissima, atque altissima habitatio, ipsa Vrbs refugij nostri, ac ciuitas non supra montem posita, verum supra omnia humana, terrenaque exaltata, ad quam nullæ humanæ pertingunt miseriæ, nulli eius pacē perturbant hostium impetus, nullæ carnalium voluptatum eam maculant illecebræ. *Sed super omne, quod mortale, caducumque est dominans, omne quod fluxum, vanumque in hoc nostro orbe est, sub pedibus habet, proterit, ac conculcat.* Hoc nimirum est illud, quod illi per Isaiam c. 58. 14. promittebatur: *Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ.*

B.V. est Vrbs refugii nostri est Ciuitas supra omnia humana ac terrena exaltata.

168. Porrò vt hæc in Virginea hac Luna nos delectet habitatio, videnda eius nobilitas, præstantia, atque amplitudo. Quam vt melius perspiciamus timemur ipsius quoad eius fieri oportet virtutum eminentiam, exemplo Dauidis, qui iucundissimam, lætissimamque hanc hominum animatam habitationem descripturus, antequam diceret, apostrophe facta ad Virginem; *Sicut lætantium omniū nostrum Habitatio est in te;* præmisit tanquā sequentium eius laudum Proœmium; *Fundamenta eius in montibus sanctis. Montes hosce ego esse censuerim Sāctos viros, omni sanctitate conspicuos, quotquot ab exordio mundi extitere, Angelicas item Hierarchias ac præsertim Seraphicam omnium reliquarum, ob charitatis perfectionem, eminentissimam, quæ cæteras omnes, velut Olympus montes reliquos, imo, & nubes transcendit, & quodammodo caput inter, & super nubila condit. Super verticē igitur montium tam Angelicæ quam humanæ Sanctitatis, Virginea hac habitatio nostra fundata est, quia vbi perfectionis, Sanctimoniæque culmen tam Angeli, quam Sancti attigisse visi sunt, ibique conquieuerunt, inibi Spiritus Sanctus Sanctissimi huius Diuinæ Maiestatis, filiorumque hominum domicilij, solidissima iecit fundamenta.* De hac Virginalis domus Domini sublimitate præclarè vaticinatus est Isaias cap. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus Mons domus Domini super verticem montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eam omnes gentes.* Quæ verba solita mētis indagine, ac sagacitate perseuerās S. Gregorius Papa in libr. 1. Reg. c. 1 *Mons,* inquit, *in vertice mentium fuit Beatissima Virgo Maria, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non Mons sublimis Maria, quæ vt Conceptionē æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem super omnes Angelorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit?*

B.V. est lætātium habitatio.

Mons in vertice montiū est B.V.

169. Verùm non hic Virgineæ huius Habitationis stitit sublimitas, altius longè sese erexit. Bernardinus enim Bustius Part. 3. Mar. serm. 6. de Montibus illis Sanctis, in quibus posita sunt domicilij huius fundamenta, sic loquitur: *Per Montes sanctos altitudo Trinitatis intelligitur. Ipsa enim fundata est super altitudinem potentiæ Patris, qui eam in bono consummauit: super altitudinem Sapientiæ Filij, qui eam omni Sapientia illustrauit: super altitudinem Spiritus sancti, quia eam in gratia stabiliuit.* Atque ita Virgenea hæc habitatio innixa est fundamentis sanctis, fundamentis Angelicis, imò Diuinis; Virgo nimirum est Ciuitas illa Celestis Ierusalem fundata super lapides preciosissimos, iaspides, Sapphyros, Chalcedonios, smaragdos, Sardonyches, Sardios, Chrysolithos berillos,

B.V. fundata super altitudinem potētiæ Patris, supra sapiētiam filii, super bonitatē Spiritus S. qui eam in bono, & gratia stabiliuit.

los, topacios, chrysoprasos, hyacinthos, atque amethistos; Structura verò muri eius omni lapide precioso ornata est, portæ verò 12. totidem pulcherrimis margaritis confectæ Apoc. 21. *Quæ omnia mirificam Diuinissimæ huiusce Habitationis indicant puritatem, splendorem, decus, ornamentum.*

170. Et verò decebat tantis, tamque eximijs domicilium supremæ illius omnium dominantis Maiestatis ornamentis decorari, atque in tantam eminentiam extolli. Sane Sinarum Rex, vt scribit Iaricus Tom. 2. Thesauri rerum Indicarum, Regum omnium totius orbis facillè potentissimus, cuius opes ac prouentus annui maiores sunt, quam omnium Regum Europæ, imo, & Africæ fortassis simul vnitæ, vt testanturij, qui rationes vectigalium illius Monarchæ, quæ per omnia Regna ipse solus indicere atque exigere potest, inspexere. *Rex iste Sinarũ,* inquam, *habet splendidissimum sumptuosissimumque palatium, vt omnibus, qui illud videre summæ sit admirationi. Feruntur enim in Regia Paguinensi quatuor videri atria splendorem aureç illius Cyri Regię longè excedentia; quorum primum parietes habet, ac pauimentum æreis lamellis, eleganti ferarum arborumque picturâ insculptis conuestitum; alterum purissimo, elaboratissimoque argento constratum; Tertium cæteris quidem formâ exteriori persimile, sed circumsecus, & in laquearibus, auri encaustici crustis exornatum; Quartum denique cæteris precellit Musiuo elaboratum opere, & ex materiâ preciosissima, gemmas varias, ingentis valoris in parietibus, ac pauimẽto, & velut vnam dumtaxat vbique gemmam conspicias.* Regiũ hic solium precij infiniti propemodum visitur, quod gemmis adeo collucet, vt sub noctem accensarum facum lumen æmulari videatur, itaut candelis minimè opus sit. Quod si pro vno homuncione, vilissimo terræ filio tam nobilis tam preciosa, sumptibus penè immensis, prodigalitate planè effusissimâ, Habitatio à filijs hominum construi potuit: quid quæso cẽsendum fecisse supremum illum totius huius Vniuersi Artificem, in domicilio, ac Throno pro vnico filio suo, in quo sibi benè complacuit, exædificando, in quo quietem, nouem mensibus capturus, suasque cum filijs hominum delicias erat habiturus?

Regis Sinarũ Palatium nobilissimum ac preciosissimum.

Solium Regis quam admirabile ac preciosum.

171. Quis domicilij huius splẽdorem ac maiestatem, quis sumptus, planè immensos vel mente comprehendere, vel linguâ, calamoque poterit enarrare? Sane nullus. Hæc enim Habitatio est illa Sion, quam nullus mortalium, quantumuis ingeniosissimus, nullus Angelorum, quantumuis sit supremus, valet edicere vel describere: De hac .n. canebat Dauit Psal. *Nunquid Sion dicet homo? In hac igitur Regia splendidissimaque Habitatione supra humana, terrenaque omnia euectâ in ipsa Luna sphęra collocata quodammodo, cum ipsa sit Pulchra vt Luna, non modo Dei filius nouem mensibus, tanquam in animata quadam Lunâ habitauit, eandemque velut sempiternus iustitiæ Sol nouis splendoribus gratiarum omnium irradiauit, exornauit; verumetiam omnes adoptiui eius filij, qui eam peculiaribus prosequuntur obsequijs, velut in aula quadam Regia, velut Dei Ciuitate, velut denique in Luna non fabulosè, sed verissimè habitant. dum in illa, & Regales Spiritus delicias, ac planè singularia commoda, oblectationesque percipiunt, & mirificâ mentis securitate, à terrenarum rerum tumultibus, voluptatumque illecebris abstracti, supraque mundana omnia euecti summa animi sui lætitia perfruuntur.*

Habitatio Virginea à nulla creatura sufficiẽter describi potest.

In B.V. tanquam in animata Luna eius clientuli securi habitant.

172. Huius sanctissimæ Habitationis commoda, delicias, voluptates, ac gaudia expertus fuisse visus est Regius Psaltes, vti dixi, de ipsa à longè adhuc cogitando, cum cecinit: *Sicut lætantium omniũ nostrum habitatio est in te.* Addidit Ecclesia Spiritu S. edocta, interpretans, illum oculum habuisse ad Virginem; addidit inquam: *Sancta Dei Genitrix.* Vnde S. Ioãnes Damascenus Orat. 2. de Dormit. B. V. ait: *In ea lętantium omnium habitatio est, & omnis lætitiæ causa.* Audiamus hic Richardum à S. Laur. lib. 10. de laud. B. V. vbi postquam dixisset Deiparam esse Habitationem Christi, eiusque requiẽ, vtpote cui dictum sit Zach. 2. *Lauda, & lętare filia Sion, quia ecce ego veniam, & inhabitabo in medio tui, ait Dominus.* Item Psal. 75. *In pace factus est locus eius, idest, in Maria pacifica, & habitatio eius in Sion*: mox paucis interiectis subtexuit: *Item Maria est habitatio omnium Iustorum, & Beatorum. Vnde dicit ei Propheta Psal. 86. Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te ò Maria. Hinc Isidorus: Ipsa est enim habitatio lętantiũ, scilicet perseuerantium in ea, quod notat nomen habitationis. Et benedicit: lætantium, quia quicunque dolens ad illam pijssimam se præcordialiter ingerit, gaudiosæ spei non erit exors.* Sic ille.

In B. V. omnium lætantium est habitatio.

B.V. est habitatio omniũ iustorum, & beatorum.

173. Idem libro 11. ait *Virginem esse habitationem fortem ac munitam; & obsecuritatem, lętitia plenissimam: De Beatissima Virgine,* inquit, *cantatur hic versus: sicut lętantium, &c. Quia in fortissima munitione habitant, homines securi, & lęti; in infirma verò ac*

B.V. habitatio fortis ac munita.

debi-

debili tristes, ac timidi. Item in magna, & opulenta multi; in parua, & egente paucissimi. Maria siquidem Refugium est, & spes omnium fidelium, quia fortissima est ac inexpugnabilis, & terribilis vt castrorum acies ordinata, Dęmonibus inimicis. Est etiam opulenta gratiarum, ac virtutum abundantia, quia gratia, & gloria plena est. Magna denique est amplitudine charitatis, quia omnes amplectitur, Vnde illi canit Ecclesia: Sub tuum prędsidium confugimus S. Dei Genitrix. Ipsa enim est Ciuitas munita, in cuius manu sunt sancti. Et ideo dicitur: Sicut lętantium, quia ex hac protectione ipsius, multa est lętitia eis, qui ad eam confugiunt. Ipsa enim est lętitia Israel. Miserrimi omnium sunt illi, qui ad hanc Vrbem in omni necessitate confugere nesciunt. De eis Eccli. 10. Labor stultorum operiet eos, quia nesciunt in Vrbē pergere, idest ad Mariam refugere fidei, & amoris pedibus. Sicut contra felicissimi censendi sunt illi, qui ad habitationem hanc fiducialiter confugiũt. Vnde quasi magnum Dei beneficium recenset Dauid Psal. 106. *Deduxit eos in viam rectam, vt irent in Ciuitatem Habitationis*. Sic ille.

M Refugiũ est, & spes omnium fidelium.

M. habitatio fortium, & inexpugnabilis.

174. Quâ porrò ratione Virginea hęc Luna suis Incolis lætitiam pariat, explicat B. Albertus Magnus Tract. super Missus: *Dicitur B. V.* inquiens, *habitatio plena hominibus lętantibus. Ipsa enim continet, saluat, & ambit intra se esse lętitię, & omnium hominum affectum trahit ad se, & omnium desiderium quietat in se. Vnde ipsa est lętantium quoddam speciale Regnum cęlorum.* Quod si cum S. Augustino legamus: Tanquam iucundatorum habitatio omnium in te; magis lætitiam hanc, quam Virgo suis incolis tribuit, perspiciemus: Omnium iucundatorum est in hac Ciuitate habitatio, inquit Augustinus, quia in peregrinatione ista conterimur. Habitatio nostra iucunditas sola; peribit labor, & gemitus, transeunt orationes, succedunt laudationes. Ibi ergo habitatio iucundatorum, non erit gemitus desiderantium, sed lætitiâ perfruentium. Ibi habitabimur, & habitabimus iuxta illud Psal. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, Verè beati, qui in hac Virginea Dei altissimi domo habitant in hac vita, quia in hac adhuc peregrinatione ęternę beatitatis cęlestis illius harmonię suauitatem prelibabunt.*

B.V. est lętātium quoddam speciale Regnum cęlorum.

175. Vnde S. Hieronymus legit ex Hebr. *Et cantabunt quasi in choris omnes fontes mei in te.* Quibus verbis ostenditur mirifica virtutum, gratiarumque omnium in Deipara harmonia, fontes enim gratiarum à Deo in illam tantâ cum abundātiâ transfusi, admirabilem ac dulcissimũ planè in auribus Dei, omniumque in illius adiutorio habitantium concentum reddunt, perinde, atque si periti cantores in choros pulchro ordine distributi melodias dulcissimas modularentur. Quod si concentum, harmoniamque ex Pythagorę sententia Lunari huic Sphœræ concedanus, maiori lætitia, ac iucunditate sanè Virgineam hanc Lunam incolentes perfundentur. Quare Rutilius Benzonius Episcop. Lauret. in Psal. 86. docet Beatos omnes in cælo, in adiutorio B. V. habitare, & in eius protectione commorari, eosque omnes ipsius pulcherrimarum virtutum concentu, velut cælesti melodiâ recreari. Hinc illa gloriatur; *In Ierusalē potestas mea.* Sicut enim in militante potestatem habuit, sua vmbra mortales protegendi, eisdemque pietatis viscera exhibendi, ita & multo maiorem habet nunc in cælis; Vnde S. Bonauentura in spec. cap. 8. pientissimè illam alloquens: *Benedicta es à Domino filia*, inquit, *quæ priorem misericordiam, posteriori superasti*. Ruth 3. Additque: *Magna erga miseros fuit misericordia Mariæ adhuc exulantis mundo, sed multo maior est misericordia eius iam regnantis in cælo. Vnde pro splendore prioris misericordiæ fuit pulchra vt Luna; pro splendore posterioris misericordiæ est electa vt Sol. Nā quemadmodum Sol Lunam superat magnitudine splendoris: sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris.*

Virtutum, & gratiarū concentus in B. V. iucũdam reddunt in ipsa habitationem.

B. V. virtutũ concentu Beati omnes in cælo recreantur.

B. V. ob misericordiam nobis exhibitam in terris dicitur pulchra vt Luna.

176. Ex quo peruenusto Viri Sanctissimi Discursu colligimus non modo Lunæ huius Virgineæ fælicissimos incolas virtutum eius suauissimâ recreari, verum etiam, Luce eius fulgentissima irradiari. Quæ mentium nostrarum irradiatio tũc demum erit consummata, cum Luna hęc Virginea, quam in eius adiutorio sperātes quodammodo incolimus, atque inhabitamus, Soli iustitiæ post hanc nostram peregrinam sese vniet, nosque illi repræsentabit, ab eoque nouos splendores nobiscum communicandos mutuabitur. O fælices, ò terque quaterque beatos, qui sese in hac vita totos eius obsequijs addixerunt, manciparunt; hi sanè tangentes terram, perque eam ambulantes, perinde ab omni hostium aduersitatumque in cursibus, tribulationum procellis, calamitatum tempestatibus sunt securi, atqui si in orbe Lunę suum domicilium defixissent. Ipsa enim benignis, suæ gratiæ influentijs in animas eorum, quotidianis virtutum incrementis sensim illabitur, ipsa argenteâ suâ, purissimâque luce cordis puritatem eis assiduè instillat, ipsa mentis noctem, tenebrasque,

In B. V. velut Luna mystica in habitantes, quibus commodis perfruantur.

que,

que, quibus protoplastorũ scelere, mortales omnes obuoluuntur irradiat. Ipsa cælesti suá luce clientulos suos sub protectionis illius pallio degentes, velut luminoso vestimento, totos amicit, ac circumdat. Ipsa rore charismatum Spiritus Sancti, gratiarumque, quibus plenissima est, corda nostra aspergit, ariditatéque, ac sterilitatem nostram fœcundat. Ipsa gratissimo virtutum suarum concentu, non modo mentes, animosque nostros exhilarat, verumetiam ita concinnat, vt harmoniam creatori suo, morum affectuumque omnium compositione reddant iucundissimam. Ipsa iubilo os nostrum replet, inque Dei suisque laudibus facit disertissimos.

Musarum chorus in hominum cætum à sũma Diuinitate immissus, ne terrenus mundus videretur incultior.

177. Quare iure meritissimo gloriosissimam Deiparam Musarum chorum illum, inter hominum cætus à superno Numine immissum appellare possumus: de quo sic Mercurius Trismegistus in Asclepio cap. 5. *Non immerito in hominum cætum Musarum chorus à summa Diuinitate demissus est, ne scilicet terrenus mundus videretur incultior, si modulorum dulcedine caruisset, sed potius vt modulatis hominum cantilenis cõcelebretur laudibus, qui solus omnia, vt Pater est omnium, atque ita cælestibus laudibus, nec in terris harmoniæ suauitas defuisset. Aliqui enim ipsique paucissimi, pura mente præditi sortiti sunt cæli suspiciendi curam venerabiliorem;* ad harmonicum nimirum illum cælorũ concentum percipiendum. Qui sane lõgè suauius resonat, in Deipara, vtpote, in qua Angelorum, sanctorumque omnium cæli incolarum virtutes, maiori longè, cum perfectione enitescunt, in eaque suauiorem longè reddunt cælis omnibus harmoniam. Vnde merito dicere possumus, non tam illam, ceu Musarum chorum, in hominum cætus immissam esse, quam homines in illam, velut in Musarum chorum, ac domicilium cõmigrasse, dum in iucundissimâ ac tutissimâ eius protectione commorantes, gaudijs, ac delicijs ineffabilibus perfruuntur. Ipsa demum ardorem cupiditatum nostrarum, quibus, velut fornax illa Babylonica æstuamus, extinguit, adeo, vt rorem hunc gelidissimum expertus Doctor Seraphicus Psalm. 89. illi iucundè cecinerit: *Domina refugium facta es nobis in cunctis necessitatibus nostris. Diffusio gratiæ producit in nobis operationes purissimas, & stillicidium dulcoris tui affectiones facit sanctissimas. Miserationum tuarum Domina recordabor, sacrificium laudis, & carmen lætitiæ psallam tibi. Qui honorant te, coronam perennem pro cinere obtinebunt, & pallium laudis pro Spiritu mœroris. Qui sperant in te am ctu luminis induentur; gaudium perpetuamque lætitiam sortientur.*

B. V. cupiditatum ardorẽ quo mortales æstuant rore suæ gratiæ extinguit.

178. Eiusdem Virgineæ Lunæ tutelã, protectionemque ab humanis periculis omnibus, hostiumque insultibus, quam remotissimam idem Vir Sanctissimus iã expertus, miris delibutus gaudijs eidem Virgini concinebat, nosque ad illã confugiendum hortabatur; Psalm. 90. *Qui habitat in adiutorio Matris Dei, in protectione ipsius commorabitur. Incursus hostis non nocebit ei, sagitta volans non tanget eum. Quoniam liberabit de laqueo insidiantis, & sub pennis suis proteget eum. Clamate ad illam in periculis vestris, & flagellum nõ appropinquabit tabernaculo vestro. Fructus gratiæ inueniet qui sperauerit in illa; Porta Paradisi reserabitur ei.*

Qui habitat in adiutorio Matris Dei, in protectione ipsius cõmorabitur.

179. Idem ad Virgineam hanc protectionem obtinendam Psalm. 91. ad pangendas illi laudes omnes exhortatur: *Bonum est*, inquiens, *confiteri Virgini Mariæ, & psallere illi gloriam prosperitas est mentis. Annunciare merita eius lætificat intellectũ, & imitari opera eius exhilarat Angelos Dei: Qui acquirit gratiam eius, agnoscetur à ciuibus Paradisi, & qui habuerit characterem Nominis eius, annotabitur in libro vitæ. Exurge Domina, & iudica causam nostram, & ab insurgentibus in nos libera nos. Ne retrahas à peccatore dexteram tuam, excipe gladio tuo iacula.*

Qui habuerit characterem Nominis B. V. annotabitur in libro vitæ.

180. Excepisse visa est in se Virgo gloriosissima iacula deuastantium hostium, & in se velut in Luna commorantes protexisse, quando exercitus Turcarum Christianis insultantes in fugam vertit, atque deleuit. Testis est Petrus Crusios Istriacus Heros inuictissimus Capitaneus Clissiensis, qui cum Turcis preliũ, in planicie Dulmensi initurus sese B. V. Tersattensi ex animo commendauit, insignemque victoriam obtinuit. Qua obtenta, mox redditurus suæ Protectrici gratias, Tersattum venit, memorque gratitudinis in Templo eiusdem Virginis ibidem insignem capellam ad perpetuã tantæ victoriæ memoriam ædificauit, simulque scalam per totum illum satis arduum montem 118. gradibus constantem pro maiori peregrinorum commodo construxit.

P. Crusich contra Turcas pugnaturus voto facto B. V. Tersattensi victoriam obtinuit.

181. In adiutorio Matris Dei velut in Luna mystica habitare visus est magnanimus ille Miles Christianus dictus Milos Pariseuich, qui cũ Anno 1527. Turcæ Clissiam obsiderunt; & Turca quidam impijssimus simulque audacissimus Bauotta nominatus, tanquam alter Goliat

Milos ad singulare certamen à Turca prouocatus eum obtruncat.

liat Christiano exercitui insultaret, nostrosque ad singulare certamen prouocaret, Milos B. Virg. Tersattensi voto facto se Cereũ cui' ipse erat magnitudinis oblaturum, si ipsum superasset, in arenã spe plenus descendit, eoque obtruncato, Clissiam à Turcica obsidione, qua arctissimè premebatur liberauit, votumque Tersattum adueniens persoluit. Cereus hic in hodiernum vsque diem eodem loci visitur in Sanctuario, estque palmorum nouem vnciarum trium, vt scribit P. Franciscus Glauinich in sua Historia Tersattana.

Felices Ciuitates, quæ in B.V. tanquã in cælũ Lunæ suæ pietatis fundamenta iecerunt.

182. Quapropter fælices fortunatæque omnino censendæ sunt iuremerito omnes Vrbes illæ, quæ in Virginea hac Luna pietatis suæ iecere fundamenta, stabiliri enim eas, confirmari, mirificèque ab omnipotenti hac Saluatoris Matre protegi, contra omnes hostium quorumcunque insultus, est necesse. Quocirca si in eius dilectione, tutelaque perseuerent, bonis omnibus, diuitijs, altissima pace, potentiâque ita confirmabuntur, vt reddantur hostibus omnibus inexpugnabiles. Vnde idẽ Virgineus Psaltes Ps. 86. fælicitatẽ hãc huiusmodi Vrbiũ Nomen Deiparæ inuocantium, deque eius protectione gloriantium agnoscens, ita Virgini modulatus est: *Fundamenta vitæ in anima iusti, perseuerare in charitate tua, ò Maria vsque in finem. Gratia tua releuat pauperem in aduersitate, & inuocatio Nominis tui immittit confidentiam bonam. Miserationibus tuis repletur Paradisus, & à terrore tuo hostis confunditur infernalis. Qui sperat in te inueniet thesauros pacis, & qui te non inuocat in hac vita, non perueniet ad Regnum Dei.* Concludit tandem breui oratiunculâ ab omnibus cætibus Virgini dicatis, inque eius pietate, deuotioneque fundatis merito vsurpandâ, si ab hostibus reddi velint inexpugnabiles, si ęternam salutem consequi concupiscunt: *Fac Domina*, inquiens, *vt viuamus in gratia Spiritus Sancti, & perduc animas nostras ad Sanctum finem.*

Inuocatio Nominis B. V. immittit confidẽtiam bonam.

183. Expertæ sunt Vrbes variæ in pietate, ac deuotione erga Virginem, veluti in orbe Lunæ fundatæ ac radicatæ, præsidium, eiusque protectionem, perque illam diuturnâ pace, ac tranquillitate, rerum omnium affluentiâ, sunt perfruitæ. *Ipsa contra omnium inimicorum insidias, telorũque impetus illis Clypeus, Turris inexpugnabilis, murus adamãtinus extitit.* Experta est pręsidium hoc protectioneq; Virginis Constantinopolis, vti supra memorauimus in varijs Saracenorum insidijs, quæ vt ipsius Ciuitas fuit, estq; propria, à Magno Constantino, peculiari pietatis affectu ipsi consecrata, vt in hodiernum vsque diem Lunæ effigies in turrium verticibus erectæ passim contestatur, sic quoque peculiari semper eiusdem Virginis, quæ pulchra est vt Luna, protectione, dum cum Romana Ecclesia consentit, contra tot immanissimas barbarorum impetus, ac si in ipsa Luna fundata ac radicata esset, defensa est. Eluxit hæc Virginis protectio vel maximè, cum Thraces, Auares dicti, absente Imperatore Heraclio bellum in Perside gerente, Constantinopolim tam terrestribus, quam naualibus validissimis copijs Anno 625. obsederunt. *De qua obsidione Theophanes*: sic loquitur: *Decem sanè dies Auares Thraces Vrbem obsidentes, bellum terra marique gerentes, Domini virtute, pariter, & cooperatione, nec non & intemeratæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ intercessionibus superati sunt. amissis tãdem terra marique ingenti numero è suis, magno cum dedecore abscesserunt.* Cedrenus porrò Victoriam hanc à Constantinopolitanis de Thracibus relatam, ait factam præsentia Deiparæ, quæ barbarorum mentes, animosque, ita perturbauit, vt in mutuas cædes, vulneraque ruerent. *Tale enim quipiam*, inquit ille, *hostibus accidit: Viderunt barbari prima luce cum sol oriretur mulierem quandam illustrem Eunuchis comitatam. Porta Blanchernarum exeuntem:* (Blãchernis autem erat Templum Deiparæ celeberrimum, quo Constantinopolitani ad Deiparam confluere solebant:) *quam cum Heraclij opinarentur vxorẽ esse, & ad suum principem ob mariti absentiam ire pacis petendæ causa, transitum ei concesserunt, sub sequentem ex vrbe hominum turbam ipsi adorturi. Vt verò fossæ ambitum egressam non ire ad Regem viderunt, insecuti sunt eam vsque ad locum, cui veteris saxi nomen est, vbi cùm fere eam essent assecuti, illa cum suis ex oculis, & conspectu eorum euanuit. Ipsi autem tumultu inter se concitato congressi ad vesperam vsque strages mutuo ediderunt. Manè insequentis diei Dux aduertens maiorem suorum partem intestino conflictu perijsse, turpiter domum redijt statimque classis ab obsidione recessit. Quam domum reuertentem in Euxino mari aborta tempestas ita afflixit, vt perpauci ad suos redierint.* Ita Cedrenus.

Constantinopolis ab hostium incursionibus ope B.V. liberata.

Constantinopolis B.V. dicata vnde in Turribus Lunã gestat.

Præsentia B. V. Constan tinopolis Thraces vicit.

184. Experta est Carnutensis Vrbs in Gallia pręsidium, protectionemque Deiparæ, quæ ab illa singulari prorsus colitur pietate, vtpotè Templo illo ab antiquissimis Dauidis Virgini Pariturae consecrato, celeberrima. Hæc igitur cum à Rollone nobilissima Noricorum fami-

Carnutum indusio B.V. ab hostium incursu liberatur.

lia oriundo formidabili exercitu esset obsessa, in Virginis deuotione fundata, nil eius impetum extimuit. Nam vt scribit Vincentius Belluac. lib. 24. spec. Hist. c. 46. & ex eo S. Antoninus, Camisiam B.V. siue Indusium, quod Rex Carolus Caluus Constantinopoli Carnutum attulerat, ad instar gloriosissimi vexilli in mœnibus, ac propugnaculis Ciuitatis contra hostium exercitum expanderũt. Risere nimirum hostes hoc nouum vexilli genus, & ignorantes bellatricis Aquilæ illius grandis magnarum alarum esse insignia, in illud certatim, irrito conatu tela iaculantes Dei Matris iram vindicem sunt experti. *Repentina enim percussi sunt cæcitate adeo, vt nec progredi, nec retrogredi valerent, atque ita ad instar cæcorum in meridiana luce titubantes, ingentem à Carnutẽsibus ciuibus extra Vrbem in illorum exercitum obcæcatum erumpentibus, stragem passi sunt, sicque hostium suorum cæde, Carnutenses Ciues*, vt loquitur Vincentius, *se satiarunt.*

Hostes in indusium B.V. ad instar vexilli expositum iaculãtes cæcitate percussi.

185. Quid de Lauretana atque Recinetensi Vrbe dicam? An non in hac Virginea Luna iecisse visæ sunt fundamenta, cum à Turcarum, barbarorumq; incursibus, præsidio Deiparæ non semel liberatæ sunt? Anno certè 1470. circiter, regnante Mahomete Imperatore, expugnata Hydrunto in Salentinis, vt scribit Tursellinus noster lib. 2. ca. 8. Turcæ ad castrum portus Recinetensis cum classe delati populabundi Lauretum ad sacram illam Domum, *in qua Verbum caro factum est*, expilandam, ciuitatemque vastandam iter intendebant. *Verum ad sacri illius Domicilij conspectum, tantus eos repente inuasit terror, vt è vestigio, summo cum dolore tanta præda frustrati referre pedem sint coacti, inter se, ingenti cum stupore, Deum loci illius protectorem esse memorantes.*

Lauretana, & Recinetẽsis Ciuitas ope B.V. aduersus Turcas defenditur.

186. Non ita multis post annis Imperante Selymo iam dicti Mahometis Nepote, copiosa Turcicorum Piratarum manus in idem Castrum Portus Recinetensis irrupit, quo potiti, circum circa cædibus, incendijs, rapinis, omnia deuastarunt. Iamque cum neminem suis conatibus obsistentem animaduerterent, inflammatis studijs Lauretum, inde Recinetum expugnare atque deprædari meditabantur. Verum solus sacratissimæ illius domus conspectus, adeo illos consternauit, ac vix non exanimauit, vt mox re infectâ, terrore pleni ad classem remearint, reipsâ experti Diuinissimum illud Incarnati Verbi, eiusque Matris Domicilium à cælestibus defendi ac propugnari. Selymus porrò meditati illius sceleris, sacrilegijque Auctor nefarius, non ita multo post, vltrice Deiparâ, miserrimè perijt, & cancri fœdissimo, atrocissimoque morbo membra eius depascente, ad instar Epiphanis Antiochi consumptus est. Relatum postea est, à captiuis, qui è classe Turcicâ elapsi, Lauretum voti Deiparæ persoluendi gratiâ aduenere, Archipiratas, in quorum ipsi erant potestate, sæpius ad thesauros illos sacræ ædis, instructâ classe, diripiendos auidissimè anhelasse. Sed mox Sanctissimo illo Reginæ cælorum oculis sese obijciente domicilio, ab incæptis desistere fuisse coactos. Vnde oram illam maritimam Recinetensem legentes in conspectu sacræ Aedis, nil hostile attentare ob Diuini Numinis, eiusque Matris ibi delitescentis omnipotentiam, ausi sunt.

Turcæ solo Lauretanæ Domus aspectu in fugam aguntur.

187. Idem denique Tursellinus lib. 2. cap. 20. aliud mirificum sanè Virgineæ protectionis in Lauretanam vrbem memorat exemplum. Scribit enim tempore Leonis X. Ducem Vrbinatem ex omniũ hominum pene colluuie habuisse cõflatum exercitum, quo Picenum agrum infestis armis immanissimè vastabat. Incessit exercitum ingẽs cupido, Duce vehementer inuito, atq; inhibente, thesauros illos Virgini sacros diripiendi. *Pramittuntur igitur Lauretum exploratores, qui lætitia gestientes, quod omnia tutissima cernerent, à rapacissimorum luporũ grege è saltu proximo erumpente plerique deuorantur. cæteri in fugam versi monent socios, ne progrediantur in luporum sæuitiem, iustissimamq; Numinis vltionem experiri velint. Illi tamen vanum exploratorũ timorem deridentes iter institutum prædæ inhiantes, prosequuntur.* Cũ ecce, sacra Aede sese obtutibus ipsorũ obijciente, tanto repente horrore perculsi sũt, vt lymphatis similes viderentur. Tandẽ Templi Religione salubriter consternati, sanctoque timore compuncti meditatum scelus tam impiũ detestati, versa in pietatem temeritate, atq; audaciâ, Lauretanum Templum venerabundi intrant, veniam tantæ impietatis postulãt, cæli Reginam muneribus placant. Ipse Vrbinatum, totiusq; exercitus illius Dux, rei euentu, mirè lætus, mox semetipsum exarmat, et panopliam vniuersam in primo, Augustissimæ illius domus aditu, in tanti miraculi memoriã sempiternam suspendit, simulq; religiosè Virgini vouet, se exercitum ex agro Piceno mox subducturum, quod & præstitit. *Quis obsecro hisce tam luculentis cõsideratis exemplis non videat Lauretanam vrbem, eiusq; augustissimum Templum in Virgine Dei-*

Ducis Vrbinatis exercitus Domum Lauretanam inuadere tẽtans à grege Luporum arcetur.

par

para, veluti in Luna, iecisse fundamēta, dū toties vrbem illam tam insigniter à Dei Matre contra tot infestissimorum hostium impetus protectam fuisse intelligimus?

188. Nonne Leodiensem Vrbē, eiusque ciues in hac mystica Luna domicilium fixisse nobis persuadere possumus, dum in grauissimis periculis constitutis Dei magna Mater validū aduersus Brabantiæ Ducem depugnantibus præsidiū attulit? Nam vt scribit Raynaldus ad Annum Christi 1213. n. 15. visa est Deipara ante Leodiensium exercitum venerando in habitu cum S. Lamberto præcedere, quam cum illi vidissent ter ante initum prælium genu flexo eam deuotè deprecati sunt, vt in tanto discrimine sibi adesse dignaretur. *Quam reuerentiam in Virginem perperam interpretati aduersarij, dixere se ab ipsis præ timore adorari, eosque cachinnis explosere. Verum Diuina Mater eorum preces, adorationemque sibi factam irritam cadere non est passa, præsentissimum enim eius fauorem, Brabantiæ Duce, eiusque exercitu profligato experti sunt.*

B. V. fauet in prælio Leodiensibus.

B. V. Leodiēsium exercitum cum S. Lamberto præit.

189. In eâdem Luna mystica potētissimi etiam Reges ab hostibus oppugnati firmum habitaculum posuisse visi sunt. Inter quos merito accēsendus est S. Stephanus pientissimus in Virginē Hungarorum Rex, qui postquam ei, & semetipsum, vniuersumque Regnum in tutelam obtulisset, voto speciali consecrasset, ipsius Dominio omnia subiecisset, ac demum in primaria totius Regni sede, quę Alba Regalis nūcupatur, sumptibus plane Regijs, opere magnificentissimo Basilicam condidisset, eamq; opulentissimis muneribus exornasset, in varijs sui Regni necessitatibus patrociniū ipsius, protectionemque experiri meruit, ac tunc præsertim cum Conradus Romanorum Imperator ingentibus coactis copijs Hungariam inuadere meditabatur. *Tunc enim Filiali plane amore, ac confidentia ad misericordiæ Matrem, tāquam ad tutissimum Asylū, recurrit, eamque sic à Bonfinio allocutus fuisse memoratur: Si placet tibi Domina mundi tuæ partem hæreditatis ab inimicis deuastari, nouellamq; Christianismi plantationem dissipari, ne quæso sinas, illud diffidentię meæ imputari, sed potius dispositioni voluntatis suæ. Si quid cōmeruit culpa Pastoris, ipse luat, oues quæso insontes affligi ne patiaris.* Nec irritæ Dei Matris amatissimi Regis cecidere preces. Altero n. die ad singulos Germanorū Duces nūtius cum Imperatoris aduenit literis, quibus mox pedem referre, & à cæptis, desistere iubebantur. Hæc vbi Imperator intellexit agnouit totum id Dei cōsilio, ac volūtate, optimum Regem, ceu scuto protectionis suæ coronantis, accidisse. Vnde sanctissimus Rex tam præsentem Dominæ, ac patronæ suæ opē, protectionemque in se animaduertens, memor gratitudinis sese humi abiecit, amplissimas Reginæ misericordiæ tam benignè, & se, & Regnum suum defendenti grates persoluit, ac deinceps nūquam illud calentissimis precibus eidem commendare destitit.

S. Stephanus Rex se, & Regnum B. V. consecrat.

Oratio S. Stephani ad B. Virginem.

B. V. eum à Conradi Imperatoris inuasione liberat.

190. Pari pietate S. Ludouico Francorum Regi, ac Christianis in occupando Pelusio in Nili faucibus sito ad fuit eadem misericordiæ Regina. Nam scribit Ionuillius in Hist. S Ludou. P. 2. eo die quo in terrā exscensio facta est à nostris arreptitium hominem ad Templum B. V. de Tortosa miraculis celeberrimum, fuisse adductum, & dum alij in preces effusi à B. V. contendebant vt Cacodęmonem à corpore illius pelleret, exclamasse: *Non est hic Virgo præsens; in Aegyptum se contulit, vt Gallorum Regi, & Christianis, qui hodie in terram exscendunt, aduersus gētiles, qui stant in equis ad prælium armis instructi, auxiliū ferat.* Quamuis porro Dæmon rem in iocum detorserit, credendum tamen est B. V. suis apud Deum precibus singulari tunc ad frangēdos hostes, pręsidio Christianis fuisse. Propulsatis enim, diuina ope hostibus, Rex Ludouicus, vbi cum Cruce signatis in litore castra locasset, Deus pro suis prælium in vrbe confecit, *Tantum enim terrorem infidelibus, per illam sine dubio, quæ terribilis est, vt castrorū acies ordinata, iniecit, vt ex vrbe quantumuis munitissima, omnique commeatu instructissima profugerint, nobisque Pelusium occupandum reliquerint*; vt etiam scribit Raynaldus ad Annum Christi 1249. nu. 3.

B. V. S. Ludouico Regi Pelusium oppugnanti præsto fuit.

171. Quid de Diensi Arce Lusitanorū in India sita dicam? Nonnè in Virginea hac Luna fundata esse videbatur, cum septimum iam mensem à Cambagæ Rege potentissimo ingenti exercitu 40. & amplius millium selectissimorum militum, omni armorum, & telorū genere instructissimorum obsessa, atque acerrimè æneis tormētis, alijsque bellicis machinis oppugnata, omnes eorum conatus, licet modo præsidio esset instructa risit, atque contempsit? *Tandem cum Ioannes Castrius Indiæ Prætor suppetias attulisset, cum tribus fere armatorum millibus, ea ipsa die, qua in Arcē illam aduenit, eruptione generosissimè facta, tantam ferocissimorum, ac bellicosissimorum hostiū aciem, optimè rebus omnibus ad bellandum instructam aggredi ausus, non minus admirabile, quam gloriosam, protegente, ac patrocinante*

Arx Diensis in India protegente B. V. hostium insidias euadit.

Virgine bellatrice fortissima, victoriam reportauit; ex suis circiter 60. desideratis; quatuor verò millia hostium cum Duce exercitus Rumecane cęsa. 600. viui capti, in ijs principes aliquot in Lusitanorum potestatem venerunt, reliqui verò omnes fusi, profligatique sunt. Auctricem porrò huius Victoriæ extitisse cælorum Reginam potentissimam, in qua, veluti Luna, pietate sua fundata Arx Diesis videbatur, testatur Maffeius, qui lib. 3. Hist. Indic. postquam totius huiuscé rei gestæ seriem retulisset, addit: *Celebritatem huius victorię auxere Diuina miracula, quod hostes ipsimet affirmarent, conserta iam pugna, maiores aliquot ballistas applicitum quater ignem, cælo minimè pluuio respuisse, & super ædiculam Arcis apparuisse Mulierem, cælesti lumine radiantem:* (vtpote Lunam æterni iustitiæ solis iubare repletam:) *cuius fulgor ita aspicientium oculos mentesque perstringeret, vt cæci propemodum, neque in ordine ire, neque in vnum conglobare se possent, ac tanto superiores numero, tamen immutata repente rerum omnium specie, vt in denos Lusitanos pugnaturi singuli viderentur, inde consternationem, & fugam exortam.*

Bellica tormenta hostium sereno cælo ignem respuunt.

192. Quid de Angolana sede ad oram Africæ sita dicam? nonnè in hac Luna Virginea hæc quoque fundamenta sua defixisse visa est? cum Angolæ Rex innumerabili militum multitudine bellũ bis intulit Lusitanis, in quo protegente Virgine, Christiani, numero pauci cõfertissimos barbarorum, validissimosq; dissiparunt, strauerun tq; exercitus. Rẽ totam prout gesta est descripsit Bencius in Annuis Societatis Prouinciæ Lusitaniæ Anni 1587. *Bis,* inquit, *hoc anno commissũ est prælium, hostesque eiecti, ac repulsi. Quin etiã res accidit omnino mirabilis. Lusitani erant ferè ducenti, fœderatorum verò Aethiopum 10. millia sub signis habebant. Hæc tantula manus tota sexcenta aduersariorum millia fudit, fugauitque, & quod alioqui incredibile videatur incruenta prorsus victoria, cuius quidem auctor non immerito creditur Virgo sanctissima, quam præcipuã quadam Christiani Aethiopes obseruantia venerantur.* Addit Prætorem Lusitanum effigiem sacrosanctam Deiparæ semper secum in expeditionibus circumferre fuisse solitum, quam flexo genu quotidie, præcatione adhibitã, inspectante exercitu, venerabatur. Imago hæc per castra solenni pompã maximaque religione cum toto exercitu fuisset circumducta, sub ipsius præsidij vmbra, duodecies centena millia Angolanorum Lusitani, exiguo suorum numero, omnibus retro sæculis inauditã gloriosissimãque victoriã profligarunt, ac triumpharunt. Quam illi victoriam iure merito adscripsere Deiparæ, cum enim Lusitanus quidam ad Regiam Vrbem delatus, quæsijsset ex illius tam ingentis immanisque exercitus Ductore, cur illã multitudine militum propè innumerabili, tam paruis Lusitanorũ copiolis cessisset, respõdisse fertur: *Haudquaquam Lusitanorum arma metuebamus, quos vel vno Spiritu difflare potuissemus, sed Fœmina, admirabili specie clarissima effulgens in Luce, Seniorque eius Comes* (: S. Petrum Apostolorũ Principem fuisse crediderim:) *flammarum vibrans gladium, qui conspiciebatur ante Signa, Suspensis medio aeris vestigijs magnam incutiẽs spectantibus formidinem, alienatos terrore animos in fugam conuertit.*

Christiani Aethiopes præcipua obseruantia B. V. venerãtur.

Prætor Lusitanus Imaginem B. V. veneratur, eãq; per castra circũ ducit.

193. Quanta porro gloriosissimam Lusitani veneratione, pietateque prosequantur Deiparam idem Bencius in Annuis Societatis 1590. descripsit. Vbi inter reliqua memoratu dignissima hæc habet: *Lusitanorum in nostro Templo Ara est appellatione; Mariæ Virginis de Victoria. Huic Lusitani, quæ bello prosperè enenerunt, referunt accepta. Hic nuncupant vota ad bellum profecturi. Hinc descendunt expiati sacris mysterijs. Huc redeunt cum donis vota persoluentes. Quin & ipsammet Dei Matris Imaginem religiosè ferunt in castra. Adnotarunt dies omnes, qui sunt consecrati Virgini, fuisse lætos reportata aliqua Victoria. Itaque nunquam attentare prælium, nisi vno aliquo ex illis diebus constitutum habent, aliter fecisse, periculum existimare videntur. Instatiuis ædificarunt temporarium sacellum simulacro Dei Genitricis asseruandò, quod in discessu ne profanaretur ab Ethnicis excusserunt, Cruce tantum, ad loci memoriam relicta. Belli metu liberatus Regulus illius regionis, rupto fœdere, per scelus; ac fraudem locum profanat; Sed non tulit impune. morbo enim oppressus iacuit Annum integrum; cum de eius salute Medici, ac Venefici fere desperarent, agnouit pœnam peccati. Ergo ad Crucem quam Lusitani reliquerant, dono pallium mittit, vouetque se imbuendum Christiano ritu, si conualescat. Mira res, sed autor miraculi DEVS, eiusque Mater, vix famuli munus ad Crucem attulerunt, cum valetudo ægro restituta est. Igitur obligatus voto, confestim legatos destinat ad Prætorem, vt se, ac res suas iterum data venia in fidem recipiat, nec multo post adscriptus est à nostris in Christianorum cætum.* Hæc Bencius. Quod porro Lusitanis Imago B. V. in castris gestata contulit, hoc eadem Imago in Vexillo Alphonsi IX. Aragonum Regis prælata aduersus Sarracenos operata est. *Nam Anno Christi 1212. Deiparæ fretus patrocinio pijssimus Rex illustrem victoriam reportauit, cæsis amplius centum millibus Sarraceno-*

Lusitanorũ erga Imaginem B. V. de victoria eximia pietas.

Lusitani Imaginem B. V. Religiosè ferunt in castra.

Regulus Ethnicus periculosè decũbens ad Crucem dona mittit. & fit Christianus.

cenorum, de nostri vix 25. aut 30. militibus desideratis. Raynaldus ad eundem Annum nu. 29.

Societas Iesu sua fundamenta in Luna mystica fixisse visa est, dū hostium tā inuisibilium quam uisibilium eludit insidias.

194. Quid demum de minima hac Societate IESV dicam? Nonnè hæc velut Vrbs firmissima, licet toto terrarum orbe dispersa in hac Virginea Luna fundamenta sua iecisse visa est, cum tot tam inuisibilium, quam visibilium hostium Ethnicorum, hæreticorum, aliorumque prauorum Christianorū incursibus appetita, inconcussa semper, atque inexpugnabilis, magnâ totius orbis admiratione perstitit; imo in dies, seipsâ fortior effecta, maiora tam personarum numero, quam virtute accepit incrementa, & veluti Vitis illa Dauidica extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines suas, operuit mõtes vmbra eius, & arbusta eius Cedros Dei; Psalm. tandemque cum eam vix capere posset Europa penetrauit ad Antipodas vsque, nouumque orbem, & gentes immanitate, ferociaque barbaras, Indos, Aethiopas, Brasilios, Iapones, aliasque efferatas nationes peruagata, persecutionibus, varijsque aduersis casibus exagitata protectione Deiparæ omnibus calamitatibus superior euasit, & veluti in Luna habitās, rebus mortalibus eminentior ridet inconstantis Fortunæ impetus in altissimo Dei Matris sinu quodammodo collocata. Hæc illi Murus est adamantinus, hæc turris, & propugnacula argentea, adeo vt illi dicere Virgo hæc benignissima videatur: *Ego Murus, & Vbera mea sicut Turris* Cant. 8. *Dum enim illam suo patrocinio fidelissimo protegit, Murus illi aheneus, atque adamantinus est, dum eam pietatis suæ lacte, velut dilectissimam Filiam, nutrit, ac pascit, pascendoque contra omnium inimicorum insidiantium impetus munit, Turris est.* Sicque Turribus hiscè fortissimis Nominis IESV, quo insignita est, ac Mariæ alijsque eorundem præsidijs circumuallata, securissima sub tantorum Nominum tutela degit. Hæc illi semper adest, vbi enim IESVS est, ibi quoque eius Matrem ob indiuiduam carnis communicationem, ac indiuiduam spiritus vnionem adesse necesse est.

B.V. Societati Iesu est murus adamantinus, eiusque Turris ac propugnaculum.

B.V. in Soc. Iesu beneficia.

195. Hæc illius ærumnas, miserias, laboresque pro animarum salute exantlatos, tanquam misericordiæ Mater blandè solatur. Hæc velut Luna argenteo puritatis candore illam tanquam preciosissimâ cyclade circumuestit. Hæc æterni iustitiæ solis luce, vtpote illi inseparabiliter vnita, eius mentem tam rerum Diuinarum, quam humanarū scientiâ irradiat, vt pietate, ac religione, necnon liberalibus disciplinis totum orbē illustret. Hæc benignitatis suæ secretis influxibus innumeras virtutes, humilitatis, quâ humana omnia, velut vanissima Fortunæ ludibria, omnesque dignitates aspernatur; paupertatis item, Angelicæ castitatis, promptissimæ intellectus, & voluntatis obedientię, charitatis Dei, ac proximi progenerat; Hæc ardentissimum animarum zelum, patientiam in aduersis, mutuam illam inter eius membra vnionem, atque harmoniam, voluntatumque conspirationem, quæ verissima est Discipulatus Christi nota ac tessera, tum varia Spiritus Diuinissimi dona, ac charismata, plurima denique eaque insignia animi ornamenta, effusissimâ plane liberalitate communicet. *Vnde Societas hæc, tantorum Virginis beneficiorum memor, eius cultum honoremque, ac præsertim immaculatæ ipsius Conceptionis gloriam vbique, & concionibus, & scriptis libris, Parthenijsque sodalitijs, toto terrarum orbe excitatis, amplificare ac propagare, pro virili sua, animitus, medullitusque contendit, vt quodammodo ad hoc nata, & ficta, factaque esse videatur.*

Societas Iesu ficta factaque videtur ad Concept. B.V. eiusque laudem propagandam.

196. Quam ob causam, & ego minimi huiusce in Virginea hac Luna fundati, ac stabiliti Sodalicij inutile membrum, agnoscens me ipsius munificentiâ tantum hoc, tamque eximium vocationis in Societatem IESV Filij eius munus assecutum, aliasque gratias, ac beneficia, licet vndequaque indignissimum accepisse mihi conscius, modicum illud ingenioli, atque industriæ, quod ipsius pietate acquisiui, id totum impendere, ei dicare, ac consecrare sum conatus, vt ipsam dum in hac miseriarum valle, in nocte huius sæculi versor, patronam, clementissimamque protectricem, ac præsertim in illo terribilium omnium terribilissimo mortis instanti, supremoque Filij, nimium quantum tremendo illo Tribunali adstans Aduocatam benignissimam experiar.

Auctoris ad B.V. oratio, & huius secūdæ Partis Epilogus.

197. Quare ad te Luna Virginea, ego stultitiæ, vanitatis, ac inconstantiæ Luna, mecum Diuo Bernardo pedibus tuis, sūmâ quâ possum animi demissione prouoluo, rogoque atque obsecro te Mater misericordiæ, per ipsum syncerissimæ tuæ mentis affectum vt mihi apud Solem iustitiæ sis Mediatrix, deuotisque supplicationibus interpelles, quo in lumine tuo videam lumen, æuiternaque post hanc peregrinationem perfruar beatitate.

Ob-

Obtestor te per effusissima tuæ pietatis, ac misericordiæ viscera, quibus Dei filiũ portasti, eximiamque charitatem, qua, velut clarissimam lucem, illum, ad nos illuminandos in mũdum effudisti; per immaculatam illam, omnibus laudum encomijs, toto terrarum orbe ęquè veteri, ac nouo, ab omnibus gentibus, omnibus creaturis, *quæ in cælo sunt, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo*. Apoc.5.13. *ab omnibus*, inquam, *creaturis celebrari dignissimam, & à solis ortu vsque ad occasum omni hora, & in æternum laudabilem Conceptionem tuam*. Per dulcissimum illud tuum Nomen Maria, quod os Domini nominauit, quo pronunciato *cælum ridet*, vt Sapiens tuus ait Idiota in Contempl. B.V.c.5. *terra lætatur, Angeli cõgaudent, Dæmones contremiscunt, infernus cõturbatur. Per gaudia illa tua, quæ nouem mensibus Dei filio in vtero tuo purissimo, velut Horto Paradisiaco, veluti sinu Paterno, omnibus delicijs affluentissimo, commorante, acquiescente experta es. Per Virgineum partuum tuum, quo tot sæculorum myriadibus, cunctis gentibus tot suspirijs, gemitibusque desideratum Messiam, vnicam, verissimamque mundi salutem in lucem protulisti*. Per acerbissimos deniq; illos cruciatus filij tui, quos in Cruce pro nobis pertulit, & tu eosdem in tuo corde, velut speculo, doloris gladio transfixa, ac plusquam Martyr effecta repræsentasti, & mare quoddam amaritudinis, pœnarumq; illius omnium, quas passus est euasisti; te in quam oro, atque obsecro, vt quemadmodum Societatem vniuersam sub amplissimo illo, candidissimoque tuæ pietatis, protectionisque pallio, in te, velut Luna fundatam, ac radicatam foues, ac tueris, ita quoque me vna cum illa, me in quam inutilem in ea seruum, aduersus omnes Cacodæmonum insidias protegere, ac firmum, stabilemq; in pietate erga te conseruare, accumulatis ope tua maioribus in dies virtutum ac pręsertim tuæ humilitatis incrementis, non dedigneris. Tu, velut Luna Virginea, luce tuâ menti meæ affulgesce, & ignorantię, peccatorumq; meorum noctem, tenebrasq; irradia, tepiditatem meam, solis iustitiæ ardoribus, quibus, velut amictu, circumdata es, inflamma, meque in Diuino, tuo que obsequio charitate feruẽtem redde. Tu benignissimis tuis influẽtijs gratias, perfectionesque tuas, ac charismata diuinissima, quibus velut immẽsum quoddam speciosissimumque mare affluis, ac redundas, in animum meum quantum exigua ipsius fert capacitas, instilla. *Congessit in te Vniuersorum Opifex plena, quod aiũt manu, Diuinę suæ Naturę opes, ac perfectiones, omnipotentię, Sapientię, Bonitatis, misericordiæ, reliquorumque attributorum suorum quantum eos capere potest creatura, thesauros vniuersos, adeo vt facta sis*, vt loquitur S.Andreas Cretensis, *benè descripta primi Archetypi Imago, & speculum sine macula, Diuinę maiestatis, & Imago bonitatis illius*. Congessit in te omnium Angelicarum Hierarchiarum tanquam in earum Reginam omnes perfectiones ac decora. Ille te animatũ quoddam effecit cælũ, adeoque puritate, splẽdoreq; virtutum tuarum delectatus est, vt de Regalibus sedibus ad nos inuisendos aduenies, in Virgineo vtero tuo sibi domicilium delegerit, tibiq; omnium cælorum, stellarum, solis, Lunæ, reliquorumq; Planetarum pulchritudinem, perfectionemque communicauerit teq; velut Mundum quendam cælestem, admirabili artificio fabricauerit, vti pro modulo meo explicare hac secunda Parte sum conatus. Restat iam vt tertiam Partem aggrediar, ostendamque te nouum quendam Mundum sublunarem esse, terræ, reliquarumque in ipsa contentarum creaturarum venustate, à supremo Artifice exornatum. *De hac igitur tua tam copiosa tamque ingenti gratiarum, perfectionumque tuarum plenitudine, cęlestisque sapientię lumine nobiscum participa. Hic tu Virgo clemẽtissima vti semper hactenus mihi tuarum laudũ pręconia, pro posse meo elucidanti, rudique stylo cõscribenti, adsis, tanquam Luna, cęcamq; ignorantię meę noctem illumina. Imo adsis tanquam mũdus cęlestis, tanquam Apocalyptica illa Mulier, omnibus cęlorum ornamentis decorata*. Adsis inquam ò Virgo, ò Signum magnum, ò miraculum in cælis obstupescendum: adsis mihi, velut mulier amicta sole, Luna calceata, coronaque duodecim stellarũ redimita, meque sapientiæ tuæ copiosis splendoribus irradia, vt mens mea tetrâ caligine circumsepta, à te, quæ profundissimam diuinæ sapientiæ, vltra quam credi valeat, abyssum ita penetrasti, sicut loquitur Bernar. vt luci illi inaccessibili videaris immersa à te, inquam *mens mea tetre ignorantię circumsepta caligione, potenter illuminata, ita tuas laudes meditetur, ita deprędicet, vt signum magnum, nouumque Miraculũ sis, & in terra, dum vilem homunculonem, ex terra, puluere, cinereque compactum, luteamque domum incolentem, adeo benignè sydereis illis tuis oculis digneris aspicere, eiusque tenebras abstergere, & in numerum tuorum qualicumque Encomiastarum adscribere non dedigneris*. B.V. sicut miraculum est in cælis sic fit, & in terris dum hominacionẽ vilem ita illuminat, vt eius laudes conscribere valeat.

198. Interea ò Virgo mea gloriosissima, ò lux, ò stella, ò Luna, ò Sol, ò dulce decus, præsidiumque meum, quales tãto pro

pro lumine tibi reddã grates, quod meæ caliginosæ menti hactenus, tam amanter in tota hac de tuis laudibus lucubratione, in qua sine Duce, te sola Duce procedendum mihi fuit, gratiâ tuâ, fauoreque affulseris, & in tam spatioso elogiorum tuorum pelago, veluti stella maris ad desideratum portum saluum, incolumemque perduxeris, quas, inquam, pro tantis, tamque innumeris beneficijs tibi fonti gratiarum omnium gratias rependam? Nescio ò Virgo, ò Domina mea amantissima

Quæ celebrem mea vota Lyrâ, quas soluere grates
Sufficiam? Non si pariter mihi vertice læto
Nectat odoratus, & Smyrma, & Mantua lauros
Digna loquar. Stat. lib. 4. Sylu. in Euchari-stiaco Dormit. Sane me totum vndequaque circumspiciens, reperio nihil in me dignum, quod tuæ gloriosissimæ reponẽdum, rependendumque esset Maiestati, nisi meipsum plane indignissimum, in anima, in corpore tibi offeram. Tuis igitur, Virgo benignissima, obsequijs, hodierna die, qua tantâ cum promptitudine, atq; hilaritate puella adhuc trimula, velut Virgula vigilans, siue Amygdalina ante reliquas omnes Virginum arbores, virtutum variarum flores, fructusque maturè producens, Te in tẽplo Diuinæ Maiestati præsentasti, atque obtulisti, tuis, inquam, obsequijs animam meam, eiusq; facultates, memoriam, intellectum ac voluntatem omnem, cum reliquis sensitiuis potentijs omnibus consecro. Eisdẽ tuis obsequijs, castissimoque amori tuo, cor, visceraque cum reliquis corporis membris, ossibus, ac medullis clamantibus: *ò Domina quis similis tibi?* tibi do, dico, addico, ac dedico, mancipoque.


199. Octodecim quoque hoscè mẽses, quibus tu semper velut plena iubare gratiarum omnium Luna, mihi in hoc tam arduo, ac difficili opere tuo desudanti præluxisti, consecro. In primis quidem Incarnato Verbo, nouem mensibus in vtero tuo Virgineo iucundissimè quiescenti ac delicianti; deinde reliquos nouem tibi eiusdem Matri dilectissimæ, tantâ cum charitate, eundem Dei filium hospitio excipienti lubens, volensque deuoueo. ò vtinam Virgo tuæ mentis ardores illos, quibus hodie accensa tam promptè, atque hilariter te vniuersorum Domino in eius domo, ipsi ad famulandum præsentasti, valeremus aliquo modo, vel à longè sequi, ac imitari, vt eisdem ardentissimis accensi studijs, labores nostros in posterũ tibi redderemus gratiores. Hoc cum opis nostræ non sit, tibi nos totos, voluntatemque promptissimam offerimus ac dicamus, tibi cum tuo Psalmista Seraphico quam maximo possumus cordis affectu modulantes Psal. 118. *Retribue seruo tuo Domina, viuifica me, & faciam voluntatem tuam. Incola ego sum in terra, nihil abscondas mihi de amore tuo. Concupiuit anima mea desiderare laudem tuam in omni tempore. Tu enim salus mea in Domino, quia me morti adiudicatum liberasti. Quid pro his retribuam tibi nisi me totum? Domina suscipe me. Tuus totus ego sum Domina, saluum me fac, quoniam desiderabiles mihi sunt laudes tuæ in tempore hoc peregrinationis meæ.* Desiderabiles inquam, sunt mihi laudes tuæ ac dulces, super mel & fauum ori meo, sunt etiam nimium quantum amabiles, vt earum amore accensus, cupiam me totum quantus sum illis impendere, super impendere, ac consecrare.

200. Huic igitur tuo tam pio, tam sancto ministerio me totum deuoueo, atque impendeo. Tuus odor ille vitæ sensus meos vitales, atque animales Spiritus ita excitet, vt odore tam suaui, velut igneo vigore vegetatus, me in opere hoc tuo elucubrando in dies fortiorem inueniam. *Plantata fuisti, ò Virgo pientissima, velut Oliua fructifera in Domo Domini, sperasti semper in misericordia illa Dei tui, qui Parenti tuo Dauid olim se faciem suam nobis ostensurum, & cum hominibus conuersaturum promiserat, sperasti, inquam, in hac Dei tui misericordia, nec spe tuâ frustrata es, te enim, viscera misericordiæ terrigenis exhibiturus, eosque benignè oriens ex alto, inuisurus, te inquam oliuam fructiferam, speciosam, oleoque misericordiæ vberem elegit, in qua habitaret, tibique totus intimè incorporaretur, quo copiosius misericordiæ, pietatisque oleum afflueret mortalibus.* Ideoque tibi Pater æternus Nomen suauissimum, post dilecti filij sui IESV, quod est super omne Nomẽ ad instar Olei, toto orbe terrarũ effusũ, tribuit eminentissimũ, vt oleo misericordiæ tuæ affectus nostri impinguati, humana omnia fastidientes, cælestia diuinaque appeterent. Impingua igitur pietatis tuæ oleo ariditatem meam, fac vt suaue hoc, ac leue laudum tuarum iugum, quod lubens, volensque vltro suscepi, à facie olei tui computrescat. Computrescet vtique si te, pace tua, ò Virgo pijssima dixerim, subiugalem mecum, gratiam tuam, fauoremque mihi aspirando præstiteris. Tunc nimirum pietatis tuæ oleum non modo laborem omnem leniet, verum etiam lucem in profundissimo hoc, spaciosissimoque elogiorum tuorum pelago nauiganti,

ganti, quemadmodum Vrinatoribus ima maris, abditaque scrutantibus, porriget. Interea cum tuo Seraphino Psalmista finem facio, quamquam amoris, laudisque tuæ mihi nullus terminus, nullus finis vnquam dum spirauero: O' *Domina igitur Illuminatio mea, & salus mea, sit splendor faciei tuę, & serenitas gratiæ tuæ refulgeat menti meæ. Exalta super humana omnia caput meum, & ego psallam, psalmum Nomini tuo decantabo. Ne auertas faciem tuam à me, quia speciem, & decorem tuum à iuuentute mea concupiui. Te amaui, semper, & exquisiui Regina cælorum, misericordiam, & gratiam tuam, ne subtrahas à seruo tuo. Confitebor tibi in nationibus, & Thronum gloriæ, Regnique tui vbique honorificabo, donec tandem me tua gratia, benignitateque in hac fragili, caducaque vita adiutum, ad immortalem illam nunquam terminandam, beatitatemque fælicissimam perducas, vbi Diuinam, tuamque faciem pulcherrimam contemplantes,* quę pars est quædam fælicitatis nostræ, votorum omnium complementum nacti, in Diuinis tuisque laudibus deprædicandis, æuiternum annabimus, perennabimus.

Amen.

FINIS.



INDEX RERVM, QVÆ HAC SECVNDA PARTE MVNDI MARIANI CONTINENTVR.

Litera D, Discursum; Litera N, Paragraphum denotat.

Pater

C

Pater Camillus Constantius noster.

Chri-

INDEX

Quarta

Hyso-

Poma

1. MARIA.

2. MARIAE in Adolescentiam pius Affectus.

3. MARIA est Altare.

Corona

Sicut

8. MARIAE Cella, vel Cubiculum commendandum.

9. MARIAE Charitas erga DEVM, & proximum.

10. MARIAE Conceptio.

29. MARIAE vtilis Dolorum Meditatio.

30. MARIA Misericordia.

Sicut

36. MARIAE Oculi.

37. MARIAE Officium.

Cano-

54. MARIAE prudentia.

55. MARIAE pulchritudo.

59. MARIAE Seruitus quam vtilis.

60. MARIAE Sodalitia.

Con-

Christus

79. MARIA Angelos Respiciens.

80. MARIA Archangelos Respiciens.

Quænam

87. MARIA Diuinas Personas Respiciens.

88. MARIA Dominationes Respiciens.

Domina-

nos

Maria

96. MARIA Mare Respiciens.

97. MARIA Mercurium Respiciens.

Coelum

98. MARIA Mortem nostram Respiciens.

Maria

102. MARIA Potestates Angelicas Respiciens.

105. MA-

Cælum

Reli-

Bartho-

INDEX.

San-

INDEX.

FINIS.

